D. ALBERTI MAGNI,

RATISBONENSIS EPISCOPI, ORDINIS PRÆDICATORUM,

COMMENTARII

IN PRIMAM PARTEM PSALMORUM (I-L).

B. ALBERTI MAGNI

RATISBONENSIS EPISCOPI, ORDINIS PRÆDICATORUM,

OPERA OMNIA,

EX EDITIONE LUGDUNENSI RELIGIOSE CASTIGATA, ET PRO AUCTORITATIBUS
AD FIDEM VULGATÆ VERSIONIS ACCURATIORUMQUE
PATROLOGIÆ TEXTUUM REVOCATA, AUCTAQUE B. ALBERTI VITA AC BIBLIOGRAPHIA SUORUM
OPERUM A PP. QUÉTIF ET ECHARD EXARATIS, ETIAM REVISA ET LOCUPLETATA

CURA AC LABORE

AUGUSTI BORGNET,

Sacerdotis diœcesis Remensis.

ANNUENTE FAVENTEQUE PONT. MAX. LEONE XIII.

VOLUMEN DECIMUM QUINTUM

COMMENTARII IN PRIMAM PARTEM PSALMORUM (I-L).

PARISIIS
APUD LUDOVICUM VIVÈS, BIBLIOPOLAM EDITOREM
13, VIA VULGO DICTA DELAMBRE, 13

MDCCCXCII

D. ALBERTI MAGNI,

RATISBONENSIS EPISCOPI, ORDINIS PRÆDICATORUM

COMMENTARII IN PSALMOS.

PRÆFATIO.

Triplex interpretatio loci hujus. Prima de incomprehensa Dei sapientia et operatione.

O altitudo divitiarum sapientiæ, et scientiæ Dei : quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus (Ad Rom. XI, 33). Hæc Apostoli verba, si simpliciter considerantur, exprimunt admirationem Apostoli super sapientia Dei universaliter, et operatione. Si autem diligentius attendantur, exprimunt admirationem ejusdem super illa parte scientiæ specialiter, quæ traditur in Prophetis, et super electione ipsorum Prophetarum ad officium prophetandi. Si autem intimius perscrutentur, exclamatio est super altitudine, et utilitate illius sapientiæ, quæ traditur in Psalmis Davidicis singulariter, et ejusdem electione ad excellentiorem gratiam prophetandi.

Quibus consideratis, in his verbis relinquitur, quæ sit materia, quæ utilitas, quis modus agendi, et quis auctor.

Exponentes ergo primo hæc verba secundum acceptionem primam, dicamus primo Apostolum admirari quod pertinet ad totam sacram scientiam : secundo quod pertinet ad Dei operationem : *Quam incomprehensibilia :* et utrobique duo.

In parte enim prima primo admiratur altitudinem divinæ sapientiæ, quando dicit, *O altitudo :* secundo ejusdem pretiositatem cum addit, *Divitiarum.* Vere autem admirabilis est altitudinis : est enim gladius de quo, Sap. XVIII, 16, qui *usque ad cœlum attingebat stans in terra :* nec tantum usque ad cœlum aereum, sidereum, vel empyreum, sed usque ad cœlum cœlorum penetrat, cœlum sci-

licet sanctissimæ Trinitatis. Est enim scala quam vidit Jacob pertingentem usque ad cœlum, et summitati ejus ipsum Dominum innitentem [1]. Elevatur enim a sensu historiæ ad sensum tropologicum et allegoricum, usque ad sensum anagogicum, qui proprie de divinis est pretiositatibus : et est admirabilis : sunt enim partes ejus, quasi quædam talenta, et quædam mnæ, imo quasi quædam margaritæ : ait enim Matth. xxv, 14 et seq., quod *homo peregre proficiscens, vocavit servos suos, et illis tradidit bona sua. Et uni dedit quinque talenta, alii autem duo, alii vero unum.* Nec dubium quin talenta appellentur sacræ dona sapientiæ, unicuique secundum capacitatem proprii ingenii distributa. Hoc idem per decem mnas ad negotiandum distributas [2] : et tandem, Matth. vii, 6 : *Nolite*, inquit, *dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras,* hoc est, pretiosas sacræ Scripturæ sententias, *ante porcos.*

Circa divinam operationem duo similiter admiratur, *Dei* scilicet *judicia*, quæ nihil aliud sunt, quam operum a Deo exeuntium rationes, et opera ipsa ab ipsis judiciis exeuntia, cum addit, *et investigabiles viæ ejus.* Vere incomprehensibilia sunt Dei judicia : ipsa enim in Deo sunt ipse Deus, de quo dicitur, Jeremiæ, xxxii, 19, quod *magnus* est *consilio, et incomprehensibilis cogitatu.* Et noster Psalmista dicit [3] : *Justitia tua,sicut montes Dei.* Et ibidem, *Judicia tua abyssus multa.* Abyssus, in quantum omni rationali naturæ imperscrutabilis. Job, xxxviii, 16 : *Numquid ingressus es profunda maris, et in novissimis abyssi deambulasti ?* Quasi diceret, Non : hæc enim abyssus nobis est tenebris ignorantiæ cooperta. Genes. i, 2 : *Tenebræ erant super faciem abyssi.* Hanc autem potest illa sapientia cujus non est numerus, penetrare. Ecclesiastici, xxiv, 8 : *Gyrum cœli circuivi sola,* inquit, *et profundum abyssi penetravi.*

Investigabiles sunt etiam *viæ ejus*, scilicet opera, quæ *viæ* appellantur. Job, xl, 10 et 14 : *Ecce Behemoth quem feci tecum :* et paulo post : *Ipse est principium viarum Dei,* id est, operum Domini et creaturarum pulchriorum, et excellentiorum in natura. Et Isaiæ, lv, 9 : *Sicut exaltantur cœli a terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ a viis vestris,* id est, opera mea a vestris operibus elongata, dicit Dominus. Operum autem Dei, horum scilicet inferiorum, quis saltem vel modicum poterit perscrutari ? vere nullus. Ecclesiastæ, viii, 19 : *Intellexi, quod omnium operum Dei nullam possit homo invenire rationem, eorum quæ fiunt sub sole.* Multo ergo minus horum quæ sunt super cœlum. Sap. ix, 16 : *Difficile æstimamus* quæ in terra sunt *: ... quæ autem in cœlis sunt, quis investigabit ?*

Specialius ista verba, sicut tactum est, ad illam partem Scripturæ sacræ pertinent, quæ traditur in Prophetis, quantum ad primam partem : ad eorum

[1] Cf. Gen. xxviii, 12 et 13.
[2] Cf. Luc. xix, 13 et seq.
[3] Psal. xxxv, 7.

Secunda interpretatio loci : de electione et illustratione Prophetarum.

autem electionem, et missionem quod sequitur in secunda. Vere enim admirabilis est altitudo sapientiæ Prophetarum : hæc enim proprie est de futuris contingentibus non habentibus causas in inferioribus, sed in sola Dei præscientia occultatis : et quanto occultiora, tanto sunt procul dubio altiora. Hæc sunt quæ ad solam Dei cognitionem pertinent. Propter quod subsannando idolis dicitur, Isa. XLI, 22 et 23 : *Quæ ventura sunt indicate nobis. Annuntiate quæ ventura sunt in futurum, et sciemus quia dii estis vos.*

Hæc est illa sapientia de qua proprie potest intelligi illud Ecclesiastæ, VII, 25 : *Alta profunditas, quis inveniet eam?* Et de qua Ecclesiastici, I, 3 : *Sapientiam Dei præcedentem omnia* (quæ est sapientia de futuris) *quis investigabit?* Hæc est quæ, sicut dicit Job, XXVIII, 12 et seq., nec in terra suaviter viventium, nec in mari, nec in abysso, nec in aliqua creatura potest penitus inveniri [1]. Hæc est non minus pretiosa, quam alta. Unde scientia et sapientia divitiarum potest rectissime appellari : cum enim Job ejus altitudinem ostendisset, ostendit et pretiositatem : ait enim ibidem: *Non dabitur aurum obrizum pro ea, nec appendetur argentum in commutatione ejus. Non conferetur tinctis Indiæ coloribus, nec lapidi sardonycho pretiosissimo, vel sapphiro.* Et ut breviter ad unum sit dicere, nescit homo pretium ejus.

Si ergo tantæ profunditatis, et tantæ pretiositatis, imperscrutabilia sunt Dei judicia homines eligentis, vere investigabiles viæ mittentis eos ad hanc scientiam promulgandam. Quis enim non miretur pollutum labiis Isaiam [2], Jeremiam puerum et elinguem [3], Ezechielem juvenem captivatum, Amos pastorem pecudum, dono sapientiæ propheticæ adimpleri ?

Ultima interpretatio de auctore hujus libri. Commendatio Psalmorum ab argumento et altitudine.

Intimius autem hæc ipsa verba perscrutantes, ea possumus huic sapientiæ, quæ per David nobis in Psalmis traditur, adaptare. Admiratur ergo Apostolus hujus sapientiæ altitudinem, quod spectat ad materiam : admiratur pretiositatem, quod spectat ad utilitatem, vel finem : admiratur Auctoris dignitatem et electionem, et modum prophetandi, quod pertinet ad causam efficiendi et formalem. Vere ergo hæc est sapientia altitudinis admirandæ. Si enim magnæ sit altitudinis tota sacra scientia, si majoris quantum ad illam partem quæ traditur in Prophetis, maximæ altitudinis est quantum ad illam quæ traditur specialiter in Psalmis. Non enim hic sicut in Prophetis aliis, futura bella, captivitas Babylonica, et reversio de illa, tamquam intentum principaliter prophetantur, sed Christi mysteria, Incarnatio, Passio, Resurrectio, Ascensio, et cætera mysteria quæ tantæ altitudinis erant, et, ut ita loquar, in tantum in Dei visceribus profundata, ut ipsos etiam Angelos, qui *semper vident faciem*

[1] Job, XXVIII, 12 et seq. : *Sapientia vero ubi invenitur? et quis est locus intelligentiæ ? Nescit homo pretium ejus, nec invenitur in terra suaviter viventium. Abyssus dicit : Non est in me : et mare loquitur : Non est mecum.*

[2] Isa. VI, 5.

[3] Jer. I, 6.

Patris[1] laterent. Job, xxviii, 21 : *Volucres cœli latet.* An non latebat sanctos Angelos Ascensionis mysterium, cum dicebant, Isa. lxiii, 1 : *Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra ?* Quod tamen Prophetæ David erat clarius revelatum. *Ascendit*, inquit, *Deus in jubilo*[2]. Et alibi[3] : Ascendit Christus in altum, captivam duxit captivitatem ?

Hæc ergo est sapientia quæ vere potest dicere illud Ecclesiastici, xxiv, 7 : *Ego in altissimis habitavi, et thronus meus in columna nubis*, hoc est, in Christo, qui est columna nubis, suis præstans refrigerium in ardore tentationis : et nubis lucidæ, illuminans eos in nocte ignorantiæ, juxta illud Sap. x, 17 : *Reddidit* Deus *justis mercedem laborum suorum,* etc. Ex his patet quæ sit materia in hoc libro, quia mysteria de Christo.

Est etiam non tantum admirandæ altitudinis, sed pretiositatis : est enim divitiarum scientia, juxta illud quod ipse David ait : *Eloquia Domini*, inquit, *eloquia casta, argentum igne examinatum*, etc.[4]. Nec dubium quin de prolatis per se eloquiis loqueretur. Alibi etiam dicit de Domino loquens : *Congregans sicut in utre aquas maris, ponens in thesauris abyssos*[5], id est, thesauros in abyssis. Aquas enim maris Dominus in utre congregavit, quando ei gratiam contulit dolendi in amaritudine pro peccatis. Thesauros autem in abysso posuit quando profunditati cordis ejus gratiam intelligendi super omnes docentes se, et super senes tribuit, et gratiam prophetandi.

Utilitas hujus libri.

Hæc est ergo divitiarum sapientia, imo super omnes divitias, ut verum sit de ipsa quod dicitur, Proverb. iii, 15 : *Pretiosior est cunctis opibus ; et omnia, quæ desiderantur, huic non valent comparari.* Bene divitiarum scientia, quia per hanc nobis spem firmissimam comparamus, secundum illud Apostoli ad Rom. xv, 4 : *Quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt ; ut per patientiam, et consolationem Scripturarum, spem habeamus.* Comparamus et devotionis gratiam, sicut significatum est, IV Reg. iii, 15 et seq., quia cum percuteret Eliseus psaltem, facta est magnæ copia pluviæ, quamvis maxima siccitas præcessisset. Comparamus et veram scientiam perveniendi ad salutem, secundum illud quod dicitur in Psalm. xlix, 23 : *Sacrificium laudis honorificabit me.* Sic ergo apparet hujus scientiæ utilitas, sive finis.

Mira electio hujus Prophetæ.

Admiratur postea hujus prophetæ electionem, non tantum in regiam dignitatem, sed etiam in excellentiam gratiæ Prophetalis. Si enim, sicut tactum est, mirandum est de electione Isaiæ, Jeremiæ, Ezechielis, et Amos, multo amplius judicia Dei admiranda et inscrutabilia, quod David tam ingratum,

[1] Matth. xviii, 20.

[2] Psal. xlvi, 6.

[3] Psal. xlvii, 19 : *Ascendisti in altum, cepisti captivitatem.*

[4] Psal. xi, 7.

[5] Psal. xxxii, 7.

ut post exaltationem in regnum, et Saul ejectionem, adulterium, et in seductione homicidium perpetraret [1], eligere voluit in Prophetam. Sed et viæ ejus investigabiles sunt : cum enim ad alios Prophetas per Angelos locutus sit, sicut Moysi, Exod. XIX, XX, XXIV et XXXII; lex enim data est ministerio Angelorum, sicut asserit Stephanus, Act. VII, 53 [2] : et similiter, Zacharias, II, 3 : *Ecce*, inquit, *Angelus qui loquebatur in me, egrediebatur* ; aliis autem in figuris et imaginationibus : ipsi tamen David Spiritus sanctus locutus est per seipsum, cordi ejus infundens sincerissimam veritatem, et ipsum movens ad ea eloquendum in exsultatione oris et operis, quæ interius inspirabat : percutiebat enim in Psalterio, et ore metrice decantabat. Hoc est quod ait in Psal. LXXXIV, 9 : *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus*. Et II Reg. XXIII, 2 et seq : *Spiritus Domini locutus est per me, et sermo ejus per linguam meam*. Et rursus ibidem : *Dixit Deus Israel mihi, locutus est Fortis Israel, Dominator*. Modum enim locutionis determinans subjungit : *Sicut lux Auroræ, oriente sole, mane absque nubibus rutilat*. Quasi dicat : Aperte mihi locutus est : unde, sine nubilo figurarum. Talis autem via spiritus, qui Dominus est, investigari non potest. Joan. III, 8 : *Spiritus ubi vult spirat : et vocem ejus audis, sed nescis unde veniat, aut quo vadat*. Job, IX, 11 : *Si venerit ad me, non videbo eum : si abierit, non intelligam*.

Causa hujus libri.

Ex dictis patet quæ causa efficiens hujus libri, quia movens et non mota Spiritus sanctus : movens autem et mota, ipse David. Patet et quis modus agendi, quia metricus et jucundus, et hoc secundum Hebraicum : in translatione autem metrum non potuit observari.

[1] Cf. II Reg. XI, 2 et seq.
[2] Act. VII, 53 : *Accepistis legem in dispositione Angelorum, et non custodistis*.

D. ALBERTI MAGNI,

RATISBONENSIS EPISCOPI, ORDINIS PRÆDICATORUM,

IN PRIMAM PARTEM
PSALMORUM COMMENTARII.

PSALMUS I.

Felicitas justorum, et impiorum miseria.

1. Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum, et in via peccatorum non stetit, et in cathedra pestilentiæ non sedit :
2. Sed in lege Domini voluntas ejus [1], et in lege ejus meditabitur die ac nocte.
3. Et erit tamquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo [2].
   Et folium ejus non defluet : et omnia quæcumque faciet, prosperabuntur.
4. Non sic impii, non sic : sed tamquam pulvis, quem projicit ventus a facie terræ.
5. Ideo non resurgent impii in judicio ; neque peccatores in consilio justorum.
6. Quoniam novit Dominus viam justorum; et iter impiorum peribit.

[1] Jos. I, 8.

[2] Jerem. XVII, 8.

IN PSALMUM I

COMMENTARIUS.

1 Hic Psalmus de Christo interpretandus et ejus corpore Ecclesia.

« *Beatus vir.* » Constat quod totus liber iste de Christo est, ut patet ex causis et ex titulo, qui est talis : « Incipit liber « hymnorum, vel Soliloquiorum David de « Christo [1].» Sed Christus totus est caput et corpus. Ad Ephes. I, 22 et 23 : *Ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius.* Et ideo in hoc libro agitur de Christo capite, et Ecclesia corpore. Et cum omnis doctrina artificiose tradita incipiat a diffinitione aliqua subjecti vel notificatione : similiter ista. Et quia nomen Christi utrique parti ejus non convenit, ponit nomen quod convenit cuilibet parti Christi, scilicet « *Beatus vir.* » Sed per prius capiti, demum cæteris partibus : et similiter diffinitio secundum illud nomen : ipse enim est in fine beatitudinis : Psal. XV, 10 : *Delectationes in dextera tua usque in finem.* Nos vero per ipsum suæ beatitudinis participes sumus, quia unus spiritus cum eo sumus : ad Hebr. III, 14 : *Participes Christi effecti sumus.*

Sed cum constet istum Psalmum loqui de Christo, et de impiis, ita quod quatuor primi versus de Christo sunt, tres vero residui de impiis, quid est, quod tam distantia in unum conjungit ? Eccli. XIII, 22 : *Quæ communicatio sancto homini ad canem.* II ad Corinth. VI, 14 et 15 : *Quæ societas luci ad tenebras ? Quæ autem conventio Christi ad Belial ?* quoad capita. *Aut quæ pars fideli cum infideli ?* quoad membra Christi et diaboli.

Responsio : In principiis doctrinalium duo consueverunt fieri. Primum est subjectum diffinire : secundum per diffinitionem alia a subjecto secernere, maxime quæ videntur subjecto attinere, quod est diffinitionis convertibilitatem ostendere, sicut in *Posterioribus* syllogismus de-

[1] Dabimus sæpius ex D. Lesêtre (La Sainte Bible, le livre des Psaumes, Lethielleux, Paris, 1883) et aliis, in principio uniuscujusque psalmi quasdam alicujus momenti elucubrationes super auctorem, causam Psalmi, tempus, formam, etc. ex recentioribus doctorum laboribus.

Super Psalmum I dicit D. Lesêtre : « Ce psaume n'a point de nom d'auteur, mais tout porte à l'attribuer à David, comme le fait formellement S. Jérôme, Ep. LIII, ad Paulin. 3. Il est certainement antérieur à Jérémie, qui y fait une allusion manifeste, XVII, 8, et le mot לצים, *letsim*, que nous trouvons dès le début, et qui est un des termes caractérisques des Proverbes, nous ramène au temps de David. Plusieurs manuscrits grecs, ceux d'Alexandrie, entre autres, le mettent sous le nom de ce roi. Il est fort à croire que celui qui a disposé cette collection, se sera contenté du titre général de tout le recueil : *Psaumes de David*, et n'aura pas voulu le répéter pour ce psaume en particulier.

« Ce premier chant n'est d'ailleurs qu'un prologue mis en tête de l'œuvre, ou προοιμοίον βραχύ, comme l'appelle S. Basile, Hom. in I Psal. Aussi primitivement n'avait-il point d'ordre numérique, et selon un bon nombre de manuscrits grecs des Actes, XIII, 33, S. Paul aurait cité les mots « *Filius meus es tu* » comme étant ἐν τῷ πρώτῳ ψαλμῷ. Plus tard, on regarda les deux premiers psaumes comme n'en faisant qu'un : ἐν τῷ Ἑβραϊκῷ συνημμένοι, Orig. et Euseb. ; et Albert-le-Grand remarque que d'après les anciens Juifs, Berachoth, IX, « psalmus primus incipit a beatitudine, I, 1, et terminatur in beatitudinem, II, 13. » Toutefois la différence de style et de sujet ne permet pas de confondre ensemble ces deux psaumes. »

monstrativus diffinitur, et falsigraphus ab eo secernitur. Sic cum reprobi conveniant cum toto Christo in natura, in principio hujus doctrinæ, quæ est de toto Christo, subjectum describit, et reprobos secernit : unde primus Psalmus dividitur in duo secundum hoc, et secundum est ibi : « *Non sic impii, non sic.* » Et vero quia prius naturale est carere malo, quam bono abundare, Psal. xxxvi,27 : *Declina a malo, et fac bonum :* ideo Christus primo distinguitur ab omnibus hominibus, per hoc quod caruit omni malo, non pœnæ, quia Threnorum, i, 12, dicitur, *O vos omnes qui transitis per viam*, etc.: sed culpæ, Isa. liii, 9 : *Eo quod iniquitatem non fecerit, neque dolus inventus est in ore ejus :* quod de nullo alio potest dici propter originalem culpam contractam ad minus. Ad Rom. iii, 23 : *Omnes peccaverunt, et egent gloria Dei.* Job, i, 8 : *Non sit similis ei in terra*, etc. Quod autem omnino culpa caruerit, ostendit inducendo in triplici genere culpæ, quæ inductio in tribus negativis continetur : « *Non abiit, non stetit, non sedit.* »

Cur Christus dicatur vir ? « *Vir.* » Vir dicitur Christus propter excellentiam virium, et propter conjugium.

De primo, Isidorus, lib. IV, capite ultimo : « Vir autem dicitur a virtute : sed « Christus omnes virtutes excellenter « habuit. » Isa. iv, 1 : *Et apprehendent septem mulieres*, id est, septem virtutes, *virum unum in die illa.* Vir etiam dicitur a viribus. Unde Rabbanus : « Vir « nuncupatur, quia in eo vis est major « quam in fœminis. » In Christo autem fuit excellentia virium in agendo, et in patiendo. In agendo : Psal, lxxxv 8 : *Non est*, inquit, *similis tui in diis Domine.* Et alibi : *Conturbati sunt montes in fortitudine ejus* [1]. Propter hoc dicitur, Eccle. ix, 15 : *Inventus est in ea vir pauper et sapiens, et liberavit urbem.* Dicitur et vir a fortitudine in patiendo. Cassiodorus : « Vir a viribus dicitur : « quia nescit adversa tolerando deficere, « aut se in prosperis elatione jactare : « sed animo stabili defixus, et cœlestium « contemplatione firmatus, manet sem« per impavidus. » Talis est Christus, I Petri, ii, 23 : *Cum malediceretur, non maledicebat : cum pateretur, non comminabatur.* Isa. liii, 2 et 3 : *Desideravimus eum. Despectum, et novissimum virorum, virum dolorum, et scientem infirmitatem.*

Vir etiam dicitur propter conjugium. Isidorus, libro, IX, cap 4 : « Vir sexum « significat, non conjugium, nisi ex ad« jectis. » Sic Christus vir Ecclesiæ nunc dicitur, et prius Synagogæ. II ad Corinth. xi, 2 : *Despondi enim vos uni viro virginem castam*, etc. Jeremiæ, iii, 14 : *Convertimini filii revertentes, dicit Dominus : quia ego vir vester.* Propter hoc frequenter dicitur in Scriptura vir. Zachariæ, vi, 12 : *Ecce vir Oriens nomen ejus.* Vir secundum humanitatem : Oriens secundum divinitatem. Quin potius Oriens, quam ortus : quia semper a Patre oritur : et in Christi ortu vir est, non post ortum ut cæteri. Jeremiæ, xxi, 22 : *Creavit Dominus novum super terram : fœmina circumdabit virum.* Eccli. vii, 29 : *Virum de mille unum reperi.*

« *Beatus.* » Nota quinque quæ faciunt vere beatum. Beatitudo quinque partibus constat, quæ omnes Christo competunt.

Primum, ut quod vult, habeat : unde Augustinus de *Beata vita* [2] : « Continuo « autem miseri sunt, qui non habent « quod volunt.

Secundum est, ut tantum bonum velint : unde Augustinus de *Beata vita :*

[1] Psal. xlv, 4.

[2] Cf. S. Augustinum, In lib. xiii de Trinitate, cap. 5 ; in Quæstione de *Beata vita* ; et in Epist cxxi ad Probam ; et in lib. de Vera innocentia, cap. 62.

« Aiunt esse beatos qui vivunt ut ipsi « volunt : id quidem falsum est. Velle « enim quod non decet, idipsum miserri- « mum est. Nec tam miserum est non « adipisci quod velis, quam adipisci velle « quod non oporteat. Plus enim pravita- « tis affert voluntas, quam fortuna. »

Tertium est, ut potestas satiandi desiderium sit in voluntate. Augustinus de *Beata vita* : « Plena satietas animorum « est beata vita. »

Quartum est, ut ipsum bonum se satians, sit semper mansurum. Augustinus de *Beata vita* : « Nullo modo dubitamus « si quis beatus esse statuit, illud eum « comparare sibi velle, quod semper ma- « net, nec ulla sæviente fortuna eripi « potest. Et ideo mundana non possunt « facere beatum. » I Joan. II, 17 : *Et mundus transit, et concupiscentia ejus.* Sed ille solum manet, *apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio* [1].

Quintum est securitas non amittendi illud bonum. Augustinus : « Quonam « modo beati esse possint non video, « quorum incerta est beatitudo [2]. » I Joan. IV, 18 : *Timor pœnam habet.*

Hæc autem quinque fuerunt in Christo, etiam viatore, Psal. LIV, 5 : *Beatus quem elegisti, et assumpsisti.* Nec hoc obstat, si etiam viator fuerit in magna miseria et afflictione, ita ut videretur etiam mortem nolle. Matth. XXVI, 39 : *Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste.* Volebat enim voluntate rationis passiones et miserias, et ipsam naturam hoc nolle. Si enim pati nollet voluntate rationis, scriptum non esset, Isa. LIII, 7 : *Oblatus est quia ipse voluit,* et Jerem. XXXI, 26 : *Somnus meus dulcis mihi,* et Matth. XX, 22 : Mortem suam *calicem* appellavit. Et nota, quod est beatitudo patriæ, Luc. XIV, 15 : *Beatus, qui manducabit panem in regno Dei.* Et viæ, et dupliciter : sinistræ, Psal. CXLIII, 15 : *Beatum dixerunt populum, cui hæc sunt :* dextræ, Matth. V, 3 et seq. : *Beati pauperes spiritu : quoniam ipsorum est regnum cœlorum,* etc.

« *Qui non abiit.* » Proposito nomine describendi, subjungitur descriptio : primo in removendo malum culpæ. Suntque in eo duo : aversio ab incommutabili bono : hoc removet cum dicit, « *Non sedit :* » Vel sic secundum Cassiodorum : « Abire in consilio impiorum, est peccare « cogitatione : stare in via peccatorum, « est peccare opere : et hæc duo quan- « tum ad seipsum. Sedere in cathedra « pestilentiæ, est pestilentis dogmatis ve- « nena seminare, vel verbo vel exem- « plo. » Hæc omnia removet a Christo.

Dicit ergo : « *Qui non abiit,* » a Deo recedendo, cogitatione peccando, sicut ille de quo dicitur, Isa. LVII, 17 : *Abiit vagus in via cordis sui.* Non abiit in consilio impiorum, carnis, mundi, et diaboli. Caro consulit voluptatem, hoc est consilium senum, Daniel. XIII, 20 : *Commiscere nobiscum,* etc. Mundus consulit temporalium congregationem, Psal. CXLIII, 15 : *Beatum dixerunt populum,* etc. Isa, V, 8 : *Væ qui conjungitis domum ad domum.* Proverb. I, 11 et 13 : Si dixerint : *Veni nobiscum.... omnem pretiosam substantiam reperiemus.* Diabolus consulit appetitum honorum : hoc est consilium Achitophel, II Reg. XVII, 1 et seq. Job, XXI, 16 : *Consilium impiorum longe sit a me.* Genes. XLIX, 6 : *In consilium eorum non veniat anima mea.* Eccli. XXXVII, 9 : *A malo consiliario serva animam tuam.*

« *Et in via peccatorum non stetit,* » delectando in malo, et ipsum opere adimplendo. Isa. LV, 9 : *Sicut exaltantur cœli a terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ*

[1] Jac. I, 17.

[2] S. AUGUSTINUS, In lib. XIII de Trinitate, cap. 8.

Viæ peccatorum multipliciter malæ et viis Christi oppositæ.

a viis vestris, dicit Dominus. Viæ enim malorum immundæ sunt, Jerem. II, 36 : *Quam vilis facta es nimis, iterans vias tuas.* Duræ sunt, Eccli. XXI, 11 : *Via peccantium complanata lapidibus.* Tenebrosæ, Proverb. IV, 19 : *Via impiorum tenebrosa.* Periculosæ, Proverb. XXII, 5 : *Arma et gladii in via perversi.* Et iterum tortuosæ, Psal. XI, 9 : *In circuitu impii ambulant.* Sed via Christi et suorum est munda. Psal. XVII, 31 : *Impolluta via ejus.* Isa. XIV, 23 : *Scopabo eam in scopa terens.* Pacifica, Proverb. III, 17 : *Viæ ejus viæ pulchræ, et omnes semitæ illius pacificæ.* Et IV, 11 et 12 : *Ducam te per semitas æquitatis : quas cum ingressus fueris, non arctabuntur gressus tui, et currens non habebis offendiculum.* Lucida, Proverb. IV, 18 : *Justorum semita quasi lux splendens.* Recta, Isa. XL, 3 : *Rectas facite in solitudine semitas Dei nostri.* In tali via stetit Christus per eam ambulando. Psal. XVIII, 6 : *Exsultavit ut gigas ad currendam viam.* Jerem. XIV, 8 : *Quare quasi colonus futurus es in terra, et quasi viator declinans ad manendum ?*

Elegans antithesis.

« *Et in cathedra pestilentiæ non sedit.* » Adverte figuratum modum loquendi pulcherrimum, quando diversa verba diversis nominibus in singulis clausulis adjunguntur : *Abiit, stetit, sedit.* Item, in *consilio, via, cathedra.* Et item, *impiorum, peccatorum, pestilentiæ.*

« *Non sedit,* » inquam, in malo perseverando, et alios verbo et opere corrumpendo, tamquam magister in cathedra. Proverb. XXIX, 8 : *Homines pestilentes dissipant civitatem.* Eccli. XI, 35 : *Attende tibi a pestifero.* Et Jeremiæ, LI, 25 : *Ecce ego ad te mons pestifer, ait Dominus, qui corrumpis universam terram.* Non sic Christus, cujus verba sanativa sunt, non corrumpentia. Sap. XVI, 12 : *Neque herba, neque malagma sanavit eos,* etc.

Compositio cathedræ moraliter applicata.

Est autem cathedra forma sedibilis ex materia composita, quæ nos curvatos molliter a dorso suscipit, suoque gremio demissos vehit, habilis theca complectitur et est proprie doctorum, sicut tribunal judicum, et solium regum. Hujus autem cathedræ spiritualis pestilentium quatuor sunt pedes. Primus, malitia, cum malum diligit. Michææ, III, 2 : *Odio habetis bonum, et diligitis malum.* Secundus, contemptus Dei. Psal. XXXV, 2 : *Non est timor Dei ante oculos ejus.* Tertius, impudentia. Jerem. VI, 15 et VIII, 12 : *Confusione non sunt confusi, et erubescere nescierunt.* Et ejusdem, III, 3 : *Frons mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere.* Quartus astutia ad consummationem malitiæ, ut misceat melli acetum, oleo venenum. Jerem. IV, 22 : *Sapientes sunt ut faciant mala, bene autem facere nescierunt.* Pulvinar ut molliter sedeat, est adulatio. Psal. X, 3 : *Laudatur peccator in desideriis animæ suæ : et iniquus benedicitur.* Ezech. XIII, 18 : *Væ quæ consuunt pulvillos sub omni cubito manus.* Scabellum sunt sustentatores ejus in malum.

« *Sed in lege Domini.* » Hic notificat Christum per affirmationem, ostendens in eo triplex bonum : mentis in hoc versu : secundo, operis in sequenti tertio, « *Et erit tamquam lignum :* » et oris, in quarto, « *Et folium :* » ut sint hæc contraria tribus quæ remota sunt. Cum autem in mente duo sint, affectus et adspectus, primo commendat eum a bonitate affectus, secundo adspectus, ibi, « *Et in lege ejus meditabitur.* » 2

Dicit ergo: His malis caret, nec hoc tantum, « *sed in lege Domini voluntas ejus.* »

Voluntatis ad legem habitudo quadruplex: supra legem, in lege, sub lege, contra legem.

Ubi notandum, quod quadruplex est habitudo voluntatis ad legem Dei.

Est enim quædam voluntas super legem, scilicet voluntas divina quæ in Christo est in quantum est Deus : et secundum hanc est legis auctor. Isa. XXXIII, 22 : *Dominus legifer noster,* etc. Et in hoc singularis est, et discretus ab alio, quocumque homine. Jacob. IV, 12 : *Unus*

est legislator, et judex, qui potest perdere, et liberare.

Et est voluntas in lege, quæ est ex solo amore in legis operibus et mandatorum Dei conversari. Psal. CXVIII, 48 : *Et levavi manus meas ad mandata tua.* Et Deuter. XXVII, 26 : *Maledictus qui non permanet in sermonibus legis.* Sic voluntas Christi hominis, et membrorum perfecta charitate ei adhærentium fuit in lege. Ad Roman. VII, 22 : *Consentio legi, quoniam bona est.* Tales experiuntur illud quod dicitur, Eccli. XXIII, 37 : *Nihil dulcius, quam respicere in mandatis Domini.*

Et est voluntas sub lege in illis quibus lex est onus : quia opera legis implent ex timore, quod servus facit. Psal. CXVIII, 38 : *Statue servo tuo eloquium tuum, in timore tuo.* Tales lex opprimit et onerat, Act. XV, 10 : *Jugum... quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus.* Sed prædictos dirigit, ad Roman. VI, 14 : *Non enim sub lege estis, sed sub gratia.* Et ad Galat. V, 18 : *Si spiritu ducimini, non estis sub lege.*

Et est voluntas contra legem in malis, qui audientes mandata, faciunt contraria. Judicum, II, 17 : *Audientes mandata Domini, omnia fecere contraria.* Et tali dicitur proprie lex adversarius. Matth. V, 25 : *Esto consentiens adversario tuo cito, dum es in via cum eo.*

Primæ voluntati est lex subjecta, secundæ via tertiæ onus, quartæ adversarius.

Continua meditatio commendata.

« *Et in lege ejus meditabitur,* » cogitando, conferendo « *die ac nocte* » ad litteram : quod intelligitur de capite Christo : ipse enim solus fuit, qui vigilando et dormiendo in lege Domini potuit meditari. Cant. V, 2 : *Ego dormio, et cor meum vigilat.* Sed nec ipse Nehemias meditari poterat in lege Domini dormiendo : unde Nehemiæ, VIII, 3, legitur, quod cum legisset in libro legis tota die, remisit populum, et in crastino reversi sunt majores, ut interpretarentur quod lectum fuerat. Si autem hoc legitur de corpore, ad bonos respicit, qui die ac nocte in lege Domini meditantur, hoc est, quandocumque meditandi tempus et locus est, meditantur. Vel meditantur in die prosperitatis, et in nocte adversitatis. Isa. XXI, 12 : *Si quæritis* in adversitate, *quærite* in prosperitate. Propter hoc præceptum erat, Deuteron. XVII, 18, quod rex describeret sibi Deuteronomium legis, legeretque illud omnibus diebus vitæ suæ, scilicet in prosperis et adversis : aliter enim nec seipsum potest regere, neque alium. II Paralip. XXIII, 11 : *Dederunt in manu ejus tenendam legem, et constituerunt eum regem.* Propter hoc dicitur, Eccli. XIV, 22 : *Beatus vir qui in sapientia morabitur, et qui in justitia sua meditabitur.* Proverb. VIII, 34 : *Beatus homo qui audit me, et qui vigilat ad fores meas quotidie.*

« *Et erit tamquam lignum.* » Hic com- 3
mendat Christum a bono opere sub metaphora arboris fructiferæ, quam commendat a tribus : primo ab aptitudine fructificandi, secundo a fructificatione, ibi, « *Fructum :* » tertio ab opportunitate fructificandi, ibi, « *In tempore.* »

Dicit ergo : Talis est in mente, vel erit : sed quantum ad opus erit tamquam lignum, non quodlibet, sed « *quod plantatum est secus decursus aquarum.* » Christus lignum est, Proverb. III, 18 : *Lignum vitæ est his, qui apprehenderint eam.* Dicitur de sapientia Dei, quæ est Christus, Apoc. II, 7 : *Vincenti dabo edere de ligno vitæ.* Lignum, inquam, positum, *in medio paradisi,* Genes. II, 9, hoc est, in medio Ecclesiæ. Est autem arbor, cujus surculus, hoc est, divinitas, insertus est in trunco naturæ humanæ. Jacobi, I, 21 : *In mansuetudine suscipite insitum verbum, quod potest salvare animas vestras,* etc.

« *Et plantatum est,* » non in arido et sicco, sed « *secus decursus aquarum,* » secus omnem plenitudinem gratiarum.

De quibus aquis, Joan. VII, 38 : *Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.* Vel secus decursus populorum : populi enim et gentes aquæ sunt, juxta quas Christus plantari voluit, assumens carnem similem peccati, non vere peccatricem, sicut dicit Paulus ad Rom. VIII, 3. Apoc. XVII, 15 : *Aquæ quas vidisti, populi sunt, et gentes, et linguæ.* Nec tantum ipsum caput in se, sed in quolibet justo membro suo lignum est : dicit enim Isidorus, lib. XVII, cap. 6, quod « ligna dicta sunt, quæ incensa « convertuntur in lumen : unde lignum « quasi lucens et ignitum. » Dicitur autem de uno justorum, Joan. v, 35, *quod ille erat lucerna ardens, et lucens.* Jerem. XVII, 8 : *Erit tamquam lignum quod transplantatur super aquas,* scilicet charitatis. Ad Ephes. III, 17 : *In charitate radicati et fundati.* Vel radix seu terra in qua plantatur, dicitur charitas. « *Decursus* autem *aquarum,* » sunt fluenta Scripturarum. Proverb. XVIII, 4 : *Aqua profunda verba ex ore viri.* Ex ore illius, inquam, viri, de quo supra, « *Beatus vir,* » et torrens inundans, fons sapientiæ est. Et est aqua decurrens sacra Scriptura, id est, deorsum currens, scilicet ab illo fonte altissimo, de quo Eccli. I, 5 : *Fons sapientiæ, verbum Dei in excelsis.* Et Sap. XI, 4 : *Data est illis aqua de petra altissima.* I ad Corinth. x, 4 : *Petra autem erat Christus.*

« *Quod fructum suum dabit.* » Triplicem, inquam, fructum sinceræ eruditionis et defæcatæ ab omni fæce erroris, tamquam vitis bona. Eccli. XXIV, 23 : *Ego quasi vitis fructicavi,* etc. : et Joan. XV, 1 : *Ego sum vitis vera,* etc. Ficum dulcis consolationis, et promissionis æternorum bonorum, quæ dulciter sapiebat gustui audientium. Ezech. XLVII, 12 : *Et erunt fructus ejus in cibum.* Hæc est ficus, quam decorticaverunt Judæi vestimenta auferendo, sicut conqueritur Dominus per Joel. I, 7 : *Ficum meam decorticavit.* Hæ sunt *ficus bonæ, bonæ valde,* Jerem. XXIV, 3 : et oleum mitigationis et curationis, ad literam miracula faciendo. Jerem. XI, 16 : *Olivam uberem, pulchram, fructiferam, vocavit Dominus nomen tuum,* et in Psal. LI, 10 : *Ego autem sicut oliva fructifera in domo Dei.* Abundantiam hujus fructus senserat qui dicebat, Cant. I, 2 : *Oleum effusum nomen tuum.*

Sed hos fructus dedit « *in tempore suo.* » In tempore, inquam, plenitudinis gratiæ. Ad Galatas, IV, 4 : *Ubi venit plenitudo temporis, misit Deus,* etc. Sed tandem dabit fructum optimum, scilicet seipsum, quem nunc dat prægustandum in Sacramento altaris. Psal. CXXVI, 3 : *Ecce hæreditas Domini filii, merces fructus ventris.* Ille, inquam, fructus sublimis, de quo Isa. IV, 2 : *Et fructus terræ sublimis.* Sic fructum dat et quilibet justus, sciens illud Matth. III, 10 : *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur :* et illud Lucæ, XIII, 7 : *Ecce anni tres sunt ex quo venio quærens frutum in ficulnea hac, et non invenio : succide ergo illam : ut quid etiam terram occupat ?* Fructum autem debet facere dignæ pœnitentiæ. Matth. III, 8 : *Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ.* Hi autem fructus sunt quos enumerat Apostolus ad Galatas, V, 22 : *Charitas, pax, et patientia,* etc. Et bene dicit « *suum* » contra hypocritas, qui si bona multa faciant, aliorum sunt, quibus proficiunt, et non sua. Matth. XVI, 26 : *Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur ?* Nec mirum si sua non sunt : quia non dant ea quæ sua sunt, sicut hic dicitur de justo, quod « *fructum suum dabit:* » imo vendunt pro laude humana. Matth. VI, 16 : *Amen dico vobis, quia acceperunt mercedem suam.*

Dat et justus « *in tempore suo fructum suum,* » scilicet in hac præsenti vita, quam scit sibi datam ad bene operandum. Joan. IX, 4 : *Me oportet operari opera ejus, qui misit me, donec dies est : venit*

nox, quando nemo poterit operari. Eccle. IX, 10 : *Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare,* etc. Post hanc autem vitam erit tempus recipiendi mercedem pro opere. II ad Corinth. v, 10 : *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum sive malum.*

Comparatio concinna foliorum cum verbis.

« *Et folium ejus.* » Hic commendatur a bono oris : folium enim dicitur verbum, quia umbram facit, et refrigerat in ardore. Eccli. XVIII, 16 : *Nonne ardorem refrigerabit ros ? Sic et verbum melius quam datum.* Hoc refrigerium sentiebat quæ dicebat, Cant. II, 3 : *Sub umbra illius, quem desideraveram, sedi.* Item, ornat arborem quando viride est, et adhærens : sic verbum bonum ornat loquentem. Eccli. v, 15 : *Honor et gloria, in sermone sensati.* Item, tegit et protegit fructum, ne ab exteriori intemperie corrumpatur : sic bona verba boni operis servant fructum, et liberant a corruptione. Proverb. XII, 6 : *Os justorum liberabit eos.* Et maxime Christi verbum folio comparatur : est enim in folio quasi quoddam filum medium percæsum usque ad consummationem ejus, ex quo hinc multo subtiliora fila protenduntur, et ex illis iterum subtilissima, super quæ totum corpus folii contegitur et fundatur. Filum ergo medium in verbo Christi est præceptum de dilectione Dei et proximi. Matth. XXII, 37 : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Ramificatur autem et distinguitur in decem præcepta Decalogi, de quibus Exodi, XX, 2 et seq. Et illa ulterius in quædam minora et subtiliora, Exodi, XXI et XXII, et deinceps.

Compositio folii accommodata charitati.

Verborum bonus usus quomodo sectandus ?

Christi ergo folium non defluxit, sed permanens est, et fuit, et erit. Matth. XXIV, 35, et Lucæ, XXI, 33 : *Cœlum et terra transibunt, verba autem mea non præteribunt.* Sic et justi verbum non debet diffluere. Proverb. XI, 28 : *Justi autem quasi virens folium germinabunt.* Et Jerem. XVII, 8 : *Et erit folium ejus viride, et in tempore siccitatis non erit sollicitum.* Cavendum autem summopere, ut non cadat verbum vel defluat a veritate per falsitatem. Sap. I, 11 : *Os quod mentitur, occidit animam,* Joan. XVII, 17 : *Sermo tuus veritas est.* Et ne defluat ab opportunitate per locutionis superfluitatem. Levit. XV, 1 et seq. : Seminifluus immundus est. Ab apertione per obscuritatem. Sap. I, 11 : *Sermo obscurus in vacuum non ibit.* Ne defluat ab utilitate per otiositatem. Matth. XII, 36 : *Omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii.* Et ne defluat a recta intentione per cupiditatem. I Reg. III, 19, dicitur de Samuele : *Non cecidit ex omnibus verbis ejus in terram.* Sed de malis dicitur, Joan. III, 31 : *Qui de terra est, de terra loquitur.* Et Isa. XXIX, 4 : *Humiliaberis, de terra loqueris, et de humo audietur eloquium tuum.* Qui ab hoc defluxu cavet, perfectus vir est. Jacobi, III, 2 : *Si quis in verbo non offendit : hic perfectus est vir.* Et nota, quod fluimus per malam voluntatem, sed defluimus per inordinatam electionem, pereffluimus autem per perversam operationem. Ad Hebr. II, 1 : *Abundantius oportet observare nos ea quæ audivimus, ne forte pereffluamus.*

Causa naturalis defluxus foliorum, excidii charitatis symbolum.

Causa autem defluxus folii naturalis hæc est. Recedente calore solis quemadmodum fit in hieme, colligitur naturalis calor, quia modicus est, ad radicem arboris, et sicut potest, attrahit nutrimentum : cum autem non potest abstrahere ab exteriori, abstrahit a superioribus partibus arboris, et sic humore ad inferiora recurrente, fit desiccatio, et sic fit casus foliorum. Sic recedente calore veri solis, de quo Malach. IV, 2 : *Et orietur vobis timentibus nomen meum Sol justitiæ,* charitate videlicet, cito cadit vel defluit verbum a veritate, et conditionibus aliis bonis. Matth. XXIV, 12 : *Refrigescet charitas multorum :* et sic cessabit honestas verborum et maturitas. Jacob. I, 26 : *Si quis putat se religiosum esse non re-*

frenans linguam suam, sed seducens cor suum, hujus vana est religio, etc.

« *Et omnia quæcumque faciet.* » Hic breviter recolligit in summa omne bonum. Ac si dicat : Omne opus ejus, interius in corde, exterius in corpore erit utile. Isa. LV, 11 : *Verbum meum, quod egredietur de ore meo* (scilicet Filius, qui dicit de seipso, Eccli. XXIV, 5 : *Ego ex ore Altissimi prodivi*), *non revertetur ad me vacuum,...* sed hoc *prosperabitur in omnibus ad quæ misi illud.* Et in Psal. LXXXVIII, 35 : *Quæ procedunt de labiis meis non faciam irrita.*

Si ergo verba creata non irritantur, multo fortius nec increatum. Sic et in justo, quæcumque facit, prosperantur. Ad Rom. VIII, 28 : *Omnia cooperantur in bonum, iis qui secundum propositum vocati sunt sancti*, etc. Non tantum voluntas interior, sed sermo exterior, et etiam actus. Ezech. XLVII, 12 : *Et erunt fructus ejus in cibum, et folia ejus ad medicinam.*

4 Secunda pars Psalmi.

« *Non sic impii, non sic.* » Hic est secunda pars totius Psalmi, in qua reprobos secernit a Christo, et primo secernit eos a capite, secundo a corpore, ibi, « *Ideo non resurgent*, » ut pateat quod ad Christum non pertinet, qui non adhæret capiti nec corpori.

In prima parte duo. Primo ostendit, quod nihil impiis insit eorum quæ dicta sunt de Christo. Secundo ostenditur unde hoc sit, et etiam quid eis insit, ibi, *Sed tamquam pulvis.* »

Dicit ergo : Talis est beatus vir, sed « *non sic impii,* » ut careant dictis malis. Quia, Proverb. V, 22 : *Iniquitates suæ capiunt impium.* « *Non sic* » ut participantes dictis bonis, meditentur in lege. Eccli. XXI, 18 : *Audivit luxuriosus, et displicebit ei.* Gregorius : « Qui vitium resecat, auditum malorum gravat [1]. » Proverb. XVIII, 2 : *Non recipit stultus verba prudentiæ : nisi ea dixeris quæ versantur in corde ejus.* Eccli. XIII, 3 : *Quid communicabit cacabus ad ollam?* Infra, ℣℣ 21 et 22 : *Si communicabit lupus agno aliquando, sic peccator justo. Quæ communicatio sancto homini ad canem?* II ad Corinth. VI, 14 et 15 : *Quæ participatio justitiæ cum iniquitate? aut quæ societas luci ad tenebras? quæ autem conventio Christi ad Belial?* Nulla prorsus. Isa. LIV, 9 : *Sicut exaltantur cœli a terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ a viis vestris.* Et nota, quod loquens de beatitudine justorum, in singulari loquitur : loquens autem de infidelitate impiorum, in plurali : boni enim sunt in paucitate et unitate : mali autem multi sunt et divisi. Matth. XXII, 14 : *Multi enim sunt vocati, pauci vero electi*, etc. Eccle. I, 15 : *Stultorum infinitus est numerus.*

Fit plerumque ut cum verum dicitur, vita proximi gravetur.

« *Sed tamquam pulvis.* » Hi scilicet, qui prædicta non habent. Sed quid ipsi sunt? Tamquam pulvis, pulvis, inquam, malus. Est enim pulvis indifferens. Genes. III, 19 : *Pulvis es, et in pulverem reverteris.* Hic est pulvis humanæ fragilitatis, de qua Eccli. X, 9 : *Quid superbit terra?* Est enim pulvis bonus humilitatis, de qua Genes. XVIII, 27 : *Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis et cinis.* Et est pulvis malus, scilicet peccatum. Matth. X, 14 : *Exeuntes foras de domo vel civitate, excutite pulverem de pedibus vestris* : et hoc peccatum veniale est. Quandoque etiam peccatum mortale dicitur pulvis : excæcat enim oculum rationis. Isa. XLI, 2 : *Dabit quasi pulverem gladio ejus.* Gladius enim est verbum Dei. Huic gladio pulvis datur, quando peccatum mortale verbo Dei destruitur. Pulvis peccator ipse dicitur. Isa. LXV, 25 : *Leo et bos comedent paleas : et*

Multiplex pulveris acceptio in bonam et malam partem.

[1] S. Gregorius, Lib. VIII Moralium, cap. 4.

serpenti pulvis panis ejus. Et vere pulvis peccator dicitur : sunt enim peccatores incompacti, carentes glutino charitatis. Exodi, v, 12 : *Dispersus est populus per omnem terram Ægypti ad colligendas paleas.* Proverb. xv, 7 : *Cor stultorum dissimile erit.* Contra quod justus dictus est « *lignum* », mali sunt et instabiles et leves. Eccli. xxvii, 12 : *Stultus sic ut luna mutatur.* II ad Thess. ii, 2 : *Non cito moveamini a vestro sensu.* Contra hoc quod dictum est, « *plantatum est,* » peccatores sunt aridi. Psalm. xxi, 16 : *Aruit tamquam testa virtus mea.* Ezechiel. xxxvii, 4 : *Ossa arida, audite verbum Domini.* Contra hoc quod dictum est, « *secus decursus aquarum,* » sunt et steriles. Job. xl, 17 : *Circumdabunt eum salices torrentis.* Contra hoc quod dictum est, « *et fructum suum dabit,* » sunt et « *pulvis, quem projicit ventus.* » Ventus, inquam, superbiæ, de quo Job, i, 19 : *Repente ventus vehemens irruit a regione deserti,* etc. Et Matth. vii, 25 : *Venerunt flumina, et flaverunt venti.* Et xi, 7 : *Arundinem vento agitatam.* Hic ventus quo pascuntur divites hujus mundi. Osee, xii, 1 : *Ephraim pascit ventum.* Projicitur autem « *a facie terræ* », scilicet libertatis propriæ, de qua Genes. iii, 17 : *Maledicta terra in opere tuo,* etc. Unde ad hanc terram revocatur. Isa. xlvi, 8 : *Redite, prævicatores ad cor.* Projicitur et a facie terræ viventium, Ecclesiæ scilicet triumphantis, de qua Genesis, xlix, 15 : *Vidit requiem quod esset bona : et terram quod optima.*

Cur cœlum terra dicatur ?

Terra autem dicitur ipsum cœlum empyreum ratione stabilitatis. Eccli. i, 4 : *Generatio præterit, et generatio advenit : terra autem in æternum stat.* Ratione fructificationis : dat enim frumentum, vinum, et oleum. Deuteron. xxxiii, 28 : *Oculus Jacob in terra vini, frumenti, et olei.* Item, ratione nutritivæ habitationis hominis interioris, sicut materialis terra exterioris. Ad Philip. iii, 20 : *Nostra conversatio in cœlis est.* Item, ratione receptionis mortuorum : recipit enim eos qui sæculo moriuntur. Matth. v, 3 : *Beati pauperes spiritu : quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Ab hac ergo terra peccator vento superbiæ ejicitur, sicut caput ejus ejectum est. Ezechiel, xxviii, 16 : *Peccasti : et ejeci te de monte Dei, et perdidi te, o Cherub protegens.* Psal. xxxv, 13 : *Expulsi sunt, nec potuerunt stare.*

« *Ideo non resurgent.* » Hic agit de
reproborum separatione a corpore, quæ 5
recte sequitur : eo enim quod vento superbiæ projecti sunt a capite, recte separantur a corpore. Et est duplex separatio a corpore. Corporalis, quæ primo tangitur, et erit in futuro : spiritualis quæ secundo, et est in præsenti, ibi, « *Quoniam novit,* etc. » Item, reprobi dupliciter sunt infideles, qui proprie dicuntur impii, corrupti in moribus, sed finem tenentes, qui proprie dicti sunt peccatores. Tangitur ergo separatio impiorum, postea peccatorum, ibi, « *Neque peccatores.* »

Ait ergo : Sicut separati sunt a capite reprobi, « *Ideo impii* » inter illos, scilicet infideles, « *non resurgent in judi-* « *cio* ». Contra, 1 ad Corinth. xv, 51 : *Omnes quidem resurgemus.* Responsio. Resurgent quidem impii corpora resumendo, sed non resurgent in judicio ut judicent, vel ut tunc etiam judicentur, quia jam judicati sunt. Joan. iii, 18 : *Qui non credit, jam judicatus, est.* Ad Rom. ii, 12 : *Quicumque sine lege peccaverunt, sine lege peribunt.*

Quod si adhuc opponitur, Joel. iii, 2 : *Congregabo omnes gentes, et deducam eas in valle Josaphat, et disceptabo cum eis.* Responsio. Intelligitur congregatio omnium gentium quantum ad genera singulorum non quantum ad singula generum. Non est enim gens vel lingua de qua non sint aliqui reprobi Christiani. Justum enim est ut sive judicio tunc damnentur, qui toties Dei percussiones et judicia advertere noluerunt. De quo

judicio dicitur, I Petri iv, 17 : *Tempus est ut incipiat judicium a domo Dei.*

« *Neque peccatores,* » fidem habentes, sed eam moribus deformantes, « *in concilio justorum* » cum Christo judicantium, « *resurgent,* » ut supra, quamvis resurgant cum multitudine judicanda ordinandi. Ad hujus autem intelligentiam notandum, quod Dominus ad judicium veniet in fine mundi judicaturus eos qui fidem ejus professi fuerint. Michææ, vi, 2 : *Audiant montes judicium Domini, et fortia fundamenta terræ : quia judicium Domini cum populo suo, et cum Israel dijudicabitur,* etc. Tunc tamquam illius judicii assessores cum eo accedent perfecti. Isa. iii, 14 : *Dominus ad judicium veniet cum senatoribus populi sui.* Et implebitur promissio eis facta, Matth. xix, 28 : *Amen dico vobis, quod vos, qui secuti estis me, in regeneratione,* etc., et illud Job, xxxvi, 6 : *Judicium pauperibus tribuit.*

Quod si aliquis dicat, quod hoc etiam omnibus bonis competit : omnes enim Dei judicium approbabunt, quod est officium assessoris. Respondeo, quod assessores proprie judicium approbant, ut fiat : boni autem approbabunt jam factum : peccatores autem nec erunt in concilio assessorum ut fiat judicium, nec in concilio bonorum ut approbent factum, sed erunt in judicio pro omnibus erratis præmia recepturi secundum illud Eccle. xii, 14 : *Adducet Deus in judicium pro omni errato.* Præmium autem erit, ut separentur a capite Christo et corpore ejus, perpetuo cruciandi. Isa. xiv, 19 et 20 : *Quasi cadaver putridum, non habebis consortium.* Apocalyp. xxii, 15 : *Foris canes, et venefici, et impudici, et homicidæ, et idolis servientes, et omnis qui amat et facit mendacium.* Matth. xxv, 41 : *Discedite a me maledicti in ignem æternum,* etc. Ab hoc autem judicio liberi essent, si in præsenti dijudicantes conscientias suas, a morte peccati resurrexissent, secundum consilium Apostoli ad Ephes. v, 14 : *Surge qui dormis, et exsurge a mortuis,* etc. Apocalyp. xx, 6 : *Beatus, et sanctus, qui habet partem in resurrectione prima.* Propter hoc dicit Apostolus, I ad Corinth. xi, 31 : *Si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur.* Et nota, quod quamvis vilius sit præsentari Christo in judicio, quod erit in impiis : tamen durius erit ab eo objurgari, quod erit in peccatoribus. Matth. xxv, 42 : *Esurivi, et non dedistis mihi manducare,* etc. Et hoc justum est : magis enim puniendi sunt, qui magis peccaverunt. II Pet. ii, 21 : *Melius erat illis non cognoscere viam justitiæ, quam post agnitionem retrorsum, converti ab eo, quod illis traditum est, sancto mandato.*

Ex dictis potest colligi, quod in fine mundi erit judicium auctoritatis, quo judicabit tota Trinitas. I Reg. ii, 10 : *Dominus judicabit fines terræ.* Judicium ministerii et promulgationis sententiæ. Sic Christus homo, Joan. v, 22 : *Pater omne judicium dedit Filio.* Judicium assessionis, quo judicabunt perfecti. Sap. iii, 8 : *Judicabunt nationes,* scilicet justi : et illud Matth. xix, 28 : *Sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes,* etc. Judicium comparationis melioris facti, Matth. xii, 42 : *Regina Austri surget in judicio cum generatione ista, et condemnabit eam.* Et judicium disceptationis, quo judicabuntur omnes fideles sive boni, sive mali, et non infideles, de quo hic dicitur, « *Non resurgent impii in judicio.* » Judicium retributionis, secundum merita singulorum, quo judicabuntur omnes tam fideles, quam infideles : tam boni fideles, quam mali : tam boni perfecti, quam imperfecti. Daniel. vii, 10 : *Judicium sedit, et libri aperti sunt.* II ad Corinth. v, 10 : *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum.*

Multiplex judicii acceptio.

« *Quoniam novit Dominus.* » Hic agitur de separatione reproborum spirituali a corpore, quæ etiam causa est corpora- 6

lis. Hæc autem separatio est, quia hi approbata a Deo fecerunt, illi reprobanda. Et secundum hoc duo dicuntur in hoc versu. Primo operum justorum approbatio, secundo reprobatio operum impiorum, ibi, « *Et iter.* »

Ait ergo : Sic separabuntur corporaliter, « *Quoniam novit Dominus viam justorum.* » « *Novit,* » quia nihil ignorat, Ad Hebræ. iv, 13 : *Omnia nuda sunt et aperta oculis ejus.* Novit etiam vias, Proverb. xvi, 2 : *Omnes viæ hominis patent oculis ejus.* Eccli. xxiii, 28 : *Oculi Domini multo plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum.* Jerem. xxxii, 19 : *Cujus oculi aperti sunt super omnes vias filiorum Adam.* Sed justorum novit notitia approbationis. Proverb. iv, 27 : *Vias quæ a dextris sunt, novit Dominus.* Quæ autem sint istæ viæ, ostenditur in Psal. lxxxiii, 8 : *Benedictionem,* inquit, *dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem : videbitur Deus deorum in Sion.* Vere approbanda est via, quæ a bono inchoans per melius ducit in optimum. Bona enim gratia quæ animam mundam reddit a macula peccati : quare dicit, *Benedictionem.* Melior est virtus quæ animam meritis et operibus bonis cumulans, defendit a vitiis : quare adhuc dicit, *Ibunt de virtute in virtutem.* Sed optima est gloria, quæ ipsam consummat, et beatam facit : quod notatur cum dicitur, *Videbitur Deus deorum in Sion.*

Via justorum septem donis Spiritus sancti munita.

Ecce recta via in qua medium non exit ab extremis. Isa. xxvi, 7 : *Semita justi recta est, rectus callis justi ad ambulandum.* Item, viæ justorum mundæ sunt per donum timoris qui expellit peccatum. Eccli. i, 27 : *Timor Domini expellit peccatum.* Planæ sunt et æquæ per donum pietatis, quæ nullum offendit, nullum lædit. Super Matth. v, 4, Glossa, « Mitis est, quem non rancor vel ira afficit, sed omnia æquanimiter sustinet. » Lucidæ per donum scientiæ. Psal. cxviii, 66 : *Bonitatem, et disciplinam, et scientiam doce me.* Securæ per donum fortitudinis. Proverb. xxviii, 1 : *Justus quasi leo confidens, absque terrore erit.* Sed expeditæ per donum consilii, quod omnia abjicere facit. Matth. xix, 27 : *Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te,* etc. Bernardus : « Recte Petre et non ad insipientiam tibi : quia sequi non poteras « oneratus. » Rectæ per donum intellectus, qui seipsum gubernare docet, et omnia in Deum dirigit. Proverb. i, 5 : *Et intelligens, gubernacula possidebit.* Delectabiles per donum sapientiæ, quæ æterna bona prægustare facit. Psal. xxxiii, 9 : *Gustate, et videte,* etc.

« *Et iter impiorum.* » Ecce secundum, scilicet reprobatio operum malorum. Quasi sic diceret : Justorum viæ approbantur a Deo : sed iter impiorum tamquam ignotum Deo notitia approbationis, « *peribit.* » Et nota in principio, quod opera bonorum dicit vias. Via enim ducit ad terminum : opera autem justorum ad finem tantum respiciunt. Ad Philip. iii, 13 : *Quæ quidem retro sunt obliviscens, ad ea vero, quæ sunt priora, extendens meipsum.* Item, respicit terminum a quo : mali enim a vero esse recedentes tendunt in exterminium. Sap. iii, 10 : *Qui neglexerunt justum, et a Domino recesserunt.* Et iterum, ibidem, iii, 3 : *Quod a nobis est iter, exterminium.* Perire autem dicitur via impiorum, quia ipsos perire facit, et de esse, quasi in non esse tendere, et ut male sint malo culpæ et pœnæ. Gregorius : « Pereunt non ita ut non sit, sed « ut male sit. » Job, xviii, 15 : *Habitent in tabernaculo illius socii ejus, qui non est.*

Iniqui quomodo pereant?

Incommoda viæ malorum per septem capitalia vitia depravatæ.

Et vere non est approbandum iter impiorum a Deo : quia immundum per luxuriam. Joel. i, 17 : *Computruerunt jumenta in stercore suo.* Asperum per avaritiam, quæ dura est. Eccli. iii, 27 : *Cor durum habebit male in novissimo.* Obscurum per iracundiam : ira enim excæcat animum, ne possit cernere verum. Psal. vi, 8 : *Turbatus est a furore oculus meus.* Timidum per acediam. Job, xv, 21 : *Sonitus terroris semper in auribus illius :*

et cum pax sit, ille, etc. Impeditum per invidiam, quæ ubique cespitat. Sap. v, 7 : *Ambulavimus vias difficiles.* Interminabile per gulam, quæ semper ad diem redit. Proverb. xxx, 16 : *Ignis numquam dicit, Sufficit.* Sed insipidum et fœtidum per superbiam. Zachar. v, 11 : Iniquitati, id est, superbiæ, ædificatur *domus in terra Sennaar,* quæ interpretatur *fœtor dentium* [1].

[1] Zachar. v, 11 : *Et dixit ad me: Ut ædificetur ei domus in terra Sennaar : et stabiliatur,* etc.

PSALMUS II.

Christi imperium vanis conatibus homines expugnabunt.

1. Quare fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania [1] ?
2. Adstiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum adversus Dominum, et adversus Christum ejus.
3. Dirumpamus vincula eorum ; et projiciamus a nobis jugum ipsorum.
4. Qui habitat in cœlis irridebit eos ; et Dominus subsannabit eos.
5. Tunc loquetur ad eos in ira sua, et in furore suo conturbabit eos.
6. Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, prædicans præceptum ejus.
7. Dominus dixit ad me : Filius meus es tu, ego hodie genui te [2].
8. Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ.
9. Reges eos in virga ferrea [3], et tamquam vas figuli confringes eos.
10. Et nunc reges intelligite ; erudimini qui judicatis terram.
11. Servite Domino in timore : et exsultate ei cum tremore.
11. Apprehendite disciplinam, nequando irascatur Dominus, et pereatis de via justa.
13. Cum exarserit in brevi ira ejus, beati omnes, qui confidunt in eo.

[1] Act. IV, 25.
[2] Act. XIII, 33 ; Ad Hebr. I, 5 et V, 5.
[3] Apoc. II, 27 et XIX, 15.

IN PSALMUM II

COMMENTARIUS.

« *Quare fremuerunt gentes.* » Nota, quod Psalmus iste in ordine Psalmorum secundus est, sed in titulo primus, secundum quod dicit hic Glossa Petrum dixisse in *Actibus*[1], quamvis non exprimatur ibi : sed potest intelligi, quod insinuetur per hoc quod dicitur ibi, *Per os patris nostri David, pueri tui, dixisti.* Quasi diceret Petrus : Hoc in illo Psalmo dixisti, quod per os ipsius David composuisti, sicut habetur in præsenti titulo, qui dicitur titulus, *Psalmus David*[2], id est, Psalmus compositus a David.

Hujus Psalmi auctor David, Christus argumentum.

Psalmus etiam iste est Psalmus David, quia in eo agitur de spirituali David, scilicet de Christo. David enim interpretatur *manu fortis*, et recte quia Goliath gladio proprio interfecit, I Regum, xvii, 50. Sicut et Christus manu affixa in cruce, quam ei præparaverat tamquam gladium diabolus, ipum debellavit, non manu armata, sed cruci affixa : non equo residens, sed in cruce pendens. Lucæ, xi, 21 : *Cum fortis armatus custodit atrium suum*, etc. Job, ix, 19 : *Si fortitudo quæritur, robustissimus est.* Interpretatur et David *adspectu desiderabilis*, et Christus est *in quem desiderant Angeli prospicere*[3]. In ipso invenit oculus quidquid desiderat, gratiam scilicet et speciem. Eccli. xl, 22 : *Gratiam et speciem desiderabit oculus.* De specie, in Psal. xliv, 3 : *Speciosus forma præ filiis hominum.* De gratia, Esther, xv, 17 : *Valde mirabilis es domine, et facies tua plena est gratiarum.*

Comparatio David cum Christo ex duplici capite.

Fuerunt autem qui dixerunt, quod iste Psalmus et præcedens sunt unus Psalmus : unde Gamaliel dicit, quod « Psalmus primus incipit a beatitudine, ibi, « *Beatus vir,* » et terminatur in beatitudinem, ibi, « *Beati omnes, qui confidunt in eo.* » Sed secundum hoc non esset numerus Psalmorum completus : et ipsi tunc addunt quemdam alium Psalmum, qui sit incipit : « *Pusillus eram in domo patris mei.* » Et his videbitur consentire Hieronymus in opusculo quod fecit de *Exceptionibus Origenis*. Alii autem Hebræi Psalmorum numerum attendentes secundum numerum litterarum quas eis præponunt, dicunt hunc esse secundum, quia ei præponitur *Beth*. Et istis consentit Cassiodorus.

Sicut dictum est, agitur in hoc Psalmo de Christo, et hoc ostendendo in eo regiam potestatem. Sed quia quidam sunt ignorantes ea quæ circa Christum sunt, et propter hoc ipsum in se et in membris suis impugnantes, dividitur Psalmus iste in tres partes. In prima corripit errantes circa Christum. In secunda ostendit veritatem de Christo introducens ipsum loquentem : « *Ego autem constitutus sum rex.* »

[1] Cf. Act. Apost. iv, 25.

[2] Titulum quidem non habet hic psalmus, sed nemo est qui illum David non attribuat ex verbis Petri in Act. iv, 25 : *Qui Spiritu sancto per os patris nostri David, pueri tui, dixisti : Quare fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania*, etc.

[3] I Petr. i, 12.

Et hoc recto ordine : primo enim exstirpanda fuit ignorantia quam veritas inserenda. Jerem. I, 10 : *Ecce constitui te hodie super gentes et super regna, ut evellas, et destruas, et disperdas, et dissipes, et ædifices, et plantes.* Tertio, admonitionem ponit ut ad Christum convertantur, et subjiciantur ei, ibi, « *Et nunc reges intelligite.* »

Prima pars subdividitur in tres partes. Primo increpat, ut culpabiles appareant errantes in Christo. Secundo, ex quo culpabiles apparent, monet bonos ut eis nos consentiant, ibi, « *Dirumpamus vincula.* » Tertio comminatur, ut pœniteant errantes, et boni caveant ab eis, ibi, « *Qui habitat in cœlis.* »

Item, error in Christum erat in minoribus utriusque populi, Judaici scilicet et Gentilis, et hos corripit primo in minoribus, et in majoribus hos secundo, « *Adstiterunt reges.* » Item, primo increpat minores Gentilium, secundo Judæorum, « *Et populi.* »

1 Prima pars Psalmi.

Ait ergo : « *Quare fremuerunt gentes ?* » Supple, adversus Christum. Et nota, quod secundum Cassiodorum est hic figura quæ Græce dicitur *erothema*, id est, interrogatio, et fit tripliciter : vel cum ignoramus, ut ibi, *Quot sunt dies servi tui* [1] ? Vel cum oppositum affirmamus. Jerem. XIV, 22 : *Numquid sunt in sculptilibus gentium qui pluant?* Vel cum increpamus, sicut hic. Et nota, quod *fremitus* aliquando improprie pro anxietate passionis accipitur. Joan. XI, 38 : *Jesus rursum fremens in semetipso, venit ad monumentum.* Proprie autem *fremitus* est crudelitatis anxietas, exserens se in sonum, ex confricatione dentium facta, et est, sicut dicit Cassiodorus, « proprium sævientium bestiarum. » Proverb. XIX, 12 : *Sicut fremitus leonis, ita et ira regis. Fremere* autem convertitur in *frendere*, quando tam fortis est confricatio dentium, ut frangantur. Isidorus : « Frendens dicitur, quod minando frangat « dentes. » Quando autem quasi tenet quis medium, tunc *stridor* appellatur. Act. VII, 54 : *Et stridebant dentibus in eum.*

Interrogatio fit ex triplici capite.

Quid discriminis inter fremere et frendere ?

« *Et populi,* » Judæorum videlicet, « *meditati sunt inania,* » scilicet contra Christum, æstimando quod non esset qui sibi promissus erat. Jerem. VIII, 7 : *Milvus in cœlo cognovit tempus suum : turtur, et hirundo, et ciconia custodierunt tempus adventus sui : populus autem meus non cognovit judicium Domini.* Et Isa. I, 3 : *Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe domini sui : Israel autem me non cognovit, et populus meus non intellexit.* Sed magis inane fuit, quod cognitum occidere et ad infernum mittere voluerunt. Joan. XI, 53 : *Ab illo ergo die cogitaverunt ut interficerent eum* Judæi, et mitterent ad infernum, scilicet mitterent eum cum cæteris mortuis. Psal. LXXXVII, 5, in persona ejus : *Æstimatus sum cum descendentibus in lacum : factus sum sicut homo sine adjutorio, inter mortuos liber.* Sed inanissimum, quod illum et memoriam ejus exstinguere attentaverunt. Jerem. XI, 19 : *Mittamus lignum in panem ejus, et eradamus eum de terra viventium, et nomen ejus non memoretur amplius. Mittamus lignum*, quantum ad primum : *eradamus eum*, quantum ad secundum : *nomen ejus non menoretur amplius*, quantum ad tertium. Vere inania et erronea. Sap. II, 21 : *Hoc cogitaverunt, et erraverunt : excæcavit enim illos malitia eorum.* Genes. I, 2 : *Terra autem erat inanis et vacua.*

Christus Judæis ignotus et invisus.

« *Adstiterunt reges.* » Hic interpretatio majorum, et repete, « *Quare adstiterunt reges terræ,* » hoc quantum ad 2

[1] Psal. CXVIII, 83.

Gentiles, et dicitur quod plurale sumitur pro singulari, « *Reges,* » id est, Rex Herodes Agrippa, de quo dicitur, Lucæ, XXIII, 11 : *Sprevit autem eum Herodes cum exercitu suo, et illusit*, etc. Vel « *Reges* » in plurali. Herodes enim Ascalonita, filius Antipatris adstitit contra Christum, pueros occidendo (Matth. II, 16 et seq.). Herodes Antipas adstitit contra Christum, et præconem ejus, scilicet Joannem Baptistam decollando (Matth. XIV, 10). Tertius, scilicet Agrippa filius Aristobuli, adstitit contra Christum, ipsum spernendo, et ei illudendo, sicut dictum est, et Jacobum fratrem Joannis interficiendo, decollando, Petrum incarcerando (Act. x, 2 et seq.).

Qui reges contra Christum adstiterint ?

Versus :

Ascalonita necat pueros, Antipa Joannem,
Agripa Jacobum, claudens in carcere Petrum.

Nota ternarium persecutionum : oris, « *fremuerunt :* » cordis, « *meditati sunt :* » operis, « *adstiterunt reges.* » Et ternarium persequentium : minores, « *gentes et populi :* » majores, « *reges :* » mediocres, « *principes.* » Et ternarium patientium : Deum Patrem, « *adversus Dominum :* » Deum Filium, « *adversus Christum ejus :* » membra, « *dirumpamus vincula eorum.* » Et nota, quod assistere est impugnare volentium, sicut hic dicitur, et Job, I, 6 : Adstitit Satan inter filios Dei volens impugnare Job [1]. Confortantium, Act. XII, 7 : *Angelus Domini adstitit*, etc. Ministrantium, Daniel. VII, 10 : *Millia millium ministrabant ei, et decies centena millia assistebant ei.* Et regnantium, Psal. XLIV, 10 : *Adstitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato : circumdata varietate.*

Varia persecutionum et persecutionem inferentium aut tolerantium genera.

« *Et principes convenerunt, in unum* », scilicet principes Judæorum, Sacerdotes, Pharisæi et Scribæ. Et nota, quod est unio in via, vel in termino viæ. In via dupliciter : vel malorum, de qua hic dicitur, et Daniel. XIV, 27 : *Quod cum audissent Babylonii, indignati sunt vehementer : congregati adversus regem, dixerunt*, etc. Item, bonorum, Act. IV, 32 : *Multitudinis credentium erat cor unum et anima una.* In termino viæ duplex : Electorum, Psal. CXXXII, 1 : *Ecce quam bonum, et quam jucundum habitare fratres in unum !* Damnatorum, Isa. XXIV, 22 : *Congregabuntur in congregatione unius fascis in lacum.* Et hoc, « *adversus Dominum,* » Patrem scilicet, « *et adversus Christum ejus,* » Filium : quidquid enim contra unum, et contra alterum. Joan. v, 23 : *Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem, qui misit illum.* Et causa hujus redditur, Joan. x, 30, ubi dicitur : *Ego, et Pater unum sumus.* Gentes adversus Dominum proprie adstiterunt, quia potestatem Domini in Christo impugnabant : adversus Christum Judæi proprie, quia ipsum esse Christum, id est, unctum a Deo credere nolebant : quamvis sic esset. Isa. LXI, 1 : *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me.*

« *Dirumpamus vincula eorum.* » Hic 3
est secundum primæ partis Psalmi. Proposita enim increpatione, subjungitur admonitio bonorum, secundum lecturam unam, et est duplex. Primo ne consentiant malorum blanditiis : secundo, ne consentiant minis, « *Et projiciamus.* »

Dicit ergo sic malis. Sed nos boni et fideles, « *Dirumpamus vincula eorum,* » id est, blanditias gentium et populorum, regum et principum adversantium Christo. Isa. LII, 2 : *Solve vincula colli tui ca-*

[1] Job, I, 6 : *Quadam autem die, cum venissent filii Dei ut assisterent coram Domino, adfuit inter eos etiam Satan.* Cf. etiam ibidem, II, 1.

ptiva filia Sion. Et boni dissolvite colligationes iniquitatis. Nec tantum *dirumpamus*, nos ab eorum consortio abrumpendo, sed si possimus, colligationem eorum destruendo. Osee, XIII, 12 : *Colligata est iniquitas Ephraim.* Ipsi enim sunt vulpes Samsonis, qui habent caudas ad invicem colligatas.

« *Et projiciamus a nobis,* » procul abjiciendo, « *jugum ipsorum,* » minas et dominium, ne cum ipsis insurgamus contra Christum : hoc enim est jugum malum, de quo Paulus, II ad Corinth. VI, 14 : *Nolite jugum ducere cum infidelibus,* Glossa : « socii esse malorum. » Isa. X, 27 : *Computrescet jugum a facie olei.*

Aliter legitur versus iste, ut sit causa et ratio quare sunt increpandi, quia ipsi dicunt, « *Dirumpamus vincula eorum,* » Domini scilicet et Christi præcepta, quæ sunt vincula retrahentia a malo salutaria, trahentia ad bonum, et ipsi bono adstringentia. Eccli. VI, 31 : *Vincula illius alligatura salutaris.*

Hæc sunt vincula quibus Joannes alligatus erat in carcere (Matth. XI, 2), justus scilicet in tenebrosa mundi hujus habitatione. « *Et projiciamus a nobis jugum ipsorum,* » scilicet admonitionum, consiliorum, de quo Matth. XI, 30 : *Jugum meum suave est,* etc., et Thren. III, 27 : *Bonum est viro, cum portaverit jugum ab adolescentia sua.* Hoc enim jugum *vix* aliquis in senectute assuescere poterit : antiquus enim mundanus, vix potest bene addiscere ambulare, sed cito redit ad tractum. Jerem. II, 20 : *A sæculo confregisti jugum meum, rupisti vincula mea, et dixisti : Non serviam.*

4 « *Qui habitat in cœlis.* » Hic tertia pars primæ partis totius Psalmi, in qua ponit comminationem ut pœniteant. Et primo est comminatio de malo in præsenti : secundo, in futuro, ibi, « *Tunc loquetur.* » Malum in præsenti minatur duplex : irrisionem quæ fit ore, subsannationem quæ fit signo, vel facto, ibi, « *Et Dominus.* » Dicit ergo sic : « *Fremuerunt, meditasunt, adstiterunt, convenerunt in unum contra Christum : sed qui habitat in cœlis* » materialibus ad litteram, scilicet empyreis. Isa. LXVI, 1 : *Cœlum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum.* Dicitur autem Deus in cœlis esse specialiter, quamvis sit ubique generaliter : quia ibi maxime relucent opera ipsius, et ab habitatoribus illius videtur incessanter. Matth. XVIII, 10 : *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est.* Hinc ait Richardus de sancto Victore : « Cum Dominus ubique « sit, ibi esse maxime esse dicitur, ubi « ab omnibus habitatoribus incessanter « videtur, ut qui eum videre desiderat, ubi « possit videri, per meritum ascendat. »

Habitat et in cœlis, in animabus justis : quia, ut dicit Rabbanus in libro IX, « Cœ« lum dicitur quasi celatum vas : » de uno autem justorum dicitur, quod vas celatum sit et ornatum. Eccli. L, 10 : *Quasi vas auri solidum, ornatum omni lapide pretioso.* Cœlum etiam dicitur quasi casa ἡλίου, id est, domus solis. Sol autem justitiæ Christus est. Malach. IV, 2 : *Orietur vobis timentibus nomen meum sol justitiæ.* Et hic justi domum inhabitat ut domum propriam. Joan. I, 14 : *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis :* et XIV, 23 : *Veniemus, et mansionem apud eum faciemus.* Cœlum autem dicitur justi anima ratione dispositionis. In ipsa enim sol ratio et intelligentia, quæ per peccatum in malis eclipsatur : et luna sensualitas, quæ nisi illuminetur a sole intelligentiæ, obscuratur. Eccli. XXVII, 12, de hoc sole et hac luna : *Homo sanctus in sapientia manet sicut sol intelligentiæ et rationis : nam stultus ut luna mutatur* sensualitatis. In ipsa sunt stellæ ordinatæ et distinctæ, virtutes scilicet a Deo infusæ. Hæ sunt stellæ de quibus dicitur, Apocalyp. I, 16 : quod septem stellæ erant in dextra sedentis in throno. Universæ enim virtutes in Christi sunt potestate. Hinc est quod de justa anima dicitur, Cant. VI, 9 : *Quæ est ista,*

Cur anima justi dicatur cœlum et sedes Dei ?

quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, in sensu et animalitate : *electa ut sol,* in intellectu, et ratione : *terribilis ut castrorum acies ordinata,* in omnium virtutum distincta et ordinata multitudine. Hinc Apocalyp. XII, 1, dicitur : *Mulier amicta sole, et luna sub pedibus ejus, et in capite ejus corona stellarum duodecim.*

Talem ergo animam, quæ sicut cœlum est, inhabitat Deus hic in præsenti per gratiam, et in futuro per gloriam. Et nota, quod in anima justi imperfecti videtur esse Deus per fidem tamquam in primo cœlo. I ad Corinth. XIII, 12 : *Videmus nunc per speculum in ænigmate.* In anima perfecti per contemplationem, quasi in secundo cœlo. Job, XLII, 5 : *Nunc oculus meus videt te.* In sanctis Angelis et animabus glorificatis per speciem, tamquam in tertio. I Joan. III, 2 : *Cum apparuerit, similes ei erimus : quoniam videbimus eum sicuti est.*

Hic habitator cœli irridebit eos : verbo, quando prædicationem veritatis ab eis auferendam per suam et per suos nuntiabit. Act. XIII, 46 : *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei : sed quoniam repellitis,* etc.

« *Et Dominus subsannabit.* » Nota, quod subsannatio est in facto, quando extensione buccæ et nasi corrugatione et contractione, nos contemnere aliquid demonstramus. Facto ergo Dominus subsannavit persecutorum superbiam, quando evacuata eorum potentia, captivos per totum orbem dispersit. Psal. LVIII, 12 : *Disperge illos in virtute tua.* De iis duobus, Proverb. I, 26 : *Ego quoque in interitu vestro ridebo,* quando scilicet a vobis verbum vitæ auferetur : *et subsannabo, cum vobis id, quod timebatis advenerit :* hoc enim vehementer timebant Judæi, quod dispergerentur per Romanos. Joan. XI, 48 : *Et venient Romani, et tollent nostrum locum, et gentem.*

« *Tunc loquetur ad eos.* » Hic secun- 5
dum in quo comminatur eis miseriam in futuro : et tangitur duplex miseria, corporum passibilium resumptio primo, secundo animæ cum corpore suo resumpto afflictio, ibi, « *Et in furore suo.* »

Dicit ergo : « *Tunc loquetur ad eos* » per illam vocem tubæ qua dicitur : Surgite mortui. I ad Thessal. IV, 16 : *Ipse Dominus in jussu, et in voce Archangeli, et in tuba Dei descendet de cœlo,* etc. Loquetur et ad eos in ira, cum eis post resumptionem corporis disceptando. Matth. XXV, 42 : *Esurivi, et non dedistis mihi manducare,* etc. Loquetur et ad eos sententiam proferendo. Ibidem, *Discedite a me maledicti,* etc. Primum verbum asperum, secundum asperius, tertium asperrimum. Nec dicitur ira in Deo, quia ipse commotus sit, et turbatus in seipso : sed quia effectum iræ exercet in alio.

Cur Propheta de judicio loquatur quasi de eo mentionem fecerit ?

Sed quærendum, cum secundum Cassiodorum, istud « *Tunc* » ad tempus judicii referatur, secundum quod expositum est, quomodo hoc esse possit, quia secundum consuetum modum loquendi, cum dicitur, « tunc factum est hoc, vel fiat », aliquod tempus de quo prius facta est mentio, demonstratur. Cum ergo nihil de die judicii prædixerit in hoc Psalmo, quomodo sic ex abrupto « *tunc* » istud dixit ? Responsio. Quando aliquid vehementi affectu in mente firmiter retinemus, cum de illo in verbo prorumpimus, cogit ipsa affectio, ut de eo loquamur tamquam de eo, de quo mentio aliqua sit facta prius. Hinc est quod Joan. XX, 15, Maria Dominum quærens, et amore ejus fervens, ac si quid de eo præmisisset, dixit : *Si tu sustulisti eum, dicito mihi ubi,* etc. *Eum* dicit semper. Glossa : « Non « dicit *quem* : quia hoc in animo solet « agere vis amoris, ut quem semper cogi- « tat, nullum alium ignorare credat. Sic « sanctus David diem judicii semper cogi- « tans, tremens et desiderans, hunc ipsum « credit omnem alium cogitare. » Psal. LXX, 16 : *Memorabor justitiæ tuæ solius.* Pro-

rumpit ergo, et dicit, « *Tunc loquetur.* » « *Et in furore suo conturbabit eos,* » simul in anima et corpore affligendo : animam præ turbatione obscurando, ad Rom. I, 21 : *Obscuratum est insipiens cor eorum.* Penitus excæcando præ anxietate doloris, Isa. VI, 10 : *Excæca cor populi hujus.* Remorsum conscientiæ torquendo, Sap. V, 2 et 3 : *Videntes turbabuntur timore horribili.* Et infra : *Dicentes intra se, pœnitentiam agentes, et præ angustia spiritus gementes.* Et in corpore. Amos, IV, 2 et 3 : *Levabunt vos in contis, et reliquias vestras,* id est, corpora vestra, *in ollis ferventibus. Et per aperturas exibitis altera contra alteram, et projiciemini in Armon,* de utraque apertione, scilicet animæ et corporis. Simile in Psal. XX, 10 : *Pones eos ut clibanum ignis,* ut interius ardeant. Et paulo post, *Et devorabit eos ignis,* ut exterius ardorem sentiant. Isa. LXV, 13 et 14 : *Servi mei comedent, et vos esurietis,* quantum ad miseriam corporis : *lætabuntur, et vos confundemini. Ecce servi mei laudabunt præ exsultatione cordis, et vos clamabitis præ dolore cordis, et præ contritione spiritus ululabitis.* Et etiam Isa. LXVI, 24 : *Vermis eorum non morietur.* Vermis, inquam, conscientiæ, et ignis non exstinguetur in corpore. Hic est vermis de quo timebat David cum dicebat : *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me* [1]. Et Isa. XXX, 27 : *Ardens furor ejus, et gravis ad portandum.*

...æ damnatorum ...œnæ.

Aliter autem potest legi ab illo loco, « *Qui habitat* », totum scilicet de futuro : et tanguntur quatuor pœnæ ordinatæ. « *Qui habitat in cœlis, irridebit eos,* » in generali resurrectione, quando invenient se vacuos omni bono, et culpis plenos. « *Subsannabit* » ibi peccatorum manifestatione, conscientiis propriis, et etiam alienis. « *Loquetur,* » in sententiæ promulgatione. Sed « *in furore suo conturbabit,* » in promulgatæ exsecutione. Hæc est quadruplex pœna respondens quadruplici culpæ malorum. Amos, I, 3 : *Super quatuor sceleribus,* cordis, oris, operis et consuetudinis, *non convertam eum,* etc.

...adruplex ...enæ genus ...adruplici ...lpæ generi ...spondens.

« *Ego autem constitutus.* » Hic est secunda pars Psalmi, in qua supponit veritatem de regia dignitate Christi. Sed quia ad regiam dignitatem duo exiguntur, scilicet potestas, et rectus usus potestatis, ne sit potestas otiosa vel perniciosa, primo agitur de ejus regia potestate, secundo de recto usu potestatis, ibi, « *Reges eos.* » 6

Secunda pars Psalmi. De potestate regia Christi.

Sed quia mundus iste duos continet populos, circumcisionem scilicet et præputium, primo ostendit esse regem super circumcisionem, secundo super præputium, ibi, « *Dominus dixit ad me,* » ut sic impleatur, quod alibi dicitur de ipso, Rex omnis terræ Dominus [2].

In prima parte dicuntur quatuor, primo quod regnum accipit : secundo, a quo accipit, ibi, « *Ab eo :* » tertio, super quos vel ubi accipit, ibi, « *Super Sion :* » quarto, ad quid, ibi, « *Prædicans præceptum ejus.* »

Dicit ergo : Sic me persequuntur non impotentem me defendere : quia « *ego constitutus sum Rex.* » Apocal. XIX, 16 : *Et habet in vestimento, et in femore suo scriptum : Rex regum, et Dominus dominantium,* etc. Rex regni incorruptibilis, Daniel. VII, 14 : *Potestas ejus, potestas æterna, quæ non auferetur, et regnum ejus, quod non corrumpetur.* Et est legendum cum pondere : Ego, inquam, qui immunis sum a peccato, et propter hoc dignus regno. Isa. LIII, 9 [3], et I Petri II, 22 : *Qui peccatum non fecit, nec in-*

[1] Psal. VI, 2.

[2] Psal. XLVI, 8 : *Quoniam rex omnis terræ Deus,* et alibi sæpe.

[3] Isa. LIII, 9 : *Eo quod iniquitatem non fecerit, neque dolus fuerit in ore ejus.*

ventus est dolus in ore ejus. « *Constitutus autem sum rex,* » non a me, sed a Deo, scilicet a Patre meo, qui malos « *irridebit, et eos in furore conturbabit.* » Jerem. xxiii, 5 : *Ecce dies veniunt, dicit Dominus : et suscitabo David germen justum : et regnabit rex, et sapiens erit,* etc.

Quinque boni Regis partes, quæ Christo competunt.

Et nota, quod quinque fuerunt in Christo, quæ sunt Regi necessaria, ut recte et rite ingrediatur regiam potestatem. Quod sit constitutus, scilicet a superiori, non ingerens se, nec intrusus, sicut hic qui dicit se constitutum a Deo. III Reg. i, 33 et seq., David filium suum Salomonem regem constituit. Ad Hebræ. v, 4 : *Nec quisquam sumit,* id est, assumere debet, *sibi honorem,* etc. Secundo, requiritur in eo clementia, ut sit rex, non tyrannus. Proverb. xx, 28 : *Misericordia et veritas custodiunt regem, et roboratur clementia thronus ejus.* III Reg. xx, 31 : *Reges domus Israel sunt clementes.* Requiritur et justitia, sive fortitudo. Eccli. vii, 6 : *Noli quærere fieri judex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates.* Deuteron. i, 16 et 17 : *Quod justum est, judicate : sive civis sit ille, sive peregrinus, nulla erit distantia personarum : ita parvum audietis ut magnum : nec accipietis cujusquam personam, quia Dei judicium est.* De Christo autem dicitur, Isa. xi, 3 et 4 : *Non secundum visionem oculorum judicabit, neque secundum auditum aurium arguet : sed judicabit in justitia pauperes.* Necessaria est et sapientia : propter quod Salomon regnaturus, a Deo sapientiam postulavit, III Reg. viii, 9 et seq. De Christo autem dicit Apostolus, I ad Corinth. i, 23 et 24 : *Prædicamus Christum... Dei virtutem, et Dei sapientiam.*

Cur Ecclesia dicatur mons?

« *Super Sion montem sanctum ejus.* » Per Sion quæ superior pars erat civitatis Jerusalem, quæ erat metropolis in Judæa, intelligitur Ecclesia de Judæis, illa scilicet primitiva paucorum Ecclesia, quam Christus et Apostoli congregaverunt, quæ bene dicitur *mons,* propter fidei firmitatem, quæ in ipsis fuit. Unde Psal. cxxiv, 1 : *Qui confidunt in Domino sicut mons Sion,* etc. Propter elevationem in virtutibus, Isa. ii, 2 : *Erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium.* Propter radiorum fidei primam susceptionem, et transfusionem ad alios, Psal. lxxv, 5 : *Illuminans tu mirabiliter a montibus æternis,* sanctis scilicet Apostolis, et Ecclesiæ primitivis.

« *Prædicans præceptum ejus.* » Ecce ad quid constitutus, scilicet ad docendum et prædicandum. Ezech. iii, 17 : *Fili hominis speculatorem domus Israel dedi te.* Et xxxiv, 23 : *Suscitabo super eas* oves, scilicet gentes, *pastorem unum qui pascat eas* scientia et doctrina. Quod fecit Christus. Matth. ix, 35 : *Et circuibat Jesus omnes civitates et castella, docens in synagogis eorum, et prædicans Evangelium regni.* Si ipse ad hoc constitutus est, et vicarii ejus ad hoc debent similiter constitui. Gregorius : « Si pastor prædica- « re nesciat, gradum sacerdotii usurpat [1]. » Matth. xxiv, 45 : *Quis, putas, est fidelis servus et prudens, quem constituit Dominus suus super familiam suam,* etc. [2]. Et non ad multiplicandum equos, et familiam superfluam, Deuteron. xvii, 16 : *Cumque* rex *fuerit constitutus, non multiplicabit sibi equos, nec reducet populum in Ægyptum, equitatus numero sublevatus.* Propter hoc dicitur, Proverb. vi, 1 et 3 : *Fili mi, si spoponderis pro amico tuo, discurre, festina,* etc.

Præceptum autem prædicare debet, non inventiones proprias, et truphas. Præceptum scilicet charitatis, sicut et Christus, Joan. xiii, 34 : *Mandatum novum do vobis : ut diligatis invicem.* Quod dicitur præceptum unum, quia ex illo præcepto charitatis dependent quæcumque alia in Scripturis. Matth. xxii, 40 :

[1] S. Gregorius, Epist. xxiv.

[2] Cf. etiam Luc. xii, 35 et seq.

Ex his duobus mandatis universa lex pendet, et Prophetæ.

« *Dominus dixit ad me.* » Hic agitur de potestate regia Christi super præputium : et tanguntur duo. Primo promissio de firma possessione Gentilium, secundo de dilatatione possessionis et regni super eos.

In prima quatuor dicuntur : primo, promissio Patris, secundo, ratio vel debitum promissionis, ibi, « *Filius meus* : » tertio, modus veniendi ad promissionem, ibi, « *Postula a me* : » quarto, determinatio promissi, ibi, « *Et dabo.* »

Et est sic construenda *littera* : Sicut constitutus sum a Patre super circumcisionem, et etiam « *Dominus,* » Pater scilicet « *dixit ad me,* » hoc est, mihi promissionem fecit, hanc scilicet, « *Dabo tibi gentes* : » et hoc tibi debitum est, quia « *Filius meus es tu,* » non adoptivus, sed naturalis, in quantum Deus, quia « *hodie genui te,* » scilicet in æternitate, quæ vera dies est. Michææ, v, 2 : *Egressus ejus a principio a diebus æternitatis.* Proverb. viii, 25 : *Ante colles ego parturiebar.* Generatione quidem naturati, qua non privatur, qui aliis generationem tribuit. Isa. lxvi, 9 : *Numquid ego, qui alios parere facio, ipse non pariam, dicit Dominus? Si ego, qui generationem cæteris tribuo, sterilis ero, ait Dominus Deus tuus?*

Vel « *Filius meus* » per gratiam, quia « *genui te,* » generari feci te, secundum quod homo es de Virgine, et hoc « *hodie,* » id est, in hoc tempore gratiæ. Lucæ, ii, 6 et 7 : *Impleti sunt dies ut pareret... Et peperit Filium suum primogenitum.* Matth. i, 16 : *Jacob autem genuit Joseph virum Mariæ, de qua natus est Jesus,* etc. Sed ut hoc sit, « *postula a me,* » hoc est, postulabis a me hoc, fili : in quo notandum est, quod postulatione Filius videtur ad regnum Gentium pervenisse, sed non sic ad regnum Judæorum : et ratio hæc potest esse, quod Christus Judæis promissus erat, et veritas exigebat, ut eis redderetur. Deuteron. xviii, 18 : *Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui : et ponam verba mea in ore ejus.* Et illud Jerem. xxiii, 5 : *Suscitabo David germen justum : et regnabit rex.* Gentibus autem nulla promissio facta fuerat : nec aliquando merita Patrum suorum præcesserant sicuti Judæorum. Quia ergo sola misericordia salvatæ sunt, recte dicitur postulatio præcessisse. Ad Roman. xv, 8 et 9. *Dico enim Christum Jesum ministrum fuisse circumcisionis... ad confirmandas promissiones patrum : Gentes autem super misericordia honorare Deum.*

ur Christus ad regnum Gentilium on Judæorum oratione pervenerit?

Multiplex Dei dicere.

Dicit ergo : « *Dominus dixit ad me.* » Ubi notandum, quod multiplex est dicere Dei. Dicere enim Dei est disponere, sicut ibi, Psal. cv, 23 : *Dixit* Dominus *ut disperderet eos,* id est, disposuit. Et illud Ezechiel. xx, 8 : *Et dixi ut effunderem indignationem meam super eos,* id est, disposui. Aliquando dicere Dei est non tantum disponere, sed promittere. Num. xxiii, 19 : *Non est Deus quasi homo ut mentiatur : nec ut filius hominis, ut mutetur. Dixit ergo, et non faciet? Locutus est, et non implebit?* Dicitur et dicere Dei non tantum promittere, sed facere. Genes. i, 3 : *Dixitque Deus : Fiat lux. Et facta est lux.* Unde illud : « Deus, cujus dicere, facere est. » Psal. cxlviii, 5 : *Quia ipse dixit et facta sunt.*

Adhuc plus non tantum dicere Dei est facere, sed etiam generare. Job, xxxiii, 14 : *Semel loquitur Deus, et secundo id ipsum non repetit,* id est, genuit Filium, cujus generationem nec iterat, nec iterabit.

Varia nominis filii acceptio, tum metaphorica, tum propria.

« *Filius meus es tu.* » Nota, quod filius dicitur improprie, et hoc multipliciter. Ratione ætatis, sicut senes filios juvenes appellamus. Tobiæ, vii, 7 : Dixit Raguel ad Tobiam juniorem : *Benedictio sit tibi fili mi.* Per disciplinam : sic conversi per prædicatoaes eorum filii appellantur. I ad Corinth. iv, 15 : *In Christo*

Jesu per evangelium ego vos genui. Et ad Galat. IV, 19 : *Filioli mei, quos iterum parturio.* Aliquando per solam reputationem : sic Christus filius Joseph putabatur. Lucæ, III, 23 : *Ut putabatur filius Joseph.* Aliquando per adoptionem. Ad Roman. VIII, 15 : *Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum Dei.*

Proprie autem dicitur filius secundum legem, qui fratri mortuo generabatur. Deuteron. XXV, 5 et 6 : *Suscitabit semen fratris sui : et primogenitum ex ea filium nomine illius appellabit.* Sed magis proprie per naturæ propriæ participationem : sicut Isaac dicitur filius Abraham. Vel per omnimodam substantiæ identitatem, sicut hic dicitur, et est ineffabilis genitura. Isa. LIII, 8 : *Generationem ejus quis enarrabit?* Et nota, quod de hac dicitur, « *Ego hodie genui te.* » « *Hodie,* » ut eam præsentem significet : « *genui,* » ut perfectam. Propter primum dicitur Christus *Oriens,* Zachariæ, VI, 12. Propter secundum dicitur in Psal. CIX, 3 : *Ante luciferum genui te.* Et Eccli. XXIV, 5 : *Ego ex ore Altissimi prodivi, primogenita ante omnem creaturam.*

Huic ergo dicitur :

8 Tribus modis orat Christus pro nobis.

« *Postula a me,* » quod et fecit : postulavit enim ante passionem sermone. Joan. XXII, 9 et 20 : *Ego pro eis rogo.* Et iterum : *Non pro eis rogo tantum, sed et pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me.* Oravit et opere ipsam passionem sustinendo, et sanguinem effundendo. Super illud Lucæ, XVIII, 1 : *Oportet semper orare,* dicitur : « Non cessat « orare, qui non cessat bene facere. » Melius autem facere non potuit, quam seipsum pro nobis immolare : unde Apostolus ad Hebræ. XII, 24, dicit : *Sanguinem ejus melius loquentem quam Abel.* Genes. IV, 10 : *Vox sanguinis fratris tui Abel clamat ad me de terra.* Clamat enim sanguis Abel vindictam, sed sanguis Christi misericordiam postulat. Et post passionem, cicatricum ostensione semper vivens ad interpellandum pro nobis. I Joan. II, 1 : *Si quis peccaverit, habemus advocatum apud Patrem, Jesum justum.* Propter hoc dicit Bernardus : « Securum habes accessum ad Domi- « num, o peccator : habes ante Filium « matrem, et Filium ante Patrem. Mater « ostendit Filio pectus et ubera. Natus « ostendit Patri latus et vulnera. Nulla « potest esse repulsa, ubi tot occurrunt « charitatis insignia. »

« *Et dabo tibi gentes hæreditatem tuam* » illam, inquam, hæreditatem, de qua infra in alio Psal. XV, 6 : *Hæreditas mea præclara est mihi,* Isa. XLIX, 8 : *In tempore placito exaudivi te,.. et dedi te in fœdus populi, ut suscitares terram, et possideres hæreditates dissipatas.*

« *Et possessionem tuam terminos terræ.* » Ecce dilatatio : quod impletum fuit. Christi enim Apostoli ei terram usque ad terminos subjecerunt per prædicationem, secundum illud Psal. XVIII, 5 : *In omnem terram exivit sonus eorum.* Sed postea per Nicolaum hæreticum et Mahumetum subversi ad infidelitatem redierunt Orientales, et impletum fuit illud Psal. LXXI, 8 : *Et dominabitur a mari usque ad mare : et a flumine usque ad terminos orbis terrarum.* Et illud epistolæ ad Hebræ. I, 2 : *Locutus est nobis in Filio, quem constituit hæredem universorum.*

Boni autem dicuntur hæreditas Dei Christi, quia zelat qro ipsis. Joel. II, 18 : *Zelatus est Dominus terram suam.* Et Zachariæ, I, 14 : *Zelatus sum Jerusalem, et Sion zelo magno.* Item, eam continet, et conservat. Act. XVII, 28 : *In ipso enim vivimus, et movemur, et sumus.* Ex illa pascitur, et in illa requiescit. Apocalyp. III, 20 : *Cœnabo cum illo, et ipse mecum.* Cant. I, 6 : *Indica mihi,.. ubi pascas, ubi cubes in meridie.* I ad Corinth. III, 9 : *Dei agricultura estis.* Ipsam colit arando. Sic Deus arat suos vomere prædicationis. Isa. II, 4 : *Conflabunt gladios*

Quare boni hæreditas Christi dicantur?

suos in vomeres, et lanceas suas in falces. Firmando per temporalium abundantiam, vel propriæ utilitatis recordationem, Lucæ, XIII, 8 : *Dimitte illam et hoc anno, usque dum fodiam circa illam, et mittam stercora.* Seminando semina gratiæ et doctrinæ subtilioris. Jerem. XXXI, 27 : *Seminabo domum Israel et domum Juda semine hominum, et semine jumentorum.* Luc. VIII, 11 : *Semen est verbum Dei.* Purgando et sarriendo sarculo tribulationum. Isa. VII, 25 : *Et omnes montes, qui in sarculo sarrientur, non veniet illuc terror spinarum et veprium.* Isa. XXVIII, 24 : *Proscindet et sarriet humum suam.*

9 « *Reges eos in virga ferrea.* » Hic secundum in quo agitur de usu potestatis Christi. Potestas autem in usu peccat dupliciter : vel quia remissa est, et sic est quasi otiosa, sicut in illis de quibus dicitur, Isa. III, 4 : *Et dabo pueros principes eorum, et effœminati dominabuntur eis.* Vel tyrannica, et tunc est perniciosa, sicut in illis quibus dicitur, Sap. VI, 5 : *Quoniam cum essetis ministri regni illius, non recte judicastis, nec custodistis legem justitiæ.* Ideo ostenditur hic, quod potestas Christi non sit otiosa, quæ regit et conterit : neque perniciosa, quæ posset esse dupliciter, si bonos læderet, vel malis proficeret, sicut potestas illius, cui dicitur, Daniel. XIII, 52 et 53 : *Inveterate dierum malorum, nunc venerunt peccata tua quæ operabaris prius : judicans judicia injusta, innocentes opprimens, et dimittens noxios.* Sed utrumque removet a Christo : habet enim potestatem ferream, qua bonos sustentat fortius : et hoc in prima parte ostenditur : et malos conterit facilius, et hoc in secunda, « *Tamquam vas.* »

[...]ectus potestatis [...]giæ usus, [...]ec in ty[...]annidem, [...]c in ignava[...]m degenerantis.

Ait ergo : « *Dixit ad me,* » Pater promittendo, et etiam « *reges eos,* » Gentiles scilicet et Judæos, de culpa in virtutem, de una virtute in aliam, et tandem de virtute in gloriam deducendo : et hoc « *in virga ferrea,* » forti et sustentante et inflexibili justitia. Apocalyp. XIX, 15 : *Et ipse reget eas in virga ferrea.* Et in eodem, XIX, 1 : *Post hæc audivi quasi vocem turbarum multarum in cœlo dicentium : Alleluia : Salus, et gloria, et virtus Deo nostro est : quia vera et justa judicia ejus.* Justa autem sunt per seipsa. Psal. XVIII, 10 : *Judicia Domini vera, justificata in semetipsa.* Si opponitur illud Joel. II, 13 : *Benignus et misericors est,.. et præstabilis super malitia* : ergo justitia ejus est flexibilis. Respondendum, quod flexibilis est, eo quod punit citra meritum : sed inflexibilis, eo quod nihil relinquit impunitum. Jerem. XXIII, 5 : *Faciet judicium et justitiam in terra.*

Hæc est ergo virga de qua in Psal. CIX, 2 : *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion.* Emissa est enim potestas Christi de Sion ad Gentes. Justitia autem *virga* dicitur primo propter rationem nominis, quasi viribus gerens et sustentans. Proverb. XIV, 34 : *Justitia elevat gentem : miseros autem facit populos peccatum.* Propter rectitudinem, Psal. XLIV, 7 : *Virga directionis virga regni tui.* Et justitia ab Anselmo dicitur *rectitudo*[1]. Item, quia ornamentum est regium, sic justitia decet reges. Ezech. XIX, 11 : *Et factæ sunt ei virgæ solidæ in sceptra dominantium.* Item, quia pastorale est instrumentum. Zachar. XI, 7 : *Assumpsi mihi duas virgas : unam vocavi Decorem, et alteram Funiculum, et pavi gregem.* Quid est enim in prælato potestas ligandi, nisi funiculus ? Quid potestas solvendi et monstrandi innocentem, vel pœnitentem, nisi decor ? Hæc autem duo sunt duplex justitia in prælatis et pastoribus. Matth.

Quomodo virga justitiæ flexibilis sit et inflexibilis ?

[1] S. ANSELMUS, Lib. de Veritate, cap. 13.

XVI, 19 : *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis.*

« *Et tamquam vas figuli confringes eos.* » Ecce usus potestatis quoad malos qui dicuntur vasa fictilia ad sordes recipiendas, non aurea vel argentea ad liquorem gratiæ et devotionis balsamum continendum. II ad Timoth. II, 20 : *Sunt vasa aurea et argentea, sed et lignea et fictilia : et quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam.* Hæc vasa Dei justitia confringit per culpam, quando tales cadere permittit de una culpa in aliam, secundum illud Apocalyp. XXII, 11 : *Qui in sordibus est, sordescat adhuc.* Si enim permitterent se confringi per pœnitentiam, eos Dominus repararet, ut fierent vasa honorabilia : quod significatum fuit, Jerem. XVIII, 6, in figulo qui vas quod sibi non placuerat, sic reparavit, ut placeret in oculis ejus. II ad Timoth. II, 21 : *Si quis ergo emundaverit se ab istis, erit vas in honorem sanctificatum, et utile Domino, ad omne opus bonum paratum.* Quod si non, tandem conteret illud Dominus contritione pœnæ interminabilis in gehenna, secundum illud Isa. XXX, 13 et 14 : *Subito dum non speratur, veniet contritio ejus. Et comminuetur sicut conteritur lagena figuli contritione prævalida, et non invenietur de fragmentis ejus testa, in qua portetur igniculus de incendio, aut hauriatur parum aquæ de fovea.*

10 Tertia pars Psalmi.

« *Et nunc Reges intelligite.* » Hic est tertia pars Psalmi. Redarguto enim errore, et patefacta veritate, errantes incipit admonere : et dicuntur duo. Primo simplex admonitio, secundo efficax persuasio et inductio eorum ad consentiendum, ibi, « *Apprehendite,* etc. » Item, ad duo monet simpliciter : ad intelligentiam patefactæ veritatis, quantum ad apprehensivam, et ad venerationem cognitæ quæ respicit ad motivam, ibi, « *Servite.* »

Sed iterum intelligere est duplex : per seipsum et occultiora, et ad hoc monet primo : per alium et magis manifesta, et ad hoc monet secundo, « *Erudimini qui,* etc. »

Ait ergo : Tantus Rex et talis Christus : Ergo et vos « *Reges* » sub eo ad regendum populum constituti. Proverb. VIII, 15 : *Per me reges regnant, et legum conditores justa decernunt.* Ad Roman. XII, 1 : *Non est postestas nisi a Deo.* Et nos omnes et singuli quique quibus ad hoc ratio data est ut vos ipsos regatis. Seneca : « Vis magnum regnum, rege teipsum, « cor scilicet, linguam, et manum. »

« *Intelligite.* » Sap. VI, 2 : *Audite reges et intelligite, discite judices finium terræ,* etc. Vobis enim necessaria est intelligentia : quod ostendit Salomon qui super omnia constitutus in regno, cor intelligens et docile postulavit a Domino, III. Reg. 9 et seq. Vix autem invenitur vir constitutus in dignitate qui intelligat : turbatur enim intelligentia præ tumultu negotiorum, et inflatur amore honorum. Psal. XLVIII, 13 : *Et homo cum in honore esset, non intellexit.* Singuli etiam reges non intelligunt secundum illud Psal. XIII, 3 : *Dominus de cœlo prospexit super filios hominum, ut videat si est intelligens, aut requirens Deum*[1].

Et nota, quod tria sunt quæ faciunt bonum regem : quando fortiter contra adversarios dimicat : prudenter non tantum mala de bonis, sed de bonis meliora eligit et separat : utiliter omnia in debitum finem ordinat. Primus offert myrrham a putrefactione conservantem : secundus aurum, sapientiam subtiliter eligentem : tertius thus, intentionem debitam suaviter redolentem. Hi sunt tres Reges de quibus loquitur Matth. II, 11. — Tria munia boni principis per dona a Magis oblata figurantur.

[1] Cf. etiam Psal. XXXII, 13.

Tria regibus meditanda.

Tria autem sunt quæ debent intelligere omnes reges. Primo Dei beneficia, secundo peccata propria, tertio futura supplicia et æterna gaudia. Deuteron. xxxii, 29 : *Utinam saperent* Dei beneficia, *et intelligerent* propria peccata, *et novissima*, malorum scilicet et bonorum præmia, *providerent*. Et hoc « *nunc :* » quia Eccle. ix, 10 : *Nec ratio, nec sapientia, nec scientia* (jurisperitorum) *apud inferos quo tu properas.*

« *Erudimini qui judicatis terram.* » Per alium velitis instrui, si minus capaces estis, et de grossioribus edoceri : erudiri enim est contra ruditatem poni, vel a ruditate exui. Est autem duplex ruditas, mentis, et corporis. Ruditas mentis exuitur per doctrinam : ruditas corporis per disciplinam et afflictionem corporis : Eccli. vii, 25 : *Filii tibi sunt ? erudi illos* doctrina, *et curva illos a pueritia illorum,* correctione scilicet et disciplina. Nahum, iii, 14 : *Aquam propter obsidionem hauri tibi* (in hac doctrina quæ de puteo sacræ Scripturæ est haurienda) : *intra in lutum, et calca,* corpus scilicet proprium calcando, et ipsum edomando pœnitentia. In hoc ergo disciplina sit.

Triplex terra : inferior, media, et suprema, quomodo quælibet regenda ?

« *Erudimini qui judicatis terram,* » id est, judicare debetis terram triplicem : est enim terra inferior, de qua Job, x, 21 : *Antequam vadam et non revertar ad terram tenebrosam, et opertam mortis caligine*, etc. Ezech. xxxix, 16 : *Consolata sunt in terra infima omnia ligna voluptatis.* Et est terra media, de qua Psal. lxxiii, 12 : *Operatus est salutem in medio terræ.* Et est terra suprema, de qua in Psal. xxvi, 13 : *Credo videre bona Domini in terra viventium.* Terra infina judicanda est judicio condemnationis, ut ab ipsa omnino resilias : terra media judicio discretionis, ut quod bonum est in ea eligas, quod malum respuas : terra suprema judicio approbationis, ut toto desiderio ibi esse appetas. Cum ergo reges sic intelligunt et judicant, tunc bene regitur eorum regnum, et ad bonum finem dirigitur. Super illud Sap. vi, 21 : *Concupiscentia sapientiæ deducit ad regnum perpetuum*, Glossa : « Tunc bene regitur « Respublica, cum Philosophi regnant, « et Reges philosophantur. » Seneca : « Multos reges, si te rexeris. »

« *Servite.* » Hic est secundum in quo monet ad operationem et venerationem **II**
Dei, quæ dicitur *latria :* et est duplex : vel in exteriori opere, quod pertinet ad activam : vel in mente interius : et hæc pertinet ad contemplativam, ibi, « *Et exsultate ei.* »

Dicit ergo : Sic monui ad intelligentiam et eruditionem : sed et hoc moneo, « *Servite Domino,* » non diabolo. III Reg. xviii, 21 : *Si Dominus est Deus, sequimini eum : si autem Baal, sequimini illum.* Et « *Domino,* » non dominis. Matth. vi, 24 : *Nemo potest duobus dominis servire.* I Reg. vii, 3 : *Præparate corda vestra Domino, et servite ei soli :* hoc enim justum est, honestum, et utile. Justum, quia nos fecit. Psal. xcix, 2 : *Ipse fecit nos, et non ipsi nos.* Quia nos redemit, I ad Corinth. vi, 20 : *Empti enim estis pretio magno.* I Pet. i, 18 : *Non corruptibilibus auro, vel argento.* Honestum, Eccli. xxiii, 38 : *Gloria magna est sequi Dominum :* ipse enim est, cui servire regnare est. Utile, quia vitæ æternæ meritorium. Joan. xvii, 24 : *Pater,... volo ut ubi sum ego, et illi sint mecum*[1].

Servire Deo justum, honestum et utile.

« *Servite :* » et hoc « *cum timore.* » Cautela, ne ab ejus servitio recedatis. I ad Corinth. x, 12 : *Qui se existimat stare, videat ne cadat.* « *Cum timore* » etiam filiali et casto, de quo in Psal. xviii, 10 : *Timor Domini sanctus, permanens in*

[1] Cf. etiam Joan. xii, 26 : *Si quis mihi ministrat, me sequatur : et ubi sum ego, illic et minister meus erit.*

sæculvm sæculi. Cum timore reverentiæ qui a servo Domino debetur, Malachiæ, I, 6 : *Si Dominus ego sum, ubi est timor meus ?*

« *Et exsultate ei,* » corde jubilando, et hoc « *cum tremore.* » Ad Philip. II, 12 : *Cum metu et tremore salutem vestram operamini.* Et est tremor motus prove-

Tremor quid sit ?

niens ex motibus contrariis, timoris scilicet deprimentis, et spei sustollentis. Spes enim sublevans gaudere facit, et sursum tendere. Ad Rom. XII, 12 : *Spe gaudentes.* Timor autem animam in se resilire facit, ne lasciviat in præsumptionem. Propterea dicitur alibi in Psal. LXXXV, 11 : *Lætetur cor meum ut timeat nomen tuum.* Et nota, quod servientibus dicit ut timeant, sed contemplantibus ut tremant, quod plus : et recte : quo enim plus cognoscitur, eo magis timetur. Psal. LXIII, 7 et 8 : *Accedet homo ad cor altum : et exaltabitur Deus,* terribilior apparendo.

Quinque timoris fructus.

Nota quinque utilitates timoris. Prima est, quia peccatum expellit tanquam bonus janitor. Eccli. I, 27 : *Timor Domini expellit peccatum.* Secunda, quia expulso peccato, malarum cogitationum muscas abigit, de quibus, Eccle. X, 1 : *Muscæ morientes perdunt suavitatem unguenti.* Flabellum enim est, et flagellum quo abigebat Abraham aves, Genes. XV, 11. Tertia, quia in gratia stabilit. *Gregorius* : « Anchora cordis est pondus timoris [1]. » Eccli. XXXIV, 16 : *Qui timet Dominum, nihil trepidat.* Quarta, quia obedientiam perficit. Eccli. XV, 1 : *Qui timet Deum, faciet bona.* Eccle. VII, 19 : *Qui timet Deum, nihil negligit.* Ultima, quia ventum elationis qui ex prædictis posset surgere, reprimit, tamquam pondus suppositum lævum. Eccli. XXV, 14 : *Timor Dei super omnia se superposuit.* Propter hoc dicitur, Proverb. XXIII, 17 : *In timore Domini esto tota die.*

« *Apprehendite disciplinam.* » Hic se- 12
cunda pars exhortationis, in qua præmissa simplici admonitione, subjungitur etiam inductiva persuasio. Unde duo dicuntur : primo persuasio, secundo ratio efficax, quod acquiescendum sit persuasioni statim, ibi, « *Nequando.* »

Dicit ergo : Non solum « *servite et exsultate,* » sed etiam « *apprehendite,* » fortiter sustinendo, « *disciplinam.* » Duplex autem est disciplina : eruditionis per doctrinam, et instructionis per patientiam in flagellis, et proprii corporis afflictionem per pœnitentiam. In Psal. XVII, 36, de utroque : *Disciplina tua correxit me in finem,* quantum ad secundum modum : *Et disciplina tua ipsa me docebit,* quantum ad primum. Sic ergo disciplina et apprehensivam intellectivamque, et motivam regit et ordinat. Propter hoc dicitur ad Hebræ. XII, 11 : *Omnis disciplina in præsenti quidem videtur non esse gaudii, sed mœroris : postea autem fructum pacatissimum affert exercitatis per eam.*

Duplex disciplina, per instructionem et correctionem.

« *Nequando irascatur Dominus.* » Hic ponitur causa et ratio acquiescendi persuasioni, et est duplex : vitatio incommodi, et acquisitio commodi, ibi « *Cum exarserit.* »

Vitatio autem incommodi duplex est : quia est vitatio incommodi comparati, vel etiam absoluti, ibi, « *Et pereatis.* » Incommodum autem comparatum vel respectivum est, Deum habere iratum.

Dicit ergo : Sic monui apprehendere disciplinam, et acquiescendum esse admonitioni, « *ne irascatur Dominus, quando,* » id est, aliquando, hoc est, irati effectum in nobis exerceat. Supra enim, « *Tunc loquetur ad eos in ira sua.* » Non dicit David « *quando,* » ut dubitet, sed ut libertatem arbitrii demonstret.

[1] S. Gregorius, Lib. VI Moralium, cap. 27.

« *Et pereatis.* » Hic notatur duplex incommodum absolutum, unum quod pertinet ad pœnam, ne *pereatis*, sicut in primo Psalmo, 6 : *Iter impiorum peribit :* alterum pertinens ad culpam, quod tangitur cum dicit, « *De via justa,* » recedentes, de qua supra, I, 6 : *Novit Dominus viam justorum : et iter impiorum peribit :* de quo dictum est ibi sufficienter.

3 « *Cum exarserit in brevi.* » Hic secunda pars acquiescendi, scilicet acquisitio commodi : et tanguntur tria : promissio commodi, ibi, « *Beati omnes :* » tempus solutionis, ibi, « *Cum exarserit :* » et modus solvendi, ibi, « *In brevi.* »

Dicit ergo : « *Apprehendite disciplinam.* » Quod si non movet vos metus incommodi, saltem moveat appetitus commodi : quia illi qui confidunt in eo, beati erunt. III Reg. x, 8 *: Beati viri tui, et beati servi tui, qui stant coram te semper.* Jerem. XVII, 7 : *Benedictus vir, qui confidit in Domino.* Confidens autem in homine maledicetur, ibidem, 5 et 6 [1]. Et hoc « *cum exarserit in brevi ira ejus,* » id est, cum effectum ardentis iræ demonstrabit, scilicet in die judicii. Nunc enim non est ira ejus in ardore, sed quodam modo temperata. Job, XXXV, 15 : *Nunc enim non infert furorem suum, nec ulciscitur scelus valde :* sed tunc alter erit. Isa. XXX, 27 : *Ardens furor ejus et gravis ad portandum.* Et nota, quod ira Dei accenditur cum peccamus, sed ardet cum in peccatis morimur, sed exardescet cum corpora resumemus. Et « *hoc in brevi.* » Breve enim est totum tempus quod transit. Isa XVI, 5 : *Velociter reddens quod justum est.* Incrementa iræ Dei.

« *In brevi* » etiam dicitur, quia non singulos, unum post alterum, nec unum peccatum vel unum bonum post aliud Dominus judicabit, sed in momento discutientur omnia : et bona vel mala pro meritis recipientur : quamvis enim nos non possimus simul discutere nisi unum, Christus tamen, etiam in quantum homo, poterit cuncta simul discutere. I ad Corinth, XV, 52 : *In momento, in ictu oculi.*

[1] Jerem. XVII, 5 : *Maledictus homo, qui confidit in homine*, etc.

PSALMUS III.

David fugiens Absalom a Deo salutem sperat.

1. *Psalmus David cum fugeret a facie Absalom filii sui.*
2. Domine, quid multiplicati sunt qui tribulant me? multi insurgunt adversum me.
3. Multi dicunt animæ meæ: Non est salus ipsi in Deo ejus.
4. Tu autem, Domine susceptor meus es, gloria mea, et exaltans caput meum.
5. Voce mea ad Dominum clamavi: et exaudivit me de monte sancto suo.
6. Ego dormivi, et soporatus sum; et exsurrexi, quia Dominus suscepit me.
7. Non timebo millia populi circumdantis me; exsurge, Domine, salvum me fac Deus meus.
8. Quoniam tu percussisti omnes adversantes mihi sine causa; dentes peccatorum contrivisti.
9. Domini est salus; et super populum tuum benedictio tua.

IN PSALMUM III.

COMMENTARIUS.

1 *Psalmus David cum fugeret a facie Absalom filii sui.*

« *Domine, quid multiplicati sunt.* » Hic est Psalmus tertius cui præponitur titulus, in quo secundum superficiem videtur ostendi quæ sit causa efficiens hujus Psalmi, et tempus in quo editus est. Titulus enim est, « *Psalmus David,* » hoc est, a David factus, ecce auctor : « *cum fugeret a facie Absalom filii sui,* » ecce tempus aperte et ratio componendi Psalmum, scilicet tribulatio illata a filio Absalone, de qua habetur sermo, II Reg. xv, xvi, xvii et xviii[1].

Verius tamen secundum spiritualem intelligentiam ostenditur materia hujus Psalmi, scilicet Christus. Sed in hoc generalis materia propter hoc monstratur, et quid de Christo dicatur in hoc Psalmo, quia persecutio quam sustinuit a filio proditore, scilicet Juda, quæ persecutio figurata fuit in illa materiali superius tacta. David enim, quantum ad hoc factum pertinet, satis bene exprimit Christum propter tria. Propter affectum : sicut enim David Absalom tamquam filium diligebat, sic Christus Judam : unde sicut et alios filium vocavit. Matth. ix, 15 : *Numquid possunt filii sponsi lugere quamdiu cum illis est sponsus ?* Propter factum : sicut enim David Absalom persequentem illum, ab eo fugiens elongavit, sic Christus a Juda obstinato etiam corporaliter recessit, abiens cum aliis discipulis in montem Oliveti, Marc. xiv, 26, et spiritualiter mentem ipsius dereliquit, longe factus ab eo, et totum derelinquens diabolo occupandum. Joan. xiii, 27 : *Et post buccellam, introivit in eum Satanas.* Et propter finem : sicut enim David mortuo Absalone in pace regnavit, sic Juda suspenso, Matth. xxvii, 5, et Act. i, 18, Christus gloriosus et nihil timens ab aliquo, resurrexit, asserens de seipso illud Matth. xxviii, 18 : *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra.*

Psalmi argumentum : ad litteram David persecutionem a filio patiens, mystice Christus a Juda proditus.

Christus Davidi comparatus.

[1] « Ce psaume porte en titre le nom de son auteur et l'indication de la circonstance qui l'a inspiré. C'est un *mizmor ledavid*, un chant de David, un morceau destiné à être chanté avec des instruments, comme le donne clairement à penser le rythme très cadencé et le signe musical *sela* répété jusqu'à trois fois. Ce psaume se rapporte à la fuite de David devant Absalon révolté. Ce dernier n'est point nommé, mais on comprend très bien que David se refusât à accuser son fils. Le silence du roi sur le rebelle fait d'autant moins de difficulté que les idées exprimées dans le psaume répondent parfaitement aux données historiques qui servent de cadre à la composition. Quand Absalon se fut révolté contre son père, celui-ci fut vraiment pressé par des milliers d'hommes, et courut le plus grand danger, II Reg. xv, 13 ; xvii. 1, 12. Il fut forcé de se retirer au delà de Jourdain, et ne dut son salut qu'à la protection du Seigneur. Les sentiments consignés dans ce psaume furent bien ceux qui animaient le fugitif au milieu des périls ; on n'est point obligé de croire pourtant qu'il a composé ce psaume dans sa fuite même ; il put lui donner sa forme concise et poétique quand la paix lui fut rendue, et il écrivit alors, moins pour perpétuer le souvenir de son angoisse que pour donner à ses frères une leçon de confiance en Dieu, et laisser une expression à leurs prières quand ils se trouveraient en butte à des dangers analogues.

« Au sens spirituel, David représente le Messie, pressé et mis à mort par ses ennemis, mais ressuscitant après un cours sommeil dans le tombeau. « Cf. Noct. Domin. Resurrect. »

D. Lesêtre.

Et Judas Absaloni

Absalom etiam Judam in illo facto ratione triplici figuravit. Primo propter nominis interpretationem : interpretatur enim Absalom, *pàtris pax* : Judas autem se patri suo Christo ostendebat pacificum, quando salutans osculatur eum, Matth. xxvi, 49. Ratione operis : quia sicuti Absalom contra patrem suum exercitum congregavit, sic Judas acceptis cohortibus et ministris contra Christum venit, Joan. xviii, 3. Et ratione finis : uterque enim suspendio interiit.

Sensus ergo tituli hic est, « *Psalmus David,* » hoc est, de vero David est Psalmus iste : et hoc quantum ad persecutionem quam sustinuit a Juda proditore, a quo et corporaliter et spiritualiter recessit.

Divisio psalmi.

Notandum autem, quod Psalmus iste totus in duas partes dividitur : agitur enim primo de pugna quam Christus sustinuit in sua passione, secundo de victoria, et triumpho reportato ex illa in sua Resurrectione, ne credatur succubuisse, versu quinto, « *Ego dormivi,* etc. »

Rectus ordo : in primo enim Psalmo actum est de beatitudine, in secundo de persecutione et tribulatione per quam venitur ad beatitudinem : in hoc de Christi pugna et passione, quæ est ratio et causa quare per tribulationem ad beatitudinem pervenitur.

Prima pars sic dividitur in duas partes : omnis enim pugna partes habet. Primo ergo agitur de parte impetente Christum, secundo de defendente, versu tertio, « *Tu autem Domine.* »

In prima parte duo : primo monstratur impetentium numerositas, secundo, impugnationis multiplicitas : primo, facto, ibi, « *Multi insurgunt :* » secundo, verbo, ibi, « *Multi dicunt.* »

2 Ait ergo Christus ad Patrem loquens : « *Domine quid multiplicati sunt, qui tribulant me ?* » Littera Hieronymi, « hostes mei, Scribæ, et Pharisæi, Pilatus, « milites crucifigentes, et Judæorum « plebs. » Psal. cxviii, 69 : *Multiplicata est super me iniquitas superborum.* Et alibi, ℣. 157 : *Multi qui persequuntur me et tribulant me.* Et ibi, ℣. 2 : « *Multi insurgunt adversum me.* » Facto : Psal. xxvi, 12 : *Insurrexerunt in me testes iniqui.* Dicitur enim proprie insurgere ad nocendum, consurgere ad auxiliandum, assurgere ad honorandum. Et nota, quod hostes Christi, mali scilicet, multiplicati sunt numero, rebus, peccatis, tandem suppliciis. Numero : Matth. xx, 16 : *Multi sunt vocati, pauci vero electi.* Et in Psal. lxviii, 5 : *Multiplicati sunt super capillos capitis mei.* Eccle. i, 15 : *Stultorum infinitus est numerus.* Rebus : Psal. iv, 8 : *A fructu frumenti, vini, et olei sui multiplicati sunt.* Job, xii, 6 : *Abundant tabernacula prædonum, et audacter provocant Deum.* Peccatis : secundum illud Psal. lxviii, 28 : *Appone iniquitatem super iniquitatem eorum.* Eccli. iii, 29 : *Cor nequam gravabitur in doloribus, et peccator adjiciet ad peccandum.* Secundum illud Eccli. v, 5 : *Fili... ne adjicias peccatum super peccatum.* Suppliciis : Psal. cviii, 29 : *Operiantur sicut diploide, confusione sua.* Job, xxiv, 19 : *Ad nimium calorem transeat ab aquis nivium.* Isa. lxvi, 24 : *Vermis eorum,* etc.

Hostes Christi multi et varie multiplicati.

3 « *Multi dicunt animæ meæ,* » impugnando me opprobrioso verbo, « *Non est salus ipsi in Deo ejus,* » id est, salus qua salvat alios, non est ipsi a Deo ejus, qui ejus Pater est, sicut dicitur, Matth. xii, 24 : *Hic non ejicit dæmones nisi in Beelzebub principe dæmoniorum.* Vel ipsi animæ ejus non est salus in Deo ejus, id est, in eo quem sibi Deum dicit, salvari non poterit. Sap. ii, 13 : *Promittit se scientiam Dei habere, et Filium Dei se nominat.* Et post pauca, ℣. 17 : *Videamus ergo si sermones illius veri sunt.* Matth. xxvii, 40 : *Si Filius Dei es, descende de cruce.* Luc. xxiii, 39 : *Si tu es Christus, salvum fac temetipsum.* Sic im-

pletum est illud Jerem. xii, 8 : *Facta est mihi hæreditas mea quasi leo in silva : dedit contra me vocem.* Ezechiel. xxxv, 13 : *Insurrexistis super me ore vestro.*

Mira Christi persecutio, quia gratuito mala.

Nota, quod vere mirandum, quod Christus invenerit impugnantem. Primo, propter naturæ conformitatem, quam ad nos habuit. Eccli. xiii, 19 : *Omne animal diligit simile sibi : sic et omnis homo proximum sibi.* Ad Philip. ii, 7, dicitur de Christo : *Semetipsum exinanivit formam servi accipiens,... et habitu inventus ut homo.* Secundo, quia nihil omnino contra hominem commisit. Mich. vi, 3 : *Popule meus quid feci tibi, aut quid molestus fui tibi ? responde mihi.* Item nihil eorum quæ debuit facere, omisit. Isa. v, 4 : *Quid est quod ultra debui facere vineæ meæ, et non feci ?* Genes. i, 31 : *Viditque Deus cuncta quæ fecerat : et erant valde bona.* Marc. vii, 37 : *Bene omnia fecit.* Item, omnimodam innocentiam habuit, cui etiam ignis habens vim irrationabilem parcit. Daniel. iii, 50 : *Et non tetigit eos omnino ignis, neque contristavit.* Item, in visu fuit amabilis, quia speciosus. Psal. xliv, 3 : *Speciosus forma præ filiis hominum.* Formositas ejus naturalis causa amoris, non persecutionis. Eccli. xl, 22 : *Gratiam et speciem desiderabit oculus.* In sermone suavis. Psal. cxviii, 103 : *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua !* et Eccli. vi, 5, dicitur : *Verbum dulce multiplicat amicos, et mitigat inimicos.* Omnibus liberalis et largus. Psal. cxliv, 16 : *Aperis tu manum tuam : et imples omne animal benedictione.* Proverb. xix, 6 : *Multi colunt personam potentis, et amici sunt dona tribuentis.* Miror ergo, quod impugnatus sit, cum omnes causas amoris haberet, et nullam odii. Psal. cxix, 7 : *Cum loquebar illis, impugnabant me gratis.* Psal. cxviii, 161 : *Persecuti sunt me gratis.* Propter hoc dicitur in Isa. xxi, 4 : *Babylon dilecta mea posita est mihi in miraculum.* Jerem. v, 30 : *Stupor et mirabilia facta sunt in terra.*

« *Tu autem Domine susceptor*, etc. » 4
Hic subjungitur de defendente, quod fuit dupliciter, scilicet divina consolatio contra impugnantes facto, efficax oratio contra impugnantes verbo, ibi, « *Voce mea.* » Divina consolatio constat ex tribus, ex naturæ humanæ unione cum divina, ex gloriosa fruitione gloriæ, et ex potestativa sublimatione, ibi, « *Et exaltans.* »

Duplex auxilium contra impugnantes Christum : consolatio divina, et oratio.

Dicit ergo : Sic me persequuntur, sed non succumbo : quia « *tu Domine susceptor meus es,* » in identitate personæ Filii tui, naturam meam assumendo, secundum illud Psal. lxiv, 5 : *Beatus quem eligisti et assumpsisti : inhabitabit in atriis tuis.* Hæc est susceptio quam in persona generis humani petebat David alibi, Psal. cxviii, 116, dicens : *Suscipe me secundum eloquium tuum, et vivam.*

« *Gloria mea,* » beatam et gloriosam fruitionem mihi ex eadem unione conferendo, quæ est vera gloria. II ad Corinth. x, 17 : *Qui gloriatur, in Domino glorietur.* Et Jerem. ix, 24 : *In hoc glorietur qui gloriatur, scire et nosse me.* Et Christus dicit de se, Matth. xi, 27 : *Neque Patrem quis novit, nisi Filius.* Et Joan. i, 18 : *Deum nemo vidit umqnam : unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit nobis.* Sic tu gloria mea, et ego tua. Isa. xlix, 3, secundum aliam litteram : « Ecce puer meus, Israel, gloria mea in qua gloriabor. [1] » Proverb. x, 1 : *Filius sapiens lætificat patrem.*

« *Et exaltans caput meum,* » plenam et potestativam dominationem mihi tribuendo. In Psal. viii, 8 : *Omnia subjecisti sub pedibus ejus* [2]. Et alibi in Psal.

[1] Vulg. Isa. xlix, 3 : *Servus meus es tu Israel, quia in te gloriabor.*

[2] Cf. etiam Epist. ad Hebr. i, 13 : *Ad quem autem Angelorum dixit aliquando : Sede a dextris meis, quoadusque ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Psal. cix, 1 ; I ad Cor. xv, 25.

XLV, 11 : *Exaltabor in Gentibus, et exaltabor in terra.* Et hoc justum, quia humiliatus sum in mea passione. Psal. CIX, 7 : *De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput.* Et ad Philip. II, 7, 8 et 9 : *Semetipsum exinanivit formam servi accipiens :... factus obediens* Patri *usque ad mortem :... propter quod et Deus exaltavit illum,* etc.

cus mo- s de in- u dæmo- num.

Et nota moraliter, quod hostes spirituales multiplicantur. Primo contra animam in peccati suggestione : insurgunt autem in consensu et delectatione, sed dicunt : « *Non est salus ipsi,* » salus « *in Deo* » in peccati perpetratione. Propter primum, dicitur in Psal. CXVIII, 69 : *Multiplicata est super me iniquitas superborum.* Propter secundum, dicitur illud Psal. XXVI, 3 : *Si exsurgat adversus me prælium.* Propter tertium, Thren. II, 16 : *Aperuerunt super te os suum omnes inimici tui : sibilaverunt et fremuerunt dentibus, et dixerunt : Devorabimus : en ista est dies quam exspectabamus : invenimus, vidimus.*

Sed Prælatus debet esse susceptor subditi sic tentati. Proverb. XI, 30 : *Qui suscipit animas, sapiens est.* Isa. XL, 11 : *In sinu suo levabit agnos, fœtas ipse portabit.* Debet esse gloria suscepti, ipsum adjuvando orationibus suis, et liberando a tentatione. Judith, XV, 10 : *Tu gloria Jerusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri.* Et, ut impleatur in humili subdito illud Proverb. XXIX, 23 : *Humilem spiritu suscipiet gloria,* debet esse exaltans caput ipsum, ad superiora per exemplum bonum sublevando, ut sic amplius non timeat recidivum. Proverb. I, 17 : *Frustra jacitur rete ante oculos pennatorum.*

or is

« *Voce mea ad Dominum clamavi.* » Hic secundum in quo agitur de efficaci oratione : et primo tangitur orationis modus, secundo fructus, ibi, « *Et exaudivit.* »

partes et circumstantiæ.

Modus ostenditur in quatuor : primo, quia abfuit superfluitas, quod notatur in hoc quod dicitur, « *Voce.* » Secundo, quia affuit puritas, quod notatur in hoc quod dicitur « *Mea,* » scilicet materia secreta. Tertio, quia abfuit vanitas, quod notatur in hoc quod dicit, « *Ad Dominum.* » Quarto, quia affuit devotio, quæ notatur in hoc quod dixit, « *Clamavi.* »

Dicit ergo : Sic, Domine, fuit a parte tui consolatio, a parte mei oratio, non in superfluitate verborum, quia « *voce* » non vocibus. Matth. VI, 7 : *Orantes autem nolite multum loqui, sicut ethnici : putant enim, quod in multiloquio suo exaudiantur.* « *Voce mea,* » qui purus et mundus sum a peccato solus. I Pet. II, 22 : *Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus* [1]. Non enim audis peccatores in peccatis permanere volentes. Joan. IX, 31 : *Scimus quia peccatores Deus non audit.* Isa. I, 15 : *Cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam : manus enim vestræ sanguine plenæ sunt.*

« *Et ad Dominum,* » ut esset oratio in secreto. Matth. VI, 6 : *Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio ora Patrem tuum in abscondito.* Et alibi, in Psal. XVII, 7 : *Clamor meus in conspectu ejus* (non hominum) *introivit in aures ejus.* Sed quamvis in abscondito, tamen « *clamavi* » fervore cordis et devotione. Notandum enim, quod clamor aliquando dicitur improprie, scilicet causa clamoris. Genes. IV, 10 : *Vox sanguinis fratris tui* (Abel) *clamat ad me de terra.* Et illud Genes. XVIII, 21 : *Descendam et videbo utrum clamorem qui venit ad me, opere compleverint.* Et rursus, Jacob. V, 4 : *Ecce merces operariorum qui messuerunt regiones vestras, quæ fraudata est a vobis, clamat.* Et est

[1] Cf. Isa. LIII, 9 : *Eo quod iniquitatem non fecerit, neque dolus fuerit in ore ejus.*

clamor duplex : cordis, scilicet fervor et devotio. Sic Susanna tacens ore, clamabat corde, Daniel. XIII, 42. Sic Moyses Pharaone persequente, cui dictum est, Exod, XIV, 15 : *Quid clamas ad me?* Et est clamor oris qui bonus est quando jungitur cum clamore cordis, quo clamavit Christus homo ad Deum Patrem, et seipsum Deum idem homo. Matth. XXVII, 46 : *Clamavit Jesus voce magna, dicens : Eli, Eli.* Et ad Hebræ. V, 7 : *Cum clamore valido, et lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia.* Si solus sit clamor oris, parum valet. Amos. V, 23 : *Aufer a me tumultum carminum tuorum : et cantica lyræ tuæ non audiam.* Proverb. I, 28 : *Tunc invocabunt me, et non exaudiam.* Quare? Propter illud Isa. XXIX, 13 : *Appropinquat populus iste ore suo, et labiis suis glorificat me, cor autem ejus longe est a me.* Et illud Jerem. XII, 2 : *Prope es tu ori eorum, et longe a renibus eorum.*

« *Et exaudivit me de monte.* » Ecce fructus orationis. « *Exaudivit* ergo *me de monte sancto suo,* » id est, de cœlo, qui mons dicitur ratione stabilitatis et propriæ firmitatis : unde in Psal. XXXV, 7 : *Justitia tua, sicut montes Dei.* Vel mons appellatur misericordia, ratione elevationis super justitiam. Jacobi, II, 13 : *Superexaltet autem misericordia judicium.* Vel « *de monte sancto suo,* » id est, de meipso. Ac si dicat : Me hominem exaudivit Deus de me, hoc est existens in me, qui dicor mons ratione omnium virtutum, et mons excellentior super omnes. Daniel. II, 34 : *Abscissus est lapis de monte sine manibus,* Christus scilicet conceptus et natus de Virgine absque humanis actionibus, venit in montem magnum. Isa. II, 2 : *Erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, et elevabitur super colles,* etc.

6 Secunda pars Psalmi.

« *Ego dormivi et soporatus sum.* » Hic secunda pars Psalmi, in qua agitur de victoria. Sed quia victoriam aliquando sequitur vanitas, non utilitas, IV Reg. XIV, 10 : *Invaluisti super Edom, et sublevavit te cor tuum :* primo describitur victoria capitis, secundo utilitas totius corporis, versu ultimo, « *Domini est salus.* »

Item, in prima parte duo ponuntur. Primo, ostendit Christus quod in illo non succubuerit : secundo, quod prævaluerit, ibi, « *Quoniam tu percussisti.* »

Et in prima dicitur primo, quod non succubuerit corpore, quia detentus non est in morte : secundo, quod nec in mente, quia non percussus fuit timore, ibi, « *Non timebo.* »

In prima dicuntur quatuor : primo confitetur se mortuum, secundo sepultum, quod plus est, ibi, « *Et soporatus :* » tertio, nihilominus in morte non detentum, ibi, « *Et exsurrexi :* » quarto, rationem subjungit, quare detentus non sit, ibi, « *Quia Dominus.* »

Variæ somni ex Scriptura acceptiones.

Ait ergo : Talis fuit pugna ; et « *ego dormivi* » in illa somno mortis. Notandum enim, quod est somnus naturæ, de quo dicunt discipuli, Joan. XI, 12 : *Si dormit, salvus erit.* Et est somnus culpæ, de quo dicit Paulus ad Ephes. V, 14 : *Surge qui dormis.* Et est somnus pigritiæ, de quo Proverb. VI, 9-10 : *Usquequo piger dormies?... Paululum dormies, paululum dormitabis.* Et XXIV, 33, similiter. Et est somnus gratiæ, Cant. V, 2 : *Ego dormio, et cor meum vigilat.* Et gloriæ, Act. VII, 60 : Stephanus *obdormivit in Domino.* Et est somnus tribulationis et tædii, Matth. XXVI, 40 : *Venit ad discipulos* Jesus, *et invenit eos dormientes :* cujus rei ipse Matthæus in ℣. 43, reddit causam : *Erant enim oculi eorum gravati,* et hoc propter tribulationem et tædium. Et est somnus mortis, de quo hic et in Psal. LXXV, 6 : *Dormierunt somnum suum : et nihil invenerunt omnes viri divitiarum,* etc.

Mors Christi aptissime somnus dicitur.

Dicitur autem mors Christi dormitio sive somnus : primo, quia sicut homo voluntarius ad somnum vadit, sic Chri-

tus ad mortem spontaneus accessit. Isa. LIII, 7 : *Oblatus est, quia ipse voluit.* Joan. X, 18 : *Nemo tollit eam,* scilicet animam meam, *a me, sed ego pono eam.* Secundo, propter facilitatem resurgendi : sicut enim homo a somno de facili excitatur, sic Christus de sepulcro. Hinc dicebat, Joan. XI, 11, Lazarum dormire cum esset mortuus, et Archisynagogi filiam mortuam similiter dormientem (Matth. IX, 24). Tertio, propter corporis integritatem : in somno enim corpus non corrumpitur, nec putrescit, ut in morte : sic nec Christi corpus putrefactum est in separatione animæ ; unde in Psal. XV, 10 : *Nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem.* Quarto et ultimo ex fortificatione corporis, quam contraxit ex dulci quiete : quia primo passibilis, omnino impassibilis resurrexit de morte. Ad Rom. VI, 9 : *Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur.* Propter hoc dicitur in persona ejus, Jerem. XXXI, 26 : *Quasi de somno suscitatus sum, et vidi,* supple, dejectionem inimici : *et somnus meus dulcis mihi.*

« *Et soporatus sum,* » sepultus et clausus in lapide, tamquam mortuus et detinendus morte, sicut soporatus in somno. Matth. XXVII, 59 et 60 : *Accepto corpore, Joseph involvit illud in sindone munda. Et posuit illud in monumento suo novo, quod exciderat in petra. Et advolvit saxum magnum ad ostium monumenti.* Hæc soporatio *sessio* dicitur alibi, in alio Psal. CXXXVIII, 2 : *Cognovisti sessionem meam.* Hic est gravis sopor, qui irruit super Abraham quando sacrificium Deo obtulerat, Genes. XV, 12. Hic est sopor Adæ, quo soporatus est, Genes. II, 21, cum Eva de latere ejus formata est. Christo enim soporato, Ecclesia formata est de Christo.

« *Et exsurrexi,* » corpus proprium resumendo, et gloria induendo : nec hoc illa virtute quia homo sum, sed quia « *Dominus suscepit me,* » id est, naturam meam in unitatem personæ. Isa. XLII, 1 : *Ecce servus meus, suscipiam eum.* Genes. XLIX, 9 : *Requiescens accubuisti ut leo, et quasi leæna, quis suscitabit eum?* Hæc suscitatio Christi hominis de sepulcro a Deo, figurata fuit in Jona, quem cetus virtute divina post triduum evomuit (Jon. II, 11).

Et nota moraliter, quod dormit homo, primo in peccato delectando, soporatur contemnendo, sed tamen exsurgit pœnitendo, et Dominus eum tandem suscipit glorificando. Hanc susceptionem optabat, qui dicebat in Psal. CXVIII, 122 : *Suscipe servum tuum,* etc. Item, dormit anima contemplando. Cant. V, 2 : *Ego dormio, et cor meum vigilat.* Soporatur in contemplatione quiescendo et morando. Cant. VIII, 4 : *Adjuro vos filiæ Jerusalem, ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit.* Sed exsurgit ad actionem redeundo. Cant. VII, 12 : *Mane surgamus ad vineas.* Et Dominus suscipit in actione conservando a peccato. Psal. XC, 2 : *Susceptor meus es tu, et refugium meum : Deus meus sperabo in eum.*

« *Non timebo millia populi.* » Hic secundum, in quo ostendit, quod nec mente succubuit. Sed quia timoris carentia aliquando est ex confidentia in semetipso, quod est temeritas, aliquando vero ex sufficienti adjutorio, quod est securitas, duo hic dicuntur. Primo ostendit se timidum primo modo : secundo, non timidum secundo modo, quia in Deo confisum, ibi, « *Exsurge Domine.* »

Ait ergo : Sic exsurrexi, id est, exsurgam (præteritum pro futuro) corpore, et « *non timebo millia populi,* » id est, multitudinem quamlibet « *circumdantis me* » ad perdendum. Circumdederunt enim Christum populi sicut canes oblatrantes, sicut tauri pingues cornibus impetentes. Psal. XXI, 13 : *Circumdederunt me vituli multi, tauri pingues obsederunt me.* Et ℣. 17 : *Circumdederunt me canes multi.* Circumdederunt sicut apes pungentes. Psal. CXVII, 12: *Circumdederunt me sicut apes* : et sicut gla-

dii ad intima penetrantes. Job, xvi, 14 : *Circumdedit me lanceis suis, convulneravit lumbos meos, non pepercit, et effudit in terra viscera mea.* Thren. iii, 5 : *Ædificavit in gyro meo, et circumdedit me.*

« *Exsurge Domine.* » Quasi diceret : Non erit ex me hæc securitas, sed ex te, quare o « *Domine exsurge,* » id est, expergiscere : etsi aliquantulum quasi dormiens videaris. Psal. lxxvii, 65 : *Et excitatus est tamquam dormiens Dominus, tamquam potens crapulatus a vino.* Vel sic, « *Non timebo.* » Sed hoc non possum, nisi per te : propter quod rogo, « *Exsurge Domine,* » id est, fac me exsurgere : dicitur enim Deus facere, quod in nobis facit ipse. Ad Roman. viii, 26 : *Spiritus postulat pro nobis,* id est, postulare nos facit.

Et sic,

« *Salvum me fac Deus meus,* » salvum corpore, ipsum a putrefactione conservando : mente, ipsam animam ab inferis revocando. Psal. xv, 10 : *Non derelinques animam meam in inferno : nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem.*

8 « *Quoniam tu percussisti omnes.* » Ecce secundum, in quo ostendit, quod non tantum non succubuit, sed et prævaluit in pugna : et primo quod prævaluit contra impugnantes facto : secundo, contra impugnantes verbo, ibi, « *Dentes peccatorum contrivisti.* »

Ait enim : Sic non succubui, imo prævalui : « *Quoniam tu percussisti omnes adversantes mihi.* » Psal. lxxvii, 66 : *Percussit inimicos suos in posteriora : opprobrium sempiternum dedit illis.* Jerem. xlviii, 38 : *Contrivi Moab sicut vas inutile.* Moab ex patre populum significat Judæorum, cui dictum est, Joan. viii, 44 : *Vos ex patre diabolo estis.* Et recte percussus est qui percussit. Mich. v, 1 : *In virga percutient maxillam judicis Israel.*

« *Percussisti,* inquam, *omnes adversantes mihi sine causa.* » Joan. xix, 6 : *Non invenio in eo causam,* mortis scilicet. Et de eodem, Joan. xv, 25 : *Quia odio habuerunt me gratis.* Percussi ergo sunt, nec correcti. Jerem. v, 3 : *Percussisti eos, et non doluerunt : attrivisti eos, et renuerunt accipere disciplinam.* Proverb. xxiii, 35 : *Verberaverunt me, sed non dolui : traxerunt me, et ego non sensi.*

« *Dentes peccatorum contrivisti.* » Quasi diceret : Non tantum impugnantes facto percussisti, sed detractores verbo me impugnantes, quasi ad nihilum redegisti. Isa. xxxiii, 14 : *Conterriti sunt in Sion peccatores,* detractores scilicet qui per dentes designantur.

Dentibus raptores interdum vel prædicatores et Scriptura significantur, et varia utriusque comparationis ratio.

Notandum enim, quod sunt mali dentes, et boni. Mali multipliciter detractores, sicut hic dicitur, et alibi in Psal. lvi, 5 : *Dentes eorum arma et sagittæ.* Proverb. xxx, 14 : *Generatio, quæ pro dentibus gladios habet.* Dentes etiam sunt raptores. Job, xxix, 17 : *Conterebam molas iniqui, et de dentibus illius auferebam prædam.* Nota, quod tangit molas et dentes. Dentes enim vicissim sunt raptores : sed dentes molares sunt, qui rapta comedunt, conterunt et consumunt. Isa iii, 15 : *Quare atteritis populum meum, et facies pauperum commolitis, dicit Dominus Deus exercituum ?*

Dentes autem boni, sunt prædicatores veritatis et doctores. Cant. iv, 2 : *Dentes tui sicut greges tonsarum quæ ascenderunt de lavacro, omnes gemellis fœtibus,* etc. Isti sunt dentes Moysis, qui numquam moti sunt, Deuteron. xxxiv, 7. Debent enim in Christo firmissime fundari. Sed conqueritur, Thren. iii, 16 : *Fregit ad numerum dentes meos,* Prælatos scilicet et Doctores diabolus.

Alii dentes sunt putrefacti per luxuriam, et conversationem in temporalibus, quæ stercora sunt. Proverb. xxv, 19 : *Dens putridus, et pes lassus, qui sperat super infideli in die angustiæ.*

Debent autem isti dentes esse innocentia candidi, charitate conjuncti, justitia

ordinati, constantia firmi, fortitudine ossei, peccatorum corrosivi doctrina et veritate.

9 « *Domini est salus.* » Hic est secundum secundæ partis Psalmi, in quo agitur de victoria. Tangitur enim utilitas corporis consecuta ex victoria mentis : et tangitur duplex utilitas : prima, instructio, ut speremus simile : secunda, oratio, ut speratum obtineamus, ibi, « *Et super populum.* »

Dicit ergo : Sic victoriam assecutus sum. Propter hoc, o vos mei, scire debetis, « *quod Domini est salus,* » id est, a Domino : et hoc ab ipso solo, non a nobis. Osee, XIII, 9 : *Perditio tua,* ex te scilicet, *Israel : tantum ex me auxilium tuum.* In solo enim Deo salus est. Osee, XIII, 4 : *Deum absque me nescies, et salvator non est præter me,* et in Christo qui Deus est. Act. IV, 12 : *Non aliud nomen est in cœlo datum hominibus, in quo opporteat nos,* credentes scilicet, *salvos fieri.* Isa. XLIX, 6 : *Dedi te in lucem Gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ.* Psal. LIII, 3 : *Deus in nomine tuo salvum me fac.*

« *Et super populum tuum benedictio tua.* » Quasi dicat : Salus est a Domino : et propter hoc rogo te Domine, dicit Filius ad Patrem, ut super populum meum qui tuus est (Joan. XVII, 10 : *Mea omnia tua sunt, et tua mea sunt*), sit benedictio tua. Benedictio, inquam, Jacob, non Esau, Genes. XXVII, 27. Benedictio scilicet dexteræ, ut eis conferatur gratia in præsenti, et gloria in futuro. Et respondet Pater, Isa. XLIV, 3 : *Effundam spiritum meum super semen tuum,* gratiam conferendo : *et benedictionem meam super stirpem tuam,* in gloria consummando. Num. VI, 24, 25 et 26, tanguntur hæc duo : *Benedicat tibi Dominus, et custodiat te,* quantum ad gratiam liberantem a peccato præterito, et conservantem a futuro. *Ostendat Dominus faciem suam tibi, et convertat vultum suum ad te, et det tibi pacem.* Ostendat faciem suum rationabili, convertat vultum suum ad te, bonitatem suam largiens concupiscibili, et det tibi pacem in irascibili : ut sic fiat rationabili plenitudo lucis, et concupiscibili plenitudo suavitatis, et irascibili plenitudo pacis.

PSALMUS IV.

David hortatur ad pacem et omnia bona speranda.

1. *In finem in carminibus, Psalmus David.*
2. Cum invocarem, exaudivit me Deus justitiæ meæ; in tribulatione dilatasti mihi.
   Miserere mei, et exaudi orationem meam.
3. Filii hominum, usquequo gravi corde? ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium?
4. Et scitote quoniam mirificavit Dominus sanctum suum; Dominus exaudiet me cum clamavero ad eum.
5. Irascimini, et nolite peccare [1]; quæ dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini.
6. Sacrificate sacrificium justitiæ, et sperate in Domino; multi dicunt: Quis ostendit nobis bona?
7. Signatum est super nos lumen vultus tui Domine: dedisti lætitiam in corde meo.
8. A fructu frumenti, vini, et olei sui, multiplicati sunt.
9. In pace in idipsum dormiam, et requiescam.
10. Quoniam tu Domine singulariter in spe constitui me.

[1] Ad Ephes. IV, 26.

IN PSALMUM IV

COMMENTARIUS.

1 *In finem in carminibus, Psalmus David.*

« *Cum invocarem.* » Psalmus quartus, cui præponitur titulus tertius, « *In finem in carminibus, Psalmus David*[1]. » Ad cujus evidentiam notetur diligenter Glossa super hoc adjuncto, quod est « *finis.* » Finis est multiplex : temporis, I ad Corinth. x, 11 : Nos sumus *in quos fines sæculorum devenerunt.* Loci, Sap. viii, 1 : *Attingit a fine usque ad finem fortiter.* Consummationis, ad Rom. x, 4 : *Finis legis, Christus ad justitiam.* Isa. xxxii, 10 : *Consummata est vindemia, collectio ultra non veniet.* Et causa finalis, Apocalyp. i, 8 : *Ego sum Alpha et Omega, principium, et finis.*

Ordo hu Psalmi cum su rioribu connexi notand

Psalmus autem sic ordinatur ad prædictos. Cum enim actum sit de beatitudine in primo Psalmo, de tribulatione per quam venitur ad beatitudinem, in secundo : de Christi passione quæ est ratio perveniendi per tribulationem, in tertio : in hoc quarto agitur de influentia in membra propria, a capite Christo, ut per hoc ostendantur per ipsum tracta ad gloriam, quorum membra perveniunt ad illam. Joan. iii, 13 : *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo,* etc.

Argume tum Psalmi de Chris omne bo num ess

Dividitur autem in tres partes. Primo ostenditur influentia bonorum a capite in membra. Secundo, increpatio membrorum convertentium se ad infima et vana, a quibus in ipsos nulla boni influentia, ibi, « *Filii hominum.* » Tertio, exhortatio increpatorum, ut convertantur ad Christum a quo bona illa influunt, et recipiunt illa, ibi, « *Et scitote.* »

In prima parte tria dicuntur. Primo, ostenditur quod a Christo est boni inchoatio : secundo, quod ab eodem in bonum est promotio, ibi, « *In tribulatione di-* « *latasti :* » tertio, postulatur ab eo in bonum consummatio, ut sic innuatur, quod ab eodem est, ibi, « *Miserere mei.* »

Ait ergo : Vere passionis et victoriæ fructus salus est benedictio : quia « *cum invocarem,* », non exterius ore, sed interius corde. 2

Prima pars Psalmi.

[1] « Ce psaume à la plus grande analogie avec le précédent, et presque tous les auteurs admettent comme à peu près certain qu'il a été composé pendant la révolte d'Absalon, et non, comme le pense Eusèbe, après la victoire de David sur son fils ; car David s'adresse ici à des hommes qui méconnaissent sa dignité et sont encore en état de rebellion. Le psaume précédent était un cantique du matin, celui ci est un cantique du soir, vers. 9, que pour cette raison l'Eglise a inséré dans son office des Complies.

« Il est adressé *lamnatzach*, au maître de chant chargé d'exercer les lévites, et il doit être chanté *binginot*, sur les instruments à cordes, c'est-à-dire, avec un accompagnement d'instruments à cordes, dont les sons suaves et paisibles conviendront très bien à un cantique qui précède le sommeil.

« Les *sela* qui se trouvent à la 2[e] strophe, vers. 2 et 3, et à la 4[e], vers. 5 et 6, y ont leur place obligée : rien de plus dramatique que cette pause ou cet interlude après la question du psalmiste, et après l'invitation qu'il fait aux pécheurs de rentrer dans leur conscience.

« Dans ce psaume, David est le modèle des persécutés, et le type du Messie qui se repose au tombeau après les vains efforts de ses ennemis contre lui. Cf. Sabbat. sanct. 1 Noct. Voir une belle application dans St-Augustin, Confess. ix, 3-7. »

D. Lesêtre.

« *Exaudivit me Deus justitiæ meæ.* » Joel. II, 32 : *Omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit.* Invocat autem, qui jam intus habet quod vocat : habens autem qui vel existens in peccato jam habere desiderat, vel existens in gratia plus habere desiderat : alias non invocat, nec exauditur si orat. Unde Augustinus in originali : « Cum invocat quem intus « non habet, hoc est, nullo modo habet : « venit Deus ut puniat, non ut gratiam « conferat. Nec mirum si exaudit illum « qui intus vocat : quia aures habet ad « desiderata ejus qui corde clamat. » Psal. XXXIII, 16 : *Et aures ejus in preces eorum.* Et alibi, IX sec. Hebr. 18 : *Præparationem cordis eorum audivit auris tua.* Propter hoc dicitur, Isa. LXV, 24 : *Eritque antequam clament, ego exaudiam.*

Varie exaudit ad votum, et meritum, et exitum.

Nota, quod exaudit Deus aliquando ad votum, hoc est, facit quod petitur, sed non ad meritum. Sic exaudivit dæmones quos in porcos misit, Matth. VIII, 32. Aliquando ad votum et meritum, sed non ad exitum, ut patres Veteris Testamenti petentes vitam æternam, quos exaudivit cum rogarent, et meritum vitæ æternæ tribuit : sed petitio eorum in actum non exivit : descendebant enim ad limbum ante Christi passionem, a quo sunt tunc liberati. Zachar. IX, 11 : *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua.* Aliquando exaudit ad votum et meritum et exitum, sicut modernos sanctos. Luc. XI, 9 : *Petite, et dabitur vobis.*

Igitur, « *cum invocarem, exaudivit me Deus justitiæ meæ* » dator et conservator, augmentator et remunerator : ab ipso enim totum est. Jacob. I, 17 : *Omne datum optimum*, etc. 1 ad Corinth. IV, 7 : *Quid habes quod non accepisti?*

« *In tribulatione dilatasti mihi.* » Nota, quod convertit sermonem ad Dominum, ut ostendat, fervorem animi ad ipsum, et habere se in corde illum de quo loquebatur aliis : et est sensus, sic exaudivit me justitiam conferens, et etiam in collata justitia promovit illam dilatans in me, qui ad ipsum me convertens confiteor dicens : « *In tribulatione,* » in qua angustiabar in corpore, « *dilatasti mihi,* » conferens gaudium in mente. Sic dilatatus erat qui dicebat ad Rom. V, 3 : *Glorificamur in tribulationibus : scientes quod tribulatio patientiam operatur*, etc. Sic dilatari nos volebat Jacob. I, 2 : *Omne gaudium existimate fratres mei*, etc.

Dilatantur mali et boni tripliciter : corde, ore, et opere.

Unde notandum est, quod est dilatatio malorum, et est triplex : cordis, per dissecationem et appetitum divisorium. Osee, X, 2 : *Divisum est cor eorum, nunc interibunt.* Et oris, per detractionem et jactantiam. Psal. XXXIV, 21 : *Et dilataverunt super me os suum.* Jerem. IX, 3 : *Et extenderunt linguam suam quasi arcum mendacii.* Et operis. Matth. XXIII, 5 : *Dilatant enim phylacteria sua, et magnificant fimbrias.*

Boni etiam dilatantur tripliciter : corde et ore : de quibus duobus, II ad Corinth. VI, 11 : *Os nostrum patet ad vos, o Corinthii,* tamquam dilatatum in prædicatione : *cor nostrum dilatatum est*, in charitate. Et opere, Psal. XVII, 37 : *Dilatasti gressus meos subtus me.* Sicut enim malleus non destruit, sed dilatat aurum vel argentum, sic nec tribulatio virum justum.

« *Miserere mei.* » Ecce tertium in quo petit perfectam consummationem, quæ est in duobus modis : in remotione omnis mali, et adeptione omnis boni, ibi, « *Exaudi orationem meam.* »

Ait ergo : Sic invocans adeptus sum justitiam, et justitiæ promotionem. Sed hoc rogo o Domine, « *miserere mei,* » amovendo omnem miseriam et culpæ et pœnæ, sub qua gemebat Paulus, ad Rom. VII, 24 : *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Nec petit hoc ut amoveatur miseria penitus quamdiu est in hac vita : hoc enim non est utile. Act. XIV, 21 : *Per multas tribulationes*, etc., et Matth. VII, 14 : *Quam an-*

gusta porta, et arcta via est quæ ducit ad vitam. Et Bernardus dicit : « Delicatus « est miles qui hic vult gaudere cum « mundo, et regnare cum Christo. »

Sed petit ut hoc sit in alia.

Oratio oris et cordis et operis ex variis principiis.

« *Et exaudi orationem meam,* » mihi bona vera et interminabilia conferendo : oratio enim est adipiscendis bonis, maxime æternis. Et nota, quod est oratio oris, qua orabat Moyses, elevatis manibus. Exod. XVII, 11 : et ipse Christus, Matth. XXVII, 46. Et est oratio cordis, I ad Corinth. XIV, 15 : *Orabo spiritu, orabo et mente.* Joan. IV, 24 : *Spiritus est Deus : et eos, qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare.* Et est oratio operis, I ad Thess. V, 17 : *Sine intermissione orate.* Glossa : « Non cessat « orare, qui non cessat bene facere. «

Nota etiam, quod est etiam oratio ex veritate, quam approbat Dominus et exaudit, de qua Matth. VII, 8 : *Omnis qui petit, accipit.* Et est oratio ex infirmitate quam tolerat Dominus, et aliquando non exaudit, ut in Paulo petente stimulum carnis amoveri, II ad Corinth. XII, 8 et 9. Aliquando exaudit, ut in Petro, Act. XII, 7. Et est oratio ex cupiditate quam etiam aliquando exaudit Dominus, quamvis ipsam reprobet ad perniciem sic petentis, Exod. XVI, 12 et 13, de petentibus carnes, quibus datæ sunt conturnices, ut exauditus abeat condemnatus, et oratio ejus fiat in peccatum.

3 Secunda pars Psalmi.

« *Filii hominum,* etc. » Hic secunda pars Psalmi in qua subjungitur increpatio peccantium, et aversorum a Deo ad creaturas, a quibus nulla boni est influentia in ipsis. Arguit autem primo diuturnam inclinationem eorum ad vana : secundo arguit adhæsionem, ibi, « *Ut quid diligitis ?* »

Ait ergo : Tot et tanta bona influunt a Deo in conversos ad eum. Ergo « *o filii hominum,* » corruptibilium bonorum ad culpam sitientium. I ad Corinth, III, 3 : *Cum sit inter vos zelus et contentio : nonne carnales estis, et secundum hominem ambulatis ?* « *Gravi corde,* » depressi estis ad infima, non potentes stare in alto fidei, et desiderio supernorum : et hoc « *usquequo,* » quamdiu hoc erit ? In hoc quod dicitur, « *gravi corde,* » notatur inclinatio : in hoc quod dicitur, « *usquequo,* » duratio inclinationis. Psal. XVI, 11 : *Oculos suos statuerunt declinare in terram.* Culpa enim ponderosa est, et deorsum trahit. Zachar. V, 7 : Iniquitas sedet super talentum plumbi [1]. Et Psalmista gemens conqueritur, et dicit in Psal. XXXVII, 5 : *Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum : et sicut onus grave,* etc.

Quadruplex gravitas culpæ, naturæ, miseriæ et gratiæ.

Notandum, quod est gravitas quadruplex : culpæ, sicut dicitur, Isa. I, 4 : *Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate.* Et est gravitas naturæ. Sap. IX, 15 : *Corpus quod corrumpitur, aggravat animam.* Et est gravitas miseriæ consequens ex prima gravitate. Eccli. III, 29 : *Cor nequam gravabitur in doloribus.* Et est gravitas majoritatis et gratiæ, de qua Psal. XXXIV, 18 : *Confitebor tibi in ecclesia magna, in populo gravi laudabo te.*

Vanitatis partes.

« *Ut quid diligitis.* » Hic increpat de adhæsione hac duplici, cordis et operis, ibi, « *Et quæritis.* »

Ait enim, « *Ut quid diligitis vanitatem et quæritis mendacium,* » opere, a quibus nihil boni potest in nos influere : terrena enim omnia vana sunt, Genes. I, 2 : *Terra autem erat inanis et vacua.* Jerem. IV, 23 : *Adspexi terram, et ecce vacua erat, et nihil.* Umbra enim sunt terrena verorum bonorum, non substantia. Et vere vana : quid enim vanum est ? Vanum est quod nec præbet plenitudinem continenti, nec fulcimen innitenti,

[1] Zachar. V, 7 : *Et ecce talentum plumbi portabatur.*

nec fructum laboranti. Talia sunt terrena. De primo, Eccli. v, 9 : *Avarus non implebitur pecunia.* De secundo, Proverb. xi, 28 : *Qui confidit in divitiis suis, corruet.* Isa. xxxvi, 6 : *Ecce confidis super baculum arundineum confractum istum,* etc. De tertio, Eccli. v, 9 : *Qui amat divitias, fructum non capiet ex eis.* Propter hoc dicitur, Eccle. i, 2 : *Vanitas vanitatum, et omnia vanitas.* Qui hoc et quærit, quærit mendacium. Jerem. viii, 5 : *Apprehenderunt mendacium et noluerunt reverti.* Osee, xii, 1 : *Ephraim pascit ventum, et sequitur æstum : tota die mendacium, et vastitatem multiplicat.* Et vere mendacium : promittunt enim securitatem, et solvunt timorem. Job, xv, 21 : *Sonitus terroris semper in auribus illius,* etc. Psal. lxxxviii, 41 : *Posuisti firmamentum ejus formidinem.* Seneca : « Videt pauperem, suspicatur « furem : videt divitem, æstimat prædo« nem. » Promittunt saturitatem, non solvunt esuriem. Joan. iv, 13 : *Qui bibit ex aqua hac, sitiet iterum.* Promittunt delectationem, solvunt punctionem. Matth. xiii, 7, dicuntur *spinæ.* Job, xxx, 7 : *Esse sub sentibus delicias computabunt.* Promittunt honorem, solvunt ignominiam. Isa. xxx, 3 : *Fiducia umbræ Ægypti* erit *in ignominiam.* Promittunt libertatem, et servitutem inducunt. Seneca : « Minor est quam servus, qui ser« vos timet. »

Divitiæ multipliciter mendaces.

4 « *Et scitote.* » Hæc est tertia pars, scilicet admonitio increpatorum ad pœnitentiam, et conversionem ad Christum. Et dicuntur tria. Primo monet ad pœnitentiam et conversionem ad Christum. Secundo, ostendit aliquod hujus conversionis impedimentum, ibi, « *Multi dicunt.* » Tertio, nititur removere ostensum, ibi, « *Signatum est.* »

Tertia pars Psalmi.

In prima parte tria. Primo ostendit causam motivam conversionis, scilicet quid eos potissimum movere debeat. Secundo, causam formalem conversionis, hoc est, qualiter debeant pœnitere, ibi, « *Irascimini.* » Tertio, pœnitentiæ vel conversionis utilitatem, ibi, « *Et sperate.* »

In prima parte duo quæ maxime eos movere debent : Christi excellentia et sublimitas, sublimati bonitas, ibi, « *Dominus* « *exaudiet.* »

Dicit ergo : Sic fatui estis ad vana conversi, et ut moveamini ad conversionem, « *Scitote quoniam Dominus* Deus Pater *mirificavit Sanctum suum,* » Christum, qui Sanctus sanctorum dicitur, Daniel. ix, 24. Mirificavit enim ipsum in conceptione : novum enim et mirabile quod conceptus est de Virgine sine semine viri, plenus scientia et virtute ex ipso instanti conceptionis suæ. Jerem. xxxi, 22 : *Creavit Dominus novum super terram : fœmina circumdabit virum.* Mirificavit in nativitate, quando natus est sine corruptione Virginis et dolore. Isa. lxvi, 7 : *Antequam parturiret, peperit : antequam veniret partus ejus, peperit masculum.* Quis audivit umquam talia, aut quis vidit huic simile ? Mirificavit in Baptismo, Transfiguratione, Passione, Resurrectione, Ascensione, Spiritus sancti missione. Eccli. xxxvi, 6 et 7 : *Innova signa, et immuta mirabilia. Glorifica manum, et brachium dextrum,* scilicet Filium. Mirificavit et in prædicatione. Lucæ, xi, 14 : *Locutus est mutus, et admiratæ sunt turbæ.* Propter hoc dicitur, Isa. ix, 6 : *Et vocabitur nomen ejus Admirabilis.*

Christus toto vitæ decursu mirabilis.

Et cum tantæ sit excellentiæ et dignitatis, tamen magnæ pietatis est : quoniam et hoc « *scitote, quia Dominus,* » Christus scilicet, « *exaudiet me,* » ad votum et meritum, « *cum clamavero ad eum* : » clamavero non tantum clamore oris, sed cordis. Hoc expertus erat cum dicebat alibi [1], *Ad Dominum cum tribu-*

[1] Psal. cxix, 1.

larer clamavi, et exaudivit me. Vel sic : « *Dominus meus,* » Pater, « *exaudiet me,* » per ipsum mediatorem advocatum, « *cum clamavero ad eum.* » Patrem scilicet, vel eum, Christum. I Joan. II, 1 et 2 : *Advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum : et ipse est propitiatio pro peccatis nostris.*

5 Pœnitentia duplex : interna, et exterior.

« *Irascimini et nolite?* Hic docet formam pœnitendi : sed quia forma pœnitendi duplex est, monet primo ad formam pœnitendi interiorem : secundo, ad exteriorem, ibi, « *Sacrificate.* » Sed iterum, quia forma interior pœnitendi duplex est : resistere motui malo ne procedat, secundo, si procedit, de processu conteri et compungi, duo dicit : primo, monet ut motui resistatur, secundo, si procedere contigerit ad consensum vel actum, quod contritione corrigatur.

Ait ergo : Sic moveri debetis ad pœnitentiam. Ergo « *irascimini,* » indignando contra motum peccati, ut non veniat ad consensum. Hinc est quod addit : « *Et nolite peccare,* » et sic irascimini ut nolitis peccare.

Effectus iræ per zelum.

Sic irasci bonum est : Psal. XXIX, 6 : *Quoniam ira in indignatione ejus.* Et Isa. LXIII, 5 : *Indignatio mea ipsa auxiliata est mihi.* Hæc est ira per zelum, quæ puriorem reddit oculum rationis : et si turbat aliquando ad momentum, non excæcat sicut ira per vitium. Hæc est ira qua iratus est Moyses contra idololatras, Exod. XXXII, 19 : Phinees contra fornicationem Israeliticam, Num. XXV, 7 et 8 : Elias contra sacerdotes Baal, III Reg. XVIII, 21 et seq. : Mathathias contra quemdam Judæorum immolantem super aram immundam I Mach. II, 23 et seq. : ipse Dominus contra vendentes et ementes in templo, Joan. II, 15 et 16 : et Petrus contra proprietarios et mendaces, Ananiam, et Saphiram, Act. V, 1 et seq.

« *Quæ dicitis in cordibus vestris,* » consentiendo, « *et in cubilibus vestris,* » facitis, supra, in malo opere delectando, « *compungimini,* » propter illa, supra. *Dicere in corde* appellat hic consentire : sicut enim locutio intellectus est intelligere, sic spiritualis quædam interior affectus locutio, consentire. Pro ipso autem consensu in peccatum necessaria est compunctio, etsi non veniatur ad actum. Matth. V, 28 : *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo.* Multo ergo fortius necessaria, et multo major pro iis, quæ fiunt in cubilibus nostris. Ad Rom. XIII, 13 : *Non in comessationibus et ebrietatibus, non in cubilibus et impudicitiis.* Cubile enim speciale draconum spiritualium, scilicet dæmonum, est cor peccatoris umbrosum et immundum. Quærit illud Diabolus. Job, XL, 16, dicitur de Beemoth, *in secreto calami, et in locis humentibus.* Per compunctionem autem effugatur, et quod erat prius cubile dæmonum, fit cubile virtutum. Isa. XXXV, 7 : *In cubilibus, in quibus dracones habitabant, orietur viror calami et junci.*

6

« *Sacrificate sacrificium justitiæ.* » Hic monet ad exteriorem pœnitentiam.

Ait enim : Sic interius resistite, et « *compungimini :* » exterius autem, ut sit consummata pœnitentia, « *sacrificate sacrificium justitiæ,* » ipsa corpora vestra in pœnitentia immolando. Ad Rom. XII, 1 : *Obsecro vos fratres per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem.* Ad Rom. VI, 19 : *Sicut exhibuistis membra vestra servire immunditiæ, et iniquitati ad iniquitatem,* etc.

Pœniten[tia] perfect[a] et imper[fecta] adu[m]brata sa[cri]ficiis an[ti]quis.

Et primo sacrificium justitiæ imperfectæ et in inchoatione scilicet pœnitentiæ, quod significabatur in spicis novis quæ torrebantur et in Paschate offerebantur Domino : et postea sacrificium perfectæ, quod significabatur in sacrificio novorum panum in Pentecoste oblatorum. De utroque sacrificio, Levit. XXIII, et Lucæ, VII, 38, Maria unxit pedes Domini, offerens sacrificium imperfectæ justitiæ,

Psal. XLIX, 14 : *Immola Deo sacrificium laudis :* sed Matth. XXVI, 7, unxit caput, offerens sacrificium perfectæ. Primum sacrificium est sacrificium matutinum. Secundum est sacrificium vespertinum quod maxime placebat Deo.

Sacrificium cordis et operis.

Et est notandum hic, quod est sacrificium cordis, juxta illud Psal. L, 19 : *Sacrificium Deo spiritus contribulatus.* Et oris. Psal. XLIX, 14 : *Immola Deo sacrificium laudis.* Osee, XIV, 3 : *Omnem aufer iniquitatem, accipe bonum : et reddemus vitulos labiorum nostrorum.* Et est sacrificium operis quod est duplex : offerre seipsum, scilicet corpus proprium, de quo Gregorius loquens de Magdalena : « Tot in se invenit holocausta, quot in « se habuerat oblectamenta » Vel sua, Proverb. III, 9 : *Honora Dominum de tua substantia,* etc.

Ritus veterum sacrificiorum mystice a pœnitentibus usurpandi.

Et nota, quod quando offerebatur sacrificium, primo segregabatur quod erat offerendum, postea ligabatur, hinc excoriabatur, deinde lavabatur, et post hæc in frusta dividebatur, tandem super altare offerebatur. Sic sacrificandus primo debet se segregare a consortio malo, Zach. II, 6 : *O, o fugite de terra Aquilonis.* Secundo, se ligare præceptis obedientiæ, et consiliorum vinculis, Ezech. IV 8 : Fili hominis, *ecce circumdedi te vinculis.* Deinde excoriare se, pravos mores et consuetudines deponendo, Judith, X, 2 : *Exuit se vestimentis viduitatis suæ.* Ad Colos. III, 9 : *Exspoliantes vos veterem hominem.* Ad Ephes. IV, 22 : *Veritas in Jesu* est *deponere vos secundum pristinam conversationem.* Postea lavare se per lacrymarum effusionem, Psal. VI, 7 : *Lavabo per singulas noctes.* Isa. I, 16 : *Lavamini, mundi estote.* Post in frusta dividi per omnium membrorum conversionem in servitium Dei, Ad Rom. VI, 19 : *Sicut exhibuistis,* etc. Tandem poni super altare veræ fidei, super quod solum offerendum est, ad Hebr. XI, 6 : *Sine fide impossibile est placere Deo.* Et hoc per jugem beneficiorum Dei recordationem. Et sic debet accendi per ferventem charitatem. Levit. VI, 12 : *Ignis in altari semper ardebit.*

« *Et sperate in Domino.* » Ecce tertium, fructus et finis qui consequitur ex pœnitentia. Quasi sic : « *Irascimini, compungimini, et sacrificate,* » et tunc « *sperate in Domino.* » Aliter non : est enim spes, futurorum bonorum exspectatio ex meritis et gratia proveniens : oportet enim mutari primo de malo in bonum, et exerceri in bono, et sic firma spes potest acquiri. Propter quod dicitur, Isa. XL, 31 : *Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem,* qua factus est cursus eorum malus, in bonam fortitudinem, de qua Job, XVII, 9 : *Tenebit justus viam suam, et mundis manibus addet fortitudinem.*

« *Multi dicunt : Quis ostendit nobis bona ?* Hic secundum tertiæ partis totius Psalmi. Præmissa enim exhortatione ad pœnitentiam, subjungit perversorum excusationem.

Dicit enim : Moneo sic ad pœnitentiam, sed audio multorum excusationem converti nolentium propter bonorum sperandorum incertitudinem. « *Multi* enim *dicunt,* » non pauci. Eccle. I, 15 : *Stultorum infinitus est numerus.* Et Matth. XX, 16 : *Multi sunt vocati, pauci vero electi.* « *Quis ostendit nobis bona,* » æterna, et pœnitentia exspectanda ? Sap. II, 1 : *Non est qui agnitus sit reversus ab inferis.* Eccle. III, 21 : *Quis novit si spiritus filiorum Adam ascendat sursum, et si spiritus jumentorum descendat deorsum ?* Gregorius : « Carnalium mentes bona « pensare non valent, nisi quæ carnali- « ter vident. » *Bona* dicit simpliciter et absolute, quia per hæc æterna bona quæ simpliciter et vere bona sunt, intelligi voluit. Exod. XXXIII, 19 : *Ego ostendam omne bonum tibi.*

« *Signatum est super nos.* » Hic est tertium tertiæ partis Psalmi, in qua prædictam excusationem seu impedimentum convertendi se ad pœnitentiam intendit

destruere : et dicuntur tria. Primo, quod ipse et justi alii habent in se æternorum bonorum signum certum. Secundo, ostendit hujus signi effectum, ibi, « *In pace.* » Tertio, modum consequendi effectum de signo, ibi, « *Quoniam tu Domine.* »

In prima parte duo. Primo, quod illud signum in solis justis sit. Secundo, quare non in aliis, ostendit, ibi, « *A fructu.* »

In prima duo, scilicet signum duplex. Primo enim ostendit se et alios justos signatos gratia illuminante intellectum : secundo, perfusos lætitia excitante affectum, ibi, « *Dedisti.* »

Varia signa justi.

Ait ergo sic : Illi bona æterna nesciunt, sed tu o Domine : sciant ipsi nec dubitent de hoc, scilicet quod « *lumen vultus tui,* » gratia scilicet illuminans a te procedens, conversa ad nos, « *signatum est super nos,* » scilicet super mentem nostram impressum et infusum. Ad Ephes. I, 13 : *Signati estis Spiritu promissionis sancto :* et ibidem, IV, 30 : *Nolite contristare Spiritum sanctum Dei : in quo signati estis,* non tantum exterius in ostensione sicut hypocritæ, sed et exterius in opere, et interius in corde, secundum illud Cant. VIII, 6 : *Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum* : ut sic simus discreti a grege diaboli. Apocalyp. VII, 5 : *Ex tribu Juda duodecim millia signati.*

« *Dedisti lætitiam in corde meo.* » Quasi non tantum illustres lumine gratiæ, sed etiam dedisti lætitiam spiritualem de puritate conscientiæ, et serenitate, et tui quodam sensu et cognitione. « *In corde meo,* » scilicet per affectum. Ad Philip. IV, 4 : *Gaudete in Domino semper : iterum dico gaudete.* Isa. IX, 3 : *Lætabuntur coram te, sicut qui lætantur in messe.* Hæc lætitia præcursoris in præsentia Virginis habentis in utero Filium Dei, Lucæ, I, 44 : *Exsultavit in gaudio infans in utero meo.*

« *A fructu frumenti.* » Ecce secundum, in quo malos excludit ab iis bonis, et causam exclusionis etiam ostendit. 8

Ait enim sic : In nobis est lumen in intellectu, et lætitia in affectu, sed non in malis : ipsi enim « *multiplicati sunt,* » distracti scilicet, et dispersi, « *a fructu* » eorum quæ necessaria sunt ad cibum, scilicet « *frumenti,* » et quæ ad potum, scilicet « *vini,* » et eorum quæ ad condimentum, scilicet « *olei :* » et propter hoc, scilicet ad hanc illuminationem suscipiendam et lætitiam sunt inepti. Exod. V, 12 : *Dispersus est populus per omnem terram Ægypti ad colligendas paleas.* Hæc est dispersio et divisio mortifera de qua Osee, X, 2 : *Divisum est cor eorum, nunc interibunt.* Nec dixit simpliciter esse multiplicatos « *a fructu frumenti, vini, et olei :* » sed addidit, « *sui :* » est enim frumentum, vinum, et oleum, quod optimum est appetere : frumentum charitatis, de quo dicitur, Zachar. IX, 17 : *Quid bonum ejus est, et quid pulchrum ejus, nisi frumentum electorum* videlicet, *et vinum* compunctionis et devotionis, de quo dicitur, Cant. V, 1 : *Bibite, et inebriamini, charissimi.* Et oleum spiritualis jucunditatis, de quo Eccle. IX, 8 : *Oleum de capite tuo non deficiat,* spirituale scilicet gaudium de corde tuo. Ad hæc non convertuntur, his non fruuntur mali, sed temporalibus et caducis. Sap. II, 6 et 7 : *Venite ergo, et fruamur bonis quæ sunt* super terram,... *vino pretioso, et unguentis nos impleamus.*

Variæ frumenti acceptiones ex Scriptura.

Et nota, quod est multiplex frumentum. Misericordiæ, sicut hic dicitur, et spirituale, et hoc quadruplex. Christus, Joan. XII, 24 : *Nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit,* etc. Quilibet justus, Isa. XXVIII, 25 : *Ponet triticum,* id est, frumentum, *per ordinem, et hordeum, et milium, et viciam in finibus suis.* Frumentum ceu triticum fuerunt Martyres : hordeum quod pungitivum, sunt Confessores : milium quod quasi nihil ad triticum, et hordeum modicum, justi istorum successores : sed vicia sunt

vitiati per peccatum, in fine successuri, tempore scilicet Antichristi. Hoc frumentum de quo Matth. III, 12 : *Congregabit triticum suum in horreum, paleas autem comburet*, etc. Frumentum spirituale intellectus sacræ Scripturæ. Hoc frumentum quod distribuit Joseph in Ægypto Gen. XLII et XLIII, quo replentur sacci, id est, corda humilium. Genes. XLII, 25 : *Jussit ministris ut implerent eorum saccos tritico*, quantum possent capere. Frumentum etiam maximæ charitatis, sicut jam dictum est, de quo Zachar. IX, 17, et Ezech. XXVII, 17 : *Juda et terra Isarel ipsi institores tui in frumento primo*, etc.

9 « *In pace in idipsum.* » Hic effectus consequens ex signo duplici, et tangitur quadruplex. Securitas, « *In pace* : » immutabilitas, « *in idipsum* : » quies intellectus, « *dormiam* : » et affectus, « *et requiescam.* »

Ait ergo sic : Hæc in nobis sunt, non in malis : ergo existens in pace et in securitate plena, juxta Isa. XXXII, 18 : *Et sedebit populus meus in pulchritudine pacis* : et in Psal, CXLVII, 14 : *Qui posuit fines tuos pacem*, in idipsum existentem, ex nulla parte mutabilem vel variabilem propter conjunctionem cum immutabili, qui de seipso dicit, Malach. III, 6 : *Ego Dominus, et non mutor*, semper permanens id quod est, nec transiens, nec futurus et semper idipsum ens. Exod. III, 14 : *Ego sum qui sum.*

« *Dormiam* » contemplando intellectu. Cant. V, 2 : *Ego dormio, et cor meum vigilat.* « *Et requiescam* » fruendo tota voluntate et affectu, secundum illud quod dicitur, Apocalyp. XIV, 13 : *Amodo jam dicit Spiritus, ut requiescant*, etc. Hic somnus, hæc requies quam desiderabat Job, III, 13 : *Nunc dormiens silerem, et somno meo requiescerem, cum regibus et consulibus.* Et hæc est quies in qua filii Dei cum ipso requiescunt in illo cubili cœlesti. Lucæ, XI, 7 : *Noli mihi molestus esse, jam ostium clausum est, et pueri mei mecum sunt in cubili.*

Potest et illud legi de præsenti in hunc modum : Lumen signasti in intellectu, lætitiam dedisti in affectu : ex quo sequitur, et causatur, quod ego « *dormiam* » intellectu, « *requiescam* » affectu, jam habito in præsenti te, o Deus, « *in idipsum* » perfectius habendo in futuro sæculo. Sancti enim in pace pectoris a Deo sibi data requiescunt. Joan. XIV, 17 : *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.* Sciunt enim in ipsa sponsum Christum requiescere, secundum illud Psal. LXXV, 3 : *Et factus est in pace locus ejus.* Propter quod dicit Gilbertus, quod « ibi « libenter quiescit anima sancta, ubi est « locus dilecti. In pace enim factus est « locus ejus. Ibi quem diligit anima tua, « vel illapsum teneas, vel elapsum requi- « ras. In lectulo enim et secreta mentis « quiete, potest investigari liberius, in- « veniri citius, et tutius retineri, et forte « diutius : si tamen potest diutius morari « in deliciis quæ fere solent in ipsis inter- « dici principiis. »

Nota, quod est pax mala, quæ est concordia ad malum faciendum, de qua dicit Dominus, Lucæ, XII, 51 : *Putatis quia pacem veni mittere in terram ? non, dico vobis, sed separationem.* Et quies in peccatis, pax mala est.

Hæc est illa pax quam falsi Prophetæ seducto populo promittebant. Jerem. VIII, 11 : *Et sanabant contritionem filiæ populi mei ad ignominiam, dicentes : Pax, pax : cum non esset pax.* Secundum autem Augustinum in libro XIX de *Civitate Dei*, cap. 13 : « Est pax bona multipliciter.

Elegantissima pacis descriptio et multiplex acceptio.

« Pax corporis, scilicet ordinata temperatura partium componentium corpus : « et est pax animæ irrationalis, ordinata « requies appetituum naturalium : et est « pax animæ rationalis, ordinata cogita- « tionis actionisque consensio : et est pax « animæ et corporis, ordinata vita et sa- « lus animantis : et est pax hominis ad « hominem, scilicet hominum in bonum « ordinata concordia : et est pax hominis

« mortalis et Dei immortalis, ordinata in « fide sub æterna lege obedientia : et est « pax cœlestis civitatis, scilicet fruendi « Deo, et invicem in Deo ordinatissima et « concordissima societas. Et est pax uni« versalis omnium rerum, scilicet tran« quillitas ordinis, secundum quod est a « primo principio stabilita. »

10 « *Quoniam tu Domine.* » Ecce tertium, in quo exprimit causam et modum quo consequitur hæc ex præmissis : quia eo quod sit a Deo in firma et stabili spe constitutus. Lege ergo secundum primam expositionem, et continua in hunc modum : Sic existam in securitate et immutabilitate, quiete intellectus, et affectus requie, « *Quoniam tu Domine constituisti me,* » firmiter statuisti, « *in spe singulariter* » existentem, de uno singulari et æterno bono, tandem adipiscendo, de quo alibi, in Psalm. XXVI, 4 : *Unam petii a Domino, hanc requiram*, et Lucæ, X, 42 : *Porro unum est necessarium.* Ad hoc unum tendunt et suspirant Sancti, et spirituales viri. Carnales autem conversi ad hæc infima, multa desiderant et diversa : propter hoc dicitur in persona Ecclesiæ illud in Psal. LXII, 2 : *Sitivit in te anima mea*, te unum sitiens et desiderans : sed *quam multipliciter caro mea*, id est, effectus carnales per multiplicia sunt divisi.

Vel sic potest legi secundum lecturam aliam : Sic « *dormiam in pace et requiescam* » in præsenti tendens « *in idipsum* » habendum in futuro. Nec mirum si tendo, « *quoniam tu Domine singulariter*, » supple, Dominus, « *constituitisti me in spe.* » Scio autem spem non confundere. Ad Rom. V, 5 : *Spes autem non confundit.* Ad Hebr. VI, 19 : *Spem quam sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam, et incedentem usque ad interiora velaminis*, etc.

PSALMUS V.

Contra malignum auxilium divinum implorat justus.

1. *In finem pro ea, quæ hæreditatem consequitur, Psalmus David.*
2. Verba mea auribus percipe, Domine, intellige clamorem meum.
3. Intende voci orationis meæ, Rex meus et Deus meus.
4. Quoniam ad te orabo : Domine mane exaudies vocem meam.
5. Mane adstabo tibi et videbo ; quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.
6. Neque habitabit juxta te malignus ; neque permanebunt injusti ante oculos tuos.
7. Odisti omnes, qui operantur iniquitatem ; perdes omnes, qui loquuntur mendacium.

   Virum sanguinum et dolosum abominabitur Dominus :
8. Ego autem in multitudine misericordiæ tuæ,

   Introibo in domum tuam : adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo.
9. Domine, deduc me in justitiam tuam ; propter inimicos meos dirige in conspectu tuo viam meam.
10. Quoniam non est in ore eorum veritas : cor eorum vanum est.
11. Sepulcrum patens est guttur eorum [1], linguis suis dolose agebant : judica illos Deus.

    Decidant a cogitationibus suis, secundum multitudinem impietatum eorum expelle eos, quoniam irritaverunt te Domine.
12. Et lætentur omnes, qui sperant in te, in æternum exsultabunt, et habitabis in eis.

    Et gloriabuntur in te omnes, qui diligunt nomen tuum.
13. Quoniam tu benedices justo. Domine, ut scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos.

[1] Infra, XIII, 3, ad Rom. III, 13.

IN PSALMUM V

COMMENTARIUS.

1 *In finem pro ea quæ hæreditatem consequitur, Psalmus David.*

« *Verba mea.* » Hic est Psalmus quintus in ordine Psalmorum, in titulo vero quartus. Est autem talis titulus : « *In finem pro ea, quæ hæreditatem consequitur, Psalmus David.* » In quo tangitur causa efficiens hujus Psalmi, movens, et mota, scilicet ipse David [1]. Ostenditur finis Psalmi per hoc quod dicitur, « *In finem* : » supplendum enim est quod est Christus nos ordinans, sicut supra fuit expositum in titulo præcedentis. Tangitur et Psalmi materia, scilicet ex gentilitate Ecclesia : quod notatur in hoc quod dicitur, « *pro ea,* » id est, in ejus editus persona, et ipsam loquentem introducens, « *quæ consequitur hereditatem,* » æternam scilicet vitam, de qua dicitur, Isa. LIV, 17 : *Hæc est hæreditas servorum Domini :* in hoc repulsa perfida Synagoga tamquam ancilla et serva, secundum illud Genes. XXI, 10 : *Ejice ancillam hanc et filium ejus. Non enim hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ.* Et sic alludit Psalmista historiæ Genes. XXI, 9 et seq.

Ex hoc etiam patet hujus Psalmi consequentia ad præcedentem : cum enim in præcedenti Psalmo præcesserit insinuatio bonorum, quæ fluunt a Christo in membra, et invitatio adversariorum, ut convertantur ad ipsum et recipiant illa, hic tamquam exaudita sit exhortatio Prophetæ, et ut monstretur fuisse fructuosam, subjungitur, et introducitur in hoc Psalmo conversa ad Deum Gentilium Ecclesia orans et petens illa bona.

Unde Psalmus iste in quatuor partes dividitur. Primo, Ecclesia ut exaudiatur supplicat : secundo quod exaudiri debeat, probat ibi, « *Quoniam ad te orabo Domine.* » Tertio quid petat, specificat, ibi, « *Domine, deduc me.* » Quarto et ultimo, quasi sentiens se exauditam, petitionem

[1] « Ce psaume est rapporté à la persécution de Saül par le Hir, Toluck, Wolter ; à la révolte d'Absalon par Delitzsch, Cook, Patrizzi ; à Doëg et Architophel, c'est-à-dire à l'une et à l'autre époque par la tradition juive. L'examen du texte ne fournit aucun argument pour trancher la question. David y parle de ses ennemis, tantôt au singulier et tantôt au pluriel, ce qui peut convenir aux deux circonstances que nous venons de mentionner, mais il s'exprime sur ses visites matinales à la maison du Seigneur de façon à faire regarder comme probable la composition du psaume après la translation de l'arche à Jérusalem, II Reg. VI, 17.

« Ce chant est une prière du matin adressée comme le psaume précédent au maître de chant. Les mots qui suivent, *el-hannechilot*, indiquent pour les Septante et la Vulgate la destination du psaume : ὑπέρ τῆς κληρονομούσης, « pro ea quæ hæreditatem consequitur, » ce que les Pères ont expliqué de l'Église : « Intelligitur Ecclesia quæ accepit hæreditatem vitam æternam. » S. Aug. *Hannechilot* peut en effet être rattaché au verbe *nachal*, posséder, hériter. Dans la littérature talmudique, le mot signifie « essaim, » et probablement « essaim d'abeilles, » impliquant naturellement l'idée de bourdonnement. On croit plus communément que ce mot vient du verbe *chalal*, percer, et aussi au *piel* : jouer de la flûte, d'où un des noms hébreux de cet instrument, *chalilim*. La flûte était fort en usage dans la musique hébraïque, I Reg. X, 5 ; III Reg. I, 40 ; Isa. XXX, 29. *El-hannechilot* signifierait donc : sur les flûtes.

« David exprime dans ce psaume ses sentiments de confiance dans le Seigneur, qui le protégera à cause de sa piété, et qui châtiera ses ennemis à cause de leur perversité. Ces ennemis du saint roi représentent bien ceux de Jésus-Christ, de l'Eglise et de l'âme fidèle. »

D. LESÊTRE.

implendam pro certo insinuat, ibi, « *In æternum exsultabunt.* »

In prima parte duo : primo simplex postulatio ut exaudiatur : secundo, postulat addita commendatione ejus a quo postulat, ut efficaciter inducatur, ibi, « *Intende voci.* » « *Verba mea.* » Duo postulatione simplici petit, ut verba audiat, quæ sunt oris : secundo, ut clamorem intelligat, qui est cordis.

2 Ait ergo sic : Audio Domine Prophetam exhortantem, ut ad te convertar, et propter hoc rogo o Domine, « *Verba mea auribus percipe.* II Esdr. I, 6 : *Fiant aures tuæ auscultantes, et oculi tui aperti, ut audias orationem servi tui.* Deus non est sine auribus, et auditu. Psal. XCIII, 9 : *Qui plantavit aurem, non audiet : aut qui finxit*, etc. Aures autem Dei appellantur, sicut dicit Glossa, « præsentia majestis. » Virtute enim præsentiæ totum audit. Sap. I, 10 : *Auris zeli*, hoc est, Dei, qui non tantum zelator est, imo ipse zelus, *audit omnia.* Habet enim corpus aurem suam corporalem de qua dicitur, Joan. XVIII, 10, quod Petrus Malcho *abscidit auriculam dexteram.* Habet et aurem suam spiritualem spiritus, et hanc duplicem, intelligentiæ, juxta illud Psal. LXXXIV, 9 : *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus* : et ipsius voluntatis, de qua Job, XLII, 5 : *Auditu auris audivi te.* De hac triplici dicitur, Lucæ, VIII, 8 : *Qui habet aures audiendi, audiat.* Apocalyps. II, 11 et III, 6, idem [1]: quasi, qui habet aures corporis, audiendi capacitate intelligentiæ interioris, audiet per obedientiam voluntatis. Habet etiam aurem suam Spiritus increatus, præsentiam videlicet, sicut dictum est, vel clementiam : de quo in Psal. X sec. Hebr. 17 : *Præparationem cordis eorum audivit auris tua.*

es Dei, sentia ius.

« *Intellige clamorem meum,* » cordis, non auris. Glossa : « Bene ostenditur, « quod spiritualis est clamor, non vocalis : « quia intelligitur. » Hoc clamore clamabat Moyses, Exod. XIV, 15, et Susanna, Daniel. XIII, 42, et Anna, I Reg. I, 13.

« *Intende voci.* » Hic petitioni additur commendatio ejus a quo petitur. Ait enim : Et o tu, *Rex meus* secundum humanitatem quia unctus es. Psalm. XLIV, 8 : *Unxit te Deus Deus tuus*, et Isa. LXI, 1 : *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me.* Nec tantum Rex, sed Rex antonomastice et singulariter. Apocalyps. XIX, 16 : *Et habet in vestimento, et in femore suo scriptum : Rex regum, et Dominus dominantium.* Et propter hoc timendus vehementer. Jerem. X, 7 : *Quis non timebit te o Rex gentium.* Et « *Deus meus* » quantum ad divinitatem : per hanc enim omnia regis, sustentas et gubernas. Psal. XXX, 15 et 16 : *Deus meus es tu : in manibus tuis sortes meæ.* Manes tamen immutabilis et invariabilis. Jacob. I, 17 : *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.* Hæc duo, divinitatem scilicet Christi, et humanitatem conjungit alibi, cum ait, Psal. XLVI, 7 : *Psallite Deo nostro, psallite : psallite Regi nostro, psallite.* 3

Et nota, sicut quidam dicunt, hic insinuatam Trinitatem personarum : Primo, Spiritum sanctum, cum dixit supra, « *Domine* : » secundo, Filium, cum subjunxit, « *Rex meus* : » tertio, Patrem, cum addidit, « *Deus meus.* » Dicunt autem per hoc quod est Deus, recte Patrem intelligi, quia Deus sonat rationem principii : Pater autem est aliarum personarum principium. Per Dominum autem Spiritum sanctum, ne forte quia a Patre procedit et Filio, et nullus ab eo, potestatem

Insinuatio Trinitatis hoc versu.

[1] Apoc. II, 11 et III, 6 : *Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis.*

crederetur amittere dominandi. Per Regem autem Filius plane intelligitur, cui data est potestas leges dandi, regendi, et judicia faciendi, juxta illud Isa. xxxiii, 22 : *Dominus enim judex noster, Dominus legifer noster, Dominus rex noster : ipse salvabit nos.*

Potest et dici et forte melius, quod per hoc quod dicitur « *Domine,* » Pater intelligitur, apud quem sedet prima auctoritas. Per hoc quod dicitur « *Rex meus,* » Filius, sicut dictum est. Et per hoc quod « *Deus meus,* » Spiritus sanctus. Deus enim sonat secundum aliquam intelligentiam fomentum : fovere autem ad bonitatem Dei pertinet, quæ personæ Spiritus sancti appropriatur.

Progressus verborum prophetæ. Et nota progressum. Primum est auribus percipere, secundum aure perceptum intelligere, tertium intendere ei quod fuerit intellectum. Habet autem oratio, quæ de malis amovendis est, compassionem : quæ autem de bonis adipiscendis, intentionem requirit. Nota etiam, quod petit ut verba auribus percipiat, clamorem cordis, quod plus est, intelligat : quod est orationis cordis, quod maximum est, intendat : optimum enim est quando vox concordat cordi.

4 Secunda pars Psalmi. Septem circumstantiæ orationis necessariæ. « *Quoniam ad te orabo Domine.* » Ecce secundum, in quo ostendit se exaudiendum, quia ad orationem suam concurrunt quæ orationi necessaria sunt, scilicet septem, quæ tangit per ordinem. Primum est recta intentio. Secundum, sollicitudo, « *Mane exaudies.* » Tertium, constantia, « *Mane adstabo.* » Quartum, puritas in conscientia, « *Et videbo.* » Quintum, confidentia, « *Ego autem in multitudine.* » Sextum, unitas, et concordia, « *Introibo.* » Septimum, reverentia, « *Adorabo.* »

Prima circumstantia, recta intentio. Ait ergo : Sic rogo te ut intendas orationi, et hoc debes : quoniam « *ad te,* o *Domine, orabo,* » intentionem scilicet dirigendo, non ad alium nisi ad te. In quo notandum primo, quod cum superius tres personas notasset, in hoc quod dicit hic « *Domine,* » notat essentiæ unitatem. Simile Isa. vi, 3 : Cum dixissent Seraphin, *Sanctus, Sanctus, Sanctus,* subjunxerunt *Dominus Deus Sabaoth,* propter essentiæ unitatem. Non est autem aliter oratio nisi ad Deum dirigatur intentio. Est autem aliter oratio affectus mentis in Deum tendens, plerumque ne pigritetur, in vocem prorumpens. Propter hoc dicitur in Psal. cxl, 2 : *Dirigatur,* Domine, *oratio mea sicut incensum.* II Machab. ii, 10 : *Moyses orabat ad Dominum,* supple, intentionem dirigens, *et descendit ignis de cælo.* Thren. iii, 41 : *Levemus corda nostra cum manibus nostris ad Dominum.*

Secunda, opportunit. temporis matutini. « *Mane exaudies.* » Ecce secundum. Ne sufficiat recta intentio, sed est adhibenda sollicitudo, et opportunitas orandi quærenda. Orabo tempestive, nam « *mane exaudies,* » id est, exaudire poteris vocem meam. Mane, inquam, materiali. Isa. xxvi, 9 : *De mane vigilabo ad te.* Tempus enim illud orationi valde aptum est. Confecta enim digestione, et resumptis corporis viribus, quasi expeditus ab negotiis corporis, spiritus vacare spiritualibus magis potest. Hinc est quod Jacob orasse legitur in aurora, et ab Angelo quod voluit impetrasse, Genes. xxxii, 26 et seq. Eccli. xxxix, 6 : Justus.... *cor suum tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum, qui fecit illum.* Propter hoc dicit Augustinus : « Turpe est Christiano, si solis radius in lecto eum invenerit otiosum. »

Mane va[rie] ex Script[ura] acceptu[m]. Et nota, quod est multiplex *mane.* Temporis, de quo Genes. i, 5 : *Factumque est vespere et mane dies unus.* Ætatis pueritia vel juventus : unde in Psalm. lxxxix, 6 : *Mane sicut herba transeat* (quod dicitur pro iis qui in pueritia moriuntur) *mane floreat* (in juventute scilicet) *et transeat : vespere decidat, induret, et arescat.* Mane prosperitatis, Isa. xxi, 12 : *Venit mane et nox : si quæritis, quærite : convertimini, venite.* Et mane novitatis, in quo renovatam natu-

ram Christus a mortuis resurrexit. Psalm. xxix, 6 : *Ad vesperum demorabitur fletus : et ad matutinum lætitia.* Marc. xvi, 2 : *Et valde mane una Sabbatorum*, etc.

Et est mane gratiæ illustrantis, de quo quod hic dicitur, potest intelligi.

[...]audire [...]tuor mo[...] accipi[...]tur.

Nota, quod exaudire est ad exitum audire, sicut exauditi fuerunt dæmones, Matth. viii, 32. Ex meritis audire, et sic in præcedenti Psal. iv, 4 : *Dominus exaudiet me cum clamavero ad eum.* Ad utilitatem audire, Psalm. xc, 15 : *Clamabit ad me, et ego exaudiam eum*, etc. Extra pretium audire, Lucæ, i, 13 : *Ne timeas Zacharia, quoniam exaudita est deprecatio tua.*

5 « *Mane adstabo tibi.* » Ecce tertium, scilicet constantia in orando.

[T]ertia, [co]nstantia [in] orando.

Ait autem sic : Erit in oratione opportunitas, sed erit constantia et stabilitas : quia non ero in orando momentaneus vel horarius, sed « *adstabo mane* » erectus, attentus, perseverans. De primo, Elias loquens de se ait, III Reg. xviii, 15 : *Vivit Dominus exercituum ante cujus vultum sto.* De secundo, in Psal. cxxii, 2 : *Sicut oculi servorum in manibus dominorum suorum : sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ*, fixi sunt et attenti : *ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum.* De tertio, Lucæ, xviii, 1-7 : *Dicebat autem et parabolam ad illos quoniam oportet semper orare, et non deficere*, exemplo viduæ, quæ propter instantiam suam vindictam ab iniquo judice impetravit.

[Or]tus gra[tiæ] in anima [dic]itur *mane* [m]ultis de [c]ausis.

« *Adstabo* ergo *mane* » temporis ad litteram, sicut superius tactum est, *ad annuntiandum mane misericordiam tuam*[1]. Vel mane, in ortu gratiæ : ortus enim gratiæ in anima *mane* dicitur multis rationibus. Mane enim homines excitantur de somno : sic oriente gratia anima evigilat de peccato. III Reg. xix, 5, dormientem Eliam Angelus excitavit. Cant. vii, 12 : *Mane surgamus ad vineas.* Secunda, quia excitati ad opus properanter exeunt. Alibi, in Psalm. ciii, 22 et 23 : *Ortus est sol.* Et paulo post : *Exibit homo ad opus suum, et ad operationem suam usque ad vesperam.* Mane etiam infirmitates alleviantur : sic oriente luce gratiæ tentationes mitigantur. Job, viii, 5 et 6 : *Si diluculo consurrexeris ad Deum, et Omnipotentem fueris deprecatus, si mundus et rectus incesseris, statim evigilabit ad te, et pacatum reddet habitaculum justitiæ tuæ.* Mane etiam fures visa aurora refugiunt et absconduntur : sic et illucescente gratia dæmones effugantur. Job, xxiv, 17 : *Si subito apparuerit aurora, arbitrantur umbram mortis.* Exod. xiv, 24 et 25 : *Jamque advenerat vigilia matutina, et ecce respiciens Dominus super castra Ægyptiorum... subvertit rotas curruum, ferebanturque in profundum maris.* Mane etiam jucundi cantus avium audiuntur : sic illucescente gratia turtur contritionis et philomela spiritualis lætitiæ a spirituali sponso audiuntur. Cant. ii, 12 : *Vox turturis audita est in terra nostra.* Job, xxxviii, 4 et 7 : *Ubi eras.... cum me laudarent simul astra matutina et jubilarent*, præ cordis lætitia, *omnes filii Dei ?* Ultimo, mane ros de supernis emittitur, quo terra fructificat, et fœcundatur : sic illucescente gratia, et anima conversa ad Deum per orationem, superna dulcedo immittitur, qua anima ad bene operandum promptior redditur. Exod. xvi, 21, mane colligebantur manubiæ[2].

« *Et videbo.* » Hic est quartum, scilicet conscientiæ puritas, quam ostendit se habiturum orando, indirecte : per hoc enim quod dicit se cogniturum Deum

Quarta circumstantia, conscientiæ puritas.

[1] Psal. xci, 3.

[2] Exod. xvi, 21 : *Colligebant autem mane singuli, quantum sufficere poterat ad vescendum.*

mala non diligere, sed odire, innuit se cum orabit, ab iis purgatum esse. Quasi diceret : Scio, quod malos odisti, nec eos exaudies : unde relinquitur, quod cum orare voluero, ne talis sim, laborabo.

Duo dicuntur in hac parte. Primo, quod sciet mala non diligere. Sed quia universalis cognitio tenuis, specificat per partes secundo, ibi, « *Nec habitabit.* »

Dicit ergo sic : Orabo constanter, « *et videbo,* » videre scilicet me præparabo, « *quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.* » Minus dicit, et plus significat, id est, odio habens. Sapient. xi, 25 : Tu Domine *diligis omnia quæ sunt, et nihil* Odium Dei in peccatum *odisti eorum quæ fecisti.* Iniquitatem autem non fecisti, et propter hoc odisti eam. Sapient. i 13 : *Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione virorum.* Habac. i, 13 : *Mundi sunt,* Domine, *oculi tui, ne videas malum* ; *et respicere ad iniquitatem non poteris.*

Nota tamen, quod cum iniquitas secundum rationem vocabuli dicatur inæqualitas, est quædam iniquitas mala quæ Deo displicet, sicut hic dicitur. In alio Psalm. lxv, 18 : *Iniquitatem si adspexi in corde meo, non exaudiet Dominus.* Et est quædam iniquitas bona, scilicet quædam vitæ, ceu viventis inæqualitas, ascendere scilicet in altum contemplationis, et rursum descendere in infimum actionis. De tali iniquitate dicitur, Eccli. xlii, 14 : *Melior est iniquitas viri, quam mulier benefaciens.* Lucæ, xvi, 8 : *Laudavit dominus villicum iniquitatis.*

6 « *Neque habitabit.* » Hic specificat, ne tantum universalem scientiam habere videatur. Malum autem dupliciter est. Primo, quia aut interius, et quoad hoc dicit, « *Nec habitabit juxta te malignus :* aut exterius, et hoc dupliciter, quia vel est omissio debiti, quæ notatur ibi, « *Neque permanebunt injusti ante oculos tuo :* « aut perpetratio indebiti, et hujus divisionom sumit dupliciter, vel quantum ad instrumentum per quod fit malum, quod est duplex : vel manus, et quoad hoc dicit, « *Odisti omnes qui operantur iniquitatem :* vel os sive lingua, et quoad hoc subjungit, « *Perdes omnes qui loquuntur mendacium :* » vel quantum ad modum faciendi malum, qui duplex est : vel aperte, vel occulte. Quoad primum dicit, « *Virum sanguinum abominabitur Dominus.* » Quoad secundum, *Et dolosum.* »

Ait ergo sic : Sciam, quod iniquitatem odis, nec in universali tantum, sed etiam in speciali, quia et hoc videbo, quod nec « *malus,* » mala scilicet concupiscentia, interius ignitus, « *habitabit juxta te.* » Job, viii, 20 : *Deus non porriget manum malignis.* « *Nec permanebunt injusti,* » omittentes ea ad quæ scilicet tenentur, « *ante oculos tuos,* » scilicet ante respectum tuæ pietatis. Psalm. xxxiii, 16 : *Oculi Domini super justos.* Et Sap. iv, 15 : *Gratia Dei, et misericordia est in sanctos ejus, et respectus in electos illius.* Nec hic ergo in præsenti maligni « *juxta te permanebunt,* » nec injusti ante oculos misericordiæ, nec postmodum in futuro. Isa. xxvi, 10, secundum aliam litteram : Tollatur impius se videat gloriam Dei [1]. Apocalyp. xxii, 15 : *Foris canes, et venefici, et impudici, et homicidæ, et idolis servientes, et omnis qui amat et facit mendacium.*

« *Odisti omnes qui operantur iniquitatem.* » Sic omittentes ante tuos non permanebunt oculos. Et etiam odisti omnes qui operantur iniquitatem, et pro omni iniquitate sua : odisti enim et iniquitatem et iniquum. Sap. xiv, 9 : *Similiter odio sunt Deo impius, et impietas ejus.* Nec est mirum : iniquus enim odit 7

[1] Ex Vulg. Isa. xxvi, 10 : *Misereamur impio, et non discet justitiam : in terra sanctorum iniqua gessit, et non videbit gloriam Domini.*

quod Deus diligit : qui autem odit amicum, recte oditur ab amico amici. Psal. x, 6 : *Qui diligit iniquitatem, odit animam suam,* quam Deus diligit. Sap. xi, 27 et 25 : *Tu Domine qui amas animas... et nihil odisti eorum quæ fecisti.* Et iterum, ipsum Deum odit impius. Joan. xv, 18 : Nolite mirari *si mundus, vos odit scitote quia me priorem vobis odio habuit.*

« *Perdes omnes qui loquuntur mendacium,* » peccantes ore : sed tunc perdet omnes. Aliter enim dicitur in Psal. cxv, 11 : *Omnis homo mendax.* Et ad Rom. iii, 4 : *Est Deux verax : omnis antem homo mendax.* Vel ad minus omnes perdes præter perfectos. Jacobi, iii, 2 : *Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir.* Responsio. Hoc intelligitur de mendacio mortali, scilicet pernicioso, quod fit in doctrina religionis : et hujus signum est, quia hoc quod dicit hic, dicit quasi dividens contra peccatum operis et morum : et sic intelligitur de peccato oris quod est contra fidem et doctrinam religionis. De quo Sap. i, 11 : *Os quod mentitur, occidit animam.*

Octo genera mendaciorum ex Augustino.

Et possunt hic distingui octo genera mendaciorum secundum Augustinum. Primum est mendacium quod fit contra doctrinam religionis, ut cum asserimus Christum non esse passum, vel natum, vel Deum. Secundum, quod nulli prodest, et alicui nocet. Quale est mendacium detractoris, vel falsi testis in causa judiciali. Tertium, quod prodest alicui, ita tamen quod obest alteri, sicut falsi testis in causa pecuniaria. Quartum, quod fit sola libidine mentiendi, absque omni utilitate et causa. Quintum, quod fit cupiditate placendi alicui, sicut adulatoris mendacium. Et hæc quinque genera ponunt Magistri sub pernicioso mendacio, et dicunt esse peccata mortalia. Sextum, quod nulli obest, et prodest alicui ad evitandum periculum rei quæ pertinet ad fortunam, sicut pecuniæ. Septimum, quod nulli obest, et prodest alicui ad conservandum bonum naturæ, sicut vitam corporalem. Octavum, quod nulli obest, et alicui prodest ad conservandum bonum gratiæ, sicut virginitatem vel hujusmodi. Et hæc tria genera ponuntur a Magistris sub officioso mendacio : et dicunt aliqui, quod etiam mortalia sunt peccata : aliqui dicunt, quod non : Augustinus tamen vult, quod in omnibus illis generibus sit peccatum, non tamen determinat quod mortale. Tertium genus addunt Magistri, scilicet jocosum mendacium, quando non intentione fallendi, sed intentione movendi ad risum, aliquod mendacium profertur, et scitur quod ab aliis etiam esse mendacium agnoscitur : et hoc dicunt omnes universaliter veniale, maxime in imperfecto viro : quantum autem ad perfectum, dissentiunt aliqui.

« *Virum sanguinum et dolosum.* » Advertendum in principio quomodo pulchre loquatur, et rhetorice, diversis clausulis diversa reddens verba. Non habitabit malignus, non permanebit injustus, oditur iniquitatem faciens, perdetur mendax, abominabilis est vir sanguinum et dolosus. Et nota quod vir sanguinum aliquando in Scriptura dicitur raptor alienæ rei. Eccli. xxxiv, 25 : *Panis egentium vita pauperum est : qui defraudat illum, homo sanguinis est.* Dicitur et homicida : II Reg. xvi, 7, dicebat Semei ad David volens in eum perpetrare homicidium : *Egredere, egredere vir sanguinum, et vir Belial.* Et Dominus ad ipsum David, I Paralip. xvii, 4 : *Non ædificabis tu mihi domum ad habitandum,* eo quod vir sanguinum, etc. [1]. Dicitur et vir sanguinum, qui peccat generaliter in aperto : quia sanguis peccatum dicitur. Psalm. l, 16 : *Libera me de sanguinibus.* Et Osee, iv, 2 : *Maledictum, et mendacium, et homici-*

[1] Cf. etiam II Reg. vii, 5 et seq.

dium, et furtum, et adulterium inundaverunt, et sanguis sanguinem tetigit.

Abominabitur ergo Dominus virum sanguinum et dolosum, aperte scilicet peccantem et occulte. Et hæc duo alibi conjunguntur in Psal. LIV, 24, ubi dicitur : *Viri sanguinum et dolosi non dimidiabunt dies suos* Res enim abominabilis cito projicitur. Sed, Prov. XVI, 12, dicuntur *abominabiles regi qui agunt impie,* sicut arrogans et superbus. In eodem, ỹ. 5 : *Abominatio Domini est omnis arrogans.* Sive in occulto et latenter, sicut simulatores et hypocritæ. Proverb. III, 32 : *Abominatio Domini est omnis illusor :* aliud prætendens exterius, et aliud habens interius : quales sunt dolosi hypocritæ, qui ex toto de seipsis mentiuntur. Gaufredus : « Toto corpore mentitur « hypocrita : speciem quidem habens « virtutis virtutem autem abnegans pie- « tatis. » De quo, II ad Timoth. III, 5 : *Habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes.*

8 Quinta circumstantia, fiducia et ejus motivum.

« *Ego autem in multitudine misericordiæ tuæ.* » Ecce quintum quod necessarium est oranti, scilicet confidentia. Quasi diceret sic : Erit in oratione mea intentio recta, diligentia, constantia, conscientiæ puritas, et confidentia firma. Quare? quia sperabo « *in multitudine misericordiæ tuæ.* » Non dicit tantum in misericordia se speraturum, sed *in multitudine misericordiæ* » suæ, ut ostendat misericordiam Domini esse multam. Hinc dicit alibi, Psalm. L, 3 : *Secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam.* II Reg. XXIV, 14 : *Melius est ut incidam in manus Domini multæ enim (misericordiæ ejus sunt :)* nulli enim se negat Dei misericordia ad eam venienti. Unde alibi, Psalm. CII, 17 : *Misericordia Domini ab æterno, et usque in æternum super timentes eum* : nam venientes etiam ad se continet et conservat. Thren. III, 22 : *Misericordiæ Domini, quia non sumus consumpti.*

Sexta circumstantia, concordia.

« *Introibo in domum tuam.* » Ecce sextum, scilicet unitas et concordia : aliter enim Deus orationem non audit. Matth. V, 23 et 24 : *Si offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo : et tunc veniens offeres munus tuum.* Extra domum autem Dei est, qui odio et discordia ab aliis est divisus. Domum ergo Dei introire, est aliis per concordiam in fide et dilectione se conjungere, et unire. Act. IV, 32 : *Multitudinis autem credentium erat cor unum et anima una.*

Quinque domus Dei ingressus et totidem egressus.

Et nota, quod est multiplex domus Dei, in quam intrandum est. Domus inferior, Ecclesia militans, de qua alibi in Psalm. XXV, 8 : *Domine dilexi decorem domus tuæ.* Hanc intrare debemus per concordiam, et sacramentorum perceptionem. Et est domus Dei superior, scilicet Ecclesia triumphans. Baruch, III, 24 : *O Israel quam magna est domus Domini.* Et in Psal. CXXI, 1 : *In domum Domini ibimus* lætantes. Hanc intrare debemus per contemplationem. Et est domus Dei interior, ipsa conscientia. Psal. C, 2 : *Perambulabam in innocentia cordis mei, in medio domus meæ.* Hanc intrare debemus per discussionem diligentem. Et est domus Dei exterior, corpus nostrum. Job, IV, 19 : *Qui habitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentum.* Hæc autem domus Dei est, quia corporis conditor et occupator est. I ad Cor. VI, 19 : *An nescitis, quoniam membra vestra templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est, quem habetis a Deo, et non estis vestri ?* Hanc intrare debemus per fragilitatis et vilitatis nostræ considerationem. Nahum, III, 14 : *Intra in lutum, et calca.* Et est domus Dei anterior, sancta Scriptura. Psalm. LIV, 15: *In domo Dei ambulavimus cum consensu.* Hanc intrare debemus per jugem meditationem. Et est domus Dei posterior, quasi a Deo derelicta synagoga. Matth. XXIII, 38 : *Ecce relinquetur vobis domus*

vestra deserta. Hanc intrare debemus per compassionem miseriæ ejus, et cæcitatis.

Ultima circumstantia, reverentia. « *Adorabo ad templum sanctum tuum.* » Ecce septimum et ultimum, scilicet reverentia in orando. Quasi sic diceret : Ero in concordia, et « *adorabo,* » ad te scilicet orabo, veniens « *ad templum sanctum tuum,* » ubi locus aptior quovis alio ubi orare possem. Et hoc « *in timore tuo.* » Timore, inquam, reverentiæ et honoris.

Vel templum appellat hominem Christum, in quo Deus tamquam in spirituali suo templo habitat. Ad Colos. II, 9 : *Quia in ipso habitat plenitudo divinitatis corporaliter.* Hoc est templum de quo Ezech. XLIII, 10 : *Tu autem, fili hominis ostende domui Israel templum,* Christum divinitate plenum tamquam Deum verum undique perforatum, *et confundantur ab iniquitatibus suis.* Hoc templum de quo ipse dicit, Joan. II, 19 : *Solvite templum hoc,* etc. Ad hoc templum orandum cum reverentia et timore. Prov. XXVIII, 14 : *Beatus homo qui semper est pavidus.* Job, IX, 28 : *Verebar omnia opera mea, sciens quod non parceres delinquenti.*

9 Tertia pars Psalmi. « *Domine deduc me.* » Hæc est tertia pars Psalmi. Petito enim eo quod exaudiatur, et probato quod debeat exaudiri, quid restat, nisi ut quod petit, specificet, et ostendat. Duo ergo petit : et secundum hæc, hæc pars in duas est divisa. Primo, adjuvari contra malos : secundo, bonos cum quibus se loquentem comprehendit, lætificari, ibi, « *Et lætentur.* »

In prima duo. Primo, petit auxilium contra malos, secundo, vindictam exerceri in eos, ibi, « *Judica illos Deus.* »

Item, in prima duo. Primo, petit auxilium contra malos, ne impediant processum ejus in bonum. Secundo, ostendit petitionis necessitatem, declarando malitiam adversariorum, ibi, « *Quoniam non est in ore eorum veritas.* »

In prima dicuntur duo. Primo, petit conservationem a malis, ne continuationem mali impediant : secundo, ne intentionem pervertant, ibi, « *Dirige in conspectu tuo.* »

Dicit ergo : Sic petivi ut exaudiar, sic ostendi quod debeam exaudiri. Ergo o tu « *Domine deduc me,* » continuationem tribuendo, « *in justitia tua,* » a te data, et a te inchoata in me : aliter enim nisi me deducas, non possum continuare, nec perficere. Unde alibi, in Psal. CXVIII, 35 : *Deduc me in semitam mandatorum tuorum.* Exod. XXXIII, 15 : *Si non tu ipse præcedas, ne educas nos de loco isto.* « *Propter inimicos meos* » amovendos, ne me impediant.

Usus donorum Spiritus sancti. Hic notandum, quod Dominus reducit ab invio per donum timoris. Zach. X, 10 : *Reducam eos de terra Ægypti.* Adducit ad viam per donum pietatis, fidem scilicet. Isa. XIV, 2 : *Adducent eos in locum suum : et possidebit eos domus Israel.* Ducit in via per donum scientiæ. Exod. XV, 13 : *Dux fuisti in misericordia tua populo quem redemisti.* Deducit per viam, scilicet de virtute in virtutem per donum fortitudinis. Psal. LXXVI, 21 : *Deduxisti sicut oves populum tuum.* Educit ab amore viæ per donum consilii. Psal. CXXXIV, 7 : *Educens nubes ab extremo terræ.* Perducit ad amorem patriæ per donum intellectus. Gen. XXIV, 48 : *Adoravi Dominum, benedicens Domino Deo domini mei Abraham, qui perduxit me recto itinere,* etc. Inducit in securitatem de perveniendo per donum sapientiæ. Jerem. II, 7 : *Induxi vos in terram Carmeli, ut comederetis fructum ejus, et bona illius.*

« *Dirige.* » Quasi diceret : Non tantum adjuvas ne continuationem impediant : « *sed et dirige viam meam in conspectu tuo* » per rectitudinem intentionis, ne ipsam pervertant. Hoc enim tuum est. Prov. XVI, 9 : *Cor hominis disponit viam suam, sed Domini est dirigere gressus ejus.* Jerem. X, 23 : *Scio Domine, quod non est hominis via ejus : nec viri est ut ambulet, et dirigat gressus suos.* Propter hoc docet Tobias filium suum dicens :

Omni tempore benedic Deum : et pete ab eo ut vias tuas dirigat[1]. Psal. LXXXV, 11 : *Deduc me Domine in via tua*, et dirige me in semita recta. Et alibi, Psal. LXXXIX, 16 : *Respice in servos tuos et in opera tua : et dirige filios eorum.*

10 « *Quoniam non est in ore eorum veritas.* » Hic secundum, in quo ostenditur necessitas orandi, ut ab inimicis conservetur, scilicet eorum perfecta malitia, quæ monstratur in quatuor. Primo, quia non est in ore eorum veritas. Secundo, quia abundat in corde eorum vanitas. Tertio, quia consequens est ex duobus, quod redundat ad corruptionem aliorum iniquitas. Et hoc dupliciter : vel aperte quod notatur, ibi, « *Sepulcrum patens est guttur eorum :* » vel occulte, ibi, « *Linguis suis dolose agebant.* »

Quatuor malitiæ partes.

Primo, procul est a veritate.

Dicit ergo : Sic peto ab inimicis liberari, per te, nec mirum, « *quia non est in ore eorum veritas* » creata. Osee, IV, 1 : *Non est enim veritas, et non est misericordia, et non est scientia Dei in terra.* Isa. LIX, 14 : *Corruit in platea veritas, et æquitas non potuit ingredi.* Et per hoc nunc increata, quæ Filius est, Joan. XIV, 6 : *Ego sum via, et veritas, et vita.* Et si aliquando simulant veritatem, in corde habent dolositatem et fallaciam. Eccli. XIX, 23 : *Est qui nequiter humiliat se, et interiora ejus plena sunt dolo.*

Secundo, vana est.

« *Cor eorum vanum est,* » vanitati deditum. Supra in Psal. IV, 3 : *Ut quid diligitis vanitatem et quæritis mendacium.* Hæc autem vanitas in corde causa est falsitatis in ore. Gregorius : « Quod levis « conscientia concipit, protinus levior « lingua prodit. » Iterum, idem : « Qua- « lis sermo foris ostenditur, talis interius « animus comprobatur. » Matth. XII, 34 : *Ex abundantia cordis os loquitur.*

11 « *Sepulcrum patens.* » Quasi nulla in ore veritas, et nihil aliud in corde quam vanitas, ex quo sequitur, quod guttur eorum sit sepulcrum patens, fœtorem scilicet detractionis aperte emittens : non enim minus fœtet a parte superiori emittendo spiritualiter, quam a parte inferiori emittendo corporaliter. Seneca : « Non « refert utrum isti detractores superius « vel inferius intonent. »

Tertio, aperte nocet.

Et nota, quod sepulcra, sed clausa dicuntur hypocritæ. Matth. XXIII, 27 : *Væ vobis Scribæ, et Pharisæi hypocritæ, quia similes estis sepulcris dealbatis, quæ a foris parent hominibus speciosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum, et omni spurcitia.* Sepulcra etiam, sed patentia sunt gulosi, qui carnes ad litteram indifferenter recipiunt, et receptas corrumpunt. Num. XI, 34 : *Vocatusque est ille locus, Sepulcra concupiscentiæ :* quia ibi concupivit populus carnes, et habuit ut devoraret. Sed ista sepulcra, et præcedentia ad sepulcrum gehennæ ducuntur. Luc. XVI, 22 : Illud sepulcrum, scilicet dives epulo, *mortuus est*, et *sepultus est in inferno.* De hypocrita enim dicitur, Job, XXI, 31 et 32 : *Quis arguet coram eo vias ejus ? et quæ fecit, quis reddet ei ?* Et respondet : *Ipse ad sepulcra ducetur.* Et quod ad sepulcrum gehennale, manifestat in eo quod subdit : *Et in congerie mortuorum vigilabit.* Et detractor, Jerem. V, 16 : *Pharetra ejus quasi sepulcrum patens.*

Detractor variis figuris pingitur.

Nota, quod detractor sepulcro comparatur patenti, quia fœtorem emittit. Leproso, quia anhelitum emittendo quæ circa sunt corrumpit. Levit. XIII, 45, præcipiebatur, quod leprosus haberet *os veste contectum.* Et crabroni, qui dimissis floribus super stercora quiescit. Jos. XXIV, 12 : *Misi ante vos crabrones.* Et muri qui corrupta corrodit. I Reg. V, 6 et 9 : *Nati sunt mures... et computrescebant promi-*

[1] Tob. IV, 20.

nentes extales Philistinorum. Et hyenæ quæ de sepulcris extrahens corpora mortua, illa devorat et discerpit. Jerem. XII, 9, secundum aliam translationem : Numquid hæreditas mea mihi hyenæ spelunca [1]? Et milvo qui est avis querulosa, et escas cadaverum circumvolando rapit. Isa. XXXIV, 15 : *Illuc congregati sunt* ad obloquendum *milvi, alter ad alterum.*

Quarto, mentitur dolose.

« *Linguis suis dolose agebant.* » Occulte machinando malum, dolose agebant. Jerem. IX, 5 : *Vir fratrem suum deridebit, et veritatem non loquentur : docuerunt enim linguam suam loqui mendacium.* Propter hoc dicitur, Eccli. XXVIII, 23 : *Beatus qui tectus est a lingua nequam.* Eccli. XXXVII, 23 : *Qui sophistice loquitur, odibilis est, et in omni re defraudabitur.*

« *Judica illos Deus.* » Hæc est secunda pars, in qua petit vindictam de adversariis, et hoc non libidine vindictæ, sed zelo justitiæ. Primo, petit vindicari generaliter : secundo, modum exprimit quo petit vindicari, ibi, « *Decidant.* »

Dicit ergo : Tales sunt a quibus postulo liberari, sed hoc peto, « *Deus judica illos,* » judicio scilicet condemnationis. Vel potest esse non optatio vindictæ, sed declaratio. De judicio animæ, et differentiis judiciorum, supra satis penultimo versu primi Psalmi [2].

« *Decidant a cogitationibus suis.* » Hic specificat modum vindictæ quem comprehendit in tribus. Primo, ut cadant a bono sperato, secundo, ut ruant in malum insperatum, ibi, « *Secundum multitudinem impietatum eorum expelle eos.* » Tertio ostendit, quod debeant sic cadere, et ruere, ibi, « *Quoniam irritaverunt.* »

Ait ergo sic : Peto quod judices, et hoc sit judicium : « *Decidant a cogitationibus suis,* » quibus putant se mala non visuros. Psal. CXLV, 4 : *In illa die peribunt omnes cogitationes eorum.* Decidant, inquam, ab illis cogitationibus, de quibus in Sapient. II, 1 : *Dixerunt* impii *cogitantes apud se non recte,* etc. Et de quibus in Psal. LXXII, 8 : *Cogitaverunt et locuti sunt nequitiam.*

Nec hoc solum, imo

« *Secundum multitudinem impietatum eorum expelle eos,* » et longe a te pelle in infernum. Job, XVIII, 18 : *Expellet eum de luce in tenebras.* Et in Psal. XLIII, 3 : *Afflixisti populos, et expulisti eos.* Et nota, quod dicit *secundum multitudinem impietatum,* ut qui plus peccaverunt, longius a bono expellantur, et malo pœnæ profondius immergantur. Deut. XXV, 2 : *Pro mensura peccati erit et plagarum modus.* Isa. XXVII, 8 : *In mensura contra mensuram, cum abjecta fuerit, judicabis eam.* Apocalyp. XVIII, 7 : *Quantum glorificavit se, et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum.* Et digni sunt sic excidere, sic expelli, « *Quoniam irritaverunt te Domine,* » qui benignus es, imo benignitas ipsa. De te, Deuter. XXXII, 21 : *Ipsi me provocaverunt in eo qui non erat Deus, et irritaverunt in vanitatibus suis.* Et ibidem, ℣. 16 : *Eum... ad iracundiam concitaverunt.* Osee, XII, 14 : *Me provocavit Ephraim in amaritudinibus suis.* Alia littera sicut dicit Glossa : « Hunc amaricaverunt, hoc est, « te, qui dulcis es, in te peccando, sibi « amarum reddiderunt. » Unde Hieronymus : « Quidquid mali patimur, vitii no- « stri est, qui dulcem Deum vertimus in « amarum, et cogimus sævire nolentem. » Ipse enim est, cui veraciter competit illud Poetæ :

Est piger ad pœnas Princeps, ad præmia velox :
Quique dolet, quoties cogitur esse ferox.

[1] Ex Vulg. Jerem. XII, 9 : *Numquid avis discolor hæreditas mea mihi?*
[2] Cf. Psal. I, commentarium in ℣. 5, pag. 16 et 17.

12 « *Et lætentur omnes.* » Hic est tertia pars, in qua specificat quod petit. Petit enim hic bonam lætitiam bonorum.

Continua ergo sic : Illi judicentur, decidant, expellantur : et omnes qui sperant in te, qui sunt membra tua numero et merito, lætentur in te, hic primo, spe. Ad Rom. XII, 12 : *Spe gaudentes.* Et postmodum, re. Isa. LXI, 7 : *In terra sua duplicia possidebunt : lætitia sempiterna erit eis.* Et XXXV, 10 : *Venient in Sion cum laude : et lætitia sempiterna super caput eorum : gaudium et lætitiam obtinebunt, et fugiet dolor et gemitus.*

Quarta pars psalmi.

« *In æternum exsultabunt.* » Hæc est quarta pars et ultima totius Psalmi, in qua petito quod exaudiatur, et probato quod debeat exaudiri, et petitione specificata et formata, se tamquam præsentiens exaudiendum certitudinaliter asserit ad implendum quod petiit : et dicuntur duo. Primo, prædicit explendam bonorum lætitiam quam petiit. Secundo, totum gratiæ attribuit, ibi, « *Domine ut scuto.* »

Et tanguntur quatuor. Primo, lætitiæ bonorum æternitas, secundo securitas, ibi, « *Et habitabit in eis :* » tertio, veritas, ibi, « *Et gloriabuntur in te.* » Quarto, copiositas, ibi, « *Quoniam tu benedices.* »

Gaudium justorum quatuor constat.

Ait ergo sic : Petivi, sed certus sum, quoniam in æternum exsultabunt justi, malis e contrario contristatis. Proverb. XIV, 32 : *In malitia sua expelletur impius : sperat autem justus in morte sua.* Isa. LXV, 14 : *Servi mei laudabunt præ exsultatione cordis, et vos clamabitis præ dolore cordis, et præ contritione spiritus ululabitis.* Et XXXV, 1 et 2 : *Lætabitur deserta et invia, et exsultabit solitudo.* Et paulo post : *Exsultabit lætabunda et laudans.* Nec ad horam exsultabunt, sed « *in æternum.* » Non sic lætitia hypocritæ. Job, XX, 5 : *Gaudium hypocritæ ad instar puncti.* Et XXI, 13 : *Ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt.*

« *Et habitabis in eis,* » ut sit lætantibus plena securitas, cum non tantum juxta eos sis, sed in eis. Job, XVII, 3 : *Libera me Domine, et pone me juxta te, et cujusvis manus pugnet contra me.* Apocalyp. XXI, 3 : *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit in eis.* Isa. XXXII, 18 : *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, et in tabernaculis fiduciæ.* Sed etiam erit lætitiæ tam securæ veritas, et hoc est quod subdit.

« *Et gloriabuntur in te omnes qui diligunt nomen tuum,* » Filium scilicet tuum. Isa. XXX, 27 : *Ecce nomen Domini venit de longinquo.* Ecce hæreditatis perceptio, de qua in titulo hujus Psalmi mentio facta est. Alibi, Psalm. XX, 4 : *Prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis.* De utroque autem alibi, in Psal. CXXXI, 15 : *Viduam ejus benedicens,* benedictione gratiæ, *benedicam,* benedictione gloriæ.

« *Domine, ut scuto bonæ voluntatis* 13
tuæ coronasti nos. » Hic secundum, in quo totum attribuit Dei gratiæ. Quasi sic diceret : Lætabuntur lætitia perpetua, secura, vera, et copiosa, et hoc non suis viribus, sed quia tu Domine coronasti nos, hoc est, undique circumdedisti bonæ voluntatis, id est, bona voluntate. Genitivus enim ponitur pro ablativo more Græcorum, scilicet gratia a bona voluntate procedente, ut scuto nos undique protegente.

Scutum multiplex.

Et nota, quod est multiplex scutum : fidei contra hæreticorum errores. Ad Eph. VI, 16 : *In omnibus sumentes scutum fidei.* Patientiæ contra passiones illicitas a tyrannis. II Paralip. IX, 15 et 16 : *Fecit igitur rex Salomon ducentas hastas aureas* (vel sexcentas secundum aliquos libros, quod magis videtur), *trecenta quoque scuta aurea.* Scutum etiam valet contra tentationes avaritiæ. Eccli. XXIX, 16 et 17 : *Super scutum potentis, et*

super lanceam, adversus inimicum tuum pugnabit, mundum scilicet qui tentat de avaritia. Scutum, memoria passionis Christi contra carnis titillationes. Thren. III, 65 : *Dabis eis scutum cordis laborem tuum,* id est, passionem tuam. Scutum, Sanctorum exempla contra suggestiones superbiæ a dæmonibus factæ. II Reg. I, 21 : *Montes Gelboe, nec ros, nec pluvia veniant super vos, quia ibi abjectus est clypeus fortium.* Josue, VIII, 26 : *Josue vero non contraxit manum, quam in sublime porrexerat, tenens clypeum, donec interficerentur omnes habitatores Hai.* Scutum etiam sacræ Scripturæ auctoritates contra veritatem impugnantes. Cant. IV, 4, dicitur *turris David ædificata cum propugnaculis : mille clypei pendent ex ea.* Scutum etiam verbum Dei contra volentes corrumpere humanos mores. Prov. XXX, 5 : *Omnis sermo Dei ignitus, clypeus est sperantibus in se.*

Passio Christi scutum.

PSALMUS VI.

Oratio pœnitentis Dei misericordiam implorantis.

1. *In finem in carminibus, Psalmus David pro octava.*
2. Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.
3. Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum; sana me Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea.
4. Et anima mea turbata est valde; sed tu Domine usquequo?
5. Convertere Domine, et eripe animam meam; salvum me fac propter misericordiam tuam.
6. Quoniam non est in morte qui memor sit tui; in inferno autem quis confitebitur tibi?
7. Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum; lacrymis meis stratum meum rigabo.
8. Turbatus est a furore oculus meus; inveteravi inter omnes inimicos meos.
9. Discedite a me omnes qui operamini iniquitatem [1], quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei.
10. Exaudivit Dominus deprecationem meam, Dominus orationem meam suscepit.
11. Erubescant, et conturbentur vehementer omnes inimici mei; convertantur et erubescant valde velociter.

[1] Matth. vii, 23 et xxv, 41; Luc. xiii, 27.

IN PSALMUM VI.

COMMENTARIUS.

1 *In finem, Psalmus David pro octava*[1].

« *Domine, ne in furore.* » Sextus Psalmus cui præponitur quintus titulus qui talis est : *In finem, Psalmus David pro octava :* in quo tanguntur tria. Universalis utilitas, per hoc quod dicitur « *in finem.* » Supplendum enim est esse Christum : nos dirigens, quia finis duplici modo, sicut superius expositum est [2] : et causa efficiens Psalmi, cum dicitur « *David :* » et excitativum et motivum Auctoris, cum dicitur « *pro octava.* » Notandum enim, quod octava appellatur hic dies judicii, non, sicut quidam erronee hic putaverunt, propter hoc quod post septem annorum millia, completa septimana mundana, futurum sit. Incertum enim est, et cognitum soli Deo quando futura sit illa dies. *Matth.* xxiv, 36 : *De die illa, et hora nemo scit.* Et I ad Thess. v, 2 : *Dies Domini sicut fur in nocte, ita veniet.* Sed octava dicitur duplici ratione alia, quia sequetur post hanc vitam, quæ duplicatur per quaternarium et ternarium. Quatuor enim humoribus componitur humanum corpus, et per quatuor anni tempora variatur, et ex quatuor componitur elementis. Ex parte autem animæ sunt tres potentiæ sive vires, quibus et spiritualis hominum vita regitur, ordinatur. His autem decursis, sequitur dies judicii quasi octava. Vel melius : Octava dicitur, quia consecutiva hujus vitæ, quæ septem dierum currit circulo. Illam ergo diem cogitans sanctus David, et cogitare nos docens, affectus timore loquens pro se et in persona timentium, edidit Psalmum istum.

Octava, dies judicii ex duplici capite.

Sensus ergo tituli talis est : hic Psalmus in Christum finem nos dirigens, « *David* » est ut Auctoris, « *pro octava,* » id est, pro timore octavæ diei, scilicet diei judicii ab ipso editus, et a timentibus diem illum dicendus. Ex hoc patet, quod recte dicitur primus *Psalmus pœnitentialium.* Inchoatio enim pœnitentiæ a timore est, causato ex timore judicii, secundum illud Isa. xxvi, 18 : A timore tuo *concepimus, et quasi parturivimus et peperimus spiritum,* scilicet salutis.

Argumentum : Judicii timor a quo pœnitentia incipit.

Patet et ordinatio hujus Psalmi ad Psalmum præcedentem : oravit enim in Psalmo præcedenti pro hæreditate æterna sibi danda : sed quia ad hoc via est pœnitentia, hic subjungitur de pœnitentia postulantis. Item, in Psalmo præcedenti confidenter asserebat se adepturum hæreditatem quæ pertinet ad perfectionis statum. Ne ergo credantur excludi imperfecti, subjungitur hic de timore imperfectorum, et pœnitentium, per quem incipiunt sequi perfectos.

[1] In Vulg. habetur, uti vidimus, *In finem in carminibus, Psalmus David pro octava.*

[2] Cf. Commentarium in Psal. IV, ad ℣. 1.

Divisio psalmi.

Dividitur autem in tres partes. Primo, in statu pœnitentis concussus timore petitionem facit. Secundo, ut ad misericordiam provocet Deum, miserias exponit, ibi, « *Laboravi.* » Tertio, quod idoneus sit exaudiri, ostendit, ibi, « *Discedite a me.* »

In prima parte duo dicuntur, secundum duo quæ petit, timore concussus. Primum est removeri a malo. Secundum, promoveri in bonum, ibi, « *Salvum me fac propter misericordiam tuam.* »

Item, cum duplex sit malum, futurum videlicet et præsens, primo petit liberari a malo futuro : secundo, a malo præsenti, ibi, « *Miserere mei.* » A malo futuro duplici petit liberari. Primo, a malo gehennæ, quod est magis desiderabile. Secundo, a malo purgatorii, a quo etiam bonum est liberari, ibi, « *Nec in ira tua.* »

2 Dicit ergo : « *Domine, ne in furore tuo,* » id est, in effectu furoris quem exercebis contra malos in die judicii, « *arguas me* », id est, arguendo punias. Hic est furor de quo Isa. xxx, 27 : *Ardens furor ejus, et gravis ad portandum :* et additur de argutione, *labia ejus repleta sunt indignatione.* Hunc furorem timebat Job quando dicebat in cap. xiv, 13 : *Quis mihi hoc tribuat, ut in inferno protegas me, et abscondas me, donec pertranseat furor tuus ?*

[C]ur dies judicii timendus ?

Nec mirum si timetur dies illa a pœnitentibus imperfectis : timenda enim est multiplici ratione. Prima propter incertitudinem status sui, vel salutis. Eccle. ix, 1 : *Nescit homo utrum amore, an odio dignus sit.* Maxime ergo imperfectus incertus est propter electorum commotionem quam audimus tunc futuram. Isa. xxiv, 19 et 20 : *Confractione confringetur terra, contritione conteretur terra, commotione commovebitur terra, agitatione agitabitur terra.* Propter impugnationem totius creaturæ quæ malos impugnabit. Sap. v, 18 et 21 : *Armabit creaturam ad ultionem inimicorum.* Et paulo post : *Pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos.* Propter judicis potestatem irrefragabilem. Psal. lxxxix, 11 : *Quis novit potestatem iræ tuæ ?* Job, ix, 13 : *Deus cujus iræ nemo resistere potest.* Propter judicii districtionem. Sophon. i, 12 : *Scrutabor Jerusalem in lucernis.* Propter severitatem et inflexibilitatem. Prov. vi, 34 et 35 : *Zelus et furor viri non parcet in die vindictæ, nec acquiescet cujusquam precibus, nec accipiet pro redemptione dona plurima.* Propter ipsius judicis honorem. Mal. iii, 2 : *Quis poterit cogitare diem adventus ejus ? et quis stabit ad videndum eum ?* Propter peccatorum manifestationem. Matth. x, 26 : *Nihil est opertum, quod non revelabitur : et occultum, quod non scietur.* I ad Cor. iv, 5 : *Nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus : qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium.* Ultimo propter pœnarum multiplicatem, quam infliget in corpore et in anima. Apoc. i, 16 : *De ore ejus gladius ex utraque parte acutus exibat.* Job, xix, 29 : *Fugite a facie gladii, quoniam ultor iniquitatum gladius est.* Punientur quidem tenebris, Matth. xxv, 30 : *Inutilem servum ejicite in tenebras exteriores,* quia veram lucem quæ Christus est, repulerunt. Joan. i, 9 : *Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Fœtore, Isa. iii, 24 : *Et erit pro suavi odore fœtor,* quia cum justis in odore unguentorum Christi currere noluerunt. Cant. i, 3 : *Curremus in odorem unguentorum tuorum.* Frigore et igne, Job, xxix, 19 : *Ad nimium calorem transeat ab aquis nivium.* Frigore, quia illum ignem vel exstinxerunt, vel repulerunt, de quo Luc. xii, 49 : *Ignem veni mittere in terram.* Igne, quia gratiæ refrigerium contempserunt, Eccli. xviii, 16 : *Nonne ardorem refrigerabit ros ?* Daniel. iii, 50, Ventus roris refrigerium præstitit tri-

Varia damnatorum suplicia.

bus pueris in fornaci[1]. Hæc exterius. Sed interius verme conscientiæ, Isa. LXVI, 24 : *Vermis eorum non morietur* : quia vermen luxuriæ nutriverunt. Ad Gal. VI, 8 : *Qui seminat in carne sua, de carne et metet corruptionem.*

« *Neque in ira tua,* » quæ minor est quam furor, scilicet in affectu iræ qua punis in purgatorio, « *corripias me.* » Per purgatorium enim Dominus non interficit, sed corripit : non enim est hic ira ardens et sæviens, de qua supra in Psal. II, 13 : *Cum exarserit in brevi ira ejus,* etc. De qua, Matth. III, 7 : *Progenies viperarum, quis demonstrabit vobis fugere a ventura ira ?* Et ad Rom. I, 18 : *Revelabitur ira Dei de cœlo super omnem impietatem.* Sed ira est quæ misericordiam sequitur, juxta illud Habacuc, III, 2 : *Cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis.* Quæ in purgatorio existentibus ira dicitur, iis autem qui affliguntur hic, non ira, sed magis prona pietas dicenda est. Job, V, 17 : *Beatus homo, qui corripitur a Domino,* et Augustinus in Glossa talem petit iram : « Hic ure, « hic seca me : sed in furore tuo, vel in « indignatione, ne arguas me, vel corri-
Nota. « pias me. » Ergo est furor Dei in inferno, ira in purgatorio, sed prona correctio hic in mundo.

3

« *Miserere mei.* » Hic petit liberari a malo præsenti : et dicuntur duo. Primo, petitio liberationis : secundo, petitionis acceleratio, ibi, « *Sed tu Domine usquequo ?* » Item, malum duplex, culpæ a quo petit primum liberari, et pœnæ a quo secundo, ibi, « *Sana me.* »

In prima duo. Petitio et ratio quare debeat exaudiri, ibi, « *Quoniam infirmus.* »

Dicit ergo sic : Petii ut me in futuro non arguas nec corripias, et nunc Domine peto « *miserere mei* » quadrupliciter, ne desperem, per spem veniæ consolando, juxta illud Ezech. XVIII, 22 : Quacumque hora ingemuerit peccator, *omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor* amplius. Aversum a te per internam inspirationem revocando, juxta illud Isa. XXX, 21 : *Aures tuæ audient verbum post tergum monentis.* Pigritantem converti per patientiam et benignitatem exspectando, secundum illud Apostoli ad Rom. II, 4 : *Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit ?* et Isa. XXX, 18 : *Exspectat Dominus ut misereatur vestri.* Et tandem converso hilariter occurrendo, sicut benignus pater filio prodigo revertenti, Luc. XV, 20. — Quadruplex misericordia.

Et hoc debes,

« *Quoniam infirmus sum.* » Qui autem tibi ostendit infirmitatem, a te meretur veniam. Augustinus : « Argumen- « tum est pietatis impetrandæ, ostensio « infirmitatis. » Infirmus autem sum infirmitate multiplici. Naturæ, de qua Sapient. IX, 5 : *Homo infirmus et exigui temporis.* Et pœnæ, de qua Joan. XI, 3 : *Domine, ecce quem amas infirmatur.* Et culpæ, de qua Ezech. XXXIV, 4 : *Quod infirmum fuit, non consolidastis.* Et imperfectione in fide, de qua ad Rom. XIV, 2 : *Qui infirmus est, olus manducet.* Et consuetudinis pravæ, de qua Seneca : « Non est locus remedio, dum vitia mo- « res fiunt. » Tu autem te consolidaturum infirmo promisisti, Ezech. XXXIV, 16 : *Quod infirmum fuerat consolidabo.* — Quintuplex infirmitas.

« *Sana me.* » Hic petit liberari a pœna, et dicuntur duo similiter. Primo, petitio : secundo, quare debeat exaudiri, ibi, « *Quoniam conturbata.* »

Dicit ergo sic : Peto liberari a pœna, sed et hoc peto, o Domine, « *sana me* » a miseria culpæ. Jerem. XVII, 14 : *Sana me Domine, et sanabor.* Sana me, quo-

[1] Dan. III, 49 et 50 : *Angelus Domini... fecit medium fornacis quasi ventum roris flantem, et non tetigit eos omnino ignis, neque contristavit.*

niam sanabilis est miseria mea. Sap. I, 14 : *Creavit enim,* scilicet Deus, *ut essent omnia : et sanabiles fecit nationes orbis terrarum,* non nationes dæmonum. Quia potes et solo verbo. Psal. CVI, 20 : *Misit verbum suum, et sanavit eos.*

« *Quoniam conturbata.* » Hic ponitur ratio duplex ad movendum judicem, scilicet duplex miseria. Animæ, quantum ad superiorem partem turbatio : quantum ad inferiorem, turbationis incensio, ibi, « *Et anima mea.* »

Ait ergo : Sana me, et hoc te moveat, « *quoniam ossa mea,* » id est, animæ meæ vires, rationabilis, concupiscibilis, irascibilis, quæ sunt quædam ossa animæ spiritualis, « *conturbata sunt.* » Thren. II, 11 : *Conturbata sunt viscera mea.* Jerem. IV, 19 : *Sensus cordis mei turbati sunt in me.*

exaudiam. Illud enim intelligitur de perfectis : hic autem loquitur in statu imperfecti. Præterea ipsa dilatio, exauditio est ad bonum ejusdem postulantis. Primo, quia tunc veraciter cognoscit quam gravis sit miseria in qua jacet. Gregorius : « Cum se expedire nititur, tunc veraciter cognoscit, quam duris nexibus retinetur. » Item, ipsa dilatione cruciatus magis ac magis purgatur. Gregorius : « Differens cruciat, et cruciando purgat. » Item, cautior redditur ad cavendum recidivum. Augustinus : « Facilitas veniæ incentivum tribuit delinquendi. » Item, desideria augmentantur. Gregorius : « Desideria dilatione crescunt. » Ultimo, quia post multam dilationem et multos gemitus, impetratum carius habetur et gratius. Seneca : « Quod gratum vis haberi, raro effice. » Item, idem : « Melius sapiunt quæ pluris emuntur. »

« *Et anima mea.* » Pars animæ, scili-
4 cet inferior sensualitas turbata est valde, turbatione triplici. Admirationis, Cant. VI, 11 : *Anima mea conturbavit me propter quadrigas Aminadab :* quæ enim prius erat domina, servam se cognoscit. Et timoris, de qua Matth. II, 3 : *Turbatus est* Herodes, *et omnis Jerosolyma cum illo.* Sapient. XVII, 10 : *Semper enim præsumit sæva, perturbata conscientia.* Et hoc, quia videt sibi imminere supplicia et dolores : de quo in Psal. LIX, 4 : *Sana contritiones ejus, quia commota est.* Quia videt se amisisse bona gratiæ et gloriæ.

« *Sed tu, Domine.* » Hic petit accelerationem liberationis : et dicuntur duo. Primo, admiratio de mora liberationis, ut liberatorem excitet : secundo, supplicatio pro liberatione, ibi, « *Convertere* ».

Ait ergo sic : Turbor et conturbor : « *sed tu Domine usquequo* » differs me liberare. Et Habac. I, 2 : *Usquequo Domine clamabo, et non exaudies ?* Nec est hoc contra illud quod dicitur, Isa. LXV, 24 : *Eritque, antequam clament, ego*

« *Convertere.* » Hic postulatio accelera- 5
tionis. Primo, de liberatione a culpa : secundo, a pœna, ibi, « *Et eripe.* »

Dicit ergo sic : Miror de mora, sed rogo te Domine, « *convertere* » celeriter ad me, (cujus conversio est culpæ deletio,) ut dicas mihi illud Osee, XI, 8 : *Conversum est in me cor meum.* Ut contingat mihi sicut et Petro, Luc. XXII, 61 : *Conversus Dominus respexit Petrum.* Et statim sequitur, quod *flevit amare,* et delevit culpam. Convertitur autem Dominus, rationabilem illuminando ad cognitionem veritatis, juxta illud Apostoli ad Eph. V, 14 : *Surge qui dormis, et exsurge a mortuis, et illuminabit te Christus.* Concupiscibilem inflammando ad amorem bonitatis illo igne, de quo Luc. XII, 49 : *Ignem veni mittere in terram,* etc. Irascibilem roborando ad destructionem iniquitatis. Isa. XL, 31 : *Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem.* « *Convertere* » ergo sicut promittis. Zach. I, 3 : *Convertimini ad me, et convertar ad vos.*

« *Et eripe animam meam,* » a languore pœnali in quo per peccatum relicta est,

tamquam in laqueo involuta et adstricta. Prov. v, 22 : *Funibus peccatorum suorum, quisque constringitur,* et in Psal. CXVIII, 61 : *Funes peccatorum circumplexi sunt me :* ut possim dicere illud Psal. CXXIII, 7 : *Laqueus contritus est, et nos liberati sumus :* et illud : *Ipse liberavit me de laqueo venantium*[1]. Eripe ergo animam meam terrenis adhuc per delectationem adhærentem, secundum illud Psal. CXVIII, 25 : *Adhæsit pavimento anima mea.* Et alibi, *Conglutinatus est in terra venter noster*[2]. Per reiterationem peccato infixam, secundum illud Psal. LVIII, 3 : *Infixus sum in limo profundi.* Ligatam per consuetudinem, Osee, IV, 19 : *Ligavit eum in alis suis spiritus.* Job, XVIII, 8 et 9 : *Immisit in rete pedes suos, et in maculis ejus ambulat : tenebitur planta illius in laqueo.* Absorptam per desperationem et contemptum, Prov. *Impius, cum in profundum venerit peccatorum, contemnit.* Ab iis eripiendum et avellendum est cor, vel ipsa a corde ; quod si non potest fieri, totum simul esset avellendum. Seneca : « Avellenda « sunt quæcumque cor laniant, quæ si « avelli non possunt, etiam cor cum ipsis « avellendum est. »

Status animæ peccatricis.

Nota monitum.

« *Salvum me fac.* » Hic petit promoveri in bono vel conservari : et dicuntur duo. Primo, petitionem facit : secundo, necessitatem ostendit suæ petitionis, ibi « *Quoniam non est in morte.* »

Dicit ergo sic : Petii a malis liberari, et hoc celeriter : sed et hoc peto : « *Salvum me fac,* » virtutes usque ad salvati perfectionem producendo, et hoc non meis meritis, quia nulla reputo, sed

« *Propter misericordiam tuam,* » cui totum attribuo, de qua spero. Ad Titum, III, 5 : *Non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit.* Thren. III, 22 : *Misericordiæ Domini, quia non sumus consumpti.* Non virtutis nostræ. Jacob. I, 17 : *Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum.*

« *Quoniam non est in morte.* » Hic os- 6
tendit petitionis necessitatem ratione duplici. Prima, quia non valet confessio. Secunda, quia non est evasio a culpa, vel a pœna post mortem, ibi, « *In inferno autem.* »

Ait ergo sic : Peto liberari a malo, et promoveri in bonum celeriter, « *quoniam in morte,* » cujus hora mihi incerta est, « *non est qui memor sit tui,* » id est, qui memor esse possit tui, ad veniam vel salutem impetrandam. Sed notandum, quod est mors naturæ, a qua dicitur quis *moriens.* De hac non intelligitur : moriens enim potest esse memor Dei ad salutem. Et est mors a qua dicitur quis *mortuus.* De hac intelligitur quod hic dicitur. Eccli. XVII, 26 : *Non demoreris in errore impiorum, ante mortem confitere.* Mortuo enim quasi nihil, perit confessio. Eccle. XI, 3 : *Si ceciderit lignum ad Austrum, aut ad Aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit.* Hujus exemplum habes in Evangelio Matth. XXV, 12, de confidentibus post mortem : *Amen dico vobis, nescio vos.*

« *In inferno autem,* » jam conclusus, « *quis confitebitur tibi ?* » Vel confessione fidei, de qua dicitur ad Rom. X, 10 : *Corde creditur ad justitiam : ore autem confessio fit ad salutem :* et Matth. X, 32 : *Qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo.* Vel laudis, de qua dicitur in Psal. CV, 1 : *Confitemini Domino quoniam bonus.* Vel peccati, de qua Jacob. V, 16 : *Confitemini ergo alterutrum peccata vestra?* Vere nullus, ita quod sit utilis ad salutem. Isa. XXXVIII, 18 : *Non infernus confite-*

[1] Psal. XC, 3.

[2] Psal. XLIII, 25.

bitur tibi, nec mors laudabit te: non exspectabunt qui descendunt in lacum, veritatem tuam, etc. Alia translatio mea : « Qui descendet ad inferos, non ascendet, nec revertetur ultra in domum suam. » Job, VII, 9 : *Qui descenderit ad inferos, non ascendet.* Propter hoc dicitur, Eccle. IX, 10 : *Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas.* Potest etiam intelligi de morte culpæ. In hac morte existit qui adhuc peccatum diligit. In inferno autem est, qui desperat vel contemnit. De talibus autem intelligitur illud Joan. IX, 31 : *Scimus quia peccatores Deus non audit.* Ex dictis relinquitur, quod est mors naturæ quæ mala est, et mors culpæ quæ est deterior, et est gehennæ quæ est pessima, juxta illud Psal. XXXIII, 22 : *Mors peccatorum pessima.*

Gradus mortis.

7

Secunda pars Psalmi.

« *Laboravi in gemitu meo.* » Hæc est secunda pars Psalmi, in qua postquam pœnitens timore concussus, humilem petitionem proposuit, subjungit provocationem judicis ad compassionem, et hoc dupliciter. Primo, emendam nuntiando : secundo, necessitatem emendæ confitendo, ibi, « *Turbatus est a furore.* »

In prima duo. Primo, nuntiat emendam, quam jam fecit secundo quam facere proponit, ibi, « *Lavabo.* » Quam jam fecit, duplex tangitur, exterior in actu, interior in gemitu.

Ait ergo sic : Rogavi necessitate compulsus. Et tu Domine ad compassionem moveri debes, « *quoniam laboravi,* » exterius meipsum in bonis operibus exercendo, secundum illud Apostoli ad Rom. VI, 19 : *Sicut exhibuistis membra vestra servire immunditiæ, et iniquitati ad iniquitatem, ita*, etc. Et crucem pœnitentiæ sustinendo, secundum illud ejusdem ad Gal. V, 24 : *Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis.*

Nota, quod est malus labor, et hic duplex. Culpæ, de quo dicitur, Jerem. IX, 5 : *Ut inique agerent laboraverunt*, et de quo dicunt mali, Sapient. V, 7 : *Lassati sumus in via iniquitatis et perditionis, et ambulavimus vias difficiles.* Et pœnæ æternæ, de quo in Psal. XLVIII, 9 et 10 : *Laborabit in æternum, et vivet adhuc in finem.* Et est labor bonus. Bonus pro se, vel sustinendo in necessariis corporis, de quo II ad Thess. III, 10 : *Si quis non vult operari, nec manducet.* Vel pœnitentiæ pro peccatis puniendis de quo hic : « *Laboravi.* » Vel pro aliis et ad salutem vocandis, de quo in Psal. LXVIII, 4 : *Laboravi clamans*, etc. De iis duobus ultimis laboribus, Sap. III, 15 : *Bonorum laborum gloriosus est fructus.*

Duplex labor malus.

Triplex labor bonus

« *Laboravi* » ergo sic exterius, « *in gemitu meo,* » laborans interius. Alibi, in Psal. XXXVII, 9 : *Rugiebam a gemitu cordis mei.* Thren. I, 22 : *Multi gemitus mei, et cor meum mœrens.* Et dicit Cassiodorus, quod « gemitus a geminando « dicitur. Geminam enim causam habet « gemens pro peccatis : unam, quia præ- « sentem pœnam sentit : alteram, quia « timet futuram. » Nota, quod septem liquores Dominus propinat ad animam abluendam. Aquam Baptismatis primo, Ezechiel. XXXVI, 25 : *Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* IV Reg. V, 10 : *Vade, et lavare septies in Jordane.* Si cito sordidatus est, propinatur ei liquor alius, lacrymæ, sicut hic dicitur: postmodum tertius, scilicet lac simplicis doctrinæ, quo mundatur a sordibus eorum. Cant. V, 12 : *Oculi ejus sicut columbæ super rivulos aquarum, quæ lacte sunt lotæ.* Sed sic mundata ab errore habet liquorem quartum, Christi sanguinem, quo debet lavari per Passionis ejus recordationem. Apocalyp. I, 5 : *Lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo.* Et VII, 14 : *Laverunt stolas suas, et dealbaverunt eas in sanguine Agni.* Sed adhuc propinatur ei quintus, scilicet vinum compunctionis. Genes. XLIX, 11 : *Lavabit in vino stolam suam, et in sanguine uvæ pallium*

Gemitus a causa gemina fletus.

Septem liquoribus abluitur anima.

suum. Propinatur et sextus, scilicet butyrum pinguis devotionis. Job, xxix, 6 : *Lavabam pedes meos butyro, et petra fundebat mihi rivos olei.* Propinatur et septimus, oleum lætitiæ spiritualis. Daniel. xiii, 17 : *Afferte oleum, et smigmata,... ut laver.* Paratur ad lavandum non liquor, sed fervor ignis, scilicet ardentissimæ charitatis. Isa. iv, 4 : *Si abluerit Dominus sordes filiarum Sion, et sanguinem Jerusalem laverit de medio ejus, in spiritu judicii, et spiritu ardoris.*

Duplex emendatio exigenda.

« *Lavabo per singulas noctes.* » Hic emenda quam promittit, quæ est duplex: una, purgare conscientiam, quod pertinet ad declinationem mali, alia, bonarum affectionum abundantia, quod pertinet ad operationem boni, ibi, « *Lacrymis.* »

Ait ergo : Sic laboravi, sic ingemui : sed et hoc promitto, quoniam lectum meum, interiorem scilicet conscientiam, in qua quiescendum est, lavabo abundantia lacrymarum, « *per singulas noctes,* » ad litteram, singulis noctibus lacrymando. Vel « *per singulas noctes,* » super singula peccata lacrymas effundendo.

Ad hunc fletum invitamur, Jerem. vi, 26 : *Luctum unigeniti fac tibi planctum amarum.* Et Mich. iv, 10 : *Dole, et satage filia Sion, quasi parturiens.* Jerem. iv, 14 : *Lava a malitia cor tuum.* Thren. ii, 18 : *Deduc quasi torrentem lacrymas per diem et noctem.*

« *Lacrymis meis.* » Quasi diceret : Non solum lavabo conscientiam, sed etiam stratum meum, cor scilicet virtutibus paratum, « *rigabo lacymis meis,* » ut producat affectionum bonarum fructum. Eccli. xxiv, 42 : *Rigabo hortum meum plantationum, et inebriabo prati mei fructum.* Et nota, quod idem quod superius dixit lectum, hic dicit stratum.

Quid differt stratum a lecto ?

Cassiodorus enim dicit, quod « lectus dicitur ab electione herbarum, quæ in lectis solent poni, juxta illud Cant. i, 15 : *Lectulus noster floridus :* stratum autem dicitur a sternendo, quia pretiosis solet sterni, et ornari ornamentis. »

Triplex genus lacrimarum.

Et nota, quod sunt lacrymæ pro seipso, et hæ contritionis, de quibus hic : et ad proximum, et hæ compassionis de quibus Jerem. ix, 1 : *Quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrymarum,* etc. Et ad Dominum, et hæ devotionis, quæ reficiunt animam, de quibus in Psal. xli, 4 : *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte.* Hoc est irriguum superius, de quo Josue, xv, 19 : *Dedit ei Caleb irriguum superius et inferius.*

« *Turbatus est a furore oculus meus.* » 8
Hic ostenditur necessitas emendandi, et hoc duplici ratione. Prima, timoris magnitudo, secunda, peccandi consuetudo, ibi, « *Inveteravi.* »

Dicit ergo sic : Emendavi jam in parte, et adhuc emendabo, et necesse habeo, quia « *turbatus est oculus meus* » rationis meæ, « *a furore,* » id est, in effectu meditationis furoris tui. Nahum, i, 2 : *Ulciscens Dominus, et habens furorem : ulciscens Dominus in hostes suos.* Isa. xxxviii, 14 : *Attenuati sunt oculi mei, suspicientes in excelsum.* Habac. iii, 16 : *Audivi, et conturbatus est venter meus.*

Oculus multiplex.

Et nota, quod est oculus corporis, de quo Eccle. i, 8 : *Non saturatur oculus visu : nec auris auditu impletur.* Et est oculus mentis, sicut hic. Et est oculus cordis, scilicet intentio : de quo Matth. vi 22 : *Si oculus tuus fuerit simplex : totum corpus tuum lucidum erit.* Et est oculus pupillæ, et hic duplex : procurator in temporalibus, scilicet sinister oculus, in spiritualibus, dexter. De utroque, Matth. v, 22 : *Si oculus tuus dexter scandalizat te,* etc. Per dextrum intelligitur et sinister.

Prælatus oculus Ecclesiæ.

Et est oculus Ecclesiæ, scilicet Prælatus. Cant. iv, 1 : *Oculi tui columbarum, absque eo quod intrinsecus latet.* Debent enim Prælati esse simplices in bono opere, fœcundi in prædicatione, sicut columbæ, absque eo quod intrinsecus latet, in conscientiæ puritate.

« *Inveteravi.* » Quasi diceret : Non solum me compellit timoris magnitudo,

sed etiam hoc quod inter inimicos meos dæmones, et homines malos inveteravi, peccata peccatis adjiciendo. Baruch, III, 10 et 11 : *Quid est Israel quod in terra inimicorum es ? Inveterasti in terra aliena*. Et nota, quod est inveteratio seu vetustas naturæ seu temporis, de qua alibi, in Psal. CI, 27 : *Omnes sicut vestimentum veterascent*. Et Levit. XXVI, 10 : *Comedetis vetustissima veterum*. Et est inveteratio culpæ, et hæc duplex : Interius in cognitione et affectu, Isa. XXVI, 3 : *Vetus error abiit*. Exterius in opere et effectu : ad Coloss. III, 9 : *Exspoliantes vos veterem hominem*. Inveterascit autem homo per peccatum, quia visum amittit : Psal. XXXIX, 13 : *Comprehenderunt me iniquitates meæ, et non potui ut viderem*. Tremulus fit : Psal. XIII, 5 : *Trepidaverunt timore, ubi non erat timor*. Infatuatur : ad Rom. I, 28 : *Tradidit illos Deus in reprobum sensum*. I ad Cor. XIV, 20 : *Nolite pueri effici sensibus*. Rugatur sublato humore gratiæ : Job, XVI, 9 : *Rugæ meæ testimonium dicunt contra me*. Sordidus efficitur : Apoc. XXII, 11 : *Qui in sordibus est, sordescat adhuc*. Psal. X secundum Hebr. X, 5 : *Inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore*.

9 « *Discedite a me*. » Hæc tertia pars Psalmi, in qua ostendit se exaudiendum, et hoc duplici ratione. Primo, quia a malis se separat : secundo, quia pro conversione illorum, a quibus separatus est, orat, ibi, « *Erubescant*. »

Tertia pars Psalmi.

In prima duo. Primo, separationem sui inducit a malis : secundo, causam subjungit quare separari velit, ibi, « *Quoniam exaudivit*.

Dicit ergo : Sic petivi, sic pœnitentiam promisi, et debeo exaudiri, quia dico vobis, o vos omnes qui operamini iniquitatem, « *discedite a me* » jam correpto a peccato, ne iterum in vestro consortio recidam. Eccli. XIII, 1 : *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea*. Seneca : « Honestatem excutit dissimilis multitu« do. » Super illud Marc. XIV, 72, de Petro, *Et cœpit flere*, Glossa : « Quam no« xia sunt pravorum colloquia ! Petrus « inter infideles hominem se negavit nos« se, quem inter condiscipulos jam Dei « filium fuerat confessus [1] . »

Nota.

« *Discedite a me omnes qui operamini iniquitatem*. » Num. XVI, 21 : *Separamini de medio congregationis hujus*, ne forte involvamini cum ea. Et nota, quod triplici de causa separat se a malis. Propter cautelam, ut vitet infectionem. I ad Cor. XV, 33 : *Corrumpunt bonos mores colloquia prava*. Propter medicinam, ut sanetur ille a quo separamur, quod fit per excommunicationem. Sic separavit fornicatorem Corinthium Paulus, I ad Cor. V, 5 : *Ut spiritus salvus sit*. Et propter superbiam, propter ipsorum contemptum et despectionem. Sic dicebant Pharisæi separati, Luc. XVIII, 11, Dicebat unus eorum, *quia non sum sicut cæteri hominum*.

« *Quoniam exaudivit Dominus*. » Hic tangit causam separationis, quoniam ipse est exauditus. Exauditum autem se dicit in petitione triplici. Primo, in petitione amovendæ culpæ. Secundo, in petitione amovendæ pœnæ, ibi « *Exaudivit Dominus*. » Tertio, in petitione promovendæ gratiæ, ibi, « *Dominus orationem meam suscepit*. »

Tria obtinet Propheta.

Dicit ergo : Discedite : et hoc justum, quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei, facti pro culpis amovendis. Sic exaudivit Judith quæ dicebat, VIII, 14 : *Indulgentiam ejus fusis lacrymis postulemus*. Et Saram, Tob. III, 11 : *In oratione persistens, cum lacrymis deprecabatur Deum*.

[1] Cf. Matth. XVI, 16.

Et nota, quod dicit vocem fletus : nam

Interdum lacrymæ pondera vocis habent.

Vis lacrimarum. Et super illud quod dictum est de tertio Tobiæ dicit Glossa : « Oratio Deum « lenit, lacryma cogit : hæc ungit, illa « pungit. » Oratio enim lacrymosa hostibus est flagellum, oranti subsidium, Deo sacrificium : nec hoc tantum, imo hic autem loquitur ex vehementia præsumptionis, quæ surgit ex sensu internæ consolationis : non est enim possibile perseverantes in fletu pro peccatis non consolari. Matth. v, 5 : *Beati qui lugent : quoniam ipsi consolabuntur.* Tob. III, 22 : *Post tempestatem tranquillum facis : et post lacrymationem et fletum exsultationem infundis.*

10 « *Exaudivit Dominus deprecationem meam.* » Pro pœnæ malis amovendis. Luc. I, 13 : *Ne timeas Zacharia, quoniam exaudita est deprecatio tua,* et bene exauditur : remota enim culpa cito exauditur orans pro pœna relaxanda. I Joan. III, 21 et 22 : *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum : et quidquid petierimus, accipiemus.* E contrario dicitur, Jacob. IV, 3 : *Petitis, et non accipitis, eo quod male petatis : ut in concupiscentiis vestris insumatis.*

Oranti adest Trinitas. « *Dominus orationem meam suscepit.* » Pro bonis adipiscendis. Nota hic, sicut tangit Glossa, quod ter ponitur Dominus ad monstrandum quod oranti tota Trinitas adesse dignatur, nec dicitur propter hoc quod Trinitas personarum propriis notionibus distinguatur, sed propter hoc tantum, quod idem nomen essentiale, scilicet Dominus, ter ponitur. Et nota quomodo se exauditum replicat, et dicit susceptum, quod fit propter vehementiam gaudii. Seneca : « Difficilis « est gaudiorum patientia. » Et Gregorius : « Quod mens amat, sæpius repli- « cat. » Sed unde se exauditum noverat ? Eccle. IX, 1 : *Nescit homo utrum amore, an odio dignus sit.* Job, IX, 11 : *Si venerit ad ad me, non videbo eum : si abierit, non intelligam.* Sed responsio est : hæc intelliguntur de cognitione certitudinis,

11 « *Erubescant et convertantur.* » Hic secundum hujus partis, scilicet ratio secunda quare debeat exaudiri : quia orat pro inimicis. Et dicuntur tria. Primo, petit excitationem ipsorum ad conversionem. Secundo, conversionem ipsam, ibi, « *Convertantur.* » Tertio, conversionis conservationem, ibi, « Et *erubescant.* » Item, excitatio duobus modis fit, pudore scilicet peccati, et timore judicis : quorum utrumque petit.

Qui orat pro inimicis, exauditur.

Malus pudore et timore convertitur.

Malus. Ait enim sic : Volo separari a malis, sed non ex superbia, quia rogo « *erubescant* » pro peccato, bona scilicet erubescentia. Eccli. IV, 25 : *Est confusio adducens gloriam.* Jerem. XVII, 18 : *Confundantur qui me persequuntur.* Ezech. XXXVI, 32 : *Confundimini, et erubescite super viis vestris.*

« *Et conturbentur.* » Pro futuro judicio, simul scilicet toti conturbentur. « *Vehementer omnes inimici mei.* » Job, II, 13 : *Nemo loquebatur ei verbum : videbant enim dolorem esse vehementem.* « *Conturbentur,* » id est, turbatione adveniente, velut accipitur hic : *In spiritu vehementi conteres naves Tharsis*[1]. « *Convertantur* » sic excitati. Isa. XXXI, 6 : *Convertimini sicut in profundum recesseratis filii Israel.* Et bene sequitur ad præcedentia.

Pudoris figura elegans. Ex pudore enim et timore vehementi, seu confusione sequitur conversio. Pudor enim est lapis quo Goliath in fronte percutitur et occumbit[2]. Jerem. XXXI, 19 :

[1] Psal. XLVII, 8.

[2] Cf. I Reg. XVII, 49.

Postquam ostendisti mihi, percussi femur meum. Confusus sum, et erubui. Timor enim est Angelus Domini quo descendente in piscinam movetur aqua : et sanantur infirmi [1]. Et ut sic conversi conserventur, rogo ut erubescant ex recordatione delicti : et dupliciter : « *Valde* » quantum ad intensionem erubescentiæ : « *Velociter* » quantum ad accelerationem. Ezech. XLIII, 10 et 11 : *Tu autem fili hominis ostende domui Israel templum,* Christum vel Ecclesiam, a quo fuerant separati et per peccatum ejecti, *et confundantur ab iniquitatibus suis,... et erubescant ex omnibus quæ fecerunt.* Et velociter fiat quantum ad accelerationem : nescit enim tarda molimina Spiritus sancti gratia.

[1] Joan. v, 4.

PSALMUS VII.

David orat ut ob suam innocentiam servetur, et ut consumatur nequitia peccatorum.

1. *Psalmus David, quem cantavit Domino pro verbis Chusi filii Jemini.* (*II Reg.* XVI, 7.)
2. Domine Deus meus in te speravi; salvum me fac ex omnibus persequentibus me, et libera me.
3. Nequando rapiat ut leo animam meam, dum non est qui redimat, neque qui salvum faciat.
4. Domine Deus meus, si feci istud, si est iniquitas in manibus meis :
5. Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam merito ab inimicis meis inanis.
6. Persequatur inimicus animam meam, et comprehendat, et conculcet in terra vitam meam, et gloriam meam in pulverem deducat.
7. Exsurge Domine in ira tua ; et exaltare in finibus inimicorum meorum.

   Et exsurge, Domine Deus meus, in præcepto quod mandasti :
8. Et synagoga populorum circumdabit te.

   Et propter hanc in altum regredere :
9. Dominus judicat populos. Judica me Domine secundum justitiam meam, et secundum innocentiam meam super me.
10. Consumetur nequitia peccatorum, et diriges justum, scrutans corda et renes Deus [1].
11. Justum

    Adjutorium meum a Domino, qui salvos facit rectos corde.
12. Deus judex justus, fortis, et patiens, numquid irascitur per singulos dies ?
13. Nisi conversi fueritis, gladium suum vibrabit; arcum suum tetendit, et paravit illum.
14. Et in eo paravit vasa mortis, sagittas suas ardentibus effecit.
15. Ecce parturiit injustitiam [2]; concepit dolorem, et peperit iniquitatem.
16. Lacum aperuit, et effodit eum ; et incidit in foveam, quam fecit.
17. Convertetur dolor ejus in caput ejus ; et in verticem ipsius iniquitas ejus descendet.
18. Confitebor Domino secundum justitiam ejus; et psallam nomini Domini altissimi.

[1] I Paral. XXVIII, 9 ; Jerem. XI, 20, XVII, 10, et XX, 12.

[2] Job. XV, 35 ; Isa. LIX, 4.

IN PSALMUM VII

COMMENTARIUS.

1 *Psalmus David, quem cantavit Domino pro verbis Chusi filii Jemini.* (II Reg. xvi, 7).

« *Domine Deus meus.* » Hic est Psalmus numero septimus, in titulo sextus, qui, inquam, titulus talis est : « *Psalmus David* », in quo utilitas et auctor notatur, sicut frequenter expositum est[1] : « *quem cantavit Domino pro verbis Chusi filii Jemini* : » quod restat exponendum.

Causa Psalmi hujus.

Notantur enim in hoc tria. Modus editionis Psalmi in hoc quod dicitur, « *quem cantavit.* » Cui edidit cum dicit, « *Domino.* » Motivum ad edendum Psalmum cum subjungit, « *Pro verbis Chusi filii Jemini.* » Et planum est scienti historiam libri secundi Regum, Reg. cap. xvii : Qualiter Absalone persequente patrem suum David consilio Achitopel, Chusi de voluntate David quasi ad Absalonem transiens, dissipavit consilium Achitophel, et ipsum consilium quod dissipaverat, et aliud consilium quod dederat, manifestavit David, ex quo motus Psalmum edidit. Tamen secundum rei veritatem, et sicut vult Hieronymus, hic titulus huic historiæ non alludit : et hoc probat Hieronymus : Chusi de quo agitur in libro Regum, fuit filius Arachi. Hic autem dicitur filius Jemini. Item in Hebræo Chusi secundum quod ibi accipitur, per litteram כּ Hebræam scribitur : sed Chusi in hoc loco per litteram ש scribitur. Præterea quod dicitur in hoc Psalmo, Absaloni non convenit. Nusquam enim appellatus est leo. Unde magis secundum Hieronymum videtur compositus esse Psalmus contra Saulem[2]. Sed melius est ut dicatur, quod nec de historia Absalonis, nec Saulis hic agitur in hoc Psalmo. Sed Esdræ sic placuit velare mysterium sub interpretationibus nominum prædictorum : Chusi enim interpretatur *silentium* : Jemini interpretatur *dextera*, vel *dexteræ*. Pro silentio ergo dexteræ editur Psalmus iste. Pro silentio, inquam, manifestato : sicut enim superius dictum fuit in titulo Psalmi tertii, per Absalon cœtus Judaicus, per Achitophel Judas intelligitur, quorum consilium fuit perdere Christum, et degluttire quasi infernus viventem, sicut

Titulus psalmi de Christo explicandus et de mortis ejus sacramento Judæis occultato, piis aperto.

[1] Cf. superius Commentarium in Psal. IV, ad ỳ. 1.

[2] Hæc dicit D. Lesêtre in commentariis super Psalmos (Ed. Lethielleux, p. 24) : « David composa ce psaume à l'occasion des paroles de קִישׁ, Coush, benjamite, *ben-iemini*, et non fils de Jemini, car alors, remarque Delitzsch, nous aurions dans l'hébreu *ben-hajemini* avec l'article. S. Athanase, S. Basile, S. Jean Chrysostôme, Théodoret, S. Augustin, etc., confondent ce Coush avec Chusaï qui apparaît dans la révolte d'Absalon, et ils sont obligés d'entendre par les paroles de Cousli les renseignements favorables que Chusaï fit transmettre à David, II Reg. xvii, 15 ; le calomniateur dont parle le Psalmiste est alors Achitophel. Cette identification n'est pas possible, parce que Chusaï n'est ni benjamite, ni fils de Jemini, et surtout parce que son nom hébreu חושׁי, *chousha*ï, ne permet pas absolument de le confondre avec Coush. Il est de toute vraisemblance que le psaume se rapporte à la fin de la persécution de Saül; et les sentiments que David y exprime sont tout à fait conformes aux données historiques, I Reg. xxiv, 12 ; xvi, 26, xviii 23.(Hupfeld). On s'en convaincra davantage encore, si comme Patrizi on met en parallèle les ỳỳ. 1-5, 9, 12 du Psaume avec I Reg. xxiv, 10-13, 16. Plusieurs croient que Coush, mot qui veut dire *éthiopien*, *noir*, désigne Saül, benjamite, appelé de la sorte

Prov. I, 12, dicitur [1]. Sed hoc consilium secretum Dei silentium dissipavit, occultans illud, et Judæ et Judæis. Ipsi autem David, et justis de Ecclesia manifestatum est, et interius inspiratum, et hoc ab illo qui dexter est justis, scilicet a Deo, secundum illud Psal. xv, 8 : *A dextris est mihi ne commovear*. Matth. xi, 25 : *Confiteor tibi Pater, Domine cœli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus, et prudentibus*, scilicet Judæis, *et revelasti ea parvulis*, humilibus et justis. Ergo sit spiritualiter loquendo, justus qui per David intelligitur, introducitur psallens pro revelatione consilii Dei Judæis excæcatis occultati, et humilibus Gentilibus revelati.

Ordo Psalmi

Ex dictis patet ordo hujus Psalmi ad antecedentem Psalmum duplici ratione. Cum enim in præcedenti Psalmo imperfecti et pœnitentes in Ecclesia introducti sint orantes, et exauditi, hic perfecti introducuntur gaudentes et orantes : quia divinum consilium eis est revelatum. Propterea Psalmus quintus fuit pro Ecclesia Gentilium quæ hæreditatem consequitur. Psalmus sextus ostendit per quid consequitur, quia nempe per pœnitentiam et lamentum. In hoc Psalmo recte orans convertitur ad Deum, quia excæcata synagoga ipsa, voluit manifestare convertendi modum.

Divisio.

Dividitur autem Psalmus secundum Glossam in quinque partes, quas possumus comprehendere in tres. Primum petit justus cui revelatum secretum a Deo, liberari a malo. Secundo, exprimit per quem, et a quo liberari quærit, quia per Christum resurgentem a mortuis, ibi, « *Exsurge Domine in ira tua.* » Tertio, propter quid petit liberari, sic, quia terrore futuri judicii, ibi, « *Dominus judicat populos.* »

Prima autem pars dividitur in quatuor. Primo, captat judicis benevolentiam : secundo, proponit petitionem, ibi, « *Salvum me fac.* » Tertio, petendi necessitatem, ibi, « *Nequando.* » Quarto, impetrandi congruitatem, ibi, » *Domine Deus meus si feci istud.* »

Captatur autem benevolentia dupliciter. Primo, a parte ejus a quo petitur. Secundo, a parte petentis, ibi, « *In te speravi.* »

Ait ergo : « *Domine,* » propter poten- 2
tiam cui timor debetur, Malach. I, 6 : *Si Dominus ego sum, ubi est timor meus ?* « *Deus* » omnia prospiciens, et regens per sapientiam. Dicitur enim Deus idem quod θεός, et θεός α θεαομα-ιῶμαι, quod est *videre* [2], cui debetur honor. Paulus, I ad Timotheum, I, 17 : *Soli Deo honor et gloria.* Sed « *meus* » per bonitatem, cui debetur amor. Matth. xxii, 37, et Deut. vi, 5 : *Diliges Dominum Deum tuum :* et appropriatur primum Patri, secundum Filio, tertium Spiritui sancto.

« *In te speravi,* » non diffidens de te. Eccli. II, 11 : *Nullus speravit in Domino, et confusus est.* Ad Rom. v, 5 : *Spes non confundit.* Speravi, inquam, in te, non in mundanis, Proverb. xi, 28 : *Qui*

« propter ejus profligatos ac perditos mores, » dit Flaminius, qui cite à l'appui de son explication le vers d'Horace :

Hic niger est, hunc tu, Romane, caveto.

Loch et Reishl expliquent même que, par respect pour Saül, le Psalmiste se contente de le désigner par un nom qui rappelle celui de son père, Kish, לוש, I Reg. ix, 1. Cette interprétation paraît assez inconciliable avec les sentiments bien connus de David pour l'oint du Seigneur. Selon d'autres, Coush est Seméï, l'homme à l'âme noire. S'il en était ainsi, quelle raison aurait pu empêcher David de nommer Séméï ? L'opinion la plus commune est que Coush doit être l'un de ces courtisans de Saül dont David se plaignait lui-même au roi : « *Quare audis verba hominum loquentium : David quærit malum adversum te ?* » I Reg. xxiv, 10. Il s'élève ici contre les *dibrim*, c'est-à-dire, a la fois les paroles et les manœuvres de ce calomniateur. »

[1] Prov. I, 12 : *Degluttiamus eum sicut infernus viventem, et integrum quasi descendentem in lacum.*

[2] Vel melius a ΔΙΓ r. — Lat., deus).

confidit in divitiis suis, corruet. Isa. xxxvi, 6 : *Confidis super baculum arundineum confractum istum, super Ægyptum : cui si innixus fuerit homo, intrabit in manum ejus, et perforabit eam.* Speravi, inquam, substrata fide, nec hæsitans de impetratione. Jacob. i, 6. *Postulet autem in fide, nihil hæsitans.*

« *Salvum me fac.* » Hic petit duo. Primum est salvari a culpa. Secundum est liberari a pœna.

Ait enim : « *Salvum me fac ex omnibus persequentibus me* », peccatis scilicet mortalibus, ut in illa non incidam, vel tentationibus ad mortalia trahentibus, et libera me a pœnis consequentibus. Supra in Psal. vi, 5 : *Salvum me fac propter misericordiam tuam.* Jerem. xvii, 14 : *Salvum me fac, et salvus ero.* « *Et libera,* » qui vere potes. Joan. viii, 36 : *Si filius vos liberaverit, vere liberi eritis.*

3 « *Nequando rapiat.* » Hic tertium, in quo ostendit necessitatem petendi duplici ratione. Prima est crudelitas dæmonis impetentis : secunda, singularis bonitas liberantis, ibi, « *Dum non est.* »

Dicit ergo : Sic peto, et necesse habeo, ne diabolus rapiat, « *quando* », id est, aliquando, « *animam meam,* » de qua præcipue curat. Genes. xiv, 21 : *Da mihi animas, cætera tolle tibi.* Corpus autem si ei traditur, affligit. Job, ix, 24 : *Terra data est in manus impii*, id est, corpus quod de terra est. Genes. ii, 7 : *Formavit Dominus Deus hominem de limo terræ.*

Dæmon leoni collatus. « *Rapiat,* » inquam, « *ut leo.* » I Pet. v, 8 : *Adversarius vester diabolus tamquam leo rugiens*, etc. Leoni autem diabolus comparatur, primo propter superbiam, Job. xli, 25 : *Ipse est rex super universos filios superbiæ.* Et in Psal. lxxiii, 23 : *Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper.* Propter fortitudinem, Job, xli, 24 : *Non est super terram potestas, quæ comparetur ei, qui factus est ut nullum timeret.* Propter crudelitatem, Jerem. vi, 23 : *Crudelis est, et non miserebitur.* Propter audaciam, Job, xli, 19 : *Non fugabit eum vir sagittarius, in stipulam versi sunt ei lapides fundæ.* Propter hiatus latitudinem, Isa. v, 14 : *Dilatavit infernus animam suam, et aperuit os suum absque ullo termino.* Propter terrorem quem bestiis immittit, Eccli. li, 4 : *Liberasti me a rugientibus præparatis ad escam.* Dentes habet acutos et serratos : sic dæmones tentationes graves et multiplices. Eccli. xxi, 3 : *Dentes leonis dentes ejus, interficientes animas.* Pedem dextrum in eundo sinistro præponit : sic diabolus prætendit bonum sub quo malum abscondit. II ad Cor. xii, 14 : *Transfigurat se in Angelum lucis.* Semper febricitat, et semper sitit : sic diabolus. Job, xl, 18 : *Absorbebit fluvium, et non mirabitur.* Cauda vestigia tegit : sic diabolus per adulatores, qui sunt ejus cauda, peccata abscondit. Isa. ix, 15 : *Propheta docens mendacium, ipse est cauda.*

« *Dum non est qui redimat.* » A culpa, nisi tu solus. Joan. i, 29 : *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.* Matth. i, 21 : *Vocabis nomen ejus Jesum : Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.* Isa. xliii, 25 : *Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me.*

« *Domine Deus meus.* » Hic tertium hujus partis, in quo ostendit impetrandi congruitatem : primo, quia innocens : secundo, quia patiens, ibi, « *Si reddidi.* » Tertio, fidem facit de utroque, de innocentia et patientia, ibi, « *Decidam.* » Ostendit autem patientiam dupliciter : primo, quia caruit superbia in corde : secundo, quia iniquitate in opere, ibi, « *Si est iniquitas.* » 4

Dicit ergo : Sic rogo et necesse habeo : sed congruum est quod exaudiat, quia o « *Domine Deus meus.* » Expone hæc tria sicut prius.

« *Si feci istud,* » scilicet peccatum superbiæ in corde. Excellenter « *istud* » dici- Superbia absolute peccatum dicitur.

tur, quia omnis peccati initium. Eccli. x, 15 : *Initium omnis peccati, est superbia* : quia omni bono insidiatur. Augustinus in *Regula :* « Alia quæcumque « iniquitas in malis operibus exercetur « ut fiant, superbia verbo bonis operi« bus insidiatur ut pereant : quia diabolus « per ipsam, et homo miser efficitur. » Tob. IV, 14 : *Superbiam numquam in tuo sensu, aut in tuo verbo dominari permittas : in ipsa enim initium sumpsit omnis perditio.* Qua etiam ratione maximum dicitur. Psal. XVIII, 14 : *Emundabor a delicto maximo.* Job, XXXI, 27 et 28 : *Si... osculatus sum manum meam,* quod est superbire de bono opere et in ipso sibi complacere, *quæ est iniquitas maxima, et negatio contra Deum.*

« *Si est iniquitas in manibus meis,* » in opere. Job, XXXI, 21 : *Si levavi super pupillum manum meam :* ne essem de illis, de quibus, Isa. I, 15 : *Manus enim vestræ sanguine plenæ sunt,* id est, peccato, quod sanguis dicitur. Osee, IV, 2 : *Sanguis sanguinem tetigit.*

5 « *Si reddidi.* » Quasi diceret : Si hoc feci, et innocentiam amisi, et etiam si reddidi malum non quibuscumque, sed et retribuentibus mihi mala pro bonis quæ eis contuli. Job, XXXI, 29 : *Si gavisus sum ad ruinam ejus qui me oderat, et exsultavi quod invenisset eum malum.* Ex dictis patet, quod sic loquens perfectus est, quia sicut Prov. XVI, 32, dicitur : *Melior est patiens viro forti : et qui dominatur animo suo, expugnatore urbium.* Ibi Glossa : « Cum expugnant « urbes, extra sunt qui vincuntur : ma« jus est autem quod per patientiam vin« citur, quia a se animus superatur. »

Et nota, quod quatuor sunt retributiones secundum quatuor leges, diaboli, carnis, mentis, et Dei. Retributio diaboli est retribuere malum pro bono. Jerem. XVIII, 20 : *Numquid redditur pro bono malum?* Retributio carnis est retribuere malum pro malo. Unde in lege carnali scriptum est, Exod. XXI, 23, 24 et 25 : *Animam pro anima, dentem pro dente, adustionem pro adustione.* Retributio legis mentis, bonum pro bono. Matth. v, 12 : *Quæcumque vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis.* Et non malum pro malo. Ad Rom. XII, 17 : *Nulli malum pro malo reddentes.* Quia, Tob. IV, 16 : *Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias.* Lex autem Dei retribuere bonum pro malo. Prov. XXV, 21 : *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum.* Luc. VI, 27 : *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos.* Ad Rom. XII, 21 : *Noli vinci a malo, sed vince in bono malum.*

Quatuor retributiones juxta quatuor leges, diaboli, carnis, mentis, et Dei.

« *Decidam merito.* » Hic imprecatur sibi, ut tria sequantur mala, si prædicta sunt in eo. Primum est, quod ab inimicis superetur. Secundum, quod bonis spolietur, ibi, « *Inanis.* » Tertium, quod vilificetur, ibi, « *Persequatur.* »

Dicit ergo : Si hæc, superbia scilicet, operatio mala, et impatientia fuerint in me, decidam merito ab inimicis meis impulsus, supplantatus : et hoc merito : *Impulsus, eversus sum ut caderem*[1]. Et sic cadens et victus ab inimicis servus illorum fiam. II Pet. II, 19 : *A quo quis superatus est, illius et servus est.* Decidam autem inanis factus, id est, vacuus ab omni bono. Sapient. III, 11 : *Vacua est spes illorum, et labores sine fructu :* sicut ille de quo Luc. X, 30, qui *incidit in latrones, qui etiam despoliaverunt eum.*

« *Persequatur.* » Hic tertium, scilicet 6
mortificatio : et tanguntur tria. Primo, ut trahatur in operationem peccati. Secundo, in consuetudinem, ibi, « *Et con-*

[1] Psal. CXVII, 13.

culcet. » Tertio, in contemptum ceu desperationem, ibi, « *Et gloriam meam.* »

Dicit ergo : Non tantum cadam in consensum, et omne bonum amittam : sed et « *persequatur inimicus,* » diabolus, « *animam meam,* » et sic quod « *comprehendat eam,* » id est, in actum perducat. Inimicus dicitur diabolus. Matth. XIII, 28 : *Inimicus homo hoc fecit.* Psal. XVI, 9 : *Inimici mei animam meam circumdederunt.* Thren. I, 3 : *Persecutores ejus apprehenderunt eam inter angustias.* Et in eodem, IV, 19 : *Velociores fuerunt persecutores nostri aquilis cœli.*

« *Et conculcet* » per consuetudinem, « *in terra,* » id est, in amore terrenorum, « *vitam meam,* » id est, animam meam, qua vivificatur corpus meum, secundum illud Eccli. IX, 10 : *Omnis mulier, quæ est fornicaria, quasi stercus in via ab omnibus prætereuntibus conculcabitur.* Prætereuntes sunt dæmones, qui animam libentissime conculcant. Isa. LI, 23 : *Incurvare ut transeamus.* In eodem, ℣. 23 : *Posuisti ut terram corpus tuum, et quasi viam transeuntibus.* Job, XVIII, 14 : *Calcet super eum, quasi rex, interitus,* id est, diabolus.

Quadruplex gloria.

« *Et gloriam meam,* » animam scilicet ad imaginem Dei factam. Est enim multiplex gloria. Vanitatis, Joan. V, 44 : *Quomodo potestis credere, qui gloriam ab invicem accepitis ?* Et est gloria veritatis, de qua in Psalm. CXLIV, 11 : *Gloriam regni tui dicent.* Et est gloria puritatis, II ad Corinth. I, 12 : *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ.* Et est gloria æternitatis, de qua in Psal. CXLIX, 5 : *Exsultabunt Sancti in gloria.* Et est gloria creationis, de qua hic, et I ad Corinth. XI, 7 : *Vir imago, et gloria Dei est,* id est, anima secundum partem superiorem.

Hanc ergo « *gloriam meam in pulverem deducat,* » non materialem, de quo Genes. III, 19 : *Pulvis es, et in pulverem reverteris.* Nec gratiæ, de quo Cant, III, 6 : *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, et thuris, et universi pulveris pigmentarii ?* Sed in pulverem culpæ, de quo Isa. LXV, 25 : *Serpenti pulvis panis ejus :* et supra, Psal. I, 4 : *Tamquam pulvis quem projicit ventus a facie terræ.*

7 « *Exsurge Domine in ira tua.* » Hic secunda pars Psalmi, in qua ostenditur quomodo, et quo ordine, et per quem velit liberari : quia per Dei filium incarnatum resurgentem, et ascendentem in cœlum.

Secunda pars Psalmi.

Dicuntur ergo tria. Primo petit, quod Christus potenter adveniat in remedium contra diabolum et membra ejus. Secundo, ut adveniat humiliter in exemplum præbendum bonis, ibi, *Et exsurge Domine.* » Tertio, ut ascendat missurus Spiritum sanctum in robur et firmamentum suorum, ibi, « *Et propter hanc.* »

In prima duo. Primo petit ut potenter adveniat ad reprimendum diabolum, ne seducat. Secundo, ut jam seductos eripiat, et adjungat regno suo, ibi, « *Et exaltare.* »

Ait ergo : Sic peto Domine liberari, et non possum nisi per te. Sic ergo dixit : Ergo, o Domine, exsurge Domine carnem assumendo, qui modo videris quasi obdormire. Unde alibi, in Psal. XLIII, 23 : *Exsurge, quare obdormis Domine ?* Et hoc, « *in ira tua,* » id est, in vindicta quæ solet esse effectus irati, contra diabolum, ne jam nos opprimat et seducat. Unde alibi, in Psal. XXXIV, 2 : *Apprehende arma et scutum, et exsurge in adjutorium mihi.*

Sed objiciet forte aliquis, quod petendo Incarnationem male dicit, « *Exsurge.* » Filii enim Incarnatio magis humiliatio videtur quam resurrectio, vel exaltatio. Isa. LXIV, 1 : *Utinam disrumperes cœlos, et descenderes.* Non dicit, et exsurgeres. Joan. III, 13 : *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo.* Et Paulus non tantum descensum vocat Incarnationem, sed exinanitionem : ad Philip. II, 7 : *Exinanivit semetipsum, for-*

Cur incarnatio hoc verbo petitur, *exsurge* cum sit descensus ?

mam servi accipiens. Responsio. Incarnatio Filii Dei descensio dicitur propter humiliationem, sed resurrectio et exaltatio quantum ad inimici, cui prius videbatur esse subjectus, subjectionem et depressionem : et etiam quantum ad carnis, quæ in omnibus aliis semper spiritui repugnaverat, omnimodam subjectionem. Unde Isa. XIX, 1 : *Ecce Dominus ascendet super nubem levem, et ingredietur Ægyptum.*

Et exaltare. Quasi diceret : Non tantum reprime inimicum ut non noceat, sed etiam veni, « *et exaltare in finibus inimicorum meorum,* » hoc est, eos quos possident invadendo fines eorum, eripe, et super eos exaltatus dominium age : alius enim hoc non potest. Job, XLI, 24 : *Non est super terram potestas, quæ comparetur ei.* Et Luc. XI, 21 et 22, dicitur : *Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea quæ possidet. Si autem fortior eo superveniens vicerit eum, universa arma ejus auferet, in quibus confidebat.* Hoc etiam tibi promissum est. Genes. XXII, 17 : *Possidebit semen tuum portas inimicorum suorum.* Exaltatus ergo fuit Christus in Incarnatione,sicut hic dicitur. Item, in Passione. Joan. III, 14 : *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto ; ita exaltari oportet Filium hominis.* Et rursus, Joan. XII, 32 : *Si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum.* Et in resurrectione, quando de morte et de limbo ad altitudinem gloriæ corporis reductus est. Alibi, in Psal. IX, 15 : *Qui exaltas me de portis mortis,* Item, in miraculorum per se, et per suos patratione. Psal. XX, 14 : *Exaltare Domine, in virtute tua.* Item, in prædicatione Sanctorum, et laude : unde Psalm. XXIX, 2 : *Exaltabo te, Domine, quoniam suscepisti me.* Et Eccli. XLIII, 33 : *Benedicentes Dominum exaltate illum, quantum potestis : major enim est omni laude.*

« *Et exsurge Domine Deus meus.* » Ubi petit quod veniat humiliter et charitative ad exemplum : et dicuntur duo. Primo petit, quod veniat ad exemplum. Secundo, ostendit fructum talis adventus ibi, « *Et synagoga.* » Quasi diceret : Sic rogavi ut venias ad remedium supra diabolum. Et etiam *o Domine Deus meus.* Expone sicut supra in principio Psalmi. *Exsurge :* Appare in mundo conversans, « *In præcepto quod mandasti.* » Præcepto, inquam, humilitatis, ut sis illi exemplar. Matth. XI, 29 : *Discite a me, quia mitissum, et humilis corde.* In præcepto etiam charitatis, de quo Joan. XV, 12 : *Hoc est præceptum meum ut diligatis invicem.* Ecce qualem desiderabat eum Propheta, humilem et abjectum. Isa. LIII, 2 et 3 : *Desideravimus eum : despectum, et novissimum virorum,... et scientem infirmitatem.* Nec mirandum si petens quod humiliter veniat, dicit : *Exsurge :* humiliari enim est exaltari. Luc. XIV, 11, et XVIII, 14 : *Qui se humilia, exaltabitur.*

Exsurgit Christus in exemplum efficacissimum.

Et nota, quod exsurgere Christus quadrupliciter dicitur. Carnem assumendo, secundum quod hic tangitur, et supra, et alibi in Psal. XI, 6 : *Propter miseriam inopum, et gemitum pauperum nunc exsurgam, dicit Dominus.* Corpus in passione depositum resumendo. Psal. LVI, 9 : *Exsurge gloria mea, exsurge psalterium et cithara : exsurgam diluculo.* Nos adjuvando. Psal. LXVII, 2 : *Exsurgat Deus, et dissipentur inimici ejus,* etc. Ad judicium redeundo, infra, in Psal. LXXXV,9 : *Terra tremuit et quievit,cum exsurgeret in judicium Deus.*

Exsurgit Christus quadrupliciter

Et synagoga. Ecce fructus, conversio 8
scilicet populorum ad eum. Quasi sic diceret : Exsurge, et tunc « *Synagoga,* » id est, multitudo populorum ad te conversorum, « *circumdabit te.* » Isa. II, 2 : *Erit... mons domus Domini in vertice montium, et elevabitur super colles, et fluent ad eum omnes gentes.* Et XLIX, 18 : *Leva in circuitu oculos tuos, et vide : Omnes isti congregati sunt, venerunt tibi* .Et

Non eodem animo omnes Christum sequuntur.

ad litteram ad Christum in mundo humiliter prædicantem congregabatur multitudo magna. Alii propter curationem : alii propter miraculorum curiositatem, ut viderent illa : alii propter sustentationem corporalem, quia in desertis eos pascebat : alii ad derisionem et blasphemiam : alii propter instructionem. Unde versus,

Morbus, signa, cibus, blasphemia, dogma, fuere
Causæ, cur Dominum turba secuta fuit.

« *Et propter hanc.* » Ecce tertium petitorum ut ascendat ad utilitatem suorum. Quasi sic diceret : Petivi ut venias, et multitudine credentium circumdabis. Sed et hoc peto : « *Regredere in altum,* » ascendendo scilicet ad dexteram Patris, et quasi ad secretum, ubi prius fueras, redeundo : et hoc « *propter hanc,* » id est, ad hujus utilitatem. De hac regressione in Psal. XVIII, 7 : *A summo cœlo egressio ejus, et occursus ejus,* id est, regressio, *usque ad summum ejus.* Eccle. I, 5 : *Oritur sol, et occidit, et ad locum suum revertitur.* Hæc Christi reversio est quasi materialis, sed illa spiritualis, qua venit ad corda, et recedit. Job, IX, 11 : *Si venerit ad me, non videbo eum : et si abierit, non intelligam.*

Regressus Christi in cœlum ad tria utilis.

Regredere ergo in altum propter tuorum utilitatem triplicem, scilicet ut eos viam doceas. Mich. II, 13 : *Ascendet pandens iter ante eos.* Ut eis locum præpares in regno tuo. Joan. XIV, 2 et 3 : *Vado parare vobis locum. Et si abiero, et præparavero vobis locum : iterum venio, et accipiam vos ad me ipsum, ut ubi sum ego, et vos sitis.* Iterum ut Spiritum eis mittas, quo corda eorum confirmentur in bono. Joan. XVI, 7 : *Expedit vobis ut ego vadam : si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos : si autem abiero, mittam eum ad vos.*

Alio etiam modo legit istud Glossa ab illo loco, « *Exsurge, Domine, in ira,* » ut primo prædicetur Judæorum reprobatio : secundo, gentium ad fidem vocatio, ibi, « *Et synagoga.* » Et tertio, iterum gentium reprobatio, et Judæorum vocatio, quæ fiet in fine mundi, ibi, « *Et propter hanc.* »

In prima tanguntur tria, scilicet captivatio Judæorum, ibi, « *Exsurge Domine in ira tua,* » scilicet Judæos captivando. Secundo, eorum excæcatio, ibi, « *Et exaltare in finibus inimicorum tuorum,* » ut tui altitudinem non intelligentes excæcentur. Tertio, tangit causam utriusque, quia ipsum humilem cognoscere noluerunt : unde subdit, « *Exsurge Domine,* » id est, exsurges, *in præcepto quod mandasti,* » sicut prius. « *Et synagoga populorum circumdabit te,* » Gentilium, credendo tibi, sicut supra. « *Et propter hanc,* » iterum peccantem, « *in altum regredere,* » ut ipsa abjecta redeat plebs Judaica.

« *Dominus judicat populos.* » Hic tertia pars Psalmi, in qua subjungit rationem quare petit liberari, quia propter futurum judicium, quod timendum est malis, quamvis illud non timeant, cum non habeant conscientiam remordentem. 9

Tertia pars Psalmi.

Tria ergo dicuntur in hac parte. Primo, judicium futurum impleri petit. Secundo, malis terrorem incutit, et bonis spem promittit, ibi, « *Deus judex.* » Tertio, lætam consolationem ponit, ibi, « *Confitebor Domino.* »

In prima dicuntur tria. Primo, prædicit Dominum venturum ad judicium. Secundo, confidenter petit judicari secundum merita. Tertio, ostendit quæ erunt antecedentia ante judicium, et illa impleri petit, ibi, « *Consumetur.* »

Ait ergo : Sic petivi, nec mirum si liberari volo per Christum, quia scio, quod « *Dominus judicat,* » id est, judicaturus est, *populos,* quamvis ascenderit sicut tactum est, Act. I, 11 : *Sic veniet quemadmodum vidistis eum ascendentem in cœlum.* Luc. XXI, 27 : *Tunc videbunt Filium hominis venientem in nube cum potestate magna, et majestate.*

Isa. III, 13 et 14 : *Stat ad judicandum Dominus, et stat ad judicandos populos. Dominus ad judicium veniet.* Jerem. II, 9 : *Adhuc judicio contendam vobiscum, ait Dominus, et cum filiis vestris disceptabo.*

Quid differt justitia ab innocentia?

« *Judica me.* » Hic secundum, in quo petit judicari : primo, secundum justitiam, quæ attenditur quantum ad bona facienda : secundo, secundum innocentiam quæ attenditur quantum ad mala declinanda, ostendendo tamen quod neutrum habet a se, sed a Deo.

Ait ergo : Sic Dominus judicaturus est, sed o rogo Domine, ne differas, sed « *judica me secundum justitiam meam,* » attendendo quod bona feci, quæ facere debui, « *et secundum innocentiam meam,* » attendendo scilicet quod quæ debui declinare mala, declinavi. Justitiam dico et innocentiam « *super me* » existentem, id est, ab eo qui supra me est, servo mihi datam. Jacob. I, 17 : *Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum.* I ad Corinth. IV, 7 : *Quid habes quod non accepisti.*

Petit judicium ex fiducia Christi meritorum.

Sed opponuntur contra hoc illud Amos, V, 18 : *Væ desiderantibus diem Domini : ad quid eam vobis?* Et illud Prov. XX, 9 : *Quis potest dicere : mundum est cor meum, purus sum a peccato.* Et Isa. LXIV, 6 : *Facti sumus ut immundus omnes nos, et quasi pannus menstruatæ universæ justitiæ nostræ.* Et Job, XXV, 5 : *Stellæ non sunt mundæ in conspectu ejus.* Cur ergo hic audet petere, ut secundum justitiam et innocentiam suam judicetur ? Ad primum respondeo, quod Amos loquitur contra desiderantes Dei judicium ex præsumptione. Hic autem ex confidentia loquitur. Confidentia, inquam, meritorum Christi. Ac si dicat : Si sic fuerit ut petivi, audeo petere ut judices. Ad sequentia respondendum est uno verbo, quod vere nullus est mundus, nec justitiæ sunt nisi immunditiæ : nec et ipsæ stellæ mundæ, quantum est ex se, sed quantum est de gratia mundæ sunt. Quæ, inquam, gratia super nos est : et sic loquitur iste. Sic etiam loquitur Job, XXIV, 7 : *Proponat æquitatem contra me, et pervenit ad victoriam judicium meum.* Sed cum justi seipsos considerant, et quid sunt ex seipsis, tunc judicari vehementer formidant, sicut loquitur alibi, in Psal. CXLII, 2 : *Non intres in judicium cum servo tuo Domine, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.*

« *Consumetur.* » Hic tertium, in quo **10**
subjungitur de antecedentibus ad judicium, quæ sunt duo. Consummatio nequitiæ in malis, promotio gratiæ in bonis, ibi, « *Et diriges.* »

Ait ergo : Sic peto ut judices : tamen rogo ut prius « *consumetur nequitia peccatorum.* » Vel cito, quia ante non erunt. Genes. XV, 16 : Noluit Dominus dare terram Abrahæ : quia nondum *completæ* erant *iniquitates Amorrhæorum.* Hæc autem consummatio justa est, propter quod petit eam Apostolus Joannes in Apocalyp. XXII, 11 : Justum est ut *qui in sordibus est, sordescat adhuc : et qui justus est, justificetur adhuc.* In hoc autem erit consummatio quando Antichristus adorari se faciet sicut Deum. Sap. III, 19 : *Nationis iniquæ diræ sunt consummationes :* et tunc erit signum certum de consummatione sæculi. Matth. XXIV, 3 : Cum petiissent Apostoli, Domine, *quod* erit *signum adventus tui, et consummationis sæculi?* Respondit quibusdam interpositis, ℣℣. 14 et 15 : *Tunc veniet consummatio, cum videritis abominationem desolationis, quæ dicta est a Daniele Propheta* [1], *stantem in loco sancto.*

[1] Dan. IX, 27.

« *Et diriges justum.* » Ecce secundum, in quo tria tanguntur. Justi promotio, ratio sine causa promovendi, ibi, « *Scrutans corda.* » Tertio. modus, ibi, « *Justum adjutorium.* »

Dicit ergo : Sic consummetur in malis nequitia, id est, consummabitur, et etiam o tu Domine, « *diriges* » promovendo in gratia, « *justum* » sicut Joseph, Gen. XXXIX, 2 : *Fuit Dominus cum eo, et erat vir in cunctis prospere agens.* Prov. XVI, 9 : *Cor hominis disponit viam suam : sed Domini est dirigere gressus ejus.* Eo enim ipso quod malos sordescere permittit, et in malitia consummari, eo ipso bonos dirigit. Iniquitates enim impiorum cedunt in bonum justorum. Unde cum dictum esset, Apoc. XXII, 11 : *Qui est in sordibus, sordescat adhuc,* statim subjunctum est : *et qui justus est, justificetur adhuc :* quia, sicut dicit Gregorius : « Peccata « proximorum frixoria sunt justorum. »

Aliena peccata justis prosunt.

Et sic « *diriges* » o Domine, quia « *tu es scrutans corda,* » quantum ad intellectum : « *et renes* » quantum ad effectum, ut non te lateat cogitatio intellectus,nec delectatio affectus. Prov. XVI, 2 : *Omnes viæ hominis patent oculis ejus.* Job, XLII, 2 : *Scio quia omnia potes, et nulla te latet cogitatio,* nec affectata, nec non affectata. Jerem. XI, 20 : *Tu autem Domine Sabaoth, qui judicas juste, et probas renes et corda*: et XVII, 10: *Ego Dominus scrutans cor, et probans renes.*

11 « *Justum adjutorium meum.* » Hic modus provocationis duplex, scilicet gratiam augmentando primo : secundo, augmentatam conservando, ibi, « *Qui salvos.* »

Ait ergo : Sic promoves justum et dirigis, et hoc quia a Domino est meum adjutorium, augmentandi scilicet gratiam, quod est etiam justum. Est enim adjutorium Dei ante pugnam quo adjuvat nos ad præparandum, de quo in Psal. LIX, 2: *Deus in adjutorium meum intende.* Et est adjutorium in pugna, de quo Psal. XXXIV, 2 : *Apprehende arma et scutum : et exsurge in adjutorium mihi.* Et adjutorium post pugnam in gratia proficiendo, de quo hic et alibi, in Psal. LXXVIII, 9 : *Adjuva nos, Deus, salutaris noster.* Et alibi, in Psal. LXI, 9 : *Deus adjutor noster in æternum.*

Triplex adjutoriu[m] ante et p[ost] pugnam inpugn[...]

« *Qui salvos facit.* » Quasi diceret : Non tantum adjuvat promovendo, sed et ipse est, « *qui salvos facit* » conservando, « *rectos corde,* » non ore tantum. Psal. LVII, 2 : *Si vere utique justitiam loquimini : recta judicate, filii hominum.* Recti autem corde sunt, qui affectione sursum tendunt. Cant. I, 3 : *Recti diligunt te.* Deus enim rectus est, unde cor quod applicat se ei per amorem, non potest esse nisi rectum. Psal. XCI, 16 : *Rectus Dominus Deus noster, et non est iniquitas in eo.* Rectum est, cujus medium non exit ab extremis. Cor autem nostrum medium est inter Deum principium et ipsum finem. Unde indubitanter si ab ipso non exierit, rectum erit, et sic salvum. Sic rectum habebat qui dicebat ad Philip. III, 20 : *Nostra conversatio in cœlis est.*

« *Deus judex justus.* » Hic est secundum,in quo postquam egit de judicio futuro,malis terrorem incutit : et dicuntur tria. Primo terret, secundo, aliquantulum demulcet, ibi,« *Patiens :* » tertio,inexcusabiles ostendit si non fuerint correpti, ibi, « *Nisi conversi fueritis.* » 12

Dicit ergo sic : Peto judicari, de divino confidens adjutorio : sed vos o mali, scitote quoniam ille judex est Deus, sciens omnia et cognoscens. Prov. XVI, 2 : *Omnes viæ hominis patent oculis ejus.* Et Job, XLII, 2 : *Scio, quia... nulla te latet cogitatio.* Ad Hebr. IV, 13 : *Omnia nuda et aperta sunt oculis ejus.* Supra primum, Jerem. XI, 20 et XII, 3 : *Probans corda et renes.* « *Deus* » ergo est, qui non decipitur. « *Justus,* » qui nec

prece, nec pretio flectitur : ipse enim est qui præcipit, Deuter. xvi, 19 : *Non accipies personam, nec munera : quia munera excæcant oculos sapientium*. Proverb. vi, 34 et 35 : *Zelus et furor viri non parcet in die vindictæ, nec acquiescet cujusquam precibus, nec suscipiet pro redemptione dona plurima.* « *Fortis,* » qui nulla molestia superatur. Job, ix, 19 : *Si fortitudo quæritur, robustissimus est.* Et in eodem, ix, 13 : *Deus, cujus iræ nemo resistere potest.*

« *Et patiens.* » Hic demulcet aliquantulum ostendendo judicis patientiam : et dicuntur tria. Primo, ostendit patientiam. Secundo, patientiæ idoneitatem, ibi, « *Numquid.* » Tertio, conversionis necessitatem, ibi, « *Nisi conversi fueritis.* »

Dicit ergo sic : Falli non potest, nec flecti, nec vinci : et nihilominus patiens est, ad pœnitentiam exspectando. Sap. xi, 24 : *Misereris omnium, quia omnia potes, et dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam.* Ad Rom. ii, 4 : *An ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* Isa. xlii, 14 : *Silui, patiens sui, sicut parturiens loquar.* Maximus Valerius : « Lento gra- « du ad vindictam sui divina procedit ira, « tarditatemque supplicii gravitate com- « pensat. » Eccli. v, 4 : *Altissimus est patiens redditor.* Et æquum est ipsum esse patientem et idoneum, quia « *num-* « *quid irascitur per singulos dies?* » Quasi diceret : Non, ira scilicet ultionis.

Quid sit ira in Deo?

Notandum est, quod ira Dei dicitur inflictio pœnæ vindicantis, et est timenda valde. De hac superius, in Psal. vi, 2 : *Neque in ira tua corripias me.* Et ad Rom. ii, 5 : *Thesaurizas tibi iram in die iræ, et revelationis justi judicii Dei.* Et est ira inflictio pœnæ purgantis, et hæc est appetenda. II Machab. vi, 16 : *Propter quod numquam quidem a nobis misericordiam suam amovet : corripiens vero in adversis, populum suum non derelinquit.* Est enim non sinere peccatoribus ex sententia agere, sed statim ultionem adhibere, magni beneficii indicium : et e contrario ipsam retrahere, reprobationis indicium. Ezech. xvi, 42 : *Auferetur zelus meus a te, et quiescam, nec irascar amplius.* Hic ergo notantur quatuor virtutes Cardinales, quæ debent esse in quocumque judice. Prudentia, ne decipiatur : justitia, ne flectatur : fortitudo, ne terreatur : temperantia, ne impetu ducatur.

Partes boni judicis.

« *Nisi conversi fueritis.* » Hic necessitas conversionis ad pœnitentiam : nam etsi sic patiens est, attamen ut convertamini necesse est : quia « *gladium suum* » ad percutiendum jam « *vibravit, nisi conversi fueritis.* » Gladius hic ipse est Dei filius, cujus vibratio est ad judicandum præparatio. Hic est gladius qui de seipso dicit, Matth. x, 34 et 35 : *Non veni pacem mittere in terram, sed gladium.* Quod autem ipse sit gladius ille, patet per hoc quod statim subdit : *Veni enim separare hominem adversus patrem suum, et filiam adversus matrem suam.* Hic gladius in adventu primo, quasi tectus rubigine mortalitatis et fragilitatis nostræ apparuit : sed in judicio splendens, et limatus, et exacutus apparebit. Ezech. xxi, 9 : *Gladius, gladius exacutus est, et limatus : ut cædat victimas exacutus est : ut splendeat, limatus est.* Zachar. ix, 14 : *Exibit ut fulgur jaculum ejus.* Alia littera, « Framean suam splendificavit. » Gladius etiam vibratus comminatio est pœnæ gehennalis, et sententia proferenda contra malos. Isa. xxvii, 1 : *In die illa visitabit Dominus in gladio suo duro, et grandi, et forti, super Leviatham serpentem,* etc. De utroque horum gladiorum intelligi potest illud Deuter. xxxii, 41 : *Si acuero ut fulgur gladium meum, et arripuerit judicium manus mea.* Et in eodem, ỳ. 42 : *Gladius meus devorabit carnes,* id est, carnales homines. Sap. v, 21 : *Acuet* Dominus *duram iram in lanceam.* Propter hoc monet Job, xix, 29 : *Fugite ergo a facie gladii,* utriusque, *quoniam ultor*

13

Gladius Christus primo adventu tectus rubigine mortalitatis, in secundo splendens.

iniquitatum gladius est, uterque. Sed impii non timent hos gladios, has hastas quamvis vibratas. Job, XLI, 20 : *Quasi stipulam æstimabit malleum, et deridebit vibrantem hastam.*

Sex aliæ hujus nominis acceptiones.

Et nota, quod præter hos duos dictos gladios sunt alii sex gladii: est enim gladius persecutionis, II Reg. XII, 10 : *Non recedet gladius de domo tua.* Est etiam gladius terrenæ potestatis, Psal. XLIV, 4 : *Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime.* Ad Rom. XIII, 4 : *Non sine causa gladium portat.* Est et spiritualis, Luc. XXII, 38 : *Ecce gladii duo hic.* Et doctrina hæreticorum, in Psal. XXXVI, 15 : *Gladius eorum intret in corda ipsorum.* Lingua et dentes detractorum, Psal. LVI, 5 : *Lingua eorum gladius acutus.* Proverb. XXX, 14: *Generatio quæ pro dentibus gladios habet.* Sermo Dei, ad Ephes. VI, 17: *Et gladium spiritus, quod est verbum Dei.* In Psal. CXLIX, 6 : *Gladii ancipites in manibus eorum.* Correctio Prælati, Jerem. XLVIII, 10 : *Maledictus, qui gladium suum prohibet a sanguine.*

« *Arcum suum tetendit.* » Hic tertium, in quo inexcusabiles ostendit : et dicuntur duo. Primo, quod ad correctionem hæc in Scripturis Deus prædixit : secundo, quod ipsa prædictio scilicet, ad peccandum non induxerit, ibi, « *Ecce parturiit.* »

In prima dicuntur tria. Primo, quod Scripturas per Expositores explanavit : secundo, quod terribiliter comminatus sit, ibi, « *Et paravit* ». Tertio, differentiam Expositorum, vel expositionum sacræ Scripturæ aperit, ibi, « *Et in eo paravit* ». Legitur enim illud multipliciter.

Comparatio elegans Scripturæ cum arcu.

Dicit ergo : Sic paratus est gladius, nisi convertamini, et inexcusabiles eritis, quia judex « *arcum suum,* » sacram Scripturam scilicet, in qua est tamquam durum lignum Vetus Testamentum, et tamquam chorda flectens duritiam, ipsum Novum tetendit, explanando, et multipliciter exponendo. Et « *paravit illum,* » aperte comminando. Eccli. XLIII, 12 : *Vide arcum*, sacram scilicet Scripturam, *et benedic eum qui fecit illum.* Hic est arcus de quo Job, XXIX, 20 : *Arcus meus in manu mea instaurabitur.* Hunc ergo arcum tetendit Dominus et paravit, ut arcum alium fugiamus, scilicet Christum, de quo sagitta acutissima in die judicii emittetur. Zach. IX, 13 : *Extendi mihi Judam quasi arcum.* Hic arcus æreus fortissimus et perpetuus. Æs enim durabile est. Job, XX, 24 : *Fugiet arma ferrea, et irruet in arcum æreum.* Hic arcus qui malorum arcum conteret, et confringet arma, et hoc infracta virtute, et petentis sibi a Patre data, sicut dicit alibi, in Psal. XVII, 35 : *Posuisti ut arcum æreum brachia mea.*

« *Et in eo paravit.* » Hic tertium in 14
quo exponitur differentia expositionum Scripturæ, et sic legitur uno modo versus iste : vel Expositorum, et sic legitur tribus modis. Secundum primam tanguntur duo : perversa expositio primo, secundo, recta, ibi, « *Sagittas suas.* »

Dicit enim sic : « *Arcum,* » id est, Scripturam « *tetendit, et paravit, et in eo*, etc. », id est, Scriptura paravit « *mortis vasa,* » quædam scilicet loca Scripturarum obscura, quæ perverse intellecta a corruptis et hæreticis, occasio sunt eis, unde hauriunt intelligentiam perditionis. Ezech. IX, 1 : *Appropinquaverunt visitationes urbis, et unusquisque vas interfectionis habet in manu sua.* Psal. CVI, 40 : *Errare fecit eos in invio, et non in via.* Fecit, inquam, permissive : sed « *in eo,* » id est, in sacra Scriptura effecit, extra fecit, hoc est, in apparentia posuit « *sagittas suas,* » acutas et penetrabiles, de quibus alibi, in Psal. CXIX, 4 : *Sagittæ potentis acutæ.* Et Genes. XXVII, 3 : *Sume arma tua, et pharetram,* quæ sine sagittis non est, *et arcum.* Isa. XIII, 17 : *Suscitabo super eos Medos, qui argentum non quærunt, nec aurum velint, sed sagittis parvulos interficiunt.* Et hoc « *ardentibus,* » id est, ad utilitatem ardentium

igne charitatis. Eccli. XLVIII, 1 : *Et surrexit Elias propheta, quasi ignis, et verbum ipsius quasi facula ardebat.* Joan. V, 35 : Joannes *erat lucerna ardens.* Sic ardentes erant qui dicebant, Luc. XXIV, 32 : *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis?* igne, inquam, illo de quo Luc. XII, 49 : *Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur?*

Vasa et sagittæ varie pro hæreticis et orthodoxis interpretantur.

De Expositoribus autem legitur tripliciter. Vel utrumque de malis, ut dicantur hæretici, et vasa et sagittæ. Vel utrumque de bonis, ut Apostoli et Doctores veri, vasa et sagittæ appellentur. Vel alterum de malis, scilicet esse vasa mortis, reliquum de bonis, scilicet esse sagittæ. Et sunt plane istæ lecturæ in Glossis si diligenter attendantur.

15 « *Ecce parturiit.* » Hic secundum in quo ostenditur, quod nec ex Deo nec ex Scripturæ culpa, sequatur pœna, quamvis hanc Scriptura prædixerit : et dicuntur tria. Primo, explicat ordinem peccati, ibi, « *Parturiit.* » Secundo, effectum, ibi, « *Lacum aperuit.* » Tertio, vindictam peccati, ibi, « *Convertetur.* »

In prima parte tria. Consensum in peccatum tangit in hoc quod dicit, « *Concepit dolorem* : » procurationem perpetrandi, in quo fuit consensus, ibi, « *Injustitiam parturiit.* » Tertio, operationem ejus in quo sensus consensit, et quod procuravit, ibi, « *Et peperit iniquitatem.* » Quod autem primo tactum est, ponit in medio, et quod secundo, primo, pervertens ordinem, ut notet quod perversio ordinis est in malo.

Inversus ordo verborum ad exprimendam malitiæ perversitatem.

Dicit ergo sic : Scripturam Dominus paravit, et exponi voluit, et per hanc comminatur, nec tamen peccandi necessitatem imponit. Imo ecce in promptu est : Malus concepit dolorem in consensu, et proposito peccandi. Luc. XXI, 23 : *Væ prægnantibus et nutrientibus in illis diebus* : et post conceptum parturit injustitiam cum labore procurando, ut consensus exeat in effectum. Isa. LVII, 20 : *Impii quasi mare fervens, quod quiescere non potest.* Et post hæc peperit opere exercendo iniquitatem. Jacob. I, 15 : *Concupiscentia cum conceperit, parit peccatum.* I Reg. IV, 19 : Uxor Phinees *incurvavit se et peperit* Ichaboth, qui interpretatur *gloria Israel.* Per peccatum enim, bonum conscientiæ testimonium, quod est gloria, cadit. II ad Cor. I, 12 : *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ.* Isa. LIX, 4 : *Conceperunt dolorem, et pepererunt iniquitatem.*

Progressus generationis peccati.

Et nota, quod diabolus hujus generationis pater est. Ezech. XVI, 3 : *Pater tuus Amorrhæus.* Joan. VIII, 44 : *Vos ex patre diabolo estis.* Progressus autem hujus generationis talis est. Primo, diabolus animam alloquitur, Judith. XII, 12 : *Non vereatur bona puella intrare ad dominum meum.* Secundo, blanditur, Genes. XXXIV, 3 : Sichem Dinam *blanditiis delinivit.* Tertio, osculatur per delectationem, Proverb. XXVII, 6 : *Meliora sunt vulnera diligentis, quam fraudulenta oscula odientis.* Hoc osculo osculatus fuit Joab Amasam, II Reg. XX, 9. Postea commiscetur per consensum. Sic Samson dormit in sinu Dalilæ, Jud. XVI, 19. Postmodum concipit propositum operandi, Sap. III, 16 : *Ab iniquo thoro semen exterminabitur.* Postea parturit peccando cum labore, Jerem. IX, 5 : *Ut inique agerent, laboraverunt.* Isa. XXXVII, 3 : *Venerunt filii usque ad partum, et non est virtus pariendi.* Tandem parit exeundo in actum, Gen. III, 16 : *In dolore paries.*

« *Lacum aperuit* » Hic efficientia peccati, scilicet præparatio inferni : lacum 16
enim, id est, infernum aperit sibi peccator, cum consentit peccato : apertum autem effodit, quasi profundiorem locum quærens, dum procurat quod voluit. Sed tunc quasi in apertum et effossum cadit, cum opus facit. Quantum ad primum, dixit, « *Lacum aperuit* ». Quantum ad secundum, « *Et effodit eum* ». Et quantum ad tertium, « *Et incidit in foveam*

quam fecit. » Triplex enim lacus inferni, de quo dicitur hic, et Zach. IX, 11 : *Tu quoque in sanguine testamenti tui eduxisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua.* Hic lacus in quo Ismahel projecit interfectos, Jerem. XLI, 9. Et est lacus desperationis qui satis proximus est illi, de quo Thren, III, 53 : *Lapsa est in lacum vita mea.* Et est lacus delectationis in peccato. Unde alibi, in Psal. XXVII, 1 : *Assimilabor descendentibus in lacum,* dicit Christus, similis factus peccatoribus. Hic est lacus in quo in figura fuit positus. Jeremias [1]. Et dicitur lacus quadruplici ratione. Primo, propter obscuritatem, Psal. CXLII, 3 : *Collocavit me in obscuris.* Propter profunditatem, Psal. LXVIII, 3 : *Infixus in limo profundi.* Et alibi, Psal. CXXIX, 1 : *De profundis clamavi ad te,* etc. Propter exeundi difficultatem, Prov. II, 19 : *Omnes, qui ingrediuntur ad eam, non revertentur, nec apprehendent semitas vitæ.* Homo enim spiritus vadens et non rediens. Quarto, propter fœtorem, Joel. I, 17 : *Computruerunt jumenta in stercore suo.* Amos, IV, 10 : *Ascendere feci putredinem castrorum vestrorum ad nares vestras : et non redistis ad me, dicit Dominus.*

Varia laci acceptiones, præcipue pro inferno, quadruplici de causa.

17 « *Convertetur.* » Hic ostenditur tertium, scilicet vindicta pro culpa : et dicuntur duo. Primo, pœna sensus tangitur, qua affligitur peccator : secundo, pœna damni, ibi, « *Et iniquitas ejus.* »

Pœna damni et sensus.

Dicit ergo : Sic in peccando procedit peccator, et propter hoc « *dolor ejus,* » id est, peccatum doloris causa, « *convertetur in caput ejus,* » ipsum graviter puniendo pro peccato. « *Et in verticem ipsius,* » id est, in superiorem rationis partem, « *iniquitas ejus descendet,* » remorsum conscientia pro æternis gaudiis amissis arguente. Jerem. II, 19 : *Arguet te malitia tua, et aversio tua increpabit te.* Et in Psal. XLIX, 21 : *Arguam te,* id est, argui te faciam in conscientia propria, *et statuam te contra faciem tuam,* ut cognoscas tunc, et videas malitiam tuam. De utraque pœna, scilicet sensus et damni, Isa. LXVI, 24 : *Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non exstinguetur.*

Potest et legi aliter iste versus, scilicet partim de præsenti, partim de futuro, ut primo tangatur dura peccati obligatio in præsenti, secundo descensio in infernum in futuro, ibi « *Et in verticem.* »

Dicit enim : Sic procedit peccator in peccando, sed tamen « *convertetur dolor ejus,* » quem scilicet concepit et peperit, « *in caput ejus,* » ut ipsam rationem subjectam, et ligatam teneat, quæ animæ caput est, secundum illud Psal. CXVIII, 61 : *Funes peccatorum circumplexi sunt me.* Et Joan. VIII, 34 : *Qui facit peccatum, servus est peccati.* II Pet. II, 19 : *A quo quis superatus est, ejus et servus est.* Tenet enim peccatum miseram rationem ligatam peccandi consuetudine. Prov. V, 22 : *Funibus peccatorum suorum quisque constringitur.* « *Et in verticem ipsius iniquitas ejus descendet,* » id est, in rationem quam iniquitas descendere faciet sua ponderositate in infernum. Exod. XV, 5 : *Descenderunt in profundum quasi lapis.* Psal. XXXVII, 5 : *Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum : et sicut onus grave gravatæ sunt super me.* Et harum gravedine factus gravis peccator descendit in infernum. Eccli. XXII, 17 : *Super plumbum quid gravabitur? Et quod illi aliud nomen quam fatuus ?* Isa I, 4 : *Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate.*

« *Confitebor Domino.* » Hic est tertia pars tertiæ partis hujus Psalmi. Postquam enim actum est de divino judicio, 18

[1] Cf. Jerem. XXXVIII, 6.

mali territi sunt, et boni consolati, subjungitur hic læta conclusio, in qua promittit se exhibiturum Deo reverentiam, et hoc in duobus. Primo, in confessione condignæ laudis : secundo, in rectitudine operis, ibi, « *Et psallam.* »

Dicit ergo : Sic Dominus judicabit, bonis præbens adjutorium, et malis supplicium : et propter hoc, « *Confitebor corde,* » et ore confessione laudis, « *Domino.* » Est enim confessio laudis propter justitiam Dei commendandam. Unde subdit, « *Secundum justitiam ejus.* » Psal. cv, 1 et cvi, 1 : *Confitemini Domino, quoniam bonus.* Confessio autem peccati est propter misericordiam impetrandam. Jacob. v, 16 : *Confitemini alterutrum peccata vestra.* Confessio autem fidei, maxime in tempore necessitatis, propter salutem æternam continuo acquirendam. Ad Rom. x, 10 : *Corde creditur ad justitiam : ore autem confessio fit ad salutem.*

« *Et psallam,* » opere in gaudio perpetrato : hæc enim importat psallere, bonam scilicet operationem et hilaritatem. Sic enim placet Deo opus, et non aliter. II ad Corinth. ix, 7 : *Hilarem datorem diligit Deus.* Eccli. xxxv, 11 : *In omni dato hilarem fac vultum tuum, et in exsultatione sanctifica decimas tuas :* bonum enim opus Deum reficit quasi cibus, et lætitia apponitur tamquam condimentum illius. Qui ergo in tristitia bonum opus facit, cibum bonum Deo, sed condimentum amarum apponit. Psal. lxviii, 22 : *Dederunt in escam meam fel.*

« *Psallam* ergo *nomini Domini altissimi,* » id est, ad declarationem et honorem et gloriam altissimi Domini. Luc. ii, 14 : *Gloria in altissimis Deo.* I ad Corinth. x, 31 : *Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis : omnia in gloriam Dei facite.* Sic Christus faciebat, Joan. viii, 50 : *Ego non quæro gloriam meam : est qui quærat et judicet.* Et ibidem, vii, 16 : *Mea doctrina non est mea, sed ejus qui misit me*[1].

[1] Cf. etiam Joan. vii, 18 : *Qui a semetipso loquitur, gloriam propriam quærit : qui autem quærit gloriam ejus qui misit eum, hic verax est, et injustitia in illo non est.*

PSALMUS VIII.

In operibus suis mirabilis Dominus.

1 . *In finem pro torcularibus, Psalmus David.*

2. Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra !
Quoniam elevata est magnificentia tua super cœlos.

3. Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos, ut destruas inimicum et ultorem.

4. Quoniam videbo cœlos tuos, opera digitorum tuorum ; lunam et stellas, quæ tu fundasti.

5. Quid est homo, quod memor es ejus ? aut filius hominis, quoniam visitas eum ?

6. Minuisti eum paulo minus ab Angelis [1], gloria et honore coronasti eum;

7. Et constituisti eum super opera manuum tuarum.

8. Omnia subjecisti sub pedibus ejus, oves et boves universas, insuper et pecora campi [2].

9. Volucres cœli, et pisces maris, qui perambulant semitas maris.

10. Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra !

[1] Ad Hebr. II ,7.

[2] Gen. I, 28 ; I ad Cor. XV, 26.

IN PSALMUM VIII

COMMENTARIUS.

1 *In finem, pro torcularibus, Psalmus David.*

« *Domine Dominus noster*. » Hic est Psalmus octavus, in titulo septimus, qui talis est : « *In finem, Psalmus David* : » in quibus et utilitas tangitur, et Auctor, sicut expositum est [1]. Et additur quod pertinet ad materiam Psalmi, cum dicitur, « *Pro torcularibus*, » non materialibus, sicut aperte dicit Glossa, sed spiritualibus, Ecclesiis scilicet, quæ *torcularia* appellantur, ratione et similitudine operis [2]. Sicut enim in torcularibus materialibus vinum a vinaciis separatur, sic in Ecclesiis triplex vinum a triplicibus vinaciis separatur. Primo, in docendo : sicut enim vinum in vinario continetur, sic veritas doctrinæ in sono et voce a Doctoribus emissa. Sed sicut vinum eliquatur, et remanent vinacia, sic veritas ad corda Auditorum fluit sono vocis exterius remanente Ad Rom. x, 17 : *Fides ex auditu.*

Titulus Psalmi pro torcularibus, id est, Ecclesia.

Cur ecclesia hoc nomine significatur ?

Item, vinum bonum sunt viri justi, vinacia sunt mali. Sicut ergo in torcularibus vinum a vinaciis separatur, sic boni a malis in Ecclesiis merito distinguuntur et separantur, postmodum etiam separandi loco. Et primo, ut justi Domini in cellaria recondantur, malis foras ejectis. Cant. I, 3 : *Introduxit me rex in cellaria sua*, dicit justus : sed Apocalyp. XXII, 15 : *Foris canes et venefici, et omnis qui amat*, scilicet iniquitatem, *et facit mendacium.*

Tertium vinum est anima, cui respondet vinacium corpus. Ipsum vinum ergo a vinaciis eliquatur et transportatur in cellarium, cum animæ sanctorum per passiones, et martyrium, quod sustinent in Ecclesiis, a corporibus separantur recondendæ in æternis cellariis.

Igitur pro torcularibus editus est Psalmus iste, id est, pro Ecclesiis multiplicatis et dilatatis, quæ recte *torcularia* appellantur.

Et patet ordinatio hujus Psalmi ad antecedentem. In præcedenti enim Psalmo se laudaturum promisit, quasi quid impetraverit, hic quod promisit reddit, et prorumpit in laudem pro dilatatione Ecclesiæ, et multiplicatione in particulares Ecclesias et distinctas : quæ, inquam, di-

Ordo hujus psalmi ad superiorem.

---

[1] Ct. Commentarium in Psal. IV, ad ỳ 1.

[2] Le Maître de chant doit faire exécuter ce psaume על-הגתית, *hal-haggittith*. Qu'est-ce que le gittith ? Les versions traduisent littéralement, d'après la signification propre de *gath*, pressoir. LXX : ὑπέρ τῶν ληνῶν, Vulg. : « pro torcularibus. » Le contenu du psaume n'autorise guère à le prendre pour un chant de vendangeurs au pressoir, aussi les Pères cherchent-ils des allusions mystiques dans ce titre. La tradition juive entend toute autre chose par le mot en question ; le Targum explique *hal-haggittith* : « super cithara quam David de Geth attulit, » et Rashi dit que le gittith était un instrument dans la fabrication duquel excellaient les gens de Geth. C'est à cette interprétation que se rallient la plupart des modernes. Cet instrument, indiqué pour des psaumes de louanges (VIII, LXXXI, LXXXIV), devait servir daus les solennités phéniciennes en l'honneur d'Adonis ; le psalmiste avait pu en apprécier la beauté dans son séjour à Geth, chez le roi Achis (I Reg. XXVII, 3). D'après une autre explication qui peut être également plausible, le gittith serait un mode musical, un air du pays philistin, peut-être, ajoute Hitzig, une marche de la garde de Geth (II Reg. XV, 18).

Abbé Lesêtre.

latatio causata est ex ipsa exaltatione Christi.

Divisio psalmi.

Dividitur autem Psalmus iste in duas partes. Primo, agitur de Christi exaltatione secundum divinitatem : secundo, de exaltatione ejus secundum humanitatem ibi, « *Quid est homo.* »

In prima parte dicuntur duo. Primo, admiratur altitudinem totius Trinitatis, et commendat. Secundo, ostendit quasi causam hujus altitudinis, et exaltationis, ibi, « *Quoniam elevata est.* »

2 Prima pars Psalmi.

Dicit ergo : « *Domine* » per potentiam creationis, cui debetur timor. Malach. I, 6 : *Si Dominus ego sum, ubi est timor meus?* Sed « *Deus noster* » per cultum spiritualem. Genes. XXVIII, 21 : *Erit mihi Dominus in Deum.* Levit. XIX, 10 : *Ego Dominus Deus vester*, qui confregi jugum civitatum vestrarum, ut incederetis erecti. « *Quam admirabile,* » id est, valde admirabile est « *nomen tuum,* » nomen scilicet dominii et potestatis. *Ego ego Dominus*, hoc est nomen meum, non tantum in Judæa, vel in terra aliqua speciali, sicut ponunt Donatistæ, scilicet in Africa, sed « *in universa terra.* » Psal. LXVI, 8 : *Et metuant eum omnes fines terræ.* Hoc est nomen de quo dictum est ad Jacob, Genes. XXXII, 29 : *Cur quæris nomen meum?* quod est mirabile. Sic hoc legitur de tota Trinitate. Sed potest etiam referri ad Patris personam specialiter, cujus nomen est Christus, quia sicut per nomen suum aliquis innotescit, sic Pater innotuit per Filium toti mundo. Isa. XXX, 27 : *Ecce nomen Domini venit de longinquo.* Hoc est nomen admirabile, de quo dictum est, Isa. IX, 6 : *Vocabitur nomen ejus, Admirabilis.* Eccli. XLIII, 31 : *Terribilis Dominus, et magnus vehementer, et mirabilis potentia ipsius :* Filius qui est virtus Patris et potentia. I ad Cor. I, 23 et 24 : *Nos autem prædicamus Christum crucifixum... Christum Dei virtutem, et Dei sapientiam.* Et recte mirabile nomen istud : quoniam per ipsum Deus pater mirabilia operatus est. Isa. XXV, 1 : *Domine Deus meus es tu, exaltabo te, et confitebor nomini tuo : quoniam fecisti mirabilia.* Mirabilis et Filius, quia mirabiliter factus. Eccli. XLIII, 2 : *Vas admirabile opus Excelsi.* Mirabiliter etiam decorus. In eodem [1], *Pulchritudinem candoris ejus admirabitur oculus, et super imbrem ejus expavescet cor* : nec tantum in una terra, sed in universa. Est enim terra viventium, cœlum scilicet Empyreum, de qua in Psal. CXLI, 6 : *Portio mea in terra viventium.* In hac fuit Filius Dei mirabilis ascendendo : unde habitatores illius terræ dicebant admirantes illud Isa. LXIII, 1 : *Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra?* Et est terra mortuorum infernus, de qua Job, X, 21 : *Antequam vadam et non revertar*, etc. In hac mirabilis fuit descendendo, ut liberaret suos de limbo : unde et illius habitatores exclamant admirando : « *Quis est iste rex gloriæ ?* » Et est terra mortalium iste mundus, de qua Isa. XXX, 6 : *Onus jumentorum Austri. In terra tribulationis et angustiæ*, etc. Jumenta autem sunt rebus temporalibus onerati, qui ad litteram in tribulatione et angustia in mundo conversantur. In hac mirabilis fuit docendo, et mirabilior operando : unde de habitatoribus hujus dicitur, Matth. VII, 28, quod *admirabantur super doctrina ejus*, dicentes : Unde huic hæc omnia, et quæ est hujus sapientia, quæ data est illi, quantum ad doctrinam : et virtutes ejus tales, quæ per manus ejus efficiuntur, quantum ad operationem. Propter hoc dicitur alibi de Filio Dei : *Dominabitur a mari usque ad mare : et a flumine usque ad terminos orbis terrarum* [2]. Plures autem rationes quare admirabilis sit Christus, superius dictæ

Mirabilis ubique Christus.

[1] Eccli. XLIII, 20.

[2] Psal. LXXI, 8.

sunt super Psalmum quartum, super illud verbum : *Scitote quoniam mirificavit Dominus Sanctum suum* [1].

« *Quoniam elevata est.* » Hic secundum, in quo præmissa admiratione de exaltatione totius Trinitatis, hic tamquam ratio exaltationis assignatur, et secundum hoc dicuntur duo. Primo, Filii exaltatio, scilicet ascensio : secundo, Apostolorum prædicatio, ibi, « *Ex ore infantium.* »

Dicit ergo sic : Domine Deus per universam terram innotuit mirabile nomen tuum : et hoc quoniam magnificentia tua, Filius tuus, scilicet Deus homo, qui dicitur magnificus active, quia te magnificavit. Joan. XVII, 4 : *Ego te clarificavi super terram.* Aliquando Dei sapientia. Joan. VIII, 6 : *Digito scribebat in terra.* Vel passive, quem tu magnificasti clamans illud per mundum : *Magnificare Dominum mecum* [2], ipsum clarificando et verum Deum ostendendo. Joan, XIII, 31 : *Nunc clarificatus est Filius hominis.* Et XVII, 5 : *Clarifica me tu Pater apud temetipsum, claritate, quam habui priusquam mundus esset.* Magnificasti etiam, gratiam ipsi in quantum homo est infundendo non ad mensuram. Ad Rom. VIII, 30 : *Quos justificavit, illos et glorificavit.* Ergo multo fortius, quem non justificavit faciendo de impio pium, sed justum in ipso instanti conceptionis fecit, magnificavit. Joan. III, 34 : *Non ad mensuram dat Deus spiritum.* In homine assumpto, hæc, inquam, magnificentia elevata est super cœlos materiales ad litteram. Mich. II, 13 : *Ascendet pandens iter ante eos.* Et in Psal. LXVII, 19 : *Ascendisti in altum,* super cœlos tres, ad æthereum, sidereum, Empyreum. II Ad Cor. XII, 2 : *Scio hujusmodi hominem raptum usque ad tertium cœlum.* Ascendit etiam super cœlos, id est, super Scripturas : quia ejus altitudinem enarrare non sufficiunt eloquia Scripturarum. De hujusmodi cœlis, Isa. XXXIV, 4 : *Complicabuntur sicut liber cœli.* Ascendit etiam super cœlos, scilicet super omnem altitudinem Angelorum. Ezech. X, 4 : *Elevata est gloria Domini desuper Cherubim.* I Pet. III, 22 : *Profectus in cœlum subjectis sibi Angelis, et Potestatibus, et Virtutibus.* Nec mirum si sic elevata : aquila enim est tua magnificentia. Job, XXXIX, 27 : *Numquid ad præceptum tuum elevabitur aquila, et in arduis ponet nidum suum?* Et ad volandum nata. Job, V, 7 : *Homo nascitur ad laborem,* in passione : *et avis ad volandum,* in ascensione. Ad Ephes. IV, 10 : *Qui ascendit super omnes cœlos, ut adimpleret omnia.*

« *Ex ore infantium.* » Hic secunda 3
ratio exaltationis, scilicet Apostolorum et virorum Apostolicorum prædicatio : et dicuntur tria. Primo, quibus ministris fiat prædicatio, et divulgatio laudis Dei. Secundo, quare per tales, ibi, « *Propter inimicos.* » Tertio, quomodo per illos, ibi, « *Quoniam videbo cœlos tuos.* »

Dicit ergo : Sic propter elevationem magnificentiæ tuæ eris admirabilis : et hac completa, *perfecisti,* id est, perficies, præteritum pro futuro certitudine prophetali, « *laudem,* » laudis tuæ divulgationem : « *ex ore,* » id est, per os, « *infantium* » hominum, in humana eloquentia deficientium, et « *lactentium,* » id est, simplici doctrina, non sæculari sapientia et astutia imbutorum. I ad Corinth. I, 21 : *Placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes.* Isa. XXXII, 4 : *Cor stultorum intelliget sapientiam.* Sap. X, 21 : *Sapientia aperuit os mutorum, et linguas infantium fecit disertas.* Infantes autem et lactentes dicuntur Apostoli, quia innocentes et sine malitia. I ad Cor. XIV, 20 : *Nolite pueri effici sensibus, sed*

[1] Cf. superius Commentarium in Psal. IV, ad ℣. 4.

[2] Psal. XXXIII, 4.

malitia parvuli estote. Pro simplicitate doctrinæ quam dilexerunt, et alios habere docuerunt. I ad Cor. III, 2 : *Lac vobis potum dedi, non escam.* I Pet. II, 2 : *Sicut modo geniti infantes, rationabile, sine dolo lac concupiscite : ut in eo crescatis in salutem.* Hæc laus inchoata fuit in Patriarchis, augmentata in Prophetis, sed perfecta in Apostolis et viris Apostolicis, figurata fuit in pueris Jerosolymitanis laudantibus Christum et honorifice recipientibus, Matth. XXI, 9. Sciens ergo Dominus Psalmistam prophetice prædixisse, et figuram illam, laudem scilicet puerorum, et rem figuræ, prædicationem scilicet Apostolorum, usus est hac scriptura contra factum puerorum reprobatorum.

Progressus laudis Christi.

« *Propter inimicos tuos.* » Hic tangitur ratio quale per tales, et dicuntur duo. Primo, quod ad confusionem inimicorum generaliter. Secundo subdividit, ostendens differentias inimicorum. Quidam enim sunt non credentes tantum, qui dicuntur *inimici* simpliciter, quidam non tantum non credentes, sed fidem etiam persequentes, qui dicuntur *ultores.*

Ait ergo : Sic perficies per tales, et hoc propter inimicos tuos confutandos, « *ut,* » per hoc scilicet, « *destruas inimicum,* » quemlibet infidelem, et ultorem, id est, quemlibet infidelitatis defensorem. Ad Philip. III, 18 : *Multi ambulant, quos sæpe dicebam vobis, (nunc autem et flens dico) inimicos crucis Christi.* Eccli. XXXVI, 9 : *Extolle adversarium,* Christum scilicet, qui adversarius est malis, *et afflige inimicum* infidelem quemlibet, et fidei contrarium. Præter hos inimicos, inimici Domini sunt superbi. Psal. LXXIII, 23 : *Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper.* Job, XV, 25 et 26 : *Tetendit adversus Dominum manum suam, et contra Omnipotentem roboratus est : cucurrit adversus Deum erecto collo.* Jacob. IV, 4 : *Quicumque voluerit amicus esse sæculi hujus, inimicus Dei constituitur.* Et dæmones, Matth. XIII, 28 : *Inimicus homo hoc fecit,* id est, diabolus.

Qui sint inimici Christi?

« *Quoniam videbo.* » Ecce tertium, in 4
quo ostendit quomodo per tales erit exaltatio. Hoc autem modo erit, quia magni futuri sunt, et magna facturi. Duo ergo dicuntur. Primo, se provisurum dicit quanti sunt futuri : secundo, quam magna facturi, ibi « *Lunam.* »

In prima duo. Primo, quanti futuri sunt : secundo, quod a se non erunt tanti, sed a Deo, ibi, « *Opera.* »

Cur prædicatores dicantur cœli?

Dicit ergo : Vere perficies laudem et confundes adversarios per dictos prædicatores, et Apostolos. Hi sunt cœli de quibus alibi, in Psal. XVIII, 2 : *Cœli enarrant gloriam Dei.* Dicuntur autem cœli propter vitæ altitudinem. Ad Philip. III, 20 : *Nostra conversatio in cœlis est.* Propter ornatum et decorem. Job, XXVI, 13 : *Spiritus Domini ornavit cœlos.* Propter doctrinæ infusionem, Isa. XLV, 8 : *Rorate cœli desuper.* Propter motus continuationem : continue enim operabuntur bona, et sine lassitudine : sic cœlum movetur continue. Isa. XL, 31 : *Current et non laborabunt, ambulabunt et non deficient :* propter motus ordinationem. Faciebant enim omnia ordinati. Job, XXXVIII, 33 : *Numquid nosti ordinem cœli, et pones rationem ejus in terra ?* I ad Cor. XIV, 40 : *Omnia honeste, et secundum ordinem fiant.*

Nota.

« *Opera.* » Quasi diceret : Videbo cœlos, sed non de seipsis tantos factos, imo « *opera digitorum tuorum.* » Non dicit opera tua, vel opera manuum, sed opera digitorum, ut notet operantis diligentiam, et operis vel operati subtilitatem, et decorem : opera enim Dei sunt omnes creaturæ. Psal. XXXII, 9 : *Dixit, et facta sunt.* Sed opera manuum rationabiles ad ejus similitudinem factæ. Isa. LXIV, 8 : *Domine, pater noster es tu, nos vero lutum : et fictor noster tu, et opera manuum tuarum omnes nos.* Sed opera digitorum tuorum Apostoli specialiter. Et nota, quod aliquando nomine digiti tres personæ designantur, Isa. XL, 12 : *Quis appendit tribus digitis molem terræ ?* Ali-

quando Dei sapientia, Luc. xi, 20: *Si in digito Dei ejicio dæmonia.*

« *Lunam et stellas.* » Hic ostendit quanta facturi, quia ordinaturi Ecclesiam universaliter : quod tangitur primo. Secundo, quod speciales Ecclesias dispositurі, ibi « *Et stellas.* » Tertio, quod non tamquam auctores, sed ut ministri ista sint facturi, ibi, « *Quæ tu fundasti.* »

Quare Ecclesia dicitur luna ?

Ait enim sic : Videbo cœlos et lunam, id est, Ecclesiam per eos ordinatam. Luna autem dicitur Ecclesia, quia noctem illuminat, conversationem scilicet peccatorum tenebrosam radiis prædicationis et doctrinæ. Ad Ephes. v, 8 : *Eratis aliquando tenebræ : nunc autem lux in Domino.* Recipit et lumen a vero sole Christo, de quo Malach. iv,2 : *Et orietur vobis timentibus nomen meum Sol justitiæ.* Cant. vi, 9 : *Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna ?*

« *Et stellas.* » Particulares scilicet Ecclesias. Apoc. i, 16 : Videbat Joannes in dextera sedentis in throno septem stellas[1], id est, speciales Ecclesias. Stella autem dicitur quælibet particularis Ecclesia : quia parva apparet per humilitatem, sed magna est per virtutem, et lucet per bonam operationem et doctrinam. Quæ tamen, scilicet lunam et stellas, « *Tu fundasti,* » sicut auctor : ipsi autem ut ministri. Fundasti,inquam, jaciens Filium tamquam primum fundamentum. I ad Cor. iii, 11 : *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus.* Et super hoc ponens ipsos Apostolos tamquam secundum fundamentum, Eccli. xxvi, 24 : *Fundamenta æterna,* id est, Apostoli, *supra petram solidam,*id est, Christum. I ad Cor. x, 4 : *Petra autem erat Christus.* Ad Ephes. ii, 20 : *Superædificati super fundamentum Apostolorum, et Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu.*

« *Quid est homo ?* » Hic est secunda 5

Secunda pars Psalmi.

pars Psalmi, in qua agitur de exaltatione naturæ humanæ in Christo : et dicuntur tria. Primo, naturæ humanæ humiliatio, ut appareat mirabilior exaltatio. Secundo, ejusdem sublimatio in Christo, ibi, « *Gloria et honore.* » Tertio, repetitio laudis divinæ, ibi, « *Domine Dominus noster.* »

In prima duo. Primo, ostenditur humiliatio naturæ humanæ in se. Secundo, respective, id est, comparatione facta ad Angelos, ibi, « *Minuisti.* »

In prima duo.Primo, humiliatio ejus in carnalibus hominibus. Secundo, in spiritualibus, ibi, « *Aut filius hominis.* »

Dicit ergo admirando : Domine, « *Quid est homo,* » quia vilis, et quia miser, « *Quod memor es ejus,* » ejus miseriæ miserando. Quasi diceret : Tanta est carnalis hominis miseria, ut tua miseratione non sit digna. Genes. vi, 3 : *Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est.* Et nota, quod est miseria hominis duplex. Corporalis, et spiritualis. Item, spiritualis duplex, ignorantiæ, et culpæ. Culpæ duplex, certitudo de culpa, et incertitudo de venia. Certitudo de culpa duplex : quantum ad ingressum vitæ, Psal. l, 7 : *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum.* Job, xiv, 4 : *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine ?* Et quantum ad progressum, quod scit se sine peccato non posse vivere. Ad Rom. vii, 15 : *Quod odi malum, illud facio.* Isa. lxiv, 6 : *Quasi pannus menstruatæ universæ justitiæ nostræ.* Job, xxv,5 : *Stellæ non sunt mundæ in conspectu ejus.* Incertus de venia, quia nescit quo fine clausurus sit termi-

Multiplex miseria hominis.

[1] Apoc. i, 16 : *Et habebat,* scilicet qui erat similis filio hominis, *in dextera sua stellas septem.*

num vitæ suæ. Eccle. IX, 12 : *Nescit homo finem suum : sed sicut pisces capiuntur hamo, et sicut aves laqueo comprehenduntur, sic capiuntur homines in tempore malo.* Miseria ignorantiæ triplex est. Sui, Osee, VII, 9 : *Comederunt alieni robur ejus, et ipse nescivit.* Proximi, Jerem. XVII, 9 : *Pravum est cor omnium, et inscrutabile : quis agnoscet illud ?* Et Dei, Osee, IV, 1 : *Non est scientia Dei in terra.*

Miseria ignorantiæ triplex.

Miseria corporalis quintuplex.

Miseria autem corporalis in quinque consistit. Primum, naturæ infirmitas. Job, XXV, 6 : *Homo putredo, et filius hominis vermis.* Et XVII, 14 : *Putredini dixi : Pater meus es, mater mea, et soror mea, vermibus.* Secundum, vitæ brevitas. Job, XIV, 5 : *Breves dies hominis sunt, numerus,* etc. Tertium, vitæ instabilitas. Job, XIV, 2 : *Quasi flos egreditur et conteritur, et fugit velut umbra, et numquam in eodem statu permanet.* Quartum, miseriarum diversitas : modo esurit, modo sitit, modo alget, modo calet. Job, XIV, 1 : *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis.* Ultimum, moriendi necessitas. Eccle. V, 15 : *Miserabilis prorsus infirmitas : quo modo venit,* homo scilicet, *sic revertetur.*

« *Aut filius hominis,* » homo scilicet aliquis jam spiritualis factus, filius scilicet novi hominis Christi.

« *Quia visitas eum.* » Non tantum memor es a remotis, sed visitas ex propinquo. Genes. XXXVII, 13 et 14 : *Veni, mittam te ad eos... Vade et vide si cuncta prospera sunt erga fratres tuos et pecora,* etc. Et Moyses suos visitavit, Exod. III. 10. Et Luc. I, 78 : *Visitavit nos oriens ex alto.* Visitavit autem quinque modis. Sicut medicus infirmum, Psal. CV, 4 : *Visita nos in salutari tuo.* Sicut redemptor captivum, Luc. I, 68 : *Visitavit, et fecit redemptionis plebis suæ.* Sicut pater errantem filium, virga cædendo, Psal. LXXXVIII, 33 : *Visitabo in virga iniquitates eorum.* Sicut amicus amicum, dona gratiæ largiendo, Job, X, 12 : *Visitatio tua custodivit spiritum meum.* Tandem visitavit sicut judex, merita discutiendo, Sophon. I, 12 : *Scrutabor Jerusalem in lucernis, et visitabo super viros defixos in fæcibus suis.*

Visitatio Dei quintuplex.

« *Minuisti eum paulo minus.* » Hic 6
secundum, in quo ostendit humiliatam naturam humanam respective, sive comparatione ad angelicam.

Ait enim : Sicut humiliata est natura humana in carnalibus, et spiritualibus, et quod plus est, minuisti eum, scilicet hominem, vel filium hominis, Christum scilicet, qui filius hominis dicitur, Matth. XVI, 13 : *Quem dicunt homines esse Filium hominis ?* et Luc. XXI, 27 : *Videbunt Filium hominis venientem in nube.* Et adhuc, Luc. XVIII, 8 : *Filius hominis veniens, putas, inveniet fidem in terra ?* « *Minuisti,* » inquam, id est minorem esse voluisti. « *Ab Angelis,* » id est, quam sint Angeli. Nec est contra hoc quod superius dictum est, naturam scilicet humanam in Christo esse super omnia exaltatam : illud enim intelligitur quantum ad ascensionem, vel quantum ad divinæ naturæ unionem. Hoc autem respicit statum corruptionis et passibilitatis. Ad Hebr. II, 7 : *Minuisti eum paulo minus ab Angelis.* Ad Philip. II, 7 : *Sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens*

Et nota, quod duplex notatur diminutio. Prima, cum dicitur, « *Minuisti,* » per verbum : secunda per adverbium « *minus.* » Sed secunda dimunitio primam diminuit, ut sit sensus : Diminutio qua diminutus est ab Angelis, est diminutio diminuta, id est, valde parva.

« *Gloria et honore.* » Hic secundum : præmissa enim humiliatione, tamquam causa vel occasione, subjungitur exsultatio tamquam effectus. Luc. XIV, 11 et XVIII, 14 : *Omnis, qui se humiliat, exaltabitur.* Et tanguntur duo. Primo, exaltatio. Secundo, modus exaltationis ostenditur, ibi, « *Et constituisti eum.* » Item,

exaltatio duplex. Absoluta in se, quæ est glorificatio humanæ naturæ. Respectiva, quæ est honoratio exaltatæ ab aliis creaturis, ibi, « *Et honore.* »

6 Ait ergo : Sic hominis humilis memor es, et illum visitas : et vere, quia « *gloria* » incorruptionis, « *et honore* » reverentiæ exhibitæ ab aliis « *coronasti eum,* » undique circumdando. Isa. LXII, 3 : *Et eris corona gloriæ,* id est, gloria coronatus, *in manu Domini, et diadema regni,* id est, regno tamquam diademate circumdatus, *in manu Dei tui.* Et nota, quod est quadruplex corona Christi. Una velut prima misericordiæ, qua coronatus est in Nativitate, quando natura nostra voluit circumdari. Cant. III, 11 : *Egredimini et videte filiæ Sion regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater sua.* Secunda miseriæ, qua coronatus est a noverca, scilicet Synagoga in Passione. Joan. XIX, 2 : *Milites plectentes coronam de spinis, imposuerunt capiti ejus.* Isa. XXII, 18 : *Coronans coronabit te tribulatione.* Tertia gloriæ, qua coronatus est in sua Resurrectione. Alibi, in Psal. XX, 6 : *Gloriam et magnum decorem impones super eum,* etc. Eccli. XLV, 14 : *Corona aurea super mitram ejus.* Quarta honorificentiæ, qua coronabitur in die judicii a multitudine salvatorum ipsum circumdante ut corona. Job, XXIX, 25 : *Cumque sederem quasi rex, circumstante exercitu.* Eccli. L, 13 : *Circa illum corona fratrum : quasi plantatio cedri in Libano.*

Quatuor Christi coronæ.

7 « *Et constituisti eum.* » Hic secundum, scilicet modus exaltationis, et maxime quantum ad secundum, scilicet honorem : et dicuntur duo. Primo, collatio dignitatis super omnem creaturam : secundo, potestatis, ibi, « *Omnia subjecisti sub pedibus ejus.* »

Dicit ergo : Vere honore coronasti eum, et hoc quia « *constituisti eum,* » dignitatem conferendo, « *super opera manuum tuarum,* » manus scilicet utriusque. Est enim manus misericordiæ, de qua in Psal. CIII, 28 : *Aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate.* Et manus justitiæ, Isa. V, 25 : *Iratus est furor Domini in populum suum, et extendit manum suam super eum, et percussit eum.* Et IX, 12 : *Sed adhuc manus ejus extenta.* Propter hoc dicitur ad Coloss. I, 18 : *Primogenitus ex mortuis.*

« *Omnia subjecisti.* » Hic ostenditur potestas humanæ naturæ in Christo super omnem creaturam. Primo, universaliter et indistincte : secundo, particulariter et distincte, ibi, « *Oves et boves.* » 8

Ait ergo : Sic digniorem fecisti filium hominis omni creatura, et super etiam potestatem tribuisti, quia

« *Omnia* » non tantum aliqua, « *subjecisti sub pedibus ejus,* » ei super illa potestatem tribuendo. Ad Hebr. II, 8 : *In eo quod omnia ei subjecit, nihil dimisit non subjectum ei.* I ad Corinth. XV, 26 et 27 : *Cum autem dicat : Omnia subjecta sunt ei, sine dubio præter eum, qui subjecit ei omnia.* Et in eodem, ibidem : *Omnia subjecit sub pedibus ejus.* Pedes autem Christi, ejus humanitas appellatur, sicut caput divinitas. II ad Corinth. XI, 3 : *Caput Christi Deus.* Isa. LX, 3 : *Locum pedum meorum glorificabo,* id est, Virginis uterum. Sub humanitate ergo ejus cuncta sunt posita. Psal. CIX, 1 : *Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* I ad Corinth. I, 25 : *Quod infirmum est Dei, fortius est hominibus.* Nec est mirum : quia sub Apostolis, et viris Apostolicis, qui pedes sunt Dei, multo remotiores quam Christi humanitas, portant enim ipsum per totum mundum. Job, XXVIII, 8 : *Non calcaverunt eam filii institorum.* Isa. LII, 7 : *Quam pulchri super montes pedes annuntiantis et prædicantis pacem.* Matth. XXIV, 47 : *Super omnia bona sua constituet eum,* dicitur de fideli servo. Sed differt : quia Christus secundum quod homo sic est Dominus totius crea-

Pedes Christi.

turæ, ut faciat de ipsa quidquid vult : alii autem sic fiunt domini, ut fiat de creatura quidquid volunt.

« *Oves et boves.* » Hic dividit creaturas omnes. Primo, quia dominium habet super bonos : secundo, quia super malos, ibi, « *Insuper et pecora.* » Boni autem sunt dupliciter : vel soli Deo vacantes, sive Angeli, sive homines, qui significantur per oves : vel utilitati proximorum intendentes Angeli vel homines, qui per boves.

Ait ergo : Sic ei omnia subjecisti, oves scilicet innocentes, et simplices tibi vacantes. Matth. x, 16 : *Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum.* Joan. x, 14 : *Cognosco meas,* scilicet oves, *et cognoscunt me meæ.* Et ibidem, xxi, 17 : *Pasce oves meas.* « *Et boves universas,* » id est, aliorum utilitatibus intendentes. Deut. xxv, 4 : *Non alligabis os bovis terentis in area fruges tuas* [1]. Isti maxime sunt prælati, qui sunt boves, si sunt boni, quia ruminant verbum Dei, et pabulum vitæ. Levit. xi, 26 : *Omne animal quod habet quidem ungulam, sed non dividit eam, nec ruminat, immundum erit :* discernendo scilicet bonum a malo. Ezech. i, 7 : *Planta pedis eorum quasi planta pedis vituli.* Mature incedunt, Psal. xxxiv, 18 : *In populo gravi laudabo te.* Labores tolerant et aliis proficiunt, Job, i, 14 : *Boves arabant, et asinæ pascebantur juxta eos.* Proverb. xiv, 4 : *Ubi plurimæ segetes, ibi manifesta est fortitudo bovis.*

ælati bo-
is similes.

« *Et pecora.* » Hic ostendit potestatem super malos. Et quia mali sunt in triplici differentia, tria dicuntur. Primo, quia potestatem habent super luxuriosos. Secundo, super superbos, ibi, « *Volucres.* » Tertio, super avaros, ibi, « *Et pisces.* » Tales autem dicuntur proprie homines talia perpetrantes. Improprie autem dæmones, talia suggerentes.

Ait ergo : « *Insuper et peccora campi,* » id est, luxuriosos, per altitudinem deliciarum ambulantes, subjecisti ei. Hæc sunt pecora, de quibus Exod. xii, 29 : *Percussit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti a primogenito Pharaonis... et omne primogenitum jumentorum.* Joel. i, 17 : *Computruerunt jumenta in stercore suo.* Hæc pecora ambulant per campos licentiæ, et latitudinis ad peccandum, de qua Matth. vii, 13 : *Lata porta, et spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem.*

« *Volucres cœli,* » superbos scilicet in 9
altum volantes ei etiam subjecisti, velint nolint. Aves autem dicuntur superbi, sicut dæmones qui eis dominantur. Matth. xiii, 4, et Luc. viii, 4 : *Volucres cœli comederunt illud.* Deut. xxxii, 24 : *Devorabunt eos aves morsu amarissimo.* Et princeps dæmonum volare voluit tamquam volucris. Isa. xiv, 13 : *In cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum,* etc. Et superbi sic qui volant post ipsum. Psal. lxxii, 9 : *Posuerunt in cœlum os suum.*

« *Et pisces maris,* » id est, avaros, « *qui perambulant,* » discutiendo cupiditate et curiositate, « *semitas maris,* » strictas et angustas vias, maris scilicet hujus mundi tumultuosi, et spumosi : de quo in Psal. ciii, 25 : *Hoc mare magnum et spatiosum manibus, illic reptilia quorum non est numerus,* id est, avari quorum non est numerus. Jerem. vi, 13 : *A minore quippe usque ad majorem omnes avaritiæ student.* Ecce illa tria quæ tangit I Joan. ii, 16 : *Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ.* Habac. i, 14 : *Et facies homines quasi*

[1] Cf. I ad Timoth. v. 18 : *Dicit Scriptura : Non alligabis os bovis triturantis.*

pisces maris. Semitæ etiam maris dicuntur omnia temporalia, quæ illi corde perambulant, quia cito transeunt, sicut semita in mari. Osee, x, 7 : *Transire fecit Samaria regem suum quasi spumam sufaciem aquæ.* Et in Sap. v, 9 : *Transierunt omnia illa... tamquam navis quæ pertransit fluctuantem aquam.*

10 « *Domine Dominus noster.* » Ecce tertium secundæ partis hujus Psalmi, læta scilicet conclusio et magnificatio et admiratio. Et dicitur *periodalis* hic Psalmus, quia sicut inchoavit, sic et terminatur : et periodalis in toto, quia totum versum primum in fine repetit, ad differentiam eorum qui periodales sunt in parte, sicut ille Psal. cii, 1 : *Benedic anima mea,* etc. Et hoc fit ut ostendatur ad cumulum laudis, quod ille ad quem loquitur psallens, et de quo loquitur, principium est omnium et finis. Apoc. i, 8 : *Ego sum Alpha et Omega, principium et finis.* Et expone sicut in principio.

PSALMUS IX.

Celebratur potentia Dei qui impios disperdit et pauperes tuetur.

1. *In finem, pro occultis filii, Psalmus David.*
2. Confitebor tibi Domine in toto corde meo ; narrabo omnia mirabilia tua.
3. Lætabor et exsultabo in te ; psallam nomini tuo Altissime.
4. In convertendo inimicum meum retrorsum ; infirmabuntur, et peribunt a facie tua.
5. Quoniam fecisti judicium meum et causam meam : sedisti super thronum qui judicas justitiam.
6. Increpasti gentes, et periit impius ; nomen eorum delesti in æternum, et in sæculum sæculi.
7. Inimici defecerunt frameæ in finem, et civitates eorum destruxisti.
   Periit memoria eorum cum sonitu ;
8. Et Dominus in æternum permanet.
   Paravit in judicio thronum suum ;
9. Et ipse judicabit orbem terræ in æquitate, judicabit populos in justitia.
10. Et factus est Dominus refugium pauperi ; adjutor in opportunitatibus, in tribulatione.
11. Et sperent in te qui noverunt nomen tuum ; quoniam non dereliquisti quærentes te Domine.
12. Psallite Domino, qui habitat in Sion ; annuntiate inter gentes studia ejus :
13. Quoniam requirens sanguinem eorum recordatus est ; non est oblitus clamorem pauperum.
14. Miserere mei Domine ; vide humilitatem meam de inimicis meis.
15. Qui exaltas me de portis mortis, ut annuntiem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion.
16. Exsultabo in salutari tuo ; infixæ sunt gentes in interitu quem fecerunt.
    In laqueo isto, quem absconderunt, comprehensus est pes eorum.
17. Cognoscetur Dominus judicia faciens ; in operibus manuum suarum comprehensus est peccator.
18. Convertantur peccatores in infernum, omnes gentes quæ obliviscuntur Deum.
19. Quoniam non in finem oblivio erit pauperis ; patientia pauperum non peribit in finem.

20. Exsurge Domine, non confortetur homo; judicentur gentes in conspectu tuo.

21. Constitue, Domine, legislatorem super eos, ut sciant gentes quoniam homines sunt.

Psalmus x secundum Hebræos.

1. Ut quid Domine recessiti longe, despicis in opportunitatibus, in tribulatione?
2. Dum superbit impius, incenditur pauper : comprehenduntur in consiliis quibus cogitant.
3. Quoniam laudatur peccator in desideriis animæ suæ, et iniquus benedicitur.
4. Exacerbavit Dominum peccator, secundum multitudinem iræ suæ non quæret.
5. Non est Deus in conspectu ejus; inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore.

   Auferuntur judicia tua a facie ejus; omnium inimicorum suorum dominabitur.
6. Dixit enim in corde suo : Non movebor a generatione in generationem, sine malo.
7. Cujus maledictione os plenum est, et amaritudine, et dolo [1]; sub lingua ejus labor et dolor.
8. Sedet in insidiis cum divitibus in occultis, ut interficiat innocentem.
9. Oculi ejus in pauperem respiciunt : insidiatur in abscondito, quasi leo in spelunca sua.

   Insidiatur ut rapiat pauperem; rapere pauperem dum attrahit eum.
10. In laqueo suo humiliabit eum, inclinabit se, et cadet cum dominatus fuerit pauperum.
11. Dixit enim in corde suo : Oblitus est Deus, avertit faciem suam ne videat in finem.
12. Exsurge, Domine Deus, exaltetur manus tua; ne obliviscaris pauperum.
13. Propter quid irritavit impius Deum? dixit enim in corde suo : Non requiret.
14. Vides, quoniam tu laborem et dolorem consideras; ut tradas eos in manus tuas.

    Tibi derelictus est pauper; orphano tu eris adjutor.
15. Contere brachium peccatoris et maligni; quæretur peccatum illius, et non invenietur.
16. Dominus regnabit in æternum, et in sæculum sæculi; peribitis gentes de terra illius.
17. Desiderium pauperum exaudivit Dominus; præparationem cordis eorum audivit auris tua.
18. Judicare pupillo et humili, ut non apponat ultra magnificare se homo super terram.

[1] Infra, XIII, 3; ad Rom. III, 14.

IN PSALMUM IX

COMMENTARIUS.

1 *In finem pro occultis filii, Psalmus David* [1].

« *Confitebor tibi Domine.* » Hic Psalmus nonus numero, octavus in titulo. qui talis est, « *In finem pro occultis filii, Psalmus David.* » Secundum autem Hieronymum est talis titulus, « Victori super mortem filii, Canticum David. » Et potest alludere titulus iste historiæ duplici, illi scilicet quæ legitur II Reg. xii, 15 et seq., de morte parvuli in adulterio generati de uxore Uriæ, pro quo cum rogasset David in cinere et cilicio et jejuniis, non obtinuit : unde tamquam victus, victori Domino, cujus voluntas prævaluit, Psalmum istum edidit in cantando : unde dicitur *Canticum*. Ratio autem quare cantando edidit, esse potuit, ut semetipsum consolaretur super morte parvuli, sicut et cibum sumpsit, et vestes regias induit, et ut admoneret nos quod debemus super mortuos consolari. I ad Thessa. iv, 12 : *Nolumus vos ignorare fratres de dormientibus, ut non contristemini sicut et cæteri, qui spem non habent.*

Titulus alludit ad duas historias David, vel ad mortem filii ex adulterio nati, vel Absalonis de qua consolationem quærit.

Alludere etiam potest ille titulus historiæ quæ legitur in II Reg. xviii, 5 et seq., de morte Absalonis, ipsum David persequentis, quo mortuo, David attribuens victoriam ipsi Deo, hunc Psalmum edidit in modum Cantici, figuraliter insinuans Ec-

[1] « Au maître du chant על-מותלבן, *hal mouth labben.* La traduction des LXX : ὑπέρ τῶν κρυφίων του υἱοῦ, et de la Vulgate : « pro occultis filii. » supposeraient dans l'hébreu על-עלמות, *hal-haloumot.* Les Pères entendent le titre ainsi rendu des mystères du Fils de Dieu, de sa naissance, de sa résurrection, etc., et Théodoret de la victoire du Fils de Dieu contre la mort, ce qui serait plus en harmonie avec le contenu du morceau. Théodotion qui traduit : « sur la fleur de l'âge (ἀκμῆς) du fils, » et Aquila : « sur la jeunesse (νεανιότητος) du fils, » ont dû lire toute autre chose dans leur texte hébreu que ce que nous lisons, et d'ailleurs dans le psaume il n'est aucunement sujet de jeunesse. Symmaque est bien plus heureux : περί τοῦ θανάτου τοῦ υἱοῦ ; S. Jérôme : « super morte filii. » Mais quel est ce fils ? Les sentiments de joie et d'action de grâces exprimées dans ce psaume sont inconciliables avec ce que l'histoire nous raconte de la douleur de David à la mort d'Absalon, II Reg. xviii, 33. Quelques anciens rabbins croient qu'il faut lire נבל, *nabal*, l'insensé, au lieu de *labben ;* d'autres prennent *labben*, « le blanc, » comme un nom énigmatique de Goliath, qui serait ainsi désigné par le mot *nabal.* David aurait composé ce chant à l'occasion de sa victoire sur le philistin ; mais, en tout cas, il faudrait dans cette hypothèse reculer la composition bien après l'évènement qui est célébré dans le psaume, car il y est parlé de Sion comme étant la demeure du Seigneur. Quelques interprètes préfèrent cette autre traduction : « au maître de chant, sur la mort, à Ben ; » ce Ben serait le lévite nommé I Paral. xv, 18 ; toutefois l'existence de ce personnage est fort problématique, car, dans le livre cité, le mot *Ben* manque au ỹ. 20 et au ỹ. 16 du chapitre suivant, et ce Ben pourrait bien n'exister que grâce à une faute de ponctuation, observe Hupfeld. M. Le Hir fait de Labben un chef des ennemis de David ; M. Mossé ne voit dans *mouth-labben* que le nom d'un instrument. L'opinion la plus commune aujourd'hui reconnaît là le début d'un air sur lequel devait être chanté le psaume : au maître de chant sur « mort au fils. » En changeant la ponctuation massorétique, on pourrait obtenir d'autres sens plus ou moins différents.

« Le psaume est divisé en deux dans l'hébreu, mais cette division est anormale ; aussi Hengstemberg et Hupfeld reconnaissent-ils volontiers l'unité des deux parties du psaume, composées par le même auteur et dans le même temps. Voici les

clesiæ lætitiam de gentibus vocatæ, pro morte spirituali et excæcatione Judæorum, qui fuerunt tamquam adulterini filii Christum Patrem persequentes, vel per ipsum Christum Deum Patrem. Joan. v, 23 : *Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem, qui misit illum.*

Mystice insinuat Ecclesiæ lætitiam de Judæis spuriis et rebellibus filiis rejectis.

Secundum autem Glossam Augustini, titulus nulli alludit historiæ, sed tacta causa efficiente per hoc quod dicitur, « *Psalmus David,* » et utilitate per hoc quod additur, « *in finem:* » ostenditur materia Psalmi in hoc quod adjungitur, « *Pro occultis filii David,* » filii, inquam, David, scilicet Christi, qui filius David dicitur, Luc. xviii, 38 : *Jesu Fili David miserere mei.* Et Matth. xv, 22 : *Miserere mei Domine Fili David.* Ad Rom. i, 3 : *Qui factus est ei ex semine David secundum carnem.* Vel filii simpliciter : quia quando dicitur in Scriptura sine determinatione, intelligitur Dei Filius, media scilicet in Trinitate persona. Joan. viii, 36 : *Si ergo vos filius liberaverit, vere liberi eritis.* Occulta autem hujus Filii sunt duo, scilicet ejus latentia in carne mortali, sub qua quasi divinitatis majestatem, et potestatem occultaverat. Isa. xlv, 15 et 14 : *Vere tu es Deus absconditus : et non est absque te Deus.* Occulta etiam sunt judicia, quibus mundum regit, disponit, et ordinat in præsenti, tam occulta, quod nullis, vel paucissimis fiant manifesta. Unde in Psal. xxxv, 7 : *Judicia tua abyssus multa.* Et Apostolus super iis exclamans ad Rom. xi, 33 : *O altitudo divitiarum sapientiæ, et scientiæ Dei : quam incomprehensibilia sunt judicia ejus,* etc. Pro hoc ergo occulto regimine, et de hoc agitur in hoc Psalmo. Et sic patet ordinatio hujus Psalmi ad Psalmum præcedentem.

Occulta filii vel ejus incarnatio, vel judicia.

Ordo psalmi.

Cum enim in antecedenti Psalmo actum sit de Ecclesiæ constitutione per Filii exaltationem, et Apostolorum prædicationem, hic agitur de mirabili regimine constitutæ per oppressionem inimicorum ejus, usque ad tempus Antichristi, et occulto Dei judicio, et tandem de regimine manifesto et aperto, a tempore Antichristi, et deinceps.

Divisio.

Et secundum hoc Psalmus iste potest dividi in duas partes. Primo, laus Dei et commendatio pro regimine occulto et judicio. Secundo, pronuntiatio vel petitio de regimine et judicio manifesto, ut Sanctorum miseriæ finiantur, ibi, « *Convertantur peccatores.* »

In prima duo dicuntur. Primo, promittit, se laudaturum corde : secundo, ore, ibi, « *Narrabo.* » Tertio, opere, ibi, « *Psallam.* »

2 Ait ergo : Sic Domine naturam humanam in Christo exaltasti, per prædica-

raisons qui obligent à admettre cette conclusion : 1° Le psaume X selon l'hébreu serait sans titre, ce dont le premier livre du psautier ne nous donne d'exemple qu'au psaume xxxiii. 2° Plusieurs expressions caractéristiques sont communes aux deux sections, et elles se concluent toutes les deux par le cri : « Exsurge Domine. » 3° Les anciennes versions n'ont point connu cette division. 4° Le sujet traité est le même dans les deux sections, quoi qu'en pense Van Steenkiste, et les idées n'y sont pas plus en contradiction que dans bien d'autres psaumes dont l'unité est incontestée. 5° Enfin le psaume est alphabétique, quoique l'auteur ne s'astreigne pas rigoureusement à l'ordre qu'il entreprend de suivre. Cette latitude que se donne le psalmiste n'a rien d'extraordinaire, et Bickell signale dans les poèmes syriaques de S. Ephrem des chants alphabétiques qui ne procèdent pas d'autre sorte.

« L'application morale du psaume à l'Église persécutée et toujours victorieuse, et à l'âme persécutée est facile. A ce point de vue on peut adopter la division de Cassiodore, reproduite par Pierre Lombard : 1° Le prophète chante la ruine du royaume de Satan par le Messie (vv. 2-10). 2° Il invite les fidèles à louer Dieu (vv. 11-17). 3° Il annonce le temps qui sera imposé à la malice des méchants (vv. 18-21). 4° Il décrit les maux qui se déchaîneront au temps de l'Antéchrist (vv. 1-11), 5° Il demande à Dieu de hâter le jugement définitif des méchants (vv. 12-18.) »

D. Lesêtre.

tionem Apostolorum universalem Ecclesiam et particulares instituisti. Unde ego *confitebor tibi Domine,* primo confessione culpæ et peccati, de qua Josue, VII, 19 : *Fili mi, da gloriam Domino Deo Israel, et confitere,* scilicet peccatum. Et « *tibi,* » quia tuum est delere illud, et quia tibi soli peccavi. Isa. XLIII, 25 : *Ego sum ipse qui deleo iniquitates tuas propter me.* Et confessione fidei, de qua ad Rom. X, 10 : *Corde creditur ad justitiam : ore autem confessio fit ad salutem.* Te solum credens Deum et unum, Marc. XII, 29 : *Dominus Deus tuus, Deus unus est.* Et confessione laudis, de qua Tob. XII, 6 : *Benedicite Deum cœli, et coram omnibus viventibus confitemini ei.* Psal. CXLVIII, 14 : *Confessio ejus super cœlum et terram.* Et hoc quia solus bonus, Matth. XIX, 17 : *Unus est bonus, Deus.*

Et hoc « *in toto corde meo.* » In corde, non in labiis, sicut illi de quibus dicitur, Matth. XV, 8 : *Populus hic labiis me honorat : cor autem eorum longe est a me.* Et Jerem. XII, 2 : *Prope es tu* Domine *ori eorum, et longe a renibus eorum.* Et « *in toto,* » non diviso per partes, sicut illi de quibus Osee, X, 2 : *Divisum est cor eorum, nunc interibunt.* Deut. VI, 5, et Matth. XXII, 37 : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Cordis autem confessio quid aliud est quam dilectio? Joel, II, 12 : *Convertimini ad me in toto corde vestro.* Et « *meo* », scilicet a me possesso. Prov. IV, 23 : *Fili mi,... omni custodia serva cor tuum :* quia non est virtus modica, sed magna. Prov. XVI, 32 : *Melior est patiens viro forti : et qui dominatur animo suo, expugnatore urbium.*

« *Narrabo.* » Hic tangitur confessio oris, et tanguntur duo. Confessio, et modus confessionis, ibi, « *Lætabor.* »

Ait ergo : Sic confitebor corde meo, et postmodum « *narrabo* » ore omnia mirabilia tua. Omnia, inquam, in genere, quia sunt numero infinita. Vel sic : « *Omnia mirabilia tua,* » id est, quæcumque dicam de tuis operibus, sunt mirabilia. Sic intelligitur illud Joan. XVI, 13 : *Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem,* id est, quidquid docebit, veritas erit. Et est rectus ordo : prius enim necessaria est confessio, quæ cor mundat : postea mirabilium enarratio per prædicationem, quæ alios incitat ad bonum. Alibi, in Psal. LXXXVII, 12 : *Numquid narrabit aliquis in sepulcro,* id est, in mortali peccato ? Quasi diceret : Non, nec justitias, quia alibi, in Psal. XLIX, 16 : *Peccatori dixit Deus : Quare tu enarras justitias meas,* etc. Eccli. XXII, 6 : *Musica in luctu, importuna narratio.*

Narranda autem est mirabilis justitia Dei, et mirabilis misericordia. Mirabilis justitia, in mundo, sicut in diluvio, Gen. VII, 17 et seq ; et in pœna Sodomorum in eodem libro Gen. XIX, 24 et seq. ; mirabilior in purgatorio, mirabilissima in inferno. Mirabilis misericordia in creatione, mirabilior in creatorum redemptione, mirabilissima in peccatorum justificatione. Psal. LXXVI, 15 : *Tu es Deus, qui facis mirabilia.* Exod. XV, 11 : *Magnificus in sanctitate, terribilis atque laudabilis, et faciens mirabilia.*

« *Lætabor.* » Ecce modus. « *Lætabor* » 3
interius, et « *exsultabo* » exterius. Et hoc « *in te,* » non in iniquitate. Proverb. II, 14 : *Qui lætantur cum male fecerint, et exsultant in rebus pessimis.* Nec in vanitate, sicut illi de quibus Job, XXI, 11 et 12 : *Exsultant lusibus,... et gaudent ad sonitum organi.* Sed in te, ad Philip. IV, 4 : *Gaudete in Domino semper : iterum dico gaudete.* Psal. LXX, 6 : *In te cantatio mea semper.* Hoc enim diligis : Eccli. XXXV, 11 : *In omni dato, hilarem fac vultum tuum.* II ad Cor. IX, 7 : *Hilarem datorem diligit Deus.*

« *Psallam,* » bene operando : et hoc « *nomine tuo* » o « *Altissime,* » ut finalis intentio operis mei tu sis. Levit. III, 9, præcipitur, quod cauda hostiæ, id est, finalis intentio, Domino offeratur. Alibi, in Psal. LXX, 22 : *Deus psallam tibi in*

cithara, id est, in decem præceptorum concordi harmonia.

4 « *In convertendo.* » Hic ponitur causa laudis, et hæc tangitur duplex. Primo inimici dilectio, secundo constantia divinæ potestatis et duratio, ibi, « *Et Dominus in æternum permanet.* »

In prima parte dicuntur quatuor. Primo, dejectio inimici : secundo, utilitas annexa illi dejectioni, ibi, « *Infirmabuntur.*» Tertio, causa utriusque, ibi, « *Quoniam fecisti.*» Quarto, modus dejiciendi, ibi, « *Increpasti.* »

Dicit ergo : Sic corde, ore, et opere confitebor, et hoc justum, quia « *in convertendo,* » id est, dum converti facis « *inimicum meum* » capitalem, diabolum scilicet. Matth. XIII, 28 : *Inimicus homo hoc fecit.* Et in Psal. XVI, 9 : *Inimici mei animam meam circumdederunt.* Thren. IV, 19 : *Velociores fuerunt persecutores nostri aquilis cœli.* Convertisti, inquam, « *retrorsum,* » potestatem auferendo quam super me usurpaverat. Luc. XI, 22 : *Si autem fortior eo superveniens, vicerit eum, universa arma ejus auferet, in quibus confidebat*, etc.

« *Infirmabuntur.* » Ecce consequens : duplex debilitatio potestatis eorum, et tandem retrusio in infernum. Quasi diceret : « *In convertendo* » sic inimicum, « *infirmabuntur* » ipse et membra ejus, ut possint modicum in præsenti contra bonos.

« *Et peribunt* » tandem in futuro « *a facie tua,* » id est, a præsentia tui ad judicium venientis. Malach. III, 2 : *Et quis stabit ad videndum eum ?* « Mali, secundum Augustinum, mallent quamcumque pœnam sustinere, quam judicis faciem videre.» Isa. XXX, 27 : *Ardens furor ejus, et gravis ad portandum : labia ejus repleta sunt indignatione.* Vel in bono potest exponi hoc annexum, sic : Cum converteris inimicum retrorsum, infirmabuntur mali infirmitate bona, a malo declinando. II ad Corinth. XII, 10 : *Cum infirmor, tunc potens sum.* Psal. XV, 4 : *Multiplicatæ sunt infirmitares eorum : postea acceleraverunt*, qui prius potentes erant ut facerent mala. Isa. V, 22 : *Væ qui potentes estis ad bibendum vinum, et viri fortes ad miscendam ebrietatem.* Et peribunt, ad bonum se penitus convertendo. Proverb. XII, 7 : *Verte impios, et non erunt.* Isa. XL, 31 : *Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem :* et hoc

« *A facie tua,* » id est, a cognitione, id est, propter cognitionem quam habebunt de te. Psal. LXXIX, 4 : *Ostende nobis faciem tuam, et salvi erimus.* Isa. XXVI, 17 et 18 : *Sic facti sumus a facie tua Domine. Concepimus, et quasi parturivimus, et peperimus spiritum.*

« *Quoniam fecisti.* » Hic ponitur causa utriusque directionis, et dicuntur tria. 5
Primum est Christi adjudicatio. Secundum, accusatio, ibi, « *Et causam meam.* » Tertio ostenditur, quod utriusque potuit esse causa, ibi, « *Sedisti super thronum.* »

Dicit ergo : Vere inimicus directus est, et detenti ab eo liberati. « *Quoniam tu fecisti judicium meum,* » id est, judicium in te, et de te fieri voluisti ad utilitatem meam : « *Et causam meam* » repeti fecisti, id est, accusari in causa pro me sustinuisti. Hoc est quod petebat Ezechias, Isa. XXXVIII, 14 : *Domine vim patior, responde pro me.* Jerem. XI, 20 : *Tibi revelavi causam meam.* Justum enim erat ut homo qui trangressus erat Dei mandatum, sustineret judicium et accusationes justas patienter. Et sic judicium quo judicandus erat homo in se, Christus adimplevit. Sic illud judicium factum est hominis, et illa causa. Isa. LIII, 5 : *Livore ejus sanati sumus.* In eodem, ℣. 6 : *Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra.* Proverb. XX, 30 : *Livor vulneris absterget mala.*

« *Sedisti super thronum,* » id est, su-

per Christi animam, « *qui judicas justitiam.* » Ac si dicat : Quia judex justus Deus in Christi anima per unionem requiescit, ob hoc fieri potuit ut ejus judicio, qui judicatus est, liberarer. Hoc est quod dicit Paulus, II ad Corinth. v, 19 : *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi.* Deus, inquam, qui judicas justitiam nunc in occulto, tandem judicabit in aperto. Joan. v, 22 : *Pater... omne judicium dedit Filio.* Psal. LXXIV, 3 : *Cum accepero tempus, ego justitias judicabo.* Nota, quod dicit, « *Judicas justitiam* : » non enim tantum Dominus injustitias judicabit, sed etiam justitias et injustitias probabit. Eccle. XII, 14 : *Adducet Deus in judicium pro omni errato, sive bonum, sive malum illud sit.* Isa. LXIV, 6 : *Quasi pannus menstruatæ universæ justitiæ nostræ.*

6 « *Increpasti gentes.* » Hic est tertium, scilicet modus dejiciendi, in quo tria sunt. Primum est peccatorum increpatio : secundum, increpatorum conversio, ibi, « *Et periit.* » Tertium, potestatis dæmonis annihilatio, ibi, « *Inimici defecerunt.* »

Ait ergo : Sic et per hanc causam repulisti adversarium, et hoc modo, quia increpasti, id est, increpari per prædicatores tuos fecisti. Quos ? primo per Joannem Baptistam, Luc. III, 7 : *Genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere a ventura ira ?* Postmodum per Apostolos ad Gentiles missos, Marc. XVI, 15 : *Euntes in universum mundum, prædicate,* etc. Psal. LXVII, 31 : *Increpa feras arundinis.* Nahum, I, 4 : *Increpans mare, et exsiccans illud.*

« *Et periit impius,* » in quantum impius, post increpationem conversus inchoando bonum.

« *Nomen eorum* » impietatis et perversitatis « *delesti,* » non ad horam, « *sed in æternum, et,* » pro id est, « *in sæculum sæculi,* » exsecutivum. Isa. XIV, 22 : *Perdam* Babylonis *nomen, et reliquias, et germen, et progeniem.* Perdes, per gratiam in præsenti, et per gloriam in futuro, ut omnino iniquitatum eorum non recorderis. Ezechiel. XVIII, 21 et 22 : *Si impius egerit pœnitentiam a peccatis suis,... omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor* amplius. Psal. XV, 4 : *Nec memor ero nominum eorum per labia mea.*

« *Inimici.* » Hic est tertium, scilicet inimici quantum ad potestatem destructio, et tanguntur tria. Primo, destructio potestatis ejus quantum ad rebelles in fide. Secundo, quantum ad dissipantes bonos mores, ibi, « *Et civitates eorum.* » Tertio, quantum ad exhibentes culturas varias et ritus, ibi, « *Periit memoria.* » 7

Ait ergo : Sic increpasti per prædicatores, et conversæ sunt gentes, et vere : quia « *frameæ,* » rebelliones scilicet, et infidelitates « *inimici,* » scilicet diaboli « *defecerunt in finem,* » id est, per finem.

Nota ergo, quod framea proprie gladius dicitur, sive ensis, unde rebelliones errantium in fide, quibus simplices vulnerabantur, recte « *frameæ* » dicuntur. Propter hoc Psalmista alibi dixerat, Psalm. XXI, 21 : *Erue a framea Deus animam meam.* Zachar. XIII, 7 : *Framea, suscitare super pastorem meum, et super virum cohærentem mihi.* Quælibet etiam suggestio diaboli, framea vel gladius potest dici. Gladius, quia lucet per delectationem, et pungit acumine per pœnam consequentem. Ezech. XXI, 9 : *Gladius exacutus est, et limatus :* limatus ut splendeat, exacutus ut cædat victimas. Quando autem suggerit de peccato uno, quasi uno gladio percutit : quando de duplici peccato, ut cum suggestioni luxuriæ addit suggestionem avaritiæ, tunc duplicatur gladius. Quando cum his duobus suggestio additur de superbia, tunc triplicatur. Ezech. XXI, 14 : *Duplicetur gladius, ac triplicetur.* Et hujusmodi omnes gladii seu frameæ deficiunt intuenti in finem multiplicem. Primo, in finem Christum,

Tentationes pereunt cum respicimus in finem, id est, Christum.

Ad Rom. x, 4 : *Finis legis Christus, ad justitiam.* Num. xxi, 9 : *Fecit Moyses serpentem æneum, et posuit eum pro signo : quem cum percussi adspicerent, sanabantur.* I Pet. iv, 1 : *Christo igitur passo in carne, et vos eadem cogitatione armamini.* Vel in finem virtutum charitatem, I ad Timoth. i, 5 : *Finis præcepti est charitas.* Psal. cxviii, 96 : *Omnis consummationis vidi finem : latum mandatum tuum nimis.* Attendere enim Dei charitatem ad nos, et quam debemus habere ad ipsum, omnem destruit diaboli suggestionem. Et in finem delectationis, qui est miseria et pœna. Proverb. xiv, 13 : *Extrema gaudii luctus occupat.* Apocalyps. xviii, 7 : *Quantum glorificavit se, et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum.* Vel in finem vitæ propriæ, id est, mortem. Eccli. vii, 40 : *Fili...memorare novissima tua, et in æternum non peccabis.* Vel in finem proprii corporis post mortem. Eccli. x, 13 : *Cum morietur homo, hæreditabit serpentes, et bestias, et vermes.* Propter hoc dicit Moyses, Deut. xxxii, 28 et 29 : *Gens absque consilio est et sine prudentia. Utinam saperent, et intelligerent, ac novissima providerent.* Hos enim fines considerans, deficere facit diaboli potestatem. Isa. xvi, 4 : *Consummatus est miser : defecit qui conculcabat terram.*

Vel charitatem finem virtutum.

Vel in pœnam finem peccati.

« *Et civitates eorum,* » id est, ejus, scilicet diaboli. Singulare mutat in plurale, sicut et supra cum dixisset, « *Et periit impius,* » statim subdidit, « *Nomen eorum :* quia mali etsi conjunctas habeant ad invicem caudas, et sint unum quodammodo, habent tamen facies diversas, et simpliciter sunt multi, sicut vulpes Samsonis, Judic. xv, 4. « *Civitates,* inquam, *eorum destruxisti,* » colligationes scilicet ad malum, et munitiones contra bonum. De civitatibus istorum alibi, in Psal. cxxxviii, 20 : *Accipient in vanitate civitates suas.* Job, xv, 28 : *Habitavit in civitatibus desolatis.* Istæ sunt civitates, quas filii Israel ædificaverunt Pharaoni, Exod. i, 11, Phithon et Ramesses, et Heliopolis. Phithon interpretatur *os abyssi,* vel *os profundum.* Hæc est cupiditas vel avaritia. Eccli. xiv, 9 : *Insatiabilis est oculus cupidi.* Eccle. v, 9 : *Avarus non implebitur pecunia.* Ramesse interpretatur *commotio tineæ,* et significat luxuriam : tinea enim de vestimento nascitur, et consumit ipsum : sic luxuria oritur de carne, et ipsam consumit. I ad Corinth. vi, 18 : *Qui fornicatur, in corpus suum peccat.* Per Heliopolim quæ interpretatur *civitas solis,* superbia designatur : hæc enim semper lucere vult, et apparere, contra illud Job, xxxi, 26 : *Si vidi solem cum fulgeret, et lunam incedentem clare.* Hæ sunt civitates, de quibus clamat Jerem. xlviii, 28 : *Relinquite civitates,* scilicet tres istas, *et habitate in petra,* Christo scilicet. I ad Cor. x, 4 : *Petra autem erat Christus.*

« *Periit memoria.* « Quasi diceret : Non tantum destructus est infidelitatis error, nec tantum munitio contra malum : sed « *periit,* » id est, peribit, præteritum pro futuro, « *memoria,* » ritus scilicet et sacrificia, in quibus eorum memoria habebatur. « *Cum sonitu,* » id est, strepitu et tumultu in quo fiebant illa. Hoc prophetatum fuit, Ezech. iii, 12 : *Et assumpsit me spiritus, et audivi post me vocem commotionis magnæ* : malorum « *periit memoria cum sonitu,* » simul enim perstrepunt in hoc mundo, et pereunt. Job, xxi, 13 : *Ducunt in bonis dies suos.* Item, ad litteram pereunt cum sonitu intrinseco, vel extrinseco : quia quæ vehementer diligunt, sine magno ejulatu amittere non possunt. Gregorius : « Plus adversa sentiunt, qui plus in pro« speris se extollunt. » Non sic justi, Proverb. x, 7 : *Memoria justi cum laudibus.* Et nomen impiorum putrescet. Eccle. vi, 4 : *Frustra venit, et pergit ad tenebras, et oblivione delebitur nomen ejus.* Peribit autem omnino cum sonitu tubæ, quæ sonabit in finem, Domino ad judicium veniente. I ad Corinth. xv, 52 : *Canet enim tuba, et mortui qui in Christo sunt, resurgent incorrupti.* Et hoc quia voluit,

quod periret memoria peccati sui in sonitu confessionis oris, et gemitu cordis, sine quibus procul dubio periisset [1] ? Et nota, quod perire dicitur, statum in bonum mutari : unde in Psal. CIII, 35 : *Deficiant peccatores a terra, et iniqui ita ut non sint*, supple, peccatores. Thren. III, 54 : *Inundaverunt aquæ super caput meum : dixi : Perii.* Mori, Isa. LVII, 1 : *Justus perit, et non est qui recogitet in corde suo.* Desinere esse, Job. III, 3 : *Pereat dies in qua natus sum.* Et damnari, in Psal. II, 12 : *Et pereatis de via justa.*

8 « *Et Dominus in æternum permanet.* »

[M]agnificen[ti]a Dei tri[b]us constat.

Hic secunda pars, in qua agitur de causa divinæ laudis, quæ est Dei magnificentia, et ostenditur in tribus. In æternitate, in judiciaria potestate, ibi, « *Paravit in judicio.* » Et in benignitate, ibi, « *Et factus est Dominus.* »

Dicit ergo : Sic peribunt mali, non tantum re, sed etiam memoria, et nomine. « *Et Dominus in æternum permanet.* « Dominus, inquam, Dei Filius, contra quem nituntur mali, et maxime Judæi. Psal. CXVIII, 89 : *In æternum, Domine, verbum tuum permanet in cœlo.* Daniel. VII, 14 : *Potestas ejus, potestas æterna, quæ non auferetur : et regnum ejus, quod non corrumpetur.* Michæ. V, 2 : *Egressus ejus ab initio, a diebus æternitatis.*

« *Paravit in judicio thronum suum.* » Hic tangitur judiciaria potestas, et dicuntur duo. Primo, quod meruerit judiciariam potestatem. Secundo, quomodo judicaturus sit, ibi, « *Et ipse judicabit.* »

Ait ergo : Sic manet in æternum, et etiam paravit per humilitatem merendo, « *thronum suum,* » judiciariam scilicet potestatem, in judicio scilicet generali. Ad Philip. II, 7 et 9 : *Semetipsum exinanivit formam servi accipiens.* Et paulo post : *Propter quod et Deus exaltavit illum.* Joan. V, 27 : *Potestatem dedit ei judicium facere, quia Filius hominis est.* Vel « *paravit*, » id est, comparavit « *thronum suum,* » sicut prius, in judicio quo judicatus est, et abjudicatus ante Pilatum. Isa. LIII, 8 : *De angustia, et de judicio sublatus est.* Ad Rom. XIV, 9 et 10 : *In hoc Christus mortuus est, et resurrexit, ut et mortuorum et vivorum dominetur. Tu autem quid judicas fratrem tuum ? aut tu quare spernis fratrem tuum ? omnes enim stabimus ante tribunal Christi.* Hic thronus futurus est nubes lucida in qua venturus est. Luc. XXI, 27 : *Videbunt Filium hominis venientem in nube cum potestate magna, et majestate.* Eccli. XXIV, 7 : *Thronus meus in columna nubis.*

« *Et ipse judicabit orbem terræ.* » Hic 9
tangitur modus : primo, respectu omnium universaliter : secundo, respectu Judæorum specialiter, ibi, « *Judicabit populos.* »

Dicit ergo sic : Meruit et comparavit judiciariam potestatem, « *et ipse judicabit orbem terræ,* » totum scilicet mundum, « *in æquitate,* » unicuique reddens sicut meruit, « *et populos,* » id est, Judæos, « *in justitia.* » Isa. XI, 4 : *Judicabit in justitia pauperes, et arguet in æquitate pro mansuetis terræ.* Jerem. XXIII, 5 : *Regnabit rex et sapiens erit : et faciet judicium et justitiam in terra.* Psal. LXI, 12 et 13 : *Semel locutus est Deus, duo hæc audivi, quia potestas Dei est, et tibi Domine misericordia : quia tu reddes unicuique juxta opera sua.* Isa. XXVII, 8 : *In mensura contra mensuram, cum abjecta fuerit, judicabis eam.*

[1] Cf. Ezech. XXI, 6 et 7.

10 « *Et factus est Dominus refugium pauperi.* » Hic tangitur benignitas, et dicuntur duo. Primo, declaratio bonitatis Dei. Secundo, invitatio fidelium ad sperandum in eo, ibi, « *Et sperent in te.* »

In prima duo. Primo, ostenditur benignitas ejus in comparatione ad imperfectos. Secundo, in comparatione ad perfectos, ibi, « *Adjutor.* »

Dicit ergo : Sic est in eo æternitas et judiciaria potestas, sed et benignitas : quia « *Dominus factus est refugium pauperi,* » adhuc in virtutibus imperfecto. Proverb. XVIII, 10 : *Turris fortissima, nomen Domini : ad ipsum currit justus, et exaltabitur.* Psal. CIII, 18 : *Petra refugium herinaciis.* Pauperi etiam materiali refugium est. Dives enim, quia nullo ut sibi videtur, indiget, ad Deum per orationem non recurrit. Isa. LVII, 10 : *Viam manus tuæ invenisti, propterea non rogasti.* Viam manus invenire est, in omnibus votis prosperum successum habere.

Multiplex paupertas, naturæ, indigentiæ, avaritiæ, etc.

Et nota, quod est multiplex paupertas. Naturæ. Alibi, in Psal. LXXXVII, 16 : *Pauper sum ego, et in laboribus a juventute mea.* Psal. LXXI, 12 : *Liberabit pauperem a potente.* Job, I, 21 : *Nudus egressus sum de utero matris meæ, et nudus revertar illuc.* I ad Timoth. VI, 7 : *Nihil intulimus in hunc mundum : haud dubium quod nec auferre quid possumus.* Et est paupertas indigentiæ. Matth. XXVI, 11 : *Semper pauperes habetis vobiscum.* Deut. XV, 11 : *Non deerunt pauperes in terra habitationis tuæ.* Et hæc duplex paupertas indifferens est. Et est paupertas avaritiæ. Eccli. XIII, 30 : *Nequissima paupertas in ore impii* et avari, qui implebitur pecunia. Et est paupertas simulationis et jactantiæ, de qua Apoc. III, 17 : *Quia dicis : Quod dives sum, et locupletatus, et nullius egeo : et nescis quia tu es miser, et miserabilis, et pauper, et cæcus, et nudus.* Et hæc duplex mala. Sed est paupertas bona, humilitas. Matth. V, 3 : *Beati pauperes spiritu.* Sed optima, abjectio et contemptus omnium transeuntium. Jacob. II, 5 : *Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, et hæredes regni,* etc. Matth. XIX, 28 : *Vos qui reliquistis omnia, et secuti estis me,... sedebitis,* etc.

« *Adjutor in opportunitatibus.* » Quasi diceret : Refugium est sic imperfectis, ut declinent a malo, sed adjutor perfectis in opportunitatibus, scilicet in tribulatione : tunc enim valde opportunum est adjutorium. Eccli. XXXV, 26 : *Speciosa misericordia Dei in tempore tribulationis, quasi nubes pluviæ in tempore siccitatis.* Sed contra hoc videtur illud infra, Psalm. X secundum Hebræos, 1 : « *Despicis in opportunitatibus in tribulatione.* » Sed responsio est, quod dupliciter adjuvat Dominus in tribulatione, vel ab ipsa liberando, et sic non dicitur despicere, sed audire, sicut hic : aliquando dimittendo in ipsa tribulatione, et sic dicitur despicere : tamen talis despectio adjutorium est, quia ad bonum est dimissi. Opportunitas autem dicitur, quantum ad præsentem tribulationem, quia per ipsam homo avellitur ab amore terrenorum, quod ei est optimum. Augustinus : « Omnes jucunditates meas amaritudini« bus respersisti, ut quæram sine offen« sione lætari. » Osee, II, 6 : *Sepiam viam tuam spinis, et sepiam eam maceria.* Psal. LXXI, 12 : *Liberabit pauperem a potente.*

Duplex Dei adjutorium in opportunitate.

« *Et sperent.* » Hic invitatio ad confidentiam. Quasi diceret : Sic refugium es, sic adjutor : et propter hoc exhortando dico : « *Sperent in te qui noverunt nomen tuum.* » Fide, inquam, tenentes te misericordem, et pium : hoc enim est nomen tuum, JESUS, de quo Cant. I, 2 : *Oleum effusum nomen tuum.* Et vere effusum, quia misericordia Domini plena est terra. Hoc nomen solum in quo sperandum est. Actu. IV, 12 : *Nec enim aliud nomen est sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.* Vel certe « *qui noverunt nomen tuum,* potestatis et dominii : sperandum enim 11

est in potente. Isa. xlii, 6 : *Ego Dominus vocavi te.* Matth. xxi, 3 : *Dicite quia Dominus his opus habet.* Joan. xiii, 13 : *Vos vocatis me Magister, et Domine : et bene dicitis : sum etenim.*

« *Quoniam non dereliquisti.* » Quasi diceret : Sic sperent in te de futuro, et delectentur, quod per effectum ostendo in præterito, « *quoniam* tu Domine *non dereliquisti quærentes te.* » Eccli. ii, 11 : *Nullus speravit in Domino et confusus est.* Sed contra, Joan. vii, 34 : *Quæretis me, et non invenietis.* Responsio. Loquitur ad Judæos in malitia persistentes, et perseverantes : tales autem si quærunt, non invenient. Hic autem loquitur de peccatum relinquentibus, et conversis ad Dominum. Sed iterum contra, Cant. iii, 1 : *In lectulo meo per noctes quæsivi quem diligit anima mea : quæsivi illum, et non inveni.* Responsio. Etsi talis esset qui quærere posset, tamen ibi quærebat ubi quærendus non erat. Non enim invenitur in divitiis. Osee, v 6 : *In gregibus suis, et armentis suis vadent ad quærendum Dominum, et non invenient.* Nec in deliciis quæ per lectulum significantur. Job, xxviii, 13 : *Nec invenitur in terra suaviter viventium.* Sed in paupertate et vilitate et asperitate invenitur. Luc. ii, 16 : *Invenerunt Mariam, et Joseph, et infantem positum in præsepio.*

Christus non invenitur a malis vel a bonis cum quæritur ubi non est.

Et nota, quod est finalis desertio qua Dominus deserit in malitia obstinatos. Psal. lxxx, 13 : *Dimisi eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus suis.* Et est derelictio non finalis, et hæc duplex. Gratiæ ad tempus. Sic deseruit Petrum, permittens quod caderet in mortale, Matth. xxvii, 74. Isa. liv, 7 : *Ad punctum in modico dereliqui te.* Et pœnæ. Hac derelinquit suos frequenter, ipsum etiam Unigenitum. Psal. xxi, 2 : *Deus Deus meus respice in me : quare me dereliquisti ?*

Deserit Deus in totum vel ad tempus.

12 « *Pallite Domino.* » Hic secunda pars primæ partis hujus Psalmi. Præmissa enim promissione de laudando, hic subjungitur aliorum invitatio ad hoc idem.

Exhortatur ad Dei laudem.

Primo ergo invitat alios ad laudandum : secundo, subjungit causam quare laudandum, ibi, « *Quoniam requirens.* » Tertio, promittit se cum eis laudaturum, ibi, « *Exsultabo in salutari tuo.* »

In prima duo. Primum monet ad laudandum opere : secundo, ore, ibi, « *Annuntiate.* »

Dicit ergo : Sic laudabo confitendo. Sed o vos fideles, « *psallite Domino,* » non cuicumque, sed « *qui habitat in Sion* » litteraliter : habet enim ibi domum specialem templum, hoc est Sion, de qua Isa. ii, 3 : *De Sion exibit lex, et verbum Domini de Jerusalem.* Ille est enim locus de quo legitur dixisse Jacob, Genes. xxviii, 17 : *Non est hic aliud nisi domus Dei, et porta cœli.* Habitat etiam in Ecclesia militante, quæ videt Deum per speculum in ænigmate. Isa. xxxi, 9 : *Cujus ignis est in Sion, et caminus in Jerusalem.* Habitat etiam in Sion in Ecclesia triumphante. Sion enim etiam *specula* interpretatur. Specula autem in alto solet esse : unde per Sion illa civitas superna bene designatur. Isa. xxxiii, 20 : *Respice Sion civitatem solemnitatis nostræ.* In secunda Sion habitat per gratiam, in hac autem tertia per gloriam. Et nota ordinem. Primo enim præmisit seipsum laudaturum, in quo etiam quodam modo laudavit. Secundo, invitat alios ad hoc ipsum. Apoc. xxii, 17 : *Qui audit, dicat : Veni.* Exod. xxvi, 3 : *Quinque cortinæ sibi jungentur mutuo, et aliæ quinque nexu simili cohærebunt.*

« *Annuntiate inter gentes studia ejus,* » ad gubernandum genus humanum, et salvandum. Nota ordinem. Primo, ut psallant bene operando. Secundo, ut annuntient prædicando. Act. i, 1 : *Cœpit Jesus facere et docere.* Matth. v, 19 : *Qui autem fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum.* Et nota, quod quinque sunt necessaria ad hoc quod quis recte annuntiet. Primum est bona vita, Psal. xlix, 16 : *Peccatori autem dixit*

Quinque partes in prædicatore requiruntur.

Deus : Quare tu enarras justitias meas. Gregorius : « Ille fructus uberes in prædicatione colligit, qui semina bonæ « operationis præmittit. » Intentio recta, Matth. vi, 22 : *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit.* Scientia, in Psal. xcviii, 6 : *Moyses et Aaron in Sacerdotibus ejus.* Osee, iv, 6 : *Quia tu scientiam repulisti, et repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi.* Auctoritas, Ad Rom, x. 15 : *Quomodo prædicabunt nisi mittantur?* Ultimum, perseverantia in his, in Psal. xxxiii, 2 : *Benedicam Dominum in omni tempore : semper laus ejus in ore meo.* Si habet hæc quinque, lux est. Matth. v, 14 : *Vos estis lux mundi.*

« *Annuntiate* ergo *inter gentes* », gentiliter et in peccatis viventes : talibus enim præcipue est prædicandum. Matth. ix, 12 et 13 : *Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus.* In eodem, *Non veni vocare justos, sed peccatores* [1]. Isa. xxi, 14 : *Occurrentes sitienti ferte aquam, qui habitatis terram Austri,* non ingurgitato, vel ebrio. Gregorius : « Vecordem se asserit, qui hortis sitien- « tibus in flumine aquam fundit. »

Triplex in Christo studium, plastæ, pictoris, et Doctoris.

« *Annuntiate studia ejus,* » studium scilicet figuli et fictoris, quo studuit in nostra creatione. Isa. lxiv, 8. *Fictor noster tu, et opera manuum tuarum omnes nos.* Et studium pictoris, quo studuit ad nos depingendum et reformandum in nostra redemptione. Eccli. xxxviii, 28 : *Cor suum dabit in similitudinem picturæ, et vigilia sua perficiet opus.* Et studium Doctoris, quo studuit legem dando et mandata scribendo, in quibus et nos studere necesse est. Prov. xxvii, 11 : *Stude sapientiæ fili mi, et lætifica cor meum.*

« *Quoniam requirens sanguinem eo-* 13
rum. » Hic causa admonitionis præcedentis, et dicuntur tria. Primum, quod est quasi ratio quare oporteat psallere, scilicet ultio et vindicta de malis pro iis quæ sanctis ingruunt. Secundo, exauditio Sanctorum, in iis quæ competunt, ibi, « *Et non est oblitus.* » Tertio, specificatio modi quo petunt, et eorum quæ petunt, ibi, « *Miserere mei.* »

Dicit ergo : Sic annuntiate et psallite, et debetis, « *quoniam requirens sanguinem eorum* », scilicet per vindictam et ultionem quam accipit de malis, « *recordatus est.* » Gen. ix, 5 : *Sanguinem animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum.* Deuter. xxxii, 35, et ad Rom. xii, 19 : *Mea est ultio, et ego retribuam.*

Vel sic continua : Etiam annuntiate prædicando, nec timeatis adversarios veritatis, quia si vos occiderint, nihil possunt amplius, et Dominus recordabitur mortis vestræ. Matth. x, 28 : *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, et post hoc non habent quid faciant.* Dominus autem respicit vocem sanguinis occisorum. Genes. iv, 10 : *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Ad Hebr. xii, 24 : *Accessistis... ad sanguinis aspersionem melius loquentem quam Abel.* Nec tantum clamat sanguis Sanctorum contra occisores, sed etiam ipsa anima, cujus vox efficacior est, et citius exauditur. Apoc. vi, 9 et 10 : *Vidi subtus altare animas interfectorum propter verbum Dei, et propter testimonium, quod habebant, et clamabant voce magna, dicentes : Usquequo Domine* (sanctus et verus) *non judicas, et non vindicas sanguinem nostrum ?* Vel sic, « *Annuntiate studia* » prædicando, vos qui perfecti estis, aliis : quoniam si propter nostram negligentiam perierint subditi, Dominus requirens sanguinem eorum de manu

[1] Cf. Marc. ii, 17, et Luc. v, 32.

vestra recordatus est obligationis vestræ, et promissi. III Reg. xx, 39 : *Custodi virum istum : qui si lapsus fuerit, erit anima tua pro anima ejus.* Ezech. III, 18 : *Si dicente me ad impium : Morte morieris : non annuntiaveris ei, neque locutus fueris ut avertatur a sua via impia, et vivat, ipse impius in iniquitate sua morietur : sanguinem autem ejus de munu tua requiram.* Et vere requiret : quia supra, « *non est oblitus clamorem pauperum,* » ab homicidis crudelibus occisorum, vel prædicatorum interfectorum a tyrannis, vel subditorum propter negligentiam Prælatorum damnatorum. Psal. xxi, 25 : *Non sprevit neque despexit deprecationem pauperis.* Eccli. xxxv, 17 : *Non despiciet preces pupilli, nec viduam, si effundat loquelam gemitus.*

14 « *Miserere mei.* » Hic tertium, declaratio petitionis, et dicuntur tria. Primo, allegat ostentando propriam miseriam. Secundo, confitendo expertam miseriam ibi, « *Qui exaltas.* » Tertio, insinuando finem, ibi,« *Ut annuntiem omnes laudationes tuas.* » Miseriam allegat duplicem : dejectionem propriam, et inimicorum exaltationem ad cumulum miseriæ, ibi, « *Vide humilitatem.* »

Ait ergo : Non est oblitus clamorem pauperum, qui, inquam, clamor est per hunc modum : « *O Domine, miserere mei* » miseri, supra : tali enim debetur misericordia. Sap. vi, 7 : *Exiguo conceditur misericordia.* Justitia meritum requirit, miseria misericordiam intuetur. Miserere etiam mei quem fecisti, et propter hoc debes misereri tamquam propriæ creaturæ. Sap. xi, 25 : *Diligis omnia quæ sunt, et nihil odisti eorum quæ fecisti.* In eodem, ℣. 24 : *Misereris omnium, quia omnia potes.*

« *Vide humilitatem meam* » perpendendam, « *de inimicis meis* » super me exaltatis. Thren. I, 9 : *Vide Domine afflictionem meam, quoniam erectus est inimicus.* Exod. III, 7 : *Vidi afflictionem populi mei in Ægypto.* Et est efficax oratio cum vera humilitas allegatur. Eccli. xxxv, 21 : *Oratio humiliantis se, nubes penetrabit.* Humilitas enim facies animæ est, quam Dominus libentur respicit, et affabiliter intuetur. Isa. LXVI, 2 : *Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum, et contritum spiritu, et trementem sermones meos.* Luc. I, 48 : *Respexit humilitatem ancillæ suæ.*

Cur humilis oratio sit efficax ?

« *Qui exaltas me de portis mortis.* » Hic est secundum, in quo confitetur se esse expertum miseriam. Quasi sic diceret : Rogo ut miserearis, quia tu es qui exaltas me, scilicet in altum ponendo, elongas « *de portis mortis,* » quæ quadruplices sunt. Primæ, cupiditates rerum temporalium : per has enim intrat ad nos mortale peccatum, quod est mors. Sap. xvi, 13 : *Deducis ad portas mortis,* permittendo scilicet quod tentemur ; *et reducis,* a tentatione liberando. Secundæ, sensus corporales, quia per ipsos intrat mors. Jerem. IX, 21 : *Quia ascendit mors per fenestras nostras, ingressa est domos nostras.* Nahum, II, 6 : *Portæ fluviorum,* sensus scilicet, per quos delectationes influunt, *apertæ sunt, et templum ad solum dirutum,* etc. Tertiæ, peccata mortalia, per quæ est ingressus ad æternam mortem. In Psal. cvi, 18 : *Omnem escam abominata est anima eorum, et appropinquaverunt usque ad portas mortis.* Quartæ sunt hæretici et hypocritæ, qui portæ sunt peccati et gehennæ. Matth. xvi, 18 : *Portæ inferi non prævalebunt adversus eam,* id est, hæretici. Job, XLI, 5 : *Portas vultus ejus quis aperiet?* difficile est enim cognoscere interiora hypocritæ.

Quatuor mortis portæ.

« *Ut annuntiem* ». Ecce tertium, in quo insinuat finem quo vult liberari. Quasi ad hoc miserearis, ut de inimicis liberes, « *ut annuntiem* » prædicando, « *omnes laudationes tuas,* » id est, omnia opera tua laudabilia, « *in portis,* » id est, in locis publicis, « *filiæ Sion,* » id est, Ecclesiæ : filius enim et filia frequenter superfluit in Scriptura. Vel Sion ap-

pellatur Ecclesia militans, quæ filia est triumphantis. Ad Galat. IV, 26 : *Illa autem, quæ sursum est Jerusalem,... quæ est mater nostra.* In hoc autem quod dicit se annuntiaturum in portis, tangitur illud quod præceptum erat, Deuter. XVI, 18 : *Judices et magistros constitues in omnibus portis tuis.*

Porta ad vitam. Et nota, quod bonæ portæ sunt, et portæ vitæ, portæ Ecclesiæ. Prima et præcipua Virgo Maria. Genes. XXVIII, 17 : *Non est hic aliud nisi domus Dei, et porta cœli.* Ezech. XLIV, 2 : *Porta hæc clausa erit : non aperietur, et vir non transibit per eam : quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam.* Portæ etiam sunt virtutes. Prov. XXXI, 23 : *Nobilis in portis*, id est, in virtutibus, *vir ejus.* Portæ etiam sunt mandata Dei, et bona opera per quæ est ingressus ad vitam æternam. Matth. XIX, 17 : *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Et Exod. XXXII, 22 : *Ite et redite de porta usque ad portam*, id est, de una operatione bona ad aliam. Psal. CXVII, 20 : *Hæc porta Domini, justi intrabunt in eam.* Portæ etiam sunt boni Doctores et Prælati. Isa LIV, 12 : *Ponam... portas tuas in lapides sculptos.* Psal. XCIX, 4 : *Introite portas ejus in confessione :* confitendum enim est Prælatis. Et nota ordinem : « *Exaltas, ut annuntiem.* » Gregorius : « Conscientia loquentem non impedit, cum linguam vita antecedit. »

16 « *Exsultabo.* » Hic tertium hujus partis, in quo promittit se laudaturum, et dicuntur tria. Primo, promittit : secundo, subsannationem malorum subjungit, qui ligati sunt vitiis ut non possint erigi ad laudandum Deum, ibi, « *Infixæ sunt.* » Tertio, adjungit comminationem, ibi, « *Cognoscetur Dominus* ».

Ait ergo : Si istis rationibus invitavi ad laudandum, et ore et opere, et ego ipse o Domine « *exsultabo,* non in mundo, aut in meipso, « *sed in salutari tuo,* » Christo scilicet. Genes. XLIX, 18 : *Salutare tuum exspectabo Domine.* I Reg. II, 1 : *Lætata sum in salutari tuo.* Illo, inquam, salutari de quo Luc. III, 4 : *Videbit omnis caro salutare Dei*[1].

« *Infixæ sunt gentes.* » Hic subjungitur malorum subsannatio, et tanguntur duo. Primo, subsannatur super peccatorum vehementia : secundo, super perseverentia, ibi, « *In laqueo isto.* »

Ait ergo : Sic exsultabo, sed non peccatores, quia « *gentes,* » id est, more Gentilium viventes, « *infixæ sunt,* » intus scilicet, et in profundo « *fixæ in interitu quem fecerunt,* » id est, in peccato, quod peccaverunt. Psal. LXVIII, 3 : *Infixus sum in limo profundi.* Sophon. I, 12 : *Visitabo super viros defixos in fæcibus suis.* Jerem. XLVIII, 11 : *Fertilis fuit Moab ab adolescentia sua, et requievit in fæcibus suis.* Joel. I, 17 : *Computruerunt jumenta in stercore suo.* Et bene dicitur, quod fecerunt, non Deus. Osee, XIII, 9 : *Perditio tua ex te Israel : tantummodo in me auxilium tuum.* Isa. L, 11 : *Ambulate in lumine ignis vestri, et in flammis, quas succendistis.* Nec etiam diabolus. Psal. CXVIII, 95 : *Me expectaverunt peccatores, ut perderent me.*

« *In laqueo isto quem absconderunt.* » Quasi diceret : Non tantum peccant vehementer, sed consuetudine tenentur fortiter, quia « *in laqueo isto, quem absconderunt eis* » dæmones, comprehensus est pes eorum, affectus scilicet, qui per pedes designantur. Psal. LVI, 7 : *Laqueum paraverunt pedibus meis,* laqueum scilicet tentationis et peccati. Job, XVIII, 10 : *Abscondita est in terra pedica ejus.* Proverb. V, 22 : *Iniquitates suæ capiunt impium, et funibus pecca-*

[1] Isa. XL, 5 ; Matth. III, 3 ; Marc. I, 3 ; Joan. I, 23.

torum suorum quisque *constringitur.* Nec mirum : quia quamvis absconditus sit laqueus, voluntarie tamen pedem suum, id est, affectum immittit iniquus. Job, xviii, 7 et 8 : *Præcipitabit consilium suum. Immisit enim in rete pedes suos, et in maculis ejus ambulat.* Sed non sic justi. Prov. i, 17 : *Frustra jacitur rete ante oculos pennatorum.*

Et nota, quod pedes sunt pauperes, pes scilicet inferior in Ecclesia Dei. Psal. cix, 1 : *Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.*

Pedes etiam Prædicatores. Isa, lii, 7 : *Quam pulchri super montes pedes annuntiantis et prædicantis pacem.* Apocalyps. i, 15 : *Pedes ejus similes aurichalco.* Pedes etiam affectus mentis inferiores, sicut hic, et alibi, in Psal. lxxii, 2 : *Mei autem pene moti sunt pedes.* Cant. v, 3 : *Lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos ?* Et quem asconderunt ipsimet, nolentes converti. Osee, xiii, 12 : *Colligata est iniquitas Ephraim, absconditum peccatum ejus.* Aliquando enim quasi manifestatur, sed tamen absconditur. Job, xx, 12 et 13 : *Quum dulce fuerit in ore ejus malum, abscondet illud sub lingua sua,... celabit in gutture suo.*

17 « *Cognoscetur Dominus.* » Hic tertium, in quo subjungitur pœna, et duplex, separatio scilicet a bonis, afflictio pro malis, quæ gesserunt, ibi, « *In operibus manuum suarum.* »

Ait ergo : Sic mali infixi sunt et ligati peccatis ut laudare non possint, sed tandem « *cognoscetur Dominus* », et a bonis et a malis, « *judicia* » separationis scilicet « *faciens,* » et discretionis : quale judicium petit alibi, Psal. xlii, 1 : *Judica me Deus, et discerne causam meam de gente non sancta.* Qui enim contemnitur nunc placatus, tunc cognoscetur iratus. Exod. v, 2, dixit Pharao : *Quis est Dominus, ut audiam vocem ejus ? nescio Dominum, et Israel non dimittam.* Sed postea eum cognovit, quando mare submergens Ægyptios eos a filiis Israel separavit, unde tunc ait, xiv, 25 : *Fugiamus Israelem : Dominus enim pugnat pro eis contra nos.* Et tandem

« *In operibus manuum suarum,* » id est, propter opera propria, « *comprehensus est peccator,* » a pœna et miseria. Jerem. ii, 26 : *Quomodo confunditur fur quando deprehenditur, sic confusi sunt domus Israel.* Manus ejus ligantur ut non possit se defendere, pedes ut non possit fugere : oculi velantur, ut non possint videre. Matth. xxii, 13 : *Ligatis manibus, et pedibus ejus, mittite eum in tenebras exteriores.* Then. i, 22 : *Vindemiasti me propter omnes iniquitates meas.* Tria salutis impedimenta.

« *Convertantur peccatores in infernum.* » Sicut superius dictum est, hic est secunda pars totius psalmi : postquam enim egit de regimine Ecclesiæ usque ad tempus Anti-Christi, hic incipit agere de regimine ejusdem, quod erit ex occultissimo Dei judicio tempore Anti-Christi, et deinceps. 18 Secunda pars psalmi : de Anti-Christo.

Dividitur ergo hæc pars in duas partes. Primo enim agitur de consummatione malorum in malo, et adventu capitis eorum, scilicet Anti-Christi. Secundo, petitur secundus adventus Christi, ut bonorum oppressio terminetur, ibi, « *Exsurge Domine, et exaltetur manus tua.* »

Prima pars subdividitur in quatuor partes. Primo, prædicitur malorum obstinatio in malo : secundo, bonorum conservatio, et remuneratio pro afflictione quam sustinebunt a malis, ibi, « *Quoniam in finem.* » Tertio, declaratur per quem et quomodo consummabuntur mali, ibi, « *Constituisti Domine.* » Quarto, admiratio et exclamatio ad Deum, et ratio multiplex quare sustineat tribulari bonos, ibi, « *Ut quid Domine.* »

Prima pars subdividitur. Plena enim consummatio in malis in duobus est, in perfecta conversione ad bonum commu-

tabile et delectatione mortifera, et plena aversione a summo bono, scilicet Deo, ibi, « *Omnes gentes.* »

Dicit ergo : Sic mali non poterunt laudare infixi in peccato et illaqueati, et tandem rogo, zelo justitiæ, non libidine vindictæ, ut « *peccatores convertantur in infernum,* » velut prædictio sit, non optatio. Infernum autem dicit delectationem mortiferam quasi summam. Hæc est infernus in quo non invenitur sapientia. Job, XXVIII, 14 : *Abyssus dicit : Non est in me.* Consummatus enim in malitia non habet sapientiam confitendi peccatum et relinquendi. Supra in Psal. VI, 6 : *In inferno quis confitebitur tibi ?* Isa. XXXVIII, 18 : *Non infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te.* Peccatores autem dicit peccato assuetos, et Dei patientiam contemnentes, Item, « *convertantur peccatores* » qui nolunt converti, « *in infernum* » detrusi vel detenti, sera et tarda conversione, et infructuosa, sicut dives, Luc. XVI, 25, et illi de quibus Sap. V, 3 : *Dicentes intra se pœnitentiam agentes, et præ angustia spiritus genentes,* etc.

« *Omnes gentes,* » quasi peccatores sic convertantur, scilicet, « *Omnes gentes quæ obliviscuntur Deum,* » ab ipso se penitus avertendo, quod est magnum malum. Deuter. VIII, 11 : *Cave ne quando obliviscaris Domini Dei tui, et negligas mandata ejus.* Deuter. XXXII, 18 : *Oblitus es Domini creatoris tui.* Jerem. II, 32 : *Numquid obliviscitur virgo ornamenti sui, aut sponsa fasciæ pectoralis suæ ? Populus vero meus oblitus est mei.* Ornamentum animæ et ejus pulchritudo Deus est, et fascia pectoralis restringens fluxum malarum cogitationum, et afflictionum, propter quod non debet anima ejus oblivisci. Osee, XIII, 6 : *Juxta pascua sua adimpleti sunt, et saturati sunt : et elevaverunt cor suum, et obliti sunt mei.* Et nota, quod est bona oblivio, qua terrena oblivioni traduntur propter Deum. Psal. XLIV, 11 : *Obliviscere populum tuum, et domum patris tui.* Et est mala oblivio, qua obliviscitur Deus propter temporalia. Hinc est quod tribus Manasse quæ interpretatur *oblivio,* divisa fuit, una pars citra Jordanem remansit, altera transivit, Num. XXXII, 40 et 41.

Bona et mala oblivio.

« *Quoniam non in finem oblivio erit* 19
pauperis. » Hic secundum, scilicet remuneratio bonorum afflictorum his malis, et tanguntur duo. Primo, remuneratio : secundo, quasi ratio remunerationis, ibi, « *Patientia.* »

Dicit ergo : Sic impii, sed « *pauperis* » in finem non erit oblivio. Vel sic : Pauperis non erit oblivio in finem, id est, finalis non erit oblivio, etsi ad præsens deseri videatur. Isa. LIV, 7 et 8 : *Ad punctum in modico dereliqui te, et in miserationibus magnis congregabo te.* Et in eodem, *In momento indignationis abscondi faciem meam parumper a te, et in misericordia sempiterna misertus sum tui.* Quo enim modo quem in manibus propriis descriptum habet ? Isa. XLIX, 15 et 16 : *Numquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui. Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui. Ecce in manibus meis descripsi te.* Sed hoc intelligendum est de paupere spiritu, probato et dejecto in camino paupertatis. Isa. XLVIII, 10 : *Elegi te in camino paupertatis.* Matth. V, 3 : *Beati pauperes spiritu : quoniam* non obliti sunt a Deo, imo *ipsorum est regnum cœlorum.* Et vere non est pauperis oblivio : quoniam « *patientia pauperum non peribit in finem.* » Parum dicit, et plus significat, id est, remunerabitur in finem. Accusativum pro ablativo ponit.

Paupertatis patientia germana.

Et nota, quod bene conjungit paupertatem cum patientia : paupertas enim est in abdicatione delectabilium, patientia in sustentatione tristabilium. Item, paupertas sine patientia non valet, et patientia in prosperitate, vel nulla est, vel in nullo se exercet. Patientia ergo reddit paupertatem, et paupertas patientiam

probatam. Hinc est, quod Dominus idem præmium pauperibus et patientibus repromisit. Matth. v, 3, 10 : *Beati pauperes spiritu : quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Et paulo post, *Beati, qui persecutionem patiuntur,* etc. Facit enim Dominus sicut aliquando eleemosynarum distributor, aliquos in fine dimittit pignorandos, et talibus dat postmodum meliora. Sic Dominus dat divitibus modo bona temporalia, nolentibus patienter exspectare usque in finem : sed in fine illis remanentibus vacuis, pauperibus dabit bona multa. Prov. xx, 21 : *Hæreditas ad quam festinatur in principio, in novissimo benedictione carebit.* Propter hoc bonum est consilium Isaiæ, xxviii, 16 : *Qui crediderit, non festinet* hic accipere præmium suum, in fine enim multo melius remunerabitur. Isa. xliv, 4 : *Oculus non vidit, Deus absque te, quæ præparasti exspectantibus te,* non ad temporalia festinantibus.

Nota simile.

Voluntariæ paupertatis bona.

Et nota quanta bona sequuntur ex voluntaria paupertate. Primum, quia pauperem Deus oblivioni non tradit, sicut hic dicitur. Secundum, quia curam et sollicitudinem pauperis gerit. Psal. x, 5 : *Oculi ejus in pauperem respiciunt.* Isa. lxvi, 2 : *Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum, et contritum spiritu, et trementem sermones meos,* sicut mater quæ de infirmiori filio magis est sollicita? Psal. xxxix, 18 : *Ego autem mendicus sum, et pauper, Dominus sollicitus est mei.* Tertium est, quia veraciter scit pauper quis eum vere diligit. Gregorius : « Cum quis in prosperitate diligi« tur, incertum est an persona, an pro« speritas diligatur. » Proverb. xix, 4 : *Divitiæ addunt amicos plurimos : a paupere autem, et hi, quos habuit, separantur.* Quarto, quia sollicitudinibus et curis liberum reddit, et ad seipsum redire facit. Gregorius : « Cor humanum « opibus et potestate dissolvitur, pauper« tatibus et ærumnis ad seipsum intus « colligitur. » Eccle. v, 11 : *Saturitas divitis non sinit eum dormire,* nec corporaliter, nec spiritualiter somno contemplationis. Matth. xiii, 22 : *Sollicitudo sæculi istius, et fallacia divitiarum suffocant verbum, et sine fructu efficitur.* Ibi Venerabilis Beda : « Divitias stran« gulant guttur mentis, nec bonum desi« derium intrare sinunt. » Quintum est, quia ipsa paupertas similem Christo facit, qui ipsam elegit. II ad Corinth. viii, 9 : *Scitis gratiam Domini nostri Jesu-Christi, quoniam propter vos egenus factus est, cum esset dives, ut illius inopia vos divites essetis.* Ultimum, quia hæredem regni facit, sicut dictum est frequenter, Matth. v, 3 et seq. : *Beati pauperes spiritu,* etc.

« *Exsurge Domine.* » Hic est tertium, in quo dicuntur quatuor. Primo, malorum desolatio : secundo, desolatorum laxatio ad peccandum, ibi, « *Judicentur.* » Tertio, multiplicantium peccata excæcatio per infidelitatem, ibi, « *Constitue.* » Quarto, horum trium finis, et rursus infidelium sic dimissorum afflictio divina, ibi, « *Sciant gentes quoniam,* etc. 20

Dicit ergo : Sic dixi, quia peccatores convertentur in infernum obliti Domini : et vere, quia o tu « *Domine exsurge,* » id est, exsurges, qui dormire videris, ad hoc ut non confortetur homo. Psal. xlii, 23 : *Exsurge, quare obdormis Domine?* « *Exsurge,* ut *non confortetur homo,* » id est, ut confortatore careat, et Doctore, quod est origo miseriæ. Prov. xxix, 18 : *Cum prophetia defecerit, dissipabitur populus.* Thren. i, 2 : *Non est qui consoletur eam ex omnibus charis ejus.* Non confortetur, inquam, homo carnalibus deditus, et spiritualia postponens. Sic accipitur, I ad Cor. iii, 3 : *Cum sit inter vos zelus et contentio : nonne carnales estis, et secundum hominem ambulatis?*

Vel sic secundum Glossam, ut sic optatio, « *Exsurge Domine,* » ut impleas quod dictum est : et « *non confortetur*

homo » purus, scilicet Anti-Christus, qui se Deum jactabit, contra pauperes, sed compesce malitiam ejus et refræna. II ad Thess. II, 4 : *Qui adversatur, et extollitur super omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita ut in templo Dei sedeat ostendens se tamquam sit Deus :* necesse est enim ut exsurgas, tribulationi quæ per eum erit finem imponendo. Matth. XXIV, 21 et 22 : *Erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi usque modo, neque fiet. Et nisi* propter electos *breviati fuissent dies illi, non salva fieret omnis caro.* Breviabuntur enim, quia ejus persecutio tantum per triennium et dimidium durabit. Daniel. XII, 6 et 7 : *Usquequo finis horum mirabilium?* Et responsum est ei : *In tempus, et tempora, et dimidium temporis.* Et nota, quod resurrexit Dominus de morte ad vitam, Marc. XVI, 6 : *Surrexit, non est hic.* De mortalitate ad gloriam, in eodem, ℣. 14 : *Exprobravit incredulitatem eorum : quia iis qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt.* Sed tandem exsurget in judicio ad vindictam, quam inchoabit in malos modo dicto.

« *Judicentur gentes.* » Ecce secundum. Quasi sic diceret : « *Non confortentur,* » sed et quod deterius est, « *gentes* » id est, gentiliter, et carnaliter viventes. « *Judicentur,* » id est, justo judicio dimittantur ruere de peccato in peccatum, et hoc « *in conspectu tuo,* » te vidente et apertissime cognoscente. Psal. LXXX, 13 : *Dimisi eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus suis.* Apocal. XXII, 11 : Justum est ut *qui in sordibus est, sordescat adhuc.* Et supra, Psal. VII, 10 : *Consumetur nequitia peccatorum.*

« *Constitue Domine.* » Ecce tertium, 21
scilicet excæcatio ut consentiant errori Anti-Christi. Quasi sic diceret : Justo judicio ruant de peccato in peccatum : et tandem « *constitue* » tu a quo omnis potestas est, Ad Rom. XIII, 1 : *Non est potestas nisi a Deo.* Vel, « *Constitue,* » id est, constitui permitte, « *super eos,* » tamquam regem et dictatorem, imo tamquam Dominum, legislatorem, Anti-Christum scilicet, qui pravam legem et veritati contrariam afferet. II ad Thess. II, 9 : *Cujus* erit *adventus secundum operationem satanæ,... in omni seductione iniquitatis iis qui pereunt.* Et hoc justum : quia vero legislatori Christo credere noluerunt, de quo Isa. XXXIII, 22 : *Dominus judex noster, Dominus legifer noster, Dominus rex noster : ipse salvabit nos.* Hoc est quod dicit Paulus, II ad Thess. II, 11 et 12 : *Ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio, ut judicentur omnes, qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati.* In Job, XXXIV, 30 : *Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi.* Osee, XIII, 11 : *Dabo tibi regem in furore meo.*

« *Ut sciant gentes.* » Ecce quartum. Quasi diceret : Hæc fieri permittes super reprobos, ut per hoc « *gentes* », gentiliter et carnaliter viventes, « *sciant* » per experientiam in pœnis, et cognoscant, « *quoniam homines sunt,* » mortales, ignorantes, fragiles, peccatores. Isa. XXVIII, 19 : *Vexatio intellectum dabit auditui.* Jerem. VI, 8, secundum aliam translationem : « Per omne flagel- « lum erudieris Jerusalem [1]. » Nota exemplum de Alexandro, qui vulneratus adulatoribus suis dixit : « Vos dice- « batis me esse filium Jovis et deum, sed « hoc vulnus quod recepi, probat me « esse verum hominem et non deum. »

[1] Ex Vulg. Jerem. VI, 8 : *Erudire, Jerusalem, ne forte recedat anima mea a te.*

PSALMUS X SECUNDUM HEBRÆOS.

1 « *Ut quid Domine.* » Hic est quartum hujus partis secundæ totius Psalmi. Præmissa enim consummatione malorum et oppressione bonorum, et modo et ordine quo consummabuntur mali, hic subjungitur admirativa quæstio Prophetæ, quare Deus Anti-Christum sic permittat bonos opprimere, et ita dominari.

Cur Deus sinit bonos opprimi ab Anti-Christo?

Dicuntur ergo duo. Primo, admirativa quæstio. Secundo, subjungitur responsio, ibi, « *Dum superbit.* »

In prima parte duo. Primo, admiratio cur recedat Deus a bonis auxilium non præbendo. Secundo, quare exponat eos per adversarium affligendo, ibi, « *Despicis.* »

Dicit ergo : Sic dixi, quod in fine liberabis, dimittes tamen liberari in præsenti. Sed, « *Ut quid Domine, recessisti* » a justis et pauperibus, eos non adjuvando? Et hoc « *longe,* » tamdiu auxilium differendo. Et vere mirandum, quia longe solet esse a peccatoribus salus, non a justis. Cant. VI, 17 : *Quo abiit dilectus tuus o pulcherrima mulierum ?* Et etiam « *quid despicis,* » despicere scilicet videris, malis exponendo, « *in opportu-* « *nitatibus,* » existentibus « *in tribula-* « *tione.* » Et bene sequitur : Dei enim elongatio est causa quare sequitur multa tribulatio. Deuter. XXXI, 17 : *Vere quia est Deus mecum, invenerunt me hæc mala.*

Et nota, quod tribulationes opportunitates appellantur hic, sicut et supra in eodem Psalmo, non tantum propter hoc quia tunc sit auxilium opportunum, sed multiplici alia ratione. Primo, quia tribulatio probat, Eccli. XXVII, 6 : *Vasa figuli probat fornax.* Probatum humiliat, II ad Cor. XII, 7 : *Ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi,* etc. Humiliatum et probatum erudit et informat, Isa. XXVIII, 19 : *Vexatio intellectum dabit auditui.* Eccli. XXIV, 37 : *Qui mittit disciplinam sicut lucem,* hoc est, cum disciplina afflictionis lucem emittit eruditionis. Informatum purgat ad magnopere fructificandum, Joan. XV, 2 : *Et omnem, qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat.* Purgatum stimulat ad proficiendum semper exsurgendo ad majora, Genes. VII, 17 : *Multiplicatæ sunt aquæ, et elevaverunt arcam in sublime a terra.* Psal. XV, 4 : *Multiplicatæ sunt infirmitates eorum : postea acceleraverunt.* Exod. I, 12 : *Quanto opprimebant* filios Israel Ægyptii, *tanto magis multiplicabantur, et crescebant.* Stimulatum sanat, Job, V, 17 et 18 : *Beatus homo qui corripitur a Deo :... quia ipse vulnerat, et medetur : percutit, et manus ejus sanabunt.* Tandem sanatum coronat, II ad Timoth. II, 5 : *Nam et qui certat in agone, non coronatur nisi legitime certaverit.* Jacob. I, 12 : *Beatus vir, qui suffert tentationem : quoniam cum probatus fuerit, accipiet coro-*

Quare tribulatio dicitur opportunitas ?

nam vitæ. Propter hæc bona dicitur, Jacob. I, 2 : *Omne gaudium existimate fratres mei, cum in tentationes varias incideritis.* Et Act. v, 41 : *Ibant* Apostoli *gaudentes a conspectu concilii,* etc.

2 Duæ causæ persecutionis justorum. « *Dum superbit impius.* » Hic subjungitur responsio, et primo sumpta ratione ex parte bonorum. Secundo, ex parte malorum, ibi, « *Comprehenduntur in conciliis.* »

Dicit ergo : Sic admirando quæsivi, sed rationem intelligo : hoc enim fit, quia « *dum superbit impius,* » scilicet Antichristus, qui antonomastice *impius* dicitur. Isa. XI, 4 : *Spiritu labiorum suorum interficiet impium.* « *Incenditur* » flante ejus superbia tamquam vento, « *pauper,* » ut tui desiderio amplius inardescat. Gregorius : « Ignis flatu pre« mitur ut crescat. » Osee, VI, 1 : *In tribulatione sua mane consurgent ad me.* Hinc est quod Jeremias tribulationes sustinens dicebat in Jerem. XX, 8 et 9 : *Factus est mihi sermo Domini in opprobrium, et in derisum tota die.* Et paulo post : *Et factus est in corde meo quasi ignis æstuans, et defeci, ferre non sustinens.* Incenduntur etiam igne tribulationis in eis incinerante vitia, et virtutes purgante tamquam aurum. Sap. III, 6 : *Tamquam aurum in fornace probavit illos,* scilicet justos, Dominus. Malach. III, 3 : *Sedebit conflans, et emundans argentum, et purgabit filios Levi.*

Recessus Dei interdum utilis. Ergo sic recedit et despicit, id est, recedere et despicere videtur, ut et ardentius quæratur, et strictius teneatur. Gregorius : « Quando non invenitur, id facit « ut strictius teneatur inventus. Et vero « non veniret ad nos, nisi nos diligeret, « non recederet, nisi nos trahere ad se « fortius vellet. » Hinc est quod sponsa dicit in Cant. I, 1 : *Osculetur me osculo oris sui :* et in fine totius libri, VIII, 14, concludit : *Fuge dilecte mi, et assimilare capreæ hinnuloque cervorum super montes aromatum.*

« *Comprehenduntur.* » Hic secundum, in quo ratio sumitur a parte malorum, et primo a parte adhærentium Antichristo : secundo, a parte ipsius Antichristi, ibi, « *Exacerbavit.* »

In prima duo. Primum quod est tamquam ratio quæsiti, illaqueatio adhærentium Antichristo. Secundo, quod justum est eos ita illaqueari, ibi, « *Quoniam laudatur.* »

Dicit ergo : Longe te facis, et despicis : quia sic bonus incenditur, et inimici ejus comprehenduntur, « *in conciliis,* » machinationibus scilicet occultis, « *quibus cogitant* » comprehendere justum. Prov. v, 22 : *Iniquitates suæ capiunt impium, et funibus peccatorum suorum* quisque *constringitur.* Job, v, 13 : *Qui apprehendit sapientes in astutia eorum, et concilium pravorum dissipat.* Eccli. XXVII, 30 : *Facienti nequissimum consilium, super ipsum devolvetur.* Sic Goliath proprio gladio interficitur, I Reg. XVII, 49. Et Holofernes proprio pugione, Judith, XIII, 10. Et Aman suspenditur in patibulo quod præparaverat Mardochæo, Esther, VII, 10.

« *Quoniam laudatur.* » Hic ratio quare comprehenditur, duplex. Prima, adulatio facta Antichristo, et fomentum ipsius in his quæ aget contra Deum, secundo, in his quæ contra proximum, ibi, *Et iniquus benedicitur.* » 3

Ait enim : Sic comprehenduntur, et hoc justum est, quoniam « *peccator,* » Antichristus scilicet, qui dicitur peccator, quia superbus et blasphemus contra Deum, II ad Thess. II, 4 : *Qui adversatur, et extollitur supra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur :* « *Laudatur* » ab eis *in desideriis animæ suæ* » adimpletis. Mali enim adulatores ejus erunt, et eum foventes in malitia.

« *Et iniquus,* » contra proximum, idem scilicet Antichristus, « *benedicitur* » a malis. Vel hæc referri possunt ad adulationem et fomentum in peccato unius ad alterum contra Deum et proximum,

et sic sese decipiunt. Isa. III, 12 : *Popule meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt, et viam gressuum tuorum dissipant.* Et in cap. IX, 16 : *Et erunt qui beatificant populum istum, seducentes : et qui beatificantur, præcipitati.* Proverb. XXIX, 5 : *Homo, qui blandis fictisque sermonibus loquitur amico suo, rete expandit gressibus ejus.*

Triplex adulandi genus.

Et nota, quod est triplex genus adulandi. Primum, quando quis in bono quod habet, nimis extollitur : contra quod dicitur, Prov. I, 10 : *Fili mi, si te lactaverint peccatores, ne acquiescas eis.* Thren. IV, 3 : *Sed et lamiæ nudaverunt mammam, lactaverunt catulos suos.* Secundum, quando bonum, quod non habet quis, ei tribuitur. Sic Joab adulabatur Amasæ, II Reg. XX, 9 : *Salve mi frater Amasa.* Tertium, quando malum quod facit, palliatur, et fovetur laudando. Ezech. XIII, 10 : *Et ipse ædificabat parietem*, mala perpetrando, *illi autem liniebant eum luto absque paleis*, scilicet vanis laudibus, et cito transituris adulando. Job, XX, 5 : *Laus impiorum brevis est, et gaudium hypocritæ ad instar puncti.*

4

« *Exacerbavit Dominum peccator.* » Hic sumitur ratio ex parte Anti Christi, scilicet ex ejus malitia, et dicuntur tria. Primo, malitia cordis tangitur : secundo, malitia oris, ibi, « *Cujus os.* » Tertio, operis, ibi, « *Sedet in insidiis.* »

In prima duo. Primo, generaliter tangitur malitia cordis : secundo, specificatur, ibi, « *Non est Dominus.* »

In primo duo. Primo, tangitur malitia cordis ejus in generali : secundo, Dei patientia demonstratur, ibi, « *Secundum multitudinem.* »

Dicit ergo : Sic adulabuntur impii Anti-Christo, propter hoc « *peccator,* » id est, Anti-Christus, « *exacerbavit,* » præteritum pro futuro, id est, ad iracundiam provocabit Deum. Hoc enim est exacerbare, Baruch, IV, 6 et 7 :... *Ad iracundiam provocastis,... exacerbastis eum, qui fecit vos.* Hæc autem exacerbatio erit blasphemando contra Deum, et asserendo quod ipse, scilicet Anti-Christus, sit Deus. Daniel. XI, 36 et 37 : *Elevabitur, et magnificabitur adversus omnem deum : et adversus Deum deorum magnifica loquetur.* Et in eodem : *Deum patrum suorum non reputabit.* Et quamvis sic exacerbet, tamen Deus vindictam hic in præsenti non requiret.

« *Secundum multitudinem iræ suæ,* » scilicet Anti-Christi, ipsum puniendo in præsenti, « *non quæret,* » quamvis eum occisurus sit. Isa. XI, 4 : *Spiritu labiorum suorum interficiet impium.* II ad Thess. II, 8 : *Quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui, et destruet eum illustratione adventus sui,* sed reservabit eum atrocius puniendum in gehenna, quemadmodum factum est de Antiocho, II Mach. IX, 28 ; et de Herode, Act. XII, 23. Vel sic : Deus eum non quæret, scilicet Anti-Christum, ut salvet eum, qui alios qui perierant requirit. Luc. XIX, 10 : *Venit filius hominis quærere, et salvum facere quod perierat.* Non quæret, inquam, flagellando ipsum ut retrahat a malo, et hoc « *secundum multitudinem iræ suæ.* » Multitudo enim iræ Dei est cum laxat hominem ad peccandum, nec retrahit eum per flagellum. Hinc dicitur Synagogæ, Ezech. XVI, 42 : *Et requiescet indignatio mea in te : et auferetur zelus meus a te, et quiescam, nec irascar amplius.* Non visitabo super filias vestras cum fornicatæ fuerint, et super sponsos vestros cum adulteraverint [1]. Magna ergo ira Dei est, aliquando non irasci, sicut e contrario magnum beneficium est irasci [2]. Etenim

[1] Cf. totum caput XVI Ezechielis, a ỹ. 35 ad finem.

[2] Cf. etiam II Machab. II, 17 et seq.

non sinere peccatoribus ex sententia agere, magni beneficii indicium est.

5 « *Non est Deus in conspectu ejus.* » Hic secundum, in quo specificat malitiam cordis ejus, et dicuntur tria. Primo, perversitas intentionis : secundo, excæcatio, vel inconsideratio divinæ ultionis, ibi, « *Auferentur judicia.* » Tertio, deliberatio malæ voluntatis, ibi, « *Dixit enim in corde suo.* »

In prima facit duo quæ sunt in perversa intentione : primum declinatio a summo bono, secundum inclinatio ad malum, ibi, « *Inquinatæ.* »

Dicit ergo : « *Exacerbavit,* » et Dominus non requiret, quia non est Deus in conspectu ejus, id est, intentione, quæ *oculus* appellatur. Matth. VI, 22 : *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum,* etc. Hic est oculus dexter qui eruendus est, si animam scandalizat, Matth. V, 29 : *Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum et projice abs te.* Et Zachar. XI, 17 : *Brachium ejus ariditate siccabitur, et oculus dexter ejus tenebrescens obscurabitur.* Hoc dicitur de Anti-Christo. Unde Psalmista : *Dicit insipiens in corde suo : Non est Deus*[1].

« *Inquinatæ sunt.* » Quasi sic diceret : Avertitur a Deo, et « *viæ ejus,* » intentiones scilicet et affectus cordis, « *inquinatæ sunt.* » Et hoc « *in omni tempore.* » Nota, quod semper volet malum Anti-Christus, et omnia mala aget. Thren. I, 9 : *Sordes ejus in pedibus ejus,* ecce inquinatio affectuum : *nec recordatus est finis sui,* Dei scilicet, ecce depravatio actionum.

« *Non est Deus in conspectu ejus.* » Sicut enim in Christum qui est Dei sapientia, nihil incurrit inquinatum, Sapient. VII, 25 : *Nihil inquinatum in eam incurrit :* sic in Anti-Christo omne incurrit inquinatum. Est enim multiplex inquinamentum : originalis culpæ, Ezech. XXXVI, 25 : *Et effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* Et actuatis culpæ : et hoc quantum ad fidem. Deuter. VII, 25 et 26 : *Neque assumes ex eis quidquam,* scilicet de idolis ; *velut inquinamentum ac sordes abominationi habebis ea.* Et contra mores, primum quantum ad coinquinationem consensus, et conscientiæ interioris, Ad Tit. I, 15 : *Inquinatæ sunt eorum et mens, et conscientia.* Et pravi operis, Eccli. XIII, 1 : *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea.* Cantic. V, 3 : *Lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos?* Et consuetudinis, Ezechiel. XXIV, 11 : *Pone quoque eam super prunas vacuam, ut incalescat, et liquefiat æs ejus : et confletur in medio ejus inquinamentum ejus, et consumatur rubigo.*

Multiplex inquinamentum.

« *Auferentur.* » Hic secundum, scilicet inconsideratio divinæ ultionis, et tanguntur duo. Primo, inconsideratio : secundo, ratio seu causa hujus inconsiderationis, ibi, *Omnium inimicorum.* »

Dicit ergo : Sic erit perversa impiorum intentio. Etenim, « *judicia tua* » quibus punis malos, et ultionem de ipsis accipis, « *auferentur a facie ejus,* » ab ejus scilicet consideratione, ut eam non avertat. Proverb. XXVIII, 5 : *Viri mali non cogitant judicium : qui autem inquirunt Dominum, animadvertunt omnia.* Job, XLI, 20 : *Quasi stipulam æstimabit gladium*[2], divinum scilicet judicium. De quo gladio, Job, XIX, 29 : *Fugite a facie gladii, quoniam ultor iniquitatum gladius est.* Et deridebit vibrantem hastam, divinam scilicet comminationem. Job, XXII, 14 : *Nubes latibulum ejus, nec nostra considerat,* sed quasi per caliginem judicat.

« *Omnium inimicorum.* » Quasi diceret : Non est mirum si divina judicia non attendit, quia « *omnium inimicorum*

[1] Psal. XIII, 1.

[2] Vulg. habet *malleum.*

suorum dominabitur, » eos sibi subjiciendo, et sic prosperitate excæcabitur. Inimicorum, inquam, qui ei temporaliter inimicantur, quod dico, quia non dominabitur Dei nec Christi. Job, IX, 24 : *Terra data est in manus impii.* Daniel. XI, 40 et 41 : *Ingredietur terras, et conteret, et pertransiet. Et introibit in terram gloriosam, et multæ corruent.* In eodem, ỳ 36 : *Et faciet juxta voluntatem suam rex,* Aquilonis scilicet, *et elevabitur,* non tantum contra malos, sed etiam contra bonos. Daniel. VII, 25 : *Et sermones contra Excelsum loquetur, et sanctos Altissimi conteret : et putabit quod possit mutare tempora, et leges.* Et propter hanc felicitatem putabitur, quod Deus non sit eum judicaturus. Eccle. VIII, 11 : *Quia non profertur cito contra malos sententia, absque timore ullo filii hominum perpetrant mala.* Alia littera habet, « Quia differtur judicium. »

6 « *Dixit enim in corde suo.* » Ecce tertium, deliberata inordinatio voluntatis. Ait enim sic : Aversus erit a Deo, et inconsideratus, et ex deliberatione malus, quia « *dixit in corde suo,* » apud se scilicet deliberando : « *Non movebor a generatione* una *in generationem* » aliam transeundo, dominando super illam, « *sine malo,* » simulationis scilicet et hypocrisis. Eccli. XIX, 23 : *Est qui nequiter se humiliat, et interiora ejus plena sunt dolo.* Psal. XXXV, 2 : *Dixit injustus, ut delinquat in semetipso.* Vel « *sine malo* » pœnæ. Quasi diceret : Nisi nationes afflixero, non potero super eas dominari. Isa. X, 7 : *Ad conterendum erit cor ejus, et ad internecionem gentium non paucarum.* Vel « *sine malo* » artis magiæ. Credet enim per artem magiciam posse se cunctis gentibus dominari, et posse etiam transire ad immortalitatem. Apoc. XIII, 13 : *Et fecit signa magna, ut etiam ignem faceret de cœlo descendere.* II ad Thess. II, 9 : *Cujus est adventus secundum operationem Satanæ in omni virtute, et signis, et prodigiis mendacibus.* Seneca : « Malis artibus favor popularis acquiritur. » Sicut erat in Simone mago, de quo Act. VIII, 10 et 11 : *Cui auscultabant omnes a minimo usque ad maximum, dicentes : Hic est virtus Dei, quæ vocatur magna. Attendebant autem eum, propter quod multo tempore magiis suis dementasset eos,* et per easdem magicas artes voluit tandem in cœlum evolare.

« *Cujus maledictione os plenum est.* » Hic secundum totius hujus partis, in qua ostenditur malitia Anti-Christi. Ostensa enim malitia cordis, ostenditur malitia oris primo quantum ad Deum, secundo quantum ad proximum, ibi, « *Et amaritudine.* » Tertio, ostendit effectum consequentem ex utroque, ibi, « *Sub lingua ejus.* »

Dicit ergo : Sic malus erit in corde. Erit etiam ille, « *cujus os plenum est,* » id est, erit « *maledictione,* » blasphemiis contra Deum. Daniel. XI, 36 : *Adversus Deum deorum loquetur magnifica.* Et VII, 25 : *Sermones contra Excelsum loquetur.* Apoc. XIII, 5 : *Et datum est ei os loquens magna, et blasphemias.* « *Et amaritudine et dolo* » contra proximum scilicet, amaritudine comminando, et imperia injungendo nolentibus consentire sibi. Contra illud, ad Hebr. XII, 15 : *Contemplantes, ne qua radix amaritudinis sursum germinans impediat.* Osee, XII, 14 : *Provocavit me Ephraim in amaritudinibus suis.* « *Et dolo* » blandiendo fraudulenter, Eccli. XII, 15 : *In labiis suis indulcat inimicus.* Psal. XXX, 19 : *Muta fiant labia dolosa.* Daniel. VIII, 25 : *Et dirigetur dolus in manu ejus.* Amaritudine ergo plenum erit os ad nocendum, dolo ad seducendum.

« *Sub lingua ejus labor.* » Persuasio scilicet, ad malum, in quo perpetrando labor est, Jerem. IX, 5 : *Ut inique agerent, laboraverunt.* « *Et dolor,* » sustinendo pœnam in inferno, Psal. XVII, 6 :

Dolores inferni circumdederunt me. Contra illud quod dicitur, Cant. IV, 11 : *Mel et lac sub lingua tua,* scilicet eruditio doctrinæ Dei, quæ dulcis est. Psal. CXVIII, 103 : *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua.* Et persuasio ad implendum mandata Dei dulcissima, Eccli. XXIII, 37 : *Nihil dulcius, quam respicere in mandatis Dei.*

8 Tertia pars psalmi de operibus et casu Anti-Christi.

« *Sedet in insidiis.* » Hic est tertia pars Psalmi. Expedito enim de malitia Anti-Christi, quantum est ex parte cordis et ex parte oris, subjungitur hic malitia operis, et dicuntur duo. Primo, descriptio malitiæ ejus in opere : secundo, terminatio ipsius malitiæ, ibi, « *Inclinabit se et cadet.* »

In prima duo. Primo, descriptio perversitatis ejus in opere procedente ex malitia adjuvantium se. Secundo, in opere procedente ex malitia propria quam habebit ex se, ibi, « *Insidiatur in abscondito.* »

In prima parte notantur quatuor. Duratio illius malitiæ, ibi, « *Sedet in insidiis.* » Complices ad exsequendum malitiam, ibi, « *Cum divitibus.* » Modus, ibi, « *In occultis.* » Et finis, ibi, « *Ut interficiat.* »

Dicit ergo : Sic est in eo malitia, et est cordis, et oris. Et etiam « *sedet in insidiis.* » In sede notatur duratio ipsius, et quies in potentia sua. Hæc est sessio quæ in principio primi Psalmi exclusa est a viro justo : *In cathedra pestilentiæ non sedit.* De hac sessione, II ad Tessal. II, 4 : *Ita ut in templo Dei sedeat, ostendens se tamquam sit Deus.* Sedes scilicet in magna potestate, Apoc. II, 13 : *Scio ubi habitas, ubi sedes est satanæ.* Et tamen « *in insidiis,* » multipliciter scilicet insidiando bonis, et eos seducendo. Osee, VII, 6 : *Applicaverunt quasi clibanum cor suum, cum insidiaretur eis.* Sed non erit solus, imo cum divitibus eum adjuvantibus et malitiam suam promoventibus. Jerem. V, 26 : *Inventi sunt in populo meo impii insidiantes quasi aucupes, laqueos ponentes et pedicas ad capiendos viros.* In quo apparebit contrarius : Christus enim pauper fuit. Zachar. IX, 9 : *Ecce Rex tuus veniet tibi justus, et Salvator : ipse pauper,* et pauperes discipulos collegit, Matth. IV, 18 : et Luc. V, 2. Jacob. II, 5 : *Nonne Deus elegit pauperes?*

Sed hoc in « *in occutis.* » Ecce insidiandi modus. Proverb. XXIII, 28 : *Insidiatur in via quasi latro, et quos incautos viderit, interficiet.* Occulta autem hic appellantur ambigua, ubi non facile est intelligere quid apprehendendum sit et quid fugiendum.

« *Ut interficiat.* » Ecce finis, et tangitur duplex : ut specie justitiæ noceat innocenti : secundo, ut specie misericordiæ noceret pauperi, ibi, « *Occuli ejus.* »

Dicit ergo : et cum talibus insidiabitur, et hoc « *ut interficiat,* » spiritualiter si potest : corporaliter, si non potest spiritualiter, « *innocentem,* » qui nec nocet nec nocere vult : ut sic delinquat dupliciter. Primo, contra illud præceptum Exod. XX, 13 : *Non occides.* Secundo, contra illud ejusdem, XXIII, 7 : *Insontem et justum non occides.* Proverb. XVII, 15 : *Qui justificat impium, et qui condemnat justum, abominabilis est uterque apud Deum.* Per hoc etiam apparebit quod non erit Christus : adventus enim Christi non est ad occidendum corporaliter vel spiritualiter, sed ad salvandum. Joan. III, 17 : *Non enim misit Deus filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum.*

« *Oculi ejus.* » Quasi sic diceret : Falsa justitia seducet innocentem, et etiam 9
« *oculi ejus,* » ac si misericors sit, « *respiciunt in pauperem,* » ut sic attrahat ipsum quasi effectum misericordiæ exhibendo, volens in hoc assimilari Christo, de quo Isa. LXVI, 2 : *Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum,* etc. Gregorius : « Iniquis suadet elatione magnitu« dinis, justos decipit ostensione sancti-

« tatis. » Eccli. xii, 18 : *In oculis suis lacrymatur inimicus* quasi motus misericordia, *et quasi adjuvans suffodiet plantas tuas.* Apoc. xiii, 1, dicitur quod habebit cornua similia cornibus Agni : prætendet enim agnilem misericordiam ut sic decipiat. Et nota, quod corpus Anti-Christi malos habet oculos : in oculo enim notatur superbus, Psal. c, 5 : *Superbo oculo et insatiabili corde.* Eccli. xxiii, 5 : *Extollentiam oculorum ne dederis mihi.* Item, avaritia, Psal. xvi, 11 : *Oculos suos statuerunt declinare in terram.* Item, luxuria, Thren. iii, 51 : *Oculus meus deprædatus est animam meam in cunctis filiabus urbis meæ.* His oculis respiciet in pauperem spiritu, volens eum subvertere superbia, avaritia, et luxuria.

Anti-Christus habet agni cornua.

« *Insidiatur in abscondito.* » Hic subjungitur de securitate malitiæ quantum ad opus ex propria potentia, et tanguntur tria. Primo, modus insidiandi. Secundo, finis, ibi, « *Ut rapiat pauperem.* » Tertio, effectus, ibi, « *In laqueo suo.* »

Dicit ergo : Sic adjutus a divitibus mala perpetrabit, et etiam in persona propria. « *Insidiatur,* » id est, insidiabitur « *in abscondito,* » et exemplificat statim, « *Quasi leo in spelunca sua.* » Sic ipse latens in fraudulentia sua. Eccli. xxvii, 11 : *Leo venationi insidiatur.* Leo autem est diabolus, Proverb. xxviii, 15 : *Leo rugiens princeps impius,* scilicet Anti-Christus, *super populum pauperem.* I Petr. v, 8 : *Adversarius vester diabolus tamquam leo rugiens,* etc. Thren. iii, 10 : *Ursus insidians factus est mihi : leo in absconditis.* Tamen in fine revelabitur, Matth. x, 26 : *Nihil est opertum, quod non revelabitur : et occultum, quod non scietur.*

« *Insidiatur ut rapiat.* » Hic determinatur finis, et hic duplex, « *ut rapiat,* » violentiam inferendo, et iterum « *ut rapiat,* » si non potest per violentiam, saltem blandiendo, ibi, « *Rapere pauperem.* »

Dicit ergo : Sic insidiatur, sed quo fine ? « *Insidiatur ut rapiat pauperem,* » violentia et potestate. Prov. xii, 6 : *Verba impiorum insidiantur sanguini.* De hac violentia quam inferet justis Anti-Christus per suos, et tandem inferet per se, conqueritur Dominus, Isa. iii, 15 : *Quare atteritis populum meum, et facies pauperum commolitis ?* Eccli. xiii, 23 : *Venatio leonis onager in eremo, sic et pascua divitum sunt pauperes.* Divitiæ enim declinant ad mala de facili secundum illud,

Luxus opum semper nocuos declivis ad actus.

Jacob. ii, 6 : *Nonne divites per potentiam opprimunt vos ?*

« *Rapere pauperem.* » « *Insidiatur rapere,* » id est, ad rapiendum « *pauperem dum attrahit,* » id est, in attrahendo dolis et blanditiis « *eum,* » non ea quæ ejus sunt. De iis enim non curabit, sed tantum de ipsis pauperibus, et illorum animabus. Genes. xiv, 21 : *Da mihi animas, cætera tolle tibi.* Prov. vii, 21 : *Irretivit eum multis sermonibus, et blanditiis labiorum protraxit eum.* Alia littera, « Iste sub specie sanctitatis ut rapiat miseram animam. » Rapiet autem eos qui in manu Dei non erunt. Joan. x, 28 : *Et non rapiet eas quisquam de manu mea.*

« *In laqueo suo.* » Hic effectus. Quasi 10
diceret : Non frustra insidiabitur blandiendo, rapiendo, imo « *in laqueo suo humiliabit eum.* » Et potest intelligi de humiliatione mala. Multos enim pauperum dejiciet imperfectos. Daniel. viii, 10 : *Dejecit de fortitudine, et de stellis, et conculcavit eas.* Apoc. xii, 4 : *Et cauda draconis,* scilicet Anti-Christi, *trahebat, tertiam partem stellarum cœli.* Multi enim propter divitias quas dabit, illecti attrahentur. I ad Timoth. vi, 9 : *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et in laqueum diaboli.* Sap. xiv, 10 : *Creaturæ Dei in odium factæ sunt, et in tentationem animabus hominum, et in muscipulam pedi-*

bus insipientium. « *Humiliabit* » etiam miraculis quamvis falsis coruscando. Gregorius : « Pensemus quanta erit illa hu-« manæ mentis tentatio, quando is qui « flagris cruciat, miraculis coruscat, « etc[1]. » Vel potest intelligi de humiliatione non ad culpam, sed ad pœnam : quanto enim magis exaltabitur, tanto quilibet Sanctorum contemnetur. Propter hanc illaqueationem dicitur, Luc. xxi, 34 et 35 : *Et superveniat dies illa : tamquam laqueus superveniet in omnes, qui sedent super faciem omnis terræ.* Isa. xxiv, 17 : *Formido, et fovea, et laqueus super te, qui habitator es terræ.*

« *Inclinabit se.* » Hic subjungitur cohibitio et terminatio malitiæ et virtutis Anti-Christi, scilicet ejus casus, vel mors, et dicuntur duo. Primo, casus et status unde cadet. Secundo, ratio et causa quare dignum est ut cadat, ibi, « *Dixit enim in corde suo.* »

Dicit ergo : Hæc mala faciet, et postmodum « *inclinabit se* » ad otium et delicias : erit enim luxuriosus et deliciosus. Daniel. xi, 37 : *Et erit in concupiscentiis fœminarum.* Eccli. xlvii, 21 : *Inclinasti femora tua mulieribus : potestatem habuisti in corpore tuo.*

« *Et cum dominatus fuerit pauperum,* » non spiritu, sed sensu, et virtute. Dicitur enim de pauperibus spiritu, Luc. xii, 32 : *Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum.* Et Job, xxxvi, 6 : *Judicium pauperibus tribuit.* « *Tunc cadet* » in interitu repentino. Prov. xvi, 18 : *Contritionem præcedit superbia : et ante ruinam exaltatur spiritus.* Continget enim ei sicut diviti pleno, Luc. xii, 20 : *Stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te.* Indicativus pro futuro. Isa. xiv, 12 : *Quomodo cecidisti de cœlo lucifer, qui mane oriebaris ?*

« *Dixit enim in corde suo.* » Hic secundum, causa ruinæ, et est duplex. Prima, 11
quia Deum credet ignorantem nequitiæ suæ. Secunda, quia credet malignum et injustum, et nolentem judicare justos, et punire malos, ibi, « *Avertit faciem suam.* »

Dicit ergo : Sic cadet, et hoc justum : « *quia dixit in corde suo : Oblitus est Deus,* » malorum quæ feci, nec cognoscet illa ut puniat. Eccli. xxiii, 25 et 26 : *Omnis homo qui transgreditur... contemnens in animam suam, et dicens : Quis me videt ?... Delictorum meorum non memorabitur Altissimus.* Sed contra, Eccli. xxiv, 28 : *Memoria mea in generationes sæculorum :* æque enim habet memoriam præteriti ut futuri. Psal. lxxxix, 4 : *Mille anni ante oculos tuos, tamquam dies hesterna quæ præteriit.* Sola enim pœnitentia est, quæ Deum peccatorum nostrorum facit non recordari. Ezech. xviii, 21 et 22 : *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis,... omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor.*

« *Avertit faciem suam ne videat.* » Quasi sic diceret : Præteritorum oblitus est, et etiam avertit faciem suam, ne videat quæ facio, vel faciam, « *in finem,* » accusativum pro ablativo, id est, in fine. In fine, inquam, localiter, scilicet in terra, sed tantum ea quæ fiunt super cœlos, contra illud quod dicitur Job, xxxvii, 3 : *Subter omnes cœlos ipse considerat, et lumen illius super terminos terræ.* Prov. xvi, 2 : *Omnes viæ hominum patent oculis ejus.* Eccli. xxiii, 28 : *Oculi Domini multo plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum, et profundum abyssi, et hominum corda intuentes in absconditas partes.*

[1] S. Gregorius, In lib. xxxii Moral.

12 « *Exsurge Domine.* » Hic est secundum secundæ partis totius Psalmi. Determinata enim malitia Anti-Christi, et oppressione bonorum ab eo, subjungitur hæc petitio pro liberatione, et dividitur hæc pars in duas partes. Primo, petitio : secundo, insinuatur exauditio, ibi, « *Desiderium pauperum*, etc. »

In prima parte dicuntur duo, secundum duo quæ petuntur. Primum est pauperum liberatio a potestate Anti-Christi. Secundum, contritio ipsius Anti-Christi, ibi, « *Contere brachium peccatoris.* »

In prima parte dicuntur tria. Primo enim quasi dirigit petitionem ad potentiam, vel ad Patrem cui appropriatur potentia. Secundo, ad sapientiam, ibi, « *Vides tu.* » Tertio, ad bonitatem, ibi, « *Tibi derelictus est pauper.* »

In prima parte dicuntur duo. Primo, petitio : secundo, probatio quod debeat exaudiri, ibi, « *Propter quod.* »

In prima autem tria dicuntur. Primo, excitatio Patris : secundo, petitio ostensionis potentiæ, et virtutis, ibi, « *Et exaltem.* » Tertio, determinatio in quo velit illam ostendi, ibi, « *Ne obliviscaris.* »

Dicit enim : Prius erit Anti-Christus, et opprimet bonos, sed o tu Deus « *surge,* » quia videris dormire. Isa. LI, 1 : *Consurge consurge, induere fortitudine tua Sion.* Sion interpretatur *speculum* vel *specula :* Deus enim est speculum in quo relucent omnia, et specula quæ perspicit omnia, et intuetur.

« *Exsurge* » ad succursum pauperis, ad quem te scio paratum. In Psal. XI, 6 : *Propter miseriam inopum, et gemitum pauperum, nunc exsurgam dicit Dominus.*

« *Et exaltetur,* » id est, demonstretur ut appareat omnibus, « *manus tua,* » non manus misericordiæ qua largiris bona, de qua Bernardus : « Unam manum Dei dicamus misericordiam, qua largitur affluenter. » Psal. CXLIV, 16 : *Aperis tu manum tuam : et imples omne animal benedictione.* Proverb. I, 24 : *Extendi manum meam, et non fuit qui adspiceret.* Sed manus justitiæ et potestatis, qua defendis potenter, sicut idem dicit Bernardus. Isa. IX, 12 : *In omnibus his non est aversus furor ejus, sed adhuc manus ejus extenta :* hanc exalta. Isa. XXVI, 11 : *Domine exaltetur manus tua, et non videant : videant, et confundantur.* Eccli. XXXVI, 3 : *Alleva manum tuam super gentes alienas,* quæ te non exquisierunt. Et ad hoc exalta, « *ne obliviscaris pauperum :* » sed erue ab Anti-Christo superius asserente, quia oblitus es eorum, ỳ 11 : *Dixit enim in corde suo : Oblitus est Deus,* etc. « *Ne obliviscaris* » ergo, id est, ostendas quod non oblivisceris. Isa. XLIX, 15 : *Numquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui ? Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui.*

« *Propter quid irritavit.* » Hic probatio quare debet exaudiri : sumens rationem ex malitia Anti-Christi. Primo, sumens rationem ex modo irritandi Deum : secundo, ex hoc in quo irritavit, ibi, « *Dixit enim in corde suo.* » 13

Dicit ergo : Sic petivi ut liberes, et debes, quia impius, Anti-Christus scilicet, qui impius dicitur antonomastice, sicut prius sæpe dictum est, irritavit Deum, teipsum scilicet. Et hoc propter quid ? quasi sine causa et fructu hoc fecit. Et hoc verum est, non tantum de capite Anti-Christo, sed de omni membro ejus : sine fructu enim peccatur. Sap. V, 8 : *Quid nobis profuit superbia ? aut divitiarum jactantia quid contulit nobis ?* Ad Rom. VI, 21 : *Quem ergo fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis ?* Propter hoc exclamat Ezech. XVIII, 31 : *Quare moriemini domus Israel ?* Filius prodigus non nisi de peccato suo famem et inediam reportavit, Luc. XV, 16 et 17. Et vere irritavit : quia « *dixit in corde suo,* » deliberans et sentiens : « *Non requiret* » Dominus pauperis sanguinem, quem affligo : sed mentietur, quia in Ezech. III, 18, dicitur ad prælatum negligentem :

Si... non annuntiaveris ei,... ipse impius in iniquitate sua morietur: sanguinem autem ejus de manu tua requiram. Requirit etiam ab homicidis, illos quos occidunt. Genes. IV, 9 et seq., occisum Abel ab occidente Cain requisivit. Et IX, 5 : *Sanguinem animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum : et de manu hominis.* Requirit etiam non tantum homicidium, sed et omne malum ad judicandum, et ad faciendum judicium. Mal. II, 17 : *Laborare fecistis Dominum in sermonibus vestris : et dixistis : In quo eum fecimus laborare? In eo quod dicitis : Omnis qui facit malum, bonus est in conspectu Domini, et tales ei placent : aut certe ubi est Deus judicii?*

14 « *Vides quoniam.* » Hic secundum, in quo dirigitur sermo ad sapientiam Dei, ostendens quod debeat liberare bonos, et malos affligere : unde dicuntur duo. Primo, quod habet Deus sapientiam affligendi malos, et liberandi bonos ab ipsis. Sapientiam, inquam, affectatam. Secundo ostendit causam, quare debeat hoc affectare, ibi, « *Quoniam tu laborem.* »

Dicit ergo : Sic o Domine exaltetur potentia, et o tu sapientia Dei, « *vides,* » id est, cognoscis cognitione affectata, ut id est, qualiter « *tradas eos,* » Anti-Christum scilicet et complices ejus : de quibus supra, ℣. 8 : *Sedet in insidiis cum divitibus in occultis.* « *In manus tuas,* » in tua potentia ad judicandum de eis. Vere vides, quia nihil te latet. Proverb. XVI, 2 : *Omnes viæ hominis patent oculis ejus.* Job, XLII, 2 : *Scio, quia omnia potes, et nulla te latet cogitatio.* Jerem. XVII, 10 : *Ego Dominus scrutans cor, et probans renes : qui do unicuique juxta viam suam, et juxta fructum adinventionum suarum.* Et hoc justum : quoniam tu « *consideras laborem* » afflictionum, « *et dolorem* » mortis quem intulerunt Sanctis, de quibus supra, ℣. 7 : *Sub lingua ejus labor et dolor.* Vel laborem quem infligunt in corpore, dolorem quem in mente. Vel laborem et dolorem Anti-Christi et suorum. Laborem quem sustinent alios pervertendo, Jerem. IX, 5 : *Ut inique agerent, laboraverunt.* Eccle. X, 15 : *Labor stultorum affliget eos, qui nesciunt in urbem pergere.* « *Dolorem* » quem habent, quia plures non possunt pervertere, Exod. XV, 14 : *Dolores obtinuerunt habitatores Philistiim.* Job, IV, 8 et 9 : *Quin potius vidi eos, qui operantur iniquitatem, et seminant dolores, et metunt eos, flante Deo perisse.*

« *Tibi derelictus est pauper.* » Hic sermonem dirigit ad summam bonitatem, allegans defectum duplicem propter quem est misericordia exhibenda. Primo, defectum facultatis : secundo, defectum adjutorii humani, ubi, « *Orphano.* »

Dicit ergo : Sic summa sapientia vides quid agendum sit, sed tuo summa bonitas, « *Tibi derelictus est pauper,* » humanis facultatibus destitutus, et amicis ex consequenti. Proverb. XIX, 4 : *Divitiæ addunt amicos plurimos : a paupere autem et hi, quos habuit, separantur.* Et XIX, 7 : *Fratres hominis pauperis oderunt eum : insuper et amici procul recesserunt ab eo.* Nota de puero Amalecita, I Reg. XXX, 13, qualiter infirmus et pauper derelictus est a Domino suo, quem postea suscepit David. Amalec *lingens sanguinem* interpretatur, significat mundum qui libenter lingit peccatum : David *manu fortis,* significat Christum. Pauperem ergo et infirmum reliquit mundus, et abiit : Christus autem eum suscipit, et de miseria eripit. Job, XXXVI, 15 : *Eripiet de angustia sua pauperem, et revelabit in tribulatione aurem ejus.* « *Orphano,* » scilicet orbato parte, et matre : hic enim orphanus est proprie, « *tu eris adjutor,* » si secundum proprietatem tuam facis. Jerem. XLIX, 11 : *Relinque pupillos tuos : ego faciam eos vivere.* Luc. XII, 32 : *Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum.* De talibus curat Deus, et eos specialiter Prælatis commendat : unde super negligentia talium eos reprehendit, Isa. I, 23 :

Infirmos Deus suscipit, cujus rei figuram nota.

Pupillo non judicant : et causa viduæ non ingreditur ad illos. Orphanus etiam specialiter dicitur, cui mortuus est pater, scilicet mundus, et mater, scilicet concupiscentia carnalis : de quibus Ezech. xvi, 3 : *Pater tuus Amorrhæus, et mater tua Cethæa.* Talibus enim dicit Isa. xli, 14 : *Noli timere vermis Jacob, qui mortui estis ex Israel,* id est, quibus mundus et carnalis concupiscentia mortui sunt.

15 « *Contere brachium.* » Hic secundum illius partis, in qua agitur de petitione : petita enim pauperum liberatione, subjungitur hic petitio pro contritione potentiæ Anti-Christi.

Dicit enim : Domine exaltetur manus tua ad pauperem liberandum, et etiam « *contere* » penitus destruendo, « *brachium peccatoris.* » Anti-Christi scilicet, qui peccator dicitur in se, « *et maligni,* » ejusdem in alios peccantis. Vel peccator dicitur propter violentiam, et malignus propter fraudem. Hoc fiet, sicut dicit Job, xxxviii, 15 : *Auferetur ab impiis lux sua, et brachium excelsum confringetur* : et contritione subita et vehementi. Isa. xxx, 13 et 14 : *Subito, dum non speratur, veniet contritio ejus.* Et in eodem, *Et comminuetur sicut conteritur lagena figuli contritione pervalidam : et non invenietur de fragmentis ejus testa*, etc.

Quatuor brachii acceptiones.

Et nota, quod est brachium gloriosum, scilicet ipse Christus, de quo Isa. liii, 1 : *Brachium Domini cui revelatum est ?* Hoc brachium exaltandum est et glorificandum. Eccli. xxxvi, 7 : *Glorifica manum et brachium dextrum.* Virtus et constantia ad bonum faciendum. In Psal. xvii, 35 : *Posuisti, ut arcum æreum, brachia mea.* Et hoc appetendum. Brachium etiam dicitur sæcularis potentia, et corporis fortitudo, in quo non confidendum. Jerem. xvii, 5 : *Maledictus homo qui confidit in homine, et ponit carnem brachium suum.* Et est brachium robur et pertinacia ad faciendum malum, et hoc conterendum, sicut hic dicitur. Job, xviii, 13 : *Consumat brachia ejus primogenita mors.* Psal. xxxvi, 17 : *Brachia peccatorum conterentur.*

« *Quæretur peccatum illius.* » Hic secunda pars illius partis, in qua agitur de supplicatione. Præmissa enim oratione, ostendit Propheta se esse exauditum, et pauperes alios secum hoc ipsum deprecantes. Et dicuntur quatuor in hac parte. Primo, Anti-Christi dejectio justo Dei judicio : secundo, æterna sublimatio Christi, ibi, « *Dominus regnabit.* » Tertio, membrorum Anti-Christi condemnatio, ibi, « *Peribitis.* » Quarto, desiderii Sanctorum adimpletio, ibi, « *Desiderium.* »

In prima dicuntur duo. Primo, discussio factorum Anti-Christi. Secundo, destructio ipsius, ibi, « *Et non invenietur.* »

Dicit ergo sic : Petivi et exauditus sum : quia scio quod « *quæretur,* » id est, discutietur, et judicabitur, « *peccatum illius,* » quale scilicet fuit, et quantum. Eccle. xii, 14 : *Et cuncta quæ fiunt, adducet Deus in judicium pro omni errato sive bonum, sive malum illud sit.* Sicut ad Balthazar dictum est, Dan. v, 27 : *Appensus es in statera, et inventus es minus habens.* « *Quæretur* etiam *peccatum illius,* » id est, inquiretur de peccato suo et malitia, utrum sit justis purgandis amplius necessaria : utitur enim malitia malorum Deus tamquam virga ad flagellandum et purgandum bonos, et perdendum malos. Isa, x, 5 : *Væ Assur, virga furoris mei et baculus ipse est, in manu eorum indignatio mea.*

« *Et non invenietur.* » Sic judicatus, sic discussus perdetur : quia etiam in malitia ejus nulla utilitas poterit inveniri. Job, xx, 8 : *Velut somnium advolans non invenietur, transiet sicut visio nocturna.* Psal. xxxvi, 35 et 36 : *Vidi impium superexaltatum, et elevatum sicut cedros Libani. Et transivi, et ecce non erat : et quæsivi eum, et non est inventus locus ejus.* Nec mirum : damnabitur enim cum diabolo, qui quasi nihil, et

non ens reputatur. Job, xviii, 15 : *Habitent in tabernaculo illius socii ejus, qui non est.* Ezech. xxviii, 19 : *Nihili factus es, et non eris in perpetuum.*

16 « *Dominus regnabit.* » Idem est. Quasi sic diceret : Anti-Christus dejicietur, sed « *Dominus* » verus, scilicet Christus, « *regnabit* » aperte scilicet et plene sine contradictione omni. « *In æternum et in* « *sæculum sæculi,* » hujus consecutivum quod est sæculum æternum. Daniel. vii, 14 : *Potestas ejus, potestas æterna, quæ non auferetur : et regnum ejus, quod non corrumpetur.* I ad Corinth. xv, 25 : *Oportet illum regnare donec ponat omnes inimicos sub pedibus ejus.* Unde notandum, quod est duplex regnum Christi. Unum quo regnat præsentialiter in electis, sed occulte, Luc. xvii, 21 : *Ecce regnum Dei intra vos est.* Aliud quo regnat cum jam beatificatis, et regnabit cum beatificandis aperte, Joan. xviii, 36 : *Regnum meum non est de hoc mundo.* Propter hoc docet petere ut adveniat regnum apertum ad regnum occultum, et fiat unum regnum sicut prius. Quasi sic diceret : Christus regnabit, sed o vos gentes gentiliter viventes Anti-Christi membra, « *peribitis* » expulsi « *de terra illius,* » Domini scilicet. De illa, inquam, terra de qua in Psal. xxvi, 13 : *Credo videre bona Domini in terra viventium.* Et Genes. xlix, 15 : *Vidit requiem quod esset bona : et terram quod optima.* Proverb. ii, 22 : *Impii de terra perdentur : et qui inique agunt, auferentur ex ea.* Quare autem cœlum terra dicatur, dictum est in Psalmo i [1].

Christi regnum occultum et apertum.

17 « *Desiderium pauperum.* » Hic est quartum, scilicet pauperum exauditio : et dicuntur duo. Primo, exauditio : secundo, specificatio in exaudiendo, ibi, « *Præparationem.* »

Dicit ergo : Vere « *peribitis* » o Gentes cum capite vestro Anti-Christo : quia « *Dominus exaudivit,* » exaudire semper consuevit, « *desiderium pauperum,* » spiritu scilicet humilium. Eccli. xxxv, 21 : *Oratio humiliantis se nubes penetrabit.* Quid autem sit illud desiderium, Dominus non ignorat : quia alibi, in Psal. xxxvii, 10, dicitur : *Domine, ante te omne desiderium meum.* Sed adhuc restat quæstio, quid est illud, Proverb. xi, 23 : *Desiderium justorum omne bonum :* sed quod bonum ? Et dicendum, quod quintuplex est desiderium justi. Primum est sui ipsius discussio. Secundum, exhibitio misericordiæ proximo. Tertium, sollicitudo proficiendi in bono. De his tribus, Mich. vi, 8 : *Indicabo tibi o homo quid sit bonum, et quid Dominus requirat a te : Utique facere judicium,* ecce primum : *et diligere misericordiam,* ecce secundum : *et sollicitum ambulare cum Deo tuo,* ecce tertium. Quartum, delectatio in prægustatione æternorum, Matth. xvii, 4, Petrus prægustata æterna dulcedine ait : *Domine, bonum est nos hic esse : si vis, faciamus hic tria tabernacula.* Quintum, obsecratio pro aliorum pace et concordia, I ad Timoth. ii, 1 et 3 : *Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus.* Et paulo post : *Hoc enim bonum est, et acceptum coram Salvatore nostro Deo.*

Quinque justi desideria.

« *Præparationem cordis eorum.* » Quasi diceret : Non tantum exaudit pauperum desiderium : sed et o tu Domine, « *præparationem cordis eorum* » ad desiderandum « *audivit auris tua,* » non corporalis quam non habes, sed spiritualis quæ est clementia et benignitas tua. Isa. lxv, 24 : *Antequam clament,*

[1] Cf. Psal. i, Commentarium in ℣. 5.

ego exaudiam. Et nota, quod sicut plus est desiderare, quam cor præparare, sic plus est exaudire quam audire. Si enim Dominus audit cordis præparationem, exaudit cordis desiderium et clamorem. Probandum est autem cor antequam oret, Eccli. XVIII, 23 : *Ante orationem præpara animam tuam.* I Reg. VII, 3 : *Præparate corda vestra Domino.* Et nota, quod tripliciter cor præparatur. Primo, malum deserendo. Secundo, bonum appetendo, Psal. CVII, 2 : *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum.* Tertio, proponendo conclusionem contra se, Psal. XXXI, 5 : *Confitebor adversum me injustitiam meam Domino : et tu remisisti impietatem peccati mei.*

riplex cordis præparatio.

18 « *Judicare pupillo.* » Ecce secundum, in quo ostenditur in quo sunt exauditi pauperes, quia in duobus, in sui exaltatione, et in perpetua Anti-Christi et membrorum ejus depressione, ibi, « *Ut non apponat.* »

Dicit ergo : Sic pauperum desiderium audivit Dominus, quod est « *judicare,* » id est, ad judicandum, « *pupillo et humili :* » ille enim judicatur, qui in judicio tamquam victor exaltatur. Pupillum autem dicit, sicut vult Glossa, qui se huic sæculo non conformat. Ad Rom. XII, 2 : *Nolite conformari huic sæculo nequam.* Seneca : « Intus omnia similia « sint, extra populo nostra conveniant. » I ad Corinth. IX, 22 : *Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos.* Et nota, quod addit « *humili* : » quia aliunde ipse contemptus mundi et despectus, inanis gloriæ superbiam generat. Hieronymus : « Vide ne eo ipso appetas glo« riam, quo gloriam appetere desiisti. » Gregorius : « Sub hoste quem vicit, ster« nitur, qui de culpa quam superat, glo« riatur. » Seneca : « Nimia humilitas « magna superbiæ pars est. »

« *Ut non apponat.* » Quasi sic diceret : Sic judica pupillo et humili ut homo purus deprimatur, « *ut non apponat ultra magnificare se homo super terram,* » jactando, superbiendo. Super terram sic est, quia super cœlos non posset. Eccli. X, 9 : *Quid superbit terra et cinis ?* Et nota, quod est magnificentia bona et laudabilis, et est duplex, quando homo magnificat Deum secundum illud, *Magnificat anima mea Dominum* [1]. Et quando Deus magnificat electum, Job, VII, 17 : *Quid est homo, quia magnificas eum ?* Quod facit Dominus dupliciter. Gratiam augmentando, Genes. XIX, 19 : *Magnificasti misericordiam tuam quam fecisti mecum.* Et gloriam conferendo, Sap. XIX, 20 : *In omnibus magnificasti populum tuum et honorasti.* Ad Rom. VIII, 30 : *Quos prædestinavit, hos et vocavit : et quos vocavit, hos et justificavit : quos autem justificavit, illos et magnificavit.* Et est mala magnificentia et culpabilis. Primo, cum magnificat se aliquis in potentia et dignitate, Zach. XI, 3 : *Vox ululatus pastorum, quia vastata est magnificentia eorum.* Secundo, quando magnificat se in vita, sicut faciunt hypocritæ, Matth. XXIII, 5 : *Dilatant phylacteria sua, et magnificant fimbrias suas.* Item, quando magnificat se in malitia, quod pessimum est, de quo hic, et Danielis, III, 36 : *Elevabitur, et magnificabitur adversus omnem deum.*

[1] Luc. I, 46

PSALMUS X.

Animæ in Deo confidentis securitas.

1. *In finem, Psalmus David.*
2. In Domino confido; quomodo dicitis animæ meæ : Transmigra in montem sicut passer?
3. Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum; paraverunt sagittas suas in pharetra, ut sagittent in obscuro rectos corde;
4. Quoniam quæ perfecisti, destruxerunt; justus autem quid fecit?
5. Dominus in templo sancto suo; Dominus in cœlo sedes ejus [1]. Oculi ejus in pauperem respiciunt, palpebræ ejus interrogant filios hominum.
6. Dominus interrogat justum et impium; qui autem diligit iniquitatem odit animam suam.
7. Pluet super peccatores laqueos; ignis et sulphur, et spiritus procellarum, pars calicis eorum.
8. Quoniam justus Dominus, et justitias dilexit; æquitatem vidit vultus ejus.

1 Habac. II, 20.

IN PSALMUM X

COMMENTARIUS.

1 *In finem, Psalmus David*[1].

Argumentum Psalmi: persecutio Ecclesiæ a domesticis et hæreticis.

« *In Domino confido.* » Determinatum est in antecedenti nono Psalmo de persecutione bonorum et ipsius Ecclesiæ ab ipso Anti-Christo, qui caput est malorum, hic subjungitur de persecutione facta ipsi Ecclesiæ per ejus membra. Complices enim sui, qui suo erunt tempore, quasi de capite reputantur. Hæc autem quæ a membris, dupliciter est : quia vel a Gentibus, vel a Judæis. De persecutione autem Ecclesiæ et liberatione a Gentibus in tribus Psalmis hic consequentibus agitur : « *In Domino confido.* » « *Salvum me fac.* » Et, « *Usquequo.* » De persecutione a Judæis in quarto qui incipit, *Dixit insipiens.* Est enim triplex malitia, Philosophorum qui volunt per falsam doctrinam apparere. Est et malitia quæ fit in perversitate vitæ, quæ est in hypocritis, et iis qui volunt eminere per vitæ sanctitatem. Et est perversitas potentiæ quæ est in tyrannis. De terminatione primæ malitiæ et impugnatione agitur in hoc Psalmo : de secundæ, in secundo : de tertiæ, in tertio.

Tres hostes Ecclesiæ.

Titulus autem præparatus huic Psalmo satis indicat intentionem Psalmistæ. Est enim talis : « *In finem, Psalmus David,* » id est, hic Psalmus est David, ut Auctoris, ordinans nos, « *in finem,* » id est, in Christum, ne ab hæreticis seducti deviemus. Et patet ordo : quia cum actum sit de malitia capitis, et cohibitione malitiæ, hic agitur de malitia membrorum, et cohibitione malitiæ illorum. Ex quo etiam patet, quod Psalmus iste dividitur in duas partes. Primo enim agitur de malitia et impugnatione. Secundo, subjungitur de cohibitione malitiæ, ibi, « *Justus autem quid fecit ?*

In prima duo dicuntur. Primo, hæreticorum increpatio, quia credunt, hæretici justos de Deo diffidere. Secundo, aperta sua monitione, ad hæresim eorum transire, ibi, « *Quomodo dicitis ?* »

[1] La plupart des commentatenrs, Théodoret, Le Hir, Patrizi, etc. rapportent ce psaume à la persécution de Saül. Ceux qui, comme Delitzsch, préfèrent l'assigner au temps de la révolte d'Absalon, n'apportent aucun raison qui autorise à s'écarter du sentiment commun. Patrizi croit que David a composé ce chant après la prise de Ceïla, quand il se retira au désert de Ziph : « Morabatur autem David in deserto in locis firmissimis, mansitque in monte solitudinis Ziph, in monte opaco. » I Reg. XXIII, 14. On remarquera cependant que dans ce psaume David décline l'invitation qui lui est faite de fuir dans la montagne ; il faut donc chercher quelqu'autre circonstance où le fugitif ait affronté la présence de ses ennemis, comme quand il entra dans le camp de Saül à Gabaa (I Reg. XVI, 5), ou supposer qu'après avoir protesté de sa confiance au Seigneur, David ne laissa pas de prendre les moyens humains que la prudence conseillait. Toujours est-il que, dans ce psaume, il met tout son espoir dans la protection divine, et que, faisant peu de cas des ressources humaines, il attend tout de la justice de Dieu.

« Ex Patribus plures mystico sensu interpretantur de hæreticis, qui molestis suasionibus urgent fideles, ut una secum deficientes ab Ecclesia vitam agant a reliquis segregatam. » Calmet.

2 Prima pars Psalmi.

Dicit ergo sic : « *In Domino confido* : » non diffido de eo, sicut vos hæretici creditis : nec mirum, concurrunt enim omnia propter quæ confidendum. Misericors enim est, Psal. cx, 4 : *Misericors et miserator Dominus.* Potens est, Psal. cxiii, 3 : *Omnia quæcumque voluit Dominus fecit.* Ad Rom. viii, 31 : *Si Deus pro nobis, quis contra nos ?* Verax est, Psal. cxliv, 13 : *Fidelis Dominus in omnibus verbis suis.* Deuter. xxxii, 4 : *Deus fidelis, et absque ulla iniquitate.* Consolator in tribulatione, II ad Corinth. i, 4 : *Qui consolatur nos in omni tribulatione nostra.* Et tandem liberator, Psal. xxxiii, 20 : *Multæ tribulationes justorum* : *et de omnibus his liberabit eos Dominus.* Propter hoc « *confido.* » Scio enim quod scriptum est Jerem. xvii, 7 : *Benedictus vir, qui confidit in Domino* : *et erit Dominus fiducia ejus.* Unde non poteritis hinc pervertere. Sap. iii, 9 : *Qui confidunt in Domino, intelligent veritatem.* Dan. iii, 40 : *Non est confusio confidentibus in te.*

« *Quomodo.* » Quasi diceret : Sic confido,« *quomodo* ergo *dicitis animæ meæ,* » id est, mihi animam meam intendentes decipere : « *Transmigra* » de fide et unitate Ecclesiæ in qua tu es, « *in montem,* » id est, in Christum, qui apud nos, velut in vitæ altitudinem et scientiæ, quæ apud nos est. « *Sicut passer.* » Quasi diceret : Quod faciendo ero sicut passer, levis et instabilis. Hæretici enim suadent simplicibus transire ad suam sectam, quam dicunt montem. Et mons est ille de quo Isa. xiii, 2 : *Super montem caliginosum levate signum.* Jerem. xiii, 16 : *Antequam offendant pedes vestri ad montes caliginosos.* Qui sic transmigrat, levis est sicut avis. Osee, xi, 11 : *Ephraim... avolabit quasi avis* : dimittit enim nidum suum, Ecclesiæ scilicet unitatem in qua fovetur et nutritur. Isa. xvi, 2 : *Et erit sicut avis fugiens, et pulli de nido avolantes.* Vel potest intelligi, ut sit verbum hæreticorum adulantium illi quem volunt decipere. Quasi dicerent : Tu qui es passer, transmigra pennatus virtutibus et præceptis divinis. Ad Roman. xvi, 18 : *Per dulces sermones, et benedictiones, seducunt corda innocentium.* Passerem autem dicunt justum, et bene dicunt, quamvis mala intentione. Passer laborem pœnitentiæ notat : dicitur enim a patiendo. Levit. xiv, 6 : *Tinget in sanguine passeris immolati infirmum leprosum.* Item, in quo notatur humilitas. Matth. x, 29 : *Nonne duo passeres asse veneunt : et unus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro ?* Item, pullificat, in quo notatur fœcunditas, Psal. lxxxiii, 4 : *Passer invenit sibi domum, et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.* Item, solitarius est, in quo notatur quies mentis. Psal. ci, 8 : *Sicut passer solitarius in tecto.*

« *Quoniam ecce peccatores.* » Hic secundum est, in quo posita increpatione hæreticorum, ostenditur quod vere increpandi. Et est in hoc etiam fidelium instructio, et dicuntur duo. Primo, bonorum subversio quantum possunt. Secundo, probatio quod ita est, ibi, « *Quoniam quæ tu perfecisti.* » 3

In prima tria. Primo, conversio Scripturarum ad sensum suum. Secundo, deliberatio perversa, ibi, « *Paraverunt.* » Et tertio, finis et intentio, ibi, « *Ut sagittent.* »

Ait ergo : Sic increpo hæreticos, et digni sunt. « *Quoniam ecce,* » in aperto est, « *peccatores,* » hæretici, qui peccatores dicuntur antonomastice, « *intenderunt arcum,* » id est, sacram Scripturam exposuerunt. Sic quod contra se, quod est intendere. Hic est arcus de quo supra, Psal. vii, 13 : *Arcum suum tetendit, et paravit illum.* Sed illi contra se, quia cum Scripturas perverse exponunt, seipsos primo interficiunt. Osee, vii, 16 : *Facti sunt quasi arcus dolosus,* qui percutit ipsum qui ex ipso jacit.

« *Paraverunt sagittas suas,* » id est, paraverunt et congregaverunt mortiferas

sententias, « *in pharetra,* » in ipso corde et intelligentia sua, vel magis in lingua. Unde promptius eas extrahere potuerunt. Jerem. IX, 8 : *Sagitta vulnerans lingua eorum, dolum locuta est.* Jerem. V, 10 : *Pharetra ejus quasi sepulcrum patens.*

« *Ut sagittent.* » Ecce finis, « *rectos corde,* » amatores Dei. Cant. I, 3 : *Recti diligunt te.* « *In obscuro,* » in dubiis scilicet et obscuris sententiis. Proverb. VII, 9 et 10 : *In obscuro, advesperascente die, tunc occurrit mulier* juveni ut decipiat. Mulier illa hæresis fallax et blanda. Vel « in obscura luna » secundum aliam litteram, id est, obscurata militante Ecclesia. Cant. VI, 9 : *Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna?* Habac. III, 11 : *Sol,* Christus, *et luna,* Ecclesia, *steterunt in habitaculo suo.* Hæc obscuratur quando terrena cupiditas, scilicet terrenorum, interponit se inter ipsam, et ipsum solem verum. Isa. LIX, 2 : *Iniquitates vestræ diviserunt inter vos et Deum vestrum.* Et nota, quod est sagitta bona, infirmitas a Deo immissa de arcu justitiæ. Job, VI, 4 : *Sagittæ Domini in me sunt, quarum indignatio ebibit spiritum meum.* Melior, divinæ Scripturæ sententia a Deo de arcu sacræ Scripturæ immissa. Supra in Psal. VII, 14 : *Sagittas suas ardentibus effecit.* Sed optima, consolatio divina immissa de arcu misericordiæ. Psal. CXIX, 4 : *Sagittæ potentis acutæ, cum carbonibus desolatoriis.* Sagitta autem mala perversa sententia emissa de arcu hæreticæ fraudulentiæ, de qua hic.

Tres Dei sagittæ, afflictio, scripturæ, consolatio.

4 « *Quoniam quæ perfecisti destruxerunt.* » Hic secundum, manifestatio quod vere pervertunt, et est quasi expositio præcedentis. Quasi sic diceret : Dixi, quod intenderunt arcum ut rectos sagittent. Et vere : quoniam o tu Domine, ipsi « *destruxerunt,* » perverse exponendo, « *quæ tu perfecisti,* » Scripturas scilicet, quas perfecte tradi fecisti. Fuerunt enim Scripturæ quasi initiatæ in Moyse, profecerunt in Prophetis, consummatæ vero sunt et perfectæ in Christo et Apostolis. Matth. V, 17 : *Nan veni solvere legem,... sed adimplere.* Isa. X, 23 : *Consummationem et abbreviationem Dominus Deus exercituum faciet in medio omnis terræ.* Vel, « *quæ perfecisti,* » opere adimplendo, Act. I, 1 : *Cœpit Jesus facere, et docere.* Matth. VII, 28 : *Et factum est : cum consummasset Jesus verba hæc.* Vel « *perfecisti* », id est, ad perficiendum hominem edidisti. II ad Timoth. III, 16 et 17 : *Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia : ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.* Judith, VII, 6 : *Holophernes... incidi præcepit aquæductum* qui Bethuliam influebat. Vel, « *quæ perfecisti destruxerunt,* » homines scilicet, quasi perfectos in vita destruxerunt ex perversa doctrina. Eccli. XXVIII, 16 : *Lingua tertia multos commovit,* scilicet lingua hæretica, *et dispersit illos de gente in gentem.*

Progressus Scripturæ.

« *Justus autem quid fecit ?* » Hic est secunda pars totius Psalmi, in quo agitur de liberatione fidelium ab impugnatione hæreticorum, et dicuntur duo. Primo, interrogatio quid facturus sit Christus contra tales : secundo, solvit quod quæsivit, ibi, « *Dominus in templo.* »

Secunda pars Psalmi.

Dicit ergo : Sic hæretici impugnant Ecclesiam sponsam justi, Christi scilicet. Et propter hoc quæro sicut illi, « *Justus autem,* » Christus scilicet, « *quid fecit ?* » Præteritum pro futuro, id est, quid faciet ? Justus autem dicitur Christus antonomastice. Jerem. XXXIII, 16 : *Et hoc est nomen, quod vocabunt eum, Dominus justus noster.* Et hoc justum est, competit enim ei justi descriptio. Proverb. XII, 26 : *Qui negligit damnum propter amicum, justus est :* imo essentialiter justus, est ipsa etiam justitia. I ad Corinth. I, 30 : *Qui factus est nobis sapientia a Deo, et justitia, et sanctificatio, et redemptio.*

5 « *Dominus in templo.* » Ecce secundum, scilicet responsio quæstionis prius factæ, et dicuntur tria. Primo, ostenditur in Christo aptitudo ad puniendum : secundo, meritum et afflictio hæreticorum, ibi, « *Qui autem diligit iniquitatem.* » Tertio, debitum et causa punientis eos, ibi, « *Quoniam justus Dominus.* »

In parte prima tanguntur tria secundum tria quæ concurrunt ad aptitudinem puniendi, et judicandi. Primum est sublimitas et potentia : secundum, sapientia, ibi, *Oculi ejus in pauperem respiciunt.* » Tertium, æquitas et rectitudo quæ pertinet ad bonitatem, ibi, « *Dominus interrogat.* »

In prima duo secundum duplicem modum potestative dominandi quam ostendit in Deo. Primo, quia dominatur in Ecclesia militante. Secundo, quia in triumphante, ibi, « *Dominus in cœlo.* »

Dicit ergo : Sic quærit de justo, quid facit ? Respondeo : « *Dominus in templo sancto suo,* » Ecclesia scilicet militante, dominatur et regnat. I ad Corinth. III, 17 : *Si quis templum Dei violaverit, disperdet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est quod estis vos.* Hæc autem dominatio super Ecclesiam militantem ostensa est ubi Dominus facto flagello de funiculis, vendentes et ementes ejecti de templo tamquam Dominus[1]. Templo autem comparatur Ecclesia multiplici ratione. Primo, quia locus est venerationis divinæ, et in quo adoratur Deus. Psal. V, 8 : *Adorabo ad templum sanctum tuum.* Joan. IV, 23 : *Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate.* Item, ratione orationis : in hac enim tantum valet oratio. Isa. LVI, 7 : *Lætificabo eos in domus orationis meæ.* Et Matth. XXI, 13 : *Domus mea, domus orationis vocabitur.* Item, ratione immolationis : sicut enim in templo antiquitus, sic in Ecclesia modo sacrificatur et immolatur sacrificium duplex : contriti cordis, de quo Psal. L, 19 : *Sacrificium Deo, spiritus contribulatus.* Et hoc duplex : proprii per pœnitentiam, Ad Rom. XII, 1 : *Obsecro vos per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam,* etc. Corporis Christi per Passionis repræsentationem, Deuter. XII, 13 : *Cave ne offeras holocausta tua,* scilicet incensum corpus Christi divinitate plenum, *in omni loco :* sed in loco quem eligit Dominus. Item, ratione signationis et distinctionis. Templum enim distinctum erat a communibus domibus. Et super templa nostra etiam ponitur crux. Et super spirituale quod est Ecclesia, Christus passus. Cantic. VIII, 6 : *Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum.*

Cur ecclesia dicitur templum ?

« *Dominus in cœlo,* » non tantum in Ecclesia militante, quæ per templum, sed et « *Dominus,* » præponitur ut locum habeat sequens relatio, et potentia exprimatur, « *sedes ejus in cœlo* » est, et in cœlo dominatur. Isa. LXVI, 1 : *Cœlum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum.* Et Psal. CII, 19 : *Paravit in cœlo sedem suam.* Si autem quæritur, quare non tantum dicitur dominari in cœlo, sed etiam sedem habere : in templo autem dominari tantum, non sedem habere ? Responsio est, quod in Ecclesia triumphante veraciter sedet et quiescit : quia numquam aliqua tentatione expellitur a sanctis animabus, et Angelis in gratia confirmatis. Illa ergo congregatio bonorum est thronus eburneus candidissimus, in illo throno figuratus, quem sibi fecit Salomon de ebore grandem, III Reg. X, 18. Sed in Ecclesia adhuc militante magis ambulare dicendus est, quam sedere. Modo enim venit per gratiam, modo abit per culpam. Joan. XIV, 28 : *Vado, et venio ad vos.* Quod significatum fuit Genes. III, 8, ubi legitur Adam

Immobilitas beatitudinis.

[1] Cf. Matth. XXI, 12.

post peccatum audivisse Dominum deambulantem in paradiso, non vidisse sedentem.

« *Oculi ejus.* » Hic secundum in quo monstratur Dei sapientia. Primo, comparatione ad bonos : secundo, comparatione ad malos, ibi, « *Et palpebræ.* »

Dicit ergo : Sic potens est in utraque Ecclesia, et cognoscens per sapientiam suam, quæ fiunt in hac militante, et infima : quia « *oculi ejus in pauperem* » spiritu et humilem « *respiciunt.* » Psal. xxxiii, 16 : *Oculi Domini super justos.* Et Eccli. xv, 20 : *Oculi Domini ad timentes eum, et ipse agnoscit omnem operam hominis.* Proverb. xvi, 2 : *Omnes viæ hominis patent oculis ejus.* Nec tantum oculis cognitionis simplicis, sed cognitionis approbantis qui habent multum admixtum de misericordia. Hi sunt oculi flammei, de quibus Apocalyp. i, 14 : *Oculi ejus tamquam flamma ignis.* Sapient. iv, 15 : *Et respectus in electos illius.* Et in Psal. xxxi, 8, dicit justo. : *In via hac qua gradieris, firmabo super te oculos meos.*

« *Palpebræ ejus.* » Quasi si diceret : Justorum merita videt, et promovet, et accendit, et etiam demerita malorum : quia « *palpebræ ejus,* » ejus scilicet judicia, « *interrogant,* » id est interrogaverunt « *filios hominum,* » scilicet peccatores. Palpebræ autem dicuntur Dei judicia : quia sicut palpebræ apertæ sunt nobis et modo occultæ : sic Dei judicia pro parte nobis aperta sunt, et pro parte occulta. Præterea in nobis significant palpebræ judicia, Proverb. iv, 25 : *Palpebræ tuæ præcedant gressus tuos.* Prov. vi, 4 : *Ne dederis somnum oculis tuis, nec dormitent palpebræ tuæ.* Hæc ergo judicia interrogabunt impios, secundum illud Sapient i, 9 : *In cogitationibus impii interrogatio erit.* Sap. vi, 4 ; *Interrogabit opera vestra, et cogitationes scrutabitur.* Hæc autem interrogatio non est dubitatio ex parte Dei, sed manifestatio malorum et impiorum, qui dicuntur filii hominum, quia imitatores primorum parentum. Supra, in Psal. iv, 3 : *Filii hominum, usquequo gravi corde, ut quid diligitis?* etc. Et in alio Psal. ix, 21 : *Sciant gentes quoniam homines sunt.* Palpebræ etiam secundum Glossam dicuntur duo Testamenta : quia, sicut palpebræ, sunt conjuncta : et aliquando aperiuntur, et clauduntur nobis sicut illæ.

« *Palpebræ* ergo *interrogant filios hominum* : » quia divina sapientia in Scripturis nostram arguit fœditatem, et maculam. Speculum arguit habentem in fœditate maculam, quod significatum fuit, Exod. xxxviii, 8, ubi legitur fecisse Moysen mare æneum de speculis mulierum. Jacob. i, 23 et 24 : *Si quis auditor est verbi, et non factor : hic comparabitur viro consideranti vultum nativitatis suæ in speculo : consideravit enim se et abiit,* etc.

« *Dominus interrogat.* » Ecce tertium, 6
scilicet rectitudo quæ pertinet ad bonitatem judicantis.

Ait enim sic : Potens est et sapiens, sed est rectus et æquus : quia « *Dominus interrogat,* » id est, distinguit, et discernit, et appendit « *justum et impium,* » opera scilicet justi et impii : hæc enim interrogatio nihil aliud est, quam meritorum distinctio. Sap. xi, 11 : *Hos quidem tamquam pater monens probasti,* scilicet bonos. *Illos autem tamquam durus rex interrogans condemnasti,* scilicet impios. Ad Coloss. iii, 25 : *Non est personarum acceptio apud Deum,* quin æquo judicio justum judicet, et injustum. Act. x, 34 : *Non est personarum acceptor Deus.*

« *Qui autem diligit iniquitatem.* » Hic secundum quod pertinet ad responsionem, scilicet demeritum et afflictio malorum, hæreticorum scilicet : et tanguntur tria. Primo, demeritum malorum : secundo, obligatio eorum ad pœnam, ibi, « *Pluet.* » Tertio, quod consequens est ex iis duobus, pœna scilicet, ibi, « *Ignis et sulphur.* »

Dicit ergo : Talis justus potens sapiens et rectus, sed « *qui diligit iniquitatem,* » in affectu, non tantum qui exercet in actu, « *odit animam suam.* » Ex consequenti appellat iniquitatem peccatum generaliter, sicut I Joan. III, 4 : *Omnis, qui facit peccatum, et iniquitatem facit : et peccatum iniquitas est.* Vere autem odit, quia bonis gratuitis eam spoliat, et in naturalibus vulnerat, sicut significatum est, Luc. x, 30, in illo qui incidit in latrones, et spoliatus, et vulneratus est. Sap. XVI, 14 : *Homo occidit per malitiam*, scilicet animam suam. Si autem objiciatur illud : Nemo ad malum respiciens agit, quæ agit, et sic nullus, ut videtur, peccatum diligit. Respondendum, quod in peccato duo sunt, delectatio et deformitas, et hæc valde conjuncta sunt. Peccator ergo quia delectationem diligit in ipsa creatura, deformitatem ei adhærentem diligere dicitur quasi ex consequenti.

7 « *Pluet.* » Hic secundum, in quo monstratur obligatio iniquorum ad pœnam, et obligatio multa valde.

Dicit enim : Sic peccator animam suam odit, et vere, quia « *Dominus pluet laqueos,* » id est, obligationes ad pœnam, « *super peccatores.* » Pluere autem dicitur Dominus, non agendo, sed permittendo, et etiam ordinando, sic ut quicumque peccaverit, eo ipso obliget se ad pœnam. Hic est laqueus absconditus sub delectatione peccati. Psal. CXLI, 4 : *In via hac qua ambulabam, absconderunt laqueum mihi.* Et bene dicitur *pluere*, ut abundantia denotetur : non enim peccatores unica obligatione se obligant ad gehennam, sed multiplici : sic *pluere* notat abundantiam. Genes. XIX, 24 : *Dominus pluit super Sodomam et Gomorrham,* etc. Et in Job, XX, 23 : *Utinam impleatur venter ejus, ut emittat in eum iram furoris sui, et pluat super eum bellum suum.* In hoc autem quod dicitur, « *Super,* » oppressio et inclinatio ad infima denotatur, Isa. XLVI, 1 et 2 : *Onera vestra gravi pondere usque ad lassitudinem contabuerunt,* id est, contabescere fecerunt. Isa. XXIV, 17 : *Formido, et fovea, et laqueus super te, qui habitator es terræ.* Secundum Glossam laqueus appellatur hic illaqueans, de quo *laqueo*, Osee, V, 1 : *Audite hoc Sacerdotes... quia vobis judicium est, quoniam laqueus facti estis speculationi.* Eccli. LI, 3 : *A laqueo linguæ iniquæ, et a labiis operantium mendacium.* Quales laqueos Deus pluit, id est, pluere permittit de nubibus malis, hæreticis scilicet, et Pseudo-prophetis, de quibus Judas in Canonica, ℣. 12 : *Hi sunt... nubes sine aqua, quæ a ventis circumferentur, arbores autumnales,* etc. [1]. Et sic per hoc quod dictum est, « *Qui diligit iniquitatem,* » notatur omne demeritum quoad mores : hic autem quoad fidem.

Multiplex obligatio peccati ad pœnam.

« *Ignis, sulphur.* » Ecce tertium : tacto enim demerito et obligatione ad pœnam, subjungitur pœna, et tangitur triplex pœna respondens triplici radici peccatorum, de qua I Joan. II, 16 : *Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ.*

Ait enim : Sic iniquitatem dilexerunt, et ad pœnam obligati sunt. Ergo ignis gehennæ, de quo Job, XX, 26 : *Devorabit eum ignis, qui non succenditur.* Et Deut. XXXII, 22 : *Ignis succensus est in furore meo, et ardebit usque ad inferni novissima :* contra ignem cupiditatis, de quo Proverb. XXX, 16 : *Ignis numquam dicit : Sufficit.* Sulphur fœtidum, de quo Isa. XXXIV, 9 : *Et convertentur torrentes ejus in picem, et humus ejus in sulphur.* De utroque, scilicet igne et sulphure, Apoc. XIX, 20 : *Qui acceperunt chara-*

[1] Cf etiam II Pet. II, 1 ; et I Joan. IV, 1.

cterem bestiæ...vivi missi sunt in stagnum ignis ardentis sulphure: et hoc contra fœtorem luxuriæ, de quo Amos, IV, 10: *Ascendere feci putredinem castrorum vestrorum*, fere dixisset corporum, *in nares vestras* « *Spiritus procellarum* », id est, ventus procellosus, contra ventum superbiæ et elationis. Jerem. XXIII, 19: *Ecce turbo Dominicæ indignationis egredietur, et tempestas erumpens super caput impiorum veniet.* Hæc, inquam, erunt « *pars calicis eorum.* » Dicuntur autem pœnæ reproborum, « *pars,* » quia dividentur a bonis in judicio, illis pro parte accipientibus bona, istis mala. Et « *calicis:* » quia pœnæ infligentur eis in mensura. Isa. XXVIII, 8: *In mensura contra mensuram, cum abjecta fuerit, judicabis eam.* Propter hoc etiam dicit justus, Psal. XV, 5: *Dominus pars hæreditatis meæ, et calicis mei.* Pars etiam calicis hæc dicuntur: quia non erunt hæc tota pœna damnatorum, sed pars tantum. Erit in inferno gelu vel nix, Job, XXIV, 19: *Ad nimium calorem transeat ab aquis nivium.* Erunt vermes, Isa. LXVI, 24: *Vermis eorum non morietur.* Erunt tenebræ et laquei, Matth. XXII, 13: *Ligatis manibus, et pedibus ejus, mittite eum in tenebras exteriores.* Erunt flagella, Psal. XXXI, 10: *Multa flagella peccatoris.* Erit larvarum terror, Sapient. XVII, 4: *Personæ tristes illis apparentes pavorem illis præstabant.* Versus:

Flamma, gelu, fœtor, vermes, caligo, flagella,
Larvarum terror, laquei, mentisque procella,
Hæc sibi pro pœna servat sine fine gehenna.

Ecce miserabilis calix, et vere calix furoris Domini. Jerem. XXV, 15: *Sume calicem vini furoris hujus de manu mea: et propinabis de illo cunctis gentibus,* etc. Apoc. XVI, 19: *Babylon magna venit in memoriam ante Deum, dare illi calicem vini indignationis iræ ejus.* Glossa *ignem* refert ad cupiditatem in præsenti: *fætorem* appellat horrorem mali, quem habent Deus et ejus Sancti: *spiritum procellæ,* malorum separationem a bonis in die judicii.

« *Quoniam justus Dominus et justitias dilexit.* » Hic est tertia pars, in qua datur responsio: ostensa enim aptitudine puniendi ex parte justi, et, punitione ex parte impiorum, subjungitur causa et ratio puniendi malos, quæ est divina justitia, et dicuntur duo. Primo, pro causa ponitur divina justitia: secundo ostenditur, quod sit misericordiæ permixta, ibi, « *Æquitatem.* » Duplex etiam justitia tangitur, in effectu, postmodum in affectu, ibi, *Et justitias dilexit.* » 8

Ait ergo: Sic punientur mali et hoc fiet, « *quoniam Dominus justus est.* Alibi in Psal. CXLIV, 17: *Justus Dominus in omnibus viis suis.* Jerem. XXIII, 6: *Hoc est nomen, quod vocabunt eum, Dominus justus noster.* Zachar. IX, 9: *Ecce Rex tuus veniet tibi justus, et salvator.* Nec tantum in effectu, imo « *justitias dilexit* » in affectu. Justitias, inquam, creatas justorum hominum. Nec mirum est si justitias dilexit et diligit, quia eas animabus infudit, et suæ sunt: unde tamquam suas diligere debet illas. Proverb. VIII, 18: *Mecum sunt divitiæ, et gloria, opes superbæ, et justitia.* Et per hoc etiam diligit justos ipsos tamquam similes sibi. Eccli. XIII, 18: *Omne animal diligit simile sibi.*

« *Æquitatem vidit vultus ejus.* » Quasi diceret: Justus est et justitiam dilexit, sic tamen quod æquitatem, hoc est, justitiam misericordiæ mixtam « *vidit* » visione approbationis « *vultus ejus* », scilicet beneplacitum voluntatis illius. Alia littera: « Æquitas visa est in facie ejus: » sonat enim vultuositas in terrorem, ut ibi, Psal. XXXIII, 17: *Vultus autem Domini super facientes mala.* E contrario dicitur de iniquitate, Habac. I, 13: *Mundi sunt oculi tui ne videas malum, et respicere ad iniquitatem non poteris.* Nota, quod Glossa breviter totum legit de Christo.

PSALMUS XI.

Oratio pro imploranda Dei ope contra impios.

1. *In finem pro octava, Psalmus David.*
2. Salvum me fac, Domine, quoniam defecit sanctus, quoniam diminutæ sunt veritates a filiis hominum.
3. Vana locuti sunt unusquisque ad proximum suum: labia dolosa, in corde et corde locuti sunt.
4. Disperdat Dominus universa labia dolosa, et linguam magniloquam.
5. Qui dixerunt: Linguam nostram magnificabimus; labia nostra a nobis sunt. Quis noster Dominus est?
6. Propter miseriam inopum, et gemitum pauperum, nunc exsurgam, dicit Dominus.

   Ponam in salutari: fiducialiter agam in eo.
7. Eloquia Domini, eloquia casta[1]: argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum.
8. Tu, Domine, servabis nos, et custodies nos a generatione hac in æternum.
9. In circuitu impii ambulant. Secundum altitudinem tuam multiplicasti filios hominum.

[1] Proverb. xxx, 5.

IN PSALMUM XI

COMMENTARIUS.

1 *Psalmus David pro octava*[1].

Argumentum Psalmi: de persecutione hypocritarum pro octava, id est, die judicii, quo debet ecclesia liberari.

« *Salvum me fac Domine.* » Sicut superius dictum est, cum in antecedenti Psalmo determinatum sit de liberatione Ecclesiæ ab impugnatione hæreticorum, in hoc agitur consequenter de liberatione Ecclesiæ ab impugnatione hypocritarum impugnantium eam sub apparentia sanctitatis. Unde primum super id, ℣. 4 : « *Disperdat Dominus universa labia dolosa,* » Glossa : « Hi sunt hypocritæ habentes speciem bonitatis in sermone ad decipiendum homines. »

Et præponitur titulus huic Psalmo, qualis et sexto : « *Psalmus David pro octava.* » Octava autem, sicut superius dictum est, dies judicii appellatur : sed alia ratione ibi dicitur « *pro octava,* » et alia ratione hic. Ibi enim dicebant Psalmus *pro octava,* quia penitus timore judicii divini concussus petebat hic affligi, ut in octava securus esset : hic autem Psalmus David dicitur *pro octava,* quia petit Ecclesiam plene liberari ab hypocritis, quod fiet in octava, nihil jam timens sibi pro se, quia jam purgata est pœnitentia et perfecta. Cætera de titulo exponantur sicut supra[2].

Dividitur autem Psalmus iste in duas partes. Primo, petitur liberatio ab hypocritis. Secundo, subjungitur exauditio petitionis, ibi, « *Propter miseriam inopum.* »

Prima pars dividitur in duas partes. Primo, petitur liberatio ab hypocritis : secundo, ipsorum pœna et afflictio, ibi, « *Disperdat Dominus.* »

In prima duo. Primo petit, secundo ostendit quam necesse sit quod petit, ibi, « *Quoniam defecit Sanctus.* »

2 Prima pars Psalmi.

Dicit ergo : Sic liberatus sum, dicit justus in persona totius Ecclesiæ, ab hæreticis, sed o « *Domine salvum me fac,* » qui hoc potes solus. Isa. XLV, 21 : *Et salvans non est* Deus *præter me.* In eodem, XLIII, 11 : *Ego sum, ego sum Dominus, et non est absque me salvator.*

« *Salvum me fac,* » quoniam novisti salvare tuos, et eripere. II Pet. II, 9 : *Novit Dominus pios de tentatione eripere : iniquos vero in diem judicii reservare cruciandos.* « *Salvum me fac,* » etiam qui vis me salvare. I ad Timoth. I. 15 : *Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum*

---

[1] David composa ce psaume, non pas pendant la persécution de Saül (Bossuet, Tholuck), mais plus probablement à l'occasion de la révolte d'Absalon (Le Hir), ainsi que le donnent à penser les plaintes du psalmiste sur l'impiété et l'infidélité des hommes (℣. 2) qui ne veulent plus reconnaître d'autorité au-dessus d'eux (℣. 5). Dans son sens général, cette prière se peut placer sur les lèvres de tout juste en butte à la mauvaise foi et à la trahison, et n'attendant plus de secours que du côté de Dieu.

H. Lesêtre.

[2] Psal. VI, 1.

primus ego sum. Et ibidem, II, 4 : *Omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire.*

« *Quoniam defecit Sanctus.* » Hic ratio et causa et necessitas peritionis suæ, scilicet malitia hypocritarum, et comprehenditur in duobus. Primo, in defectu boni : secundo, in effectu mali consequente ex illo defectu, ibi, « *Vana locuti sunt.* » Defectus autem duplex tangitur. Primo, sanctitatis tantum ad affectum, secundo, veritatis quantum ad intellectum.

Dicit ergo sic : « *Salvum me fac Domine.* » Et necesse est, quoddes quod peto, « *quoniam defecit Sanctus,* » habens affectum sine terra. Michæ. VII, 2 : *Periit Sanctus de terra, et rectus in hominibus non est,* sed omnes immundi sunt. Isa. LXIV, 6 : *Facti sumus ut immundus omnes nos,* et corrupti. Psal. XIII, 1 : *Corrupti sunt, et abominabiles.* De hoc defectu conquerebatur Elias, III Reg. XIX, 10 : Domine, *altaria tua destruxerunt, prophetas tuos occiderunt gladio, derelictus sum ego solus.*

« *Quoniam diminutæ sunt veritates,* » non a seipsis, sed « *a filiis hominum :* » bona enim Dei per culpas hominum depravantur, et diminuuntur. Sed quærendum cum de sanctitate singulariter sit locutus, quare de veritate loquitur in plurali, « *Quoniam diminutæ sunt veritates ?* » sed est responsio, quod sanctitas una est, veritas autem multiplex, et non una. Veritas, dico, increata, illa est una, de qua dicitur, Joan. XIV, 6 : *Ego sum via, et veritas, et vita.* Creata autem triplex est : Vitæ, de qua dicitur, IV Reg. XX, 3 : *Memento quæso, quomodo ambulaverim coram te in veritate.* Doctrinæ, de qua Matth. XXII, 16 : *Magister, scimus quia verax es, et viam Dei in veritate doces.* Et justitiæ, de qua Exod. XVIII, 21 : *Provide de omni plebe viros potentes, et timentes Deum, in quibus sit veritas.* Sed hæc triplex veritas diminuitur per errorem triplicem. Veritas doctrinæ, quando lux dicitur tenebræ : veritas vero justitiæ, quando amarum dulce et dulce amarum. Isa. V, 20 : *Væ qui dicitis malum bonum et bonum malum,* contra veritatem vitæ, *ponentes tenebras lucem,* contra veritatem doctrinæ, *ponentes amarum in dulce, et dulce in amarum,* contra veritatem justitiæ. Amaritudo enim magna est ei, qui justitiam habet, quando fit ei injustitia. Amos, VI, 13 : *Convertistis in amaritudinem judicium, et fructum justitiæ in absinthium.* Propter hoc dicitur, Osee, IV, 1. *Non est veritas, et non est misericordia, et non est scientia Dei in terra.* Et nota, quod dicitur deficere sanctitas : ipsa enim per gratiam est, et a Deo : et propter hoc statim deficit multiplicato peccato : sed veritas quæ naturalis est, diminuitur successive.

Veritas triplex, vitæ, doctrinæ, et justitiæ, diminuta per triplicem errorem.

« *Vana locuti sunt.* » Hic tangitur duplex effectus sequens ex dicto duplici 3
defectu. Unus est locutio vana, quæ causatur ex defectu sanctitatis : alius, locutio dolosa, quæ causatur ex defectu veritatis.

Ait ergo : Sic Sanctus defecit, et hoc ostenditur : quia « *vana locuti sunt unusquisque ad proximum suum :* » quod ostendit mentis vanitatem. Gregorius : « Sermo vanus, vanæ mentis est nun« tius. » Vana etiam locuti sunt, quia de vanis et transitoriis. Isa. XXIX, 4 : *Et erit quasi pythonis de terra vox tua, et de humo eloquium tuum mussitabit.* Job, XXVII, 12 : *Quid sine causa vana loquimini ?* I ad Timoth. I, 6 : *Quidam aberrantes, conversi sunt in vaniloquium.*

« *Labia dolosa.* » Quasi diceret : Non solum vani sunt in loquendo, sed etiam quia veritates diminutæ sunt. « *Labia dolosa.* » Emphasis est, id est, habentes labia dolosa, garruli scilicet, et oblatrantes, « *locuti sunt in corde, et corde,* » hoc est, « *in corde* » unum prætendente per labia, « *et corde* » contrarium intus renuente. Eccli. II, 14 : *Væ duplici corde, et labiis scelestis, et peccatori ingredienti,*

etc. Jacob. i, 8 : *Vir duplex animo inconstans est in omnibus viis suis.* Propter hoc dicitur Jerem. ix, 4 : *Unusquisque se a proximo suo custodiat, et in omni fratre suo non habeat fiduciam : quia omnis frater supplantans supplantabit, et omnis amicus fraudulenter incedet.*

4 « *Disperdat Dominus.* » Hic secundum, in quo petita liberatione ab hypocritis. subjungitur petitio de pœna eorum et afflictione. Et primo petit pœnam respondentem secundo, effectui : secundo, respondentem primo, ibi, « *Et linguam.* »

Dicit ergo : Sic loquuntur in corde duplici, sed peto quod « *Dominus disperdat universa labia dolosa,* » hoc est, universos dolosos in labiis, quod et faciet. Sophon. iii, 13 : *Non invenietur in ore eorum lingua dolosa.* Ratio autem quare destruit : quia odit. Proverb. xii, 22 : *Abominatio est Domino labia mendacia.* Isa. xxxvii, 29 : *Ponam circulum in naribus tuis, et frænum in labiis tuis.*

« *Et linguam.* » Ecce secundum, et dicuntur duo. Primo, eorum pœna et afflictio secundum duplicem rationem : secundo, afflictionis ratio, ibi, « *Qui dixerunt.* »

Dicit ergo sic : Disperdat duplices, sed et vanos, et jactantes se, scilicet « *linguam magniloquam,* » magna scilicet de se loquentem : contra illud I Reg. ii, 3 : *Nolite multiplicare loqui sublimia, gloriantes.* Proverb. xxvii, 2 : *Laudet te alienus, et non os tuum.* Super hoc enim arguuntur, Matth. xxiii, 5 : *Dilatant enim phylacteria sua, et magnificant fimbrias.* Hi sunt hypocritæ, sicut dicit Glossa. Bernardus : « Monstruosa res est « gradus summus, animus infimus : se« des prima, et vita vana : lingua magni« loqua, et manus otiosa : vultus gravis, « et levis sermo : vultus formosus, et « fructus nullus : ingens auctoritas, nu« tans stabilitas. » Et rursus : « Super « oleum blanda verba, vilis cibus, hu« milis habitus, sagena hypocritæ. » Talis linguæ duplex est pœna. Primo auferetur de terra, Sophon. iii, 11 : *Auferam de medio tui magniloquos superbiæ.* Ablata perdetur et damnabitur sicut hic dicitur, « *Disperdat linguam magniloquam.* » Perdita desolabitur, Isa. xi, 15 : *Desolabit Dominus linguam maris Ægypti.* Desolata ligabitur, Job, xl, 20 : *An fune ligabis linguam ejus ?* Ligata manducabitur, Apoc. xvi, 10 : *Commanducaverunt linguas suas præ dolore.*

« *Qui dixerunt.* » Ecce ratio disper- 5
dendi linguam magniloquam, et tangitur duplex : jactantia et simulatio de bono non habito, arrogantia et appropriatio sibi boni habiti, ibi, « *Labia nostra.* »

Dicit ergo : Sic disperdet, et ratio est, quia illi qui habent talem linguam, « *dixerunt* » se jactando, « *linguam nostram magnificabimus* », ostendentes scientiam nostram : hoc enim proprium est hæreticorum. Hieronymus in *Prologo Bibliæ :* « Alii abducto supercilio grandia verba « trutinantes inter mulierculas de sacris « litteris philosophantur, ut magnificent « linguam suam, et non Deum, contra « illud Isa. xxiv, 15 : « *In doctrinis* « *glorificate Dominum,* non vos ipsos. » Eccli. li, 30 : *Dedit mihi Dominus linguam mercedem meam : et in ipsa laudabo eum.* Tales sunt qui subtilia quærunt ad gloriam : tandem confundentur. Isa. xix, 9 : *Confundentur qui operabantur linum, pectentes, et texentes subtilia.*

« *Labia nostra.* ». Hic arrogantia, et primo bonum appropriant sibi. Secundo innuunt, quod illud a Deo non habent, ibi, « *Quis noster ?* »

Dicit ergo : Sic superbiunt et etiam tamquam arroganter dicunt : « *Labia nostra,* » sermo scilicet discretionis et prudentiæ, « *a nobis est :* » contra illud I ad Corinth. iv, 7 : *Quid habes quod non accepisti ?... Quid gloriaris, quasi non*

acceperis? Sic ipsa sibi labia arrogando animam interficiunt. Prov. XVIII, 7: *Os stulti contritio ejus: et labia ipsius ruina animæ ejus.*

« *Quis noster Dominus est?* » ut hæc nobis tribuat. Quasi diceret: Nullus. Hæc est arrogantia Pharaonis, Exod. V, 2: *Quis est Dominus, ut audiam vocem ejus, et dimittam Israel? nescio Dominum, et Israel non dimittam*: sicut et multorum divitum qui bene repleti sunt divitiis. Propter quod Salomon, Prov. XXX, 8: *Tribue tantum victui meo necessaria: ne forte satiatus illiciar ad negandum, et dicam: Quis est Dominus?* Job, XXI, 15: *Quis est Omnipotens, ut serviamus ei?* E contrario, Isa. L, 4: *Dominus dedit mihi linguam eruditam ut sciam sustentare eum, qui lassus est verbo.* Non eam habeo a meipso, nec ab aliquo alio, nisi a Deo. II Machab. VII, 22 et 23, dixit fortis mulier filiis suis: *Nescio qualiter in utero meo apparuistis: neque enim spiritum et animam donavi vobis et vitam, et singulorum membra non ego ipsa compegi, sed enim mundi Creator, qui formavit hominis nativitatem, quique hominum invenit originem.*

6 Secunda pars Psalmi.

« *Propter miseriam inopum.* » Hic est secunda pars Psalmi, in qua præmissa petitione subjungitur promissio adimplendi quod petitum est: et dicuntur duo. Primo, responsio Domini promittentis liberationem. Secundo Prophetæ, vel viri justi congratulatio pro certo exspectantis adimpletionem, ibi, « *Tu Domine servabis nos.* »

In parte prima tanguntur quatuor. Primo, motivum ad promittendam liberationem: et secundo, promissio, ibi « *Nunc exsurgam.* » Tertio, per quem fiet liberatio, ibi, « *Ponam in salutari.* » Quarto, qualiter per illum, ibi, « *Fiducialiter.* »

Dicit ergo: Sic affligunt fallaces hypocritæ justos et opprimunt: sed « *Dominus dicit* », interius in corde meo inspirando, vel interius per Scripturas propheticas promittendo, qui nulla ratione mentiri potest. Psal. CXLIV, 13: *Fidelis Dominus in omnibus verbis suis.* Numer. XXIII, 19: *Non est Deus quasi homo, ut mentiatur: nec ut filius hominis, ut mutetur.* II ad Timoth. II, 13: *Fidelis* Deus *permanet, negare seipsum non potest.*

« *Propter miseriam inopum,* » quam sustinent exterius, « *et gemitum pauperum,* » qui est signum quod afflicti sunt interius, « *nunc,* » id est, cito « *exsurgam* » ad liberandum. Exod. III, 7 et 8: *Vidi afflictionem populi mei* qui est *in Ægypto.... et descendi ut liberem eum.* Inopes enim, scilicet humana ope destitutos, et pauperes, rebus humanis scilicet vacuos, Deus non despicit quando gemunt. Supra in Psal. X secundum Hebræos, 17: *Desiderium pauperum exaudivit Dominus.* Eccli. XI, 12 et 13: *Est homo marcidus egens recuperatione, plus deficiens virtute, et abundans paupertate: et oculus Dei respexit illum.* Et nota, quod est duplex miseria: culpæ, et hæc duplex. Originalis, Job, III, 20: *Quare misero data est lux,* præsentis vitæ? Et actualis, Prov. XIV, 34: *Miseros facit populos peccatum.* Apocalyp. III, 17: *Nescis, quia tu es miser, et miserabilis, et pauper, et cæcus, et nudus.* Et pœnæ, et hæc duplex. Pœnæ contractæ, quæ duplex est. Corporis, et hæc duplex. Passibilitatis, Job, XIV, 1: *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis.* Mortis, Isa. XVI, 4: *Finitus est pulvis, consummatus est miser,* id est, mortuus. Et animæ, quæ triplex. Ignorantiæ vel erroris, Job, XXX, 3 et 4: *Squalentes calamitate et miseria. Et mandebant herbas, et arborum cortices.* Pronitatis ad malum, In Psal. XXXVII, 7: *Miser factus sum et curvatus sum.* Infirmitatis ad resistendum malo, Job, XXX, 14: *Aperta janua irruerunt super me, et ad meas miserias devoluti sunt.* Pœna illata duplex. Temporalis, Genes. XLIII, 6: *In meam hoc fecistis miseriam, ut indicaretis ei et alium habere vos fra-*

Multiplex miseria, pœnæ et culpæ.

trem. Et æterna, Sophon. I, 15 : *Dies iræ dies illa, dies tribulationis et angustiæ, dies calamitatis et miseriæ.*

« *Ponam in salutari.* » Tertium est in quo determinat, per quem liberabit.

Ait enim sic : Miseriis et gemitu pauperum motus « *exsurgam,* » et « *ponam in salutari,* » paupertum auxilium et consolationem. In illo, inquam, salutari quod exspectabat Jacob, Genes. XLIX, 18 : *Salutare tuum exspectabo, Domine.* Hoc salutari est assumptus homo in unitatem personæ. Unde Psal. LXI, 3 : *Ipse Deus meus et salutaris meus.* Et nota, quod non dicit quid ponet, ut ostendat se in eo expositurum quidquid pauperibus et miseris est utile et necessarium, quia ad Colos. II, 3 : *In ipso sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi :* quia, sicut dicit Bernardus : « Venit Salvator « ad perditos, veritas ad deceptos, erran« tibus via, mortuis vita, lux caliganti« bus, et virtus pugnantibus. » In hoc etiam salutari tamquam in portitore, et paxillo pauperes et miseros posuit Deus Pater. Isa. XXII, 23 et 24 : *Figam illum paxillum.* Et post pauca : *Et suspendent super eum omnem gloriam domus patris ejus, vasorum diversa genera, omne vas parvulum, a vasis craterarum usque ad omne vas musicorum.* Vasorum diversa genera sunt diversa fidelium corda : vasa parvula sunt humiles : vasa craterarum, prædicatores : vasa vero musicorum, Deo gratias referentes et ipsum laudantes.

Meritorum Christi opulentia.

Vasorum diversa genera moraliter explicata.

« *Fiducialiter* » Ecce quartum, in quo ostendit qualiter per illum liberabit, et per quæ. Et tanguntur duo. Primo potentia, secundo doctrina, ibi « *Eloquia Domini.* » Per potentiam quod eripiet ab oppressione, per doctrinam ab errore.

Dicit ergo : Sic « *in salutari ponam* » liberationem, et « *agam in eo,* » id est, per eum, « *fiducialiter,* » id est, potentialiter, et fortiter, fortitudine in qua fidendum est. Et hoc verum est : quanta enim potentia fuerit in Christo, ostenderunt ejus miracula : *omnia* enim *quæcumque voluit,* Dominus *fecit* [1]. Non enim erat in sermone totus, sicut Scribæ et Pharisæi, sed in potestate. Matth. VII, 28 : *Erat enim docens eos, sicut potestatem habens, et non sicut Scribæ eorum, et Pharisæi.* Luc. XXIV, 19 : Erat vir *potens in opere et sermone coram Deo, et omni populo.*

« *Eloquia Domini.* » Hic subjungitur de doctrina hujus salutaris, quæ est duplex. Primo, quantum ad illuminationem intellectus per hæc quæ pertinent ad fidem : secundo, quantum ad formationem effectus quantum ad hæc quæ pertinent ad bonos mores.

Duplex doctrina, fidei et morum.

Dicit ergo : Sic erit potens : et etiam « *Domini* » salutaris erunt « *eloquia casta,* » non corrupta, tamquam aliquid infidelitatis habentia : sicut illorum quibus dicitur in Psal. XIII, 1 : *Corrupti sunt, et abominabiles facti sunt in studiis suis.* Casta etiam : quia sine admixtione perversæ intentionis, et simulationis, qualia non sunt eloquia prædicantium pro quæstu temporali. II ad Cor. II, 17 : *Non sumus sicut plurimi, adulterantes verbum Dei, sed ex sinceritate, sed sicut ex Deo, coram Deo, in Christo loquimur.*

« *Argentum.* » Hic ostenditur puritas doctrinæ quantum ad informationem affectus per comparationem ad argentum purificatum triplici purificatione, quæ debet esse similiter in sermone mores informante. Est enim purgatio argenti in separatione ejus a plumbo, vel stanno, vel metallo alio : in purgatione a terra ;

[1] Psal. CXIII, 3.

et in purgatione a fæce propria, scilicet scoria.

iplex ar-nti purga-o, doctri-e accomo-data

Dicit ergo : Sic sunt « *eloquia* » ad fidem pertinentia, « *casta,* » et sunt etiam « *argentum igne examinatum,* » ut a metallo alio separetur : « *probatum terræ,* » id est, a terra separatum : « *purgatum septuplum,* » id est, perfecte a scoria et propria fæce. Nota, quod eloquia divina mores informantia argento comparantur : quia sicut nihil est quod dulcius tinniat argento, sic nihil dulcius sonat morali eloquio. Proverb. x, 20 : *Argentum electum, lingua justi,* hoc est, doctrina. Job, xxvii, 17 : *Argentum innocens dividet.* Ad innocentes enim pertinet alios in moribus informare. Argentum, sacra Scriptura est. Job, xxviii, 1 : *Habet argentum,* morale scilicet eloquium, *venarum suarum principia : et auro,* doctrinæ scilicet de divinis et pertinentibus ad fidem, *locus est, in quo conflatur.* Hoc argentum purgari debet purgatione triplici. A favore humanæ laudis, tamquam ab alio metallo : ab affectu terreno, et a fæce gloriæ inanis, ut nec in seipso aliquis glorietur de aliorum informatione.

Exemplum Pauli sic purgantis eloquium.

Sic dividebat Paulus hoc argentum. I ad Thessal. ii, 5 et 6 : *Neque enim aliquando fuimus in sermone adulationis,* ecce purgatio a favore : *neque in occasione avaritiæ : Deus testis est,* ecce purgatio a terrenis : *nec quærentes ab hominibus gloriam,* ecce purgatio a fæce.

Argentum perfecte purgatum est, quando homo facit quod docet. Sophon. i, 11, dicitur : *Disperierunt omnes* qui *involuti* sunt *argento.* Deut. xvii, 17 : *Non habebit scilicet Rex, auri et argenti immensa pondera.* Doctor enim non debet habere verba, auditores onerantia difficultate et gravitate propria Advocati et mali Theologi. Jerem. vi, 30 et 29 : *Argentum reprobum vocate eos ; malitiæ eorum non sunt consumptæ.* Bona est theologia, bonæ sunt Decretales, sed rubiginantur per malitiam Theologorum, et Advocatorum malorum. Proverb. xxv, 4 : *Aufer rubiginem de argento, et egredietur vas purissimum.* Genes. xxiii, 16 : *Appendit Abraham quadringentos siclos argenti probatæ monetæ publicæ.*

« *Tu Domine servabis nos.* » Ecce se- 8
cundum hujus partis, scilicet congratulatio pro promisso liberatore tam potenti et tam sapienti : et tangitur triplex beneficium : primum, conservatio in bono habito : secundum, custodia a malo, ibi, « *Et custodies nos.* » Tertium, multiplicatio in bono et conservatio, ibi, *Secundum altitudinem.*

Dicit ergo : Sic promittis, o Domine : et vere sic erit, quia o « *tu Domine servabis nos,* » justos qui sumus membra tua, in bono quod habemus. Prov. iv, 6 : *Fili,... non dimittas sapientiam, et custodiet te : dilige eam, et conservabit te.* Joan. xvii, 12 : *Pater,... cum essem cum eis, ego servabam eos.* Servat autem Dominus suos, quando dat gratiam adimplendi mandata, quia ipsa custodita servant. Eccli. xv, 16 : *Si volueris mandata servare, conservabunt te.*

« *Et custodies nos ?* » Ecce secundum : et tanguntur duo. Custodia a malis ne impellant ad culpam. Secundo, ostendit necessitatem sic custodiendi, ibi, « *In circuitu.* »

Dicit ergo : Sic « *servabis nos* » in bono, « *et custodies nos a generatione hac,* » scilicet mala, ne nos inficiant et trahant ad culpam per flagella. Et nota, quod generatio cum tali adjectione, « *hac,* » significat generationem malam, sicut cum dicitur, « filii hujus sæculi, » significantur mali. Luc. xvi, 8 : *Filii hujus sæculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt.* « *Ab hac* ergo *generatione custodies nos.* » Sap. ix, 11 : *Deducet me in operibus meis sobrie, et custodiet me in sua potentia.* Propter hoc dicitur *custos* Christus. Isa. xxi, 11 : *Custos quid de nocte ? custos quid de nocte ?* Et se Samaritanum non negavit, qui interpretatur *custos.* Joan. viii, 48 et 49 : *Nonne bene dicimus nos quia Samaritanus es*

tu, et dæmonium habes? Respondit Jesus : Ego dæmonium non habeo. « *Custodies* » autem non tantum in hoc tempore, sed « *in æternum.* » Vel custodies tendere faciens in æternum, id est, in id quod æternum est. Et nota ordinem. Cum enim descripsisset sermonis divini puritatem, recte subjunxit sermonem de conservatione et custodia. Sermo enim Dei conservat in bono, juxta illud Sap. xvi, 26 : *Sermo tuus, hos, qui in te crediderint, conservat*, et custodit a malo : quippe,Prov. xxx, 5 : *Sermo Dei ignitus, clypeus est sperantibus in se.*

Series versuum.

9 « *In circuitu.* » Quasi sic diceret : Conservas, et necesse est, quia impii ambulant in circuitu justorum, ut ipsos pervertant, sicut pater eorum diabolus. I Pet. v, 8 : *Adversarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret.* Thren. I, 17 : *In circuitu ejus hostes ejus* : circumeunt enim mali circuitu malo, sicut circumeunt boni circuitu bono, et sicut circuit Deus. Est ergo circuitus malorum circuitus cupiditatis et avaritiæ, de quo hic. Isa. xix, 14 : *Dominus miscuit in medio ejus*, scilicet Ægypti, *spiritum vertiginis.* Psal. LXXXII, 14 : *Deus meus, pone illos ut rotam.* Et est circuitus carnalis delectationis et luxuriæ, sicut circuierunt Sodomitæ domum Loth, Gen. xix, 4 : *Viri civitatis vallaverunt donum a puero usque ad senem omnis populus simul.* Et est circuitus ambitionis et superbiæ, de quo Bernardus : « Circuit sedulus explorator, si « quomodo se mergat in patrimonium « Crucifixi. » Job, I, 7 : *Circuivi terram, et perambulavi eam.* Sed bonus circuit circuitu bono, circuitu scilicet discussionis propriæ conscientiæ, secundum consilium Isaiæ, xxiii, 16 : *Sume citharam, circui civitatem. Sume citharam*, id est, decem mandatorum adimple jussionem. *Circui civitatem*, propriam scilicet conscientiam. Et circuitu devotionis, in Psal. xxxvi, 6 : *Circuivi, et immolavi in tabernaculo ejus hostiam vociferationis.* Et circuitu contemplationis, Sap. viii, 18 : *Circuibam quærens, ut mihi illam assumerem.* Cant. iii, 2 : *Surgam, et circuibo civitatem : per vicos et plateas quæram quem diligit anima mea.* Deus etiam circuit omnia sustentando, Eccli. xxiv, 8 : *Gyrum cœli circuivi sola.* Suos protegendo, Zachar. ii, 5 : *Ego ero ei, ait Dominus, murus ignis in circuitu : et in gloria ero in medio ejus.* Circuit etiam quærendo dignos se, Sap. vi, 16 : *Qui vigilaverit propter illam, cito securus erit.* Quoniam dignos seipsa circuit quærens, et in viis suis ostendet se illis hilariter.

Multiplex circuitus bonus et malus.

« *Secundum altitudinem tuam.* » Ecce tertium beneficium. Quasi diceret : Non tantum servabis, nec custodies, sed « *multiplicasti,* » præteritum pro futuro, « *filios hominum,* » non in malo, secundum opera eorum, sed in bono, « *secundum altitudinem tuam.* » Est enim multiplicatio temporalis, quæ mala est. Supra, Psal. iv, 8 : *A fructu frumenti, vini et olei sui, multiplicati sunt.* Et Isa. ix, 3 : *Multiplicasti gentem, non magnificasti lætitiam.* Et est multiplicatio spiritualis, in bonis scilicet spiritualibus, quæ bona est, de qua loquitur hic. Et Genes. xxii, 17 : *Multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli.* Et hoc « *secundum altitudinem tuam,* » tuæ scilicet sapientiæ, de qua ad Rom. xi, 33 : *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei.* Et secundum altitudinem bonitatis tuæ, de qua in Psal. LXXIV, 6 : *Nolite extollere in altum*, id est, contra altum excellentissima bonitate, *cornu vestrum*, id est, potentiam vestram : quia dicitur alibi, in Psal. LXIII, 7 et 8 : *Accedet homo ad cor altum,... et exaltabitur Deus*, supple, super illum.

PSALMUS XII.

Deprecatio animæ fidelis in tribulatione.

1. *In finem, Psalmus David.*
Usquequo Domine, oblivisceris me in finem? Usquequo avertis faciem tuam a me?
2. Quamdiu ponam consilia in anima mea, dolorem in corde meo per diem?
3. Usquequo exaltabitur inimicus meus super me?
4. Respice, et exaudi me, Domine Deus meus.
Illumina oculos meos, ne umquam obdormiam in morte:
5. Nequando dicat inimicus meus: Prævalui adversus eum.
Qui tribulant me exsultabunt si motus fuero:
6. Ego autem in misericordia tua speravi.
Exsultabit cor meum in salutari tuo. Cantabo Domino qui bona tribuit mihi: et psallam nomini Domini altissimi.

IN PSALMUM XII

COMMENTARIUS.

1 *In finem, Psalmus David*[1].

Argumentum Psalmi: persecutio tyrannorum.

« *Usquequo Domine.* » Psalmus duodecimus est, in quo agitur de liberatione Ecclesiæ a persecutione quam patitur ab inimico per tyrannos : et proponitur huic Psalmo titulus communis et frequenter expositus, « *In finem Psalmus David.* »

Psalmus autem iste dividitur in tres partes. Primo, conquestio viri justi in persona Ecclesiæ de afflictione quam sustinet. Secundo supplicatio, ut Deus eam cito liberet, ibi, « *Respice et exaudi me.* » Tertio, orantis devotio et confidentia de impetrando quod petit, ibi, « *Ego autem in misericordia.* »

In parte prima tria dicuntur, secundum tria mala de quibus conqueritur. Primum, oblivio sui a Deo, et quasi aversio Dei a se. Secundum, anxietatis magnitudo, ibi, « *Quamdiu ponam.* » Tertium, diuturnitas et duratio regni inimici, ibi, « *Usquequo exaltabitur.* »

In prima duo tanguntur. Primo, conqueritur de oblivione, qua videtur oblita a Deo. Secundo, de indignatione, qua videtur ei indignari, ibi, « *Usquequo avertis.* »

Dicit ergo : « *Usquequo Domine, oblivisceris me* usque *in finem* » mundi, quando missurus es Filium Salvatorem et liberatorem : Filius enim missus est in fine temporum. Ad Gal. IV, 4 : *At ubi venit plenitudo*, id est, adimpletio *temporis, misit Deus Filium suum.* I Joan. II, 18 : *Filioli, novissima hora est.* I ad Cor. X, 11 : *Hæc autem omnia... scripta sunt ad correptionem nostram, in quos fines sæculorum devenerunt.* Sed hoc « *usque,* » id est, quamdiu durabit hæc oblivio ? Sancti enim quamvis veraciter scirent non cadere in Dominum oblivionem, tamen ardore desiderii quod habebant de adventu Filii se oblitos clamabant. Unde illud Isa. XLIX, 14 et 15 : *Dixit Sion : Dereliquit me Dominus, et Dominus oblitus est mei.* Sed Dominus respondet statim : *Numquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui ? et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui.*

« *Avertis.* » Quasi diceret : Non tantum oblivisceris, sed « *avertis* » tamquam indignans et abjiciens me, « *faciem tuam a me,* » scilicet præsentiam tuam, vel Filium qui dicitur facies Dei Patris, quia sicut per faciem cognoscitur homo, ita per Filium Deus Pater cognitus est mundo. Joan. XVII, 4 : *Pater, ego te clarificavi*

[1] David poursuivi par les ennemis, probablement sur la fin de la persécution de Saül (Hitzig, Tholuck, Patrizi, Beelen, etc.) composa ce psaume pour implorer le secours de Dieu qui semblait le délaisser. Malgré la rude épreuve à laquelle il est soumis, il ne se décourage pas, et il espère chanter bientôt le cantique de la délivrance. David est ici l'image du chrétien assailli par ses ennemis spirituels, mais toujours rempli de foi et d'espérance dans le secours divin.

H. Lesêtre.

super terram : opus consummavi quod dedisti mihi. Hæc facies desiderabilis, quam tantopere desiderabat Moyses, Exod. XXXIII, 13 : *Ostende mihi faciem tuam, ut sciam te, et inveniam gratiam ante oculos tuos.* Sed hoc « *Usquequo* ? » Psal. XLIII, 24 : *Quare faciem tuam avertis, oblivisceris inopiæ nostræ, et tributionis nostræ* ? Flagrabant autem desiderio præsentiæ Filii antiqui sancti inter multas rationes propter quatuor. Primo, ut eis Deus Pater placaretur per eum, Job, IX, 33 : *Non est qui utrumque valeat arguere, et ponere manum suam in ambobus*, nisi filius factus homo. Secundo, ut ipse Deus frater videretur, Cant. VIII, 1 : *Quis mihi det te fratrem meum, sugentem ubera matris meæ.* Tertio, ut legis duritia tolleretur per eum, Job, IX, 34 : *Auferat a me virgam suam*, legis scilicet duritiam, *et pavor ejus non me terreat.* Act. XV, 10 : *Quid tentatis Deum, imponere jugum super cervices discipulorum, quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus ?* Quarto, ut diaboli virtus debilitaretur, de quo hic proprie. Isa. LXIV, 1 : *Utinam disrumperes cœlos et descenderes : a facie tua montes*, scilicet tyranni et dæmones, *diffluerent.*

[margin: ...r antiqui ...res Chri... ...i adven... ...m optabant ?]

2 « *Quamdiu ponam.* » Hic secundum, in quo conqueritur de anxietate quam sustinet, et hac duplici. Sollicitudinis quæ respicit intellectum, et doloris quæ respicit ad affectum, ibi, « *Dolorem in corde.* »

Dicit ergo : Sic conqueror de tua duritia, sed et « *quamdiu ponam*, » cum sollicitudine ordinando, et quærendo « *consilia* » varia et diversa, et hoc « *in anima mea*, » in meo scilicet intellectu. Dicit enim Hieronymus, hoc exponendo, quod « antiqui Sancti diversa quærebant « consilia, modo orationum, modo sacri- « ficiorum, modo circumcisionis, et alio- « rum sacramentorum legis, qualiter « possent a miseriis et oppressionibus li- « berari : sed hæc parum fructuosa erant « eis. » Isa. XVI, 3 : *Ini concilium, coge concilium.* Sed in cap. VIII, 10, dicitur, *Inite concilium, et dissipabitur.*

« *Dolorem.* » Repete, et « *quamdiu ponam* » desiderando, sperando, spe protracta, et dilata, « *dolorem in corde meo*, » id est, in affectu. Sancti enim ipso suo desiderio, ipsa sua spe quodammodo torquebantur, et adhuc torquentur : quia Prov. XIII, 12, dicitur : *Spes quæ differtur, affligit animam.* Propter hoc dicebat David alibi, in Psal. XXXVII, 18 : *Dolor meus in conspectu meo semper.* Jerem. XV, 18 : *Quare factus est dolor meus perpetuus, et plaga mea desperabilis* ? Et Habac. I, 2 et 3 : *Usquequo Domine, clamabo, et non exaudies ? vociferabor ad te vim patiens, et non salvabis ? Quare ostendisti mihi iniquitatem, et laborem, videre prædam et injustitiam contra me* ? Et hoc « *per diem*, » hanc scilicet temporalem et transitoriam. Vel « *per diem*, » id est, per prosperitatem, Et est aggravatio : magnus enim dolor est, qui per prosperitatem non temperatur. Sic enim dies dicitur in Psal. CXX, 6, ubi dicitur : *Per diem sol non uret te, neque luna per noctem.*

« *Usquequo exaltabitur.* » Ecce tertium, conquestio scilicet de diuturna inimici exaltatione. 3

Ait enim : Sic conqueror de prædictis, et etiam « *inimicus meus exaltabitur super me*, » et hoc « *usquequo* ? » Inimicus, inquam, spiritualis, scilicet diabolus. Matth. XIII, 28 : *Inimicus homo hoc fecit.* Cujus inimicitiæ contra me sunt firmatæ fere ab initio mundi, sicut dictum est Genes. III, 15 : *Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius.* Hic exaltatus est super me : quia pluribus dominatur quam ego. Job, XLI, 25 : *Ipse est rex super universos filios superbiæ.* Omnes enim a te per peccatum declinantes, superbi sunt. Psal. XIII, 3 : *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt.* Eccle. I, 15 : *Stultorum infi-*

nitus est numerus. Proverb. xiv, 28 : *In multitudine populi, dignitas regis.* Propter hoc gloriatur Isaias, x, 13 et 14, et dicit : *Detraxi quasi potens in sublimi residentes. Et invenit quasi nidum manus mea fortitudinem populorum : et sicut colliguntur ova, quæ derelicta sunt, sic universam terram ego congregavi, et non fuit qui moveret pennam, et aperiret os, et ganniret.* Mundus inimicus, I Joan. iii, 13 : *Nolite mirari fratres, si odit vos mundus.* Hic prævalet versutia et calliditate, Luc. xvi, 8 : *Filii hujus sæculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt.* Inimicus etiam est caro, Ad Galat. v, 17 : *Caro concupiscit adversus spiritum : spiritus autem adversus carnem :... ut non quæcumque vultis, illa faciatis.* Ergo hic inimicus exaltatus est super me, cum cogit facere malum quod nolo, nec sinit facere bonum quod volo. Ad Rom. vii, 15 : *Non enim quod volo bonum, hoc facio : sed quod nolo malum, hoc ago.* Et « *usquequo ?* » quamdiu vivimus : non enim remotus est carnis stimulus a Paulo, quamvis non tantum semel, sed et ter rogasset [1]. Ad Rom. vii, 24 : *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Eccli. xl, 1 : *Jugum grave super filios Adam a die exitus de ventre matris eorum, usque in diem sepulturæ in matrem omnium.*

4 Secunda pars Psalmi. « *Respice et exaudi me.* » Hic est secunda pars totius Psalmi, in qua subjungitur supplicatio pro liberatione, et petuntur quinque contra quinque incommoda, de quibus superius est conquestus. Primo, quod respiciat Deus contra hoc quod dictum est, « *Avertis faciem.* » Secundo, quod exaudiat contra hoc quod dictum est, « *Oblivisceris me.* » Tertio, quod illuminet contra hoc quod dictum est, « *Quamdiu ponam.* » Ubi etiam tanguntur duo. Primo, petitur illuminatio oculorum contra hoc quod dictum est, « *Quamdiu ponam consilia.* » Secundo, amotio pigritiæ et perseverantiæ in peccato contra hoc, « *Dolorem in corde.* » Quarto, amotio lætitiæ inimici, ibi, « *Nequando dicat.* » Contra hoc quod dictum est, « *Usquequo exaltabitur.* »

Dicit ergo : Sic affligor, sed o tu « *Domine, Deus meus :* » « *Domine,* » qui potes : « *Deus,* » qui scis : « *meus,* » et ob hoc velle debes, « *respice,* » faciem convertendo, quam videris avertisse. Eccli. xxxvi, 1 : *Miserere nostri Deus omnium, et respice nos.* « *Et exaudi me,* » qui videris oblivioni tradidisse, sicut clamantes filios Israel exaudisti. Exod. ii, 24 et 25 : *Audivit Dominus gemitum eorum, et recordatus est fœderis,... et respexit filios Israel.* Psal. lxviii, 17 : *Exaudi me Domine, quoniam benigna est misericordia tua.* Et nota, quod competenter postquam præmissa est conquestio afflicti, subjungitur supplicatio : hoc est enim singulare remedium afflictorum. Osee, vi, 1 : *In tribulatione sua mane consurgent ad me.* Jacob. v, 13 : *Tristatur aliquis vestrum? oret : æquo animo est? psallat.* Sed aliqui sunt qui convertunt se ad vaniloquia. Jerem. vii, 8 : *Ecce vos confiditis vobis in sermonibus mendacii, qui non proderunt vobis.* Alii ad voluptuosa, contra quos Eccle. vii, 4 : *Melior est ira risu.* Alii ad murmura, contra quos Sapient. i, 11 : *Custodite vos a murmuratione, quæ nihil prodest.* Alii ad blasphemias, quod pessimum est. Apoc. xvi, 11 : *Et blasphemaverunt Deum cœli, præ doloribus et vulneribus suis, et non egerunt pœnitentiam ex operibus suis.* Conversiones pravæ.

« *Illumina oculos meos.* » Interiores scilicet, ut jam non quæram diversa consilia. Psal. xxxiii, 6 : *Accedite ad eum*

[1] Cf. II ad Corinth. xii, 8.

et illuminamini. Ipse enim Deus lux est, I Joan. I, 5 : *Deus lux est, et tenebræ in eo non sunt ullæ.* Sol est, Sapient. v, 6 : *Sol intelligentiæ non est ortus nobis.* Stella lucida, Apoc. II, 28 : *Qui vicerit, dabo ei stellam matutinam.* Ignis est, Deuter. IV, 24 : *Deus tuus, ignis consumens est.* Et lux oculos cordis illuminat, II ad Cor. IV, 6 : *Deus, qui dixit de tenebris lumen splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ claritatis.* Et nota, quod petit illuminari oculos, non oculum. Oculum intellectus lumine virtutis, de quo in Psal. XLII, 3 : *Emitte lucem tuam, et veritatem tuam.* Oculum affectus lumine justitiæ et veritatis, de quo Sap. v, 6 : *Justitiæ lumen non luxit nobis.* Sed sunt multi habentes illuminatum sinistrum oculum, scilicet affectum, similes Balaam. Numer. XXIV, 3 : *Dixit homo, cujus obturatus est oculus.* Similes etiam Anti-Christo, de quo Zachar. XI, 17 : *Oculus dexter ejus tenebrescens obscurabitur.* Hi sunt qui percusserunt fœdus cum Naas [1], quod interpretatur *serpens,* id est cum diabolo, ut erueret oculos eis dextros.

« *Ne umquam obdormiam in morte,* » id est, ne umquam moriar in dolore in quo sum pro dilatione, contra illud quod dictum fuit, « *Quamdiu ponam dolorem,* etc. » Vel, « *ne obdormiam* » somnolentia et torpore, « *in morte* » culpæ. Proverb. VI, 9 : *Usquequo, piger, dormies ?* Et ad Ephes. v, 14 : *Surge, qui dormis, et exsurge a mortuis,* etc. Peccatum autem bene somno comparatur. « Somnus enim, sicut dixit Averroes, « ligamentum est « virtutis sensitivæ : » sic peccatum ligamentum est rationalis animæ. Isa. v, 18 : *Væ qui trahitis... quasi vinculum plaustri peccatum.* Sapient. XVII, 17 : *Una catena tenebrarum omnes erant colligati.* Unde sicut accidit in somno, sic et in peccato. Primo dormitatio, scilicet transitus de vigilia ad somnum : deinde dormitio, status in ipso somno : deinde obdormitio, scilicet profundus somnus, et oppressio ab ipso somno, ita quod vix possit evigilare homo. Sic vero est transitus de virtutibus in peccatum per consensum, et sic dormitat anima : postmodum de consensu in actum etiam dormit : denique de actu in consuetudinem, et obdormit. Augustinus in libro. *Confessionum* septimo : « Diripiebar abs te pondere meo, et « ruebam in ista cum gemitu. » Et pondus hoc consuetudo. Thren. III, 53, de tribus : *Lapsa est vita mea,* ecce primum : *in lacum,* ecce secundum : *et posuerunt lapidem super me,* ecce tertium.

Comparatio somni cum peccato.

« *Nequando dicat.* » Ecce quartum, in 5
quo dicuntur duo. Primo, ne prævaleat adversarius. Secundo, assignat rationem quare nolit prævalere, ibi, « *Qui tribulant me.* »

Dicit ergo : Exaudi me Domine, ne inimicus meus dicat exsultando et lætando : « *Prævalui adversus eum.* » Habac. I, 4 : *Non pervenit usque ad finem judicium : quia impius prævalet adversus justum, propterea egreditur judicium perversum.* Prævalet autem quando facit ruere in mortale, sed tunc magis prævalet quando potest Deum a mente excludere. Tob. VI, 16 et 17 : *Ostendam tibi qui sunt, quibus prævalere potest dæmonium. Hi namque, qui conjugium ita suscipiunt, ut Deum a se, et a sua mente excludant.* Sed tunc maxime prævalet, cum facit in peccato usque ad mortem perseverare. Nota enim, quod diabolus impetit in suggestione, luctatur in delectatione, percutit in consensu, inclinat in actu, præcipitat in consuetudine, sed prævalet in morte.

Quomodo prævalet diabolus ?

[1] Cf. I Regum, XII, 1 et seq.

« *Qui tribulant me,* » Quasi diceret : Sic peto ne exaltentur super me inimici, ne forte insultent mihi : et certe insultarent, quia « *qui tribulant me, exsultabunt.* » Nota enim, quod est gaudium exhibens se in ore, et dicitur *risus :* et est gaudium exhibens se in manibus, et dicitur *plusus :* in pedibus, et dicitur *tripudium :* in toto corpore, et dicitur *saltus :* et est gaudium vehementissimum quando non sufficit se exhibere per unum membrum, sed per totum corpus se exhibet. Sic, inquam, « *exsultabunt, si motus fuero,* » a te per peccatum recedendo : contra illud Mich. VII, 8 : *Ne læteris inimica mea super me, quia cecidi.* Et illud Job, XXXI, 29 : *Si gavisus sum ad ruinam ejus, qui me oderat, et exsultavi, quod invenisset eum malum.* Propter hoc datur bonum consilium, Eccli. XVIII, 30 : *Fili,... post concupiscentias tuas non eas, et a voluntate tua avertere : si præstes animæ tuæ concupiscentias ejus, faciet te in gaudium inimicis tuis.* Et illud Eccle. X, 4 : *Si spiritus potestatem habentis,* dæmonis scilicet vel tyranni, *ascenderit super te,* tentando, affligendo, *locum tuum ne dimiseris,* Deum scilicet, in quo veraciter manes per amorem. I Joan. IV, 16 : *Qui manet in charitate, in Deo manet.* Gregorius : « Ubi « est qui in ejus amore non est, ubi so- « lum sublime et verum esse est? Sic « enim in sublimi est, qui in Deo est. » Unde idem Gregorius : « In alto humanus « animus stat, quando supernis retribu- « tionis inhiat. »

Progressus gaudii.

6 « *Ego autem in misericordia tua speravi.* » Hic tertia pars Psalmi, in qua ostenditur devotio petentis ex confidentia liberationis, unde duo dicuntur. Primo, confidentia de liberatione. Secundo, devotio et spiritualis lætitia ex illa causa, ibi, « *Exsultavit.* »

Tertia pars psalmi.

Ait ergo : Sic affligor, et sic peto, nec diffido, quia « *in misericordia tua speravi :* » non in meritis meis. Psal. LXXXV, 5 : *Tu, Domine suavis et mitis : et multæ misericordiæ omnibus invocantibus te,* et timentibus Eccli. II, 9 : *Qui timetis Dominum, sperate in illum.* Et in Psal. CII, 17 : *Misericordia autem Domini ab æterno, et usque in æternum super timentes eum.*

« *Exsultabit cor meum.* » Hic secundum, et tanguntur tria, quæ creantur ex confidentia, et spe certa. Primum est exsultatio cordis. Secundum, canticum oris, ibi, « *Cantabo.* » Tertium, exercitium boni operis, ibi, « *Psallam.* » Adjuncta semper cum speciali causa.

Effectus tres confidentiæ.

Ait ergo : Sic spero, et propter hoc « *exsultabit cor meum,* » non in mundo, « *sed in salutari tuo,* » quod superius promisisti. Ponam in salutari, I Reg. II, 1 : *Exsultavit cor meum in Domino.* Et paulo post : *Quia lætata sum in salutari tuo.* Isa. XXV, 9 : *Exsultabimus et lætabimur in salutari ejus.* Habac. III, 18 : *Exsultabo in Deo Jesu meo.*

« *Cantabo* » ore, « *Domino, qui bona,* » id est, quia ille bona « *tribuit mihi* » in spe, et ipsam spem in re. Ex habito autem beneficio debetur Canticum tamquam gratiarum actio. Hinc est quod Exod. XV, 1, transito mari Rubro, et submerso Pharaone, filii Israel cantaverunt : *Cantemus Domino : gloriose enim magnificatus est.* Et perempto Sisara, Barac et Debbora cantaverunt, Jud. V, 1 : *Cecineruntque Debbora et Barac filius Abinoem in illo die, dicentes,* etc.

Bona autem tribuit Deus, pro quibus est cantandum : in præsenti duo bona transitoria de quibus Job, II, 10 : *Si bona suscepimus de manu Domini,* etc. Deut. XXVI, 11 : *Et epulaberis in omnibus bonis, quæ Dominus Deus tuus dederit tibi.* Et bona spiritualia sapientiæ divinæ, quæ bona est non abutenti. Psal. CX, 10 : *Intellectus bonus omnibus facientibus eum.* Et alibi, Psal. CXVIII, 72 : *Bonum mihi lex oris tui, super millia auri et argenti.* Et virtutes, quod est melius, de quo Michæ. VI, 8 : *Indicabo tibi, o homo, quid sit bonum, et quid Domi-*

nus requirat a te, etc. Sed maximum bonum et perfectum promittit in futuro. Exod. XXXIII, 19 : *Ostendam omne bonum tibi.* Matth. XIX, 17 : *Unus est bonus, Deus.*

« *Et psallam,* » opere bono me exercendo. Psallere enim dicitur a ψάλλειν, quod est *tangere.* In tactu autem actio designatur, unde alibi, in Psal. CXLIII, 9 : *In psalterio decachordo psallam tibi*, id est, in observatione decem mandatorum. Et hoc non mihi, sed « *nomini Domini,* » id est, ad hunc finem ut nomen Domini glorificetur. « *Domini*, inquam, *Altissimi.* » Matth. V, 16 : *Sic luceat lux vestra coram hominibus : ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est.* Nota ergo, quod materiam exsultationis cordis, dicit Dei salutare, causamque efficientem, Dominum beneficum, finalem boni operis, ipsum Altissimum.

PSALMUS XIII.

Impiorum malitiæ. Salus a Deo speranda.

1. *In finem, Psalmus David.*
Dixit insipiens in corde suo : Non est Deus.
Corrupti sunt, et abominabiles facti sunt in studiis suis : non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.
2. Dominus de cœlo prospexit super filios hominum, ut videat si est intelligens, aut requirens Deum.
3. Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt. Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.
Sepulcrum patens est guttur eorum : linguis suis dolose agebant : venenum aspidum sub labiis eorum.
Quorum os maledictione et amaritudine plenum est : veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem.
Contritio et infelicitas in viis eorum, et viam pacis non cognoverunt : non est timor Dei ante oculos eorum.
4. Nonne cognoscent omnes qui operantur iniquitatem, qui devorant plebem meam sicut escam panis ?
5. Dominum non invocaverunt, illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor.
6. Quoniam Dominus in generatione justa est, consilium inopis confudistis : quoniam Dominus spes ejus est.
7. Quis dabit ex Sion salutare Israel ? cum averterit Dominus captivitatem plebis suæ, exsultabit Jacob, et lætabitur Israel.

IN PSALMUM XIII

COMMENTARIUS.

1 *In finem, Psalmus David.*

Argumentum psalmi : Judæorum persecutio.

« *Dixit insipiens.* » Psalmus decimus tertius, et secunda pars illius, in quo agitur de impugnatione justorum a membris Anti-Christi, quantum pertinet ad Judæos. Titulus autem præpositus huic Psalmo, communis est isti et præcedentibus, scilicet, « *In finem, Psalmus David,* » et patet expositio ex prædictis [1].

Psalmus autem dividitur in duas partes principaliter. In prima determinatur de malitia Judæorum, quia impugnaverunt Christum, et impugnant membra ejus continue. In secunda prædicitur terminatio sive infirmatio malitiæ eorum, ibi, « *Nonne cognoscent omnes ?*

Impugnatio duplex fidei et morum.

Prima pars dividitur in duas partes : quia aut impugnaverunt fidem, et de hoc agitur primo : aut bonos mores, et de hoc agitur secundo, ibi, « *Non est qui faciat bonum.* » Malitia contra fidem duplex ostenditur, quia aut contra fidem de divinitate Christi, et hoc primo : aut contra fidem de humanitate Christi, et hoc secundo, ibi, « *Corrupti sunt.* »

Prima iterum duplex.

Dicit ergo : Sic impugnati sunt boni ab hæreticis, hypocritis, et tyrannis, et Judæis : quia « *dixit insipiens,* » Judæus videlicet, vera carens sapientia, quæ est duplex. Fidei, I ad Cor. II, 6 : *Sapien-*

[1] Le psaume XIII se trouve reproduit identiquement dans le psaume LII (Cf. tom. XVI edit. nostræ oper. D. Alberti). Le ỷ 6 de ce dernier et le ỷ 7 de l'un et de l'autre ont donné lieu à différentes suppositions touchant l'auteur et l'occasion de ce chant. Théodoret croit qu'il est question de la défaite de Sennachérib au temps d'Ézéchias, et Paulus, admettant la même idée, attribue le psaume à Isaïe, Hitzig à Jérémie. Pour D. Calmet, l'auteur est un écrivain de la captivité qui dépeint les vices de Babylone. Olshausen reconnait Antiochus Epiphane dans l'*insipiens*, et fait vivre l'auteur du temps des Machabées ; Hupfeld, sans se prononcer davantage, déclare formellement qu'on ne peut mettre le nom de David en tête de ce morceau. Ces divergences proviennent de ce que ces auteurs croient trouver dans le dernier verset la date de la composition du psaume, date en effet bien postérieure à David, si l'on s'en tient à ce verset. Mais il peut être considéré comme une addition contemporaine de la captivité, et n'empêche pas par conséquent que le psaume ait David pour auteur. Plusieurs, il est vrai défendent l'unité du psaume, et pensent que David a fait en terminant une prière prophétique ayant trait à la captivité et à la rédemption messianique. Cette idée peut se soutenir : les rationalistes, qui nient toute prophétie, lui opposent une impossibilisé de droit ; si nous l'écartons, à l'exemple de nombreux et sérieux commentateurs catholiques, ce n'est on le comprend, qu'en vertu de considérations purement exégétiques.

David déplore l'égarement des insensés, qui nient Dieu pour faire le mal à l'abri de cette négation, et il prédit leur ruine. Il représente la corruption comme générale autour de lui, non seulement parmi les nations étrangères, mais même parmi son peuple, comme le prouve l'emploi que S. Paul fait de ce psaume (ad Rom. III, 12), pour prouver que la loi a été impuissante à procurer la justification. C'est probablement pendant la révolte d'Absalon, que David fit ce chant.

Le psaume XIII ne fait qu'un avec le psaume LII ; mais ce dernier présente des variantes qui dans le l'hébreu sont presque insensibles à l'oreille. Ce psaume se trouvant ainsi avec quelques divergences dans deux recueils, y est demeuré même après qu'on les a réunis.

(Le Hir).

tiam loquimur inter perfectos. Et doni Spiritus sancti, de qua Jacob. III, 17 : *Quæ desursum est sapientia, primum quidem pudica est, deinde pacifica,* etc. Isa. XI, 2 : *Requiescet super eum Spiritus Domini : spiritus sapientiæ et intellectus.* Carens etiam sapientia vana, philosophica scilicet, quæ in se vana est, de qua I ad Cor. I, 19 : *Perdam sapientiam sapientium, et prudentiam prudentium reprobabo.* Et repletus terrena et diabolica, de qua Jacob. III, 15 : *Non est ista sapientia desursum : sed terrena, animalis, diabolica.* Sic etiam insipiens dixit, non in ore, sed « *in corde.* » Contrarius vero fideli, qui et corde credit, et ore confitetur. Ad Rom. X, 10 : *Corde creditur ad justitiam : ore autem confessio fit ad salutem.* « *Dixit,* » inquam, « *Non est Deus,* » iste Jesus, sed homo purus. Joan. IX, 16 : *Non est hic homo a Deo, qui sabbatum non custodit.* Et in cap. X, 33 : *De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia : et quia tu homo cum sis, facis teipsum Deum.* Et est argumentum quod non crediderunt ipsum esse Deum. I ad Cor. II, 8 : *Si enim cognovissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent.* His etiam assimilantur adhuc illi, qui etsi Christum ore confitentur, corde tamen negant, de quibus Matth. XV, 8 : *Populus hic labiis me honorat : cor autem eorum longe est a me.* Et qui confitentur ore, sed negant opere, his appropinquant, id est, confitentur se nosse Deum, factis autem negant. Legitur etiam de Gentili, qui tamquam insipiens, Deum dicebat esse quod non erat Deus, et Deum negabat esse quod erat Deus. I ad Thessal. IV, 5 : *Gentes, quæ ignorant Deum.* Et vere insipiens : quia inter ea quæ maxime distant, Creatorem scilicet, et creaturam discernere non valebat. Sap. XIII, 10 : *Infelices sunt, et inter mortuos spes illorum est, qui appellaverunt deos opera manuum hominum, aurum et argentum, artis inventionem, et similitudines animalium.* Vere insipiens, quia mortem vitam putavit. Sap. XIII, 18 : *Pro vita rogat mortuum, et in adjutorium inutilem invocat.*

« *Corrupti sunt* ». Hic infidelitas quantum ad humanitatem, et dicuntur duo, secundum effectus duos hujus infidelitatis. Primus est corruptio in se. Secundus, abominatio in comparatione quantum ad Deum, ibi, « *Abominabiles.* »

Dicit ergo : Judæi, et etiam Gentes « *corrupti sunt,* » de ipsa Christi humanitate male sentientes, credentes filium Joseph, et per concupiscentiam genitum de Maria, Matth. XIII, 55 : *Nonne hic est fabri filius ?* etc. Credentes eum etiam peccatorem, Matth. XI, 19 : *Ecce homo vorax, et potator vini, publicanorum et peccatorum amicus.* Joan. VIII, 48 : *Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, et dæmonium habes?* et propter hoc abominabiles facti sunt ipsi Deo : et hoc

In studiis suis, id est, in adinventionibus falsis contra Christum. Jonæ, I, 2 : *Ascendit malitia ejus coram me.* Prov. XI, 20 : *Abominabile Domino* est *cor pravum.* Nec mirum si abominabiles, quia jumentis facti sunt insipientiores. Isa. I, 3 : *Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe Domini sui : Israel autem me non cognovit, et populus meus non intellexit.* Jerem. VIII, 7 : *Turtur, et hirundo, et ciconia custodierunt tempus adventus sui : populus autem meus non cognovit judicium Domini.* Et nota, quod quintuplex est corruptio. Deflorationis, Gen. XXXIV, 1 et seq., corrupta est Dina a Sichem filio Hemor. Afflictionis et mortis, infra in Psal. XXIX, 10 : *Quæ utilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem?* Incinerationis, Psal. XV, 10 : *Nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem.* Iniquitatis generaliter : unde Augustinus : « Peccatum est corruptio speciei, modi, et ordinis. » Et Bernardus dicit, quod « intelligentia in nobis corrumpitur per ignorantiam, voluntas per immundi- Quintuplex corruptio.

« tiam, memoria per imprudentiam, quæ « omnia facit peccatum. » Et est corruptio infidelitatis specialiter, de qua hic. Jerem. II, 16 : *Filii Mempheos et Taphnes constupraverunt te usque ad verticem.*

« *Non est qui faciat bonum.* » Hic secundum, in quo subjungitur de malitia contra bonos mores, quod fit dupliciter, vel omittendo, de quo primo : vel committendo, de quo secundo, ibi, « *Non est qui faciat bonum.* » Et tanguntur duo. In primo omissio generaliter : in secundo specificatur, ibi, « *Dominus de cœlo.* »

Item prima pars dividitur in duas. In prima universalis omissio, in secunda exceptio, ibi, « *Usque ad unum.* »

Dicit ergo : Sic in fide corrupti sunt, sed etiam « *non est qui faciat bonum* » in moribus, omittendo scilicet ea ad quæ tenetur. Jerem. V, I : *Considerate, et quærite in plateis* Jerusalem, *an inveniatis virum facientem judicium, et quærentem fidem : et propitius ero ei.* Proverb. XX, 9 : *Quis potest dicere : Mundum est cor meum.*

« *Non est usque ad unum,* » hoc est, post unum, Christum scilicet, qui omnia bene fecit, et cujus omnia bona sunt quæcumque homo facit. Isa. XXVI, 12 : *Omnia opera nostra operatus es in nobis,* Domine. Joan. XV, 5 : *Sine me nihil potestis facere.* Matth. XIX, 17 : *Unus est bonus, Deus.*

2 « *Dominus de cœlo prospexit.* » Hic specificat, ostendendo friplicem omissionis differentiam : quantum ad intellectum, et quantum ad affectum, ibi, « *Aut requirens.* » Et hæc duo interius. Et quoad actum, ibi, « *Omnes declinaverunt.* »

Dicit ergo : Sic omiserunt omnes et vere, quia « *Dominus prospexit super filios hominum,* » id est, a remotis, et tamquam procul existens respexit. Isa. LV, 9 : *Sicut exaltantur cœli a terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ a viis vestris, et cogitationes meæ a cogitationibus vestris.* Filii enim hominum appellantur hic filii terreni Adæ, et carne et mutatione. Psal. CI, 20 : *Dominus de cœlo in terram adspexit.* Eccli. XXIV, 45 : *Penetrabo omnes inferiores partes terræ, et inspiciam omnes dormientes,* etc. « *Prospexit,* inquam, *de cœlo, ut videat si est intelligens* fide, *aut requirens Deum* » charitate, aut dilectione. Quasi diceret : Nullus est. Primum ad omissionem apprehensivæ, secundum ad omissionem motivæ pertinet. Baruch, III, 23 : *Viam sapientiæ nescierunt.* Psal. XCIII, 8 : *Intelligite, insipientes, in populo.* Isa. XXI, 12 : *Si quæritis, quærite.* Amos, V, 4 : *Quærite me, et invenietis.* Osee, X, 12 : *Tempus requirendi Dominum, cum venerit qui docebit vos justitiam ?*

« *Omnes declinaverunt.* » Hic omissio ex parte operis, quam tangit duplicem. Primo, ex parte ipsius operis absolute : secundo, ex parte operis comparatione ad alios quos non ædificant, nec etiam seipsos, ibi, « *Simul inutiles* ». 3

3 Declinatur a bono multis modis.

Dicit ergo sic : Omittunt quantum ad intellectum et affectum, et etiam quantum ad actum. « *Omnes declinaverunt* » a bono opere, non tantum aliqui. Similiter loquitur Jerem. VI, 13 : *A minori usque ad majorem, omnes avaritiæ student : et a Propheta usque ad Sacerdotem cuncti faciunt dolum.* Omnes, inquam, declinaverunt de via justitiæ. Deut. XXXI, 29 : *Novi quod post mortem meam inique agetis, et declinabitis cito de via, quam præcepi vobis.* Nota : Declinant enim quidam a castitate ad luxuriam, sicut senes, de quibus Daniel. XIII, 9 : *Declinaverunt oculos suos ut non viderent cœlum, neque recordarentur judiciorum justorum Dei.* Alii declinant a largitate ad avaritiam, de quibus in Psal. XVI, 11 : *Oculos suos statuerunt declinare in terram.* Alii declinant ab humilitate ad superbiam. Job, XXXVI, 21 : *Cave ne declines ad iniquitatem,* super-

biens scilicet : *hanc enim cœpisti sequi post miseriam.* Alii declinant a veritate ad detractionem, et falsitatem, unde in Psal. c, 4 : *Declinantem a me malignum, non cognoscebam.* Sic autem declinantes damnabuntur, sicut et male agentes. Psal. cxxiv, 5 : *Declinantes autem in obligationes adducet Dominus cum operantibus iniquitatem.*

« *Simul inutiles facti sunt.* » Quasi diceret : Non tantum omittunt bona facere, sed omnes simul sibi et aliis inutiles facti sunt. « *Simul* » dicit, ut notetur eorum omissio in ædificando invicem colligata. Osee, xiii, 12 : *Colligata est iniquitas Ephraim.* Judic. xv, 4 : Vulpes Samsonis caudas habebant ad invicem colligatas [1]. Facti sunt autem inutiles quatuor modis. Primo inutilia cogitando, Michæ. ii, 1 : *Væ qui cogitatis inutile, et operamini malum in cubilibus vestris.* Desiderio, I ad Timoth. vi, 9 : *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, et in laqueum diaboli, et desideria multa inutilia.* Verbo, Zach. x, 2 : *Simulacra,* Prælati scilicet, *locuta sunt inutile.* Omittendo, sicut hic tangitur proprie, et Matth. xxv, 30 : *Inutilem servum ejicite in tenebras exteriores.* Proverb. vi, 12 : *Homo apostata, vir inutilis, terit pede, digito loquitur, pravo corde machinatur malum.* Amos, v, 5 : *Bethel* domus Dei, sed congregatio taurorum *erit inutilis.* Eccli. iv, 34 : *Noli esse citatus in lingua, et inutilis et remissus in operibus tuis.*

Homo inutilis quadrupliciter.

« *Non est qui faciat bonum.* » Hic secundum, in quo postquam tetigit peccata omissionis, tangit et commissionis : et sicut in parte præcedenti primo generaliter, secundo descendit ad ostendendum specialiter in quibus commiserint, ibi, « *Sepulcrum patens.* »

In prima duo. Primo, omnes generaliter commisisse dicit. Secundo, excipit, ibi, « *Non est usque ad unum.* » Et expone sicut supra, hic superaddito quod quamvis idem dicat, plus tamen significat. Per hoc enim quod dicit hic, « *Non est qui faciat bonum,* intelligendum est, « Omnes faciunt malum. » Si autem dicat aliquis, quod hic tantum generalis omissio concludatur, non repugno.

« *Sepulcrum patens.* » Hic specificat primo quantum pertinet ad malitiam oris, secundo, quantum ad malitiam operis, ibi, « *Veloces pedes eorum.* » Tertio, quantum ad malitiam cordis, ibi, « *Et viam pacis.* » Et nota, quod agitur de malitia Judæorum, et specialiter tangitur malitia oris ipsorum contra caput Ecclesiæ Christum, quadruplex. Primo, malitia in conciliis contra Christum. Secundo, in interrogationibus factis Christo, ibi, « *Linguis suis.* » Tertio, in responsionibus datis Christo, ibi, « *Venenum aspidum.* » Quarto, in accusationibus factis de Christo, ibi, « *Quorum os maledictione.* »

Judæorum in Christum malitia quadruplex.

Dicit ergo : Vere mali omnes, quia « *sepulcrum patens est,* » de quo procedit fœtor, « *guttur eorum,* exhalando mala consilia contra Christum, quibus sese mutuo corrumpebant, et populum. Jerem. xi, 19 : *Cogitaverunt super me consilia* iniqua, *dicentes :* Venite, *mittamus lignum in panem ejus et eradamus eum de terra viventium.* Job, xxxi, 30. *Si... dedi ad peccandum guttur meum,* supple, male mihi accidat. Et nota, quod est sepulcrum latens duplex. Absconditæ sapientiæ, de quo Eccli. xxx, 18 : *Bona abscondita in ore clauso, quasi appositiones epularum circumpositæ sepulcro.* Et occultæ malitiæ, ut hypocrisis. Matth. xxiii, 27 : *Væ vobis Scribæ, et Pharisæi*

[1] Judic. xv, 4 : *Perrexit* Samson, *et cepit trecentas vulpes, caudasque earum junxit ad caudas, et faces ligavit in medio.*

hypocritæ : quia similes estis sepulcris dealbatis, etc. Et est sepulcrum patens duplex. Perversæ locutionis, quæ alios scandalizat et inficit, de quo hic et supra, in Psal v, 11 : *Sepulcrum patens*, etc. Et perversæ operationis in aperto factæ, quæ alios corrumpit. Jerem. v, 16 : *Pharetra ejus*, vita scilicet, *quasi sepulcrum patens*.

« *Linguis suis dolose agebant.* » Astutas interrogationes, et dolo plenas ostendendo. Matth. xxii, 16 : *Magister, scimus quia verax es.* Jerem. ix, 8 : *Sagitta vulnerans lingua eorum, dolum locuta est.* Eccli. xi, 31 : *Multæ sunt insidiæ dolosi.* Isa. lix, 3 : *Lingua vestra iniquitatem fatur.*

« *Venenum aspidum sub labiis eorum.* » In responsionibus datis Christo, quando interrogati ab eo veritatem occultabant, nec ipsam suam malitiam detegebant, quemadmodum factum est, Matth. xxi, 25 : *Baptismus Joannis unde erat? ex Deo, an ex hominibus?* Responderunt, malitiam suam tegentes, et veritatem occultantes : *Nescimus.* Hæc enim est natura aspidis ut obturet aures suas, unam cauda, alteram terra, ne audiat vocem incantantis. Sic in istis erat malitia aspidis. Deuter. xxxii, 33 : *Fel draconum vinum eorum, et venenum aspidum insanabile.* Job, xx, 16 : *Caput aspidum suget, et occidet eum lingua viperæ.* Abscondunt autem hanc malitiam sub labiis, et in gutture suo secundum illud Job, xx, 12, 13 et 14 : *Abscondet illud sub lingua sua. Parcet illi, et non derelinquet illud, et celabit in gutture suo.* Et subditur : *Panis ejus*, veritas scilicet quam non vult manifestare, *in utero illius vertetur in fel aspidum intrinsecus.*

« *Quorum os maledictione.* » Ecce quartum, in quo peccabant dupliciter, futura mala imprecando quod est maledicere, falsa crimina imponendo quod est amaricare.

Dicit ergo : « *Quorum os plenum est maledictione,* » ipsi Christo mala imprecando in judiciis. Joan. ix, 28 : *Maledixerunt ei, et dixerunt : Tu discipulus illius sis.* Et in judicio coram Pilato, Joan. xix, 15 : *Tolle, tolle, crucifige eum.* Propter hoc dicitur, Sap. i, 6 : *Benignus est spiritus sapientiæ, et non liberabit maledicum a labiis suis.* Osee, iv, 2 : *Maledictum, et mendacium, et homicidium, et furtum, et adulterium inundaverunt.* Ecce plenitudo.

« *Et amaritudine,* » blasphemando, falsa crimina ipsi imponendo, minas etiam addendo. Osee, x, 4 : *Ferietis fœdus*, cum mendacio scilicet, *et germinabit quasi amaritudo judicium.* Et Deut. xxxii, 32 : *Uva eorum, uva fellis, et botri amarissimi :* contra illud Apostoli ad Ephes. iv, 31 : *Omnis amaritudo, et ira, et indignatio, et clamor, et blasphemia tollatur a vobis.* Et nota, quod plenum dicit os amaritudine, et maledictione, nihil omnino habens benedictionis et dulcedinis, cum tamen dicat Jacob. iii, 10 et 11 : *Ex ipso ore procedit benedictio et maledictio.* Sed statim addidit tamquam corrigens se : *Numquid fons de eodem foramine emanat dulcem, et amaram aquam?* Nec est mirum si os malorum plenum est maledictione et amaritudine, quia fons cordis eorum talibus scaturiens est, emittens illa tamquam per conductum per arteriam gutturis in receptaculum oris, ut faciant ibi tamquam stagnum vel lacum, et deriventur extra per verbum. Proverb. xviii, 4 : *Aqua profunda, verba ex ore viri.* Matth. xii, 34 : *Ex abundantia cordis os loquitur.* Nota ergo, quod sicut fatuus esset, qui amaro et venenoso humore os impleret, ut alterius ori infunderet, se enim prius affligeret, et gravius : sic fatuus est, qui implet os suum amaris verbis et venenosis, ut alterius auri infundat, et auri noceat : sibi enim primo nocet. Proverb. xii, 14 : *De fructu oris sui unusquisque replebitur.*

« *Veloces pedes eorum.* » Hic agitur de malitia operis, et dicuntur duo secundum duplicem effectum operis mali. Primus est inquinatio animæ suæ per peccatum :

secundo, obligatio sui ad debitum pœnæ, ibi, « *Contritio.* »

Dicit ergo : Sic peccant ore, et etiam « *pedes eorum veloces sunt.* » In hoc monstratur pronitas, et vehemens inclinatio, « *ad effundendum sanguinem,* » ad abundanter perpetrandam culpam animam horribiliter maculantem. Proverb. I, 16 : *Pedes illorum ad malum currunt, et festinant, ut effundant sanguinem :* et sic maculant animam. Ezechiel. XVI, 6 : *Vidi te conculcari in sanguine tuo : et dixi tibi cum esses in sanguine tuo : Vive.* Ex consuetudine peccandi accidit ut homo non abhorreat magis peccare, quam justus benefacere : ut homicidæ non magis horreant sanguinem effundere, quam aquam. Augustinus : « Peccata quamvis « magna et horrenda cum in consuetu« dinem venerint, aut parva aut nulla « esse creduntur, usque adeo ut non so« lum non occultanda, verum etiam ma« nifestanda, et prædicanda videantur[1]. » Isa. III, 9 : *Peccatum suum, quasi Sodoma, prædicaverunt,* etc.

« *Contritio.* » Hic secundum : quia abundanter peccant, et animam maculant, et ob hoc « *in viis,* » id est, in operibus « *eorum est contritio,* » obligatio scilicet ad pœnam sensus ignis gehennalis, et multæ etiam miseriæ in præsenti. Jerem. XVI, 18 : *Duplici contritione contere eos.* Isa. XXX, 14 : *Et comminuetur sicut conteritur lagena figuli, contritione prævalida.* Et supra, in Psal. III, 8 : *Dentes peccatorum contrivisti.*

« *Et infelicitas,* » obligans scilicet ad pœnam damni, ut æterna priventur felicitate : quippe Sapient. III, 11 : *Sapientiam et disciplinam qui abjicit, infelix est.*

« *Et viam pacis.* » Hic subjungitur de malitia cordis in committendo. Quia autem malitia proprie est in affectiva, quæ continet duas vires, concupiscibilem et irascibilem, dicuntur duo. Primo, amor mali. Secundo, privatio timoris Dei, ibi, « *Non est timor.* »

Dicit ergo : Sic ore, sic opere peccaverunt, et etiam « *viam pacis non cognoverunt,* » id est, cognoscere noluerunt. Via autem pacis Christus est. Joan. XIV, 6 : *Ego sum via, et veritas, et vita.* Et ipse pax, ut sit intransitiva constructio. Ad Ephes. II, 14 : *Ipse est pax nostra qui fecit utraque unum.* Via etiam pacis, perfecta est pœnitentia, quæ ad pacem ducit. Lucæ, I, 79 : *Ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.* Proverb. III, 17 : *Viæ ejus viæ pulchræ, et omnes semitæ illius pacificæ.* Has vias non cognoscunt mali advocati, sed discordiæ et dissentionis vias sciunt, per hoc abnegantes Deum. I ad Corinth. XIV, 33 : *Non est dissentionis Deus, sed pacis.*

« *Non est timor Dei,* » per quem a malo resiliant, « *ante oculos eorum,* » oculos, inquam, cordis. Alibi, in Psal. X secundum Hebræos, 5 : *Non est Deus in conspectu ejus* : et propter hoc *inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore.* Justi autem semper mortem habent ante oculos, et judicium, et propter hoc resiliunt a malis. Gregorius : « Electus quisque pe« ne mortuum se considerat, quia fere « moriturum non ignorat. » Idem de malis. Reproborum mentes idcirco multa nequiter agunt, quia se morituros nequaquam attendunt. Eccle. VIII, 11 : *Quia non profertur cito contra malos sententia, idcirco,* etc. Et nota, quod multa sunt quæ specialiter habere debemus in mente, et memoria. Præteritam culpam, Jerem. II, 19 : *Scito, et vide, quia malum et amarum est reliquisse te Dominum Deum tuum.* Hæc consideratio terrorem incutit. Secundum, divinum judicium et timor Dei, Eccli. II, 1 : *Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in justitia, et timore.* Job, XIX, 29 : *Scitote*

[1] S. AUGUSTINUS, in Enchir. cap. 95.

esse judicium. Hoc peccatum expellit. Tertium, memoria mortis nostræ, Eccli. VII, 40 : *In omnibus operibus tuis, memorare novissima tua, et in æternum non peccabis.* Hoc humilitatem introducit. Quartum, lex Dei, Deuter. VI, 6 et 8 : *Eruntque verba hæc, quæ ergo præcipio tibi hodie, in corde tuo.* Et infra : *Eruntque, et movebuntur inter oculos tuos.* Hoc lucem immittit. Quintum, Dei beneficium, Psal. XXV, 3 : *Quoniam misericordia tua ante oculos meos est.* Et maxime Passionis. Ad Hebr. XII, 3 : *Recogitate eum qui talem sustinuit a peccatoribus adversus semetipsum contradictionem.* Hoc ad gratiarum actionem excitat et ad amorem accendit.

4 « *Nonne cognoscent omnes.* » Hic est

Secunda pars Psalmi. secunda pars Psalmi, in qua præmissa persecutione Judæorum, subjungitur ejusdem persecutionis terminatio. Primum, quantum ad subversos et finaliter malos : secundum, quantum ad convertendos in fine mundi, ultimo versu, « *Quis dabit?* »

In prima parte quatuor dicuntur. Primo quærendo innuit, quod cognoscent suam miseriam jam damnati impii Judæi. Secundo, impietatem illorum describit, ibi, « *Qui devorant.* » Tertio, specificat quid cognoscent, ibi, « *Quoniam Dominus.* » Quarto invehitur contra illos, ibi, « *Consilium.* »

Dicit ergo sic : Persequuntur Judæi Ecclesiam in capite et in membris, sed o Domine « *nonne omnes,* » non solum Judæi, « *qui operantur iniquitatem, cognoscent* » veritatem, eos miseria et afflictione instruente. Quasi diceret : Sic. Job, XXXVI, 15 : *Revelabit in tribulatione aurem ejus :* tunc enim impii Christum cognoscent, quem nolunt agnoscere, quando dicet illis illud Matth. VII, 23 : *Discedite a me, omnes qui operamini iniquitatem.* Psal. IX, 17 : *Cognoscetur Dominus judicia faciens.* Job, XXI, 20 et 19 : *Videbunt oculi ejus interfectorem suum : et cum reddiderit, tunc scient* [1]. Sapient. V, 2 : *Videntes turbabuntur timore horribili.* Et in cap. VI, 6 : *Horrende, et cito apparebit vobis.*

« *Qui devorant.* » Hic secundum, in quo intelligit eorum malitiam comparatione ad triplicem potentiam animæ. Comparatione ad concupiscentem primo : secundo, comparatione ad rationabilem, ibi, « *Deum non invocaverunt.* » Tertio comparatione ad irascibilem, ibi, « *Illic trepidaverunt timore.* »

Dicit ergo : « *Nonne cognoscent* impii *qui* aviditate perverse *devorant plebem meam :* » et hoc continue, « *sicut escam panis* » continue devoramus. Et loquitur in persona Christi. Devorare autem dicit, quia seducunt, rapiunt et occidunt. Isa. III, 14 et 15 : *Vos depasti estis vineam,* scilicet animam meam, *et rapina pauperis in domo vestra,* supple, est. Et in eodem : *Quare atteritis populum meum, et facies pauperum commolitis?* Eccli. XXXIV, 25 : *Panis egentium vita pauperum est : qui defraudat illum, homo sanguinis est.* Nec tantum rapiendo res, sed personas occidendo. Zach. XI, 9 : *Reliqui devorabunt unusquisque carnem proximi sui.* Michæ. III, 3 : *Comederunt carnem populi mei, et pellem orum de super excoriaverunt,* Isa. IX, 12 : *Philistiim,* hoc est, Judæi, *devorabunt Israel,* fideles scilicet, *toto ore.*

« *Dominum non invocaverunt.* » Hic 5
tangitur peccatum infidelitatis, quod respicit rationabilem. Ad Roman. X, 14 : *Quomodo invocabunt in quem non crediderunt?* Isa. XLIII, 22 : *Non me invocasti*

[1] Vulgata habet, Job, XXI, 19 et 20 : *Deus servabit filiis illius dolorem patris : et cum reddiderit, tunc sciet. Videbunt oculi ejus interfectionem suam, et de furore Omnipotentis bibet.*

Jacob. Propter hoc exclamat, Jerem. x, 25 : *Domine,... nomen tuum non invocaverunt* : *quia comederunt Jacob, et devoraverunt eum*, quem si invocassent, salvi fuissent. Joel, ii, 32 : *Et erit omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit*.

« *Illic trepidaverunt timore*. » Ecce pusillanimitas quæ respicit irascibilem, cujus est audacter insurgere contra malum, et aspera sustinere. Et tangitur duplex timor. Corporis, qui dicitur *trepidatio* : et mentis, qui proprie dicitur *timor* : et utrumque sine causa.

Dicit enim : Sic fuit infidelitas, et etiam « *illic trepidaverunt* » toto concussi corpore, et timore existente in mente, « *ubi non erat timor*, » id est, timoris causa. Timuerunt enim Judæi amittere temporalia pro quibus nullo modo timendum est. Matth. x, 28 : *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere*. Sed impletum fuit in eis illud Deuter. xxviii, 65 et 66 : *Dabit tibi Dominus* Deus tuus *cor pavidum,... et timebis nocte et die, et non credes vitæ tuæ*. Levit. xxvi, 36 : *Terrebit eos sonitus folii volantis*. Job, xv, 21 : *Sonitus terroris semper in auribus illius*. Tales sunt, qui timent aggredi pœnitentiam, et tamen non timent gehennam. Job, vi, 16 : *Qui timent pruinam, irruet super eos nix*. Et xxvi, 14 : *Cum vix parvam stillam sermonis ejus audierimus*, illam, inquam, stillam, de qua Matth. iv, 17 : *Pœnitentiam agite*, etc., *quis poterit tonitruum magnitudinis illius intueri ?* Illud, inquam, tonitruum de quo ejusdem Matth. xxv, 41 : *Discedite a me, maledicti*, etc.

6 « *Quoniam Dominus*. » Ecce tertium, in quo specificat quid cognoscent. Quasi diceret : Cognoscent impii et tales impii, « *quoniam Dominus est in generatione* » qualibet : sed in justis est etiam per gratiam in præsenti. I Joan. iv, 16 et 17 : *Qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo*. Et per gloriam erit in futuro. In eodem, *In hoc perfecta est charitas Dei nobiscum, ut fiduciam habeamus in die judicii, quia sicut ille est, et nos sumus*. Hæc est generatio quæ ex Deo nata est, I Joan. v, 18 : *Qui natus est ex Deo, non peccat : sed generatio Dei conservat eum*. Hæc est illa, de qua Sapient. iv, 1 : *O quam pulchra est casta generatio cum claritate* ! Hæc est quæ describitur Joan. i, 12 et 13 : *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his, qui non ex sanguinibus*, etc. In hac autem generatione est sicut Rex in regno. Apocalyps. v, 10 : *Fecisti nos Deo nostro regnum*. Luc. xvii, 21 : *Ecce regnum Dei intra vos est*. Item, ut architectus in ædificio, et agricola in agro. I ad Corinth. iii, 9 : *Dei agricultura estis, Dei ædificatio estis* Sicut sacerdos, vel Deus in templo. I ad Corinth. iii, 17 : *Templum Dei sanctum est, quod estis vos*. Et bene dicitur, « *in generatione justa* : » quia nisi sit justus in gratia, indignus est Dei præsentia. Unde Glossa super canonicam Joanis : « Nec enim locus Deo in anima est, « nisi mediis quibusdam virtutibus inter« jectis. » Unde Psal. lxxxviii, 15 : *Justitia et judicium præparatio sedis tuæ*. Ad Ephes. iii, 16 et 17 : *Ut det vobis*... scilicet Deus, *Christum habitare per fidem in cordibus vestris*. Domino quoque sessuro super asellum, discipuli vestes suas substraverunt, Salvatorem signantes nequaquam insidere nudæ animæ, quam non vestitam invenerit Apostolorum moribus et doctrina[1].

Præsentia Dei in justis varie figurata.

Ad hanc præsentiam necessaria est gratia.

« *Consilium inopis*. » Hic est quartum, in quo invehitur Propheta contra Judæos : quia Christi consilium spreverunt,

[1] Cf. Matth. xxi, 7.

et dicuntur duo. Primo, contemptus consilii Christi. Secundo, causa contemptus, in quo eorum iniquitas aggravatur, ibi, « *Quoniam Dominus,* etc. »

Dicit ergo sic : Cognoscent quia Dominus justus est, et o vos Judæi, « *confudistis,* » a vobis repellendo, « *consilium inopis,* » hoc est, Christi, qui dicit alibi, in Psal. LXXXV, 1 : *Inops et pauper sum ego.* II ad Corinth. VIII, 9 : *Quoniam propter vos egenus factus est, cum esset dives.* Consilium ergo ejus de voluntaria paupertate confudistis, tamquam cupidi. Matth. XIX, 21 : *Si vis perfectus esse vade, et vende,* etc. Sed vos estis de quibus dictum est superius, ℣. 4 : *Qui devorant plebem meam,* etc. Proverb. I, 25 : *Despexistis omne consilium meum.*

« *Quoniam Dominus.* » Quasi dicat : Consilium confudistis, « *quoniam Dominus spes ejus est,* » id est, quia se sperare in Domino asserebat omnino. Matth. XXVII, 43 : *Confidit in Deo, liberet nunc, si vult, eum.* Sapient. II, 17 et 18 : *Tentemus quæ ventura sunt illi : si enim est verus filius Dei, suscipiet illum, et liberabit illum de manibus contrariorum.* Sic hodie consilium eorum contemnitur, qui totam spem in Deum projiciunt, non in divitiis, hujus mundi sicut divites. I ad Timoth. VI, 17 : *Divitibus hujus sæculi præcipe non sublime sapere, neque sperare in incerto divitiarum.*

7 « *Quis dabit ex Sion.* » Hic secundum, in quo agitur de terminatione malitiæ quantum ad convertendos : et dicuntur duo. Primo asserit, quod aliqui a Christo convertentur. Secundo, conversionis effectus ostenditur, ibi, « *Cum converterit.* »

Dicit ergo : Si terminabitur malitia in obstinatis, et etiam « *quis ex Sion* » procedens, « *dabit salutare Israel?* » nisi ille quem sic persecuti sunt ? Quasi diceret : Nullus. Christus enim ex Sion, id est, de Judæis quorum Sion caput erat, processit. Joan. IV, 22 : *Salus ex Judæis est.* Isa. XLVI, 13 : *Dabo in Sion salutem, et in Israel gloriam meam.* Quis ergo dabit salutare liberans a captivitate culpæ ? Ad Rom. XI, 26 : *Veniet ex Sion, qui eripiat, et avertat impietatem a Jacob,* conferens abundantiam justitiæ. Eccli. XXX, 15 : *Salus animæ in sanctitate justitiæ,* dans beatitudinem in collatione gloriæ. Proverb. VIII, 35 : *Qui me invenerit, inveniet vitam, et hauriet salutem a Domino.*

« *Cum averterit.* » Hic secundum, in quo tangitur effectus duplex conferens ad conversionem. Lætitia exterior primo : secundo, interior, ibi, « *Et lætabitur.* »

Dicit ergo sic : Dabit Dominus salutare, sed tunc cum Dominus « *averterit,* » a malo infidelitatis, « *captivitatem plebis suæ,* » electæ videlicet de Judæis, « *exsultabit Jacob* » exterius lætitiam ostendendo, « *et lætabitur,* » interius in corde, « *Israel.* » Idem per Jacob et Israel designatur. Isa. XXXV, 1, de utraque lætitia : *Lætabitur deserta et invia, et exsultabit solitudo.* Tunc impletum erit quod dicitur, Isa. X, 21 et 22 et ad Roman. IX, 27. Reliquiæ Israel salvæ fient : reliquiæ, inquam, Jacob [1]. Et nota, quod per Jacob qui *luctator* interpretatur, significantur laborantes in activa : per Israel qui interpretatur *videns Deum,* vacantes contemplativæ. In hoc ergo duo designantur moraliter loquendo : primo quod debemus esse Jacob, activi videlicet, postmodum Israel, contemplativi. Act. XIV, 21 : *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* II ad Ti- **Vita activa et contemplativa.**

[1] Isa. X, 21 et 22 : *Reliquiæ convertentur, reliquiæ, inquam, Jacob, ad Deum fortem. Si enim fuerit populus tuus Israel quasi arena maris, reliquiæ convertentur ex eo.* Ad Roman. IX, 27 : *Isaias autem clamat pro Israel : Si fuerit numerus filiorum Israel tamquam arena maris, reliquiæ salvæ fient.*

moth. II, 5 : *Nam et qui certat in agone, non coronabitur nisi legitime certaverit.* Notatur etiam, quod de utrisque, activis scilicet et contemplativis aliqui salvabuntur. Matth. XXIV, 41 : *Duæ molentes in mola : una assumetur, et una relinquetur.* Hoc quantum ad activam. Ibidem, ℣. 40 : *Duo* erunt *in lecto* [1] : *unus assumetur, et alter relinquetur.* Hoc quantum ad contemplativam.

[1] Vulgata habet, *in agro.*

PSALMUS XIV.

Quænam virtutes ad Deum perducant?

1. *Psalmus David.*
Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requiescet in monte sancto tuo?
2. Qui ingreditur sine macula, et operatur justitiam:
3. Qui loquitur veritatem in corde suo; qui non egit dolum in lingua sua;
Nec fecit proximo suo malum, et opprobrium non accepit adversus proximos suos.
4. Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus: timentes autem Dominum glorificat.
Qui jurat proximo suo, et non decipit:
5. Qui pecuniam suam non dedit ad usuram, et munera super innocentem non accepit.
Qui facit hæc, non movebitur in æternum.

IN PSALMUM XIV

COMMENTARIUS.

1 *Psalmus David*[1].

Ordo et argumentum Psalmi: Justorum remuneratio.

« *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo?* » Hic est Psalmus decimus quartus in quo, postquam actum est de malitia Anti-Christi et membrorum ejus, tam Judæorum quam Gentilium, subjungitur de remuneratione bonorum perseverantium et finaliter sustinentium. Unde intitulatur Psalmus iste simpliciter, « *Psalmus David.* » Oportet enim esse manu fortem: et est divino conspectui desiderabilis, qui sustinet tribulationes patienter. Proverb. xvi, 32: *Melior est patiens viro forti*, etc.

Psalmus autem dividitur in duas partes. In prima ponitur interrogatio de præmio et remuneratione. In secunda subjungitur responsio, ibi, « *Qui ingreditur.* »

In prima parte tanguntur duo secundum duo quæ quærit: primo, « *Quis habitabit* » in Ecclesia triumphante: secundo, quia habitare parum est, nisi quis requiescat in eadem, ibi, « *Aut quis requiescet.* »

Dicit ergo: Sic mali bonos persequuntur, sed o « *Domine quis* » tot et tantas pertransiens persecutiones, « *habitabit in tabernaculo tuo?* » cœlo scilicet. Tabernaculum enim multipliciter accipitur in Scriptura. Uterus Virginis, Eccli. xxiv, 12: *Qui creavit me, requievit in tabernaculo meo.* Humanitas Christi, Psal. xviii, 6: *In sole posuit tabernaculum suum.* Mens viri justi, in Psal. xxvi, 6: *Circuivi, et immolavi in tabernaculo ejus hostiam vociferationis.* Corpus humanum, II Pet. i, 14: *Certus quod velox est depositio tabernaculi mei.* Ad Hebr. xiii, 10: *Habemus altare, de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo*

Multiplex ex Scriptura tabernaculum.

[1] Le Psaume précédent, dit Delitzsch, séparait du reste des hommes la race des justes; celui-ci répond maintenant à cette question: que faut-il être pour mériter le nom de juste? David répond en réduisant à onze points principaux les six cent treize préceptes que les écrivains de la Gemara comptent dans la loi donnée au Sinaï. Il signale d'abord trois vertus fondamentales: innocence, justice, sincérité, entendues dans le sens le plus élevé; il rappelle ensuite huit règles qui doivent présider aux rapports du juste avec son prochain. Le saint roi adresse cet abrégé de la loi morale à tous les Israélites, et non pas seulement aux grands et aux prêtres, qui d'ailleurs sont tenus *a fortiori* à l'accomplissement de ces préceptes (Cf. Massillon, Par. mor.) Le tabernacle et la montagne sainte sont l'image de l'Eglise et surtout du ciel. David composa-t-il ce psaume à l'occasion du transport de l'arche à Sion (II Reg. vi, 16 et 17)? Plusieurs le croient. Toutefois cette opinion ne saurait être solidement appuyée par le texte; il y est parlé de montagne sainte, expression qui suppose tout simplement la présence de l'arche à Sion, et ne détermine que le temps postérieur à sa translation, rien de plus. Delitzsch et Kay datent le psaume de la révolte d'Absalon, ce qui est possible, mais non démontré. Ce chant est un morceau didactique de forme très simple, que David a pu écrire à un moment quelconque pour l'instruction de son peuple. Isaïe y fait une allusion manifeste (xxxiii, 15 et 16). et l'Epître de S. Jacques en est comme le commentaire.

D. Lesêtre.

deserviunt, « corporis, » dicit Glossa. Militans Ecclesia, Apoc. xxi, 3: *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus.* Et triumphans, sicut hic dicitur. Et Luc. xvi, 9 : *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis : ut, cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Hieronymus : « Tabernaculum hic pro æternitate accipimus. » Et recte tabernaculum dicitur, quia tabernaculum dicitur a *taberna* et *cœnaculo.* Taberna enim est locus potus, sicut cœnaculum cibi locus. In cœlo autem utrumque abundanter erit. Isa. xxv, 6 : *Faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc convivium pinguium, convivium vindemiæ, pinguium medullatorum, vindemiæ defæcatæ.* Ecce cœnaculum et taberna. Isa. xxxiii, 20 : *Oculi tui videbunt Jerusalem, habitationem opulentam, tabernaculum, quod nequaquam transferri poterit.* Ecclesia etiam militans, de qua hoc legitur. Hæc autem tabernaculum recte dicitur, quia ibi comeditur caro Christi, et sanguis ejus potatur. Zachar. ix, 17 : *Quid pulchrum ejus nisi frumentum electorum,* ecce cibus : *et vinum germinans virgines,* ecce potus. Ecce cœnaculum et taberna. Item, sicut dicit Isidorus, « tabernæ olim « vocabantur ædiculæ plebeiorum et pauperum, » et hoc bene competit Ecclesiæ militanti, in qua non sunt nisi pauperes panem suum continue mendicantes. Matth. vi, 11 : *Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie.* Sed quia parum est habitare, nisi in pace, subjungitur :

[Margin: …ir utraque Ecclesia …icitur tabernaculum?]

« *Aut quis requiescet in monte sancto tuo,* » cœlo scilicet. Proverb. i, 33, tanguntur ista duo : abundantia et requies : *Qui me audierit, absque terrore requiescet, et abundantia perfruetur.* Et dicitur cœlum empyreum mons, quia nihil inter ipsum et verum solem interponitur. I ad Cor. xiii, 12 : *Videmus nunc per speculum in ænigmate : tunc autem facie ad faciem.* Item, propter eminentiam summam, Eccli. i, 2: *Altitudinem cœli, et latitudinem terræ, et profundum abyssi quis dimensus est ?* Et propter firmitatem, Exod. xv, 17 : *Introduces eos, et plantabis in monte hæreditatis tuæ, firmissimo habitaculo tuo.* Job, xxxvii, 18 : *Tu forsitan cum eo fabricatus es cœlos, qui solidissimi quasi ære fusi sunt.* In hoc autem monte, et solum in hoc est vera requies animarum. Augustinus : « Fecisti « nos Domine ad te, et inquietum est cor « nostrum, donec requiescat in te. [1] » Et : « Quæ quies certa præter Dominum [2]. » Et : « Versa et reversa in tergum, in ventrem, in latera, et dura sunt omnia, et tu solus requies [3]. » Eccli. xxiv, 11 : *In omnibus requiem quæsivi, et in hæreditate Domini morabor.* Requies mala : temporalis abundantiæ, quæ occasio mali. Luc. xii, 19 : *Requiesce, comede, epulare,* etc. Culpæ, quæ sequitur ex illa, Jerem. xlviii, 11 : *Fertilis fuit Moab ab adolescentia sua, et requievit in fæcibus suis.* Requies bona : Pœnitentiæ, Isa, i, 16 et 17 : *Quiescite agere perverse,... discite benefacere.* Contemplationis, Psal. liv, 7 : *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo,* etc. Gloriæ, Psal. iv, 9 : *In pace in idipsum dormiam et requiescam.* Apoc. xiv, 13 : *Amodo jam dicit spiritus, ut requiescant a laboribus suis.*

[Margin: …are empyreum dicitur mons?]

« *Qui ingreditur.* » Hic subjungitur responsio : et primo, descriptio habitantium et requiescentium, quantum ad statum perfectorum. Secundo, quantum ad statum imperfectorum, ibi, « *Timentes.* » Tertio, concludit quantum ad utrumque statum, ibi, « *Qui facit hæc.* 2

[1] S. Augustinus, Lib. I Confessionum.
[2] Ibidem, Lib. II.
[3] Ibidem, Lib. VI in fine.

In prima facit duo. Primo, tangit quod pertinet ad rectitudinem. Secundo, contraria removet, ibi, « *Nec fecit proximo suo malum.* »

In prima duo. Primo, tangit quod pertinet ad rectitudinem voluntatis. Secundo, quod ad rectitudinem rationis, ibi, « *Qui loquitur veritatem.* » Rectitudo autem veritatis duplex : una interior in corde voluntatis absolute : alia exterior in operatione voluntatis, scilicet progressive.

Dicit ergo sic : Quæsivi, sed instructus a te veritate, respondeo : « *Qui ingreditur sine macula.* » Quasi dicat : Qui ingreditur, debet esse sine macula venialis et actualis culpæ. Job, XI, 14 et 15 : *Si non manserit in tabernaculo tuo injustitia, tunc levare poteris faciem tuam absque macula.* Et quamvis, sicut dicitur Eccle. VII, 21 : *Non est homo justus in terra, qui faciat bonum, et non peccet,* tamen oportet quod qui ingreditur Ecclesiam triumphantem, sine macula sit. Apoc. XIV, 5 : *Sine macula sunt ante thronum Dei.* Propter hoc dicitur in Psal. CXVIII, 1 : *Beati immaculati in via.* Isa. LII, 1 : *Non adjiciet ultra ut pertranseat per te incircumcisus et immundus.* Eccli. XXXI, 8 : *Beatus dives,* scilicet virtute, *qui inventus est sine macula.*

« *Et operatur justitiam.* » Ex ordinata voluntate. Mich. VI, 8 : *Indicabo tibi o homo quid sit bonum, et quid Dominus requirat a te : Utique facere judicium :* et nihil aliud est justitia. Psal. CV, 3 : *Beati qui custodiunt judicium, et faciunt justitiam in omni tempore.*

3 « *Qui loquitur veritatem* » Hic tangit rectitudinem rationis. Primo, in quantum est interius absoluta. Secundo, in quantum exterius progressiva, ibi, « *Qui non egit dolum.* »

Dicit ergo sic : Ingredientem oportet esse mundum et voluntate, et opere : et cum his oportet quod ingrediens sit.

« *Qui loquitur veritatem in corde suo.* » Est enim veritas cordis, rectitudo scilicet rationis, de qua potest intelligi illud Eccli. XXXVII, 20 : *Ante omnia opera, verbum verax præcedat te.* Contra, hypocritæ qui veritatem habent in ore, non in corde. Matth. XV, 8 : *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me*[1]. Et propter hoc non exaudientur : Deus enim ad veritatem cordis respicit, non oris. Psal. CXLIV, 18 : *Prope est omnibus invocantibus eum in veritate.*

« *Qui* etiam *non egit dolum in lingua sua.* » Ratione sermonem a lingua formatum ordinante. I Mach. I, 31 : *Locutus est ad eos verba pacifica in dolo.* Jerem. IX, 8 : *Sagitta vulnerans lingua eorum, dolum locuta est.* Et nota, quod cum sermo sit medium cogitationis et operis, dupliciter sit dolosus, comparatione ad cogitationem, cum aliud dicitur et aliud cogitatur. Unde Hieronymus : « Ille dolose agit in lingua, qui aliud cogitat, « aliud dicit. » Et Augustinus idem dicit hic in Glossa. Vel comparatione ad opus, ut cum aliud dicitur, et aliud fit. Unde Hieronymus : « Quoniam non egit dolum « in lingua, ut quæ locutus est ore, com« pleat opere. » Primo modo adulantes decipiunt proximos, Isa. III, 12 : *Popule meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt.* Secundo modo dolosi sunt promittentes, et non solventes quæ promittunt, Prov. XXV, 14 : *Nubes, et ventus, et pluviæ non sequentes, vir gloriosus, et promissa non complens.* Eccli. IV, 34 : *Noli citatus esse in lingua tua : et inutilis, et remissus in operibus tuis.*

Sermo medius inter cogitationem et opus fit dupliciter dolosus.

« *Nec fecit.* » Hic secundum, in quo tactis bonis quæ sunt in perfecto viro, ostendit mala quæ removentur ab illo, et

[1] Cf. Isa. XXIX, 13.

dicuntur duo. Primo, quod nullum malum ex se facit. Secundo, quod nec consentit facienti, ibi, « *Et opprobrium.* »

Dicit ergo sic : Oportet esse bonum ingredientem, perfectum, et etiam qui talis sit, quod nec fecerit proximo suo malum, multo fortius nec sibi. I ad Thessal. IV, 6 : *Ne quis supergrediatur, neque circumveniat fratrem suum.* Talis erat Paulus, II ad Cor. VII, 2 : *Neminem læsimus, neminem corrupimus, neminem circumvenimus.* Et dicit minus, et plus significat. Non enim sufficit non facere malum proximo, sed necesse est bonum exhibere. Levit. XIX, 18 : *Diliges amicum tuum.* Alia littera, « Proximum. » Matth. V, 44 : *Diligite inimicos vestros, et benefacite his, qui oderunt vos.* Seneca ad Lucilium : « Membra sumus corporis magni, natura « nos cognatos edidit, cum ex eisdem « et in eadem gigneret. Hinc nobis amo- « rem indidit mutuum et sociales fecit. « Ex illius constitutione misereri est ne- « cesse, quam lege, hic in pectore, hic in « ore : sic homo sum, nihil humanum a « me alienum puto. » Sed ut idem Seneca dicit :

Natura ad charitatem inclinat nos, illam corrumpimus.

Non hospes ab hospite tutus,
Non socer a genero, fratrum quoque gratia rara est.

Sumpsit hæc ab Ovidio.

« Et sanguini eorum non parcitur, pro « quibus sanguis fundendus esset. » Michæ. VII, 2 : *Omnes in sanguine insidiantur ; vir fratrem suum ad mortem venatur.*

« *Et opprobrium.* » Hic tertium, in quo ostendit, quod nec facienti consentit perfectus : in quo sunt duo. Primo, quod detrahenti proximo non consentit. Secundo, quod nec suggerenti diabolo consentit, ibi, « *Ad nihilum deductus est.* »

Dicit ergo sic : Malum proximo non fecit perfectus qui ingreditur, et etiam « *opprobrium* » a detrahente, et deferente de proximo, « *non accipit,* » cum illo detrahendo, sed magis continuit, juxta illud Sap. I, 11 : *A detractione parcite linguæ.* Eccli. XIX, 10 : *Audisti verbum adversus proximum tuum, commoriatur in te : fidens quoniam non te disrumpet.* Imo etiam non recepit detrahentem, sed magis confudit eum, et detractionem annihilavit : foventes enim detractores detractiones libenter audiunt. Hieronymus : « Si « deesset auditor, deesset et detractor. » Rabanus : « Detrahere, aut detrahentem « audire, quid horum damnabilius non « facile dixerim. » Propter hoc dicitur Eccli. XXVIII, 28 : *Sepi aures tuas spinis,* id est, linguam nequam noli audire, sed magis dissipa, et destrue illam. Proverb. XXV, 23 : *Ventus aquilo dissipat pluvias, et facies tristis linguam detrahentem.*

« *Ad nihilum.* » Ecce secundum. Qua- 4
si sic diceret : Repellit detrahentem, et etiam quod majus est, « *malignus,* » diabolus scilicet, et membra ejus, suggerens malum, « *ad nihilum deductus est,* » non substantia sua et natura, sed quantum ad potentiam et virtutem. « *In conspectu ejus* » suggestionibus assensum præbendo. Job, XXIX, 17 : *Conterebam molas iniqui* suggerentis mihi malum, *et de dentibus illius auferebam prædam.* Etiam retrahendo illum qui præbuerat consensum. I Joan. II, 13 : *Scribo vobis adolescentes, quoniam vicistis malignum.* Deuter. XXVIII, 7 : *Dabit Dominus inimicos tuos... corruentes in conspectu tuo.* Hæc autem annihilatio fit per timorem Dei, per quem declinatur a malo. Prov. XV, 27 : *Per timorem Domini declinat omnis a malo.*

« *Timentes autem Dominum.* » Hic secundum. Determinatis enim conditionibus per quas perfectis est ingressus, subjungitur de conditionibus ad imperfectos pertinentibus : non enim solum perfecti habitabunt in tabernaculo, et requiescent in monte sancto, sed et imperfecti. Et tanguntur tres conditiones talium. Prima pertinet ad cor : secunda, ad os, ibi,

« *Qui jurat.* » Tertia ad opus, ibi, « *Qui pecuniam.* »

Dicit ergo sic : Intrabunt perfecti, nec tantum isti : imo « *Dominus glorificat timentes Dominum.* » Eccli. I, 11 : *Timor Domini, gloria, et gloriatio, et lætitia, et corona exsultationis.* Prima istarum causa est sive occasio vel præparatio ad hoc. Est autem timor imperfectorum. I Joan. IV, 18 : *Perfecta charitas foras mittit timorem.* Eccli. I, 16, et in Psal. CX, 10 : *Initium sapientiæ timor Domini.* Et Job, XXVIII, 28 : *Timor Domini, ipsa est sapientia : et recedere a malo, intelligentia.* Hieronymus autem sic dicit : « Hinc discamus justos laudare, « si justi sumus. » Et vult dicere, quod vir justus glorificat timentes Dominum. Unde idem Hieronymus : « Justus timen- « tes Dominum magnificat, quia scit in- « habitare Deum. » Boni enim a nobis laudandi sunt et glorificandi, Proverb. X, 7 : *Memoria justi cum laudibus.* Verbum enim semen est, Act. XVII, 18 : *Quid vult seminiverbius hic dicere ?* Verbum ergo laudis semen bonum est, quod seminatur in illum qui laudatur, et si bona terra est, affert fructum. Luc. VIII, 15 : *Quod in bonam terram cecidit, hi sunt, qui in corde bono et optimo audientes verbum retinent, et fructum afferunt in patentia.* Stultissimi autem sunt qui in mala terra, hoc est, in malis hoc semen spargunt. Psal. X secundum Hebræos, 3 : *Laudatur peccator in desideriis animæ suæ.* Huc accedit illud Aggæ I, 6 : *Seminastis multum*, malos commendando, *et intulistis parum*, nihil reportando.

De juramenti usu.

« *Qui jurat proximo suo.* » Hic secundum quod pertinet ad os, scilicet jurare sine deceptione : jurare enim imperfectionis est, sed falsum jurare iniquitatis est : omnino non jurare perfectionis, nisi in casu, sicut jam dicetur. Matth. V, 34-38 : *Ego dico vobis non jurare omnino... Sit autem sermo vester, est, est : non, non : quod autem his abundantius est, a malo est,* ejus scilicet cui juratur. Sed nulla deceptio ex parte jurantis debet esse. Levit. XIX, 11 : *Non decipiet unusquisque proximum suum.* Eccli. XXIII, 13 : *Si frustraverit aliquis fratrem suum, delictum illius super ipsum erit.* Ezechiel. XVII, 15 : *Qui dissolvit pactum, numquid effugiet ?* Quasi diceret : Non. Zachar. VIII, 17 : *Juramentum mendax ne diligatis.*

Et est notandum hic, quod aliquando juratur pro proximo, cum recte purgatur a crimine, super quo accusatur. Juratur contra proximum, ut recte convincatur. Quæ juramenta possunt esse perfectorum. Tertio etiam modo, cum compelluntur esse testes : non enim est testis nisi juratus. Juratur autem proximo, cum ei promittitur aliquid, quod sine juramento debet fieri a perfectis, cum juramento ab imperfectis. Augustinus : « Falsa jura- « tio criminosa, vera periculosa, nulla « secura. Qui non jurat, non peccat, imo « longe est a peccato : sed qui vere jurat, « prope est ut peccet. » « Est autem ju- « ramentum, sicut dicit Cassiodorus, sub « attestatione divina aliquid polliceri. » Notandum autem, quod specialiter jurare licet multis de causis. Pro veritate confirmanda : sic legimus jurasse Paulum, II ad Cor. I, 23 : *Testem Deum invoco in animam meam, quod parcens vobis, non veni ultra Corinthum.* Pro pace confirmanda. Sic Jacob juravit Laban, Genes. XXXI, 53 : *Juravit Jacob per timorem patris sui Isaac.* Pro amicitia conservanda : sic Abimelech et Ocozath et Phicol dux militum juraverunt Isaac, et ipse eis, Genes. XXVI, 31 : *Surgentes mane juraverunt sibi mutuo : dimisitque eos.* Pro veritate in judicio adstruenda, Deut. XIX, 15 : *In ore duorum, aut trium testium stabit omne verbum.* Sed non est testis nisi juratus. Pro calumnia vitanda, ut in principio litis jurant suspecti, quod non impedient adversarium injuste, Ad Hebr. VI, 16 : *Omnis controversiæ eorum finis, ad confirmationem est juramentum.* Pro fidelitate servanda, ut quando aliquis princeps constituitur, II Reg. V, 3 : *Ve-*

Quibus de causis jurandum?

nerunt quoque et seniores Israel ad regem in Hebron, et percussit cum eis rex David fœdus in Hebron coram Domino. Pro obedientia servanda, ut quando quis fit Episcopus, jurant ei subditi clerici. Pro conservatione et confirmatione promissi, in Psal. CIX, 4 : *Juravit Dominus, et non pœnitebit eum.* Pro purgatione suspicionis de crimine per manum quintam vel sextam, Deut. XXI, 6 et 7 : *Lavabunt* vel levabunt *manus suas super vitulam,... et dicent : Manus nostræ non effuderunt sanguinem hunc.* Pro consuetudine conservanda, sicut canonicus cum installatur, jurat se servaturum Ecclesiæ statuta.

5 « *Qui pecuniam suam non dedit ad usuram.* » Hic tangitur quod est ex parte operis : et tanguntur duo, quorum primum respicit exhibitionem beneficii in infimo gradu : secundum, innocentiam vel carentiam inferendi malum, ibi, « *Et munera.* »

Dicit ergo sic : Qui jurat et non decipit, glorificabitur, si hoc etiam habuerit quod fuerit, « *qui pecuniam suam non dedit ad usuram,* » hoc est, si pecuniam suam dedit ad mutuum, sed sic quod mercedem non accepit, secundum illud Luc. VI, 35 : *Mutuum date nihil inde sperantes.* Ezech. XVIII, 8 : *Si... ad usuram non commodaverit, et amplius non acceperit.* Dare enim simpliciter perfectorum est, mutuari imperfectorum, sed nolle dare vel mutuare, sed accipere pro mutuo, iniquum. Nec est contrarium illud quod dicitur, Deut. XXIII, 19 : *Non fœnerabis fratri tuo :... sed alieno* : illud enim permissum fuit de minori malo, sicut dare libellum repudii, Deut. XXIV, 1. Sed postmodum promotum est, ut tandem simpliciter usura prohiberetur. Sicut hic per David, et Ezech. XVIII, 13 et seq. Et notandum, quod est multiplex usura. Pecuniæ, sicut hic tangitur. Culpæ, de qua in Psal. LXXI, 14 : *Ex usuris et iniquitate redimet animas eorum,* etc.

Multiplex usura.

Doctrinæ, Luc. XIX, 23 : *Quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, ut ego veniens cum usuris utique exegissem illam?* Eleemosynæ, Proverb. XIX, 17 : *Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis.* Quia, Matth. XIX, 29, dicitur : *Centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit,* Et nota, quod dicit « *suam,* » non quia liceat alicui dare pecuniam alienam ad usuram, sed ut notaret quod duplex est usura. Una sortis, quando aliquis pro viginti accipit triginta. Alia usura, quando ipsas usuras convertunt quasi in sortem, et propter ipsas etiam accipiunt usuras, et vocatur *improbum fœnus,* et tales usuras exercens infamis fit ipso jure.

« *Et munera.* » Quasi sic diceret : Beneficium exhibuit, sed nec nocuit in hoc ut munera super innocentem acciperet pro ejus innocentia conservanda. Vel « *super innocentem non accepit,* » id est, contra innocentem. Nullo enim modo accipere munera perfectorum est. Isa. XXXIII, 15 : *Qui excutit manus suas ab omni munere,... iste in excelsis habitabit.* Accipere, sed non contra innocentem, imperfectorum est : sed accipere etiam ad subvertendum justitiam, est iniquum. Proverb. XVII, 23 : *Munera de sinu impius accipit, ut pervertat semitas judicii.* Job, XV, 34 : *Ignis devorabit tabernacula eorum, qui libenter munera accipiunt.* Tales enim et justitiam corrumpunt, et seipsos. Municeps enim corrumpitur ex duobus corruptis secundum Donatum. Tales excommunicantur, Deuter. XXVII, 25 : *Maledictus qui accipit munera, ut percutiat animam sanguinis innocentis : et dicet omnis populus : Amen.* Item excæcantur, Exod. XXIII, 8 : *Non accipies munera quæ etiam excæcant prudentes, et subvertunt verba justorum.* Item, in futuro judicio damnabuntur, Isa. V, 23 : *Væ qui justificatis impium pro muneribus, et justitiam justi aufertis ab eo.* Post judicium æterno igne cruciabuntur, sicut dictum est, Job, XV, 34 : *Ignis devorabit,* etc.

« *Qui facit hæc.* » Hic tertium, scilicet generalis conclusio tam ex parte perfectorum quam exparte imperfectorum. Quasi diceret : Qui facit hæc, id est, qui per imperfectorum gradus ascenderit ad statum perfectorum, et per illum usque ad summum sicut sunt ordinati, « *non movebitur in æternum,* » ab ipso tabernaculo et monte Dei. Proverb. x, 30 : *Justus non commovebitur in æternum.* Talis enim filius Dei efficitur, non remanens servus peccati. Joan. viii, 35 : *Servus non manet in domo in æternum : filius autem manet in æternum.*

Et nota, quod dicit : « *Qui facit hæc,* » non qui audit. Ad Roman. ii, 13 : *Non auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur.* Jacob. i, 22 :*Estote factores verbi, et non auditores tantum : fallentes vosmetipsos.* Matth. vii, 24 : *Omnis, qui audivit verba mea hæc, et facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificavit domum suam super petram,* Christum scilicet, I ad Cor. x, 4 : *Petra autem erat Christus.*

PSALMUS XV.

Justus invocat Deum partem hæreditatis suæ : resurrectionem sperat.

1. *Tituli inscriptio, ipsi David.*
Conserva me, Domine, quoniam speravi in te.
2. Dixi Domino : Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.
3. Sanctis, qui sunt in terra ejus, mirificavit omnes voluntates meas in eis.
4. Multiplicatæ sunt infirmitates eorum : postea acceleraverunt.
Non congregabo conventicula eorum de sanguinibus : nec memor ero nominum eorum per labia mea.
5. Dominus pars hæreditatis meæ, et calicis mei : tu es qui restitues hæreditatem meam mihi.
6. Funes ceciderunt mihi in præclaris : etenim hæreditas mea præclara est mihi.
7. Benedicam Dominum, qui tribuit mihi intellectum : insuper et usque ad noctem increpuerunt me renes mei.
8. Providebam Dominum in conspectu meo semper [1], quoniam a dextris est mihi, ne commovear.
9. Propter hoc lætatum est cor meum, et exsultavit lingua mea : insuper et caro mea requiescet in spe.
10. Quoniam non derelinques animam meam in inferno [2], nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.
11. Notas mihi fecisti vias vitæ ; adimplebis me lætitia cum vultu tuo : delectationes in dextera tua usque in finem.

[1] Act, II, 25.

[2] Act. II, 31, et XIII, 35.

IN PSALMUS XV

COMMENTARIUS.

1 *Tituli inscriptio, ipsi David* [1].

« *Conserva me Domine.* » Hic est Psalmus decimus quintus, in quo postquam determinatum est de liberatione Ecclesiæ ab impugnantibus Gentilibus et Judæis, subjungitur consequenter de gratia liberante ipsam ab infirmitate retrahente ipsam a bono, et hoc per Christum. Per Christum enim infunditur gratia, per quam infirmitates in bonum convertuntur, ut jam non retrahant a Deo, sed magis ad Deum nos impellant. Et hoc designatur satis in titulo qui talis est, « *Titulo inscriptio, ipsi David,* » hoc est, non materiali David, sed vero, adscribendum est bonum de quo agitur in hoc Psalmo. Regula enim est, quod ubi discretivum nomen, *ipsum*, additur David, intelligatur non materialis David, sed spiritualis, scilicet Christus. In hoc autem modo intitulandi Psalmos videtur Esdras spiritu prophetico subsannasse Judæos, qui Christum non crediderunt Regem et caput Ecclesiæ, a quo in eam influeret omne bonum, et intellexisse spiritu prophetico factum Pilati, qui scripsit titulum et apposuit super caput Christi crucifixi : *Hic*

Ordo et argumentum Psalmi: post persecutiones gratia liberans ab infirmitatibus.

1. Ce cantique porte le titre de מכתם, *miktham*, mot qu'on retrouve en tête des psaumes LVI-LX, et qu'on fait venir ordinairement de כתם, *katham*, graver, sculpter, d'où la traduction des LXX : στηλογραφία, et du Targum : « sculptura recta. » D'après cette étymologie, le titre indiquerait un morceau de grande importance, digne d'être gravé sur la pierre comme les paroles de Job, XIX, 24, comme les caractères sacrés des hieroghyphes egyptiens et les inscriptions des stèles étrangères. « Titulus inscriptus, prophetiam exprimens admirandam, æternaque scriptura, ceu incippo insculpta, dignam. » Euseb. « Ipso Davide propheta illud ceu in columna inscribente, ad posteros transmittendum. » S. Athan. On a proposé pour ce mot d'autres explications qui, partant d'étymologies différentes, reviennent à la même idée générale. De l'expression poétique כתם, *kethem*, qui veut dire « or », *miktham* signifierait : « carmen aureum » ; de l'arabe *katham*, cacher, il prendrait le sens de « chant mystérieux ; » le syriaque *kathem*, souiller, maquer, noter, ferait de *miktham* un « chant notable, » remarquable. Quelques anciennes versions divisent le mot en deux, מך, *mak*, humble, et תם, *tham*, parfait : Aq. : τοῦ ταπεινόφρονος καὶ ἁπλοῦ (Symm. : ἀμώμου) τοῦ Δαυίδ, S. Hier. : « humilis et simplicis. » La poésie des Juifs modernes rend *miktham* par ἐπίγραμμα. Nous sommes donc en toute hypothèse en face d'un chant dont le titre signale l'importance.

Le psaume est bien réellement de David, Hitzig lui-même le confesse. On y reconnatre les archaïsmes et les aramaïsmes habituels au roi d'Israel, sa vivacité de langage ordinaire, et les tournures pittoresques empruntées aux populations étrangères au milieu desquelles il vécut jusqu'à la mort de Saül. C'est, selon toute apparence, pendant les derniers temps de ce roi qu'il composa ce chant. Réfugié près du roi Achis, il fut invité au nom de l'hospitalité reçue à marcher contre les troupes d'Israël, contre « ces nobles hommes en qui il mettait tout son plaisir, » et que la politique autant que la sympathie lui défendait de combattre. Heureusement les alliés d'Achis n'eurent pas confiance en David, et celui-ci fut dispensé de prendre part à la guerre. Il retournait à Siceleg, que lui avait donnée son protecteur, quand il apprit que les Amalécites avaient pillé la ville en son absence (I Reg. XXVII-XXX). En cette occasion, David entouré d'idolâtres, et regrettant plus vivement que jamais la patrie dont l'hostilité de Saül lui fermait les portes, proteste qu'il ne veut connaître et servir d'autre Dieu que Jehova, qui un jour lui rendra la joie et lui ménagera le triomphe, mais qui surtout le delivrera de la mort éternelle. Patrizi, etc.

Le caractère messianique du psaume est indubi-

est Jesus Nazaremus Rex Judæorum[1], non alius. Unde volentibus ut corrigeret, imo magis ut corrumperet titulum, non acquievit, dicens, Joan. xix, 22 : *Quod scripsi, scripsi.* Et nota Glossam Hieronymi triplicem titulum distinguentem. Tres enim sunt tituli : cadit autem titulus hic sub tertia specie, quia ad præconium Christi pertinet, sicut ille qui positus est in cruce.

Psalmus, autem dividitur in tres partes. Primo, oratio Christi ad Patrem in quantum homo est, pro sui conservatione, et suorum. Secundo, ostendit se exauditum narrando beneficia a Deo sibi exhibita, et exhibendi modus, ibi, « *Sanctis qui sunt.* » Tertio, gratiarum actio pro bonis exhibitis, ibi, « *Benedicam Dominum,* etc. »

In prima duo. Primo, petitio. Secundo, probatio quod debeat exaudiri, ibi, « *Quoniam speravi.* »

Dicit ergo : O « *Domine conserva me,* » id est, me cum membris meis serva. Sic oravit, Joan. xvii, 11 : *Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi.* Et exauditus est. Servavit enim eum Deus Pater, et suos. Sap. x, 5 : *Scivit justum, conservavit sine et querela Deo.* In hoc nos instruit, ut non tantum pro nobis oremus, sed alios adjungamus. Sic orabat Esther, vii, 3 : *Dona mihi animam meam pro qua rogo, et populum meum pro quo obsecro.* Gregorius : « Preces « suas plus valere facit, qui eas pro aliis « impendit. »

In hoc etiam ostendit, quod qui cum

table. Les raisons qui le démontrent sont les suivantes : 1° Le jour même de la Pentecôte S. Pierre, dans son premier discours au peuple, applique à Jésus les ℣℣.8-10, non pas, dans un sens spirituel ou accommodatice, mais dans le sens le plus littéral, et toute son argumentation est visiblement inspiré de manière à ne laisser aucun doute sur ce point. Act. ii, 25-31. Il commence par éliminer toute interprétation qui appliquerait les versets en question à David, « quoniam defunctus est, et sepultus, et sepulcrum ejus est apud nos usque in hodiernum diem. » Puis il affirme catégoriquement le caractère prophétique des paroles du saint roi : « *Propheta* igitur cum esset... *providens* locutus est de resurrectione Christi. » Plus tard, S. Paul à Antioche, reprend la même thèse et applique à Notre Seigneur, à l'exclusion formelle de David, le ℣, 10 du psaume. Act. xiii, 35-37. On ne saurait avoir d'interprétation ni plus claire ni plus authentique. 2° Les Juifs auditeurs des Apôtres, regardaient unanimement ce texte comme s'appliquant au Messie, autrement S. Pierre et S. Paul n'auraient pas pu s'en servir sans donner lieu à de vives réclamations de la part de leurs auditeurs. 3° La tradition catholique a toujours entendu ce psaume dans le sens messianique : « Illum apud inferos non remansurum, sed die tertio resurrecturum, prophetæ cecinerant. David in psalmo xv : Non derelinques, etc. » Lactant. Divin. Inst. iv, 19. « Negari non potest secundum interpretationem quia iste psalmus de passione et resurrectione Christi prohetasse videatur. » S. Hilar. « Quis in ea spe diceret requievisse carnem suam, ut non derelicta anima sua in inferno, sed cito ad eam redeunte reviviseeret, ne corrumperetur, sicut cadavera corrumpi solent, nisi qui die tertio resurrexit ? Quod utique dicere non possunt de propheta et rege David. » S. Aug. de Civ. Dei, xvii, 18. Ex persona Salvatoris dictus est hic psalmus, sed secundum humanam ejus naturam. » Theod. Cfr. S. Bernard. sup. Cant. xxxv. Theodore de Mopsueste, qui prétendait que les Apôtre avaient appliqué ce psaume à Notre Seigneur par accommodation, fut comndané de ce chef au second concile de Constantinople. Jesus-Christ est donc l'objet direct et immédiat du ℣. 10. « Nec vero mirum videri debet Davidem, qui in antegressis de se locutus fuerat, in extrema illa psalmi parte, jam quasi subito abreptum, Christi personam agere ; id enim sæpe alias facit in suis Psalmis, tamquam Christi typus. » de Muis.

L'Église qui fait usage de ce psaume à l'office du Samedi-Saint, l'applique aussi aux nouveaux tonsurés, à raison des ℣℣. 5 et 6.

H. Lesêtre.

1 Matth. xxvii, 37 : *Et imposuerunt super caput ejus causam ipsius scriptam* : HIC EST JESUS REX JUDÆORUM.

Marc. xv, 26 : *Et erat titulus causæ ejus inscriptus* : REX JUDÆORUM.

Luc. xxiii, 38 : *Erat autem et superscriptio scripta super eum litteris græcis et latinis, et Hebraicis* : HIC EST REX JUDÆORUM.

Joan. xix, 19 : *Scripsit autem et titulum Pilatus : et posuit super crucem. Erat autem scriptum :* JESUS NAZARENUS, REX JUDÆORUM.

aliis vivit, si sint boni, facilius servatur a peccato. Quasi diceret : O Domine, me cum aliis existentem serva. Matth. xviii, 20 : *Ubi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Hinc arguit Salomon, Eccle. iv, 9 et 10 : *Melius est ergo duos*, id est, plures *esse simul, quam unum : habent enim emolumentum societatis suæ. Si unus ceciderit, ab altero fulcietur. Væ soli : quia cum ceciderit, non habet sublevantem se.* Notatur etiam, quod libero arbitrio Deus cooperatur, ut sit sensus : Domine conserva me, et hoc mecum, ita scilicet quod ego cooperer tibi. I ad Corinth. iii, 9 : *Dei sumus adjutores.*

Triplex exaudiendæ orationis ratio.

« *Quoniam speravi in te.* » Hic tangitur triplex initium per quod probat se exaudiendum. Primo, per spem quam habet in Deo. Secundo, per fidei confessionem, ibi, « *Dixi Domino.* » Tertio, propter humilitatem, ibi, « *Quoniam bonorum.* »

Dicit ergo sic : *Conserva me Domine*, et debes, *quoniam speravi in te :* et tu es, *qui salvos facis sperantes in te* [1]. I Machab. ii, 61 : *Omnes, qui sperant in Domino, non infirmantur.* Et potes hoc facere solo verbo. Sapient. xvi, 26 : *Sermo tuus hos qui in te crediderint, conservat.*

Triplex spes.

Et nota, quod dicit, « *Speravi in te,* » ut notetur spes formata. Est enim spes veniæ quæ procedit ex fide miraculorum qua credimus Deum esse, et speramus eum futurum misericordem. Et est spes gratiæ quæ procedit ex fide promissionum, qua credimus Deo, et speramus futurum veracem. Et est spes gloriæ, quæ procedit ex adimpletione mandatorum cum fide formata, et facit animam tendere in Deum. De hac loquitur hic.

« *Dixi Domino.* » Hic secundum. 2
Quasi diceret sic : Non tantum speravi, sed dixi et corde et ore, non contradicendo opere, « *Deus meus es tu.* » Ad Roman. x, 10 : *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Sic tamen ut opus adjungatur. Ad Tit. i, 16 : *Confitentur se nosse Deum* corde, per fidem informem, et ore per confessionem, *factis autem negant.* Sic, Matth. vii, 21, dicitur : *Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum.* Sed oportet quod tertium *Domine* adjungatur.

« *Quoniam bonorum.* » Ecce tertium. Quasi diceret : Hoc dixi humiliando veraciter. « *Quoniam bonorum meorum non eges.* » Notandum, quod hoc dicit Christus homo : bonorum enim Christus si non eguit, multo fortius nec alicujus aliorum. Act. xvii, 25 : *Non indigens aliquo, cum ipse det omnibus vitam, et inspirationem.* I ad Corinth. iv, 7 : *Quid habes quod non accepisti ?* Job, xxii, 3, et xxxv, 7 : *Quid conferes ei, si immaculata fuerit vita tua ?... Porro si juste egeris, quid donabis ei ? aut quid de manu tua accipiet ?* Et vere non indiget, sicut sol oculis nostris non indiget ut clare fulgeat, sicut fons non indiget potatore ut fluat : sed magis oculus indiget sole ut videat, et sitibundus fonte ut bibat. Jacob. i, 5 : *Qui dat omnibus affluenter, et nulli improperat.*

« *Sanctis qui sunt in terra ejus.* » Hic 3
est secundum in quo confitetur Christus se esse exauditum, et dicuntur duo. Primo, quod voluntatem ejus Pater implevit. Secundo, ostendit modum et ordinem quo implevit, ibi, « *Multiplicatæ sunt.* »

Dicit ergo : Rogavit Patrem, et ipse « *omnes voluntates meas,* » non aliquas

[1] Psal. xvi, 7.

tantum « *mirificavit,* » id est, mirifice adimplevit « *in eis,* » Sanctis « *qui sunt in terra ejus,* » Ecclesia scilicet militante, et triumphante. Utraque est illa terra de qua dicitur in Psal. xxvi, 13 : *Credo videre bona Domini in terra viventium.* Eccle. i, 4 : *Terra autem in æternum stat.* In Ecclesia quidem militante vivitur vita gratiæ, in triumphante vero vita gloriæ. Item, « *in terra ejus sunt,* » imo terra ejus sunt qui audito verbo Dei fructum faciunt. Terra, inquam, bona, de qua dicitur, Luc. viii, 15 : *Quod autem in bonam terram : hi sunt, qui in corde bono et optimo audientes verbum retinent, et fructum afferunt in patientia.* Terra mala sunt, qui non nisi spinas et tribulos referunt. Gen. iii, 17 et 18 : *Maledicta terra in opere tuo, spinas et tribulos germinabit tibi.* De utraque dicitur simul, ad Hebr. vi, 7 et 8 : *Terra sæpe venientem super se bibens imbrem, et generans herbam opportunam illis, a quibus colitur : accipit benedictionem a Deo. Proferens autem spinas, ac tribulos, reproba est, et maledicto proxima.*

Multiplex in Christo voluntas.

Et nota, quod omnes voluntates Christi mirificavit Deus Pater. Voluntatem divinitatis qua ipse omnia quæcumque voluit, fecit, omnia de nihilo faciendo, Sapient. ii, 2 : Nos *ex nihilo nati sumus.* Voluntatem rationis, quia voluit mori, Isa. liii, 7 : *Oblatus est quia ipse voluit,* statuendo et ad effectum perducendo quod moreretur. Quid enim mirabilius est quam immortalem mori, et impassibilem pati ? Marc. xv, 44 : *Pilatus mirabatur si jam obiisset.* Voluntatem sensualitatis, qua voluit non mori, Matth. xxvi, 39 : *Transeat a me calix iste : verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* Hanc fecit mirabilem, ipsum resuscitando. Magis enim mirabile videbatur mortuum et sepultum resuscitari. Daniel. vi, 27 : *Ipse liberator atque salvator, faciens signa, et mirabilia in cœlo.* Propter hoc dicebat Thomas : *Nisi videro in manibus ejus fixuras clavorum, et mittam manum meam in latus ejus, non credam*[1].

« *Multiplicatæ sunt.* » Hic ostendit modum et ordinem quo mirificavit, et dicuntur quatuor. Primo, stimulatio Sanctorum. Secundo, acceleratio stimulatorum, ibi, « *Postea acceleraverunt.* » Tertio, destructio antiqui ritus, ibi, « *Non congregabo.* » Quarto, collatio bonorum, ibi, « *Nec memor ero.* » 4

Modus liberantis gratiæ.

Dicit ergo sic : Mirificavit in Sanctis omnes voluntates meas : et hoc ordine, « *Infirmitates eorum multiplicatæ sunt,* » sub lege naturali et Mosaica. « *Postea acceleraverunt,* » currendo desiderio et affectu ad gratiam. Isa. xxvi, 16 : *Domine in angustia requisierunt te.* Osee, vi, 1 : *In tribulatione sua mane consurgent ad me.* Exod. ii, 23 : *Ingemiscentes filii Israel, propter omnia vociferati sunt.* Tribulationes enim sunt stimuli, pigrum peccatorem et oneratum peccatis stimulantes, ut ad Deum currat. Gregorius : « Mala quæ nos hic premunt, ad Deum « nos ire compellunt. » In hoc redarguuntur duo genera hominum, scilicet murmurantes in flagellis contra Deum, similes amentibus, qui contra medicum et medicinam frendent. Psal. xxxiv, 16 : *Dissipati sunt, nec compuncti, subsannaverunt me subsannatione : frenduerunt super me dentibus suis.* Tales sunt sicut lethargicus, qui molestum reputat stimulantem et excitantem se. Arguuntur et incorrigibiles, qui deteriores efficiuntur flagellis, et non corriguntur. Jerem. ii, 30 : *Frustra percussi filios vestros, disciplinam non receperunt.* Et in cap. v, 3 : *Percussisti eos, et non doluerunt : attrivisti eos, et renuerunt accipere discipli-*

Bonus et malus afflictionum usus.

[1] Joan. xx, 25.

Quare ad Deum sit festinandum?

nam : induraverunt facies suas supra petram, et noluerunt reverti. Et nota, quod accelerandum est ad Deum quadruplici ratione. Primo, quia periculose hic conversamur inter inimicos homines et dæmones. Homines, Michæ. VII, 6 : *Inimici hominis domestici ejus.* Dæmones, Psalm. XXX, 14 : *Accipere animam meam consiliati sunt.* De utrisque, Ezech. II, 6 : *Subversores sunt tecum,* mali scilicet homines, *et cum scorpionibus habitas,* scilicet dæmonibus. Secundo, quia ad magna vocamur. Isa. LXIV, 4 [1], et I ad Corinth. II, 9 : *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum.* Matth. XXII, 4 : *Omnia parata* sunt : *venite ad nuptias.* Tertio, quia diu exspectamur a Deo, et a suis. A Deo : Ad Rom. II, 4 : *An divitias bonitatis ejus, et patientiæ, et longanimitatis contemnis ?* A suis : In Psal. CXLI, 8 : *Me exspectant justi, donec retribuas mihi.* Et valde diu exspectamus, quia a principio mundi. Matth. XXV, 34 : *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi.* Quarto, ne forte excludamur cum fatuis virginibus. Matth. XXV, 10 : *Quæ paratæ erant, intraverunt cum eo ad nuptias, et clausa est janua.* Ibi Gregorius : « O si saperet « palato cordis quantum admirationis « habet, *Ecce sponsus venit :* quantum « dulcedinis, *Intraverunt cum eo ad nuptias :* quantum amaritudinis, *Clausa est « janua !* Luc. XIII, 25 : *Cum intraverit paterfamilias, et clauserit ostium, incipietis foris stare dicentes : Domine, Domine, aperi nobis. Et respondens dicet vobis : Nescio vos unde sitis.* Propter hoc, bonum est consilium Apostoli ad Hebr. IV, 11 : *Festinemus ergo ingredi in illam requiem.*

« *Non congregabo.* » Ecce tertium. Quasi sic diceret : Stimulantur infirmitatibus, et accelerabunt desideriis et orationibus, et non more antiquo : quia « *non congregabo conventicula eorum de sanguinibus,* » immolatorum animalium gloriantia. Quasi diceret : Ritus de immolationibus destruetur, ut impleatur prophetia Isaiæ, I, 11 : *Holocausta arietum, et adipem pinguium, et sanguinem vitulorum et agnorum nolui.* Et in Psal. XXXIX, 7 : *Sacrificium et oblationem noluisti.* Pro sanguine autem animalium ablato ab Ecclesia, substitutus est sanguis Christi. Matth. XXVI, 27 et 28 : *Bibite ex hoc omnes. Hic est enim sanguis meus novi testamenti.* Sed pro illo rediit sanguis parentum carnalium : de sanguinibus enim Episcoporum et Prælatorum, conventicula Ecclesiæ congregantur. Michæ. III, 9 et 10 : *Audite hoc principes domus Jacob, et judices domus Israel : quia abominamini judicium, et omnia recta pervertitis, qui ædificatis Sion in sanguinibus.* Talibus ædificatoribus væ. Habac. II, 12 : *Væ qui ædificat civitatem in sanguinibus :* et ipsis conventiculis sic ædificatis væ. Nahum, III, 1 : *Væ civitas sanguinum, universa mendacii dilaceratione plena.* Christus Ecclesiam in sanguine suo fundavit, et ipsi in suo destruunt eam. Eccli. XXXIV, 28 : *Unus ædificans, et unus destruens : quid prodest illis nisi labor ?* Isa. XLIX, 17 : *Venerunt structores tui, destruentes te.*

Mutatio antiquorum sacrificiorum in Christi sanguinem, cui substituitur sanguis cognatorum in ruinam Ecclesiæ.

« *Nec memor ero.* » Hic quartum, quæ bona sunt collata eis : et primo quæ bona in præsenti receperunt, secundo quæ in spe, ibi, « *Dominus pars.* »

Dicit ergo : Sic legales ritus destruuntur, « *nec memor ero nominum eorum,* » saltem « *per labia mea.* » Quasi diceret : Nominibus quibus solent nominari Israelitæ, scilicet Judæi peccatores, et Gentiles

[1] Isa. LXIV, 4 : *A sæculo non audierent, neque auribus perceperunt ; oculus non vidit, Deus, absque te, quæ præparasti exspectantibus te.*

non nominabuntur amplius : sed magis novo nomine, scilicet Christiani. Isa. LXII, 2 : *Vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini nominabit.* Osee, I, 10 : *Et erit in loco ubi dicetur eis : Non populus meus vos ; dicetur eis : Filii Dei viventis.* Hinc est quod baptizatis et renovatis per gratiam, nomina imponuntur tamquam veteribus ablatis. Isa. XIV, 22 : *Perdam Babylonis nomen, et reliquias, et germen, et progeniem.* « Labia autem « Dei per quæ nominat, sicut dicit Glos- « sa, sunt Scripturæ, in quibus sic nomi- « nabuntur, » sicut dictum est. Sicut Apostoli et Doctores per quos loquitur Deus, sunt ipsa propria labia ejus per quæ impios alloquetur in judicio quando dicet : *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum* [1].

5 « *Dominus pars hæreditatis meæ.* » Hic tangit bona collata in spe, scilicet bona æterna : et dicuntur duo. Primo, quod æternum regnum sibi et suis dabit. Secundo, describit dandum, ibi, « *Funes ceciderunt.* »

In prima tria. Primum, quod Deus est sibi et suis præmium. Secundo, ostendit meritum hujus præmii, ibi, « *Et calicis.* » Tertio, per quem habebit ipsum, ibi, « *Tu es qui restitues.* »

Dicit ergo sic : Vocati sunt ad gratiam vetere errore destructo, et tandem in futuro « *Dominus pars* erit *hæreditatis meæ*, » hoc est, pars mea, et meorum portio hæreditaria, ut sit intransitiva constructio. Num. XVIII, 20 : *Ego pars et hæreditas tua.* Et in Psal. LXXII, 26 : *Pars mea Deus in æternum.* Vel potest esse constructio transitiva ut sit sensus : Dominus erit pars hæreditatis meæ, Gentium scilicet, quæ mihi datæ sunt pro hæreditate. In Psal. II, 8, supra : *Postula a me, et dabo tibi Gentes hæreditatem tuam.* Et alibi : Psal. XXXII, 12 : *Populus, quem elegit in hæreditatem sibi.* Hujus hæreditatis pars Deus erit. Deuter, X, 9 : *Quamobrem non habuit Levi partem, neque possessionem, cum fratribus suis : quia ipse Dominus possessio ejus est, sicut promisit ei Dominus Deus tuus.* Augustinus : « Deus totus tuus erit. « Eum manducabis ne esurias, eum bi- « bes ne sitias, illuminaberis ab eo ne « cæcus fias, eo fulcieris ne deficias, pos- « sidebit te totum integrum totus inte- « ger. » Isa. LXI, 7 : *Laudabunt partem suam*, tamquam bonam et optimam.

« *Et calicis mei.* » Hic secundum, in quo tangit meritum tantæ hæreditatis, scilicet calicem passionis. Quasi diceret : Dominus est pars mei et meorum. Et est « *pars calicis mei,* » id est, mortis meæ, et passionis præmium. Hic est calix, de quo dicitur, Matth. XXVI, 39 : *Transeat a me calix iste.* Hic est calix quem obtulit consanguineis, Jacobo scilicet et Joanni petentibus hæreditatem prædictam, Matth. XX, 22 : *Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum ?* Ac si diceret : Portionem hæreditatis non habebitis, nisi per meritum passionis. II ad Cor. I, 7 : *Scientes quod sicut socii passionum estis, sic eritis et consolationum :* aliter non. Passio autem *calix* dicitur : quia, sicut dicit Isidorius, « calices et calathi, a « materia dicuntur, a ligno quod Græci « κάλον dicunt. » Christus autem poculum mortis crucis bibit. Ad Philipp. II, 8 : *Factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Item, sicut dicit Cassiodorus, « calix dicitur a calida potione, « quoniam sicut ille potione cor hominis « exhilarat bibitus, secundum illud, *Et* « *vinum lætificet cor hominis* [2] : sic Pas- « sio Christi fideliter recordata, accendit « cor et exhilarat charitate. » Osee, XIV, 8 : *Memoriale ejus*, morientis in cruce sua, *sicut vinum Libani* bibam. Item,

Cur passio Christi dicatur calix ?

[1] Matth. XXV, 41.

[2] Psal. CIII, 15.

calix dicitur passio : quia potus medicinalis consuevit dari in scypho, qui proprie dicitur *calix*. Et passio Christi, quam bibit tamquam caput nostrum, toti corpori medicinalis fuit. Isa. LIII, 5 : *Livore ejus sanati sumus*.

« *Tu es qui restitues.* » Hic tertium, in quo ostenditur per quem hæc hæreditas habebitur. Quasi diceret : Sic Dominus erit pars hæreditatis meæ, merito passionis, sed o tu Domine « *tu es,* » non alius, « *qui restitues hæreditatem meam mihi* », in membris meis prædictam mihi. Per peccatum enim primi hominis amissa erat hæreditas regni cœlestis. Isa. LII, 4 : *In Ægyptum descendit populus meus in principio, ut colonus esset ibi : et Assur absque ulla causa calumniatus est eum,* eum ab æterna hæreditate excludendo. Sed hanc hæreditatem Deus restituit, quando humanitatem Filio uniri voluit. Isa. XLIX, 6 et 8 : *Dedi te in lucem gentium :... et dedi te in fœdus populi, ut suscitares terram, et possideres hæreditates dissipatas*. De hac restitutione quærebant Apostoli, Act. I, 6 : *Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israel ?* Genes. XL, 12 : *Tres adhuc dies sunt : post quos recordabitur Pharao ministerii tui, et restituet te in gradum pristinum.* Dei etiam Filius secundum quod Dominus, hæreditatem suam quasi amiserat, quando jam totus fere mundus in infidelitatem conversus erat : sed hæreditatem restituit ei Pater, quando gentilitas ad fidem conversa est. Psal. XXXII, 12 : *Populus quem elegit in hæreditatem sibi.* Sicut etiam hodie Dominus hæreditates pro se relinquentibus tandem restituit, secundum illud quod promittit, Matth. XIX, 29 : *Et omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet*, etc.

6 « *Funes ceciderunt* ». Hic subjungitur hæreditatis descriptio, et dicuntur duo. Primo, quod hæc hæreditas est excellens. Secundo, quod si non omnibus, tamen recte judicanti, ibi, « *Etenim hæreditas.* »

Dicit ergo : Hæreditatem habebo Dominum : et vere magnam et excellentem portionem, quia « *funes* », scilicet mensurationes, « *ceciderunt mihi in præclaris.* » Quasi diceret : Præclarior et melior mihi accidit pars universitatis. Hæc est enim illa portio, de qua dicitur, Luc. X, 42 : *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea* in æternum. Non talis portio quærentium mundana : quia Proverb. XX, 21, dicitur : *Hæreditas, ad quam festinatur in principio, in novissimo benedictione carebit.* Et nota, quod sunt funes mali, blandimenta sæculi, quibus anima irretitur. Proverb. VII, 16 : *Intexui funibus lectulum meum.* Deteriores funes sunt peccata, ad quos pervenitur per primos. Proverb. V, 22 : *Funibus peccatorum suorum* quisque *constringitur.* Et per hos ulterius ad pessimos, scilicet supplicia gehennæ. Job, XL, 20 : *Numquid... et fune ligabis linguam ejus* ? Sed boni funes sunt funes pœnitentiæ. Jerem. XXXVIII, 13 : *Et extraxerunt Jeremiam funibus, et eduxerunt eum de lacu.* Per hos liberamur a funibus miseriæ præsentis, de quibus Osee, XI, 4 : *In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis.* Traham, inquam, ad funes gloriæ, de quibus hic.

« *Etenim hæreditas mea.* » Ecce secundum. Quasi diceret sic : Forte non videtur omnibus in præclaris mihi funes cecidisse : tamen « *hæreditas mea præclara est mihi,* » qui de rebus scio æstimare veritatem. Jerem. III, 19 : *Et tribuam tibi terram desiderabilem, hæreditatem præclaram.* Præclara, id est, præ omnibus clara et pulchra. Sap. VII, 9 : *Quoniam omne aurum, in comparatione illius, arena est exigua.* Vere præclarum est recipere gloriam funiculo duplici mensuratam, scilicet gloriam corporis et animæ. Habet et increatam, Ezech. XLVII, 13 : *Quia Joseph duplicem funiculum habet.*

Et bene dicit, « *mihi*, » quia soli justo hæreditas æterna præclara est. Ei enim nihil omnino præponit, sicut Naboth, qui mori maluit quam hæreditatem vendere, vel pro aliquo commutare [1]. Non sic reprobi : imo sicut Esau pro modica lenticula temporalium rerum commutant æterna. Esau dedit primogenita pro lenticula rufa, quæ ei jure hæreditario competebant [2].

7 Tertia pars Psalmi. « *Benedicam Dominum.* » Hic tertia pars Psalmi, in qua tangitur gratiarum actio pro beneficiis a Deo Patre datis Christo in se et in suis, vel dandis : et dividitur in duas partes. Primo, de beneficiis Christo datis vel dandis in se. Secundo, de datis in suis, ibi, « *Notas fecisti mihi.* »

Prima pars dividitur in duas. Primo, agit gratias pro beneficio sibi datæ a Patre notitiæ. Secundo, pro beneficio præsentiæ semper et ubique conservatæ, ibi, « *Providebam Dominum.* »

In prima duo secundum duplicem notitiam, comprehensionis, pro qua primo gratias agit : et experimentalis, pro qua secundo, ibi, « *Et usque ad noctem.* »

Dicit ergo : Hæc bona mihi a Deo sunt collata, et etiam conferenda, et propter hoc « *benedicam Dominum, qui,* » id est, quia ille, « *tribuit mihi intellectum,* » quo potui hæreditatem de qua locutus sum, comprehendere, et sic jam possidere. Joan. xvii, 3 : *Hæc est vita æterna : Ut cognoscant te, solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum.* Jesus enim fuit semper comprehensor, et in mortali corpore vitam possedit æternam, quantum ad animam. In hoc autem instruimur gratias agere, maxime de parte intellectiva. Proverb. xxii, 9 : *Victoriam et honorem acquiret qui dat munera : animam autem aufert accipientium.* Inter omnes autem creaturas nobilissima est intellectus, quem dat nobis Deus in corpore, tamquam pretiosum thesaurum in fictili vase. II ad Corinth. iv, 7 : *Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus.* Maxime autem sunt gratiæ referendæ a Doctoribus, quibus non est data nuda potentia, sed intellectus illustratus sapientia. Eccli. li, 23 : *Danti mihi sapientiam, dabo gloriam :* sed tunc præcipue cum sapientia non tantum illuminat intellectum, sed etiam inclinat affectum. Eccli. xxxii, 17 : *Et super his omnibus benedicito Dominum, qui fecit te, et inebriantem te ab omnibus bonis suis.*

« *Insuper.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Non tantum Dominum benedico propter intellectum mihi datum, sed etiam benedico, quia « *increpuerunt me renes mei,* » instruendo experimentali notitia. Unde littera alia, « Erudierunt me renes mei, » mea scilicet humanitas et mortalitas : sicut enim in homine renes inferius sunt, sic id quod fuit inferius in Christo, scilicet humanitas, per renes intelligitur. Et hoc « *usque ad noctem,* » scilicet mortem, vel mortis tenebrositatem. Corpus enim Christi quamvis a divinitate numquam fuit derelictum, tamen anima, quæ est quasi lux corporis, ab ipso fuit in triduo separata. Et sic facta est quasi quædam nox. Et hæc eruditio « *insuper* » facta est, scilicet super primam. Ad Hebr. v, 8 : *Et quidem cum esset Filius Dei, didicit ex iis, quæ passus est, obedientiam :* scilicet experimentaliter. Propter hoc dicitur ad Hebr. iv, 15 : *Non habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris ; tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato.* Judæi etiam renes Christi possunt appellari, quia ex eis carnem sumpsit, et ab eis est fortiter increpatus usque ad mortem. Nota, quod mors dicitur nox, quia in morte fit nox. Eccle. xii, 2 : *An-*

[1] Cf. III Reg. xxi, 1 et seq.

[2] Cf. Gen. xxv, 29 et seq.

tequam tenebrescat sol, visus scilicet, qui est totius corporis lucerna. Matth. vi, 22 : *Lucerna corporis tui est oculus tuus.* Item, in nocte quiescitur. Ambrosius in *Exam.* : « Nox ad quietem corporis « data est : non ad alicujus functionem « operis. » Sic et Joan. ix, 4 : *Veniet nox, quando nemo potest operari.* Item, nox universa animalia ad propria habitacula reducit. Sic mors corpora ad sepulcrum, Psal. xlviii, 12 : « *Et sepulcra eorum domus illorum in æternum.* Et animas ad loca debita, Eccle. xii, 5 : *Quoniam ibit homo in domum æternitatis suæ.* Specialiter autem mors Christi nox dicitur. Ipse enim est Sol justitiæ, Malach. iv, 2 : *Et orietur vobis timentibus nomen meum Sol justitiæ.* Ortus ergo ejus diem fecit, II ad Corinth. vi, 2 : *Ecce nunc dies salutis*, scilicet Jesu. Ergo occasus ejus noctem facere debuit. In meridie ergo cum occubuit, nox fuit. Isa. xvi, 3 : *Pone quasi noctem umbram tuam in meridie.* Matth. xxvii, 45 : *A sexta autem hora tenebræ factæ sunt super universam terram.*

8 « *Providebam.* » Hic secundum : et tanguuntur tria. Primo recolit, referendo gratias, beneficium præsentiæ patris : secundo, beneficium confirmationis, ibi, « *Quoniam a dextris.* » Tertio, gratiarum actio pro illis, ibi, « *Propter hoc lætatum.* »

Dicit ergo : « *Providebam Dominum in conspectu meo*, » assistentem, non ad tempus, sed « *semper* » Joan. viii, 16 : *Quia solus non sum : sed ego, et qui misit me, Pater*, et non dimisit me solum. Et est argumentum, quod Christus dormiens, imo etiam patiens fruebatur. Justorum autem est Deum semper, pro loco scilicet et tempore, providere ut Dominum, ut omnium inspectorem, Proverb. v, 21 : *Respicit Dominus vias hominis, et omnes gressus ejus considerat.* Item, ut judicem, Sapient. vi, 4 : *Interrogabit opera vestra, et cogitationes scrutabitur.* Item, ut adjutorem, Psal. xciii, 17 : *Nisi quia Dominus adjuvit me*, etc. Tandem tamquam remuneratorem, Apocalyps. ii, 7 : *Vincenti dabo*, etc. Qui sic respicit, non potest non curari a peccato [1]. Propter hoc dicitur, Eccli. xxxix, 6 : *Justus cor suum tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum, qui fecit illum, et in conspectu Altissimi, deprecabitur.*

« *Quoniam a dextris.* » Quasi diceret : Non tantum præsens est, sed etiam protegit : quoniam est mihi a dextris, protegens scilicet et favorabilis, « *ne commovear*, » impulsus tribulationibus magnis. Psal. cxvii, 13 : *Impulsus eversus sum ut caderem : et Dominus suscepit me.* Ecce a dextris fuit. Habentem enim Deum a dextris, timere non oportet ut cadat per impatientiam in culpam. Job, xvii, 3 : *Libera me Domine, et pone me juxta te, et cujusvis manus pugnet contra me.* Proverb. iii, 25 : *Ne paveas repentino terrore, et irruentes tibi potentias impiorum. Dominus enim erit in latere tuo, et custodiet pedem tuum ne capiaris.* Propter hoc dicitur de justo, quod Deus videt semper in conspectu suo. Proverb. x, 30 : *Justus in æternum non commovebitur.* Et nota, quod est dextera mundi, prosperitas temporalis. I Reg. vi, 12 : *Et non declinabant*, scilicet vaccæ, *neque ad dexteram neque ad sinistram.* Et excellentia potestatis. Matth. xx, 21 : *Dic ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam*, quasi in potestate excellentiori, *et unus ad sinistram*, tamquam minor. Hæc est dextera, de qua dicitur in Psal. xxv, 10 : *Dextera eorum repleta est muneribus.* Potentibus enim dantur munera, non pauperibus. Et est dextera

Multiplex dextera hominis et Dei.

[1] Cf. Numer. xxi, 6 et seq. de serpente æneo.

hominis præter materialem duplex. Amicus specialis, Matth. v, 30 : *Si dextera tua scandalizat te, abscide eam, et projice abs te.* Rectitudo sermonis, Matth. vi, 3 : *Nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua*, hoc est, intentioni tuæ non misceatur mala. Et est dextera Dei quadruplex. Filius, In Psal. cxvii, 16 : *Dextera Domini fecit virtutem.* Eccli. xxxvi, 7 : *Glorifica manum, et brachium dextrum.* Vita æterna, Cantic. ii, 6 : *Dextera illius amplexabitur me.* Potiora bona Patris, Marc. xvi, 19 : *Assumptus est in cœlum, et sedet a dextris Dei*, ubi Stephanus eum vidit [1]. Protectio Dei, ut hic.

9 « *Propter hoc.* » Ecce tertium. Quasi sic diceret : Protegis sic, et assistis. « *Propter hoc lœtatum est cor meum,* » interiori lætitia, « *et exultavit lingua mea* » exteriori gaudio, quod interius erat, educens exterius, ne lateret. Simile, Isa. lxvi, 10 : *Lætamini cum Jerusalem, et exsultate in ea omnes qui diligitis Dominum.* Et xii, 6 : *Exsulta, et lauda habitatio Sion.* Joel, ii, 23 : *Et filii Sion exultate et lætamini in Domino Deo vestro* I Reg. ii, 1 : *Exultavit,* extra per linguam saltavit, *cor meum in Domino... quia lætata* sum interius *in salutari tuo*, in quo solo lætandum. Esther, xiv, 16 *et* 17 : *Tu scis... quod numquam lætata sit ancilla tua... nisi in te Domine,* sicut poterat dicere humana in Christo natura. Et nota, quod dicit Seneca : « Garrula res est exsultatio : la« tentem enim interius accusat lætitiam. »

Tria beneficia Christo collata.

« *Insuper et caro.* » Hic secundum in quo agit gratias pro beneficiis sibi in se dandis, quæ sunt tria, ut loquatur de Christo ante orante Passionem. Primum est certa Resurrectionis exspectatio. Secundum, animæ revocatio a Limbo, ibi, « *Quoniam non derelinques.* » Tertium, corporis interim a putrefactione conservatio, ibi, « *Non dabis.* »

Dicit ergo : « *Benedicam* » propter data, « *et lætabor :* » « *insuper et caro mea,* » per mortem anima separata « *requiescet* » in sepulcro, « *in spe* » resurgendi ad immortalitatem veraciter et velociter. Supra, in Psal. iii, 6 : *Ego dormivi et soporatus sum, et exsurrexi.* Omnes enim sperare debemus, quod ad immortalitatem simus resurrecturi. Sap. iii, 4 : *Spes illorum immortalitate plena est.* II Machab. vii, 11 : *Propter Dei leges nunc hæc ipsa despicio,* membra scilicet mea, *quoniam ab ipso* in resurrectione *me ea recepturum spero.* Sed Christus acceleravit tertia die resurgens. I ad Corinth. xv, 4 : *Et quia sepultus est, et quia resurrexit tertia die secundum Scripturas.* Et nota, quod caro dicit, et non corpus : quia, sicut dicit Isidorus, « caro et corpus di« versa significant : nam caro est quæ vi« vit, corpus etiam quod non vivit. » Licet enim caro Christi esset ab anima separata, quæ est vita carnis propria, erat ei tamen unita divinitas quæ est vita vera.

Nota etiam quod dicit, « *requiescet,* » ut ostendat mortem suam fuisse dormitionem et quietem. Quare autem dormitio, dictum fuit supra satis. Sed quare requies, cum jaceret caro illa tenerrima undique duris lapidibus circumsepta ? II Reg. xxiii, 8 : *Ipse est quasi tenerrimus ligni vermiculus.* Sed dicendum, quod requies dicitur comparatione ad laborem quem sustinuerat in cruce : quantumcumque enim duro jacere in lecto tolerabilius est, quam clavis perforantibus affigi cruci. Item, post profundam et fortis vini ebrietatem, profunda requies necessaria est ut vinum digeratur, sed Christus in cruce inebriatus est fortissime. Thren. iii, 15 : *Replevit me amaritudinibus, inebriavit me absinthio.* Propter hoc passionem calicem appellabat, Matth.

[1] Cf. Act. vii, 55.

xxvi, 39: *Transeat a me calix iste.* Calix, inquam, inebrians. In Psal. xxii, 5: *Et calix meus inebrians quam præclarus est!* Propter hoc de resurgente dicitur, Psal. lxxvii, 65: *Et excitatus est tamquam dormiens Dominus, tamquam potens crapulatus a vino,* vel potans. Potentes enim frequenter potantes sunt. Quidni ergo requiesceret qui sic laboraverat, et sic inebriatus erat?

10 « *Quoniam non derelinques.* » Ecce secundum. Quasi diceret: Vere « *requiescet in spe caro mea, quoniam non derelinques* » sicut alias, animam meam in inferno, scilicet in limbo, qui dicitur infernus etiam inferior. Infernus enim qui supra, est aer iste caliginosus, in quo sunt dæmones nunc: sed inferior infernus est limbus: sed infimus, damnatorum locus. Psal. lxxxv, 13: *Eruisti animam meam ex inferno inferiori.* Nec debuit relinqui ibi anima Christi: quia in ea non fuit culpa, quæ est existendi ibi causa. I Pet. ii, 22: *Peccatum non fecit*[1]. Item, in inferno non meruit derelinqui, qui numquam existens in mundo Deum dereliquit: nullum enim derelinquit Deus, nisi prius ab eo fuerit derelictus. I Paral. xxviii, 9: *Si dereliqueris eum,* scilicet Dominum, *projiciet te in æternum.* Et II Paral. xv, 2: *Si autem dereliqueritis eum, derelinquet vos.* Item, nullum omnino ejus diabolus habuit ut eum teneret. Joan. xiv, 30: *Venit princeps mundi hujus, et in me non habet quidquam.* Item, ex charitate illuc descendit: factum autem ex charitate nulli umquam nocuit. Ad Rom. xiii, 10: *Dilectio proximi malum non operatur.* I Joan. iv, 12: *Si diligamus invicem, Deus in nobis manet,* et non deseret nos. Et propter hoc inde rediit cum suis quos inde traxit. Zachar. ix, 11: *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua.*

Infernus triplex.

« *Nec dabis Sanctum tuum.* » Ecce tertium. Quasi diceret: Non solum animam non derelinques in inferno, sed etiam « *non dabis Sanctum tuum,* » scilicet corpus meum, a te sanctificatum, « *videre,* » id est, sentire vel sustinere, « *corruptionem.* » Sed contra id in alio Psalmo, xxix, 10: *Quæ utilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem?* Sed responsio est, quod est multiplex corruptio, Actualis culpæ, de qua ad Galat. vi, 8: *Qui seminat in carne sua, de carne et metet corruptionem.* Sap. xiv, 25: *Omnia commixta sunt, sanguis, homicidium, furtum, et fictio,* etc. Et corruptio fomitis, I ad Cor. xv, 50: *Caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt: neque corruptio incorruptelam possidebit.* Et putrefactionis post mortem, Jonæ, ii, 7: *Sublevabis de corruptione vitam meam, Domine Deus meus.* Eccli. viii, 6: *Memento quoniam omnes in corruptione sumus.* Nulla harum in Christo fuit. Sed est corruptio pœnalitatis et mortis, de qua loquitur Psalmista ibi. Ad Rom. viii, 21: *Quia et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei.*

Corruptio multiplex.

« *Notas mihi fecisti.* » Hic secundum tertiæ partis totius Psalmi, in quo agendo gratias recolit beneficia in suis suscepta, vel suscipienda, ibi, « *Adimplebis.* » 11

Dicit ergo: Benedicam: quia in persona mea dedisti prædicta, et etiam « *quia notas fecisti mihi,* » hoc est, membris meis, per meipsum caput, « *vias vitæ,* » implens illam petitionem. Psal. xxiv, 4: *Vias tuas, Domine, demonstra mihi.* Jerem. xxi, 8: *Ecce ego do coram vobis viam vitæ, et viam mortis.*

[1] Cf. Isa. liii, 10: *Eo quod iniquitatem non fecerit, neque dolus fuerit in ore ejus.*

Et nota, quod est via vitæ quæ est ipsa vita, scilicet ipse Christus, qui se nobis notum fecit. Joan. xiv, 6 : *Ego sum via, et veritas, et vita*. Hæc est via per quam spargitur lux [1]. Et est via vitæ quæ ducit ad vitam, quamvis vita non sit in se, scilicet disciplina, et pœnitentia. Prov. x, 17 : *Via vitæ custodienti disciplinam*. Et hanc notam fecit, Matth. iv, 17 : *Pœnitentiam agite*. Imo descripsit, Matth. vii, 14 : *Arcta est via, quæ ducit ad vitam*. Imo ut certiores nos redderet, per eam ambulavit, Mich. ii, 13 : *Ascendet pandens iter ante eos*. Propter hoc dicitur, Joan. viii, 12 : *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ*.

« *Adimplebis me lætitia*. » Ecce beneficia danda in futuro. Primum, quantum ad intellectum perfecta cognitione illustrandum. Secundum, quoad affectum perfecta delectatione perfundendum, ibi, « *Delectationes*. »

Dicit ergo : Sic fecisti, sed tandem « *adimplebis me*, » in meis : nec enim jam implesti « *lætitia cum vultu tuo*, » visione scilicet tua et cognitione certa. I ad Corinth. xiii, 12 : *Videmus nunc per speculum in ænigmate : tunc autem facie ad faciem*. Et hæc visio delectabilis intellectui. Job, xxxiii, 26 : *Et videbit faciem ejus in jubilo*. Quippe Joan. xvii, 3 : *Hæc est vita æterna*, etc.

« *Delectationes*. » Ecce secundum. Quasi sic diceret : « *Adimplebis me lætitia* : » et delectationes mihi dandæ, quæ sunt usque « *in finem*, » id est, perfectæ et consummatæ, sunt « *in dextera tua*, » scilicet parata ad dandum. Proverb. iii, 16 : *Longitudo dierum in dextera ejus*. Et nota, quod delectatio magna, et quasi inchoata erit de bono proximi in patria. Major et quasi media de bono sui : sed maxima et in finem consummata de bono Dei. Hæc erit quæ totum replebit. Psal. lxiv, 6 : *Replebimur in bonis domus tuæ*. Hæc est Sanctorum plenitudo. Eccli. xxiv, 16 : *Et in plenitudine sanctorum detentio mea*.

[1] Job, xxviii, 23 : *Deus intelligit viam ejus, et ipse novit locum illius*.

PSALMUS XVI.

Justus ab inimicis liberari poscit : sperat beatitudinem.

1. *Oratio David.*
Exaudi Domine, justitiam meam : intende deprecationem meam.
Auribus percipe orationem meam, non in labiis dolosis.
2. De vultu tuo judicium meum prodeat ; oculi tui videant æquitates.
3. Probasti cor meum, et visitasti nocte ; igne me examinasti, et non est inventa in me iniquitas.
4. Ut non loquatur os meum opera hominum, propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras.
5. Perfice gressus meos in semitis tuis, ut non moveantur vestigia mea.
6. Ego clamavi, quoniam exaudisti me, Deus : inclina aurem tuam mihi, et exaudi verba mea.
7. Mirifica misericordias tuas, qui salvos facis sperantes in te.
8. A resistentibus dexteræ tuæ custodi me, ut pupillam oculi.
Sub umbra alarum tuarum protege me,
9. A facie impiorum qui me afflixerunt ;
Inimici mei animam meam circumdederunt ;
10. Adipem suum concluserunt ; os eorum locutum est superbiam.
11. Projicientes me nunc circumdederunt me : oculos suos statuerunt declinare in terram.
12. Susceperunt me sicut leo paratus ad prædam, et sicut catulus leonis habitans in abditis.
13. Exsurge Domine ; præveni eum, et supplanta eum : eripe animam meam ab impio, frameam tuam.
14. Ab inimicis manus tuæ.
Domine a paucis de terra divide eos in vita eorum : de absconditis tuis adimpletus est venter eorum.
Saturati sunt filiis, et dimiserunt reliquias suas parvulis suis.
15. Ego autem in justitia apparebo conspectui tuo : satiabor cum apparuerit gloria tua.

IN PSALMUM XVI

COMMENTARIUS.

1 *Oratio David* [1].

« *Exaudi Domine, justitiam meam.* » Hic est Psalmus decimus sextus, in quo postquam actum de beneficiis Christo exhibitis quantum ad repressionem infirmitatis, subjungitur consequenter oratio pro beneficiis exhibendis, quantum ad remotionem tribulationis exterioris, et difficultatis procedendi in bono. Quamvis enim contingat hominem esse sanum, tamen et viæ difficultas, et inimici in via possunt progressum ejus impedire. In hoc ergo Psalmo gratia ad viæ sustinendum laborem, et ad sustinendos inimicos ostenditur data justo, et maxime capiti justorum Christo. Sed quia nullus potest habere illam per se, nisi ei detur a Deo, Matth. xxiv, 20 : *Orate autem ut non fiat fuga vestra in hieme, vel sabbato :* propter hoc ostenditur habita ab orante, et quasi orationis merito. Unde Psalmus intitulatur, « *Oratio David.* » Et est omnium sic intitulatorum primus. Et est sensus : « *Oratio* » quam composuit « *David* », et convenit cuique justo in via Domini volenti proficere [2].

Dividitur ergo Psalmus iste in duas partes. In prima petitur gratia contra laborem itineris, ut possit sustineri : sed quia in itinere potenti laborare, occurrunt aliquando inimici : in secunda agitur de petitione gratiæ contra inimicos progressum viæ impedientes, ibi, ℣. 6, « *Ego clamavi.* » Vel aliter : Primo, petit se exaudiri ratione justitiæ, quæ est in se. Secundo, ratione misericordiæ quæ est in Deo. **Argumentum et divisio.**

Prima dividitur in tres. Primo, convertit sermonem ad Dei bonitatem : secundo, ad Dei sapientiam, ibi, « *De vultu tuo.* » Tertio, ad Dei potentiam, ibi, « *Perfice gressus meos.* »

Prima pars in tres, secundum triplex meritum quod allegat. Justitiæ in opere, deprecationis in ore, ibi, « *Intende deprecationem meam.* » Rectæ intentionis in corde, ibi, « *Auribus percipe.* »

Dicit ergo : « *Exaudi Domine.* » Sed quid ? « *Justitiam meam.* » Quasi diceret : Ad meam respice justitiam et exaudi. Justitia enim, sicut dicit Glossa, vim vocis habet. Quippe, Prov. viii, 1 : *Prudentia dat vocem suam :* et nihil sine voce est. Imo ipsa injustitia clamorem habet. Gen. xviii, 20 : *Clamor Sodomorum et Gomorrhæ multiplicatus est.*

[1] *Oratio, thefillah,* adressée au Seigneur par David persécuté. Le prophète la composa, selon toute apparence, à l'occasion de son séjour dans le désert de Maon, à environ trois heures au sud-ouest d'Hébron, I Reg. xxiii, 25. Ce psaume a beaucoup d'analogie avec le précédent ; les circonstances et le sujet sont les mêmes, les idées et les expressions ont une grande ressemblance. De part et d'autre, David s'adresse à עיל, *el*, le Dieu fort, xv, 1 et xvi, 6 ; et il emploie des expressions identiques, *shomreni*, xv, 1 et xvi, 8 ; *thamaq*, xv, 5 et xvi, 5.

Au sens spirituel, David est le type du Sauveur poursuivi par les Juifs, de l'Eglise persécutée et du juste en butte à la méchanceté des impies.

[2] Cf. II Reg. xx, 9 et 10.

Absit ergo justitiam esse mutam. Et nota, quod justitia Dei est ut dantis, nostra ut recipientis. I ad Cor. IV, 17 : *Quid habes, quod non accepisti ?* Cassiodorus : « Clamat actus, sermo, vita, et cogitatio, imo magis penetrant usque ad « Deum. » Eccli. XXXV, 21 : *Oratio humiliantis se* (quod est justitia, secundum illud Matth. III, 15 : *Sine modo : sic enim decet nos implere omnem justitiam*), *nubes penetrabit*. Joan. IX, 31 : *Si quis Dei cultor est, et voluntatem ejus facit, hunc exaudit*. Jud. IV, 121 : *Scitote quoniam exaudiet Dominus preces vestras, si manentes permanseritis in jejuniis, et orationibus, in conspectu Domini*. In Psal. CXVIII, 121 : *Feci judicium et justitiam : non tradas me calumniantibus me*. Jacob. V, 16 : *Multum valet deprecatio justi assidua*.

« *Intende deprecationem meam.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Non solum ad justitiam meam respice, sed « *intende*, » quod est plus quam exaudire, « *deprecationem meam*, » oris, quæ est proprie de malis amovendis. Sed videtur loqui minus grammatice, deberet dicere : « Intende orationi meæ. » Respondeo. Intendere tripliciter dicitur : aliquando enim tantum significat mentis diligentiam, et tunc regit dativum. Psal. LXVIII, 19 : *Intende animæ meæ et libera eam*. Aliquando significat operationem artificialem, et tunc idem est quod curvare arcum, et aliquid tale. Psalm. LVII, 8 : *Intendit arcum suum donec infirmentur*. Jerem. L, 14 : *Præparamini contra Babylonem per circuitum omnes qui tenditis arcum ; debellate eam*, et tunc semper jungitur accusativo. Sed deprecatio, quæ est pro malis amovendis, arcus est, quia, ut dicitur, arcus dicitur, quia arctat inimicum : quod facit deprecatio. Exod. XVII, 11 : *Cumque levaret Moyses manus, vincebat Israel : sin autem paululum remisisset, superabat Amalec*. Est ergo sensus : Non solum intende orationi meæ, sed intende ipsam orationem meam, ut sit sicut arcus tensus, arcens malum a me. Judith, IV, 13 : *Memores estote Moysi servi Domini, qui Amalec confidentem in virtute sua, et in potentia sua, et in exercitu suo, et in clypeis suis, et in curribus suis, et in equitibus suis, non ferro pugnando, sed precibus sanctis orando dejecit*.

« *Auribus percipe.* » Hic tertium. Quasi diceret : Non tantum exaudias justitiam, et intendas aures ad deprecationem, sed et « *percipe auribus*, » quod adhuc plus est, quam exaudire, vel intendere, « *orationem meam*, » factam, « *non in labiis dolosis*. » Quomodo labia dolosa, dictum est supra. In oratione proprie labia sunt dolosa, quando os non refertur ad cor, secundum illud Matth. XV, 8 : *Populus hic labiis me honorat : cor autem eorum longe est a me*. Augustinus in libro de *Speculo Clericorum* : « Hoc « versetur in corde, quod profertur in « ore. » Item, sunt labia dolosa, quando odium est in corde, et osculum in labiis. Mendaces habent labia dolosa. Tales non audit Dominus, sed potius, sicut dicitur, Prov. XIX, 9 : *Qui loquitur mendacia, peribit*. Sophistice loquentes, Eccli. XXXVII, 23 : *Qui sophistice loquitur, odibilis est : in omni re defraudabitur. Non est illi data a Domino gratia*. Sic in Juda, Matth. XXVI, 48 : *Quemcumque osculatus fuero, ipse est, tenete eum*. Talium labiorum non auditur oratio. Psal. XXX, 19 : *Muta fiant labia dolosa*. Nota de Joab, II Reg. XX, 9 et 10 qui tenens mentum Amasæ dixit : *Salve mi frater* : et osculatus est eum. *Porro Amasa non observavit gladium*.

« *De vultu tuo judicium meum prodeat.* » Hic quasi dirigit sermonem ad sapientiam, quod fuit secundum, et dicuntur duo. Primo petit, quod a divina sapientia ejus considerentur merita, et præmia illis danda. Secundo, explanat quæ sunt illa merita, quæ petit considerari, ibi, « *Probasti cor meum, et visitasti nocte*. » 2

In prima, sicut tactum est, primo petit

ut divina sapientia attendat merita : secundo, ut attendat præmia, quæ scilicet illi sunt danda, ibi, « *Oculi tui.* »

Dicit ergo : Sic bonitas tua exaudiat, intendat, et percipiat auribus : et « *judicium meum,* » discussio scilicet meritorum meorum, « *prodeat de vultu tuo,* » id est, de tua dispositione et sapientia, quæ cognosci te facit, sicut vultus hominem : ut possim dicere illud Isa. XLIX, 4 : *Judicium meum cum Domino, et opus meum cum Deo meo.* Et nota, quod judicium nostrum quo judicamus nos puniendo nos pro peccatis, de quo I ad Cor. XI, 31 : *Quod si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur*, debet procedere de vultu Dei, ex consideratione scilicet dispositionis divinæ, quia videmus eum sic suos affligere. Proverb. XI, 31 : *Si justus in terra recipit : quanto magis impius et peccator ?* Judicium etiam quo judicamus alios active de vultu ejus debet procedere, id est, ab ejus sapientia et illuminatione. III Reg. III, 9 : *Dabis ergo servo tuo cor docile, ut populum tuum possit judicare.*

« *Oculi tui videant æquitates.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Considera merita et etiam « *oculi tui* » spirituales, scilicet sapientia et intelligentia tua, « *videant,* » attendendo, non justitias districtas, sed « *æquitates.* » Æquitas enim est justitia cum misericordia mixta. Job, XXIII, 7 : *Proponat æquitatem contra me, et perveniat ad victoriam judicium meum.* Thren. III, 64 : *Reddes eis vicem Domine juxta opera manuum suarum.* Tob. III, 2 : *Omnes viæ tuæ Domine misericordia, et veritas, et judicium.*

3 « *Probasti cor eum.* » Hic secundum, in quo specificat illa merita, quæ vult Deum attendere : et primo, meritum cordis : secundo, oris, ibi, « *Ut non loquatur os meum.* » Tertio, operis, ibi, « *Propter verba.* »

Si autem quæritur, quare ordo pervertitur, superius enim allegaverat meritum operis, scilicet justitiam, et ultimo cordis : hic e contrario. Respondendum, quod quando fit oratio vel postulatio, ad hoc ut postulatio possit intrare, necesse est quod præcedat justitia, et ipsa debet informari intentione recta. Aliud autem est in meritorum ostensione : cum enim omne meritum incipiat a corde, et per os ulterius tendat in opus ostendens merita, debet incipere a corde, et pervenire ad os, et tandem ad opus. Et propter hoc ibi sic, hic autem sic.

Ad primum autem meritum, scilicet cordis pertinentia sunt tria, quæ tanguntur in littera. Primo, probatio : secundo, visitatio, ibi, « *Et visitasti nocte.* » Tertio, examinatio, ibi, « *Igne me examinasti.* » In probatione notatur acceptio a divina voluntate. In visitatione frequens inspectio approbati. In examinatione perfecta purgatio inspecti frequenter sicut contingit in auro. Primo probatur tangendo lapidem : secundo diligenter inspicitur, et frequenter hinc inde. Præterea igne examinatur, et ad perfectum purgatur.

Dicit ergo : Pensa merita, sicut dixi, quantum ad cor : quia « *probasti cor meum,* » tribulatione, « *nocte* » scilicet, id est, probatum invenisti. Vel per tentatiouem probatum reddidisti : vel invenisti per ipsam probatum. Tob. XII, 13 : *Quia acceptus eras Deo, necesse fuit ut tentatio probaret te.* Et nota, quod probamus ostendendo aliquid, disputando, et agendo in judicio. Act. XXIV, 13 : *Neque probare possunt tibi de quibus nunc me accusant.* Item, commendando. Sic loquitur Paulus, II ad Corinth. X, 18 : *Non enim qui seipsum commendat, ille probatus est : sed quem Deus commendat.* Eccli. XXXIV, 23 : *Dona iniquorum non probat Altissimus.* Item, experiendo et examinando quocumque modo. Luc. XII, 56 : *Faciem cœli et terræ nostis probare.* Ita hic accipitur.

« *Et visitasti.* » Quasi diceret : Diligenter et frequenter probando, « *nocte,* »

id est, tribulatione, quæ nox dicitur. Job, xxx, 17 : *Nocte os meum perforatur doloribus.* Et nota, quod visitatio aliquando sonat in simplicem præsentiam. Psal. xxvi, 4 : *Ut videam voluptatem Domini, et visitem templum ejus.* Aliquando in præsentiam affligentem ad correctionem. Psal. lxxxviii, 33 : *Visitabo in virga iniquitates eorum.* Amos, iii, 2 : *Tantummodo vos cognovi ex omnibus cognationibus terræ : idcirco visitabo super vos omnes iniquitates vestras.* Aliquando in præsentiam affligentem ad punitionem. Isa. xxvii, 1 : *Visitabit Dominus in gladio suo duro, et grandi, et forti, super Leviathan.* Et xxiv, 21 : *Visitabit Dominus super militiam cœli in excelso.* Aliquando vero importat præsentiam consolantem. Psal. cv, 4 : *Visita nos in salutari tuo.* Luc. i, 78 : *Visitavit nos, oriens ex alto.* Secundo modo accipitur hic.

« *Igne me examinasti.* » Purgando me « ab omni macula, et sic *non est inventa in me iniquitas.* » Isa. i, 25 : *Excoquam ad purum scoriam tuam,* et *auferam omne stannum tuum.* In primo igne me examinasti sicut examinatur argentum. Sed quomodo dicit, « *Non est inventa in me iniquitas ?* » Proverb. xx, 9 : *Quis potest dicere : Mundum est cor meum, purus sum a peccato ?* 1 Joan. i, 8 : *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus,* etc. Respondeo : Iniquitatem appellat peccatum non mortale, et quod potest dicere homo, cum se sentit per gratiam Dei sine illo. Job, xvi, 18 : *Hæc passus sum absque iniquitate manus meæ, cum haberem mundas ad Deum preces.* Et nota, quod in hoc versu tribulationem appellat *noctem,* et *ignem :* noctem quia quosdam excæcant, Sophon. i, 17 : *Tribulabo homines et ambulabunt ut cæci.* Ignem, quia alios illuminat. Sic Tobias illuminatus est felle piscis [1].

« *Ut non loquatur os meum.* » Hic allegat meritum oris. Ait enim sic : Examinasti cor, et ita examinasti, « *ut os meum non loquatur* jam *opera hominum.* » Opera enim loquitur qui peccanti adulatur, qui etiam aliorum peccatorum detrahendo recordatur. Quid enim sunt opera hominum proprie loquendo, nisi peccata ? Job, xxxi, 30 : *Non dedi ad peccandum guttur meum.* Ad Ephes. iv, 29 : *Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat.* 1 Pet. iv, 11 : *Si quis loquitur, quasi sermones Dei.* 4

« *Propter verba.* » Hic tertium, in quo ostendit meritum operis. Et primo, ostendit causam meriti : secundo, meritum, ibi, « *Ego custodivi.* »

Dicit ergo sic : De corde et ore et etiam « *propter verba labiorum tuorum,* » Scripturarum Veteris Testamenti et Novi, quæ sunt quasi duo labia. Vel Prophetarum, Jerem. xv, 19 : *Si separaveris pretiosum a vili, quasi os meum eris.*

« *Ego custodivi in opere vias duras,* » id est, operationes asperas, per naturam. Et si forte postea factæ sunt leves per gratiam, et assuefactionem. Isa. xl, 4 : *Erunt prava* ad ambulandum *in directa, et aspera in vias planas.* Asperæ enim sunt viæ, quibus incesserunt Sancti, et duræ. Ad Hebr. xi, 36 et 37 : *Alii,* scilicet sancti, *ludibria et verbera experti, insuper et vincula et carceres : lapidati sunt, secti sunt,* et cætera quæ commemorat ibi Apostolus. Dura via Laurentii et Vincentii super craticulam : et tamen propter verba labiorum Dei promittentis magna, hæc sustinuerunt. Gregorius : « Consideratio præmii minuit vim suplicii. » Hieronymus ad Antonium monachum :

[1] Cf. Tob. xi, 13 et 14.

« Nudum Christum nudus sequere. » Dicitur grande et difficile, sed magna sunt præmia. II Machab. vi, 30 : *Domine, qui habes sanctam scientiam, manifeste tu scis, quia cum a morte possem liberari, duros corporis sustineo dolores : secundum animam vero propter timorem tuum, libenter hæc patior.* Scio quod dicis, Psal. LXXXVIII, 35 : *Quæ procedunt de labiis meis, non faciam irrita.* Luc. IX, 62 : *Nemo mittens manum ad aratrum, et respiciens retro, aptus est regno Dei.* II Petr. II, 21 : *Melius erat illis non cognoscere viam justitiæ, quam post agnitionem, retrorsum converti ab eo, quod illis traditum est, sancto mandato.*

5 « *Perfice gressus meos.* » Hic est tertium totius primæ partis, in qua dirigit sermonem ad potentiam : potentiæ enim est inchoatum perficere : et dicuntur duo. Primo, petit in bono consummationem, ut non stet in mandatis, sed ut proficiat usque ad consilia adimplenda. Secundo, petit perseverantiam, ibi, « *ut non moveantur.* »

Ait ergo sic : Considera merita, et o tu potentissime « *perfice gressus meos,* » opera scilicet mea. Hi gressus de quibus Proverb. IV, 25 : *Palpebræ tuæ præcedant gressus tuos.* Hos perfice. Deut. XXXIII, 6 : *Perfectio tua, et doctrina tua viro sancto tuo, quem probasti in tentatione.* Job, IV. 6 : *Ubi est patientia tua, et perfectio viarum tuarum?* « *Perfice,* » inquam, non in latis viis peccatum, sed « *in semitis tuis.* » consiliis scilicet, de quibus Proverb. IV, 11 : *Ducam te per semitas æquitatis, quas cum ingressus fueris, non arctabuntur gressus tui.* Hanc semitam multi non inveniunt. Job, XXVIII, 7 : *Semitam ignoravit avis,* scilicet Christi. Et ita perfice, « *ut non moveantur* » ab eisdem semitis, « *vestigia mea :* » sed perseverem in illis. Vestigia exteriora operum humilitatis et obedientiæ : interiora, ut irascibilis semper maneat in detestatione mali quod relinquit, concupiscibilis in amore boni quod promisit. De vestigiis istis, Job, XIII, 27 : *Et vestigia, pedum meorum considerasti.* Sed, heu ! mihi multi hodie retrocedunt a vestigiis istis ! Isa. XXXIII, 8 : *Cessavit transiens per semitam, irritum factum est pactum.* Contra tales dicit Dominus,

« *Ego clamavi.* » Hic est secunda pars Psalmi in qua postquam petivit gratiam contra laborem viæ et duritiam, et quasi jam impetrata, confidenter orat contra inimicorum multitudinem viam ipsam impedientium. 6 Secunda pars Psalmi.

Et dividitur hæc pars in duas. Primo, petit conservationem et custodiam ab inimicis impedientibus profectum : secundo, contrariam retributionem illorum, et bonorum afflictorum ab illis, ibi, « *Exsurge Domine, præveni.* »

In prima sunt plura. Primo, petit cum confidentia magna exaudiri. Secundo, probat quod debeat exaudiri, ibi, « *Mirifica misericordias tuas.* Tertio, ponitur determinatio petitionis, scilicet in quo velit exaudiri, quia in custodia sui contra inimicos, ibi, « *A resistentibus dexteræ tuæ.* » Quarto, qualiter vult exaudiri, ibi, « *Ut pupillam oculi.* » Quinto, quomodo, ibi, « *Sub umbra alarum tuarum.* » Sexto, a quibus, ibi, « *A facie impiorum.* » Septimo, quare, ibi, « *Inimici mei.*

In prima tria tanguntur. Primo, certa confidentia impetrandi. Secundo, petitio de præparatione Domini ad exaudiendum, ibi, « *Inclina.* » Et tertio, promptitudo exaudiendi, ibi, « *Et exaudi me.* »

Dicit ergo sic : Petivi nec frustra : unde confidenter dico o Deus : « *Ego clamavi,* » ad hoc incitatus « *quoniam exaudisti me.* »

Sed objicitur : Ad quid clamas, si exauditus es ? Responsio. Exauditus sum in præcedenti petitione propter justitiam meam, et est mihi data fortitudo contra viæ difficultatem hic, et ob hoc confisus

clamo ad impetrandam gratiam contra impedientium multitudinem.

er Chri-s clamavis, ad quid ?

Clamavit autem Christus ter. In prædicatione, Joan. VII, 37 : *In novissimo autem die magno festivitatis, stabat Jesus, et clamabat, dicens : Si quis sitit, veniat ad me,... et bibat*, et sic excitabat dormientes in infidelitate. Clamavit secundo in suscitatione Lazari, Joan. XI, 43 : *Voce magna clamavit : Lazare veni foras*, ad suscitandum desperatos qui jam fœtent, sicut Lazarus, peccandi consuetudine. Clamavit tertio in cruce moriturus, Matth. XXVII, 50 : *Jesus autem iterum clamans voce magna, emisit spiritum*, ad emolliendos obduratos in peccatis : unde in eo clamore *petræ scissæ sunt, et monumenta aperta sunt*[1]. Sic clamavit et exauditus est. Joan. XI, 42 : *Ego sciebam quia semper me audis*. Ad Hebr. v, 7 : *Exauditus est pro sua reverentia*.

Quatuor de causis clamor noster non exauditur.

Et nota quatuor causas, propter quas aliquis clamans non exauditur. Prima, aversio auditoris, quod fit quando ficte petit : tunc enim Deus avertit aurem et fugit. Secunda, remissio clamoris, quod accidit in pigris. Isa. LVIII, 1 : *Clama, ne cesses*. Luc. XVIII, 1 et seq., mulier instans apud iniquum judicem est exaudita. Hanc pigritiam generat prosperitas. Psal. XXI, 3 : *Clamabo per diem*, supple, prosperitatis, *et non exaudies*. Tertio, clamantis distantia. Hæc in illis qui vagi sunt corde, discurrentes per res a Deo remotas. Talis oratio Pharisæorum, qui orabant in angulis platearum habentes cor ad temporale lucrum[2]. In Psal. LXXII, 27, *Qui elongant se a te, peribunt*. Quarta est interpositio inter clamantem, et illum ad quem clamat. Hæc est in peccatoribus et impiis, qui nubem malitiæ interponunt. Thren. III, 44 : *Opposuisti nubem tibi, ne transeat oratio*. Isa. LIX, 2 : *Iniquitates vestræ diviserunt inter vos et Deum vestrum*.

« *Inclina aurem tuam*, » et sic præpara te ad audiendum : et necesse est, quia in alto habitas et nos infra. Job, XI, 8 : *Excelsior cœlo est, et quid facies ?* Psal. CXIII, 16 : *Terram autem dedit filiis hominum*, etc. IV Reg. XIX, 16 : *Inclina aurem tuam*, misericordiam scilicet, quæ recipit orationes, sicut auris vocem. Supra, in Psal. X secundum Hebræos, 17 : *Desiderium pauperum exaudivit Dominus : præparationem cordis eorum audivit auris tua*.

« *Et exaudi*, » postquam sic te inclinaveris, « *verba mea*. » Dan. IX, 17 : *Nunc ergo exaudi Deus noster orationem servi tui, et preces ejus :* vel magis tuas, quia a te mihi inspiratæ. Dicit enim Gregorius : « Neminem exaudit Deus, nisi quem ut « precetur inspirat. »

« *Mirifica misericordias*. » Hic secun- 7
dum, in quo probat, quo debet exaudiri, allegans Dei misericordiam in sperantes. Repetit ergo breviter petitionem, et addit causam, ibi, « *Qui salvos*. »

Mira ostendit Deus sua attributa, præsertim misericordiam erga nos.

Dicit enim, « *Mirifica*, » mirabiles demonstra, « *misericordias tuas*, » exaudiendo me in petitis. Mirificat Deus aliquando potentiam, secundum illud Eccli. XLIII, 30 et 31 : *Ipse omnipotens super omnia opera sua : et mirabilis potentia ipsius*. Aliquando scientiam, secundum Psal. CXXXVIII, 6 : *Mirabilis facta est scientia tua ex me*. Sed super omnia mirabilem facit misericordiam. Cassiodorus : « Mi- « rabile esse non poterat, nisi quod « fuisset sub aliqua novitate conspectum. » Gregorius : « Primo misericordiam suam « mirabilem fecit, quando Filium suum pro « servis et inimicis mori constituit, sicut « cantat Ecclesia : O mira circa nos tuæ

[1] Matth. XXIX, 51 et 52.

[2] Cf. Matth. VI, 5 : *Et cum oratis, non eritis sicut hypocritæ, qui amant in synagogis et in angulis platearum stantes orare, ut videantur ab hominibus*.

« pietatis dignatio, ut servum redimeres, « filium tradidisti ! » Item, mirificat peccatorem aversum convertendo et revocando, tamquam adulterantem sponsam recipit in iteratum conjugium. Jerem. iii, 1 : *Tu autem fornicata es cum amatoribus multis : tamen revertere ad me, et ego suscipiam te.* Item, conversos diligenter per Angelos, et per Prælatos conservando. Psal. xxx, 22 : *Quoniam mirificavit misericordiam suam mihi in civitate munita.* Et tandem mirificat a tam multiplici miseria liberando, et pœnæ et culpæ. Gregorius : « Misericordiæ Domini miræ effi« ciuntur, si nostræ miseriæ ad memo« riam revocantur.

« *Qui salvos facis.* » Quasi diceret : « *Sic mirifica,* » et debes, « *qui,* » id est, quia « *salvos facis sperantes in te.* » Thren. iii, 25 : *Bonus Dominus sperantibus in eum.* Eccli. ii, 11 : *Scitote quia nullus speravit in Domino, et confusus est.* Prov. xxix, 25 : *Qui sperat in Domino, sublevabitur.* Ad Rom. viii, 24 : *Spe salvi facti sumus.*

8 « *A resistentibus dexteræ tuæ custodi me.* » Ex hoc relinquit quod dexteræ Dei, quæ est potentia, aliquis resistit, imo aliqui. Contra, Job, ix, 13 : *Deus, cujus iræ nemo resistere potest.* Respondeo, quod ibi loquitur de ira Dei in futuro ventura, cui nullus poterit resistere : hic autem dextera appellatur, sicut vult Glossa, favor et benevolentia quæ magis respicit voluntatem, cui multi resistunt. Sed contra, ad Rom. ix, 19 : *Voluntati ejus quis resistit ?* Respondeo, quod voluntati ejus beneplaciti nullus : voluntati autem signi multi : quia non cavent a prohibitis, nec faciunt præcepta. Job, xiv, 13 : *Ipsi fuerunt rebelles lumini.* Et xv, 26 : *Cucurrit adversus eum,* scilicet Deum, *erecto collo.* Dextera etiam dicitur filius cui resistunt multi : et dicitur dextera triplici ratione. Ratione fortitudinis : Aristoteles in libro de *Animalibus :* « Membra dextera sunt fortiora « sinistris. » Job, ix, 19 : *Si fortitudo quæritur, robustissimus est.* I ad Cor. i, 23 et 24 : *Prædicamus... Dei virtutem.* Ratione operationis : dextera enim est principium operandi. Joan. viii, 25 : *Tu quis es ? Dixit eis Jesus : Principium qui et loquor vobis.* Ad Coloss. i, 16 : *In ipso condita sunt universa.* Joan. i, 3 : *Omnia per ipsum facta sunt.* Ratione pacis, et confœderationis : Isidorus : « Dex« tera dicitur a dando : per ipsam enim « pignus pacis datur. » II Mach. vi, 58 : *Nunc itaque demus dextras hominibus istis, et faciamus cum illis pacem.* Et nos cum Christo pacificati sumus. Joan. xiv, 27 : *Pacem relinquo,* etc. Ad Ephes. ii, 15 : *Ut duos condat in semetipso in unum hominem, faciens pacem.*

Cur dicitur Christus dextera Patris?

« *Ut pupillam oculi.* » Quasi diceret : Custodi, et sic custodi ut pupillam oculi, quæ diligentissime custoditur. Deuter. xxxii, 10 : *Custodivit quasi pupillam oculi sui.* Zach. ii, 8 : *Qui enim tetigerit vos, tanget pupillam oculi mei.* Hoc autem facit eleemosynarum largitio. Eccli. xvii, 18 : *Eleemosyna viri quasi signaculum cum ipso, et gratiam hominis quasi pupillam conservabit.* Et nota, quod hæc pupilla ad cujus similitudinem petit conservari, Christus est : unde si Christus loquitur, sensus est : Custodi me ut pupillam oculi, id est, sicut pupilla oculi custoditur. Vel conservanda est, si aliquis justus, custodi me ut pupillam oculi, sicut scilicet Christum custodisti. Et dicitur pupilla Christus sex rationibus. Primo, ratione nominis : dicit enim Cassiodorus quod « pupilla dicitur qua« si pusilla : parvum enim quid est. » Sic Christus ad Philip. ii, 7 : *Sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens.* Item, ratione bonitatis. Cassiodorus : « In nostro corpore pupilla nihil « præstantius invenitur. » Sic Christo nihil in toto corpore Ecclesiæ. Cant. v, 10 : *Dilectus meus candidus, et rubicundus, electus ex millibus.* Item, ratione puritatis. Dicit enim Isidorus, quod « pupilla « dicitur quasi pura, sicut puella. » Quid

Item, Christus dicitur pupilla sex de causis.

autem Christo purius ? I Pet. II, 22 : *Qui peccatum non fecit*, etc. Terrenum etiam pulverem in se non habuit vivens in extrema paupertate. Luc. VIII, 20 : *Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.* Ratione teneritudinis : non enim permittit se tangi. Proverb. IV, 3 : *Nam et ego filius fui patris mei, tenellus, et unigenitus coram matre mea.* Joan. XX, 17 : *Noli me tangere.* Tamen valde dure tacta est hæc pupilla in sua passione. Matth. XXVI, 55 : *Tamquam ad latronem existis cum gladiis et fustibus comprehendere me.* Spinis et clavis et lancea hæc pupilla est compuncta : et propter hoc lacrymam emisit. Eccli. XXII, 24 : *Pungens oculum deducit lacrymas.* Et ad Hebr. V, 7 : *Cum clamore valido et lacrymis offerens*, preces scilicet, *exauditus est.* Item, ratione compositionis : habet enim oculus triplicem substantiam : tunicas, humorem, et lucem. Primum exterius Christi caro. Job, X, 11 : *Pelle et carnibus vestisti me.* Secundum interius fit tamquam anima quæ aquæ comparatur. I Reg. I, 15 : *Effudi animam meam in conspectu Domini.* Thren. II, 19 : *Effunde sicut aquam cor tuum.* Tertium, intimum et occultum. Christi divinitas, I Joan. I, 5 : *Quoniam Deus lux est, et tenebræ in eo non sunt ullæ.* Isa. XLV, 15 : *Vere tu es Deus absconditus.* Item, ratione formationis : secundum enim Aristotelem in libro de *Animalibus* : « Oculi ultimo formantur « in animalibus, quæ oculos habent. » Et Christus in fine temporum homo est factus. Ad Galat. IV, 4 : *At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum*, etc.

« *Sub umbra alarum tuarum.* » Hic est in quo determinat, in quo velit custodiri, quia « *in umbra alarum.* »

Dicit ergo : Sic custodi, et addo locum in quo volo custodiri « *Sub umbra alarum tuarum,* » non alibi, « *protege me.* » Alæ Dei sunt charitas et misericordia sub quibus iste vult protegi. Hæ sunt de quibus Matth. XXIII, 37 : *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas.* Hæ alæ nos protegunt, et in adversis, et in prosperis, et obumbrant. Psal. CXX, 6 : *Per diem sol non uret te, neque luna per noctem :* quippe divinis alis obumbratur tibi. Alæ etiam sunt brachia Christi extensa in cruce, de quibus Deuter. XXX, 11 : *Expandit alas suas, et assumpsit eum*, ad se sumpsit. Joan. XII, 32 : *Et ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum.* Malach. IV, 2 : *Et sanitas in pennis ejus.* Item, alæ sunt duo testamenta illius albæ gallinæ divinæ scientiæ et sapientiæ, quibus obumbratur Ecclesia. Cognoscit enim per Scripturas, quasi in umbra, quæ tandem exhibebit de sub alis istis, et cognoscet aperte. I ad Cor. XIII, 12 : *Videmus nunc per speculum in ænigmate : tunc autem facie ad faciem.* Cant. II, 3 : *Sub umbra illius, quem desideraveram, sedi : et fructus ejus dulcis gutturi meo.* Gallina etiam sunt Prælati, qui debent habere alas duas : sapientiam et pietatem, in quarum umbra foveant subditos. Ezech. XVII, 3 : *Aquila grandis magnarum alarum*, etc. Thren. IV, 20 : *In umbra tua*, o Prælate, in sapientia scilicet et misericordia, *vivemus in gentibus.* Sed milvi facti sunt : Zachar. V, 9 : *Et ecce duæ mulieres*, Prælati effœminati, *habebant alas quasi milvi.* Isa. XXXIV, 15 : *Illuc*, in Ecclesia scilicet Cathedrali, *congregati sunt milvi, alter ad alterum.* Jerem. II, 34 : *Et in alis tuis inventus est sanguis animarum pauperum et innocentum.*

Alæ Dei charitas et misericordia.

« *A facie impiorum.* » Hic est quintum, in quo ostendit a quibus velit custodiri. Si enim supra tetigit hæc, ibi, « *A resistentibus dexteræ tuæ custodi me* » hic apertius. 9

Ait ergo : Sic « *me protege sub umbra,* » et hoc « *a facie impiorum qui me afflixerunt.* » Quid est quod dicis ? Si te afflixerunt, et times adhuc te affligi quidquam loquens, quomodo non quæris te

Cur a facie non a manibus inimicorum petit liberari? liberari a manibus, non a facie? Responsio. Sive Christus loquatur, sive Ecclesia, optime dicitur : plus enim gravatur in deformitate impiorum quæ proprie est in facie videnda, quam in toleratione propriæ injuriæ. Quasi diceret : Plus gravat videre miserorum peccatorum deformitatem, quam sustinere qualiscumque pœnæ accerbitatem. Nec mirum : tanta est enim animæ malæ deformitas, ut vix aut numquam describi possit. Chrysostomus tamen super Matthæum aliqualiter describit ipsam : « Sit ergo quidam homo ignem ab intimis emittens nigrum, « ex alterutris humeris dracones habens « dependentes pro manibus. Sit et ei os « pro dentibus gladios acutos habens in- « fixos : pro lingua autem fontem vene- « num pestiferum emanantem. Venter « autem camino omni consumptibilior, « quæ mittuntur consumens universa : et « pedes subalati quidem, et flamma univer- « sa vehementiores ad movendum se. Sed « etiam facies ipsa cane et urso constru- « cta sit, et loquatur nihil humanum, sed « sonitum habeat terribilem : habeat au- « tem et in manibus flammam. » Et subdit : « Fortasse vobis terribilia videntur « quæ dicta sunt : sed non ut dignum « est eum formavimus. » In hoc autem quod dicitur, « *a facie*, » non a faciebus, notatur unitas intentionis in malis ut bonos persequantur. Osee, XIII, 12 : *Colligata est iniquitas Ephraim.*

Deformitas animæ peccatricis.

« *Inimici mei.* » Hic est sextum et ultimum, in quo ostendit quare petat custodiri, quia propter multiplices impugnationes : et dicuntur duo. Primo, malitiæ adversariorum multiplicitas : secundo, malignantium aviditas, ibi, « *Susceperunt.* »

In prima quinque. Primo, consultatio de perdendo illo. Secundo, læta comprehensio si possint, ibi, « *Adipem suum.* » Tertio, capti irrisio, ibi, « *Os eorum.* » Quarto, irrisi vilificatio, ibi, « *Projicientes.* » Quinto, ratio omnium istorum suorum, ibi, « *Oculos suos.* »

Dicit ergo : Sic peto protegi, nec mirum, quia « *inimici mei,* » dæmones et homines mali, « *animam meam circumdederunt,* » deliberando, conferendo. Sicut consideratur castrum, et circumdatur ex qua parte possit capi : sicut Judæi Christum ad litteram. Joan. XI, 47 : *Collegerunt Pontifices,* etc. Et in Psal. XXI, 17 : *Quoniam circumdederunt me canes multi.* Sic et dæmones animam, Eccle. IX, 14 : *Venit contra eam rex magnus, et vallavit eam.* Jonæ, II, 6 : *Abyssus vallavit me.* Luc. XIX, 43 : *Circumdabunt te inimici tui vallo,* etc. Et bene dicit, « *Animam* : » quia nec Judæi quærebant nisi animam Christi, nec dæmones quærunt nisi animam justi. Genes. XIV, 21 : *Da mihi animas, cætera tolle tibi.* Gregorius : « Nihil se fecisse æstimat, « nisi cum animas sauciat. »

« *Adipem suum concluserunt.* » Ecce secundum, læta invasio. Quasi diceret : Sic circumdederunt, consilia quærendo, et etiam « *adipem suum,* » lætitiam scilicet qua pinguescebant et saltabant, sicut pingue animal, « *concluserunt,* » ad finem scilicet duxerunt, vel totos se operuerunt. Sed notandum ad majorem intelligentiam hujus verbi, quod est adeps multiplex. In bono interna devotio. Psal. LXII, 6 : *Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea.* Melior adeps sacra Scriptura. Isa. XXXIV, 6 : *Gladius Domini repletus est sanguine,* ubi loquitur contra peccata : *incrassatus est adipe,* ubi promittit bona. Sed adeps optimus, spiritualis lætitia a solo Deo cordi infusa. Levit. III, 16 : *Omnis adeps, Domini erit.* Sed adeps malus, malitia universaliter, secundum illud Job, XXI, 24 : *Viscera ejus plena sunt adipe,* scilicet impii. Et de hoc potest legi quod hic dicitur, « *Adipem suum,* » id est, malitiam suam, « *concluserunt,* » intra se clauserunt, ut eos excæcarent. Vel « *concluserunt,* » ad finem perduxerunt, Dominum occidendo : quia, sicut dicit Bernardus, « Grave quidem pecca- « tum originale, sed gravius quodlibet

10

Adeps in bonam aut malam partem multiplex.

« personale : sed gravissimum illud sin« gulare quod commiserunt in Dominum « majestatis, crudelissimi homicidæ, imo, « si fas est dicere, deicidæ. » Matth. xxiii, 32 : *Et vos implete mensuram patrum vestrorum.* Adeps deterior, superbia. Animalia enim adipe plena superba solent esse et indomabilia. Hic est adeps Regis Eglon, Judic. iii, 21 et 22 : *Infixit eam,* scilicet sicam, *in ventre ejus, tam valide, ut capulus sequeretur ferrum in vulnere, ac pinguissimo adipe stringeretur.* Et de hoc potest legi : « *Adipem suum concluserunt,* » id est, intra se clauserunt, nullo modo humiliati. Adeps etiam qui utriusque est occasio prædictorum temporalis abundantia. Psal. lxxii, 7 : *Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum.*

« *Os eorum locutum est superbiam.* » Irridendo captum, Psal. xxx, 21 : *Et dilataverunt super me os suum : dixerunt, Euge, euge,* etc. Propter hoc petit inops, Psal. xxiv, 3 : *Neque irrideant me inimici mei.* Et Christum irridebant Judæi, Matth. xxvii, 40 : *Vah! qui destruis templum Dei, et in triduo illud reædificas.*

11 « *Projicientes me.* » Hic quartum, scilicet irrisi vilificatio. Quasi diceret : Sic loquuntur superba irridendo, et etiam « *projicientes me* » tamquam vile aliquid extra Jerusalem, circumdederunt me ad crucifigendum. Matth. xxi, 39 : *Et apprehensum eum ejecerunt extra vineam, et occiderunt.* Joan. xix, 5 : *Exivit ergo Jesus portans coronam spineam, et purpureum vestimentum.* Et xix, 17 : *Et bajulans sibi crucem, exivit in eum, qui dicitur Calvariæ locum.* Ad Hebr. xiii, 12 : *Jesus ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est.* Sic et ejus membra. Jerem. xxxviii, 6 : Et *submiserunt Jeremiam funibus in lacum, in quo non erat aqua, sed lutum.* Et Act. vii, 57, de Stephano : *Et ejicientes eum extra civitatem lapidabant.* Sic et modo verbum Dei si qui recipiunt, cito projiciunt. Jerem. viii, 9 : *Verbum Domini projecerunt, et sapientia nulla in eis :* imo si ad modicum tempus, sicut in Quadragesima et Adventu, Deum recipiunt in se per gratiam, ipsum abjiciunt in æstate, sicut abjiciuntur ocreæ hiemales. Ezech. xxiii, 35 : *Oblita es mei, et projecisti me post corpus tuum.*

« *Oculos suos statuerunt.* » Ecce quintum et ultimum, ratio scilicet præcedentium. Quasi diceret : Sic faciunt, quia « *oculos suos,* » cordis scilicet intentionem et affectum, « *statuerunt* » firmiter stabiliendo, « *declinare in terram* » hanc materialem et calcabilem. Hoc planum in Judæis, qui Christum occiderunt, qui oculos ad terrena conservanda converterunt. Joan. xi, 50 et 48 : *Expedit vobis ut unus moriatur homo pro populo, et non tota gens pereat.*. Ne forte *veniant Romani,* etc. Præterea et in Christo erat divinitas tamquam cœlum, et humanitas tamquam terra : Judæi autem solam terram, id est, humanitatem in Christo attendebant. Proverb. xvii, 24 : *In facie prudentis,* Christi scilicet, *lucet sapientia,* divina scilicet : *oculi stultorum,* scilicet Judæorum, *in finibus terræ,* in Christi scilicet humanitate. Isa. xlii, 18 : *Cæci, intuemini ad videndum.* Quis cæcus nisi servus meus ? Vere cæcus qui non videbat Christi divinitatem quam omnis creatura sentiebat. Gregorius : « Mare cognovit, quia se pe« dibus calcabile præbuit. Cœli cognove« runt, quia nato Domino stellam mise« runt. Sol cognovit, quia in passione « ejus radios suos obscuravit. Terra co« gnovit, quia ipso moriente contre« muit. » Bernardus : « Mortem Christi « expavit et expalluit tota machina mun« dialis. » Hæc est autem universalis ratio, et in dæmonibus et in hominibus quare persequuntur bonos, quia oculos suos statuerunt declinare in terram. Daniel, xiii, 9 : *Declinaverunt oculos suos ut non viderent cœlum, neque recordarentur judiciorum justorum.*

12 « *Susceperunt me.* » Hic secundum, in quo monstratur malignitas persequentium, et ostenditur in duobus, in calliditate primo : secundo, in crudelitate, ibi, « *Et sicut catulus leonis.* »

Dicit ergo sic : Persequuntur et hac ratione, et etiam crudeliter, quia « *sus-* « *ceperunt me,* » non quocumque modo, sed « *sicut leo paratus ad prædam,* » qui totam crudeliter devorat, et discerpit. Et hoc verum in Christo quantum ad majores Judæorum. Sophon. III, 3 : *Principes ejus in medio ejus quasi leones rugientes.* Sic et dæmones tamquam leones ad prædam suscipiunt peccatores. I Pet. v, 8 : *Adversarius vester diabolus*, etc. Et in Psal. VII, 3 : *Ne quando rapiat ut leo animam meam.*

« *Et sicut catulus leonis,* » non in aperto sæviens, sed « *habitans in abdi-* « *tis* : » unde callide insidiatur, sicut quidam Judæorum, qui callide procurabant mortem Christi et latenter. Thren. III, 10 : *Ursus insidians factus est mihi leo in absconditis.* Et dicuntur tales catuli : hi enim erant exterius humiles et abjecti. Propter hoc de omnibus conqueritur simul Jeremias, XII, 8 : *Facta est mihi hæreditas mea quasi leo in silva,* Ecce « *in abscondito :* » dedit vocem suam contra me, Ecce « *paratus ad prædam.* » Et notatur in his verbis duplex diaboli tentatio, qua impugnat suos per se, et per suos, aperta scilicet, et occulta, de quibus in Psal. XC, 5 et 6 : *Non timebis a timore nocturno* : *a sagitta volante in die*, quantum ad apertam, *a negotio perambulante in tenebris*, quantum ad occultam.

13 « *Exsurge Domine.* » Hic est secundum secundæ partis hujus Psalmi, in quo petitur retributio justa adversariis : secundo, justis, et sustinentibus eorum infestationem, ibi, « *Ego autem in justitia.* »

In prima tria. Primo, petitur liberatio justi ab impiis reddenda in futuro, ibi, « *Domine a paucis.* » Tertio, subjungitur culpa vel demeritum propter quod debetur illis, ibi, « *De absconditis tuis.* »

In prima tria. Primo, excitatio ipsius Domini : secundo, petitio ibi, « *Et præveni eum.* » Tertio, probatio quod debet exaudiri, ibi, « *Frameam tuam.* »

Dicit ergo : Tanta est necessitas, et persecutio, ut præmisi. Ergo « *Domine exsurge*, qui dormire videris, vel peccata hominum non curare. Alibi, in Psal. XLIII, 23 : *Exsurge*, *quare obdormis Domine? Exsurge*, *ne repellas in finem.*

« *Præveni.* » Hic petitio, et petit tria. Festinationem auxilii, inimici dejectionem, ibi, « *Et supplanta eum.* » Et sui ereptionem, ibi, *Eripe animam meam ab impio.* »

Dicit ergo sic : *Exsurge et præveni eum,* » inimicum scilicet populum Judæorum me persequentem, ut aiunt Augustinus, Hieronymus et Cassiodorus. Habent eos, scilicet Judæos : hæc autem littera, « *eum,* » significat populum Judæorum : et loquitur ad modum currentium. Quasi diceret : Currunt velociter ad persequendum me : sed tu « *præveni* » eos puniendo. Proverb. I, 16 : *Pedes illorum ad malum currunt*, *et festinant ut effundant sanguinem* : sed tu « *præveni,* » ut prius pœnam accipiant quam effundant : quod et factum est, quia excæcati sunt antequam Christum occiderent. I ad Corinth. II, 8 : *Si cognovissent*, *numquam Dominum gloriæ crucifixissent.* Sapient. II, 21 : *Hæc cogitaverunt*, nondum opere impleverunt, *et erraverunt*, *excæcavit enim illos malitia eorum.*

« *Et supplanta eum.* » Ecce secundum. Quasi diceret : « *Præveni,* » et cum attigeris, supplanta eum, id est, dejice illum luctando : dejicere enim in lucta dicitur supplantare : tales enim solent sub plantis aliquid ponere, vel aliquid de sub planta subtrahere : et sic factum est : turpiter enim sunt dejecti et supplantati, per totum orbem dispersi et distracti. Proverb. XIX, 3 : *Stultitia hominis sup-*

plantat gressus ejus, quantum ad intellectum. Et in cap. XIII, 6 : *Impietas peccatorem supplantat,* quantum ad pedem affectus. Propter hoc dicitur, Jerem. XLVI, 6 : *Non fugiat velox, nec salvari se putet fortis.* Amos, II, 14 : *Peribit fuga a veloce, et fortis non obtinebit virtutem suam.*

« *Eripe animam meam.* » Ecce tertium. Sic membra diaboli, impios præveni, et supplanta, et « *eripe animam meam,* » propriam, et omnium meorum, « *ab impio,* » diabolo, qui super cornu crucis stans, exspectabat eam, sicut alias delaturus eam ad infernum. Job, XL, 18 : *Ecce absorbebit fluvium, et non mirabitur* : *et habet fiduciam quod influat Jordanis in os ejus.*

« *Frameam tuam.* » Ecce tertium. Quasi diceret : Petii ut capias, et debes, quia dico, « *Eripe* » non quamcumque rem, sed « *frameam tuam,* » animam meam quæ est framea tua, unde debes eam eripere, et maxime « *ab inimicis manus tuæ,* « Judæis, et dæmonibus, qui tuæ adversantur potentiæ, quæ per manum intelligitur. Secundum Isidorum « framea est gladius ex utraque parte « acutus,et dicitur framea a materia, qua- « si ferrea. » Anima ergo Christi framea dicitur, quasi ferrea, dura, et omnino inflexibilis a justitia. Psal. XLV, 6 : *Deus in medio ejus non commovebitur.* Sed ex utraque parte acuta fuit Christi anima, quando acumine intellectus ex una parte divinitatem comprehendere potuit, et eam penetrare usque ad intima, et ex altera, corporis scilicet, passiones ex sensu acutissime penetrare, ita ut nec contemplatio sensum passionis impediret, nec sensus passionis a contemplatione in aliquo revocaret. Hic est gladius quo Deus infernum debellavit, trahens illum de vagina, scilicet de carne sua. Ezech. XXI, 28 : *Mucro, mucro, evagina te ad occidendum, limate ut interficias, et fulgeas,* ut separes pios ab impiis, et claritatem tuæ potentiæ ostendas. Et postea perfecta victoria, posita iterum framea in vagina sua in corpore suo usque in perpetuum permansura. Et cum omnia tua sint, Job, XLI, 2 : *Omnia, quæ sub cœlo sunt, mea sunt :* hæc maxime tua est, quæ assumpta est in unitatem personæ Filii tui, et propter hoc a te potissimum eripienda.

Anima Christi cur dicitur framea, id est, gladius utrinque acutus ?

14 « *Domine a paucis.* » Hic est justæ retributionis postulatio ipsis malis : et legitur multipliciter. Tripliciter scilicet, primo, ut dicantur pauci Judæi infideles : et sic legitur : « *Domine* » qui omnia potes « *in vita eorum* », scilicet in vita præsenti quam suam putant, et nullam aliam quærunt. Sap. II, 2, 6, 9 : *Quia ex nihilo nati sumus, et post hoc erimus tamquam non fuerimus... Venite ergo, et fruamur bonis quæ sunt.* Et subditur : *Quoniam hæc est pars nostra, et hæc sors nostra.* « *Divide eos,* » id est, separa « *de terra eorum,* » Jerusalem, et adjacenti patria, ut impleatur illud IV Reg. XXV, 21 : *Translatus est Juda de terra sua.* Et sic « *divide eos,* quod « *a paucis,* » id est, ab invicem sint divisi, paucis hinc inde distractis. Hoc planius habet littera Augustini, quæ talis est : « Domine perdes eos de ter- « ra, quantum ad primum : dispertire « eos in vita eorum, quantum ad se- « cundum. » Et hoc justum : occiderunt enim Christum propter terram servandam : unde juste eam amiserunt : et propter gentem in unum tenendam. Joan. XI, 48 : *Et venient Romani, et tollent nostrum locum, et gentem.* Propter hoc a terra divisi, et a se invicem sejuncti.

Triplex expositio hujus versus.

Vel sic, ut pauci dicantur Judæi fideles. Ut enim docent historiæ, maxime Josephi, imminente Judæorum exterminio, pauci fideles in regnum Agrippæ secesserunt moniti ab Angelo, ubi manserunt tuti. Et est sensus : « *Domine* » in vita eorum sicut prius, « *divide eos a paucis* » fidelibus, « *de terra eorum,* » supple, recedentibus.

Vel pauci possunt dici omnes electi :

et legatur sic : « *Domine divide eos a paucis* » electis tuis, et ita quod « *de terra eorum,* » id est, electorum, quæ est terra viventium. Et hoc « *in vita eorum,* » id est, sicut meruit vita eorum. De qua divisione, Matth. xxv, 32 et 33 : *Et separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat. oves ab hædis : et statuet oves quidem a dextris suis, hædos autem a sinistris.* Hæc imprecatio impletur jam in malis Prælatis : divisi enim sunt a paucis, ab humilibus, qui numero pauci sunt, et sui reputatione nihil : ipsi autem multi sunt, honoribus, deliciis, divitiis. Supra, in Psal. iv, 8 : *A fructu frumenti, vini, et olei sui, multiplicati sunt.* Item, divisi sunt de terra, quia non laborant, sed quiescunt. Psal. lxxii, 5 : *In labore hominum non sunt, et cum hominibus non flagellabuntur.* Sed, sicut dicit Bernardus, « cum dæmonibus. » Et tandem accidet eis quod minatur Dominus servo malo, Luc. xii, 46 : *Dividet eum, partemque ejus cum infidelibus ponet.*

« *De absconditis tuis.* » Hic tertium, demeritum scilicet, propter quod imprecatur pœnam istam, et tangitur duplex. In se absolute : secundo, in comparatione ad alios successores suos scilicet, secundum aliquas lecturas, ibi, « *Saturati sunt.* »

Abscondita Deo dicuntur peccata quibus impius expletur.

Dicit ergo : Sic punias eos, et digni sunt, quia « *de absconditis tuis,* » id est, peccatis et immunditiis, quæ tu non cognoscis, sed magis abscondita sunt tibi. Contra : Peccata hominum illis absconduntur : alibi, in Psal. xviii, 13 : *Ab occultis meis munda me, Domine.* Sed Deo quomodo abscondita dicuntur? de quo ad Hebr. iv, 13 : *Omnia nuda et aperta sunt oculis ejus.* Respondeo. A notitia simplici non. Psal. lxxxix, 8 : *Posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo,* sed a notitia affectata. Habac. i, 13 : *Mundi sunt oculi tui, ne videas malum ; et respicere ad iniquitatem non poteris.* « De « iis absconditis tuis adimpletus est ven-« ter eorum, id est, capacitas rationis, » dicit Hieronymus, « memoria » sicut Augustinus dicit. Sic repletus est ut non sit in eo locus Deo, sed sit ejus oblivio. Ad Rom. i, 28 et 29 : *Tradidit illos Deus in reprobum sensum,... repletos omni iniquitate, malitia,* etc. Modo peccata malorum sunt in ventre eorum, sed in die judicii clamabunt sicut parturiens. Psal. xlvii, 7 : *Ibi dolores ut parturientis.* Et quid, nisi illud Jeremiæ, iv, 19 : *Ventrem meum doleo :* et dolebis, dicetur eis, quia numquam de cætero peccatum exire poterit per confessionem. IV Reg. xix, 3 : *Venerunt filii usque ad partum, et vires non habet parturiens.* Matth. xxiv, 19 : *Væ prægnantibus et nutrientibus illis diebus.* Et nota, quod est venter triplex. Gastrimargia, Ad Philip. iii, 19 : *Quorum Deus venter est : et gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt.* Infirmitas humana, Psal. xliii, 25 : *Conglutinatus est in terra venter noster.* Cant. vii, 2 : *Umbilicus tuus,* dicitur Ecclesiæ, id est, infirmior pars in te, *sicut crater tornatilis,* etc. Est memoria et conscientia, sicut hic dicitur. Proverb. xiii, 25 : *Venter impiorum insaturabilis.* Abscondita etiam possunt dici præcepta Dei, et miracula Christi, quæ aliis gentibus fuerunt abscondita a Deo, sed Judæi his sunt repleti. Deuter. iv, 8 : *Quæ est enim alia gens sic inclyta, ut habeat ceremonias, justaque judicia, et universam legem, quam ego proponam hodie ante oculos vestros.*

Triplex hujus versus expositio.

« *Saturati sunt filiis.* » Hic est secundum, in quo monstratur transfusio iniquitatis in alios : et primo, notatur in illis abundantia malitiæ. Secundo, transfusio in alios ex illa, ibi, « *Et dimiserunt.* »

Legitur enim secundum Augustinum, tripliciter. Primo, ut hic « *filiis* « sumatur proprie pro prole naturali : et tunc dupliciter : quia vel in bono, et est sensus : Sic adimpleti sunt mandatis et miraculis tuis, vel etiam peccatis. Et « *saturati sunt filiis,* » dative ad utilitatem filiorum, non suam, et ibi, quia « *dimiserunt reliquias suas* » salvandas suis,

secundum illud Isa. x, 21 : *Reliquiæ convertentur, reliquiæ, inquam, Jacob ad Deum fortem.* « *Parvulis suis.* » Quasi diceret : Non de ipsis erunt salvati, sed de suis.

Peccata Judæorum redundant in damnum filiorum.

Vel sic : « *Saturati sunt* » peccatis, et hoc « *filiis suis,* » id est, ad damnum filiorum : et ideo quia « *dimiserunt reli-* « *quias* » maledictionis « *filiis suis,* » quando clamaverunt, Matth. xxvii, 25 : *Sanguis ejus super nos, et super filios nostros.* Quasi diceret : In tantum peccatis sunt repleti, ut refunderent illa in posteros suos. Jerem. xxxi, 29 : *Patres comederunt uvam acerbam, et dentes filiorum obstupuerunt.* Sicut mater aliquando comedit, et ejus nutrimentum transit in fœtum suum quando lac sugit, sic eorum malitia transivit ad filios per patres ipsos. Sap. iv, 6 : *Ex iniquis somnis filii qui nascuntur, testes sunt nequitiæ adversus parentes in interrogatione sua.*

Tertio modo legitur, ut filii appellentur mala opera, reliquiæ, etc. « *Saturati sunt filiis,* » ablativi casus, id est, operibus malis suis, et maledictis ex se generatis. Saturati, inquam, usque ad summum. Sap. iii, 12, de talibus filiis : *Nequissimi filii eorum : maledicta creatura eorum.*

Sed contra : Peccata non satiant, Ezech. xvi, 28 : *Et postquam fornicata es, nec si es satiata. Et multiplicasti fornicationem tuam in terra Chanaan cum Chaldæis : et nec sic satiata es.* Proverb. xxx, 15 : *Tria sunt insaturabilia.* Responsio. Duplex est appetitus : unus naturalis, hic satiatur : tantum enim satiatur aliquando aliquis, quod natura non plus appetit, quamvis non sit vera satiatio. Et est appetitus vitiosus : hic nullo modo satiatur, sed semper magis ac magis appetit, et de isto intelligitur, quod dicitur in Ezechiele et in Proverbiis [1]. Si autem opponatur, quod appetitus naturalis solo Deo satiatur : Augustinus in libro *Confessionum* : « Inquietum est cor nostrum « donec requiescat in te. » Quis enim dubitat naturalem appetitum ad capiendum Deum factum, et ipso solo replendum? Propter hoc dicendum est, quod est saturatio fastidii, et hac satiant vitia et delectationes in creaturis : omnis enim voluptas naturalis frequentata, in fastidium vertitur. Unde mali, Sapient. ii, 1 : *Exiguum et cum tædio est tempus vitæ nostræ.* Eccle. i, 14 : *Vidi cuncta, quæ fiunt sub sole, et ecce universa vanitas, et afflictio spiritus,* cum tædio scilicet, et fastidio. Et est satietas repletionis veræ, quæ est in naturali appetitu a solo Deo.

Qua ratione mali satiantur peccatis?

Alia versio « saturati sunt porcina. »

Alia littera habet : « Saturati sunt porcina : » et supplent quidam, carne. Ergo filii malorum, eorum scilicet opera, sunt porci. Valde innaturale est, quod homo generet porcum : comedit enim porcum, quando delectatur in opere malo, sicut illi de quibus Isa. iii, 9 : *Peccatum suum quasi Sodoma prædicaverunt, nec absconderunt.* Sapient. xii, 3 et seq : *Illos antiquos inhabitatores terræ sanctæ tuæ, quos exhorruisti, quoniam odibilia opera tibi faciebant per medicamina, et sacrificia injusta, et filiorum suorum necatores sine misericordia,... et devoratores sanguinis.* Thren. iv, 10 : *Manus mulierum misericordium coxerunt filios suos :* haud dubium quin ad comedendum. Alii dicunt porcinam esse cibum porcorum, unde supplent hoc : « Saturati sunt porcina, » supple, esca. Ergo porci sunt. Luc. xv, 16, Filius prodigus, *cupiebat implere ventrem suum de siliquis quas porci manducabant.* Non est ergo magnum, si de hominibus facti porci, dæmonibus dimittuntur, ut ipsos possideant. Matth. viii, 30 : *Si ejicis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum,* quod factum est.

[1] Cf. Ezech. xvi, 28 et seq. et Proverb. xxx, 15 et seq.

15 « *Ego autem in justitia apparebo.* » Hic secundum hujus partis : et dicuntur duo. Primo, dispositio ad remunerationem. Secundo, ipsa remuneratio, ibi, « *Satiabor.* »

Ait ergo : Sic illi : ego autem sic ab illis tractatus, et in me, et in meis, « *apparebo* » manifestus « *conspectui tuo,* » non sicut Adam qui abscondit se. Genes. III, 8 : *Abscondit se Adam et uxor ejus a facie Domini.* Psal. LXXII, 6 : *Operti sunt iniquitate et impietate sua,* sicut hypocritæ, et excusantes in confessione peccata sua. Apparebo autem non vacuus, sed plenus. Exod. XXIII, 15 : *Non apparebis in conspectu meo vacuus.* Sed « *in justitia,* » quæ præparabit me ad gloriam tuam suscipiendam. Sap. I, 15 : *Justitia perpetua est, et immortalis,* id est, perpetuitatis et immortalitatis acquisitiva. Injustitia autem impii est mortis acquisitio. Et nota, quod dicit « *conspectui tuo.* » Quasi diceret : Ex ipso tuo conspectu habeo justitiam, et omnem gratiam. Esther, XV, 17 : *Valde mirabilis es Domine, et facies tua plena est gratiarum.* Genes. VI, 8 : *Noe invenit gratiam coram Domino.*

« *Satiabor.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic apparebo justitia ornatus, quam tamen habeo a te : et sic « *satiabor.* » Joel, II, 26 : *Saturabimini, et laudabitis nomen Domini Dei vestri.* Et Isa. LXV, 13 : *Ecce servi mei comedent, et vos esurietis.* Matth. V, 6 : *Beati, qui esuriunt et sitiunt justitiam : quoniam ipsi saturabuntur,* non porcina sicut alii, sed « *gloria tua cum apparuerit.* » Sed contra, Eccli. XXIV, 29 : *Qui edunt me, adhuc esurient,* et XLII, 26 : *Quis satiabitur videns gloriam ejus ?* Responsio. Saturitas aliquando signat plenam appetitivi satietatem, ita ut nihil amplius requirat : sic accipitur hic. Aliquando importat fastidium, et rei qua usi sumus abjectionem : sic accipitur Eccli. XLII, 26, et negatur, XXIV, 29. Erit ergo satietas non fastidiosa, et fames sine penuria, ut semper satis habentes desideremus, et nunquam fastidiamus. In hoc autem quod dicit, « *Cum apparuerit,* » demonstratur, quod visio est tota merces. Joan. XVII, 3 : *Hæc est vita æterna,* etc.

Satietas similitudo cum Deo.

Littera Hieronymi : « Implebor cum evigilavero similitudine tua. » Unde ipsa assimilatio nostri ad Deum erit satiatio nostra. I Joan. III, 2 : *Scimus, quoniam cum apparuerit, similes ei erimus : quoniam videbimus eum secuti est.* Ad Coloss. III, 4 : *Cum Christus apparuerit vita vestra : tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria.*

PSALMUS XVII.

Gratiarum actio pro liberatione ab inimicis.

1. *In finem puero Domini David, qui locutus est Domino verba cantici hujus, in die, qua eripuit eum Dominus de manu omnium inimicorum ejus, et de manu Saul, et dixit :* (II Reg. XXII, 2).
2. Diligam te, Domine, fortitudo mea :
3. Dominus firmamentum meum, et refugium meum, et liberator meus.
Deus meus adjutor meus, et sperabo meum [1] ;
Protector meus, et cornu salutis meæ, et susceptor meus.
4. Laudans invocabo Dominum, et ab inimicis meis salvus ero.
5. Circumdederunt me dolores mortis, et torrentes iniquitatis conturbaverunt me.
6. Dolores inferni circumdederunt me, præoccupaverunt me laquei mortis.
7. In tribulatione mea invocavi Dominum, et ad Deum meum clamavi :
Et exaudivit de templo sancto suo vocem meam : et clamor meus in conspectu ejus introivit in aures ejus.
8. Commota est, et contremuit terra : fundamenta montium conturbata sunt, et commota sunt, quoniam iratus est eis.
9. Ascendit fumus in ira ejus, et ignis a facie ejus exarsit : carbones succensi sunt ab eo.
10. Inclinavit cœlos, et descendit : et caligo sub pedibus ejus.
11. Et ascendit super cherubim, et volavit : volavit super pennas ventorum.
12. Et posuit tenebras latibulum suum : in circuitu ejus tabernaculum ejus, tenebrosa aqua in nubibus aeris.
13. Præ fulgore in conspectu ejus nubes transierunt, grando, et carbones ignis.
14. Et intonuit de cœlo Dominus, et Altissimus dedit vocem suam : grando et carbones ignis.
15. Et misit sagittas suas, et dissipavit eos : fulgura multiplicavit, et conturbavit eos.
16. Et apparuerunt fontes aquarum, et revelata sunt fundamenta orbis terrarum,
Ab increpatione tua Domine, ab inspiratione spiritus iræ tuæ.
17. Misit de summo, et accepit me : et assumpsit me de aquis multis.
18. Eripuit me de inimicis meis fortissimis, et ab his qui oderunt me, quoniam confortati sunt super me.
19. Prævenerunt me in die afflictionis meæ : et factus est Dominus protector meus.
20. Et eduxit me in latitudinem : salvum me fecit, quoniam voluit me.
21. Et retribuet mihi Dominus secundum justitiam meam, et secundum puritatem manuum mearum retribuet mihi :
22. Quia custodivi vias Domini, nec impie gessi a Deo meo.

[1] Ad Hebr. II, 13.

23. Quoniam omnia judicia ejus in conspectu meo : et justitias ejus non repuli a me.
24. Et ero immaculatus cum eo : et observabo me ab iniquitate mea.
25. Et retribuet mihi Dominus secundum justitiam meam, et secundum puritatem manuum mearum in conspectu oculorum ejus.
26. Cum sancto sanctus eris, et cum viro innocente innocens eris,
27. Et cum electo electus eris : et cum perverso perverteris.
28. Quoniam tu populum humilem salvum facies, et oculos superborum humiliabis.
29. Quoniam tu illuminas lucernam meam, Domine : Deus meus, illumina tenebras meas.
30. Quoniam in te eripiar a tentatione, et in Deo meo transgrediar murum.
31. Deus meus, impolluta via ejus : eloquia Domini igne examinata : protector est omnium sperantium in se.
32. Quoniam quis Deus præter Dominum ? aut quis Deus præter Deum nostrum?
33. Deus qui præcinxit me virtute, et posuit immaculatam viam meam :
34. Qui perfecit pedes meos tamquam cervorum [1], et super excelsa statuens me.
35. Qui docet manus meas ad prælium [2] : et posuisti ut arcum æreum, brachia mea :
36. Et dedisti mihi protectionem salutis tuæ, et dextera tua suscepit me :

Et disciplina tua correxit me in finem, et disciplina tua ipsa me docebit.

37. Dilatasti gressus meos subtus me : et non sunt infirmata vestigia mea.
38. Persequar inimicos meos, et comprehendam illos : et non convertar donec deficiant.
39. Confringam illos, nec poterunt stare : cadent subtus pedes meos.
40. Et præcinxisti me virtute ad bellum : et supplantasti insurgentes in me subtus me.
41. Et inimicos meos dedisti mihi dorsum, et odientes me disperdidisti.
42. Clamaverunt, nec erat qui salvos faceret : ad Dominum, nec exaudivit eos.
43. Et comminuam eos ut pulverem ante faciem venti : ut lutum platearum delebo eos.
44. Eripies me de contradictionibus populi : constitues me in caput gentium.
45. Populus, quem non cognovi, servivit mihi : in auditu auris obedivit mihi.
46. Filii alieni mentiti sunt mihi, filii alieni inveterati sunt, et claudicaverunt a semitis suis.
47. Vivit Dominus ! et benedictus Deus meus ! et exaltetur Deus salutis meæ !
48. Deus qui das vindictas mihi, et subdis populos sub me : liberator meus de inimicis meis iracundis.
49. Et ab insurgentibus in me exaltabis me : a viro iniquo eripies me.
50. Propterea confitebor tibi in nationibus, Domine [3] : et nomini tuo psalmum dicam.
51. Magnificans salutes regis ejus, et faciens misericordiam christo suo David, et semini ejus usque in sæculum.

[1] II Reg. XXII, 34.
[2] II Reg. XXII, 35.
[3] II Reg. XXII, 50; Ad Rom. XV, 9.

IN PSALMUM XVII

COMMENTARIUS.

1 *In finem puero Domini David, qui locutus est Domino verba Cantici hujus, in die, qua eripuit eum Dominus de manu omnium inimicorum ejus, et de manu Saul, et dixit* [1] :

« *Diligam te Domine.* » Hic est Psalmus decimus septimus, in quo aguntur gratiæ, et laudatur a Christo Deus pro conservatione in bono impetrato in Psalmo præcedenti, secundum quod refertur ad Christum pro sui liberatione a morte, et miseriis, et Judæis persequentibus : secundum quod ad membra Christi refertur pro certa spe liberationis ab inimicis, dæmone, et membris ejus, et infirmitatibus et miseriis a bono retrahentibus, et ipsa morte. Hoc autem satis ostenditur in titulo qui talis præmittitur : « *In finem puero Domini David, qui locutus est Domino verba Cantici hujus, in die, qua eripuit eum Dominus de manu omnium inimicorum ejus, et de manu Saul, et dixit.* »

Et est talis ordo, et sensus verborum. « *Verba Cantici hujus* » tendentis in finem, supple, conveniunt, « *David puero Domini,* » id est, servo Domini, supple, quæ verba, « *locutus est* » Domino, « *in die qua eripuit eum de manu inimicorum, et de manu Saul* » maxime, « *et dixit : Diligam te,* etc. » Secundum hoc videtur, quod debet Psalmus exponi de persecutione illa, et liberatione materiali David.

Sed occurrit Cassiodorus. Propter duo verba quæ in titulo sunt posita, ostendens non esse exponendum litteraliter, sed

[1] Le titre assez étendu de ce psaume nous donne les indications principales sur les circonstances qui ont donné lieu à sa composition. Tout d'abord, le psaume est de David. Il porte son nom, aussi bien ici qu'au livre des Rois, II, xxii, où ce chant est aussi consigné. De plus, le style, la vivacité de la composition, le sujet, la qualité de l'auteur, qui parle en roi et en guerrier triomphant, tout vient à l'appui de l'attribution qu'enregistre le titre. Olshausen et Hupfeld sont à peu près les seuls à réclamer un auteur postérieur. Riehm, qui annote ce dernier, ne craint pas de le corriger en ce point, et de déclarer, après examen des caractères intrinsèques du psaume, qu'il « convient à David comme à personne autre. » Et si ce magnifique morceau, qui accuse la période la plus florissante de la poésie hébraïque, « n'était pas de David, il aurait dû être composé en son nom et avec son esprit ; quel serait donc alors ce poète de même époque et de même condition ? » Hitzig. David prend le titre de « serviteur de Jéhova, » qu'ont déjà porté Moïse et Josué, et que prendront plus tard les Apôtres, δοῦλος Ἰησοῦ Χριστοῦ. Phil. i, 1 ; Tit. i, 1. Ce même nom lui est décerné en plusieurs autres passages, Ps. xviii, 12, 14 ; xxxv, 1 ; lxxxviii, 4, 21 ; II Reg. iii, 18 ; vii, 5, 19-29. David le mérite à bon droit, puisque son règne doit servir si puissamment la cause de Jéhova, et préparer si efficacement l'heure de la rédemption.

Ce psaume est un cantique, *shirah*, en l'honneur du Seigneur, et le plus long des hymnes de même sorte. Le roi le composa au jour où il fut délivré de tous ses ennemis. Plusieurs infèrent de là que ce fut à la fin du règne, après les révoltes d'Absalon et de Séba, et ils appuient leur opinion sur la place qu'occupe le cantique dans le livre des Rois, presque à la fin du règne de David. Cette preuve n'a pas grande valeur, car le chroniqueur insère ce cantique comme simple document, sans paraître se préoccuper de le mettre à la date qui lui conviendrait. Quant à ses mots, « tous ses ennemis », ils pouvaient être dits après une série quelconque de

trahimur per illa ad intelligentiam spiritualem. Primum est quod dicit, « *In finem.* » Per hoc enim aperte ostenditur in titulo, quod in illum qui finis est, ducunt nostrum intellectum verba Psalmi. Hic autem spiritualis David, non materialis,

victoires, car David ne parle évidemment que des ennemis qu'il a vaincus, et non de ceux dont il ne peut pas prévoir le soulèvement dans l'avenir. D'ailleurs, il ne fait aucune allusion aux révoltes domestiques qui ont attristé la dernière partie de son règne, et il est telles paroles, ℣℣, 21-25, qu'il n'aurait guère pu dire après le meurtre d'Urie. Quelques-uns croient que David fit ce chant après ses victoires sur les Philistins, et avant le transport de l'arche à Jérusalem, II Reg., v, 25, car il n'y fait mention ni de l'arche, ni de Sion. Mais on observe avec raison que le saint roi n'est pas obligé de parler de la montagne sainte dans tous ses psaumes, remarque d'autant plus importante, que pendant les luttes auxquelles il fait ici allusion, Sion n'était pas encore la demeure de Jéhova. L'opinion la plus commune et la plus autorisée parmi les modernes, c'est que ce cantique fut composé après les victoires sur les Syriens et les Iduméens, II Reg. VIII, 11, dont David consacra les dépouilles au Seigneur. A cette époque, la période des grandes guerres civiles et étrangères était à peu près terminée. Le psalmite mentionne spécialement sa délivrance des mains de Saül, le plus redoutable de ses adversaires. Cependant, « cum tot insidias à Saule sustinuisset, non inimicis eum adnumeravit, verum ab hostibus eum separans, non tamquam de inimico mentionem facit. » Cette observation de Théodoret est confirmée par ce que nous dit l'histoire des sentiments de David à la mort de Saül (II Reg. I). Dans ce psaume même, il ne parle pas directement de son persécuteur ; et comme dans ses autres cantiques, il respecte l'oint du Seigneur, et ne prend à parti que ses perfides conseillers et les violents exécuteurs de ses folles volontés.

Nous avons donc là une autobiographie de David, et c'est à ce titre probablement qu'on l'a insérée dans le livre des Rois. Les textes, il est vrai, présentent d'assez nombreuses variantes, qu'il est absolument impossible d'attribuer à l'inadvertance des copistes. Ce sont des suppressions ou des additions d'un membre de phrase, le remplacement d'un mot par son synonyme, l'omission de quelques copules, etc. Il faut remarquer toutefois « ex omnibus istis variantibus lectionibus, si expendantur, nihil vel parum sensum textus, turbari cum vel in minimis hæreant, vel voces, haud multum suis significationibus ab iis, quæ in textu, diversas sistant. » Haitsma, ap. Migne. On est loin d'être d'accord sur la cause de ces divergences ; on les attribue soit à une récension du texte primitif par David lui-même ou par un autre, soit à la transcription de deux manuscrits différents, soit plutôt à l'introduction dans le livre des Rois d'un texte modifié par la tradition orale ou les licences populaires. D'après Delitzsch, l'historien des Rois auriat emprunté le psaume aux Annales du règne, aux *dibre ha-jamim*, pour le consigner à titre de document très remarquable à la fin de l'histoire de David. On reconnaît généralement que le texte du psautier est l'original, et qu'il doit être préféré à l'autre. Quelques rationalistes prennent occasion de ces variantes pour déclarer « que le texte de l'Ancien Testament ne nous est pas parvenu dans un état d'intégrité tel, qu'il nous interdise absolument les corrections ou les conjectures, là où nous n'en possédons qu'une seule récension. » Cette observation appelle deux importants correctifs ; c'est que d'abord, le reste de l'Ancien Testament n'a pas été confié à la tradition orale, comme quelques psaumes de David, appris de mémoire et chantés par le peuple ; c'est qu'ensuite, même dans ce psaume, les divergences entre les deux textes ne portent que sur des points secondaires et n'empêchent nullement de reconnaître l'identité de deux transcriptions. On peut appliquer ici en partie les remarques des exégètes sur la manière dont, par exemple, les Apôtres rapportent les discours de Notre-Seigneur.

David a composé ce psaume avec un soin marqué, et il a voulu en faire un monument digne des grands bienfaits qu'il avait reçus de Dieu. Hengstenberg note les nombres mystiques recherchés par l'auteur dans sa composition, les cinquante versets ou pensées parallèles, nombre parfait de l'année jubilaire, le nom de Jéhova répété trois fois dans le titre, les sept épithètes qui lui sont décernées dans les deux premiers versets, etc.

Ainsi qu'on peut le voir à la lecture, « Miro ordine omnia in hoc psalmo procedunt ; David primo gratias agit, tum ponit sub oculos calamitates suas, mox Deum auxilio tota majestate advenientem, se propter innocentiam liberatum, imo et victorem, prostratos inimicos, imperium longe ad exteros prolatum, quæ omnia exsecutus, ad gratiarum denique actionem redit. » Bossuet.

Au sens spirituel, la détresse et la victoire de David représentent celles de l'Eglise et de chaque chrétien en particulier; mais c'est surtout Jésus-Christ dont David est dans ce psaume la figure frappante. « La plupart des traits qui remplissent ce cantique sont trop grands pour ne peindre que les victoires du saint roi ; il s'agit assurément des événements de la vie et de la prédication du Messie ; le texte (℣. 50) cité par St Paul en est la preuve, et de plus, la force même des expressions ne peut convenir qu'aux faits et aux succès de l'Evangile. » Berthier. Aussi Saint Athanase, Saint Jérôme, Saint Augustin, etc., y voient-ils le tableau figuré de l'incarnation, de la mort du Sauveur et de son triomphe sur l'enfer.

H. Lesêtre.

Christus scilicet. Ad Rom. x, 4 : *Finis legis... Christus ad justitiam omni credenti.* Apoc. I, 8 : *Ego sum Alpha, et Omega, principium et finis.* Aliud verbum est quod, dicit, « *Canticum.* » « Est enim, sicut dicit Cassidorus, canti- « cum non pro temporali aliquo eventu, « sed pro æternis habita exsultatio. » Sed contra hoc videtur, quia II Reg. XXII 1, triumphatis omnibus inimicis David, dicitur : *Locutus est autem David Domino verba carminis hujus, in die qua liberavit eum Dominus de manu omnium inimicorum suorum, et de manu Saul, et ait : Dominus petra mea,* etc. secundum aliam translationem hujus Psalmi. Ergo pro triumpho materiali sunt dicta hæc. Sed responsio est, quod nihil prohibet ibi dicta pro materiali triumpho : in illo enim titulo non ponitur in finem sicut hic, nec canticum, sed tantum carmen quod erat pro eventu temporali proprie. Præterea autem a Christo spirituali, pro spirituali victoria.

Sed arctabit me adhuc ulterius opponendo, quod nihil tale omnino legimus Christum post resurrectionem cecinisse. Sed responsio est, quod multa fecit, quæ Scriptura non expressit. Joan. xx, 30 : *Multa quidem et alia signa fecit* JESUS *in conspectu discipulorum suorum... quæ non sunt scripta in libro hoc.* Et XXI, 25 : *Quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros.*

Expone ergo verba tituli de Christo sic : « *Verba Cantici hujus* » spiritualis, quia de spirituali victoria. Ecce materia Psalmi tendentis, vel tendere facientis, « *in finem,* » Christum scilicet in quantum Deus est : ipse enim secundum divinitatem qua æqualis est Deo Patri, finis est suiipsius secundum humanitatem, et omnium nostrum. Et in hoc utilitas Psalmi convenit « *David,* » id est, Christo « *puero Domini,* » id est, servo Domini secundum humanitatem, et corpori suo mystico. Isa. XLII, 1 : *Ecce servus meus, suscipiam eum.*

« *Quæ locutus est Domino* » Deo Patri, vel ipse ore proprio, vel certe per os Prophetæ David. II Reg. XXIII, 2 : *Spiritus Domini locutus est per me, et sermo ejus per linguam meam.* Ecce Auctor hujus Psalmi.

« *In die qua eripuit eum Dominus.* » Et sumitur proprie in die, si dicimus Christum ore proprio hæc dixisse. Si autem ore David, tunc præpositio, « *in,* » sumitur pro præpositione *pro,* id est, pro die, « *qua eripuit eum Dominus.* » Et sic habemus tempus quando editus est Psalmus. Et determinat a quibus : « *De manibus inimicorum suorum,* » dæmonum scilicet, et Judæorum. « *Et de ma-* « *nu Saul,* » id est, mortis. Et nota, quod per Saul signatur mors ratione triplici. Primo, quia Saul Rex fuit non ad permanendum : unde I Reg. x, 1 : *Tulit, Samuel lenticulam olei, et effudit super caput ejus.* Glossa : « Lenticula est vas « olei fictile quadrangulum, in latere ha- « bens foramen, et signat fragilitatem re- « gni ejus. Et e contra David permansu- « rus, inunctus est cornu olei, in quo « significatur duratio regni ejus. » Sic certe mors regnat ad tempus. Ad Rom. v, 17 : *Si enim unius delicto mors regnavit per unum.* Ecce regnum. Sed ad tempus, I Ad Corinth. xv, 54 : *Cum autem mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet sermo, qui scriptus est : Absorpta est mors in victoria. Ubi est mors victoria tua ? Ubi est mors stimulus tuus ?* Item, sicut David Saulem patienter sustinuit, ut in pace regnaret : sic Christus mortem : unde post mortem dixit : *Data est mihi omnis potestas in cælo et in terra* [1]. Ad Ephes. II, 15 et 16 : *Faciens*

Saül regnum, figura mortis ex triplici capite.

[1] Matth. XXVIII, 18.

pacem, et reconciliet ambos in uno corpore Deo per crucem, interficiens inimicitias in semetipso. Item, hunc regem a Deo extorserunt, sicut patet I Reg. VIII, 4 et seq. Unde interpretatur *petitio.* Sic certe genus humanum mortem a Deo extorsit, ut regnaret super se. Sap. I, 16 : *Impii manibus,* id est, operibus tangendo lignum vetitum, *et verbis accersierunt illam,* id est, mortem, quando se excusaverunt[1]. Et ex iis apparet motivum ad componendum Psalmum.

Dividitur autem Psalmus iste in tres partes. Primo est promissio de laudando Deo ex promissione, et gratiis referendis. Secundo, multorum bonorum enumeratio pro quibus sunt referendæ, ibi (℣. 5), « *Circumdederunt me dolores.* » Tertio promissi solutio, ibi (℣. 47), « *Vivit Dominus, et benedictus.* »

In prima parte dicuntur tria. Primo, promittit dilectionis continuationem. Secundo, subjungit dilecti descriptionem, ut monstretur ratio diligendi, et continuandi dilectionem, ibi, « *Fortitudo mea.* » Tertio, promittit gratiarum actionem et invocationem, ibi, « *Laudans invocabo Dominnm* »

2 Prima pars psalmi. Quomodo amor nescit vel patiiur superiorem?

Dicit ergo : « *O Domine, diligam te.* » Male loquitur, ut videtur : amor enim ad parem est : quomodo ergo Dominum se dicit dilecturum? Bernardus ad Eugenium : « Amor Dominum nescit, sed timor. » Malach. I, 6 : *Si Dominus ego sum, ubi est timor meus?* Responsio. Dominus aliquando dicitur in privando superiorem : sic accipitur hic. Aliquando ut refertur ad inferioris cohibitionem. Tale dominium negat Bernardus : et de tali loquitur Malachias. Et dicimus : Plus vult esse Dominus primo modo, quam secundo : cujus signum habemus certum in factis ejus, et etiam in facturis. In factis : quia frequentius dat rorem et pluviam, quam fulminet, vel tonet. Psal. CII, 9 : *Non in perpetuum irascetur : neque in æternum comminabitur.* In facturis : quia respectu creaturarum delectabilium paucissimæ sunt terribles. Eccli. XLII, 23 : *Quam desiderabilia omnia opera ejus! Omnia* dicit, pro majori parte, quia fere omnia : hinc docet Augustinus prælatos ei assimilari, ubi ait de Prælato : « Plus amari a vobis appetat quam « timeri. »

Dominium Dei suave.

Item, quando dicit, « *Diligam te,* » procrastinat contra illud Proverb. III, 28 : *Ne dicas amico tuo : Vade et revertere :... cras dabo tibi : cum statim possis dare.* Præterea præsumit de futuro asserendo, de quo non est certus : si enim certus est quod diliget, certus est quod ejus amore dignus erit, quia Proverb. VIII, 17, dicitur : *Ego diligentes me diligo.* Sed contra, Eccle. IX, 1 : *Nescit homo, utrum amore an odio dignus sit.* Ergo multo fortius nescit si erit. Responsio. Cum dicitur, « *Diligam,* » in futuro, potius est jam datæ dilectionis significata continuatio, quam procrastinatio vel promissio de futuro. Ad aliud dicendum, quod si vox Christi est, præsumptio non est, ipse enim sciebat se habere charitatem, et perseveraturum se in ea non dubitabat. Item, si vox Ecclesiæ est, præsumptio non est : scit enim Ecclesia, quod in ipsa numquam dilectio deficiet : dictum enim scit Matthæi, XXVIII, 20 : *Ecce ego vobicum sum usque ad consummationem sæculi.* Et ad Rom. VIII, 39 : *Scio quod neque mors, neque vita, neque principatus, neque potestates,* etc. *poterunt nos separare a charitate Dei quæ est in Christo* Jesu. *Nos* dicit, loquens in persona Ecclesiæ.

« *Fortitudo mea.* » Hic describit dilectum : et tanguntur octo conditiones. Duæ respiciunt liberationem a malo pœ-

[1] Cf. Gen. III, 10 et seq.

næ : aliæ duæ ereptionem a malo culpæ, ibi, « *Refugium et liberator.* » Duæ conservationem in tentatione, ibi, « *Adjutor et protector.* » Duæ ultimæ victoriam cum remuneratione, ibi, « *Cornu salutis et susceptor.* » *Fortitudo* autem dicitur Deus propter virtutem in agendo quod est difficile. *Firmamentum* in sustinendo quod est grave.

Dicit ergo sic : « *Diligam te Domine,* » supple, qui es, « *fortitudo mea,* » causaliter loquendo, id est, per quem fortis sum. Isa. XL, 29 : *Qui dat lasso virtutem, et robur multiplicat iis, qui non sunt aliquid,* supple, de se. Jerem. XVI, 19 : *Domine fortitudo mea, et robur meum.*

Sed constat, quod si fortitudo est, fortitudo infinita est. Quid ergo non potest cui Deus fortitudo est? Hinc confidenter dicunt Sancti cum Paulo ad Philip. IV, 13 : *Omnia possum in eo qui me confortat.* Eccli. XLVII, 10 : *Dilexit Deum qui fecit illum, et dedit illi contra inimicos potentiam.*

3 « *Dominus firmamentum meum,* » ut possim sustinere gravia. Prov. XV, 25 : *Firmos faciet terminos Judææ, extremos Ecclesiæ.* Matth. VII, 25 : *Venerunt flumina, et flaverunt venti, et irruerunt in domum illam, et non cecidit: fundata enim erat super petram.*

« *Et refugium.* » Hic tangit illas conditiones quæ respiciunt malum culpæ, in quo sunt necessaria duo. Liberatio a culpa, et susceptio liberati. Sed præposterat : Ait enim, tu es « *refugium meum* » me recolligendo in numero tuorum. Psal. LXXXIX, 1 : *Domine refugium factus es nobis.* Refugium utique propinquum, Psal. XXXIII, 19 : *Juxta est Dominus his qui tribulato sunt corde.* Amplum, quia nulli claudit gremium suum. Psal. CXLIV, 3 : *Et magnitudinis ejus non est finis.* Et valde firmum, Psal. LXI, 3 : *Susceptor meus, non movebor amplius.* Psal. CIII, 18 : *Petra refugium herinaciis.*

« *Et liberator meus,* » si fuero captus a culpa. Daniel. VI, 27 : *Ipse est liberator atque salvator,... qui liberavit Danielem de lacu leonum* : si servus fuero in illa. Joan. VIII, 34 : *Omnis qui facit peccatum, servus est peccati.* Et in eodem, ℣. 36 : *Si ergo vos Filius liberaverit, vere liberi eritis.*

« *Deus meus adjutor meus.* » Hic tertium duæ scilicet conditiones quantum ad tentationes : duo enim sunt necessaria, ut sit adjutor ad impugnandum et vincendum, et protector ad defendendum, ibi, « *Protector meus.* »

Dicit ergo : Non solum es fortitudo, firmamentum, refugium, et liberator, imo « *Deus meus adjutor meus* » ad vincendum omnes tentationes. Deut. XXXIII, 7 : *Manus ejus pugnabit pro nobis.*

« *Adjutor* » sine quo omnino nihil possum. II ad Corinth. III, 5 : *Non quia sufficientes simus ex nobis cogitare aliquid quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est :* et cum quo omnia possumus. Ad Philip. II, 13 : *Operatur in vobis et velle, et perficere, pro bona voluntate.* Et propter hoc, « *sperabo in eum :* » aliter enim non præberet auxilium. Psal. LXI, 9 : *Sperate in eum omnis congregatio populi.* Propter hoc dicebat Job, XIII, 15 : *Et si occiderit me, sperabo in eum.*

Sperandum autem in Deo. Primo, quia sperantem in se non decipit. Ad Rom. V, 5 : *Spes non confundit,* sicut dæmones qui decipiunt magos et hujusmodi homines, de quibus Isa. XXVIII, 15 : *Flagellum inundans cum transierit non veniet super nos : quia posuimus mendacium spem nostram, et mendacio protecti sumus.* Et sequitur, ibi, ℣. 17 : *Subvertet grando spem mendacii.* Eccli. XII, 10 : *Non credas inimico tuo in æternum.* Secundo, quia non deserit, ut homines amicos frequenter deserunt, de quibus Eccli. XXXVII, 4 : *Sodalis amico conjucundabitur in oblectationibus, et in tempore tribulationis adversarius erit,* sicut factum fuit in amicis Job. Non sic Deus : Judith, Motiva spei in Deum.

XIII, 17 : *Laudate Dominum Deum nostrum, qui non deseruit sperantes in se.* Tertio, quia non deficit sicut possessiones. Prov. XI, 28 : *Qui confidit in divitiis suis, corruet.* Job, IV, 19 : *Qui terrenum habent fundamentum, consumentur velut a tinea.* Sed de Deo dicit Augustinus : « Projice te in Deum : non est tam cru- « delis ut se subtrahat, et cadere te per- « mittat. » Psal. XXXVI, 5 : *Spera in eo : et ipse faciet*, nec deficiet.

« *Protector meus* » ad defendendum, si forte non sufficio impugnare illas : unde alia littera habet, « scutum meum, » « *et cornu salutis meæ* [1]. » Armatura et scutum optime protegens in circuitu. Psal. V, 13 : *Ut scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos.* Et alibi, Psal. XXVI, 1 : *Dominus protector vitæ meæ, a quo trepidabo ?*

« *Et cornu salutis.* » Hic tanguntur duæ ultimæ conditiones, quarum prima respicit ad consummationem in merito : secunda ad remunerationem in præmio, ibi, « *Et susceptor.* »

Dicit ergo : « *Et cornu salutis.* » Nota, quod in cornu significatur potentia : et sic exponi potest, primo ut sit sensus : « *Et cornu salutis,* » quod impetit et ventilat inimicos meæ salutis, sicut patet in Psal. XLVI, 6 : *In te inimicos nostros ventilabimus cornu.* Luc. I, 69 : *Erexit cornu salutis nobis.* Et nota, quod quia non est divinitas nisi una, virtute autem divinitatis Christus superavit omnia, et nos per illum, recte cornu dicitur, non cornua : unde unicornis appellatur in Psal. XXVIII, 6 : *Dilectus quemadmodum filius unicornium.* Et rhinoceros, Job, XXXIX, 9 : *Numquid volet rhinoceros servire tibi ?* Itaque captus st in sinu puellæ, scilicet Virginis dulcissimæ. Dicitur autem, quod cornu rhinocerotis ita acutum est et ita validum, ut quidquid impetierit, aut mutilet aut perforet. Job, XLI, 1 : *Quis potest resistere vultui meo ?* Nullus. Rhinoceros est qui habet in vultu cornu, non in cervice, sicut alia animalia. *Exaltabitur sicut unicornis cornu meum*[2]. In cornu etiam misericordia : quia in cornu solent unctiones fieri. I Reg. XVI, 13 : *Tulit Samuel cornu olei, et unxit eum,* scilicet David, *in medio fratrum ejus.* Cornu autem salutis et sanctitatis plenum, quia omnis gratiæ fuit Christus. Oleum enim sanativum est, Jacob. V, 14 : *Infirmatur quis in vobis ? inducat presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini.* Marc. VI, 13 : *Ungebant oleo multos ægros, et sanabantur.* Hoc oleo plenus fuit Christus. Joan I, 14 : *Vidimus eum plenum gratiæ et veritatis.* Luc. IV, 1 : *Jesus autem plenus Spiritu sancto regressus est a Jordane.*

Quare Christus dicitur unicornis, et rhinoceros.

Cornus symbolum potentiæ et gratiæ.

« *Et susceptor meus.* » Secundum primum sensum ad renumerationem : sic beatus Stephanus petebat suscipi, Act. VII, 58 : *Domine Jesu suscipe spiritum meum.* Secundum medium, sicut medicus ægroti. Supra, in Psal. III, 4 : *Tu autem Domine susceptor meus es.* Isa. XLII, 1 : *Ecce servus meus, electus meus, suscipiam eum.* Hic ergo octo rationes ad invicem ordinatæ quare Deus diligendus est. Præter hoc : quia prudens est electio. Sponsa in Cantic. V, 10, dicit : *Dilectus meus candidus et rubicundus, electus ex millibus.* Certe prudenter eligis, o Sponsa : ipse est enim de quo Sapient. VII, 8 et 9 : *Præposui eam regnis et sedibus, et divitias nihil esse duxi in comparatione illius,* sapientiæ scilicet, quæ Deus est : *nec comparavi illi lapidem protiosum.*

Diligendus etiam est, quia nobilis secundum utramque naturam multum. Proverb. XXXI, 23 : *Nobilis in portis vir ejus.* Quia sapiens, Ad Coloss. II, 3 : *In quo*

[1] Cf. II Reg. XXII, 3.

[2] Psal. XCI, 11.

sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi. Quia dives, Joan. XVII, 10 : *Omnia tua mea sunt.* Psal. XLVIII, 3 : *Simul in unum dives et pauper* Quia potens, Psal. XXIII, 8 : *Dominus fortis et potens.* II ad Corinth. I, 23 et 24 : *Prædicamus Christum crucifixum... Christum Dei virtutem et Dei sapientiam.* Quia largus, Jacob. I, 5 : *Qui dat omnibus affluenter, et nulli improperat.* Quia benignus, Ad Tit. III, 4 : *Cum autem benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei apparuit,* etc. Quia speciosus, Psal. XLIV, 3 : *Speciosus forma,* etc. Ad Hebr. I, 3 : *Qui cum sit splendor gloriæ.* Quia in colloquio placidus, Joan. VI, 69 : *Verba vitæ æternæ habes.* Quia in consilio prudens, Eccli. VI, 6 : *Multi pacifici sint tibi, et consiliarius sit tibi unus de mille.* Quia in auxiliis strenuus, I ad Corinth. X, 13 : *Fidelis Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis.* Quia in obsequiis sedulus, Matth. V, 45 : *Solem suum facit oriri super bonos et super malos.* Quia amicorum amicus, qui totum complet. Proverb. VIII, 17 : *Ego diligentes me diligo.*

4 « *Laudans invocabo.* » Hic tertium. Postquam manifestata est dilectio ad Deum, et rationes dilectionis ostensæ sunt, subjungitur promissio de laudando : et dicuntur duo. Primo, promittit se laudaturum invocando, vel invocaturum laudando. Secundo, ostendit suæ laudationis vel invocationis fructum, ibi, « *Et ab inimicis.* »

Dicit ergo : Sic diligam, id est, continuabo dilectionem, et etiam « *invocabo Dominum* » interius, laudans ipsum exterius, quod fit infra in fine Psalmi, ℣. 47 : « *Vivit Dominus,* » sicut dictum est jam, ut sit invocatio fervens usque ad motus labiorum : et motus labiorum verax, quia cum interiori cordis intentione, ne sim de illis, de quibus Matth. XV, 8 : *Populus hic labiis me honorat : cor autem eorum longe est a me* [1].

« *Et ab inimicis.* » Ecce fructus, secundum illud Joel, II, 32 : *Et erit : Omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit.* Cum autem multi sint astuti et fortissimi contra nos inimici, magnum est ab iis liberari, et tamen pro modico facit hoc Deus, pro laude et invocatione : quid minus faciet ei homo ? Ecce ergo aperte quod dicit Paulus ad Titum, III, 5 : *Non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit.*

Posset etiam dici, quod hoc quod dicit, « *laudans,* » refertur ad præcedentia, et gratiarum actionem pro illis : « *Invocabo* » ad futura, ut Deus continuet manum in largiendis beneficiis. Quasi diceret : « *Laudans* » pro jam receptis, quæ jam retuli, « *invocabo,* » pro conferendis et continuandis. In primo fidelitas, in secundo utilitas. Beatus qui in iis linguam occupat fideliter contra mendacium, et utiliter contra otium, et sic ab inimicis liberatur. Circa hæc duo sic occupari petebat Salomon. Proverb. XXX, 7 et 8 : *Duo rogavi te, ne deneges mihi antequam moriar.* Et subdit : *Vanitatem,* quantum ad otiosa, *et verba mendacia,* quantum ad falsa, *longe fac a me.* Et est ordo competens. Primo laudat, postea invocat. Qui enim debitum non accipit : et qui ingratus est de accepto, merito non accipiet de futuro. Propter hoc dicitur in Psalm. XLIX, 14 et 15, infra : *Immola Deo sacrificium laudis : et redde Altissimo vota tua.* Et subditur : *Et invoca me in die tribulationis : eruam te, et honorificabis me.*

Prius laudandus Deus quam invocandus.

« *Circumdederunt me.* » Hic secunda pars Psalmi, in qua subjungit causam 5

Secunda pars Psalmi.

[1] Cf. Isa. XXIX, 13.

promissionis processuræ ex delectione, et quia specialiter hoc fuit Incarnationis beneficium, per quod sumus a miseria liberati, quatuor dicuntur in hac parte. Primo, enumerat humani generis mala, ex primo Adam contracta. Secundo, agitur de clamore et desideriis Sanctorum gementium sub illis, ibi, « *In tribulatione mea.* » Tertio, agitur de adventu Christi consecuto ad illa, ibi, « *Commota est et contremuit terra.* » Quarto, enumerat beneficia quæ genus humanum consecutum est ex illo adventu, ibi, « *Et posuit tenebras latitulum suum.* »

In prima quatuor secundum quatuor mala quæ tangit in illa. Primum est necessitas moriendi. Secundum, pronitas ad multipliciter peccandum, ibi, « *Et torrentes.* » Tertium, necessitas descendendi ad limbum, ibi, « *Dolores inferni.* » Quartum, difficultas faciendi bonum, ibi, « *Præoccupaverunt me laquei mortis.*

Dicit ergo : Sic invocabo : Et hoc quidem necesse est, quoniam « *circumdederunt me,* » ut non possim evadere, « *dolores mortis.* » Verum est et ipsum Christum, et ejus membra quantum est de conditione humanæ naturæ post peccatum primum, dolores mortis circumdedisse. II Reg. XIV, 14 : *Omnes morimur, et quasi aqua dilabimur in terram, quæ non revertitur.* Psal. XXXVIII, 49 : *Quis est homo qui vivit, et non videbit mortem ?* Præter hanc est multiplex mors. Diabolus, Apocalyp. VI, 8 : *Ecce equus pallidus : et, qui sedebat super eum, nomen illi Mors.* Glossa : « Mors hic dici« tur diabolus, quia mortem introduxit « in orbem terrarum. » Item, mors peccata, Sapient. I, 13 : *Deus mortem non fecit,* id est, culpam : sed illam, quæ pœna est, fecit : sed hæc non circumdedit Christum in se, sed in suis membris. Item, mors pœna æterna, Apocalyp. XXI, 8 : *Pars illorum erit in stagno ardenti igne et sulphure : quod est mors secunda* [1]. Et est mors mirabilis, vita æterna, quæ est mors mortis, ipsam scilicet mortem destruens. Osee, XIII, 14 : *Ero mors tua o mors.*

« *Et torrentes.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Non solum necessitatibus moriendi circumdatus sum, sed et « *torrentes iniquitatis,* » id est, pronitates ad peccandum impetuose me inclinantes, « *conturbaverunt me,* » non in persona, sed in membris meis. Isti torrentes nascuntur cum eis. Genes. VIII, 21 : *Sensus et cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua.* Ista autem pronitas recte rorrens dicitur, quia inquietus, Isa. LVII, 20 : *Cor impii quasi mare fervens, quod quiescere non potest.* Impetuosus, Origenes et Seneca : « Virtus « lenta, præceps vitium. » Item, terram consumit. Sic pronitas hæc misera, corpus ad litteram et animam consumit. Psal. CXXXVI, 7 : *Exinanite, exinanite usque ad fundamentum in ea.* Job, XIV, 19 : *Lapides excavant aquæ, et alluvione paulatim terra consumitur :* sic pronitate peccandi et anima, et corpus, et pecunia. Proverb. V, 9 et seq. : *Ne des alienis honorem tuum, et annos tuos crudeli : ne forte impleantur extranei viribus tuis,* quoad vires animæ, *et labores tui sint in domo aliena,* quoad possessiones, *quando consumpseris carnes tuas et corpus tuum,* quantum ad corpus.

« *Dolores inferni.* » Glossa dicit Gen- 6
tiles in inferno torqueri debito torquendi. Sed potest dici, sicut dictum est, necessitas descendendi ad limbum. Alia littera habet, « Funes inferni. » Ipsa enim necessitas est quasi quidam funis : illa enim trahebantur illuc et justi. Job, XVII,

[1] Cf. Apoc. XX, 9 : *Et descendit ignis a Deo de cælo, et devoravit eos, et Diabolus, qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis et sulphuris.*

16 : *In profundissimum infernum descendent omnia mea. Putasne saltem ibi erit requies mihi ?* II Pet. II, 4 : *Rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit.*

« *Præoccupaverunt me laquei mortis.*» Difficultates bene operandi, quibus retrahar a bonis faciendis : et sic habemus quartum. Sicut enim laqueus tenet captum laqueo ne procedat, sic quædam difficultas ad bonum miseram animam ne procedat. Job, XIII, 27 : *Posuisti in nervo pedem meum,* etc. Et tanto laqueus periculosior, quanto magis absconditus, nec videtur. Psal. LVI, 7 : *Laqueum paraverunt pedibus meis.* Hic laqueus est intra, sed laqueus etiam mortis retrahens ab omni bono est abundantia temporalium, et divitiæ temporales, quæ ligant hominem ut parum boni vel nihil possit. Proverb. XXI, 6 : *Qui congregat thesauros lingua mendacii,... impingetur ad laqueos mortis.* I ad Timoth. VI, 9 : *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, et in laqueum diaboli.* Isa. XXIV, 17 : *Formido, et fovea, et laqueus super te, qui habitator es terræ.* Primus laqueus omnes præoccupat : omnes enim cum difficultate bene operandi nascimur : sed secundus laqueus non. Quidam sunt qui nascuntur divites, sed alii sibi divitias procurant : hinc spontanei in laqueum pedem immittentes. Job, XVIII, 8 : *Immisit in rete pedes suos, et in maculis ambulat.*

7 « *In tribulatione mea.* » Hic est secundum, in quo præmissis miseriis subjungitur Sanctorum clamor, et oratio ad Deum pro liberatione : et dicuntur tria. Primo, causa orationis tangitur. Secundo, modus, ibi, « *Et ad Deum meum.* » Tertio, fructus, ibi, « *Et exaudivit.* »

Dicit ergo sic : Malis repletus sum in meis membris, dicit Christus, et hac de causa positus « *in tribulatione* » tanta, quæ mea erat, « *invocavi* » intus in corDe, « *Dominum* » in membris meis, in Sanctis antiquis qui gemebant. Osee, VI, 1 : *In tribulatione sua mane consurgent ad me ;* hoc enim habebant remedii. II Paral. XX, 12, dixit Josaphat : *Cum ignoremus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te.* Thren. III, 55 : *Invocavi nomen tuum Domine de lacu novissimo.*

« *Et ad Deum meum clamavi.* » Interior enim vocatio cum silentio exteriori magna est, sed major cum in vocem exit, sed maxima cum in clamorem prorumpit. Psal. CXIX, 1 : *Ad Dominum cum tribularer clamavi, et exaudivit me.* Baruch, III, 1 : *Et nunc Domine omnipotens, Deus Israel, anima in angustiis, et spiritus anxius. clamat ad te* Et in Psal. CVI, 6 : *Clamaverunt ad Dominum cum tribularentur.*

« *Et exaudivit.* » Hic fructus orationis ostenditur, vel magna et fructuosa oratio, et non inanis monstratur fuisse coram Domino per duo. Primo enim ostenditur fuisse acceptam. Secundo, efficacem, ibi, « *Et clamor meus.* »

Ait enim sic : « *Clamavi* » in meis membris fidelibus et Sanctis tribulatis, « *Et exaudivit Dominus vocem meam,* » et interiorem, et exteriorem. In Psal. XC, 15 : *Clamabit ad me, et ego exaudiam eum.* Sed unde ? « *De templo sancto suo,* » cœlo, quod dicitur templum, quia templum dicitur quasi tectum amplum. Et dicitur hoc de cœlo. Baruch, III, 24 : *O Israel, quam magna est domus Dei, et ingens locus possessionis ejus !* Item, templum est locus divino cultui deditus, et ibi servitur ei ab Angelis. Daniel. VII, 10 : *Millia millium ministrabant ei, et decies centena millia assistebant ei.* Et monstratur in hoc vivacitas auditus in Deo qui audit ita remotos. Sap. I, 10 : *Tumultus murmurationum non abscondetur.* Eccli. XLII, 20 : *Non abscondit se ab eo ullus sermo.* Vel templum dicitur ad litteram materialis Ecclesia, de qua ad litteram exaudit Deus, quia ad orandum specia-

Multiplex sensus hujus vocis, *templum.*

liter instituta est. Sic ostendit Salomon, III Reg. VIII, 38 : *Si quis cognoverit plagam cordis sui, et expanderit manus suas in domo hac, tu exaudies in cœlo.* Vel templum humana natura in Christo, in qua Deus habitat. Ad Coloss. II, 9 : *In ipso habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter.* De primo exauditi sunt ante legem. De primo et secundo sub lege. De primo et secundo et tertio exaudimur in tempore gratiæ.

« *Et clamor meus,* » tamquam efficax nuntius « *in conspectu ejus,* » veniens « *introivit in aures ejus,* » quod volebat impetrans : tunc enim oratio aures intrat cum impetrat, et donec propinquet, non consolabitur, et non discedet donec respiciat Altissimus. Et patet ex textu, quod in Deo eadem est visiva et auditiva vis : quia cum dixisset, « *Clamor meus in conspectu,* » quod pertinet ad visivam, statim addit, « *Introivit in aures ejus,* » quod pertinet ad auditivam. Psal. CI, 28 : *Tu autem idem ipse es.* Apparet etiam, quod puram oportet esse orationem et mundam, quæ intrat in conspectu Dei : imo aures ejus penetrat. Nullus immundus nuntius et sordidus, qui oculos Regis posset offendere, ad eum mittitur. Sic nec oratio mittenda est nisi munda : quod non est nisi procedat de corde mundo. Proverb. XV, 26 : *Abominatio Domini cogitationes malæ,* quia de immundo procedunt corde, *et purus sermo pulcherrimus firmabitur ab eo,* hoc est, firmiter implebitur.

Oratio munda esse debet.

§

Fructus orationis Christi. adventus duplex, in animam et in mundum.

« *Commota est,* etc. » Hic est tertium, in quo postquam actum est de miseriis contractis ex peccato, et de Sanctorum orationibus gementium sub illis, subjungitur de adventu liberatoris, quod est quasi determinare quis fructus orationis præcedentis : et agitur de adventu duplici. Primo, de adventu in animam, quo venit in aliquos ante Incarnationem. Secundo, de adventu in carnem, ibi, « *Inclinavit cœlos et descendit.* »

Quomodo in animas venit per terrorem et amorem ?

In prima duo secundum duo quæ ad illum adventum pertinent. Aliquando venit ad animam terrorem incutiendo, quod pertinet ad justitiam. Aliquando immittendo amorem, quod pertinet ad misericordiam, ibi, « *Ignis a facie ejus exarsit.* »

In prima quatuor. Primo, terroris immissio quoad animæ sensualitatem. Secundo, quoad animæ rationem, ibi, « *Fundamenta montium.* » Tertio, addit utriusque causam, ibi, « *Quoniam iratus est.* » Quarto, subjungit effectum consequentem ex commotione illa, ibi, « *Ascendit fumus.* »

Dicit ergo : Sic oraverunt Sancti oratione accepta et efficaci, « *Et commota est terra,* » homo scilicet exterior, corpus cum sensuali potentia. « *Et contremuit :* » quod ad sensualitatem referatur, commota ad ipsam carnem. Job. IV, 14 : *Pavor tenuit me,* quantum ad primum : *et tremor,* quantum ad secundum.

« *Fundamenta montium,* » id est, elationes superborum : superbi enim in elationibus fundant totam intentionem suam, « *conturbata sunt,* » quantum ad intellectum, « *et commota sunt,* » quantum ad affectum. Quasi diceret : Elata ratio et voluntas terrore concutitur. Propter quod alibi, in Psal. XCVI, 15 : *Montes sicut cera fluxerunt a facie Domini.* Isa. LXIV, 1 : *Utinam dirumperes cœlos, et descenderes,* per terrorem in corda : *a facie tua montes diffluerent.* Et subdit rationem :

« *Quoniam iratus est eis,* » hoc est, quoniam ipsum peccatis iratum sibi propter illa cognoverunt. Cum enim homo considerat iram Dei super se venturam, et caro, et anima tota turbatur. Job, XXI, 6 : *Quando recordatus fuero, pertimesco, et concutit carnem meam tremor.* Et ad litteram affligit se mœrore in anima, et pœnitentia in carne. Job, XLII, 6 et 7 : *Nunc oculus meus videt te. Idcirco ipse me reprehendo,* interius contra me litigando, me turbando, *et ago pœnitentiam in favilla et cinere.* Jerem. XXXI, 19 :

Postquam ostendisti te mihi, percussi femur meum.

9 « *Ascendit fumus.* » Hic ostendit efficaciam illius commotionis. Quasi sic diceret : Considerantes iram conturbantur, et moventur : et ex hoc « *ascendit fumus* » compunctionis et doloris, « *in ira ejus* » cogitata. Isa. vi, 4 : *Commota sunt superliminaria domus*, scilicet intellectus et affectus, *et domus repleta est fumo.* Et nota, quod sicut dicit Hieronymus, « fumus ex duobus fit, ex igne « et aqua. » Intellige ergo cor peccatoris sicut lutum imbutum aqua peccati. Job, xv, 16 : *Abominabilis et inutilis homo qui bibit sicut aquam iniquitatem.* Immisso ergo modico igne charitatis, sicut fit in incipientibus et timentibus, qui modicam habent charitatem, necessario fumus fit, ut possit dici illi animæ illud Cant. iii, 6 : *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum,* pœnitentiæ scilicet, *sicut virgula fumi?* Virgula per humilitatem, sed fumus per compunctionem. Psal. cxliii, 5 : *Tange montes, et fumigabunt.* Et est signum quod Deus incipit in corde habitare quando fumus exit. Seneca : « Magnus fumus magni hospitis signum « est. »

Sicut fumus ex aqua et igne fit, sic timor et pœnitentia ex aqua peccati et igne charitatis.

De adventu per amorem

« *Et ignis.* » Hic secundum, in quo tangitur de amore qui pertinet ad misericordiam : et tanguntur duo. Primo, inflammatio per charitatem. Secundo conditio inflammatorum ante inflammationem, ut major monstretur misericordia, ibi, « *Carbones.* »

Dicit ergo sic : Terrorem immisit fumum facientem, sed tandem « *a facie ejus,* » Dei scilicet a præsentia placabili et affabili, « *ignis* » charitatis « *exarsit,* » prævaluit humore consumpto. Eccli. xxii, 30 : *Ante ignem camini vapor, et fumus ignis inaltatur.* Sed postquam venit ignis, cessat fumus. Ille, inquam, ignis, de quo Luc. xii, 49 : *Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur?*

« *Carbones.* » Hic secundum, in quo monstratur inflammatorum conditio.

Ait enim sic : Ignis exarsit a facie illorum, et « *carbones succensi sunt ab eo,* » id est, peccatores prius, igne charitatis inflammati sunt : carbones enim dicuntur tribulationes. Psal. cxxxix, 11 : *Cadent super eos carbones.* Sanctorum exempla ad aliquos inflammandum ad bonum. Psal. cxix, 4 : *Sagittæ potentis acutæ, cum carbonibus desolatoriis.* Desolatio autem in bono sumitur hic : item beneficia, Proverb. xxv, 21 et 22 : *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum : si sitierit, da ei aquam bibere : prunas enim congregabis super caput ejus.* Aliquando peccatores propter nigredinem, Thren. iv, 8 : *Denigrata est super carbones facies eorum,* sicut accipitur hic. Aliquando perfecti viri, in quibus durat sancti Spiritus ignis, et perseverat diu, Ezech. i, 13 : *Similitudo animalium, adspectus eorum quasi carbonum ignis ardentium.* Christus enim carbo est : in ipso enim est lignum humanitatis ignitum igne divinitatis. Deut. iv, 24 : *Dominus Deus tuus ignis consumens est.* Damascenus : « Divinum car- « bonem sumamus, ut illuminet corda « nostra, et consumat peccata nostra. » Et notantur hic tres gradus. Primo, incipientium, ibi, « *Ascendit fumus.* » Secundo, proficientium, ibi, « *Ignis a facie ejus exarsit.* » Tertio, perfectorum, ibi, « *Carbones succensi sunt ab eo.* » Qui enim prius erant carbones propter nigredinem, facti sunt carbones propter divini ignis retentionem.

« *Inclinavit cœlos,* » id est, Angelos. 10
Contentum pro continente. Hos inclinavit, quia hominum assumptio illos subdidit. Psal. xc, 11 : *Angelis suis Deus mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis.* Apoc. xxii, 8 et 9 : *Cecidi ut adorarem ante pedes Angeli, qui mihi hæc ostendebat : et dixit mihi : Vide ne feceris : conservus enim tuus sum et fratrum tuorum.* Vel « *inclinavit cœlos,* »

Tripliciter Deus inclinat prædicatores ad nos.

prædicatores et Apostolos, qui cœli dicuntur in Psal. XVIII, 1 : *Cœli enarrant gloriam Dei.* Hos inclinaxit tripliciter. Primo, ut humilia doceant inter parvulos. I ad Corinth. II, 2 : *Non enim judicavi me scire aliquid inter vos, nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum.* Et ipse erat ille Paulus qui raptus fuerat usque ad tertium cœlum [1]. Item, inclinavit ut de altitudine contemplationis ad ima descenderent. Magnus descensus ut ille qui usque ad tertium cœlum raptus fuerat, descenderet usque ad sportulas faciendas. Act. XX, 34 : *Ipsi scitis, quoniam ad ea, quæ mihi opus erant, et his, qui mecum sunt, ministraverunt manus meæ.* Item, ad hoc ut tribulationes et passiones sustinerent. Audi Paulum sic humiliatum ! II ad Corinth. XI, 25 : *Ter virgis cæsus sum,* tamquam dissolutus parvulus : *semel lapidatus sum,* tamquam peccator adultus.

De secundo adventu in carnem et reditu in cœlum.

« *Inclinavit cœlos et descendit.* » Hic secundum, in quo postquam actum de adventu in animam per gratiam, agitur consequenter de adventu ejus in carnem. Ne autem sic crederetur advenisse in mundum ut postea non rediret, dicuntur duo. Primo, incarnatio et descensio in hoc versu. Secundo, reversio et ascensio in sequenti, ibi, « *Et ascendit super Cherubim.* »

In prima parte duo. Primo, descensio Filii Dei et humiliatio. Secundo, dæmonis et peccati subjectio, ibi, « *Et caligo.* »

Dicit ergo : Sic venit ad corda per gratiam, et tandem, quod plus fuit, « *inclinavit cœlos* » materiales, sicut aliquando inclinatur vas : et descendit tamquam effusus de cœlis inclinatis, secundum illam petitionem Psalmi CXLIII, 5 : *Inclina cœlos tuos, et descende.* Propter hanc inclinationem et effusionem canimus in Nativitate : « Hodie melliflui « facti sunt cœli. » Littera Augustini : « Habet cœlum, » et tunc sensus est : Inclinavit cœlum Deus Pater, ipsum scilicet Verbum, quod cœlum dicitur a celando, quia in ipso omnia celata sunt. Ipse enim est exemplar et pulchritudo omnium, quia sicut dicit Rabanus : « Cœlum cœlorum dicitur Filius, « sicut Sanctus Sanctorum. » Deus ergo Pater cœlum inclinavit, quando Filium incarnari statuit : et ipse se inclinavit, cum se exinanivit. Jerem. XIV, 8 : *Quasi colonus futurus es in terra, et quasi viator declinans ad manendum.*

« *Et descendit.* » Naturam humanam conjungendo sibi, ut inclinatio referatur ad humanitatis assumptionem, descensus ad unionem assumptæ in unitatem personæ. Hic est descensus quem desiderabat Isa. LXIV, 1 : *Utimam dirumperes cœlos, et descenderes.* Ad Philip. II, 7 : *Semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo.*

« *Et caligo.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Inclinavit se, et descendit homo factus. « *Et caligo,* » diabolus scilicet, « *sub pedibus ejus.* » Dicitur autem caligo diabolus propter tenebrositatem culpæ in qua est : factus est enim caligo, qui in tanta claritate fuit conditus. Isa. XIV, 12 : *Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer, qui mane oriebaris ?* Ut de tanta claritate fieres caligo tam densa ? Job, III, 5 : *Occupet eum caligo, et involvatur amaritudine.* Et iterum quia, in caligine retrusus, in hoc aere scilicet caliginoso, tandem retrudendus in majorem, scilicet in infernum. Judas in Can. ℣. 6 : *Angelos qui non servaverunt suum principatum, sub caligine reservavit.* Caligo ergo est sub pedibus ejus, quia dæmones subjecti voluntati ejus : quippe Act. VII, 49 : *Cœlum mihi sedes est : terra autem scabellum pedum meorum.* Quorum ergo locus, scilicet infernus sit in

[1] Cf. II ad Corinth. XII, 2 et seq., et I ad Corinth. II, 6 : *Sapientiam loquimur inter perfectos.*

medio terræ, necessario ipso jure sub pedibus ejus sunt. Psal. xc, 13 : *Super aspidem et basiliscum ambulabis, et conculcabis leonem et draconem.*

11 « *Et ascendit super Cherubim.* » Hic tangitur sublimatio sic humiliati : et dicuntur duo. Primo, Christi ascensus et excellentia super vim contemplativam angelicam. Secundo, super motivam omnem : hæc enim duo sunt in Angelo, ibi, « *Et volavit, volavit super pennas ventorum.* »

Dicit ergo : Sic humiliavit se, et sub pedibus dæmonem habuit : « *et ascendit super Cherubim,* » quod interpretatur *plenitudo scientiæ*, id est, ad tantam in scientia pervenit altitudinem, ut ipse Cherubim ad illam non possit, ut possit dicere : *Mirabilis facta est scientia tua ex me : confortata est, et non potero ad eam*[1]. I ad Timoth. vi, 16 : *Lucem inhabitat inaccessibilem,* et Angelis, et animalibus omnibus. Cherubim etiam est charitas, Ad Roman. xiii, 10 : *Plenitudo legis est dilectio.* Christus autem super omnem ascendit charitatem : quia sua omnem aliam excessit. Joan. xv, 13 : *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Charitas autem Christi major est, quia pro inimicis. Ad Roman. v, 8 et 9 : *Commendat autem charitatem, suam Deus in nobis : quoniam cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est.* Per Cherubim etiam signantur habentes plenitudinem scientiæ, perfecti scilicet in charitate quæ est scientiæ plenitudo. Et Dominus ascendit super tales, quia in illis manet. I Joan. iv, 16 : *Qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo.* Quarto modo exponitur ut Deus facere dicatur quod in suis facit, ibi, « *Qui ascendit super Cherubim,* » id est, ascendere facit. Genes. xxii, 12 : *Nunc cognovi, quod times Deum,* id est, cognoscere te feci. Sic ascendere fecit super Cherubim illam aquilam quæ dixit, Joan. i, 1 : *In principio erat Verbum :* et illum quem rapuit usque ad tertium cœlum, Paulum scilicet (II ad Corinth. xii, 2 et seq.)

« *Et volavit.* » Ecce secundum. Quasi sic diceret : Ascendit super omnem vim cognitivam, « *Et volavit, volavit.* » Repetitio hæc signat velocitatis vehementiam secundum Cassiodorum, « *super* « *pennas,* » virtutes omnes motivas. Istæ sunt pennæ, « *ventorum,* » omnium scilicet spirituum. Angeli venti dicuntur : quia cum sint spiritus et invisibiles et insensibiles, designat eos Scriptura, sicut potest, per spiritus, quamvis sint corporales. Job, xxviii, 25 : *Qui fecit ventis pondus.* Hi venti pennas habent, vires scilicet naturales motivas virtutibus informatas, quibus Deo ministrant. Daniel. vii, 10 : *Millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei.* Et etiam ipsis hominibus. Ad Hebr. i, 14 : *Nonne omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi,* etc. Refertur et hoc ad famæ velocitatem, ut notetur ejus in terra exaltatio : et sine dubio citius omni vento ejus fama innotuit per mundum, quia statim nativitas ejus in extremis Orientis partibus nota fuit per stellam. Matth. ii, 2 : *Vidimus stellam ejus in Oriente.*

Quid significet in Scriptura repetitio?

Geminatio est signum increpationis, Act. ix, 4 : *Saule, Saule, quid me persequeris?* Excitationis ad attendendum, Luc. x, 41 : *Martha, Martha sollicita es erga plurima.* Affectionis in bono, Matth. xxvii, 46 : *Deus meus, Deus meus.* Affectionis in malo, Joan. xix, 6 : *Crucifige, crucifige eum.* Duplicitatis, In Psal. xi 3 : *In corde, et corde locuti sunt.* Universa-

1 Psal. cxxxviii, 6.

litatis, In multis psalmis : *In generatione et generationem. Generatio et generatio*, id est, omnis generatio. Confirmationis, In Joanne frequenter : *Amen, amen dico vobis*, etc. Diminutionis, I Reg. XIV, 13 : *Gustans, gustavi*. Derisionis, In Psal. XXXIX, 16 et LXIX, 4 : *Euge, euge*. Expressionis naturæ, Ezech. XIV, 4 et 7 : *Homo, homo de domo Israel*. Festinationis sicut hic, « *Volavit, volavit*. »

12 « *Et posuit tenebras*. » Hic est quartum in quo ostenduntur beneficia, quæ ex adventu Christi consecuta sunt, et dividitur hæc pars in duas. Primo, agit de beneficiis quæ fuerunt in membris, ab influentia ipsius capitis, hoc est, per ipsum Christum. Secundo, de beneficiis quæ consecuta sunt in ipso capite, infra : « *Et præcinxisti me virtute*. »

De fructibus Christi adventus in capite et membris

In prima parte dicuntur tria. Primo, beneficia influentia ad membra in primitiva Ecclesia, in ejus scilicet inchoatione. Secundo, in progressu Ecclesiæ, ibi, « *Misit de summo et accepit me*. » Tertio, in consummatione, ibi, « *Quoniam tu illuminas lucernam meam*. »

In prima duo. Beneficium enim quod ostendere intendit, est manifestatio divinitatis suæ : hoc enim fuit beneficium specialiter vivis exhibitum. Duo ergo fuit necessarium hic dicere. Primo, occultationem divinitatis. Secundo, manifestationem, quod tangitur ibi, « *Præ fulgore*. »

Item, in prima parte tria, secundum triplicem modum quem ostendit quo erat divinitas occultata. Primo, quod nos in hac vita divinitatem videre non possumus. Secundo, quod occultata in assumpta humanitate, ibi, « *In circuitu ejus*. » Tertio, quod in ipsis Scripturis occultata, ibi, « *Tenebrosa aqua*. »

Dicit ergo : Sic venit, et rediit, et posuit, id est, posuerat « *tenebras latibulum suum* : » non quia tenebræ in ipso Deo essent, de ipso enim scriptum est I Joan. I, 5 : *Deus lux est, et tenebræ in eo non sunt ullæ* : sed ex parte nostra voluit nos in hac mortali vita non videre ejus divinitatem, et ipsam nos latere. III Reg. VIII, 12 : *Dixit Dominus ut habitaret in nebula*, existente ex parte humani intellectus. Isa. L, 3 : *Induam cœlos*, scilicet cœlestes viros, *tenebris*. Job, XXII, 14 : *Nubes latibulum ejus*. Propter hoc ingemiscens Paulus ait, II ad Corinth. V, 6 et 7 : *Dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino : (per fidem enim ambulamus, et non per speciem.)* Exod. XXXIII, 20 : *Non videbit me homo, et vivet*, in hac mortali vita.

« *In circuitu ejus*. » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic latuit ipsa divinitas, et etiam in incarnatione, « *tabernaculum ejus*, » proprium scilicet corpus ejus, « *in circuitu ejus*, » quasi circumdabat Christi divinitatem, quia eam occultabat. Isa. XLV, 15 : *Vere tu es Deus absconditus*, sicut homo in habitu suo. Ad Philipp. II, 7 : *Et habitu inventus ut homo*. Hoc est tabernaculum quod positum est omnibus in aperto. Psal. XVIII, 6 : *In sole posuit tabernaculum suum*. Et dicit corpus ejus tabernaculum et templum. Tabernaculum ratione mortalitatis, tabernaculum enim movebatur : templum autem ratione inseparabilitatis a divinitate : hoc enim stabile fuit semper : hoc enim tabernaculum præbuit visibile, sed divinitatem intus abscondit. Exod. XXXIII, 23 : *Videbis posteriora mea*, id est, humanitatem meam : *faciem autem meam*, divinitatem meam scilicet, *videre non poteris*.

« *Tenebrosa aqua*. » Hic tangitur occultatio tertia. Quasi diceret : Sic latet in se, sic in sua humanitate. Nec putet quis, quod in Scriptura manifestet se, « *tenebrosa aqua* est *in nubibus aeris*. » Nubes sunt Prophetæ et Doctores. Isa. V, 6 : *Nubibus mandabo ne pluant super eam imbrem*. Et nubes non circa terram, sed aeris, sursum scilicet calore charitatis elevatæ. Isa. LX, 8 : *Qui sunt isti, qui ut nubes volant ?* In iis est « *tenebrosa* « *aqua*, » scientia de divinitate occulta.

Aquæ enim tenebrosæ fundus videri non potest : et hoc maxime, quando profunda est aqua, quia, sicut dicit Philosophus : « Ubi multum est de aqua, caloris est ni-« gri, ubi parum, glauci. » Sed Proverb. XVIII, 4 : *Aqua profunda, verba ex ore viri.* Et tanta profunditas, ut multi non potuerint attingere, sed magis sint submersi. Eccle. VII, 24 : *Dixi : Sapiens efficiar, et ipsa longius recessit a me.*

13 « *Præ fulgore in conspectu ejus.* » Hic secundum, in quo præmissa occultatione, subjungitur de manifestatione, et dividitur in duas partes secundum duplicem modum manifestandi. Primo, per Apostolorum manifestationem. Secundo, per increpationem, infra, «*Ab increpatione tua.*»

Manifestatio Christi per Apostolos.

In prima parte quinque dicuntur. Primo, Apostolorum sanctitas. Secundo, modus doctrinæ illorum, ibi, « *Grando et carbones.* » Tertio, auctoritas prædicationis, et strenuitas, ibi, « *Et misit sagittas suas.* » Quarto, potestas faciendi miracula, ibi, « *Fulgura multiplicavit.* » Quinto, facultas interpretandi et exponendi Scripturas, ibi, « *Et apparuerunt.* »

Dicit ergo : Sic latuit, sed ut manifestus fieret Deus « *in conspectu ejus,* » id est, ante eum, « *nubes,* » non tenebrosæ, sed « *præ fulgore* », scilicet præ fulgida vita et honestate, « *transierunt,* » discurrendo per mundum. Adverte elegantem commendationem, bonam scilicet ordinationem ad Deum, per hoc quod dicit, « *In conspectu ejus,* » scilicet Dei : bonam ad proximum per hoc quod dicit, « *Præ fulgore.* » In primo notatur recta intentio : in secundo, aliorum per exemplum bonum informatio. Hæc duo præcipit Matth. v, 15 : *Sic luceat lux vestra,* Ecce « *præ fulgore :* » *coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est,* Ecce « *in conspectu Dei.* » Istæ sunt nubes lucidæ de quibus Job, XXXVII, 11 : *Et nubes spargunt lumen suum.* Aliter legitur ut sint duæ partes : et referatur hoc, « *præ fulgore in conspectu ejus,* » ad antecedentia.

« *Grando et carbones.* » Hic secundum. Præmissa enim commendatione, subjungitur de modo doctrinæ : et tanguntur ad quatuor. Primo, objurgatio vitiorum. Sic erant « *grando.* » Secundo, exhortatio bonum et ad virtutes, ibi, « *Et carbones.* » Tertio, comminatio personarum, ibi, « *Et introivit.* » Quarto, promissio bonorum æternorum, ibi, « *Et Altissimus dedit vocem suam.* »

Prædicatio Apostolorum.

Dicit ergo : Sic « *præ fulgore nubes transierunt,* » et etiam « *grando* » fuerunt in arguendo vitia, et etiam « *carbones ignis,* » alios scilicet ad bonum inflammantes. Exod. IX, 24 : *Grando et ignis mista pariter ferebantur.* Psal. CIV, 32 : *Posuit pluvias eorum grandinem,* quantum ad primum : *et ignem comburentem in terra ipsorum,* quantum ad secundum. Gregorius : « Sancti gran-« do et ignis dicuntur : quia cum corda « audientium corrigentes feriunt, blan-« dientes per famam, charitatis accendunt « flammam. »

« *Et intonuit.* » Hic tertium, in quo subjungit de comminatione. Quasi diceret : Sic fuerunt grando, sic carbones. « *Et intonuit* » comminando per eos Dominus. Terribilis enim prædicatio a Domino fiebat per eos. Matth. x, 20 : *Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* Vis audire tonitruum ! Matth. III, 10 : *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur.* Psal. CIII, 7 : *A voce tonitrui tui formidabunt.* Eccli. XLIII, 18 : *Vox tonitrui ejus versabit terram.* Et bene dicit : « *De cœlo,* » ut sit sensus : Dominus de cœlo, non de terra : dominabatur enim in cœlo, sed in terra non, donec tonitrua sunt emissa. Apoc. IV, 5 : *De throno procedebant fulgura, et voces, et tonitrua.* 14

« *Et Altissimus.* » Hic quartum, in quo

ostenditur quartus modus prædicandi per promissionem, et dicuntur duo. Primo, promissio et suavis prædicatio et alliciens. Secundo, adaptatio modorum prædicatoribus, qui per hoc sunt grando et carbones.

Dicit ergo sic : Intonuit Dominus, « *et Altissimus dedit* » per eosdem « *vocem suam,* » suavem scilicet promissionem, ut sic alliceret. Ecce vox suavis, I ad Corinth. II, 9 : *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit*, etc. Apoc. I, 15 : *Vox illius tamquam vox aquarum multarum*, id est, promissionum multiplicium. Et nota, quod Dominus dicitur comminando mala. Malach. I, 6 : *Si Dominus ego sum, ubi est timor meus ?* Sed Altissimus, blandiendo, et promittendo bona. Jacob. II, 13 : *Superexaltat misericordia judicium*. Luc. VI, 35 : *Date*, etc. *et eritis filii Altissimi.*

« *Grando et carbones.* » Quasi sic diceret : Sic intonuit per eos Dominus, sic promittit : ex hoc accidit, quod vere sunt grando in comminando, « *et carbones ignis* » in promittendo. Expone sicut supra, et nota, quod in ipsa repetitione, ostenditur, quod in principio prædicationis et in fine semper insistendum comminationi, et prædicationi promissionis æternorum.

15 Missio Apostolorum.

« *Et misit sagittas.* » Hic tertium, in quo ostenditur auctoritas prædicationis in illis, quia missi : et tangitur missio, et modus missionis, ibi, « *Et dissipavit.* »

Dicit ergo : Hoc modo prædicaverunt non sine auctoritate. « *Et misit* » Dominus « *sagittas suas,* » Apostolos scilicet et Doctores. Luc. x, 2 : *Rogate dominum messis ut mittat operarios in messem suam.* Aliter enim non prædicavissent. Ad Roman. x, 15 : *Quomodo prædicabunt nisi mittantur ?* Missi autem dicuntur ut sagittæ, quia sagittis comparantur Apostoli, et Apostolici viri. Primo, quia fragiles sui reputatione et infirmi, I ad Corinth. I, 27 : *Infirma mundi elegit Deus ut confundat fortia.* Leves per contemptum temporalium. Matth. XIX, 27 : *Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te : quid ergo erit nobis ?* Gregorius : « Qui contemptum temporalium prædicat, necesse est ut illa primo contemnat. » Graciles per mortificationem carnis, I ad Corinth. IX, 27 : *Castigo corpus meum, et in servitutem redigo*, etc. Recti per intentionem, Psal. XXXII, 1 : *Rectos decet collaudatio*, prædicationis scilicet. In illa enim maxime laudatur Deus, et divulgatur ejus nomen. Acuti et penetrativi per zelum et charitatem, Cant. III, 3 : *Invenerunt me vigiles, qui custodiunt civitatem.* Cant. v, 7 : *Percusserunt, et vulneravernnt me.* Plani et politi per mansuetudinem, Matth. XI, 29, dictum est eis : *Discite a me quia mitis sum et humilis corde.* Pennati per virtutum excellentiam, Prov. I, 17 : *Frustra jacitur rete ante oculos pennatorum.* Talis sagitta erat qui dicebat, Isa. XLIX, 2 : *Posuit me sicut sagittam electam.*

Sagittis comparantur.

« *Et dissipavit eos,* » id est, Apostolos, ut fiat relatio ad suppositum per sagittas, non secundum signandi modum. Dissipavit, inquam, dividendo per multas partes mundi, Paulo Gentes, Petro Judæos relinquens. Ad Galat. II, 8 : *Qui operatus est Petro in apostolatum circumcisionis, operatus est et mihi inter Gentes.* Et sic notatur modus mittendi. Vel potest notari fructus. « *Dissipavit eos* » ad quos eos misit, ut non implerent mala, quæ facere consueverant. Job, v, 12 : *Qui dissipat cogitationes malignorum, ne possint implere manus eorum quod cœperant.* Jerem. I, 10 : *Constitui te hodie super gentes et super regna, ut evellas, et destruas, et disperdas, et dissipes, et ædifices, et plantes.*

« *Fulgura multiplicavit.* » Hic quartum, in quo ad consummationem justificationis subjungitur de potestate faciendi miracula, et tanguntur duo. Miraculorum operatio, et effectus consequens in

Apostolorum miracula.

illis, qui ea videbant, ibi, « *Et conturbavit.* »

Dicit ergo sic : Sagittas, id est, prædicatores misit, et « *fulgura multiplicavit* » per eos, id est, miracula lucentia, alios ad stuporem moventia, sicut fulgur. Exod. IX, 23 : *Dominus dedit.... discurrentia fulgura super terram*. Ezech. I, 3 : *Animalia ibant, et revertebantur in similitudinem fulguris coruscantis*. Apoc. IV, 5 : *De throno*, de consortio scilicet, et cœtu Apostolico, in quo sedebat Deus, *procedebant fulgura*. Marc. XVI, 20 : *Illi autem profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante, et sermonem confirmante, sequentibus signis.* « *Et multiplicavit.* » Job, V, 9 : *Qui facit magna et inscrutabilia, et mirabilia absque numero.*

16 « *Et conturbavit eos,* » admiratione et stupore qui videbant illa. Psal. LXXVI, 19 : *Illuxerunt coruscationes orbi terrarum*, etc. Act. III, 10, Sanato claudo ad portam Speciosam, *omnes impleti sunt stupore et extasi, in eo quod contigerat illi.* Sed quidam ad bonum suum turbabuntur, de quibus Habac. III, 11 : *In luce sagittarum tuarum, ibunt in splendore coruscantis hastæ tuæ.* Quidam ad malum, sicut Judæi blasphemantes, Matth. XII, 24 : *Hic non ejicit dæmones nisi in Beelzebub, principe dæmoniorum.* II ad Cor. II, 16 : *Christi bonus odor sumus Deo,... aliis quidem odor mortis in mortem : aliis autem odor vitæ in vitam.*

« *Et apparuerunt fontes.* » Hic quintum et ultimum, scilicet facilitas aperiendi Scripturas generaliter : secundo, Propheticas specialiter, ibi, « *Et revelata sunt.* »

Dicit ergo sic : Prædicaverunt missi, « *et apparuerunt* » per eos fontes aquarum, doctrinæ Scripturarum utriusque Testamenti, ut impleretur illud Isa. XII, 3 : *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris*, prius clausis. Apocalyps. V, 1 et seq. : Liber in dextra sedentis in throno signatus erat. Et nota, quod non dicit, « aperuerunt, » sed Agnus aperuit illis. Luc. XXIV, 45 : *Aperuit illis sensum ut intelligerent Scripturas.* Apocalyp. III, 7 : *Aperit, et nemo claudit : claudit, et nemo aperit.* Isa. XLI, 18 : *Aperiam in supinis collibus flumina, et in medio camporum fontes.* Ipsi enim Apostoli qui erant fontes, sicut alveus dicitur fons, aperiebant seipsos prædicando. Exod. XV, 27 : *Venerunt in Elim filii Israel, ubi erant duodecim fontes aquarum,* id est, duodecim Apostoli : Elim enim interpretatur *fortis eorum.*

« *Et revelata sunt fundamenta,* » quæ prius erant occulta, scilicet Prophetarum dicta, in quibus fides fundatur Ecclesiæ. Unde addit, « *Orbis terrarum* », id est, Ecclesiæ. I Joan. II, 8 : *Tenebræ transierunt, et verum lumen jam lucet.* II ad Corinth. III, 13 et seq. : Velamen positum erat super faciem Moysi [1], sed remotum est modo : scissum enim fuit velum in passione Domini [2] (Matth. XXVII, 51.) II ad Corinth. III, 18 : *Nos vero omnes revelata facie gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformamur, a claritate in claritatem.* Dicitur autem orbis terrarum Ecclesia. Primo, quia per totum orbem dilatata est, Psal. XVIII,

Ecclesia dicitur orbis terrarum : quia universalis et immobilis.

[1] Cf. Exod. XXXIV, 33.

[2] II ad Corinth. III et seq. : *Et non sicut Moyses ponebat velamen super faciem suam ut non intenderent filii Israel in faciem ejus, quod evacuatur,*

Sed obtsusi sunt sensus eorum. Usque in hodiernum enim diem idipsum velamen in lectione veteris testamenti manet non revelatum (quoniam in Christo evacuatur) :

Sed usque in hodiernum diem cum legitur Moyses, velamen positum est super cor eorum.

Cum autem conversus fuerit ad Dominum, auferetur velamen.

5: *In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum.* Non infructuose constat, Ad Roman. I, 8: *Fides vestra annuntiatur in universo mundo.* Synagoga autem tantum fuerat in Judæa. Item, caret fine: sic Ecclesia: semper enim durabit, Luc. XXII, 32: Petre, *ego pro te rogavi, ut non deficiat fides tua.* Ad Roman. VIII, 38 et 39: *Neque mors, neque vita,... neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu.* Item, orbis terræ immobilis est: et si aliqua pars est mobilis, tamen totus est immobilis, per hoc quod innititur cuidam simplicissimo quod est centrum cœli, et est in ejus medio. Sic Ecclesia immobiliter stat et stabit: quia innititur Christo, qui est in medio ejus, sicut substans. Psal. XLV, 5: *Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus,* id est, confirmavit. Quare Deus in medio ejus non commovebitur. Hujus orbis terrarum ergo fundamenta sunt Prophetæ ut prius, et Apostoli, ut immediatius: sed ipse Christus ut intimius fundamentum totum portans. Ad Ephes. II, 20: *Superædificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu.*

Manifestatio divinitatis Christi.

« *Ab increpatione tua.* » Hic est secundum totius hujus partis, in qua agitur de manifestatione divinitatis prius occultatæ. Ostensum est enim quomodo per prædicationem fuerit facta manifestatio, hic qualiter et quomodo per inspirationem: et tanguuntur duo. Primo, interior increpatio per Spiritum sanctum ad retrahendum a malo. Secundo, inspiratio promovens ad bonum, ibi, « *Ab inspiratione.* »

Dicit ergo: Sic facta est manifestatio veritatis, et divinitatis mundo, et hic o tu Domine, « *Ab increpatione tua,* » id est, per increpationem tuam interius factam a malo revocantem. Job, XXXIII, 19: *Increpat per dolorem* immissum, et horrorem *in lectulo* conscientiæ, *et omnia ossa marcescere facit.* Isa. XVII, 13: *Increpabit eum, et fugiet procul* a malo. Propter hoc dicit Job, V, 17: *Increpationem Domini ne reprobes.* Ipsa enim incipit ostendere homini vitæ viam. Prov. VI, 23: *Via vitæ, increpatio disciplinæ.*

« *Ab inspiratione.* » Quasi diceret: Non solum « *ab increpatione,* » imo prædicta fuerunt ab inspiratione, id est, per inspirationem, « *spiritus ira tuæ,* » qui terrorem incutiebat, qui timor est initium sapientiæ [1]. Sed quomodo vocatur Spiritus Sanctus, spiritus iræ? de tali enim spiritu loquitur sic Sapient. I, 6: *Benignus est spiritus sapientiæ.* Et in cap. XII, 1: *O quam suavis est Domine spiritus tuus, in omnibus!*

Quare Spiritus sanctus dicitur spiritus ira?

Responsio. Est ira condemnationis, quæ est quasi contraria benignitati et suavitati. De hac non loquitur hic. Et est ira correctionis et revocationis a malo: hæc est a Spiritu sancto, a quo est donum timoris. Sic habetur Isa. XI, 2 et seq.: Aliquando spiritus sonat in benignitatem: aliquando in indignationem: sic accipitur hic. Genes. VI, 3: *Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est,* Job, IV, 8 et 9: *Vidi eos, qui operantur iniquitatem, et seminant dolores, et metunt eos..., spiritu iræ Dei esse consumptos.* Ira ergo hic non indignationis est, sed amoris. Et hoc notatur in inspiratione quæ semper sonat in bonum. Genes. II, 7: *Inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ.* Eccli. IV, 12: *Sapientia filiis suis vitam inspirat.* Et Job, XXXII, 8: *Inspiratio Omnipotentis dat intelligentiam.*

17

Secunda pars Psalmi. Institutæ Ecclesiæ progressus

« *Misit de summo.* » Hic est secundum, in quo postquam actum est de effectibus Incarnationis quantum ad exor-

[1] Psal. CX, 10 et Eccli. I, 16: *Initium sapientiæ, timor Domini.*

effectuum incarnationis.

dium ipsius Ecclesiæ, hic consequenter quantum ad profectum ejusdem, et dividitur in duas partes. Primo, tanguntur beneficia jam accepta. Secundo, Prophetice prædicantur beneficia accipienda, ibi, « *Et retribuet mihi Dominus.* » Et loquitur Propheta ac si esset in tempore in quo jam multiplicata erat Ecclesia.

In prima duo. Primo, tangit causam beneficiorum quantum ad ablationem mali, vel ereptionem a malo. Secundo, quantum ad collationem boni, ibi, « *Et eduxit me in latitudinem.* »

In prima duo. Primo, ereptio a malo culpæ. Secundo, a malo pœnæ, ibi, « *Prævenerunt me.* »

In prima duo. Primo, ereptio a peccato jam perpetrato. Secundo, a perpetrando tentatione impugnante, ibi, « *Eripuit me.* »

In prima duo. Primo, ereptio. Secundo, modus eripiendi, ibi, « *Et assumpsit.* »

Dicit ergo : Sic innotuit divinitas in Ecclesia primitiva, et dilatata prædicatione, « *misit de summo* » gratiam suam, qui miserat Filium suum, sapientiam scilicet suam.

« *Et accepit me.* » In persona Ecclesiæ loquitur, id est, ad se cepit de peccato trahens ut faceret sponsam sibi, et non Angelos. Ad Hebr. II, 16 : *Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit.* Tamquam sponsam, Osee, II, 20 : *Sponsabo te mihi in fide.* Misit Filium suum a summo cœlo propter te. Psal. XXVIII, 7 : *A summo cœlo egressio ejus.* Isa. LVIII, 16 : *Et nunc Dominus misit me, et Spiritus ejus.*

« *Et assumpsit me de aquis multis.* » Assumpsit me sicut nutrix parvulum suum, Osee, XI, 3 : *Ego quasi nutritius Ephraim, portabam eos in brachiis meis.* Sicut pastor pecus infirmum, Isa. XL, 11 : *In brachio suo congregabit agnos, et in sinu suo levabit, fætas ipse portabit.* Et hoc « *de aquis multis,* » id est, per multas aquas ad hoc me præparantes. De aquis scilicet baptismatis, de quibus Zachar. XIII, 1 : *Erit fons patens domui David,* etc. Ezech. XXXVI, 25 : *Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinationibus vestris,* vel inquinamentis. De aquis compunctionis, de quibus Jerem. IX, 1 : *Quis dabit capiti meo aquam?* De aquis tribulationis, de quibus assumptus est Moyses, Exod. II, 5. De aquis humanæ generationis, de quibus II Reg. XIV, 14 : *Omnes morimur, et sicut aquæ dilabimur in terram, quæ non revertuntur.* Apoc. XVII, 15 : *Aquæ, quas vidisti, ubi meretrix sedet, populi sunt, et gentes, et linguæ.*

« *Eripuit me.* » Hic est secundum, in 18
quo tangitur liberatio ab ipsa tentatione movente ad peccatum. Est autem duplex tentatio. Per adversarium diabolum, et de hac primo. Alia per hominem malum, ibi, « *Et ab iis qui oderunt me.* » Tertio, subjungitur causa utriusque tentationis, ibi, « *Quoniam confortati sunt.* »

Dicit ergo : Sic extraxit de malis præteritis, vel jam factis, vel in origine, vel propria voluntate : « *eripuit me* » in membris meis « *de inimicis meis,* » dæmonibus, de quibus Eccli. XVIII, 31 : *Si præstes animæ tuæ concupiscentias ejus, faciet te in gaudium inimicis tuis.* Vel inimicos appellat vitia, quæ naturæ inimica sunt, et ipsius corruptiva. Dæmones autem dicuntur fortissimi : fortes quantum ad tentationem de luxuria, Job, XL, 11 : *Fortitudo ejus in lumbis ejus, et virtus illius in umbilico ventris ejus.* Fortiores quantum ad tentationem de avaritia, Jerem. XXXI, 11 : *Redemit Dominus Jacob, et liberavit eum de manu potentioris.* Sed fortissimi quantum ad tentationem de superbia, Job, XLI, 24 et 25 : *Non est super terram potestas, quæ comparetur ei.* Et statim subjungit : *Ipse est rex super universos filios superbiæ.* Vitia autem inimici fortissimi dicuntur, fortes alliciendo usque ad consensum, fortiores perducendo ad actum, sed fortissimi tenendo in consuetudine captivum.

Fortitudo dæmonis tribus tentationibus constat,

« *Et ab iis qui oderunt me.* » Ab homi-

nibus scilicet malis « *eripuit me.* » Verum est ad minus in illo qui dicebat, Act. xii, 11 : *Nunc scio vere quia misit Dominus Angelum suum, et eripuit me de manu Herodis, et de omni exspectatione plebis Judæorum.* Sicut illum de quo II Pet. ii, 7 : *Justum Loth oppressum a nefandorum injuria ac luxuriosa conversatione eripuit.* Mali enim homines, sicut et eorum caput, semper oderunt bonos. Exod. i, 13 : *Oderant filios Israel Ægyptii, et affligebant illudentes eis.*

« *Quoniam confortati.* » Hic tangitur necessitas liberationis. Quasi diceret : Sic eripuit de inimicis et de his qui oderunt me. Et hoc necesse, quando et dæmones et homines mali « *confortati sunt super me,* » invalescendo et impugnando usque ad dejectionem, si non subvenisset liberatio. Jerem. ix, 3 : *Confortati sunt in terra : quia de malo ad malum egressi sunt.* Et in Psal. lxviii, 5 : *Confortati sunt qui persecuti sunt me inimici mei injuste: quæ non rapui, tunc exsolvebam.* Littera Hieronymi : « Quoniam robustiores me erant. »

19 « *Prævenerunt me.* » Hic est secundum, in quo ostensa liberatione a culpa, subjungitur de liberatione a pœna, quamvis Glossa utrumque confundat : et tangitur primo necessitas liberationis. Secundo, liberatio, ibi, « *Et factus est.* » Vel conservatio.

Dicit ergo : Sic liberavit, sic eripuit a culpa, et etiam a pœna : quia « *prævenerunt me inimici mei,* » et adversarii velociores ad inferendum pœnam, et promptiores quam ego, ad vitandum. Thren. iv, 19 : *Velociores fuerunt persecutores nostri aquilis cœli, et super montes persecuti sunt nos.* Et hoc « *in diebus afflictionis,* » in hoc tempore afflictioni et miseriæ deputato. Isa. xxxvii, 3 : *Dies tribulationis et correptionis et blasphemiæ, dies hæc.* Thren. i, 2 : *Omnes persecutores ejus apprehenderunt eam inter angustias.*

« *Et factus est.* » Quasi diceret : Tanta fuit necessitas. « *Et factus est Dominus protector,* » sicut gallina, quando videt milvum circumvolantem, protegit pullos suos alis. Supra, in Psal. xvi, 8 : *Sub umbra alarum tuarum protege me.* Et nota, quod non dicit, Dominus est protector, vel fuit, sed « *factus est,* » volens ostendere, quod protector est, per id quod factus est, scilicet quasi homo. Isa. iv, 5 : *Super omnem gloriam protectio.* Cassiodorus : « Ideo Deus factus est protector, quia homo exstitit impugnator. » Sed impugnatio temporalis, et æterna protectio. Propter hoc dicitur, Proverb. xviii, 10 : *Turris fortissima nomen Domini : ad ipsum currit justus, et exaltabitur.* Jerem. xv, 11 : *Si non occurri tibi in tempore afflictionis, et in tempore tribulationis adversus inimicum.*

« *Et eduxit in latitudinem.* » Hic de collatione boni, et dicuntur duo. Primo, enumerantur bona collata. Secundo, assignatur ratio conferendi illa, ibi, « *Quoniam voluit.* » 20

Ecclesia bonis cumulata.

In prima duo, scilicet duplex beneficium quod tangit. Primum, in charitate dilatatio. Secundum, sinceritas in fide, ibi, « *Salvum me fecit.* »

Dicit ergo : Sic eripuit, et a culpa et a pœna, « *Et eduxit me in latitudinem* » charitatis, quæ valde lata est. Psal. cxviii, 96 : *Omnis consummationis vidi finem.* Proverb. iv, 11 et 12 : *Ducam te per semitas æquitatis : quas cum ingressus fueris, non arctabuntur gressus tui.* Et nota, quod est latitudo multiplex. Patientiæ, In Psal. iv, 2 : *In tribulatione dilatasti mihi,* sicut aurum et argentum malleo dilatatur, ut fiat ex eo vas aliquod pretiosum. Obedientiæ, In Psal. cxviii, 32 : *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum :* sicut cera mollis per obedientiam dilatatur. Lætitiæ, Isa. xl, 5 : *Tunc videbis, et afflues, et mirabitur et dilatabitur cor tuum :*

Multiplex latitudo : Patientiæ.

[...]dientiæ. [...]ætitiæ. [...]beralitatis. [...]onfessionis. [...]haritatis. [...]rædicationis.

sicut quod pingue est dilatatur. Deut. xxxii, 15 : *Impinguatus, dilatatus.* Liberalitatis, Proverb. xviii, 16 : *Donum hominis dilatat viam ejus,* sicut famulus dilatat viam ante dominum suum. Confessionis, I Mach. iii, 3 : Judas *dilatavit gloriam populo suo* : sicut Rex inimicos destruendo dilatat regiam potestatem. Charitatis, Ad Ephes. iii, 18 : *Ut possitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ sit longitudo, et latitudo,* etc. Sicut bonus mercator dilatat res suas. Prædicationis, Psal. lxxx, 11 : *Dilata os tuum, et implebo illud.* II Reg. ii, 1 : *Dilatatum est os meum super inimicos meos :* sicut famelicus dilatat os ad devorandum. Petro dictum est, Act. x, 13 : *Occide et manduca.*

« *Salvum me fecit.* » Ecce secundum beneficium. Sed nonne fides antecedit charitatem, quomodo ergo non præcessit hoc beneficium illud ? Responsio. Fidem appellat hanc fidei distinctionem. Antiquitus enim fidem habebant, sed quasi indistinctam, et charitatem. Dominus autem post adventum in carnem et charitatem dilatavit, et fidem auxit et distinxit : sicut salvum facit a fame, qui dat cibum paratum ad edendum. Habac. ii, 4 : *Justus in fide sua,* etc. *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit*[1].

« *Quoniam voluit me.* » Ecce causa beneficii utriusque : sola enim voluntate ejus salvi sumus, non nostris meritis. I ad Timoth. ii, 4 : *Qui vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire.* Ad Tit. iii, 5 : *Non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum misericordiam suam, salvos nos fecit.* Et ipse Dominus, Matth. xi, 25 et 26 : *Abscondisti hæc a sapientibus, et prudentibus, et revelasti ea parvulis.* Et subdit : *Ita Pater, quoniam sic fuit placitum ante te.*

« *Et retribuet mihi Dominus.* » Hic 21
secundum, in quo enumeratis beneficiis pertinentibus ad perfectum jam acceptis, subjungitur de beneficio accipiendo, et duplici. Et secundum hoc, hæc pars dividitur in duas. Primo, tangit beneficium quod spectat ad gratiam, quæ est perseverantia. Secundo, quod spectat ad gloriam et remunerationem pro illa, ibi, « *Et retribuet.* »

In prima tria. Primo, quod ei secundum merita tribuitur in generali. Secundo, determinatur quid, ibi, « *Et custodivi.* » Tertio, quare, ibi, « *Quoniam omnia judicia.* »

In prima duo. Primo, quod remunerabitur pro bono opere. Secundo, quod pro operis puritate, ibi, « *Et secundum puritatem.* »

Dicit ergo : Hæc bona quæ prædixi, fecit mihi Dominus, et etiam retribuet in præsenti mihi « *secundum justitiam meam,* » secundum scilicet bonam operationem. Psal. xxvii, 4 : *Secundum opera manuum eorum tribue illis.* Redde nunc in præsenti retributionem illorum ipsis. Thren. iii, 64 : *Reddes eis vicem Domine juxta opera manuum suarum. Et secundum puritatem manuum mearum,* operum scilicet in quibus puritas debet esse. Proverb. iii, 14 : *Purissimi fructus ejus.* Opera enim non tantum debent esse bona in se, sed in munditia et puritate facta. Job, xxii, 30 : *Salvabitur innocens, salvatur autem munditia manuum suarum.* « *Retribuet mihi,* » supple perseverantiam, I ad Timoth. ii, 8 : *Levantes puras manus.* Tales enim tantum impetrant, non sordidæ et immundæ. Isa. i, 15 : *Cum multiplicaveritis orationem,* ecce opus bonum, *non exaudiam, manus enim vestræ sanguine plenæ sunt,* ecce impuritas.

[1] Marc. xvi, 16.

22 « *Quia custodivi.* » Hic secundum, in quo specificat in quo sit remuneratio, scilicet in duplici perseverantia operandi bonum, et declinandi a malo, ibi, « *Nec impie gessi.* »

Dicit ergo : Sic retribuet, et hoc retribuet, « *quia custodivi,* » id est, custodiam « *vias Domini,* » bona faciendo. Prov. xix, 16 : *Qui custodit mandatum,* Domini scilicet, *custodit animam suam.* Istæ viæ, secundum Cassiodorum, sunt dilectio Dei et proximi. Ad Ephes. v, 1 et 2 : *Estote imitatores Dei, sicut filii charissimi : et ambulate in dilectione,* sicut in via Dei : *sicut et Christus dilexit nos.* Vel viæ sunt mandata generaliter, quibus itur ad Deum. Matth. xix, 17 : *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Job, xxiii, 11 : *Vestigia ejus secutus est pes meus.*

« *Nec impie gessi a Deo meo,* » recedendo, id est, non impie geram. Isa. lix, 2 : *Iniquitates vestræ diviserunt inter vos et Deum vestrum, et peccata vestra absconderunt faciem ejus a vobis.* Quasi diceret : In tantum est elongatus, ut nec ipsum etiam videre possitis. Prov. xvi, 12 : *Abominabiles sunt regi, qui agunt impie.* Eccli. x, 14 : *Initium superbiæ hominis, apostatare a Deo.* Aliter legit Glossa, ut hæc duo sint causa duorum dictorum in præcedenti versu : primum primi, secundum secundi.

23 « *Quoniam omnia judicia ejus.* » Hic tertium, in quo tangitur causa, et dicuntur duo. Primo, causa. Secundo, repetitio ipsius effectus, ibi, « *Et ero immaculatus.* »

In prima duo secundum duo quæ occurrunt ad hoc quod detur perseverantia. Primum est consideratio divini judicii. Secundum, adhæsio jussioni ejus, ibi, « *Et justitias ejus.* » Qui enim hæc duo habet, meretur ut perseverantia ei præbeatur.

Dicit ergo : Sic retribuet mihi et justitiam, et puritatem : et hoc justum, « *quoniam omnia judicia ejus in conspectu meo* » semper habui. Prov. xxviii, 5 : *Viri mali non cogitant judicium : qui autem inquirunt Dominum, animadvertunt omnia.*

Sed contra : Ad Rom. xi, 33 : *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei : quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus !* Psal. xxxv, 7 : *Judicia tua, abyssus multa.* Quis ergo potest abyssum, et quod est investigabile perscrutari. Si dicatur, quod hoc refertur ad caput, qui hoc potuit ratione unionis : sed in ipso hoc non fuit initium perseverantiæ : omnis enim virtus, et consummatio omnis virtutis ab instanti conceptionis in ipso fuit, secundum genera sua. Propter hoc dicendum, quod loquitur pro membris, et aliud est judicia Dei secundum genera sua intueri et cogitare : hoc enim potest homo, sicut hic dicitur. Aliud perscrutari et investigare causam judicii : et super hoc clamat Apostolus, et hoc a David dicitur *abyssus.* Hæc autem judicia sunt secundum Glossam quatuor : præmia justorum quando dicet, Matth. xxv, 34 : *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum.* Hæc judicia sunt jucunda. Pœnæ reproborum, In eodem, xxv, 41 : *Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo,* etc. Item, duo gravia sunt flagella corrigendorum. Ad Hebr. xii, 6 : *Flagellat omnem filium quem recipit.* Hæc amabilia valde. Tentationes probandorum, Eccli. xxvii, 6 : *Vasa figuli probat fornax.* Hæc in patientia sunt sustinenda, et sunt hæc duo genera ultima in præsenti.

« *Et justitias ejus* » in exterioribus operibus : justitias, inquam, ejus ab eo missas, « *non repuli a me,* » adhærendo illis. Job, xxvii, 6 : *Justificationem meam quam cœpi tenere, non deseram.* Ad Hebr. xii, 15 : *Contemplantes ne quis desit gratiæ Dei.* Vel secundum Glossam, justitias appellat Dei judicia quando inveniuntur justa. Ut enim alia opera per illa rectificantur, judicia sunt. Ut autem

a Deo justo sunt statuta, justitiæ sunt. Psal. XVIII, 10 : *Judicia Domini vera, justificata in semetipsa.* Hæc ergo non repellunt a se justi, sed acceptant. Psal. CXVIII, 52 : *Memor fui judiciorum tuorum a sæculo Domine, et consolatus sum.* Et alibi, Psal. XLVII, 12 : *Et exsultent filiæ Judæ, propter judicia tua, Domine,*

24 « *Et ero immaculatus cum eo.* » Hic infert ex præmissa causa effectum duplicem. Primum est perseverantia in iis quoad Deum. Secundo, in bona ordinatione ad proximum, ibi, « *Et observabo me.* »

Dicit ergo : Sic consideravi judicia, justitias non repuli : « *et ex hoc ero immaculatus,* » absque omni macula, « *cum eo,* ut sim sicut ille de quo in alio Psalmo supra, XIV, 2 : *Qui ingreditur sine macula.* Apocalyp. XIV, 5 : *Sine macula sunt ante thronum Dei.* Et dicitur a membro ex confidentia non ex certitudine : quia Eccle. IX, 1, etiam dicitur in præsenti : *Nescit homo, utrum amore vel odio dignus sit* : multo minus de futuro. Et nota humilitatem in eo quod dicit: « *Cum eo.* » Quasi diceret : Hoc non erit per me, sed cum eo adjutore poterit esse. Sap. VIII, 21 : *Scivi quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det.*

« *Et observabo me ab iniquitate mea,* » quoad proximum. Job, XXVII, 5 : *Donec deficiam, non recedam ab innocentia mea.* Quare? Propter illud Eccli. XXVI, 27 : *Qui transgreditur a justitia ad peccatum, Deus paravit eum ad romphæam* : et qui ab iniquitate recedit, quod Deo placet, facit. Eccli. XXXV, 5 : *Beneplacitum est Deo recedere ab iniquitate.*

25 « *Et retribuet mihi Dominus.* » Hic secundum, in quo subjungitur, sicut superius dictum fuit[1], de retributione meritorum in futuro, quod est ipsa æterna gloria : et tanguntur duo per comparationem hujus præmii ad duo, ad liberum arbitrium, et gratiam ipsum liberum arbitrium informantem. Primo ergo de retributione gloriæ in relatione ad operationem, quæ surgit ex arbitrio libero. Secundo, comparatione ad gratiam quæ est ex Deo, ibi, « *Cum sancto sanctus eris.* »

In prima duo, secundum quod supra dictum fuit, ubi eadem verba habentur : quia primo remuneratur pro bono opere, et secundo pro operis puritate, ibi, « *Et secundum puritatem.* »

Dicit ergo : Sic retribuet, perseverantiam in præsenti, et etiam « *retribuet* » in futuro, in vita scilicet æterna, « *mihi secundum justitiam meam.* » Job, XXXIV, 11 : *Opus hominis reddet ei, et juxta via singulorum retribuet eis.* Luc. VI, 38 : *Eadem mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis.*

« *Et secundum puritatem manuum mearum,* » operum scilicet a perversa intentione purgatorum, « *retribuet mihi* » præmium æternum. Matth. VI, 4 : *Sit eleemosyna tua in abscondito, et Pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi.* Luc. XIV, 12 et seq. : *Cum facis prandium, aut cœnam,... voca pauperes, debiles, claudos, et cæcos: et beatus eris, quia non habent unde retribuere tibi : retribuetur enim tibi in resurrectione justorum* : non enim est difficile Deo. Eccli. XI, 28 : *Facile est coram Deo indie obitus retribuere unicuique secundum vias ejus.* Quid autem sit quod retribuet, non dicit, nisi dicas : « *In conspectu oculorum ejus.* » Quasi diceret : In conspectu suo est, et solum in illo quod retribuet. Isa. LXIV, 4 et I ad Corinth. II, 9 : *Oculus non vidit, Deus absque te, quæ præparasti exspectantibus te*[1]. Vel determinat

[1] Cf. ℣. 21.

Isa. LXIV, 4 : *A sæculo non audierunt, neque auribus perceperunt : oculus non vidit, Deus absque te, quæ præparasti exspectantibus te.*

I ad Corinth. II, 9 : *Sed sicut scriptum est : quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum.*

hic « *in conspectu oculorum ejus,* » puritatem, non quamcumque, sed in conspectu ejus factam. Aliquando enim videtur valde purum in oculis agentium, quod est impurum valde in oculis judicis. Gregorius : « Sordet sæpe in conspectu di- « stricti judicis, quod splendet in oculis « facientis. » Et propter hoc bene ponitur hic ista determinatio, et non in alio versu supra. Dominus enim in iis quæ ad præsens pertinent, relinquit nobis judicium in multis, sed in futuro suum erit totum judicium.

« *Cum sancto sanctus eris.* » Hic secundum, in quo ne credatur ex bonis
26 operibus nostris nobis deberi gloriam, subjungitur de divina gratia, quæ mediante libero arbitrio meritorie operatur, et dicuntur duo. Primo, ostenditur causa justitiæ in præsenti. Secundo, salutis etiam in futuro, ibi, « *Quoniam tu populum.* »

In prima duo secundum duplicem effectum divinæ justitiæ in præsenti. Unus in comparatione ad bonos, alius in comparatione ad malos, ibi, « *Et cum perverso.* »

In prima tria secundum effectum triplicem. Primus sanctificationis. Secundus innocentiæ, ibi, « *Et cum viro.* Tertius electionis ad utrumque, ibi, « *Et cum electo.* »

Dicit ergo : Sic Dominus mihi retribuet, secundum justitiam, secundum puritatem : non tamen hoc a me est : quia o tu Domine, (convertit sermonem ad Deum), « *Cum sancto,* » id est sanctificato, et firmo formaliter, « *sanctus eris* » effective. Levit. XXII, 9 : *Ego Dominus qui et sanctifico eos,* quia tales esse volo. Levit. XI, 44 : *Sancti estote, quia ego sanctus sum.* Vel secundum Augustinum, ut continuetur ad immediatum quod dictum est, « *In conspectu oculorum ejus.* » Quasi diceret : Secundum puritatem quæ est in conspectu, prædicta facies, quia in conspectu tuo, etsi non appareat extra, tu eris « *sanctus cum sancto :* » sanctus in remunerando, cum sancto operando bonum. Vel si vis sit sermo ad hominem quemcumque : « *Cum sancto sanctus eris,* » id est, cum Christo. Quasi diceret : Illam puritatem quam sic remunerat Deus, habere non potes nisi manseris cum Christo, vel cum Sanctis. Ex convictu enim et societate sancta, formantur mores. Seneca : « Hoc est salu- « tare non conversari dissimilibus, alias « insipientibus, et diversa cupientibus. » Eccli. XXXVII, 15 : *Cum viro sancto assiduus esto.* Seneca : « Cum iis conversa- « re, qui te meliorem facturi sunt. »

« *Et cum innocente,* » formaliter sicut prius, « *innocens eris,* » innocentiam illi conferens. Exod. XXXIV, 7 : *Nullus apud te per se innocens est,* supple, nisi eum adjuveris. Et in Psal. XXIV, 21 : *Innocentes et recti adhæserunt mihi.* Nulli enim Deus facit malum, imo bona quantum in se est. Matth. V, 45 : *Solem suum oriri facit super bonos.* Vel legatur modo secundo : « In conspectu tuo est quod « innocentibus tribues. »

« *Et cum electo electus eris.* » Ecce ter- 27

Duplex electio : una qua eligimur a Deo, alia qua illum eligimus.

tium. Et nota, quod duplex est electio, una qua Deus nos eligit, « *cum electo* » a te, altera qua eligimur, « *electus eris* » ab illo. Quasi diceret : Primo elegis, et postea eligeris. De prima, Joan. XV. 16 : *Non vos me elegistis, primo supra, sed ego elegi vos.* Ad Ephes. I, 4 : *Elegit nos ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati.* Et hæc est æterna electio qua pauci eliguntur comparatione ad reprobatos, Matth. XX, 16 : *Multi vocati, pauci vero electi.* Secunda est temporalis, qua eligit per tribulationes purificando. Isa. XLVIII, 10 : *Elegi te in camino paupertatis.* Et sic electi debent eum eligere, imo eligunt. Deut. XXVI, 17 : *Dominum elegisti, ut sit tibi Deus, et ambules in viis ejus.*

« *Et cum perverso perverteris,* » id est, priusquam videris, vel vindicaveris : dicunt enim illud Ezech. xviii, 25 : *Non est æqua via Domini :* et illud Malach. iii, 14 : *Vanus est qui servit Deo : et quod emolumentum quia custodivimus præcepta ejus, et quia ambulavimus tristes coram Domino exercituum.* Et nota, quod perversi proprie dicuntur illi in quibus hoc quod sursum debet esse, est deorsum, et e converso, hoc est, quando ratio servit sensualitati, et sensualitas dominatur rationi, secundum illud Proverb. xxx, 21 et seq. : *Per tria movetur terra, et quartum non potest sustinere :* et addit : *Per servum cum regnaverit.* Et infra : *Et per ancillam cum fuerit hæres dominæ suæ.* Tales sunt pravi in veritate. Eccle. i, 15 : *Perversi difficile corriguntur.* Deus autem numquam perversus esse potest secundum modum istum, sed reputatur a talibus, quia eis adversatur. Exod. xxiii, 7 : *Ego aversor impium.* Ad homines autem potest dici, quia cum perversis pervertuntur. Eccli. xiii, 1 : *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea : et qui communicaverit superbo, induet superbiam.* Proverb. xiii, 20 : *Qui cum sapientibus graditur, sapiens erit : amicus stultorum similis efficietur.* I ad Corinth. xv, 33 : *Corrumpunt mores bonos colloquia mala.*

28 « *Quoniam tu populum.* » Hic secundum. Postquam actum est de effectu in præsenti, quantum est a justitia Dei, libero arbitrio cooperanti, hic de effectu ejusdem comparatione in futuro. Et primo quantum ad bonos, secundo quoad malos, ibi, « *Et oculos superborum.* »

Dicit ergo : Sic retribuet Dominus, quoniam o tu « *Domine salvum facies,* » non alius « *populum humilem.* » In Psal. xxxiii, 19 : *Et humiles spiritu salvabit.* Humilitas enim tamquam conservatrix omnis boni, rectius dicitur salvare quam alia virtus. Job, xxii, 29 : *Qui humiliatus fuerit, erit in gloria.* Hic autem populus humilis, est populus confitens peccata sua. Proverb. xxviii, 13 : *Qui abscondit scelera sua, non dirigetur : qui autem confessus fuerit, et reliquerit ea, misericordiam consequetur.*

« *Et oculos superborum,* » id est, superbos. Hoc dicit, quia in oculis maxime apparet signum superbiæ. Proverb. xxx, 13 : *Generatio, cujus excelsi sunt oculi, et palpebræ ejus in alta surrectæ.* « *Humiliabis,* » dejiciendo in infernum. Proverb. xxix, 23 : *Superbum sequitur humilitas.* Et nota, quod de bonis loquitur in singulari numero, quasi de uno, quia boni unum sunt in fide et dilectione. Act. iv, 32 : *Multitudinis credentium erat cor unum, et anima una.* Mali autem dissensionibus sunt divisi ab invicem. Isa. xlvii, 22 : *Non est pax impiis, dicit Dominus.*

Et nota tria quæ generant et conservant in homine humilitatem, et destruunt superbiam. Primum est propriæ fragilitatis consideratio, Genes. xviii, 27 : *Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis et cinis.* Ad hanc revocabat, qui dicebat, Eccli. x, 9 : *Quid superbis terra et cinis ?* Secundum, sui ad meliores comparatio, Eccle. ii, 14 : *Sapientis oculi in capite ejus,* id est, ad superiores et meliores : *stultus in tenebris ambulat,* quia se comparat pejoribus, qui tenebræ sunt, et ad illos respicit. Tertium, assidua subjectio, I Pet. ii, 13 : *Subjecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum.*

« *Quoniam tu illuminas.* » Hic tertium est, in quo agitur de beneficiis Ecclesiæ, sive membris corporis mystici exhibitis in consummatione, et hoc orando et gratias referendo, et commendando ostenditur. Sic enim proceditur in hac parte. Primo petitio, quod consummetur Ecclesia in bono. Secundo, confidentia de impetrando quod petitur, ibi, « *Quoniam in te eripiar.* » Tertio, commendatio ejus de quo habetur confidentia, ut monstretur quasi ratio confidentiæ, ibi, « *Deus meus impolluta.* » Quarto, certa recitatio be- 29

neficiorum a Deo suscipiendorum, ut ostendatur impletio impetrati, ibi, « *Eripies me de*, etc. »

In prima duo. Primo, confessio divinæ potentiæ. Secundo, petitio, ibi, « *Illumina tenebras*. »

Dicit ergo : Sic superbos humiliabis, et humiles salvabis. Et o « *Domine* » qui es Deus meus per creationem et recreationem, « *quoniam tu illuminas lucernam meam*, » Apostolos, Ecclesiæ Doctores primitivos, et etiam in progressu Martyres et Doctores. Illuminatio lucernæ non est a sola luce, sed a luce et ardore : et *Deus lux est : et tenebræ in eo non sunt ullæ* [1]. Et ignis, Deut. iv, 24 : *Dominus Deus tuus ignis consumens est*. Ergo potes illuminare. Vel illuminas lucernam, Sanctos scilicet, ut lucernæ fiant. Sic illuminaverat illum de quo Joan. v, 35 : *Ille erat lucerna ardens et lucens*. Et per eas rogo, « *Illumina tenebras meas*, » ut sic consummetur Ecclesia. Tenebras appellat peccatores et malos. Ad Ephes. v, 8 : *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino*. Has tenebras vult ab illis illuminatis a Deo illuminari, secundum illud Psal. lxxv, 5 : *Illuminans tu mirabiliter a montibus æternis*, peccatores scilicet, a montibus æternis, a Sanctis a te illuminatis. Magna lucerna mons magnus. Et dicit « *meas* : » quia peccatores Christi sunt, vel Ecclesiæ, Dei prædestinatione. Isa. liv, 15 : *Advena quondam tuus adjungetur tibi*. Vel conditionis unitate. Seneca : « Homo « sum : humanum a me nihil alienum « puto. » Eccli. xxxiii, 10 : *Omnes homines ex solo, et ex terra, unde creatus est Adam*. Vel sic ut idem sit lucerna et tenebræ : sed lucerna propter Deum illuminantem, tenebræ propter propriam perversitatem. Et est sensus : « *O Domine Deus meus, quoniam tu illuminas lucernam meam*, » id est, quoniam lumen meum non est a me, sed a te. Joan. i, 9 : *Erat lux vera quæ illnminat omnem hominem venientem in hunc mundum*. « *Illumina tenebras meas*, » id est, illumina nos ipsos propter peccata propria tenebrosos. Job, xxxvii, 19 : *Nos quippe involvimur tenebris*. Et nota quomodo pulchre promittit commendationem, et subjungit petitionem. Nihil enim tantum valet ad impetrandum, quantum recognitio beneficiorum acceptorum. Josue, xv, 19, et Jud. i, 15 : *Dixit Axa : Terram arentem dedisti mihi, junge et irriguam*, et impetravit.

Et nota, quod est multiplex lucerna. Multiplex lucerna. Mala, et hæc triplex. Carnalis lætitia, Job, xviii, 6 : *Lucerna, quæ super eum est, exstinguetur*. Omnis culpa generaliter, Job, xxi, 17 : *Quoties lucerna impiorum exstinguetur ?* Adulatio de scientia, Prælatis vel majoribus facta, Baruch, vi, 18 : *Lucernas accendunt illis, et quidem multas* : commendantes illos in multis scientiis, e quibus nullam videre possunt, nihil de omnibus illis sciverunt. Prima mala, secunda deterior, tertia pessima. Bona autem lucerna, doctrina sacra, Psal. cxviii, 105 : *Lucerna pedibus meis verbum tuum*. Maxime ubi clare distinguit mandata Dei, Proverb. vi, 23 : *Mandatum lucerna est, et lex lux*. Job, xxix, 3 : *Quando splendebat lucerna ejus super caput meum*. Dei gratia, Apoc. iv, 5 : *Septem lampades ardentes ante thronum*, septem scilicet gratiæ super Christum. Vigilantia, Sophon. i, 12 : *Scrutabor Jerusalem in lucernis*. Bona vita, Eccli. xxvi, 21 et 22 : *Mulieris bonæ species in ornamentum domus ejus : lucerna splendens super tabernaculum suum*. Intentio recta, Matth. vi, 22 : *Lucerna corporis tui est oculus tuus*. Psal. cxxxi, 17 : *Paravi lucernam Christo meo*. Quilibet Prædicator, Matth. v, 15 : *Neque accendunt lucernam, et ponunt eam sub modio*. Maxime

[1] I Joan. i, 5.

præcursor, Joan. v, 35 : *Ipse erat lucerna ardens et lucens.* Et ultimo ipse Christus, Apoc. xxi, 23 : *Lucerna ejus est Agnus.*

30 « *Quoniam in te eripiar.* » Ecce confidentia impetrandi, sive causa petendi quæ tangitur duplex. Prima, quod ab ipso est liberatio a præcipitio. Secunda, obstaculi remotio, ibi, « *Et in Deo meo.* »

Dicit ergo. Sic peto : Nec mirum, « *quoniam in te,* » id est, per te solum, « *eripiar a tentatione,* » tamquam per lucernam ab obscuritate. Tentatio enim tenebra est, Isa. v, 30 : *Adspiciemus in terram,* non servantes sensus nostros, *et ecce tenebræ tribulationis,* scilicet tentationis impulsiones, a quibus solus potes eripere : quia Job, xli, 24 : *Non est potestas super terram quæ comparetur ei.* I ad Corinth. x, 13 : *Fidelis Deus qui non patietur vos tentari supra id quod potestis.* Species enim rerum sensibiles offert diabolus, et immittuntur per sensus, et cum delectant ipsam animam, distrahunt ipsam, et dissecant : sed Dominus tamquam potentior ipsam recolligit, et unit. Supra, ℣. 18 : *Eripuit me de inimicis meis fortissimis.*

« *Et in Deo meo.* » Hic secundum, hoc est, in virtute Dei mei, « *transgrediar murum,* » obstaculum, peccatum scilicet quod est inter me et ipsum : quod dicitur murus, quia nec sinit me Deum videre, nec ad eum ire. Isa. lix, 2 : *Iniquitates vestræ diviserunt inter vos et Deum vestrum, et peccata vestra absconderunt faciem ejus a vobis, ne exaudiret.* Valde spissus murus, qui Dei auditum acutissimum non sinit audire. Et fit iste murus ex luto luxuriæ, Sap. xv, 10 : *Vilior luto vita ejus.* Ex duro latere avaritiæ, Eccli. iii, 27 : *Cor durum habebit male in novissimo.* Hoc proprie de avaro, quia tunc relinquit omnia. Et palea inanis gloriæ, Job, xxi, 18 : *Erunt sicut palea ante faciem venti.* Et dicit, « *transgrediar murum,* » quia quamdiu vivimus, murum illum auferre non possumus. Aliquantulum tamen possumus transgredi. I Joan. i, 8 : *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est.*

« *Deus meus impolluta.* » Hic est tertium, scilicet commendatio ejus qui rogatur cum confidentia, et commendat eum dupliciter. Primo, in se. Secundo, comparatione ab bona quæ fecit sibi, ibi, « *Deus qui præcinxit me.* » 31

In prima tria. Primo, commendatur a munditia. Secundo, a veracitate, ibi, « *Eloquia.* » Tertio, a fidelitate, ibi, « *Protector est.* »

Dicit ergo, « *In te eripiar,* » « *In te transgrediar murum* : » nec mirum « *Deus meus.* » Ponitur hic antecedens sine verbo, ut locum habeat sequens relatio, « *Impolluta via ejus :* » per aliam enim non incederet, scilicet via fidei. Hieronymus : « Via Domini fides, quia per illam « venit Christus ad nos, et nos ad « illum. » II ad Corinth. v, 7 : *Per fidem ambulamus, et non per speciem.* Et via impolluta, imo mundificativa ambulantium in se. Act. xv, 9 : *Fide purificans corda ipsorum.* Vel Virgo Maria, Psal. lxxxi, 20 : *In mari via tua.* Et hæc vere impolluta. Isa. xxxv, 8 : *Via sancta vocabitur : non transibit per eam impollutus.* Hæc via altissima, quæ a summo cœli usque in cœlum attingit : cum Deo enim habet convenientiam in virginitate, et fœcunditate, cum hominibus in mortalitate. Sapient. xviii, 16 : *Usque in cœlum attingebat stans in terra.* Via etiam ipse Christus, ut legatur intransitive. Joan. xiv, 6 : *Ego sum via, et veritas, et vita.* Hæc est vere impolluta : quia sine omni culpa et originali et actuali fuit. I Pet. ii, 22 : *Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus* [1].

« *Eloquia Domini igne examinata.* »

[1] Cf. Isa. liii, 9.

In hoc veracitas, id est, probata via et purgata « *igne* » tribulationis. Ipsa enim Sanctorum tribulatio ostendebat vera esse quæ dicebant. Et maxima tribulatio. Sapient. II, 17, 19: *Videamus si sermones ejus veri sint.* Et infra: *Contumelia et tormento interrogemus eum.* Vel igne charitatis: ipsa enim dilectio, et quam habent ad Deum charitas, non sinit falsa loqui. Isa. VI, 6 et 7, Unus de Seraphin purgavit labia Isaiæ. Item, igne increato Spiritus sancti, a quo totum examinatur quidquid a Sanctis dicitur. II Pet. I, 21: *Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines.* Propter hoc dicitur in Psal. CXVIII, 140: *Ignitum eloquium tuum vehementer.* Prov. XXX, 5: *Sermo Dei ignitus, clypeus est.*

« *Protector.* » Ecce tertium, commendatio a fidelitate. Quasi diceret: Sic mundus, sic verax: Et « *protector omnium sperantium in se* » tamquam fidelis. Supra, Psal. XVI, 8 et 9: *Protege me a facie impiorum qui me afflixerunt.* Eccli. II, 11: *Nullus speravit in Domino, et confusus est.* Stultus ergo qui in alio confidit, tamquam protectore, quam in Deo: quidquid enim est vel æquale homini est, vel minus eo: quomodo ergo posset eum protegere, cum protector necessario major sit protecto? Jerem. XVII, 5: *Maledictus homo qui confidit in homine,* etc.

32 « *Quoniam quis Deus* ». Hic commendatio ejus a singularitate divinitatis ex duplici interrogatione quam facit. Prima, ad universale omnium dominium respicit. Secunda, ad speciale Judæorum in illo tempore, ibi, « *Aut quis Deus.* »

Dicit ergo: Bene dixi: « *Deus meus impolluta via ejus,* etc. » « *Quoniam quis Deus præter Dominum?* » Et potest continuari ad immediatum, protector in se sperantium, et etiam ipse et non est alius. « *Quoniam quis est Deus præter Dominum* » universæ generaliter creaturæ? Apocalyps. XIX, 16: *Habet in vestimento, et in femore suo scriptum: Rex regum, et Dominus dominantium,* quod nullus habet. Unde sibi soli competit quod sit Deus et Dominus. Psal. LXXXV, 8: *Non est similis tui in diis Domine,* etc. Jerem. X, 6: *Non est similis tui Domine:* distinctus enim est ab omnibus aliis, et rebus omnibus dominatur. Judith, IX, 17: *Deus cœlorum, creator aquarum, et Dominus totius creaturæ.*

« *Aut quis Deus præter Deum nostrum?* » Judæorum tantum. Psal. LXXV, 2: *Notus in Judæa Deus, in Israel magnum nomen ejus.* Et hic solus Deus. Psal. XCV, 5: *Omnes dii gentium dæmonia.* Vel « *nostrum,* » quem pro servitio sibi exhibito, accipimus in præmium: et sic est noster. Genes. XV, 1: *Ego protector tuus sum, et merces tua magna nimis:* et per consequens omnia: qui enim habet eum, alias, rusticum, habet et prædam. I ad Corinth. III, 22: *Sive præsentia, sive futura, omnia enim vestra sunt.* Et nota, quod dicit Deum, et Dominum nostrum. Dominum, unde debetur ei dulia: et Deum, unde debetur ei latria. Isa. XLV, 21: *Numquid non ego Dominus, et non est ultra Deus absque me? Deus justus, et salvans, non est præter me.* Non est præter me justus, cui debeatur timor, et salvans, cui amor.

« *Deus qui præcinxit me virtute.* » Hic 33
secundum, in quo commendatur ex beneficiis exhibitis sibi, Ecclesiæ in statu viatoris, et in statu militantis. Et secundum utrumque statum fluunt in eam a Deo beneficia, secundum utriusque status indigentiam: et dicuntur sic duo. Primo, tangit beneficia ei collata in quantum est in statu viatoris. Secundo, in quantum est in statu pugnatoris, ibi, « *Qui docet manus.* »

In prima duo. Primo, tangit bona exhibita in præparatione ad currendum. Secundo, in ipso cursu, ibi, *Qui perfecit pedes meos.* » Tertio in termino cursus, ibi, « *Et super excelsa.* » Quantum ad

primum duo secundum duo quæ necessaria sunt ad præparationem. Primum est cursoris expeditio, ut sit expeditus. Secundo, viæ mundatio, ibi, « *Et posuit immaculatam.* »

Dicit ergo : Deus commendandus in se, et etiam « *Deus,* » supple, est, « *qui præcinxit me,* » ut essem expeditus ad ambulandum, non fragili cingulo, sed virtute. Sic hominem ambulare volentem esse oportet cinctum, ne pedes impediantur. Necessarium ergo est, quod cingatur. Tobiæ, v, 5 : *Invenit juvenem splendidum, stantem præcinctum, et quasi paratum ad ambulandum.* Vestis enim caro, Job, x, 11 : *Pelle et carnibus vestisti me,* etc. Hæc enim præcingenda fuit, et Deus illam præcingit in suis cingulo justitiæ. Isa. xi, 5 : *Et erit justitia cingulum lumborum ejus.* Hæc justitia est in afflictione carnis et humiliatione mentis. Jerem. vi, 26 : *Filia populi mei, accingere cilicio afflictionis, et aspergere cinere* humilitatis, ut possis bene currere. Afflictio enim alleviat carnem, et humiliatio mentem. Ad Hebr. xii, 1 : *Deponentes omne pondus carnis, et circumstans nos peccatum, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen.*

Triplex potentia præcingenda

Et nota, quod virtus quam necesse est præcingi, est triplex, ut sit triplex zona. Primo, continentia qua cinguntur lumbi corporis, et reprimit actiones. Luc. xii, 35 : *Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris.* Hæc est quasi lumbare. Jerem. xiii, 7, de lumbari quod computruit juxta aquam [1]. Est et alia qua cingitur venter, abstinentia : hæc restringit incentiva ad luxuriam. Hæc est zona Eliæ, IV Reg. i, 8 : Elias describitur accinctus zona pellicea [2]. Constat de zona super ventrem locutum : lumbare enim non videbat. Sic et Joannes Baptista (Marc. i, 6 [3]). Est tertia, qua cingitur pectus, et hac restringuntur cogitationes immundæ. Hæc est charitas, Apocal. i, 13, vidit Joannes hominem ad mamillas præcinctum zona aurea [4].

« *Et posuit immaculatam,* » ut possem incedere per eam viam meam, secundum Glossam, charitatem. Dicit enim Hieronymus, quod « fides est via per « quam Deus venit ad nos : charitas qua « nos ad Deum. » Fides enim a superiobus inchoat et tendit ad ima. Verbi gratia credimus primo in Deum, unde propterea credimus ipsum creatorem, postea incarnatum, postea passum, et hujusmodi. Sed e contrario charitas inchoat in amore proximi, et tendit sursum in amorem Dei. I Joan. iv, 20 : *Qui non diligit fratrem suum quem videt, Deum, quem non videt, quomodo potest diligere ?* Hæc est via. Ad Ephes. v, 2 : *Ambulate in dilectione.* Et est via æterna, de qua in Psal. cxxxviii, 24 : *Et deduc me in via æterna,* charitate scilicet, de qua I ad Cor. xiii, 8 : *Charitas numquam excidit.* Et est munda et immaculata, quia sublimis. I ad Corinth. xii, 31 : *Adhuc excellentiorem viam vobis demonstro.* Via etiam lex divina est. Psal. cxviii, 32 : *Viam mandatorum tuorum cucurri.* Et immaculata, Psal. xviii, 8 : *Lex Domini immaculata, convertens animas.*

Per fidem venit ad nos Deus, nos ad illum per charitatem.

« *Qui perfecit.* » Hic est secundum, in quo ostenditur beneficium in ipso cursu. 34
Ait enim : Sic præparavit me, et viam ex altera parte, et dum sic currerem, « *perfe-*

[1] Jerem. xiii, 7 : *Et abii ad Euphraten, et fodi, et tuli lumbare de loco, ubi absconderam illud : et ecce computruerat lumbare, ita ut nulli usui aptus esset.*

[2] IV Reg. i, 8 : *Vir pilosus, et zona pellicea accinctus renibus.* Cf. etiam III Reg. xviii, 46.

[3] Marc. i, 6 : *Et erat Joannes vestitus pilis cameli, et zona pellicea circa lumbos ejus.*

[4] *Et conversus vidi... in medio septem candelabrorum similem filio hominis, vestitum podere, et præcinctum ad mamillas zona aurea.*

cit » in velocitate motus « *pedes meos,* » ut essent « *tamquam cervorum* » pedes, qui valde veloces sunt. Vel « *tamquam cervorum* : » alia littera, « Coæquans pedes meos cervis. » Gen. XLIX, 21 : *Nephtali, cervus emissus, et dans eloquia pulchritudinis.* Nephtali, quod interpretatur *dilatavit me,* significat animam charitate dilatatam. Habet hæc agilitatem, ut pedibus amoris transiliat lutosa, scilicet luxuriam. Eccli. IX, 10 : *Mulier, quæ est fornicaria, quasi stercus in via conculcabitur.* Spinosa, avaritiam et mundanas divitias. Matth. XIII, 22, divitiæ hujus sæculi dicuntur spinæ[1]. Foveas, superbiam et honores. Si enim veridica Dei sententia, exaltatus in vanis honoribus, humiliatur eo ipso : ergo honor non est altitudo, sed fovea. Luc. XIV, 11, et XVIII, 14 : *Qui se exaltat, humiliabitur.* Et in Psal. LXXII, 18 : *Dejecisti eos dum allevarentur.*

Qui sic transilit, levis est valde : transilit enim totum mundum : quia I Joan. 16 : *Omne quod est in mundo concupiscentia carnis est,* etc. Talis erat Habacuc, III, 19 : *Ponet pedes meos quasi cervorum.* Cant. VIII, 14 : *Fuge, dilecte mi, assimilare capreæ hinnuloque cervorum.*

« *Et super excelsa.* » Hic tangitur beneficium in termino viæ. Quasi diceret : Sic ad ambulandum me præparavit, præparatum in cursu adjuvit, et tandem ipse fuit « *statuens me* » non in infimo, sed « *super excelsa.* » Habac. III, 19 : *Et super excelsa deducet me victor.* Hæc excelsa possumus dicere ipsa consilia. Via enim in infimo sunt, præcepta, sed in excelso sunt consilia. Baruch, V, 5 : *Exsurge Jerusalem, et sta in excelso :... et vide collectos filios tuos... in verbo sancti gaudentes Dei memoria.* Alia littera, « Jerusalem sta in excelso, et vide jucunditatem tibi a Deo venientem. » Item, hæc excelsa possunt dici ipsa cœlestia in quibus Deus figit corda suorum per desiderium et contemplationem. Isa. VI, 1 : *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum.* Ad Philip. III, 20 : *Nostra conversio in cœlis est.* Sed sunt excelsa vana, unde ruunt qui ascendunt super illa, potentia sæcularis et dignitas prælctionis. II Reg. I, 19 : *Inclyti,* scilicet Saul et Jonathas, *super montes tuos interfecti sunt.*

« *Qui docet manus meas.* » Hic secundum : postquam enim relata sunt beneficia Ecclesiæ et membris ejus collata quantum ad statum viatoris, subjungitur de collatis quantum ad statum propugnatoris : et dicuntur tria. Primo, tanguntur beneficia ad pugnam præparantia, et ad victoriam. Secundo, ipsa victoria, ibi, « *Persequar inimicos.* » Tertio, ostenditur, quod non sit ex se victoria, sed ex Dei gratia, quasi in gratiarum actionem, ibi, « *Et præcinxisti me.* » 35

Quinque ad pugnam necessaria.

In prima parte quinque dicuntur secundum quinque conditiones quæ præparant pugnaturum. Prima, quæ primo tangitur, prudentia. Secunda, robur immobile. De hac secunda, ibi, « *Posuisti ut arcum.* » Tertia, munitio sui armis, et adjutorio, ibi, « *Et dedisti mihi.* » Quarta, experientia in impugnando, ibi, « *Et disciplina.* » Quinta, sustinentia in portando gravia ab adversario, ibi, « *Dilatasti gressus.* »

Dicit ergo : Prædicta mihi dedit tamquam viatori, et etiam ipse est « *qui docet manus meas ad prælium.* » Docet opera facere per quæ vincamus inimicum omnem : manus enim respiciunt ad opus, non ad linguam tantum, sicut multorum qui possunt dicere illud Isa. L, 4 : *Dominus dedit mihi linguam eruditam,* sed

[1] Matth. XIII, 22 : *Qui seminatus est in spinis, hic est, qui verbum audit, et sollicitudo sæculi istius, et fallacia divitiarum suffocat verbum, et sine fructu efficitur.*

operationem nullam. Psal. lviii, 8 et 9 : *Ecce loquentur in ore suo, et gladius in labiis eorum : quoniam quis audivit?* quod ridiculum est : unde subditur : *Tu Domine deridebis eos.* Qui loquitur, non facit nisi verberare aera. Sic Paulus non ita pugnabat, I ad Corinth. ix, 26 : *Sic pugno, non quasi aerem verberans.* Hic poterat dicere : *Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium*[1], etc.

« *Posuisti.* » Hic secundum. Quasi sic diceret : Sic instruxisti, « *et* » o tu Domine « *posuisti brachia mea,* » quibus pugnandum est, « *ut arcum æreum.* » Ponit similitudinem a re quæ non est. Numquid fit arcus ex ære? tamen si esset, mirabilis esset fortitudinis : æs enim inflexibile metallum est. Sed in hoc voluit designari inflexibilem fortitudinem et infatigabilem : justus enim brachia sua gerit sicut arcum, quia ad bonum flexibilia, sed æreum, quia infatigabilia et inflexibilia ad malum. II ad Corinth. iv, 16 : *Non deficimus : sed licet is, qui foris est, noster homo corrumpatur : tamen is, qui intus est, renovatur de die in diem.* Ad Galat. vi, 9 : *Bonum facientes, non deficiamus : tempore enim suo metemus non deficientes.* Daniel. x, 6 : *Brachia ejus, et quæ deorsum sunt usque ad pedes, quasi species æris candentis.*

38 « *Et dedisti mihi.* » Hic tertia conditio, scilicet munitio duplex, armorum protegentium, et adjutorium defendentium, ibi, « *Et dextera tua.* »

Dicit ergo : Sic docuisti et firmasti, « *et dedisti* » cum his « *protectionem* » mihi, armaturam scilicet « *salutis tuæ,* » id est, illius salutis quam operatus es. Nihil enim omnino ita protegit, nec est scutum ita bonum, sicut sit meditatio mortis Christi, quæ fuit nostra salus. I Pet. iv, 1 : *Christo igitur passo in carne, et vos eadem cogitatione armamini.* Num. xxi, 9 : *Fecit Moyses serpentem æneum, et posuit pro signo : quem cum percussi adspicerent, sanabuntur.* Thren. iii, 65 : *Dabis eis scutum cordis laborem tuum.* Christus enim in cruce extensus scutum nostrum fuit, pro nobis ictus suscepit. Isa. liii, 5 : *Disciplina pacis nostræ super eum.* Vel protectionem appellat armaturam virtutum, de qua ad Ephes. vi, 14 et seq. : *Induite loricam scientiæ :... in omnibus sumentes scutum fidei... et galeam salutis assumite,* etc. I Mach. iii, 3 : *Induit se loricam Judas sicut gigas.*

« *Et dextera.* » Ecce in quo notatur defensio et refocillatio : necesse est enim pugnantibus habere locum tutum ubi defendantur, et ubi retro ducantur et refocillentur. Et hic in dextera Dei, quæ fortis est, fortis protectio : in susceptione notatur refocillatio. Psal. xliii, 4 : *Brachium eorum,* quamvis æreum, *non salvavit eos : sed dextera tua, et brachium tuum.* Sap. v, 17 : *Dextera sua teget eos, et brachio sancto suo defendet illos.* Matth. xi, 28 : *Venite ad me omnes, qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos.* Ecce refocillatio bona, et secura protectio, Deus Filius, qui est ejus dextera. Act. iv, 12 : *Non aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.*

« *Et disciplina tua.* » Hic quarta conditio, scilicet experientia, quæ est per disciplinam. Multo enim melius pugnat expertus, quam inexpertus. Et est duplex disciplina. Verberum, quæ corrigit, et verborum asperorum, quæ instruit : et propter hæc duo dicuntur. Primo, tangitur experientia verberum : secundo, verborum, ibi, « *Et disciplina.* »

[1] Psal. cxliii, 1.

Dicit ergo : Sic protexisti, et suscepisti : et disciplina tua verberum, qua corripis tuos. Ad Hebr. xii, 6 : *Quem enim diligit Dominus, castigat, flagellat autem omnem filium, quem recipit.* « *Correxit me,* » de bono meliorem fecit. II ad Corinth. xii, 9 : *Virtus in infirmitate perficitur.* Vel secundum Augustinum : « Direxit me, » id est non sinebat me deviare, quin omnia referrem « *in finem* » debitum. Osee, vi, 1 : *In tribulatione sua mane consurgent ad me.* Prius enim quam superveniat disciplina, voluntas distorta est, sed disciplina facit eam conformem Deo, et sic rectam. Seneca : « Nisi ad regulam vivas, prava non corriges. » Vel « erexit. » Augustinus in libro *Prosp.* : « Cum in tribulatione sine vulnere sunt animæ, tempus consumitur ad æternam requiem de profundo temporalis exitus. » Eccle. iv, 14 : *De carcere catenisque interdum quis egreditur ad regnum.* Et nota, quod cum dixisset immediate de protectione, ne crederet aliquis quod sic Deus suos protegeret, ut nihil sustinerent, subjungitur de disciplina. Quasi diceret sic : Proteges, non ut omnino nihil patiar, sed ut utiliter patiar. Augustinus in libro *Prosp.*: « Custodit nos Deus ab omni malo, non ut nihil patiamur mali, sed ut ipsis adversitatibus anima non lædatur. »

« *Et disciplina sua,* » verborum scilicet, « *ipsa me docebit* » per asperam increpationem, præcepta tua et consilia. Vel secundum Glossam, de eadem disciplina intelligatur. Ipsa enim est, quæ corripit, a malo revocando : eadem docet ad bonum pervenire, et in bono perseverare, quod majus est. Jacob. i, 3 et 4 : *Probatio fidei vestræ patientiam operatur. Patientia autem opus perfectum habet.* Propter hoc dicitur, Jud. iii, 1 : *Hæ sunt gentes quas Dominus dereliquit, ut erudiret in eis Israel.*

« *Dilatasti gressus meos.* » Hic est 37
quinta conditio, scilicet corroboratio ad sustinendum adversa, et tanguntur duo. Primo, consolatio per charitatis amplitudinem. Secundo, consolatio sequens ex illa consolatione, ibi, « *Et non sunt infirmata.* »

Dicit ergo : Hæc prædicta fecisti, et etiam « *dilatasti gressus meos,* » id est, bonum in quo animæ pedes, id est, affectus progrediens ad pugnam, « *dilatasti subtus me* », quamvis in principio arctatus videretur. Proverb. iv, 11 et 12 : *Ducam te per semitas æquitatis : quas cum ingressus fueris, non arctabuntur gressus tui,* interveniente consolatione qua consolantur qui assuescunt bona. Hieronymus : « Inolescente paulatim consuetudine ad quod primum cogebaris, incipies velle : et tandem delectabit te labor tuus, hoc faciente infusa a Deo delectatione. » Proverb. xviii, 16 : *Donum hominis dilatat viam ejus.*

« *Et non sunt infirmata.* » Ecce secundum, scilicet corroboratio. Quasi sic diceret : « *Et non sunt* » per hoc « *infirmata vestigia mea,* » opera mea, sed fuerunt fortia : sic enim pes ambulans non potest non imprimere vestigia, sed naturaliter relinquit quantum est de se, sic nec charitas esse potest, quin eliciat opus bonum. Gregorius : « Operatur enim magna si est, dicit de amore Dei : quod si operari renuit, amor non est. » Prov. vi, 27 : *Numquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, ut vestimenta illius non ardeant ?* Charitas enim est illa fortis mulier quæ *panem otiosa non comedit,* et quæ *manum suam misit ad fortia*[1]. Item, ipsa vestigia possunt dici

[1] Cf. Proverb. xxxi, 10 et seq. de muliere forti.

ipsi affectus, qui tunc non infirmantur, quando viriliter contemnunt temporalia, et calcant illa. Littera Hieronymi : « Non deficient talium vestigia, quia Ezech. II, 1 : *Fili hominis sta super pedes tuos :* nec frustra : quia Josue, I, 3 : *Quidquid calcaverit pes vester, vestrum erit.* »

38 « *Persequar inimicos.* » Hic est secundum principale hujus partis : ostensa enim præparatione, agitur hic de pugna et victoria a sic præparato, sicut habitum est. Et quia in victoria est victor et victus, dicuntur duo. Primo, conditiones tanguuntur ex parte victoris. Secundo, ex parte victorum, ibi, « *Confringam.* ».

Conditiones victori necessariæ.

Dicit ergo : Sic me præparasti, et propter hoc « *persequar inimicos meos,* » carnales affectiones et consensus, qui sunt inimici mei, de me ipso nati. Dicitur pro membris, Michæ. VII, 6 : *Inimici hominis domestici ejus.* II Reg. XVI, 11 : *Filius meus, qui egressus est de utero meo, quærit animam meam.* « *Persequar* » ergo scrutando, I Machab. III, 5 : *Judas persecutus est iniquo perscrutans eos : et qui conturbabant populum suum, eos succendit flammis,* scilicet contritionis.

« *Et comprehendam eos,* » ligando ne procedant in actum vel consensum. Exod. XV, 9 : *Persequar et comprehendam.* I Reg. XXX, 8 : *Persequar latrunculos hos,* et *comprehendam eos, an non? Dixitque ei Dominus : Persequere, absque dubio enim comprehendes eos.* Psal. CXLIX, 8 : *Ad alligandos reges in compedibus.*

« *Et non convertar,* » ut cessem perscrutari comprehendere, « *donec deficiant* » a mea impugnatione : frustra enim valde laboratur si motus carnales non reprimuntur. Eccli. XI, 34 : *A scintilla una augetur ignis.* Num. XXXIII, 55 : *Si nolueritis interficere habitatores terræ : qui remanserint, erunt vobis quasi clavi in oculis, et lanceæ in lateribus, et adversabuntur vobis in terra habitationis vestræ.* Sed cum in hac vita numquam deficiant carnales motus, et semper reprimendi sint usque ad defectum, relinquitur quod semper est pugnandum quamdiu durat vita ista. Jerem. XII, 12 : *Non est pax universæ carni.* Semper dum vivitur, hic est pugnandum cum eis. Job, VII, 1 : *Militia est vita hominis super terram.*

« *Confringam illos.* » Hic ostenditur victoria ex iis quæ ex parte triumphatorum, in quo notantur tria. Confractio, debilitas, et casus. Ait enim quoad primum. Vere deficient, quia « *confringam illos.* » Job, XXXVIII, 15 : *Brachium excelsum,* carnalis concupiscentiæ quæ omnes impugnat, *confringetur.* Ezech. XXX, 24 : *Confringam brachia Pharaonis,* diaboli Regis Ægypti. Confringuntur autem carnales motus quando ad Deum et lapidem Christum alliduntur. I ad Cor. X, 4 : *Petra autem erat Christus.* Osee, X, 11 : *Arabit Juda,* id est, confitens, aperiendo terram cordis sui, *confringet sulcos,* motus carnales et terrenos, *Jacob,* luctator bonus, et pugnator. 39

« *Nec poterunt stare,* » debilitati per confractionem. Psal. XXXV, 13 : *Expulsi sunt, nec potuerunt stare.* Jos. X, 8 : *Nullus ex eis tibi resistere poterit,* dicitur de Josue præparato a Deo : et non tantum hoc : imo ut plena sit et perfecta victoria, « *Cadent.* » Luc. X, 18 : *Videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem.* « *Subtus pedes.* » Subtus amores meos et affectiones tenebuntur motus carnales, et suggestiones diabolicæ. Genes. IV, 7 : *Verumtamen subter te erit appetitus tuus, et tu dominaberis illius.* Judic. V, 21 : *Conculca anima mea robustos.* Jos. X, 24 : *Ponite pedes super colla regum quinque istorum,* scilicet sensuum, ut sint subjecti sicut in præsenti. Et qui sic eos conculcaverint, procul dubio in futuro conculcabunt malos, scilicet dæmones. Malach. IV, 3 : *Calca-*

bitis impios, cum fuerint cinis sub planta pedum vestrorum.

40 Victoria Deo est. « *Et præcinxisti me virtute.* » Hic tertium, in quo ostendit post victoriam totum hoc non a se, sed a Deo habuisse, et tanguntur tria. Primo, quod ab ipso virtutem pugnandi habuit. Secundo, quod ipse Deus inimicos dejecit, ibi, « *Et supplantasti.* » Tertio supponit et ordinem et modum dejiciendi, ibi, « *Et inimicos meos.* »

Dicit ergo : Sic inimici dejicientur et confringentur, et dejecti sunt, et confracti : sed non per me, sed o Domine propter hoc, quia « *et præcinxisti me virtute,* » tu et non alius, « *ad bellum* » faciendum et perficiendum. Littera Hieronymi : « Accinxisti me fortitudine ad prælium. » I Machab. III, 58 : *Accingimini, et estote filii potentes* : ab ipso enim Domino est omnis virtus et potestas contra inimicos. Luc. x, 19 : *Dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes.* Propter hoc dicitur, II Paral. xx, 17 : *Non eritis vos qui dimicabitis, sed tantum modo confidenter state, et videbitis auxilium Domini super vos.* Et nota, quod supra (ỳ. 33) positum fuit, « *Deus qui præcinxit me virtute,* » et repetitur hic, quia oportet pugnare in initio conversionis, et etiam omnibus subactis, oportet pugnare contra superbiam, quæ tenet campum ultima. Versus :

Cum bene pugnatis, et cuncta subacta putatis,
Quæ magis infestat, vincenda superbia restat.

Gregorius : « Valde cavendum vitium « quod de victoria surgit vitiorum. » Genes. III, 15 : *Ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo ejus.* Et ideo nomine virtutis, hic potest humilitas intelligi specialiter. Continue sumus in miseria et in pugna. Job, XL, 27 : *Memento belli, nec ultra addas loqui.*

« *Et supplantasti.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Virtutem tribuisti, « *et supplantasti,* » tu qui es verus Jacob, non alius. Ad Rom. IX, 16 : *Non volentis, neque currentis : sed miserentis est Dei.* « *Insurgentes in me,* » motus carnales, malas affectiones, quæ omnia in me sunt. Ad Roman. VII, 23 : *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, et captivantem me in lege peccati.* « *Subtus me.* » Genes. IV, 7 : *Verumtamem subter te erit appetitus tuus.* Ad Roman. XVI, 20 : *Deus conterat Satanam sub pedibus vestris.*

« *Et inimicos meos.* » Hic tertium, in quo subjungit modum dejiciendi inimicos, quem prius tangit. Secundo, in perfectione, ibi, « *Et comminuam.* » In prima tria. Primo, captio inimicorum. Secundo, captivorum dispersio, ibi, « *Et odientes me.* » Tertio, subtractio auxilii ab utrisque, ibi, « *Clamaverunt, nec erat.* » 41

Dicit ergo : Sic dixi, quod supplantasti : et verum, quia « *inimicos meos,* » quantum ad aliquam illorum partem, « *dedisti mihi dorsum* », id est, dedisti mihi a dorso, ut sequerentur qui prius in facie resistebant. Sic factum est Ecclesiæ : quia qui eam prius impugnabant, humiliter postea eam sunt secuti. Isa. XLV, 1 : *Subjiciam ante faciem ejus gentes, et dorsa regum vertam,* in fugam scilicet : sicut factum est in Paulo, ad Galat. I, 23 : *Qui persequebatur nos aliquando, nunc evangelizat fidem, quam aliquando expugnabat.* Isa. LX, 14 : *Venient ad te curvi filii eorum qui humiliaverunt te, et adorabunt vestigia pedum tuorum.* Inimicos etiam unicuique Dominus dorsum dat, quando peccata projicit et per pœnitentiam obliviscitur, secundum illud Isa. XXXVIII, 17 : *Projecisti post tergum tuum omnia peccata mea.*

« *Et odientes me.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Non tantum sic ejecisti quosdam, imo et « *odientes me,* » quantum ad alios, « *disperdidisti* » per totum mundum, sicut planum est quantum ad ipsum caput in Judæis ejus inimicis. Je-

rem. IX, 16 : *Dispergam eos in gentibus, quas non noverunt ipsi et patres eorum : et mittam post eos gladium, donec consumantur.* In Psal. LVIII, 12 : *Disperge illos in virtute tua : et depone illos protector meus Domine.* Odientes etiam animam sunt dæmones, quos a facie sua Dominus dispergit, quia postquam victi sunt de uno peccato ab aliquo, non audent ipsum impetere de illo, et currunt ad alia vitia, vel ad alias personas. Deuter. XXVIII, 7 : *Dabit Dominus inimicos tuos, qui consurgunt adversum te, corruentes in conspectu tuo : per unam viam venient contra te, et per septem fugient a facie tua.*

42 « *Clamaverunt, nec erat.* » Hic est tertium, subtractio adjutorii ab utrisque, et primo humani. Secundo, divini, ibi, « *Ad Dominum.* »

Dicit ergo : Sic subjecti aliqui, alii dispersi, « *et clamaverunt,* » hi et illi ad adjutorium humanum. « *Nec erat qui salvos faceret.* » Isa. XLVII, 13 : *Defecisti in multitudine consiliorum tuorum.* Vel « *clamaverunt* » ad Deos vanos et falsos : ad illud enim quisque clamat in necessitate, quod specialiter amat : sed non est qui salvet, aliud a vero Deo. Act. IV, 12 : *Non aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri,* quantumcumque ad illud clametur. Isa. XLIII, 11 : *Ego sum, ego sum Dominus, et non est absque me Salvator.* Jerem. II, 27 et 28 : *Verterunt ad me tergum, et non faciem : et in tempore afflictionis suæ dicent : Surge, et libera nos. Ubi sunt dii tui, quos fecisti tibi ? surgant et liberent te in tempore afflictionis tuæ.* Postea, « *clamaverunt ad Dominum, nec exaudivit eos.* » Et sic destituuntur auxilio divino.

Sed contra, I ad Timoth. II, 3 et 4 : *Hoc enim bonum est, et acceptum coram Salvatore nostro Deo. Qui omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire.* Et Isa. LXV, 24 : *Et erit : antequam clament ego exaudiam : adhuc illis loquentibus, ego audiam.* Responsio. Hoc dicit : quia non clamabunt quando debebunt exaudiri. Proverb. I, 28 : *Tunc invocabunt me* Judæi, quando dispergentur per mundum, qui noluerunt prædicantem et facientem miracula cognoscere, *et non exaudiam.* Ad primum tamen dicendum, quod sic intelligendum est : vult omnes salvos fieri, id est, omnes ejus efficaci voluntate salvantur, quicumque salvantur. Item, non clamabunt debito modo : quia persistentes in malitia adhuc clamabunt. Isa. I, 15 : *Cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam manus enim vestræ sanguine plenæ sunt.* Matth. XXVII, 25 : *Sanguis ejus super nos, et super filios nostros.* Cassiodorus hoc exponit de omnibus malis generaliter, qui clamabunt in die judicii. Videntes enim similitudinem in diabolo damnatam, clamabunt ad Dominum, sed frustra. Cassiodorus : « Infructuosa illic « agnoscitur pœnitudo, ubi est jam justa « damnatio. » Eccli. XVIII, 19 : *Ante judicium para justitiam.*

« *Et comminuam eos.* » Hic secundum hujus partis, in quo agitur de modo. 43
Postquam enim tetigit ordinem, hic subjungit consummationem, et dicuntur duo. Primo, quod irremediabilis, non est enim remedium ad dispersum vento pulverem colligendum. Secundo, quod irreparabilis, ibi, « *Ut lutum platearum delebo eos.* » De alio enim luto bene contingit, quod deletum est, reparari.

Dicit ergo : Hoc ordine dejicientur, et confirmabuntur : quia « *comminuam eos ut pulverem,* » qui in minimas partes dispergitur « *ante faciem venti.* » Vere ita est Judæis : vix enim duo simul cohærent, sed odio ab invicem sunt separati ab invidia. Ezech. V, 10 : *Ventilabo universas reliquias tuas in omnem ventum.* Isa. XVII, 13 : *Rapietur sicut pulvit montium a facie venti.* Supra, in Psal. I, 4 : *Non sic impii, non sic : sed tamquam*

pulvis, quem projicit ventus a facie terræ, etc. Item, quia caret imbre misericordiæ Dei, sicut dicit Augustinus. De quo imbre, Eccli. xxxv, 26 : *Speciosa misericordia Dei, in tempore tribulationis, quasi nubes pluviæ in tempore siccitatis.* Item, leves sunt in tantum, quod carentes omni spe firma et solida, omni vento doctrinæ vanæ circumferuntur, et ad omne desiderium quodcumque possunt implere. Jerem. xviii, 12 : *Desperavimus : post cogitationes nostras ibimus, et unusquisque pravitatem cordis sui mali faciemus.* Et omnis peccator pulvis, quoniam caret humore gratiæ. Psal. xlii, 6 : *Anima mea sicut terra sine aqua tibi.* Item, parvulus est, quicumque charitate caret, quasi in atomo. Augustinus in libro de *Charitate* : « Hoc est magis esse quod « est melius esse, quod est magis Deo « adhærere. » Ergo qui caret charitate qua adhæremus Deo, caret quantitate. Et infructuosi, Sapient. iii, 11 : *Vacua est spes illorum, et labores sine fructu.*

« *Ut lutum platearum.* » Quasi diceret : Non tantum irremediabiliter, sed et inseparabiliter delebuntur : quia « *ut lutum platearum delebo eos.* » Nota, quod in præcedenti versu, cum diceret, « *Inimicos meos dedisti mihi dorsum,* » loquebatur ad Patrem : nunc autem ipse Filius dicit se facturum istam commminationem, ut notetur eadem operatio Patris et Filii. Joan. v, 17 : *Pater meus usque modo operatur, et ego operor.* Joan. xiv, 10 : *Pater autem in me manens, ipse facit opera.* Dicit ergo : « *Ut lutum platearum delebo eos.* » Lutum platearum modo est, sed statim transit frequentia conculcantium. Isa. x, 6 : *Mandabo illi, ut auferat spolia, et ponat illum in conculcationem quasi lutum.* Impii autem, maxime luxuriosi, ut lutum positi sunt. Sap. xv, 10 : *Vilior luto vita ejus.* Et conculcati a dæmonibus cito delebuntur. Eccli. ix, 10 : *Mulier fornicaria, quasi stercus in via conculcabitur.* « *Ut lutum platearum.* » Platea lata est, et ipsi sunt in lata via, *quæ ducit ad perditionem* (Matth. vii, 13). Hæc via quam multi vere inveniunt, sicut dicitur ibidem [1]. Jerem. ii, 36 : *Quam vilis facta es nimis, iterans vias tuas.*

44

« *Eripies me de contradictionibus.* » Hic est quartum totius illius partis, in qua agitur de beneficiis collatis Ecclesiæ in consummationem quæ incipit ibi, « *Quoniam tu illuminas lucernam.* » Postquam enim præcessit petitio, ratio petendi monstrata est, et commendatio ejus a quo petitur ex multiplici beneficio, subjungitur hic de regno ipsius Christi et Ecclesiæ : et hoc recte post victoriam de qua actum est ante immediate. Dicuntur autem quatuor. Primo, ostenditur a quibus aufertur regnum. Secundo, ad quos transfertur, ibi, « *Constitues me.* » Tertio, commendatur Gentilium populus, et monstratur dignus ad quem transferat regnum, ibi, « *Populus quem non cognovi.* » Quarto, increpatur populus Judæorum, ut ostendatur indignus quantum ad Christi regnum, ibi, « *Filii alieni mentiti sunt mihi.* »

Hic agitur de regno Christi et Ecclesiæ.

Dicit ergo sic : Tot et tanta bona contulisti mihi, sed et certus sum quoniam eripies me tandem de contradictionibus populi Judæorum, quibus ei contradicebant, quando prædicabat, quando miracula faciebat. Cassiodorus : « Contradi- « ctiones dicit, quas ei impia turba et « scelerata multipliciter ingerebat. » Ad Rom. x, 21 : *Ad Israel autem dicit : Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, et contradicentem.* Et illis loquebatur, Isa. xlv, 9 : *Væ qui con-*

[1] Matth. vii, 13 : *Intrate per angustam portam : quia lata porta, et spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem, et multi sunt qui intrant per eam.*

tradicit fictori suo. Et ad Hebr. xii, 3 : *Recogitate eum, qui talem sustinuit a peccatoribus adversus semetipsum contradictionem.* Secundum Hieronymum, « de contradictione qua sibi invicem con« tradicebant de Christo dicentes, alii « unum, alii aliud. » Joan. vii, 12 : *Quidam dicebant : Quia bonus est. Alii autem dicebant : Non, sed seducit turbas.* Jerem. xv, 10 : *Væ mihi mater mea : quare genuisti me, virum rixæ, virum discordiæ in universa terra ?*

Et nota, quod Judæi contradixerunt potestati, Matth. xii, 24, et Luc. xi, 15 : *In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia.* Et sapientiæ et doctrinæ, Matth. xxvii, 63 : *Recordati sumus, quia seductor ille dixit.* Et bonitati, Joan. viii, 48 : *Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, et dæmonium habes ?* Regno, Joan. xix, 15 : *Non habemus Regem, nisi Cæsarem.* Et ℣. 12 : *Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris.* Hoc respicit potestatem. Magisterio, Joan. ix, 28 : *Maledixerunt ei, et dixerunt : Nos Moysi discipuli sumus.* Hoc ad sapientiam. Sacerdotio, Joan. vi, 61, 53, 67 : *Durus est hic sermo... Quomodo potest hic carnem suam dare ad manducandum ?... Et abierunt retro.* Et propter has contradictiones ablatum est ab eis regnum, Matth. xxi, 43 : *Auferetur a vobis regnum Dei.*

« *Constitues me.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic ab illis eripies, et « *constitues me in caput,* » ut sim caput gentium, et ipsa membra. Ego rex, et ipsæ regnum. Ad Ephes. i, 22 et 23 : *Ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius.* Et regem, Supra, in Psal. ii, 6, 8 : *Ego autem constitutus sum rex ab eo.* Et super quos, subditur ibidem : *Postula a me, et dabo tibi gentes,* etc. Hujus regni signum habemus, sicut dicit Cassiodorus, « in ipsis « frontibus radicatum a nostro baptis« mo. » Ezech. ix, 4 : *Signa Thau super frontes virorum gementium, et dolentium.* Psal. iv, 7 : *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* Exod. xii, 22, signata fuerunt domorum superliminaria.

Signum regni Christi in fronte.

« *Populus quem non cognovi.* » Hic est tertium, Gentium commendatio in duobus : in interiori fide, qua servitur, et in exteriori opere, quo obeditur, ibi, « *In auditu auris.* » Vel in obedientia, et in obedientiæ promptitudine. **45**

Cultus gentium in Christum.

Ait enim : Sic ab illis me eripies, et super illos me constitues. Et bene : quia « *populus* » gentium, « *quem non co« gnovi,* » id est, quem me cognoscere non feci. Genes. xxii, 12 : *Nunc cognovi,* id est, cognoscere me fecisti. Vel « *quem non cognovi,* » cui tamquam ignoto corporalem præsentiam meam non exhibui, sicut Judæis, Matth. xv, 24 : *Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israel.* Et propter hoc aggravatur peccatum Judæorum, qui eum non recognoverunt. Isa. lv, 5 : *Ecce gentem, quam nesciebas, vocabis.*

« *Servivit mihi,* » interius credendo, vel latria, divinum cultum exhibendo. Psal. lxxi, 11 : *Omnes gentes servient ei.* Sophon. iii, 9 : *Reddam populis labium electum, ut invocent omnes in nomine Domini, et serviant ei.*

« *In auditu auris.* » Ecce velocitas in obediendo : obedivit mihi subditus factus, bona et mihi placita faciendo. Vel, « *in auditu auris,* » quia miracula mea non vidit sicut Judæi, sed tantum audivit de me prædicari, et statim obedivit. Propter, hoc dicebat Dominus, Matth. xi, 21 : *Væ tibi Corozain, væ tibi Bethsaida : quia, si in Tyro, et Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio et cinere pœnitentiam egissent.* Sed impletum est in Gentibus illud Isa. lii, 15 : *Iste asperget* rore gratiæ *gentes multas, super ipsum continebunt reges os suum : quia quibus non est narratum de eo, viderunt.* Et nota, quod vere ebedire Deo, est similem illi se facere, quantum possibile est. Seneca ad Lucilium : « Vis deos pro-

« pitiari tibi ? bonus esto : satis eos coluit, « quisquis imitatus est. »

Nec hoc dicit Deus ut de gentium servitio glorietur, tamquam illo indigens. Daniel. VII, 10 : *Millia millium ministrabant ei :* sed magis propter nos : quia indigemus : quia illi servire regnare est, quia sibi servientibus servit. Seneca : « Humana ambitio officiis capitur : non « autem quærit ministros Deus, quia « ipse humano generi ministrat ubique. » Et nota, quod obedientia est spe mercedis abnegatio propriæ voluntatis. Vel

Obedientia descriptio.

sic : Obedientia est spontaneum et rationabile propriæ voluntatis sacrificium. Item, obedientia est amor de præceptis.

46 Judæorum obstinatio.

« *Filii alieni.* » Hic est quartum, increpatio Judæorum, et dicuntur tria. Primo, increpantur de defectu veritatis. Secundo, de perseverantia in moribus pravis, ibi, « *Filii alieni.* » Tertio, de perversitate intentionis, ibi, « *Et claudica-« verunt.* »

Dicit ergo : Tales sunt Gentiles, sed « *filii* » aliquando. Exod. IV, 22 : *Filius meus primogenitus Israel.* Isa. I, 2 : *Filios enutrivi, et exaltavi* : « *alieni* » facti sunt. Isa. I, 4 : *Blasphemaverunt sanctum Israel, abalienati sunt retrorsum.* Et in eodem, *Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis.* Vel « *alieni,* » genitivi casus, id est, diaboli. Joan. VIII, 44 : *Vos ex patre diabolo estis,* de quo in eodem capite et versiculo : *Cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax est, et pater ejus,* scilicet mendacii : unde bene sequitur :

« *Mentiti sunt mihi,* » id est, ab honorem mihi faciendum quando dicebant, Matth. XXII, 16 : *Magister, scimus quia verax es, et viam Dei in veritate doces.* Mentiri enim, est contra mentem loqui. Vel cum pondere legatur : « *Mentiti sunt mihi,* » qui sum veritas, ac si possem mendacia eorum ignorare : quid aliis sunt facturi ? Joan. XIV, 6 : *Ego sum via, et veritas, et vita.*

« *Filii alieni.* » Hic secundum, sed repetit in parte, ut magis eos increpet et corrigat : quia scilicet difficiles ad corrigendum. Eccli. I, 15 : *Perversi difficile corriguntur.* « *Inveterati sunt,* » id est, in veteri homine vel in veteribus peccatis et moribus permanserunt. Baruch, III, 10 et 11 : *Quid est Israel, quod in terra inimicorum es ? Inveterasti in terra aliena.* Psal. VI, 8 : *Inveteravi inter omnes inimicos meos.* Et notatur in hoc maledictorum Judæorum pertinacia, Genes. XLIX, 7 : *Maledictus furor eorum, quia pertinax.* Et Dei longanimitas, Isa. I, 14 : *Laboravi sustinens.* Ad Rom. IX, 22 : *Sustinuit in multa patientia, vasa iræ apta in interitum.*

Et « *claudicaverunt* » in intentione, « *a semitis suis* » declinando, habentes partem intentionis ad Deum, quia zelo legis, ut dicebant, persequebantur Christum. Partem intentionis ad mundum, quam et ipsi habuerant occidentes ipsum Christum propter temporale lucrum. III Reg. XVIII, 21 : *Usquequo claudicatis in duas partes ?* Matth. VI, 24 : *Nemo potest duobus Dominis servire.* Sic claudicant qui consilio magni Angeli nolunt acquiescere [1]. Item, claudicant qui bono operi perversam intentionem, vel perversæ intentioni bonam operationem agglutinant. Deuter. VII, 3 : *Non dabis filio tuo,* operi tuo bono, *filiam ejus,* perversam scilicet intentionem : *nec filio ejus,* perverso scilicet operi, *filiam tuam,* rectam scilicet intentionem.

« *Vivit Dominus, et benedictus.* » Hic est tertium totius Psalmi. Promisso enim 47

Ultima pars Psalmi. Laus

[1] Cf. Gen. XXXII, 24 et seq.

Gratiarum actio.

in prima parte quod laudaret, et suppositis rationibus multis quare debet laudare, subjungitur promissi solutio in hac parte : et tanguntur duo. Primo, laus et gratiarum actio. Secundo, continuatio in laude et gratiarum actione, ibi, « *Propterea confitebor tibi.* »

In prima duo. Primo, gratiarum actio ratione divinæ potentiæ. Secundo, ratione divinæ sapientiæ, ibi, « *Et benedictus Deus.* » Tertio, ratione bonitatis, ibi, « *Et exaltetur.* »

Dicit ergo : Sic dignus est laudari, qui tanta mihi fecit bona : et propter hoc dico : « *Vivit Dominus* » in se per potentiam naturalem propriam. Num. xiv, 28 : *Vivo ego, ait Dominus.* Et hoc in se per naturam suam quæ vita est. Joan. v, 26 : *Sicut Pater habet vitam in semetipso : sic dedit et Filio habere vitam in semetipso.* Vivit etiam in omni creatura per essentiam, potentiam, et præsentiam. Act. xvii, 28 : *In ipso vivimus, et movemur, et sumus.* Sed vivit in homine per animæ inspirationem, Gen. ii, 7 : *Et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ.* Job, xxxiii, 4 : *Spiritus Dei fecit me, et spiraculum Omnipotentis vivificavit me.* Per gratiæ infusionem, Ad Gal. ii, 20 : *Vivo, jam non ego : vivit vero in me Christus.* Sed tandem vivet in nobis per gloriam totum vivificando et corpus et animam, Ad Rom. viii, 11 : *Vivificabit et mortalia corpora vestra, propter inhabitantem Spiritum ejus in vobis.*

Vivit Deus multis modis.

« *Et benedictus Deus,* » id est, θεὸς, quod est idem quod videns, quia ad Hebr. iv, 13 : *Omnia nuda et aperta sunt oculis ejus,* non tantum substantiæ, sed cogitationes. I Reg. xvi, 7 : *Homo videt ea quæ parent, Dominus autem intuetur cor,* et quæ omnino non sunt, penetrat et videt. Eccli. xxiii, 29 : *Domino Deo antequam crearentur omnia sunt agnita.* Hic sit benedictus. Apocal. vii, 12 : *Benedictio, et claritas, et sapientia, et gratiarum actio Deo nostro.*

« *Et exaltetur.* » Hic commendatio bonitatis. Ad bonitatem duo concurrunt, justitia et misericordia. Propter hoc primo commendat, vel gratias agit bonitati, quantum ad partem misericordiæ, vel effectum. Secundo quantum ad effectum justitiæ, ibi, « *Deus qui das vindictas.* »

Bonitatis partes justitia et misericordia.

Dicit ergo : « *Et exaltetur Deus salutis meæ,* » auctor sua bonitate, salutis naturæ, salutis gratiæ, salutis gloriæ. Infra, in Psal. xliii, 5 : *Tu es ipse rex meus et Deus meus, qui mandas salutes Jacob.* Infra, in eodem, *Magnificans salutes regis ejus.*

« *Deus, qui das vindictas.* » Hic est secundum, in quo commendat eum quantum ad justitiam ; et tanguntur tria quæ concurrunt. Primum, ultio suorum de malis. Secundo, subjectio adversariorum ipsis bonis, ibi, « *Et subdis populos sub me.* » Tertio, liberatio justorum ab ipsis inimicis, ibi, « *Liberator meus.* 48

Justitia beneficia.

Dicit ergo sic : Benedictus Deus salutis meæ, et « *Deus qui das vindictas mihi,* supple, benedictus sis : ab ipso enim vindicta est, et esse debet, non requirenda ab alio. Deuter. xxxii, 35, et ad Rom. xii, 19 : *Mihi vindicta, et ego retribuam.* Eccli. xxviii, 1 : *Qui vindicari vult, a Domino inveniet vindictam.* Aliquando autem vindicat suos, malum infligendo adversariis in præsenti. Luc. xviii, 3 : *Vindica me de adversario meo.* Et sic factum est. Aliquando non retribuit, sed in futuro reservat. Jerem. xlvi, 10 : *Dies ultionis, ut sumat vindictam de inimicis suis.* Aliquando vindicat ad bonum convertendo inimicos. Sic Stephanus de Paulo vindicatus est [1].

« *Et subdis populos sub me.* » Ecce se-

[1] Cf. Act. ix, 1 et seq.

cundum, et hoc verum est quantum ad caput Ecclesiæ, quod constitutum est super omnes. Jerem. I, 10 : *Ecce constitui te hodie super gentes, et super regna.* Supra, in hoc Psalmo, ℣. 44 : *Constitues me in caput gentium.* In Psal. VIII, 8 : *Omnia subjecisti sub pedibus ejus.* Isa. LX, 12 : *Gens et regnum, quod non servierit tibi, peribit.*

« *Liberator meus.* » Hic commendatio a beneficio liberationis, et tanguntur duo. Primo, liberatio in præsenti commendatur. Secundo, pro certo exspectata in futuro, ibi, « *Et ab insurgentibus.* »

Ait ergo sic : Subdis mihi populos, « *et liberator meus es de inimicis meis,* » non quibuscumque, sed « *iracundis,* » ut sit majus beneficium. Iracundi contra Christum fuerunt Judæi, qui fremebant adversus eum in persona sua, et adversus ejus membra. Act. VII, 54 : *Et stridebant dentibus in eum.* Alia littera, « homici» dis. » Matth. XXI, 38 : *Hic est hæres, venite, occidamus eum.* Inimici sunt dæmones, sicut frequenter dictum est, et valde iracundi, maxime modo quando vident appropinquare finem mundi. Apocalyps. XII, 12 : *Væ terræ, et mari, quia descendit diabolus ad vos, habens iram magnam.* Sed ab aliis omnibus liberat Deus. Daniel. XIV, 42 : *Ipse est salvator, faciens signa et mirabilia.*

49 « *Et ab insurgentibus in me.* » Hic de liberatione in futuro certitudinaliter exspectata. Primo, universaliter a cœtu omnium malorum. Secundo, specialiter a capite illorum, ibi, « *A viro iniquo.* »

Dicit ergo : Sic liberator meus est, jam a præteritis et præsentibus, « *et ab insurgentibus in me malis* » et dæmonibus « *exaltabis me* : » quia in tali statu constitues me, ut ita exaltatus non timeam insurgentes. Hoc verum est de capite Christo, qui exaltatus est super omnes cœlos (Ad Ephes. IV, 10), ubi jam non timet Judæos. Vel sic, quantum ad membra : « *Ab insurgentibus in me,* » id est, per ipsos insurgentes in me « *exaltabis :* » quia proficiam ex tribulatione. Genes. VII, 17 : *Multiplicatæ sunt aquæ, et elevaverunt arcam in sublime.* Prov. XVIII, 10 : *Turris fortissima, nomen Domini, et altissima.* Ad Philip. II, 9 : *Donavit illi nomen quod est super omne nomen.* Ad ipsum currit justus, tribulatione impellente, et exaltabitur, quod est summa sapientia. Eccli, XI, 1 : *Sapientia humiliati exaltabit caput illius.* In alio Psal. IX, 15 : *Qui exaltas me de portis mortis.*

« *A viro iniquo,* » Anti-Christo capite omnis malitiæ, in quo totum iniquitatis suæ venenum diabolus infundet. Vel quolibet schismatico, « *eripies me.* » Amos, IV, 12 : *Quomodo si eruat pastor de ore leonis duo crura, aut extremum auriculæ, sic eruentur filii Israel, qui habitant in Samaria in plaga lectuli, et in Damasci grabato.*

« *Propterea confitebor tibi in populis.* » Hic secundum hujus partis, scilicet continuatio laudis, et dicuntur duo. 50
Primo, promissio. Secundo, ratio quare continuabit laudem et oris, et operis, ibi, « *Magnificans.* »

Duo tanguntur in prima parte. Primo, confessio laudis in ore. Secundo, in opere, ibi, « *Et nomini tuo.* »

Dicit ergo : « *Propterea,* » id est, propter beneficia non tam præterita, quam futura, id est, prædicta, quam dicenda : « *Confitebor tibi* » confessione laudis, de qua supra, Psal. VII, 18 : *Confitebor Domino secundum justitiam ejus.* Et hoc « *in gentibus,* » id est, in gentilitate, ubi laudatur Deus Pater per Filium Christum, per Ecclesiam, et per Christi membra. Act. IX, 15, de Paulo dictum est : *Vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus.* Eccli. LI, 17 : *Propterea confitebor, et laudem dicam tibi.* Tob. XIII, 7 : *Confitebor illi, quoniam ostendit majestatem suam in gentem peccatricem.*

« *Et nomini tuo Psalmum dicam,* » laudando opere : quia, sicut frequenter dictum est, Psalmum dicere, est idem quod psallere. Psallere autem a ψάλλειν dicitur, quod est operari : et sic qui Psalmum dicit, opere laudabilem Deum ostendit.

51 « *Magnificans salutes Regis.* » Hic est secundum, in quo tangitur duplex ratio confitendi. Una, magnificentia potestatis Christi. Alia quantum ad magnificentiam bonitatis, ibi, « *Et faciens misericordiam.* »

Dicit ergo : Sic confitebor, sic Psalmum dicam : et hoc, quia tu es « *magnificans salutes,* » id est, mirabiles faciens « *salutes regis ejus.* » Christus si loquitur hic, loquitur tamquam de alio. Quasi diceret : Ob hoc Domine Deus Pater, tibi confitendum et psallendum : quoniam tu es magnificans, etc. Hic est Rex de quo Apoc. XIX, 16 : *Habens in vestimento, et in femore suo scriptum : Rex regum, et Dominus dominantium.* Hic operatus est salutem. Psal. LXXIII, 12 : *Deus autem Rex noster ante sæcula, operatus est salutem in medio terræ.* Et nota, quod est triplex salus quam dat, et quam magnificat. Salus corporalis. Psal. XXXV, 7 : *Homines et jumenta salvabis Domine.* Hanc magnificat omnia suis dando. I ad Corinth. III, 22 : *Omnia vestra sunt,* etc. Salus spiritualis animæ. In Psal. XXXIV, 3 : *Dic animæ meæ : salus tua ego sum.* Hanc magnificat præterita et præsentia peccata dimittendo, et a futuris conservando. Matth. XVIII, 32 : *Serve nequam, nonne omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me ?* Et est salus æternitatis. In Psal. LXXIX, 4 : *Ostende faciem tuam, et salvi erimus.* Hanc magnificat, non solum animam, sed etiam corpus glorificando. Ad Philip. III, 20 et 21 : *Salvatorem exspectamus Dominum* JESUM CHRISTUM, *qui reformabit corpus humilitatis nostræ.* Isa. XLIX, 6 : *Dedi te in lucem Gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ.* Hæ salutes quas mandat Jacob.

« *Et faciens misericordiam.* » Hic secundum, in quo sumitur ratio a bonitate et misericordia. Et primo, ab exhibita ipsi capiti. Secundo, membris per caput, ibi, « *Et semini ejus.* » **Beneficia misericordia.**

Ait enim : Sic confitebor, et Psalmum dicam, quia magnificas, et efficacem « *facis misericordiam Christo suo David.* » Christus enim dicitur David ratione interpretationis nominis : interpretatur enim *manu fortis*, quia omnia sustinet, et supportat. Ad Hebr. I, 3 : *Portans omnia verbo virtutis suæ.* Et adspectu desiderabilis, et ipse est ille de quo I Pet. I, 12 : *In quem desiderant Angeli prospicere.* Propter hoc dicitur, Jerem. XXIII, 15 : *Suscitabo David germen justum.* Huic fecit misericordiam, quia ipsum voluit habere filium. Matth. III, 17 *Ego ero illi in Patrem, et ipse mihi in filium.* Et XVII, 5 : *Hic est Filius meus dilectus.* Et quia cito resuscitavit ipsum. Psal. XV, 10 : *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem.*

« *Et semini.* » Quasi diceret : Non tantum fecisti ei misericordiam, sed et semini ejus, id est, filiis et credentibus in eum, qui ejus sunt semen : quia ab ipso per Evangelium sunt geniti. Jacob. I, 18 : *Voluntarie enim genuit nos verbo veritatis.* Hoc est semen de quo Isa. I, 9 : *Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus, et quasi Gomorrha similes essemus.* Et hoc « *usque in sæculum,* » hoc est, semini successive usque in sæculum. Semper enim erunt fideles. Matth. XXVIII, 20 : *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi.* Vel, « *faciens misericordiam usque in sæculum,* » id est, æternum. Psal. CII, 17 : *Misericordia autem Domini ab æterno, et usque in æternum super timentes eum.*

PSALMUS XVIII.

Deum prædicant creaturæ et divina. Peccatorum condonatio postulatur.

1. *In finem, Psalmus David.*
2. Cœli enarrant gloriam Dei, et opera manuum ejus annuntiat firmamentum.
3. Dies diei eructat verbum, et nox nocti indicat scientiam.
4. Non sunt loquelæ, neque sermones, quorum non audiantur voces eorum.
5. In omnem terram exivit sonus eorum[1], et in fines orbis terræ verba eorum.
6. In sole posuit tabernaculum : et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo[2].
Exsultavit ut gigas ad currendam viam ;
7. A summo cœlo egressio ejus :
Et occursus ejus usque ad summum ejus : nec est qui se abscondat a calore ejus ;
8. Lex Domini immaculata convertens animas : testimonium Domini fidele, sapientiam præstans parvulis.
9. Justitiæ Domini rectæ, lætificantes corda : præceptum Domini lucidum, illuminans oculos.
10. Timor Domini sanctus, permanens in sæculum sæculi : judicia Domini vera, justificata in semetipsa.
11. Desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum multum : et dulciora super mel et favum.
12. Etenim servus tuus custodit ea, in custodiendis illis retributio multa.
13. Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me :
14. Et ab alienis parce servo tuo.
Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero, et emundabor a delicto maximo.
15. Et erunt ut complaceant eloquia oris mei : et meditatio cordis mei in conspectu tuo semper.
Domine, adjutor meus, et redemptor meus.

[1] Ad Roman. x, 18.

[2] Luc. xxiv, 46.

IN PSALMUM XVIII

COMMENTARIUS.

1 *In finem, Psalmus David* [1].

Ordo et argumentum Psalmi: Prædicatio Christi per Apostolos, per quam transfertur regnum Christi a Judæis ad gentes, de quo in Psalmo superiori.

Cœli enarrant gloriam Dei. » Hic est Psalmus decimus octavus, in quo postquam in Psalmo præcedenti actum est de laude Dei, pro translatione ipsius regni Ecclesiæ ad Gentiles, consequenter agitur de prædicatione Incarnationis Christi facta per Apostolos, per quam prædicationem facta est translatio prædicta.

Præponitur autem huic Psalmo titulus communis in verbis multis superius positis, sed aliquantulum differens in sensu. Cum enim omnes sic intitulati exponerentur, « *In finem, Psalmus David,* » hic Psalmus est David, Psalmus, inquam, in finem Christum nos ordinans : tum quia hic agitur de prædicatione et publicatione ipsius Incarnationis Filii Dei. Sic exponi potest : « *Psalmus* » hic convenit « *David,* » non in quocumque statu, sed inspicienti, et cordis oculos convertenti « *in finem* » omnium Christum. Ad Rom. x, 4 : *Finis legis, Christus, ad justitiam omni credenti.* Vel in finem temporum, in quo facta est Christi Incarnatio, et toti mundo divulgata. Ad Galat. iv, 4 : *Quando venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum.* I ad Corinth. x, 11 :

[1] Ce qui frappe tout d'abord dans ce psaume, dit M. l'abbé Lesêtre, c'est la distinction très tranchée qui existe entre les deux parties qui le composent. La première (1-7) célèbre avec le style le plus poétique les merveilles du firmament ; la seconde (8-15), d'une allure toute didactique, fait l'éloge de la loi de Jéhova. La forme métrique est également très différente dans les deux parties. D'aucuns, Olshausen, Hupfeld, Riehm, Reuss, ont vu là une preuve que le psaume en fait en réalité deux, fort distincts tant par le sujet que par l'âge et l'auteur. Cette conclusion est combattue par la plus grande partie des protestants, qui, à l'exemple des anciens, reconnaissent dans le psaume une unité parfaitement logique. Le lien entre les deux parties du parties du morceau réside simplement dans cette idée : la loi de Jéhova est dans l'ordre moral ce qu'est le soleil dans le monde matériel. Si David passe sans transition d'une idée à l'autre, la poésie hébraïque nous offre assez d'exemple de ce procédé pour que nous ne soyons pas surpris de le rencontrer ici. « Dans notre psaume, observe Tholuck, il « faut bien remarquer ceci : dans la première « partie, il est question d'un langage et d'une pré- « dication de Dieu dans le ciel ; on peut donc faci- « lement passer de là à la parole de Dieu dans la loi. « On a raison de regarder cet éloge de la voix de « Dieu dans la nature comme une introduction à « l'éloge de la loi, auquel le psalmiste arrive en « particulier. Que si cette première partie se dis- « tingue de la seconde par l'élévation du langage, « il n'y a pas là de quoi rendre douteuse l'unité « des deux morceaux, car il est à remarquer qu'en « général les psaumes sur la nature se distinguent « de tous les autres par leur élévations. » Dans la première partie, Dieu s'applle *El*, et dans la seconde *Jéhova*, manière de parler fort judicieuse, car *El* est le nom général du Dieu créateur, et *Jéhova* le non révélé du Dieu qui a donné la loi.

Les cieux racontent bien la gloire de Dieu, mais non sa volonté, disait Bacon. La connaissance de la première est nécessaire, mais c'est l'accomplissement de la seconde qui sauve ; voilà pourquoi le prophète conclut par une prière qui est tout simplement le « libera nos a malo. » Il n'y a rien en tout ceci qui oblige à voir ici deux psaumes séparès ; aussi pouvons-nous dire avec Rosenmuller, « missam facere istam conjecturam, ut minine ne- « cessariam. » Notons aussi qu'Hitzig défend l'origine davidique de la seconde moitié, autorité qui contrebalance suffisamment celle des autres rationalistes.

Théodoret signale trois lois célébrées dans ce psaume : 1o Eam quæ in creatione conditorem præ-

Nos sumus in quos fines sæculorum devenerunt[1].

Divisio Psalmi.

Dividitur autem hic Psalmus in duas partes. Primo, agitur de prædicatione incarnationis Christi et sequentium ad eam ab Apostolis facta. Secundo, petitur a Propheta ex quodam vehementi desiderio ut purgetur, et prædicare dignus efficiatur tanta, ibi, « *Delicta quis intelligit ?* »

Prima pars in duas. Primo, tanguntur conditiones occurrentes ex parte prædicantium. Secundo, ex parte rei prædicatæ, ibi, « *In sole posuit.* »

In prima duo. Primo, quales et quid prædicaverunt. Secundo, quomodo prædicaverunt, ibi, « *Dies diei eructat.* »

In prima duo. Primo, quod sublimes prædicabant gloriam, quæ quasi divinitatem in Christo respicit. Secundo, quod confirmati, operationem ad Christum pertinentem prædicabant, ibi, « *Et opera manum ejus.* » Et nota, quod potest legi de cœlis materialibus primo. Secundo, de spiritualibus. De materialibus dupliciter. Vel in quantum significatum semel factum secundum Cassiodorum. Vel in quantum significatur quod fit semper.

2 Dicit ergo secundum primum: « *Cœli* » materiales scilicet, « *enarrant gloriam Dei,* » stellam mittendo et monstrando, ortum novi regis ostendentem. Psal. XCVI, 11 : *Lux,* novæ stellæ, *orta est justo,* Christus, *et rectis corde lætitia* Magis scilicet. Matth. II, 10 : *Videntes stellam Magi gavisi sunt gaudio magno valde.* Et bene dicuntur enarrare et eloqui gloriam per hanc stellam : quia sicut cum loquor, etiam formo novam vocem, quæ prius non erat, sic illi cœli miserunt illam stellam non unam de antiquis, sicut dicit Chrysostomus aperte, sed de novo creatam. Vel quia, sicut dicit Chrysostomus in quadam homilia super illud Evangelium, « Hæc stella in forma « parvuli apparebat, et etiam locuta est « nuntians ortum Christi, parvuli, in- « quam, habentis crucem super caput suum ». Decebat autem quocumque modo fieret, per stellam quæ corpus clarum est, enarrari gloriam quæ claritas est : quia, sicut dicit Isidorus, « Gloria dicitur quasi *claria.* » Cœlum ergo per stellam quasi per quoddam sui verbum gloriosum enarravit gloriam verbi Dei, vel gloriosum Dei verbum. Bar. VI, 59 : *Sidera, cum sint splendida, et emissa ad utilitates, obaudiunt.* Et dicitur, « *Cœli,* » pluraliter : quia creditur ibi fuisse Angelus, qui venerat de cœlo Empyreo : stella naturaliter de sidereo, et positione erat in aereo. Vel secundum quod significatur quod semper fit « *Cœli* » materiales ad litteram « *enarrant gloriam Dei* » Hieronymus, « Quia Creator ex « creatura agnoscitur. » Ad Rom. I, 20 : *Invisibilia Dei, per ea quæ facta sunt, intellecta, conspiciuntur.* Sed secundum hoc, quare magis dicit de cœlis quam de aliis creaturis? Responsio. Tam multa, ut puta, genera linguarum sunt in hoc mundo, ut nihil omnino sine voce sit : sed hujusmodi creaturæ superiores nobiliores sunt quam inferiores, et ideo illi qui est in fine nobilitatis similiores : et propter hoc familiarius et expressius ipsum quodammodo eloquentes. Psal. XCII, 4 : *Mirabilis in altis Dominus.* Luc. II,

dicat; 2° Eam quæ per Mosen data fuit ; 3° Legem gratiæ. La dernière n'est reconnaissable que dans le sens spirituel. Cette lumière évangélique qui illumine les yeux de l'âme fidèle, émane du Verbe même de Dieu, qui est dans l'Eglise ce que le soleil est dans l'univers. Les premiers versets sont aussi appliqués aux Apôtres, dont le langage a été entendu de toute la terre comme celui du firmament. S. Aug. de Trinit. IV, 20, 29.

[1] 1 ad Corinth. X, 11 : *Hæc omnia in figura contingebant illis : scripta sunt autem ad correctionem nostram, in quos fines sæculorum devenerunt.*

Multiplex cœlum gloriam Dei enarrat.

14 : *Gloria in altissimis Deo.* Et dicit, « *Cœli* » pluraliter, propter aereum, sidereum, Empyreum, et enarrant voce ad litteram, ad auditum. Empyreum, si ibi est laus ocalis, hoc planum est. II ad Corinth. xii, 4, Paulus raptus ad illud, dicit quod *audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui.* Sidereum : quia secundum aliquos Philsophos, ibi est sonus harmonicus. Et Ambrosius in *Hexam.* : « Motu et impulsu orbium dicunt dulcis« simam fieri melodiam, supergredien« tem omnem musici carminis suavita« tem, » quamvis huic Aristoteles contradicat in libro de *Cœlo et Mundo.* Cœlum aereum : quia in sua inferiori parte cantant homines, et ipse nostræ voces aer sunt. Vox est aeris tenuissimus ictus. In superstitio superiori : quia Matth. iii, 17, et xvii, 5 : *Et ecce vox de cœlis, dicens : Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Et Joan. xii, 28 : *Venit ergo vox de cœlo : Et clarificavi, et iterum clarificabo.* Ecce gloria quasi claria in intermedio : quia ibi canunt aves et Deum laudant : unde alauda a *laude* dicitur.

Apostoli mystice cœli.

Mystice cœli Apostoli. Cœlum enim idem est quod casa helios, hoc est, habitatio Dei, quales ipsi erant. Audi cœlum. II ad Corinth. xiii, 3 : *An experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Christus ?* Plures autem rationes quare dicti sunt cœli, positæ sunt supra super illud, *Videbo cœlos tuos.* Sed hi *cœli enarrant :* in quo notantur quinque quæ enarrant.

Quinque notanda in laude cœlorum.

Doctrinæ simplicitas, quia non disputant, sed prædicant, contra illos qui non quærunt nisi contendere disputando, numquam volunt prædicare. II Timoth. ii, 14 : *Noli contendere verbis : ad nihil enim utile est, nisi ad subversionem audientium.* Et ipsius veritas et auctoritas non probatur prædicatione, sed supponitur tamquam principium, et dictum a summo magistrorum. Joan. xiv, 6 : *Ego sum via, et veritas, et vita,* dicit doctor hujus scientiæ. Via in qua nihil erroris, veritas in qua nihil falsitatis, vita in qua quidquid est, totum est saluti. *Augustinus super Genes.* ad litteram : « Major est hujus scri« pturæ auctoritas, quam humani ingenii « capacitas. » Per additam præpositionem vel compositionem tria notantur in Prædicatoribus. Vitæ sanctitas : enarrare enim est, quod apud se est, aliis extra se narrare : quod competit facientibus quod dicunt. Ad Rom. xv, 18 : *Non audeo aliquid eloqui eorum, quæ per me non efficit Christus.* Contra illos quibus dicitur ad Rom. ii, 21 : *Qui alium doces, teipsum non doces.* Notatur etiam prædicandi audacia. Act. ix, 15 : *Vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus, et regibus, et filiis Israel.* Et quia in ipsis dilatata charitas interius, extra effuderat quod intus habet. Ad Rom. i, 14 : *Græcis ac Barbaris, sapientibus et insipientibus debitor sum.* Illi enarrant gloriam Dei multiplicem. Divinitatis : prædicaverunt enim per totum mundum verum. Num. xiv, 21, de hac gloria : *Vivo ego dicit Dominus : et implebitur gloria Domini universa terra.* Item, ipsum Christum, qui est gloria Dei Patris. Proverb. x, 10. *Gloria patris filius sapiens.* Vel gloriam peccatorum remissionem in nomine Christi. Ad Rom. iii, 23 : *Omnes peccaverunt, et egent gloria Dei.* Vel gloriam, gloriosam ejus operationem miraculorum. Joan. i, 14. *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre.*

Cur prædicatores dicuntur cœli et firmamentum ?

« *Et opera manuum ejus.* » Quasi diceret : Sic enarrant cœli, « *et firmamentum* » ipsum, qui et cœli dicti sunt : sed cœli propter vitæ altitudinem, propter Dei continentiam, propter contemplationis, serenitatem : firmamentum propter constantiam in fide, constantiam in prædicatione, soliditatem in victus austeritate, ne effluerent per carnalia desideria, quæ omnia habuerunt a Christo. Psal. xxxii, 6 : *Verbo Domini cœli firmati sunt.* Hoc est firmamentum de quo Genes. i, 6 : *Fiat firmamentum in medio aquarum,* humanarum scilicet generationum. Apoc.

XVII, 15 : *Aquæ, quas vidisti, populi sunt, et gentes, et linguæ.*

« *Annuntiat opera manuum ejus.* » Passionem scilicet : die enim qua passus est, multum laborem sustinuerunt manus ejus. Isa. XLIII, 24 : *Servire me fecisti in peccatis tuis.* Isa. V, 12 : *Cithara, et lyra, et tympanum, et tibia, et vinum in conviviis vestris : et opus Domini non respicitis.* Et notandum, quod sicut non poterant enarrare gloriam Dei nisi alti, sic nec ejus opera, scilicet passionem, nisi firmamentum : quia Judæi scandalizabantur, Gentes stultitiam reputabant. I ad Cor. I, 23 : *Prædicamus Christum crucifixum : Judæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam.* Vel, « *opera manuum ejus* » appellat generaliter, quæ sunt plura. Primo, opera creationis, quæ sunt triplicia. Creationis proprie, distinctionis, et ornatus, de quibus omnibus, Gen. I 1 et seq. Recreationis, quæ sunt Conceptio, Nativitas, Prædicatio, Passio, Resurrectio, Ascensio, et Spiritus sancti missio, de quibus omnibus in Evangeliis. Propagationis, Joan. V. 17 : *Pater meus usque modo operatur, et ego operor.* Æternæ retributionis, Isa. LXIV, 4 : *Oculus non vidit, Deus absque te, quæ præparasti exspectantibus te.* Et dicit, « *cœli,* » pluraliter, et « *firmamentum* » singulariter, quia multi unum facti sunt per gratiam confirmantem. Act. IV, 32 : *Multitudinis credentium erat cor unum, et anima una.*

3 Prædicationis modus discretus et mirabilis. « *Dies diei eructat verbum.* » Hic secundum, in quo determinato qui, et quid prædicant, ostenditur quomodo prædicant, et dicuntur duo. Primo, quam discrete. Secundo, quam mirifice, ibi, « *Non sunt loquelæ.* »

In prima duo. Primo, quod majoribus magna, perfectis perfecta. Secundo, quod minoribus minora, imperfectis imperfecta, ibi, « *Et nox nocti.* »

Ait ergo : Tales tale quid prædicant, et quomodo ? « *Dies,* » id est, Apostolorum cœtus lucens bona vita et doctrina, et a vero sole Christo illuminata. Hæc est dies duodecim horarum. Joan. XI, 9 : *Nonne duodecim sunt horæ diei ?* Singulæ horæ singuli Apostoli. « *Diei,* » id est, spiritualibus et perfectis a Dei sapientia illustratis, « *eructat verbum,* » id est, Christum secundum divinitatem, in quantum est Dei verbum et principium cum Patre, et Deus apud Deum (Joan. I, 1). I ad Cor. II, 6, 13 : *Sapientiam loquimur inter perfectos... In doctrina spiritus, spiritualia spiritualibus comparantes.* In eructatione autem duo notantur. Sancti spiritus copia, et scientiæ plenitudo, Act. II, 4 : *Repleti sunt omnes Spiritu sancto,* ecce primum : *et cœperunt loqui,* ecce secundum. Matth. XII, 34 : *Ex abundantia cordis os loquitur.* Poeta :

Fœcundi calices quem non fecere disertum.

Dicebatur enim, quod erant ebrii. (Act. II, 13.) Vere ebrii quantum ad perfectos, quibus secretissima eructabant. Proverb. XXXI, 4 : *Nullum secretum ubi regnat ebrietas.*

« *Et nox,* » ipsimet tamquam rudes effecti, et rudibus et tenebrosis conformati, « *indicat scientiam,* » doctrinam scilicet simpliciorem de humanitate Christi. « *Nocti,* » simplicioribus scilicet, et imperfectis. Simplices quasi nox sunt. Ad Ephes. V, 8 : *Eratis aliquando tenebræ.* Talibus est loquendum simpliciter. I ad Cor. III, 1 : *Non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus.* I ad Corinth. IX, 22 : *Factus sum infirmis infirmus, ut infirmos lucrifaciam.* II ad Cor. V, 3, de utroque : *Sive mente excedimus, Deo : sive sobrii sumus, vobis.* Nox ergo dicuntur Prædicatores propter infirmitatis propriæ recognitionem, Isa. L, 3 : *Induam cœlos tenebris.* Propter tribulationum patientiam II ad Cor. IV, 8 : *In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur.* Propter mentis compassionem, Ad Roman. IX, 3 : *Optabam ego ipse anathema esse*

a Christo pro fratribus meis. Propter condescencionem, sicut dictum est supra, I ad Cor. IX, 22 : *Factus sum infirmus infirmis*, etc.

4 « *Non sunt loquelæ.* » Hic ostendit quam mirifice, et hoc est ex duobus. Primo, quia in omni lingua. Secundo, quia in omni terra prædicaverunt, ibi, « *In omnem terram.* »

Miracula prædicationis duo.

In prima duo. Primo, quia in omni lingua quantum ad modum idiomatis et substantiam. Secundo, quia in omni modo illius linguæ. Eadem enim lingua differentes modos habet frequenter, quod notatur, in hoc quod dicit, *Neque sermones.* »

Ait ergo : Sic prædicant discrete : et « *non sunt loquelæ,* » id est, linquæ : « *neque sermones,* » id est, modi loquendi differentes in eadem lingua, « *quorum* » linguarum et sermonum « *non audiantur voces eorum* » similes. *Simile* enim genitivo construitur sicut et dativo, quamvis frequentius dativo, maxime in constructionibus tractis a Græcis qui genitivo utuntur pro ablativo. Act. II, 6 : *Audiebat unusquisque lingua sua illos loquentes.* Quos illos? tales prædictos. Mirabile est cœlos omnibus linguis uti. Isa. XXXII, 4 : *Lingua balborum velociter loquetur et plane.* Et XXVIII, 11 : *In loquela labii, et lingua altera loquetur ad populum istud.* Et hoc recte : divisæ enim fuerunt linguæ, ut male concordes in ædificatione turris Babel dividerentur [1]. Ergo restabat ut divisæ male in errores infidelitatis et vitium, ad bonum mutarentur. Sophon. III, 8 et 9 : *In igne zeli mei devorabitur omnis terra. Quia tunc reddam populis labium electum, ut invocent omnes in nomine Domini, et serviant ei humero uno.*

Miraculum linguarum varie explicatum.

Quomodo autem a prædicantibus hoc fieret, a diversis diversimode assignatur. Quidam dicunt, quod omnes linguas sciebant et loqui et intelligere, tamen in una sola prædicabant in actu. Sed tunc si divisæ essent in sermone linguæ, oportuisset eum sermonem multoties repetere. Alii, quod tantum unam linguam sciebant, et alia loquentes sola vox delata ad aures auditorum convertebatur in propriam linguam. Et hoc ministerio Angelorum, vel virtute Dei mutantis in vocem propriam uniuscujusque. Sed tunc quomodo in publicis locutionibus quærebant necessaria? Numquid in propriis linguis eorum ad quos loquebantur ? Propter hoc credimus tertium confectum ex duobus, quia utrumque poterant, et omnem linguam sciebant, intelligebant, et loquebantur, et in sermonibus, in qua volebant, loquebantur. Et illa virtute, divina scilicet, singulorum intelligentiam significabat eis, sicut de manna in deserto. Sapient. XVI, 20 : *Panem de cœlo*, etc. Sic sonus campanæ diversa sonat, diversa cogitantibus, et huic sententiæ Magister videtur consentire in tractatu super secundum *Actuum.*

« *In omnem terram.* » Hic ostenditur, 5
quod in omni terra prædicaverunt, tam lata fuit eorum prædicatio : et ostenditur latitudo hæc in duobus. Primo, enim tangitur prædicationis latitudo. Secundo, ipsius efficacia et virtus, ibi, « *Et in fines.* »

Ait ergo : Ita discrete prædicaverunt, et late, quia « *in omnem terram,* » id est, in omni mundi ambitu, in omni climate terræ habitabilis, « *exivit sonus eorum,* » prædicatio et fama miraculorum quæ faciebant. Psal. XCV, 3, et Isa. XII, 5 : *Annuntiate hoc in universa terra.* Marc. XVI, 20 : *Illi autem profecti prædicaverunt ubique , Domino coo-*

[1] Cf. Genes. XI, 8 et seq.

perante, et sermonem confirmante, sequentibus signis.

« *Et in fines orbis terræ.* » Ex quo relinquitur, quod et in medio, « *verba eorum,* » id est, prædicationis illorum efficacia. Sonus enim dicit quid indistinctum : unde significat quasi confusum, sed verbum sonat distinctionem : unde sonat prædicationem formatam et efficacem. Isa. XXVII, 6 : *Qui egrediuntur impetu ad Jacob, implebunt faciem orbis semine.* Et nota moraliter, quod terra est peccatorum. Eccli. x, 9 : *Quid superbit terra et cinis?* Unde omnis terra ille malus ternarius, de quo I Joan. II, 16 : *Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est,* etc. Jerem. XXII, 29 : *Terra, terra, terra audi sermonem Domini.* In omnem hanc terram exivit sonus prædicationis : quia aure tantum audiunt, unde non est eis nisi sonus : corde non percipiunt. Isa. VI, 9 : *Audite audientes, et nolite intelligere.* Fines orbis terræ sunt, qui extra mundum sunt, in quibus non sunt prædicta tria, scilicet boni, qui Deum metuunt. Psal. LXVI, 8 : *Metuant Dominum omnes fines terræ.* Hi audiunt verba : quia sensum prædicationis percipiunt, et in se sentiunt. Eccli. XLIII, 37 : *Omnia autem Dominus fecit, et pie agentibus dedit sapientiam.* Matth. XI, 25 : *Abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis.*

6 Argumentum prædicationis utilissimum : mysteria quinque Christi.

« *In sole posuit.* » Hic secundum. Determinatis conditionibus ex parte prædicantium, subjunguntur conditiones ex parte rei prædicatæ. Sed quia res prædicatæ bonæ sunt valde et utiles toti mundo, dicuntur duo. Primo, conditiones ex parte rei prædicatæ. Secundo, recommendatio Evangelii et prædicationis talium, ibi, « *Lex Domini immaculata.* »

In prima parte quinque secundum quinque conditiones, quæ concurrunt ex parte rei prædicatæ. Prima est Incarnatio quæ facta est in assumptione humanæ naturæ. Secunda, nativitas, ibi, « *Et ipse tamquam sponsus.* » Tertia, voluntaria passio, ibi, « *Exsultavit ut gigas.* » Quarta, Ascensio, ibi, « *Et occursus.* » Quinta et ultima, Spiritus sancti missio, vel reversio ejus ad judicium, ibi, « *Non est qui se abscondat a calore ejus.* »

Dicit ergo : Tales prædicaverunt, et tale quid, et tali modo, sed prædicata distinguo. Primum, quia « *in sole posuit tabernaculum.* » Tabernaculum appellat Christi corpus : solem in quo positum fuit, pectus Virgineum. Tabernaculum ergo est corpus humanum, II ad Corinth. v, 4 : *Qui sumus in hoc tabernaculo, ingemiscimus gravati.* Hoc ergo tabernaculum, corpus scilicet Christi contexuit Spiritus sanctus ex purpureis et purissimis sanguinibus Virginis tamquam ex pulcherrimis filis : et posuit in sole, in ipsa Virgine, quæ sol dicitur, Cant. VI, 9 : *Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol?* Sic positum est in sole in conceptione, sed et in nativitate quando mundo apparuit, positum est in sole. Sol enim lucet et urit et tempora distinguit : et Christi corpus in sole lucente positum est, quia in aperto. Isa. XL, 5 : *Videbit omnis caro quod os Domini locutum est.* Matth. v, 15 : *Non accendunt lucernam, et ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt.* Positum est in ardore tribulationum : sol enim urit. Eccli. XLIII, 4 : *Tripliciter sol exurens montes.* Sustinuit enim æstum laborum et tribulationum, et in hoc seipsum posuit. Isa. LIII, 7 : *Oblatus est quia ipse voluit.* Jacob. I, 11 : *Ortus est sol cum ardore, et arefecit fœnum, et flos ejus decidit, et decor vultus ejus deperiit.* Flos enim decidit in morte, Isa. XL, 6 : *Omnis caro fœnum.* Et decor deperiit, quando speciosus forma præ filiis hominum totus expelluit. Isa. LIII, 2 : *Non est species ei, neque decor.* Item, tempora distinguit. Genes. I, 14, de sole et luna, et stellis : *Sint,* inquit Deus, *in signa et tempora, et dies, et annos.* Tabernaculum ergo in

Christi incarnatio.

sole posuit, quia corpus mutabilitati temporum subjecit, sicut nostra subjecta sunt. Bar. VI, 38 : *Post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est.* Et etiam sicut homines, ad Hebr. II, 16 et 17 : *Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit... Unde debuit per omnia fratribus similari.*

Christi nativitas. « *Et ipse tamquam sponsus.* » Ecce secundum, in quo tangitur beneficium et gratia nativitatis. Quasi diceret : Sic carnem de Virgine accepit, et hoc enarrant cœli, et hoc etiam quod ipse « *tamquam sponsus* fuit *procedens de thalamo suo,* » de Virginis utero. Nota ergo, quod sponsus, secundum Cassiodorum, dicitur a spondendo. Verbum ergo, scilicet Dei filius toties promissum, recte dicitur sponsus. Sed sponsa secundum Augustinum et Hieronymum natura est humana inseparabiliter Verbo unita. Esther, II, 16 et seq., Esther est quam rex accepit uxorem, et voluit esse reginam. Esther interpretatur *exaltata.* Nec potuit plus exaltari humana natura, nec gloriosius maritari. Psal. LXXII, 24 : *Et cum gloria suscepisti.* De hac desponsatione et matrimonio, Genes. XXVIII, 1 et 2, dixit Isaac filio suo Jacob : *Noli accipere conjugem de genere Chanaan*, possidentis domum, id est, de natura Angelorum domum cœli possidentium (ad Hebr. II, 16 : *Nusquam Angelos apprehendit*) : *sed vade et proficiscere in Mosopotamiam Syriæ.* Mesopotamia elevata, Syria sublimis, id est, ad naturam humanam sublimiter elevandam in hoc conjugio. Et tangitur duplex sublimatio propter animam et carnem, et non ad quemlibet de Mesopotamia, sed *ad domum Bathuel*, quod interpretatur *virgo Dei*, scilicet ad Mariam, *et accipe tibi inde uxorem de filiabus Laban*, candidationis scilicet, hoc est, de purissimis et mundissimis sanguinibus Virginis. Ecce sponsus cum sua sponsa. Thalamus, Virginis uterus in quo cum sua sponsa mansit novem mensibus. Deut. XXXIII, 12 : *Benjamin, amantissimus Domini, quasi in thalamo tota die morabitur* : et exivit in nativitate. Intravit thalamum istum sponsus noster candidus, Sap. VII, 26 : *Candor est lucis æternæ, et speculum sine macula.* Sed exivit quasi verecundus sponsus rubicundus, carne scilicet indutus et sanguine. Candidus propter divinitatem, rubicundus propter assumptum sanguinem. Cant. V, 10 : *Dilectus meus candidus et rubicundus.*

(Margin: Conjugium humanitatis cum Deo.)

Christi passio. « *Exsultavit ut gigas.* » Hic tertium, in quo ponitur beneficium et gratia passionis, et tanguntur duo. Primo, hilaris sustinentia passionum. Secundo, probatio, quod voluntarie illas sustinuit, ibi, « *A summo cœlo.* »

Dicit ergo : Sic conceptus et natus, et post hoc « *exsultavit ut gigas,* » non contristatus, supple, paratus « *ad currendam,* » pertranseundam « *viam,* » omnem tribulationem et miseriam, et hoc « *ut gigas,* » scilicet fortiter.

Tria in Christo justis imitanda, lætitia, fortitudo, velocitas. Tria ergo notantur hic in Christo, quæ necessaria sunt justo in tribulatione. Primum lætitia et hilaritas. Hoc notatur in hoc, « *Exsultavit.* » Et fuit in Christo, Isa. XLII, 4 : *Non erit tristis, neque turbulentus.* Nec est contrarium illud Matth. XXVI, 38 : *Tristis est anima mea usque ad mortem* : quia loquitur de tristitia pro passione, hic loquitur de lætitia in ratione. Et hoc debet esse in justo. Similiter, Psal. CIV, 43 : *Eduxit populum suum in exsultatione.* Proverb. XII, 21 : *Non contristabit justum quidquid ei acciderit.* Item, necessaria est fortitudo et infatigabilitas, quod notatur in hoc quod dicit, « *ut gigas.* » Et hoc fuit in Christo. Sapient. VIII, 1 : *Attingit ergo a fine usque ad finem fortiter.* Et præmissum est, *Sapientia vincit malitiam pœnæ.* Attingit a nativitate usque ad mortem fortiter. Sic et justus debet fortiter omnia vincere. Ad Hebr. XII, 3 : *Non fatigemini, animis vestris deficientes.* Apoc. II, 3 : *Sustinuisti propter nomen meum, et non defecisti.* Item, necessaria est velocitas ;

unde, « *ad currendam viam.* » Et hoc in Christo. Psal. LVIII, 5 : *Sine iniquitate cucurri, et direxi,* paratus multum ad currendum plusquam possumus esse, quia onus peccati omnino non habebat. Currere tamen debet justus. Ad Hebr. XII, 1 et 2 : *Per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, adspicientes in auctorem fidei, et consummatorem Jesum.* Et ad Hebr. IV, 11 : *Festinemus ingredi in illam requiem.* Currentem enim tam velociter Christum apprehendere non poteris, nisi cito concurreris. Et quid valet sequi, si non contingat assequi? I ad Corinth. IX, 24 : *Sic currite ut comprehendatis.* Quod autem tribulatio et miseria sit in via, satis ostendit Dominus, Matth. VII, 14 : *Arcta via est, quæ ducit ad vitam.*

7 « *A summo cœlo.* » Hic est secundum. Sic hilariter et fortiter et velociter curret per viam passionum, et non propter hoc quod necesse habebat, quia « *a summo cœlo egressio ejus,* » non ab aereo, non a sidereo, non ab empyreo, sed a summo invisibili, scilicet majestate Patris, in qua latebat et celabatur. Joan. I, 18 : *Unigenitus filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* Joan. XVI, 28 : *Exivi a Patre, et veni in mundum.* Hic est egressus temporalis, de quo Isa. LXII, 1 : *Propter Sion non tacebo, et propter Jerusalem non quiescam, donec egrediatur ut splendor justus ejus.* Sed est egressus æternus de Patre, de quo Mich. V, 2 : *Et egressus ejus ab initio, a diebus æternitatis.*

Christi Ascensio.

« *Et occursus ejus.* » Hic est quartum, scilicet gratia et beneficium Ascensionis : non enim modicum beneficium fuit inferre naturam humanam cœlo.

Dicit ergo : Sic egressus est a summo cœlo : « *Et occursus ejus* » iterum redeundo « *usque ad summum ejus,* » in quantum Deus recurrit « *usque ad summum.* » Quia sicut ante Incarnationem latebat in summo cœlo in sinu Patris, sed descendit, quando in carne visibilis apparuit, sic usque ad summum cœlum videtur occurrisse, quia tantum ad hoc ut humanos lateat oculos, et quasi in sinu iterum se absconderit. Quantum autem ad humanam naturam dicitur ascendisse, quia super omnem creaturam locatus dignitate, sessione in summo empyrei. Joan. XVI, 28 : *Exivi a Patre, et veni in mundum, et vado ad Patrem.* Et nota, quod loquens de descensu, dixit *egressum,* hic autem loquens de ascensione dicit *occursum,* in quo notatur quasi cum majori velocitate ascendisse quam descendisse, ut innuat quod ad naturalem suum locum redibat, scilicet ad Patris sinum. Naturaliter autem unumquodque ad locum proprium tendit velocius, quam ad alienum : fons enim tantum potest ascendere, quantum descendit ab origine. Eccli. I, 5 : *Fons sapientiæ verbum Dei in excelsis.* Eccle. I, 5, 7 : *Oritur sol, et occidit, et ad locum suum revertitur.* Et in eodem: *Ad locum unde exeunt flumina, revertuntur ut iterum fluant.* Hic docemur promptiores esse ad contemplationem, et ad conversandum cum pio Patre in cœlo, quam ad activam, et conversandum cum fratribus in terra. Ad Philip. I, 23 et 24 : *Desiderium habeo dissolvi, et esse cum Christo, multo magis melius : permanere autem in carne, necessarium propter vos.*

Quintum mysterium, missio Spiritus sancti.

« *Nec est qui se abscondat.* » Hic est quintum beneficium, scilicet missionis Spiritus sancti.

Ait enim : Sic ascendit : nec fuit ullus omnium congregatorum in cœnaculo in Jerusalem, qui se absconderet a calore ejus, id est, a Spiritu sancto, qui calor est per effectum. Job, XXVIII, 2 : *Lapis frigidus,* scilicet peccator, *solutus calore* Spiritus sancti, *in æs vertitur,* Prædicator sonorus efficitur : nec enim calor tantum, imo ignis. Luc. XII, 49 : *Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur ?* Et nota, quod hunc calorem nullus evadit quem non inveniat. I ad Corinth. II, 10 : *Spiritus omnia*

scrutatur, etiam profunda Dei. Nullus potest se abscondere, quin percipiat aliquid de calore isto. I ad Corinth. XII, 4, 8 : *Divisiones gratiarum sunt... Alii datur sermo sapientiæ,* etc. Luc. VI, 35 : *Ipse benignus est super ingratos et malos.* Matth. v, 45 : *Et pluit super justos et injustos.* Et sicut dicit Hieronymus, « Nullus est, qui non habeat semina intellectus Dei. » Job, XXXVI, 25 : *Omnes homines vident eum, unusquisque intuetur procul.*

Effectus ignis Spiritus sancti. Ex dictis potest colligi, quod hic ardor calefacit. Psal. XXXVIII, 4 : *Concaluit cor meum intra me,* etc. Penetrat, Eccli. XXIV, 45 : *Penetrabo omnes inferiores partes terræ.* Immutat, I Mach. x, 62 : *Jussit spoliari Jonathan vestibus suis,* scilicet temporalibus, *et indui eum purpura.* Job, XXXVII, 17 : *Nonne vestimenta tua calida sunt,* ut cogaris illa deponere *cum perflata fuerit terra austro?* Securitatem dat, II Esdr. VII, 3 : *Non aperiantur portæ Jerusalem usque ad calorem solis,* quasi dicat, tantum poterunt aperiri.

8 Secunda pars Psalmi. « *Lex Domini immaculata.* » Hic est secundum, scilicet commendatio prædicationis talium, id est, rei quam prædicabunt : et dicuntur duo. Primo, commendat in generali. Secundo, specificat, ibi, « *Testimonium Domini.* » Commendatur autem in generali a duobus. A mundatione seu conversione a malo. Secundo, a conversione animarum ad bonum, ibi, « *Convertens animas* ».

Dicit ergo : Sic prædicabunt et talia et vere et bene : quia « *lex Domini immaculata* » in effectu, et legitur in Glossa de triplici lege. Triplex lex, Spiritus sanctus, Christus, vetus Testamentum. Primo, Spiritus sanctus dicitur lex, quia per ipsum scripta est lex. II Reg. XXIII, 2 : *Spiritus Domini locutus est per me, et sermo ejus per linguam meam.* Item, lex Christus secundum Augustinum, eadem ratione. II ad Corinth. XIII, 3 : *An experimentum quæritis ejus, qui loquitur in me Christus?* Item, de lege Moysi secundum Cassiodorum : « Lex Mosaica irreprehensibilis, « quia non est a Christo reprehensa, sed « magis adimpleta. » Matth. v, 17 : *Non veni solvere legem, sed adimplere.* « *Immaculata,* » a malo retrahendo. Exod. XX, 12, 15, 17 : *Non occides, non furtum facies, non concupisces,* et talia plura. Joan. XV, 3 : *Jam vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis.*

« *Convertens animas,* » ad bonum, quas videt aversas. Thren. I, 13 : *Expandit rete pedibus meis, convertit me retrorsum :* errantem enim a Deo corrigit et dirigit. Psal. CXVIII, 9 : *In quo corrigit adolescentior viam suam,* etc.

« *Testimonium Domini.* » Hic specificat per quatuor quæ tangit, « *testimonium* » quod respicit proprie ad credendum : justitias, quæ ad præmia et promissa, ibi, « *Justitiæ Domini.* » Præceptum, quod respicit ad agenda, ibi, « *Præceptum Domini.* » Judicia, quæ respiciunt ad cavenda, et pertinent ad timorem, et de iis, ibi, « *Timor Domini.* » Quadtuplex legis nomen.

Dicit ergo : Sic bona est lex, quia « *testimonium Domini fidele,* » in se dignum cui credatur omnino. Psal. CXLIV, 13 : *Fidelis Dominus in omnibus verbis suis.* Et alibi, Psal. LXXXVIII, 35 : *Quæ procedunt de labiis meis, non faciam irrita.* Num. XXIII, 19 : *Non est Deus quasi homo, ut mentiatur : nec ut filius hominis, ut mutetur.* I Joan. v, 9 : *Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est.* Et in Psal. XCII, 5 : *Testimonia tua credibilia facta snnt nimis.*

« *Sapientiam præstans parvulis.* » Specificat in quo, et respectu quorum est illa fidelitas, quia de divinis est, et parvulis. Sapientia enim de divinis est : sed testimonio Dei per Scripturas, imbuuntur in illa parvuli, rudes scilicet et indocti, qui non possunt assurgere ad capiendum magna. I ad Corinth. III, 1 et 2 : *Tamquam parvulis in Christo, lac vobis potum dedi, non escam.* Quasi diceret : Tantæ utilitatis est testimonium, tam fidele, ut etiam de summis certitudinem

faciat rudibus ipsis. Proverb. xiv, 6 : *Doctrina prudentum facilis.* Vel « *sapientiam præstans parvulis,* » id est, humilibus. Proverb. xi, 2 : *Ubi humilitas, ibi et sapientia.* Gregorius in *Moral.* : « Eum quem non invenit humilem veri- « tas fugit. » Matth. xi, 25 : *Abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis.*

9 « *Justitiæ Domini.* » Hic commendat legem quantum ad justitias, quæ respiciunt ad promissa, et commendantur justitiæ a duobus. A rectitudine quam promittunt, et reddunt secundum merita. Secundo, a causalitate lætitiæ in illis quibus fiunt promissa, ibi « *Lætificantes corda.* »

Ait ergo : Talia sunt testimonia, vel tale testimonium, quod dicitur in singulari : quia respicit ad fidem quæ una est, unus Dominus, et una fides [1]. Sed « *justitiæ Domini,* » quæ dicuntur in plurali : quia respiciunt diversa diversorum merita, « *rectæ* », unicuique secundum quod meruerit promittentes, quod rectum est. Matth. xvi, 27, et ad Roman. ii, 6 : *Reddet unicuique secundum opera ejus* [2]. Isa. xxvii, 8 : *In mensura contra mensuram, cum abjecta fuerit, judicabis eam.* Et Luc. vi, 38 : *Eadem mensura qua mensi fueritis,* etc. « *Rectæ* » etiam in affectu, quia affectum per pravitatem distortum dirigunt. Proverb. viii, 8 : *Justi sunt omnes sermones mei : non est in eis pravum quid.* Propter hoc dicit Psal. cxviii, 133 : *Gressus meos dirige secundum eloquium tuum.* « *Lætificantes corda* » bonorum, cum audiunt promissa bona. Proverb. xiv, 25 : *Sermone bono cor lætificabitur.* Psal. cxviii, 162 : *Lætabor ego super eloquia tua,* etc. Ipsum enim regnum æternum promittunt. Matth. v, 3 : *Beati pauperes spiritu : quoniam ipsorum est regnum cælorum.* « *Justitiæ* » etiam dici possunt pœnæ de justitia Dei in præsenti inflictæ. Hæ lætificant, quia per has exspectant vindicari in se quod male gesserunt. Psal. lvii, 11 : *Lætabitur justus, cum viderit vindictam.* Job, vi, 10 : *Et hæc mihi sit consolatio, ut affligens me dolore, non parcat.*

« *Præceptum Domini lucidum.* » Hic tertium, commendatio præceptorum quæ respiciunt operanda, ad quæ allicimur per promissa : et ostenditur qualia formaliter, quia lucida, quia bona finaliter, ibi, « *Illuminans.* »

Dicit ergo : Tale testimonium, tales justitiæ nec tantummodo ut habeantur promissa : quia « *præceptum Domini,* » a Domino datum, est « *lucidum.* » Præceptum dicit in singulari, ut ostendat omnia reduci ad unum amorem Dei. Omnia enim ad duo reducuntur, sicut dicit Dominus, Matth. xxii, 40 : *In his duobus mandatis universa lex pendet, et Prophetæ.* Et illa duo ad unum, quia dilectio proximi ad dilectionem Dei. Diligere enim proximum, est diligere Deum in proximo, et mensuratur dilectio proximi, quasi ad mensuram dilectionis Dei, qua dilexit nos. Hoc est mendatum vel præceptum, de quo Joan. xv, 12 : *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.* Hoc præceptum est lucidum valde, nullum falsum continet. Quis nesciat proximum esse diligendum ? Omne malum prohibet. Hæc est sapientia, de qua Sap. vi, 13 : *Clara est, et quæ numquam marcescit sapientia.* Et dicitur « *lucidum,* » quia habet in se duo : receptivum luminis, sive lucis : et ipsum lumen quod recipit. Receptivus est amor naturalis, qui sic est ordinatus a Deo, illustratus est, et est charitas sui, aut cupiditas, illustratus, dico, ab illo, de quo Jacob. i, 17 : *Omne datum optimum, et*

[1] Cf. ad Ephes. iv, 5.

[2] Cf. etiam Eccli. xvi, 15.

omne donum perfectum, desursum est, descendens a Patre luminum.

« *Illuminans oculos.* » Ecce finis et utilitas. Oculos, inquam, cordis. Proverb. vi, 23 : *Mandatum lucerna est, et lex lux.* I Joan. ii, 10 : *Qui diligit fratrem suum, in lumine manet.* Hoc est mandatum, sicut dicit Glossa, non objectum sicut Moysi figuralibus ceremoniis. Exod. xxxiv, 35 : *Operiebat Moyses faciem suam, si quando loquebatur ad eos.* Non obtundens, sicut et illud mosaicum, II ad Corinth. iii, 13 : *Non intendebant filii Israel in faciem ejus,* scilicet Moysi propter gloriam vultus ejus. Sed de nostro, Eccli. ii, 10 : *Diligite Dominum, et illuminabuntur corda vestra.*

10 « *Timor Domini.* » Hic est quartum, in quo subjungitur judiciorum commendatio. Sed quia timor est effectus judiciorum Dei quæ determinantur in Scripturis, primo ponitur commendatio timoris, tamquam commendatio judiciorum in effectu suo. Secundo, commendatio illorum in se, ibi, « *Judicia Domini.* »

In prima duo. Primo, commendat timorem quasi a virtute. Secundo, a duratione, ibi, « *Permanet in sæculum.* »

Ait ergo : Tale testimonium, tales justitiæ, et præceptum, et timor a Deo datus, vel de Deo habitus, « *sanctus est.* » Et nota, quod est timor multiplex. Naturalis, qui est duplex. Propassionis, quo nullo modo turbatur oculus rationis. Hic fuit in Christo, Marc. xiv, 33 : *Cœpit Jesus pavere, et tædere.* Passionis, quo turbatur ratio, sed ad tempus et modicum : maxime quando quid valde molestum vel admirabile occurrit, sicut in Martyribus cum occidebantur, in Sanctis cum cogitant Dei judicia. Habac. iii, 1 et seq. : *Domine, audivi auditionem tuam, et timui.* Humanus, quo quis vult peccare ne lædatur in corpore : et hic prohibetur, Matth. x, 28 : *Nolite timere eos, qui occidunt corpus.* Mundanus, qui eligit peccare ne lædatur in possessione, Psal. xiii, 5 : *Illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor.* Servilis, ubi timetur pœna, non amatur justitia, I Joan. iv, 18 : *Timor non est in charitate.* Initialis, quo amatur principaliter justitia, et tamen secundario timetur pœna, I Joan. iv, 18 : *Perfecta charitas foras mittit timorem.* Filialis ad patrem. Castus ad sponsum. Job, xxvi, 11 : *Columnæ cœli contremiscunt, et pavent ad nutum ejus.* Et hic proprie *sanctus* dicitur, et est ejus effectus triplex. Timere offensam, separationem, et exhibere reverentiam.

mor mul-

Cum ergo dicit : « *Timor Domini,* » excludit primum et secundum, qui non sunt Dei, sed naturæ, et carnis : et tertium qui est mundi, cum dicit, « *Sanctus.* » Excludit similiter servilem qui non est sanctus, imo secum non compatitur charitatem quæ proprie Sanctos facit. Per hoc autem quod addit, « *Permanet in sæculum sæculi,* » id est, in æterna vita, excludit initialem, et castum quantum ad omnem actum sui, præterquam ad actum reverentiæ, et iste manet in patria, nec habet pœnam, imo magis voluptatem. Glossa dicit, quod « permanet quantum ad fructum suum : » vel permanet in se quandoque usque ad finem vitæ : secundum illud Tob. ii, 14 : *Tobias... immobilis in Dei timore permansit.* De hoc timore, Eccli. xl, 27 et 28 : *Non est in timore Domini minoratio.* Et infra : *Timor Domini sicut paradisus benedictionis, et super omnem gloriam operuerunt illum.*

Casti timoris triplex fructus et actus, qui manet in patria, actus reverentiæ.

« *Judicia Domini vera.* » Hic commendat judicia : et dupliciter, quia sine falsitate, et quia sine errore. Primum, in ipsis judiciis. Secundum, in modo, qui attenditur ex parte judicis.

Ait enim : Talis est timor : sed « *judicia Domini* » id est, a Domino in lege sua scripta, « *vera,* » nihil habentia falsitatis, « *justificata,* » nihil erroris habentia. Aliquando enim profertur judicium falsum intentione bona, et sic est ibi error intellectus. Aliquando quidem profertur judicium verum, sed intentio est

perversa, vel inconsideratio in proferente, et tunc error est affectus. De his duobus, Sapient. VI, 5 : *Cum essetis ministri regni illius, non recte judicastis, nec custodistis legem justitiæ*, ecce primum : *neque secundum voluntatem Dei ambulastis*, ecce secundum. Deuter. XVI, 20 : *Juste quod justum est, persequeris*. Et hoc habent « *in semetipsa*, » id est, veraciter et naturaliter, ut nihil omittatur, nec in proferendo nec in exsequendo. Isa. XL, 8 : *Verbum autem Domini manet in æternum*. Et XLVI, 10 : *Consilium meum stabit, et omnis voluntas mea fiet*. Vel « *justificata in semetipsa*, » nulla extrinseca auctoritate indigentia, sicut humana. Vel « *in semetipsa* », quia tantæ sunt profunditatis, ut in ipsis lateat eorum justitia, et vix attingi ab humana ratione possit. Psal. XXXV, 7 : *Judicia tua abyssus multa*.

11 Obedientia legis commendata ab affectu, effectu, et præmio.

« *Desiderabilia super aurum*. » Hic secundum, in quo postquam præcessit divinæ legis commendatio in prædicatione, subjungitur ejusdem commendatio in adimpletione. Attenditur autem quantum ad tria. Primo, quantum ad amorem in affectu. Secundo, quantum ad custodiam in effectu, ibi, « *Etenim servus tuus custodit ea*. » Tertio, quantum ad retributionem consequentem ex effectu, ibi, « *In custodiendis illis*. »

Dicit ergo : « *Desiderabilia*. » Legitur dupliciter hoc, secundum quod hæc duo, « *Aurum, lapidem* » litteraliter accipiuntur, et postea spiritualiter. Primo, ostenditur, quod præferenda sunt quæ dicta omnibus divitiis. Secundo, quod omnibus potentiis. Tertio, quod omnibus deliciis. Ait enim : Talia sunt judicia et ipsa sunt « *desiderabilia super aurum*. » Prov. III, 15 : *Pretiosior est*, sapientia scilicet, *cunctis opibus*, et auro quod in divitiis excellit.

« *Et lapidem pretiosum*. » Repete, et super « *lapidem pretiosum multum*, » quod est multæ potentiæ, et virtutis, sunt desiderabilia multum, et sic præferuntur potentiis quæ pertinent ad honores. Job, XXVIII, 16 : *Non conferetur tinctis Indiæ coloribus, nec lapidi sardonycho pretiosissimo, vel sapphiro*. De his duobus, Sapient. VII, 8 et 9 : *Divitias nihil esse duxi in comparatione illius : nec comparavi illi lapidem pretiosum*.

« *Et dulciora*, » affectui et cordis palato, « *super mel* » liquatum a cera, « *et favum* » in ipsa contentum, hoc est, super omnes delicias : dulcia enim maxime appetuntur a gustu. Psal. CXVIII, 103 : *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel*, etc. Sed Judicum, XIV, 18, dicitur : *Quid dulcius melle ?* Quasi diceret : Nihil. Et nota, quod dulcia sunt eloquia divina discenti, dulciora docenti, sed dulcissima facienti. Quid est ergo quod pro divitiis, honoribus, et deliciis tantum laboratur, ut habeantur, et Dei eloquia tam pretiosa, tam dulcia, oblata respuuntur, fastidiuntur ? Respondeo. Infidelitas est in causa, quia huic Scripturæ non creditur. Deuter. IX, 23 : *Contempsistis imperium Domini Dei vestri, et non credidistis ei* : libentius enim curritur ad convivium carnium quam ad scholas Theologiæ, ubi dantur dulciora super mel et favum, quia non habent homines palatum bene sanum. Augustinus : « Ut per aurum et lapidem pretiosum « justus intelligatur, qui illa magis di« ligit quam seipsum. Per mel eliquatum « a cera, contemplativus exutus a curis « mundi, per favum bonus activus ha« bens dulcedinem in conversatione « mundana, qui hæc reputant dulciora, « et magis requiescunt in illis quam in « seipsis. »

Cur eloquia Dei cum sint dulcissima respuuntur ?

« *Etenim servus tuus*. » Hic subjungitur commendatio quantum ad custodiam in effectu. **12**

Ait enim : Tam pretiosa sunt, « *Etenim servus tuus custodit ea*, » id est, tam bona sunt ut servum faciant in sui custodia, tantæ legis vigilem : et si verus est

servus, custodit, adspectu interiori sæpius intuendo in illa. Eccli. XXIII, 37 : *Nihil dulcius, quam respicere in mandatis Dei*, affectu illa diligendo. Sapient. VI, 19 : *Dilectio, custodia legum illius est.* Et Psal. CXVIII, 167 : *Custodivit anima mea testimonia tua : et dilexit ea vehementer*, memoria fortiter retinendo. Exod. XIII, 9 : *Erit quasi signum in manu tua, et quasi monumentum ante oculos tuos*, ob recordationem. Psal. CXVIII, 109 : *Legem tuam non sum oblitus*, ore sæpe prædicando. II ad Tim. IV, 2 : *Prædica verbum, insta opportune, importune.* Sed præcipue et piissime operando : aliter enim non valet. Luc. XII, 47 : *Ille servus, qui cognovit voluntatem domini sui,... et non fecit secundum voluntatem ejus, vapulabit multis.* Jacob. I, 22 : *Estote factores verbi : et non auditores tantum.* Sap. VI, 19 : *Custodia legum, summatio incorruptionis est.*

« *In custodiendis.* » Hic commendat quantum ad retributionem.

Præmia obedientiæ legis.

Ait enim sic : Servus tuus custodit, nec frustra, quia « *in custodiendis illis,* » non in discendis vel audiendis, « *retributio multa* » in præsenti. Prima est a Deo diligi, Joan. XV, 10 : *Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea.* Et insuper per gratiam inhabitare, Joan. XIV, 23 : *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum*, etc. Et per hoc in præsenti beatificari, propter securitatem conscientiæ. Proverb. XXIX, 18 : *Qui custodit legem, beatus est.* Et ultimo lætificari interius in corde. Jerem. XV, 16 : *Factum est mihi verbum tuum in gaudium et in lætitiam cordis mei.* Et hoc maximum bonum in præsenti. Eccli. XXX, 16 : *Non est oblectamentum super cordis gaudium.* Multa ergo retributio in præsenti, sed in futuro summa. Isa. LIII, 11 : *Pro eo quod laboravit anima ejus, videbit et saturabitur.*

13 Secunda pars Psalmi.

« *Delicta quis intelligit ?* » Hic secunda pars Psalmi, in qua postquam commendata est Apostolorum prædicatio, subjungitur oratio Prophetæ, ut dignus efficiatur cum eis tanta mysteria prædicare. Hoc autem non fiet, nisi prius mundetur ab omni macula peccati. Propter hoc petit hic ut mundetur, et reddatur aptus ad prædicationem. Tria ergo dicuntur hic. Primo, petit emundationem a culpa. Secundo, subjungit de motivo et fine ad petendum, ibi, « *Et erunt ut complaceant.* » Tertio, ostendit per quem, quia per solum Deum potest mundari, ibi, « *Dominus adjutor meus.* »

In prima tria. Primo, ostendit quod necesse est ut petat emundari. Secundo, petit, ibi, « *Ab occultis meis.* » Tertio, addit modum quo poterit emundari, ibi, « *Si mei non fuerint dominati.* »

Dicit ergo : Sic illi prædicabunt, quod et ego desidero multum : sed « *delicta,* » quæ impediunt a prædicatione, « *quis intelligit ?* » Nota, quod « *quis* » quinque signat. Raritatem, Matth. XXIII, 45 : *Quis, putas, est fidelis servus, et prudens, quem constituit Dominus*, etc. Quandoque singularitatem, Job, XIII, 4 : *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine ?* Et subditur : *Nonne tu qui solus es ?* Quandoque dubitationem, Joan. I, 22 : *Quis es ut responsum demus his, qui miserunt nos ?* Quandoque impossibilitatem, ut Isa. LIII, 8 : *Generationem ejus quis enarrabit?* Sic accipitur hic. Quandoque difficultatem, ut in Psal. CXXIX, 3 : *Si iniquitates observaveris Domine, Domine quis sustinebit?* « *Delicta ergo quis intelligit ?* » Nullus hominum omnino potest, quia multa, quia subtilia, quia ipsum mentis oculum excæcantia. — Peccata vix vitantur et intelliguntur.

De iis tribus simul, in Psal. XXXIX, 13 : *Circumdederunt me mala, quorum non est numerus*, ecce primum : *comprehenderunt me iniquitates meæ, et non potui ut viderem*, ecce tertium : *multiplicatæ sunt super capillos capitis mei*, esse secundum. Isa. LIX, 5 : *Telas*, ecce primum, *telas* enim dicit in plurali : *araneæ*, ecce secundum, subtilia enim fa-

ciunt : *texuerunt*, ecce tertium, quod enim texitur, impedit visum ne transeat. Sap. II, 21 : *Excæcavit illos malitia illorum.*

« *Ab occultis.* » Hic petit duo. Primo, quod a propriis emundetur inquinamentis. Secundo, quod nec alienis inquinetur, vel si inquinatus est, ut emundetur precatur, ibi, « *Et ab alienis,* » etc. Augustinus in libro de *libero arbitrio* :

Duplex origo peccati.

« Duæ sunt origines peccatorum. Una, « spontanea cogitatione : altera, alterius « persuasione. Ad hoc pertinere arbitror « quod Propheta dicit : *Ab occultis meis* « *munda me Domine, et ab alienis,* etc. » Dicit ergo : « *Ab occultis,* » ratione originis, quia ab interius latenti concupiscentia surgunt, quia intelligi, sicut dictum est, non possunt : « *meis,* » tamquam subjecti et causæ, « *munda me,* » quia per alium non possum : omnes enim sunt inquinati, quia Prov. XX, 9 : *Quis potest dicere : Mundum est cor meum, purus sum a peccato?* Sed Eccli. XXXIV, 4 : *Ab immundo quis mundabitur?* Nullus : imo magis inquinabitur. Eccli. XIII, 1 : *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea.*

Triplex peccatum occultum, triplex remedium.

Et nota, quod sunt tria occulta secundum Hieronymum. Impudica affectio quæ inquinat voluntatem, dolosa intentio quæ inquinat rationem, illicita actio quæ inquinat memoriam. Per orationem mundatur voluntas ab impudica actione, per lectionem ratio a dolosa intentione, per confessionem memoria ab illicita actione.

14 « *Et ab alienis* peccatis *parce servo tuo :* » si contraxi, indulgendo, si non contraxi, gratiam conferendo ne contraham. Et dicuntur peccata contracta aliena, quia sunt facientis ut causæ principalis, contrahentis quasi accidentaliter. Eccli. VII, 8 : *Non alliges duplicia peccata,* propriis addens aliena. Et nota,

Quomodo sunt aliena peccata evitanda?

quod ab alienis mundus eris, si non insultes per intemperantiam, sed magis per temperantiam compatiaris cum quodam moderamine, si non discedas per pusillanimitatem, sed per fortitudinem modo debito resistas. Si non consentias malo per injustitiam, sed per justitiam malo contradicas. Si non dissimules per imprudentiam, sed per prudentiam sollicite cogites qualiter possis destruere.

« *Si mei non fuerint dominati.* » Hic est secundum, in quo ostendit modum quomodo poterit mundari, et necesse erit ei parcere : et hoc si non dominentur ei delicta. Duo ergo dicuntur. Primo, quod non dominari, sequitur munditia ab omni peccato generaliter. Secundo, quod etiam a peccato superbiæ specialiter, ibi « *Et emundabor,* etc. »

Ait ergo : Sic munda ab occultis, et parce ab alienis, quod fiet si non succumbam, quia « *si mei non fuerint dominati,* » supple, dæmones, « *tunc immaculatus ero,* » id est, ab omni peccato. Contra : Quomodo hoc sequitur, cum etiam, sicut supra dictum est, occulta maculant etiam sine alienis? Responsio. Quocumque modo peccet homo, vel occulte, vel ex suasore, si maculatur mortali macula, de qua loquitur hic, necessario subjectus efficitur ipsi diabolo : tot enim dæmoniorum quot vitiorum servus est. Ergo si est maculatus mortali, dominantur dæmones. Ergo a destructione consequentis si non dominantur, maculatus non est. Vel secundum Augustinum : « Si mei non fuerint domina- « ta, occulta scilicet et aliena, tunc im- « maculatus ero, quia ex iis duobus, sic- « ut superius dictum est, surgit omnis « macula mortalis peccati. » Propter hoc dicit Paulus ad Rom. VI, 12 : *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus,* servi facti diabolo et peccato. Joan. VIII, 34 : *Qui facit peccatum, servus est peccati.* Augustinus : « Merito subderis do- « mino, quem tu tibi fecisti, quia ei qui « te fecit, subdi noluisti. » Ergo si non dominentur, non maculant, sed valent multum frequenter. II ad Corinth. XII,

7 et seq., Paulus petiit stimulum amoveri, qui non dominabatur, et non exauditus est. Augustinus : « Tentatio, cui « non consentitur, non est peccatum, sed « materia exercendæ virtutis. »

Quare superbia dicitur delictum maximum ?

« *Et emundabor,* » quod plus est, « *a delicto maximo,* » scilicet superbia, quæ dicitur delictum, quia per eam primo derelictus est Deus. Consistit etiam in aversione ab incommutabili bono, sed concupiscentia in conversione ad bonum commutabile. Maximum autem dicitur duratione : quia, sicut dicit Augustinus : « Ultimum est ad Deum redeuntibus, et « primum est a Deo recedentibus. » Item, quia omnium initium. Eccli. x, 14 : *Initium superbiæ hominis, apostatare a Deo,* scilicet averti a bono incommutabili, et converti ad bonum commutabile. In eodem, ℣. 15 : *Initium omnis peccati est superbia.* Item, quia potuit in excellsissimam creaturam, Angelum scilicet primum. Isa. xiv, 12 : *Quomodo cecidisti de cœlo lucifer, qui mane oriebaris ?* quasi necessarius fuerit gravis impulsus. Item, quia etiam ipsum bonum quod est in homine, impugnat. Augustinus : « Alia quæcumque iniquitas in malis « operibus exercetur ut fiant : superbia « vero etiam bonis operibus insidiatur ut « pereant. »

15 « *Et erunt ut complaceant.* » Hic est secundum in quo præmissa petitione subjungitur de fine et motivo ad petendum, quia ad hoc ut « *eloquia,* » scilicet cogitationes sint Deo placitæ in prædicando divina mysteria : et tanguntur secundum hoc duo. Primo, placitum sermonis in conspectu Dei. Secundo, placitum cogitationis, ibi, « *Et meditatio.* »

Dicit ergo : Sic peto ut mundes et parcas, quod fieri poterit tali modo. « *Et* tunc *erunt eloquia oris mei,* » in prædicando divina mysteria prolata, supple, talia, « *ut complaceant,* » non hominibus, de quibus parum curatur, « *sed in conspectu tuo,* » nec ad horam, sed « *semper.* » Nec tantum eloquia, sed etiam « *meditatio cordis mei erit,* » ut complaceat et semper. Eloquia ergo munda non sunt nisi ablata macula peccati a prædicatore, et a cantante in Ecclesia. Osee, xiv, 3 : *Omnem aufer iniquitatem, accipe bonum : et reddemus vitulos labiorum nostrorum.* Ergo necessaria est mentis pulchritudo. Cant. ii, 14 : *Ostende mihi faciem tuam,* an sit maculata. Et sequitur : *Sonet vox tua in auribus meis.* Eccli. xv, 9 : *Non est speciosa laus in ore peccatoris.* Et in Psal. xlix, 16 : *Peccatori autem dixit Deus : Quare tu enarras justitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum ?* Necessaria est etiam intentionis rectitudo, ut per hoc soli Deo quærat placere. I ad Thessal. ii, 4 : *Ita loquimur, non quasi hominibus placentes,* sed in simplicitate cordis timentes Deum. Aliter totum amittitur : vacua est spes, et labor illorum sine fructu. Eccle. iv, 8 : *Cui laboro, et fraudo animam meam bonis.* Necessaria est etiam perseverantiæ longitudo. Hieronymus : « Non cœpisse, « sed permansisse virtus est. » Eccli. xiv, 22 : *Beatus vir, qui in sapientia morabitur.* Eccli. xxiv, 14 : *Et usque ad futurum sæculum non desinam.* Et nota, quod dicit *meditatio,* non cogitatio. Animæ enim rationalis triplex est visio.

Triplex visio animæ.

Prima, cum imago rei animæ præsentatur, vel per sensum ingrediens, vel a memoria exsurgens. Meditatio, quæ est assidua et sagax retractatio cogitationis : vel involutum explicare nitens, vel penetrare occultum. Vel contemplatio, quæ est perspicax, et liber intuitus in res perspiciendas usquequaque diffusus. Bene ergo eloquiis jungit meditationem : oportet enim, quod prædicator non tenuiter, sed diligenter dicenda revolvat. Hinc dicit Jacob. i, 19 : *Sit omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum,* tamquam meditans quid dicturus sit. Et tunc impletur in eo illud Prov. x, 31 : *Os justi parturiet sapientiam.*

« *Domine adjutor.* » Hic est tertium secundæ partis totius Psalmi, in quo ostendit per quem possit fieri tam utilis emendatio, quia per ipsum Deum adjutorem et redemptorem : adjutorem in bonis agendis, redemptorem a malis.

Dicit ergo : Sic petii, sed per me non possum. O « *Domine,* » tu es « *adjutor meus* » gratiam conferendo ad bona facienda. Joan. xv, 5 : *Sine me nihil potestis facere.* Psal. cxx, 2 : *Auxilium meum a Domino.* Et « *redemptor meus,* » a malo culpæ. Isa. xliii, 1 : *Noli timere, quia redemi te.* Eccli. xx, 12 : *Est qui multa redimat modico pretio,* infinita scilicet peccata morte triduana. Et secundum hunc ordinem quem hic ponit, potest dici, quod adjutor fuit a principio et semper, sed proprie redemptor in fine temporum. Secundum autem Augustinum, hic notatur duplex gratia, vel duplicis gratiæ effectus, scilicet gratia inchoans, et hoc est « *Redemptor,* » ut inciperem tendere in te. Gratia adjuvans, qua tendens pervenire possum. Et hoc est « *adjutor meus* : » quod est contra hæresim Pelagianam. Ad Philip. ii, 13 : *Deus, qui operatur in vobis et velle, et perficere pro bona voluntate.* Cassiodorus : « Nemo suis meritis applicet quod cœlesti « largitate accipit. »

Duplex gratia incipiens et adjuvans.

PSALMUS XIX.

Oratio pro principe ad bellum proficiscente.

1. *In finem, Psalmus David.*
2. Exaudiat te Dominus in die tribulationis : protegat te nomen Dei Jacob.
3. Mittat tibi auxilium de sancto, et de Sion tueatur te.
4. Memor sit omnis sacrificii tui, et holocaustum tuum pingue fiat.
5. Tribuat tibi secundum cor tuum, et omne consilium tuum confirmet.
6. Lætabimur in salutari tuo : et in nomine Dei nostri magnificabimur.
7. Impleat Dominus omnes petitiones tuas : nunc cognovi quoniam salvum fecit Dominus CHRISTUM suum.

Exaudiet illum de cœlo sancto suo : in potentatibus salus dexteræ ejus.

8. Hi in curribus, et hi in equis : nos autem in nomine Domini Dei nostri invocabimus.
9. Ipsi obligati sunt, et ceciderunt : nos autem surreximus et erecti sumus.
10. Domine, salvum fac regem : et exaudi nos in die qua invocarimus te.

IN PSALMUM XIX

COMMENTARIUS.

1 *In finem, Psalmus David* [1].

Argumentum Psalmi: Christus sacerdos sacrificans pro incremento Ecclesiæ.

« *Exaudiat te Dominus* » Hic est Psalmus decimus nonus, in quo agitur de Christo tamquam de summo sacerdote sacrificante Deo Patri pro Ecclesia de Gentibus congregata. Non enim valuisset Apostolorum prædicatio ad Ecclesiam dilatandam in Gentibus et plantandam, nisi adjuvisset Christi sacrificium, et oratio ad Deum Patrem. Et propter hoc satis competit ordinatio hujus Psalmi post præcedentem. Huic autem præponitur titulus frequenter expositus, « *In finem, Psalmus David.* »

Divisio Psalmi in duas partes.

Psalmus autem in duas partes dividitur. Propheta enim quasi assistens Christo ut sacerdoti, et offerenti pro regno suo dilatando in Gentibus, primo rogat ut Christus exaudiatur ut sacerdos. Secundo, ut salvetur tamquam Rex, ibi, « *Domine salvum fac regem.* »

In prima duo. Oravit enim Christus et obtulit adhuc mortalis in terra, et adhuc orat continue et regnans in æterna vita. Primo ergo petit ut exaudiatur mortalis. Secundo, ut exaudiatur jam glorificatus, ibi, « Exaudiet illum de templo. »

In prima duo. Primo, petit ut petitio accepta sit orantis Christi et offerentis. Secundo ut oratio impleatur acceptata, impleatur, inquam, in effectu, ibi, « *Impleat Dominus.* »

In prima tria. Primo, ostendit quando velit acceptari et exaudiri Christi orationem. Secundo, in quo, ibi, « *Protegat te.* » Tertio, ostendit effectus consequentes ex acceptatione et exauditione illa, ibi, « *Lætabimur in salutari.* »

Prima pars Psalmi.

Dicit ergo : Sic per mundum audio prædicationem divulgari, sed et te oran- 2

[1] Ce psaume est une prière que David composa afin qu'elle fut chantée dans l'assemblée du peuple à l'occasion de son départ pour une grande guerre. Le psalmiste n'y parle pas en son nom personnel, mais il n'y a pas là de quoi surprendre, puisqu'il est lui-même l'objet de la prière. Le psaume porte le nom de David, le style et les expressions sont bien les mêmes que dans les psaumes précédents ; il n'y a donc aucune raison pour attribuer ce chant à un poète inconnu, contemporain du roi, comme le font quelques commentateurs.

L'arche était déjà sur la montagne de Sion, ℣. 3, quand David fit cette prière, et le ℣. 2 suppose que le roi était à la veille d'une guerre périlleuse. Nulle ne répond mieux à ces données que celle qui fut entreprise contre les Ammonites et contre les Syriens, commandés par Sobach, lieutenant d'Adarezer, II Reg. x, xii ; I Paralip. xix, xx. C'est à cette circonstance de la vie de David que presque tous les auteurs assignent la composition du psaume; Théodoret en fait un chant prophétique de David, relatif à l'invasion de Sennachérib sous le roi Ezéchias. Le psaume s'adopte en effet parfaitement à cette situation, comme plus tard à celle de tous les princes chrétiens partant pour une guerre légitime ; mais ces applications subséquentes ne sauraient porter préjudice au sens historique et immédiatement littéral de ce morceau.

Au sens spirituel, les enfants de Dieu souhaitent le triomphe du Messie rédempteur. Cf. Eusèbe, Demonst. Evang. iv, 2. Il serait excessif de voir là, comme fait Bellarmin, un sens littéral.

H Lesêtre.

tem contemplor o Christe, et propter hoc rogo : « *Exaudiat te Deus* » Pater. Et quando ? « *In die tribulationis.* » In die scilicet passionis, quæ bene dicitur *tribulationis,* quia quamvis ratio non fuerit perturbata in Christo ut ratio, tamen caro et anima graviter afflictæ fuerunt. IV Reg. XIX, 3 : *Dies tribulationis, et increpationis, et blasphemiæ dies iste.* Et bene tribulationis : quia, ut dicit Isidorus, « tribulatio dicitur a tribula. Est autem « *tribula* genus vehiculi in quo teruntur « frumenta. » Sic Christi crux quoddam vehiculum fuit, ipsum enim vexit. Cant. III, 9 : *Ferculum fecit sibi rex Salomon de lignis Libani.* Et in illa tritum fuit illud granum frumenti quod dicit de seipso, Joan. XII, 24 : *Nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit,* etc. Et nota cum tribulatio frequentius *nox* dicatur in Scriptura, tamen tribulationis Christi dies, *dies* appellatur, vel etiam ipsa tribulatio propter verum solem Christum. Malach. IV, 2 : *Et orietur vobis timentibus nomen meum Sol justitiæ.* Super hemisphærium vestrum, exsultatione scilicet : et propter hoc dicitur, Zachar. XIV, 7 : *Erit dies una, quæ nota est Domino, non dies neque nox : et in tempore vesperi erit lux.* In hac die clamavit Christus, ad Hebr. V, 7 : *In diebus carnis suæ preces, supplicationesque ad eum, qui possit illum salvum facere a morte, cum clamore valido, et lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia.*

« *Protegat te.* » Hic secundum, in quo specifiat in quo vult eum exaudiri : et dicuntur duo. Primo, quod exaudiatur quantum ad seipsum. Secundo, quantum ad alios similiter, ibi, « *Memor sit.* »

In prima parte tria secundum tria quæ petit, vel in quibus petit quod exaudiatur. Primum, est protectio a malo. Secundum, missio auxilii ad bonum de summo : nam non curat quod veniat de imo, ibi, « *Mittat tibi.* » Tertium, tuitio boni acquisiti, ibi, « *Et de Sion tueatur te.* »

Ait ergo : Sic peto ut exaudiat te, et « *nomen Dei Jacob protegat et.* » Nomen Dei Jacob appellat virtutem Dei, quem confessus est, et cui credidit Jacob. Jerem. X, 10 : *Ipse Deus vivens, et rex sempiternus.* Ad hoc nomen fugiendum semper, Proverb. XVIII, 10 : *Turris fortissima, nomen Domini : ad ipsum currit justus, et exaltabitur.* Huic enim nomini exaltando laborat, Joan. VIII, 50 : *Ego non quæro gloriam meam.* Sed ex parte hujus nominis et hujus virtutis descendisti, Joan. V, 43 : *Ego veni in nomine Patris mei.*

« *Mittat tibi auxilium.* » Ecce secun- 3
dum. Quasi diceret : Sic protegat et « *mittat tibi,* » non de terra, sed « *de loco sancto tuo,* » cœlo, « *auxilium :* » quod factum est Christo homini in agonia existenti, et sudanti guttas sanguinis. Luc. XXII, 43 : *Et apparuit illi Angelus de cœlo, confortans eum.* I Mach. III, 19 : *De cœlo fortitudo est.* Vel secundo Augustinum ; « *Mittat tibi auxilium de Sancto,* « id est, auxilietur tibi dando Ecclesiam « ad prolis spiritualis propagationem. « Genes. II, 18 : *Non est bonum esse ho-* « *minem solum : faciamus ei adjutorium* « *simile sibi.* I ad Corinth. III, 9 : *Adju-* « *tores sumus.* Et hoc auxilium veniat « *de sancto,* » id est, de latere tuo in cru- « ce perforato te dormiente : quod factum « est, quando sicut Joan. XIX, 34, dici- « tur : *Unus militum lancea latus ejus* « *aperuit, et continuo exivit sanguis, et* « *aqua.* Sanguis redemptionis, et aqua « purificationis et ablutionis, ex quibus « duobus tota generatur Ecclesia. » Vel, potest esse verbum ad Ecclesiam, ut sit sensus : « *Mittat tibi.* » Deus Pater « *auxilium de sancto suo,* » id est, de Filio suo incarnato et passo. I Reg. XI, 9 : *Sic dicetis viris, qui sunt in Jabes Galaad : Cras erit vobis salus cum incaluerit sol.* Vel, « de *sancto,* » id est, de cœlo illo sanctissimo et altissimo adorandæ Trinitatis : quod factum est quando Spiritus sanctus missus est super congregatos in

cœnaculo [1]. Luc. XXIV, 49 : *Sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto.*

« *Et de Sion.* » Tertium est. Et Deus Pater « *tueatur te,* » corpustuum mysticum, « *de Sion.* » Sion interpretatur *specula.* Quasi diceret : De alta speculatione te tueatur ab omni malo, et corpus tuum, quod est Ecclesia : in quo ostenditur quod contemplativorum vita in tuto est. Ad Philip. III, 20 : *Nostra conversatio in cœlis est.* De Job Gregorius : « Mentem in altum fixerat, et ideo ad eum « diabolus irrumpere non valebat. » Item, « *in sancto* » signatur bonus activus. Petit ergo, quod Ecclesia ab activo bonum auxilium habeat in temporalibus procurandis. Per Sion contemplativus, in quo petit quod contemplatio a diabolo et spiritualibus adversitatibus tueatur. Et sic tota erit secura. Sic est in domo in qua Christus recipitur, Martha, et Maria [2]. Luc. In domo Dei nostri Jacob, Rachel, et Lia (Genes. XXIX.)

4 « *Memor sit.* » Hic est secundum, in quo petit, quod exaudiatur Christus pro se. Petit etiam, quod pro aliis, pro quibus constat obtulisse se sacrificium Deo, ostendendo quale fuit sacrificium : unde dicit duo. Primo, petit ut acceptet ejus sacrificium pro aliis oblatum Deus Pater. Secundo, describit illud sacrificium et holocaustum, ibi, « *Et holocaustum.* »

Dicit ergo : Sic Deus te protegat, auxilietur, et tueatur, et etiam « *memor sit sacrificii tui,* » pretiosæ scilicet carnis in cruce immolatæ, quæ fuit omne et totum et unum sacrificium, quod non erant sacrificia veteris legis. Ad Hebr. IX, 9 : *Munera, et hostiæ offeruntur, quæ non possunt juxta conscientiam perfectum facere servientem.* Et infra, ℣. 26 : *Nunc autem semel in consummatione sæculorum, ad destitutionem peccati, per hostiam suam apparuit.* Vel « *omnis sacrificii,* » injuriarum, contumeliarum, sputorum, alaparum, verberum, passionis, et mortis. Nec dicitur « *memor,* » quia Deus Pater possit oblivisci alicujus rei : sed ut ostendat in affectu se memorem sacrificii tui, vel memores nos faciat. Illud enim dicitur Deus facere, quod facit nos facere. Genes. XXII, 12 : *Nunc cognovi quod times Deum,* id est, cognoscere te feci : ut sic impleamus illud Thren. III, 19 : *Recordare paupertatis, et transgressionis meæ, absynthii, et fellis.* Cant. I, 12 : *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur.* Dicitur etiam omne sacrificium, quia in Christo immolato omnia concurrebant. Ad Rom. XI, 36 : *In ipso sunt omnia.*

« *Et holocaustum tuum.* » Hic describit sacrificium : et dicuntur tria secundum tres conditiones quas ostendit hujus sacrificii. Prima, quod integrum fuit, et totum in honorem Dei. Secunda, quod voluntarium, ibi, « *Tribuat tibi secundum cor tuum.* » Tertia, quod discretum, ibi, « *Et omne consilium.* » Conditiones sacrificii Christi.

Dicit ergo : Sit memor omnis sacrificii, « *et holocaustum tuum.* » Holocaustum dicitur ab ὅλον *quod* est *totum,* et καῦμα quod est *incendium.* Quasi diceret : Totum incensum in Dei honorem nulla parte retenta ad aliquem alium usum, sicut in eo quod specialiter sacrificium dicebatur, « *pingue fiat,* » hoc est, placens : pinguiora enim antiquitus sacrificia plus placebant Deo. Hinc quia placebant Deo pingua, jussum erat Levit. III, 16 : *Omnis adeps Domini erit.* Eccli. XXXV, 8 : *Oblatio justi impinguat altare.* Et Malach. I, 8, 13, arguuntur qui languidum offerebant : *Languidum,* inquit, *intulistis. Numquid suscipiam illud de manu vestra, dicit Dominus* [3] ?

« *Fiat pingue* » quoad nos tripliciter.

[1] Act. II, 2 et seq.
[2] Cf. Luc. X, 38 et seq.
[3] Malach. I, 8 : *Et si offeratis... languidum, nonne malum est ?*

Pingue sit sacrificium Christi ut inflammet, humectet, exhilaret animas.

Frigidos inflammando ad amorem : pinguedo enim inflammativa est. Luc. XXIV, 32 : *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis de Jesu*, etc. Item, siccos humectando : pinguedo enim sicca humectat. Joan. XX, 11 : *Maria stabat ad monumentum foris, plorans*. Item, hilares reddendo : pinguedo enim idem quod crassitudo, quæ hilaritatem facit. Isa. LV, 2 : *Delectabitur in crassitudine anima vestra*. Et nota hic, quod præter sacrificium istud est multiplex sacrificium. Est enim sacrificium cordis. In Psal. L, 19 : *Sacrificium Deo spiritus contribulatus : cor contritum, et humiliatum Deus non despicies*. Et est sacrificium oris cum laudatur Deus, peccata confitentur, proximus ædificatur. Psal. XLIX, 14 : *Immola Deo sacrificium laudis, et redde Altissimo vota tua*. Et operis boni, Psal. CXL, 2 : *Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum*. Eccli. XXV, 2 : *Sacrificium salutare est attendere mandatis Domini*. Mortificationis carnis per abstinentiam, Ad Rom. XII, 1 : *Obsecro vos per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem*. Voluntariæ paupertatis, ut ipsa voluntas dimittatur pro Christo. Hoc holocaustum pinguissimum. Exod. VII, 15 et 16 : *Vade ad Pharaonem, et dices ad eum : Dimitte populum meum ut sacrificet mihi in deserto*.

Multiplex ex Scriptura sacrificium.

5 « *Tribuat tibi secundum cor tuum*. » Hic ostendit, quod voluntarium.

Ait enim : Pingue fiat holocaustum, et Dominus « *tribuat tibi secundum cor tuum*, » id est, secundum voluntatem quam habes sacrificando teipsum, quia non coactus hoc facis, sed spontaneus. Isa. LIII, 7 : *Oblatus est quia ipse voluit*. Joan. X, 18 : *Nemo tollit animam meam a me : sed ego pono eam*. Ad Philip. II, 8 : *Factus* est *obediens* Patri, *usque ad mortem*. Vel « *secundum cor tuum*, » id est, secundum voluntatem tuam, qua vis omnes salvari. I ad Timoth. II, 4 : *Qui omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire*. Omnes, id est, de omnibus aliquos. Joan. XVII, 24 : *Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi sum ego, et illi sint mecum*.

« *Et omne consilium*. » Hic est tertium, quod cum discretione sit factum.

Ait ergo : « *Et omne consilium*, » sacrificium ex omni deliberatione, hoc enim importat, « *consilium tuum confirmet* ». Nota, quod est consilium duplex. Est consilium, de quo Damascenus : « Consilium est motus inquisitivus de « his quæ in nobis sunt factis. » Sic non cadit in Deum, nec in animam Christi umquam fuit, quæ omnia agenda limpidissime cognoscebat. Alio modo consilium est ineffabilis providentia. Sic est in Deo et in Christi anima. Hoc autem consilium est obstinatos excæcare in sua malitia, sicut factum est in Judæis. Electos a peccato revocare, conservare revocatos, conservatos beatificare. Isa. XLVI, 10 : *Consilium meum stabit, et omnis voluntas mea fiet*. Firmatur autem consilium ex prædestinatione, sed confirmatur in gratiæ collatione.

Quid et quale sit consilium Dei ?

« *Lætabimur in salutari tuo*. » Hic est tertium, in quo postquam petitum est 6
quod exaudiatur, et determinatum in quo velit eum exaudire, subjungit effectus consequentes in nobis ex exauditione illa, et tangitur duplex lætitia, de liberatione a malo, et consummatione in bono, ibi, « *Et in nomine Dei nostri*. »

Ait ergo : Sic et in his exaudias. Quod si feceris, « *lætabimur in salutari tuo*, » in illo Rege, in illo sacerdote, de quo rogavi ut illum exaudires, salvante suos a malo. Hoc est enim salutare ab antecedentibus ardenter exspectatum, Genes. XLIX, 18 : *Salutare tuum exspectabo Domine*. A præsentibus lætanter susceptum, Luc. II, 29 et 30 : *Nunc dimittis servum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace : quia viderunt oculi mei salutare tuum*. A sequentibus dulciter

amatum, et summe veneratum, et ubique prædicatum. Ad Philip. III, 20 : *Salvatorem exspectamus*, prædicabat Paulus. Isa. XL, 5 : *Videbit omnis caro salutare Dei nostri.* Vel secundum Glossam, ut sit sermo ad ipsum Christum : « *Lætabimur in salutari tuo*, id est, in tua « salvatione et resurrectione, o Christe. » Joan. XVI, 22 : *Iterum videbo vos, et gaudebit cor vestrum.* Joan. XX, 20 : *Gavisi sunt discipuli, viso Domino.*

Gloria nominis Christiani.

« *Et in nomine Domini.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Non tantum hic sequitur fructus, imo « *magnificabimur* » cum fuerit exauditus in nomine Domini persistentes, ut dicamur *Christiani* sicut ipse Christus. Ad Rom. VIII, 30 : *Quos prædestinavit, hos et vocavit : et quos vocavit, hos et justificavit : quos autem justificavit, illos et glorificavit.* Magnificum est vere servos nomine ipsius regis nominari. Isa. LXV, 15 : *Servos suos vocabit nomine alio.* Et LXII, 2 : *Videbunt gentes justum tuum, et cuncti reges inclytum tuum : et vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini nominabit.*

7 « *Impleat Dominus.* » Hic secundum totius hujus partis primæ totius Psalmi. Postquam enim rogavit ut acceptetur sacerdotis Christi oratio, hic petit ut universaliter impleatur acceptata : et dicuntur duo. Primo, supplicatio ut acceptetur. Secundo, certitudo de adimpletione, ibi, « *Nunc cognovi.* »

Dicit ergo : Sic exaudiat te Deus, et concludo breviter : « *Impleat Dominus* Pater, *omnes petitiones tuas,* » non unam tantum. In hoc innuitur quod Christus plures fecit petitiones, et verum est : tria enim petiit pro se, et totidem pro nobis. Imminente eum passione oravit pro se. Matth. XXVI, 39 : *Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste.* Secundo, oravit pro se quando dixit, Joan. XII, 27 : *Pater, salvifica me ex hac hora.* Tertio etiam oravit pro se quando dixit, ejusdem, XVII, 1 : *Pater, venit hora, clarifica filium tuum.* Omnes autem impletæ sunt in Resurrectione, quia et calix transiit, et a Judæis salvatus fuit, et in corpore clarificatus. Et tres fecit pro nobis. Primo, Joan. XVII, 11 : *Pater sancte, serva eos in nomine tua quos dedisti mihi* : in quo petit custodiam suorum a malo culpæ. Secundo, in eodem, ℣. 17 : *Pater... sanctifica eos in veritate* : in quo petitur confirmatio in bono viæ. Tertio, in eodem, ℣. 11, 21 : *Pater rogo... ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, et ego in te* : in quo petitur perfectio gloriæ : hæc enim erit gloria in uno intellectu uniri, et una voluntate in una conformitate apud Deum. Quod si non est adhuc hæc oratio impleta in re, tandem tamen implebitur, jam impleta in spe.

Tres Christi pro se petitiones, et totidem pro nobis.

Partitio orationis Dominicæ.

Vel « *omnes petitiones tuas* » quas nos docuisti. Matth. VI, 9 et seq. : *Sic ergo vos orabitis : Pater noster*, etc. Et bene dicit *omnes* : sunt enim tres de bonis obtinendis, tres de malis amovendis. De bonis gratiæ, *Sanctificetur nomen tuum.* Gloriæ, *Adveniat regnum tuum, Fiat voluntas tua.* De bonis naturæ, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* De malis amovendis, præteritis, *Dimitte nobis debita nostra.* Futuris, *Et ne nos inducas in tentationem.* Præsentibus, *Sed libera nos a malo.*

« *Nunc cognovi.* » Hic secundum, certitudo petitionis adimplendæ.

Dicit ergo : « *Nunc* » tanto tempore, « *cognovi* » spiritu afflatus prophetico, « *quoniam salvum fecit,* » id est, salvum faciet : præteritum pro futuro more prophetico : « *Dominus* » Pater, « *Christum suum,* » propter nos spiritu plenissime unctum, hoc est, « *Christum suum.* » Isa. LXI, 1 : *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me,* salvum in se resuscitando, a putrefactione conservando. Psal. XV, 10 : *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem.* Et in corpore suo, Psal. CIV, 15 : *Nolite tangere Christos meos : et in Prophetis meis nolite malignari.* Omnes enim qui sunt de

corpore Christi mystico, uncti sunt, accipientes de plenitudine ejus. Joan. I, 16 : *De plenitudine ejus omnes nos accepimus.* Esth. x, 9 : *Salvum fecit Dominus populum suum.*

Preces Christi glorificati.

« *Exaudiet illum.* » Hic tertium totius partis primæ totius Psalmi. Postquam enim dictum est de exauditione passibilis et mortalis in terris, hic subjungitur de exauditione impassibilis et immortalis jam in cœlis existentis, et dicuntur duo. Primo, certitudo exauditionis ejus orantis in cœlo. Secundo, effectus consequentes ex exauditione, ibi, « *In potentatibus.* »

Dicit ergo : Sic petivi, quod exaudiat orantem in terra, et certus sum quod sic erit, et etiam « *exaudiet illum,* » Christum scilicet,« *de cœlo sancto suo* » orantem, et non jam pro se, sed pro nobis interpellantem. I Joan. II, 1 et 2 : *Si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum : et ipse erit propitiatio pro peccatis nostris : non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.* Ad Rom. VIII, 34 : *Jesus, qui mortuus est, immo qui et resurrexit, qui etiam interpellat pro nobis.* Nec mirum si exaudit : si enim ille nequam populus et idololatra Moyse orante salvatus est [1], quanto magis populus Christianus orante Christo, et Virgine beata, et omnibus Sanctis. Bernardus : « Securum habes accessum apud Deum « o homo : habes Filium ante Patrem, et « matrem ante Filium. Filius ostendit Pa- « tri latus et vulnera,mater ostendit Filio « pectus et ubera. Nulla potest esse re- « pulsa, ubi tot occurrunt charitatis in- « signia. » Propter hoc dicitur ad Hebr. IV, 16 : *Adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ : ut misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus.* Vel, ut moralitel roquamur, « *Exaudiet illum de cœlo sancto suo,* » petitionem faciendo, non terrena petendo. Matth. VI, 33 : *Quærite primum regnum Dei, et justitiam ejus : et hæc omnia adjicientur vobis.* Tanta enim est ejus liberalitas, ut audiat petentem magna, nec curet petentem parva. Isa. XXXII, 8 : *Princeps ea, quæ digna sunt principe, cogitabit.*

« *In potentatibus.* » Hic secundum est, in quo tangit effectus. Et sunt duo quæ dicuntur hic secundum duos effectus. Primus est efficacia salutis. Secundus, fiducia impetrationis a Deo eorum quæ petuntur, ibi, « *Hi in curribus.* »

Dicit ergo : Sic exaudiet illum : in quo ? et quis hujus exauditionis effectus ? In hoc quod « *in potentatibus* » nostris, in omni posse nostro, in tota vita nostra est « *salus,* » non nostra, sed « *dexteræ ejus.* » Quasi diceret : Ab ipso salus et solo. Isa. XLIII, 11 : *Ego sum, ego sum Dominus, et non est absque me Salvator.* Et nota, quod dicit *dexteræ.* Est enim salus sinistræ Dei, de qua non loquitur hic, quæ est in divitiis et honoribus, de qua in Psal. CXLIII, 10 : *Qui das salutem regibus.* Et in corporalibus sanitatibus, Tob. XIII, 1 et 2 : *Magnus es Domine... quoniam flagellas, et salvas.* Job, XXX, 24 : *Emittis manum tuam : et si corruerint, ipse salvabis.* Sed loquitur de salute spirituali, quæ duplex est : et in præsenti, de qua Isa. LX, 18 : *Occupabit salus muros tuos,* Prælatos scilicet tuos, *et portas tuas laudatio.* Ipsos qui muri sunt in defendendo, dicit portas in vocando ad Ecclesiam, et introducendo. Vel in futuro, Isa. XLV, 17 : *Israel salvatus est in Domino salute æterna.* Ve aliter, ut sit causa præcedentis. Quasi diceret : Sic exaudiet et vere, quia in divinitate habet quod petit in carne : unde « *salus in potentatibus* » suis exhibita est : dexteræ ejus, id est, divinitatis ejus Et dicit *in potentatibus suis exhibita,*

[1] Exod. XXXIII, 12 et seq.

quia temporalem salutem dat non suis, quæ est sinistræ : non quia omnes quibus dat sinistræ salutes, abjiciat. Job, XXXVI, 5 : *Deus potentes non abjicit, cum et ipse sit potens.*

8 « *Hi in curribus, et hi in equis.* » Hic tangit secundum effectum, scilicet fiduciam impetrandi per Christum, et dicuntur tria. Primo, ut excludat ipsam, ostendit in quo sit malorum fiducia. Secundo, subjungitur de bonorum, et bona, ibi, « *Nos autem.* « Tertio ostenditur ratio sic confitendi, ibi, « *Ipsi obligati sunt.* »

Dicit ergo : Sic ab ipso exaudito habemus salutem et etiam fiduciam : nam « *hi* sperant *in curribus,* » ad litteram in pompa sæculari : « *et hi in equis,* » in luxuria et deliciis. Et nota, quod « *hi* » ponitur partitive sicut ibi, Matth. XXV, 46 : *Ibunt hi in supplicium æternum : justi autem in vitam æternam.* Et, sicut dicit Cassiodorus, despective : tales enim despiciendi triplici ratione. Quia ignobiles, I Reg. II, 30 : *Qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.* Quia maledicti, Jerem. XVII, 5 : *Maledictus homo, qui confidit in homine, et ponit carnem brachium suum.* Quia abominabiles, Osee, IX, 10 : *Facti sunt abominabiles sicut ea, quæ dilexerunt.* Hi currus mali, et hi equi. Isa. XXXI, 1 : *Væ qui descendunt in Ægyptum ad auxilium, in equis sperantes, et habentes fiduciam super quadrigis, quia multæ sunt.* Et vere væ, quia *currus Pharaonis et exercitum ejus projecit in mare* [1]. Deut. XVII, 16 : *Cum fuerit Rex constitutus, non multiplicabit sibi equos.* Felix qui facit sicut Josue, XI, 6 : *Equos eorum subnervabis.* In equis luxuria, quæ subnervari potest, non penitus quin aliquando aliqui motus surgant. Josue, XI, 6 : *Et currus igne combures,* pompam mundanam omnino destrues.

Equus bonus, Christi corpus, Apoc. VI, 2 : *Ecce equus albus.* Prædicator, Job, XXXIX, 19 : *Numquid præbebis equo fortitudinem ?* Virtus, Habac. III, 8 : *Qui ascendes super equos tuos ?* Malus, hypocrita, Apocalyps. VI, 8 : *Et ecce equus pallidus : et qui sedebat super illum, nomen illi Mors.* Luxuriosus, Jerem. V, 8 : *Equi amatores in fœminas, et emissarii facti sunt.* Ambitiosus et pompaticus. Sic accipitur hic. In Psal. CXLVI, 10 : *Non in fortitudine equi voluntatem habebit.*

Currus bonus, bonus prælatus, IV Reg. II, 12 : *Pater mi, pater mi, currus Israel, et auriga ejus.* Charitas et zelus, In eodem, ℣. 11, Elias in curru igneo raptus est. Cœtus Apostolorum, In Psal. LXVII, 18 : *Currus Dei decem millibus multiplex.* Malus, malitiæ, avaritiæ, luxuriæ, Cant. I, 8 : *Equitatui meo in curribus Pharaonis.*

« *Nos autem in nomine Domini Dei invocabimus.* » Hic secundum. Quasi diceret : Sic illi. « *Nos autem,* » confidenter « *invocabimus* » orando, et interius et exterius pro loco et tempore. Et « *in nomine Domini Dei nostri* » et sic salvabimur. Joel, II, 32 : *Et erit : Omnis qui invocarit nomen Domini salvus erit.* Joan. XVI, 23 : *Si quid petieritis Patrem in nomine meo,* etc.

« *Ipsi obligati sunt.* » Hic est tertium, 9
in quo assignatur ratio tantæ fiduciæ, et sicut præcedentia per antithesim. Primo tangit malum quod sequitur confidentes in transitoriis. Secundo, bonum quod sequitur confidentes in Deo, propter quod in ipso confidendum, ibi « *Nos autem.* »

Ait ergo : Sic invocabimus in nomine Dei nostri : quippe ipsi confidentes in curribus et in equis, « *obligati sunt.* » Ecce magnum malum. Obligatio ad pœnam

[1] Exod XV, 4.

æternam per reatum culpæ. I ad Timoth. vi, 9 : *Qui volunt divites fieri, incidunt in laqueum diaboli.* « *Obligati sunt* » cupiditate acquirendorum, et amore habitorum. Sap. xiv, 11 : *Creaturæ Dei factæ sunt in tentationem et in muscipulam pedibus insipientium.* Propter hoc dicit Job, vi, 18 : *Involutæ sunt semitæ gressuum eorum : ambulabunt in vacuum, et peribunt.* « *Et ceciderunt* » multi in æternam miseriam, vel de una culpa in aliam. Psal. xxi, 30 : *In conspectu ejus cadent omnes qui descendunt in terram.* Isa. xxviii, 13 : *Et erit eis verbum Domini : Manda remanda, manda remanda, exspecta reexspecta, exspecta, reexspecta, modicum ibi, modicum ibi : ut vadant, et cadant retrorsum, et conterantur : et illaqueentur, et capiantur.*

« *Nos autem surreximus.* » « *Autem* » adversativa conjunctio est hic.

Ait enim : Sic illi : sed nos surreximus contra casum de vitiis ad virtutes, de temporalium amore ad contemptum illorum, quia tempus est. Ad Rom. xiii, 11 : *Hora est jam nos de somno surgere,* ut confundatur diabolus, et mundus. Mich. vii, 8 : *Ne læteris inimica mea super me, quia cecidi : consurgam.*

« *Et erecti sumus* », contra obligationem ut non jam inclinemur, ne cadamus post casum in æternam pœnam. Et nota ordinem pulchrum. In primo quidem est surgere, secundo stare post surrectionem. Baruch, v, 5 : *Exsurge Jerusalem, et sta in excelso.* Item, « *surreximus* » per fidem credentes illi qui dixit, Matth. xix, 21 : *Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, et da pauperibus : et veni, sequere me.* « *Et erecti sumus,* » per spem firmam. Job, v, 11 : *Ponit humiles in sublime, et mœrentes erigit,* etc.

10 Secunda pars Psalmi. « *Domine salvum fac Regem.* » Hic secunda pars totius Psalmi, in qua petit Christum tamquam Regem exaudiri. Et primo, quod exaudiatur in se, in quantum caput est. Secundo, quod exaudiatur ejus corpus, vel ipse magis in suo corpore, ibi, « *Et exaudi nos.* »

Dicit ergo : Sic exaudi ipsum sacerdotem : sed etiam rogo « *Domine* » Pater « *salvum fac Regem* » antonomastice, sicut dictum est Apoc. xix, 16 : *Habet in vestimento, et in femore suo scriptum : Rex Regum, et Dominus dominantium* Isa. xxxiii, 22 : *Dominus rex noster, Dominus legifer noster, Dominus judex noster.* « *Salvum fac* » a morte velocius resuscitando. Psal. xv, 10 : *Non derelinques animam meam in inferno : nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem.* Et est hoc argumentum, quod orandum sit pro regibus. Baruch, i, 11 : *Orate pro vita Nabuchodonosor, regis Babylonis.* Et Paulus similiter hoc vult, I ad Timoth. ii, 1 et 2, *ut fiant obsecrationes et orationes, primo pro regibus* et Principibus.

« *Et exaudi nos.* » Non ipsum tantum : sed per ipsum, et in ipso orante pro nobis. Ad Hebr. vii, 25 : *Salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum : semper vivens ad interpellandum pro nobis,* et etiam moriens pro nobis, I. Pet. ii, 21 : *Christus passus est pro nobis,* etc. Et hoc

« *In die qua invocaverimus te,* » non in nocte : parum enim valet Deum in nocte peccati invocare, nisi quantum in se est homo faciat quod sit in die gratiæ. Joan. ix, 31 : *Scimus quia peccatores Deus non audit.* Prima autem hora hujus diei est fides. Propter hoc Jacob. i, 6 : *Postulet autem in fide nihil hæsitans.* Vel in die prosperitatis. Omnes enim quasi naturaliter ipsum invocant in nocte tribulationis. Osee, vi, 1 : *In tribulatione sua mane consurgent ad me.* Sed justi invocant eum etiam in prosperitate. Venit mane prosperitatis, et non adversitatis. Si quæritis in nocte adversitatis, quærite in die prosperitatis.

PSALMUS XX.

Christi post devictos inimicos gratiarum actio.

1. *In finem, Psalmus David.*
2. Domine in virtute tua lætabitur rex, et super salutare tuum exsultabit vehementer.
3. Desiderium cordis ejus tribuisti ei, et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum.
4. Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso.
5. Vitam petiit a te, et tribuisti ei longitudinem dierum.
In sæculum,et in sæculum sæculi.
6. Magna est gloria ejus in salutari tuo: gloriam et magnum decorem impones super eum.
7. Quoniam dabis eum in benedictionem in sæculum sæculi: lætificabis eum in gaudio cum vultu tuo.
8. Quoniam rex sperat in Domino: et in misericordia Altissimi non commovebitur.
9. Inveniatur manus tua omnibus inimicis tuis: dextera tua inveniat omnes qui te oderunt.
10. Pones eos ut clibanum ignis in tempore vultus tui: Dominus in ira sua conturbabit eos, et devorabit eos ignis.
11. Fructum eorum de terra perdes, et semen eorum a filiis hominum,
12. Quoniam declinaverunt in te mala: cogitaverunt consilia, quæ non potuerunt stabilire.
13. Quoniam pones eos dorsum: in reliquiis tuis præparabis vultum eorum.
14. Exaltare, Domine, in virtute tua: cantabimus et psallemus virtutes tuas.

IN PSALMUM XX

COMMENTARIUS.

I *In finem, Psalmus David* [1].

Argumentum : Christus unius personæ et duplicis naturæ.

« *Domine in virtute tua lætabitur rex.* » Hic est Psalmus vigesimus, in quo, sicut dicit Glossa, agitur de duplici natura Christi in eadem persona : et confunduntur hæreses, vel dividentes in Christo personas, vel confundentes naturas : et competenter post duos Psalmos præcedentes. In decimo octavo, de gloria Christi et divinitate per mundum divulgata actum : *Cœli,* inquit, *enarrant gloriam Dei.* In decimo nono de ejusdem humanitate potissimum, quia de passione et immolatione sui in cruce. Ne ergo personæ in ipso divisæ crederentur, occurrit in hoc Psalmo, et ostendit infirmitatis humanæ, et divinitatis gloriam in una eademque persona. Titulus autem præponitur communis, et frequenter expositus : sed addendum, quod Psalmus hic potissimum ordinat nos « *in finem,* » quia non tantum in Christum hominem, sed in Deum. Per hoc autem, quod Deus verissime finis est.

Divisio Psalmi : prima pars duplicis naturæ demonstratio.

Psalmus autem totus dividitur in duas partes. Primo, ostendit in Christo naturam divinam et humanam. Secundo, supponit pœnam, et invehitur contra inimicos Christi, hæreticos scilicet destruentes hanc veritatem, ibi, « *Inveniatur manus tua.* »

In prima duo. Primo, commendatio Christi, ostendendo summatim in ipso naturam divinam, et divinam essentiam. Secundo, magie specificando, ibi, « *Quoniam prævenisti.* »

In prima tria. Primo ostendit divinitatem et humanitatem in Christo quantum ad incarnationem. Secundo, quantum ad passionem, ibi, « *Et super salutare.* »

[1] Il y a entre ce psaume et le précédent une grande analogie de sujet et de composition ; ils commencent l'un et l'autre par deux vers parallèles qui résument toute la pensée du psalmiste ; les ℣℣. 9 et 13 du psaume XX racontent l'accomplissement de ce qui a été demandé au psaume XIX, ℣. 7, 9 ; enfin les deux chants se terminent par un appel à Jéhova. Selon plusieurs commentateurs, il n'a point trait à la guerre contre Adarezer, mais à celle qui fut faite environ un an après contre Rabbath, l'ammonite : entre les deux guerres, David eut le temps de commettre son double crime et de voir naître et mourir son fils. Ce serait donc dans le premier temps de sa pénitence qu'il aurait écrit ce psaume. Cf. Patrizi. Nous ne pouvons admettre cette idée. La faute de David introduisit dans ses rapports avec Dieu une modification dont nous ne trouvons ici aucune trace sensible, et l'attitude du roi n'est point différente de celle qu'il a prise dans le psaume précédent. Théodoret rapporte encore ce chant à la défaite de Sennachérib et à la maladie d'Ezéchias, à cause du ℣. 5. Eusèbe, suivi par Hengstenberg, en fait une action de grâces du peuple à la suite de la promesse faite par le Seigneur à David (II Reg. VII).

La tradition Juive rapportait ce psaume au Messie directement, et R. Raschi note que, quoique tous les anciens docteurs entendent par ce roi le « roi Messie, » cependant à cause des schismatiques (chrétiens), il vaut mieux l'entendre de David lui-même.

Au sens spirituel, David célèbre donc le triomphe de Jésus-Christ sur tous ses ennemis, et il rappelle les châtiments dont il les accablera dans l'éternité.

H. Lesêtre.

Tertio, quantum ad resurrectionem, ibi, « *Desidrium ecordis ejus.* »

2 Prima pars Psalmi. Dicit ergo : Sic rogavi ut exaudiatur sacerdos summus, et vere totum impetrabit quidquid petet vel immortalis vel mortalis, quia o « *Domine* Pater *Rex,* » de quo Jerem. xxiii, 5 : *Regnabit rex et sapiens erit* : et Rex non regulus : habet enim regnum, cujus comparatione tota terra non est nisi punctum. Baruch, iii, 24 : *O Israel quam magna est domus Domini, et ingens locus possessionis ejus!* Propter hoc dixit Joan. xix, 36 et 37 : *Regnum meum non est de hoc mundo*, id est, secundum arctitudinem et angustiam quæ est in mundanis regnis : et Pilatus intulit, *Ergo rex es tu?* Et si parum est, addatur terra. Psal. lxxviii, 12 : *Tui sunt cœli, et tua est terra.* Psal. xciv, 3 : *Quoniam Deus magnus Dominus, et Rex magnus.* Item, Rex non tyrannus. Basilius : « In hoc differt « tyrannus a rege, quia hic, scilicet tyrannus, quærit quod sibi utile : ille, « scilicet Rex, quod omnibus. » Et de Christo : Matth. xx, 28 : *Non veni ministrari, sed ministrare, et dare animam meam, redemptionem pro multis.* Item rex, quia rex dicitur a rectitudine, eo quod recte agat. Isidorus : « A recte faciendo nomen regis tenetur. » Quis ergo verus rex nisi Christus? Psal. xiii, 3 : *Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.* Quippe Proverb. xxi, 8 : *Qui mundus est, rectum opus ejus.* Quis autem mundus, nisi ille de quo Isa. liii, 9 : *Iniquitatem non fecit, neque dolus fuit in ore ejus.* De nobis autem, Isa. lxiv, 6 : *Facti sumus ut immundus omnes nos.*

Hic Rex, « *lætabitur in virtute tua.* » In verbo tuo sibi in incarnatione unito, mira lætitia homini assumpto : *Verbum caro factum est*[1]. Si enim lætitia omni, quanta illi? Unde non dicit hic præsentiam tantum, sed totam etiam unionem. Verbum autem Dei Filius, virtus patris appellatur. I ad Corinth. i, 24 : *Prædicamus Christum Dei virtutem, et Dei sapientiam.* Et dicitur ille Filius sive Verbum virtus Patris, quia quasi ultimum potentiæ suæ expressit per Filium : virtus autem in unoquoque, est ultimum de potentia. Ultimum autem de potentia est, quod potest aliud æquare illi cujus est potentia. Pater autem Filium generando, sibi æqualem per omnia generavit. Ad Philip. ii, 6 : *Non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo.* Propterea quasi ultimum potentiæ ostendit, quando Filium humiliavit, scilicet exinaniri voluit usque ad unionem ultimæ omnium creaturæ, scilicet humanæ, et etiam passibili. Si enim magnæ potentiæ unire mediam naturam, scilicet spiritualem infimæ, scilicet corpori : multo majus fuit, imo maximum, supremam uniri infimæ, imo omni, et infimæ et mediæ. Ad Coloss. iii, 11 : *Omnia, et in omnibus Christus.*

Potentia in unione hypostatica.

« *Et super salutare tuum exultabit,* etc. » Hic secundum, in quo tangit utramque naturam exprimendo Passionis sacramentum.

Ait enim : « *Et super salutare suum,* » id est, per Verbum sibi unitum quo omnia salvantur, « *exsultabit* » non modicum, imo « *vehementer.* » Quasi diceret : Magnum quidem quod ei Verbum unitum fuit, et hoc scivit : sed quasi majus, quia per eum salvatio facta est in Passione. Hinc miro modo nobis ostenditur quantum nos dilexit beata illa Christi anima, cum ejus gaudium tam incomprehensibile, quasi augere potuit salus nostra. Et dico *quasi*, quia in veritate non augebat, cum esset quasi punctale gaudium respectu illius gaudii infiniti quod habebat in comprehensione Verbi. Hoc ardore

[1] Joan. i, 14.

sitibundus erat cum dicebat in cruce, Joan. XIX, 28 : *Sitio*. Hinc etiam est quod dies Passionis ejus dicitur dies exsultationis. Supra, in Psal. XVIII, 6 : *Exsultavit ut gigas ad currendam viam*. Et quamvis moriendo in cruce sic gauderet vehementer de nostra salute quam operabatur in medio terræ, tamen nihilominus summo dolore dolebat : nec enim lætitia dolorem minuebat, nec dolor lætitiam suffocabat, quod singulare fuit in illa sanctissima Christi anima.

3 « *Desiderium cordis ejus tribuisti ei.* » Hic est tertium, in quo ostendit quantum ad resurrectionis mysterium utrumque in Christo : sic enim impletum est desiderium cordis Christi et oris, id est, ore expressum. Primo ergo tangitur desiderium ut in corde adimpletum. Secundo, ut expressum ore, ibi, « *Et voluntate labiorum.* »

Dicit ergo : Sic lætabitur in virtute, et in salutari, et vehementer, et etiam in hoc « *desiderium cordis ejus,* » quod fuit de gloriosa corporis Resurrectione. Dicebat enim, Joan. XII, 28 : *Pater, clarifica nomen tuum. Venit ergo vox de cœlo : Et clarificavi, et iterum clarificabo*. Et XVII, 1 : *Pater venit hora, clarifica Filium tuum.* Vel, secundum Glossam, « desiderium cordis Christi fuit, ut sub « specie sacramenti cum salvandis per- « maneret. » Luc. XXII, 15 : *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum.* Prov. VIII, 31 : *Deliciæ meæ, esse cum filiis hominum.* Et nota, quod sicut lætitia est diffusio mentis ex amplexu rei habitæ : sic est desiderium apprehensio rei cum appetitu rei ejusdem.

« *Et voluntate labiorum ejus,* » id est, per ipsa labia sua expressa, « *non fraudasti eum* », quoniam omnia omnino obtines. Et est idem secundum primam lecturam. Sed ibi ut in corde, hic ut in ore. Psal. XXXII, 9 : *Dixit, et facta sunt.* Eccli. XLII, 15 : *In sermonibus Domini opera ejus* : quæcumque enim voluit in patrandis miraculis, in resumptione proprii corporis, in animabus salvandis omnia facta sunt. Isa. XLVI, 10 : *Consilium meum stabit, et omnis voluntas mea fiet.* Job, XXIII, 13 : *Anima ejus quodcumque voluit, hoc fecit*, vel facit.

« *Quoniam prævenisti eum*, etc. » Hic est secundum primæ partis, scilicet prolixior explanatio bonorum Christo collatorum, unde ei vehementer lætandum. 4
Duo ergo dicuntur in hac parte. Primo, ostenduntur diffuse Christi bona a Deo sibi data, et quæ sunt in eo lætitiæ causæ. Secundo, ostenditur quod ei offerantur illa dignitate congrui, et per modum meriti, ibi, « *Quoniam Rex sperat in Domino.* »

In parte prima tria. Primo, tractat diffusius de beneficio unionis in Incarnatione facto. Secundo, de beneficio glorificationis, quod fuit in Passione, ibi, « *Posuisti in capite.* » Tertio, de beneficio salvationis in Resurrectione, ibi, « *Vitam petiit.* »

Dicit ergo : Sic dixi, quod lætabitur Rex in virtute tua, et hoc « *quoniam prævenisti eum in benedictionibus,* » Christum scilicet hominem, o Deus Pater. Et potest notari ordo temporis, vel excellentia dignitatis comparatione ad alios homines. Secundum primum modum « *prævenisti eum,* » id est, ante nativitatem ei quæ sequuntur bona contulisti. Et hoc, « *prævenisti eum in benedictionibus,* » non in una tantum benedictione, quia fuit conceptus in omni munditia, immunis ab omni culpa, et purus sine mala concupiscentia. Quia, sicut dicitur Sapient. I, 4 : *In malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.* Istæ sunt benedictiones dexteræ, benedictiones paradisi. Eccli. XL, 17 : *Gratia sicut paradisus in benedictionibus.*

Alii omnes præventi sunt in maledictionibus, ante omnes maledicti quam nati, et nascentes maledicti. Ad Ephes. II, 3 :

Et eramus natura filii iræ. Et dicuntur dulcedinis benedictiones, quia contra culpam, quæ valde amara est. Jerem. II, 19 : *Vide quia malum et amarum est reliquisse te Dominum Deum tuum.* Et contra concupiscentiam, quæ acerba. Ezech. XVIII, 2 : *Patres comederunt uvam acerbam,* acerbati sunt, *et dentes filiorum obstupescunt.*

Vel sic : « *Prævenisti eum,* » præ omnibus hominibus ad eum venisti, « *in benedictionibus dulcedinis,* » in bonis et dulcibus benedictionibus. Matth. III, 17 : In baptismo : *Hic est Filius meus dilectus.* Et in transfiguratione iterum, in cap. XVII, 5. Ad Hebr. I, 5 : *Cui dixit aliquando Angelorum* (non dico hominum) : *Filius meus es tu.* Et bene præ aliis, quia Joan. III, 34 : *Non ad mensuram dat Deus spiritum* Filio. Et spiritus dulcis valde, unde ejus benedicta collatio, est dulcedinis benedictio. Eccli. XXIV, 27 : *Spiritus meus super mel dulcis, et hæreditas mea super mel et favum.* Deut. XXXIII, 23 : *Nephtali abundantia perfruetur, et plenus erit benedictionibus Domini.*

Et nota, quod est benedictio amotionis culpæ, Eccli. XXXIX, 27 : *Benedictio illius, quasi fluvius inundabit,* qui mundat sordes. Collationis gratiæ, Genes. XXVII, 28 : *Benedixitque ei dicens : Det tibi Deus de rore cœli.* Conservationis collatæ, Deuter. XXXIII, 16 : *Benedictio illius, qui apparuit in rubo, veniat super caput Joseph,* sicut conservativum ipsius multiplicationis collatæ, in illis qui in alios bona influunt. Psal. LXXXIII, 8 : *Etenim benedictionem dabit legislator.* Ultimo, collationis gloriæ, Eccli. XI, 24 : *Benedictio Dei in mercedem justi festinat.*

« *Posuiti in capite .* » Hic est secundum, in quo tangit de secundo beneficio, scilicet Passionis, per quam mundus est salvatus.

Ait enim : Sic prævenisti in conceptione, et post « *posuisti in capite ejus,* » in Christi scilicet mente. Mens enim Christi, caput est quantum ad naturam humanam, quamvis divinitas quantum ad personam, in sua passione, « *coronam,* » sicut coronantur victores. Alii enim non merentur, II ad Timoth. II, 5 : *Nemo coronatur nisi qui legitime certaverit.* Non de hedera quæ cito transit, vel de lauro, sicut antiquitus solebant victores, sed « *de lapide,* » ut durabilis sit, et « *pretioso,* » ut sit mirabilis. Apocalyps. VI, 2 : *Ecce equus albus,* caro scilicet Christi, *et qui sedebat super illum,* spiritus illam pro voluntate regens, *habebat arcum* prædicationis et doctrinæ : *et data est ei corona* de lapide pretioso in passione sua, de omni lapide, id est, de omni virtute. Ezech. XXVIII, 13 : *Omnis lapis pretiosus operimentum tuum,* et numerantur omnes.

Corona Christi ex lapide quadruplici in passione.

Vel « *de lapide pretioso,* » patientia specialiter : hac coronatus fuit in sua Passione. Eccli. XLV, 14 : *Corona aurea super mitram,* scilicet caput, ejus.

Legitur hoc et de corona discipulorum circumstantium. Eccli. L, 13 : *Circa illum corona fratrum.* Et de tota Ecclesia quæ circumdat ipsum, sicut et corona caput. Prov. XII, 4 : *Mulier diligens, corona est viro suo.* Et nota, quod corona Christi et martyrum suorum constat ex quatuor lapidibus pretiosis specialiter. Prudentia ab anteriori parte, ut caveat a futuris malis : justitia a posteriori, ut satisfaciat vel puniat de præteritis : temperantia a dextris, ne elevetur in prosperis : fortitudo a sinistris, ne frangatur in adversis.

5 **Resurrectio Christi.**

« *Vitam petiit.* » Hic est tertium, scilicet explanatio beneficii collati maxime in Resurrectione, quod fuit præmium passionis, et tangitur duplex. Primo, gloria Christo collata, communicata sive communicabilis suis. Secundo, incommunicabilis et incommunicata, ibi, « *Magna est gloria.* »

In prima parte duo. Primo, ostenditur receptio præmii communicabilis ipsi

Christo in se ipso. Secundo, in suis, ibi, « *Longitudinem.* »

Dicit ergo : Sic in passione coronasti patientia, ut corona, et etiam « *vitam,* » gloriosam scilicet resurrectionem, « *petiit a te.* » Glossa, dicens, *Clarifica filium tuum* (Joan. XVII, 5). In Psal. XXVI, 4 : *Unam petii a Domino.* III Reg. II, 20 : *Petitionem unam parvulam ego deprecor a te.* Et nota, quod quasi nihil erat comparatione ad meritum Christi, resurrectionis acceleratio. Et dicitur *gloriosa resurrectio,* vita absolute, quia alia vita, scilicet quæ præsens est, non est digna nomine vitæ, sed magis mortis. II Reg. XIV, 14 : *Omnes morimur, et quasi aquæ dilabimur in terram, quæ non revertuntur.*

« *Et tribuisti mihi.* » Joan. XI, 41 et 42 : *Pater gratias ago tibi. Ego autem sciebam quia semper me audis.* Libentius enim audit petentem vitam gloriosam, quam temporalem, imo ad hoc provocat ut petatur. Joan. XVI, 24 : *Petite, et accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum.* Luc. XI, 10 : *Omnis qui petit, accipit : et qui quærit, invenit : et pulsanti aperietur.*

« *Longitudinem dierum* » extensam, « *in sæculum* consecutivum *sæculi* : » Repete, « *et tribuisti ei.* » Et hoc verum est. Matth. XXVIII, 20 : *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi,* imo ultra : habet enim hebraïca versio « in æternum. » Jerem. XXXI, 37 : *Si mensurari potuerint cœli sursum, et investigari fundamenta terræ deorsum : et ego abjiciam universum semen Israel,* id est, fidelium Deum videntium. Dat enim Ecclesiæ gratiam adimplendi mandata, et per hoc ulterius dabit vitam æternam. Prov. III, 1 et 2 : *Præcepta mea cor tuum custodiat. Longitudinem enim dierum, et annos vitæ, et pacem apponent tibi.*

6 « *Magna est gloria ejus.* » Hic tangit præmium incommunicabile : et hoc duplex. Nominis manifestatio, id est, divinitatis : et sessio ad dexteram Patris, ibi, « *Gloriam et magnum decorem.* »

Manifestatio nominis

Christi et sessio ad dexteram Patris.

Dicit ergo : Sic tribuisti hoc in se et in suis, et adhuc, « *Magna est gloria,* » quæ est longe patens fama et cognitio : « *Ejus, in salutari tuo,* » per mundum cognito, id est, quando cognitum est Verbum tuum, salutare tuum est ei unitum, ut una persona sit homo Deus. Magna est enim gloria, Ad Philipp. II, 9 : *Donavit illi nomen, quod est super omne nomen.* Habuit autem hoc nomen ut verus esset Deus ab incarnatione, sed et gloriam habuit, quando quod haberet innotuit toti mundo, quod non fuit nisi post incarnationem.

Gradus gloriæ.

Et nota, quod est bona gloria, et magna in conscientiæ puritate. II ad Corinth. I, 12 : *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ.* Sed certe major in conformatione cum Christo in passionis sustentatione. Ad Galat. VI, 14 : *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi.* Sed maxima in imitatione in perfecto opere. Eccli. XXIII, 38 : *Gloria magna est sequi Dominum.* Sed super omnem usque ad unionem pervenisse. Psal. VIII, 6 : *Gloria et honore coronasti eum Domine.* Hinc disce vitam a Deo petendam : a quo enim petetur nisi a fonte? Psal. XXXV, 10 : *Apud te est fons vitæ.* Non a medico mortali et infami. Sapient. XIII, 18 : *Pro sanitate infirmum deprecatur, et pro vita rogat mortuum.* II Paralip. XVI, 12 et 13 : *Asa nec in infirmitate sua quæsivit Dominum, sed magis in medicorum arte confisus est. Dormivitque cum patribus suis : et mortuus est.* Sed totum excedit, hoc ipsum toti mundo et Angelis innotuisse, de quo loquitur hic.

Sessio ad dexteram Patris.

« *Gloriam et magnum decorem.* » Hic secundum, in quo tangitur sessio a dextris, quod fuit præmium incommunicabile : et tanguntur tria. Primo, sessio. Secundo, duratio sessionis, ibi, « *Quoniam dabis.* » Tertio, ratio durationis, ibi, « *Lætificabis.* »

Dicit ergo : Sic magna est gloria in verbo unito, et super hoc « *impones super eum gloriam et magnum decorem.* » Conjunctim legatur, id est, gloriosum decorem, et magnum, ad dexteram tuam collocando. Vel gloria referatur ad modum Ascensionis ; ascendit enim cum laude multorum late patente. Psal. xlvi, 6 : *Ascendit Deus in jubilo : et Dominus in voce tubæ.* Magnus decor ad illam sessionem quando dictum est ei illud quod repetit David : *Dixit Dominus Domino meo : Sede ad dextris meis,* etc.[1]. De utroque, Job. xl, 5 : *Circumda tibi decorem,* Angelorum scilicet multitudinem, *et in sublime erigere,* nimirum sedendo juxta me, *et esto gloriosus,* quantum ad utrumque. Magna gloria, et decor magnus super eum imposita sunt in transfiguratione. Matth. xvii, 2 : *Resplenduit facies ejus sicut sol : vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut nix.*

« *Quoniam dabis eum in benedictio-*
7 *nem.* » Hic secundum, scilicet gloriæ duratio. Quasi diceret : Vere erit magna gloria et honor, quando « *dabis eum in benedictionem* » non transitoriam, sed durantem in « *sæculum sæculi* » consecutivum, hoc est, in æternum. Eccli. xliv, 26, 27 : *Agnovit eum in benedictionibus suis... et conservavit illi homines misericordiæ,* in quo notatur benedictionis perpetuatio. Alia littera habet, « Et dedit illi hæreditatem, » quod tantum valet. In eodem, ℣ 25 : *Benedictionem omnium gentium dedit illi Dominus, et testamentum confirmavit super caput Jacob.* Littera Hieronymi : « Pones enim eum benedictionem sem« piternam. »

« *Lætificabis.* » Hic tertium, ratio scilicet durationis.

Ait enim : Sic perpetuabit gloriam et honorem, nec mirum, quia « *lætificabis eum* » in eadem persona assumptum « *cum vulto tuo,* » cum filio tuo, qui est vultus tuus, quia cognoscere te fecit mundo, sicut vultus facit hominem cognoscere. Prov. xv, 13 : *Cor gaudens,* quale fuit Christi, quod quidem semper summo fruebatur gaudio, *exhilarat faciem,* exterius lætificatam. Proverb. xii, 25 : *Mœror in corde viri humiliabit illum, et sermone bono,* nullus melior illo, æterno Dei verbo, *lætificabitur.* Ipsum etiam in membris « *lætificabis cum vultu tuo,* » ei manifesto aperte, sine omni ænigmate. Isa. lvi, 7 : *Lætificabo eos in domo orationis meæ,* in cœlo empyreo, ubi orat Christus et beata Virgo. Job, xxxiii, 26 : *Videbit faciem ejus in jubilo,* et implebit risu os tuum[2]. Isa. lxii, 5 : *Gaudebit sponsus super sponsam, et gaudebit super te Deus tuus.*

Quare Christus vultus Patris ?

« *Quoniam Rex sperat in Domino.* » Hic est secundum, in quo posquam tetigit ts et tanta bona in Chrito, hic subjungit merita ex parte Christi, ut dignus sit cui conferatur tanta gloria : et tanguntur duo. Primo, confidentia in solo Deo. Secundo, perseverantia in illa, ibi, « *Et in misericordia Altissimi.* »

Dicit ergo : Hæc bona illi facies, et ju- 2
stum est, « *quoniam Rex,* » Christus scilicet, « *sperat in Domino,* » in quantum homo, non in seipso. Proverb. xxviii, 26 : *Qui confidit in corde suo, stultus est.* Et nota, quod dicitur Christus homo sperare, non spe quæ est apprehensio boni absentis cum opinione, vel credulitate, quoniam erit, sed cum certa scientia : et hoc referendo ad gloriam corporis, et sessionem, de quibus sermo præcessit. Sed quare attribuit potius meritum spei quam charitati ? Responsio. Charitas est quasi pars præmii æterni. I ad Corinth. xiii, 8 : *Charitas numquam*

[1] Psal. cix, 1.

[2] Job, viii, 21 : *Donec impleatur risu os tuum, et labia tua jubilo.*

excidit. Sed spes est pure in merito. Et ideo dicitur etiam Isa. LVII, 13 : *Qui fiduciam habet mei, hœreditabit terram,* scilicet viventium, *et possidebit montem sanctum meum.*

« *Et in misericordia Dei,* » supple, sperans, « *non commovebitur.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic sperat et in misericordia Dei, et a spe sua non commovebitur, humilitatem spei semper servans cum obedientia. Psal. CXXIV, 1 : *Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion : non commovebitur in æternum.* Psal. LXXXVIII, 34 : *Misericordiam autem meam non dispergam ab eo.* Et Isa. LIV, 10 : *Misericordia mea non recedet a te.* Quippe qui anchoram spei fixit in illa immobilitate viventium, manet immobilis procella irruente. Ad Hebr. VI, 18 et 19 : *Confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus animæ tutam et firmam, et incedentem usque ad interiora velaminis.* Psal. LIV, 23 : *Non dabit in æternum fluctuationem justo.*

9 Secunda pars Psalmi. « *Inveniatur manus tua.* » Hic est secundum, in quo agitur de pœnis inimicorum principaliter, et dividitur in duas partes. Primo, agitur de pœnis illorum et miseriis. Secundo, agitur de gloria Christi ad cumulum confusionis illorum, ibi, « *Exaltare Domine.* »

In prima dicuntur tria secundum triplicem modum agendi de pœnis. Primo, agitur de illis comparatione ad differentias puniendorum. Secundo, comparatione ad differentias pœnarum, ibi, « *Quoniam pones eos ut clibanum ignis.* » Tertio, quantum ad differentias meritorum vel rationum puniendi, ibi, « *Quoniam declinaverunt.* »

In prima duo. Primo, prædicitur pœna credentium malorum, qui possunt hic dici inimici. Secundo, infidelium, qui dicuntur odientes, ibi, « *Et dextera.* »

Dicit ergo : Sic exaltaberis o Christe, et post « *inveniatur manus tua,* » extenta ad percutiendum omnes inimicos tuos. Isa. IX, 21 : *In omnibus his non est aversus furor ejus, sed adhuc manus ejus extenta.* Inimici autem dicuntur, qui etsi fidem habeant, tamen sunt a Christo divisi, non uniti charitate. Matth. XII, 30 : *Qui non est mecum, contra me est.* Et nota, quod dicit : « *Inveniatur.* » Res quæ invenitur, ex insperato occurrit, sic Dei punitio superveniet, quando credent esse securi. I Reg. XXX, 16 et seq.: Invenit David inimicos suos comedentes, et quasi festum celebrantes, et irruit super eos, et interfecit. Proverb. I, 27 : *Cum irruerit repentina calamitas, et interitus quasi tempestas ingruerit.* I ad Thessal. V, 3 : *Cum dixerint pax, et securitas : tunc repentinus eis superveniet interitus.*

« *Et dextera tua,* » quæ fortius percutit, « *eos qui te oderunt,* « supple, inveniat, id est, infideles, et maxime Judæos. Joan. XV, 24 : *Nunc autem et viderunt, et oderunt et me, et Patrem meum.* Ecce quomodo mali qui modo fugiunt manum corrigentem, quæ facta est super Tobiam, super Job, II, 5 : *Mitte manum tuam, et tange os ejus et carnem,* invenientur tandem a manu Dei dura valde. Ad Hebr. X, 31 : *Horrendum est incidere in manus Dei viventis.* Job, VI, 16 : *Qui timent pruinam, irruet super eos nix.* Et in cap. XX, 24 : *Fugiet arma ferrea, et irruet in arcum æreum.* Psal. LXVII, 22 : *Deus confringet capita inimicorum suorum.* Nec dicit hoc Propheta optando, sed prænuntiando : vel certe optando, non libidine vindictæ, sed amore justitiæ. Et nota, quod primo dicit, « *Inveniatur manus,* » postea dicit : « *Et dextera tua inveniat* : » in quo vult innuere, quod primo manus Dei percutiens est sinistra, quasi debilis quando percutit in præsenti : sed postea fit dextera promptior, scilicet quando percutiet in futuro.

« *Pones eos ut clibanum ignis.* » Hic agitur de afflictione, quantum ad ipsa- 10

rum pœnarum differentias, et consistit in duobus. Primo, in afflictione mali. Secundo, in ablatione boni, ibi, « *Fructum eorum de terra perdes.* »

Prima in tres. Primo, remorsus conscientiæ quantum ad id quod est superius in anima. Secundo, conturbatio quantum ad pœnam interiorem, ibi, « *Dominus in ira sua.* » Tertio, corporis afflictio per ignem, ibi, « *Et devorabit eos ignis.* »

Dicit ergo : Sic inveniet eos manus tua, sed cum inventi fuerint, quid erit ? « *Pones eos ut clibanum ignis.* » Vel secundum Glossam, sic optando : « Dixi, « quod inveniat eos manus tua, et sic « erit, quia *pones eos ut clibanum*, inte- « rius scilicet in conscientiis ardentes, « sicut clibanus intus ardet, eos facies. » Et hoc « *in tempore vultus tui,* » id est, in illustratione adventus tui, in quo eis omnia peccata sua ostendentur. I ad Corinth. IV, 5 : *Veniet Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium.* Et dicit Cassiodorus : « Clibanus est æneï vasculi « deducta rotunditas, quæ subjacentibus « flammis ardet intrinsecus, magis autem « incandescit propter repercussionem « flammæ in seipsam. » Sic peccatoris conscientia videns peccata, in seipsam retorquet iram. Isa. IX, 18 : *Succensa* est *quasi ignis impietas.* Et cap. XXXIII, 11 : *Spiritus vester ut ignis vorabit vos.*

Clibanus malus et bonus.

Clibanus malus : ardor luxuriæ, Osee, VII, 4 : *Adulterantes, quasi clibanus succensus a coquente.* Diabolus ipse, Thren. V, 10 : *Pellis nostra, quasi clibanus.* Glossa, « Mortalitas nostra exusta est « quasi diabolus, ejus suggestione. » Remorsus conscientiæ : hic. Afflictio gehennæ, Gen. XV, 17 : *Apparuit* ignis ut *clibanus fumans.* Glossa, « Judicium per « ignem signat quod separandi sunt boni « a malis. » Bonus : Lex vetus, Levit. XXVI, 26 : *Decem mulieres in uno clibano coquant panes ;* decem mandata intelliguntur in veteri Testamento. Vir justus, qui intus ardet charitate, Levit. XI, 35 : *Sive clibani, sive chytropodes, destruentur, si tetigerint* immundum quid. Virginis uterus, Levit. VII, 9 : *Omne sacrificium similæ, quod coquitur in clibano..., erit sacerdotis.* Glossa, « virginis utero. » Crux, Levit. II, 4 : *Cum autem obtuleris sacrificium coctum in clibano de simila*, offeres illud. Sic Christus bis coctus est panis necessarius mare transeuntibus.

« *Dominus in ira sua.* » Hic secundum scilicet conturbatio ipsorum, quantum ad inferiorem partem rationis, et mutata persona dicit tangens conturbationem, et causam conturbationis. Sic erit in conscientiis. Et « *Dominus conturbabit eos.* » Job, VII, 21 : *Quia turbasti nos, exturbet te Dominus.* Sap. V, 2 : *Videntes turbabuntur timore horribili.* Quid videntes ? iram. Et hoc est quod addit, « *In ira sua.* » Contra : Isa. XLII, 4 : *Non erit tristis, neque turbulentus.* Responsio. Ira non appellatur hic motus animi perturbati, sed tranquilla voluntas judicandi, et reddendi unicuique secundum merita sine revocatione omni, quemadmodum in irato. Hoc ergo cognoscentes mali turbabuntur ultra modum : cognoscent autem vultuositate et sermone. Apocal. VI, 15 et 16 : *Reges terræ, et principes, et tribuni, et divites, et fortes, et omnis servus, et liber absconderunt se in speluncis, et petris montium : et dicunt montibus, et petris : Cadite super nos, et abscondite nos a facie sedentis super thronum, et ab ira Agni.*

« *Et devorabit eos,* » exterius « *ignis* » gehennalis. Ecce tertium. Aperte devorabit, tamen sine consumptione. Psal. XLVIII, 9 et 10 : *Laborabit in æternum, et vivet adhuc in finem.* Cassiodorus : « Iste « ignis sic absumet ut servet : sic serva- « bit ut cruciet : dabitur miseris vita « mortalis, et pœna servatrix. » Job, XVI, 34 : *Ignis devorabit tabernacula eorum, qui munera libenter accipiunt.* In hoc autem quod dicit, « *Devorabit,* » signat aviditatem flammæ ultricis, et trucis incendii. Sap. XVI, 24 : *Creatura tibi Fa-*

ctori deserviens, exardescit in tormentum adversus injustos.

11 « *Fructum eorum de terra perdes.* » Hic est secundum, in quo ostenditur ipsorum punitio in ablatione boni, et duplicis quod valde a malis diligitur. Primo, rerum temporalium. Secundo, filiorum, ibi, « *Et semen eorum.* » Vel ablatio boni, quod est fructus in præmio, in merito semen : sicut enim se habet semen ad fructum, sic meritum ad præmium.

Dicit ergo : Sic affliguntur, et etiam o tu Domine « *perdes* » quantum ad eos, ut jam nihil eis valere possit, « *fructum eorum de terra,* » id est, quo fruebantur, quod terrena erat substantia. Sap. II, 6 : *Venite, fruamur bonis quæ sunt, et utamur creatura, tamquam in juventute celeriter.* Et hoc perdetur totum. Sap. III, 11 : *Vacua est spes illorum, et labores sine fructu.* Job, XXVII, 19 : *Dives cum dormierit, nihil secum auferet.* Et cap. XXVII, 16 et 17 : *Si comportaverit quasi terra argentum, et sicut lutum præparaverit vestimenta : præparabit quidem, sed justus vestietur illis : et argentum innocens dividet.* Vel sic : « *Fructum eorum perdes de terra* » viventium, ut in illa nullum habeant præmium. Ibi enim non potest reddi præmium virtutum, et vita operibus mortuis et mortificatis. Eccli. XIV, 20 : *Omne opus corruptibile in fine deficiet,* scilicet a remuneratione. Isa. XX, 10 : *In terra Sanctorum inique gessit, et non videbit gloriam Domini.*

« *Et semen eorum,* » id est, filios, ad litteram, naturales, et malitiæ paternæ imitatores, « *perdes,* » supple, separans eos « *a filiis hominum,* » id est, bonis, sicut accipitur ibi, Proverb. VIII, 31 : *Deliciæ meæ esse cum filiis hominum.* Job, XVIII, 19 : *Non erit semen ejus neque progenies in populo suo, nec ullæ reliquiæ in regionibus ejus.* Vel semen appellat opus ipsum. Quasi diceret : Et « *perdes semen eorum,* » id est, separans « *a filiis hominum.* » Cassiodorus : « Opera bene dicuntur semina, ex quibus « nascitur unicuique retributio digna. » Ad Galat. VI, 8 : *Qui seminat in carne, de carne et metet corruptionem.* Sap. III, 16 : *Ab iniquo thoro semen exterminabitur.* Iniquus thorus est, cum conjunguntur anima et diabolus ad peccatum perpetrandum. Vel semen dicuntur imitatores, et totum destruet Dominus. Isa. XIV, 22 : *Consurgam super eos, dicit Dominus exercituum : et perdam Babylonis progeniem et germen.*

« *Quoniam declinaverunt.* » Hic est 12
tertium, in quo agitur de pœna, comparatione ad meritum, et causarum diversitatem : et tangitur causa duplex. Iniquitas in hoc versu, et cæcitas in sequenti, ibi « *Quoniam pones eos dorsum.*

In prima duo. Primo, inordinata valde dilectio temporalium. Secundo, iniqua machinatio contra Christum, ibi, « *Cogitaverunt consilia.* »

Dicit ergo : Sic puniantur, ut dixi. Et hoc justum est, « *quoniam mala,* » quæ æstimaverunt superventura a Romanis, mala, inquam, pœnæ, « *declinaverunt in te,* » id est, tibi attribuebant, et ventura docebant propter te. Joan. XI, 48 : *Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum : et venient Romani, et tollent locum nostrum, et gentem.* Vel de malo culpæ hoc fiet eis. « *Quoniam mala* » culpæ quæ in seipsis erant, « *declinaverunt in te,* » id est, tibi imposuerunt. Joan. VIII, 48 : *Dæmonium habes.* Luc. VII, 34 : *Venit Filius hominis manducans, et bibens, et dicitis : Ecce homo devorator, et bibens vinum, amicus publicanorum, et peccatorum.* His similes sunt filii Adæ, qui peccata propria excusando retorquent in Dei creaturas, et per hoc in Deum. Genes. III, 12 : *Mulier quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, et comedi.*

« *Cogitaverunt.* » Quasi diceret : Sic inique dilexerunt temporalia, et retorserunt mala in opere, et etiam « *cogitaverunt consilia* » contra te, quæ « *non potuerunt stabilire.* » Cassiodorus : « Consi- « lium est aliquid faciendi vel non fa- « ciendi ratio deliberata. » Joan. xi, 53 : *Ab illa ergo die cogitaverunt ut interficerint ipsum.* Psal. LXXII, 8 : *Cogitaverunt, et locuti sunt nequitiam.* Sapient. XI, 21 : *Hæc cogitaverunt, et erraverunt : excæcavit enim illos malitia eorum.* Sed hæc consilia quomodo non potuerunt stabilire ? Nonne ipsum occiderunt ? Constat, quod sic. Responsio. Credebant sic interficere ut ejus memoria penitus deleretur. Jerem. xi, 19 : *Eradamus eum de terra viventium, et nomen ejus non memoretur amplius :* sed hoc non potuerunt stabilire, quia Proverb. x, 7 : *Memoria justi cum laudibus.* Isa. VIII, 10 : *Inite consilium, et dissipabitur : loquimini verbum, et non fiet.* Act. v, 38 : *Si est ex hominibus consilium hoc, aut opus dissolvetur.* Et ipsam resurrectionem factam crediderunt posse exstinguere. Matth. XXVIII, 13 : *Dicite quia discipuli ejus venerunt nocte, et furati sunt eum.* Sed non potuerunt hoc consilium stabilire : quia Act. IX, 32 : *Virtute magna reddebant Apostoli testimonium, resurrectionis Jesu Christi, et non faciem ostendam eis in die perditionis eorum.*

« *In reliquiis.* » Hic secundum. Quasi diceret : Sic in terrenis erit tota illorum affectio et consideratio : et per hoc « *præparabis,* » id est, præparari permittes ad tuam passionem præparandam, « *vultum eorum in reliquiis,* » id est, in iis quæ abjicis et relinquis. Ecce excæcatio ad mortem Christi procurandam. Ezech. VII, 22 : *Avertam faciem meam ab eis,* ecce primum : *et violabunt arcanum meum,* ecce secundum. Ex iis patet, quod facies eorum deorsum fuit propter cæcitatem ad cœlestia, quæ nullo modo videbant. Et vultus propter terrenorum visionem, mirabilia monstra. Numer. XIII, 34 : *Monstra quædam filiorum Enac,* id est, dæmonum : Enac enim interpretatur *terribilis.* Tale monstrum sunt omnes de quibus Jerem. IV, 22 : *Sapientes sunt ut faciant mala, bene autem facere nescierunt.* Nota enim, quod temporale regnum dicuntur Christi reliquiæ. Magnus enim Dominus magnas fecit reliquias. Joan. VI, 15 : *Jesus, cum cognovisset, quia venturi essent ut raperent, et facerent eum regem, fugit iterum in montem ipse solus.* Nec solum Christi, sed commensalium suorum, Apostolorum scilicet, et virorum Apostolicorum. Matth. XIX, 27 : *Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te.* Aliter legitur in Glossa multis modis.

13 « *Quoniam pones eos dorsum.* » Hic tangitur inimicorum cæcitas, maxime Judæorum. Primo, excæcatio ipsorum, ad concupiscendum terrenum regnum. Secundo, ad occidendum ipsum Christum, ibi, « *In reliquiis tuis.* » Et secundum ex primo secundum est.

Nota elegantem hujus versus interpretationem.

Dicit ergo : Sic cogitaverunt consilia quæ non potuerunt facere stabilia : et hoc « *quoniam pones eos dorsum,* » id est, in illis a quibus es aversus, terrenis scilicet, de quibus non curas, et sic illos a dorso habebis, et te non videbunt, sed solum terrena. Jerem. XVIII, 17 : *Dorsum,*

« *Exaltare Domine.* » Hic secundum totius hujus partis, in quo tacta inimicorum miseria et pœna, subjungitur de exaltatione Christi, ut eorum major exprimatur miseria : et dicuntur duo. Primo tangit Christi exaltationem postulando ut fiat. Secundo, supponit effectus in suis consequentes ex illa, ibi, « *Cantabimus.* » **14**

Ait ergo : Sic mali deprimentur, sed o tu Christe ad majorem eorum confusionem, « *exaltare* » de morte resurgendo velociter, et hoc, « *in virtute tua,* » hoc

est, in virtutis tuæ, id est, humilitatis merito. Luc. xiv, 11, et xviii, 14 : *Omnis, qui se humiliat, exaltabitur.* Vel in virtute tua, potestate scilicet quam habes ponendi animam tuam propriam, et iterum resumendi eam. Joan. x, 18 : *Potestatem habeo ponendi animam meam : et potestatem habeo iternm sumendi eam.* Hæc est virtus et fortitudo quæ latuit in passione, sed exaltata est in gloriosa resurrectione. Habac. iii, 4 : *Cornua in manibus ejus : ibi abscondita est fortitudo ejus.* II ad Corinth. xii, 9 : *Virtus in infirmitate perficitur.*

« *Cantabimus virtutes tuas,* » in ore, « *et psallemus* » in opere, id est, mandata tua adimplebimus in opere. Resurrectio enim tua erit lætitiæ causa et operandi bene. De primo, Joan. xx, 20 : *Gavisi sunt discipuli, viso Domino.* Nec mirum : I ad Cor. xii, 26 : *Si gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra :* multo ergo fortius capite glorificato. De secundo, ad Rom. iv, 15 : *Traditus est propter delicta nostra, et resurrexit propter justificationem nostram.* Propter hoc ad utrumque monet Judith Holoferne superato, in cap. xvi, 2 : *Cantate Domino in cymbalis,* quantum ad primum : *modulamini illi psalmum novum,* quantum ad secundum.

Et nota, quod novem virtutes Christi sunt cantandæ. Prima in operando miracula, Luc. iv, 36 : *In potestate et virtute imperat immundis spiritibus.* Secunda in docendo vera sermonibus, Matth. viii, 28 : *Erat docens eos sicut potestatem habens, non sicut Scribæ eorum, et Pharisæi.* Tertia in sustinendis illatis passionibus, I ad Corinth. v, 25 : *Quod infirmum est Dei, fortius est hominibus.* Quarta in superando, devictis dæmonibus, Judith. xiii, 13 : *Vobiscum est Deus, qui fecit virtutem in Israel* victo Holoferne. Quinta in spoliando inferno, extractis justis et Sanctis de Limbo, Luc. xi, 22 : *Cum autem fortior eo superveniens vicerit eum, universa arma ejus auferet, in quibus confidebat, et spolia ejus distribuet.* Sexta in resurgendo ex morte, II ad Corinth. xiii, 4 : *Etsi crucifixus est ex infirmitate, sed vivit ex virtute Dei.* Septima in mittendo Spiritu sancto de supernis. Act. i, 8 : *Accipietis virtutem supervenientis Spiritus sancti in vos.* Octava cum erit in suscitandis mortuis in resurrectione generali, Psal. lxvii, 34 : *Ecce dabit voci suæ vocem virtutis.* Nona in judicandis resuscitatis, Matth. xxiv, 30 : *Videbitis Filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute multa, et majestate.*

Novem Christi virtutes celebrandæ.

PSALMUS XXI.

Christus moriturus obsecrat ut sibi adsit Deus, et eum laudat.

1. *In finem pro susceptione matutina, Psalmus David.*
2. Deus, Deus meus, respice in me [1], quare me dereliquisti ? longe a salute mea verba delictorum meorum.
3. Deus meus, clamabo per diem, et non exaudies : et nocte, et non ad insipientiam mihi.
4. Tu autem in sancto habitas, laus Israel.
5. In te speraverunt partes nostri : speraverunt, et liberasti eos.
6. Ad te clamaverunt, et salvi facti sunt : in te speraverunt, et non sunt confusi.
7. Ego autem sum vermis, et non homo : opprobrium hominum, et abjectio plebis.
8. Omnes videntes me, deriserunt me [2] : locuti sunt labiis, et moverunt caput.
9. Speravit in Domino, eripiat eum [3] : salvum faciat eum, quoniam vult eum.
10. Quoniam tu es qui extraxisti me de ventre : spes mea ab uberibus matris meæ.
11. In te projectus sunt ex utero : de ventre matris meæ Deus meus es tu.
12. Ne discesseris a me,
Quoniam tribulatio proxima est, quoniam non est qui adjuvet.
13. Circumdederunt me vituli multi : tauri pingues obsederunt me.
14. Aperuerunt super me os suum, sicut leo rapiens et rugiens.
15. Sicut aqua effusus sum : et dispersa sunt omnia ossa mea.
Factum est cor meum tamquam cera liquescens in medio ventris mei.
16. Aruit tamquam testa virtus mea, et lingua mea adhæsit faucibus meis : et in pulverem mortis deduxisti me.
17. Quoniam circumdederunt me canes multi : concilium malignantium obsedit me.
Foderunt manus meas et pedes meos,

[1] Matth. xxvii, 46. Marc. xv, 34.
[2] Matth. xxvii, 39. Marc. xv, 29.
[3] Matth. xxvii, 43.

18. Dinumeraverunt omnia ossa mea. Ipsi vero consideraverunt et inspexerunt me :
19. Diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem [1].
20. Tu autem Domine ne elongaveris auxilium tuum a me : ad defensionem meam conspice.
21. Erue a framea, Deus, animam meam, et de manu canis unicam meam.
22. Salva me ex ore leonis, et a cornibus unicornium humilitatem meam.
23. Narrabo nomen tuum fratribus meis [2] : in medio ecclesiæ laudabo te.
24. Qui timetis Dominum laudate eum : universum semen Jacob glorificate eum :
25. Timeat eum omne semen Israel : quoniam non sprevit, neque despexit deprecationem pauperis :
Nec avertit faciem suam a me, et cum clamarem ad eum exaudivit me.
26. Apud te laus mea in ecclesia magna : vota mea reddam in conspectu timentium eum.
27. Edent pauperes, et saturabuntur : et laudabunt Dominum qui requirunt eum : vivent corda eorum in sæculum sæculi.
28. Reminiscentur et convertentur ad Dominum universi fines terræ : Et adorabunt in conspectu ejus universæ familiæ gentium.
29. Quoniam Domini est regnum : et ipse dominabitur gentium.
30. Manducaverunt et adoraverunt omnes pingues terræ : in conspectu ejus cadent omnes qui descendunt in terram.
31. Et anima mea illi vivet : et semen meum serviet ipsi.
32. Annuntiabitur Domino generatio ventura : et annuntiabunt cœli justitiam ejus, populo qui nascetur, quem fecit Dominus.

IN PSALMUM XXI

COMMENTARIUS.

In finem pro susceptione matutina, Psalmus David [4].

« *Deus, Deus meus, respice in me.* » Hic est Psalmus vigesimus primus, in quo, sicut dicit Glossa, narratur diffuse Christi passio, et dilucide, et est primus illorum, in quibus agitur sic late de Christi passione. Quinque enim sunt Psalmi late tractantes de ea, quorum hic primus. Secundus, trigesimus quartus : *Judica, Domine, nocentes me.* Tertius, quinquagesimus quartus : *Exaudi, Deus, orationem meam, et ne despexeris deprecationem meam.* Quartus, sexagesimus octavus : *Salvum me fac, Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam.* Quintus, centesimus octavus : *Deus, laudem meam ne tacueris.* Toties autem narratur aperte et diffuse Christi passio,

Primus hic ex quinque Psalmis late de passione disseurit.

[1] Matth. XXVII, 35. Joan. XIX, 23 et 24
[2] Ad Heb. II, 12.

[3] Le titre attribue ce psaume à David. On retrouve dans ce chant bon nombre d'expressions commu-

ne quis hæsitet de veritate, vel excuset : hæsitet per infidelitatem, excuset per ignorantiam. Gen. XLI, 32 : *Quod vidisti ad eamdem rem pertinens somnium : fir-*

nes aux autres compositions du saint roi, et quoi qu'en aient dit Ewald, Hitzig, Baur, etc., tout conclut à maintenir la vérité de l'inscription לדוד (Delitzsch.)

Le psaume doit être chanté על אילת השחר, *al aieleth hashachar*, « sur la biche du matin, » mots qui désignent probablement le commencement d'un chant sur l'air duquel on devait adapter celui-ci. On croit que cette expression « la biche du matin » servait à désigner la première apparition de l'aurore, dont on comparait les rayons aux cornes de l'animal ; c'est du moins l'interprétation des Talmudistes (Berachoth) : *aieleth hashachar*, comme deux cornes de lumière qui montent du Levant et illuminent le monde. » Le Targum, s'appuyant sur ce titre ainsi compris, assigne ce psaume pour le sacrifice du matin. Les anciennes versions ont entendu *aieleth*, dans un sens analogue à celui de אילוה, *eialoth* qu'on lit au ỳ. 20. LXX : ὑπὲρ τῆς ἀντιλήψεως τῆς ἑωθινῆς, sur la prise, l'arrestation du matin ; Symm : ὑπὲρ τῆς βοηθείας ὀρθρινῆς, ce qui indique de la manière la plus nette l'objet même du cantique, « quia nocte, et caligine diabolica nos liberavit emicans unigenitum Dei Verbum... : aut susceptionem matutinam appellat resurrectionis Salvatoris tempus. » S. Athanase et Théodoret : ἀντίληψις ἑωθινὴ ἡ τοῦ σωτῆρος ἡμῶν ἐπιφάνεια.

Nous avons en effet dans ce psaume la plus saisissante, la plus circonstanciée, la plus claire de toutes les prophéties : « Passio Christi, dit saint « Augustin, tam evidenter quasi Evangelium recita- « tur, » « ut non tam prophetia quam historia « videatur, » ajoute Cassiodore. C'est un récit touchant, écrit mille ans à l'avance, « totam Christi « continens passionem » Tert. adv. Marcion. III, 19, et nous faisant connaître ce que les témoins extérieurs de la passion ne pouvaient nous révéler, les sentiments intimes du divin Crucifié pendant son supplice. Aussi le caractère messianique du psaume est-il surabondamment établi, d'abord par Sauveur lui-même qui a voulu reciter en croix le premier verset, et par les Apôtres qui lui ont appliqué expressément les ỳỳ. 19 et 23. Ces autorités emportent tout, et, dit Théodoret, « sacris potius apostolis credendum est, et ipsi Salvatori, qui principio hujus psalmi clare usus est, quam iis qui perperam interpretari conantur. » Si ensuite on compare l'histoire de la passion avec la prophétie, on remarque l'identité la plus frappante. David a vu l'abandon du cru cifié (ỳ. 1), son abjection (ỳ.7), les moqueries de ceux qui l'entourent en branlant la tête (ỳ.8), les paroles textuelles qu'il prononce (ỳ.9), la fuite de tous les amis du Sauveur (ỳ. 12), la fureur des bourreaux (ỳỳ. 13 et 14), les horribles souffrances du crucifiement (ỳỳ. 15 et 16), les pieds et les mains percées (ỳ. 17), la tunique tirée au sort (ỳ 19), l'espérance dernière du mourant (ỳỳ. 21 et 22), puis toutes les gloires de la résurrection, de l'Eucharistie et de la prédication évangélique. Quel tableau lumineux, quel spectacle plus touchant que cette merveilleuse vision du saint roi !

La tradition juive ne s'y est pas trompée, et la *midrash* reconnait dans ce psaume « les plaintes du Messie souffrant, » et plus tard, à la croix, quand le Sauveur dira le premier verset, les princes des prêtres lui en citeront un autre, le ỳ. 9. (Matth. XXVIII, 43), contribuant ainsi inconsciemment au plein accomplissement de la prophétie. Quant à la tradition catholique, elle est ici absolument unanime. Cf. S. Aug. Ep. CXL, et de Civit. Dei, XVII, 17 ; Euseb. Demonst. evang. cap. ult., et tous les Pères qui ont cité ou commenté ce psaume. Bossuet, Expl. littéral. du Ps. XXI. Seul dans l'antiquité, l'hérétique Théodore de Mopsueste éleva une voix discordante, en prétendant que ce cantique ne s'appliquait pas littéralement au Sauveur, et que les paroles qui sont citées dans l'Evangile ne sont prises qu'au sens accomodatice. Il s'appuyait surtout sur les paroles du ỳ. 2, « *verba delictorum meorum,* » qu'il déclarait ne pouvoir s'entendre en aucune sorte de Jésus-Christ, la sainteté même. Il faut observer que ce passage est différent dans l'hébreu, et que même dans les versions, il doit s'entendre du Verbe incarné, « qui non noverat peccatum, » dit saint Paul, mais que le Père « pro nobis peccatum fecit » (II ad Corinth. v, 21). Le deuxième concile de Constantinople frappa d'anathème cette prétention, et dit en particulier du ỳ. 17 : « Evangelistam hæc ex eventu ad Christi traxisse personam : qui igitur hæc ita credit, sapit, docet aut prædicat, anathema sit (Act. XXIII, de error. Theod. Mops.). Il suit de là qu'on ne peut éviter la note d'hérésie si on applique au Sauveur dans le sens accommodatice ces paroles, ou les autres textes du psaume. Maintenant, le psaume est-il directement et immédiatement, ou seulement indirectement messianique, c'est-à-dire, est-il littéralement ou spirituellement applicable au Messie ? La question reste libre, répond Talhofer, mais les interprètes catholiques sont presque tous, et avec raison, pour le sens immédiatement messianique.

Dans le principe, l'exégèse protestante ne s'écartait pas pour ce psaume de l'interprétation traditionnelle. Delitzch cite ces paroles, absolument orthodoxes, d'un des premiers écrivains de la réforme, Bakius : « Asserimus hunc psalmum ad litteram primo, propriæ et absque ulla allegoria et ἀναγωγῃ, integrum et per omnia de solo Christo exponendum esse.» Mais depuis lors, les études rationalistes ont jeté dans le monde des clartés inattendues, grâce auxquelles il est temps de s'apercevoir que « tout ce système d'interprétation repose sur une notion de la prophétie dont la *science* ne s'accommode

mutatis indicium est, eo quod fiat sermo Dei, et velocius impleatur. Quanto magis ergo certum et firmum est quod non Pharao, imo David : nec tantum bis, sed quinquies vidit? Item, quinquies, sicut dicunt, quod quinquies Christus pro nobis est passus, quia quinquies sanguinem suum fudit. Primo, in circumcisione (Luc.

plus » (Reuss). Quel serait donc, d'après la science, le personnage dont parle le psaume ? — 1o Ce serait David présenté par Saül. C'est à cette hypothèse que se sont ralliés plusieurs rabbins. — Il est fort probable, comme le pensent beaucoup d'auteurs, que David fit ce chant pendant cette période, car le Saint-Esprit fait ordinairement parler les prophètes des circonstances analogues aux faits prophétisés. Il est permis de croire aussi qu'un certain nombre de versets peuvent s'entendre de David persécuté, et par là même, type du Messie souffrant. Mais le psaume en général, et les ỳỳ. 12, 15-19, n'ont aucun sens en parlant de David, et les magnifiques horizons qui se déroulent à la fin du cantique n'ont point de proportion avec la délivrance et la victoire d'un roi mortel, si grand qu'il fût. — 2o Le psaume serait de Jérémie emprisonné pendant la captivité. — Mais Jérémie ne ferait aucune mention du temple, ni de Jérusalem, ce qui serait plus qu'étonnant, et il se figurerait que si Dieu le délivre, les Gentils vont se convertir ! — 3o Le psaume a un sens tout à fait général ; il décrit les malheurs du peuple entouré de païens comme de bêtes farouches, soit au temps de la captivité, soit sous les Machabées, comme le préfère Olshausen. Sic Raschi, Kimchi, Rosennuller, etc. — Cette hypothèse a contre elle que dans tout le psaume, il s'agit d'une personnalité bien accusée, et non d'une collection. Et que signifient, en parlant du peuple, les ỳỳ. 7, 10, 15-19, etc. ? — 4o Notons enfin l'idée d'Hengstenberg, qui, fidèle à son système habituel d'interprétation, voit ici la personne idéale du juste, tout en reconnaissant qu'elle est en rapport prochain et direct avec la personne du Christ.

Voici les principales raisons que l'on oppose à l'application messianique. 1o Le patient n'est que menacé par ses ennemis (ỳỳ. 12 et 13), or le Messie était entre leurs mains. — Le psaume a une perspective historique à laquelle il faut prendre garde : le patient est d'abord menacé, mais quand on lui perce les pieds et les mains, et qu'on partage ses vêtements, comme ceux d'un homme mis à mort, il faut bien avouer qu'il est au pouvoir de ses persécuteurs. — 2o Les souffrances du patient durent depuis longtemps (ỳ. 3), celles du Messie n'ont duré qu'un jour. — Le Sauveur n'a-t-il pas été persécuté toute sa vie, principalement pendant les trois dernières années ? N'a-t-il pas souffert dès sa naissance, par la claire vue qu'il en avait, tous les tourments de sa passion, et n'est-il pas exactement vrai de dire avec l'auteur de l'Imitation (II-xii, 7) : « Tota vita Christi crux fuit et martyrium. — 3o Le patient réclame le secours de Dieu, et alors, ou bien il l'obtient et il ne meurt pas, ou bien il n'est pas exaucé et il meurt, double hypothèse qui ne peut s'appliquer au Messie. — La victoire du Sauveur devait consister, non pas à éviter la mort, mais à échapper aux étreintes du tombeau. Le psaume rend très bien cette situation : le Sauveur prie, il est exaucé, il meurt, il ressuscite ; de là son chant triomphal. Tout se fonde donc ici sur la mort du patient. David ne dit point expressément qu'il échappe à la mort ni qu'il y succombe ; mais cette dernière idée ressort nécessairement de ỳ. 17, et partout il faut saluer ici le Christ, le seul qui ait pu se promettre de réaliser après sa mort tout ce que prophétise la fin du psaume. — 4o La plus grande difficulté vient de l'impossibilité qu'il y a à ce que le psalmiste, oubliant sa propre personne, revête les idées et les sentiments d'un personnage à venir. — L'impossibilité est assez naturelle, et nous avouons qu'en dehors de la doctrine surnaturelle, la difficulté est bien insoluble. Toutefois, si quelques-uns concluent que le psaume ne parle pas du Messie, parce qu'il en parle trop à l'avance et trop fidèlement, d'autres, acceptant les faits dans toute leur évidence, la date du psaume et la fidélité du portrait tracé, ont bien le droit de croire *scientifiquement* au caractère surnaturel de l'inspiration qui a donné naissance à cet hymne.

Cette conclusion qui est celle de tous les catholiques, est admise par des protestants sérieux, comme Moll, Tholuck, qui remarque « que les paroles de ce psaume s'appliquent proprement au Messie, en qui elles trouvent leur accomplissement, » et Delitzsch, qui s'exprime en termes : « Le Christ parle ici par David, parce que l'Esprit du Christe parle par le psalmiste, et qu'il s'approprie les douleurs figuratives de l'aïeul pour représenter celles du Christ qui doit venir. Si on méconnaît cet état indiscutable de la question, il est impossible d'avoir l'intelligence et le sentiment de ce psaume. » Nous citons ces témoignages pour montrer que la *science* des plus doctes exégètes de la réforme s'est parfaitement accommodée du système d'interprétation qu'à défaut de toute autorité, la logique devrait faire ici prévaloir.

Rappelons enfin pour la complète intelligence du psaume, que le Saint-Esprit nous y fait connaître l'état psychologique du Sauveur pendant sa passion, et que si l'Evangile ne nous confirme pas expressément tous les traits rapportés ici, l'inspiration qui guidait le prophète est une garantie infaillible pour tous les détails du tableau. « Quæ prophetia quemadmodum impleta sit evangelica narratur historia, tunc profecto et alia recte intelliguntur, quæ ibi minus aperte dicta sunt, cum congruunt his, quæ tanta manifestatione clarueruut. » S. August. de Civit. Dei, xvii, 17.

H. Lesétre.

II, 21). Secundo, in sudore (Luc. XXII, 44). Tertio, in flagellatione (Joan. XIX, 1 et seq.). Hoc enim etsi ita non sit expressum, tamen vehementer est præsumendum. Quarto, in fossione manuum et pedum (Joan. XIX, 18). Quinto, in lateris apertione (Joan. XIX, 34.) Prima, in signum originalis culpæ delendæ per Christum. Secunda, in exemplum. Tertia et quarta, in meritum. Quinta, in institutione Sacramentorum.

Quinquies Christus essudit sanguinem propter totidem causas.

Patet autem ordo ad Psalmum antecedentem. In illo enim egit de utraque natura Christi, et credere monuit, et monendo induxit ut illas credamus in Christo : hic autem statim subdit diffusius de ejus passione, ut moveat ad compassionem et imitationem. Ad compassionem quod tam innocens et tam purus : ad imitationem quod tantus, qui verus est Deus. Habemus ergo continentiam Psalmi et ordinem.

Titulus autem talis est, « *In finem, Psalmus David* : » hoc expositione non indiget. « *Pro assumptione matutina,* » vel « *susceptione*, seu « *pro cerva matutina.* » Et est sensus : Iste « *Psalmus* » ordinans nos « *in finem,* » est David ut auctoris. Vel melius « *David,* » id est, Christi orantis « *pro assumptione matutina,* etc. » Pro resurrectione sua, quæ dicitur assumptio vel susceptio, quia in ipsa suscepta est et assumpta natura humana in gloriam perfectam. Psal. LXXII, 24 : *Et cum gloria suscepisti me.* « *Matutina,* » quia mane innotuit quod esset sic assumpta, scilicet in aurora. Mane etiam surrexit, quia ante auroram paucis horis, ut mane large sumatur. Unde secundum humanitatem dicit, Apoc. XXII, 16 : *Ego sum radix et genus David, stella splendida, et matutina.* Eadem etiam natura dicitur *cerva,* quia spinas temporalium divitiarum, et lutum deliciarum transilivit, et in resurrectione quasi foveam mortis quam nullus alius potuit ante ipsum, transilivit. Supra, in Psal. XVII, 34 : *Qui perfecit pedes meos tamquam cervorum, et super excelsa statuens me,* in resurrectione. Item, cerva valde fœcunda est, et natura humana in Christo valde fœcunda fuit in passione, et tunc etiam sicut cerva in passione se curvavit. Job, XXXIX, 3 : *Incurvantur ad fœtum, et pariunt.* Et *matutina* dicitur pro tempore in quo resurrexit. Intitulatur autem a resurrectione quæ fuit finis passionis, et in ipsa intelligitur passio præcessisse.

Dividitur autem Psalmus in tres partes secundum Glossam. In prima ponitur conquestio Christi passioni expositi cum oratione ad Patrem. Secundo, descriptio passionis cum oratione, qua petit resurrectionis gloriam, ibi, « *Circumdederunt me vituli multi.* Tertio, tangit fructum et utilitatem ex passione consequentem, ibi, « *Narrabo nomen tuum.* »

Divisio Psalmi.

Prima in duas. Primo, conquestio in orando, vel adjuncta oratio Christi ut dejecti. Secundo, expressio dejectionis, ibi, « *Ego sum vermis et non homo.* »

In prima tria. Primo, oratio ut respiciatur a Patre oculo misericordiæ. Secundo, conquestio de dejectione, ibi, « *Quare me dereliquisti.* » Tertio, ratio quare non exauditur, ibi, « *Longe a salute mea.* »

2

Prima pars Psalmi.

Dicit ergo : *Deus, Deus meus.* » Constat ex textu Matth. XXVII, 46, quod vox est Christi in cruce : *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Legitur ergo dupliciter : quia potest esse vox Christi ratione corporis mystici, vel veri. « *Deus, Deus.* » Repetitio, secundum Cassiodorum, affectum mentis ostendit. « *Deus,* » omnia creando, « *meus,* » per cultum specialem, quia tibi servio, dicit mysticum corpus. Isa. XLIII, 21 : *Populum istum formavi mihi, laudem meam narrabit.* « *Respice in me,* » oculo misericordiæ. Dicitur tamen in Glossa, quod non sunt verba, « *Respice in me,* » de textu secundum Hebraicam versionem, sed a Septuaginta interpretibus in-

terposita, sequentibus magis sensum quam verba. « *Respice* ergo *in me*, » miseriam meam intuendo, et non poteris non misereri et parcere. Exod. III, 7 et 8 : *Vidi afflictionem populi mei in Ægypto.* Et statim sequitur : *Et descendi ut liberarem eum.* Potest etiam esse verbum capitis pro se : homo enim pendens in cruce orabat ad litteram Deum ut respiceret in se, ei resurrectionem celerem tribuendo : quod factum fuit. Eccli. XI, 12 et 13 : *Est homo marcidus egens recuperatione, plus deficiens virtute*, qualis erat Christus propter sanguinis effusionem, *et abundans paupertate*, quia ad litteram nudus pendebat in cruce, et alienum postea mutavit sepulcrum : *et oculus Dei respexit illum in bono, et erexit eum ab humilitate ipsius : et mirati sunt in illo multi.*

« *Quare me dereliquisti.* » Conquestio est in persona corporis sui. « *Quare me dereliquisti,* » culpæ et pœnæ exponendo. Psal. XXXIX, 13 : *Circumdederunt me mala, quorum non est numerus*, ecce malum pœnæ : *comprehenderunt me iniquitates meæ*, ecce malum culpæ. Si autem in propria persona loquitur, et pro se capite, tunc quærendum cum Deus sit omnibus præsens per essentiam, Jerem. XXIII, 24 : *Cœlum et terram ego impleo.* In bonis insuper sit per gratiam, Ad Ephes. III, 17 : *Christum habitare per fidem in cordibus vestris.* Et super hæc omnia in Christo homine per unionem, Joan. I, 14 : *Verbum caro factum est.* Quomodo dicit se derelictum? Psal. XXXVI, 25 : *Non vidi justum derelictum.* Multo ergo fortius nec Christum. Responsio. Notandum, quod simpliciter relinquitur, qui omnino culpæ et pœnæ exponitur, sicut miseri in inferno. Omnino vero, et simpliciter protegitur, qui a culpa et miseria servatur, et pœna : qualiter protectus fuit Christus in resurrectione. In multo derelinquitur, et in modico protegitur, qui servatur a pœna, et derelinquitur culpæ : et e converso in magno protegitur, et in minimo derelinquitur, qui protectus a culpa omnino, dimittitur pœnæ : qualis fuit Christi expositio : unde talis derelictio *modica* appellatur et *punctualis*. Isa. LIII, 7 : *Ad punctum in modico dereliqui te*, pœnæ exponendo, *et in miserationibus magis congregabo te.* Propter hoc talem derelictionem non reputabat Apostolus, II ad Cor. IV, 9 : *Persecutionem patimur, sed non derelinquimur.*

« *Longe a salute mea.* » Hic subjungitur responsio, in qua assignatur ratio duplex, quare non exauditur. Secundo probatio, quod alia ratio non possit esse nisi ista, vel quod vere istæ sunt rationes, ibi, « *Tu autem in sancto.* »

In prima duo secundum duplicem rationem quam assignat. Una, necessitas generis humani quæ hoc exigit. Secunda, utilitas, ibi, « *Deus meus, clamabo per diem, et non exaudies.* »

Dicit ergo : Sic quæsivi : et respondeo : « *Verba delictorum meorum,* » id est, illud quod clamant delicta meorum, ut sit transitiva constructio, sicut dicitur communiter, ille morbus postulat tale remedium, et peccatum Cain clamasse dicitur (Genes. IV, 10). Et peccatum Sodomorum (Genes. XVIII, 21). Et defraudatio mercenariorum (Jacob. V, 4).

« *Longe,* » supple, sunt, « *a salute mea,* » id est, non permittunt ut salver a tribulatione ista. Si autem sit intransitiva constructio, « *verba delictorum meorum,* » id est, delictorum, quæ mea sunt : tunc magis etiam competit ut sint in persona corporis dicta. Verba ergo prohibent ne liberemur a pœna. Job, XV, 11 : *Numquid grande est ut consoletur te Deus? sed verba tua prava hoc prohibent.* Impediverunt etiam ne liberaretur Christus, quia ipse etiam accipit delicta super se. Jerem. X, 19 : *Pessima plaga mea. Ego autem dixi : plane hæc infirmitas mea est, et portabo illam.* I Pet. II, 24 : *Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum.* Imo plus dicit Apostolus, quia non tantum peccata

nostra sibi assumpsit, imo quod factus est peccatum. II ad Cor. v, 21 : *Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit.*

3 « *Deus meus, clamabo per diem.* » Hic secunda ratio tangitur, quare non exauditur, scilicet utilitas generis humani, et dicuntur tria. Primo, quod non exauditur petens prospera inesse. Secundo, quod nec adversa abesse, ibi, « *Et nocte.* » Tertio, innuit latentem causam utriusque, ibi, « *Et non ad insipientiam mihi.* »

Dicit ergo : Sic peto, sic conqueror, et non exaudior, quia mala meorum exigunt oppositum, et etiam « *clamabo per diem* » prosperitatis ut maneat, nolens tribulari et affligi. « *Et nocte,* » id est, per noctem adversitatis, ut abscedat. « *Et non exaudies,* » tantum dimittendo in prosperitate, vet eripiendo me a tribulatione : sicut medicus non exaudit ægrotum petentem sibi dari nocivum, Proverb. I, 32 : *Prosperitas stultorum perdet illos.* Et amoveri quod bonum est sibi, II ad Cor. XII, 9 : *Virtus in infirmitate perficitur.*

« *Et non ad insipientiam mihi.* » Minus dicit et plus significat, id est, non ad stultitiam, imo ad sapientiam et instructionem. Ecce utilitas propter quam aliquando non exauditur in membris. Augustinus super Joannem : « Orante te pro « sanitate, si scit tibi prodesse, dabit « illam : si non tibi dederit, non proderit « habere illam. » Sic quoad corpus. Quantum ad ipsum caput sic non conqueror : quia « *Deus meus,* » dicit homo Christus, « *clamabo ad te per diem,* » id est sine omni tenebra culpæ : « *Et nocte,* » id est tribulationum adversitate : quæ duo multum solent movere ad exaudiendum. Unde dicebat Job, XXVI, 12 : *Prudentia ejus percussit superbum.*

Quare Deus preces non exaudit ?

Nota, quod propter multas causas non exauditur orans. Primo, propter petentis indiscretionem. Matth. XX, 22 : *Nescitis quid petatis.* Secundo, propter petentis fidem vacillantem. Jacob. I, 6 : *Postulet autem in fide nihil hæsitans : qui enim hæsitat, similis est fluctui maris qui a vento movetur et circumfertur.* Tertio, propter petentis indignitatem. Isa. I, 15 : *Cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam : manus enim vestræ sanguine plenæ sunt.* Quarto, propter ejus, pro quo petitur, perversitatem. Jerem. XV, 1 : *Si steterit Moyses, et Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum.* Quinto, propter ejus quod petitur inutilitatem. II ad Corinth. XII, 9, Paulus non est exauditus petens stimuli amotionem, quia non erat ei utile. Sexto, propter ejus quod petitur noxam : sicut illius, de quo in Psal. CVIII, 4 : *Oratio ejus fiat in peccatum.* Augustinus : « Multa beneficia « præstantur invitis, quando eorum con- « sulitur utilitati, non voluntati. »

« *Tu autem in sancto.* » Hic est tertium, in quo probat, quod alia ratio non est, quare non exaudiatur nisi dictæ. Et primo probat primum : quia sola iniquitas membrorum, quam necesse est purgari, hoc impedit. Secundo probat, quod illorum est utilitas, quæ fuit ratio secunda, ibi, « *In te speraverunt.* » 4

Dicit ergo : Sic dixi, quod impedit ne exaudias, et quasi me derelinquas, peccata mea, et loquitur in persona membrorum. Et hoc vere, « *autem,* » quia o tu « *laus Israel* » active, id est, quem laudat Israel : talis enim es ut cognitus a justo statim lauderis. Isa. LII, 8 : *Simul laudabunt : quia oculo ad oculum videbunt.* Vel passive « *laus Israel,* » id est, unde laudatur Israel. Deuter. X, 21 : *Ipse est laus tua, et Deus tuus.* « *Tu habitas in sancto,* » id est, in meo capite Christo, qui sanctus est : unde nihil est quod non faceres in corpore, si necessitas urgeret. Vel in sancto quolibet, et in me habitares ad exaudiendum, si non esset ex parte mea impedimentum. Apoc. XXI, 3 : *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum eis.* Vel de capite, si non

exaudis me propter peccata meorum. Et hoc planum est : quia « *tu habitas in sancto*, » in me scilicet capite, qui sanctus sum « *laus Israel.* » Unde certum est, quod tu me exaudires, nisi esset illud II ad Corinth. v, 19 : *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi*, non in sancto, sed in sanctorum sancto. Daniel. IX, 24 et seq., cum venerit Sanctus sanctorum cessabit unctio. In hoc habitat. Ad Coloss. II, 9 : *In ipso inhabitat plenitudo divinitatis corporaliter.* Et nota, quod sicut in illo sanctorum Sancto habitat per unionem, ita in aliquo non habitat per gratiam, nisi sancto. Sapient. I, 4 : *In malevolam animam non introibit sapientia.* Et Isa. LVII, 15 : *Dominus excelsus est, et sublimis, habitans æternitatem : et sanctum nomen ejus in excelso, et in sancto habitans.*

5 « *In te speraverunt.* » Hic secundum, in quo probat causam secundo assignatam, faciens argumentum quasi a minori, quocumque modo legatur : tamen evidentius secundum quod refertur ad caput : facit enim hoc argumentum : Et sperantes, et orantes patres antiquos exaudisti : ergo me exaudisses, si esset mea utilitas. Duo ergo dicuntur. Primo, quod Patres sunt exauditi merito suæ spei. Secundo, quod merito suæ orationis, ibi, « *Ad te clamaverunt.* »

In prima duo. Primo, tangit spei meritum. Secundo, addit præmium seu fructum, ibi, « *Et liberasti eos.* »

Ait ergo : Sic clamantem de die, de nocte non exaudis. Et propter utilitatem, quia « *in te speraverunt patres nostri,* » dicit Ecclesia de Gentibus congregata : Abraham, Isaac, et Jacob, quorum sumus filii, non increduli, et obstinati in malitia, ut videre est ad Galat. III, 7 : *Qui ex fide sunt, ii sunt filii Abrahæ.* Vel si loquatur caput pro se, parum mutatur. Antiqui enim sancti, patres fuerunt Christi ad litteram, secundum carnem. Ad Rom. IX, 5 : *Quorum patres, et ex quibus est Christus secundum carnem.*

« *Et liberasti eos,* » ut filios Israel de Ægypto (Exod. XIV) : tres pueros de camino (Daniel. III) : Danielem de lacu leonum (Daniel. XII) : Susannam de manu sacerdotum (Daniel. XIII.)

« *Ad te clamaverunt.* » Hic est secundum, in quo ostendit exauditos merito orationis suæ : et dicuntur quatuor. Primo, tangitur orationis meritum. Secundo, additur præmium, ibi, « *Et salvi facti sunt.* » Tertio, quasi fructus quidam, scilicet spei augmentum, ibi, « *In te speraverunt.* » Quarto, complementum rei speratæ, ibi, « *Et non sunt confusi.* » 6

Ait ergo sic : « *Speraverunt et salvi facti sunt,* » et etiam « *clamaverunt,* » sperando, « *ad te* : » « *et salvi facti sunt,* » frequenter a tribulatione ingruente. II Esdr. IX, 22 : *Clamaverunt ad te, et dedisti eis salvatores, qui salvarent eos.* « *In te speraverunt,* » spem extendendo exspectato fructu orationis : « *et non sunt confusi* » completo quod volebant. Eccli. II, 11 : *Nullus speravit in Domino, et confusus est.* Posset etiam dici, quod totum pertinet ad meritum spei.

Primo enim ostendit spei meritum et præmium. Secundo, extensionem spei designavit in clamore : clamor enim spei est extensio, quando dixit : « *Ad te clamaverunt.* » Tertio, exposuit cum dixit : « *Speraverunt, et non sunt confusi.* » Confusus est qui extenso sinu ad acquirendum nihil accipit : vel qui minus accipit quam impletionem sinus sui. Sed sancti plus accipiunt quam possit capere sinus spei. Ad Rom. v, 5 : *Spes non confundit.* I ad Corinth. II, 9 : *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum.* Daniel. III, 40 : *Non est confusio confidentibus in te.*

Et nota, quod tria sunt speranda. Venia revertentibus ad Deum, Isa. LV, 7 : *Revertatur ad Dominum, et miserebitur* Tria speranda.

ejus, et ad Deum nostrum : quoniam multus est ad ignoscendum. Augmentum gratiæ proficientibus, In Psal. CXXXVII, 3 : *Multiplicabis in anima mea virtutem.* II ad Corinth. IX, 10 : *Multiplicabit semen vestrum, et augebit incrementa frugum justitiæ vestræ.* Et gloria pervenientibus et perfectis, In Psal. LXXXIII, 12 : *Gratiam et gloriam dabit Dominus.*

7 « *Ego autem sum vermis.* » Hic est secundum in quo præmissa conquestione dejecti, sequitur dejectionis scriptio, et explanatio. Et primo ex parte Christi tanguntur conditiones. Secundo, ex parte Judæorum dejicientium eum, et irridentium, ibi, « *Omnes videntes.* »

In prima duo. Primo, ostendit dejectionem sub metaphora vermis. Secundo, exponit metaphoram, ibi, « *Opprobrium hominum.* »

Dicit ergo : Sic illi exaudiuntur, ego non : imo « *ego sum vermis,* » quod est abjectissima creatura, « *et non homo,* » creaturarum scilicet dignissima. Job, XXV, 6 : *Homo putredo, et filius hominis vermis.* Isa. LIII, 2 : *Non est species ei, neque decor : et vidimus eum, et non erat adspectus.* Et exponit se : « *Opprobrium hominum,* » quantum ad verba, « *et abjectio plebis.* » quantum ad facta. De primo, Matth. XXVII, 40 : *Vah qui destruis templum Dei, et in triduo illud reædificas.* Psal. LXVIII, 8 : *Propter te sustinui opprobrium.* Jerem. XX, 8 : *Factus est mihi sermo Domini in opprobrium.* De secundo, Matth. XXVI, 67 : *Exspuerunt in faciem ejus.* Et cap. XXVII, 21, Ipso abjecto Barrabam elegerunt. Thren. III, 45 : *Eradicationem, et abjectionem posuisti me in medio populorum.*

Vel potest legi, ut in primo quod dicitur, « *Ego sum vermis,* » ostendat suæ conditionis dignitatem, in hoc quod sequitur, vilitatem, ut major appareat dejectio. Et tunc sic continua : Sic illi exaudiuntur : « *Ego autem* » cum sim illis multo excellentior, quia « *sum vermis,* » sine humano semine conceptus de impolluta terra, et virginea : « *Et non homo,* » id est, non peccator, sicut primus, et alii per coitum descendentes ab eo. Sic enim homo accipitur aliquando in Scriptura. I ad Corinth. III, 3 : *Cum sint inter vos zelus, et contentio : nonne carnales estis, et secundum hominem ambulatis ?*

Et nota, quod Christus *vermis* dicitur multiplici ratione. Primo, quia sine concubitu natus de carne Virginis, sicut vermis. Isa. IX, 14 : *Ecce Virgo concipiet, et pariet filium.* In terra repit humiliter. Sic Christus conversatus est in terra valde humiliter. Baruch, III, 38 : *In terris visus est, et cum hominibus conversatus est.* Hieronymus : « Cœlum habitatio Angelorum, « terra vermium : fecit Deus vermem ascendere in cœlum, et in terram dejecit « Angelum. » Insiliendo repit. Isa. LIII, 7 : *Sicut ovis ad occisionem ducetur, et quasi agnus coram tondente se obmutescet.* Animantium despectissimus. Et in faciem illius Judæi conspuebant. Job, XXX, 10 : *Et faciem meam conspuere non verentur.* Tenerrimus ad tangendum. Nullam resistentiam exhibuit clavis et lanceæ perforantibus. II Reg. XXIII, 8 : *Ipse est quasi tenerrimus ligni vermiculus.* Durissimus ad penetrandum. Sic Christus usque ad corda durissima, imo usque ad cordis intima Ad Hebr. IV, 12 : *Vivus est sermo Dei, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti : et pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritus, compagum quoque ac medullarum.* Imo et lapideum monumentum penetravit : surrexit enim lapide non sublato : sed Angeli postea amoverunt. Imo cœlum, quod est ita solidum ut æs. Job, XXXVII, 18 : *Cœli solidissimi quasi ære fusi sunt.* Et inde penetravit illos. Ad Hebr. IV, 14 : *Habentes Pontificem magnum, qui penetravit cœlos, Jesum.* Ille est ergo vermis, quo diabolus inescatus fuit. Job, XL, 20 : *An extrahere poteris Leviathan hamo ?* putans enim devorare humanitatem, captus est a ferro divinitatis. Hic est vermis scaturiens de man-

Dicitur Christus vermis multis de causis.

na, scilicet de dulci Maria (Exod. xvi, 20 [1]).

8 Patitur irrisiones a militibus et etiam in suis servis.

« *Omnes videntes me.* » Hic secundum, in quo agitur de irrisione determinando conditiones irrisionis ex parte irridentium : et dicuntur duo. Primo, determinatur irrisio secundum modum dictum. Secundo, ratio sic irridendi ipsum tangitur, ibi, « *Quoniam tu extraxisti me.* »

In prima parte dicuntur tria. Primo irrisum se dicit generaliter. Secundo, distinguit irrisionis modos, et species, quia verbo et facto, ibi, *Locuti sunt labiis.* » Tertio, supponit ipsa verba quæ loquuti sunt irridendo, ibi, « *Speravit in Domino, eripiat eum.* »

Dicit ergo : Sic sum vilis et abjectus : Et etiam « *omnes videntes me.* » *Omnes* dicit : quia etsi aliqui erant, qui non irriderent, paucissimi erant comparatione ad irridentes. Jerem. xx, 7 : *Factus sum in derisum tota die : omnes subsannant me.* Thren. iii, 14 : *Factus sum in derisum omni populo, canticum eorum tota die.* Job, xii, 4 et 5 : *Deridetur justi simplicitas. Lampas contempta apud cogitationes divitum.* Videntes Deum specialiter sunt clerici : quia non solum oculo fidei, sed etiam intelligentiæ Scripturæ vident Deum : sed isti irrident Christum, sicut in passione irrisus fuit : quia spinis coronatur, purpura vestitur, ore tantum, non corde salutatur. Spinæ enim (Matth. xiii, 7) sunt divitiæ : has congregant contra Christum pauperibus Christi esurientibus. Hieronymus in quadam Epistola : « Egentium famem suas facit esse divi« tias, et miseris derelicta in suam tenet « miseriam. » Idem, ibidem : « Nihil illo « ditius, qui corpus Domini canistro « portat vimineo, et sanguinem in vitro, « qui avaritiam projicit de templo. Pur« pura vestiuntur, qui in superfluis ve« stibus victualia pauperum expendunt. » Et Bernardus : « Fulget Ecclesia in pa« rietibus, et in pauperibus eget : suos « lapides auro induit, et suos filios nudos « deserit : de sumptibus pauperum ser« vitur oculis : inveniunt curiosi quo de« lectentur, sed non inveniunt miseri « quo sustententur. » Ore, Matth. viii, 8 : *Populus hic labiis me honorat : cor autem eorum longe est a me.* Jerem. xii, 2 : *Prope es tu ori eorum, et longe a renibus eorum.*

« *Locuti sunt labiis.* » Hic distinguit modos irridendi. Primo, verbo, « *Locuti sunt labiis.* » Quasi diceret : Non corde : imo magis habentes in corde contrarium, cum dicebant illud Matth. xxvii, 29 : *Ave Rex Judæorum.* Et illud, in eodem, ℣. 42 : *Si rex Israel est, descendat nunc de cruce, et credimus ei.*

« *Et moverunt caput,* » irridendo facto, et volentes ostendere forte ipsa sui capitis motione, quod in Deo capite non esset fixus. Psal. lxx, 11 : *Deus dereliquit eum, persequimini, et comprehendite eum.* Matth. xxvii, 39 : *Blasphemabant eum moventes capita sua.*

« *Speravit in Domino.* » Hic tertium, 9
in quo insinuat ipsa verba quæ dicta ore irridendo, et sunt duo in quibus irridendo improperabant : impotentia evadendi passionem, et resurgendi, ibi, « *Salvum faciat.* »

Ait ergo : Sic locuti, supple, dicentes, « *Speravit in Domino,* » ut ait et simulavit, « *eripiat eum* » ergo de morte. Matth. xxvii, 43 : *Confidit in Deo : liberet nunc si vult eum.* Sap. ii, 18 : *Si est verus Filius Dei, suscipiet illum, et li-*

[1] Exod. xvi, 19 et 20 : *Dixitque Moyses ad eos : Nullus relinquat ex eo,* scilicet manna, *in mane. Qui non audierunt eum, sed dimiserunt quidam ex eis usque mane, et scatere cœpit vermibus atque computruit : et iratus est contra eos Moyses.*

berabit eum de manibus contrariorum. Vel, si non eripit quin occidatur, « *salvum faciat eum,* » suscitando, « *quoniam vult eum,* » voluntate beneplaciti, ut jactat se. *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui* (Matth. xvii, 5). Et hæc forte ad aliquos perveniant de Judæis maxime de majoribus Et fuerunt hæc verba David magis Evangelica, quam Prophetica. Propter hoc exclamat Cassiodorus contra Judæos : « O dura corda Judæorum, insensatæ « mentes : nonne hic solus Psalmus ad « passionem credendam sufficere debuis« set ? » Isa. xlviii, 4 : *Scivi quia durus es tu, et nervus ferreus cervix tua, et frons tua ærea.*

10 Irrisionum occasio species humana.

« *Quoniam tu es qui extraxisti.* » Hic est secundum, in quo subjicitur ratio irridendi, scilicet humanitas ipsius, quia videbatur homo verus, et credebatur homo purus, et dicuntur duo. Primo, tamquam ratio irrisionis ponitur, in Christo humanitas, in Deo solo confidentia. Secundo, conversio ad Deum, et oratio ut conservet ipsum, quia necesse est, ibi, « *Ne discesseris a me.* »

In prima tanguntur duo, tamquam ratio irridendi. Primo veritas humanitatis. Secundo, plena in Deo confidentia, ibi, « *Spes mea.* »

Dicit ergo : Sic irrident, sic abjiciunt, et hoc « *quia tu es qui extraxisti me,* » hominem faciendo verum, « *de ventre* » matris meæ, id est, quoniam tua operatione homo factus sum, quod si Deus mansissem, non fieret.

Et nota, quod dicit, « *Tu es qui extraxisti me de ventre :* » non alius. Genes. ii, 5 et 6 : *Homo non erat, qui operaretur terram : sed fons ascendebat e terra* : fons, Dei scilicet verbum, de quo Eccli. i, 5 : *Fons sapientiæ verbum Dei in excelsis.* Et dicit, *ascendebat,* non descendebat ut alii. Et notatur in hoc, et Mariæ integritas in partu, et a dolore immunitas : illa enim manus de ventre matris Christum extraxit, quæ de costa Adæ Evam formavit : et sicut ibi integritas, sic hic. Isa. ix, 14 : *Ecce Virgo concipiet, et pariet filium.* Et sicut ibi immunitas a dolore, imo et maxima fuit delectatio in illa formatione, et ablatione : sic in concipiendo et pariendo, non solum Virgo non doluit, sed etiam maximam delectationem habuit. Isa. lxvi, 7 : *Antequam parturiret*, id est, dolorem in partu sentiret, *peperit.* In quo non est modicum gaudium, maxime quando parit masculum. Joan. xvi, 21 : *Cum autem peperit puerum, jam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum.* Isa. xlix, 1 : *Dominus ab utero vocavit me, de ventre matris meæ recordatus est nominis mei.* Et in eodem, xlix, 5 : *Formans me ex utero* Dominus *servum sibi.*

« *Spes mea.* » Hic secundum, Confidentia, et tanguntur tria. Primo, confidentia. Secundo, singularitas confidentiæ, ibi, « *In te projectus sum ex utero.* » Tertio, ratio quare confidit, ibi, « *De venre matris.* »

Dicit ergo sic : Quia verus sum homo, irrident, et etiam quoniam « *tu es spes mea ab uberibus matris meæ,* » id est, « *spes mea* » secundum illud, secundum quod sugo ubera, de quibus Luc. xi, 27 : *Beatus venter, qui te portavit, et ubera, quæ suxisti.* Nec sumitur spes proprie, sed pro confidentia, et notatur magna Christi perfectio. Christi, inquam, hominis, qui ab ubere semper in Domino confidentiam habuit, quod nec senes faciunt, sed magis in terrenis confidunt. Thren. ii, 21 : *Jacuerunt in terra foris puer, et senex.* Jerem. vi, 13 : *A minore quippe usque ad majorem omnes avaritiæ student.*

« *In te projectus sum,* » totaliter con- **11**
fidendo. Hoc importat projectio ex utero ipso, quia non sicut alii, qui nascuntur in peccato. Ad Ephes. ii, 3 : *Natura su-*

mus filii iræ, et concipimur. Psal. L, 7 : *Ecce in iniquitatibus conceptus sum.*

« *De ventre matris meæ.* » Hic est tertium, ratio scilicet quare sic confidit. Quare sic confido perseveranter : nec mirum, quia « *tu es Deus meus,* » Deus meæ humanitatis, et hoc « *de ventre matris meæ,* » id est, ex quo factus sum de ventre matris meæ. Quasi diceret : Secundum humanitatem meam « *Deus meus es tu,* » non secundum divinitatem, qua idem sum tecum. Jerem. I, 5 : *Priusquam te formarem in utero, novi te : et antequam exires de vulva, sanctificavi te.* Et hoc etiam videtur dicere, quia de ventre matris eum coluerit, quod nullus alius, quia omnes in peccato ibi concepti, et nati peccatores. Sap. VII, 5 : *Nemo enim ex regibus aliud habuit nativitatis initium.*

12 « *Ne discesseris a me.* » Hic secundum totius hujus partis. Præmissa enim causa et ratione quare persequuntur ipsum, convertit se ad orandum : et dicuntur duo. Primo, oratio. Secundo, necessitas orandi monstrantur, ibi, « *Quoniam tribulatio.* »

Ait ergo : Sic in te confido, et propter hoc rogo, « *ne discesseris a me.* » Sed quomodo petit hoc, cum certus esset, quod numquam discederet, nec separaretur divinitas ab humanitate ? Respondeo secundum quosdam, quod hoc non dicit propter separationem naturæ a natura, quam sciebat esse impossibilem, sed pro separatione quantum ad consolationem : nec tantum in se, quia de hoc non dubitabat, sed quantum ad membra sua, et potissime ut nobis det orandi formam.

« *Quoniam tribulatio.* » Hic ratio et causa sic orandi, et tanguntur duo impellentia ad rogandum. Primum, tribulatio proxima et instantia. Secundum, adjutoris defectus, et carentia, ibi, « *Et non est qui adjuvet.* »

Dicit ergo : Sic rogo : nec mirum : « *Quoniam tribulatio proxima est.* » Loco : quia in ipsa mea carne, quæ valde proxima est animæ. Cassiodorus : « Quæ« cumque damna facultatum, orbitates « filiorum, amissiones bonorum susti« net, longinqua sibi mala cognoscitur « sustinere. » Vel tempore proxima : tanto enim tempore prædicta tunc implebantur. In Psal. CXIV, 3 : *Tribulationem et dolorem inveni.* Matth. XXVI, 46 : *Ecce appropinquavit qui me tradet.*

« *Et non est qui adjuvet.* » Ecce defectus adjutoris. Isa. LXIII, 5 : *Circumspexi, et non erat auxiliator.* Job, VI, 13 : *Ecce non est auxilium mihi in me, et necessarii quoque mei recesserunt a me.* Isa. LXIII, 3 : *Torcular calcavi solus, et de gentibus non est vir mecum.* Non est ergo qui adjuvet, nisi tu. Psal. X, sec. Hebr. 14 : *Tibi derelictus est pauper : orphano tu eris adjutor.* Tange breviter duplicem aliam litteram quæ est in Glossa.

Circumdederunt me vituli multi. Hic secunda pars principalis totius Psalmi, in qua subjungitur descriptio passionis cum oratione pro gloria resurrectionis, et dicuntur duo secundum hoc. Primo descriptio passionis tam clara, ac si jam transacta esset. Secundo de ipso judicio et morte, ibi, « *Quoniam circumdederunt me canes multi.* » 13 Secunda pars Psalmi, passionis descriptio.

In prima duo. Primo, quod antecessit passionem quantum ad Judæos. Secundo, quantum ad Apostolos, ibi, « *Dispersa sunt omnia.* »

In prima parte tanguntur quatuor. Primo, circumdatio ad capiendum. Secundo, obsessio ad conservandum ne effugeret, ibi, « *Tauri pingues.* » Tertio, oris apertio ad ipsum acculandum, ibi, « *Aperuerunt super me.* » Quarto postulatio mortis ipsius accusati, imo magis occisio quantum ad ipsos, ibi, « *Sicut aqua.* » Quatuor passionem antecedentia.

Dicit ergo : Sic dixi tribulationem proximam, et vere proximam : quoniam « *circumdederunt me* » *cum gladiis et*

fustibus (Matth. xxvi, 47), *Vituli multi,* Scribæ et Pharisæi auctoritate et procuratione. Et dicuntur *vituli,* quia eorum mater, scilicet Synagoga dicitur *vacca.* Osee, iv, 16 : *Sicut vacca lasciviens declinavit Israel,* de ubertate terrena et intelligentia carnali. Quasi lacte saginati sunt usque ad recalcitrationem. Deut. xxxii, 15 : *Incrassatus est dilectus, et recalcitravit.* Item, vituli dicuntur non boves, quia sine jugo. Jerem. v, 5 : *Hi magis fregerunt jugum, ruperunt vincula.* Item, quia petulantes et lascivi. Jerem. l, 11 : *Effusi estis sicut vituli super herbam.*

« *Tauri pingues,* » Judæorum scilicet principes, tauri per superbiam. Eccli. vi, 2 : *Non te extollas in cogitatione animæ tuæ velut taurus.* Quia armati contra Christum. Job, xv, 26 : *Cucurrit adversus eum recto collo, et pingui cervice armatus est.* Horum taurorum erant cornua duo : invidia et ira, et in tantum exeuntia de capite eorum, scilicet de mente, et in tantum protensa, ut extenderentur usque in Deum. Psal. lxxiv, 5 et 6 : *Dixi iniquis : Nolite inique agere : et delinquentibus : nolite exaltare cornu : nolite extollere in altum cornu vestrum.* Hi tauri pingues, et temporalium rerum et bonorum abundantia, et quia legis pascebant pascua, et Prophetarum. Cassiodorus : « Omne pingue ani- « mal fit inquietum, et de mansueto fe- « rox. » Sic isti plus. Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum. « *Obsederunt me* » sicut castrum obsidetur, ne possem evadere. Ista obsessio fuit fraudulentum consilium contra illum. Matth. xxvi, 4 : *Consilium fecerunt ut Jesum dolo tenerent, et occiderent.* Imo etiam jam mortuum in sepulcro clausum obsederunt : obsessio enim dicitur ostii sessio : et utrumque ibi erat : hostes erant, et in ostio sepulcri sedebant. Job, xix, 12 : *Obsederunt in gyro tabernaculum meum.*

« *Aperuerunt super me.* » Hic tertium, **14**
scilicet accusatio : et dicuntur duo. Primo, accusatio. Secundo, modus, ibi, « *Sicut leo rapiens.* »

Ait enim : Sic circumdederunt, et obsederunt, et post « *aperuerunt super me* » ad accusandum me, « *os suum.* Thren. ii, 16 : *Aperuerunt super te os suum omnes inimici tui.* Et invehitur hic Cassiodorus contra Pelagium, quia in malo potest homo aperire os suum per se, sed in bono et ad bonum non potest sine gratia Dei. Propter quod dicitur in Psal. l, 17 : *Domine, labia mea aperies.* In hoc autem quod dicitur, « *suum,* » secundum Augustinum, notatur oris abusio. Quasi diceret : Aperiunt os quo utuntur non in Scripturis tuis exponendis, sed in abusionibus suis adimplendis. Alioquin os tuum esset. Jerem. xv, 19 : *Si separaveris pretiosum a vili, quasi os meum eris.* « *Suum* » etiam reputatione sui. Supra, in Psal. xi, 5 : *Labia nostra a nobis sunt, quis noster Dominus est?*

« *Sicut leo.* » Hic exprimitur intentio seu finis apertionis, id est, accusationis, scilicet ad occidendum : ideo dicit, « *Sicut leo :* » rapiens enim prædam, et rugiens super raptam, ad hoc rapit et rugit lætando super illam, ut devoret ipsam. Ait ergo : Sic aperuerunt, « *sicut leo rapiens* » ad devorandum, « *et rugiens* » præ gaudio devorationis exspectatæ. Ezech. xxii, 25 : *Sicut leo rugiens, rapiensque prædam, animas devoraverunt.* Amos, iii, 4 : *Numquid rugiet leo in saltu, nisi habuerit prædam?* Jerem. xii, 8 : *Facta est mihi hæreditas mea quasi leo in silva : dedit contra me vocem.*

« *Sicut aqua effusus sum.* » Hic est **15**
quartum, scilicet vilificatio ejus, seu vilis occisio quantum in ipsis fuit. Unde dicit Hieronymus, quod « magis expri- « mitur hic eorum conatus, quam rei « eventus. » Ad hoc enim conati sunt ut ipsum effunderent tamquam aquam, quæ

effusa in terram omnino dilabitur, et nusquam comparet, nec relinquit odorem nec saporem. Sic ipsi ipsum voluerunt sic exstinguere, ut nulla ejus omnino memoria remaneret. Jerem. XI, 19 : *Eradamus eum de terra viventium, et nomen ejus non memoretur amplius.* Secundum alios tangitur etiam eventus rei. Mors enim Christi sicut aliorum generaliter comparatur aquæ effusioni. II Reg. XIV, 14 : *Omnes morimur : et quasi aquæ dilabimur in terram, quæ non revertuntur.* Sed specialiter propter tria, quæ tangit Glossa. Primo, quia aqua effusa lavat : et mors Christi lavacrum fuit generis humani. Apocal. I, 5 : *Qui dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo.* Ezech. XXXVI, 25 : *Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* Item, rigat : et Passio Christi ariditatem cordium nostrorum ad faciendum fructum. Psal. CIII, 13 : *Rigans montes de superioribus suis,* de plagis tuis factis te levato in cruce. Eccli. XXIV, 41 et 42 : *Sicut aquæductus exivi de paradiso : dixi : Rigabo hortum meum plantationum.* Zachar. XIII, 1 : *Erit fons patens domui David in ablutionem peccatoris, et menstruatæ,* ecce primum : *et irrigabit torrentem spinarum* [1], ecce secundum. Hæc duo quoad bonos. Tertium quoad malos, scilicet quod lapsum parat : facit enim vestigia lubricari. Luc. II, 34 : *Ecce positus est hic in ruinam... multorum.* Propter hoc dicitur in persona illorum, Thren. IV, 18 : *Lubricaverunt vestigia nostra in itinere platearum nostrarum.* Psal. XXXIV, 6 : *Fiat via illorum tenebræ et lubricum,* etc.

Mors Christi aqua effusa : quia lavat et rigat bonos, et quoad malos lubricum iter reddit.

Dispersio Apostolorum.

« *Et dispersa sunt omnia.* » Hic est secundum totius hujus partis, in qua tanguntur præcedentia judicium et mortem. Præmissis enim quæ pertinent ad inimicos, hic tangit quod ad Apostolos : et dicuntur duo. Primo, dispersio illorum, et fuga. Secundo, ratio dispersionis, ibi, *Factum est cor meum.* »

Dicit ergo : Sic videtur, et quid de Apostolis : « *Omnia ossa mea dispersa sunt,* » omnes discipuli mei fugerunt. Zachar. XIII, 7 : *Percute pastorem, et dispergentur oves.* Psal. LXXXVII, 19 : *Elongasti a me amicum, et proximum : et notos meos a miseria.* Et dicuntur Apostoli *ossa,* propter hoc quod futuri erant, non quod jam erant. Sicut enim ossa sunt totum robur corporis, et totum corpus sustinentia, sic Apostoli totius corporis, quod est Ecclesia. Ideo enim columnæ dicuntur. Ad Galat. II, 9 : *Jacobus et Cephas, et Joannes, qui videbantur columnæ esse.* Et in Psal. LXIV, 4 : *Ego confirmavi columnas ejus,* quasi fundamentum. Ideo dicitur ad Ephes. II, 20 : *Superædificati super fundamentum Apostolorum,* etc.

Causæ hujus dispersionis.

« *Factum est cor meum.* » Hic est secundum, et ponuntur rationes dispersionis eorum, et tanguntur quatuor. Prima est doctrinæ quasi annihilatio in Discipulis. Secunda, miraculorum subtractio, ibi, « *Aruit tanquam testa.* » Tertia, ignorantiæ per silentium simulatio, ibi, « *Et lingua mea.* » Quarta, præsumptio detentionis ejus in morte, ibi, « *Et in pulverem mortis.* »

Dicit ergo : Sic ossa sunt dispersa : et hoc « *quoniam cor meum,* » id est, doctrina mea, continens pro contento, « *factum est liquescens* » per annihilationem admoto tribulationis igne, « *in medio ventris mei.* » Cœtus Apostolorum adhuc mollis et infirmus sicut est venter.

Nota ergo, quod doctrinam Christi appellat cor. Et recte : quia sicut cor est principium vitæ, et fons, Proverb. IV, 23 : *Omni custodia serva cor tuum, quia ex ipso vita procedit* : sic de Christi do-

[1] Joel, III, 18.

ctrina, tamquam de fonte vita procedit. Psal. CXVIII, 25 : *Vivifica me secundum verbum tuum.* Proverb. XIII, 14 : *Lex sapientis fons vitæ.* Hæc sapientiæ admota tribulatione, quæ ignis est, liquefacta est. Eccli. II, 5 : *In igne probatur aurum et argentum : homines vero receptibiles in camino humiliationis.* Et comparatur optime ceræ : quia sicut cera per apes de floribus colligitur, sic ipsa per humiles investigatores de speciebus creaturarum. Job, XXVIII, 18 : *Trahitur sapientia de occultis.* Propter hoc dicitur Prov. XI, 2 : *Ubi est humilitas, ibi et sapientia*, sicut ubi apis, ibi cera. Et sicut cera nobilissimum fomentum est luminis : sic doctrina Christi nobilissimum fomentum nostræ cognitionis. Propter hoc dictum est repellentibus hanc doctrinam, Matth. XV, 14 : *Sinite illos : cæci sunt, et duces cæcorum.* Sed de anima sibi ceram hanc adhibenti, Proverb. XXXI, 18 : *Non exstinguetur in nocte lucerna ejus.* Item, sicut ceræ intima patent adhibito igne, sic Scripturæ intima patuerunt adhibita Christi passione : Matth. XXVII, 51 : *Velum templi scissum est in duas partes, a summo usque deorsum.* Propter hoc dicitur Sapient. VII, 9 : *Tamquam lutum æstimabitur argentum in conspectu illius.* Et ita legibus præponitur : *Super salutem*, quantum ad medicinam, *et speciem*, quoad philosophiam, *dilexi eam, et proposui pro luce habere illam* [1].

Doctrina Christi ceræ comparata.

Ergo cor factum est liquescens tamquam cera. Ubi? *In medio ventris*, cœtus Apostolorum qui adhuc non ossa, sed molles valde, non adhuc in gratia confirmati. Seneca : « O quam contempta res « est homo, nisi se supra humana surre« xerit, resistens tentationum impul« sui [2]. » Thren. I, 6 : *Abierunt absque fortitudine ante faciem subsequentis.*

16 « *Aruit tamquam testa.* » Hic secunda causa, quare sic cessit eruditio, et doctrina. Et etiam virtus mea, qua feceram miracula inter eos, « *aruit* » illorum reputatione, quasi annihilata, tamquam testa, quæ nihil est, nec valet aliquid. Habac. III, 4 : *Ibi abscondita est fortitudo ejus* : et propter hoc contempta facta est. Matth. XXVII, 40 : *Si Filius Dei es, descende de cruce.* Quasi diceret : Ad nihilum virtus miraculorum ejus deducta est.

« *Et lingua mea.* » Ecce tertium, simulatio ignorantiæ per silentium. Ait enim : Sic fortitudo et virtus annihilata est, et etiam lingua mea adhæsit faucibus meis, id est, quasi adhærens fuit. Matth. XXVII, 14 : *Non respondit ei ad ullum verbum.* Isa. LIII, 7 : *Quasi agnus coram tondente se obtumescet, et non aperiet os suum.* Eccli. XX, 6 : *Est tacens, non habens sensum loquelæ : et est tacens sciens tempus aptum.* I Pet. II, 23 : *Cum malediceretur, non maledicebat : cum pateretur, non comminabatur.*

« *Et in pulverem mortis.* » Hic quarta causa.

Ait enim : « *Et in pulverem mortis,* » ad quem mors deduxit, « *deduxisti me,* » illorum æstimatione. Genes. III, 19 : *Pulvis es, et in pulverem reverteris.* Sic crediderunt de me. Psal. XXVII, 1 : *Assimilabor descendentibus in lacum.* Sed non fuit ita, imo sicut supra, non dedit Sanctum suum videre corruptionem. « *Et in pulverem mortis,* » in sepulturam, ubi corpus ponitur necessario, et sic in pulverem deducitur. Quid est terra nisi pulvis? Et hoc evidentius dicit sine terra. Hieronymus : « In humum mortis deduxisti me. « Et propter hoc quia morientem viderunt, etiam dispersi sunt et fugerunt Apostoli. » Job, XXX, 19 : *Comparatus sum luto, et assimilatus sum favillæ et cineri.*

[1] Sapient. VII, 10.

[2] SENECA, De naturalibus Quæstionibus, lib. I.

17 *Descriptio passionis.* « *Quoniam circumdederunt me.* » Hic est secundum hujus partis, in qua agitur de Passione. Præmissis enim iis quæ antecesserunt mortem et condemnationem Christi, hic subjungitur de ipsa condemnatione, et morte, et modo mortis : et dicuntur quatuor. Primo, adjudicatio. Secundo, crucifixio, ibi, « *Foderunt manus meas.* » Tertio, inimicorum delectatio in ejus afflictione, ibi, « *Ipsi vero consideraverunt me.* » Quarto, distractio rerum tamquam damnati, ibi, « *Diviserunt sibi.* »

In prima duo. Primo, petitio impii judicii ab adversariis. Secundo, deliberata adjudicatio sicut petitum est, ibi, « *Concilium malignantium.* »

Dicit ergo : Sic me circumdederunt ut vituli, et ut tauri ad cupiendum vilificaverunt. Et Apostoli dispersi sunt, et bene : *Adversarii Christi comparati canibus.* « *Quoniam circumdederunt me canes multi,* » Judæi, Scribæ, et Pharisæi. Ecce comparantur bestiis : vitulis propter lasciviam, tauris propter superbiam, leonibus propter crudelitatem, canibus propter impudentiam. Psal. XLVIII, 13 : *Homo, cum in honore esset, non intellexit : comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis.* Et bene canibus comparantur, quia insaturabiles Christi inhonoratione. Isa. LVI, 11 : *Canes impudentissimi nescierunt saturitatem.* Item, quia ambulanti in via recta Christo oblatrabant. Matth. XXII, 16 et seq. : *Magister, scimus quia verax es, et viam Dei in veritate doces... Dic ergo nobis,* etc. Sed oblatratio erat, unde statim post : *Cognita autem Jesus nequitia eorum.* Joan. VIII, 48 : *Dæmonium habes.* Item, mordent nulla eis illata injuria. Sic ipsi Christum. Luc. XXIII, 21 : *Crucifige, crucifige eum. Et præses, Quid enim mali fecit ?* Item, magis extraneos infestant, quam notos. Sic ipsi Christum, quia extraneus et dissimilis. Sap. II, 15 : *Gravis est nobis etiam ad videndum, quoniam dissimilis est aliis vita illius.* Item, quia veloces et prompti ad nocendum sicut canes. Proverb. I, 16 : *Pedes illorum ad malum currunt, et festinant ut effundant sanguinem.* Item, sagaces sunt multum canes in odorando, et de longe olfaciunt. Sic ipsi Christum a longe senserunt, id est, a lege et Prophetis. Joan. XII, 34 : *Nos audivimus ex lege quia Christus manet in æternum.* Item, Ambrosius : « Omnis fera ægra canis hausto sanguine curatur, sed canis non. Sic hausto Christi sanguine, qui Judæus fuit, omnes curantur præter ipsos. » Ad Hebr. VII, 14 : *Manifestum est quod ex Juda ortus sit Dominus noster Jesus Christus.* Propter hoc exclamat Jerem. VIII, 21 et 22 : *Stupor obtinuit me. Numquid resina non est in Galaad ? aut medicus non est ibi ? Quare igitur non est obducta cicatrix filiæ populi mei ?* Isidorus : « Novis vocibus oblatrant. Sic Judæi audito illo, *Mandatum novum do vobis*[1], actutum latraverunt. » Item, Isidorus : « Canum natura est extra homines esse non posse. Sic Judæi in omnes gentes sunt dispersi, ne soli essent, et ne viderentur non esse canes. » Jerem. XIII, 14 : *Dispergam eos, virum a fratre suo, et patres et filios pariter, ait Dominus.* Item, Hieronymus : « Canum proprium, ut domino proprio congaudeant, et contra latrones latrent. Sed e contra degeneres canes Judæi, contra proprium Dominum latraverunt. » Joan. XIX, 7 : *Secundum legem nostram debet mori, quia Filium Dei se fecit.* Et latroni congaudebant, Joan. XVIII, 40 : *Non hunc, sed Barabbam.* Sed nox fuit in causa, in tenebris enim erant excæcationis. Matth. XXVI, 55 : *Tamquam ad latronem existis cum gladiis, et fustibus comprehendere me : Quotidie apud vos sedebam docens in templo, et non me tenuistis. Sed hæc*

1 Joan. XIII, 34.

est hora vestra, et potestas tenebrarum[1].

« *Concilium,* » vel consilium : et quodlibet bonum est, sed me liusutrumque : hic enim tangitur deliberata adjudicatio : et in concilio adjudicatur multitudo adjudicantium. Adjudicavit enim Caiphas, et Anna, et omne concilium Judæorum. In concilio notatur unitas illorum in illam malitiam. In Psal. II, 2 : *Reges terræ et principes convenerunt in unum adversus Dominum, et adversus Christum ejus.* Et Joan. XI, 47, et Matth. XXVI, 4 : *Collegerunt Pontifices et Pharisæi concilium ut Jesum dolo tenerent, et occiderent.*

« *Concilium malignantium.* » In Psal. XXXIV, 4 : *Avertantur retrorsum, et confundantur cogitantes mihi mala.* Vel malignantes possunt dici Gentiles, quibus est traditus post judicium. Psal. XCIII, 16 : *Quis consurget mihi adversus malignantes ? aut quis stabit mecum adversus operantes iniquitatem ?*

« *Obsedit me* » sicut civitatem. Et dicit Cassiodorus, quod optime dicit : quia « in ipso erat civitas Jerusalem, omnes « scilicet boni et justi ab ipso electi. » I Joan. IV, 16 : *Qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo.* Et ipse erat tamquam murus. Isa. XXVI, 1 : *Salvator ponetur in ea murus et antemurale.* Unde et ictus linguarum Judæorum, tamquam quarumdam machinarum sustinuit.

Christus crucifixus.

« *Foderunt manus.* » Hic secundum, crucifixio scilicet, sive judicii præmissi executio. Et tanguntur duo quæ fuerunt in crucifixione. Primo, membrorum perforatio. Secundo, corporis distensio, ibi, « *Dinumeraverunt.* »

Dicit ergo : Sic obsederunt me Gentiles, et post « *foderunt manus meas et pedes meos* » clavis perforando, et cruci configendo. Et loquitur in præterito de re futura, certitudine prophetali. Zach. XIII, 3 : *Configent eum pater ejus,* summus Pontifex Caiphas : *et mater ejus,* Synagoga, et dicent : Non prophetabis amplius in nomine Domini. Et nota, quod non dixit, *Transfixerunt,* vel *confixerunt manus meas,* sed *foderunt.* Ad hoc enim fit fossio, ut fossa fructificet. Cassiodorus : « Corpus Christi clavis affixum « et lancea latus perforatum, fructum « nobis attulit sine fine mansurum. » Fructum fidei inde reportavit Thomas, quando eo palpato dixit : *Dominus meus, et Deus meus*[2]. Genes. XXXVI, 27 : *Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.* Sed numquid indigebant illi agelli manuum et pedum fossione ut fructificarent ? Non sine dubio non erat illa terra maledicta, quæ sine labore fructificare non poterat, sed benedicta terra, quæ ante fossionem fructificarat, semper opera bona faciendo. Marc. IV, 28 : *Ultro terra fructificat.* Ideo conqueritur per Jerem. II, 31 : *Numquid solitudo factus sum Israeli, aut terra serotina ?* Item, foderunt ad aquam hauriendum, quo eorum siccitas irrigaretur. Num. XXI, 18 : *Ascendit puteus, quem foderunt principes tribuum.* Ezech. XLVII, 1 : *Ecce aquæ descendebant in templi latus dextrum.* Genes. II, 10 : *Fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum.* Item, ad habitaculum humilibus faciendum, Prov. XXX, 26 : *Lepusculus, plebs invalida, collocat in petra cubiculum suum.* Isa. II, 10 : *Ingredere in petram,* Christum scilicet. I ad Corinth. X, 4 : *Petra autem erat Christus.* Et abscondere in fossa humo, Cant. II, 14 : *Veni columba mea in foraminibus petræ, in caverna maceriæ.* Jerem. XLVIII, 28 : *Estote quasi columba nidificans in summo ore foraminis.* Ad thesauros requirendos, Job, III, 22 : *Gaudent vehementer cum invenerint sepul-*

Quare dicitur *foderunt* scilicet ut terra fossa fructificet, et aqua hauriatur inde, et sit nobis habitaculum et thesaurus ?

[1] Luc. XXII, 53.

[2] Joan. XX, 18.

crum, quasi effodientes thesaurum. Sic in Christo ut thesauros nobis invenirent. Ad Coloss. II, 3 : *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ, et scientiæ Dei absconditi.*

18 « *Dinumeraverunt.* » Hic secundum. Quasi diceret : Sic foderunt, et dinumeraverunt, id est, extendendo corpus, numerabilia fecerunt « *omnia ossa mea.* » Augustinus : « Non poterat melius describi extensio corporis ejus in ligno. « Manus ergo fodiuntur, ut sanguis effluat ad lavandas maculas corporis « Ecclesiæ : corpus extenditur ad rugas « removendas. » Ad Ephes. v, 27 : *Exhibebit sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam.*

Insultant Christo.

« *Ipsi vero consideraverunt.* » Hic est tertium, in quo monstratur delectatio eorum in ejus afflictione juxta lecturam aliam : legitur enim primo sic, ut hæc duo referantur ad cognitionem. Quasi diceret : Sic extenderunt me, sic foderunt et manus et pedes : « *Ipsi vero consideraverunt, et inspexerunt,* » intus adspexerunt per vulnerum apertionem, nihil aliud cogitantes vel cognoscentes in me, nisi quod extrinsecum est, et non verbi et divinitatis meæ veritatem. Isa. VI, 10 : *Excæca cor populi hujus, et aures ejus aggrava,... ne forte videat oculis suis,... et corde suo intelligat.*

Consideratio a sidere.

Vel sic : « *Ipsi vero consideraverunt,* » magnam adhibentes diligentiam. Dicit enim Isidorus, quod « consideratio a « sideribus nomen accipit, quia per id « quod intuebatur in sidere exterius, « aliud interius scrutabatur. » « *Et inspexerunt* » delectando : inspectio enim importat oculi fixionem, et ubi amor, ibi oculus : non quod amarent Christum, sed ejus pœnam. Eccli. XXXI, 14 : *Memento quoniam malus est oculus nequam.* Sic ergo miseri non tantum cor, linguam, manum, sed etiam oculos reos habuerunt. Cassiodorus : « Petræ scissæ « sunt, terra contremuit, sol amictu se « tenebroso, ne tantum scelus videret, « abscondit, et proh dolor ! iniquitas ip- « sorum oculis in sacrilegio fixis per- « mansit immobilis. »

Distractio vestium ad litteram et moralis.

« *Diviserunt sibi.* » Hic est quartum, 19
distractio rerum ejus, tamquam irrevocabiliter damnati. Et tangitur vestium ejus, alias enim res non habebat, divisio, per partium distributionem. « *Diviserunt sibi vestimenta mea,* » quatuor milites qui crucifixerunt. Alia, inquam, vestimenta a tunica : « *Et super vestem meam,* » tunicam scilicet inconsutilem, « *miserunt fortem.* » Et distributio per sortem quantum ad tunicam[1]. Et nota, quod vestis interior est virtus, quæ est vestis Christi. Luc. XXIV, 49 : *Quoadusque induamini virtute ex alto.* Eccli. XVII, 20 : *Et vestivit illum,* scilicet se, *virtute.* Exterior autem sunt virtutum opera. Eccli. L, 11 : *Et vestivi eum in consummatione virtutis.* Vestimenta autem ista hypocritæ dividunt, qui opera exteriora sine virtutibus interioribus ostendunt. Matth. VII, 15 : *Attendite a falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium,* ecce vestis exterior : *intrinsecus autem sunt lupi rapaces,* ecce qui interiori carent. Charitas autem est tunica inconsutilis, sed per totum, filis amoris extensis ab uno usque ad alterum concepta. I Petr. IV, 8 : *Ante omnia,* sicut tunica est primum vestimentum, *mutuam in vobismetipsis charitatem continuam habentes.* Hæc sorte Dei habetur, sola Dei voluntate cordibus nostris infunditur.

[1] Cf. Matth. XXVII, 35; Marc. XV, 24; Luc. XXIII, 34; Joan. XIX, 23 et seq.

20 Oratio Christi pro resurrectione.

« *Tu autem, Domine, ne elongaveris.* » Hic est secundum totius hujus partis, in qua agitur de passionis descriptione. Præmissa enim diligenti descriptione afflictionis Christi, subjungitur de oratione facta pro acceleratione resurrectionis, et remotione volentium impedire illam, et dicuntur tria. Primo, petit auxilii accelerationem. Secundo, defensionis diligentiam, ibi, « *Ad defensionem.* » Tertio, specificat a quibus quærat defendi, ibi, « *Erue a framea.* »

Dicit ergo : Sic illi, sed « *tu Domine* » Deus Pater, « *ne elongaveris a me auxilium tuum,* » sicut ab illis, quos in pulvere relinquis usque in diem judicii : sic enim mortem communi lege non meruerat, nostra enim mors fuit pœna pro peccato, sua autem mors, magis hostia pro peccato, quia voluntarie se ad mortem obtulit. Isa. LVIII, 7 : *Oblatus est quia ipse voluit.* Chrysostomus super Matthæum : « Necessitas et voluntas numquam parem merentur honorem : sed ipse voluntate mortuus est. » Joan. X, 18 : *Nemo tollit animam meam a me, sed ego pono eam,* non necessitate. Nos necessitate, et ob hoc minori debemur honore honorari, ipse majori. Et sic sua resurrectio cum nostra non debuit retardari, sed fieri statim. Item, sua resurrectio causa est nostræ. Augustinus super Joannem : « Omnem animam suscitat Deus per Christum Filium Dei, corpora, per eumdem filium hominis. » Et hoc dicit Paulus, I ad Corinth. XV, 12 et seq. : Si Christus resurrexit, et nos resurgemus. Et iterum, ℣, 20 et 21 : *Christus resurrexit a mortuis primitiæ dormientium, quoniam quidem per hominem mors est,* etc., sed causa ante effectum esse debet.

« *Ad defensionem.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Non solum celeriter me liberes, sed etiam sedulo « *conspice ad defensionem meam,* » ut me custodias in sepulcro quoad corpus, et in inferno quantum ad animam, illud defendendo a putrefatione, hanc autem a detentione : quod et factum est. Psal. XV, 10 : *Non derelinques animam meam in inferno : nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem.*

21 Defendi petit a morte, et Judæo, et dæmone.

« *Erue a framea Deus animam.* » Hic specificat a quibus velit defendi : et dicuntur tria, secundum tria a quibus petit erui. Primo, quod a morte. Secundo, quod a Judæo persequente, ibi, « *Et de manu canis.* » Tertio, quod a diabolo, ibi, « *Salva me ex ore.* »

Dicit ergo : Sic defende sollicite : sed a quo ? *Erue a framea,* » id est, a morte, « *animam meam.* » Et nota, quod non petit ut non moriatur, sed ut mortuo ipso per separationem animæ a carne, anima ab illa separatione eruatur : quod est ipsam iterum suo corpori vivendo uniri. Framea autem dicitur mors : quia mors dividit animam a corpore, sicut frameæ est dividere. I Reg. XV, 32 : *Siccine separat amara mors ?*

Vel quia mors framea efficitur frequenter, sicut littera dicitur manus, quia manus est effectus. Dicit enim Cassiodorus : « Framea significat sive hastam, sive gladium, sive quælibet arma. » Lingua autem detractionis dicitur framea : quia corda dividit charitate unita. Psal. LVI, 5 : *Lingua eorum gladius acutus.* Eccli. XXVIII, 16, 19 : *Lingua tertia multos commovit : multos turbabit pacem habentes : et dispersit illos de gente in gentem.* Et infra : *Lingua tertia mulieres viratas ejecit,* quæ sunt unum corpus cum viris suis.

« *Et de manu canis,* » Judæi, qui canis est rationibus supra dictis, « *unicam meam,* » animam meam. Quodam enim modo sub manu, et potestate erat, cum in limbo erat : sic enim erat ut volebant. Dicitur autem *unica* ejus beata anima, quia immunis a peccato sola. Job, XIV, 4 : *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine ? Nonne tu qui solus es ?* Vel *unica,* quia summe divinitati unita. I ad Cor. VI, 17 : *Qui adhæret Domino, unus spiritus est.*

« *Unica,* » quia non temporalibus distracta, sicut illi de quibus in Psal. IV, 8 : *A fructu frumenti, vini, et olei sui multiplicati sunt.* Et Osee, X, 2 : *Divisum est cor eorum, nunc interibunt.*

22 « *Salva me ex ore leonis.* » Hic tertium, in quo petit a dæmone defensionem : et dicuntur duo. Primo, petit defensionem ab ejus aviditate qua appetebat eum devorare. Secundo, ab ejus elatione, ibi, « *Et a cornibus.* »

Dicit ergo : Sic erue me de manu canis, et etiam « *salva me* » in manifestatione hominum : semper enim salvus ero in te. « *Ex ore leonis,* » ex aviditate dæmonis quærentis me devorare sicut et alios. Job, XL, 18 : *Absorbebit fluvium, et non mirabitur : et habet fiduciam quod Jordanis influat in os ejus ;* ille, in quo omnes baptizantur et mundantur. Os suum multum aperuerat leo iste, quando et Sanctos devorabat quodam modo, quando ab ingressu regni impeditos tenebat in limbo, quasi in ore suo : sed absque ullo termino dilatavit, quando Christum devorare voluit. Isa. V, 14 : *Dilatavit infernus animam suam, et aperuit os suum absque ullo termino.* Quantum autem ad præsens, leo dicitur diabolus propter caudæ longitudinem. Numquid non bene longa est, quæ secum trahere potuit tertiam partem stellarum[1]? Propter unguium suarum occultationem. II ad Corinth. XI, 14 : *Satanas transfigurat se in Angelum lucis :* ponens ungues quasi in vagina bonitatis. Tertio, quia sicut leo animalium, sic hominum sanguinem semper sitit. I Pet. V, 8 : *Adversarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret.*

Dæmon leoni comparatur.

« *Et a cornibus.* » Hic secundum, in quo petit liberari ab elatione.

[1] Cf. Apocal. XII, 4.

Ait enim : Sic me libera ab aviditate, et etiam « *a cornibus unicornium,* » a potentia quæ significatur in cornibus « *unicornium,* », dæmonum, qui significantur per unicornes. Est enim superbissimum animal : et diabolo nihil superbius. Psal. LXXIII, 23 : *Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper.* Job, XXXIX, 9 : *Numquid volet rhinoceros servire tibi?* Rhinoceros est unicornis. « *Salva,* » id est, salvatam manifesta, « *humilitatem meam,* » id est, me ratione humilitatis meæ. Hoc est verum et proprium humilitatis meritum salvari et exaltari, quod hic petitur. Luc. XIV, 11 et XVIII, 14 : *Qui se humiliat, exaltabitur.* Ad Philip. II, 9 : *Propter quod et Deus exaltavit illum,* etc. Legitur et de Judæis, qui dicuntur *unicornes*, propter unicum testamentum de quo superbiebant.

« *Narrabo nomen tuum fratribus.* » 23
Hic est tertia pars totius Psalmi. Præmissa enim afflicti compositione, descripta passione, et oratione completa pro resurrectionis acceleratione, subjungitur de fructu consequente passionem, qui gratiarum actio, et aliorum invitatio ad bonum non horaria, sed perpetuo continuanda : et secundum hoc dicuntur duo. Primo, fructus, scilicet gratiarum actio, et prædicatio nominis Dei. Secundo, hujus fructus perpetuatio, ibi, « *Et anima mea illi vivet.* »

Tertia pars Psalmi. Fructus passionis, gratiarum actio.

In prima duo secundum duplicem fructum quem tangit, et de quo agit. Primo, prædicatio divini nominis et laus ejus ad illuminandum humanum intellectum. Secundo, perceptio Sacramenti Dominici corporis ad informandum et perficiendum affectum, ibi « *Edent pauperes et saturabuntur.* »

In prima duo. Primo, promissio de prædicando et laudando Deo, et aliorum

invitatio adhoc ipsum. Secundo, qua intentione, et ubi, et in quo debeat laudari proprie Deus, ostendit, ibi, « *Apud te laus mea.* »

In prima duo. Primo, se promittit prædicaturum. Secundo, invitat alios ad hoc ipsum, ibi, « *Qui timetis Deum.* »

In prima duo. Primo, promittit se prædicaturum, ibi, « *Narrabo.* » Secundo, laudaturum extollendo illum, de quo prius erat narratio, ibi, « *In medio Ecclesiæ.* »

Dicit ergo : Sic oro : quod si compleveris, « *narrabo,* » etc. Vel : Sic hoc patior, et hic est sequens fructus, « *Narrabo nomen tuum.* » Quibus ? « *Fratribus meis,* » Apostolis. Hoc verum est, et hoc fuit prædicando eis post resurrectionem, et Scripturas aperiendo. Luc. XXIV, 27 : *Incipiens a Moyse et omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis.* Et tunc etiam verum erat illud Joan. XVII, 6 : *Pater, manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi.* Vel tunc narravit mirabili et efficaci modo, quando Spiritu sancto in illos misso, interius instruxit. Joan. XVI, 13 : *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Fratres autem eos dicit hic Propheta, sicut Christus fratres eos vocavit, Joan. XX, 17 : *Vade ad fratres meos, et dic eis : Ascendo ad Patrem meum, et Patrem vestrum,* etc. Fratres autem dicit, non tantum propter hoc quod est eis conformis natura. Genes. XXXVII, 27 : *Frater enim et caro nostra est :* sed quia per bonam operationem et charitatem sunt conjuncti ad invicem. Matth. XII, 50 : *Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse meus frater, et soror, et mater est.* Hinc disce humilitatem : ille enim excelsus super omnes gentes, ille qui dicit, Joan. XIII, 13 : *Vos vocatis me Magister, et Domine : et bene dicitis : sum etenim* : hic nominat se nomine paritatis. Ad Hebr. II, 11 : *Non confunditur fratres eos vocare.* Sed notandum, quod multi volunt esse fratres ejus ex parte matris misericordiarum, sed non ex parte matris Mariæ, quæ sonat amarum mare. Tamen dicitur, Proverb. XVII, 17 : *Et frater in angustiis comprobatur.* Et ad Hebr. XII, 8, quod *si extra disciplinam estis, adulteri estis, et non filii :* et ita neque fratres.

« *In medio Ecclesiæ,* » non in angulo. Cassiodorus : « In conspectu multorum « visa bona operatio præstat exemplum. » Joan. XX, 19, et Luc. XXIV, 36 : *Stetit Jesus in medio discipulorum,* qui erant parva quædam Ecclesia, et stetit in medio, tamquam centrum totum sustinens et portans. Psal. XLV, 6 : *Deus in medio ejus non commovebitur.* Eccli. XV, 5 : *In medio Ecclesiæ aperiet os ejus.*

« *Laudabo te :* » quod addit super narrationem simplicem. Eccli. LI, 15 : *Laudabo nomen tuum assidue, et collaudabo illud in confessione.*

« *Qui timetis Dominum.* » Hic est se- 24
cundum : aliorum invitatio ad laudandum. Secundo, probatio, quod debent, ibi, « *Quoniam non sprevit.* »

In prima invitat primo imperfectos. Secundo, proficientes, ibi, « *Universum semen Jacob.* » Tertio, perfectos, ibi, « *Timeat eum.* »

Dicit ergo : Sic narrabo, et invito alios, « *qui timetis Dominum,* » tamquam incipientes adhuc, « *laudate eum.* » Tob. XIII, 6 : *Adspicite quæ fecit nobiscum, et cum timore et tremore confitemini illi : Regemque sæculorum exaltate in operibus vestris.* Judith, XIII, 17 : *Laudate Dominum Deum nostrum, qui non deseruit sperantes in se.* Et bene invitans ad laudem præmittit timorem Domini, quia, sicut dicit Cassiodorus : « Timor humanus non laudem Dei partu« rit, sed vituperationem : sed Dei timor « quia justus est et rectus, laudem gene« rat, amorem tribuit, ardorem charitatis « inflammat. »

« *Universum semen.* » Hic secundum. Quasi diceret : Sic laudate incipientes,

et vos « *universum semen Jacob,* » scilicet proficientes : Jacob enim luctator, proficientes autem in lucta sunt : « *glorificate eum,* » gloriose laudate, id est, ad ejus gloriam et laudem quæcumque facitis, ordinate.

Et nota, quod dicit « *universum,* » ut notet multitudinem operum bonorum in activis et proficientibus. Luc. x, 41 : *Martha, Martha, sollicita es, et turbaris erga plurima.* « *Semen* » autem dicit, propter multiplicationis verbum : debent enim boni proficientes, semper opera bona multiplicare, et tamquam semper semina quædam reputare. Psal. cxxv, 6 : *Euntes ibant et flebant, mittentes semina sua.*

« *Glorificate eum,* » quadrupliciter : corpora per pœnitentiam glorificando, I ad Corinth. vi, 20 : *Glorificate, et portate Deum in corpore vestro.* Bona quæ facitis et quod proficitis, ad ipsum referendo, I ad Corinth. x, 31 : *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis : omnia in gloriam Dei facite.* Alios ab bonum exemplo vestro bono provocando, Matth. v, 16 : *Videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est.* Ipsum laudando, et opera illius enarrando. Sic accipitur hic. Eccli. xliii, 32 : *Glorificate Dominum quantumcumque potestis : supervalebit enim adhuc.*

25 « *Timeat eum omne.* » Ecce tertium. Quasi diceret : Sic laudent incipientes, sic proficientes, et etiam « *omne semen Israel* », videntium Deum, contemplativorum scilicet, et perfectorum, « *timeat eum,* » timore casto, et sancto, qui permanet in sæculum sæculi, qui est super omnem laudem et glorificationem. Eccli. xxv, 14 : *Timor Dei super omnia se superposuit.* Et in cap. xl, 28 : *Timor Domini sicut paradisus benedictionis, et super omnem gloriam operuerunt illum.* Et in eodem, ℣. 26 : *Facultates et virtutes exaltant cor : et super hoc timor Domini.* Sicut enim timor servilis est initium sapientiæ, sicut dicitur in Psal. cx, 10, sic timor castus consummatio. Eccli. i, 20 : *Plenitudo sapientiæ est timere Deum.* Propter hoc dicit qui testimonio divino ita perfectus erat, Job, xxiii, 15 : *A facie ejus turbatus sum, et considerans eum,* ecce contemplatio : *timore sollicitor,* ecce timor. Et notatur, quod laus refertur ad os, glorificatio ad opus et manum, et timor ad cor, ut sic totus homo adstringatur Deo.

« *Quoniam non sprevit.* » Hic secundum, in quo ponit causas quare sit laudandus : et dicuntur duo. Primo, quia non recusavit deprecantem. Secundo, quia exaudivit, ibi, « *Et cum clamarem.* »

In prima removet tria per quæ solet repelli oratio. Aut cum negligit qui petitur : et hoc primo removet. Aut cum contemnit : et hoc secundo, « *Nec despexit.* » Aut cum ex indignatione et quasi odio avertit faciem, ibi, « *Nec avertit.* »

Ait ergo : Sic narrabo, et vos laudetis et glorificetis : et dignum est, « *quoniam non sprevit* » negligendo, « *nec despexit,* » contemnendo, *deprecationem pauperis,* » mei scilicet, dicit Christus : ipse enim pauper in Psal. lxxxvii, 16 : *Pauper sum ego, et in laboribus a juventute mea.* Vel pauperis cujuscumque. Nec mirum : apud Deum enim pauperes magni principes sunt. Matth. v, 3 : *Beati pauperes spiritu : quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Et Michæ. vii, 3, dicitur : *Princeps postulat, et judex in reddendo est.*

Et notatur secundum Cassiodorum diversitas inter homines et Deum. Ait ergo : « Solent in honore mundi gloriantes « semper vere pauperes despicere supplicantes, causamque de habitus qualitate « metiri : ut si sit vestibus nitidus, verax « putetur : si habitu sordidus, mendacissimus habeatur. Sed longe aliter apud « Deum. Egenus illi pretiosus est, qui tamen fuit sanctitate ditissimus. » Jacob.

II, 5 : *Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, et hæredes regni ?* Et nota, quod est duplex paupertas : una spiritualis, quæ est humilitas, de qua Matth. v, 3 : *Beati pauperes spiritu.* Hi sunt qui non ambulant in magnis, nec in mirabilibus. *Mendicus sum,* scilicet rebus, *et pauper,* humilis spiritu, *et Dominus sollicitus est mei*[1].

« *Nec avertit faciem suam a me,* » indignando tamquam odiens : et est tertium. Joan. XI, 42 : *Ego sciebam, quia semper me audis,* et habes ad me faciem tamquam ad rem amatam. Matth. III, 17 et XVII, 5 : *Hic est Filius meus dilectus.* Et innuit ut a paupere non avertatur facies divitum, sed magis respiciatur oculo misericordiæ. Tob. IV, 7 : *Noli avertere faciem tuam ab ullo paupere : ita enim fiet ut nec a te avertatur facies Domini.*

« *Et cum clamarem ad eum, exaudivit me.* » Hoc dicit ne diceretur ei : Negationes nihil ponunt. Jon. II, 3 : *Clamavi, et exaudivit me.* Exaudivit autem clamorem triplicem. Clamorem quo clamavit pro se, Joan. XVII, 1 : *Pater, clarifica Filium tuum.* Pro suis in eodem, XVII, 11 : *Pater, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi.* Et pro inimicis, Luc. XXIII, 34 : *Pater, dimitte illis : non enim sciunt quid faciunt.* Primum exaudivit, Joan. XII, 28 : *Et clarificavi, et iterum clarificabo.* Nec est contrarium ei, quod supra dicebatur, Psal. XXI, 3 : *Clamabo per diem, et non exaudies :* illud enim ad veterem hominem referebatur, et hoc ad novum, illud pro corpore Ecclesiæ dicebatur, hoc pro proprio : illud pro voluntate sensualitatis, et hoc pro voluntate rationis.

Triplex oratio Christi, pro se, pro suis, et pro inimicis.

26 *Apud te laus mea.* Hic est secundum, in quo subjungitur, qua intentione laudet. Et hoc primo. Et in quo loco, et hoc secundo, « *In Ecclesia magna.* » Et in quibus, et hoc tertio, « *In populo gravi.* »

Dicit ergo : Sic narrabo et alios invitabo, et hoc non quærendo laudem ab homine, sed « *laus mea est apud te,* » id est, ut te possim tantum laudare. Vel laudo et glorifico, ut lauder a te. Joan. VIII, 54 : *Si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est. Est Pater meus qui glorificat me.* Matth. VI, 22 : *Si oculus tuus,* intentio operis tui, *fuerit simplex : totum corpus tuum lucidum erit.*

« *In Ecclesia magna,* » Ecclesia scilicet Catholica, id est, universali, quæ per totum mundum est diffusa. Isa. LIV, 2 : *Dilata locum tentorii tui, et pelles tabernaculorum tuorum extende, ne parcas.* Malach. I, 11 : *Ab ortu solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur, et offertur nomini meo oblatio munda.* Et ideo non parva, sicut quondam quando dicebatur, Psal. LXXV, 2 : *Notus in Judæa Deus* tantum. Nec tantum in Africa, sicut dicunt Donatistæ. Magna etiam potestate, Matth. XVI, 19 : *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis,* etc. Matth. X, 1 : *Dedit illis potestatem spirituum immundorum, ut ejicerent eos, et curarent omnem languorem, et omnem infirmitatem.* Et multo major posse super dæmonem, de quo Job, XLI, 24 : *Non est potestas quæ comparetur ei.* Magna dignitate, Cant. VI, 8 : *Una est columba mea, una est matris suæ, electa genitrici suæ,* Ecclesiæ scilicet militanti. Magna duratione, Matth. XXVIII, 20 : *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi.* Luc. XXII, 32 : *Ego rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua.* Eccli. XL, 12 : *Fides in sæculum stabit.*

« *Vota mea.* » Hic tertium, in quo erit laus in votorum scilicet redditione. Quasi diceret : Sic laudabo et in Ecclesia : et

[1] Psal. XXXIX, 18.

in hoc erit laus, quia « *reddam vota mea :* » et hoc non ut videant omnes, sed « *in conspectu timentium eum,* » Dominum scilicet. Mutat personam. Nota ergo, quod votum dicitur, quia voluntate tenetur. Hoc ergo fuit se dare in nostram refectionem : unde hic dicit, « *Reddam,* » id est, iterabo : prius enim dedit se semel in ara crucis : iterum dat seipsum in ara Ecclesiæ universalis. Isa. XIX, 21 : *Vota vovebunt Domino, et solvent.* In Psal. LXV, 13 et 14 : *Reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea.* Et hoc « *in conspectu,* » ut credant oculis veræ fidei, « *timentium Deum.* » Eccli. II, 18 : *Qui timent Dominum, non erunt incredibiles verbo illius.*

27 « *Edent pauperes, et saturabuntur.* » Hic secundum beneficium sequens ex passione, et pertinens ad informationem affectus : similiter effectio per Sacramentum corporis Dominici : et dicuntur duo. Primo, in quibus, et qualiter sit Sacramentum hoc fructuosum. Secundo, quibus non est fructuosum, etsi sumant ipsum, ibi, « *Manducaverunt.* »

In prima parte duo dicuntur. Primo, a quibus digne sumitur, et quis in eis fructus. Secundo, quis conficiendi modus, et quæ reverentia exhibenda, ibi, « *Reminiscentur.* »

In prima duo. Primo, a quibus. Secundo, quem fructum consequentur, ibi, « *Et saturabuntur.* »

Dicit ergo : Sic reddam vota mea corpus meum dando : sed quibus ? proprie pauperibus : unde subdit : « *Edent pauperes,* » id est, edere debebunt, non divites, qui satis habent alia, quibus eorum reficitur anima. Luc. XII, 19 : *Anima, habes multa bona posita in annos plurimos : requiesce, comede,* etc. Sed de pauperibus dicitur, Isa. XIV, 30 : *Pascentur primogeniti pauperum, et pauperes fiducialiter requiescent.* Deus enim tenet in creaturis suis regulam quam hominibus dat. Isa. LVIII, 7 : *Frange esurienti panem tuum.* Quid ergo divites non debent communicare mensæ altaris Christi ? Responsio. Triplex status est paupertatis. Summus, plena voluntas nihil habendi. Medius, voluntas indifferens habendi, vel non habendi. Infimus, voluntas habendi, sed sub Deo. Omnes isti pauperes edere possunt. Qui non sunt in aliquo istorum graduum, digni non sunt ut comedant.

Triplex status pauperum.

« *Et saturabuntur.* » Hic fructus consequens ex hoc usu, et tangitur triplex. Primus, interna refectio. Secundus, exsultatio in Deum, ibi, « *Et laudabunt.* » Tertius, æterna salvatio, ibi, « *Vivent corda eorum.* »

Ait ergo : Sic edent pauperes et saturabuntur. Prov. XIII, 25 : *Justus comedit, et replet animam suam : venter autem impiorum insaturabilis.* In Psal. CXLVII, 14 : *Et adipe frumenti satiat te :* quasi pauperes et esurientes reficit. Chrysostomus : « Saturari non poterant, nisi quos « spiritualis tenebat esuries. » Quod autem saturentur, signum est, si comedentes comesto assimilentur. Necessarium enim est assimilationem fieri inter comedentem, et comestum : sed in cibo corporali assimilatur comestum comedenti, hic autem comedens comesto. Augustinus in libro *Confessionum :* « Non « tu me mutabis in te, sicut cibum carnis « tuæ : sed tu mutaberis in me. » Propter hoc dicit Augustinus in *Glossa :* « Sa« turantur qui patiendo imitantur. » Sed sunt multi qui communicare volunt refectioni, non passioni, sicut Judas. Eccli. VI, 10 : *Est amicus socius mensæ, et non permanebit in die necessitatis.*

« *Et laudabunt Dominum.* » Hic secundum, scilicet gratiarum actio pro refectione : et dicuntur duo. Primo, gratiarum actio. Secundo, intentio referendi gratias, ibi, « *Qui requirunt.* »

Ait enim sic : Saturabuntur et laudabunt Dominum eructantes propter saturitatem illam. Psal. LXXXIII, 5 : *Beati, qui habitant in domo tua Domine : in sæcula sæculorum laudabunt te,* pro se-

curitate illa, in cujus crassitudine delectabuntur. Isa. LV, 2 : *Et delectabitur in crassitudine anima vestra.* Nec mirum si laudant : quia in eadem scutella simul propinantur eis tria optima fercula. Corpus Christi quod est infimorum optimum : nullum enim corpus ita bonum sicut illud. Anima, quæ in naturis mediis, spiritibus scilicet creatis, optima. Et divinitas, quæ est optimum in supremis, imo solum supremum bonum et excellentissimum. Sub illa panis specie latent hæc omnia. E contra mundi divites saturati non laudant Deum, sed vel seipsos qui fecerunt illa parari, vel cibos, quia sunt boni : vel coquos, quia sunt bene parati. Osee, XIII, 6 : *Juxta pascua sua adimpleti sunt, et saturati sunt : et levaverunt cor suum, et obliti sunt mei.*

De Eucharistiæ præstantia et fructu.

« *Qui requirunt,* » etiam in laudando eum, Dominum scilicet. Multi enim gratias agunt aliquando, sed in hoc Deum non requirunt, sed proprium commodum et favorem humanum et mundanum. Isa. XXI, 12 : *Si quæritis, quærite.* Si quæritis laudando, quærite intentionem laudis ad ipsum referendo.

« *Vivent corda eorum.* » Quasi diceret : Sic saturabuntur, sic lætabuntur, et hæc duo in præsenti : et tandem virtute illius cibi « *vivent corda eorum,* » et hoc non tantum in præsenti, imo « *in sæculum* » consecutivum « *sæculi.* » Joan. VI, 52, 55 : « *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.* Et in eodem, *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam.* Contra divites comedunt ut vivant corporaliter, et tantum in hoc sæculo, ut æternaliter postmodum moriantur. Luc. XVI, 22 : *Mortuus est dives, et sepultus est in inferno.*

28 *Reminiscentur.* Hic est secundum, in quo demonstrat modum consecrandi corpus Christi secundum unam lecturam : secundum aliam autem cum tetigerit fructum quantum ad sumentes specialiter, tangit quantum ad totam Ecclesiam generaliter. Et tanguntur tria, quæ concurrunt ad confectionem. Primo, recordatio Dominicæ passionis in intellectu. Secundo, conversio ad Deum toto affectu, ibi, « *Et convertentur.* » Tertio, reverentiæ exhibitio in actu exteriori, ibi, « *Et adorabunt in conspectu ejus.* »

Dicit ergo : Sic edent pauperes, et ut possint edere, « *reminiscentur* » primo in conficiendo, passionis meæ. Memoriam enim passionis meæ conficient, et transibit in corpus meum cibus materialis. « Hæc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis[1]. » I ad Corinth. XI, 24 : *Hoc facite... in meam commemorationem.*

« *Et convertentur,* » affectu « *ad Dominum universi fines terræ,* » pauperes qui non stant in medio terrenorum, accipientes superfluitatem de terrenis, sed in fide, quia ad necessitatem. Isa. XLV, 22 : *Convertimini ad me, et salvi eritis omnes fines terræ.* Vel ut sit fructus. Quasi diceret : Sic in sumentibus et etiam « *universi fines terræ,* » totus mundus, « *reminiscentur* » intellectu, « *et convertentur ad Dominum* » affectu. Vel divites, quorum corda usque ad fines terræ extenduntur. Thren. III, 19 et 20 : *Recordare paupertatis, et transgressionis meæ, absynthii, et fellis. Memoria memor ero, et tabescet in me anima mea.* Ecce conversio. Isa. LII, 10 : *Videbunt omnes fines terræ salutare Dei nostri.* Et dicit Augustinus quod « recordatio sive reminiscen- « tia, est in cognitionem præhabiti oc- « casione similium animi recursus. » Et mirum quomodo non recordamur tota die ejus, cujus habemus tot memorialia intus apud nos : ipsam animam nostram, quæ ad ejus imaginem est facta, Genes. I,

[1] Cf. Matth. XXVI, 26; Marc. XIV, 22; Luc. XXII, 17.

26 : *Faciamus hominem ad imaginem, et similitudinem nostram.* Eccli. XVII, 1 : *Secundum imaginem suam fecit illum.* Exterius ad aures sacram Scripturam, Joan. I, 45 : *Quem scripsit Moyses in lege, et Prophetæ, invenimus Jesum a Nazareth.* Psal. XXXIX, 8 : *In capite libri scriptum est de me.* Oculis exterioribus omnem creaturam, Sapient. XIII, 5 : *A magnitudine speciei et creaturæ, cognoscibiliter poterit creator horum videri.* Ipsi tactui Sacramenti fractionem et sumptionem, sicut hic dicitur.

« ficit ab eo videri, a quo exspectas re- « munerari. » Vel actum adorantium exteriorem : « *Adorabunt in conspectu ejus,* » id est, cadent ante eum in adorando. Psal. LXXXV, 9 : *Omnes gentes quascumque fecisti, venient, et adorabunt coram te, Domine : et glorificabunt nomen tuum.* Vel actum gratiæ, et est sensus : « *Adorabunt in conspectu ejus,* » id est, credent in eum fide sincera : unde de cæco illuminato, Joan. IX, 38 : *Credo, Domine. Et procidens adoravit eum.*

« *Et adorabunt in conspectu ejus.* » Hic tertium, scilicet exhibitio reverentiæ in cultu etiam exteriori : hoc enim est proprium adorare. Quasi diceret : Sic intellectu recolunt, affectu convertuntur, et « *universæ familiæ Gentium.* » Fiat distributio pro generibus singularum, id est, de universis familiis aliqui « *adorabunt,* » se ad litteram inclinando, « *in conspectu ejus.* » Deuter. VI, 13 : *Dominum Deum tuum timebis, et illi soli servies.* Isa. XXVII, 13 : *Adorabunt Dominum in monte sancto in Jerusalem,* in Ecclesia Sanctorum. Et ostenditur in hoc modus se habendi in confectione corporis Domini, quia debemus esse proni ad terram ante Deum, volentes impetrare tantum beneficium. Notatur etiam fructus, quia ad litteram coram ipso Christo postquam est ibi in Sacramento, habentes præsentialiter Deum nostrum. Isa. XVII, 7 et 8 : *In illa die inclinabitur homo ad factorem suum, et oculi ejus ad sanctum Israel respicient : et non inclinabitur ad altaria, quæ fecerunt manus ejus.*

Hoc autem præter modum dictum, quod dicitur, « *in conspectu ejus,* » legitur tripliciter : quia « *in conspectu ejus* » potest dicere, quasi actum Dei, ubi scilicet Deus conspicit, ibi, « *adorabunt,* » in conscientia scilicet. I Reg. XVI, 7 : *Dominus autem intuetur cor.* Joan. IV, 23 : *Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate.* Gregorius : « Suf-

« *Quoniam Domini est regnum.* » Hic 29
secundum, scilicet ratio quare adorare ipsum dignum est, et justum : et notantur duo. Primo, dignitas. Secundo, potestas, ibi, « *Et ipse dominabitur.* »

Dicit ergo : Sic adorabunt, et justum erit, « *quoniam Domini,* » quem adorabunt, « *est regnum,* » ecce dignitas, non idolorum. Hieronymus : « Regnum dia- « boli cecidit : et regnum Christi advenit. » Joan. XII, 31 : *Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras.* Vere Domini est regnum, quia vexillum Christi, non tantum in civitatibus, vel etiam in domibus, in Ecclesiis, sed etiam in singulorum frontibus imprimitur et portatur. In Psal. IV, 17 : *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine.* Isa. XI, 12 : *Levabit signum in nationes et congregabit profugos Israel.*

« *Et ipse dominabitur gentium.* » Ecce potestas. Daniel. VII, 14 : *Potestas ejus, potestas æterna, quæ non auferetur : et regnum ejus, quod non corrumpetur.* Et in Psal. LXXI, 8 : *Et dominabitur a mari usque ad mare.* Ex hoc apparet, quod si ipse est Dominus, ejus est regnum, cum unius possessionis sit unus, verus et capitalis Dominus. Quod ipse est omnium capitalis Dominus, et omnes pendere debent ab eo, et ipsi debent servitium, Apoc. XIX, 16 : *Habet in vestimento et in femore suo scriptum : Rex regum, et Dominus dominantium.* Et servitium est latria, quæ debetur ei, de

qua, « *Et adorabunt eum,* » supra parum. Et sicut Dominus quando servitium non redditur ei, terram accipit : sic ipse frequenter facit. Eccli. x, 17 : *Sedes ducum superborum destruxit Deus, et sedere fecit mites pro eis.* Daniel. iv, 29 : *Scias, quod dominetur Excelsus in regno hominum, et cuicumque voluerit, det illud.*

30 De usu Eucharistiæ a malis sumptæ.

« *Manducaverunt et adoraverunt.* » Hic secundum illius partis, in qua agitur de sumptione Sacramenti. Cum enim ostenderet a quibus, et qualiter, et qua utilitate bene sumitur, hic ostenditur a quibus male, et damnum sequens ex tali sumptione. Duo ergo dicuntur. Primo, sumptio ab indignis. Secundo, pœnæ inflictio ibi, « *In conspectu ejus.* »

Dicit ergo : Sic pauperes sument, et hæc bona sequentur : sed « *pingues terræ omnes,* » id est, divites : unde Hieronymus : « Divites terræ, qui terrena si- « bi amore incorporant, non pingues « spiritu : frequenter enim contingit « quod divites in possessionibus pingue- « scunt carne, et spiritu remanent maci- « lenti. » Deut. xxxii, 13, 15 : *Constituit eum super excelsam terram, ut comederet fructus agrorum.* Et quid sequitur ? *Incrassatus est dilectus, et recalcitravit,* inobediens fuit, et indevotus, et sic spiritu maculatus. « Hi ergo *pingues manducaverunt* » sacramentaliter, « *et adoraverunt* » exteriori gestu, et superficialiter. Sed non facit mentionem de refectione media sicut supra, quando loquebatur de pauperibus. II ad Timoth. iii, 4 et 5 : *Voluptatum amatores magis quam Dei : habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes.*

« *In conspectu ejus.* » Hic tangitur pœna. Quasi diceret : Sic comedunt. Sed numquid crescunt sicut pauperes, qui crescunt mirabiliter addito sibi capite Christo, et toto corpore Ecclesiæ ? Certe non. « *Sed in conspectu ejus,* » id est, Dei : etsi aliter forte sit in conspectu hominum, « *cadent* » in culpam, de culpa in pœnam, mortem scilicet festinantius, et post hoc in æternam. » *Omnes qui descendunt* » per amorem « *in terram,* » ad terrena scilicet. Isa. xxiv, 20 : *Gravabit eam,* sic miseram animam, *iniquitas sua, et corruet.* I ad Corinth. xi, 29 : *Qui manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit.* Luc. x, 18 : *Videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem.* Et bene dicit : « *Descendunt in terram,* » non ascendunt : aurum enim quod diligunt, et argentum in visceribus est terræ. Matth. vi, 21 : *Ubi est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum.*

Et anima mea illi vivet. Hic est secunda pars tertiæ partis hujus, in qua subjungitur fructus continuatio, quia numquam de cætero cessabit conversio ad Deum per narrationem prædicationis et sumptionem sacramenti altaris, et dicuntur duo. Primo, Propheta in se ostendit continuationem specialiter. Secundo, in alios generaliter, ibi, « *Annuntiabitur.* » 31

In prima duo. Primo, continuatio fructus in seipso. Secundo, in suis, ibi, « *Et semen meum serviet ipsi.* »

Dicit ergo : Sic pingues terræ cadent, « *et anima mea,* sumens illum spiritualiter, *illi vivet.* Sed David numquam sumpsit Christi corpus sacramentaliter. Responsio. De spirituali sumptione intelligitur, si loquitur de se, vel pro se. Sed potest dici, quod loquitur in persona justi, quasi admirantis et congratulantis ad prædicta. « *Anima,* inquit, *mea illi vivet.* » Joan. vi, 58. *Qui manducat me, ipse vivet propter me.* « *Vivet,* inquam, *illi.* » Ad Galat. ii, 20 : *Vivo autem, jam non ego : vivit vero in me Christus.* Etsi ab hominibus mortua videatur, tamen Deo vivit. Ad Coloss. iii, 3 : *Vita vestra est abscondita cum Christo in Deo.*

« *Et semen meum,* » quod succedet mihi, « *serviet ipsi.* » Non carnales, sed credentes per me. Ager enim magnus est Ecclesia per totum mundum dilatata.

Matth. XIII, 38 : *Ager autem est mundus.* Et in Psal. XLIX, 11 : *Pulchritudo agri mecum est.* In hoc agro seminantur fideles tamquam grana ad fructificandum. I ad Corinth. III, 9 : *Dei agricultura estis, Dei ædificatio estis.* Job, XXIV, 15 : *Ego et domus mea serviemus Domino.* Hanc culturam sanguine suo calido et humido rigavit Christus ut fructificaret, et præterea sanguine Martyrum. Matth. XXVII, 8 : *Et vocatus est ager ille, Haceldama, hoc est, ager sanguinis, usque in hodiernum diem.* Vel *semen*, opera, quæ omnia debent servire Deo, ut ad ejus laudem fiant omnia et gloriam. I ad Corinth. X, 31 : *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliquid aliud facitis : omnia in gloriam Dei facite.*

32 « *Annuntiabitur Domino.* » Hic est secundum, in quo monstratur continuatio quantum ad illas generationes, et dicuntur tria. Primo, quod aliis generationibus fructuose prædicabitur. Secundo, per quos fiet illa prædicatio, ibi, « *Et annuntiabunt.* » Tertio, continuatio annuntiationis monstratur, ibi, « *Populo qui nascetur.* »

Dicit ergo : Sic in me et in meis, et etiam « *annuntiabitur,* » id est, prædicabitur. Sic accipitur hic. « *Generatio ventura,* » sicut dicitur, populus iste prædicabitur : et hoc « *Domino,* » id est, ad honorem et gloriam Domini. Iste modus loquendi, Matth. XI, 5 : *Pauperes evangelizantur.* Hoc etiam probat littera Hebræorum, quæ sic habet : « Narrabitur Domino in generatione ventura. » Et hæc generatio ex turpi et inimica Deo, fiet et pulchra et amica valde. Sap. IV, 1 : *O quam pulchra est casta generatio cum claritate* : vel cum charitate.

« *Et annuntiabunt cœli.* » Quasi quæreret, quis, et a quibus fiet hæc annuntiatio, ad honorem Dei cedens, addit : « *Et annuntiabunt cœli,* » cœlestes viri, et prædicatores nihil terrenum quærentes, « *justitiam ejus.* » Hi sunt cœli de quibus supra, in Psal. XVIII, 1 : *Cœli enarrant gloriam Dei.* Daniel. XII, 3 : *Qui... docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti.* Hæc autem justitia Dei quam annuntiabunt, ipse Christus est. I ad Cor. I, 30 : *Qui factus est nobis sapientia a Deo, et justitia, et sanctificatio, et redemptio.*

« *Populo qui nascetur.* » Hic notatur continuatio. Quasi diceret : Sic annuntiabunt : Et « *populo qui nascetur,* » id est, sicut nascetur, et succedet, « *quem fecit Dominus,* » non parentes carnales. II Machab. VII, 22 : *Nescio qualiter in utero meo apparuistis : neque enim ego spiritum et animam donavi vobis et vitam, et singulorum membra non ego ipsa compegi.* Vel « *populo qui nascetur* » spiritualiter illa nativitate, de qua Joan. III, 5 : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Joan. I, 12 : *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine ejus.* Et hanc nativitatem facit Deus : quomodo enim posset tot filios generare Ecclesia, nisi virtute divina ? Isaias miratur, LXVI, 8 : *Numquid parturiet terra in die una ? aut parietur gens simul?* Act. II, 41 : *Baptizati sunt : et appositæ sunt in die illa animæ circiter tria millia.* Mulier autem, sicut dicunt, non potest ad plus parere nisi octo. Unde Plinius dicit, sicut puto, quod fausta quædam mulier portentuosa fœcunditate octo generavit, quatuor mares, et quatuor fœminas. Hanc generationem facit Deus, ut constat, recreando. Psal. L, 12 : *Cor mundum crea in me, Deus.* Et Isa. XLIII, 7 : *In gloriam meam creavi eum, formavi eum, et feci eum.*

PSALMUS XXII.

Beneficia divina psaltes agnoscit.

1. *Psalmus David.*
Dominus regit me, et nihil mihi deerit [1]:
2. In loco pascuæ ibi me collocavit.
Super aquam refectionis educavit me,
3. Animam meam convertit.
Deduxit me super semitas justitiæ, propter nomen suum.
4. Nam, et si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.
Virga tua, et baculus tuus, ipsa me consolata sunt.
5. Parasti in conspectu meo mensam, adversus eos, qui tribulant me:
Impinguasti in oleo caput meum: et calix meus inebrians quam præclarus est!
6. Et misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ:
Et ut inhabitem in domo Domini, in longitudinem dierum.

IN PSALMUM XXII

COMMENTARIUS.

1 *Psalmus David* [2].

« *Dominus regit me et nihil mihi deerit.* » Hic est Psalmus vicesimus secundus, in quo postquam in præcedenti Psalmo actum est de Christi passione, fructu passionis, doctrina scilicet et Eucharistia, consequenter agitur de reductione populi Dei a statu peccati, quod est spiritualis Babylonia, in figura populi reducti de materiali : quia et hoc consequens est ad passionem, doctrina, et sacramento mediante.

Argumentum Psalmi: reditus populi a Babylone vel peccato per Christi sanguinem.

Item, in præcedenti Psalmo actum est de passione quasi admonendo nos ad compassionem ipsius patientis pro nobis : in hoc monet sperare de misericordia jam regnantis, et hoc ordine justo : quia si

[1] Isai. xl, 11 ; Jerem. xxiii, 4. Ezech. xxxiv, 11 et 23 ; I Pet. ii, 25, et v, 4.

[2] La composition de ce psaume par David ne fait aucun doute pour Hengstenberg, Delitzch et la plupart des commentateurs protestants, malgré les négations des rationalistes. Un grand nombre d'auteurs pensent que ce psaume ne doit être rattaché à aucune circonstance précise ; David, au souvenir de sa vie pastorale, remercierait sur la fin de sa vie le Seigneur de tous les bienfaits dont il l'a

compatimur, ut et conglorificemur (ad Roman. VIII, 17 [1]).

Præponitur autem titulus brevis, « *Psalmus David.* » Et tangitur causa efficiens Psalmi, secundum quam Glossa, David non pro Auctore Psalmi, sed pro illo in cujus persona loquitur David, scilicet pro Ecclesia, accipitur hic : ut sit sensus : Psalmus hic attribuitur David, id est, Ecclesiæ, quæ est manu fortis in activis. Proverb. XXI, 10 : *Mulierem fortem quis inveniet ?* Et vultu desiderabilis in contemplativis. Cant. II, 14 : *Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis : vox enim tua dulcis, et facies tua decora.*

Psalmus autem potest dividi in tres partes. Primo, agendo gratias tangit Ecclesiæ bona in bonum ordinata, sive collationem boni. Secundo, beneficia ordinata in amotionem mali, ibi, « *Nam et si ambulavero.* » Tertio, notatur finis utriusque sive utrorumque beneficiorum, ibi, « *Ut inhabitem in domo Domini.*

Quadruplex gratia a Christo Ecclesiæ collata

In prima parte tanguntur quatuor, secundum quatuor beneficia ordinantia in bonum. Primum est gratia dirigens in bonum tamquam docens quo eumdem. Secundum est gratia sustentans, et præbens necessaria in via, ibi, « *Et nihil mihi deerit.* » Tertium, gratia totaliter convertens intuitum mentis in finem, ut non suspiret ad relicta, ibi, « *Animam meam convertit.* » Quartum est gratia compendium ostendens, ut cito possit venire ad terminum, ibi, « *Deduxit me super semitas.* »

Christus variis modis regit.

Dicit ergo : « *Dominus regit me.* » Si loquitur in persona Ecclesiæ, generaliter est verum, quod Dominus eam regit sicut ductor viatorem ne deviet, Sap. x, 10 : *Justum deduxit*, scilicet Dominus, *per vias rectas.* Sicut lux in tenebris ambulantem, ne exorbitet, Joan. VIII, 12 : *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ.* Sicut pastor gregem, ne a lupis pereat, Jerem. XVII, 16 : *Ego non sum turbatus, te pastorem sequens.* Sicut gubernator navem, ne submersionem in fluctibus hujus mundi patiatur, sustentat, Sap. XIV, 3 : *Tua autem Pater, providentia gubernat : quoniam dedisti et in mari viam, et inter fluctus semitam firmissimam*, vel tutissimam. Et infra, ℣. 6 : *Cum perirent gigantes superbi, spes orbis terrarum ad ratem confugiens, remisit sæculo semen nativitatis, quæ manu tua erat gubernata.* Sicut

comblé. Mais la mention qui est faite d'ennemis qui entourent le psalmiste (℣ 5), de dangers à courir (℣ 4), et le vœu d'une longue habitation dans la maison du Seigneur (℣ 7), font songer au temps postérieur à la translation de l'arche, et à l'époque de la révolte d'Absalon. J. D. Michaelis, Delitzsch, Moll, Johnson, etc., pensent que la composition du psaume eut pour occasion ce qui est raconté II Reg. XVII, 28. David obligé de passer le Jourdain et de fuir au désert, se rappelle tout naturellement sa vie de berger. Il se sent plus que jamais sous la houlette de Jéhova, et quand dans sa fuite il reçoit de ses fidèles amis des vivres abondants pour lui et ses compagnons, il remercie le Seigneur de la bonté qu'il lui témoigne, et exprime le vœu de se retrouver bientôt et pour longtemps à Sion, où habite Jéhova. Cette hypothèse a pour elle une assez grande probabilité ; la plus grave objection qu'on peut lui faire est inspirée par le ton calme et confiant qu'aurait alors le psalmiste fugitif et pressé par ses ennemis. Cette objection n'est pourtant pas péremptoire, car David, qui vient de recevoir de Dieu une marque de sa bonté, peut s'abandonner tout entier à la confiance et à la sécurité. « Le début du psaume, dit Herder (Poésie des Hébreux, II, 9), est celui d'une idylle paisible. Mais ce sentiment s'évanouit aussitôt, et l'image de la brebis fait place à celle d'un festin d'honneur, d'un festin royal, célébré sous les yeux des ennemis du poète... Le passage subit d'une image à une autre est tout à fait dans le goût oriental, et l'ensemble n'en est pas moins l'expression d'un seul et même sentiment. »

Au sens spirituel, ce chant d'actions de grâces peut servir au chrétien, en particulier après la sainte communion, dont le ℣ 5 rappelle le symbole. D'après les Pères, « *aqua refectionis* » fait allusion au baptême, « *animam meam convertit* » au passage de la mort à la vie par la pénitence, « *parasti mensam* » à l'Eucharistie, « *impinguasti in oleo* » à la confirmation. S. Athan. Pseudo Ruf. etc.

H. Lesêtre.

[1] II ad Timoth. II, 12 : *Si sustinebimus, et conregnabimus.*

magister scholam suam, Joel, II, 23 : *Lætamini in Domino Deo vestro, quia dedit vobis rectorem justitiæ.* Sicut rex regnum et provinciam suam, Ad Rom. xv, 12, et Isa. xi, 12 : *Erit radix Jesse, et qui exsurget regere Gentes, in eum Gentes sperabunt.* Vel sic secundum quod de quolibet justo. « *Dominus regit me,* » ut puer cæcum, Job, xxix, 15 : *Oculus fui cæco, et pes claudo.* Gen. xxxvii, 30 : *Puer non comparet, et ego, quo ibo ?* Ut sessor equum, Hinc Psal. lxxii, 23 : *Ut jumentum factus sum apud te.* Et regit eum quasi frænis laudis, Isa. xlviii, 9 : *Laude mea infrænabo te, ne intereas.* Et tamquam calcaribus punctionis tentationum, II ad Corinth. xii, 7 : *Datus est mihi stimulus carnis meæ.* In Psal. xxxiii, 20 : *Multæ tribulationes justorum.*

« *Et nihil mihi deerit.* » Imo me abundanter in via sustentabit. Unde littera Hieronymi et Augustini : « Dominus pascit me, et nihil mihi deerit. » Duo ergo dicuntur. Primo, abundantia rerum in generali. Secundo, specificatio. Primo, quoad cibum, ibi « *In loco pascuæ.* » Secundo, quoad potum, ibi, « *Super aquam refectionis.* »

Ait ergo : Sic « *regit,* » viam demonstrando, « *et nihil mihi deerit,* » in omnibus necessariis ad sustentamentum vitæ per illum abundando. Luc. xxii, 35 et 36 : *Quando misi vos sine sacculo et pera,... numquid aliquid defuit vobis ? At illi dixerunt : Nihil.* Chrysostomus : « Omnia alia propter hominem fecit « Deus, hominem propter se. Si ergo « animantibus ministrat, propter seip« sum. Psal. cxliv, 16 : *Aperis tu manum tuam : et imples omne animal benedictione.* Nihil enim mihi deerit in futuro : quia ad Coloss. iii, 11 : *Omnia et in omnibus Christus.* Augustinus : « Quid « ei deesse poterit, qui omnia habentem « habebit ? » Judic. xviii, 10 : *Intrabimus ad securos, in regionem latissimam,... in quo nullius rei est penuria.*

« *In loco pascuæ.* » Vere nihil deerit : 2
quia « *in loco pascuæ,* » in Scripturis scilicet in quibus pascuntur animæ. Ezech. iii, 2 : *Cibavit me volumine isto.* Hieronymus ad Florentium : « Nosti hoc esse « animæ pabulum, si in lege Domini « meditetur die ac nocte. » Deuter. viii, 3, et Matth. iv, 4 : *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei*[1]. Et nota, quod bona pascua propter ubertatem, latitudinem, quietem, et dulcedinem. Ezech. xxxiv, 14 : *In pascuis uberrimis pascam eas,* ecce primum : *in montibus excelsis Israel erunt pascua earum,* ecce secundum : *ibi requiescent in herbis virentibus,* ecce tertium : *in pascuis pinguibus pascentur,* ecce quartum. In pascuis uberrimis quoad litteralem sensum, in montibus quoad allegoricum, in herbis virentibus quoad moralem, in pascuis pinguibus quoad anagogicum. Et vere nihil deesse potest in illis pascuis : quia omnis vita, omne bonum in his pascuis invenitur. Sap. vii, 11 : *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa.*

Quid pascua spiritualia commendet?

« *Ibi me collocavit* » quia hæc pascua nullus ingredi poterit sine Deo. Apocalyp. v, 3 : *Nemo poterat, neque in cœlo, neque in terra, neque subtus terram, aperire librum.* Apocalyp. iii, 7 : *Aperit, et nemo claudit : claudit, et nemo aperit.*

« *Super aquam refectionis* » quantum 3
ad potum. Præmisso enim de cibo, subjungit de potu. Cantic, v, 1 : *Comedite amici, et bibite, et inebriamini charissimi.* Eccli. xv, 3 : *Cibabit illum pane vitæ et intellectus, et aqua sapientiæ salu-*

[1] Cf. etiam Luc. iv, 4, et Sap. xvi, 26.

taris potabit illum. Hæc aqua dicitur *refectionis:* quia ad litteram, non tantum potat, sed reficit et nutrit animam, sicut aliqui pisces nutriuntur ex sola aqua secundum quod dicunt isti versus :

Quædam animalia ex puris elementis aluntur.

Quatuor ex puris vitam ducunt Elementis,
Cameleon, talpa, maris halec, et salamandra.

Unde bonus Theologus, qui totum se immergit in divina Scriptura, et in illa reficitur, est halec bonum. Habac. I, 14: *Facies homines sicut pisces maris.* Vel *aquam refectionis* vocat aquam baptismatis, quasi iteratæ factionis, quia primo factum corporaliter per naturam, postea fit iterum per aquam baptismalem spiritualiter. Joan. III, 5: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Item, *aqua refectionis* dicitur, quia statim adulto post baptismum datur Eucharistia : sicut post ablutionem manuum datur cibus , sic post baptismum Christi corpus. Unde sicut illa aqua posset dici *aqua refectionis,* sic aqua baptismatis. Isa. LV, 1 : *Omnes sitientes venite ad aquas : et qui non habetis argentum, properate, emite, et comedite.*

« *Animam meam convertit.* » Ecce tertium. Quasi diceret : Sic regit, sic sustentat et nutrit in via, et etiam « *animam meam convertit,* » in se totaliter intendentem, ut affectus et intellectus totus in ipsum tendat abluta anima arefacta. Thren. V, 21 : *Converte nos, Domine, ad te, et convertemur.* Osee, XIV, 2 : *Convertere Israel ad Dominum Deum tuum : quoniam corruisti iniquitate tua.* Thren. I, 13 : *Expandit rete,* Scripturæ sacræ, ecce « *aquam refectionis* : » *convertit me retrorsum,* ecce « *animam meam convertit.*» Supra, in Psal. XVIII, 8 : *Lex Domini immaculata, convertens animas.*

«*Deduxit me.*» Hic quartum, gratia scilicet compendium demonstrans, et per illud deducens.

Ait enim : Sic regit, sic pascit, sic convertit animam meam in se, et præter hæc omnia, « *deduxit me per semitas justitiæ,* » quæ compendiosiores sunt, quam stratæ publicæ. Prov. IV, 11 : *Ducam te per semitas æquitatis.* Mandata enim communia sunt quasi stratæ publicæ. Psal. CXVIII, 32: *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum.* Sed semitæ arctiores sunt : dicuntur enim semitæ, quasi semiviæ. Matth. VII, 14 : *Arcta via est, quæ ducit ad vitam : et pauci sunt, qui inveniunt eam.*

Semitæ sunt consilia.

Dicuntur autem semitæ divina consilia, quia latent multos, sicut latent semitæ. Isa. XLII, 16 : *In semitis, quas ignoraverunt, ambulare eos faciam.* Quia munda sunt sicut semitæ sunt mundæ. Isa. XXXV, 8 : *Erit ibi semita et via, et via sancta vocabitur : non transibit per eam pollutus.* Quia compendiosa, brevius ducentia ad regnum cœlorum. Matth. V, 3 : *Beati pauperes spiritu : quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Item, arcta non admittentia oneratum. Matth. XIX, 21 : *Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, et da pauperibus.* Ad Hebr. XII, 1 : *Deponentes omne pondus, et circumstans nos peccatum, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen.* Et nota, quod dixit, « *Deduxit me,* » non per semitas, sed « *super semitas.* » Per semitas ambulat, qui consilia conservat : sed « *super semitas.* » qui non tantum ambulat, sed etiam alios ambulare docet, et informat ad ambulandum. Matth. V, 19 : *Qui fecerit, et docuerit sic homines, hic magnus vocabitur in regno cœlorum.* Et hoc non meis meritis, sed

« *Propter nomen suum,* » id est, propter suam piissimam bonitatem. Exod. XV, 13 : *Dux fuisti in misericordia tua populo quem redemisti,* etc. Argumeutum, quod a Dei benignitate et gratia est duci ad claustrum. Matth. IV, 1 : *Ductus est Jesus in desertum a spiritu, ut tentaretur a diabolo.* Et quam crudelis est sibiipsi, qui resiliens a seipso tantum abjicit ductorem, et tam pium. Sapient.

I, 5 : *Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum.* etc.

4 *Secunda pars psalmi.* « *Nam et si ambulavero.* » Hic est secunda pars Psalmi, in qua tanguntur gratiæ beneficia, in amotionem mali ordinata, et tanguntur duo. Primo, malorum amotio. Secundo, conservatio, et continuatio in amotione illa, ibi, « *Et misericordia tua subsequetur me.* »

Item, in prima duo. Primo, beneficium ex amotione timoris, quod est de futuro. Secundo, beneficium ex amotione eorum quæ sunt in præsenti, ibi, « *Virga tua.* »

In prima duo. Primo, exclusio timoris præsente causa ipsius timoris. Secundo, ratio exclusionis, ibi, « *Quoniam tu mecum es.* »

Ait ergo : Sic me ducit, et propter hoc securus sum : nam « *et si ambulavero in medio umbræ mortis.* » Nota, quod umbram mortis appellat ignorantes Deum ab ipsa morte culpæ redditos tenebrosos, de quibus alibi, in Psal. LXXXI, 5 : *Nescierunt, neque intellexerunt, in tenebris ambulant.* Et illi sunt vel habentes ignorantiam negationis sicut Judæi et Gentiles : vel dispositionis, sicut hæretici : vel habentes intellectum obturatum culpis, sicut schismatici, et quilibet alii peccatores. Ad Ephes. v, 8 : *Eratis... aliquando tenebræ.* Et sic sensus est : « *Si ambulavero in medio umbræ mortis,* » id est, Deum ignorantium, sive Gentiles sint sive Judæi, sive hæretici, sive schismatici, « *non timebo mala* » culpæ vel erroris, ut scilicet retrahar ab illis, vel a te abstrahar. Psal. XXVI, 1 : *Dominus illuminatio mea, et salus mea, quem timebo* ? Proverb. XXVIII, 1 : *Justus quasi* *Nota.* *leo confidens, absque terrore erit.* Unde autem accedit ista securitas, Gregorius dicit : « Quia illum diligit, quem nemo « invitus amittit. »

Crux umbra vitæ. Et nota, quod est umbra vitæ, scilicet umbra crucis quæ tamquam arbor magna obumbrat omnibus nobis. Thren. IV, 20 : *Christus Dominus captus est in peccatis nostris : cui diximus : in umbra tua vivemus in gentibus.* Propter hoc quia vitalem sentiebat umbram, dicebat Psalmista, XVI, 8 : *Sub umbra alarum tuarum*, brachiorum crucis tuæ, *protege me.* Cant. II, 3 : *Sub umbra illius quem desideraveram, sedi* : *et fructus ejus dulcis gutturi meo.* Et est umbra mortis, temporalium abundantia, quæ omnia sunt quasi umbra. Sap. v, 8 : *Divitiarum jactantia quid contulit nobis ?* Omnia illa transierunt sicut umbra mortis, quia ad mortem ducentia. Job, XXI, 13 : *Ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt.* Valde elevatum oportet esse, qui non offuscatur hac umbra. Propinqui enim terræ transeuntes per hanc umbram eclipsantur sicut luna. Eccli. XXVII, 12 : *Stultus, sicut luna, mutatur.* Sed boni longe ab hac umbra sunt elevati, et vero sole Christo illuminati : non autem obscurantur in hac umbra, sicut nec stellæ. Job, XXIII, 17 : *Non enim perii propter imminentes tenebras, nec faciem meam operuit caligo.* Mich. VII, 8 : *Cum sedero in tenebris, Dominus lux mea est.* Et hoc est quod addit sic : « *Non timebo mala, quoniam tu mecum es,* » protegendo me. Isa. XLIII, 2 : *Cum transieris per aquas, tecum ero, et flumina non operient te :... quia ego Dominus Deus tuus, Sanctus Israel Salvator tuus,* etc.

Umbra mortis terrena bona.

« *Virga tua et baculus tuus.* » Hic secundum, in quo tanguntur beneficia contra mala præsentia. Primo, contra malum culpæ. Secundo, contra malum pœnæ, ibi, « *Parasti in conspectu meo.* » Contra malum culpæ est correctio, et quam tangit dupliciter : minorem et leviorem in virga : duriorem, et quasi asperiorem in baculo.

Correctio duplex, levis in virga, gravis in baculo.

Dicit ergo : « *Tu mecum es :* » et propter hoc « *virga tua,* » minor scilicet correptio et levior, qua punis me tamquam parvulum : « *Et baculus,* » scilicet pœna major, qua punis ut grandævum, et provectum, « *ipsa me consolata sunt,* » non

tantum in patientia sustinui : scio enim illud Psal. xc, 15 : *Cum ipso sum in tribulatione.* Virga puero debetur, Prov. xxii, 15 : *Stultitia colligata est in corde pueri, et virga disciplinæ fugabit illam.* Sed baculus est malorum, qui jam noverunt impie agere, Isa. xiv, 5 : *Contrivit Dominus baculum impiorum.* Hæc mihi sunt in consolatione et solatio, quia filium me ostenderunt. Ad Hebr. xii, 6 : *Flagellat omnem filium quem recipit.* Nec tantum filium, imo dilectum filium. Apoc. iii, 19 : *Ego quos amo, arguo, et castigo.* Quia æternam pœnam in temporalem vertunt, Gregorius : « Sancti pœ« nas temporales lucrum putant, quia « per eas æternas evadere non igno« rant. » Quia æternam felicitatem in gaudium interminabile convertunt, Joan. xvi, 20, 22 : *Tristitia vestra vertetur in gaudium :... et gaudium vestrum nemo tollet a vobis.* Sap. iii, 5 : *In paucis vexati, in multis bene disponentur.* II ad Corinth. iv, 17 : *Id enim, quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Quia inimicis nostris nocumentum sunt et afflictio. Sapient. xii, 22 : *Cum das nobis disciplinam, inimicos nostros multipliciter flagellas.*

Fructus ex adversis.

Argumentum concionis de crucis exaltatione, virgo est virga, crux baculus.

Posset esse Thema in festo Crucis in Septembri quod est infra Octavam B. Mariæ : virga enim est beata Virgo. Num. xvii, 8, virga Aaron fronduit et floruit [1]. Isa. xi, 1 : *Egredietur virga de radice Jesse.* Baculus, crux, Genes. xxxii, 10 : *In baculo meo transivi Jordanem istum.* Hæc sunt consolatio bonorum, virgo et passio.

« *Parasti in conspectu meo mensam.* » 5
Hic est secundum, beneficia scilicet contra malum pœnæ, et sunt tria. Primum, refectio mensæ triplicis. Secundum, plenitudo unctionis, et gratiarum in capite, ibi, « *Impinguasti in oleo caput meum.* » Tertio, calix Dominicæ passionis, ibi, « *Et calix meus.* »

Triplex mensa, scriptura, Eucharistia, spes gloriæ.

Dicit ergo : Sic correxisti me virga et baculo contra culpam, et etiam « *adversus eos qui tribulant animam meam,* » infligendo pœnam, « *parasti mensam,* » Scripturam scilicet me consolantem, vel certe Eucharistiam, vel spem æternæ gloriæ : hanc enim mensam triplicem distinguit Glossa. De prima, Exod. xxvi, 35 : *Mensam extra velum pones : et contra mensam candelabrum in latere tabernaculi meridiano : mensa enim stabit in parte aquilonis.* In hac enim dispositione mensæ instruimur non comedere in angulis, et singulariter intra velum, sed extra in aperto et publico. Osee, iv, 17 et 18 : *Dimitte eos : separatum est convivium eorum, fornicatione enim fornicati sunt.* Item, nec totaliter nos dare cibo corporali, sed intendere lectioni : erat enim contra candelabrum. Proverb. xiii, 25 : *Justus comedit,* reficiendo corpus suum, *et replet animam suam,* lectioni intendendo. Item, nec avide : erat enim in parte Aquilonari. « Aquilo enim, ut di« cit Rabanus, dicitur eo quod aquas li« get et restringat. » Aqua enim est carnalis concupiscentia, quæ debet restringi in comedendo. Eccli. xxxvii, 32 : *Noli avidus esse in omni epulatione, et non te effundas super omnem escam.* De secunda mensa Eucharistiæ. Prov. ix, 1 et 2 : *Sapientia,* Christus scilicet, *ædificavit sibi domum,* Ecclesiam scilicet : *excidit in ea columnas septem,* septem scilicet sacramenta : *immolavit victimas*

Dispositio mensæ, Exod. xxvi, moraliter explicata. Quare Ecclesia dicitur orbis ?

[1] Num. xvii, 8 : *Sequenti die regressus* (Moyses) *invenit germinasse virgam Aaron in domo Levi : et turgentibus gemmis eruperant flores, qui, foliis dilatatis, in amygdalos deformati sunt.* Cf. etiam ad Hebr. ix, 4 : *Virga Aaron, quæ fronduerat.*

suas, sanctos antiquos Prophetas, et seipsum in ara crucis : *proposuit mensam suam,* in altari, dans carnem suam et sanguinem. Hæc est mensa roborans contra omnem tribulationem. Psal CIII, 15 : *Et panis cor hominis confirmet,* ne vacillet per impatientiam, sed totum seipsum immolet, sicut immolatum recolit et sumit pro se Deum suum. Proverb. XXIII, 1 : Alia littera : « Ad mensam divitis sedisti, attende quæ tibi apponuntur[1] : » scito quoniam similia oportebit te præparare. De tertia, Luc. XXII, 29 et 30 : *Ego dispono vobis... ut edatis, et bibatis super mensam meam in regno meo.*

Comparatio et effectus triplicis mensæ.

Glossa : « Prima mensa monstrat refectionem, secunda satiat, tertia vero « glorificat. Prima in littera, secunda in « spiritu, tertia vero erit in specie, aperta scilicet visione. » Et nota etiam, quod secundum Glossam, dicitur hæc Glossa contra eos qui tribulant Ecclesiam, quia mali si sumere præsumant Christi corpus, contrarius et nocivus est cibus. I ad Corinth. XI, 29 et 30 : *Qui manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit : non dijudicans corpus Domini.* Et subdit : *Ideo,* scilicet quia indigne manducatis, *inter vos multi infirmi et imbecilles, et dormiunt multi,* morbis chronicis, multis subitaneis passionibus.

« *Impinguasti in oleo.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Non solum consolationem habeo per refectionem mensæ, sed etiam capitis unctionem : « *quia impinguasti caput meum,* » Christum. Ad Ephes. I, 22 et 23 : *Ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius :* « *oleo* » jucunditatis, et spiritualis « *lætitiæ.* » Hoc enim significat oleum. In Psal. CIII, 15 : *Ut exhilaret faciem ejus in oleo.* Isa. LXI, 3 : *Et darem eis oleum gaudii pro luctu.* Hoc loco impinguatum est caput Ecclesiæ. Psal. XLIV, 8 : *Unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ,* etc. Et alibi, Psal. CXXXII, 2 : *Sicut unguentum in capite,* etc. Caput enim speciale cujuslibet mens est. I ad Corinth. XI, 3 : *Caput mulieris, vir,* mens scilicet caput est partis inferioris. Hoc ungitur et impinguatur oleo, Spiritu scilicet sancto, qui dicitur oleum. Psal. LXXXVIII, 21 : *Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum.* Eccle. IX, 8 : *Oleum de capite tuo non deficiat :* lætificat enim cor. Act. XIII, 52 : *Discipuli replebantur gaudio, et Spiritu sancto.* Ergo in mensa nobis exhibita datus est filius, in impinguatione capitis Spiritus sanctus.

Et calix meus. » Littera Hieronymi, « *tuus.* » Et est tertium. Quasi diceret : Sic consolatur contra omnem tribulationem mensa corporis, infusio spiritus et lætitiæ spiritualis. Et etiam « *calix tuus,* » sanguis scilicet in cruce effusus. « *Meus* » autem, quia ad utilitatem meam, « *quam præclarus,* » id est, valde clarus in effectu, lætificans scilicet et clarificans mentem meam, quamvis inebrians, ipsam inflammans ad omnia sustinenda. Hic est calix de quo Matth. XX, 22 : *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum ?* et infra, XXVI, 39 : *Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste.* Vel calicem appellat Dominicum sanguinem, qui ad litteram bibitur in altari. I ad Corinth. X, 16 : *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est ?* et sumitur continens pro contento. Unde Augustinus et Cassiodorus habent : « Poculum tuum inebrians quam præclarum est ! »

Hic calix ad litteram *præclarus* : quia hic sanguis de regia stirpe descendit per

[1] Vulg. Prov. XXIII, 1 : *Quando sederis ut comedas cum principe, diligenter attende quæ apposita sunt ante faciem tuam.*

nare calix anguinis risti dicir præclarus?

præclarissimam virginem. Item, quia nobilissima specie liquorum omnium se tegit, vini scilicet. Zachar. IX, 17 : *Quid bonum ejus est, et quid pulchrum ejus, nisi frumentum electorum, et vinum germinans virgines* ? Item, cum ibi sit totus Christus, recte dicitur *præclarus calix*, quia ibi est illa lux, de qua I Joan. I, 5 : *Deus lux est, et tenebræ in eo non sunt ullæ.* Item, æternæ gloriæ confert claritatem. Joan. VI, 55 : *Qui bibit meum sanguinem, habet vitam æternam.*

Dicitur et *inebrians* : quia ad litteram in tanta quantitate sumi posset illa species, quod inebriaret, sicut dicit Glossa super illud I ad Cor. XI, 21 : *Alius quidem esurit, alius autem ebrius est.* Vel *inebrians* spiritualiter, oblivionem temporalium inducens, et carnalium delectationum. Proverb. XXXI, 7 : *Bibant... et obliviscantur egestatis suæ.* Psal. LXIV, 10 : *Visitasti terram, et inebriasti eam.* Jerem. XXIII, 9 : *Factus sum quasi vir ebrius, et quasi homo madidus a vino, a facie Domini*, etc. Zachar. IX, 15 : *Bibentes inebriabuntur.*

6 « *Et misericordia tua.* » Hic est secundum totius hujus partis, scilicet conservatio in bonis, et gratiis præmissis.

Ait enim : Hæc bona, quæ superius numeravi, mihi præstabit, vel jam etiam præstitisti. Et super hæc omnia, « *misericordia tua subsequetur me,* » ut per ipsam fiat consummatum, quod per ipsam est inchoatum. Ad Philip. II, 13 : *Deus, est qui operatur in vobis velle, et perficere, pro bona voluntate.* Hoc significatum fuit, Exod. XIV, 19, ubi legitur, quod *Angelus, qui præcedebat castra Israel, tollens se, abiit post eos.* Et est multum necessaria hæc gratia. Hæc est enim quæ totum facit. Cassiodorus : « Graviores sunt insidiæ quas diabolus a « tergo parat, et quando aliquis vitium « se transisse credit, incauta magis igno« rantia decipitur. » Psal. LV, 7 : *Ipsi calcaneum observabunt.* Genes. III, 15 : *Tu insidiaberis calcaneo ejus.* Et nota, quod sicut misericordia præveniens est amor relevandi miserum a miseria, sic misericordia subsequens est amor sustentandi relevatum ne labatur in miseriam. Cassiodorus : « Si solum sequeretur mi« sericordia, nemo donata perciperet : « si solum præcederet, nemo posset col« lata servare. » Gregorius : « Cito bo« num perditur, quod a largiente non « custoditur. »

« *Omnibus diebus vitæ meæ,* » quibus hic vivo. Isti enim sunt dies vitæ meæ : illi autem qui in patria, vitæ tuæ, o Domine. Psal. LXXXIII, 11, de illis : *Melior est dies una in atriis tuis, super millia.* Et nota secundum Cassiodorum, quod « decem tanguntur hic viatori necessa« ria. Primum, loci per quem transitur « fertilitas, ibi, « *In loco pascuæ.* » Se« cundum, fluviorum amœnitas, ibi, « *Super aquam refectionis.* » Tertium, « eundi voluntas, ibi, « *Animam meam* « *convertit.* » Quartum, viæ compendio« sitas, ibi, « *Deduxit me.*» Quintum, viæ « securitas, ibi, « *Si ambulavero in me*« *dio umbræ mortis, non timebo mala.* » « Sextum, in labore consolatio, ibi, « *Virga tua et baculus tuus.* » Septi« mum, delectabilis refectio, ibi, « *Pa*« *rasti in conspectu meo mensam.* » Octa« vum, exsultatio mentis, ibi, « *Impin*« *guasti in oleo.* » Nonum, malorum « oblivio, ibi, « *Et calix meus inebrians.* » « Decimum, viæ continuatio usque ad « terminum, ibi, « *Et misericordia tua* « *subsequetur me.* » Hæc autem divisio est secundum illos quorum littera est, « Dominus pascit me, et nihil mihi deerit. » Secundum communem litteram essent undecim. Primum positio in via bona, et decem alia sicut sunt numerata.

Decem viatori necessaria.

« *Et ut inhabitem in domo Domini.* » Tertia pars totius Psalmi, in qua ostenditur finis et utilitas ultima omnium gratiarum præcedentium, scilicet habitatio in domo æterna Dei, et præparatio in

Tertia pars Psalmi.

illa cohabitatione, ibi, « *In longitudinem.* »

Ait ergo : Sic me gradatim diversis gratiis promovisti, et hæc omnia facta sunt, « *Ut inhabitem in domo Domini.* » Psal. LXXXIII, 8 : *Ibunt de virtute virtutem : videbitur Deus deorum in Sion.* Hæc est domus Domini, de qua II ad Corinth. v, 1 : *Scimus, quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cœlis.* Cassiodorus : « Hæc est gratia contemplativa, de qua, « *Beati qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te*[1].» Hoc est quod hic dicitur,« *In longitudinem dierum.* » In hoc enim notatur æternitas. Proverb. III, 16 : *Longitudo dierum in dextera ejus, et in sinistra illius divitiæ, et gloria.* Apocalyps. III, 12 : *Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei : et foras non egredietur amplius.* Et nota Glossam, quæ assignat causam quare cantatur hic Psalmus in exsequiis mortuorum.

PSALMUS XXIII.

Dei in omnes creaturas dominium. Dotes requisitæ ut cum Christo regnetur.

1. *Prima sabbati, Psalmus David.* Domini est terra, et plenitudo ejus : orbis terrarum, et universi qui habitant in eo[2].
2. Quia ipse super maria fundavit eum, et super flumina præparavit eum.
3. Quis ascendet in montem Domini ? aut quis stabit in loco sancto ejus ?
4. Innocens manibus et mundo corde, qui non accepit in vano animam suam, nec juravit in dolo proximo suo.
5. Hic accipiet benedictionem a Domino : et misericordiam a Deo salutari suo.
6. Hæc est generatio quærentium eum, quærentium faciem Dei Jacob.
7. Attollite portas, principes, vestras, et elevamini portæ æternales, et introibit rex gloriæ.
8. Quis est iste rex gloriæ ? Dominus fortis et potens, Dominus potens prælio.
9. Attollite portas, principes, vestras, et elevamini portæ æternales, et introibit rex gloriæ.
10. Quis est iste rex gloriæ ? Dominus virtutum ipse est rex gloriæ.

[1] Psal. LXXXIII, 5.

[2] Ps. XLIX, 12 ; I ad Cor. x, 26.

IN PSALMUM XXIII

COMMENTARIUS.

1 *Prima sabbati, Psalmus David* [1].

Argumentum Psalmi : Christi imperium in Ecclesiam suam superiori Psalmo e capti-

« *Domini est terra, et plenitudo ejus.* » Hic est Psalmus vigesimus tertius, in quo postquam actum est de Christi passione, de reductione populi ab Ægypto spirituali, vel Babylonia quæ secuta est ex passione, agitur consequenter de dominatione Christi, et dilatatione regni ejus. Unde in hoc Psalmo Propheta tenet personam præconis, qui post victoriam et reductionem, præclamat totam terram esse victoris. Et quia hæc victoria maxime apparuit facta in resurrectione, intitulatur Psalmus iste a resurrectione : est enim talis titulus : « *Prima sabbati, Psalmus David,* » id est, pro sabbato editus primo, id est, pro eo quod gestum est in prima sabbati, scilicet pro resurrectione, in qua Christus victor apparuit, et dominus totius mundi, secundum illud Matth. xxviii, 18 : *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra.*

vitate eripuit.

Notandum ergo, quod Judæi in magna reverentia habebant diem sabbati. Exod.

[1] L'hébreu a seulement pour titre : *Psaume de David.* Les LXX ajoutent : τῆς μιᾶς σαββάτου, indication de l'usage liturgique du psaume, qu'on chantait au premier jour de la semaine pour célébrer l'œuvre de la création. Le Talmud confirme cette indication.

Quelques-uns croient que le psaume fut composé prophétiquement pour l'inauguration du temple de Salomon (Patrizi). Bossuet et la plupart des modernes le rapportent au transport de l'arche de la maison d'Obédédom à la montagne de Sion, II Reg. vi, 17, et plus tard, aux circonstances analogues, quand l'arche, après une guerre où elle avait été emportée, était ramenée triomphalement dans sa demeure.

Le psaume a deux parties très distinctes : la première se chantait pendant le trajet du cortège, et la seconde devant les portes de la vieille cité. La première partie reproduit exactement le même ordre d'idées que le Ps. XIV : Dieu est grand dans ses œuvres (℣℣. 1, 2), qui donc osera approcher du lieu où il réside (℣. 3) ? Celui qui est fidèle à accomplir la loi (℣℣. 4 et 6). La seconde partie est un épisode de la cérémonie solennelle que décrit le Ps. LXVII. « Tout le monde sentira qu'il y a dans ce psaume des variations, des changements de voix, et il est tout aussi facile de voir qu'il y en a également dans la marche des idées, si riches en action. » Herder, Poés. des Héb. ii, 9. La forme dialoguée est en effet très reconnaissable, et elle donne au psaume le mouvement qui convient à une marche religieuse. « Tout le poème était probablement disposé pour être chanté ainsi ; on ne peut du moins en douter quant à la dernière partie de l'ode... Vous devez vous apercevoir que la grandeur et les traits sublimes répandus dans ce psaume tiennent tellement aux circonstances du temps, du lieu, de la solennité, que si nous n'avions soin de rappeler tous ces augustes souvenirs, loin de sentir la force et la beauté du poème, nous pourrions à peine démêler l'ordre des idées et saisir le sens des expressions. » Lowth, Poés. sacr. xxvii.

Au sens spirituel, le Psalmiste décrit l'entrée du Messie dans le temple au jour de sa présentation, Mal., iii, 1, et plus tard au jour des Rameaux. Aussi plusieurs liturgies, comme celle de Paris, se servaient-elles de ce psaume en forme de dialogue à la procession de cette solennité. Les Pères laissent de côté le sens littéral cité plus haut, et signalent uniquement comme objet du psaume la résurrection du Sauveur, S. Aug., S. Chrys. Quod Christus sit Deus, iv, Pseud. Ruf.: plus généralement son entrée au ciel à l'Ascension, S. Cypr. S. Hilar., S. Greg, Nyss. de Ascens. Dom, ii Noct. fer. iv infr. Oct. Ascens. S. Hier., ad Damas. Ep. cxlii, Eusèb., Cfr. Cassian. de Incarn. vii, 24 : quelquefois l'une et l'autre ensemble, S. Athan., Theod. On peut encore reconnaître dans ce chant l'entrée de Dieu dans l'âme fidèle par la grâce, et comme la tente où réside la gloire de Jéhova est « tabernaculum Dei cum hominibus, » Apoc. xxi, 3, le psalmiste commence par rappeler à l'homme les devoirs qui résultent pour lui de cette union. Enfin l'Eglise applique elle-même le psaume au jeune clerc qui entre dans le sanctuaire. Sur son interprétation à ce point de vue, voir Olier, Trait. des SS. Ordres, 1, 3.

H. Lesêtre.

xx, 11 : *Idcirco benedixit Dominus diei sabbati, et sanctificavit eum.* Et inde etiam a die sabbati, nominabant dies septimanas, ut dies Dominica prima sabbati, id est, prima post sabbatum : vel una sabbati. Etiam septimana tota, aliquando *sabbatum* dicebatur. Luc. xviii, 12 : *Jejuno bis in sabbato.* Aliquando quælibet dies festiva maxime secundum illud Joan. xx,1 : *Una sabbati, Maria Magdalene venit mane... ad monumentum.* Gentiles autem a planetis dies nominabant, dicentes sabbatum diem Saturni, quia in ejus hora planetam Saturnum dominari dicebant. Consequenter alios planetas sex, in sex horis sequentibus, ita quod rursus in octava Saturnus, et sic completo die naturali in viginti quatuor horis : rursus hora vigesima quinta Sol dominabatur, quæ erat hora prima diei Dominicæ, et ita diem illam, *diem solis* appellabant. Christiani vero omnes dies ferias appellant, eo quod secundum ipsos feriandum est in omni die a peccato. Ad Rom. xiii, 12 et 13 : *Nox præcessit, dies autem appropinquavit, abjiciamus ergo opera tenebrarum, et induamur arma lucis, sicut in die honeste ambulemus.* Vel, ut dicit Isidorus : « Feriæ a « *fando* dicuntur, quia in eis est nobis « tempus, vel Deo, vel hominibus, fan- « di : Deo laudando, orando : hominibus « docendo, consulendo. »

Est ergo sensus tituli : Ipse « *Psalmus* » est « *David* » ut Auctoris, in quo agitur de dominatione Christi, quæ manifestata est in « *prima sabbati,* » scilicet in gloriosa ejus resurrectione, qui per David designatur. Et bene hac die, Dominica scilicet, resurrectio facta est manifesta, hac enim die lux condita est, secundum dierum ordinem. Genes. i, 4, tenebræ divisæ sunt a luce [1]. Sic opacitas corporis Christi abjecta est, et corpus ejus lucidissimum factum. Hac ergo die mundum majorem condidit, et minorem reparavit. « Et hac « etiam die, sicut dicit Rabanus, speratur « futura resurrectio generalis : hæc namque « dies multis insignita est excellentiis. Pri- « ma fuit dierum sæculi : in ipsa lux facta « est. In ipsa Angeli sunt creati, in conver- « sione ad Deum lux sunt facti. Hac « die primo manna dicitur de cœlo descen- « disse [2]. Hac die natus est Christus. Hac « die Spiritus sanctus missus. Hac die no- « stram resurrectionem in seipso inchoavit, « in hac consummabit. Huic nulla nox « succedet, sicut nulla præcessit. Hæc dies, « in qua Deo plene fruemur, et continue « deinceps laudabimus et amabimus. »

Dies Dominica multis nominibus celebris.

Dividitur autem Psalmus in tres partes secundum Glossam. Primo, præconizatur Christi dominium super mundum, et Ecclesiam per totum mundum diffusam. Secundo, describuntur bona et virtutes membrorum Ecclesiæ, quæ vere sunt membra, ibi, « *Quis ascendet in montem Domini ?* » Tertio, invitantur mali et impii ut ad tantum Dominum convertantur, ibi, « *Attollite portas.* »

In prima duo. Primo, præconizatur Christi dominium. Secundo, quod vere sic debeat dominari, ibi, « *Quia super maria fundavit eum.* »

In prima duo. Primo, quod dominetur. Secundo, quod universaliter dominetur, ibi, « *Orbis terrarum.* »

In prima duo. Primo, quod continenti, scilicet terræ. Secundo, quod contento, ibi, « *Et plenitudo ejus.* »

Prima pars Psalmi.

Dicit ergo : « *Domini est terra,* » secundum Hieronymum ad litteram, litteralis terra, unde Hieronymus : « *Domini est terra,* totus mundus. » Psal. xlix, 12 : *Meus est orbis terræ et plenitudo ejus.* Sed contra, Joan. xviii, 36 : *Regnum meum non est de hoc mundo.* Et

[1] Genes. i, 4 : *Et vidit Deus lucem quod esset bona : et divisit lucem a tenebris.*

[2] Cf. Exod. xxvi, 15.

infra : *Regnum meum non est hinc.* Respondemus. Regnum Dei habet duas partes : unam majorem et principaliorem, scilicet cœlum : et aliam minorem, scilicet terram. Intendit ergo dicere principaliorem regni sui partem non esse hinc, quasi non curans de minori.

« *Et plenitudo ejus.* » Ecce contentum. Quasi diceret : Non est Dominus terræ inanis et vacuæ, sicut fuit a principio, sed plenitudo terræ sua est. Terra autem dicitur habere plenitudinem, quod non alia elementa, quia in ejus parte infima est multitudo infinita spirituum damnatorum. Multi autem sunt, Eccle. I, 15 : *Stultorum infinitus est numerus.* In ejus parte suprema arborum et nascentium frugum tanta est copia, ut quidam dicunt, tot esse quot sunt stellæ in octavo orbe. Et præter hæc pecudibus et animalibus, Baruch. III, 32 : *Præparavit terram in æterno tempore, et replevit eam pecudibus, et quadrupedibus.* In ejus media parte, est plenitudo auri, et argenti, et aliorum metallorum. Isa. II, 7 : *Repleta est terra auro et argento : et non est finis thesaurorum ejus.*

« *Orbis terarrum.* » Secundum est. Quasi diceret : Non tantum in aliqua parte extenditur ejus dominium, sed etiam ejus est « *orbis terrarum,* » omnium scilicet circuitus terrarum. Psal. XLVI, 8 : *Quoniam Rex omnis terræ Deus.*

« *Et universi qui habitant in eo.* » Primum respicit ad continentem, secundum hoc ad contenta. Job, XLI, 2 : *Omnia, quæ sub cœlo sunt, mea sunt.* Ad Philipp. II, 9 et 10 : *Donavit illi nomen quod est super omne nomen : ut in nomine Jesu omne genu flectatur.*

Mystice autem secundum Glossam sic : « Ne mutetur dictio : « *Domini est terra,* » id est, Christi, qui est omnium « Deus, secundum illud Esther, XIII, 11 : « *Dominus omnium es.* « *Est terra,* » id « est, Ecclesia, quæ dicitur terra. Genes. « I, 11 : *Germinet terra herbam virentem,* Ecclesia Mariam. « *Et plenitudo « ejus,* » id est, quibus repletur Eccle« sia, homines, virtutes, operationes : « hæc enim tria in omni re, virtus, ope« ratio, et substantia inveniuntur. Homi« nes enim dicunt : *Nos autem populus « ejus, et oves pascuæ ejus* [1]. De virtu« tibus autem confitetur justus : *Multi« plicabis in anima mea virtutem* [2]. Ja« cob. I, 17 : *Omne datum optimum.* De « operibus, Isa. XXVI, 12 : *Omnia opera « nostra operatus es nobis, Domine.* I ad « Cor. XII, 4 : *Divisiones gratiarum sunt, « idem autem spiritus : et divisiones « ministrationum sunt,* quantum ad ho« mines, *idem autem Dominus* : *et divi« siones operationum sunt, idem vero « Deus, qui operatur omnia in omnibus.* « *Orbis terrarum.* » Quasi diceret : Non « tantum terra, id est, Ecclesia aliqua, « sed orbis terrarum, ipsa tota ubicum« que terrarum sit diffusa. « *Et universi « qui habitant in eo,* » ut non sit dilata« tio solum, quantum ad continentem, « sed etiam quantum ad contentos. Di« citur autem Ecclesia orbis ratione pie« tatis, quia omnes comprehendit. Pietas « enim omnia in se claudit, quæ est in « Ecclesia sicut figura rotunda et orbicu« laris. Matth, XIII, 47 : *Simile est regnum « cœlorum sagenæ missæ in mare, et ex « omni genere piscium congreganti.* Ra« tione puritatis : Omnis figura rotunda « sine angulo est, et per hoc sordes non « colligit nec rugam. Ratione vitæ inno« centis : Omnis enim figura angularis « acuta fit, et inde accidit quod pungitiva « redditur et aspera. Sed Ecclesia propter « innocentiam colombæ comparatur. « Cant. VI, 8 : *Una est columba mea, « perfecta mea,* sicut circulus est perfe« ctissima figurarum. »

Quare Ecclesia dicitur orbis?

[1] Psal. XCIX, 3.

[2] Psal. CXXXVII, 3.

2

Deus est Dominus terræ, quia est illius fundator super mare.

« *Quia ipse super maria.* » Hic est secundum, in quo ostenditur quod jure, Dei est orbis terrarum. Et est ratio, quia fundator illius : et tangitur duplex fundatio. Super salsam aquam, hoc est, « *Super maria.* » Super dulcem, scilicet flumina, ibi, « *Et super flumina.* »

Dicit ergo : Sic Domini est orbis terrarum totus, et hoc justum est, « *quia ipse super maria fundavit eum,* » orbem scilicet terrarum, et hoc quantum ad aquas salsas, « *et super flumina præparavit eum,* » quantum ad dulces. Sed secundum litteram dubium est quomodo hoc dicatur, cum constet terram esse omnium elementorum infimum naturaliter? ergo non super maria, sed subtus. Item, cum mare et flumina sint in motu continuo, non esset terra stabilis, si super maria fundata esset, vel flumina. Præterea, in Psal. CI, 26 : *Initio tu, Domine, terram fundasti.* Et rursus, Psal. CIII, 5 : *Quia fundasti terram super stabilitatem suam.* Ergo non super alienam. Hæc non obstant, quin verum sit dictum Prophetæ.

Triplex sensus illius dicti, super maria.

Et est ratio triplex : quia hæc dictio, « *Super maria,* » aut significat terræ super aquam eminentiam, aut in firmitate fundamenti excellentiam, aut ad sui stabilitatem aquæ indigentiam. Quantum ad primum sic : Cum secundum naturæ ordinem deberet superficies terræ aqua cooperiri, sicut tota aquæ superficies aere, tamen Creator suo magno beneficio voluit unam partem terræ supereminere aquæ, ut in ea esset hominum habitatio et animalium. Genes. I, 9 : *Congregentur aquæ, quæ sub cœlo sunt, in locum unum : et appareat arida. Et factum est ita.* Et hæc terræ eminentia significata est, cum dicitur : « *Super maria fundavit eum,* » orbem scilicet terræ, ut mari non cooperiretur, sed virtute Creatoris fluctus cohiberentur. Job, XXXVIII, 8 : *Quis conclusit ostiis mare ?* Et infra ℣ 10 et 11 : *Circumdedi illud terminis meis, et posui vectem, et ostia, et dixi : Usque huc venies, et non procedes amplius, et hic confringes tumentes fluctus tuos.* Psal. CIII, 9 : *Terminum posuisti, quem non transgredientur : neque convertentur operire terram.* Vel sic : Ipse « *fundavit eum,* » orbem scilicet terræ, et hoc « *super maria,* » id est, plusquam maria sint fundata. Stabilior enim est orbis terræ quam mare, quia sicut dicunt Philosophi, « Cœlum movetur velocissime et trahit secum movendo ignem motu velocissimo, et etiam aera, sed non tam veloci et rapido aquam ab Oriente cogit moveri in Occidentem, sed ipsa suo mota pondere recurrit, et sic fiunt fluxus maris et refluxus, tertio modo sic, quia, sicut dicit Aristoteles, « Terra in minutissimum « pulverem, et in atomos solveretur, nisi « esset aqua tam salsa, quam dulcis ei « infusa, interius coagulans partes et « compingens. »

Ecclesia est superior aquis dulcibus et salsis, id est, adversis et prosperis.

Per mare autem, tribulationes quæ amaræ sunt. Hoc est mare in quo Ægyptii submerguntur, transeunte libere populo Domini [1]. Flumina, prosperitates quæ dulces sunt. Illa, inquam, flumina, in quæ Pharao mares jubet præcipitari [2]. Sed Ecclesia super utraque fundata est, quia et persecutiones sustinet patienter, et prosperitates transit prudenter. Matth, VII, 25 : *Venerunt flumina,... flaverunt venti, et irruerunt in domum illam, et non cecidit : fundata enim erat supra firmam petram,* fidem quam confessus fuerat Petrus [3]. Non ergo fundata est, sicut multi putant, super temporalia et terrena. Job, IV, 19 : *Qui terrenum habent fundamentum, consumentur velut a tinea.*

Et nota hic, quod terra dicitur Eccle-

[1] Cf. Exod. XIV, 20 et seq.
[2] Cf. adhuc Exod. I, 22 et seq.
[3] Cf. Matth. XVI, 16.

Ecclesia terræ comparata. sia, quia arida ab omni humore luxuriæ, et gulositatis. Psal. LXII, 3 : *In terra deserta, et invia et inaquosa,* etc. In humidis enim dormit Behemoth, Job. XL, 16 : *Sub umbra dormit in secreto calami, et in locis humentibus.* Item, quia trita per tribulationes. Terra enim dicitur a terendo. Isa. LXIII, 18 : *Quasi nihilum possederunt populum sanctum tuum : hostes nostri conculcaverunt sanctificationem tuam.* Psal. LV, 2 : *Miserere mei Deus, quoniam conculcavit me homo : tota die impugnans tribulavit me.* Et tanto solidior, quo plus pressa, II ad Corinth. XII, 9 : *Virtus in infirmitate perficitur.* Situ etiam infima, Psal. XLIII, 20 : *Humiliasti nos in loco afflictionis.* Psal. CXVIII, 75 : *In veritate tua humiliasti me :* cum cæteri extollantur vanitate. Et nihilominus stabilis et fixa, Eccle. I, 4 : *Generatio præterit, et generatio advenit : terra autem in æternum stat.* Et fructifera, Psal. LXXXIV, 13 : *Etenim Dominus dabit benignitatem, et terra nostra dabit fructum suum* : trigesimum in bonis conjugatis, sexagesimum in viduis, et centesimum in virginibus [1].

3 Secunda pars Psalmi. « *Quis ascendet ?* » Hic est secunda pars Psalmi : postquam enim dixit orbem terrarum esse Domini, ne quis putet propter hoc omnes qui sunt in toto orbe esse de Ecclesia, occurrit ostendendo qui sunt de illa. Vel sic : Dixerat Ecclesiam esse Domini, et in toto orbe terrarum diffusam : ne ergo crederet aliquis omnes ascendisse qui sunt in Ecclesia, ad virtutum eminentiam, hoc removet per quæstiones quas hic facit. Primo, quærit. Secundo, solvit ad quæsita, ibi, « *Innocens.* »

In prima ergo duo dicuntur. Primo quærit, qui sunt de Ecclesia, vel esse possunt per ingressum in illam. Secundo, quærit de perseverantia ingressorum, ibi, « *Aut quis stabit ?* » Secundum aliam litteram primo quærit de ascensu ad culmen perfectæ justitiæ. Secundo, de statu in illo culmine, ibi, « *Aut quis stabit ?* »

Dicit ergo : Sic dixi, quod Domini est terra, orbis terræ, et omnes in eo habitantes : non tamen omnes de Ecclesia : quia « *quis ascendet in montem Domini ?* » Ecclesiam scilicet militantem, quæ sicut supra dicebatur terra propter fructificationem, sic mons dicitur hic propter vitæ et sanctimoniæ altitudinem. Isa. II, 2 : *Erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium.* Unde volenti ingredi, necesse est quod ascendat. Isa. II, 3 : *Venite et ascendamus ad montem Domini.* Vel sic : Dixi Ecclesiam in toto orbe diffusam : sed « *quis ascendet in montem Domini ?* » in justitiæ scilicet perfectionem, quæ mons dicitur. Cant. IV, 6 : *Vadam ad montem myrrhæ, et ad collem thuris.* In hoc autem quod dicitur, « *Quis ?* » notatur raritas perfectorum in Ecclesia. Eccle. IX, 14 : *Civitas parva, et pauci in ea viri,* viriliter scilicet agentes. In hoc autem quod dicit, « *Ascendet,* » notatur difficultas. Difficile enim est valde ascendere ad culmen perfectæ justitiæ ut omnia relinquantur propter Christum. Hæc est enim justitia, de qua in Psal. XXXV, 7 : *Justitia tua sicut montes Dei.* Timent enim multi ignem tribulationis et paupertatis. Deut. V, 5 : *Timuistis ignem, et non ascendistis in montem :* ibi tamen Moyses non urebatur, sed consolabatur. Alii triplici peccato, superbiæ, avaritiæ, luxuriæ, quasi funiculo triplici detinentur. Eccle. IV, 12 : *Funiculus triplex difficile rumpitur.*

« *Aut quis stabit,* » post ingressum in Ecclesiam, « *in loco sancto ejus,* » in Ecclesia scilicet, in illa perseverando. Locus autem sanctus est Ecclesia, sicut Moysi dictum fuit, Exod. III, 5 : *Solve*

[1] Cf. Matth. XIII, 23.

calceamentum de pedibus tuis : locus enim in quo stas, terra sancta est. Nec mirum. Locus est pedum Dei, misericordiæ scilicet et justitiæ. Isa. LX, 13 : *Locum pedum meorum glorificabo.* Locus etiam sanctus, est ejus justitia. Psal. LXXXIII, 15 : *Justitia, et judicium præparatio sedis tuæ.* Psal. XXI, 4 : *Tu autem in sancto habitas, laus Israel,* in eo scilicet, qui sine terra est omnia relinquendo. Sed in hoc loco « *quis stabit ?* » Multi enim multo tempore nituntur ad ascensum, sed in valde modico, et subito aliquando descendunt. Psal. CVI, 26 : *Ascendunt usque ad cœlos,* per vitæ perfectionem, *et descendunt usque ad abyssos,* aliquando per apostasiam. Sed non paulatim descendunt. Luc. X, 18 : *Videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem.* Propter hoc dicit Petrus, II Petr. II, 21 : *Melius erat illis viam justitiæ non cognoscere, quam post agnitionem, retrorsum converti ab eo, quod illis traditum est sancto mandato.*

4 « *Innocens manibus.* » Hic subjungitur responsio : et dicuntur duo. Primo, responsio prædictis quæstionibus. Secundo, tacitæ cuidam, quæ posset ei fieri, ibi, « *Hæc est generatio quærentium.* »

In prima duo. Primo, descriptio ascendentis ex multiplici merito. Secundo, ratio et causa meriti : quia non a seipso habebit hoc, sed a Deo, ibi, « *Hic accipiet benedictionem.* »

Partes in homine justo requisitæ.

In prima tria secundum triplicem conditionem, quam tangit ascendentis et stantis. Primo , bona ordinatio in seipso. Secundo, bona ad Deum, ibi, « *Qui non accepit.* » Tertio, bona ad proximum, ibi, « *Nec juravit in dolo proximo suo.* » Vel sic : Quatuor tanguntur. Primum respicit ad operis bonitatem, ibi, « *Innocens manibus.* » Secundum, ad intentionis puritatem, ibi, « *Et mundo corde.* » Tertium, ad voluntatis perfectionem, ibi, « *Qui non accepit in vano animam suam.* » Quartum, ad sermonis veritatem, ibi, « *Nec juravit in dolo.* »

Dicit ergo : Sic quæsivi, quis ascenderet ? et respondeo : « *Innocens manibus,* » qui nihil mali fecit in opere, nec sibi, nec alii, qualis erat, qui dicebat, II ad Cor. VII, 2 : *Capite nos. Neminem læsimus, neminem corrupimus, neminem circumvenimus.* Job, XXII, 30 : *Salvabitur innocens, salvabitur autem in munditia manuum suarum.* Et hoc justum. Proverb. XIII, 6 : *Justitia custodit innocentis viam.* Psal. XXIV, 21 : *Innocentes et recti adhæserunt mihi.* « *Et mundo corde,* » ut quod boni faciunt, non polluant perversa intentione. Matth. V, 8 : *Beati mundo corde.* Proverb. XXI, 8 : *Qui mundus est, rectum opus ejus.* Et hoc valde paucis convenit, Proverb. XX, 9 : *Quis potest dicere : Mundum est cor meum? purus sum a peccato?* Tob. III, 16 : *Mundam servavi animam meam.* Judith, XII, 9 : *Introiens, munda manebat in tabernaculo, usque dum acciperet escam suam in vespere.*

« *Qui non accepit in vano animam suam.* » Accipere in vano animam suam, est ipsam animam, et animæ voluntatem ad terrena, quæ omnino vana sunt, convertere per amorem et sollicitudinem. Sed nemo in vano accipit qui totam ad æterna et solida convertit : temporalia enim omnia, et transitoria, et vana sunt. Eccle. I, 2 : *Vanitas vanitatum, et omnia vanitas.* Propter hoc dicit idem Eccle. II, 11 : *Cum me convertissem ad omnia opera, in quibus sudaveram, vidi in omnibus vanitatem.* Bene animam in vanum acceperat, qui dicebat, Luc. XII, 19 : *Anima mea, habes multa bona posita in annos plurimos : comede, bibe,* etc. Vanum etiam est culpa, imo nihil vanius. I Petr. I, 18 : *Non corruptibilibus auro, vel argento redempti estis de vana vestra conversatione.* In vano ergo animam accipit, qui ipsam ad mala perpetranda convertit. Item, secundum Hieronyum, « In vanum accipit animam, qui anima « non utitur ad id ad quod ipsam accepit. »

Hoc est, qui ea quæ debet facere, omittit : quasi enim pro nihilo habet animam talis. Eccle. IV, 5 : *Stultus complicat manus suas*, et laborat, si eas ad os suum miserit. Sed contra, Eccle. VII, 19 : *Qui timet Deum, nihil negligit*. Bernardus *de diligendo Deo* : « In vanum animam accipis rationalem, dum instar pecoris sensum sequeris ratione otiosa. »

« *Nec jurat proximo suo* : » et addit, « *in dolo*, » permittens simplicia juramenta, et interdicens dolosa, et spectat ad veritatem in sermone. In dolo autem jurat, qui proponit aliter in corde quam promittit in ore. Psal. V, 11 : *Linguis suis dolose agebant*. Zachar. VIII, 17 : *Juramentum mendax ne diligatis*.

5 « *Hic accipiet benedictionem a Domino*. » Hic secundum, in quo ostendit, quod hoc non habet a semetipso, sed a Deo, non ex justitia, sed ex misericordia : unde et duo dicuntur. Primo, a quo habeantur bona. Secundo, ratio conferendi illa, ibi, « *Et misericordiam a Deo*. »

Dicit ergo : Ascendet et stabit, qui prædicta habuerit. Sed quomodo hæc habebit ? « *Hic* » non a se habebit prædicta, imo « *benedictionem*, » quadruplicem gratiam prædictam, « *accipiet a Domino*. » Vel sic et melius : Talis ascendet ad perfectam justitiam, et in illa perseverabit, sed non per illa. Illa enim non sufficiunt : imo « *hic* » talis, et tales habens gratias, adhuc ut ad perfectam ascendat justitiam, « *accipiet benedictionem a Domino*, » gratiæ copiam, sine qua non posset ascendere. Proverb. X, 22: *Benedictio Domini divites facit*. « *Et misericordiam*, » qua perseverat, « *a Deo salutari suo*, » non ab alio : II ad Corinth. IV, 16, secundum illud quod misericordiarum consecuti sumus, *propter quod non deficimus*. Psal. XXII, 6 : *Misericordia tua subsequetur me, omnibus diebus*, etc. Vel potest in his verbis notari præmium eorum, qui sunt innocentes, et misericordes. Unum quidem cœlestis gratiæ collatio, quod appellatur benedictio. Matth. XXV, 34 : *Venite benedicti Patris mei*, etc. Eccli. XI, 24 : *Benedictio Dei in mercedem justi festinat*. Aliud carentia mali. « *Et misericordiam a Deo salutari suo*. » Ad Tit. III, 5 : *Non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit*, ab omni malo.

Et nota, quod Christus pontifex est. Ad Hebr. IX, 11 : *Christus assistens pontifex futurorum bonorum*. I Petr. II, 25 : *Conversi estis ad Pastorem, et Episcopum animarum vestrarum*. Hic Episcopus dat benedictionem innocentibus et bonis. Raro aut numquam legimus dedisse maledictionem, ut discant nostri Episcopi proniores esse ad benedicendum quam ad maledicendum : sed contrarium multi faciunt. Osee, IV, 2 : *Maledictum, et mendacium inundaverunt*. Psal. XIII, 3 : *Quorum os maledictione et amaritudine plenum est*. Sed attendant illud Proverb. XXVI, 2 : *Maledictum furstra prolatum in quempiam superveniet* : sed non in justum quem maledicunt, vel innocentem. Psal. CVIII, 28 : *Maledicent illi, et tu benedices*. Ergo in maledicentem.

Quomodo pastores pascere debent subditos ?

Item misericors est, ut et ipsi sint misericordes, relevando subditorum rationabilem ab ignorantia, per doctrinam. Hoc est enim unum *pasce*[1]. Sed e contrario, Isa. LVI, 11 : *Ipsi pastores ignoraverunt intelligentiam*. Irascibilem ab indignatione et pœna, per eleemosynarum largitionem. Hoc est secundum *pasce*. Sed e contrario magis sumitur, et auferunt eis sua. Joan. X, 8, 10 : *Quotquot venerunt, fures sunt, et latrones*. Et infra : *Fur non ve-*

[1] Cf. Joan. XXI, 15.

nit nisi ut furetur, temporalia : *et mactet*, corpora : *et perdat*, animas. Et concupiscibilem a culpa, secundum potestatem sibi datam. Ecce tertium *pasce*. Sed e contra, Jerem. XXIII, 15 : *A prophetis Jerusalem egressa est pollutio super omnem terram.*

6 « *Hæc est generatio.* » Hic est secunda pars partis hujus, in qua subjungitur responsio tacitæ quæstioni, vel dubitationi ortæ ex modo loquendi. Posset enim credi, quod de solo Christo intelligerentur prædicta, vel quod paucissimi essent ascensuri ad perfectionem vitæ, et mansuri in illa, propter hoc hic ostenditur, quod imo multitudo erit, quia generatio : unius enim generatio non est, et præterea generatio continuatur in pluribus : et tanguntur tria. Primo, quod sit multitudo de qua locutus est. Secundo tangit quorum, quia « *Quærentium Dominum.* » Tertio, ostendit modum et causam quærendi, ibi, « *Quærentium faciem.* »

Dicit ergo : Sic dixi, quod innocens, et mundo corde ascendet : nec credas talem solum Christum, vel aliquos paucos, hæc gens quæ hæc facit, est generatio, multitudo scilicet renata ex aqua et Spiritu sancto, de qua Joan. III, 5 : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* De hac generatione, Sap. IV, 1 : *O quam pulchra est casta generatio*, quoad carentiam culpæ, *cum claritate*, quoad infusionem gratiæ.

Sed quia regeneratorum sic, quidam sunt ficti, quidam post baptismum lapsi, addit, « *quærentium eum*, » scilicet Dominum : quasi nec ficti, nec lapsi, sed quærentes Dominum, non temporalia sequentes, sicut illi de quibus potest dici illud Exod. V, 12 : *Dispersus est populus per omnem terram Ægypti.*

Sed iterum, quia quidam quærunt Deum, non propter illum, sed propter aliud, addit de causa quærendi, « *quærentium*, » non enim propter aliud, « *sed faciem Dei Jacob*, » faciem scilicet ipsam, id est, præsentiam. Psal. XLI, 3 : *Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum, quando veniam*, etc. Hæc facies de qua in Psal. LXXIX, 4 : *Ostende faciem tuam, et salvi erimus.* Et I ad Corinth. XIII, 12 : *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* Job, XXXIII, 26 : *Videbit faciem ejus in jubilo.* Et dicitur bis, « *quærentium*, » ad signandum, quod in hac vita primo quæritur, et invenitur aliquantulum. Luc. XI, 10 : *Omnis qui quærit, invenit.* Thren. III, 25 : *Bonus est Dominus sperantibus in eum, animæ quærenti illum.* Sed ulterius quæritur postea, ut plenius habeatur. Matth. XXV, 29 : *Omni habenti dabitur, et abundabit.* Aut propter hoc iterat, ut innuat, quod semper sit quærendus, quia non plene scitur quando habeatur. Psal. CIV, 4 : *Quærite faciem ejus semper.* Isa. XXI, 12 : *Si quæritis, quærite.* Deus semper quærendus.

Et dicit, « *Dei Jacob*, » ut notet difficultatem et laborem in quærendo. Jacob enim luctator. Vel ut alludat ei quod dictum est, Genes. XXXII, 30 : *Vidi Deum facie ad faciem, et salva facta est anima mea.*

« *Attollite portas.* » Hic est tertia pars 7 Tertia pars Psalmi.
totius Psalmi, in qua ex rationibus superius dictis, subjungitur conclamatio Prophetæ ad malos, et maxime ad principes malitiæ, ut remota malitia Christo victori aperiant corda, et sumit rationem a duplici Christi potentia seu fortitudine in pugnando, et potentia in dominando, ibi, « *Attollite portas.* »

In prima dicuntur tria. Primo, admonitio aperiendi corda Christo per remotionem peccatorum. Secundo, interrogatio admonitorum, quis est, qui suadet aperiri ? « *Quis est iste ?* » Tertio, responsio per assignationem potentiæ ipsius impugnando, ibi, « *Dominus fortis.* »

In prima tria. Primo, admonitio de malo

amovendo. Secundo, de præparando se ad bonum gratiæ, ibi, « *Et elevamini.* » Tertio, ratio utriusque ut poteat introitus Christo, ibi, « *Et introibit.* »

Dicit ergo : Sic Christi est tota Ecclesia, et tales sunt habitantes in ea, scilicet perfecti in illa justitia. Ergo o vos « *Principes,* » qui estis inter malos primatum gerentes, et illos verbo et exemplo malo a Christo retrahentes, « *Attollite,* » secundum Augustinum, Hieronymum et Cassiodorum, « *Tollite,* » id est, amovete, et auferte « *portas vestras,* » id est, peccata vestra, per quæ mors intrat ad vos, et etiam ad alios. Supra, Psal. IX, 15, de iisdem portis, *Qui exaltas me de portis mortis*, ibi dictum fuit, quia portæ istæ sunt peccata. Hæ portæ tollendæ sunt, ne diabolus intret per eas ad animam : quod fit cor male apertum reintegrando, et claudendo fortiter. Amos, IX, 11 : *Reædificabo aperturas murorum ejus, et ea, quæ corruerant, instaurabo.* I Mach. XIII, 10 : Simon *acceleravit consummare universos muros Jerusalem, et munivit eam in gyro.*

Has portas debent removere primo et principaliter Principes : quia propter peccata eorum peccat populus Eccli X, 2 : *Qualis est rector civitatis, tales et inhabitantes in ea.* Isa. LII, 5 : *Ablatus est populus meus gratis*, quia *dominatores ejus inique agunt.*

« *Et elevamini.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic amovete peccata : et vos o « *portæ æternales,* » virtutes scilicet et gratiæ per quas Deus intrat ad animam, et per quas anima intrat in cœlestem Jerusalem. Apoc. XXI, 21 : *Singulæ portæ erant ex singulis margaritis.* « *Elevamini,* » in mentibus peccatorum principum, quæ jacetis quasi in terra. Thren. II, 9 : *Defixæ sunt in terra portæ ejus.* Clausæ etiam erant, ne homo per eas ingrederetur in vitam. Genes. III, 24 : *Collocavit* Dominus *ante portas paradisi Cherubim, et flammeum gladium, atque versatilem.*

« *Et introibit.* » Ecce tertium. Quasi diceret : Vult tolli portas malas, elevari bonas. « *Et introibit Rex gloriæ* » per illas ad interiora cordium nostrorum : et propter hoc dictæ sunt « *æternales,* » quia aditum præbent æterno Regi, et ad æternitatem. Ipse enim solus illabi potest animæ, non dæmones. Isa. LX, 18 : *Occupabit salus muros tuos, et portas tuas laudatio.* Et bene introitum præbent Christo, non exitum : per virtutes enim intrat ad animam, non exit ab anima. Psal. CVII, 12 : *Non exibis Deus in virtutibus nostris.* Æternales etiam propter permanentiam. I ad Corinth. XIII, 8 : *Charitas numquam excidit.* Sapient. I, 15 : *Justitia perpetua est, et immortalis.*

« *Quis est iste Rex gloriæ?* » Hic secundum, interrogatio, ut magis specificetur Regis conditio. Nec quærit Propheta ut ignorans, sed ut volens exprimere magis. 8

Ait enim : *Quis est iste Rex gloriæ?* Admirando quærit. Quis enim non quærat admirando : quis est qui intrare velit, non civitatem, sed animam, non domum, sed spiritum humanum. Job, XXI, 15 : *Quis est omnipotens, ut serviamus ei?* Et subditur statim responsio. « *Dominus fortis.* » Et describitur a dignitate, primo « *Dominus.* » Esther, XIII, 11 : *Dominus omnium es.* Apoc. XIX, 16 : *Dominus dominantium.* Et a potestate, scilicet fortitudine triplici ad non cedendum, « *Fortis.* » Dicit enim Isidorus, quod « fortis dicitur a ferro, quod sit durum « ne molliatur ut cedat, sicut nec fortis. » Talis Christus, Psal. CXXVIII, 3 : *Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores,* sicut fabri super incudem ferream non cedentem. Matth. XXV, 24 : *Domine, scio quia homo durus es.* Item, ad faciendum bona, « *Et potens.* » Et ad inferendum mala : unde subdit : « *Dominus potens in prælio.* » Sapient, XVI, 13 : *Tu es Domine, qui vitæ,* quantum ad faciendum bona, *et mortis,* quantum ad inferendum

Triplex in Christo fortitudo.

mala, *habes potestatem*. Vel, sicut vult Glossa, responsio est contra Judæos. Quasi dicatur : Iste est Dominus, o Judæi, quem sicut servum iniquum tractavistis. Eccli. XLII, 5 : *Servo pessimo, latus sanguinare*. « *Fortis*, » licet cum gladiis et fustibus captus fuerit a vobis [1]. Habac. III, 4 : *Ibi abscondita est fortitudo ejus* : quam tamen parum exeruit, cum dixit : *Ego sum*. *Abierunt enim retrorsum, et ceciderunt in faciem suam* [2]. « *Potens*, » licet in Pilati potestate a vobis traditus fuerit : non enim potuissetis, si noluisset. Joan. x, 18 : *Potestatem habeo*, etc. Et ad Pilatum, ejusdem, XIX, 11 : *Non haberes potestatem adversum me ullam, nisi tibi datum esset desuper*.

« *Dominus potens in prælio*. » Contra diabolum et Judæos, quamvis ibi mortuus fuerit : potentius enim est moriendo vincere, quam vivendo. III Reg. XXII, 35 : *Rex Israel stabat in curru suo contra Syros*, id est, sublimes et superbos dæmones et Judæos, *et mortuus est vespere*, etc.

9 et 10 « *Attollite portas*. » Ecce secundum, in quo iterum admonet aperiri corda Christo ab infidelibus, et Principibus eorum maxime, et sumitur ratio quare debeant aperiri, a Christi denominatione, et sicut prius dicuntur tria. Primo exclamatio ut aperiant, Secundo interrogatio, ibi, « *Quis est iste*. » Tertio responsio. Subdivide ergo et expone omnia sicut prius : ejusdem enim est repetitio, et ob hoc eadem potest fieri expositio secundum hoc. Est enim, secundum Cassiodorum, hic Anadiplosis, id est, congeminatio aut in verbo, aut in versu. Quantum autem ad ultimam partem, scilicet responsionem, nota, quod exprimere volens dominum dicit : « *Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ* : » de quo quæritis.

Virtutes autem hic Angeli generaliter appellantur. Luc. XXI, 26 : *Nam virtutes cœlorum movebuntur*. Harum virtutum ipse Dominus est. Matth. XXVIII, 18 : *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra*. Daniel. IV, 32 : *Juxta voluntatem suam facit in virtutibus cœli quam in habitatoribus terræ*. Dominus etiam virtutum gratuitarum est : quia dator illarum. Ad Galat. III, 5 : *Tribuit vobis spiritum, et operatur virtutes in vobis*. Virtutes etiam possunt dici opera miraculorum, sed hic ab ipso. Isa. XXVI, 12 : *Omnia opera nostra operatus es nobis*, Domine. Virtutes etiam terreni principes, Judith, XIV, 10 : *Nullus audebat cubiculum virtutis*, hoc est, principis Assyriorum, *pulsando aut intrando aperire*. Et dominatur Christus. Apocalyps. XIX, 16 : *Rex regum et Dominus dominantium*. Proverb. VIII, 15 : *Per me reges regnant*.

Virtutum multiplex acceptio.

Et subdit : « *Ipse est Rex gloriæ*. » Promittitur primo virtus : postea subdit de gloria. Virtutem enim necesse est præcedere gloriam. Psal. LXXXIII, 12 : *Gratiam, et gloriam dabit Dominus*. Aliæ lecturæ sunt in Glossa. Inspice et expone breviter.

Ingressus Dei in animam per sex virtutes.

Et nota sex virtutes, quæ sunt quasi sex portæ bonæ, quibus est ingressus Dei ad animam, et animæ ad cœlestem Jerusalem.

Prima, peccati confessio, quæ dicitur *porta gregis* : quia per hanc grex Domini dispersus reducitur. Psal. XCIX, 4 : *Introite portas ejus in confessione*. I Petr. II, 25 : *Eratis sicut oves errantes, sed conversi estis, nunc*, etc.

Secunda, satisfactio in cordis amaritudine et opere bono. Hæc est *porta piscium*. Sicut enim vita piscium est in mari maxime, et quasi naturaliter : sic in amaritudine cordis, et carnis mortificatione

[1] Cf. Matth. XXVI,55.

[2] Joan. XVIII

est vita spirituum. Isa. xxxviii, 15 et 16: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Et subdit: *Domine si sic vivitur, et in talibus vita spiritus mei.*

Tertia, Dei dilectio, et proximi. Aliter enim non valet satisfactio : imo satisfactio non est. Hæc est *porta vetus :* charitas enim secundum essentiam vetus est : semper enim necessaria fuit ad salutem : sed nova secundum modum. I Joan. ii, 7 : *Non mandatum novum vobis scribo, sed mandatum vetus, quod habuistis ab initio.* Ecce vetustas. De novitate, Joan. xiii, 34 : *Mandatum novum do vobis : ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.* Novitas ad modum referenda.

Quarta est humilitas : parum enim valeret satisfactio cum charitate, nisi esset in humilitatis valle. Hæc est *porta vallis :* per hanc enim intravit ipse Christus in propriam gloriam. Ad Philip. ii, 8 et 9 : *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem : propter quod et Deus exaltavit illum, et dedit illi nomen,* etc.

Sed cito corruit ista, nisi sequatur quinta, quæ est *porta sterquilinii.* Hanc aperiebat Paulus, I ad Corinth. iv, 13 : *Tamquam purgamenta hujus mundi facti sumus, omnium peripsema usque adhuc.* Eccli. x, 9 : *Quid superbit terra et cinis ?*

Sexta est per quam omnia conservantur, lacrymosa oratio sine strepitu labiorum facta. Hæc est *porta fortis* Siloe in fonte lacrymarum. In Siloe silentium designatur, et etiam Siloe interpretatur *missus.* Joan. ix, 7, et Isa. viii, 6 : *Abjecit populus iste aquas Siloe, quæ vadunt cum silentio.* Est etiam oratio, tamquam quidam nuntius ad Deum directus et missus.

PSALMUS XXIV.

Psaltes precatur liberationem, peccatorum condonationem, et protectionem divinam.

1. *In finem, Psalmus David.*
Ad te, Domine, levavi animam meam.
2. Deus meus, in te confido : non erubescam.
3. Neque irrideant me inimici mei : etenim universi qui sustinent te non confundentur.
4. Confundantur omnes iniqua agentes supervacue.
Vias tuas, Domine, demonstra mihi, et semitas tuas edoce me.
5. Dirige me in veritate tua, et doce me : quia tu es Deus salvator meus, et te sustinui tota die.
6. Reminiscere miserationum tuarum, Domine, et misericordiarum tuarum, quæ a sæculo sunt.
7. Delicta juventutis meæ, et ignorantias meas ne memineris.
Secundum misericordiam tuam memento mei tu : propter bonitatem tuam, Domine.
8. Dulcis et rectus Dominus : propter hoc legem dabit delinquentibus in via.
9. Diriget mansuetos in judicio : docebit mites vias suas.
10. Universæ viæ Domini, misericordia et veritas, requirentibus testamentum ejus et testimonia ejus.
11. Propter nomen tuum, Domine, propitiaberis peccato meo : multum est enim.
12. Quis est homo qui timet Dominum ? legem statuit ei in via quam elegit.
13. Anima ejus in bonis demorabitur : et semen ejus hæreditabit terram.
14. Firmamentum est Dominus timentibus eum : et testamentum ipsius ut manifestetur illis.
15. Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos.
16. Respice in me, et miserere mei : quia unicus et pauper sum ego.
17. Tribulationes cordis mei multiplicatæ sunt : de necessitatibus meis erue me.
18. Vide humilitatem meam et laborem meum, et dimitte universa delicta mea.
19. Respice inimicos meos quoniam multiplicati sunt, et odio iniquo oderunt me [1].
20. Custodi animam meam, et erue me : non erubescam, quoniam speravi in te.
21. Innocentes et recti adhæserunt mihi, quia sustinui te.
22. Libera, Deus, Israel ex omnibus tribulationibus suis.

[1] Joan. xv, 25.

IN PSALMUM XXIV

COMMENTARIUS.

I *In finem, Psalmus David*[1].

Argumentum Psalmi: Oratio animæ pœnitentis.

« *Ad te Domine levavi animam meam.* » Hic est Psalmus vigesimus quartus, in quo postquam ostensus est fructus sequens ex Christi passione, scilicet revocatio electorum de spirituali Babylonia et Ægypto, et de dignitate victoris Christi, subjungitur hic oratio animæ pœnitentis et imperfectæ, vel Ecclesiæ in persona talis postulantis sibi viam ostendi, et onus peccatorum removeri, ut possit currere post victorem. Et est Psalmus iste, sicut dicit Glossa, « primus illorum, « qui per litteras Alphabeti Hebraici si- « gnantur. » Sunt enim apud Judæos viginti duæ litteræ. Per has etiam distinguunt aliquos libros et signant, sicut Threnos, et finem Proverbiorum, et signant quosdam per omnes, sicut psalmum centesimum decimum, scilicet, *Confitebor tibi Domine in toto corde meo*, et sequentem centesimum undecimum, *Beatus vir qui timet Dominum.* Centesimum decimum octavum, *Beati immaculati.* Alios non per omnes, sicut istum, scilicet vigesimum quartum, et trigesimum tertium, *Benedicam Dominum in omni tempore:* trigesimum sextum, *Noli æmulari in malignantibus.* Et centesimum quadragesimum quartum, *Exaltabo te Deus meus Rex.* In hoc autem signatur, quod illi Psalmi, qui per omnes signantur, perfectis conveniunt, quibus convenit perfectius laudare Deum. Illi vero qui non per omnes, magis conveniunt imperfectis, quorum non est laudare Deum perfecte, sed deficiunt adhuc secundum illud ad Rom. VII, 18: *Velle adjacet mihi, perficere autem non invenio.*

Duæ autem litteræ deficiunt in hoc Psalmo, ut monstretur in illis quibus competit hic Psalmus imperfectio duplex, Confessorum scilicet omnia propter Christum relinquentium, et Martyrum pro Christo corpus morti exponentium. Deficit igitur, et quia omnium est vox in hoc Psalmo, et communis titulus præpo-

[1] Le titre assigne ce psaume à David; les sentiments exprimés et la forme du langage confirment pleinement cette indication. La composition est alphabétique, et chaque lettre de l'alphabet est à peu près représentée par un distique. Cependant, ici comme dans les autres psaumes de ce genre, le psalmiste ne s'astreint pas à une symétrie parfaite. Ainsi א n'a qu'un vers; ו est absent, comme dans le Ps. XXXIII; toutefois, au troisième vers du ỷ. 5, quelques manuscrits lisent ואותך, *veothka* au lieu de אותך, *othka,* ce qui rétablirait le ו; cette leçon a encore en sa faveur les versions, LXX, Syr. et Vulg. qui traduise la copule, et de Rossi l'appelle « gravissima notatuque dignissima lectio, quam recipere nullus dubito. » Var. lect. V. T. ה et ח ont trois vers, et ר est répété deux fois, une fois à la place du ק qui manque; quant au פ qui termine la série, il appartient à un verset additionnel.

Le sujet est tout moral; David y exprime avec une grande piété ses sentiments de confiance dans le secours divin, et de repentence pour ses péchés; mais il n'y a pas une connexion bien marquée entre chaque verset, à cause des nécessités qu'impose à l'auteur l'ordre alphabétique. Du contenu du psaume, nous pouvons seulement inférer que David était entouré d'ennemis quand il le composa; « hunc psalmum a beato Davide dictum fuisse existimo, cum multos hostium impetus pateretur, » dit Théodoret; les embûches et les pièges dont il parle, ỷ. 17, sont peut-être ceux que dressaient contre lui les gens de Saül dans le désert de Maon, I Reg. XXIII, 25, 26. Patrizi.

Le chrétien peut réciter ce psaume avec les mêmes intentions et les mêmes sentiments que le saint roi. L'Eglise a emprunté les ỷỷ. 6 et 15 pour l'introit des deux dimanches de Carême appelés « Reminiscere » et « Oculi. »

H. Lesêtre.

nitur : « *In finem, Psalmus David,* » et expone sicut frequenter expositum est supra.

Dividitur autem Psalmus in tres partes. Exprimitur vox orantis pro amotione primo ignorantiæ, et secundo culpæ. Tertio, suspirantis ad gloriam, quam habet in aliqua cognitione, ibi, « *Quis est homo qui timet Dominum ?* »

Primo, jam patet divisio. Primo, orat pro amotione ignorantiæ, ut sciatur via. Secundo, pro amotione culpæ, ne oneretur in illa, ibi, « *Reminiscere miserationum tuarum.* »

Prima in duas. Primo, ostendit quod non debet relinqui in ignorantia. Secundo, petit ex hoc ut ostendatur ei via, ibi, « *Vias tuas, Domine, demonstrat mihi.* »

In prima duo secundum duo quæ petit. Primo, ne ignorans in seipso erubescat. Secundo, ne ab aliis confusionem, et irrisionem sustineat, ibi, « *Neque irrideant.* »

Primum non debet sustinere Deus propter tria quæ tangit. Propter charitatem quam habet in corde, ibi, « *Ad te, Domine, levavi animam meam.* » Propter confessionem fidei in ore, ibi, « *Deus meus.* » Propter confidentiam ex bonitate vitæ surgentem ex bono opere, ibi, « *In te confido.* »

Prima pars Psalmi.

Dicit ergo : « *Ad te, Domine,* » qui sic regis, et tam potenter omnibus dominaris, « *levavi animam meam.* » In hoc charitas quæ sursum levat. I ad Corinth. XIII, 7 : *Charitas omnia suffert,* id est, sursum fert : *omnia sustinet* : in quo etiam notatur humilitas : non enim levatur nisi quod jacet in imo. Ac si dicat : Psal. LXXXVII, 4 : *Repleta est malis anima mea,* sed tamen charitate aliquantula eam levo ad te. Thren. III, 41 : *Levemus corda nostra cum manibus ad Deum.* Sed quomodo dicit hoc : quis enim potest levare ad Deum animam suam, si Deus ipse ad seipsum non levet ipsam ? Respondeo. Intellige animam in corpus projectam tamquam quoddam granum in terram, ab illo summo agricola de quo Joan. XV, 1 : *Pater meus agricola est.* Et habet liberum arbitrium tamquam virtutem in grano, et gratiam ut calorem solis. Sicut ergo quod granum in altum levatur, est a solis actione, et virtute grani, sic in animæ nostræ elevatione est actio nostra, tamquam virtutis grani, et Dei tamquam solis. Job, XXXIV, 14 : *Si direxerit ad Deum cor suum,* quod est liberi arbitrii, *omnem spiritum ejus et flatum ad se trahet,* ecce quod est Dei.

Actiones nostræ a gratia et voluntate.

« *Ad te* ergo *animam meam levavi,* » a terra quam calcamus, detestando avaritiam. Psal. XLIII, 25 : *Quoniam humiliata est in pulvere anima nostra : conglutinatus est in terra venter noster.* A terra quam gestamus, detestando luxuriam, ne putrescat in luto, et stercore carnis. Joel, I, 17 : *Computruerunt jumenta in stercore suo.* Jerem. II, 23 : *Vide vias tuas in convalle, scito quid feceris,* scilicet vide ubi nunc prostrata sis. A terra, quæ nos ipsi sumus, scilicet libero arbitrio, quod est illa terra, de qua Genes. III, 17 et 18 : *Maledicta terra in opere tuo... Spinas et tribulos germinabit tibi :* omnem superbiam abjiciendo et fugiendo, et ipsam animam tibi præsentando. Job, XIII, 14 : *Animam meam porto in manibus meis.* Et in Psal. CXVIII, 109 : *Anima mea in manibus meis semper,* parata ut tibi offeratur ad omnem obedientiam. Levavi autem ad te contemplandum oculo intellectus, ad osculandum ore affectus. Cant. VIII, 1 : *Quis mihi det ut inveniam te foris,* id est, in aperto, quantum ad primum : *et deosculer te,* quantum ad secundum.

Relevanda est anima a triplici terra.

Item, « *Ad te levavi animam meam,* » ut lassata in te requiescat. Augustinus in libro *Confessionum* : « Inquietum est cor « nostrum donec requiescat in te. » Joan. XVI, 33 : *In mundo pressuram, in me autem pacem habebitis.* Ut extenuata pinguescat, Eccli. XXIV, 26 : *Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, et a generationibus meis implemini.* Matth. XI, 28 :

Venite ad me omnes, qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos. Ad hanc autem refectionem sequitur spiritualis pinguedo, de qua in Psal. LXII, 6 : *Sicut adipe et pinguedine*, etc. Ut omne terrenum ei vilescat, Cassiodorus super hunc locum : « Facile terrena despicit, « qui ad divina conspicienda se jungit. » Psal. LXXVI, 3 et 4 : *Renuit consolari anima mea*, in terrenis : *memor fui Dei, et delectatus sum*. Ut æternum lumen ei illucescat, Psal. XXXIII, 6 : *Accedite ad eum et illuminabimini.*

Huic autem clausulæ præponitur Aleph, (א), quod interpretatur *doctrina*, in quo signatur, quod sic levans animam, et doctrina aliis, et eis est in exemplum, secundum illud Joan. XIII, 15 : *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita et vos faciatis.*

« *Deus meus.* » Ecce confessio fidei in ore. Ad Rom. x, 10 : *Ore autem confessio fit ad salutem.* Sine hac autem non potest captare benevolentiam : quia ad Hebr. XI, 6 : *Sine fide impossibile est placere Deo.*

2 « *In te confido,* » Ecce confidentia ex bono opere surgens, et gratia Dei. Psal. IV, 6 : *Sacrificate sacrificium justitiæ, et sperate in Domino.* Et talis non confunditur. Ad Rom. v, 5 : *Spes non confundit.* Et quia hoc est, o tu Domine, « *non erubescam,* » confusus in meipso propter viæ gnorantiam. Cassiodorus : « Erubescere « est repentina animi perturbatione con- « fundi, subitoque aliud respicere, quam « quod credebatur evenire. » Nec propter peccati proprie confessionem, sicut Adam et uxor ejus, qui erubuerunt peccatum confiteri[1]. Nec crucifixi prædicatione cum Paulo ad Roman. I, 16 : *Non enim erubesco Evangelium.* Nec ipsius imitatione, ne contingat mihi illud Luc. IX, 26 : *Qui me erubuerit et meos sermones, hunc filius hominis erubescet.*

Ante hanc clausulam præponitur Beth, (ב), quod interpretatur *domus*, vel *confusio*, per quod significatur quod piis est domus, impiis confusio : scilicet fidem confiteri, et quodcumque quatuor prædictorum. Non enim confunduntur et erubescunt ubi opus esset, sed in iis in quibus non oportet, Jerem. VI, 15 : *Confusione non sunt confusi, et erubescere nescierunt.*

« *Neque irrideant me.* » Hic est secun- 3
dum, in quo tangitur petitio secunda, ne irrideatur, et ostendit quod non debet Dominus irrisionem suam sustinere. Primo, propter adversariorum malitiam. Secundo, propter sui patientiam, ibi, « *Etenim.* » Tertio, quibus debet infligere ipsam confusionem, ibi, « *Confundantur.* »

Dicit ergo : Sic custodi me, « *ne erubescam, neque irrideant me,* » non amici qui aliquando irrident ad solatium, sed « *inimici mei,* » qui irrident ad confusionem, scilicet homines mali, qui aliquando irrident bonos. Job, XII, 4 : *Deridetur justi simplicitas.* Sap. v, 3 : *Hi sunt quos habuimus aliquando in derisum, et in similitudinem improperii.* Vel dæmones, qui quos capiunt, irrident in ignorantia Dei. Habac. I, 10 : *Et tyranni ridiculi ejus erunt.* Gregorius : « Tanto « magis diabolus nos irridet, quanto ma- « gis nos sibi obsequentes videt. »

« *Etenim universi qui sustinent te.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Non irrideant, et scio quod ita erit, propter patientiam meam. « *Etenim universi qui sustinent te,* » patienter scilicet sicut ego, secundum illud Psal. XXVI, 14 : *Exspecta Dominum, viriliter age ; et confortetur cor tuum, et sustine Dominum.* « *Sustinent,* » inquam, malum pœnæ in-

[1] Genes. III, 11 et seq.

ferentem. Isa. XXVI, 8 : *In semita judiciorum tuorum Domine sustinuimus te.* Sustinent te bona differentem. Eccli. XXXVI, 18 : *Da mercedem Deus sustinentibus te.* Sed non confundentur frustrati : quia et a pœna liberabuntur, et gloria dotabuntur. Eccli. I, 29 : *Usque in tempus sustinebit patiens et postea redditio jucunditatis.* Psal. XC, 15 : *Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum,* liberando a pœna, *et glorificabo eum,* dotando gloria.

Ante hanc clausulam, « *etenim,* » ponitur Ghimel., (ג), quod interpretatur *plenitudo,* quia patientia, perfectio, et plenitudo virtutum est. Jacob. I, 4 : *Patientia opus perfectum habet.* Et quia retributio pœnæ inferenti mala, Jerem. XX, 11 : *Qui persequuntur me, cadent, et infirmi erunt.* Et gloriæ patienter sustinenti, Ad Hebr. VI, 12 : *Qui fide et patientia hæreditabunt promissiones.*

4 « *Confundantur omnes iniqua agentes supervacue.* » Hic specificat, qui sunt digni confusione. Et continuat : Quasi diceret : Sic non confundentur qui sustinent te, « *sed confundantur,* » si deprecatio est, est verbum pietatis, et optatio bonæ confusionis, de qua Eccli. IV, 25 : *Est confusio adducens peccatum, et est confusio adducens gratiam et gloriam :* secundum illud Matth. V, 44 : *Orate pro calumniantibus, et persequentibus vos.* Vel potest esse maledictio quædam matris Ecclesiæ in pravos filios et perversos, concordando divinæ justitiæ. Eccli. III, 18 : *Est maledictus a Deo, qui exasperat matrem.* Sed qui et quare confundentur ? « *Omnes iniqua agentes,* » contra Ecclesiam et veros Ecclesiæ filios. Et hoc « *supervacue,* » id est, frustra pugnabunt mali, qui quidem semper mipugnabunt bonos, sed tandem non prævalebunt. Jerem. I, 19 : *Bellabunt adversum te, sed non prævalebunt.* Nec mirum : Ecclesia enim est civitas, et domus fortis fundata supra firmam petram. Matth. XVI, 18 : *Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Proprie autem iniqua agentes sunt, qui temporalia male acquirunt, et tales multi. Amos, IX, 1 : *Avaritia in capite omnium.* Isti agunt dupliciter, vel in rapiendo, sicut nobiles, vel fraude, ut mercatores. De primis, Isa. III, 15 : *Quare atteritis populum meum, et facies pauperum commolitis ?* Amos, III, 10 : *Nescierunt facere rectum, dicit Dominus.* De secundis, Amos, VIII, 5 : *Imminuamus mensuram, et augeamus siclum.* Et hoc « *supervacue :* » quia non prosunt sic congregatæ divitiæ. Versus :

Non habet eventus sordida præda bonos.

Proverb. XII, 27 : *Non inveniet fraudulentus lucrum.* Isa. XXXIII, 1 : *Væ qui prædaris, nonne et ipse prædaberis?* Agunt etiam « *supervacue :* » quia vana sunt temporalia, et vacua penitus a fructu etiam in præsenti, secundum illud Eccle. V, 9 : *Qui amat divitias, fructum non capiet ex eis.* Nec in futuro, Proverb. XI, 4 : *Non proderunt divitiæ in die ultionis.* Imo si fructum faciunt, non nisi amarum, Nahum, III, 8 : *Cujus divitiæ, mare.* De utroque, Eccle. I, 14 : *Vidi cuncta, quæ fiunt sub sole, et ecce universa vanitas,* quantum ad primum, *et afflictio spiritus,* quantum ad secundum.

« *Vias tuas Domine.* » Hic secundum, in quo petit viæ notitiam, et præmittitur petitio. Secundo, persuasio, quod acquiescere debet Deus petitioni, ibi, « *Quia tu es Deus Salvator.* »

Duo autem petit. Primo, ut doceatur verbo. Secundo, exemplo, ibi, « *Dirige me.* » Et verbo primo, mandatorum viam. Secundo, consiliorum semitam, ibi, « *Et semitas.* »

Dicit ergo : Ille erubescit, et irridetur, qui nesciens viam, vel errans per ipsam, ad optatum finem non pervenit : sed ut hoc mihi non accidat, rogo « *Domine, demonstra mihi,* » sicut Jeremiæ, qui dicit

in cap. xi, 18 : *Domine demonstrasti mihi, et cognovi.* Et hoc digito Spiritus sancti procedente de manu tua, scilicet Filio. Exod. viii, 19 : *Digitus Dei est hic.* « *Vias tuas,* » mandata scilicet, quæ dicuntur viæ : quia lata valde. Psal. cxviii, 45 : *Ambulabam in latitudine, quia mandata tua exquisivi.* Cassiodorus : « Viæ sunt quas commeantium licentia « generaliter pervagatur. » Viæ dicuntur a vehendo. Isa. ii, 3 : *Docebit nos vias suas.*

« *Et semitas tuas,* » id est, consilia, « *edoce me.* » Cassiodorus : « Semitæ « sunt quæ angusto calli diriguntur, nec « vulgo notæ, semitæ dictæ quasi semi-« viæ. » Talia sunt consilia : latitudo enim præceptorum multa possidere permittit, sed arctitudo consiliorum nihil habere permittit. Matth. xix, 21 : *Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes.* In præceptis bene ambulat vir cum sua uxore, sed in consiliis non ambulat, nisi solus sine uxore. I ad Corinth. vii, 25 : *De virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do.* Item, possunt ambulare in via mandatorum cum propria voluntate in multis : sed in consiliis relinquenda in omnibus. IV Reg. vi, 1 : *Ecce locus in quo habitamus coram te, angustus est nobis.* Num. xxii, 26 : In loco angusto, in quo non erat declinare nec ad dexteram, nec ad sinistram, stetit Angelus contra asinam, contra carnem[1]. Et certe multis ignota est hæc semita, non possunt ipsam cognoscere. Matth. xix, 12 : *Qui potest capere, capiat,* dixit Dominus, postquam locutus est de virginitate. Et bene « *vias tuas,* » non solum quia ducunt ad te, sed etiam quia per eas ambulasti, virgo, pauper, et obediens. Proverb. viii, 20 : *In viis justitiæ ambulo,* quantum ad mandata quæ implevit homo Deus : *et in medio semitarum judicii,* quantum ad consilia[2].

Differentia præcepti et consilii.

« *Dirige me.* » Hic petit doceri exem- 5
plo, et primo viam, deinde semitam, ibi, « *Et doce me.* »

Dicit ergo : Sic demonstra et edoce, et etiam quasi via demonstrata, « *dirige me,* » secundum quod Dominus, « *in veritate tua,* » vitæ scilicet. Prov. xvi, 9 : *Domini est dirigere gressus.* « *Et doce me* » semitas secundum quod magister : Matth. xxii, 16 : *Magister scimus quia verax es, et viam Dei in veritate doces.* Et nota ordinem. Primo, petit ut dirigatur motiva. Secundo, ut doceatur apprehensiva. Eccli. xliii, 37 : *Pie agentibus dedit sapientiam.* Ergo dirigere proprie referri potest ad mores et ad agenda, et docere ad credenda. Vel sic : « *Dirige me in veritate tua,* » id est, in fide. Nam Habac. ii, 4 : *Qui incredulus est, non erit recta anima ejus in semetipso.*

« *Et doce me.* » Ut tandem quod credo intelligam, quia præcedit fides, sequitur visio. Isa. vii, 9 : *Si non credideritis, non intelligetis*[3]. Vel sic : « *Dirige me in veritate tua.* » Ablativus pro accusativo, id est, usque in veritatem tuam, te scilicet. Joan. xiv, 6 : *Ego sum via, et veritas, et vita.* Et ibi, « *doce me,* » non in libro creaturæ, sicut Philosophos. Ad Roman. i, 20 : *Invisibilia Dei per ea quæ facta sunt, intellecta, conspiciuntur.* Nec in libro Scripturæ in quo doces Theologos. Isa. xxix, 11 : *Erit vobis visio omnium sicut verba libri signati.* Sed in ipsa tua veritate, quæ est liber vitæ[4].

« *Quia tu es Deus Salvator meus.* » Hic persuasio, quod debeat acquiescere

[1] Num. xxii, 26 : *Et nihilominus Angelus ad locum angustum transiens, ubi nec ad dexteram nec ad sinistram poterat deviare, obvius stetit,* scilicet Balaam qui asinæ insidebat.

[2] Huic versui præponitur littera Daleth, (ד), quæ vulgo interpretatur *porta.*

[3] Vulg. habet : *Non permanebitis.*

[4] Cf. Apoc. xx, 12.

suæ pertitioni, et allegat duo. Unum ex parte Dei, propriam scilicet bonitatem. Alterum ex parte suiipsius, scilicet patientiam propriam, ibi, « *Et te sustinui.* »

Et tangitur duplex beneficium creationis, et recreationis. Quantum ad primum dicit : Sic dirige, sic doce me, et debes, quia « *tu es Deus meus,* » supple, beneficio creationis : « *Et Salvator meus,* » beneficio recreationis : tuum enim qui me creasti, de nihilo faciendo, est me salvare glorificatum recreando. Job, XIX, 26 : *Scio quod Redemptor meus vivit,... et in carne mea videbo Deum meum.* Sap. VIII, 1 : *Attingit a fine,* recreationis, *usque ad finem,* glorificationis, *fortiter.*

« *Et te sustinui,* » patienter patiendo mala, exspectando bona dilata, « *tota die.* » Eccli. II, 3 : *Sustine sustentationes Dei.* Baruch, IV, 25 : *Filii sustinete patienter.* Hanc autem allegat : quia sola hæc meretur coronam. Matth. x, 22 et XXIV, 13 : *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Ad Hebr. x, 36 : *Patientia vobis necessaria est : ut voluntatem Dei facientes, reportetis repromissionem.*

Huic autem duplici versui præponitur littera hebræa He (ה), quæ interpretatur, *quod est,* vel *vita :* quia per viam, vel semitam, per directionem a Deo, et doctrinam pervenitur ad vitam, et ad illud quod vere et immutabiliter est.

6 Secunda pars Psalmi.

« *Reminiscere miserationum tuarum.* » Hic est secunda pars Psalmi, in qua orat contra malum culpæ. Et primo, Ecclesia petit. Secundo, se exauditam ostendit, ibi, « *Dulcis et rectus.* »

In prima duo. Primo, præmittit persuasionem. Secundo, subjungit petitionem, ibi, « *Delicta juventutis.* » Suadet autem a tribus. A frequentia operum misericordiæ. A naturaliter insita pietate, ibi, « *Et misericordiarum.* » Et a perpetuitate, vel æternitate miserandi, ibi, « *Quæ a sæculo.* »

Quasi diceret : Sic peto præcedentia : sed o Domine « *reminiscere miserationum tuarum,* » id est, operum misericordiæ quæ soles frequenter exercere. Quasi diceret : Non peto, quod non sis solitus facere, sed quod consuevisti alias. In Psal. XXXIX, 12 : *Ne longe facias miserationes tuas a me : quia misericordia et veritas tua semper susceperunt me,* quasi præscriptionem longi temporis allegat. Quasi etiam diceret : Non meis meritis allego quæ petiturus sum deberi mihi fieri, sed frequentia exercitii misericordiæ tuæ. Daniel. IX, 19 : *Exaudi Domine, placare Domine, attende et fac : ne moreris propter tem etipsum Deus meus : quia nomem tuum invocatum est super civitatem, et super populum tuum.*

« *Et misericordiarum tuarum,* » quæ tibi sunt naturales. Sed quomodo « *misericordiarum* » in plurali, cum unica et singularis in Deo sit misericordia ? et est responsio, quod vere unica est in se, nec pluralitas tangitur hic, nisi ut monstretur pluralitas in effectibus. Psal. XXXV, 7 et 8 : *Homines, et jumenta salvabis Domine : quemadmodum multiplicasti misericodiam tuam, Deus.* Opera autem misericordiæ ejus in tribus patent maxime. Misericordia autem sive opus misericordiæ est revelatio a defectu : et hic triplex : naturæ, culpæ, et pœnæ. Primum ergo relevat misericordia, quæ est in deducendo de non esse ad esse per creationem. Job, x, 12 : *Vitam et misericordiam tribuisti mihi.* Psal. LVIII, 11 : *Deus meus, misericordia ejus præveniet me.* Secundo relevat misericordia, extrahendo de culpa ad justitiam per gratiæ infusionem. Ad Hebr. IV, 16 : *Adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ : ut misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno.* Tertium relevat de miseria inducendo in gloriam, per gloriæ ipsius collationem. De hac misericordia, Judas in Canon. ℣ 21 : *Vosmetipsos in dilectione Dei servate, exspectantes misericordiam Domini nostri Jesu Christi in vitam æternam.*

Misericordia levat a triplici defectu, naturæ, culpæ, et pœnæ.

« *Quæ a sæculo sunt.* » Hic allegatur per-

petuitas. Quasi diceret : Quia perpetuo et ab initio sæculi non cessat misereri, modo non omittet. Et verum dicit : in Adam enim opus misericordiæ exercuit, quia non statim ut meruerat, eum damnavit, sed ei pœnitentiam injunxit, Gen. III, 19 : *In sudore vultus tui vesceris pane.* Similiter successores Adæ, qui peccata super peccata addebant, misericorditer exspectavit valde diu. Sap. XII, 10 : *Dabas locum pœnitentiæ, non ignorans, quoniam nequam est natio eorum, et naturalis malitia ipsorum.* Et sic semper sustinuit in patientia, semper præbens locum pœnitentiæ, ne destrueret omnino. Thren. III, 22 : *Misericordiæ Domini, quia non sumus consumpti.* Et nota, quod miserationes sunt a sæculo, ad illas enim referendum quod hic dicitur, sed misericordia ante sæculum et sine principio. Psal. CII, 17 : *Misericordia autem Domini ab æterno, et usque in æternum.*

Huic autem versui præponitur Zain (ז), dimissa hebræa littera Vau : Zain enim interpretatur, *Duc huc,* scilicet in me miserum tuas misericordias. Et in hoc quod dicit, « *reminiscere,* » non est intelligendum, quod in Deum cadat oblivio, nec reminiscentia, sed ponitur affectus pro effectu, et antecedens pro consequente.

7 « *Delicta juventutis.* » Hic est secundum, in quo petit duo. Primo, auferri culpam. Secundo, conferri sibi gratiam, ibi, « *Secundum misericordiam tuam.* »

In prima duo. Primo, quod culpa sic auferatur, ut commissa scienter non sint in recordatione. Secundo, quod nec præparata ignoranter, ibi, « *Et ignorantias.* »

Ait ergo : Sic debes misereri et parcere. Ergo o Domine, « *ne memineris,* » ad æternam pœnam infligendam, « *delicta juventutis meæ,* » id est, in juventute mea scienter perpetrata. Baruch, III, 5 : *Noli meminisse delicta patrum nostrorum,* reservando ad æternam mortem : *sed memento manus tuæ, et nominis tui,* id est, Christi, qui est manus, et nomen tuum. Et dicit Cassiodiorus : « Delicta dicuntur, eo quod per ea via æquitatis « linquitur. » Proverb. XIV, 22 : *Errant qui operantur malum.* Et dicit, *juventutis,* ut magis moveat ad non recordandum, quia magis ad peccandum impulsus fuit. Quamvis enim *caro adversus spiritum concupiscat,* sicut dicitur ad Galat. V, 17 et seq., maxime in juventute impugnat. Genes. VIII, 21 : *Sensus et cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua.* Juventus etiam potest appellari levitas, et morum inordinatio. Hac juventute, imo pueritia, multi senes juvenes sunt, et pueri. Isa. LXV, 20 : *Puer centum annorum morietur.* Cassiodiorus : « Multi juvenes morum « gravitate senescunt : cum e contra « quidam senes levitatis crimine maculentur. » Secundum hoc petit, « *delicta juventutis,* » vel levitatis suæ, in quacumque ætate, æternaliter non puniri.

« *Et ignorantias meas.* » Hic secundum. Et nota, quod « *ignorantias* » dicit in plurali, quia ignorantia appellatur culpa habita ex ignorantia. Hoc autem accidit in originali culpa, quam homo contrahit ignoranter : nescit enim, et contrahit, imo habet ignorantiam negationis simpliciter. Aut quando adultus est, et tunc peccat dupliciter, aut quia ignorat dispositionem facti, sed bene scit factum. Homo bene scit quod fornicatur, vel dormit cum soluta, sed nescit esse culpam. Hæc ignorantia in infideli adulto est ante conversionem. Aut scit facti conditionem, sed ignorat factum, sicut in fideli qui scit bene fornicationem esse peccatum, sed non recolit se fornicatum esse. De omnibus ergo intellige : « *Et ignorantias meas,* » peccatum scilicet originale, quod contraxi me penitus ignorante. Isa. LXVII, 11 : *Veniet super te malum, et nescies ortum ejus,* quoad peccatum originale : *et irruet super te calamitas quam non poteris expiare,* quantum ad concupiscentiam quæ semper manet.

Omnia peccata habent ignorantiam adjunctam.

Item, « *ne memineris* » peccata mea quæ commisi ante fidem nesciens esse peccata. Proverb. IV, 19 : *Via impiorum tenebrosa : nesciunt ubi corruant.* Eccle. IV, 17 : *Melior est obedientia quam stultorum victimæ qui nesciunt quid faciunt mali.*

Vel sic, « *Ne memineris ignorantias,* » id est, peccata quæ feci, sed non recolo me fecisse. I ad Corinth. IV, 4 : *Nihil mihi conscius sum : sed non in hoc justificatus sum.* Et sciendum, quod committitur peccatum ex ignorantia, et habet excusationem a malitia. I ad Timoth. I, 16 : *Misericordiam consecutus sum,* quia ignorans feci. Et ex infirmitate, et etiam hoc excusabile. Tale fuit Petri peccatum in trina negatione [1]. Sed est quod committitur ex studio et ex industria, et puta malignitate, et hoc gravissimum. Jerem. VI, 13 : *Omnes avaritiæ student.* Gregorius : « Plus displicet Deo studium « quam pecatum. » Hæc ergo petit sibi dimitti quæ ex infirmitate et ignorantia perpetravit.

Et præponitur his duobus versibus litera Cheth, (ח) quod interpretatur *pavor,* quia pavor de peccatis confugere ad misericordiam facit, etc.

« *Secundum misericordiam tuam.* » Hic secundum, in quo petit conferri gratiam, adjungens allegationem. Primo misericordiæ divinæ, quæ subvenit peccatoribus. Secundo, bonitatis, quæ subvenit omnibus, ibi, « *Propter bonitatem.* »

Dicit ergo : Sic destrue culpam, et etiam « *memento mei,* » infundendo gratiam « *tu,* » hujus est infundere eam, et per ipsam delere culpam. Isa. XLIII, 25 : *Ego sum, ego sum ipse qui deleo iniquitates tuas propter me.* Psal. LXXXVIII, 48 : *Memorare quæ mea substantia,* etc. Et non secundum quod merui, quia inimicis tuis adhæsi. II Paral. XIX, 2 : *His qui oderunt Dominum,* id est, dæmonibus, *amicitia jungeris, et idcirco iram Dei merebaris.* Sed « *secundum misericordiam tuam,* » hoc est, misericordiam quæ decet te. Isidorus : « Regiæ virtu- « tes duæ sicut præcipuæ, scilicet justitia « et pietas. Plus autem in regibus lau- « datur pietas. » Seneca : « Clementia de- « cet principem, qui quocumque venit, « mansuetiora omnibus faciat. Allegat ergo : « *secundum misericordiam tuam* » infinitam, et omnem culpam excedentem. Gregorius in quadam Homilia : « Quæ lingua narrare viscera misericor- « diæ divinæ sufficit ? Quis spiritus ante « tantæ pietatis divitias non obstupe- « scit ? »

« *Propter bonitatem.* » Quasi diceret : Non propter meritum meum, sed « *propter bonitatem tuam,* » tibi naturaliter insitam, non aliunde contractam. Dionysius in libro de *Divinis nominibus* : « Cum essentia Dei bonitas sit, si ipse « transit de bono, transit de essentia [2]. » Et est differentia inter Dei bonitatem et misericordiam, quia bonitas est respectu omnis creaturæ, quam condidit Deus, et conservat : misericordia respectu creaturæ miseræ, a qua tollitur culpa et pœna.

8

« *Dulcis et rectus Dominus.* » Hic secundum totius hujus partis, in quo postquam præmisit petitionem, ostendit se exauditum vel exaudiendum. Et primo, quantum ad collationem gratiæ. Secundo, quantum ad remissionem culpæ, ibi, « *Propter nomen tuum, Domine.* »

In prima duo. Primo, commendatio ipsius a quo petit gratiam. Secundo, specificatio bonorum, quæ accepta sunt : quod est consequens ad commendationem, ibi, « *Propter hoc legem.* »

Ait ergo : Sic petis o Ecclesia, vel

[1] Cf. Matth. XXVI, 69 et seq.

[2] S. DIONYSIUS. Lib. de Divinis nominibus, cap. 4.

quæcumque anima : unde hoc tibi ? « *Dulcis et rectus Dominus.* » « *Dulcis* » peccatum remittendo sine meritis, et gratiam infundendo in illum qui non meruerat nisi mortem. Psal. xx, 4 : *Prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis.* Et talis fuit in adventu primo, cum dicebat, Luc. v, 23 : *Dimittuntur tibi peccata.* Cant. v, 16 : *Guttur illius suavissimum.* Sed tamen « *rectus,* » districte discutiendo, si correcti non fuerimus, per justitiam. Psal. xci, 16 : *Rectus Dominus Deus noster.* Et hoc in adventu secundo, quia tunc non exibit nec ad dextram nec ad sinistram. Proverb. vi, 34 : *Zelus et furor viri non parcet in die vindictæ.* Ratione dulcedinis est amandus, ratione rectitudinis est timendus. Eccli. ii, 10 : *Qui timetis Dominum, diligite illum, et illuminabuntur corda vestra.* Dulcis Christus, quia vita : rectus, quia veritas et via [1]. Dulcis, quia suavia dat, Sapient. xvi, 20 : *Panem de cœlo præstitisti illis,* etc. Rectus, quia ad bonum flagellat, Ad Hebr. xii, 6 : *Flagellat omnem filium quem recipit.* Dulcis in cogitatione, Eccli. xxiv, 27 : *Spiritus meus, super mel dulcis.* Dulcis in sermone, Psal. cxviii, 103 : *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua.* Et dulcis in opere : dulcia enim suis præparavit. Psal. lxvii, 11 : *Parasti in dulcedine tua pauperi, Deus.* Rectus, quia in eum non exivit medium ab extremis. In lacrymis natus, Sapient. vii, 3 : *Primam vocem similem omnibus emisi plorans.* In lacrymis mortuus, Ad Hebr. v, 7 : *Cum clamore valido et lacrymis.* Et in lacrymis vitam duxit, Luc. xix, 41 : *Flevit super populum.* Et Joan. xi, 35, flevit etiam Lazarum suscitando.

« *Propter hoc legem dabit.* » Hic ostendit bona, quæ a se commendata est receptura. Primum, quod accendet concupiscibilem. Secundum, quod diriget irascibilem, ibi, « *Diriget mansuetos.* » Tertium, quod docebit rationabilem, ibi, « *Docebit.* »

Dicit ergo : « *Propter hoc legem dabit,* » charitatis, dulcedinis, ad promovendum bonos et reducendum malos. Isa. xxxiii, 22 : *Dominus judex noster, Dominus legifer noster, Dominus rex noster : ipse salvabit nos.* Lex enim corrigit per rectitudinem, et ad Deum afficit per dulcedinem. De primo, Psal. cxviii, 9 : *In quo corrigit adolescentior viam suam, in custodiendo sermones tuos.* De secundo, Eccli. xxiii, 37 : *Nihil dulcius quam respicere in mandatis Domini.* Hæc etiam lex charitatis, de qua Job, xi, 5 et 6 : *Utinam Deus loqueretur tecum et aperiret labia sua tibi. Ut ostenderet tibi secreta sapientiæ, et quod multiplex esset lex ejus,* charitas scilicet. Sed quibus dabis ? « *Delinquentibus in via.* » In hac misera vita, quia cæteri non indigent lege arrigente. Ad Galat. iii, 19 : *Propter transgressiones lex posita est.* I ad Tim. i, 9 : *Lex justo non est posita, sed injustis,... parricidis, homicidis,* et aliis peccatoribus, qui peccatores sunt dum sunt in via. Et etiam spes de correctione illorum post mortem non est : unde frustra daretur eis lex. Proverb. xi, 7 : *Mortuo homine impio, nulla erit ultra spes.*

Nota etiam, quod *Dominus* signat potestatem, *dulcis* benignitatem, *rectus* rigorem : et hæc conjunguntur ad monstrandum quod potestas debet habere duos tales socios, quia potestas sine benignitate erit tyrannica, eadem sine rigore, erit remissior, imo nulla. Gregorius : « In sacerdotali pectore cum terrore severitatis debet custodiri virtus « mansuetudinis, ut iram mansuetudo « condiat, et mansuetudinem zelus di« strictionis accendat. Talis potest dare

[1] Cf. Joan. xiv, 6 : *Ego sum via, et veritas, et vita.*

« *legem delinquentibus in via*, et non « alius. »

9 « *Diriget mansuetos.* » Hic secundum quod dirigit irascibilem.

Ait enim: Sic accendet concupiscibilem, et « *diriget mansuetos* » qui patienter sustinent correctionem, « *in judicio* » præsenti quo punit peccata, de quo Joan. XII, 31: *Nunc judicium est mundi.* « *Mansuetos* » appellat, sicut vult Cassiodorus, « injurias tolerantes, non malum « pro malo reddentes. » Hos dirigit: quia per correctionem, si aliquid in eis distortum est, totum rectum, et directum facit. Nec mirum, quia applicat: secundo, quia rectus est. Dirigit etiam eos in judicio futuro in vitam æternam secundum illud Matth. XXV, 34: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum.*

« *Et docebit mites.* » Ecce tertium, scilicet eruditio rationabilis: et tangitur quos docebit primo. Secundo, quid illos docebit, ibi, « *Vias tuas.* » Primo, in universali. Secundo, specialiter, ibi, « *Universæ viæ Domini.* »

Dicit ergo: Sic diriget mansuetos, « *et docebit mites.* » Isti enim sunt apti ad hoc ut doceantur. Propter hoc Dominus in Matthæo, primam lectionem tamquam introductoriam ait in cap. XI, 29: *Discite a me quia mitis sum, et humilis corde.* In mansuetudine enim, et in humilitate suscipitur doctrina. Jacob. I, 21: *In mansuetudine suscipite insitum verbum.* Eccli. V, 13: *Esto mansuetus, ad audiendum verbum,* Dei scilicet, *ut intelligas.*

Sed quid docebit eos? « *Vias suas.* » Isa. II, 3: *Docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis ejus,* non inania, et curiosa, et philosophica, quæ non sunt via ad urbem cœlestem, sed magis devia, quærentes. Eccle. X, 15: *Labor stultorum affliget eos, qui nesciunt in urbem pergere,* id est, in cœlum.

Huic versui præponitur Iod (י), quod interpretatur *dissolutio,* vel *principium,* quia hic actum est de judicio, in quo impii dissolventur, et bonis erit principium æternitatis.

« *Universæ viæ Domini.* » Hic specificat vias, et tanguntur duo, quorum primum pertinet ad adventum primum, secundum ad secundum adventum. Primum, misericordia. Secundum, veritas. Duo ergo dicuntur. Primo, quæ sunt illæ viæ quas docet. Secundo, probat, quod veræ illæ sunt, ibi, « *Requirentibus.* » 10

Ait enim: « *Docebit mites vias suas.* » Sed quæ sunt illæ? « *Universæ viæ Domini misericordia,* « quantum ad adventum primum, pro quo dictum est, Psal. XXXII, 5: *Misericordia enim Domini plena est terra.* Et alibi, in Psal. XLVII, 10: *Suscepimus, Deus, misericordiam tuam.* Ad Tit. III, 5: *Secundum suam misericordiam salvos nos fecit.* « *Et veritas,* » quantum ad adventum secundum: tunc enim reddet unicuique prout gessit. Isa. XXVII, 8: *In mensura contra mensuram, cum abjecta fuerit, judicabis eam.* Isa. XLII, 1: *Judicium gentibus proferet.*

Item, « *Universæ viæ Domini,* » id est, singulæ, sunt « *misericordia et veritas,* » quia in quolibet opere Dei est misericordia, in quolibet veritas. In opere creationis, quia de non esse: in opere recreationis, quia de malo esse malitia culpæ, in bonum esse bonitate gratiæ: in opere glorificationis, quia de misero esse, in gloriosum esse. Hæc supra ostensa fuerunt in illo versu: « *Reminiscere miserationum tuarum.* » In illis similiter breviter veritas invenitur, quia in his omnibus facit, sicut decet suam bonitatem. « *Misericordia* » ergo est in omni opere, quantum ad accipientem, sed « *veritas* » quantum ad facientem. Et hoc verum est et apparet.

« *Requirentibus testamentum ejus.* » Scripturas scilicet, « *et testimonia ejus,* » ipsos scilicet actores, Prophetas et Apostolos. Hieronymus: « Testa-

« mentum est Scriptura, testimonia ipsi « scriptores, Apostoli scilicet, et Pro- « phetæ. »

Vel Testamentum proprie Novum Testamentum dicitur, quia Testamentum continens ultimam voluntatem possessoris, exprimens quid et quantum ei relinquat. Et sic in Evangelio ultima Christi voluntas retinetur, quæ in ejus morte confirmata est, secundum illud ad Hebr. IX, 16 : *Ubi testamentum est, mors necesse est intercedat testatoris.* Testimonia, lex, et Prophetæ, quæ attestantur Christo. Act. III, 22, de testimonio Moysis : *Moyses quidem dixit : quoniam Prophetam suscitabit vobis Dominus Deus vester de fratribus vestris* [1], etc. Prophetæ, Act. X, 43 : *Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent.* Sic in nobis hæ duæ viæ esse debent : « *misericordia* » ad proximum : « *veritas*, » quæ est justitia, quantum ad nos ipsos. Psal. LXXXVIII, 15 : *Misericordia et veritas præcedent faciem tuam.*

Vel cum dicitur « *Domini,* » nomen est potestatis. Hæc debet habere duas vias per quas se exserat, scilicet misericordiam et veritatem. Proverb. XX, 28 : *Misericordia et veritas custodiunt regem.* « *Misericordia,* » ne sit potestas affrænata et tyrannica : « *veritas,* » ne nimis remissa contra malos. Gregorius : « Sit « rector agentibus, bene per humilitatem « socius, et contra delinquentium vitia per « zelum justitiæ sit rectus. »

Huic versui præponitur Caph, (כ), quod interpretatur *operatio*, vel *curvatio*. vel *manus*, quia sub via hac duplici Dei curvamus et laboramus. Sub via misericordiæ, tamquam sub manu blandiente : sub via veritatis, tamquam sub manu terrente.

« *Propter nomen tuum, Domine* Hic 11
dicit se exauditam quantum ad peccati remissionem, quod fuit secundum, et tanguntur duo secundum duplicem causam quam tangit. Dei benignitatem primo. Secundo, propriam necessitatem, ibi, « *Multum est enim.* »

Ait ergo : Hæc bona mihi facies, et etiam « *propitiaberis peccato meo,* » non meritis incertis, « *sed propter nomen tuum,* » ostendendum, quod est Jesus. Matth. I, 21 : *Vocabis nomen ejus Jesum : ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.* Et glorificandum a me qui liberatus sum. Eccli. LI, 16 et 17 : *Liberasti me de perditione, et eripuisti me de tempore iniquo. Propterea confitebor, et laudem dicam tibi, et benedicam nomini tuo.*

« *Multum est enim.* » Quasi diceret : « *Propitiaberis propter nomen tuum,* » et peccati multitudinem quæ tanta est, quod delebilis non est nisi a te.

Vel sic : « *Propitiaberis propter nomen tuum.* » Sed dico, « *multum est,* » quæ confessio debet te movere ad propitiationem : non enim peccatum diminuo sicut illa gens, cui Jerem. II, 35 : *Et dixisti : Absque peccato et innocens ego sum.* Et in eodem, II, 33 : *Quid niteris bonam ostendere viam tuam ad quærendam dilectionem ?* Quasi diceret : Hæc non est via veniendi ad illam. Nec diminuo sicut Adam et Eva [1].

Et nota, quod peccatum mortale multum est numerositate, quia forsitan qui habet unum, habet omnia : sed si non quantum ad obligationem ad pœnam sensus, tamen quantum ad pœnam damni. Jacob. II, 10 : *Quicumque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus.* Propter hoc dicitur in Psal. XXXIX, 13 : *Circumdederunt me mala, quorum non est numerus.* Item, quantitate comparatione ad illum in quem peccatur. Mortaliter enim peccans, pec-

[1] Cf. Deuter. XVIII, 15.

[2] Cf. Genes. III, 12 et seq.

cat in Deum. Psal. L, 6 : *Tibi soli peccavi.* Et de illo dicitur in Psal. CXLIV, 3 : *Et magnitudinis ejus non est finis.* Item, multum fortitudine, quia fortius dæmone, quem ita constrictum tenet, quod non potest evadere, de quo Job, XLI, 24 : *Non est postestas quæ super terram comparetur ei.* Sed, Luc. XI, 22 : *Si fortior eo superveniens vicerit eum.* Item, multum ponderositate, in puncto enim facit descendere ad infernum. Psal. XXXVII, 5 : *Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, et sicut onus grave gravatæ sunt super me.* Propter hoc dicitur, Job, XXI, 13 : *Ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt.*

Huic versui præponitur Lamech, ל quod interprecatur *cor*, vel *disciplina*, quia hic est peccati confessio aperta, quæ est vera disciplina, et per quam disciplinatur et servatur. Proverb. IV, 23 : *Omni custodia serva cor tuum : ex ipso enim vita procedit.*

12 « *Quis est homo qui timet Dominum?* » Hic est tertia pars totius Psalmi, in qua ponitur vox Ecclesiæ suspirantis ad gloriam. Sed quia tale suspirium creatur ex duobus, scilicet ex recordatione bonorum patriæ et gloriæ, et ex sensibili experientia præsentis miseriæ, propter hoc duo dicuntur in hac parte. Primo, conquerendo investigat, quis tanta habet merita, ut possit pervenire ad tanta præmia. Secundo, rogat ut amoveatur a præsenti miseria, ibi, « *Respice in me.* »

Tertia pars Psalmi.

In prima tria. Primo, tangit de merito pervenientium ad gloriam. Secundo, subjungit de præmio, ibi, « *Anima ejus.* » Tertio, ostendit se esse in desiderio, et spe tantorum bonorum, ibi, « *Oculi mei semper ad Dominum.* »

In prima duo secundum duplex meritum timoris quod tangit primo, quod est tamquam causa et præparatio : et amoris, quod est consummatio, ibi, « *Legem statuit ei.* »

Dicit ergo : Sic rogavi et obtinebo. Sed, heu ! « *quis est homo qui timet Dominum ?* » Quam pauci sunt qui veraciter timeant. Tamen necessarius est valde timor. Eccli. XXV, 15 : *Beatus homo, ini donatumest habere timorem Dei : qui tenet illum, cui assimilabitur ?* Et antea dixerat, ℣. 13: *Quam magnus*, id est, valde magnus, *qui invenit sapientiam! sed non est super timentem Deum.* Hunc etiam Dominus exigit et requirit per Prophetam Malach. I, 6 : *Si Dominus ego sum, ubi est timor meus ?*

« *Legem statuit.* » Hic tangit secundum, amorem scilicet : sicut enim necessarius est timor bene humilians, sic certe et amor bene inflammans.

Dicit ergo : « *Quis est qui timet Dominum ?* » Si talis est aliquis, Dominus « *statuit ei,* » id est, stabiliter dedit « *legem* » charitatis, quæ non est tantum lex, sed legis completio. Ad Rom. XIII, 10 : *Plenitudo legis est dilectio.* Et bene plenitudo, quia plenissime docet de omnibus necessariis ad salutem. I Joan. II, 27 : *Unctio docet vos de omnibus.* Et hanc statuit ei existenti « *in via* » fidei, quæ est vera via. II ad Corinth. V, 7 : *Per fidem ambulamus, et non per speciem.* Via, inquam, « *quam elegit,* » quia fides voluntaria est, non coacta. Et notatur in hoc arbitrii libertas, quia potest credere si vult, si non vult non credat. Eccli. XV, 14 : *Deus constituit ab initio hominem, et reliquit illum in manu consilii sui.* Via est fides ducens ad Deum, strata solidis fidei articulis, tamquam lapidibus parata pretiosis. Tob. XIII, 22 : *Ex lapide candido et mundo omnes plateæ ejus sternentur.* Sed ne nimis dura esset hæc via, sternitur molli indumento Dominicæ incarnationis. Unde ante incarnationem, Psal. XVI, 4 : *Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras.* Et alibi, Psal. LIX, 5 : *Ostendisti populo tuo dura.* Sed nunc possumus dicere illud ad Hebr. X, 20 : *Initiavit nobis viam novam, et viventem per velamen, id est, carnem*

suam. Unde sua vox est : *Ego sum via*[1].

Huic autem versui præponitur Men (מ), quod interpretatur, *ex ipsis*, vel *ignis*. Ex ipsis eis timentibus vel amantibus, vere ignis præcedit al illos inflammandos. Luc. xii, 49 : *Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur ?*

13 « *Anima ejus in bonis.* » Hic est secundum, in quo subjungit de præmio. Primo, tangens præmium in futuro. Secundo, etiam in præsenti, ibi, « *Firmamentum est Dominus.* »

Duplex præmium timoris et amoris, præsens, et futurum.

In prima duplex præmium tangitur. Primo, bonorum associatio. Secundo, indissolubilis proprii corporis unio, ibi, « *Et semen ejus.* »

Ait ergo : Est aliquis timens et amans Dominum ? Et propter hoc « *anima ejus,* » post separationem a suo corpore, « *demorabitur in bonis.* » Inter bonos Angelos, et Sanctos, jam in anima glorificatos in patria. Sap. v, 5 : *Et inter Sanctos sors illorum est.* Joannes Evangelista invitatus est a Christo ut cum fratribus suis epularetur.

Quadruplex bonum animæ beatæ.

Vel in bonis animæ, quæ erunt quatuor, secundum Augustinum, quatuor virtutibus succedentia in VI *Musicæ*. « Primum, contemplatio, quæ succedit « prudentiæ, et est plena conspectio veri« tatis. Secundum, sanctificatio, quæ suc« cedit temperantiæ, et est summa ab om« ni sorde depuratio. Tertium, impassibi« litas, quæ succedit fortitudini, quæ erit « ut nullam omnino molestiam patiamur. « Quartum, ordinatio, quæ succedit ju« stitiæ, et erit ut æquemur purissimis « animis, et omni naturæ corporali et « bestiali præponamur [2]. » Hæc ergo contemplatio, sanctificatio, impassibilitas, ordinatio, pro istis virtutibus sunt speranda. Vel in bonis in tribus dotibus usitatis, quæ sunt visio, dilectio, fruitio.

« *Et semen ejus,* » id est, bonum opus, quod seminavit, « *hæreditabit,* » id est, hæreditare faciet eam, scilicet animam, « *terram,* » id est, corpus suum proprium, etsi ipsum ad tempus reliquit. Ergo notandum, quod opus est semen. Ad Galat. vi, 8 : *Quæ enim seminaverit homo, hæc et metet.* Bonum enim opus, semen bonum, quia inde colligitur bonus fructus. Sapient. iii, 15 : *Bonorum laborum*, scilicet operum, *gloriosus est fructus.* Item, ex modico semine fructus magnus, imo quasi infinitus per successionem. Sic ex bono opere vita æterna, quæ est infinita. Proverb. xiv, 23 : *In omni opere*, bono scilicet, *erit abundantia.* II ad Cor. iv, 17 : *Id quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Item, semen non producit fructum, nisi occultum : sic nec opus bonum. Joan. xii, 24 : *Nisi granum frumenti cadens, in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet.* Cadere in terram, intelligit occultari, et sepeliri in terram. Propter hoc dicitur ostendentibus opera sua, Matth. vi, 2 et 5 : *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam.* Propter hoc dicit Gregorius, quod « sic sit bonum opus in « aperto, ut intentio maneat in occulto. » Michæ. vi, 15 : *Seminabis et non metes.* Item, semen jacitur tempore pluviali, sed in pulchro metitur : sic bona opera in valle lacrymarum, sed metentur in æterna hilaritate. Psal. cxxv, 6 : *Euntes ibant et flebant, mittentes semina sua, venientes autem venient*, etc. Item, semen in fructum non proficit sine calore, sic nec opus bonum sine sapientia, et amore. Psal. ciii, 13 : *Rigans montes de superioribus suis*, quantum ad sapientiæ infusionem. I ad Cor. xiii, 3 : *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas,*

Comparatio seminis cum bono opere.

Nota.

1 Joan. xiv, 6.

2 Augustinus, Lib. VI de Musica, in fine.

charitatem autem non habuero, nihil mihipordest.

Vel totum de præsenti. « *Anima ejus in bonis demorabitur,* » id est, præceptis, tamquam in quibusdam deliciis. Eccli. XXIII, 37 : *Nihil dulcius quam respicere in mandatis Domini.* Vel in bonis futuris, spe. Sapient. III, 4 : *Spes illorum immortalitate plena est.* Ad Philip. III, 20 : *Nostra conversatio in cœlis est.* Vel « *in bonis,* » Sanctorum scilicet exemplis. Gregorius : « Ecclesia narrat fortitudinem « virorum, ut ad similia provocet vitam « infirmorum. » « *Et semen ejus,* filii scilicet, *hæreditab it terram.* » Necessariis scilicet non indigebunt. Psal. XXXVI, 25 : *Non vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem.*

Huic autem versui præponitur littera Nun (נ), quod interpretatur *pascens*, vel *pascua eorum.* Bona enim de quibus mentio facta est, et timentium et amantium pascua sunt. Psal. XXII, 2 : *In loco pascuæ, ibi me collocavit.*

14 « *Firmamentum est Dominus.* » Hic secundum, in quo ostendit bona collata in via, quæ sunt duo. Primum, divina protectio et conservatio. Secundum, Scripturarum revelatio, ibi, « *Et testamentum ipsius.* »

Ait ergo : Hæc prædicta eis faciet in futuro, sed interim « *firmamentum est Dominus timentibus eum,* » id est, sicut timor hominum dat debilitatem et diffidentiam, sic timor Domini firmitatem. Psal. LXXXVIII, 41 : *Posuisti firmamentum ejus formidinem.* Stabilit timor cor et roborat. Gregorius : « Anchora men« tis, pondus timoris. »

Comparatio Dei cum firmanento.

Vel ipse Dominus est firmamentum timentibus se : quia undique Deus ambit, sicut firmamentum illa quæ continet. Job, I, 9 et 10 : *Numquid Job frustra timet Deum ? Nonne tu vallasti eum, ac domum ejus ?* Psal. CXXIV, 2 : *Et Dominus in circuitu populi sui.* Item, quia ignotus fit suis hic in via. Joannes Damascenus : « Substantiam cœli non oporte « quærere nobis ignoratam existentem. » Sicut Christus in via. Exod. XXXIII, 20 : *Non videbit me homo, et vivet.* I ad Timoth. VI, 16 : *Quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest.* Item, quia protegit fortiter. Genes. I, 6 : *Fiat firmamentum in medio aquarum,* ut reprimat ipsas. Sic Christus in medio tribulationum ne obruant suos. Job, XVII, 3 : *Libera me, Domine, et pone me juxta te, et cujusvis manus pugnet contra me.* Ad Rom. VIII, 31 : *Si Deus pro nobis, quis contra nos ?*

« *Et testamentum ipsius,* » hoc scilicet quod in utroque testatus est, « *manifestetur illis,* » id est, notum sit et intellectum. Eccli. XXXII, 18 : *Qui timet Dominum, excipiet doctrinam ejus.* Vel sic : « *Et testamentum ipsius,* » id est, Deus, ad illos est, supple, hoc, « *ut manifestetur illis.* » Dominus enim quasi in testamento, quando moriturus erat, hoc eis legavit, ut se manifestaret illis. Joan. XIV, 21 : *Qui diligit me, diligetur a Patre meo : et ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum.* Vel « *timentibus testamentum,* » hoc manifestatur in præsenti per fidem, in futuro per speciem. Psal. XC, 16 : *Longitudine dierum replebo eum, et ostendam illi salutare meum.*

Huic versui præponitur Samech, (ס), quod interpretatur *audio*, vel *firmamentum*, vel *adjutorium.* Quasi diceret : Per hoc quod in hoc versu dicitur, intellige, quod si audio Deum, quod si ipsum timeam, mihi est firmamentum vel adjutorium.

« *Oculi mei.* » Hic est tertium, in quo 15
ostenso merito bonorum, et supposito, primo ostendit suspirando se tendere in Deum toto desiderio : et dicuntur duo. Primo, quia tendit in Deum totaliter adspectu et affectu. Secundo quare sic tendit, ibi, « *Quoniam ipse evellet de laqueo.* »

Quare propheta Deo totus inhiet? Dicit ergo : Hac bona facit timentibus et amantibus. Ergo « *oculi mei,* » interiores adspectus scilicet vel affectus, « *semper ad Dominum,* » quia speculum. Speculum enim semper delectat visum, et confortat. Sapient. VII, 26 : *Candor est lucis æternæ, et speculum sine macula.* Et speciosus speciosum oculum delectat. Eccli. XL, 22 : *Gratiam et speciem desiderabit oculus.* Et Psal. XLIV, 3, de eo : *Speciosus forma præ filiis hominum.* Quia luminosus : lumen enim delectat, tenebræ turbant. Eccle. XI, 7 : *Dulce lumen, et delectabile est oculis videre solem.* Et ipse est sol. Malach. IV, 2 : *Orietur vobis timentibus nomen meum sol justitiæ.* Quia beneficus. Libenter respicit oculus pauperis ad divitem beneficum, et oculus servi ad Dominum a quo exspectat aliquod beneficium. Psal. CXXII, 2 : *Sicut oculi servorum in manibus dominorum suorum, ita oculi nostri,* etc. Jacob. I, 17 : *Omne datum optimum, et omne donum perfectum, desursum est,* etc. Et nota, quod dicit, « *Oculi,* » non oculus : sunt enim aliqui qui unum habent oculum ad Deum, scilicet intellectus, et alium, scilicet oculum affectus ad terrena. Joan. XV, 24 : *Nunc autem et viderunt,* oculo intellectus : *et oderunt,* avertendo oculum affectus, *et me, et Patrem meum.* Psal. XXX, 12 : *Qui videbant me, foras,* quasi superficiali visione, *fugerunt a me.* Alii sunt quorum neuter in Domino est, de quibus in Psal. XVI, 11 : *Oculos suos statuerunt declinare in terram.* Proverb. XVII, 24 : *Oculi stultorum in finibus terræ.* Et dicit, « *Semper,* » quia a re visa et delectabili vix aufertur oculus.

« *Quoniam ipse evellet.* » Ecce secundum. Quasi diceret : « *Oculi mei semper ad Dominum,* » tamquam ad æternitatis speculum, unde possint videre laqueos, et cavere : ad ipsum ergo sunt : « *Quoniam ipse evellet,* » et mihi ostendendo, et me adjuvando, « *a laqueo pedes meos.* » Glossa : « Facile evadit laqueos in terris, « qui semper oculos habet in cœlis. »

Multiplex laqueus. Laqueum autem multiplicem evadit : Possessionis terrenæ, de quo Sap. XIV, 11 : *Creaturæ Dei in odium factæ sunt, et in tentationem animabus hominum, et in muscipulam pedibus insipientium.* Gulæ, de quo in Psal. LXVIII, 23 : *Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum.* Luxuriæ, de quo Eccle. VII, 27 : *Inveni amariorem morte mulierem, quæ laqueus venatorum est.* Superbiæ, quæ dicitur iniquitas antonomastice. Proverb. V, 22 : *Iniquitates suæ capiunt impium.* Et tandem miseriæ, de quo in persona Prophetæ, Psal. CXXIII, 7 : *Laqueus contritus est, et nos liberati sumus.*

Huic versui proponitur Aiin (ע), quod interpretatur *oculus,* vel *fons.* Hic enim dicit oculos, qui fontes lacrymarum sunt, ad Deum se elevare. Jerem. IX, 1 : *Quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrymarum ?*

« *Respice in me et miserere mei.* » Hic **16**
est secunda pars totius hujus partis tertiæ Psalmi. Postquam enim suspirando ad æterna monstravit bona pervenientium ad illam, hic secundo petit sanari a miseria præsenti. Et primo orat contra proprias miserias specialiter. Secundo, contra miserias omnium generaliter, ibi, « *Libera Deus Israel.* »

In prima duo. Primo, contra mala præsentia. Secundo, contra futura, ibi, « *Custodi animam meam.* »

In prima duo. Primo, contra mala pœnæ. Secundo, contra mala culpæ, ibi, « *Vide humilitatem.* »

In prima præmittit petitionem. Secundo, subdit persuasionem, quod acquiescendum est suæ petitioni, ibi, « *Quia unicus et pauper.* »

Dicit ergo : Sic Domine « *oculi mei* » semper ad te. Et tu ergo « *respice in me,* » sicut respexisti Petrum : imo magis in Petrum, Luc. XXII, 61 et 62 : *Respexit Petrum Jesus... et egressus foras Petrus flevit amare.* Nota enim, quod est triplex respectus Dei. (Triplex Dei respectus.) Suæ sapientiæ quasi suæ rationabilis, Eccli. XXIII, 29 : *Domino*

enim Deo antequam crearentur, omnia sunt agnita : sic et post perfectum respicit omnia. Item, tamquam suæ irascibilis, quo rescipit malos, Eccli. v, 7 : *In peccatores respicit ira illius.* Misericordiæ, quasi suæ concupiscibilis, de quo Sap. iv, 15 : *Et respectus in electos illius.* Hoc ultimo respectu, « *respice in me, et miserere mei,* » a miseria pœnæ relevando me, et liberando. Eccli. xl, 24 : *Fratres in adjutorium, in tempore tribulationis, et super eos misericordia liberabit.*

« *Quia unicus.* » Hic secundum, scilicet suasio, quod exaudire debet Deus. Primo, a bonis quæ facit. Secundo,a malis quæ patitur, ibi, « *Tribulationes cordis mei.* » Duo autem bona facit. Tenet simplicitatem, et hoc ad Deum. Et paupertatem amat, quoad mundum, ibi, « *Et pauper.* »

Ait enim : Respice ut miserearis, et debes, « *quia unicus sum ego,* » cordis indissolubilitate, quod non habeo distractum ad diversa desideria, sed totum intendit in Deum. I ad Cor. vi, 17 : *Qui adhæret Domino, unus spiritus est.* Et talis misericordiam promeretur sine dubio. Isa. lvii, 1 : *Viri misericordiæ colliguntur* in Deum, desiderio et amore, sicut e contrario viri mortis dividuntur. Osee, x, 2 : *Divisum est cor eorum, nunc interibunt.*

« *Et pauper,* » mundanarum rerum abdicatione omnimoda, vel saltem suppeditatione. De primo, Matth. v, 3 : *Beati pauperes spiritu : quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* De secundo, in Psal. lxi, 11 : *Divitiæ si affluant, nolite cor apponere.* Et uterque dignus est misericordia, quamvis primus magis. Isa. xlix, 13 : *Et pauperum suorum miserebitur.*

Ecclesiæ etiam potest esse vox, quæ unica est, sine divisionibus hæresum, et schismatibus. I ad Corinth. i, 10 : *Idipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata.* Act. iv, 32 : *Multitudinis credentium erat cor unum, et anima una.* « *Et pauper,* » quamvis omnia Ecclesiæ sint. I ad Corinth. iii, 22 et 23 : *Omnia vestra sunt :... vos autem Christi.* Ratio, quia non reputat illa comparatione ad illud quod vere habet, ipsum Christum, sed magis abjicit et contemnit. Prov. xiii, 7 : *Est quasi pauper, cum in multis divitiis sit.*

Huic autem versui præponitur Phe (פ), quod interpretatur *os*, quod accipitur pro ore, sive *error*, sive *disciplina*, quia hic per disciplinam devotæ orationis corrigitur error oris, etc.

« *Tribulationes cordis mei.* » Hic alle- 17
gat, et suadet a malis quæ sustinet, et primo ab interioribus. Secundo, ab exterioribus, ibi, « *De necessitatibus.* »

Ait ergo : Hoc facio, et etiam « *tribulationes cordis mei,* » quæ sunt insupportabiliores tribulationibus corporis. Eccli. xxx, 16 : *Non est oblectamentum super cordis gaudium* : et ideo nec nocumentum, et afflictionem. « *Multiplicatæ sunt.* » Vere in tantum, quod nullus possit eas numerare, quæ sunt in corde pio, et veraciter pœnitente. Sunt autem multæ genere, multæ specie, multæ numero. Multæ genere, quia dolor et metus. Eccli. iv, 19 : *Timorem et metum et probationem inducet super illum : et cruciabit illum in tribulatione doctrinæ suæ.* Et quodlibet istorum generum multas habet species. Dolor enim multiplicatur secundum diversas species. Est enim in corde justi dolor ex contritione, dolor ex compassione, dolor ex exsilii prolongatione, dolor de patriæ dilatione. Dolor ex contritione multiplicatur numero, sicut et peccata de quibus justus conteritur. Isa. xxxviii, 15 : *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Ex compassione, quia dolet de culpis aliorum, et pœnis, et singulis. II ad Corinth. xi, 29 : *Quis infirmatur, et ego non infirmor ? quantum ad pœnas. Quis scandalizatur, et ego non uror ?* quantum ad culpas. Eccli. xxv, 17 : *Omnis plaga,* sive spiritualis sive corporalis, *tristitia cordis est.* Verum est in justo. Dolor ex

Divisio doloris ingenera, species, et numerum.

exsilii prolongatione multiplicatur, secundum multiplicationem annorum, mensium, septimanarum, et dierum, et horarum. Psal. cxix, 5 : *Heu mihi! quia incolatus meus prolongatus est.* Job, iii, 20 : *Quare misero data est lux, et vita his, qui in amaritudine animæ sunt* ? Et ex patriæ dilatione multiplicatur secundum dilationem felicitatum quæ ibi sunt. Psal. xli, 3 : *Quando veniam et apparebo ante faciem Dei?* Job, xiv, 14 : *Cunctis diebus, quibus nunc milito, exspecto donec veniat immutatio mea.* Ad Roman. vii, 24 : *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Timor etiam multiplex : de præsenti culpa, vel de futura pœna. Psal. liv, 6 : *Timor et tremor venerunt super me.* Timor culpæ multiplicatur secundum diversitates peccatorum, et infinitas circumstantias quæ possunt accidere, quas omnes timet. Job, ix, 29 : *Verebar omnia opera mea.* De pœna secundum diversitates pœnarum culpis singulis debitarum. Job, xxi, 6 : *Et ego quando recordatus fuero, pertimesco, et concutit carnem meam tremor.* Quid dicam? Apprehenderunt me mala, quorum non est numerus [1].

« *De necessitatibus.* » Hic secundum. Quasi diceret : Non solum tribulationes sustineo interius in corde, imo rogo, « *de necessitatibus meis,* » tribulationibus scilicet ab exteriori illatis, quæ necessitates dicuntur, quia necessario ab illis, qui volunt servire Deo, sustinentur illatæ ab aliis. II ad Timoth. iii, 12 : *Omnes qui pie volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur.*

Huic autem versui præponitur Sade (צ), quod interpretatur *justitia* : justum enim est orantem devote, liberari ab iis quæ patitur injuste. Prov. xi, 4 : *Justitia liberabit a morte,* et ira, et concupiscentia.

« *Vide humilitatem.* » Hic secundum, 18
in quo orat contra mala eorum, qui sunt in Ecclesia. Secundo, eorum qui sunt extra, ibi, « *Respice inimicos.* »

In prima præmittitur quasi persuasio. Secundo, subjungitur petitio, ibi, « *Et dimitte.* »

Et persuadet a duobus. Ab humilitate contra elationem quæ est in peccato. Et a labore contra delectationem.

Ait enim : Sic rogo amoveri pœnam, et etiam Domine, « *vide,* » diligenter attendendo, « *humilitatem meam,* » tu qui potes videre eam, qui solus vides in corde ubi est ejus sedes. I Reg. xvi, 7 : *Deus autem intuetur cor.* Et debes, Isa. lxvi, 2 : Alia littera : Ad quem respiciam nisi super humilem spiritu, et contritum, et trementem sermones meos [2] ?

« *Et laborem meum.* » Labor est proprie cum animi vis motiva tendit ad aliquid sibi bonum, et resistens aliquod invenit : necesse est quod laboret in illius impedimenti amotione, et adeptione ejus quod vult. Unde apparet, quod nullus justus est sine labore : nullus enim justus, nisi operetur bonum : nullus autem in hac vita operari potest bonum, quin ei resistant multa. Primo homines mali, II ad Tim. iii, 8 : *Quemadmodum Jamnes et Mambres restiterunt Moysi : ita et hi resistunt veritati.* Item, dæmones, I ad Thessal. ii, 18 : *Voluimus venire ad vos : ego quidem Paulus, et semel, et iterum, sed impedivit nos Satanas.* Item, concupiscentiæ carnales, Ad Roman. vii, 23 : *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ.* Et bene jungit humilitatem et laborem : tum quia humilis libenter laborat, Num. xiii, 30 : *Chananæus,* id est, humilians, moratur *juxta mare,* id est, juxta amaritudines et labores. Tum quia ipse labor humiliat,

Multa resistunt operanti bonum

Humilitatis et laboris unio.

[1] Psal. xxxix, 13 : *Quoniam circumdederunt me mala, quorum non est numerus.*

[2] Ex Vulg. Isa. lxvi, 2 : *Ad quem respiciam nisi ad pauperculum, et contritum spiritu, et trementem sermones meos ?*

In Psal. cvi, 12 : *Et humiliatum est in laboribus cor eorum.* Et præmittitur humilitas labori : quia sine ea labor est inutilis. Gregorius : « Quælibet bona opera nulla sunt, nisi humilitate condiantur. »

« *Et dimitte.* » Ecce secundum. Quasi diceret : « *Vide humilitatem meam et laborem meum :* » « *Et* » sic, « *dimitte,* » condonando, « *delicta mea* : » per hoc enim solet placari. Deuter. xxvi, 7 et 8 : *Respexit humilitatem nostram et laborem atque angustiam, et eduxit nos de Ægyto,* id est, de tenebris ignorantiæ, et culpæ. Et appellantur « *delicta,* » omissionum peccata, quasi derelinquentia. Vel « *delicta,* » peccata omnia post baptismum facta, quia per ea derelinquitur justitiæ via. Hæc autem petit dimitti « *universa.* » Et nota, quod alia littera habet : « Porta universa peccata mea, » quod vere factum est. I Pet. ii, 24 : *Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum.*

Huic autem versui præponitur Re (ר), quod interpretatur *principium* sive *caput,* ut monstretur, quod humilitas est omnium bonorum caput et principium. Gregorius in quadam Homilia : « In cunc-« tis quæ agitis, radicem bonorum om-« nium humilitatem teneatis. »

19 « *Respice inimicos meos.* » Hic secundum, in quo postquam oravit pro culpis eorum qui sunt intra Ecclesiam, orat consequenter pro iis qui sunt extra Ecclesiam. Et primo, oratio. Secundo, persuasio, quod exaudiatur, ibi, « *Quoniam multiplicati sunt.* »

Dicit ergo : Sic mea dimitte delicta, nec hoc tantum peto, imo, « *respice inimicos meos,* » oculo misericordiæ, eis etiam sua delicta condonando. Cassiodorus : « Quos respicit, statim sine dile-« ctione convertit. » Sic factum est in Petro [1]. Hic ergo facit Ecclesia quod jubetur ei, Matth. v, 14 : *Orate pro persequentibus vos et calumniantibus.* Et nos exemplo matris nostræ hoc facere debemus : per hoc enim auferetur nostra deformitas. Peccator enim est sicut exstinctus carbo, Thren. iv, 8 : *Denigrata est super carbones facies eorum, et non sunt cogniti in plateis.* Et Amos, iv, 11 : *Facti estis quasi torris raptus ab incendio.* Opus autem charitatis si modicum est, ut scintilla, et addatur tali cordi vel animæ, aliquid tollit deformitatis. Si sit magnum opus charitatis, totum cor decorat, sicut magnus ignis additus carboni. Si autem sit opus orationis quod est nobilissimum, tunc reddit pulcherrimum. Quod autem opus orationem sit optimum in genere operum, patet per hoc quod dicitur, Act. vi, 4 : *Nos autem orationi et ministerio verbi instantes erimus.* Chrysostomus super Matthæum : « Vis scire quam pre-« tiosa sit oratio ? Nulla justicia theose-« biæ assimilatur nisi oratio sola. » Charitas ergo pro inimicis est quasi magnus ignis, quia si adveniat torri vel carboni, totam occultat ejus deformitatem. Proverb. x, 12 : *Universa delicta operit charitas.* Et in Psal. cxxxix, 10 : *Labor labiorum ipsorum operiet eos,* scilicet oratio. Jacob. v, 20 : *Qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus a morte, et operiet multitudinem peccatorum.* Item, aquiritur nobis per hoc summa nobilitas : quis enim ignobilis nollet esse filius Dei et hæres? Matth. v, 44 : *Orate pro persequentibus vos et calumniantibus vos, ut sitis filii Patris vestri, qui in cœlis est.* Ad Rom. viii, 17 : *Si filii, et hæredes* : *hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.* Et iterum, Matth. v, 9 : *Beati pacifici,* quales potissime sunt orantes pro inimicis : *quoniam ipsi filii Dei vocabuntur.* Item, adjicietur

Oratio pro inimicis opus præstantissimum.

[1] Luc xxii, 61 et seq.

nobis lucri universitas : nullum enim lucrum est amico comparabile. Eccli. VI, 14 : *Amicus fidelis, protectio fortis* : *qui autem invenit illum, invenit thesaurum.* Sed si oras pro inimico, fies ei fidelis amicus, et ipse tibi. Eccli. XVIII, 16 : *Nonne ardorem refrigerat ros, sic et verbum melius quam datum.* Item, qui est advocatus apud Deum pro suo inimico, quia Deus ita vult et præcipit, magnum salarium lucratur : ideo dicitur, Prov. XII, 6 : *Os justorum liberabit eos* : quia orabunt pro inimicis suis. Et in eodem, Prov. XII, 14 : *De fructu oris sui unusquisque replebitur bonis.*

« *Quoniam multiplicati sunt.* » Hic supponit persuasionem duobus. Allegat enim inimicorum multitudinem primo. Secundo, ipsorum malitiam, ibi, « *Et odio iniquo.* »

Ait ergo. Sic illos respice. Et hoc « *quoniam multiplicati sunt* : » damnum enim esset magnum si tanta multitudo periret. Nec mirum si multos dicit : nonne sunt Ecclesiæ inimici Hæretici, Pagani, et Judæi, et omnes qui extra sunt, qui certe sunt, multi? Sed etiam multi qui extra sunt, qui deberent esse filii. Cant. I, 5 : *Filii matris meæ pugnaverunt contra me.* Et Michæ. VII, 6 : *Inimici hominis domestici ejus.*

« *Et odio.* » Quasi diceret : Non tantum propter multitudinem, sed etiam propter peccati magnitudinem. Unde addit, « *Et odio iniquo oderunt me,* » ad differentiam odii boni, quo oditur culpa, quod est odium perfectorum. Psal. CXXXVIII, 22 : *Perfecto odio oderam illos.* Et est iniquum odium, quo oditur natura, præcipue per gratiam reformata, quæ diligenda esset. Psal. CVIII, 5 : *Posuerunt adversum me mala pro bonis* : *et odium pro dilectione mea.*

Huic versui nulla littera præponitur.

20 « *Custodi animam meam.* » Hic orat contra futura mala. Et primo, ponitur oratio. Secundo, persuasio, ibi, « *Non erubescam.*

Dicit ergo : Ex quo inimici multi, et odientes odio iniquo : ergo « *custodi,* » a futura culpa, « *animam meam,* » ne incidam, quod non potest fieri nisi per te. Psal. CXXVI, 1 : *Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam.*

Et vide sanctæ Ecclesiæ amorem mirabilem, quo prius orat pro inimicis suis, quam pro se. Hæc est illa sancta amoris insania, qua anima aliquando plus ad inimicum afficitur, quam ad seipsam, secundum illud ad Rom. IX, 3 : *Optabam ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem.* Exodi, XXXII, 31 et 32 : *Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti.* Nota Ecclesiæ charitatem.

Nota etiam quod dicit : « *Animam meam custodi,* » non corpus : sic enim debemus esse solliciti pro anima, ut tota sollicitudo sit pro ipsa, quia unica anima prævalet omnibus corporibus. Propter quod Matth. XVI, 26 : *Quid prodest homini si mundum universum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?* Sed, heu! pro una modica voluptate a multis datur. Prov. X, 20 : *Cor impiorum pro nihilo.* Item, fortissimi inimici non nisi pretiosissimæ rei insidiantur. Bestiæ insidiantur carni, homines possessioni, sed dæmones spiritui. Et propter hoc magis debemus esse solliciti de anima, quam de aliqua re alia. Psal. XXX, 14 : *Accipere animam meam consiliati sunt.* Gen. XIV, 21 : *Da mihi animas, cætera tolle tibi.*

« *Et erue me,* » tandem corporali separatione ab eis, quod fiet in judicio generali. Matth. XXV, 33 : *Et statuet quidem oves a dextris suis, hædos autem a sinistris.* Et nota, quod dicit hic « *me,* » non animam solum : quia isti ereptioni erunt conjuncti : sed custoditio animæ in præsenti. Et utrumque singulariter, ut

notet paucitatem salvandorum comparatione ad multitudinem damnandorum. Amos, III, 12 : *Quomodo si eruat pastor* de ore leonis *duo crura, aut extremum auriculæ*, etc.

« *Non erubescam.* » Hic persuasio, et allegat duo. Primo, confidentiam. Secundo, unitatem sive bonorum conjunctionem, ibi, « *Innocentes.* »

Dicit ergo : Sic « *custodi, et erue,* » et « *non erubescam* » confusa, repulsa mea petitione, « *quoniam speravi in te.* » Cassiodorus : « Non meretur erubescere, « qui spem cognoscitur in tanta veritate « posuisse. » Daniel. III, 40 : *Non est confusio confidentibus in te.*

Huic versui præponitur Sin (ש), quod interpretatur *dens*, vel *super vulnus.* Quasi diceret : Erue me a dente, vulnus super vulnus faciente. Hic est dens peccati vel dæmonis, cui non sufficit vulnerare carnem, nisi vulneret animam. Eccli. XXI, 3 : *Dentes leonis, dentes ejus, interficientes animas hominum.*

21 « *Innocentes et recti.* » Hic secundum in quo allegat secundum, scilicet unitatem : et tangitur primo unitas seu bonorum conjunctio. Secundo, ratio quare sunt ei conjuncti et uniti, ibi, « *Quia sustinui te.* »

Dicit ergo : Sic non me confundas, negando quod peto, quia confido, et etiam « *innocentes* » qui a suo baptismate innocentiam servaverunt, secundum illud Job, XXVII, 5 : *Donec deficiam, non recedam ab innocentia mea.* « *Et recti,* » qui post peccatorum redierunt per pœnitentiam, sicut dicit Cassiodorus : « Isti au« tem sunt omnes boni. » Jerem. XIII, 11 : *Agglutinavi mihi omnem domum Israel, et omnem domum Juda.* Vel innocentes sunt in pueritia, parvuli scilicet baptizati : recti vero in ætate matura. Secundum Glossam, idem innocentes, et recti : sed innocentes, quia malum vitant. Augustinus : « Vera innocentia est, qua « quis nec sibi nec alteri nocet. » Recti in quantum faciunt bonum. Cant. I, 3 : *Recti diligunt te.* Sic Joan. XIV, 15, dicitur : *Si diligitis me, mandata mea servate,* quæ præcipiunt operari bona. Hæ sunt duæ partes justitiæ. Psal. XXXVI, 27 : *Declina a malo, et fac bonum.*

« *Adhæserunt mihi,* » tamquam consimili. Eccli. XIII, 19 : *Omne animal diligit simile sibi,* et volatilia ad sibi similia congregantur.

« *Quia sustinui te.* » Hic ratio adjunctionis, qua adhæserunt : et hoc propter hoc « *quia sustinui te,* » in patientia adversa tolerando. Sustinere autem hic patientiæ est. Eccli. I, 29 : *Usque in tempus sustinebit patiens.* Patet ergo, quod patientia est virtus conjungens socialiter, sicut impatientia et iracundia totum dissipat. Prov. XV, 18 : *Vir iracundus provocat rixas* [1].

« *Libera Deus Israel.* » Hic secundum totius hujus tertiæ partis totius Psalmi. 22
Postquam enim oravit contra mala sua specialiter, hic orat contra mala omnium universaliter : et dicit quis liberet, quem, et a quibus. Vel est oratio specialiter pro Synagoga infideli convertenda. Cum enim oraverit pro se singulariter, pro inimicis generaliter, hic pro Synagoga specialiter.

Dicit ergo quantum ad primum : Sic oravi et petivi multa, et multipliciter, sed nunc concludo totum : O tu Deus qui liberas, « *libera Deus Israel,* » omnes fideles tuos, te per fidem videntes : ecce qui liberabuntur. « *Ex omnibus tribulationibus suis :* » ecce a quibus debet esse liberatio. Et hoc fiet quando impugnationi exteriori succedet tranquillitas, indi-

[1] Cf. adhuc Prov. XXII, 24 et 25.

gentiæ omnium fertilitas, et timori interiori plena securitas. Isa. XXXII, 18 : *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, et in tabernaculis fiduciæ, et in requie opulenta.*

His duobus versibus præponitur Thau (ת) quod interpretatur *signum*, vel *consummatio* : quia signum perfectionis est adhærere Deo. Et I ad Corinth. VI, 17 : *Qui adhæret Domino, unus spiritus est.* Et in liberatione ab omni tribulatione erit consummatio.

PSALMUS XXV.

David suæ innocentiæ conscius ad judicium Dei recurrit.

1. *In finem, Psalmus David.*
Judica me, Domine, quoniam ego in innocentia mea ingressus sum, et in Domino sperans non infirmabor.
2. Proba me, Domine, et tenta me : ure renes meos et cor meum.
3. Quoniam misericordia tua ante oculos meos est : et complacui in veritate tua.
4. Non sedi cum concilio vanitatis : et cum iniqua gerentibus non introibo.
5. Odivi ecclesiam malignantium : et cum impiis non sedebo.
6. Lavabo inter innocentes manus meas : et circumdabo altare tuum, Domine :
7. Ut audiam vocem laudis, et enarrem universa mirabilia tua.
8. Domine dilexi decorem domus tuæ, et locum habitationis gloriæ tuæ.
9. Ne perdas cum impiis, Deus, animam meam, et cum viris sanguinum vitam meam :
10. In quorum manibus iniquitates sunt, dextera eorum repleta est muneribus.
11. Ego autem in innocentia mea ingressus sum : redime me, et miserere mei.
12. Pes meus stetit in directo : in ecclesiis benedicam te, Domine.

IN PSALMUM XXV

COMMENTARIUS.

1 *In finem, Psalmus David* [1]:

Petit Propheta separari a malis hic et in futura vita.

« *Judica me, Domine, quoniam ego in innocentia mea ingressus sum* ». Hic est Psalmus vigesimus quintus, in quo postquam præcessit deprecatio et suspirium pœnitentis, ut posset fructum assequi passionis, et totius Ecclesiæ Dominum et rectorem, intelligens quod hoc vix aut numquam posset fieri, ipso in malorum consortio commorante, clamat ad Deum pro separatione sui a malis, in hoc jam tantum provectus, ut quasi vocem proferat perfectionis. Præponitur autem huic Psalmo titulus communis : « *In finem, Psalmus David :* » et non indiget expositione.

Psalmus dividitur in duas partes. Primo petit justus separari a malis in præsenti. Secundo, in futuro, ibi, « *Domine, dilexi decorem domus tuæ.* »

In prima duo. Primo, petit separari a malis apud Deum. Secundo, manifestationem separationis etiam apud alios, ibi, « *Proba me Deus, et tenta me.* »

In prima duo. Primo, petitio. Secundo, persuasio, ut consentiat suæ petitioni, vel persuasioni, ibi, « *Quoniam ego in innocentia.*

Prima pars Psalmi.

Dicit ergo sic : Dum suspiro ad æterna, et perfici desidero, et hoc ut possim, « *Judica me* » o « *Domine,* » judicio discretionis, hoc est, separa me a malis, non tantum merito, sed et loco. Genes. XIX, 17, Loth profuit, quia se separavit a Sodomitis. Notandum autem, quod quidam separant se a malis, quia per eorum præsentiam mali non meliorantur, sed deteriorantur : sic Dominus a Judæis, Joan. VIII, 59 : *Tulerunt lapides, ut jacerent in eum : Jesus autem abscondit se.* Alii, ne ipsi eorum consortio vel exemplo mali efficiantur, Eccli. XIII, 1 : *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea.* Vel verbo, I ad Corinth. XV, 33 : *Corrumpunt mores bonos colloquia mala.* Vel consentiendo, et non resistendo eorum malis, Ad Rom. I, 32 : *Quoniam, qui talia agunt, digni sunt morte : et non solum qui ea faciunt, sed etiam*

[1] Théodoret et un petit nombre de commentateurs datent ce psaume du temps où David, calomnié auprès de Saül, sentait le besoin d'affirmer son innocence et d'en appeler au jugement de Dieu. Mais il y a dans la période de la révolte d'Absalon une circonstance qui paraît rendre bien mieux compte des idées exprimées dans ce chant. David fuyait devant les rebelles, et le grand-prêtre Sadoc le suivait, emportant avec lui l'arche du Seigneur ; David lui commande de reporter l'arche dans la ville sainte, et exprime l'espoir de la revoir un jour dans son tabernacle. II Reg. xv, 25. C'est cette pensée que le saint roi exprime dans le psaume, après avoir protesté énergiquement de son innocence. Il y reproduit du reste un certain nombre d'idées qu'on retrouve dans beaucoup de ses chants, en particulier dans le précédent, et il y donne libre carrière à ses sentiments de confiance et d'amour de Dieu.

Au sens spirituel, David représente le Sauveur injustement accusé et condamné par ses ennemis.

L'Esprit-Saint a encore inspiré ce chant pour servir au sacrifice de la loi nouvelle ; l'Église fait réciter aux prêtres les ℣℣, 6-12, pendant qu'ils se lavent les doigts à la sainte Messe ; ce rite date des temps apostoliques, mais la récitation du psaume, prescrite dans le Missel de S. J. Chrysostôme, ne devint d'un usage général dans l'Église Latine qu'au XV[e] siècle. Cfr. Bouvier, Théol. III, p. 242.

H. Lesêtre.

qui consentiunt facientibus. Alii sunt qui se separant tantum ut boni videantur, sicut Scribæ et Pharisæi : unde Matth. IX, 11, dicunt reprehendendo : *Quare cum publicanis et peccatoribus manducat magister vester?* Isa. LXV, 5 : *Qui dicunt, Recede a me, non appropinques mihi, quia immundus es.* Sed stulti sunt : granum enim sub palea custoditur, separatur a palea, ut expositum ab avibus devoretur. Sic boni tamquam in palea latent in consortio peccatorum : superbi se separant, et a dæmonibus devorantur. Luc. VIII, 5 : *Quod cecidit secus viam, conculcatum est, et volucres cœli comederunt illud.* Proverb. XXVII, 12 : *Astutus videns malum absconditus est,* scilicet sub palea. Et sequitur : *Parvuli transeuntes sustinuerunt dispendia.*

« *Quoniam ego.* » Hic allegat, et a duobus. Primo, a vitæ innocentia. Secundo, a perseveranti confidentia in solo Deo, ibi, « *Et in Domino sperans.* »

Dicit ergo : Separa, et debes, quoniam « *ego ingressus sum* » consortium malorum, in « *innocentia.* » Vel « *ingressus sum,* » ut incipiam esse, « *in innocentia.* » Sed quomodo dicit hoc? Proverb. XX, 9 : *Quis potest dicere : Mundum est cor meum, purus sum a peccato?* Item, si innocens esset, per talem jactantiam nocens fieret. Job, IX, 20 : *Si justificare me voluero, os meum condemnabit me : si innocentem ostendero, pravum me comprobabit.* Respondeo. Aliquando fit propriorum meritorum recordatio propter elationem et superbiam : sicut Pharisæus, Luc. XVIII, 12 : *Jejuno bis in sabbato* : et tunc est reprobandum. Aliquando Sancti hoc faciunt ad malorum repressionem, sicut Paulus ut Pseudo-Apostolos reprimeret et humiliaret, II ad Corinth. XI et XII quasi per totum. Aliquando ad excitandum spiritum in seipso, sicut Job, XXI per totum. Aliquando ad Dei laudem et gloriam, et quasi in gratiarum actionem, sicut fit hic : unde statim addit : « *Et in Domino sperans.* » Et propterea se non dicit plene mundum, sed adhuc esse in inchoatione munditiæ. Psal. LXXVI, 11 : *Et dixi : Nunc cœpi.* Eccli. XVIII, 6 : *Cum consummaverit homo, tunc incipiet.* Nec dicit, « *Ingressus sum in innocentia* » angelica, sed « *mea,* » scilicet humana quæ satis immunda est quantum est de se. Isa. LXIV, 6 : *Facti sumus ut immundus omnes nos, et quasi pannus mulieris menstruatæ universæ justitiæ nostræ.* Unde per hoc quod dicit, « *mea,* » magis se humiliat quam extollat.

Gloriatio mala et aliquando bona.

« *Et in Domino sperans non infirmabor,* » ut titubem. Jacob. I, 6 : *Qui hæsitat, similis est fluctui maris, qui a vento movetur et circumfertur.* Imo fortior ero. Isa. XL, 31 : *Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem.* Vel « *non movebor.* » Alia littera, « A malorum consortio tunc moveas, si volueris, et discernas » Augustinus : « Qui quasi volunt esse inter malos, schismatici volunt esse et pejores. » Talis voluit esse Job, XXX, 29, qui dicebat : *Frater fui draconum, et socius struthionum.*

« *Proba me, Domine.* » Hic secundum, in quo petit separari, etiam in hominum cognitione, merito a malis : et dicuntur duo. Primo, petitio. Secundo, persuasio, ibi, « *Quoniam misericordia tua.* » 2

In prima duo. Primo, petit bonum quod habet aliis demonstrari. Secundo, a malis plus purgari, ibi, « *Ure renes meos.* »

Dicit ergo : Sic ingressus sum in innocentia : tamen etsi *nihil mihi conscius sum, in hoc non justificatus sum* [1]. Et in Psal. XVIII, 13 : *Delicta quis intelligit?*

[1] I ad Corinth. IV, 4.

Propter hoc rogo o Domine, « *tenta me,* » et sic « *proba me,* » id est, probatum ostende mihiipsi et aliis, non tibi qui nulla indiges ostensione. Petit ergo tentari, sed a quo? A Deo : tentat enim diabolus ut seducat. De hac tentatione non curat. Act. v, 3 : *Cur tentavit Satanas cor tuum mentiri te Spiritui sancto?* Tentat homo ut discat, Eccle. vii, 24 : *Cuncta tentavi in sapientia. Dixi : sapiens efficiar.* Sed tentat Deus, ut puriorem reddat, Sap. iii, 5 : *Deus tentavit eos, et invenit illos dignos se.* Ut exemplum aliis præbeat, Tob. ii, 12 : *Hanc tentationem ideo permisit Dominus evenire illi, ut daretur exemplum patientiæ ejus.* Ut ipsum quem tentat, doceat, Joan. vi, 6 : *Hoc autem dicebat tentans eum : ipse enim sciebat quid esset facturus.* Ut corda tentatorum aliis nota faciat, Deuter. xiii, 3 : *Tentat vos Dominus Deus vester, ut palam fiat utrum diligatis eum.* Sic accipitur hic. Ut in futuro tandem coronet eos, Eccli. xliv, 21 et 22 : *In tentatione inventus est fidelis. Ideo jurejurando dedit illi gloriam.* Jacob. i, 12 : *Beatus vir qui suffert tentationem.* Nec est contrarium quod dicitur, Jacob. i, 13 : *Deus intentator malorum est : ipse autem neminem tentat.* Verum est de tentatione quæ est suggestio ad peccandum, de qua non loquitur hic, sed de illa, quæ est pœnæ inflictio.

Cur Deus tentet?

« *Ure renes meos.* » Hic petitur purgari a malo, et hoc dupliciter. Primo, per tribulationem corporis. Secundo, cordis, ibi, « *Et cor meum.* »

Dicit ergo : Sic tenta, et etiam « *ure,* » igne tribulationis, « *renes meos,* » litterales, illos a vitiis et a malis motibus per illum purgando. Psal. lxv, 10 : *Igne nos examinasti, sicut examinatur argentum.*

« *Et cor meum,* » exsicces omnem noxiæ affectionis fluxum. Job, xxiii, 10 : *Probavit me quasi aurum, quod per ignem transit.*

Vel referes « *renes* » ad effectum, et « *cor* » ad intellectum : et sic petit purgari totum igne triplici. Tribulationis, quæ ignis est, Job. i, 16 : *Ignis Dei cecidit e cœlo.* Isa. xxxiii, 1 : *Spinæ,* tentationum compunctiones, *congregatæ, comburentur igni.* Divini sermonis, Psal. cxviii, 140 : *Ignitum eloquium tuum vehementer.* Et Cassiodorus : « Verbum Dei in ore fornacis sordes vitiorum assumens, animas hominum ad emendationem perfectissimi decoris adducit. » Et Spiritus sancti, qui in igneis linguis missus est [1]. Isa. x, 17 : *Erit lumen Israel,* id est, Spiritus sanctus, *in igne, et Sanctus ejus in flamma : et succendetur, et devorabitur spina ejus,* id est, voluptates pravæ, *et vepres,* id est, cogitationes.

Petit purgari ex igne triplici.

« *Quoniam misericordia tua.* » Hic suasio, et primo allegat perfectam patientiam. Secundo, justitiam, ibi, « *Non sedi cum concilio vanitatis.* » 3

In prima duo. Primo, ipsam tribulationem reputat misericordiam in suo intellectu. Secundo, quod etiam libenter sustinet illam quantum ad effectum, ibi, « *Et complacui.* »

Dicit ergo : Sic ostende, proba, et purga, et debes. Nihil verearis : quoniam tentatio quæ est pœnæ inflictio, est « *misericordia ante oculos meos* » interiores. Psal. xcviii, 8 : *Deus propitius fuisti eis, et ulciscens in omnes adinventiones eorum.* Divina enim punitio in præsenti misericordia est et propitiatio. Job, v, 17 : *Increpationem Domini ne reprobes : quia ipse vulnerat, et medetur : percutit, et manus ejus sanabunt.* II Machab. vi, 13 : *Statim ultiones adhibere, magni beneficii est indicium.*

Quando Deus hic punit, miseretur.

[1] Act. ii, 3 : *Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tamquam ignis, seditque supra singulos eorum.*

« *Et complacui in veritate tua.* » Quasi diceret : Non tantum misericordiam reputavi, sed « *in veritate tua,* » id est, justitia puniente, « *complacui,* » quantum ad amorem et affectum, non in vanitate mundana, sicut multi, de quibus in Psal. IV, 3 : *Ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium?* Nec mirum si complacent quæ me purgant interius et decorant. Psal. XCI, 5 : *Delectasti me, Domine, in factura tua.* Et alibi, Psal. XLIV, 14 : *Omnis gloria ejus filiæ regis ab intus.* II ad Corinth. I, 12 : *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ.*

4 « *Non sedi cum concilio vanitatis.* » Hic persuadet a sua justitia. Et primo, a declinatione mali. Secundo, ab operatione boni, ibi, « *Lavabo.* »

In prima duo. Primo, declinatio mali quoad proximum. Secundo, quoad Deum, ibi, « *Et cum impiis.* »

Iterum in prima tria. Primo, separatio sui a malis verbo. Secundo, facto, ibi, « *Et cum iniquis.* » Tertio, corde et animo, ibi, « *Odivi Ecclesiam.* »

Dicit ergo : Sic pugna me, et ure, et debes, quia non « *sedi cum concilio.* » In conciliis fiunt collocutiones « *vanitatis :* » vitans scilicet vaniloquium, et illos detestans, de quibus in Psal. XI, 3 : *Vana locuti sunt unusquisque ad proximum suum.* Joan. III, 31 : *Qui est de terra, de terra est, et de terra loquitur.* Modo vix est aliquod concilium nisi de vanitate terrenorum, et quod majus est malum, inter personas Ecclesiasticas. Vani sunt qui caducis occupationibus implicantur, et in superflua narratione tempus consumunt. Vel vanitas hic appellari potest vituperabilis levitas histrionum, imitantium in choreis et ludis vanis. Tob. III, 17 : *Numquam cum ludentibus miscui me : neque cum his, qui in levitate ambulant, participem me præbui.*

« *Et cum iniqua gerentibus,* » opere in gestu mala facientibus, « *non introibo,* » ut saltem cum illis malum incipiam operari, ne sim de illis, de quibus in Psal. XLIX, 18 : *Si videbas furem, currebas cum eo : et cum adulteris portionem tuam ponebas.* Hic notandum quam fortes justi, quam infirmi iniqui, qui non possunt ipsum trahere ad peccati inchoationem tantum. Proverb. XXIII, 35 : *Verberaverunt me, sed non dolui : traxerunt me, et non sensi.* Ad Roman. VIII, 39 : *Certus sum quia neque mors, neque vita,* etc. *poterit nos separare a charitate Dei quæ est in Christo Jesu.* Item, « *Non introibo :* » Videtur loqui de peccato hic tamquam de colubro, vel serpente ore hiante, ut intret peccator in illud. Eccli. XXI, 2 : *Quasi a facie colubri, fuge peccata : et si accesseris ad illa, suscipient te.* Item, qui intrat, est absconditus in illo in quod intrat. Iniquitatem excusando abscondit se, et celat. Sap. XVII, 3 : *Putant se latere in obscuris peccatis.* Jerem. II, 33 : *Quid niteris bonam ostendere viam tuam, ad quærendum dilectionem?* Supple, confessoris. Prov. XVII, 9 : *Qui celat delictum, quærit amicitiam.*

« *Odivi Ecclesiam malignantium.* » 5
Hic tertium. Quia non tantum separavi me corpore, ut non essem, vel locutione, vel opere, sed etiam animo et corde, « *odivi Ecclesiam malignantium,* » convocationem malorum. Exod. XXIII, 2 : *Non sequeris turbam ad faciendum malum.* Eccli. VII, 7 : *Non pecces in multitudinem civitatis.* « *Malignantium* » dicit, quasi malo igne ardentium, et inflammatorum. Eccli. XXI, 10 : *Stuppa collecta synagoga peccantium, et consummatio illorum flamma ignis,* singuli mali : quia mali per se odibiles, sed multo plus conglobati simul in injustitia : sicut ligna multa quando sunt succensa, periculosum valde ad accedendum. Non sic quando divisa. Unita multitudo ergo mala, quia ligna sicca sunt, et impietas illa succendens, quasi ignis. Isa. IX, 18 : *Succensa est quasi ignis impietas.* Eccli.

xxviii, 12 : *Secundum ligna silvæ, sic ignis ex ardescit.* Sicut ergo non exstinguitur cito talis ignis, sed cum periculo ad illum acceditur. Sic autem non est si fuerit dispersa. Propter hoc, Isa. LXVIII, 6, datur bonum consilium : *Dissolve colligationes impietatis.* Isa. XXXIII, 14 : *Quis poterit habitare de vobis cum igne devoranti?* Quasi diceret : Nullus, quin ab illo devoretur. Prov. XIII, 20 : *Amicus stultorum similis efficietur.*

« *Et cum impiis,* » in Deum, « *non sedebo,* » id est, non concordabo illorum sententiæ. Et dicit hoc : quia tractantes, et in una concordes sententia simul sedere consueverunt : supra in Psal. x secundum Hebræos, 8 : *Sedet in insidiis cum divitibus in occultis, ut interficiat innocentem.* Vel « *non sedebo* » saltem consentiendo, et volendo quod faciunt, etsi tractem cum illis, quia non expedit. Ad Rom. I, 32 : *Quoniam, qui talia agunt, digni sunt morte : et non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.* Et nota differentiam inter vanos, et iniquos, et malignantes, et impios. Vani sunt circa temporalia sapientes, Sap. XIII,

Quid differunt vani ab iniquis et impiis?

1 : *Vani sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei.* Et tales peccant in se, quia pretiosam animam in vanis occupant. Iniqui et malignantes mala inferendo. Impii qui peccant contra Deum ejus cultui adversando.

6 « *Lavabo inter innocentes.* » Hic allegat alteram justitiæ partem, quæ est in bonum faciendo. Primo, tangit bona quæ facit interius. Secundo, quæ facit exterius, ibi, « *Ut audiam.* »

Interius tangit duo. Primum est manus mundare. Secundum mundatis manibus mente orare, ibi, « *Et circumdabo altare tuum Domine.* »

Ait ergo : Sic caveo a malis, et etiam « *lavabo manus meas,* » id est, opera mea mundabo. Cassiodorus : « Manus « lavat, qui studio bonæ conversationis « facta propria emendat, » Et nota, quod sunt opera quædam immunda ex toto, quæ non est lavare, sed ex toto destruere : nisi, sicut dicimus, quod sordes lavantur.

Opera ex toto et ex parte immunda.

Ezech. XVI, 9 : *Lavi te aqua, et emundavi sanguinem tuum ex te.* Quædam pro parte impura, quia sunt bona, sed aliquando non fiunt recta intentione. Isa. LXIV, 6 : *Universæ justitiæ vestræ,* ecce puritas in parte : *sicut pannus menstruatæ,* ecce impuritas. Et talia mundantur et manent, abluta impuritate. De utrisque intelligi potest quod hic dicitur, sed diversis modis lavanda. Et hoc « *inter innocentes,* » exemplo scilicet innocentium, inter quos conversor. Psal. XVII, 26 : *Cum sancto sanctus eris, et cum viro innocente innocens eris.*

« *Et circumdabo.* » Quasi diceret : Sic lavabo : sed hoc parum, imo « *et circumdabo* » post hanc lotionem, « *altare tuum Domine,* » id est, cor meum virtutibus ornabo, sicut altare materiale circumdatur variis coloribus vestium, et sericorum ad ornatum : vestes enim sunt virtutes. Eccli. XVII, 2 : *Et vestivit illum virtute.* Ezech. XVI, 9 et 10 : *Mundavi te aqua,* in baptismo, *et lavi sanguinem tuum,* peccatum scilicet tuum, *ex te,* in pœnitentia. Et post subditur de ornatu : *Vestivi te discoloribus.* Dicitur autem cor humanum, altare, quasi alta ara. Ara autem dicitur ab ardendo, quia in corde justo continue debet ardere ignis ille de quo Luc. XII, 49 : *Ignem veni mittere in terram.* Levit. VI, 12 : *Ignis autem in altari meo semper ardebit.* I ad Corinth. XIII, 8 : *Charitas numquam excidit.* Item, altare est locus immolationis, et cor deprecationis : ibi enim debemus nos immolare Deo. Joan. IV, 23 : *Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate.* Item, si corpus nostrum Dei templum est, I ad Cor. III, 17 : *Templum Dei sanctum est, quod estis vos* [1]. Quod altare hujus templi nisi cor? Item, sicut

Cor dicitur altare.

[1] Cf. etiam I ad Corinth. VI, 19.

super altare ponitur imago Dei, sic in corde sedes animæ, quæ imago Dei est. Genes. I, 26 : *Faciamus hominem ad imaginem, et similitudinem nostram.* Legitur et de fide : sed quod sit altare, et quomodo, alias satis dictum puto.

7 « *Ut audiam vocem laudis.* » Hic allegat bona exteriora, quæ sunt duo, scilicet audire Dei laudem. Secundo, aliis auditam narrare, ibi, « *Et enarrem universa.* »

Dicit ergo : Sic mundabo inter innocentes opera, et cor ornabo virtutibus, « *ut audiam,* » audire digne valeam, ab ipsis innocentibus te laudantibus. Isa. LI, 3 : *Lætitia invenietur in ea, gratiarum actio, et vox laudis.* Habac. III, 3 : *Et laudis ejus plena est terra.* « *Vocem laudis tuæ.* » Sicut enim non est dignus laudare immundus, Eccli. XV, 9 : *Non est speciosa laus in ore peccatoris* : sic certe nec speciosa vox in ore eorum quæ leguntur in Ecclesia vel cantantur nisi munda. Basilius : « Qualis auditus dig« nus est magnitudine relatorum, nisi qui « a vitiis carnalibus est immunis, et « ærumnis sæcularibus minime offusca« tus ? »

« *Et enarrem.* » Secundum est : Quasi diceret : Sic audiam, et postquam audiero, non ante, enarrabo, legendo, prædicando, et cantando, in Ecclesia, « *universa mirabilia tua.* » Necesse est enim primo audire, postea prædicare. I Reg. X, 5 et 6 : *Obvium habebis gregem prophetarum,* id est, Doctorum, *descendentium de excelso,* de sublimitate contemplationis, *et ante eos psalterium* bonæ operationis, *et tympanum* mortificationis carnis, *et tibiam,* doctrinam ad minores, *et citharam,* doctrinam ad majores, *ipsosque prophetantes* dicentes, et prædicantes : *et tunc insiliet in te Spiritus Domini,* fervor quærendi honorem Dei : *et* sic *prophetabis cum eis,* docebis, *et mutaberis in virum alium,* maturior fies et cautior. Jacob. I, 19 : *Sit autem omnis homo velox ad audiendum, et tardus ad loquendum.*

Dispositiones ad prædicandum necessariæ.

Vel totum de futuro. Quasi diceret : Prædicta faciam, « *ut audiam,* » in judicio, « *vocem laudis tuæ,* » qua me laudes cum bonis aliis. Matth. XXV, 34 : *Venite benedicti Patris mei,* etc. Et Proverb. XXXI, 31 : *Laudent eam in portis opera ejus.* Et ulterius enarrem « *universa mirabilia tua,* » glorificatus in patria. Psal. IX, 2 : *Narrabo omnia mirabilia tua.* Et fiat distributio pro generibus singulorum, non pro singulis generum. Mirabilia, scilicet creationis, recreationis, et æternæ retributionis.

« *Domine dilexi decorem domus tuæ.* » Hic petit justus separari a malis, loco, et præmio in futuro. Et primo, petit in futuro separari a pœna in qua erunt impii. Secundo, in gloria collocari, ibi, « *Ego autem in innocentia mea.* » 8

Secunda pars Psalmi.

In prima præmittitur suasio primo. Secundo supponitur petitio, ibi, « *Ne perdas.* »

In prima duo secundum rationem suadendi duplicem. Primo, quia diligit Ecclesiam militantem. Secundo, quia triumphantem, ibi, « *Et locum habitationis.* »

Ait ergo : « *Domine dilexi decorem domus tuæ,* » militantis scilicet Ecclesiæ, quæ domus tua est. Nota, quod bene hoc subjungit postquam præmisit, « *Ut enarrem,* etc. » Nullus enim debet enarrare mirabilia Dei prædicando, nisi charitatem habuerit. Super illud Luc. X, 1 : *Misit illos binos ante faciem suam,* Gregorius : « Qui fraternum amorem non « habet, prædicationis officium nullatenus « suscipere debet. »

Dicit ergo : « *Domine dilexi,* » ut enarrare possim, « *decorem domus tuæ,* » militantis Ecclesiæ, quæ domus est. Proverb. IX, 1 : *Sapientia ædificavit sibi domum.* Et Isa. LVI, 7 : *Domus mea, domus orationis vocabitur.* Hujus domus decor sunt justi et sancti, qui sunt in

militante, tamquam fundamenta de lapidibus pretiosis. Isa. LIV, 11 : *Sternam per ordinem lapides tuos, et fundabo te in sapphiris :* tamquam vasa aurea, et argentea, sed et lignea et fictilia : hæc quidem in honorem, illa vero in contumeliam [1]. Sed, heu ! lamentari possumus cum Jeremia, Thren. I, 6 : *Et egressus est a filia Sion omnis decor ejus.* Psal. XI, 2 : *Salvum me fac, Domine, quoniam defecit sanctus ; quoniam diminutæ sunt veritates a filiis hominum* Michæ. VII, 2 : *Periit sanctus de terra, et rectus in hominibus non est.*

« *Et locum habitationis gloriæ tuæ,* » scilicet Ecclesiam triumphantem, in qua habitas gloriose. Psal. LXVII, 36 : *Mirabilis Deus in sanctis suis,* gloriosus in majestate sua. Et alibi, Psal. LXXXVI, 3 : *Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei.* Quippe ibi habitat Virgo gloriosa. Isa. XXXV, 2 : *Gloria Libani data est ei : decor Carmeli, et Saron,* id est, major erit gloria domus istius novissimæ, plusquam primæ. Hæc habet gloriosam pulchritudinem ratione altitudinis, amplitudinis, pavimenti, et ornamenti Altitudinis, Eccli. I, 2 : *Altitudinem cœli,* supple, Empyrei, *quis dimensus est ?* Latitudinis, Baruch, III, 24 : *O Israel quam magna est domus Dei, et ingens locus possessionis ejus.* Pavimenti : hoc cœlum pulchrum quod videmus sic stellatum ejus pavimentum. Habet enim corpus diaphanum stellis pulcherrimis tamquam gemmis ornatum. Apoc. XXI, 21 : *Et platea civitatis : aurum mundum, tamquam vitrum perlucidum.* Ornamenti : quia ibi sunt vivæ stellæ, undique discurrentes Angeli et sanctorum animæ. De Angelis, Job, XXXVIII, 7 : *Ubi eras cum me laudarent simul astra matutina ?* De Sanctis, I ad Corinth. XV, 41 : *Stella a stella differt in claritate :* Sanctus a sancto in renumeratione. Glossa legit totum de justo et de Ecclesia militante. De justo dupliciter.

Quibus constat decor Ecclesiæ ?

9 « *Ne perdas cum impiis.* » Hic secundum, in quo posita persuasione, subjungitur petitio. Primo, petit separari a peccatoribus peccantibus contra Deum. Secundo, a peccantibus contra proximum, ibi, « *Et cum viris sanguinum.* » Tertio, a peccantibus contra seipsos, ibi, « *In quorum.* »

Dicit ergo : Sic dilexi utramque domum tuam. Ergo Domine, « *ne perdas cum impiis,* » qui te oderunt, scilicet cum paleis æterno igne comburendis granum. Genes. XVIII, 25 : *Absit* hoc *a te* Domine qui judicas omnem terram, *ut rem hanc facias,* ut pereat, qui diligit et habet charitatem. I Joan. III, 14 : *Nos scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres.* Et nota, quod impii dicuntur perdi : quamvis enim dicatur ad Hebr. IV 13. *Non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus,* tamen perdentur, quia ab ipso erunt incogniti in die judicii, et post. Matth. XXV, 12 : *Amen dico vobis : Nescio vos.* Proverb. II, 22 : *Impii de terra perdentur.* Et inde quia cum habeat hic corpus et animam et possessionem, de sola anima sollicitus est. Deut. IV, 15 : *Custodite sollicite animas vestras.*

« *Et cum viris sanguinum vitam meam.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Quia dilexi locum habitationis gloriæ tuæ, « *ne perdas cum impiis* » qui oderunt te : et quia dilexi decorem domus tuæ, ne perdas « *cum viris sanguinum* » qui peccant in proximum odiendo ipsum. I Joan. III, 15 : *Qui odit fratrem suum, homicida est.* Proverb. XXIX, 10 : *Viri sanguinum oderunt simplicem.* Et nota, quod viri sanguinum appellari possunt consanguineorum amatores, Michæ. III,

Qui sint viri sanguinum ?

[1] Cf. ad Rom. IX, 21, et II ad Timoth. II, 20.

10 : *Væ qui ædificatis Sion in sanguinibus.* Vel qui panem vel spiritualem vel corporalem pauperum defraudat, Eccli. xxxiv, 24 : *Panis egentium, vita pauperum est : qui defraudat illum, vir sanguinis est.* Vel qui homicidium perpetrat, II Reg. xvi, 7 : *Egredere vir sanguinum, et vir Belial.* Hi frequenter sicut aliis vitam auferunt, sic inviti et ipsi vitam perdunt, Matth. xxvi, 52 : *Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt.* Et etiam associati eis, Eccli. viii, 18 : *Cum audace ne eas in via, ne forte gravet mala sua in te.*

10 « *In quorum manibus.* » Hic tertium, in quo petit liberari a peccantibus in se. Et hoc vel a peccantibus in se mala faciendo, aut bona, malo tamen modo, ibi, « *Dextera Deorum.* »

Ait enim : « *Ne perdas cum impiis animam meam, et cum viris sanguinum vitam meam.* » Nec etiam cum iis, « *in quorum manibus,* » id est, in quorum operibus, « *iniquitates sunt,* » id est, quorum opera iniqua sunt. In hoc autem quod dicuntur habere iniquitates in manibus, monstrantur ad bona impotentes, ad diabolum pertinentes, horrorem aliis incutientes, a damnatione inexcusabiles. De primo : Iniquitates vincula sunt, qui ergo iniquitates habet in manibus, vincula habet in manibus. et impotens est ad omne bonum. Proverb. v, 22 : *Iniquitates suæ capiunt impium, et funibus peccatorum suorum* quisque *constringitur,* ne possit facere bonum. De secundo : Iniquitas est character diaboli, sicut virtus est Dei. Apocalyp. xiii, 16 : *Et faciet omnes pusillos et magnos, et divites, et pauperes, liberos, et servos habere characterem in dextra manu sua.* De tertio : Peccatum est coluber. Eccli. xxi, 2 : *Quasi a facie colubri fuge peccata.* Quomodo ergo aliis terrorem non incutiet, qui visos in manibus habet colubros? De quarto : Fur habens in propriis manibus furtum, inexcusabilis est a judicio. Isa. i, 15 : *Manus vestræ sanguine plenæ sunt.* Et lix, 6 : *Opus iniquitatis in manibus eorum.* Ergo suspendatur. Propter hæc excutiebat iniquitatem de manibus beatus, Job, xxxi, 7 : *Si manibus meis adhæsit macula, non restat nisi quod suspendar.* Exod. xxii, 4 : *Si inventum fuerit apud eum quod furatus est,... duplum restituet* animam scilicet et corpus gehennæ tradet.

« *Dextera eorum repleta est muneribus.* » Ecce secundum, scilicet perversa intentio : si aliquid boni faciunt, non hoc faciunt amore Dei, et justitiæ, sed pro muneribus.

Ait enim sic : Iniquitas est in eorum manibus, et etiam « *dextera eorum,* » operatio eorum ex se bona, « *repleta est muneribus,* » propter quæ facta est operatio illa. Et dicit, « *Muneribus,* » in plurali, non munere, quia est munus a manu, bursa plena pecunia, vel cuppa aurea, quod replet manus malorum judicum. Munus a lingua, quod replet manus hypocritarum. Et munus ab obsequio, quod replet manus superborum. Et nota, quod dicit dexteram muneribus repletam, non oculum, vel appetitum. Eccli. xiv, 9 : *Insatiabilis* est *oculus cupidi.* Eccle. v, 9 : *Avarus non implebitur pecunia,* sed implebitur gehenna. Job, xv, 34 : *Ignis devorabit tabernacula eorum, qui munera libenter accipiunt.* Et tales sunt majores. Isa. i, 23 : *Principes tui infideles, socii furum : omnes diligunt munera, sequuntur retributiones.* Michæ. iii, 11 : *Principes ejus in muneribus judicabant.* Isa. v, 23 : *Væ qui justificatis impium pro muneribus, et justitiam justi aufertis ab eo.*

Multiplex munus.

« *Ego autem in innocentia.* » Hic secundum, in quo petit collocari in gloria. Et primo, ponitur persuasio ab innocentia in opere. Secundo, petitio, ibi, « *Redime me.* » Tertio, persuasionis superadditio, ibi, « *Pes enim meus.* » 11

Dicit ergo : Sic illi repleti sunt mune-

ribus : et ego multo pretiosioribus, quia « *ingressus sum in innocentia,* » id est, mihi innocentiam acquisivi, ad minus inchoatam, et in ingressu existentem, sciens illud Proverb. xxviii, 20 : *Qui festinat ditari, non erit innocens.*

Vel « *ingressus sum* » cœlum spe, et non re, « *in innocentia mea* : » aliter ingredi non possem. Psal. xxiii, 3 et 4 : *Quis ascendet in montem Domini ? aut quis stabit in loco sancto ejus ? Innocens manibus*, etc. Et ascendam tandem in re. Psal. lxxxiii, 13 : *Non privabit bonis eos qui ambulant in innocentia.*

« *Redime me et miserere mei.* » Hic secundum, petitio duplex. Liberatio a culpa primo. Et a pœna secundo, ibi, « *Miserere.* »

Ait enim : Sic sum dispositus, ergo « *redime me* » a culpa omni, præterita, præsenti, et futura, sanguine tuo. Isa. lii, 3, hoc promisisti : *Gratis venumdati estis, et sine argento redimemini.* I Pet. i, 18 et 19... *Non corruptibilibus auro, vel argento redempti estis de vana vestra conversatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi, et incontaminati.* A culpa « *redime me,* » quæ proprie facit miserum. Proverb. xiv, 34 : *Miseros facit populos peccatum.* « *Et miserere mei,* » liberando a pœna. Psal. l, 1 : *Miserere mei Deus.* Et alibi, Psal. cxliv, 9 : *Miserationes ejus, super omnia opera ejus.*

12 « *Pes meus stetit in directo* » Hic superadditio persuasionis. Et vere. Persuadet enim ab innocentia in corde, et post ab innocentia in ore, ibi, « *In Ecclesiis.* »

Ait enim : « *Sic redime me et miserere mei,* » propter innocentiam in opere. Nec solum propter hoc. « *Pes* enim *meus,* » affectio scilicet mea, « *stetit in directo.* » Cassiodorus : « In via recta, scilicet « in mandatis, quæ recta sunt, et rectos « obedientes faciunt. » Psal. xviii, 9 : *Justitiæ Domini rectæ.* Vel stetit « *in directo,* » in Christo, qui est recta via. Joan. xiv, 6 : *Ego sum via, et veritas, et vita.* Hæc est via recta ad vitam.

« *In Ecclesiis.* » Hic secundum, innocentia in ore : imo magis fructus.

Ait enim : Sic affectio mea stetit in directo, et « *in Ecclesiis,* » id est, in unitate et congregatione bonorum existens per charitatis unionem, « *benedicam te,* » ore laudando, o Domine. Necesse enim, quod habeat charitatem ad proximum, qui benedicere et digne laudare vult Dominum. Psal. xlix, 16 : *Quare tu enarras justitias meas, et assumis,* etc. Et alibi, Psal. xviii, 14 et 15 : *Et emundabor a delicto maximo : et erunt ut complaceant eloquia oris mei : et meditatio cordis mei in conspectu tuo semper.* Argumentum, quod in Ecclesia debet Dominus benedici, non male tractari, nec indigne. Augustinus in *Speculo* : « In « oratorio nemo agat, nisi id ad quod « factum est, unde et nomen accepit. » Et Matth. xxi, 13 : *Scriptum est : Domus mea, domus orationis vocabitur : vos autem fecistis eam speluncam latronum.* Psal. lxxxiii, 5 : *Beati qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te.* De illa superna, et exemplari sic loquitur. Ergo sic debet esse in illa exemplata. Exod. xxv, 40 : *Inspice, et fac secundum exemplar quod tibi in monte monstratum est.* Sic laudabimus vere in Ecclesiis. Primo, in hac militante postea in triumphante. In Psal. xxi, 6 : *Apud te laus meo in Ecclesia magna.* Augustinus in libro *de Civitate Dei* : « Vacabimus et videbimus, videbimus et « amabimus, amabimus et laudabimus. « Ecce quod erit sine fine [1]. » Ad hanc vacationem, dilectionem et laudem nos perducat qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

[1] S. Augustinus, lib. de Civitate Dei, in fine.

PSALMUS XXVI.

David suam profitetur fiduciam in Deo, et ejus implorat auxilium.

1. *Psalmus David, priusquam liniretur*
Dominus illuminatio mea, et salus mea : quem timebo?
Deus protector vitæ meæ : a quo trepidabo?
2. Dum appropiant super me nocentes, ut edant carnes meas,
Qui tribulant me inimici mei, ipsi infirmati sunt et ceciderunt.
3. Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum.
Si exsurgat adversum me prælium in hoc ego sperabo.
4. Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domino omnibus diebus vitæ meæ,
Ut videam voluptatem Domini, et visitem templum ejus.
5. Quoniam abscondit me in tabernaculo suo : in die malorum protexit me in abscondito tabernaculi sui.
6. In petra exaltavit me : et nunc exaltavit caput meum super inimicos meos.
Circuivi, et immolavi in tabernaculo ejus hostiam vociferationis : cantabo, et psalmum dicam Domino.
7. Exaudi, Domine, vocem, meam, qua clamavi ad te : miserere mei, et exaudi me.
8. Tibi dixit cor meum, exquisivit te facies mea : faciem tuam, Domine, requiram.
9. Ne avertas faciem tuam a me : ne declines in ira a servo tuo.
Adjutor meus esto : ne derelinquas me, neque despicias me, Deus salutaris meus.
10. Quoniam pater meus et mater mea dereliquerunt me : Dominus autem assumpsit me.
11. Legem pone mihi, Domine, in via tua, et dirige me in semitam rectam, propter inimicos meos.
12. Ne tradideris me in animas tribulantium me, quoniam insurrexerunt in me testes iniqui, et mentita est iniquitas sibi.
13. Credo videre bona Domini in terra viventium.
14. Exspecta Dominum, viriliter age, et confortetur cor tuum, et sustine Dominum.

IN PSALMUM XXVI

COMMENTARIUS.

Psalmus David, priusquam liniretur[1].

Argumentum Psalmi: Gratiarum actio pro bonis collatis, et oratio pro futuris.

« *Dominus illuminatio mea* ». Hic est Psalmus vigesimus sextus, in quo postquam præcessit justi oratio, et ut separetur a malis, et ab eorum consortio, ut sic possit fructum assequi passionis, subjungitur hic gratiarum actio pro impetratis gratiis, et supplicatio pro bonis æternis adipiscendis. Innuitur autem hoc satis in titulo præposito. Et enim talis titulus : « *Psalmus David, priusquam ungeretur.* » Secundum Hieronymum et Hebraicam veritatem, « *priusquam liniretur.* » Secundum Augustinum, et Cassiodorum, supplendum est, « secundo, » secundum quod expositores volunt.

Triplex inunctio David.

Ad hoc autem sciendum secundum Glossam, quod David prius inunctus fuit in Bethleem in domo patris sui a Samuele [2]. Secundo, mortuo Saüle, inunctus est in Hebron [3]. Et regnavit super tribum Judam tantum. Postea inunctus fuit tertio, mortuo Isboseth filio Saülis [4]. Et regnavit super totum Israel. Duæ autem unctiones ultimæ, quia in eodem loco factæ sunt, pro una reputantur, et quia etiam in utraque unctus est ad regnandum, et sic pro eadem causa : sed prima unctio fuit tantum in signum regni futuri.

In justo ergo duas unctiones intellige-

[1] Le titre ne porte en hébreu que le nom de David. Les LXX ont ajouté : πρὸ τοῦ Χρισθῆναι, « priusquam liniretur. » Théodoret déclare qu'il n'a pas lu cette inscription dans les Héxaples, mais seulement dans quelques exemplaires Or David a reçu trois onctions, celle de Samuel, I Reg. xvi, 13 ; celle qui le mit à la tête de la tribu de Juda, II Reg. ii, 4 ; et celle qui le fit roi de tout Israël, II Reg. v, 3. Il ne peut être aucunement question de la première ; il s'agit donc d'une des deux autres, probablement de la seconde. « Manifestum est Davidem hunc psalmum dixisse priusquam secundam acciperet electionem.... quando ad Abimelechum sacerdotem accessit. » Théod. Le ℣. 5 ferait allusion au refuge que le Psalmiste trouva auprès du prêtre. I Reg. xxi, et les faux témoins du ℣. 12 seraient Doëg et ses complices. Ibid. xxii, 9. Il est préférable d'accepter cette interprétation, suggérée par le titre qu'ont ajouté les anciens, et suivie par Théodoret, Patrizi, etc. que de reculer la composition du psaume jusqu'à la rébellion d'Absalon, comme font Delitzsch, Perowne, Cook, etc. Les ennemis dont parle David peuvent être aussi bien les gens de Saül que ceux de son fils révolté, et la mention qu'il fait si souvent de la demeure de Jéhova n'implique pas non plus que le tabernacle fût plûtot à Sion qu'à Nobé.

Ce chant est tout entier l'expression de la confiance de David en Jéhova, et de son désir d'habiter près de lui. Il se compose de deux parties d'allure très différente. La première (℣℣. 1-6) c'est le chant de la *confiance triomphante*. La seconde (℣℣. 7-14) est le chant de la *confiance suppliante*. C'est donc à tort qu'on a voulu l'attribuer à un auteur postérieur. Ce psaume, dit Riehm, est analogue au psaume IX, il n'y a aucune raison pour en faire deux psaumes distincts, comme font Olshausen et Baur. On rend très bien compte de la différence qui existe entre les deux parties, en observant que David a pu les composer à quelque intervalle l'une de l'autre, sous l'empire d'un même sentiment de confiance, mais dans des circonstances quelque peu différentes ; la vie de David fuyant devant Saül était si mouvementée et si féconde en péripéties de toute nature !

Au sens spirituel, le juste entouré de périls professe une confiance absolue en Dieu, cherche un abri à l'ombre du sanctuaire, et aspire après les biens invisibles de la vraie terre des vivants. Ce dernier vœu a porté l'Église à insérer ce psaume dans l'office des Morts, II Noct. Elle l'emploie aussi dans l'office du Vendredi-saint, I Noct. et dans celui du Samedi Saint, II Noct., et applique au Messie accusé par ses ennemis et descendu aux enfers les ℣℣. 12 et 13.

H. Lesêtre.

[2] Cf. I Reg. xvi, 13.
[3] Cf. II Reg. ii, 4.
[4] Cf. II Reg. v, 3.

Duplex inunctio justi per gratiam et gloriam, juxta quam Psalmus dividitur.

re debemus. Prima qua inungitur gratia in præsenti, et hoc in baptismo. Joan. IX, 11 : *Unxit oculos meos, et dixit mihi : Vade ad natatoria Siloe, et lava.* Sed in futuro erit secunda gloriæ, quæ est duplex. Prima animæ, quæ recipiet stolam primam, de qua illud intelligi : *Unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis*[1]. Sed postea erit corporis in receptione secundæ. Isa. LXI, 3 : *Et darem eis... oleum gaudii pro luctu.* Et statim exponit : *Pallium laudis*, scilicet, corpus gloriosum, *pro spiritus mœroris*, pro mœrore spiritus in via habito. Et sicut David post primam unctionem gratiæ multos sustinuit adversarios, sic justus post unctionem gratiæ multos habet adversarios. Ad Ephes. VI, 12 : *Non est nobis colluctatio adversus carnem, et sanguinem : sed adversus principes, et potestates, adversus rectores mundi tenebrarum harum.*

Sed post secundam completam erit pax plena. Isa. XXXII, 18 : *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, et in tabernaculis fiduciæ.* Sensus ergo talis est : Psalmus iste est David, id est, cujuslibet justi et inuncti hic in præsenti antequam inungatur secundo, hoc est, habentis gratiam, et desiderantis, et tendentis ad gloriam. Psalmus, inquam, ordinans nos « *in finem* : » vel ipsum justum ordinans « *in finem*, » in secundam scilicet unctionem, post gratiarum actionem de prima.

Psalmus autem in duas partes dividitur. Primo, enim agitur de prima unctione, quæ est per gratiam. Secundo, de secunda, scilicet de gloria, ibi (℣. 7), « *Exaudi Domine vocem meam.* »

In prima duo : quia primo, gratias agit de gratia resistendi malo. Secundo, de gratia faciendi bonum, et perseverandi in illo, ibi, « *Unam petii.* »

In primo duo. Primo, animat seipsum contra timorem sibi suadendo ut nihil timeat. Secundo, se animatum esse demonstrat, ibi, « *Si consistant adversum me castra.* »

In prima animat se a duobus. Primo ab auxilii sufficientia. Secundo, ab adversarii impotentia, ibi, « *Dum appropiant super me.* »

In prima auxilii sufficientiam monstrat in tribus. Quia non deest pugnandi peritia. Secundo, quia nec potentia. Tertio, nec adest protectoris carentia. Secundum, ibi, « *Salus mea.* » Tertium, ibi, « *Dominus protector.* »

Prima pars Psalmi.

Dicit ergo : « *Dominus illuminatio mea*, » contra ignorantiam veritatis, « *et salus mea*, » contra impotentiam infirmitatis. Ex quibus duobus radicaliter nascitur omnis miseria, sicut vult Augustinus : primum per sapientiam : secundum per fortitudinem. Job, XII, 16 : *Apud ipsum est fortitudo et sapientia.* Isa. XLIX, 6 : *Ecce dedi te in lucem gentium*, ecce primum : *ut sis salus mea usque ad extremum terræ*, ecce secundum. Et Malach, IV, 2 : *Orietur vobis timentibus nomen meum sol justitiæ*, ecce illuminatio : *et sanitas in pennis ejus*, ecce salus.

« *Quem timebo ?* » Quasi diceret : Nullum : quia nec occulte insidiantem : Deus enim salus mea est. Job, XVII, 3 : *Libera me Domine, et pone me juxta te, et cujusvis manus pugnet contra me.* Isa. L, 9 : *Ecce Dominus Deus auxiliator meus : quis est qui condemnet me ?* Ad Rom. VIII, 31 : *Si Deus pro nobis, quis contra nos ?*

« *Dominus protector.* » Hic tertium, in quo animat, quia non habet protegentis inopiam.

Ait enim : Sic Dominus illuminat, sic salvat, et etiam Dominus « *protector vitæ*

[1] Psal. XLIV, 8.

meæ, » tripliciter. Conservator in bonis jam datis, per illuminationem scilicet intellectus, et sanitatem affectus. Eccli. xxxiv, 19 : *Protector potentiæ, illuminans oculos, dans sanitatem, et vitam, et benedictionem.* Defensor a malis, Sophon. iii, 17 : *Dominus Deus tuus in medio tui, ipse salvabit.* Et sustentator in necessariis, Jacob. i, 17 : *Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum.* Ad Hebr. i, 3 : *Portansque omnia verbo virtutis suæ.* Præterea necessaria sunt quæ determinat Apostolus, I ad Timoth. vi, 8 : *Habentes alimenta, et quibus tegamur, his contenti simus.* Et ipse suarum est cibus, Joan. vi, 41 : *Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi.* Ipse vestimentum, Ad Galat. iii, 27 : *Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis.*

« *A quo,* » talem habens protectorem, « *trepidabo ?* » « *A quo* » homine, ut sumatur masculine. Quasi diceret : A nullo. Isa. li, 12 : *Ego, ego ipse consolabor vos.* Et post subditur : *Quis tu ut timeres ab homine mortali ?* Quasi diceret : A nullo timere debes. Vel « *a quo* » neutraliter, id est, a qua re. Quasi diceret : A nulla. Eccli. xxxiv, 16 : *Qui timet Dominum, nihil trepidabit.* Augustinus : « Protegit Imperator, et securus es. Pro« tegit mortalis mortalem, et non timet. « Protegitur mortalis ab immortali, et « timebit, et trepidabit ? » Est autem timor ex occcursu tribulationis exterioris in seipso resilitio : sed trepidatio est ex contrariis motibus concussio. Quasi diceret : Non timebo exterius, nec interius trepidabo modo motus ad serviendum Deo per virtutem, modo ad serviendum diabolo per vitium. Matth. vi, 24 : *Nemo potest duobus Dominis servire.* II ad Cor. vi, 15 : *Quæ conventio Christi ad Belial ?*

Quid differt timor a trepidatione ?

2 « *Dum appropiant.* » Hic est secundum, in quo animat contra timorem ex inimicorum impotentia : quia malum intendentes sibi magis nocent : unde tangitur primo, eorum culpa. Secundo, pœna quam consequuntur pro illa, ibi, « *Ipsi infirmati.* »

In prima duo. Primo, tangitur eorum malitia interior. Secundo, exterior, ibi, « *Qui tribulant.* » Interior tangitur duplex. Primo, appetitus sublimitatis. Secundo, affectus crudelitatis, ibi, « *Ut edant.* »

Ait ergo : Vere non timebo, nec trepidabo : quia « *dum appropiant nocentes super me,* » se volentes extollere, in hoc superbiæ appetitu, sicut Judas appropinquavit Christo, Matth. xxvi, 40 : *Ecce appropinquavit qui me tradet.* Psal. cxviii, 150 : *Appropinquaverunt persequentes me iniquitati,* superbiæ, quæ iniquitas antonomastice appellatur. Et ad hoc etiam, « *ut edant carnes meas,* » ad litteram, occidendo me : quia aliud non possunt quam ut in me sæviant. Ecce affectus iniquitatis. Matth. x, 28 : *Nolite timere eos, qui occidunt corpus.* Luc. xii, 4 : *Ne terreamini ab his, qui occidunt corpus, et post hæc non habent amplius quid faciant.* Bona enim spiritualia, scilicet animæ virtutes auferre non possunt : unde redarguit Augustinus in libro *de Civitate Dei,* « Virgines, quæ ne virtutem « virginitatis amitterent, in fluvium se « præcipitaverunt. »

Vel « *carnes meas,* » carnalia vitia mea in detrahendo. Job, xxxi, 31 : *Si non dixerunt viri tabernaculi mei : Quis det de carnibus ejus ut saturemur ?* Proverb. xxiii, 20 : *Fili, noli esse in conviviis potatorum, nec in comessationibus eorum qui carnes ad vescendum conferunt,* scilicet frequenter, dum carnem ad litteram occidunt. Ad litteram totam carnalitatem in homine consumunt, ut correctus efficiatur spiritualis, qui prius erat carnalis. Sic accipitur caro ubi scriptum est : *Confige timore tuo carnes meas*[1]. Et ad Galat.

[1] Psal. cxviii, 120.

v, 24 : *Carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis.*

« *Qui tribulant me.* » Quasi diceret : Etenim hi qui tribulant me in effectu persecutionis pœnam inferendo. In Psal. XII, 5 : *Qui tribulant me, exsultabunt, si motus fuero.* Et hi multi, Domine : quia multiplicati sunt « *qui tribulant me.* »

« *Ipsi infirmati sunt.* » Ecce pœna duplex : frustratio ab intentione, et damnatio in æterna morte. « *Et ceciderunt.* »

Ait enim : « *Ipsi,* » qui sic appropiant, qui affectant ut edant, qui tribulant, « *infirmati sunt,* » non potentes implere quæ intendebant. Quid mirum ? qui comedunt carnes immundas. Isa. LXV, 4 : *Qui comedunt carnem suillam, et jus profanum in vasis eorum.* Eccli. XXXVII, 33 : *In multis escis erit infirmitas.* Sic Synagoga detrahens Ecclesiæ, infirmatur misera. I Reg. II, 5 : *Quæ multos habebat filios, infirmata est.*

« *Et ceciderunt,* » in mortem et damnationem perpetuam. Alia littera : « Hostes mei et inimici mei, ipsi impegerunt et ceciderunt. » Isa. VIII, 15 : *Et offendent ex eis plurimi. et cadent, et conterentur, et irretientur, et capientu.*

Vel in bonum : « *Ipsi infirmati sunt,* » mutantes in eo quod prius erronee crediderunt, et male amaverunt. Bona est ista infirmitas, Joan. XI, 4 : *Infirmitas hæc non est ad mortem.* « *Et ceciderunt,* » ad fidem veram se convertentes, et ejus jugo se submittentes. Act. IX, 6 : *Et tremens ac stupens, dixit : Domine, quid me vis facere ?* Eccli. III, 34 : *In tempore casus sui inveniet firmamentum,* scilicet, fidem veram quæ est bonum firmamentum.

3 « *Si consistant adversum me castra.* » Hic secundum hujus partis : postquam enim animavit se contra timorem, hic se ostendit animatum, et in tantum ut solus multitudinem non timeat, et hoc primo. Secundo, ut magis confidat de ipsa pugna, ibi, « *Si exsurgat.* » Vel sic : Animatum se ostendit in tantum, ut non timeat inimicorum multitudinem. Secundo, quod etiam confidat de insultus magnitudine.

Dicit ergo : Sic rationibus prædictis timere non debeo, nec timeo : imo « *si consistant adversum me castra* » hominum malorum tyrannorum, et hæreticorum, et falsorum fratum, qui etsi sint a se diversi ad invicem, adversum me tamen sunt uniti. Jud. XV, 4 : Vulpes Samsonis etsi facies diversas, tamen caudas habebant ad invicem colligatas [1]. Isa. IX, 20 : *Vorabit Manasses Ephraim, et Ephraim Manassem simul ipsi contra Judam.* Item, si « *castra* » dæmonum, quæ sunt multa nimis, Apoc. IX, 16 : *Numerus equestris exercitus vicies millies dena millia. Et audivi numerum eorum,* scilicet equorum. Item, si castra vitiorum. Gregorius enim dicit : « Sicut sub uno « principe multi militant, sic sub uno vi« tio multa vitia nos impugnant [2]. »

« Si omnia hæc *castra consistant adver« sum me, non timebit cor meum.* » Primo, quia in loco tuto, in Dei nomine, non in carne habitare volo. Proverb. XVIII, 10 : *Turris fortissima, nomen Domini, ad ipsum currit justus, et exaltabitur.* Item, quia valde bene munitus est triplicibus castris. Angelorum : Genes. XXXII, 2 : *Castra Dei sunt hæc.* Psal. XC, 11 : *Angelis suis mandavit de te,* etc. Hæc castra sunt multa. Joel. II, 11 : *Multa sunt nimis castra ejus.* IV Reg. VI, 16. dixit Eliseus ad puerum suum : *Noli timere ; plures enim nobiscum sunt quam cum illis.* Item, fortissima, IV Reg. XIX, 35 : *Venit Angelus Domini* nocte, *et per-*

Justos tria castra protegunt.

[1] Jud. XV, 4 : *Perrexitque* Samson, *et cepit trecentas vulpes, caudasque earum junxit ad caudas, et faces ligavit in medio.*

[2] S. GREGORIUS. Lib. XXXI de Moralibus.

cussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia. Item, munitus est castris militantis Ecclesiæ, Sanctis scilicet charitate ad invicem conjunctis, de quibus, Cant. vi, 3 : *Terribilis ut castrorum acies ordinata.* Et tandem castris virtutum, de quibus, Cant. vii, 1 : *Quid videbis in Sunamite nisi choros castrorum ?* Præter omnia hæc castra habent arcem fortissimam Dominum Christum. Prov. xx, 8 : *Rex qui sedet in solio judicii, dissipat omne malum intuitu suo*.

« *Si exsurgat adversum me.* » Ecce secundum in quo ostendit se habere confidentiam, non solum non timere, et hoc dicitur de insultus magnitudine.

Ait enim : Sic non timebit cor meum, etsi caro forte timeat. Matth. xxvi, 41 : *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.* Et etiam « *si exsurgat adversum me prælium,* » insultus fortis et gravis hominum malorum et dæmonum, qui omnia impugnant. Ad Ephes. vi, 12 : *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes, et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum.* Ecce de duobus, carne scilicet et dæmone. De tertio prælio hominum, Habac. ii, 7 : *Suscitabuntur lacerantes te.* Hoc est bellum interminabile, quousque aurum sit sepultum : pugnant enim pro auro. Josue, xiv, 15 : *Adam maximus ibi inter Enacim situs est, et terra cessavit a præliis.* Adam *rubra terra*, quid aliud nisi aurum ? Et bene maximus, quia maximi valoris inter metalla omnia reputatur. Sed si hæc rubra terra bene sepulta esset, cessarent multa inter homines prælia. « Hoc putant « fecisse naturam, sicut dicit Seneca, quæ « sciens pro auro homines pugnaturos, « abscondit ipsum in profundissimis ter- « ræ. » Similiter et argentum, non tamen ita in profundo. Si hæc adversum me prælia exsurgant, « *in hoc ego sperabo,* »

Aurum causa præliorum.

non tantum non timebo. Jerem. I, 19 : *Bellabunt adversum te, et non prævalebunt.* Et nota profectum in tribulatione. Primo non timebit, postea sperabit. Cassiodorus : « Nam virtus probatur latere, « quæ non fuerit probata certamine. »

Progressus in tribulatione.

Est etiam prælium humorum in ægrotante fortiter, ut dicunt medici, quia humores pugnant ad invicem, et expugnant sanitatem. Prælium etiam dicitur a premendo hostem, infirmitas autem premit hominem. Job, xvi, 8 : *Nunc autem oppressit me dolor.* In hoc autem prælio justus sperat. Quid mirum ? Proverb. xiv, 32 : *Sperat justus in morte sua,* sicut Job, xiii, 15 : *Etiamsi occiderit me,* scilicet Dominus, *in ipso sperabo.* Et Paulus, II ad Timoth. iv, 8 : *Reposita est mihi corona justitiæ.* Deuter. xxxiii, 18 : *Lætare Zabulon in exitu tuo.* Psal. civ, 43 : *Eduxit populum suum,* de vita præsenti, *in exsultatione, et electos suos in lætitia,* etc.

« *Unam petii a Domino, hanc requiram.* » Hic est secunda pars primæ partis 4
hujus Psalmi totius, in qua postquam tetigit de gratia resistendi malo, subjungit de gratia perseverandi in bono : et hoc in duplici oratione, et gratiarum actione. Primo, ergo ostendit se orasse perseveranter. Secundo, gratias reddidisse, ibi, « *Quoniam abscondit me.* »

In prima tria. Primo, quod perseveranter unam petiit. Secundo, determinando ostendit quid illud sit, ibi, « *Ut inhabitem.* » Tertio, quare petit illud, ibi, « *Et visitem.* »

In prima duo quæ necessaria sunt ad veram perseverantiam. Primo, quod unam petiit. Secundo, quod adhuc a petitione non desistit, ibi, « *Hanc requiram.* »

Dicit ergo : Sic data est mihi gratia resistendi malo, et etiam « *unam,* » pe-

titionem scilicet, id est, unum petibile « *petii* » a Domino. III Reg. II, 20 : *Petitionem unam parvulam ego deprecor a te, ne confundas faciem meam.* Sed « *unam* » dicit in fœminino, non nisi quia illud quod petit, est res fœcunda, omni bono plena. Sap. VII, 11 : *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa.* Item, « *unam* » dicit : quia unum est, quod est indivisum in se, divisum autem ab aliis. Et ipse petit habitationem Ecclesiæ triumphantis, ubi omnes unum sunt. I ad Corinh. VI, 17 : *Qui adhæret Deo, unus spiritus est.* Si omnes ibi adhærent Deo, ergo unus spiritus sunt, scilicet unius voluntatis, et in cognitione unum, et divisum ab aliis, ab his, qui hoc infra sunt loco, quasi per distantiam infinitam. Item, « *unam* » petit uxorem contra bigamos. Et hoc «*a Domino,* » quia Proverb. XIX, 14 : *Domus et divitiæ dantur a parentibus : a Domino autem proprie uxor prudens*

Jure dicit unam ?

Vel « *unam petii a Domino* » præbendam, vel Ecclesiam. Jacob. III, 1 : *Nolite plures magistri fieri.* Glossa, « in pluribus Ecclesiis, » et « *a Domino,* » non ab homine, ne esset simonia. Eccli. VII, 4 : *Noli quærere a Domino Ducatum.*

« *Hanc requiram.* » Non cessabo, sciens illud Luc. XI, 8 : *Et si ille perseveraverit pulsans : dico vobis, et si non dabit illi surgens eo quod amicus ejus sit : propter improbitatem tamen ejus surget, et dabit illi quotquot habet necessarios.*

« *Ut inhabitem.* » Ecce quid petit et requirit, cœlestem habitationem quæ domus Dei est. Baruch, III, 24 : *O Israel, quam magna est domus Dei, et ingens locus possessionis ejus!* Et hoc « *omnibus diebus vitæ meæ.* » Quasi diceret : Non cessabo. Et in iis verbis secundum hoc, instruimur in orando, ut sit in nostra oratione unitas, non multa petendo, sed « *unam.* » Matth. VI, 7 : *Orantes nolite multum loqui.* Sit diuturnitas, « *petii,* » et continuitas, « *hanc requiram omnibus diebus vitæ meæ.* » Eccli. XVIII, 22 : *Non impediaris orare semper.* Luc. XVIII, 1 : *Oportet semper orare, et non deficere.* Sit spiritualis, « *Ut inhabitem in domo Domini.* » Matth. VI, 33 : *Quærite primum regnum Dei.* Vel « *ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.* » « *Omnibus diebus* » præsentis vitæ in militante Ecclesia merito : et post « *omnibus diebus,* » gloriose in domo Ecclesiæ triumphantis. De primo, ad Rom. VIII, 38 : *Neque mors, neque vita,* etc. De secundo, Apoc. III, 12 : *Qui vicerit, faciam eum columnam in templo Dei mei, et foras non egredietur amplius.*

Conditiones orationis bonæ.

« *Ut videam voluntatem* [1]. » Ecce tertium. Ad quid petit hoc tam instanter? propter duo, ut videat gloriam divinitatis, et etiam humanitat, Christi, ibi, « *Et visitem.* »

Petit unum propter duo.

Ait enim : Sic petii et petam, et hoc feci et faciam, « *ut videam voluntatem Domini,* » fieri in cœlo omnino, et impleri virtute gloriosæ divinitatis suæ illam voluntatem, de qua Matth. VI, 10 : *Fiat voluntas tua, sicut in cœlo, et in terra.* Vel « *videam voluntatem* » Domini, est transitiva constructio, id est, ipsum Dominum qui sua voluntas est, per speciem, quem nunc cognosco per fidem. I ad Corinth. XIII, 12 : *Videmus nunc per speculum in ænigmate : tunc autem facie ad faciem.*

« *Et visitem templum ejus,* » naturam in Christo humanam, vel ipsum Christum hominem qui templum est divinitatis. Ad Coloss. II, 2 : *In ipso inhabitat plenitudo divinitatis corporaliter.* Apoc. XXI, 22 : *Dominus Deus omnipotens, templum illius est, Agnus.* In his autem duobus tota consistit vita æterna. Joan.

[1] Vulg. habet *voluptatem,* sed fere idem est sensus.

XVII, 3 : *Hæc est vita æterna : ut cognoscant te, solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum.*

Vel etiam in præsenti ad hoc peto inhabitare Ecclesiam militantem, « *ut videam* » corde intelligendo, « *voluntatem Domini,* » ejus scilicet præcepta, non litteraliter ruminando. II ad Cor. III, 6 : *Littera occidit, spiritus autem vivificat.* Et hoc ad intellectum illuminandum. *Mandatum* enim *lucerna est, et lex lux* [1]. « *Et visitem templum ejus,* » corpus scilicet Christi in altari frequenter sumendo. Templum, inquam, a Judæis in passione solutum, sed in resurrectione reparatum. Joan. II, 19 : *Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud.*

5 « *Quoniam abscondit me.* » Hic secundum, in quo recolit gratias agendo de beneficio perseverandi in gratiarum actione.

Duo ergo dicuntur. Primo, enumerantur beneficia quæ a Deo recepit. Secundo, quod laudes, et quas laudes pro illis recolit, ibi, « *Circuivi et immolavi.* »

Duo autem enumerantur in parte prima. Primum, protectio contra hostes suos. Secundo, sublimatio contra illos, ibi, « *In petra exaltavit me.* »

In prima duo secundum duo per quæ dicit se protectum. Primum, fides de divinitate. Secundum, fides ex humanitate, ibi, « *Protexit me in abscondito.* »

Humanitas est tabernaculum in quo petit abscondi.

Dicit ergo : Sit oravi, et perseveranter. Et etiam Dominus « *abscondit me,* » ab hostibus meis, « *in tabernaculo suo,* » in humanitate scilicet sua, quæ ejus tabernaculum dicitur, quia in ipso latet divinitas. Isa. XLV, 15 : *Vere tu es Deus absconditus* : ut ubi erat absconditus per unionem, me asconderet per fidem. Isa. XLIX, 2 : *In pharetra sua,* humana natura sua, *abscondit me.* Isa. II, 10 : *Ingredere in petram, abscondere in fossa humo.* I Reg. XXIV, 1 : *Ascendit David : et habitavit in locis tutissimis Engaddi,* et ibi abscondit se. Engaddi interpretatur *fons hœdi.* Fons hœdi est natura humana, quæ in Christo fuit *fons,* unde emanavit salus nostra. Zachar. XIII, 1 : *Erit fons patens domui David.* Et *hœdi,* quia similis peccatori, et aliis hominibus. Ad Philip. II, 7 : *Et habitu inventus ut homo.* Et hoc « *in die malorum,* » scilicet in vita præsenti, in qua sunt dies mali. Genes. XLVII, 9 : *Dies peregrinationis meæ parvi et mali.* Ad Ephes. V, 16 : *Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt.*

« *Protexit me.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Hoc non suffecit, si protexit me in abscondito tabernaculi sui, hoc est, in divinitatis suæ fide quæ abscondebatur in tabernaculo humanitatis suæ. Isa. XLIX, 2 : *In umbra manus suæ protexit me.* Isa IV, 6 : *Erit in umbraculum diei ab æstu, et in securitatem, et in absconsionem a turbine, et a pluvia.*

« *In petra exaltavit me.* » Hic tangit secundum beneficium, scilicet sublimationem, quæ tangitur duplex. Primo, elevatio a culpa per collationem gratiæ. Secundo, elevatio a pœna per spem gloriæ, ibi, « *Et nunc exaltavit.* » 6

Dicit ergo : Sic protexit, et etiam exaltavit me a culpa, et infidelitate in qua fuit positus, « *in petra,* » in fidei scilicet firmitate. Hæc petra, de qua Matth. XVI, 18 : *Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Vel in Christo ponendo per amorem, qui est petra. II Reg. XXII, 2 : *Dominus petra mea, et robur meum.* I ad Corinth. X, 4 : *Petra autem erat Christus.* In petra ergo fidei est qui credit, sed in petra exaltatur, qui quod

[1] Proverb. VI, 23.

corde credit, ore confitetur. Ad Rom. x, 10: *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Matth. x, 32 : *Omnis ergo qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor et ego*, etc. Psal. xxxix, 3 : *Statuit super petram*, fidei firmitatem, *pedes meos :* intellectum scilicet et affectum. Matth. vii, 25 : *Venerunt flumina, et flaverunt venti, et irruerunt in domum illam, et non cecidit : fundata enim erat supra firmam petram.*

Petra Christus, quæ considerata in sui Passione, sine dubio robur immittit, et animam exaltat super omnem inimicum tribulantem, per consolationem quam influit abundantem. Psal. lx, 3 : *Dum anxiaretur cor meum, in petra exaltasti me.* Job, xxix, 6 : *Petra fundebat mihi rivos olei.*

« *Et nunc exaltavit.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic exaltavit liberando a culpa. Et etiam nunc in hoc tempore calamitatis et miseriæ « *exaltavit caput meum,* » mentem scilicet, quæ est animæ caput, « *super inimicos meos,* « desideria mala, et motus nocivos. Genes. iv, 7 : *Subter te erit appetitus ejus*, scilicet peccati. Vel « *super inimicos meos,* » ut eos prævideam et cognoscam, et sic cavere valeam. Ex quo relinquitur, quod tribulatio mentem justi non excæcat, sed magis illuminat. Prov. xxix, 15 : *Virga atque correptio tribuit doctrinam.*

« *Circuivi et immolavi.* » Hic secundum, in quo ostendit laudis perseverantiam, vel gratiarum actionis ex acceptis beneficiis.

Duo ergo dicuntur. Primo, quod gratias egit. Secundo etiam, quod accuratius aget, ibi, « *Cantabo et psalmum dicam.* »

In prima duo. Qui enim vult gratias agere, necesse est ut duo faciat. Primo, diligenter recolit Dei beneficia. Secundo, pro illis gratias agit, et utrumque dicit se fecisse.

Ait enim : Sic hæc beneficia mihi Dominus contulit : et ego « *circuivi,* » prædicta et alia diligentius perscrutando. Isa. xli, 20 : *Sciant et videant, et recogitent, et intelligant pariter, quia manus Domini fecit hæc.* « *Circuivi* » etiam omnia creata cogitando, perscrutando. Eccle. viii, 9 : *Omnia consideravi.* Et quid invenisti? Nihil nisi materiam laudis. Unde subdit : « *Et immolavi* : » quid? « *Hostiam vociferationis,* » laudem scilicet, et gratiarum actionem. Nota, quod iste mundus totus est sicut liber unus factus ad laudandum Deum. Litteræ seu elementa hujus libri, sunt prima quatuor elementa, cum quinta essentia. Syllabæ elementorum conjunctiones et mixturæ in quolibet elementato. Dictiones, elementatæ res visæ. Sed orationes, ordinatissimæ rerum rationes, et conjunctiones ipsarum ad invicem per quamdam convenientiam naturalem et subventionem. Qui sciret legere in hoc libro, laudaret. An ergo quis digne valeat laudare cœlum et terram? Eccle. i, 8 : *Cunctæ res difficiles : non potest eas homo explicare sermone.* Augustinus : « Non cessat nec tacet lau- « des tuas universa creatura[1]. » Propter hoc dicit Gregorius : « Mirum est, quod « homo semper non laudat, quia quodli- « bet a Dei laudem invitat. »

Omnis creatura est materia laudis.

« *Hostiam vociferationis.* » Hæc vociferatio secundum Ausgustinus et Cassiodorum est jubilatio. Si enim omnis creatura laudat Deum, quis dubitat quin excellentissima jubilare debeat? Psal. xlix, 23 : *Sacrificium laudis honorificabit me*, sed multo plus placet laus jubilationis. Psal. lxxxviii, 16 : *Beatus populus, qui scit jubilationem.* Et hoc « *in tabernaculo ejus,* » in Ecclesia scilicet militante. Aliter non valet vociferatio. Apoc. xxi, 3 : *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus.* Vel in corde meo proprio, in

[1] S. Augustinus, Lib. V Confessionum.

quo habitat Deus, et quiescit tamquam in tabernaculo. Eccli. XXIX, 12 : *Et qui creavit me, requievit in tabernaculo meo.*

7 Secunda pars Psalmi. « *Exaudi, Domine.* » Hic est secunda pars Psalmi, in qua postquam gratias egit de bonis gratiæ, supplicat consequenter pro bonis gloriæ, in qua dicuntur tria. Primo, orat. Secundo, promotus oratione sperat, ibi, « *Credo.* » Tertio, alios ad idem sperandum invitat, ibi, « *Exspecta Dominum.* »

In prima duo. Primo, orat generaliter. Secundo, specialiter pro visione Domini, quæ est æterna gloria, ibi, « *Tibi dixit cor meum.* »

In prima dicuntur tria. Primo, præmittitur oratio. Secundo, quasi ratio triplex quare debeat exaudiri, ibi, « *Qua clamavi ad te.* » Et prima ratio est devotio, ibi, « *Qua clamavi.* » Secunda, humiliatio, ibi, « *Miserere mei.* » Tertia, replicatio orationis, ibi, « *Et exaudi me.* »

Dicit ergo : Hæc bona præsentia fecisti mihi, quæ gratiarum actione recolui. Sed, o « *Domine, exaudi vocem meam* : » contra illos qui in Ecclesiis nihil dicunt. Isa. LVI, 10 : *Nescierunt universi : canes muti non valentes latrare.* Daniel. IX, 17 : *Exaudi, Deus noster, orationem servi tui.*

Negligentia in horis recitandis. « *Quia clamavi ad te* » ex devotione cordis et fervore unde debeo exaudiri, contra desides et murmurantes horas in thalamis suis. Psal. CV, 25 : *Murmuraverunt in tabernaculis suis.* Et contra clamantes per vicarios : non enim ipsi clamant, sed alius pro ipsis. Chrysostomus super Matthæum : « Si desides fuerimus, « nec salvamur, nec per alios poterimus « salvari. » Ita Chananeæ misertus est, (Matth. XV, 28). Ita meretricem salvavit (Luc. XIII, 12). Ita latronem nullo mediatore vel procuratore. Quippe nullus nec vellet, nec posset alium facere vicarium primi. Apocal. III, 11 : *Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam.*

« *Et exaudi me,* » instantem et orationem replicantem. Judith, IX, 17 : *Exaudi me miseram deprecantem, et de tua misericordia præsumentem.* Et rursus, in multis Psalmis : *Exaudi orationem* illorum qui nullam aliam habent spem, *et libera nos.* Hinc ergo docemur orare affectuose, humiliter, et frequenter. De primo, Baruch, III, 1 : *Anima anxia clamat ad te.* De secundo, Eccli. XXXV, 21 : *Oratio humiliantis se, nubes penetrabit.* De tertio, Isa. XXIII, 16 : *Bene cane, frequenta canticum, ut memoria tui sit.* Affectuositas est contra torpentes, de quibus Eccli. XXIX, 6 : *Loquetur verba tædii et murmurationum.* Secundum, contra arrogantes, qualis fuit Pharisæus (Luc. XVIII, 11). Tertium contra instabiles, Psal. CXVIII, 164 : *Septies in die laudem dixi tibi.* Act. VI, 4 : *Nos vero orationi et ministerio verbi instantes erimus.* Ergo docentes Apostoli orabant. Ergo lectores Theologiæ non excusantur ab officio multo. Ergo fortius auditores non excusantur. Quomodo orandum docet exemplo ?

Nota, quod exauditur oratio, non orans, ut concessum est, dæmonibus intrare in porcos[1]. Orans, non oratio, ut Paulus de stimulo carnis (II ad Corinth. XII, 7). Orans et oratio, ut Zacharias (Luc. I, 13).

« *Tibi dixit cor meum, exquisivit te.* » 8
Hic specificat magis pro quo orat, quia pro gloria et aperta Dei visione consequenda : et dicuntur duo. Primo, orat pro fine ipso. Secundo, pro iis quæ ad finem, ibi, « *Adjutor meus esto.* »

In prima tria, secundum tria quæ tangit, per quæ debet ei ostendit. Primum, quia quærit eam veraciter. Secundo, quia singulariter, ibi, « *Exquisivit te.* » Tertio, quia perseveranter, ibi, « *Faciem tuam.* » Quomodo pro vita æterna orandum ?

[1] Matth. VIII, 32 : *Et ait illis* Jesus : *Ite. At illi exeuntes abierunt in porcos.*

Dicit ergo : Sic exaudi, et debes, quia non alii peto, sed « *tibi dixit cor meum,* » ipsum, non aliud. I Reg. I, 13: *Porro Anna loquebatur in corde suo.* Sic enim docet orare Dominus, Matth. VI, 6 : *Tu in autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum,* cor scilicet tuum : *et* ibi *ora Patrem tuum in abscondito,et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.* Nec dicit quid dicit cor suum, nec quid audivit : quædam autem ineffabilis est confabulatio. Osee, II, 14 : *Ducam eam in solitudinem, et loquar ad cor ejus.* Psal. LXXXIV, 9 : *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus.* Et e contrario anima loquitur Deo. Cant. VIII, 13 : *Fac me audire vocem tuam.* Et II, 14 : *Sonet vox tua in auribus meis.* Cant. VI, 2 : *Ego dilecto meo, et dilectus meus mihi.*

Ineffabilis cum Deo confabulatio.

« *Exquisivit te.* » Hic secundum. Quasi diceret : Sic quæsivi veraciter, et etiam singulariter, quia « *exquisivit te,* » ex una re in aliam discurrens. Quæsivit, Cant. III, 1 : *In lectulo meo per noctes quæsivi quem diligit anima mea: quæsivi illum, et non inveni.* Et ibidem, ℣℣. 3 et 4 : *Num quem diligit anima mea,vidistis? Paululum cum pertransissem eos, inveni quem diligit anima mea.* « *Facies mea,* » superior scilicet pars animæ meæ, quia nobilior est, in qua relucet imago Trinitatis, ut per te hæc facies plenissime reformetur. Cant. II, 14, de hac facie : *Vox enim tua dulcis, et facies tua decora.*I ad Corinth. XIII, 12 : Videbimus *autem facie ad faciem.*

« *Faciem tuam.* » Hic tertium, quia perseveranter : et dicuntur duo. Primo, se requisiturum dicit. Secundo, quia promisit, solvit, ibi, « *Ne avertas faciem tuam a me.* »

Dicit ergo : Sic exquisivi singulariter, et etiam o « *Domine, faciem tuam requiram,* » incessanter. Psal, CIV, 4 : *Quærite faciem ejus semper :* ut videam te facie ad faciem, et impleatur illud I ad Corinth. XIII, 12 : *Videmus nunc per speculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem.* Psal. XLI, 3 : *Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum: quando veniam et apparebo ante faciem Dei ?*

« *Ne avertas faciem tuam.* » Hic secundum, in quo solvit promissum. Primo enim quærit. Secundo autem requirit, ibi, « *Ne declines.* » 9

Ait ergo : Sic dixi, quod requiram : sed non est in me ut videam : unde rogo, « *ne avertas faciem tuam a me.* » Psal. LXXIX, 4 : *Ostende faciem tuam, et salvi erimus.* Nec in cœlo, nec in terra ad bonum animæ est, nisi visio hujus faciei. Psal. CIII, 29 : *Avertente autem te faciem, turbabuntur.* II Reg. XIV, 32 : *Quare veni de Gessur ? Melius mihi erat ibi esse : obsecro ergo ut videam faciem regis.* Cum autem videtur in summo tripudio, Job, XXXIII, 26 : *Deprecabitur Deum et placabilis ei erit : et videbit faciem ejus in jubilo.* Augustinus : « Quidquid mihi præ« ter illum est, dulce non est : quidquid « vult mihi dare Dominus Deus, auferat, « tantum se mihi det. »

« *Ne declines.* » Quasi per alia verba in Dominum repetit ut requirat.

Ait enim : « *Ne declines in ira a servo tuo :* » Quod si feceris, facies « *in ira,* » et iræ effectus erit. Augustinus : « Ira « ejus non est nisi aversio vultus ejus. » Cassiodorus : « Una res est, scilicet « precatio frequentata : sciebat enim quam « pretiosum erat, quod ardenti studio « toties expetebat. » Posset etiam dici, quod prima pars intelligitur de futuro, sicut est dictum : sed hæc secunda de præsenti. Et loquitur sicut alicui volenti transire hospitium, quem desiderat retinere : Dominus enim quasi colonus et peregrinus transire vult. Jerem. XIV, 8 : *Quare quasi colonus futurus es in terra, et quasi viator declinans ad manendum ?* Genes. XVIII, 3 : *Domine, si inveni gratiam in oculis tuis, ne transeas servum tuum.* Psal. XLIII, 19 : *Et declinasti semitas nostras a via tua.*

« *Adjutor meus esto.* » Hic secundum, in quo orat pro iis quæ sunt ad finem et sunt duo. Adjutorium maturæ potentiæ, et hoc petit primo. Secundo, petit instructionem in cognitione, ibi, « *Legem pone mihi Domine.* »

In prima duo. Primo, oratio. Secundo, persuasio quod debet ei consentire, ibi, « *Quoniam pater meus.* »

In prima duo. Primo petit adjuvari ad faciendum bonum. Secundo, ut bonum purum sit, ad declinandum malum, ibi, « *Ne derelinquas.* »

Dicit ergo : Sic faciem quæro, et ut ad illam videndam possim pervenire, « *Adjutor meus esto* » ad bonum faciendum, quia aliter non possum. Joan. xv, 5 : *Sine me nihil potestis facere.* Isa. xxvi, 12 : *Omnia opera nostra operatus es nobis,* Domine. I ad Corinth. xv, 10 : *Non autem, ego sed gratia Dei mecum.*

« *Ne derelinquas me.* » Hic petit, quod adjuvet ad malum declinandum. Primo, ad declinandum mortale. Secundo, veniale, ibi, « *Neque despicias me.* »

Ait ergo : Sic adjuva, ne derelinquas me in mortalem culpam. Eccli. xxiii, 4 : *Ne derelinquas me in cogitatu,* scilicet maligno. Augustinus : « Si derelinquit, « in ipsa via deficies, cades, oberrabis, « remanebis. » Sed contra : Dominus neminem derelinquit. Ad Hebr. xiii, 5 : *Non te deseram, neque derelinquam.* Et in cap. xii, 15 : *Contemplantes ne quid desit gratiæ Dei.* Responsio. Ponit consequens pro antecedente. Quasi diceret : Non me sinas id facere, propter quod merear derelinqui a te. Jerem. xvii, 13 : *Omnes, qui te derelinquunt, confundentur.*

« *Neque despicias me.* » Secundum est. Quasi diceret : Ne sinas me facere multa mala, quæ facient et reddent me despectum. II Machab. vii, 33 : *Dominus Deus noster modicum iratus est,* propter quod accidit circa locum despectio, *sed iterum reconciliabitur servis suis.* Venialia enim pulvis sunt, Matth. x, 14 : *Excutite pulverem de pedibus vestris.* Sicut ergo res impulverata vilis est : sic qui multitudinem habet venialium. Item, scabies sunt, Gregorius : « Minuta sunt quæ « erumpunt per scabiem vulnera, sed cum « multitudo sensibilis totum occupat, sic « vitam corporis, ut grave pectoris vulnus necat. » Item, scabies sunt in agro, et spinæ in vinea, quæ suffocant omne bonum. Proverb. xxiv, 30 et 31 : *Per agrum pigri hominis transivi, et per vineam viri stulti : et ecce totum repleverant urticæ, et operuerant superficiem ejus spinæ.* Hæc amove, quia tu es « *Deus salutaris meus.* » Psal. lxi, 2 : *Nonne Deo subjecta erit anima mea ? ab ipso enim salutare meum.*

Venialia peccata vilem faciunt animam, quia sunt veluti pulvis, scabies, urticæ.

10 « *Quoniam pater meus et mater mea.* » Hic persuasio a duobus. Primo, a propria indigentia. Secundo, a Filii Dei benevolentia, ibi, « *Et Dominus suscepit me.* »

Dicit ergo : Sic rogo ut adjuves me, nec derelinquas aut despicias, et debes moveri, « *Quoniam pater meus, et mater mea dereliquerunt me.* » Ad litteram. Quodam modo tamquam minorem omnium filiorum abjiciebant David : quod erat quodam modo : relinquere et Dominus assumpsit in regem ungendo per manum Samuelis[1]. Psal. lxxvii, 70 : *De post fœtantes accepit eum.* Melius autem de vere justo, quem dereliquerunt in miseria, in qua sumus, pater et mater, Adam scilicet et Eva. Ezech. xviii, 2 : *Patres commederunt uvam acerbam, et dentes filiorum obstupescunt.* Ad Ephes. ii, 3 : *Eramus natura filii iræ.* Sapient. iii, 16 : *Ab iniquo thoro semen exterminabitur.* Eccli. xl, 1 : *Grave jugum super filios Adam.* Ad Rom. iii, 23 : *Omnes* in Adam

[1] Cf. I Reg. xvi, 6 et seq.

peccaverunt. Et in cap. VII, 14 : *Ego autem carnalis sum, venumdatus sub peccato.* « *Et Dominus* » Filius tuus, quod multum debet te movere, « *assumpsit me,* » naturam meam. Psal. LXIV, 5 : *Beatus homo quem elegisti, et assumpsisti.* Vel « *pater meus,* » diabolus, « *et mater mea,* » carnalis concupiscentia, « *dereliquerunt me,* » inveteratum in longa malitia, ut in me jam refrigescat carnalis concupiscentia, et diabolus tentare me contemnat. De hoc patre, et de matre ista, Ezech. XVI, 3 : *Pater tuus Amorrhæus, et mater tua Cethæa.* Et nota, quod sicut Doctor, et prædicator pater dicitur, quia bonum semen infundit : unde bonus homo de malo efficitur, I ad Corinth. IV, 15 : *Per Evangelium ego vos genui* : sic diabolus quando infundit semen malum, et malus homo efficitur, patrem se potest dicere. I Joan. VIII, 44 : *Vos ex patre diabolo estis.* Item, filius dicitur, quia fit quasi ille, id est, similis illi multum. Joan. VIII, 39 : *Si filii Abrahæ estis, opera, Abrahæ facite.* Sic filii ergo diaboli, qui eum imitantur in sua operatione. Joan. VIII, 41 : *Vos facitis opera patris vestri.* I Joan. III, 8 : *Qui facit peccatum, ex diabolo est.*

Deus pater et mater nobis est.

« *Dominus autem assumpsit me.* » Factus mihi pater et mater. Matth. XXIII, 9 : *Patrem nolite vocare vobis super terram : unus est enim pater vester, qui in cœlis est.* Pater autem est, quia causa efficiens nostra sicut pater filii. Deuteronom. XXXII, 6 : *Numquid non ipse est pater tuus, qui possedit te, et fecit et creavit te ?* Isa. LXIV, 8 : *Et nunc Domine, pater noster es tu, nos vero lutum : et fictor noster tu, et opera manuum tuarum omnes nos.* Item, pater dat materiam, sed Deus formam quæ multo nobilior est. Psal. XXXII, 15 : *Qui finxit sigillatim corda eorum.* Item, pater imponit nobis nomen : sic Christus nobis. Isa. LXII, 2 : *Et vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini nominabit.* Item, patris est præcepta dare. Tob. V, 1 : *Omnia quæcumque præcepisti mihi, faciam, pater.* Sic Deus, et in Veteri et in Novo testamento. Item, patris est ducere filium. Sic Deus, Jerem. III, 19 : *Patrem vocabis me, et post me ingredi non cessabis.*

Et mater propter matris actus, qui sunt quatuor. Continere prolem in ventre, Isa. XLVI, 3 : *Audite me qui portamini a meo utero, qui gestamini a mea vulva.* Item, fovere : et Deus fovet. Matth. XXIII, 37 : *Quoties volui congregare filios tuos quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas ?* Item, parvulos lactare, I ad Corinth. III, 1 et 2 : *Tamquam parvulis in Christo, lac vobis potum dedi, non escam.* Denique grandiusculos nutrire, Isa. I, 2 : *Filios enutrivi, et exaltavi,* etc.

« *Legem pone mihi Domine.* » Hic petitio secunda in qua petit instructionem in cognitione, et dicuntur duo. Primo, petitio. Secundo, quare necesse petere, ibi, « *Propter inimicos meos.* » 11

In prima duo secundum duo quæ petit. Primo doceri de via qua itur ad finem. Secundo, dirigi in ipsa semita quæ brevior est, ibi, « *Et dirige me.* »

Dicit ergo : Sic petivi adjuvari, quantum ad motum : sed etiam quantum ad cognitionem, « *legem pone mihi.* » Vel sic : Quoniam tu assumpsisti me, factus mihi pater et mater : ergo o Domine, « *legem pone mihi* » illuminantem « *in via tua.* » Isa. XXVIII, 26 : *Erudiet illum in judicio : Deus suus docebit illum.* Via autem dicuntur mandata, quia per illa itur ad Deum. Matth. XIX, 17 : *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Isa. II, 3 : *Docebit nos vias suas.* Vel in Christo qui est via. Joan. XIV, 6 : *Ego sum via, et veritas, et vita.*

« *Et dirige me in semita recta.* » Consiliorum. Quasi diceret : Dirige servum tuum hodie, et da illi misericordiam, ut ei facias splendescere semitam. Proverb. IV, 18 : *Justorum semita, quasi lux splendens.* Et addit, « *Recta,* » ad differentiam curvarum. Semitæ sunt consilia, sed in aliquibus non sunt rectæ : curvan-

tur enim ad terrena possidenda, et reflectuntur a rectitudine sua. Isa, xxvi, 7 : *Semita justi recta est.*

« *Propter inimicos meos.* » Hæc ratio suæ petitionis, inimicorum scilicet malitia, et tangit primo malitiam in corde. Secundo, in opere, ibi, « *Ne tradas me.* » Tertio in ore, ibi, « *Quoniam insurrexerunt.* »

Dicit ergo : Sic peto doceri, et dirigi, et hoc propter inimicos meos, mihi corde contrarios et insidiantes. Hieronymus : « Propter insidiatores meos. » Psal. cxxxix, 6 : *Juxta iter scandalum posuerunt mihi.* In Psal. cxli, 4 : *In via hac qua ambulabam, absconderunt superbi laqueum mihi.*

12 « *Ne tradideris me in animas,* » id est, voluntates, « *tribulantium me,* » opere. « *Me,* » id est animam meam. Sic vocat animam suam, non curans de possessione, vel de carne. II ad Corinth. xi, 20 : *Sustinetis enim si quis vos in servitutem redigit, si quis devorat, si quis accipit.* Ad Hebr. x, 34 : *Rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis, cognoscentes vos habere meliorem et manentem substantiam,* animam videlicet virtutibus dotatam. Augustinus in Glossa : « Devoret terra terram, caro carnem, anima « autem servetur illæsa. »

« *Quoniam insurrexerunt.* » Tertium in quo tangitur malitia persequentium in ore, mixta crudelitate.

Ait enim : Sic non me tradi permittas, et necesse habeo clamare : « *quoniam insurrexerunt in me,* » id est, contra me, « *testes iniqui,* » adulatores ad subversionem tendentes. Isa. iii, 12 : *Popule meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt.* Proverb. xvi, 29 : *Vir iniquus lactat amicum suum,* adulationibus scilicet, *et ducit eum per viam non bonam.* Timere sibi multum debet Ecclesia ab iis hostibus, qui jam percutiunt ipsam in capite, in domibus scilicet prælatorum et magnatum. Ibi potissime, Thren. i, 5 : *Facti sunt hostes ejus in capite.*

« *Et mentita est iniquitas sibi,* » id est, ipsi iniqui, qui dicuntur iniquitas ipsa ad majorem expressionem. « *Mentita,* » inquam, « *sibi,* » id est, ad damnum suum. Proverb. xix, 5 : *Testis falsus non erit impunitus.* Eccli. xxvii, 29 : *Qui laqueum alii ponit, peribit in illo.* Hieronymus : « Nonnumquam vitium in suum non « recurrit auctorem. » Vel « *sibi,* » ad delectationem suam : valde enim suave mendacibus aliquando mentiri, et valde grave a mendacio abstinere. Proverb. xx, 17 : *Suavis est homini panis mendacii.* Et nota, quod falsi testes dicuntur « *iniquitas,* » quia iniquitas illos produxit : iniquitas avaritiæ Jezabel, quæ interpretatur *sterquilinium,* contra Naboth pro vinea [1]. Iniquitas luxuriæ, Daniel. xiii, 20 : *Commiscere nobiscum : quod si nolueris, dicemus contra te testimonium.* Iniquitas invidiæ, Matth. xxvi, 60 : *Novissime autem venerunt duo falsi testes,* etc.

« *Credo videre bona Domini.* » Hic 13
est secundum, in quo ostendit ad spem profecisse, ex præcedenti oratione, et ideo sperare se dicit Dei visionem, et habitationem cœlestem.

Dicit ergo : Sic oravi non desperans, imo « *credo videre bona Domini.* » Vel sic : Ita me tribulant isti, et eo ipso « *credo bona videre Domini.* » Sunt enim omnes tribulationes, quasi quædam collyria, ad purgandum mentis oculum. Tob. vi, 9 : *Fel valet ad ungendos oculos.* Apoc. iii, 18 : *Collyrio inunge oculos tuos :* aliter non poteris videre, oculo scilicet immundo. Matth. v, 8 : *Beati*

[1] Cf. III Reg. xxi, 1 et seq.

mundo corde : quoniam ipsi Deum videbunt. Sed quæ sunt ista bona ? Possemus dicere, quod sunt divinitas Christi, et humanitas. Joan. xvii, 3 : *Hæc est vita æterna : Ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum.* Sed paulo plus intueamur hæc bona. Bona Domini, vita sine morte. Ibi fixa est vita sempiterna, Apoc. xxi, 4 : *Mors ultra non erit.* Juventus sine senectute : nihil enim potest ibi fieri vetus, Psal. cii, 5 : *Renovabitur ut aquilæ, juventus tua.* Requies sine labore, Isa. xxxii, 18 : *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis.* Gaudium absque tristitia et dolore, Apoc. xxi, 4 : *Neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra.* Sanitas sine ægritudine, Exod. xv, 26 : *Cunctum languorem, quem posui in Ægypto, non inducam super te.* Lux sine tenebris, Sap. xviii, 1 : *Sanctis autem tuis maxima erat lux.* Regio enim lucis est illa. Delectatio sine omni anxietate, Psal. xv, 11 : *Delectationes in dextera tua usque in finem.* Notitia sine errore, I Joan. iii, 2 : *Videbimus eum sicuti est.*

Bona vitæ æternæ quæ sint ?

Hæc bona credo videre, « *in terra viventium.* » Terra mortuorum infernus, Job, x, 22 : *Ubi umbra mortis, et nullus ordo sed sempiternus horror inhabitat.* Terra morientium mundus, II Reg. xiv, 14 : *Omnes morimur, et quasi aquæ dilabimur in terram, quæ non revertuntur.* Sed terra viventium paradisus, regio cœli Empyrei, terra fertilissima, et opulentissima. Judic. xviii, 9 : *Surgite, ascendamus ad eos : vidimus enim terram valde opulentam,* in qua nullius rei est penuria. Et viventium, quia Sap. v, 16 : *Justi autem in perpetuum vivent.*

14 « *Exspecta Dominum.* » Hic est tertium, in quo alios ad idem sperandum, et exspectandum invitat, et tanguntur quatuor, contra quatuor quæ non sinunt ad vitam, de qua locutus est superius, pervenire. Primum est dilationis diuturnitas contra quam dicit, « *Exspecta.* » Secundum, bene agendi difficultas, contra quam dicit, « *Viriliter age.* » Tertium, mentis pusillanimitas, contra quam dicit, « *Et confortetur cor tuum.* » Quartum, tribulationum acerbitas. Contra hoc addit, « *Et sustine Dominum.* »

Quatuor ad vitam impedimenta amovet.

Dicit ergo : Sic ergo et tu quicumque es, « *exspecta Dominum,* » ne te frangat dilationis diuturnitas, quia Habac. ii, 3 : *Si moram fecerit, exspecta illum, quia veniens veniet, et non tardabit* meritis tuis, etsi forte votis. Isa. xxviii, 16 : *Qui crediderit, non festinet.*

« *Et viriliter age.* » Non te terreat agendo bonum difficultas. Proverb. xviii, 9 : *Qui mollis et dissolutus est in opere suo, frater est sua opera dissipantis.* Deuter. xxi, 6 : *Viriliter agite et confortamini.* Judith, xv, 11 : *Fecisti viriliter, et confortatum est cor tuum.*

« *Et confortetur cor tuum.* » Ne te dissolvat pusillanimitas. Genes. xviii, 5 : *Confortate cor vestrum, postea transibitis.* Isa. xxxv, 4 : *dicite pusillanimis : confortamini et nolite timere* Deuter. xxxi, 23 : *Confortare, et esto robustus.*

« *Et sustine Dominum* » Ne te moveat tribulationum acerbitas. Eccli. ii, 16 : *Væ his, qui perdiderunt sustinentiam.* Psal. xxiv, 3 : *Universi, qui sustinent te, non confundentur.*

« *Exspecta Dominum* » per spem, Luc. xii, 36 : *Et vos similes hominibus exspectantibus.* « *Viriliter age* » per fidem, Jacob. ii, 20 : *Fides sine operibus mortua est.* « *Confortetur cor tuum* » per dilectionem operantem, Cant. viii, 6 : *Fortis est ut mors dilectio.* « *Sustine Dominum,* » per patientiam, Jacob. i, 4 : *Patientia opus perfectum habet.*

PSALMUS XXVII.

David ad Deum clamat, ejus auxilio adjutus non timet perire cum impiis.

Psalmus ipsi David.

1. Ad te, Domine, clamabo, Deus meus, ne sileas a me: ne quando taceas a me, et assimilabor descendentibus in lacum.

2. Exaudi, Domine, vocem deprecationis meæ, dum oro ad te, dum extollo manus meas ad templum sanctum tuum.

3. Ne simul trahas me cum peccatoribus, et cum operantibus iniquitatem ne perdas me:

Qui loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum.

4. Da illis secundum opera eorum, et secundum nequitiam adinventionum ipsorum:

Secundum opera manuum eorum tribue illis, redde retributionem eorum ipsis.

5. Quoniam non intellexerunt opera Domini et in opera manuum ejus: destrues illos, et non ædificabis eos.

6. Benedictus Dominus, quoniam exaudivit vocem deprecationis meu.

7. Dominus adjutor meus et protector meus: in ipso speravit cor meum, et adjutus sum:

Et refloruit caro mea, et ex voluntate mea confitebor ei.

8. Dominus fortitudo plebis suæ, et protector salvationum Christi sui est.

9. Salvum fac populum tuum, Domine, et benedic hæreditati tuæ: et rege eos, et extolle illos usque in æternum.

IN PSALMUM XXVII

COMMENTARIUS.

Psalmus ipsi David [1].

Argumentum Psalmi : Ostendit unam quam petit gloriam resurrectionis obtineri etiam a Christo per passionem.

« *Ad te Domine clamabo.* » Hic est Psalmus vigesimus septimus, et est responsio quæ dicitur in hoc Psalmo, ad hoc quod in antecedenti præcessit : unam enim se dixit Ecclesia, vel vir justus a Domino petiisse, et instanter adhuc petiturum : sed quia non solum oratione acquiritur, sed tribulationum sustentatione exemplo ipsius Christi, Luc. XXIV, 26 : *Oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam,* subjungitur hic Christus agens de passione, et resurrectione, ad quam venit per passionem. Ac si dicat : Petiisti finem, ostendo viam, tribulationum sustentationem. Act. XIV, 21 : *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* Unde signanter intitulatur Psalmus iste, « *Psalmus ipsi David,* » id est, Psalmus iste non cuicumque convenit, sed huic David, ei scilicet, qui est verus David, manu fortis, et adspectu desiderabilis. Cum enim *huic* vel *ipsi*, ei qui est David, additur, tunc quod Christo conveniat, demonstratur.

Dividitur autem Psalmus in tres partes. Primo orans agit de sua passione. Secundo prophetat, et prædicit de inimicorum destructione, ibi, *Qui loquuntur.* » Tertio, gratias agit de sua resurrectione, ibi, « *Benedictus Dominus.* »

In prima duo secundum duo quæ petuntur ab ipso moriente. Primo, ne humanitas a Deo deseratur. Secundo, ne etiam a carne subtrahatur, ibi, « *Nequando taceas.* »

In prima duo. Primo ratio quare debeat exaudiri. Secundo, oratio, ibi, « *Ne sileas.* »

1 Dicit ergo : O « *Domine* Pater, *ad te clamabo,* » non ad homines, sicut hypocritæ, nec ad dæmones, sicut idololatræ. Prima pars Psalmi. In clamore autem notatur cordis devotio. Habac. I, 2 : *Usquequo, Domine, clamabo, et non exaudies.* Et verum est quod moriens in cruce clamabat : Ad Hebr. V, 7 : *Cum clamore valido, et lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia.*

« *Deus meus.* » In hoc fervor devotionis : ipsius enim hominis Christi Deus erat, sicut cujuslibet, « *Ne sileas a me* » Quasi diceret : Sic confiteor, non debes silere a me, hoc est, verbum tuum subtrahere : quid enim est silere, nisi verbum subtrahere ? Subtractio autem verbi esset verbi separatio. Et dicit, « *a me,* » id est, ab anima mea.

« *Nequando.* » Hic secunda petitio, in qua similiter duo. Primo, petitio. Secundo, ratio, quod debeat exaudiri, ibi, « *Et assimilabor.* »

Ait enim : « *Nequando taceas a me,* »

[1] C'est encore David persécuté qui parle dans ce psaume. Théodoret le rapporte au temps de Saül, les modernes préfèrent le reculer jusqu'à l'époque d'Absalon, car celui qui parle aux ŷŷ. 8 et 9, remarque Rosenmüller, est bien plutôt un roi déjà régnant qu'un prétendant au trône. Les idées sont les mêmes que dans les psaumes analogues. Celui-ci comprend deux parties : dans la première, ŷŷ. 1-5, le psalmiste appelle Dieu à son secours contre ses ennemis, et dans la seconde, ŷŷ. 6-9, il est si assuré d'être exaucé qu'il en remercie le seigneur à l'avance.

Il est facile d'appliquer spirituellement ce psaume à Jésus-Christ poursuivi par ses ennemis, Euseb. Demonst. evang. IV, 3, Bellarm., et à l'âme chrétienne en butte aux contradictions du monde. Massil. Explic. mor.

Verbum a carne separando, relinquendo ipsam in putrefactione. « *Et assimilabor,* » si hoc feceris, « *descendentibus in lacum* : » quod non debet : unde nec tu debes negare quod non fiat. In lacum enim duplicem ante Christi Resurrectionem descendebant homines. In lacum inferni, quantum ad animas : in sepulcrum incinerandi, quantum ad corpus. Sed ab utroque Christus est liberatus. Supra, in Psal. xv, 19 : *Non derelinques animam meam in inferno*, quantum ad primum locum, *nec dabis sanctum tuum videre corruptionem*, quantum ad secundum.

Sed quare cum certus esset de iis Christus, hæc petiit ? sciebat enim divinitatem numquam ab humanitate separandam. Responsio. Orat non tamquam ignorans, vel timens non impleri quod orat, sed ut nobis exemplum orando præbeat. Joan. xiii, 15 : *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis.* Item, ut ostendat quod hoc, quod petit, scilicet inseparabilitas et divinitatis unio, ex gratia est, non ex natura. Ad Rom. i, 4 : *Qui prædestinatus est Filius Dei in virtute.* Patet enim in hoc versu exprimi desiderium primorum Patrum dicentium : O « *Domine, ad te, clamabo :* » vehementia desiderii. Isa. lxiv, 1 : *Utinam dirumperes cœlos, et descenderes.* « *Deus meus, ne sileas a me, nequando taceas a me,* » alloquendo in propria persona, qui totiesauditus est in Prophetis. Ad Hebr. i, 1 et 2 : *Multifariam, multisque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis : novissime diebus istis locutus est nobis in Filio.* Quod si sileas, si taceas, « *assimilabor descendentibus in lacum* » culpæ. Culpa enim lacus dicitur. Thren. iii, 53 : *Lapsa est in lacum vita mea.* Glossa :

Quare culpa dicitur lacus ?

« In lacum vita labitur, cum iniquitati« bus inquinatur. » Et bene *lacus* dicitur : eo quod fundus lateat. Lacus tranquillus et delectabilis creditur in superficie, sed quas profunditates habeat, ignoratur. Similiter est de culpa : in superficie videtur tranquilla valde, sed latet fundus. Lacus alius scilicet pœna gehennæ, Job, xxiv, 19 : *Usque ad inferos peccatum illius.* Infernus autem lacus est summæ obscuritatis, et infinitæ profunditatis. Zachar. ix, 11 : *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua.* Et in Psal. xxxvii, 5 : *Æstimatus sum cum descendentibus in lacum.*

« *Exaudi Domine vocem meam dum* 2
oro ad te. » Hic secundum, in quo orat ne caro morte detineatur : et dicuntur duo. Primo, oratio generalis. Secundo, specialis, ibi, « *Ne simul tradas me.* »

In prima duo. Primo, oratio. Secundo, ratio quare debeat exaudiri, ibi, « *Dum extollo.* »

Dicit ergo : « *Exaudi Domine vocem orationis meæ,* » exterius formatam, « *dum oro ad te,* » per interiorem cordis affectionem. Hoc enim est vere orare. Joan. iv, 23 : *Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu, et veritate.* I ad Corinth. xiv, 15 : *Orabo spiritu, orabo et mente : psallam spiritu, psallam et mente.*

« *Dum extollo.* » Hic ratio, quod debeat exaudiri. Primo, per factum. Secundo, per finem facti, ibi, « *Ad templum.* »

Ait ergo : Sic exaudi, « *dum extollo manus meas,* » ad litteram in cruce extendendo : Christus enim est qui loquitur. Prov. i, 24 : *Extendi manus meas, et non fuit qui adspiceret.* Isa. lxv, 2 : *Expandi manus meas tota die ad populum incredulum,* scilicet non credentem, et contradicentem mihi. Exod. ix, 29 : *Cum egressus fuero de urbe, extendam palmas meas ad Dominum.*

Templi multiplex acceptio.

Sed quo fine ? « *Ad templum sanctum tuum* » construendum : ad hoc enim Christus manus extendebat, ut Deo templum ædificaret de vivis lapidibus, Ecclesiam scilicet militantem. I ad Corinth. iii, 9 : *Dei ædificatio estis.* In eodem, ℣, 19 : *Templum Dei sanctum est, quod estis vos.* Vel, « *ad templum,* » Ecclesiam sci-

licet triumphantem : illuc enim manus sunt levandæ : Deus enim ibi residet. Psal. x, 5 : *Dominus in templo sancto suo, Dominus in cœlo sedes ejus.* I ad Timoth. II, 18 : *Volo viros orare in omni loco, levantes puras manus.* Thren. III, 41 : *Levemus corda nostra cum manibus ad Dominum in cœlos.* Maria etiam templum est, ad quod in oratione manus levandæ sunt. Psal. v, 8 : *Adorabo ad templum sanctum tuum.* Vel ad materiale templum. Unde ipse Christus elevatis manibus in cruce vultum habebat ad illud. Daniel. VI, 10 : Daniel ter orabat in die, tribus vicibus orabat contra Jerusalem, propter templum quod in ea erat [1].

3 « *Ne simul tradas me.* » Hic secundum, in quo orat specialiter, ne caro morte detineatur. Duo ergo dicuntur. Primo, ut non impleatur intentio Judæorum ad hoc ipsum interficientium, ut detineretur in morte. Secundo, quod nec Gentilium, ibi, « *Et cum operantibus* : » utrique enim exarserunt in damnationem Christi.

Ait ergo : Sic oro : et hoc quod rogo : « *Ne tradas me cum peccatoribus,* » et hoc « *simul,* » ea scilicet qua me tradunt intentione, scilicet ut detinear in morte. Et peccatores appellat Judæos. Et advertendum, quod non petit, ut non tradat eum cum peccatoribus, sed ut non cum illa intentione. Nota enim, quod Christus traditus fuit a Patre, Ad Rom. VIII, 32 : *Qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro omnibus nobis tradidit illum.* Traditus a se, Ad Ephes. v, 1 : *Tradidit semetipsum pro nobis.* A discipulo proprio, Joan. XIII, 21 : *Amen amen dico vobis : quia unus ex vobis tradet me.* A Judæo, Luc. XVIII, 32 : *Tradetur Gentibus, et illudetur.* Sed non eadem intentione. Pater enim tradidit Filium ex charitate, Filius tradidit se ex obedientia, discipulus ex avaritia, Judæus ex pura invidia.

Christus a variis traditus, non eadem intentione.

« *Et cum operantibus iniquitatem,* » scilicet gentilibus, « *ne perdas me,* » id est, perdere me intendas sicut ipsi. Matth. XXVII, 20 : *Seniores persuaserunt populis ut peterent Barbabam, Jesum vero perderent.* Supra in, Psal. XXV, 9 : *Ne perdas cum impiis, Deus, animam meam.*

Potest orare etiam hoc anima justi ne tradatur cum peccatoribus in culpam in præsenti, secundum illud Apostoli ad Rom. I, 26 : *Propter quod tradidit illos Deus in passiones ignominiæ,* etc. Et sic ulterius non perdatur Deo, quasi absconditus ab ejus cognitione. Matth. XXV, 22 : *Amen dico vobis : Nescio vos.* Vel de futuro. Ne simul tradas me in damnationem cum peccatoribus cum originali decedentibus. « *Operantibus iniquitatem,* » id est, cum actuali iniquitate : utrique enim traditi sunt ita quod sine recuperatione : unde et perditi. Psal. LXXXVII, 9 : *Traditus sum, el non egrediebar.*

« *Qui loquuntur pacem.* » Hic est secunda pars, in qua prædicit de inimicorum damnatione : et dicuntur duo. Primo, tangit ureorum culpa. Secundo, subjungit de pœna, ibi, « *Redde retributionem.* »

Secunda pars Psalmi.

Culpam tangit duplicem. Primo, rectam cordis malitiam. Secundo, exterius procedentem, ibi, « *Da illis secundum opera eorum.* »

In prima duo. Primo, tangit regimen ipsius malitiæ. Secundo, ipsam malitiam, ibi, « *Mala autem.* »

Ait ergo : Ne perdas me cum peccatoribus, « *qui loquuntur pacem cum proxi-*

1 Daniel. VI, 10 : *Daniel... ingressus est domum suam : et fenestris apertis in cœnaculo contra Jerusalem tribus temporibus in die flectebat genua sua, et adorabat, confitebaturque coram Deo suo, sicut et ante facere consueverat.*

Christus proximus Judæis naturæ conditione, consanguinitate et beneficiorum exhibitione.

mo suo, » mecum scilicet qui proximus sum illorum. Propinquus naturæ conditione, quia homo factus sum, sicut et illi homines sunt. Sapient. VIII, 1 : *Sum quidem et ego mortalis homo similis omnibus, et ex genere terreni illius qui prior factus est.* Sed propinquior consanguinitate. Judæus sicut ipsi Judæi. Joan. IV, 22 : *Salus ex Judæis.* Sed proximus beneficiorum exhibitione. Luc. X, 36 : *Quis horum trium videtur tibi proximus fuisse illi, qui incidit in latrones?* Respondit : ille *qui fecit misericordiam in illum.* Et de Christo dicitur, Act. X, 38, quod *pertransiit benefaciendo, et sanando omnes oppressos a diabolo.*

Cum hoc proximo loquebantur pacem Judæi, Matth. XXII, 16 : *Magister scimus quia verax es, et viam Dei in veritate doces.* « *Mala autem,* » odii et rancoris, « *in cordibus eorum.* » Matth. XXII, 15 : *Inierunt consilium ut Jesum caperent in sermone.* Et infra, ℣. 18 : *Quid me tentatis, hypocritæ?* Sic dæmones qui sunt proximi peccatoribus, et eorum unici. Isa. XXVIII, 15 : *Percussimus fœdus cum morte, et cum inferno fecimus pactum* : loquuntur cum eis pacem. Genes. III, 4 : *Nequaquam moriemini.* « *Mala autem* » culpæ, et pœnæ æternæ, « *in cordibus eorum.* » Proverb. XXVII, 25 : *Quando submiserit vocem suam, ne credideris ei : quoniam septem nequitiæ sunt in corde illius.* Talis autem difficile cognoscitur : unum tamen signum haberi potest. Quia non est contentus facere signa amicitiæ, quæ verus amicus facit, sed etiam extendit, sicut patet de Juda proditore qui osculatus est Dominum [1], nec tamen fuerat absens, nisi per horam unam vel duas.

Nota malitiam Judæ.

« *Da illis secundum opera eorum.* » 4
Hic tangit inimicorum operationem malignam. Primo quidem interiorem. Secundo, exteriorem, ibi, « *Secundum opera manuum.* »

In prima duo. Primo, tangit perversas affectiones in affectu. Secundo, perversa consilia et adinventiones in ipso intellectu, ibi, « *Et secundum nequitiam.* »

Dicit ergo : Sic duplices sunt, et tu Domine « *da,* » dabis illis, « *secundum opera* » eorum interiora, id est, voluntates et affectiones. Matth. XVI, 27 : *Reddet unicuique secundum opera ejus.* Proverb. XXIV, 12 : *Servatorem animæ tuæ nihil fallit, reddetque homini juxta opera sua.*

« *Et secundum nequitiam adinventionum ipsorum.* » Malarum cogitationum quantum ad intellectum. Ac si diceret : Et opera punies, quia ex deliberatione, et præ cogitatione facta cognosces. Et sic fuit verum, Isa. III, 8 : *Ruit Jerusalem, et Judas concidit, quia lingua eorum et ad inventiones eorum contra Dominum.* Matth. XXVI, 4 : *Et consilium fecerunt ut Jesum dolo tenerent, et occiderent.* Vel secundum nequitiam adinventionum, id est, cogitationum, quia cogitationes ipsas discutiet. Sapient. VI, 4 : *Interrogabit opera vestra, et cogitationes scrutabitur.*

Sed objicitur, quod secundum hoc videtur Christus inimicis imprecari. Sed potest dici quod non est imprecatio, sed prædictio. Vel si imprecatio est, non fit, quia facit eorum pœnam, sed justitiæ decorem. Matth. V, 6 : *Beati qui esuriunt, et sitiunt justitiam* : justorum enim mentes delectantur in justitia. Psal. XLVII, 12 : *Exsultent filiæ Judæ propter judicia tua, Domine.*

« *Secundum opera manuum illorum*

[1] Matth. XXVI, 49 : *Et confestim accedens* (Judas) *ad Jesum, dixit : Ave Rabbi. Et osculatus est eum.*

tribue illis. » Hic secundum, in quo tangitur operatio illorum mala exterior, quod patet ex eo quod addit, « *Manuum.* »

Dicit ergo : Sic da illis secundum interiorem operationem eorum malam, et etiam « *secundum opera manuum illorum,* » exteriora, « *tribue illis,* » præmium pœnarum.

Sed numquid Judæi peccaverunt in Christum manibus ? Non videtur hoc, sed corde et lingua. Responsio. In veritate corde cogitando mala, voce accusando peccaverunt Judæi in Christum: Gentiles vero manibus capiendo et occidendo. Sed quia unum corpus sunt omnes mali, corpus, inquam, diaboli, huic accidit, quod cuilibet parti attribuetur quod est alterius. Et iterum in illo corpore Judæi fuerunt ut cor, maxime quantum ad illud opus : Gentiles vero ut manus. Job, XLI, 15 : *Cor ejus,* ipsius Behemoth scilicet, *indurabitur tamquam lapis, et quasi malleatoris incus,* quod plus est. Est enim immobile a malitia sua, sicut incus a duritia. Eccle. VII, 14 : *Considera opera Dei, quod nemo possit corrigere quem ille despexerit.* Sicut ergo manus non agunt, nisi motæ a corde, sic nec Gentiles nisi a Judæis incitati : unde sicut peccatum magis imputatur cordi, sic Judæis crucifixio Christi. Joan. XIX, 11 : *Qui me tradidit tibi* Gentili, *majus peccatum habet.* Iterum quid miraris, si dixerit, « *secundum opera manuum,* » cum non sint operati nisi lingua ? Nonne lingua manus suas habet ? 21 : XVIII, Proverb. *Mors et vita in manu linguæ.*

Gentiles in passione sunt manus motæ a Judæis velut a corde.

« *Redde retributionem.* » Hic tangitur pœna, tacta culpa multiplici, primo, in generali. Secundo, specificando, ibi, « *Quoniam non intellexerunt.* »

Ait enim : Sic et interius et exterius peccant, in me : sed tu Domine « *redde,* » id est, reddes, « *retributionem eorum ipsis,* » id est, pœnam ipsis reddes, pro retributione sua, qua retribuerunt mihi pro bonis mala. Jerem. XVIII, 20 : *Numquid redditur pro bono malum ? quia soderunt,* etc. Et in Psal. XXXIV, 12 : *Retribuebant mihi mala pro bonis.*

Et nota secundum Cassiodorum quatuor retributionum species. Una cum tribuuntur mala pro bonis, sicut Judæi Christo, contra quos, Proverb. XVII, 23 : *Qui reddit mala pro bonis, non recedet de domo ejus malum.* Alia, cum bonum pro bono, sicut Christus in judicio, Matth. XXV, 34 et 35 : *Venite benedicti Patris mei... Esurivi, et dedistis mihi manducare.* Tertia, cum malum pro malo, sicut Christus malis in judicio, Matth. XXV, 41 : *Discedite maledicti in ignem æternum,* etc. *Esurivi,* etc. Quarta, cum bonum pro malo, quam exhibet Christus in præsenti mundo, et mandavit exhiberi, Matth. V, 44 : *Orate pro calumniantibus, et persequentibus vos.*

Quatuor species retributionum.

« *Quoniam non intellexerunt.* » Hic specificat, et tangitur duplex pœna. Prima, cordis excæcatio. Secunda, corporalis et perpetua illorum destructio, ibi, « *Destrues illos.* » 5

Ait enim : Sic et punies et vere, « *quoniam non intellexerunt opera Domini,* » scilicet incarnationem et unionem illam mirabilem divinitatis cum humanitate. Isa. XLV, 15 : *Vere tu es Deus absconditus.* Et Jerem. XXI, 22 : *Creavit Dominus novum super terram : fœmina circumdabit virum.* Et vere non intellexerunt, quia dicit Paulus, I ad Corinth. II, 8 : *Si cognovissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent.*

« *Et in opera manuum,* » aperta scilicet miraculorum operatione, non viderunt, nec intellexerunt opera Domini : tamen potuerunt, nisi multum excæcati essent. Matth. IX, 34, et Luc. XI, 15 : *In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia,* cum tamen per opera optime possent, secundum illud Apostoli ad Roman. I, 20 : *Invisibilia Dei, per ea quæ facta sunt, intellecta, conspiciuntur.* Si enim

tantum potuerunt opera naturæ ut ducerent in auctorem, quantum poterant opera super naturam facta ? Deut. XXIX, 3 et 4 : *Viderunt oculi tui signa illa, portenta que ingentia, et non dedit vobis Dominus cor intelligens, et oculos videntes.*

« *Destrues illos.* » Ecce destructio ipsorum perpetua. Et primo, destructio. Secundo, destructionis perpetuatio, ibi, « *Et non ædificabis.* »

Ait enim : Sic excæcabis eos meritis eorum exigentibus, et postea « *destrues illos*, » per mundum dispergendo et captivando. Psal. LVIII, 12 : *Disperge illos in virtute tua, et depone eos protector meus Domine.* Et bene sequitur ad excæcationem quam incurrerunt propter culpam suam. Isa. V, 13 : *Propterea captivus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam.* « *Et non ædificabis eos.* » Verum est, impœnitentes, et malos, vel eos sic manentes, secundum illud Matth. XX, 23 : *Sedere autem ad dexteram meam vel sinistram, non est meum dare vobis.* Isa. XIII, 19 : *Erit Babylon illa gloriosa in regnis,* Synagoga gloriosa prius, sed post confusione plena : *sicut subvertit Dominus Sodomam et Gomorrham.* Non fundabitur usque a generatione in generationem. Jerem. XIII, 7 *Lumbare computruit, ita ut nulli usui aptum esset.* Et XXXVI, 28 : *Vigilavi super eos, ut evellerem et demolirer eos.*

6 « *Benedictus Dominus.* » Secundum divisionem in principio Psalmi factam, hic tertium, in quo agitur gratiarum actio pro resurrectione, imo magis pro impetratione et resurrectionis, et omnium quæ petivit : et dicuntur duo. Primo, repetitio beneficiorum acceptorum in gratiarum actionem. Secundo, supplicatio pro membris ut perducantur ad gloriam, ibi, « *Salvum fac populum tuum.* »

Tertia pars Psalmi.

In prima duo. Primo, recolit beneficia gratias agendo, quæ in se accepit. Secundo, quæ in suis jam in præsenti, ibi, « *Et ex voluntate mea.* »

In prima duo. Primo, gratias agit. Secundo, rationem subjungit ob multa beneficia quæ accepit, ibi, « *Quoniam exaudivit.* »

Dicit ergo : Sic rogavi, et inimicos affligendos prædixi, et in iis ominus « *benedictus Deus,* » consolator et liberator meus. II ad Corinth. I, 3 et 4 : *Benedictus Deus et pater Domini nostri Jesu Christi qui consolatur nos,* etc.

Et nota, quod creatura Creatorem laudat, bona quæ habet ei attribuendo : creatura creaturam bonum ei operando : sed Creator creaturam, eam numero et merito adaugendo. Hinc est quod post Horas quasi totum bonum quod fecimus volentes in Dominum refundere, mutuo nos invitamus dicentes : « Benedicamus Domino. » Et statim ad quod oramus implentes adjungimus : « Deo gratias, » de bono quod fecimus.

Varius laudandi modus Deum et creaturas.

« *Quoniam exaudivit.* » Hic est secundum, ratio scilicet quare gratias agit. Et primo, beneficium exhibitum in sua passione. Secundo, in morte quæ secuta est ex illa, ibi, « *Dominus adjutor meus.* » Tertio, in resurrectione, ibi, « *Et in ipso speravit,* »

Dicit ergo : Sit Deus benedictus, « *quoniam exaudivit Dominus* » Pater, « *vocem orationis meæ,* » ne divinitas separaretur a me. Joan. XI, 41 : *Pater, gratias ago tibi, quoniam audisti me.*

Et nota, quod dicit ipsum vocem audisse, ut notet exauditionis velocitatem. Cito enim Deus exaudit justos dum adhuc eorum oratio est in voce. Isa. LXV, 24 : *Adhuc illis loquentibus, ego audiam.*

« *Dominus adjutor meus.* » Hic secundum, in quo tangit beneficia exhibita in morte. Primo, ex parte animæ quam non dereliquit in limbo. Secundo, ex parte corporis quod non permisit morari in sepulcro, ibi, « *Et protector.* » 7

Ait ergo : Sic exaudivit in cruce deprecantem. Et « *Dominus,* » supple, factus est, « *adjutor meus,* » mei scilicet in infer-

num descendentis ad expugnandum diabolum. Isa. L, 7 : *Dominus Deus auxiliator meus, et ideo non sum confusus.* Jerem. XX, 11 : *Dominus mecum est quasi bellator fortis,* in illa pugna contra diabolum. Daniel. XI, 40 : *Et præliabitur adversus eum rex Austri,* id est, Christus, *et quasi tempestas veniet contra illum rex Aquilonis,* scilicet diabolus qui ad Aquilonem posuit thronum suum, *et conteret* illum.

« *Et protector meus,* » mei scilicet corporis, ipsum ab incineratione conservando in sepulcro. Bene protexit sine dubio, qui vestem pugnantis integram conservavit : modicum enim rupta fuit. Job, X, 11 : *Pelle et carnibus vestisti me : ossibus et nervis compegisti me.* Hæc autem vestis in passione aliquantulum fuit perforata, sed deposita in sepulcro a corruptione conservata. Supra, in Psal. XV, 10 : *Nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Isa. LIX, 16 : *Salvavit sibi brachium suum.* Et nota, quod loquendo moraliter Dominus est adjutor suorum ab bonum faciendum, et protector ad malum sustinendum. De primo, Joan. XV, 5 : *Sine me nihil potestis facere.* I ad Corinth. XV, 10 : *Non ego autem, sed gratia Dei mecum.* De secundo, in Psal. XXXVI, 19 : *Salus autem justorum a Domino, et protector eorum est*, etc.

« *In ipso speravit.* » Hic tertium, in quo tanguntur beneficia sibi exhibita in resurrectione. Primo, quantum ad stolam animæ. Secundo, quantum ad glorificationem corporis, ibi, « *Et refloruit.* »

Ait ergo : Sic protexit, et « *in ipso* etiam *speravit cor meum,* » anima mea scilicet. « *Et adjutus sum,* » ut resurgerem ipsa glorificata. Sed hic est dubitatio, quomodo hoc dicit Christus, quia in ipso spes non fuit : habebat enim omnium certitudinem quæ evacuat spem. Et est responsio, quod verum est quod in Christo fuit certa scientia, et notatur in hoc quod dicit, « *Cor meum speravit.* » Significatur enim per hoc quod dicitur, « *cor,* » vehementia spei crescentis ab opinione in certitudine.

Sed opponitur iterum de hoc quod dicit : « *Et adjutus sum.* » Adjuvari enim dicitur proprie qui est agens principalis quantum ad actionem illam. Si ergo hæc vox fuit hominis Christi, secundum quod homo, tunc ipse fuit agens principalis in animæ glorificatione in hoc quod homo, quod falsum est, passus enim est ex infirmitate, sed resurrexit gloriosus in anima et corpore ex divinitate, sicut dicitur II ad Cor. XIII, 3 et 4 [1]. Si vox est divinitatis, tunc videtur divinitas adjutorio indiguisse in illa glorificatione, quod iterum falsum. Dicendum est, quod vox est divinitatis. Nec est verum, quod semper sit rei agentis insufficientis. Dicit enim Apostolus, I ad Corinth. III, 9 : *Dei adjutores sumus.* Filius ergo Dei a Patre se adjutum dicit, eo quod simul Pater cum Filio agit : indivisa enim sunt opera Trinitatis. Joan. V, 21 : *Sicut Pater suscitat mortuos et vivificat : sic et Filius, quos vult, vivificat,* sic et glorificat. Nec hoc dicimus, quod anima Christi non semper fuerit glorificata, et fruens divinitate unita sibi, sed de gloria victoriæ, et spoliationis inferni hoc intelligimus, etc.

Opera Trinitatis indivisa.

« *Et refloruit caro mea* ». Hic tangitur secundum beneficium in resurrectione sibi exhibitum, scilicet corporis glorificatio. Ait enim : Sic adjutus sum in victoria animæ, « *et caro mea refloruit,* » resumpto corpore glorioso. Nota ergo,

[1] II ad Corinth. XIII, 3 et 4 : *An experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Christus, qui in vobis non infirmatur, sed potens est in vobis ? Nam et si crucifixus est ex infirmitate : sed vivit ex virtute Dei.*

quod caro humana in Adam et in Eva florida fuit, quia in statu prosperitatis. Daniel. IV, 1 : *Ego Nabuchodonosor quietus eram in domo mea, et florens in palatio meo.* Unus flos erat quo carebat carnali concupiscentia. Alius quo carebat pœna. Isa. XVIII, 5 : *Ante messem enim,* antequam a diabolo meteretur, *totus effloruit.* Sed sicut dicit Isidorus : « Flos a fluendo dicitur, quia cito fluit, « ad modicum scilicet ventum. » Sic cito a carne uterque flos fluxit flante serpente. Job, XV, 33 : *Lædetur quasi vinea in primo flore botrus ejus.* Et Isa. XL, 7 : *Exsiccatum est fœnum, et cecidit flos, quia spiritus Domini,* quem fecit Dominus, *sufflavit in eo.* Sic ergo natura humana defloruit, et flores in spinas et tribulos sunt conversi. Genes. III, 18 : *Spinas et tribulos germinabit tibi.* Sed postea in Christo refloruit. Floruit in incarnatione, Matth. II, 23 : *Quoniam Nazareus vocabitur,* id est floridus. Sed refloruit in resurrectione, abjecta scilicet omni pœnalitate, Psal, LXXXIX, 6 : *Mane floreat.* Cant. II, 12 : *Flores apparuerunt in terra nostra.*

Caro humana floruit in statu innocentiæ, emarcuit per peccatum, per resurrectionem reflorescit.

« *Et ex voluntate.* » Hic tangit beneficia sibi in suis exhibita, et sunt tria. Primum, gratiarum actio. Datur enim membris glorificare Dominum propter capitis glorificationem. Secundum, in bono roboratio, ibi, « *Dominus fortitudo.* » Tertium, a malo liberatio, ibi, « *Et protector.* »

Ait ergo : sic mihi fecit in me ipso hæc bona quæ præmisi : Et ego *confitebor ei,* » gratias referendo in membris meis, dicit Glossa. In ipsis enim laudat, et agit gratias, qui in ipsis prædicat. II ad Corinth. XIII, 3 : *An experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Christus?* Psal. LXXXIV, 9 : *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus, quoniam loquetur.* « *Et ex voluntate,* » non coactione. Et hoc non est mirum, quia debitum est : libenter debeo solvere quod debeo, et sic absolvere meipsum a debito. Aliæ enim omnes creaturæ laudant ex omni quod acceperant. Augustinus : « Non « tacet nec cessat laudes tuas universa « creatura [1]. » Cum ergo homo habeat in se principia, nimirum voluntatem, laudare debet ex illa. Psal. LIII, 8 : *Voluntarie sacrificabo tibi.* I Paral. XXVIII, 9 : *Servito ei corde perfecto, et animo voluntario.* Item, discretum est. Seneca ad Lucilium : « Nihil invitus facit sapiens, quia jucundum. » Item, de beneficiis : Sapientes quidquid oportet et juvat, id delectat, quia honestum. Seneca : « Nihil honestum quod ab invito et coacto fit. » Omne enim honestum voluntariumque Deo acceptum, et aliter non. Exod. XXV, 2 : *Ab omni homine qui offert ultroneus,* id est, voluntarius, *accipietis.*

« *Dominus fortitudo,* » Hic secundum, 8
et tangit beneficium fortitudinis. Quasi diceret : Sic gratias ago voluntarie. Et hoc justum, quoniam « *Dominus fortitudo,* » roborans in bono, « *plebis suæ.* » I Machab. III, 19 : *Non in multitudine exercitus victoria belli, sed de cœlo fortitudo est.* Isa. XL, 29 : *Qui dat lasso virtutem, et his qui non sunt, fortitudinem et robur multiplicat.* Cassiodorus : « Brevis magnaque datur hic definitio, « quid est Dominus. » « *Dominus fortitudo plebis suæ, et protector* » etiam a malo, « *salvationum Christi sui,* » id est, illorum quos per Christum salvare ordinavit. Genes. XV, 1 : *Ego protector tuus, et merces tua magna nimis.* Est autem fortitudo per fidem, quæ omni malo fortiter resistit. II Petr. V, 9 : *Cui resistite fortes in fide.* Ad Hebr. XI, 13 : *Sancti per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam,* etc. Sed protector quasi dua-

[1] S. AUGUSTINUS, Lib. V Confessionum.

bus alis, spe, et charitate. Psal. xvi, 8 : *Sub umbra alarum tuarum protege me.* Vel salvationum Christi, id est, salvatorum hic a Christo per gratiam, protector in futuro per gloriam. Prov. iv, 9 : *Dabit capiti tuo augmenta gratiarum,* Christus hic in præsenti : *et corona inclyta proteget te,* Deus Pater in futuro.

9 « *Salvum fac populum tuum.* » Hic est secundum totius hujus partis, in quo præmissa gratiarum actione pro seipso, quasi pro acceptis beneficiis, subjungit orationem pro suis, et petit eis quatuor. Primo, gratiam prævenientem. Secundo, cooperantem, ibi, « *Et benedic.* » Tertio, permanentem, ibi, « *Et rege.* » Quarto, consummantem, ibi, « *Et extolle.* »

Quadruplex gratia necessaria.

Dicit ergo : Sic o Domine gratias ago, et rogo, « *Salvum fac,* » a peccatis eripiendo per gratiam prævenientem populum tuum. De qua salute, Eccli. xxx, 15 : *Salus animæ in sanctitate justitiæ.* Matth. i, 21 : *Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.*

« *Et benedic hæreditati tuæ,* » ei in bono cooperando. Psal. xvii, 28 : *Quoniam tu populum humilem salvum facies.* Et iterum, Psal. iii, 9 : *Super populum tuum benedictio tua.* Num. vi, 27 : *Invocabunt nomen meum super filios Israel, et ego benedicam eis,* benedictione quæ benedixit Isaac Jacob, Genes. xxvii, 28 : *Det tibi Deus de rore cœli, abundantiam frumenti, et vini et olei.* Et in eodem, ℣. 33 : *Benedixique ei, et erit benedictus.* Prov. x, 22 : *Benedictio Domini divites facit.* « *Et rege eos,* » de bono in melius promovendo. Psal. xxii, 1 : *Dominus regit me,* etc. Et alibi, Psal. xlvii, 15 : *Ipse reget nos in sæcula,* ne cadamus vel retrocedamus : alioquin cito caderemus. Prov. xi, 14 : *Ubi non est gubernator, populus corruet.*

« *Et extolle illos,* » per gratiam consummantem « *usque in æternum,* » id est, in æterna appetenda, ut nihil aliud velint. Ubi illa, ibi sit conversatio sua. Ad Philip. i, 23 : *Cupio dissolvi et esse cum Christo.* Supra, in Psal. xxvi, 4 : *Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem,* etc. Hoc quantum ad affectum. Vel sic : « *Extolle illos* » per intelligentiam mysticam Scripturarum in opus bonum, « *usque in æternum,* » id est, per totam vitam istam. Et respicit intellectum. Et tangitur duplex sacræ Scripturæ effectus. Elevare ad bonum : et in illo conservare. De primo, Isa. lii, 13 : *Ecce intelligerit servus meus, exaltabitur.* Proverb. iv, 8 : *Arripe illam, et exaltabit te.* De secundo, Sap. vi, 10 : *Ad vos, o Reges, sunt sermones hi mei, ut discatis sapientiam, et non excidatis.* Vel, « *extolle illos,* » hinc « *usque in æternum,* » id est, in vitam æternam, scilicet simul corpus et animam. I Petr. v, 6 : *Humiliamini sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis.* Isa. lviii, 14 : *Sustollam te super altitudines terræ, et cibabo te hæreditate Jacob patris tui.* Magna ergo nobis confidentia esse debet, quia Christus oravit pro nobis. Cassiodorus : « Rogavit pro vobis qui ora« tur et ab Angelis. Judex omnium crea« turarum advocatus est noster : ut a « morte liberari potuissemus, ille magis « voluit occidi. » Vel potest esse petitio Prælati ad Christum sic passum, et resuscitatum. « *Salvum fac populum tuum,* » nam salvator es : « *Et benedic hæreditati tuæ,* » nam sacerdos magnus : « *Et rege eos,* » quia rex : « *Et extolle illos,* » quia Deus, etc.

Christus orat pro nobis.

PSALMUS XXVIII.

Vocantur filii Dei ad adorandum Dominum, cujus vox describitur.

Psalmus David,

1. *In consummatione tabernaculi.* Afferte Domino, filii Dei, afferte Domino filios arietum.
2. Afferte Domino gloriam et honorem : afferte Domino gloriam nomini ejus : adorate Dominum in atrio sancto ejus.
3. Vox Domini super aquas : Deus majestatis intonuit : Dominus super aquas multas.
4. Vox Domini in virtute : vox Domini in magnificentia.
5. Vox Domini confringentis cedros, et confringet Dominus cedros Libani :
6. Et comminuet eas tamquam vitulum Libani : et dilectus quemadmodum filius unicornium.
7. Vox Domini intercidentis flammam ignis.
8. Vox Domini concutientis desertum, et commovebit Dominus desertum Cades.
9. Vox Domini præparantis cervos, et revelabit condensa : et in templo ejus omnes dicent gloriam.
10. Dominus diluvium inhabitare facit : et sedebit Dominus rex in æternum.
11. Dominus virtutem populo suo dabit : Dominus benedicet populo suo in pace.

IN PSALMUM XXVIII

COMMENTARIUS.

1 *Psalmus David.* [1].

Argumentum Psalmi : Exhortatio ad imitandum Christum patientem et se immolantem.

« *Afferte Domino, filii Dei.* » Hic est Psalmus vigesimus octavus, in quo postquam descripta est passio et resurrectio, ad quam venit per illam, ut suspiranti et quærenti unam, quid imitandum esset, et qua via ad illud veniendum monstraretur, subjungitur consequenter invitatio pœnitentium fidelium, ad imitandum quod propositum est, et seipsos Deo in passionibus immolandos. Hoc autem satis ostenditur in titulo præposito huic Psalmo. Talis enim est : « *Psalmus David, In consummatione tabernaculi.* » In quo tanguntur, sicut vult Glossa, historiæ : I Reg. IV, de captione arcæ a Philisthæis, et ejusdem reductione, prop-

L'hébreu a seulement pour titre : *Psaume de David.* Dans le texte nous ne trouvons aucune indication autorisant soit à refuser à David la composition du psaume, soit à préciser l'époque où il

ter plagas multas in domum Aminadab in Gabaa [1]. Cui postea David præparavit tabernaculum, et adduxit illam, consummans in hoc tabernaculum suum, magno tripudio, et oblationibus multis et sacrificiis invitans alios ad offerendum similiter.

Quod ergo ibi factum est ad litteram, hic fit spiritualiter. Consummata enim Ecclesia militante a Christo in sua Resurrectione quantum in ipso fuit, quæ tabernaculum appellatur, Apocal. XXI, 3 : *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus.* Et iterum resumpta carne gloriosa, et sic ad perfectum ducto proprii corporis tabernaculo, ad nos ipsos immolandos Deo invitamur, ut tandem nostra recipiamus tabernacula gloriosa, et consummata. Sensus ergo tituli talis est : « *Psalmus* » hic est « *David* » Prophetæ, editus « *in consummatione,* » id est, pro consummatione « *tabernaculi,* » scilicet Ecclesiæ, et hortantis ut ad consummationem sui proprii tendat quilibet seipsum Deo hostiam offerendo.

Dividitur ergo Psalmus in tres partes. Primo, invitat ad Dei venerationem. Se-

a pu l'écrire. Les LXX ajoutent : ἐξοδίου σκηνῆς, ce que la Vulgate traduit : « in consummatione tabernaculi, » pour l'achèvement du tabernacle construit par David, II Reg. VI, 17. D'autrès lisent ἐξόδου, pour la sortie du tabernacle. Mais rien dans le psaume ne justifie son application spéciale à l'une où à l'autre de ces circonstances. Delitzsch remarque que le mot ἐξοδίου désigne dans LXX les le dernier jour des solennités, Lévit. XXIII, 36, et il entend χκηνῆς dans le sens du σκηνοπησίας, la fête de la Pentecôte ou des Tabernacles. C'est à cette interprétation que se rallient la plupart des modernes. Le psaume aurait donc été employé dans la liturgie primitive, le dernier jour des fêtes de la Pentecôte ; le Talmud, Sofrim, XVIII, 3, confirme expressément cette donnée. La synagogue moderne le lit au premier jour de la solennité. Nous avons cependant une assez grande liberté vis-à-vis de ce titre, car il n'est pas dans l'hébreu, et Théodoret atteste ne l'avoir point trouvé dans les Hexaples.

David pour donner quelque idée de la puissance majestueuse de Dieu, fait la description d'un orage. « Solet vir sanctus celebrare vim et providentiam Dei tum describendis rebus cœlestibus, tum etiam commemorandis iis, quæ magna cum admiratione omnium in regione aeris fiunt, cujusmodi sunt horrisona illa tonitrua, et vis incredibilis fulminum ac ventorum omnia quæque disturbans. Hoc genere utitur in hoc psalmo, materiam fortasse nactus ex aliqua turburlenta tempestate, quam elegantissime describit. » Flaminius. La description est en effet saisissante dans sa simplicité. La forme est peu variée, et le parallélisme ne consiste guère qu'en répétitions. Mais grâce à cet artifice de composition, le poète fait retentir aux oreilles, les éclats du tonnerre, dont la grande voix se fait écho à ellemême, en répercutant toujours avec la même puissance ses majestueux grondements. L'orage part du nord, des montagnes du Liban, il ébranle tout sur son passage, et arrive jusqu'au Sud de la Palestine, au désert d'Arabie. Toute résistance plie devant son invincible furie, les végétaux sont mis en pièces, les animaux sont saisis d'épouvante et devancent l'heure de la nature. Quant à l'homme il reste muet dans son effroi et son admiration, car seul de tous les êtres d'ici-bas, il est appelé à avoir l'intelligence de ce spectacle. Aussi bien, est-ce du haut du ciel que le psalmiste le fait assister à l'ouragan. Les deux premiers versets l'y ont transporté ; la fin du psaume détourne son regard de la terre, et le ramène sur Jéhova, qui, au-dessus de la nature bouleversée, siège dans la gloire et le calme de sa puissance. Enfin le prophète tire sa conclusion : Jéhova, le Dieu d'Israël, est aussi le maître de la création : il peut donc accorder la paix à son peuple, il le veut, et Israël n'a rien à redouter. Dans ce tableau, que Notre-Seigneur a reproduit en abrégé, Matth. VII, 27, la voix de Dieu est nommée sept fois ; on l'a comparée aux sept tonnerres de l'Apocalypse, X, 3, et elle est l'annonce et la figure de cet Esprit « septiformis munere, » qui doit aussi ébranler la terre à la Pentecôte de la loi nouvelle.

Les anciens, induits en erreur par le titre des LXX, ont tous laissé de côté le sens littéral pour ne voir dans le psaume qu'une allégorie. S. Athanase, Théodoret, etc. y reconnaissent l'Église et la prédication évangélique. Dans cette interprétation, les fils de Dieu sont les Apôtres, les fils des taureaux les Gentils, la masse des eaux est la multitude des peuples, les cèdres sont les grands de la terre, la voix du Seigneur est la parole de vérité, etc. S. Basile, qui lit ἐξόδου, tire de ce psaume les devoirs des lévites au sortir du tabernacle, et spirituellement ceux du chrétien au sortir de la vie. Les anciens rabbins l'ont appliqué à la promulgation de la loi au Sinaï, et Kimchi au temps du Messie et au jugement des nations. Le sens spirituel le plus probable est celui qui voit dans cet orage la figure des phénomènes qui accompagnèrent la venue du Saint-Esprit.

H. LESÊTRE.

[1] Cf. adhuc I Reg. V, VI et VII.

cundo, subjungit causam quare debeant ipsum venerari modis dictis, scilicet constructionem tabernaculi, id est, Ecclesiæ, ibi, « *Vox Domini super aquas.* » Tertio, agit de statu constitutæ, ibi, « *Dominus diluvium.* »

In prima duo. Primo, invitat ad venerationem. Secundo, locum determinat, in quo debetur ei veneratio et reverentia exhiberi, ibi, « *Adorate Dominum.* »

In prima duo. Primo, invitat ad venerationem Dei simpliciter. Secundo, specialiter filii Dei, ibi, « *Afferte gloriam nomini ejus.* »

In prima duo. Primo, cui debeant offerre et exhibere reverentiam. Secundo, quid offerre debeant, ibi, « *Afferte Domino filios arietum.* »

Prima pars Psalmi.

Dicit ergo : Sic audivistis filium Dei passum, et resurrexisse. Ergo « *o filii Dei* » per fidem, Joan. I, 12 : *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus.* Ad Galat. III, 26 : *Filii Dei estis per fidem.* « *Filii,* » per charitatem operantem et ad bonum moventem. Ad Rom. VIII, 14 : *Qui spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei,* I Joan. III, 10 : *In hoc manifesti sunt filii Dei,* supple, quia sese diligunt ad invicem : de dilectione enim loquebatur : aliorum enim oblationes non approbat. Eccli. XXXIV, 23 : *Dona iniquorum non probat Altissimus, nec respicit in oblationes iniquorum.* Genes. IV, 4 : *Respexit Dominus ad Abel, et ad munera ejus* : quia filius erat. Ad Cain autem non respexit : quia non erat filius Dei, sed diaboli. Sed, heu ! multi offerunt hodie qui non sunt filii Dei, sed diaboli, et ob hoc eorum non acceptantur sacrificia ! I Reg. II, 12 : Porro *filii Heli, filii Belial, nescientes Dominum.*

« *Afferte Domino,* » munera ejus, quia Eccli. XXXV, 6, dicitur : *Non apparebis ante conspectum Domini* Dei tui *vacuus.* Sed quid « *afferte Domino,* » repetit, non idolis, sicut illi de quibus Isa. LXV, 3 : *Qui immolant in hortis, et sacrificant super lateres.* Jerem. VII, 18 : *Filii colligunt ligna, et patres succendunt ignem, et mulieres conspergunt adipem, ut faciant placentas reginæ cœli,* lunæ scilicet. « *Afferte,* » inquam, repetit ut reddat, « *filios arietum,* » agnos secundum litteram, secundum sensum spiritualem, masculinum opus quod notatur in filio, et forte, quod notatur in ariete. Levit. V, 15 : *Anima, si.... peccaverit, offeret pro delicto suo arietem*, operationem scilicet fortem. Malach. I, 14 : *Maledictus dolosus, qui habet in grege suo masculum, et votum faciens immolat debile Domino.*

Nota, quod filii Dei etiam Angeli dicuntur. Job, XXXVIII, 7 : *Ubi eras.... cum me laudarent astra matutina, et jubilarent omnes filii Dei,* id est, boni Angeli? Job, I, 6 : *Quadam autem die, cum venissent filii Dei ut assisterent,* etc. His filiis dicitur ut afferant Deo filios arietum, fideles in fide genitos et Apostolis et Martyribus sanctis. I ad Cor. IV, 15 : *In Christo Jesu per Evangelium ego vos genui.* Horum filiorum est afferre ad Deum animas. Luc. XVI, 22 : *Factum est autem ut moreretur mendicus, et portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ.*

His ergo dicitur ut afferant « *filios arietum,* » id est, Apostolorum et Martyrum, qui dicuntur *arietes.* Psal. LXV, 15 : *Holocausta medullata offeram tibi,* in confessoribus devotissimis : *cum incenso arietum,* Martyrum et Apostolicorum doctorum in craticula passionis. Et dicuntur *arietes* multiplici de causa. Primo, quia aries dicitur a *ruendo* secundum Isidorum, quia ruit fronte, et impugnat contraria. Sic Apostoli sancti et Martyres idola ipsa destruxerunt. Ezech. III, 8 : *Ecce dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum, et frontem tuam duriorem frontibus eorum, et ut adamantem et ut silicem dedi faciem tuam.* Secundo aries dicitur etiam ab ἄρεος secundum eumdem Isidorum, quod idem est quod *virilis.* Et ipsi viriles fuerunt valde, quibus nihil potuit resistere. Proverb. XXX, 30 et 31 : *Leo fortissimus bestiarum, ad nullius*

Quare Apostoli dicuntur arietes ?

pavebit occursum. Gallus succinctus lumbos: et aries: nec est rex, qui resistat ei. Tertio, secundum eumdem Isidorum, aries dicitur ab *ara*, in qua immolabatur. Et ipsi fuerunt Deo immolati. Psal. XLIII, 22: *Quoniam propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oves occisionis.* Joan. XVI, 2: *Venit hora ut omnis qui interficit vos, arbitretur se obsequium præstare Deo.* Item, aries vermem habet latentem in capite, unde alio nomine dicitur *vervex*, quasi vehens vermem. Sic ipsi illum latenter gestabant in mente, qui dicit in Psal. XXI, 7: *Ego autem sum vermis et non homo.* Vis videre vermem in capite? I ad Cor. XIII, 3: *An experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur, Christus?* Item, non solum aries vermem habet, sed ad ejus motum se movet, et ruit in durissima. Sic Apostoli ad nutum Christi in ipsis existentis, movebantur et ruebant in adversa. Matth. X, 16: *Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum.* Item, ductores gregis sunt. Sunt et Apostoli fidelis populi, Ezech. XXXIV, 17: *Vos greges mei homines estis.* Et in Psal. XLVI, 10, dicitur de Apostolis: *Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham.* Et alibi, Psal. XLIV, 17: *Constitues eos principes super omnem terram.* Item, quia cornua duo habentes: cornua duo, scilicet Testamentum Vetus, et Novum. Dan. VIII, 4: *Vidi arietem cornibus ventilantem contra Occidentem, et contra Aquilonem, et contra Meridiem.* Cœtus enim Apostolicus undique ventilavit. Si enim Moyses cornutus effectus ex consortio Angeli [1], quomodo isti non erunt cornuti ex consortio Christi? Ultimo, quia ornamenta gregis, et præsidia. Sic Apostoli: Ecclesiam enim ornaverunt et protegunt. Exod. XXVI, 14: *Facies et operimentum aliud tecto de pellibus arietum rubricatis.*

« *Afferte Domino.* » Hic tertium, quomodo vel quo fine, quia ad gloriam Dei, vel honorem.

Ait enim: « *Afferte filios arietum,* » vosmetipsos, vel bona opera et fortia: Et, « *Afferte gloriam, et honorem,* » id est, ad honorem et gloriam Domini afferte, quæ affertis, id est, ad ejus honorem: vel « *gloriam* » referatur ad devotionem cordis, et « *honorem* » ad integritatem operis. Hoc autem modo est offerendum Deo, quia gloria tota ejus debet esse. Isa. XLII, 8: *Gloriam meam alteri non dabo, nec laudem meam sculptilibus.* Et honor similiter debet ejus esse. I ad Tim. I, 17: *Regi sæculorum immortali, invisibili, soli Deo, honor et gloria, in sæcula sæculorum, Amen.*

« *Afferte Domino gloriam nomini ejus.* » Ecce secundum, in quo invitat ad honorem Filii specialiter. Quasi diceret: Afferte Patri, et etiam « *afferte gloriam nomini ejus,* » Filio qui est Patris nomen, et sic secundum litteræ veritatem, « *Afferte Domino gloriam,* » Domino, inquam, et « *nomini ejus,* » Patris scilicet, scilicet Filio, qui est ejus nomen, quia sicut per nomen cognoscitur aliquis, sic per Filium Pater. Huic danda gloria sicut ipsi, quia Patri æqualis. Ad Philip. II, 6: *Non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo.* Et intelligitur gloria danda Spiritui sancto, quia amor et nexus intelligitur intellecto utroque extremorum. Propter hoc canit Ecclesia, « *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto.* » Et nota, quod hoc impleverunt reges in die Epiphaniæ. Obtulerunt enim aurum in signum gloriæ regalis, et thus in signum gloriæ sacerdotalis, et sic obtulerunt indicia summæ gloriæ viventium. Obtulerunt et myrrham quæ est gloria regalis sepulturæ, et sic obtulerunt gloriam morientium [2].

Oblatio Magorum exhibet perfectum honorem.

[1] Cf. Exod. XXXIV, 29.

[2] Cf. Matth. II, 11 et seq. de omnibus his.

« *Adorate.* » Hic ostendit vel offerendum vel afferendum. Quasi diceret : Sic monui afferre, ostendens quid, et cui, et quomodo. Sed quantum ad locum, dico, « *Adorate Dominum,* » non in quolibet loco, sed « *in atrio sancto ejus,* » in Ecclesia scilicet militante, quæ est atrium et thalamum et aulam triumphantis. In Psal. CXXI, 2 : *Stantes erant pedes nostri in atriis tuis Jerusalem.* Atrium etiam sanctum est cor devotum. Esther, v, 13 : Mardochæus, Christus, libenter stat in atrio[1]. Joan. IV, 23 : *Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu, et veritate.* II ad Cor. XIV, 15 : *Orabo spiritu, orabo et mente.*

Atrium autem potest appellari stabulum illud, in quo adoraverunt Reges. Atrium enim dicitur secundum Isidorum, eo quod sit atrum fumo et igne. Chrysostomus : « Quid gloriosum pro tanto itinere videntes gavisi sunt? Numquid palatium marmoribus splendidum? Numquid regiam diversis populis personantem? Sed pandochium magis tenebrosum et sordidum, et magis animalibus quam hominibus aptum, in quo nemo coactus erat secedere, nisi itineris necessitate. » Et quamvis tale, tamen sanctum. II Machab. v, 19 : *Non enim propter locum, gentem, sed propter gentem locum Deus elegit.* Et Chrysostomus super *Matthæum* : « Non enim locus sanctificat hominem, « sed homo locum. » Bene ergo sanctus locus ille, valde pretiosum stabulum, quod continet Jesum qui est sanctorum sanctissimus. I Reg. II, 2 : *Non est sanctus ut est Dominus.* Et Mariam, quæ est sanctarum sanctissima, Proverb. XXXI, 29 : *Tu vero supergressa es universas.* Propterea enim est quod dicit Eccli. XXIV, 16 : *In plenitudine sanctorum detentio mea.* Nec potest esse atrum, quamvis sit atrium : quia continet Mariam et Jesum. De Maria enim dicitur, Eccli. XXVI, 21 : *Sicut sol oriens mundo in altissimis Dei, sic mulieris bonæ species in ornamentum domus ejus.* Et quis Christum dubitat solem esse, nisi qui non legit? Malach. IV, 2 : *Et orietur vobis timentibus nomen meum sol justitiæ.*

« *Vox Domini super aquas.* » Hic est secunda pars Psalmi, in qua tamquam ratio præmissorum subjungitur Ecclesiæ ædificatio et consummatio, quæ facta est per prædicationem Christi et per se ipsum, et per discipulos : et dicuntur quatuor, secundum quator differentias hominum quibus est prædicandum. Primo, tangitur de prædicatione inferiorum, et minorum. Secundo, majorum, ibi, « *Vox Domini confringentis cedros.* » Tertio, de prædicatione persecutorum, ibi, « *Vox Domini intercidentis.* » Quarto, devotorum, ibi, « *Vox Domini præparantis cervos.* » Omnes enim quibus prædicatum est, sunt aut parvi, aut magni, aut contrarii, aut devoti. 3

Secunda pars Psalmi.

Notantur quatuor genera hominum quibus prædicatum est Evangelium.

In prima duo. Primo, agit de prædicationis actu. Secundo, de effectu inde consecuto, ibi, « *Vox Domini in virtute.* »

In prima dicuntur duo. Primo, quis, et quibus prædicavit. Secundo, qualiter, ibi, « *Deus majestatis.* »

Dicit ergo : Sic afferte Domino, et justum, quia « *vox Domini,* » id est, Christi, supple, facta est « *super aquas,* » Judæos scilicet et Gentes, qui aquæ sunt. II Reg. XIV, 14 : *Omnes morimur, et quasi aquæ dilabimur in terram, quæ non revertuntur.* Apocal. XVII, 15 : *Aquæ, quas vidisti ubi meretrix sedet, populi sunt, et tribus.* Sed per se Judæis, per suos autem Gentibus. Propter primum enim dixit, Matth. XV, 24 : *Non sum missus nisi ad oves quæ*

[1] Esther v, 13 : *Nihil me habere puto,* aiebat Aman, *quamdiu videro Mardochæum Judæum sedentem ante fores regias.*

perierunt domus Israel. Propter secundum dixit, Matth. XVI, 15: *Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ.*

« *Deus majestatis.* » Hic tangit modum prædicationis, et hunc duplicem. Primo, quia terribiliter. Secundo, quia late et diffuse, non aliquibus specialiter, ibi, « *Dominus super aquas multas.* »

Ait ergo sic : « *Vox Domini super aquas, Deus majestatis,* » Dei scilicet Filius, in majestate idem cum Patre, et gloria, « *intonuit,* » hoc est, terribiliter prædicavit per seipsum Judæis. Job, XXXVII, 5 : *Tonabit Deus in voce sua.* Vel mirabiliter : et hoc de nube carnis. Isa. XIX, 1 : *Ascendet Dominus super nubem levem, et ingredietur Ægyptum.* Et postmodum per suos, scilicet per Apostolos, qui nubes erant. Isa. LX, 8 : *Qui sunt isti, qui ut nubes volant?* et de illorum quibusdam, Marc. III, 17 : *Et imposuit eis nomina Boanerges, quod est, Filii tonitrui.* Psal. LXXVI, 19 : *Vox tonitrui tui in rota,* in mundo ad similitudinem rotæ facto.

Cum terrore prædicatio salutaris.

Et sicut quando tonat cœlum, tunc aquæ moventur, et pisces levius capiuntur, sic quando prædicatur terribiliter, tunc magis homines convertuntur. Habac. I, 14 : *Facies homines quasi pisces maris.* Eccli. XLIII, 18 : *Vox tonitrui ejus verberavit terram.*

« *Dominus super aquas multas.* » Quasi diceret : Sic prædicavit super aquas terribiliter, non tantum in una civitate, vel in uno loco specialiter, sed « *Dominus* » intonuit « *super aquas multas,* » quia per totum mundum universaliter. Psal. XVIII, 5 : *In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines,* etc. Job, XXVI, 14 : *Quis tonitruum magnitudinis illius poterit intueri?* Apocal. XIV, 2 : *Et audivi vocem de cœlo, tamquam vocem aquarum multarum, et tamquam vocem tonitrui magni.* Et ex hoc ergo timor Domini. « Decet enim, ut dicit Philosophus, ut « te timeant, quoniam tartara sunt. »

4 « *Vox Domini in virtute.* » Hic est secundum, in quo ostenso a quo, et quibus est prædicatum, subjungitur hic de effectu consecuto ex prædicatione illa, et tangitur duplex. Primo, quia fecit gratiosos. Secundo, quia gloriosos. Gratiosos per virtutes, gloriosos per miraculorum operationes.

Ait ergo : Sic intonuit Dominus per se et per suos super minores. « *Et vox Domini* » facta est « *in virtute,* » id est, virtutem auditoribus contulit, scilicet pietatem, qua colebant Deum et misericordes erant ad proximum. I ad Tim, IV, 7 : *Exerce teipsum ad pietatem : pietas autem ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, et futuræ.* In virtute etiam erant, non tantum hoc modo, sed etiam virtuosos, fortes, et constantes reddebant, ut impleretur in eis illud II Machab. VIII, 21 : *His verbis constantes effecti sunt, et pro legibus et patria mori parati.* Eccle. VIII, 4 : *Sermo illius pietate plenus est*[1].

« *Vox Domini in magnificentia.* » In magnorum efficientia, scilicet operum miraculosorum, per quæ magnifici reddebantur. Psal. LXVII, 35 : *Magnificentia ejus, et virtus ejus in nubibus,* et conversis factis prædicatoribus et doctoribus. Unde in primitiva Ecclesia implebatur illud Eccli. XLV, 2 : *Magnificavit eum in timore inimicorum, et in verbis suis monstra placavit.* Vel secundum Glossam in magnificentia fuit conferens scientiam, quæ est donum consequens pietatem. Et dicitur recte « *in magnificentia* » vox conferens tale donum : quia magnificos faciet in bono et in malo. In malo, quia I ad Cor. VIII, 1 : *Scientia inflat.* In bono etiam magnos facit secundum illud ad

[1] Vulg. habet, Eccle. VIII, 4 : *Sermo illius potestate plenus est.*

Rom. VIII, 30 : *Quos justificavit*, per pietatem, *hos et glorificavit*, per scientiam conversandi in medio pravæ et perversæ nationis. Sicut enim magnæ stellæ et luminaria mundum illuminantia, sic prædicatores conversante sin mundo. Ad Philip. II, 15 : *Ut sitis sine querela, et simplices filii Dei, sine reprehensione in medio nationis pravæ et perversæ* : *inter quos lucetis sicut luminaria in mundo*. Possunt etiam exponi hæc verba de S. Joanne Baptista, sed de hoc alias dictum est.

5 « *Vox Domini confringentis cedros.* »

Prædicatio ad majores.

Hic est secundum, in quo agitur de prædicatione in comparatione ad majores : et dicuntur duo secundum duplicem effectum quem habet in illis. Primus, conversio et humiliatio ad fidem Christi. Secundus, Christi imitatio usque ad mortis sustinentiam, ibi, « *Et comminuet.* »

In prima duo. Primo, tangitur conversio majorum de Gentibus. Secundo, majorum de Judæis, ibi, « *Et confringet Dominus.* »

Dicit ergo : Sic vox Domini potuit in aquis, in minoribus : et etiam vox Domini fuit « *vox confringentis cedros,* » Gentilium nobiles et magnos, sicut cedrus est arbor nobilis, et magna. Isa. XLV, 2 : *Gloriosos terræ humiliabo*. Et hoc est confringere. Psal. XVII, 39 : *Confringam illos, nec poterunt stare*, etc. Et alibi apertius, Psal. CIX, 5 : *Dominus a dextris tuis, confregit in die iræ suæ reges*. Et intellige *iræ suæ reges* : cum enim magis furerent contra Christum, tunc sunt confracti : et hoc satis mirabile : cedrus enim est arbor valde dura : et quod membrum mollius lingua ? et tamen cedrum confregit. Proverb. XV, 1 : *Responsio mollis frangit iram* : et XXV, 15 : *Patientia lenietur princeps, et lingua mollis confringet duritiam.*

« *Et confringet Dominus,* » voce prædicationis suæ « *cedros Libani,* » altos et superbos Judæos. Libanus enim est mons fertilissimus, et illa gens inter alias, bono omni et gloria abundabat, et viros habebat altissimos, de quibus in Psal. CIII, 16 : *Et cedri Libani, quas plantavit*. Dominus has proprie confregit, et perfectius confriget in fine quando convertentur omnes ad Christum, et humiliabuntur secundum prophetiam Isaiæ [1]. Sapient. IV, 5 : *Confringentur rami inconsummati*, Judæi scilicet tenentes legem ad nullam ducentem perfectionem. Ad Hebr. VII, 19 : *Ad nihil perfectum adduxit lex*. Quod si non confringuntur hic in præsenti, per gratiam scilicet, confringentur tandem, sicut et omnes superbi in judicio per potentiam. Isa. II, 13 : *Dies Domini super omnes cedros Libani sublimes et erectas.*

Superbus cedro collatus.

Et nota, quod cedro comparatur superbus multiplici de causa. Primo, ratione altitudinis : quia cedrus super omnes arbores se extollit. Gregorius : « Cedrus « cætera, in altum crescendo deserit, sic « superbus omnes alios, quasi sub se res- « piciens contemnit [2]. » Amos, II, 9 : *Altitudo cedrorum altitudo ejus*. Psal. LXXIII, 23 : *Superbia eorum qui te oderunt*, etc. Secundo, ratione fortitudinis, et duritiei. Job, XL, 12 : *Stringit caudam suam quasi cedrum*. Sic superbus nihil timet, omnia aggreditur. Superbus non pertimescet timorem Domini. Tertio, ratione pulchritudinis. Sic superbus si habet pulchritudinem, ostendit eam : si non, quærit, per ornatum, et alia, Ezech. XXXI, 3 : *Ecce Assur quasi cedrus in Libano, pulcher ramis, et frondibus nemoro-*

[1] Isa. x, 33 et 34 : *Ecce dominator Dominus exercituum confringet laguunculam in terrore, et excelsi statura succidentur, et sublimes humiliabuntur. Et subvertentur condensa saltus ferro, et Libanus cum excelsis cadet.* Cf. etiam Paulum ad Roman. XI, 19 et 20 : *Dices ergo : Fracti sunt rami ut ego inserar ? Bene : propter incredulitatem fracti sunt.*

[2] S. GREGORIUS, In libro Moral. 32.

sus. Sic superbus omnia membra sua ornat, digitos annulis, capillos thiaris facientibus crispationes, pedes strictis calceis, totum corpus pretiosis vestibus. Nec nititur cum incedit, talo, sed pedum digitis. Et irridet talem Seneca in libro de *Beneficiis* : « O superbia stultissimum « malorum ! Omnium beneficiorum bona « in injuriam convertis. Ut omnia te de- « deceant, quo altius te sublevasti, eo de- « pressior es. » Quarto, ratione multiplicationis. Est enim arbor ramosa. Psal. xci, 13 : *Sicut cedrus Libani multiplicabitur.* Sic superbi multiplicant familiam, consanguineos, et parentes. Ezech. xxxi, 5 : *Elevata est altitudo ejus super omnia ligna regionis : et multiplicata sunt arbusta ejus, et elevati sunt rami ejus,* scilicet consanguinei ejus in superbiam. Quippe Eccli. xiii, 1 : *Qui communicaverit superbo, induet superbiam.* Quinto, ratione durationis. Isidorus : « Cedrus diu durat. » Sic superbia est vitium valde durans. Job, xv, 20 : *Cunctis diebus suis impius superbit.* Augustinus super *Psalmos :* « Superbia ultimum peccatum re- « deuntibus, et primum a Deo receden- « tibus. » Sexto, ratione infructuositatis. Cassiodorus : « Hæc in radice sua manens « infructuosa, succisa tamen utilis est ad « tigna domorum facienda. » Cant. i, 16 : *Tigna domorum nostrarum cedrina.* Et ad machinas faciendas. Sic superbus si ceciderit, gladio verbi Dei succisus, et humiliatus, multum valet ad sustentationem Ecclesiæ, et machinas contra diabolum faciendas. Deut. xx, 20 : *Si qua autem ligna non sunt pomifera, sed agrestia, et in cæteros apta usus, succide et instrue machinas, donec capias civitatem quæ contra te dimicat.*

« *Et comminuet eos.* » Hic est secun- 6
dum, in quo tangitur illorum humiliatio ad Christi imitationem in more et passione : et dicuntur duo. Primo, ipsorum passio. Secundo, assimilatio illorum in ipsa passione Christo, ibi, « *Et dilectus.* »

Christi prædicatio humiliat superbos.

Dicit ergo : Sic constringet humilianliando : nec hoc tantum, imo « *et comminuet eos* » sic confractos « *tamquam vitulum Libani,* » qui comminuitur in sacrificio, secundum illud Levit. i, 6 : *Detractaque pelle hostiæ, artus in frusta concident.* Libanus enim est mons pascualis, ferax herbarum et ferarum et irriguus fontibus et rivis, ubi nutriebantur vituli sacrificandi. Dominus enim confregit cedrum, et taurum facit, et de tauro postea facit vitulum. Luc. i, 37 : *Non erit impossibile apud Deum omne verbum.* Et Matth. xxii, 4 : *Tauri mei, et altilia occisa sunt : venite ad nuptias.*

« *Et dilectus.* » Hic secundum. Quasi diceret : Sic comminuet eos : et hoc erit quemadmodum « *filius unicornium,* » Judæorum scilicet, « *dilectus* » a Deo Patre. Ac si dixisset : Ita comminuet eos, sicut Christus homo comminutus est, qui « *filius unicornium* » est, scilicet Judæorum, « *et dilectus* » a Deo Patre apparet. Matth. iii, 17 et xvii, 5 : *Hic est Filius meus dilectus.* Et ab Angelis, I Pet. i, 12 : *In quem desiderant Angeli prospicere.* Et ab hominibus, Agg. ii, 22 et 8 : *Ego movebo cœlum pariter et terram : et veniet desideratus cunctis Gentibus.* Cant. i, 12 : *Dilectus meus mihi, et ego illi.*

Judæi unicornes, quia unum tantum Testamentum recipiunt.

« *Et filius unicornium.* » Primo, quia Judæorum filius secundum carnem, qui dicuntur *unicornes,* quoniam tantum unum cornu, unum scilicet Testamentum habent, et inde superbientes. Ad Rom. ii, 17 : *Si autem tu Judæus cognominaris, et requiescis in lege, et gloriaris in Deo.* Item, unicornis superbissimum animal, et humano servitio inapplicabile. Job, xxxix, 9 : *Numquid volet rhinoce-*

ros servire tibi ? Sic Judæi, Joan. VIII, 33 : *Semen Abrahæ sumus, et nemini servivimus umquam.* Item, dicitur Christus *unicornis* propter modum Incarnationis. Dicit enim Isidorus, quod « virgo unicorni præparatur, quæ ve« nienti sinum aperit, in quo ille omni « feritate deposita caput deponit, sicque « soporatus, inermis capitur. Sic Maria « Virgine sinum extendente, Filius Dei in « ejus uterum descendit, et ligatus fasciis « et panniculis factusque domesticus, ad « præsepe positus fuit [1]. » Quod admirabatur Job, XXXIX, 9 : *Numquid volet rhinoceros servire tibi, aut morabitur ad præsepe tuum ? Numquid alligabis eum loro tuo ?*

Et nota, quod justus quilibet potest dici *unicornis.* Homo enim in paradiso habebat duplex cornu, sanitatem scilicet corporis qua poterat expellere omnem pœnam, et sanitatem mentis vel salutem qua ventilare poterat omnem culpam. Sec inito certamine cum diabolo confractum est utrumque cornu. Sed Christo veniente alterum est reparatum, scilicet salus mentis. Luc. I, 69 : *Et erexit cornu salutis nobis.* Hoc ergo reparato diabolum ventilamus. Psal. XLIII, 6 : *In te inimicos nostros ventilabimus cornu.* Sed aliud usque in futurum non reparabitur. Justorum unicornium filius est Christus. Matth. XII, 50 : *Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est : ipse meus frater, et soror, et mater est.* Et ostenditur in hoc collatio spiritus fortitudinis in Martyribus : summa enim fuit eorum fortitudo. Ad Hebr. XI, 34 : *Fortes facti,* etc.

« *Vox Domini intercidentis.* » Hic est tertium in quo agitur de prædicationis effectu, quantum ad adversarios, et ardentes igne iracundiæ contra fidem Christi : et dicuntur duo secundum effectum duplicem. Primo, iracundiæ illorum mitigatio. Secundo, ad fidem et ejus unitatem promotio, ibi, « *Vox Domini concutientis.* »

Dicit ergo : Sic potuit vox in minoribus et in majoribus, et etiam vox Domini est « *vox intercidentis,* » id est, mitigantis et reprimentis, « *flammam ignis,* » iracundiæ et furoris. Si enim ira ignis non esset, Jacob ad Laban non dixisset, Genes. XXXI, 36 : *Quam ob culpam meam et ob quod peccatum meum sic exarsisti post me?* Et Eccli. VIII, 13 : *Non incendas carbones peccatorum arguens eos.* Prov. XXVI, 21 : *Sicut carbones ad prunas, et ligna ad ignem, sic homo iracundus suscitat rixas.* Ignis etiam flamma, fomes et carnalis concupiscentia denotatur. Eccli. IX, 9 : *Concupiscentia quasi ignis exardescit.* Iste enim ignis se exserit in flammam, quando venit usque ad consensum, sed adhuc modicam, sed longe majorem quando crescit in actum. Proverb. VI, 27 : *Numquid homo potest abscondere ignem in sinu suo, ut vestimenta ejus non ardeant ?* Quasi dicat : Non, per se, sed hoc potest adjutorio gratiæ, et divinæ vocis virtute. Eccli. XVIII, 16 : *Nonne ardorem refrigerabit ros,* gratiæ scilicet? *sic et verbum melius quam datum.* Quasi dicat : Sic ad utrumque.

« *Vox Domini concutientis desertum.* » 8
Hic est secundum, scilicet promotio illorum ad fidei unitatem, primo, Gentilium. Secundo, Judæorum, ibi, *Et commovebit.* »

Dicit ergo : Sic vox flammam intercidit, et etiam vox Domini « *est vox concutientis,* » ad fidem scilicet promoventis, « *desertum,* » plebes Gentilium. Ad Rom. X, 17 : *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Dei.* Et dicuntur *de-*

[1] S. ISIDORUS, Lib. XII, cap. 3.

sertum Gentiles : quia a Deo deserti, et sine lege erant et Prophetis. Ad Ephes. II, 12 : *Promissionis spem non habentes, et sine Deo in hoc mundo.* Sed isti sunt applicati fidei. Zachar. II, 11 : *Applicabuntur eis Gentes multæ.*

« *Et commovebit Dominus desertum Cades,* » id est, Judæos. *Cades* enim interpretatur *sanctum legis.* Sanctum enim legis, intelligentia est spiritualis. Ab hac enim erant deserti. II ad Corinth. III, 14 : *Obtusi sunt sensus eorum usque in hodiernum diem.* Pessimum desertum, quod tam diligenter excultum numquam potuit facere fructum. Chrysostomus super *Matthæum* : « Vere desertum erat « Judæa vacua a justitia, peccatis plena : « quam Dominus plantaverat, lex irri- « gaverat, omnes Prophetæ excolue- « rant. » Illa autem nihil produxit nisi spinas acerbissimas, quibus suum Dominum coronavit. Cantic. III, 11 : *Egredimini et videte filiæ Sion, regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater sua.* Hoc desertum commovit, Luc. XXIII, 5 : *Commovet,* Jesus scilicet, *populum docens per universam Judæam, incipiens a Galilæa usque huc.*

Triplex effectus verbi Dei.

Et nota, quod triplex est effectus verbi Dei. Primo, exstinguit ardorem irascibilis. Psal. II, 13 : *Cum exarserit in brevi ira ejus,* hanc exstinguit divini verbi sapientia. Eccli. XXVIII, 14 : *Si exspueris super illam, exstinguetur.* Per sputum quod descendit a capite, divina sapientia denotatur. Secundo, accendit concupiscibilem. Igniculus enim divini amoris, qui est in concupiscibili, si excitatus fuerit flatu divini verbi, in flammam erumpit. Psal. CIV, 19 : *Eloquium Domini inflammavit eum.* De utroque Eccli. VI, 5 : *Verbum dulce multiplicat amicos, et mitigat inimicos.* Tertio, illuminat rationabilem. Et hoc est quod subditur : « *Et commovebit desertum Cades.* » Sanctum enim legis commovetur per verbum Dei, quia intus latens extra prorumpit, et manifestatur. Psal. CXVIII, 130 : *Declaratio sermonum tuorum illuminat, et intellectum dat parvulis.*

« *Vox Domini præparantis cervos.* » 9
Hic quartum, in quo ostendit effectum divini verbi respectu devotorum, qui est duplex. Primus, est bona vita. Secundus, secretorum notitia, ibi, « *Et revelabit.* »

Dicit ergo : Sic potuit in adversarios, sed quid quantum ad devotos ? « *Vox Domini præparantis cervos,* » id est, facientis præparationem ut homines sint boni et justi, ad faciendum bona agiles et prompti. Justi enim cervis comparantur ratione multiplici. Primo, quia veloces sunt ad bonum, sicut cervus velox est. Aristoteles : « Natura dedit cervis « velocitatem. » Et justi currunt, I ad Corinth. IX, 26 : *Ego igitur sic curro, non quasi in incertum.* In eodem, ℣. 24 : *Sic currite ut comprehendatis.* Et hoc facit verbum Dei, Eccle. XII, 11 : *Verba sapientium sicut stimuli.* Item, diu vivunt, sicut idem dicit : *Et verbum Domini vivaces facit.* Joan. VIII, 51 : *Si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in æternum.* Item, cervus est animal pavidum. Sic verbum Dei pavidum reddit. Psal. CXVIII, 161 : *Et a verbis tuis formidavit cor meum.* Et alibi, Psal. CIII, 7 : *A voce tonitrui tui formidabunt.* Habac, III, 16 : *Audivi, et conturbatus est venter meus, a voce contremuerunt labia mea.* Item, cervus non habet fel. Sic nec justus, Ad Ephes. IV, 31 : *Omnis indignatio, et clamor, et ira tollatur a vobis.* Item, habet cor magnum. Sic justus cor dilatatum charitate, II ad Cor. VI, 11 : *Os nostrum patet ad vos, o Corinthii, cor nostrum dilatatum est.* Idem, est serpentibus inimicus. Sic justus dæmonibus, I Pet. V, 8 : *Adversarius vester diabolus,* etc. Hæc omnia fecit divini verbi prædicatio, Sap. VII, 11 : *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa.*

Justi cervis collati ex multiplici capite.

« *Et revelabit condensa.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic ad justitiam

præparat, « *et etiam revelabit condensa* » Scripturarum, illa manifestando factis parvulis et humiliatis. Matth. xi, 25 : *Abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis.* Hanc quærebat David : *Revela oculos meos et considerabo mirabilia de lege tua* [1]. II ad Corinth. iii, 16 : *Cum conversus fuerit ad Dominum, auferetur velamen.*

« *Et in templo ejus.* » Hic est secundum totius hujus partis, in qua monstrantur beneficia, et effectus prædicationem Christi consequens, scilicet gratiarum actio pro tot et tantis.

Unde ait : Tot et tanta faciet, et propter hoc « *omnes dicent gloriam,* » gratiarum scilicet actionem, « *in templo ejus,* » in ipsa Ecclesia sic ædificata. Nec mirum. Prov. xxii,9 : *Honorem acquiret, qui dat munera.* Et xix, 6 : *Multi colunt personam potentis, et amici sunt dona tribuentis.* Psal. cxlix, 1 : *Laus ejus in Ecclesia Sanctorum.* Eccli. li, 23 ; *Danti mihi sapientiam,* ex qua mihi tot bona, *dabo gloriam.*

10

Tertia pars Psalmi.

« *Dominus diluvium.* » Hic est tertia pars, in qua præmisso de beneficiis exhibitis Ecclesiæ ipsam instruendo, subjungitur status institutæ descriptio. Sed quia ex statu in quo est, sequitur remuneratio, duo dicuntur. Primo, describit statum in quo est in hac vita. Secundo, subjungit præmium dicens : « *Benedicet.* »

In prima tria. Primo, concussio ipsius in multiplici tribulatione. Secundo, conservatio ejus a suo institutore, ibi, « *Et sedebit.* » Tertio, modus conservandi monstratur in tanta tribulationum multiplicatione, ibi, « *Dominus virtutem.* »

Ecclesia militans inhabitat diluvium peccatorum, id est, habet Prælatos malos, vel est inter adversa, et tamen virtute divina servatur.

Dicit ergo : Sic instituta est a Domino per prædicationem Ecclesia : quo facto « *Dominus facit,* » supple, ipsam, « *inhabitare diluvium* » culparum, ut hinc inhabitantibus culpis et iniquitatibus ipsa sit in medio. Magna enim inundatio culparum. Osee, iv, 2 : *Maledictum, et mendacium, et homicidium, et furtum, et adulterium inundaverunt.* Vere maledictio inundavit, quia vix invenitur, qui non sit excommunicatus, quia Prælati pro nihilo et indiscrete proferunt excommunicationes. Isa. xxiv, 5 : *Transgressi sunt leges, mutaverunt jus, dissipaverunt fœdus sempiternum, propter hoc maledictio vorabit terram.* Inundat mendacium in tantum, quod omnis homo mendax, imo cacumina cooperuit. Jerem. iii, 23 : *Vere mendaces erant colles, et multitudo montium,* id est, magistratuum. Et adulterium, Jerem. ix, 2 : *Omnes adulteri sunt, et cœtus prævaricatorum,* usque ad montes altissimos. Jerem. xxiii, 13 et 14 : *In prophetis Samariæ vidi fatuitatem :.. et in prophetis Jerusalem vidi similitudinem adulterantium, et iter mendacii.* Joan. x, 8 : *Quotquot venerunt, fures sunt, latrones* : et usque ad supremos, Isa. i, 13 : *Principes tui infideles, socii furum.* Et homicidium, Jerem. xix, 4 : *Repleverunt locum istum sanguine innocentum.* Ezech. ix, 9 : *Repleta est terra sanguinibus* Michæ. vii, 2 : *Omnes in sanguine insidiantur.* Et diluvium etiam pœnæ per quod purgatur ab isto. Nahum. i, 7 et 8 : *Bonus Dominus, et confortans in die tribulationis et consummationem faciet in diluvio prætereunte loci illius.* Et postea effundit diluvium gratiæ, ut tota decoretur post purgationem. Eccli. xxxix, 27 et 28 : *Benedictio illius,* scilicet Domini, *quasi fluvius inundavit. Quomodo cataclysmus aridam inebriavit, sic ira ipsius gentes,* etc.

« *Et sedebit.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic facit permittendo, quod habitet in diluvio peccatorum, et afflictionum, non tamen submergitur, quia « *Dominus rex in æternum,* » id est, æternus

[1] Psal. cxviii, 18.

rex « *sedebit,* » in ea, regens ipsam sicut gubernator regit navem. Proverb. I, 5 : *Et sapiens gubernacula possidebit.*

11 « *Dominus virtutem populo suo.* » Hic tertium, in quo tangitur quomodo et per quem inter tot peccata et adversa, eam servat, quia per virtutem quam ei conferet.

Ait enim : Sic diluvium faciet inhabitare, et sedens reget : et hoc quia « *Dominus virtutem* » resistendi vitiis, et diluvio culpæ, substituendo diluvium pœnæ, « *dabit populo suo,* » qui vere est ejus Ecclesia. Isa. XL, 29 : *Qui dat lasso virtutem, et iis qui non sunt, fortitudinem et robur multiplicat.* In Psal. LVII, 36 : *Ipse dabit virtutem et fortitudinem plebi suæ,* quibus ab his diluviis et in his conservetur, et salvetur. Deuter. XXXIII, 29 : *Beatus es tu, Israel : quis similis tui popule, qui salvaris in Domino ?* I Machab. III, 19 : *De cœlo fortitudo est.*

« *Dominus benedicet.* » Hic secundum. Postquam descripsit statum, subjungit præmium. Quasi diceret : Sic tribulationes sustinebit, inter vitia fluctuans, sed tandem « *Dominus benedicet populo suo.* » Supra, in Psal. XXVII, 9 : *Salvum fac populum tuum, Domine, et benedic hæreditati tuæ.* Hic est populus benedictus a Deo Patre, Matth. XXV, 34 : *Venite benedicti Patris mei.* Et hæc benedictio erit « *in pace,* » id est, collativa pacis æternæ, de qua ad Ephes. II, 14 : *Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum.* Et Joan. XVI, 33 : *In mundo pressuram,* in me aûtem pacem *habebitis.* Ad Philip. IV, 7 : *Et pax Dei quæ exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra et intelligentias vestras.* Job, XXII, 21 : *Acquiesce ergo ei, et habes pacem, et per hanc habebis fructus optimos,* ad quos nos perducat qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS XXIX.

Gratiarum actio pro liberatione a morte et tribulatione.

1. *Psalmus Cantici, In dedicatione domus David.*
2. Exaltabo te, Domine, quoniam suscepisti me, nec delectasti inimicos meos super me.
3. Domine Deus meus, clamavi ad te, et sanasti me.
4. Domine, eduxisti ab inferno animam meam : salvasti me a descendentibus in lacum.
5. Psallite Domino, sancti ejus : et confitemini memoriæ sanctitatis ejus.
6. Quoniam ira, in indignatione ejus, et vita in voluntate ejus.
   Ad vesperum demorabitur fletus, et ad matutinum lætitia.
7. Ego autem dixi in abundantia mea : Non movebor in æternum.
8. Domine, in voluntate tua, præstitisti decori meo virtutem.
   Avertisti faciem tuam a me, et factus sum conturbatus.
9. Ad te, Domine, clamabo, et ad Deum meum deprecabor.
10. Quæ utilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem?
    Numquid confitebitur tibi pulvis, aut annuntiabit veritatem tuam?
11. Audivit Dominus, et misertus est mei : Dominus factus est adjutor meus.
12. Convertisti planctum meum in gaudium mihi : conscidisti saccum meum, et circumdedisti me lætitia :
13. Ut cantet ibi gloria mea, et non compungar. Domine Deus meus, in æternum confitebor tibi.

IN PSALMUM XXIX.

COMMENTARIUS.

1 *Psalmus Cantici, In dedicatione domus David*[1].

« *Exaltabo te Domine, quoniam suscepisti me.* » Hic est Psalmus vigesimus nonus, in quo postquam præmissa est Christi passio ad imitationem, et ostensus est passionis fructus, ut libentius imitetur, scilicet Ecclesiæ consummatio in præsenti per prædicationem Christi et suorum, agitur consequenter de dedicatione consummatæ : quæ, inquam, dedicatio fiet in futuro. Sicut enim domus prius est in fieri, et tunc habitatorem non habet in se plene quiescentem, sed cum facta est, tunc plene convertitur in usum habitandi, et ab aliis usibus separatur : sic Ecclesia, quæ hic in præsenti est in actu ædificandi. Ad Eph. II, 22 : *In quo et vos coædificamini in habitaculum Dei in Spiritu sancto*, hoc est, per dona Spiritus sancti, sicut in præcedenti Psalmo declaratum est, in futuro dedicabitur Deo, quando in ipsa decorata requiescet, ut rex et Dominus, qui nunc ut artifex est in ipsa. Isa. XVIII, 4 : *Quiescam et considerabo in loco meo.* Argumentum Psalmi: Dedicatio Ecclesiæ perfectæ.

1 Ce psaume, dit M. Lesêtre, est le premier qui porte le nom particulier de שיר *shir*, qui indique sa destination musicale. Les preuves intrinsèques de sa composition par David, dit Cook, sont formelles, tant au point de vue du style que du fond des idées ; son extrême beauté est reconnue par Ewald, qui l'appelle le modèle des hymnes d'actions de grâces, composé dans le meilleur âge de la poésie hébraïque. Il est intitulé : « pour l'inauguration de la maison. » Le mot חנכה *chanoucah*, ἐγκαινισμὸς est employé pour l'inauguration du sanctuaire (Levit. VIII, 9 ; d'un autel (Num. VII, 10) ; d'une maison neuve (Deut. XX, 5) ; du temple de Salomon (III Reg. VIII, 63) ; des murs de Jérusalem (II Esdr. XII, 27) ; et pour la réconciliation du second temple (I Mach. IV, 52). Quant au mot *beit*, maison, il désigne une maison ordinaire, la maison de Dieu, et même l'emplacemunt du temple futur (I Paral. XXII, 1). Remarquons encore que le nom de David qui est dans le titre ne doit pas être rapporté au mot précédent : avec le ל *auctoris* qui l'accompagne, *ledavid*, il ne peut indiquer que l'auteur du psaume, et non le possesseur de la maison. Quel est donc le sens de ce titre ? Les Pères s'appliquent à le combiner avec les données du psaume. Pour S. Athanase, David chante la rénovation des fidèles résuscités au dernier jour ; d'après Eusèbe, cette maison est l'image du roi, après son péché avec Bethsabée; Théodoret applique le psaume au roi Ezéchias, et S. Augustin à la résurrection glorieuse du Sauveur, et plus tard de tous ses fidèles.

Les interprétations littérales sont aussi fort diverses : 1° Cette maison est le palais que David se bâtit à Sion, après la prise de la citadelle jébuséenne (II Reg. V, 8-11). Bellarmin, Delitzsch, Perowne. Ces auteurs, pour rendre compte du texte, sont obligés de supposer avec Flaminius que le roi relevait d'une maladie grave quand il fit l'inauguration du palais. Or, l'histoire ne parle pas de cette maladie, et le psaume ne fait aucune allusion à la cérémonie en question. — 2° Cette inauguration est simplement la rentrée de David dans son palais. Cette hypothèse, quoique soutenue par Bossuet, est fort peu probable. — 3° Le psaume se rapporte à la translation de l'arche dans le tabernacle nouveau construit à Sion (II Reg. VI, 17). — 4° D'après S. Basile, il est écrit prophétiquement en vue de la dédicace du temple de Salomon. Dans ces deux dernières hypothèses, il n'y a pas l'ombre d'harmonie entre les idées du psaume et l'occasion à laquelle on l'applique. — 5° Jennings et plusieurs autres ne tiennent aucun compte du titre, qui ne serait qu'une simple adoption liturgique postérieure : le psaume serait alors un chant d'actions de grâces à la suite d'une maladie grave. — 6° Bon nombre d'auteurs Van Steenkiste, Le Hir, Talhofer, Patrizi, etc. Rosenmüller, Hengstenberg, Tholuck, Cook, etc. assignent ce chant à une circonstance qui en explique d'une manière bien plus satisfaisante le titre et la teneur. Après le dénombrement du peuple que David fit par orgueil, la peste fit périr 70.000 hommes en trois jours ; à la fin du châtiment, l'ange du Seigneur apparut sur l'aire d'Areuna, au mont Moriah, et remit le glaive au fourreau. On comprend la douleur mortelle de David pendant la durée d'un fléau que son orgueil avait déchaîné et qui décimait son peuple. Il consa-

De hac ergo dedicatione, et quantum ad caput, in quo jam completa est, et quantum ad corpus in quo speratur complenda, hic agitur, ut sic magis inflammetur quilibet ad Dei laudem, et passionis imitationem voluntariam. Et hoc est quod aperte ostenditur in titulo Psalmi qui talis est : « *Psalmus Cantici,* » id est, Psalmus sequens Canticum, sicut expositum fuit supra, in titulo Psalmi quarti, editus et dicendus, « *pro dedicatione domus David,* » id est, Ecclesiæ quæ domus est veri David. Nullam enim domum legimus materialem David vel fabricasse, vel Deo dedicasse, sed magis ad hoc cohibitum [1], I Paralip. xvii, 4 : *Non ædificabis tu mihi domum ad habitandum.*

Dividitur autem Psalmus in tres partes. Primo, laudat Deum, et alios invitat ad laudem pro sua resurrectione propria, et futura Ecclesiæ. Secundo, monstrat quomodo illam invenerit, ibi, « *Ego autem dixi in abundantia.* » Tertio, promittit laudis hujus perseverantiam in fine, ibi, « *Domine Deus.* »

In prima duo. Primo, laudatio. Secundo, alios ad laudandum invitat, ibi, « *Psallite Domino sancti ejus.* »

In prima duo. Primo, laudatio. Secundo, ratio laudis, ibi, « *Quoniam suscepisti me.* »

Dicit ergo : « *Exaltabo te, Domine,* » 2
id est, in tui exaltatione, et laude continuus ero. Sed tunc quæruntur duo. Primo, si potest exaltari, et quomodo exaltari possit ? Contra enim utrumque videtur esse illud quod dicitur in Psalmo lxxxii, 19 : *Tu solus altissimus in omni terra.* Job, xi, 8 : *Excelsior cœlo est, et quid facies ?* quomodo poteris exaltare eum ? Et est responsio. Exaltabo, quantumcumque altus sit, laudando : sic enim potest. Eccli. xliii, 33 : *Benedicentes Dominum exaltate illum, quantum potestis : major enim est omni laude.* Et hoc modico membrorum, scilicet lingua. Jacob. iii, 5 : *Lingua modicum membrum est, et magna exaltat.* Nec hoc modo tantum, sed etiam prædicando. Eccli. xi, 1 : *Sapientia humiliati exaltabit caput illius,* id est, Christum. Item, corde exaltabo te, meditando de te, et in te. Psal. lxiii, 8 : *Accedet homo ad cor altum, et exaltabitur Deus.* Et manu bona faciendo. Tob. xiii, 6 : *Regem sæculorum exaltate in operibus vestris.*

« *Quoniam suscepisti me.* » Hic tangit causas exaltationis : et dicuntur duo. Primo, tangit per eum beneficium exhibitum toti simpliciter. Secundo, suis partibus specialiter, ibi, « *Domine Deus meus.* »

cra l'aire d'Areuna pour en faire l'emplacement du temple futur, l'appela par anticipation « maison du Seigneur, » et y éleva un autel (II Reg. xxiv, 16-25; I Paral. xxi, 18-xxii, 5). Le titre seul parle d'inauguration, cérémonie qui fut une simple désignation d'emplacement, accompagnée d'un sacrifice peu solennel. Mais le sentiment et l'idée qui devait prédominer en pareille circonstance, c'étaient bien la joie et la reconnaissance après la cessation de la peste, et dans le cœur de David en particulier, un profond repentir d'avoir causé un si grand malheur. Ce sont précisément les pensées qu'exprime le psaume. David n'était pas atteint d'une maladie ordinaire, mais il était sous le coup d'un chagrin mortel ; il avait attiré la colère divine (℣℣. 6-8), il redoutait pour lui le dernier châtiment (℣. 10), et il avait pris les livrées du deuil et de la pénitence (℣. 12).Quelle ne dût pas être son allégresse quand la clémence de Dieu succéda à sa colère ! Il n'oubliait pas sans doute les milliers de victimes qui avaient été frappées, mais il devait remercier Dieu d'avoir mis un terme à son indignation, et fournir au reste de son peuple des accents de reconnaissance pour manifester so joie d'avoir été épargné et d'avoir survécu. Dans la suite, des circonstances analogues firent assigner ce psaume pour la fête des Encénies (I Mach. iv, 52, Sofrim, xviii, 2).

Le sens spirituel indiqué par S. Augustin, se rapporte à Jésus-Christ resuscité et montant au ciel. « Dedicationem domus vocat humanæ naturæ instaurationem, quam Dominus Christus perfecit, dum pro nobis mortem oppetiit, et mortem evertit, et spem resurgendi nobis dedit. » Théod.

[1] Cf. II Reg. vii, 11 et seq., et I Paralip. xvii, 4 et seq.

In prima duo secundum duo beneficia. Primo, susceptio contra crudelem inimicorum impugnationem. Secundo, inimicorum confusio contra malignam exsultationem, ibi, « *Nec delectasti.* »

Dicit ergo : Sic exaltabo ore, lingua, et manu. Et hoc justum, « *quoniam suscepisti me,* » sicut benignus, et dulcis in familiarem amicum, ut nihil timerem inimicum crudelem. Psal. CXLVII, 2 : *Non fecit taliter omni nationi, et judicia sua non manifestavit eis,* tamquam familiaribus et amicis sicut mihi. Joan. XV, 5 : *Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcumque didici a Patre meo, nota feci vobis.* Sicut advocatus in tuum patrocinium. I Joan. II, 1 et 2 : *Advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum, justum : et ipse est propitiatio pro peccatis nostris.* Ut sapiens medicus ad curandum : unde quærentibus quare communicares cum peccatoribus, respondisti : *Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus* (Matth. IX, 12). Ut Deus in holocaustum suavissimum, et sacrificium, sicut superius admonitus sum : *Afferte Domino filios arietum* (Psal. XXVIII, 1). Et ad Rom. XII, 1 : *Obsecro vos fratres per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra,* id est, vos, non enim intelligit de corporibus mortuis, *hostiam viventem, sanctam, Deo placentem.* Si loquitur Christus, ecce caput, secundum Glossam, « *Quoniam suscepisti me,* » de sepulcro sursum accepisti me. Psal. CXVII, 13 : *Impulsus eversus suum ut caderem : et Dominus suscepit me.*

« *Nec delectasti.* » Alia littera : « Nec jucundasti, » « *inimicos meos super me,* » id est, non de me eis causam delectationis, id est, jucunditatis tribuisti : imo magis eos in me confudisti. Et est secundum, scilicet confusio ipsorum. Non jucundasti ergo vel « *delectasti inimicos meos,* » carnem quæ in deliciis, mundum qui in divitiis, diabolum qui in superbiis delectantur : « *super me,* » quamvis aliquando fuerint lætati. Thren. I, 21 : *Omnes inimici mei audierunt malum meum, et lætati sunt* : sed modo bonum, et sunt confusi. Mich. VII, 8 : *Ne læteris inimica mea super me, quia cecidi : consurgam,* et tu confunderis. Proverb. XXIV, 17 : *Si ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas.* Et alibi, XVII, 5 : *Qui ruina lætatur alterius, non erit impunitus.* Sic Judæi prius lætantes de morte Christi, postea sunt confusi. Job, XX, 5 : *Gaudium hypocritæ ad instar puncti.* Et de ipsis, Matth. XXIII, 14 : *Væ vobis Scribæ, et Pharisæi hypocritæ.* Qui enim credebant se super me esse, facti sunt subtus me.

« *Domine Deus meus.* » Hic secun- 3
dum, in quo subjungit beneficia collata partibus specialiter et distincte. Et primo, beneficia corporis. Secundo, animæ, ibi, « *Domine eduxisti.* »

In prima duo. Primo, tangit meritum ad hoc beneficium. Secundo, ipsum beneficium, ibi, « *Et sanasti.* »

Dicit ergo : « *Domine Deus meus.* » « *Domine* » refertur ad potestatem, « *Deus* » ad sapientiam, sed « *Meus* » ad charitatem. « *Ad te clamavi,* » orans corde et ore, pro salute corporis, sicut clamabat leprosus, Matth. VIII, 2 : *Et adorabat eum dicens : Domine si vis, potes me mundare.* Et decem leprosi, Luc. XVII, 12 et 13, qui *steterunt a longe : et levaverunt vocem, dicentes : Jesu præceptor, miserere nobis.* Et cæcus ingrediente Domino Jericho, Luc. XVIII, 38, *clamavit dicens : Jesu, fili David miserere mei.* « *Et salvasti me.* » Matth. XXI, 14 : *Accesserunt ad eum cæci et claudi in templo, et sanavit eos.* Benignus medicus, qui nullum quærit salarium ut sanet, nisi orationem. Jacob. V, 15 : *Oratio fidei salvabit infirmum : et si in peccatis sit remittentur ei.* Isa. XXXVIII, 1 et seq., Ezechias moriturus clamavit ad Dominum, et sanatus est. Eccli. XXXVIII, 9 : *Fili, in infirmitate tua ne despicias teipsum, sed ora Dominum, et ipse curabit te* : sicut Jer. XVII, 14 : *Sana me, Domine, et sanabor.* Sed multo magis confugiunt

ad litterales medicos, et in illis magis confidunt, nihil proficientes, sicut Asa Rex, Jerem. XLVI, 11 : *Frustra multiplicasti medicamina, sanitas non erit tibi.* De Christo planum est quod oravit pro clarificatione corporis proprii (Joan. XVII, 1), et sanatus est accepta immortalitate.

4 « *Domine, eduxisti.* » Hic est secundum, in quo tangit beneficia ex parte animæ : et tanguntur duo. Primo, liberatio animæ a loco pœnali inferno. Secundo, a malorum consortio, ibi, *Salvasti me.* »

Dicit ergo : Sic sanasti quantum ad corpus et o « *Domine, eduxisti ab inferno animam meam,* » conservans me, et mihi cavens ne descenderem in illum : unde littera Hieronymi : « Visitasti me, « ne descenderem in lacum. » Et dicit hoc justus in certa spe evadendi : « *Salvasti me a descendentibus in lacum,* » ne tenerem illorum consortium : et ne descenderem in lacum triplicem quem tangit in Glossa : Gehennæ, de quo Isa. XXXVIII, 18 : *Non exspectabunt qui descendunt in lacum veritatem tuam.* Culpæ in qua fui vel esse potui, dicit justus, de quo Thren. III, 53 : *Lapsa est in lacum vita mea.* Et de quo non exire potest aliquis, nisi funibus, et panniculis, sicut Jeremias [1], hoc est, nisi in vinculis obedientiæ, et vilitate paupertatis. Tenebrosæ ignorantiæ, in quem se immergunt multi exigentibus culpis propriis, de quo in Psal. VII, 16 : *Lacum aperuit, et effodit eum, et incidit in foveam quam fecit.* Et Isa. XXII, 11 : *Lacum fecisti inter duos muros,* inter duo testamenta. Ab utroque enim declinat, et utrumque relinquit tenebrosa ignorantia. Ab his ergo qui descendunt in hos lacus salvasti me. Quod verissime potuit dicere homo Christus, addens de quarto, scilicet de limbo, de quo cum suis quos eduxit salvatus est. Zachar. IX, 11 : *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non erat aqua.*

Lacus triplex.

Nota remedium contra peccatum.

5 « *Psallite Domino.* » Hic secundum, in quo ad laudandum alios invitat : et dicuntur duo. Primo, invitat ad laudem. Secundo, subjungit laudis rationis rationem, vel laudandi, ibi, « *Quoniam ira in indignatione ejus.* »

In prima duo. Primo, monet laudare opere. Secundo, ore, ibi, « *Et confitemini.* »

Dicit ergo : Hæc beneficia mihi jam fecit Dominus, quæ reputo tamquam facta. Ergo o vos alii « *psallite Domino,* » bona faciendo, quod est vere psallere : bona enim opera laus Dei dicuntur : quia in ipsis, et propter ipsa Deus laudatur a videntibus, et glorificatur. Matth. V, 16 : *Videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est.* Vos scilicet « *sancti ejus.* » Apocalyps. XIX, 5 : *Laudem dicite Deo nostro, omnes servi ejus,* non alii, quia Eccli. XV, 9 : *Non est speciosa laus in ore peccatoris.* Et in Psal. XLIX, 16 : *Peccatori autem dixit Deus : Quare tu enarras justitias meas,* etc. Et alibi, Psal. XXXII, 1 : *Rectos decet collaudatio.*

« *Et confitemini* » ore, « *memoriæ sanctitatis ejus,* » id est, confessione laudis recognoscite, quia sua sola sanctitate, memor fuit et nostri, et mei. Vel sic : *Confitemini memoriæ sanctitatis ejus,* » id est, memoriali sanctitatis ejus, id est, passioni. Sanctificari enim dicebatur antiquitus illud quod offerebatur. Levit. XXVII, 32 : *Quidquid decimum venerit, sanctificabitur Domino,* id est, offeretur. Christi ergo oblatio fuit ejus sanctificatio. Joan. XVII, 19 : *Ego pro eis sanctifico meipsum,* id est, offero. Item, sanctifica-

[1] Cf. Jerem. XXXVIII, 6 et seq.

tio est in sanguine tinctio. Dicit enim Isidorus, quod « sanctus dicitur quasi « sanguine tinctus. » Et sic fuit Christus in cruce. Isa. LXIII, 2 : *Quare ergo rubrum est indumentum tuum?* Vel sic : « *Confitemini memoriæ sanctitatis ejus,* » id est, memoriali vobis relicto sanctitatis ejus ostensivo, et sanctitatis effectivo in vobis, scilicet pretioso corpori nobis in altari relicto in memoriam sui. Luc. XXII, 19 : *Hoc facite in meam commemorationem.* Dulce memoriale, et cui totis visceribus confitendum. Osee, XIV 8 : *Memoriale ejus sicut vinum Libani.* Isa. XXVI, 8 : *Memoriale tuum in desiderio animæ.*

« *Psallite* ergo *sancti,* » contra pigros, qui nihil boni possunt facere. Matth. XXIII, 4 : *Digito autem suo nolunt ea movere.* « *Confitemini memoriæ sanctitatis ejus,* » contra ingratos, qui tot et tam inculcata Dei beneficia nolunt ad memoriam reducere, cum tamen sint dulce sanctitatis Dei memoriale. Augustinus in libro de *Spiritu et Anima :* « Quando « errabam, reduxit me : quando ignora- « bam, instruxit me : quando peccabam, « corripuit me : quando constritabar, « consolatus est me : quando desperabam, « confortavit me : quando decidi, erexit « me : quando steti, tenuit me : quando « ivi, duxit me. Hæc et multa alia mihi « fecit Deus meus, de quibus dulce erat « mihi semper loqui, semper cogitare. »

6 « *Quoniam ira in indignatione ejus.* » Hic secundum, scilicet ratio quare debent sancti psallere, et confiteri : et tanguntur duæ. Una propter perfectionem virtutis. Alia propter perfectionem operis, ibi, *Ad vesperum demorabitur.* »

In prima duo secundum duplicis virtutis perfectionem, quam ostendit in illo. Primo, virtutis justitiæ. Secundo, misericordiæ, ibi, « *Et vita.* »

Dicit ergo : Sic psallite et confitemini. Et hoc justum, « *quoniam ira,* » effectus iræ, scilicet vindicta, « *in indignatione ejus* » est concepta, hoc est, si aliquis contemnaut ipsam jubentem aliquid, justitiam habet in se, quæ veraciter judicat dum censet. Proverb. XVI, 14 : *Indignatio regis, nuntii mortis : et vir sapiens placabit eam.* Nonne dictum est parenti primo : *In quocumque die comederis ex eo,* contemnendo indignationem meam contra te, *morte morieris* [1]*?* Sicut et factum est. Injustitia est mortis acquisitio : quare est divinæ jussionis transgressio [2].

« *Et vita in voluntate ejus,* » id est, vitam habemus in ejus benignitate. Ezechiel. XVI, 6 : *Et dixi tibi cum esses in sanguine tuo : Vive.* Et in cap. XXIII, 11 : *Nolo mortem impii, sed ut convertatur impius a via sua, et vivat.* Et vere « *vita in voluntate ejus :* » quidquid enim potuit facere ut vitam haberemus, fecit. Primo, vitam docuit prædicando, Joan. VI, 64 : *Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt,* id est spiritualis vitæ ostensiva. Secundo, præbuit ipsam, se nobis in sacramento dando, Joan. VI, 58 : *Qui manducat me, et ipse vivet propter me.* Tertio, contraria vitæ expulit et deduxit, scilicet mortem, Eccli. XXXI, 34 : *Quid defraudat vitam? Mors.* Et Osee, XIII, 14, dicitur : *Ero mors tua o mors.* Et ibidem : *De manu mortis liberabo eos.* Quarto, quia vitam perditam restauravit, Ad Ephes. II, 5 : *Cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos Christus.* Sed quam vitam restituit nobis? Vult et voluit quantum est in se, triplicem. Naturæ : de illa enim intelligitur illud Ezechiel. XXXIII, 11 : *Nolo mortem peccatoris.* Et gratiæ duplicem, et activam et contemplativam. Et hoc est quod

Quomodo et quam vitam dat nobis Christus?

[1] Genes. II, 17.
[2] Cf. Sapient, I, 13 et seq. : *Quoniam Deus mortem non fecit,* etc.

dicitur Michæ. vi, 8 : *Indicabo tibi o homo quid sit bonum, et quid Dominus requirat a te : Utique facere judicium et diligere misericordiam,* quantum ad activam, *et sollicitum ambulare cum Deo tuo,* quantum ad contemplativam. Et gloriæ, I ad Tim. ii, 4 : *Qui omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire.*

« *Ad vesperum demorabitur fletus.* » Hic ostenditur perfectio operis. Et primo operis provenientis ex virtute justitiæ Secundo, ex virtute misericordiæ, ibi, « *Et ad matutinum.* »

Dicit ergo : Sic quia perfectus in virtute laudetur, et quia perfectus in opere justitiæ, « *Ad vesperum* » enim culpæ ipsius Adæ, quæ in eo fecit occasum veri solis, « *demorabitur fletus.* » Effectum ponit pro causa, id est, miseria et pœna inflicta, ex quo fletus in toto genere humano : Adam enim casum fecit, et Dominus occasum. Augustinus : « Nisi feceris casum, non faciet tibi occasum. » Hinc dicitur, Genes. iii, 8 : *Cum audissent vocem Domini deambulantis in paradiso ad auram post meridiem :* quia ante luxerat dies. Isa. lix, 2 : *Iniquitates vestræ diviserunt inter vos et Deum vestrum.* Omnem hominem excæcat, omnium facit vesperum culpa. Psal. xxxix, 13 : *Comprehenderunt me iniquitates meæ, et non potui ut viderem.* Et in tali occasu miseria, et in tantum prolongata, ut a primo homine extendatur usque ad novissimum. Eccli. xl, 1 : *Occupatio magna creata est hominibus, et jugum grave super filios Adam, a die exitus de ventre matris eorum, usque in diem sepulturæ, in matrem omnium.* Et vesperum quilibet sibi facit in peccando, miserum enim eum facit, et præbet causam fletus. Prov. xiv, 34 : *Miseros facit populos peccatum.*

« *Et ad matutinum lætitia.* » Ecce opus misericordiæ. Quasi diceret : Sic « *demorabitur fletus* » ex justitia, « *et ad matutinum* » resurrectionis generalis « *lætitia,* » ex misericordia Dei perfecta « *demorabitur* » in justis. Hoc matutinum de quo in Psal. v, 5 : *Mane adstabo tibi, et videbo.* Et vesperum quod sibi quisque facit per peccatum proprium, in quo demorabitur fletus. Veniente matutino gratia Dei, succedit lætitia. Hoc mane de quo II Pet. i, 19 : *Donec illucescat dies, et Lucifer oriatur in cordibus vestris.* Veniens enim gratia quasi modicam lucem præbet, sed post crescit usque ad perfectum diem.

Legitur et de resurrectione Christi et morte, et potest esse thema in Vigilia Paschæ. « *Ad vesperum* » enim, id est, mortuo Christo et sepulto, demoratus est fletus. Et dicitur bene vesperum tempus illud, non tantum propter hoc quia ad litteram vespere erat, sed quia, sicut dicit Isidorus, « nox est sol sub terris, « sicut dies sol super terram : sed tunc « sol verus sub terra erat, corpus in sepulcro, anima in limbo. » Item, in vespere debilitantur flores, et marcescunt. Sic flos ille pulcherrimus, scilicet Maria, emarcuit mortuo Filio, scilicet occidente. Cant. ii, 2 : *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Job, xxx, 16 : *Nunc in memetipso marcescet anima mea.* Cant. i, 5 : *Nolite me considerare, quod fusca sim, quia decoloravit me sol.* Item, nox dicitur, quia nocet oculis, sicut Isidorus dicit. Et illud tempus valde oculis Mariæ, et Apostolorum nocuit propter fletum et abundantiam lacrymarum. Fletus enim dicitur quasi lacrymarum fluitus, sicut flens quasi lacrymis fluens. Thren. ii, 11 : *Defecerunt præ lacrymis oculi mei :* poterant dicere Maria et Apostoli, sed multo plus illa. Jerem. vi, 26 : *Luctum unigeniti fac tibi planctum amarum :* ut posset ei dici illud Cant. vii, 4 : *Oculi tui sicut piscinæ in Hesebon.* Ideo est in cogitatione mœroris. Ultimo quia, sicut dicit quidam, « nocte corpora madefiunt et laxantur, » sic Christi corpus laxatum est et madefactum est totum sanguine proprio. Et ad matutinum resurrectionis lætitia mira

Dolor Virginis ob mortem Filii.

secuta est, quando rursus oriens sol se ostendit. De illis Luc. xxiv, 40 : *Ostendit eis manus et pedes. Adhuc autem illis non credentibus, et mirantibus præ gaudio, dixit : Habetis hic aliquid, quod manducetur?* Joan. xx, 20 : *Gavisi sunt discipuli viso Domino.*

7 « *Ego autem dixi in abundantia.* » Hic est secunda pars Psalmi, sicut superius dictum est, in qua ostendit qualiter suam dedicationem meruerit : et dicuntur tria secundum triplex meritum quod tangit. Primo, cogitationis. Secundo, operis, ibi, « *Avertisti.* » Tertio, locutionis, ibi, « *Ad te Domine clamabo.* »

Secunda pars Psalmi.

In prima duo. Primo, quia in Deo speravit confidenter. Secundo, quia de seipso sensit humiliter, ibi, « *Domine in voluntate tua.* »

Dicit ergo : Si ex primo homine fletus et miseria duratura usque ad matutinum, « *Ego autem dixi,* » interius in corde meo, « *in abundantia mea* » existens, quæ magna erat, quia in me divinitatis plenitudo habitat. Ad Colos. ii, 9 : *In ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter.* Vel in abundantia omnium donorum spiritualium, quæ in me erant abundantissim. Isa. xi, 2 : *Requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ,* etc. Christus enim abundavit in bonis spiritualibus, deficiens in corporalibus et pauper. II ad Corinth. viii, 9 : *Scitis gratiam Domini nostri Jesu Christi, quoniam propter nos egenus factus est, cum dives esset,* etc. Psal. xlviii, 3 : *Simul in unum dives et pauper.* Prov. xiii, 7 : *Et est quasi pauper cum in multis divitiis sit.*

Dixi, inquam, « *Non movebor,* non separabor a Deo « *in æternum,* » sicut Adam qui tentatus, a Deo statim se separavit. Sed Christus tentatus a diabolo, Matth. iv, et seq., et Luc. iv, 1 et seq., non est avulsus. Psal. lxxxviii, 23 : *Nihil proficiet inimicus in eo, et filius iniquitatis non apponet nocere ei.* Vel sicut loquatur corpus : « *Ego autem dixi,* » cogitans in corde meo, dum essem « *in abundantia mea,* in paradiso scilicet terrestri, in quo bonis omnibus abundabam. Ezechiel. xxviii, 12 et 13 : *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, et perfectus decore, in deliciis paradisi Dei fuisti.* Quid cogitavi ? Quid dixi ? « *Non movebor in æternum,* » ab his deliciis. Verum dicit serpens : sed magis augebor, et cumulabor usque ad similitudinem Altissimi. Gen. iii, 5 : *Eritis sicut dii, scientes bonum et malum.* Vere filii Adam adhuc multi divites, qui sunt in abundantia rerum temporalium. Job, xii, 6 : *Abundant tabernacula prædonum.* Psal. cxliii, 13 : *Promptuaria eorum plena.* Sicut illius divitis de quo Dominus, Luc. xii, 19 : *Anima, habes multa bona,* etc. Et dicit in corde suo : « *Non movebor in æternum,* » ab hac felicitate terrena. Sed Luc. xii, 20, dicitur : *Stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te.* Job, xiv, 2 : *Fugit velut umbra a te,* etc.

Et nota, quod est abundantia mala, iniquitatis. Matth. xxiv, 12 : *Abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum.* Indifferens, substantiæ temporalis, Gen. xxvii, 28 : *Det tibi Deus de rore cœli, et de pinguedine terræ, abundantiam frumenti et vini.* Bona justitiæ, Matth. v, 28 : *Nisi abundaverit justitia vestra plusquam Scribatum et Pharisæorum.* Et finalis perseverantiæ, Job, v, 26 : *Ingredieris in abundantia sepulcrum.* Et sequetur tertia gloriæ, Proverb. i, 33 : *Qui me audierit, abundantia perfruetur bonorum, timore malorum sublato.* Deut. xxxiii, 33 : *Nephtali abundantia perfruetur.*

Triplex abundantia, mala iniquitatis, indifferen divitiarum, bona virtutum.

« *Domine, in voluntate.* » Ecce secundum, in quo deseruit humiliter. 8

Ait enim : Sic dixi in corde meo : « *Non movebor,* » et hoc non meis attribuo meritis, imo Domine « *decori meo,* » qui culpa carui, propter quem decorem

Hæc explicantur de Christo et Adamo.

dictum est, Jer. L, 7 : *Peccaverunt Domino decori justitiæ.* Et XXXI, 23 : *Benedicat tibi Dominus pulchritudo justitiæ,* ad differentiam decoris exterioris quo carui, quando sputis Judæorum et flagellis eorum circumdatus sum. Propter quod dictum est, Isa. LIII, 2 : *Non est species ei, neque decor : et vidimus eum, et non erat adspectus.* Huic, inquam, decori « *præstitisti virtutem* » standi et permanendi semper tecum, et virtutem consummatam, etsi non appareret. Sapient. XII, 17 : *Virtutem ostendis tu, qui non crederis esse in virtute consummatus,* etc. Et hoc non fecisti meritis vel votis meis, cum non essem, sed « *ex voluntate tua.* »

Vel sic « *decori meo,* » id est, sanctitati meæ vitæ « *præstitisti virtutem* » miracula faciendi. Christus enim non tantum sanctus erat, sed simul miracula faciebat. Luc. VI, 19 : *Virtus de illo exibat, et sanabat omnes.* Et in cap. VIII, 45 et 46, quando ad tactum fimbriæ hæmoroissa sanata est, dixit : *Quis est, qui me tetigit ? ego novi virtutem de me exisse.* Vel sic ut loquatur justus vel Ecclesia pro statu in quo fuit in Adam. Domine, « *decori meo,* » innocentiæ secundum omnes, et gratiæ gratum facientis superadditæ quantum ad multos, « *præstitisti virtutem* » dominandi omnibus creaturis, Gen. VIII, 17 : *Crescite et multiplicamini,* etc. : vel virtutem immortalitatis, qua poteram non mori si vellem : habet enim sanctitas vitæ et innocentia quasi naturaliter conjunctam sibi fortitudinem. Job, XVII, 9 : *Et mundis manibus addet fortitudinem.* Prov. XXXI, 25 : *Fortitudo et decor indumentum ejus.*

Sed male usi sunt iis bonis parentes primi, sicut et adhuc multi quibus datus est decor corporis vel mentis, sed deficit virtus, quia nimis superbiunt, vel illam convertunt in abusum. Ezech. XVI, 15 : *Habens fiduciam in pulchritudine tua fornicata es.* Et XXVIII, 17 : *Elevatum est cor tuum in decore tuo.* Prov. XXXI, 30 : *Fallax gratia et vana est pulchritudo.* Hoc est etiam contra hypocritas, qui decorem habent exterius, sed interius sunt vacui virtutibus. Matth. VII, 15 : *Attendite a falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium,* ecce pulchritudo : *intus autem sunt lupi rapaces,* ecce virtutis privatio. Et XXIII, 14 : *Væ vobis Scribæ, et Pharisæi hypocritæ, qui estis sicut,* etc.

« *Avertisti faciem tuam.* » Hic est secundum, in quo tangit meritum operis, scilicet sustinentiam passionis. Et primo, exterius in corpore. Secundo, interius in sensualitate, ibi, « *Et factus sum.* »

Dicit ergo : Decori meo præstitisti virtutem, et hoc patet, quia « *avertisti faciem tuam a me,* » me passionibus exponendo exterius in corpore. Bene autem dicitur *aversio faciei* expositio ipsius passionibus, et infirmitatibus in humanitate, quia conversio faciei Dei dicitur virtutis collativa. II Paralipom. XVI, 9 : *Oculi Domini contemplantur universam terram, et præbent fortitudinem his, qui corde perfecto credunt in eum.*

« *Et factus sum conturbatus,* » interius in sensualitate. Matth. XXVI, 37 : *Cœpit Jesus contristari et mœstus esse,* sine perturbatione rationis : secundum illam enim tranquillitas fuit in ipso. De quo Isa. XLII, 4 : *Non erit tristis, neque turbulentus,* sed quando voluit ratio, turbata sensualitas fuit. Joan. XI, 33 : *Jesus ergo... turbavit seipsum.* Possunt etiam esse verba corporis. Quasi diceret : Sic in tua fuit voluntate, præstare decori meo virtutem, sed avertisti postea faciem tuam a me, expellendo me de loco deliciarum. Isa. LIX, 2: *Iniquitates vestræ diviserunt inter vos et Deum vestrum.* Et iterum, *Peccata vestra absconderunt faciem ejus a vobis.* Habac. I, 13 : *Mundi sunt oculi tui, ne videas malum.* « *Et factus sum conturbatus,* » multitudine miseriarum irruentium. Ezech. VII, 26 : *Conturbatio super conturbationem veniet.* Psal. XXXIX, 13 : *Circumdederunt me mala, quorum non est numerus : comprehenderunt me iniquitates meæ.* Item, facies Dei notitia.

Dicit ergo : « *Avertisti faciem tuam a me* » id, est, ab intellectu meo notitiam : « *et factus sum conturbatus,* » in affectu. Osee, IV, 1 et 2 : *Non est scientia Dei in terra.* Ecce aversio faciei. Et sequitur statim : *Maledictum, et mendacium, et homicidium, et furtum, et adulterium inundaverunt.* Ecce conturbatio. Isa. V, 13 : *Propterea captivus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam.*

9 « *Ad te, Domine, clamabo.* » Hic est tertium, in quo subjungitur de merito in locutione : et tangitur duplex meritum. Primo, oratio. Secundo, persuasio, ibi, « *Quæ utilitas.* »

Christus pro sua resurrectione rogat.

In prima duo secundum duo quæ orabat Christus. Primum, pro immortalitate adipiscenda. Secundum, pro mortalitate tollenda, ibi, « *Et ad Deum.* »

Dicit ergo : Sic me tribulationibus exposuisti : et ego « *ad te, Domine, clamabo,* » intense clamabo pro gloria immortalitatis obtinenda : ad hoc enim est oratio secundum aliquos. Joan. XVII, 1 : *Pater venit hora, clarifica Filium tuum.* « *Et ad Deum meum deprecabor,* » pro mortalitate auferenda : deprecation enim est pro malis amovendis. Vel « *ad te, Domine* Pater, *clamabo,* » pro meipso pendens in cruce. Luc. XXIII, 46 : *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.* « *Et ad Deum meum deprecabor,* » pro amicis meis. In eodem, XXIII, 34 : Pater, *dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt.* Vel corpore sic erectus a terra, et conturbatus miseriis et culpis, sed « *ego ad te, Domine, clamabo,* » ut faciem tuam convertas : et clamabo, quia longe factus es. Proverb. XV, 29 : *Longe est Dominus ab impiis.* Isa. XXXVIII, 14 : *Sicut pullus hirundinis, sic clamabo,* etc. « *Et ad Deum meum deprecabor,* » ut conturbationem amoveat. Psal. XXXIX, 14 : *Complaceat tibi, Domine, ut eruas me.* Job, IX, 15 : *Qui etiamsi habuero quippiam justum, non respondebo, sed meum judicem deprecabor.* Et in cap. V, 8 : *Ego deprecabor Dominum, et ad Deum ponam eloquium meum.*

« *Quæ utilitas in sanguine meo.* Hic 10
secundum, in quo subjungitur persuasio. Persuadet autem a tribus. Primo, a parte sui, ne fiat cassa et inutilis ejus passio. Secundo, ex parte Dei, ne sit in aliquo diminuta ejus veneratio, ibi, « *Numquid confitebitur.* » Tertio, ex parte aliorum hominum, ne desit illis instructio, ibi, « *Aut annuntiabit veritatem tuam ?* »

Dicit ergo : Sic rogo pro resurrectione, et mortalitate penitus auferenda : quod debes mihi concedere : « *quæ* enim *utilitas in sanguine meo,* » id est, in mea passione, « *dum descendo,* » id est, si descendo in corruptionem incinerationis, secundum corporis proprii substantiam. Quasi diceret : Nulla, dicit Glossa.

Sed contra : Nonne redemisset genus humanum si non resurrexisset, sed incineratus esset ? Responsio. Si non resurrexisset, non credidissent in eum Apostoli, nec per consequens passio, nec redemptio completa esset : non enim prodest mors Christi, nisi nunc credentibus. Propter hoc dicitur in Psal. XV, 10 : *Nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem.*

Gradus ad corporis incinerationem.

Et bene dicit, « *descendo,* » quia sunt quasi quidam gradus veniendi ad incinerationem. Primo, separatio animæ a carne. Secundo, tabefactio separatæ. Tertio, corruptio. Quarto, incineratio. Si per hos gradus descendisset, multa utilitas, quam in ejus sanguine habemus, amissa esset. Primo, quia per sanguinem multi de limbo educti. Zachar. IX, 11 : *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non erat aqua.* Secundo, quia omnes per ipsum redempti. I Petr. I, 18 : *Non corruptibilibus auro vel argento,* etc. Tertio, quia loti a sordibus peccati. Apocalyps. I, 5 : *Qui dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo.* Quarto, quia justificati in sanguine ejus, et sic decorati, et

Fructus ex Christi sanguine.

depicti. Ad Roman. v, 9 : *Justificati in sanguine ipsius.* Quinto, quia salubriter potati. Joan. vi, 55 : *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem*, etc.

Eadem verba de corpore exponuntur.

Vel ut sit vox corporis, « *Quæ utilitas in sanguine meo dum descendo in corruptionem* » mortis. II Reg. xiv, 14 : *Omnes morimur, et quasi aquæ dilabimur in terram, quæ non revertuntur.* Job, xxi, 23, et seq. : *Iste moritur robustus, et sanus... Alius verò moritur in amaritudine animæ absque ullis opibus : et tamen simul in pulvere dormient, et vermes operient eos.*

Item, de nobilibus.

Et competit nobilibus : « *Quæ utilitas in sanguine meo,* » in nobilitate generis mei, « *dum descendo* » in corruptionem culpæ ? Genes. vi, 12 : *Omnis caro corruperat viam suam.* Quasi dicat : Nulla erit. Chrysostomus super *Matthæum* : « Quid prodest ei quem mores sordidant, « generatio clara ? Nihil : imo obest, « quia macula adveniens rei claræ magis « apparet. » I ad Corinth. iii, 21 : *Itaque nemo glorietur in hominibus.*

Numquid confitebitur. Ecce secundum, scilicet diminutio laudis Dei. Quasi diceret : Sic cassa et inutilis erit passio mea, et « *numquid confitebitur tibi pulvis,* » te laudando. Pulvis corpus manens impulveratum, etsi anima glorificata confiteatur. Quasi diceret : Non, et sic erit tua laus diminuta. Eccli. xvii, 26 : *A mortuo, quasi nihil, perit confessio.* Vel « *numquid confitebitur tibi pulvis,* » peccator manens pulvis, quod quidem manebit si non resurrexero. Quasi diceret : Non, peccator enim manens peccator non confitebitur. Isa. xxxviii, 19 : *Vivens, vivens ipse confitebitur tibi :* vivens vita naturæ, et vivens vita gratiæ. Psal. lxxiv, 2 : *Confitebimur tibi Deus* spiritu, et viventes vita naturæ, *confitebimur* corpore, et viventes vita gratiæ.

« *Aut annuntiabit.* » Tertium est, in quo allegat defectum instructionis. Quasi diceret : Sic non confitebitur tibi pulvis peccator, ac si non resurrexero, numquid « *annuntiabit* » pulvis « *veritatem tuam,* unus alii prædicando ? Quasi diceret : Non : sed me resurgente fiet per totum mundum prædicatio. Marc. xvi, 15 : *Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ*

De Christo capite et de genere humano exponuntur.

Vel loquitur totum humanum genus, vel Christi corpus. Numquid me sic dejecto per peccatum tibi erit ab homine laudis confessio, et prædicatio laudis tuæ, nisi me liberaveris a peccato ? Quasi diceret : Non : quia Eccli. xv, 9 : *Non est speciosa laus in ore peccatoris.* Et de peccatore, in Psal. xlix, 16 : *Peccatori autem dixit Deus : Quare tu enarras justitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum ?* Vel passive accipiatur « *confitebitur.* » Quasi diceret : Numquid confitebitur tibi pulvis ? id est, numquid poccatum modicum tibi in confessione revelabitur ? peccata enim parva *pulvis* dicuntur. Matth. x, 14 : *Excutite pulverem de pedibus vestris.* Hoc tamen pulvere diabolus se pascit. Isa. lxv, 25 : *Et serpenti pulvis panis ejus.* Sed paulatim si non confiteatur, venitur ad magna. Eccli. xix, 1 : *Qui spernit modica, paulatim decidet.* Gregorius : « Si parva curare ne« gligimus, invisibiliter seducti audacter « etiam majora perpetramus. »

« *Audivit Dominus.* » Hic tertia pars primæ partis hujus Psalmi, in qua ostendit quomodo dedicationem suam adeptus sit : et dicuntur duo. Primo, ostendit modum et ordinem adipiscendi quod petierat. Secundo, rationem et finem, ibi, « *Ut cantet tibi.* » II

In prima tria. Primo, dicit Patrem audisse suam petitionem. Secundo, petitioni assensisse, ibi, « *Et misertus est.* » Tertio, opere adimplesse quod petebat, ibi, « *Et factus est Dominus.* »

Dicit ergo : Sic in corde et ore et opere merui dedicationem : et propter hoc audivit Dominus, nullo inter me et ipsum existente obstaculo, sicut in illis quibus dici-

tur, Thren. III, 44 : *Opposuisti nubem tibi, ne transeat oratio.* « *Et misertus est* » mei, meæ assentiendo petitioni. Eccli. XXXV, 16 : *Deprecationem læsi exaudiet.* Læsus autem fuit in pedibus et in manibus et in latere, et in toto corpore. Nec mirum si misertus, quia dilectus. Matth. III, 17 : *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Item, quia crudeliter super omnes afflictus. Thren. I, 12 : *O vos omnes qui transitis per viam, attendite*, etc. Item et quia innocentissimus. Isa. LIII, 9, I Pet. II, 22 : *Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus.* Tempus et locus. Eccli. XXXV, 26 : *Speciosa misericordia Dei in tempore tribulationis, quasi nubes pluviæ in tempore siccitatis.*

« *Et factus est Dominus adjutor.* » Hic tertium, in quo ostendit implesse quod petebat : et dicuntur tria. Primo, quod corpus suum a putrefactione conservavit. Secundo, quod animam beatificavit, ibi, « *Convertisti planctum meum.* » Tertio, quod corpus glorificavit, ibi, « *Conscidisti saccum meum.* »

Dicit ergo : Sic audivit et motus fuit : et Dominus factus est adjutor meus, corpus ab incineratione conservando. Eccli. LI, 2 : *Adjutor et protector factus est mihi.* Isa. L, 7 : *Dominus Deus auxiliator meus, ideo non sum confusus.*

12 « *Convertisti planctum meum,* » quem habui in passione, « *in gaudium mihi.* » Tob. III, 22 : *Post tempestatem tranquillum facis : et post lacrymationem et fletum, exsultationem infundis.* Vel « *planctum meum* » a meis habitum pro passione mea. Luc. XXIII, 27 : *Sequebatur illum multa turba populi, et mulierum quæ plangebant, et lamentabantnr eum.* « *In gaudium mihi,* » audita resurrectionis meæ veritate. Joan. XVI, 20 : *Tristitia vestra vertetur in gaudium.* Joan. XX, 20 : *Gavisi sunt discipuli viso Domino.*

Vel de corpore : « *Planctum meum,* » quo planxi pro peccatis, « *convertisti in gaudium mihi,* » consolationis et spiritualis lætitiæ. Esther, XVI, 21 : *Hanc diem, Deus omnipotens, mæroris et luctus, eis vertit in gaudium.* Et rursus, IX, 22 : *Luctus atque tristitia in hilaritatem gaudiumque conversa sunt.* Job, V, 11 : *Mærentes erigit sospitate.*

« *Conscidisti saccum meum,* » id est, corpus meum conscidi permisisti in passione : « *et circumdedisti me lætitia,* » ipso facto glorioso in resurrectione. Esther, IV, 1 : *Mardochæus scidit vestimenta sua, et sacco indutus est.* I ad Corinth. XV, 53 : *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem.* Et nota, quod saccus dicitur caro Christi. Primo, quia saccus competit ad induendum, Job, X, 11 : *Pelle et carnibus vestisti me.* Item, ad portandam pecuniam, Prov. VII, 20 : *Sacculum pecuniæ secum tulit.* Genes. XLII, 27 : *Contemplatus est pecuniam in ore sacculi.* Et in carne Christi erat cœlestis pecunia, scilicet anima Regis cœlestis imagine insignita. Gen. I, 26 : *Faciamus hominem ad imaginem, et similitudinem nostram.* Et etiam ad portandum frumentum. Sic ejus caro plena cum frumento divinitatis : unde ipse dicebat, Joan. XII, 24 : *Nisi granum frumenti,* etc. Hoc est frumentum quo implebimur in patria. Gen. XLIV, 1 : *Imple saccos eorum frumento quantum possunt capere* ad laborandum. Item Cassiodorus : « Saccus est res textrina grossissima, atque « asperrima, in humanos scilicet usus « laboresque deputata. » Sic Christi caro laboribus et angustiis fuit exposita. Isa. LIII, 4 : *Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit.* Tabernaculum operiebatur sacco [1]. Item, saccus per usum transit de grossitie ad

Cur caro Christi dicitur saccus ?

[1] Cf. Exod. XXVI, 1 et seq.

subtilitatem. Sic caro Christi per labores transivit ad subtilitatem resurrectionis gloriosæ. I ad Cor. xv, 44 : *Seminatur corpus animale, surget autem spirituale*, ad laborandum. Vide ergo si divinitas est frumentum, quod hoc frumentum erat in cœlesti horreo apud Patrem. Psal. XLIX, 11 : *Pulchritudo agri mecum est.* Quid est agri pulchritudo, nisi frumentum? Deus ergo Pater mutuavit saccum a Virgine Maria, et imposuit frumentum, et sic asino imposuit, ad litteram in ramis Palmarum [1]. Et sic portaverunt ad molendinum crucis, ubi fuit molitum et tritum. Isa. LIII, 5 : *Attritus est propter scelera nostra.* Et inde factus est panis delicatissimus, quem comedimus in die tertia, sicut invitat Apostolus, I ad Corinth. v, 8 : *Itaque epulemur, non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ et nequitiæ, sed in azymis sinceritatis et veritatis.*

13 *Ut cantet tibi gloria mea.* Hic secundum, in quo tangitur quo fine hæc bona recepit : et duplex finis tangitur. Primo, gratiarum actio. Secundo, in gratiarum actione et exsultatione continuatio, ibi, « *Et non compungar.* »

Ait ergo : Hæc bona mihi tribuisti, et adhuc « *ut gloria mea,* » glorificatio plena et in corpore et in anima, « *cantet tibi,* » id est, causam tibi cantandi et laudandi præstet membris meis, quæ non possunt non laudare te pro glorificato capite. I ad Corinth. XII, 26 : *Sive gloriatur unum membrum*, scilicet caput, *congaudent omnia membra.* Et ita laudet, « *ut non compungar* » de cætero a Judæis, nec ab aliis crucifixoribus, sed permaneam gloriosus. Ad Roman. VI, 9 : *Christus resurgens ex mortuis jam non moritur*, etc. Vel potest esse vox beatorum gaudentium et dicentium : « *Conscidisti saccum meum*, corpus scilicet, « *et circumdedisti me lætitiæ,* » animæ stola gloriosa in terra, « *ut cantet tibi gloria mea,* » hoc est, materiam cantandi et exsultandi in te præstet, « *et non compungar* » amplius conscientia peccati, de qua compunctione in Psal. IV, 5 : *Quæ dicitis in cordibus vestris, et in cubilibus vestris compungimini.* Et alibi, Psal. LIX, 5 : *Potasti nos vino compunctionis.* Apoc. XXI, 4 : *Absterget Deus omnem lacrymam*, etc.

« *Domine Deus meus.* » Hic est pars tertia totius hujus Psalmi, in qua præmittit se perpetuo laudaturum. Tertia pars Psalmi.

Ait enim sic : Exaltabo te pro beneficiis memoratis, sed o « *Domine Deus meus, confitebor tibi,* » confessione laudis non horariæ, sed « *in æternum.* » Psal. LXXXIII, 5 : *Beati qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te* : tunc enim quia perfecte et perpetuo cognoscemus, perfecte et perpetuo diligemus : et quia perfecte et perpetuo diligemus, perfecte et perpetuo laudabimus. Tob. XIII, 22 : *Per vicos ejus Alleluia cantabitur*, et in perpetuum. Augustinus : « *O homo quid fecisti? Peccata.* » Quasi diceret : Deus beneficia confitenti iniquitatem tibi dimittit et peccata, ut postea laudes ejus confitearis in æternum, quod nobis præstare dignetur, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Cf. Matth. XXI, 1 et seq.

PSALMUS XXX.

Precatio Christi et fidelium se Deo in mœrore commitentium.

1. *In finem, Psalmus David, pro extasi.*
2. In te Domine : speravi, non confundar in æternum : in justitia tua libera me.
3. Inclina ad me aurem tuam : accelera ut eruas me.
Esto mihi in Deum protectorem, et in domum refugii, ut salvum me facias :
4. Quoniam fortitudo mea et refugium meum es tu : et propter nomen tuum deduces me et enutries me.
5. Educes me de laqueo hoc quem absconderunt mihi, quoniam tu es protector meus.
6. In manus tuas commendo spiritum meum [1] : redemisti me, Domine, Deus veritatis.
7. Odisti observantes vanitates supervacue :
Ego autem in Domino speravi.
8. Exsultabo, et lætabor in misericordia tua.
Quoniam respexisti humilitatem meam, salvasti de necessitatibus animam meam.
9. Nec conclusisti me in manibus inimici : statuisti in loco spatioso pedes meos.
10. Miserere mei, Domine, quoniam tribulor : conturbatus est in ira oculus meus, anima mea, et venter meus.
11. Quoniam defecit in dolore vita mea, et anni mei in gemitibus.
Infirmata est in paupertate virtus mea : et ossa mea conturbata sunt.
12. Super omnes inimicos meos factus sum opprobrium, et vicinis meis valde, et timor notis meis.
Qui videbant me, foras fugerunt a me :
13. Oblivioni datus sum tamquam mortuus a corde.
Factus sum tamquam vas perditum :
14. Quoniam audivi vituperationem multorum commorantium in circuitu.

1 Luc. XXIII, 46.

In eo dum convenirent simul adversum me, accipere animam meam consiliati sunt.
15. Ego autem in te speravi, Domine : dixi : Deus meus es tu :
16. In manibus tuis sortes meæ.
Eripe me de manu inimicorum meorum, et a persequentibus me.
17. Illustra faciem tuam super servum tuum : salvum me fac in misericordia tua.
18. Domine, non confundar, quoniam invocavi te.
Erubescant impii, et deducantur in infernum :
19. Muta fiant labia dolosa,
Quæ loquuntur adversus justum iniquitatem, in superbia, et in abusione.
20. Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te !
Perfecisti eis, qui sperant in te, in conspectu filiorum hominum.
21. Abscondes eos in abscondito faciei tuæ, a conturbatione hominum.
Proteges eos in tabernaculo tuo, a contradictione linguarum.
22. Benedictus Dominus, quoniam mirificavit misericordiam suam mihi in civitate munita.
23. Ego autem dixi in excessu mentis meæ : Projectus sum a facie oculorum tuorum.
Ideo exaudisti vocem orationis meæ, dum clamarem ad te.
24. Diligite Dominum, omnes sancti ejus, quoniam veritatem requiret Dominus, et retribuet abundanter facientibus superbiam.
25. Viriliter agite, et confortetur cor vestrum, omnes qui speratis in Domino.

IN PSALMUM XXX

COMMENTARIUS.

1 *In finem, Psalmus David, pro exstasi* [1].

« *In te Domine, speravi.* » Hic est Psalmus trigesimus, in quo postquam actum est de consummatione Ecclesiæ in præsenti, et ulterius de dedicatione in futuro, quæ jam completa est in capite Christi, quid nisi stupor et admiratio animæ hæc audientis ? De hac admiratione et stupore agitur in hoc Psalmo, sicut ostenditur in titulo hujus Psalmi, qui talis est : *In finem, Psalmus David, pro exstasi.* » Et est sensus : Hic Psalmus est David ut auctoris, ordinans nos in finem Christum. Ad Rom. x, 4 : *Finis legis, Christus, ad justitiam omni credenti.* Finis, inquam, non consumens, sicut dicitur, finita est candela ; sed consummans, sicut dicitur, finita est domus, quando consummata est. Psalmus, inquam, ha-

Psalmi argumentum : Admiratio animæ de Ecclesia hic exstructa et in cœlis dedicanda.

Titulus de extasi.

Finis duplex, consumens et consummans.

1 David est l'auteur incontesté de ce psaume, dit Lesêtre. Jérémie s'en est inspiré en divers endroits ; on peut comparer, par exemple, ỳ. 10 et Thren. I. 20 ; ỳ. 11 et Jérém. xx, 18 ; ỳ. 14 et xx, 10 ; ỳ. 18 et XVII, 18 ; ỳ. 23 et Thren. III, 54. Ces emprunts s'expliquent très naturellement par le ton élégiaque qui domine dans ce morceau ; mais personne ne voit là une raison logique pour attribuer le psaume au prophète, comme l'ont fait Hitzig et Ewald. Jonas aussi, II, 5 et 9, a imité les ỳỳ. 7 et 23. Ce psaume a été composé dans un temps où le psalmiste était persécuté et en butte à l'hostilité gé-

bitus vel editus « *pro exstasi.* » Est autem exstasis, sicut vult Augustinus, « quando anima a sensibus corporis ab« rumpitur; ita ut oculis corporis paten« tibus nihil videat, speciebus rationabi« libus, quas intellectu comprehendit, « occupata [1]. » Hoc autem dupliciter, sicut hic dicitur, vel ex pavore, et admiratione inferiorum, secundum quod dicitur, Act. III, 10 : *Impleti sunt stupore et exstasi in eo quod acciderat illi.* Aut ex vehementi desiderio æternorum, et apprehensione fixa illorum, sicut fuit in Adam quando vidit mysterium sacramenti conjugii [2]. Agit ergo de utraque exstasi. Quis enim audiens Christum tot passionibus, et clamoribus ad gloriam proprii corporis pervenisse, non vehementissime expavescat? maxime si imperfectus est. Et si perfectus est, audiens glorificatum corpus suum, et tam gloriosam dedicationem sibi promitti, summo desiderio non inardescat?

iplex exasis, ex pare inferiorum, et delerio æterorum, de utraque agit.

Sic ergo patet intelligentia tituli, et recta consequentia hujus Psalmi ad antecedentem. Volens ergo Psalmista, imo Spiritus sanctus per ipsum nos in exstasim altero dictorum modorum rapere, duo facit. Primo, præmittit rei gestæ narrationem. Secundo, subjungit utilem exhortationem, ibi (℣. 24), « *Diligite Dominum, omnes sancti ejus.* »

Prima dividitur in tres. Primo enim narratur oratio Christi ad Patrem. Secundo, passio Christi tamquam necessitas orandi, et ratio quare debeat ei subveniri, ibi, « *Miserere mei, Domine.* » Tertio, bonorum recordatio, per quæ patiens consolatus est, ibi, « *Quam magna multitudo.* » Et est ordo competens. Oratio enim ponitur ante passionem : quia oratio est singulare remedium contra tribulationem. Et recte prius est afflictio quam consolatio afflicti, et ob hoc recte secunda pars præcedit tertiam.

Hæc de Christi oratione et passione exponuntur.

Ordo, oratio, deinde passio, quam sequitur consolatio.

Sed quia oratio justi debet esse in spe certa et confidentia, quatuor dicuntur. In prima parte ostendit quod sperat. Secundo, orat, ibi, « *Inclina ad me.* » Tertio, confidenter affirmat se exaudiendum, ibi, « *Et propter nomen tuum.* » Quarto, quod ex certa confidentia jam exsultat, ibi, « *Ego autem in Domino.* »

nérale. Théodoret, Bellarmin, Cook, le rapportent à la révolte d'Absalon, ce que rendent peu probable l'état d'abandon et de mépris dans lequel l'auteur semble tombé, et son silence sur Sion et sur sa dignité royale. Il s'agit donc plutôt de la persécution de Saül : c'est l'opinion de presque tous les commentateurs modernes, qui reconnaissent dans ce qui est raconté I Reg. XXIII, 26, une situation identique à celle que suppose le psaume. David alors dans le désert de Maon, « desperabat se posse evadere a facie Saul. » Les LXX ajoutent au titre : ἐκστάσεως, « pro exstasi, » addition empruntée au ℣. 23, comme l'indique expressément une scolie grecque citée par Beelen ; ce mot du reste ne se lit pas dans les anciens manuscrits des Septante.

David, dans ce chant, donne libre carrière à sa confiance absolue en Jéhova ; son amour envers lui croît même en proportion de l'hostilité des hommes : plus il est menacé, plus il se sent invulnérable sous la protection du Seigneur. Aussi après les accents les plus humbles de la supplication, termine-t-il le psaume par des cris de reconnaissance, et par une invitation à aimer Dieu. Cette dernière idée montre que, tout en exprimant ses sentiments personnels, le prophète se préoccupait de ceux qui devaient redire ses chants, et emprunter ses accents pour redire à Dieu leurs peines et leurs joies.

Le Seigneur en croix a prononcé les paroles du ℣. 6, et les ℣℣. 10-16 expriment très exactement les sentiments du Messie pendant sa passion. Le psaume n'est pourtant pas reconnu comme directement messianique, parce qu'il s'entend de David au sens littéral, d'un bout à l'autre ; mais « puisque Jésus-Christ lui-même se l'est appliqué, dit Talhofer, nous avons le droit de le regarder comme figurativement messianique, d'autant plus que David persécuté par Saül est la figure du Sauveur souffrant. » David représente également dans ce chant l'Eglise et les fidèles en butte aux persécutions. Les ℣℣. 2-6 sont insérés dans l'office des Complies : ils renferment un acte de confiance par lequel le chrétien remet son âme à Dieu à la fin de la journée comme Jésus-Christ remit la sienne à son père à la fin de sa vie.

[1] S. Augustinus, Super Genesim ad litteram, Lib. XII.

[2] Cf. Genes. II, 23.

2 Prima pars Psalmi. Dicit ergo : O « *Domine* » Pater, « *in te speravi* » cum exspectatione et scientia hujus, quod « *non confundar in æternum.* » Isa. L, 7 : *Scio quoniam non confundar.* Spes enim Christi non erat cum dubitatione, vel metu non adipiscendi quod sperabat sicut in aliis : sed certa scientia adipiscendi. Sic ergo spei ejus conveniebat illud Apostoli ad Rom. v, 5 : *Spes non confundit.* Eccli. II, 11 : *Nullus speravit in Domino, et confusus est.* « *In te* ergo *speravi,* » non in rebus aliis, propter quod « *non confundar,* » sicut illi de quibus Proverb. XI, 28 : *Qui confidit in divitiis suis, corruet.* Nec sicut illi qui confidunt in seipsis vel in hominibus aliis, et ponunt carnem brachium suum. Judith, VI, 15 : *Non derelinquis præsumentes de te, et de sua virtute gloriantes, humilias.*

« *In justitia.* » Hic subjungitur oratio : et dicuntur duo. Primo, orat. Secundo, probat quod debet exaudiri, ibi, « *Quoniam fortitudo.* »

In prima duo. Primo, petit liberationem. Secundo, liberationis accelerationem, ibi, « *Inclina ad me.* »

Dicit ergo : Sic confidenter spero et rogo, o Domine, « *libera me* » a malis in quibus sum, « *in tua justitia.* » Quid dices ? Numquid actus justitiæ est a malo liberatio ? Videtur quod non. Sed magis misericordiæ. Responsio Augustini est, quod « justitia est miseris subveni« re, » et probat hoc per hoc quod dicitur in Psal. CXI, 9 : *Dispersit, dedit pauperibus, et justitia ejus manet in sæculum sæculi.* Proverb. x, 2 : *Justitia vera liberabit a morte.* Ipsum ergo liberari miserum est ex justitia, dulcedo et compassio cordis ex misericordia.

Exponuntur de Ecclesia. Vel potest esse, sicut dicit Glossa alia, vox Ecclesiæ. O Domine, quamvis sim in dolore, « *in te speravi,* » non diffidens. Prov. XIV, 32 : *Justus sperat in morte sua.* Et quia speravi, « *non confundar in æternum,* » confusione scilicet æterna, de qua, Jerem. XX, 11 : *Confundentur vehementer, quia non intellexerunt opprobrium sempiternum, quod numquam delebitur.*

« *In justitia tua libera me,* » hoc est, in justitia quam habeo a te, et propter hoc « *tua* » dicta, contra Pelagium, qui dicebat quod homo justitiam habebat a se. Jacob. I, 17 : *Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est.*

« *Inclina ad me.* » Hic secundum, in quo petit liberationis accelerationem : et dicuntur duo. Primo, allegat Dei excellentiam et humilitatem propriam. Secundo, subjungit orationem, ibi, *Accelera.* » Propter hoc quod dicit, « *Inclina aurem tuam,* » confitetur Dei sublimitatem. Job, XI, 8 : *Excelsior cœlo est, et quid facies ?* In hoc quod dicit, « *Ad me,* » innuit suam subjectionem. Isa. LIII, 2 et 3 : *Desideravimus eum : despectum, et novissimum virorum.* Auris autem Dei est ejus intelligentia, qua apprehendit cogitatum et affectum et verbum hominum. Hæc est auris de qua, Sap. I, 10 : *Auris zeli audit omnia.* Hæc auris inclinatio est divinæ intelligentiæ inclinatio, ut non tantum intendat supernis, sed inferioribus et humanis, contra illos qui dicunt, Job, XXII, 14 : *Nubes latibulum ejus, nec nostra considerat, et circa cardines cœli perambulat.* Mentiuntur enim, Sap. VI, 8 : *Æqualiter est illi cura de omnibus.* 3

« *Accelera ut eruas me* » velociter a morte. Potest esse oratio totius Ecclesiæ et sanctorum. « *Inclina aurem tuam,* » id est, filium tuum, qui est auris tua, sicut et os tuum. Job, XII, 11 : *Nonne auris verba dijudicat, et fauces comedentes, saporem ?* Sic Christus. Joan. v, 22 : *Pater omne judicium dedit Filio.* Ergo ad hoc votum hæc auris inclinata est, non tantum usque ad formæ humanæ susceptionem, sed usque ad mortem. Ad Philip. II, 8 : *Exinanivit semetipsum, factus obediens,* Patri, *usque ad mortem.* « *Accelera ut eruas me,* » quantum ad defuncta membra, de limbo : quantum

ad viva, de peccato et potestate diabolica. Isa. VIII, 3 : *Voca nomen ejus, Accelera spolia detrahere festina : prædari.*

Optima oratio instante morte. « *In te Domine, speravi,* » quia spes maxime est necessaria morientibus. Job XIII, 15 : *Et, si occiderit me, in ipso sperabo.* « *Non confundar in æternum,* » quia temporaliter sum confusus, peccatum confitendo. Eccli. IV, 25 : *Est confusio adducens gratiam et gloriam.* « *In tua justitia,* » non mea, quæ nulla. Isa. LXIV, 6 : *Pannus menstruatæ universæ justitiæ vestræ.* « *Inclina ad me aurem tuam :* » quia necesse est mihi triplici ratione. Propter infirmitatis debilitatem, quæ non sinit me clamare, Isa. XXXVIII, 14 : *Sicut pullus hirundinis, sic clamabo,* dicebat infirmus Ezechias. Propter mei miseri a te elongationem Job, XXII, 12 : *An non cogitas, quod Deus exclesior cœlo sit, et super stellarum verticem sublimetur ?* Propter circumstantium tumultuositatem, maxime circa morientem, I Esdr. III, 13 : *Nec poterat quisquam agnoscere vocem clamoris lætantium, et vocem fletus populi.* « *Accelera ut eruas,* » propter mortis accelerationem. Eccli. VIII, 18 : *Memento iræ, quoniam non tardabit.* Et propter dæmonum accelerationem. Thren. IV, 19 : *Velociores fuerunt persequentes nos aquilis cœli.* « *Et libera me,* » ab ardore purgatorii velociter extrahendo. Eccli. XLIII, 14 : *Imperio suo acceleravit nivem.*

« *Esto mihi in Deum.* » Hic secundo petit protectionem a malis. Et primo, a Gentilibus ipsum impetentibus. Secundo, a Judæis mortuum persequentibus, ibi, « *Et in domum.* »

Dicit ergo : Sic peto ut eruas me a præsentibus, et etiam « *esto mihi in Deum protectorem,* » id est, in Deum protectorem contra Gentilium sævitiam : magno enim protectore opus est in magna persecutione. Eccli. II, 13 : *Protector est omnibus exquirentibus se in veritate.* Et bene postquam dixit, « *Accelera ut eruas,* » subjungit, « *Esto protector :* » cum enim diabolus aliquid sibi erui senserit, tunc acrius sævit. Ezechiel. III, 12 : *Assumpsit me Spiritus,* supple, sanctus, *et audivi post me vocem commotionis magnæ.* Exod. XIV, 5 et seq., Pharao et Ægyptii post filios Israel exeuntes de Ægypto sævierunt, sed Deus illos protexit, sicut adhuc suos portionem suam signis evidentibus protegit.

Dæmon acrius sævit in bonos et pœnitentes

« *Et in domum refugii,* » propter Judæos etiam mortuum infestantes. « *Ut salvum,* » ab illis, « *me facias,* » corpus meum ab illorum custodibus subtrahendo. Mare mortuum infestat, nec permittit quiescere : sic Judæi Christum etiam mortuum. Isa. LVII, 20 : *Cor impii quasi mare fervens, quod quiescere non potest.* Sed tu Domine, post agonem, « *esto mihi* » et meis, « *in domum refugii,* » ab iis persecutoribus et aliis. Proverb. XVIII, 10 : *Turris fortissima nomen Domini : ad ipsum currit justus, et exaltabitur,* et etiam peccator ut justificetur. Psal. CIII, 18 : *Petra refugium herinaciis.* Et etiam in futuro salvum me facias ab omni impugnatione et tumultu. Psal. CXLVII, 14 : *Qui posuit fines tuos pacem,* etc.

Judæi ut mare mortuo non parcunt.

4 « *Quoniam fortitudo mea.* » Hic subjungit causas quare debeat exaudiri. Et primo, quare eruat. Secundo, quare protegat, ibi, « *Et refugium.* »

Dicit ergo : Sic rogo, et debes, « *quoniam fortitudo mea,* » ad persecutiones Gentilium tolerandas : « *et refugium meum* » ad infestationes Judæorum evadendas, « *es tu.* » De primo, Exod. XV, 2 : *Fortitudo mea et laus mea Dominus.* De secundo, in Psal. XXXI, 7 : *Tu es refugium meum a tribulatione, quæ circumdedit me.* De utroque, Isa. XXV, 4 : *Fortitudo egeno in tribulatione sua : spes a turbine, umbraculum ab æstu.* Jerem. XVI, 19 : *Domine fortitudo mea, et refugium meum.* Vel fortitudo ante mortem, et refugium in morte.

« *Propter nomen tuum.* » Hic est tertia pars, in qua postquam expressit confidentiam suam et spem suam, et orationem secundo supposuit, pronuntiat audacter quoniam impetravit. Et primo, confidenter se liberandum ponuntiat. Secundo, protegendum, ibi, « *Educes me de laqueo.* »

In prima duo. Primo, quod liberabitur in seipso. Secundo, quod et in suis, ibi, « *Et enutries.* »

Ait ergo : Sic rogavi, et audacter pronuntio, « *quod propter nomen tuum,* » per me hominibus manifestandum, et prædicandum, sicut jam in parte feci per meipsum. Joan. XVII, 6 : *Pater, manifestavi nomem tuum hominibus, quos dedisti mihi.*

« *Deduces me.* » Alia littera, « dux mihi eris : » ut in omnibus tuam faciam voluntatem, et non frangar, propter quamcumque persecutionem. Joan. V, 30 : *Non quæro voluntatem meam*, quæ dicebat mihi : Durum est mori, si fieri potest transeat a me calix iste, *sed voluntatem ejus qui misit me.* Joan. XIV, 31 : *Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.*

« *Et enutries me,* » alios mihi incorporando, ut sic non in me solo liberer, sed in meis. Petrum enim sibi incorporavit, quando respiciens illum oculis misericordiæ, ei cor contritum dedit secundum illud Joan. IV, 32 : *Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis.* Glossa : « Cibus Salvatoris, conversio est peccatoris, « et per illum postea multorum. » Act. X, 13 : *Surge, Petre, occide, et manduca.* Vel in hoc ipso « *enutries me,* » quia dabis facere voluntatem tuam. Joan. IV, 34 : *Cibus meus est ut faciam voluntatem ejus, qui misit me,* etc. Et est notandum, quod Christus petebat protectionem sive tegumentum. « *Esto mihi in Deum protectorem,* etc. » Nec mirum, quia in cruce nudus pendebat. Psal. XXI, 19 : *Diviserunt sibi vestimenta mea* [1] : et habuit tenebras, quæ opuererunt eum [2] ? Petebat et domum, « *et in domum refugii :* » quippe ejecerant eum extra civitatem. Matth. VIII, 20 et Luc. IX, 58 : *Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.* Et habuit gloriosam in Ascensione. Joan. XVI, 58 : *Iterum relinquo mundum, et vado ad Patrem.* Nutrimentum, « *ut salvum me facias :* » quippe Joan. XIX, 28, clamabat : *Sitio :* et cibatus fuit multitudine fidelium conversorum. Isa. LVIII, 14 : *Sustollam te super altitudines terræ, et cibabo te hæreditate Jacob patris tui.*

« *Educes me de laqueo.* » Hic primo pro- 5
nuntiat se protegendum. Secundo, a quo, ibi, « *A laqueo.* » Tertio, quare, ibi, « *Quoniam tu es protector meus.* »

Dicit ergo : Sic deduces liberando a Gentilibus, « *et educes me,* » protegendo a persecutionibus Judæorum, « *de laqueo mortis,* » quæ quasi quidam laqueus alios solet detinere. II Reg. XXII, 6 : *Prævenerunt me laquei mortis.* De laqueo, inquam, « *quem absconderunt mihi,* » secundum æstimationem suam. Prov. I, 11 : *Veni nobiscum, insidiemur sanguini, abscondamus tendiculas contra insontem frustra.* Et in Psal. LXIII, 6 : *Narraverunt ut absconderent laqueos.* Sed Dominus bene sciebat illorum versutam malitiam. Luc. XI, 17 : *Vidit Jesus cogitationes eorum.* Sed hos laqueos pœnalitatis et mortis noster Samson intravit, et rupit [3] : et nos in seipso liberavit, Psal. CXXIII, 7 : *Laqueus contritus est, et nos liberati sumus.* Non tantum a laqueo mortis, sod etiam iniquitatis, secundum illud, Prov. V, 22 : *Iniquitates suæ capiunt impium,* etc. Hunc enim laqueum quandoque diabolus occultat, et abscondit sub specie vanæ pulchritudinis. Prov.

[1] Cf. Matth. XXVII, 35.
[2] Ibid. XXVII, 45 et seq.
[3] Cf. Judic. XV, 14.

xxxi, 30 : *Fallax gratia, et vana est pulchritudo.* Eccle. vii, 27 : *Inveni amariorem morte mulierem.* Aliquando sub specie virtutis, et tunc difficillimum est cavere. Gregorius : « Ut de bonis moribus dæmon « prævaleat, semetipsum sub velamine « sanctitatis occultat. » Aliquando sub specie utilitatis, sicut in avaris, qui congregant ad litteram pecuniam magnam, ut tandem faciant magnum aliquid, sicut dicunt aliqui, sed capiuntur inordinata dilectione sub utilitatis simulatione. Psal. ix, 16 : *In laqueo isto quem absconderunt, comprehensus est pes eorum.*

« *Quoniam tu es protector meus.* » Hic tertium, in quo subjungit rationem triplicem quare proteget. Prima, ex ratione Patris. Secunda, ex parte sui, quem diligit, ibi, « *In manus tuas,* » Tertia, ex parte inimicorum quos odit, ibi, « *Odisti observantes vanitates.* »

Dicit ergo : *Sic proteges, et hoc quoniam* « *tu es,* » et non alius, « *protector meus.* » Supra, in alio Psal. xxvi, 1 : *Dominus protector vitæ meæ, a quo trepidabo ?*

6 « *In manus tuas.* » Hic secundum, in quo sumitur ratio ex parte Patris, quia scilicet commendat ei animam propriam : et dicuntur duo. Primo, commendat ei animam tamquam assignans rationem suæ protectionis. Secundo, pronuntiat securam ipsam a Patre custodiendam, ibi, « *Redemisti.* »

Ait enim : Sic educes, quoniam tu es protector meus, et etiam « *commendo spiritum meum,* » animam scilicet meam, « *in manus tuas,* » id est, in tua potestate. Cassiodorus : « Commendat Patri inæstimabilem thesaurum, animam scilicet « illam. Si thesaurus inæstimabilis fuit « illa anima, ergo ipsam dare, fuit dare « thesaurum inæstimabilem : ergo majoris « valoris quam mundus : ergo sufficiens « ad totum redimumdum, et plusquam « mundum redimendum. In bona autem « manu, et secura commendavit the- « saurum. » Sap. xvi, 13 : *Tu Domine, qui vitæ et mortis habes potestatem.* Securæ et felices animæ quæ ibi sunt, Sap. iii, 1 : *Justorum animæ in manu Dei sunt.*

« *Redemisti me.* » Quasi diceret : commendo, et scio quoniam recipies commendatum, quia o « *Domine, Deus veritatis,* » qui solvis quod promittis, « *redemisti me,* » id est, redimere ordinasti : sed jam quasi factum reputo. Morior enim. « *Redemisti,* inquam, *me* » in membris meis hac mea morte, quam non potes non suscipere, quam animarum voluisti fieri pretium, tu qui amas eas tantum [1]. Nemo ergo sibi vilescat tanto redemptus pretio. I ad Corinth. vi, 20 : *Empti enim estis pretio magno.* I Pet. i, 18 : *Non corruptibilibus auro, vel argento redempti estis,* etc. Nemo ergo sibi vilescat, ut servus fiat alterius quam redemptoris. I ad Corinth. vii, 23 : *Pretio empti estis, nolite fieri servi hominum :* multo minus vitiorum. Joan. viii, 34 : *Qui facit peccatum, servus est peccati.* Hæc fuerunt ultima verba Christi in cruce, Luc. xxiii, 46 : *Et clamans voce magna Jesus ait : Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. Et hæc dicens, exspiravit.* Hinc est quod Ecclesia hic finit Psalmum in Completorio : et dicit Hieronymus, quod « ab illo « loco, *Deus Deus meus respice in me* [2], « usque in hunc totum dixit. »

« *Odisti observantes vanitates.* » Hic est ratio tertia. Quasi diceret : proteges rationibus prædictis, et etiam quia « *odisti observantes vanitates :* » et ipsi gauderent si me non protegeres. Vel ad imme- 7

[1] Cf. Sap. xi, 1 : *O quam bonus et suavis est, Domine, spiritus tuus in omnibus,* et alibi in eodem capite.
[2] Psal. xxi, 2.

diatum sic, tu me redemisti, sed alios non sic. Vel sic : Tu es Domine, Deus veritatis : et propter hoc odisti « *observantes vanitates.* » Nota, quod observare in compositione aliquando notat contrarietatem, Luc. xiv, 1 : *Et ipsi observabant eum.* Quandoque diligentiam, Eccle. xii, 13 : *Deum time, et mandata ejus observa.* Ad Philip. iii, 17 : *Observate eos qui ita ambulant.* Sic accipitur hic : Odisti diligenter servantes vanitates, id est, terrena et vana. Jacob. iv, 4 : *Quicumque voluerit amicus esse hujus sæculi, inimicus Dei constituitur.* Et dicuntur divitiæ vanitates, quia non implent. Eccle. v, 9 : *Avarus non implebitur pecunia.* Item, quia cito disparent, I Joan. ii, 17 : *Et mundus transit, et concupiscentia ejus.* Item, quia utilitate carent, Sap. v, 8 : *Divitiarum jactantia quid contulit nobis ?*

« *Supervacue.* » Non tantum vacue et inutiliter, sed « *supervacue,* » quia nocive. Eccle. v, 12 : *Est et alia infirmitas pessima quam vidi sub sole : divitiæ conservatæ in malum domini sui.* Propter hoc orat Salomon in Proverb. xxx, 8 : *Vanitatem, et verba mendacia longe fac a me.* Et nota, quod quidam servant diligenter hæc vana propter necessitatem : quidam propter superfluitatem, et hoc est supervacue. Et tales odit Deus tamquam violentos spoliatores, et raptores. Ambrosius : « Proprium nemo dicat, quod « commune est : quia plus quam sufficit « sumptum, violenter obtentum est. »

Posset legi, et apertum est de observatoribus somniorum et auguriorum. Levit. xix, 26 : *Non augurabimini, nec observabitis somnia.* Et de volentibus servare unguentis et lotionibus pulchritudinem corporis , quæ vana est. Eccle. xi, 10 : *Adolescentia, et voluptas vana sunt.*

« *Ego autem in Domino.* » Hic tertium, in quo subjungitur orantis confortatio per spem exsultationem in ipso generantem. Et primo tangitur de spe breviter et succincte. Secundo, diffusius de exsultatione, ibi, « *Exsultabo,* etc.

Continua ergo ita : Ipsi sperant, « *Ego autem in Domino speravi,* » qui vanitas non est, sed veritas, Joan. xiv, 6 : *Ego sum via, et veritas, et vita :* sed quia Prov. x, 28 : *Exspectatio justorum lætitia.*

« *Exsultabo.* » Hic subjungitur de exsultatione, et tangitur primo exsultationis magnitudo. Secundo, ratio tantæ exsultationis, ibi,« *Quoniam respexisti,* » 8

Dicit ergo : Sic speravi, et propter hoc « *exsultabo* » corpore, « *et lætabor* » mente. Cassiodorus hoc innuit : « *Exsul*« *tare* est cum magna alacritate gau« dere : *lætari* est temperata mentis affe« ctione mulceri. » Sed secundum hoc videtur, quod debuisset dixisse « *lætabor* » primo, et postea « *exsultabo.* » Responsio est, quod Cassiodorus tangit modum jubilantium, qui temperantius exsultant exercitati quam in principio : unde primo exsultant, sed postmodum temperantes se ex discretione lætantur. Proverb. xxv, 16 : *Mel invenisti, comede quod sufficit tibi.* Et hoc « *in misericordia tua,* » in justitia mea nihil, quia Sap. iv, 15 : *Gratia Dei et misericordia in sanctos ejus.* Eccli. li, 37 : *Lætetur anima vestra in misericordia ejus, et non confundemini.*

Progressus gaudii in jubilantibus.

« *Quoniam tu respexisti.* » Hic secundum, in quo subjungitur tantæ lætitiæ ratio : et tangitur duplex Dei respectus, effectus multiplex, ibi, « *Salvasti de necessitatibus.* »

Ait ergo : Sic exsultabo et lætabor, et hoc, quoniam « *respexisti humilitatem meam,* » sicut ait Maria : *Respexit humilitatem ancillæ suæ* [1]. Nos libentius figimus oculos in pulchris rebus quam in

[1] Luc. i, 48.

Deus humilia, nos alta respicimus diabolo similes.

turpibus et vilibus : Deus e contrario. Psal. CXII, 5 : *Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, et humilia respicit in cœlo et in terra?* In hoc ergo assimilamur diabolo, qui libenter respicit sublimia, non curat de humilibus. Job, XLI, 25 : *Omnes sublime videt*, scilicet oculus ejus.

« *Salvasti de necessitatibus.* » Hic tangitur effectus hujus respectus, et hic duplex, a culpa liberatio, et abundantioris gratiæ collatio, ibi, « *Statuisti in loco.* «

In prima duo. Primo, liberatio ab originali. Secundo, ab actuali, ibi, « *Nec conclusisti me.* »

Necessitates a quibus Christus et ejus Ecclesia liberantur.

Dicit ergo : Sic respexisti humilitatem meam, sed numquid infructuose? Non. Sed salvasti animam meam, nimirum meorum « *de necessitatibus,* » de culpis meis originalibus, in quibus necessario detinentur. Posset etiam hoc dicere caput, quia ab illis salvatus est in se, quia illas non habuit, cum tamen homo esset. Vel possunt appellari peccata, propterea quod propter peccata inflicta necessitas. A primo salvatus est in conceptione, Luc. I, 34 : *Quod nascetur ex te sanctum.* Ab aliis in resurrectione, quando corruptibile induit incorruptionem [1]. Sed necessitates possunt dici concupiscentiæ carnales, quibus sunt subjecti omnes, qui descenderunt ab Adam per carnalem concupiscentiam, quæ remanent etiam post baptismum, sub quibus gemebat Paulus, ad Rom. V, 24 : *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus ?* Ab iis in suis liberatur. Item, necessitates appellari possunt servitutes illæ, quibus sub lege premebantur, magis necessitate servientes, quam amore. Sed ab iis membra sunt liberata. Ad Rom. VIII, 15 : *Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba Pater.* Item, sicut corporis necessitates sunt, quæ corpori necessaria sunt ad sustentamentum, sic necessitates animæ sunt, quibus anima sustinetur, cibi sui. Unde sicut corpus a suis necessitatibus salvatur, quando ei necessaria ministrantur, sic anima quando ei dantur illa ex quibus vivit, sicut verbum Dei, qui est ejus cibus. Matth. IV, 4 : *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit ex ore Dei.* Luc. X, 42 : *Porro unum est necessarium.*

Christus solo intuitu sanat.

Et nota in hoc versu notari humani morbi accerbitatem : dicitur enim necessitas a nece, et continuitatem, quia dicitur Jerem. XIV, 17 : *Plaga pessima vehementer. Pessima* propter acerbitatem, *vehementer* propter acerbitatis durationem. Nota et medici potestatem, quia solo respectu sanat. Nec mirum. Basilisco hanc contulit virtutem ut solo intuitu interficiat, et ipse solo intuitu non sanabit ? Absit. Proverb. XX, 8 : *Rex qui sedet in solio judicii, intuitu suo dissipat omne malum.* Nota et pietatem medici, quia cum excelsus sit, libentius curat morbidos pauperes et humiles quam magnos. « *Quoniam respexisti,* » et hoc est, ubique similis es. Eccli. XIII, 19 : *Omne animal diligit simile sibi* : et ubi amor, ibi oculus : et ubi oculus, ibi salus. Ergo a primo ubi humilitas, ibi salus : quod concedimus.

« *Nec conclusisti me.* » Hic secundum, 9
in quo tangitur liberatio ab actuali.

Ait enim : Sic salvasti ab originali, « *nec conclusisti me in manus inimici,* » id est, diaboli per actualem culpam. Nam potestate ejus concluditur homo quando peccat mortaliter. Joan. VIII, 34 : *Qui facit peccatum, servus est peccati.* Sed Christus non peccavit. Isa. LIII, 9,

[1] I ad Corinth. XV, 53 : *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem : et mortale hoc induere immortalitatem.*

et I Petr. II, 22 : *Qui peccatum non fecit.* Sed contra Job, XVI, 12, in persona Christi : *Conclusit me Deus apud iniquum.* Responsio. Conclusus fuit corpore in pœna, sed non mente in culpa : et ob hoc necesse fuit evadere a conclusione illa. Psal. CVI, 16 : *Contrivit portas æreas : et vectes ferreos confregit.* Et nota, quod diabolus concludit multis : artificiose proponit delectationem, assumit consensum, et concludit ex hoc necessario transgressionem. Vel sic : Proponit in actione prava, assumit in consuetudine perversa, et concludit in morte æterna. Ezechiel. VII, 23 : *Fili hominis... fac conclusionem.* Inimicus est mundus : hic habet manus suas, cupiditatem et avaritiam. In his manibus avari concluduntur. Diabolus inimicus, et hic suas, superbiam et inanem gloriam. In his concluduntur superbi. Caro suas, luxuriam et gulam, in quibus concluduntur deliciosi.

Quomodo sophistice concludit diabolus, mundus, caro ?

« *Statuisti in loco spatioso pedes meos.* » Hic secundus effectus respectus Dei.

Ait enim : Sic liberasti respiciens in me ab originali et actuali culpa, et post hæc « *statuisti in loco spatioso,* » id est, in amplitudine gratiæ in præsenti « *pedes meos.* » Proverb. IV, 11 : *Ducam te per semitas æquitatis, quas cum ingressus fueris, non arctabuntur gressus tui,* etc. Sic enim in principio notatur perseverantia. Prov. IV, 26 : *Omnes viæ tuæ stabilientur.* Vel per contemplationem in cœlo empyreo, loco amplissimo et altissimo, Baruch. III, 4 : *O Israel, quam magna est domus Dei, et ingens locus possessionis ejus !* Ibi statuti erant pedes ejus qui dicebat : *Stantes erant pedes nostri, in atriis tuis Jerusalem* [1]. Et illius, ad Philip. III, 20 : *Nostra conversatio in cœlis est.* Omnis enim vel tota terra bonis pedibus angustata est, et punctalis. IV Reg. VI, 1 : *Ecce locus, in quo habitamus coram te, augustus est nobis.*

« *Miserere mei, Domine.* » Hic secunda pars primæ partis, in qua narrat quod pertinet ad statum passionis, et dicuntur duo. Primo, enarrat lamentabiliter quæ sustinuit. Secundo, orat, ibi, « *Ego autem in te speravi.* » 10

Passionis Christi descriptio.

In prima narrat quod pertulit vivus. Secundo, quod pertulit mortuus, ibi, « *Oblivioni datus sum.* »

In prima duo : Vivus enim pertulit quædam compatiendo, quæ primo narrat : et quædam patiendo, quæ secundo, ibi, « *Infirmata est.* »

In prima duo. Primo, narratur compassionis acerbitas. Secundo, diuturnitas, ibi, « *Quoniam defecit in doloribus vita mea.* »

In prima duo. Primo, gemendo ostendit acerbitatem compassionis generaliter. Secundo, distinguendo per partes, ibi, « *Conturbatus est.* »

Ait ergo : Sic statuisti in loco spatioso, sed tamen caro est in miseria in hac vita. Unde clamo, « *Miserere mei, Domine,* » et necesse est, « *quoniam tribulor.* » Sed quid est quod dicit, « *Tribulor,* » qui statim gaudens præmisit, « *Nec conclusisti me* ». Sed potest responderi secundum regulam Tichonii, quod fuerunt verba capitis, vel Ecclesiæ pro membris aliquibus, modo loquitur pro aliis : alia enim membra jam liberata sunt, et in capitis libertate, pro quibus illa præmisit. Alia adhuc imperfecta, in miseria existentia, pro quibus hæc subjungit. Et quantumcumque gaudeat Ecclesia pro bonis, non potest non sentire dolorem pro infirmis. Proverb. XIV, 13 : *Risus dolore miscebitur, et extrema gau-*

Quare statim post jubitationem lamentatur

[1] Psal. CXXI, 2.

dii luctus occupat. Ad Rom. xii, 15 : *Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus.* Nec mirum. I ad Cor xi, 12 : *Si quod patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra.*

« *Conturbatus est.* » Hic specificat primo, ostendens dolorem interius. Secundo, exterius, ibi, « *Et venter meus.* »

Ait enim : Vere tribulor, « *quoniam conturbatus est in ira,* » non mea, sed adversariorum quibus compatior, « *oculus meus,* » ratio et intellectus. Sed non quantum ad caput in quo imperturbata remansit. Sed loquitur corpus : « *Et anima mea,* » sensualitas, inferior scilicet pars : ut totum sit interius in perturbatione. Vel, « *in ira mea,* » zeli mei, qui turbat oculum mentis, sicut dicit Gregorius, ut postea puriorem reddat. « *Et venter meus* », ipsa caro, ut totum sit conturbatum. Vel secundum Glossam : « *Oculi* sunt Ecclesiæ doctores vita bo« na fulgentes : sed *venter,* adhuc infirmi « et debiles. » Sensus est ergo : In ira persequentium conturbati sunt doctores, et infirmi. II ad Tim. iii, 12 : *Omnes qui pie volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur.*

11 « *Quoniam defecit in dolore.* » Hic tangitur doloris diuturnitas : et dicuntur duo. Primo, quod per totam vitam. Secundo, ostendit vitæ longitudinem, ibi, « *Et anni mei.* »

Dicit ergo : Sic miserearis propter miseriæ et pœnæ acerbitatem, et etiam « *quoniam defecit in dolore vita mea,* » vita aliquorum membrorum meorum perfectorum tormenta persecutionum sustinentium. Cassiodorus : « *Deficere,* « est paulatim minus facere, et ad finem « perdendo aliquas valetudinis minutias « pervenire. » Sensus ergo est : Vita mea in dolore defecit, id est, ad finem paulatim deficiendo pervenit præ dolore. Dolor enim ducit ad mortem sicut jucunditas ad vitam. Eccli. xxx, 23 : *Jucunditas cordis, hæc est vita hominis.* Et xxxviii, 19 : *A tristitia festinat mors.*

« *Et anni mei,* » vita in longum protracta. Non est enim unius diei, vel septimanæ, vel mensis, nec unius anni, sed plurium. Sed contra, Job, xiv, 5 : *Breves dies hominis sunt.* Responsio. Longi, meo judicio, propter miseriam, etsi breves secundum veritatem.

« *In gemitibus,* » supple, defecerunt, Job, iii, 24 : *Antequam comedam suspiro, et quasi inundantes aquæ, sic rugitus meus.* Psal. xxxvii, 9 et 10 : *Rugiebam a gemitu cordis mei.* Et statim : *Et gemitus meus a te non est absconditus.* Loquitur Christus, et hoc dicit de membris. Hinc possumus experiri si sumus de membris Christi et Ecclesiæ, si sumus « *in gemitu* : » si non, membra ejus non sumus : hic enim Ecclesia *columba* dicitur. [1] Hinc Apostoli *columbæ* appellantur. Isa. lx, 8 : *Qui sunt isti, qui ut nubes volant, et quasi columbæ ad fenestras suas ?* Nubes pluunt et columbæ gemunt : et eis præcipitur, Matth. x, 16, *ut sint simplices sicut columbæ.* Qui, inquam, dicit Paulus ad Galat. v, 24 : *Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis, et concupiscentiis.* Ezechiel. ix, 4 : *Signa Thau super frontes virorum gementium, et dolentium.*

Hic membra Ecclesiæ gemunt.

« *Infirmata est.* » Hic est secundum, in quo postquam tetigit mala compassionis ad adversarios, hic tangit mala passionis. Primo, quæ sustinuit interius in propria carne. Secundo, quæ sustinuit interius in suorum occasione amissionis, ibi, « *Super omnes inimicos meos.* » In se sustinebat duo. Virtutis infirmationem primo. Secundo, ossium conturbationem. Primum fuit in vulnerum infli-

[1] Cant. vi, 8.

ctione : secundum in membrorum extensione.

Ait ergo : Sic tribulatus sum ex compassione, et etiam « *virtus mea infirmata est in paupertate* », quando exutus vestibus meis multipliciter vulneratus sum. Thren. I, 14 : *Infirmata est virtus mea.* Nec mirum certe si virtus infirmata fuit, multum enim laboravit, et refectione caruit, quæ reparat virtutem. Eccli. XXXI, 4 : *Laboravit pauper in diminutione victus, et in fine inops fit.* Debebatur ad minus panis ei pro labore. In eodem, XXXIII, 25 : *Panis et disciplina est opus servo.* Sed pro pane dederunt ei durissimum lignum. Jerem. XI, 19 : *Mittamus lignum in panem ejus.* Caruit et consolatione, quæ aliquando multum bene reparat virtutem. Seneca ad Lucilium : « Nihil æque ægrum reficit ac adjuvat, « quemadmodum amicorum affectus. » Psal. XXVI, 10 : *Pater meus et mater mea dereliquerunt me.*

Christi in cruce egestas summa.

« *Et ossa mea conturbata sunt,* » propter extensionem in cruce. Psal. XXI, 17 : *Foderunt manus meas et pedes meos,* propter primum : *et dinumeraverunt,* id est, dinumerabilia fecerunt, *omnia ossa mea,* propter secundum. Sic loquitur Ecclesia secundum Augustinum. Tunc virtus ejus appellantur Martyres. Chrysologus super *Matthæum* : « Virtus « uniuscujusque provinciæ sunt sapientes « ejus. » Hæc virtus, sancti scilicet Martyres, infirmata est in paupertate, vel egestate duplici. Sanitatis, qua carebant afflicti, Eccli. XXX 16 : *Non est census supra censum salutis corporis.* Et ipsius mortis quam desiderabant propter prolongationem tribulationis, Job, III, 21 et 22 : *Exspectant mortem, et non venit, gaudentque vehementer cum invenerint sepulcrum.* Et propter hoc « *ossa,* » id est, multi fortes in Ecclesia, « *conturbata sunt* » horrore et terrore, et compassione.

Hæc de Ecclesia exponuntur.

Secundum Cassiodorum, loquitur genus humanum exprimens miseriam in quam cecidit propter culpam. « *Infirmata est virtus mea,* » naturalis, quia vulnerata, « *in paupertate,* » quando gratuita sunt amissa. Et denudatum est, Luc. X, 30 et seq. : *Homo quidam descendebat ab Jerusalem in Jericho, et incidit in latrones.* « *Et ossa mea conturbata sunt,* » id est, ipsa virtus corporis debilitata est. Matth. XXVI, 41 : *Caro autem infirma.*

Expone de toto genere humano.

12 « *Super omnes inimicos.* » Hic secundum, in quo narrat mala quæ sustinuit in suis. Primum, quia ipsum contempserunt. Secundum, quia horruerunt, ibi, « *Et timor.* » Tertio quod secutum est, quia dereliquerunt, ibi, « *Qui videbant me.* »

Christus a suis derelictus et ab inimicis derisus.

In prima duo. Primo, quod contemptibilis inimicis. Secundo, quod plus proximis, quod multum aggravat, ibi, « *Vicinis.* »

Secundum hoc ergo sic potest legi littera : Hæc mala in me sustinui, dicit Christus, et etiam « *super inimicos meos,* » id est, coram inimicis meis « *factus sum opprobrium,* » coram scilicet Gentibus, quando coronam spineam imposuerunt capiti ejus. Joan. XIX, 2 : *Et milites plectentes coronam de spinis, imposuerunt capiti ejus.* Thren. III, 59 : *Vidisti, Domine, iniquitatem illorum adversum me.*

« *Vicinis.* » Repete : Et factus sum opprobrium « *vicinis meis valde.* » Quasi diceret : Plus etiam quam inimicis, scilicet Judæis, de quibus natus sum. Ad Hebr. VII, 14 : *Manifestum est, quod ex Juda natus est :* sed ii deriserunt. Matth. XXVII, 41 : *Principes sacerdotum illudentes cum Scribis et senioribus dicebant : Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere.* Psal. LXVIII, 8 : *Propter te sustinui opprobrium : operuit confusio faciem meam.* Et paulo post, ℣. 9 : *Extraneus factus sum fratribus meis.* Vel sic : « *Factus sum opprobrium vicinis meis super omnes inimicos meos,* » id est, plusquam omnes inimici mei, id est, peccatores et mali. Et hoc verum : contempto enim Christo Barabbam petierunt, qui

Dei erat inimicus[1]. Et super inimicos, latrones simul cum eo crucifixos : multo enim plura vituperia intulerunt Christo, quam illis. Chrysostomus super *Matthæum* : « In latronibus nihil tale operati « sunt, sed in Christo omnia ausi sunt, « et medium eorum crucifixerunt, ut « opinioni eorum communicaret. »

« *Et timor,* » horroris scilicet, « *notis meis,* » Apostolis. Petrus enim ex timore negavit, et horrore, quo non poterat credere ipsum Deum[2]. Et Petrus bene de notis : interpretatur enim *agnoscens.* Job, XIX, 13 : *Fratres mei longe sunt a me, et noti mei quasi alieni recesserunt a me.* Vicini enim Dei sunt clerici : sed isti sunt qui super omnes homines Deum opprobrio habent, et abjectioni. Jerem. XI, 15 : *Quid est, quod dilectus meus in domo mea fecit scelera multa ?* Non potest fieri majus vituperium homini, quam in ejus hospitio. Psal. XL, 10 : *Qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem.* Bernardus super illud Isa. XXXVIII, 17 : *In pace amaritudo mea amarissima :* « Amara in morte « Martyrum, amarior in conflictu hære- « ticorum, hæc amarissima in moribus « domesticorum. »

Peccata clericorum graviora.

« *Et timor notis meis,* » bonis scilicet, quos Deus agnoscit et approbat. II ad Tim. II, 19 : *Cognovit Dominus qui sunt ejus:* hi enim timent a talibus accipere sacramenta Dei. Malach. II, 11 : *Contaminavit Judas sanctificationem Domini, quam dilexit,* hoc est, contaminatam æstimari fecit.

« *Qui videbant me, foras.* » Ecce tertium. Quasi diceret : Sic despexerunt, horruerunt, et « *qui videbant me, foras,* » id est, secundum carnem, crucem et purum hominem « *fugerunt.* » Tales erant illi qui dicebant Christo, Joan. X, 33 : *Tu homo cum sis, facis teipsum Deum.* Non enim videbant nisi quod humanum erat in Christo. Sed Isaias limpidius videbat, in cap. XLV, 15 : *Vere tu es Deus absconditus* secundum carnem. Etiam et id quod foris erat, tantum videbant Apostoli, quando *omnes, relicto eo, fugerunt*[3]. Adhuc hoc idem potest dicere Christus, et Ecclesia tota simul. « *Qui videbant me,* » id est, mei habebant notitiam, sed non habentes spem et oculum ad æterna, sicut illi de quibus Sapient. III, 4 : *Si coram hominibus tormenta passi sunt, spes illorum immortalitate plena est,* hi « *foras fugerunt a me.* » In hac vita sunt quædam exteriora bona et visibilia. Ad Galat. IV, 9 : *Cum cognoveritis Deum, imo cogniti sitis a Deo: quomodo convertimini iterum ad infirma egena et elementa ?* Vel vox religionis quæ veraciter potest dicere, « *qui videbant me, foras,* » quantum ad asperitatem ciborum, « *fugerunt a me,* » quia non viderunt abundantiam interiorem consolationum. Bernardus : « Multi vident nostras cruces, « qui non vident nostras unctiones. »

« *Oblivioni datus sum.* » Hic secundum, in quo narrat quæ sustinuit mortuus : et dicuntur duo. Primo, enumerat mala. Secundo, causam et motivum ad illa, ibi, « *Quoniam audivi.* » **13**

Quæ Christus post mortem passus est, oblivio et desperatio de resurrectione.

Et in prima duo. Primo, mortui oblivio. Secundo, desperatio de resurrectione, ibi, « *Et factus sum.* » Quidam enim mortuum oblivioni statim tradiderunt, non curantes : quidam putaverunt penitus periisse.

Dicit ergo : Sic fugerunt adhuc vivum : « *Et oblivioni datus sum* » postea « *a corde,* » ut aliquorum nullam jam ha-

[1] Cf. Matth. XXVII, 21 et seq., et Marc. XV, 11 et seq.

[2] Cf. Matth. XXVI, 69 et seq.; Marc. XIV, 66 et seq.; Luc. XXII, 56 et seq.: Joan. XVIII, 17 et seq.

[3] Matth. XXVI, 56 ; Marc. XIV, 50; Luc. XXII, 54; Joan. XVIII, 24.

beret memoriam, « *tamquam mortuus,* » id est, sicut mortui alii statim excidunt a corde, sic ego. De aliis enim dicitur : *Periit memoria eorum cum sonitu*[1]. Et de Christo, Isa. LVII, 1 : *Justus perit, et non est qui recogitet in corde suo.*

Christus a corde, non ore multorum excidit.

Nota, quod dicit oblivioni se datum a corde, non ab ore. Multi enim habent Christum mortuum adhuc in ore, sed non in corde : satis ei cantant in Ecclesiis, sed non illum amant. Isa. XXIX, 13 : *Populus hic labiis suis me glorificat, cor autem ejus longe est a me.* Jerem. XII, 2 : *Prope es tu* (Domine) *ori eorum : et longe a renibus eorum :* cum tamen dictum sit, ad Hebr. XII, 3 : *Recogitate eum, qui talem sustinuit adversus semetipsum a peccatoribus contradictionem.* Non sic Paulus ad Philip. III, 13 : *Quæ retro sunt obliviscens,* terrenorum scilicet, *ad ea quæ sunt priora extendens meipsum,* scilicet ad divina.

« *Factus sum tamquam.* » Ecce secundum : Quasi diceret : Sic illis oblivioni datus sum, et aliis « *factus sum tamquam vas perditum,* » de cujus reparatione penitus desperatur. Sic aliqui de mea resurrectione, sed decepti sunt : figulus enim qui voluit vas confringi in morte, reparabit ut placeat in oculis suis in resurrectione. Jerem. XVIII, 4 : *Dissipatum est vas, quod faciebat e luto manibus suis : conversusque fecit illud vas alterum, sicut placuerat in oculis ejus ut faceret.* Et nota, quod Christus hic comparat se vasi : nec mirum : ipse enim est vas bellicum. Gladius enim et sagittæ vasa bellica sunt, velut dicuntur, Ezech. IX, 1 : *Appropinquaverunt visitationes urbis, et unusquisque vas interfectionis habet in manu sua.* Et ipse est gladius quo pugnatur cominus. Ad Ephes. VI, 17 : *Et gladius spiritus, quod est verbum Dei.* Item, quo pugnatur a remotis, quia sagitta. Isa. XLIX, 2 : *Posuit me sicut sagittam electam.* Item, repositorium in quo reponuntur divitiæ sicut arca et gazophilacium. Ad Colos. II, 3 : *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi.* Item, vas escarum, scutella et scyphus, scilicet continens in se nostram refectionem, et quantum ad cibum et quantum ad potum. Joan. VI, 56 : *Caro mea vere est cibus : et sanguis meus vere est potus.* Et ipsemet vas pretiosissimum. Eccli. L, 10 : *Quasi vas auri solidum, ornatum omni lapide pretioso.* Item, cithara vas musicum, quia Psal. LVI, 9 : *Exsurge, gloria mea, exsurge, psalterium et cithara.* Hujus citharæ sono dæmonia effugabantur, et omnes morbi sanabantur. Matth. VIII, 16 : *Obtulerunt ei multos dæmonia habentes : et ejiciebat spiritus verbo : et omnes male habentes curavit.* Item, illuminativum, hoc est, luminis contentivum quale est lucerna. Psal. CXVIII, 105 : *Lucerna pedibus meis verbum tuum.* Matth. V, 15 : *Neque accendunt lucernam, et ponunt eam sub modio.* Et quale est sol, Malach. IV, 2 : *Et orietur vobis timentibus nomen meum sol justitiæ.* Et quale stella, Apoc. XXII, 16 : *Ego sum radix et genus David, stella splendida et matutina.*

Christus vas dicitur bellicum : et aliis modis vide.

« *Quoniam audivi vituperationem.* » **14**
Hic subjungit causam harum miseriarum : et tangitur primo causa triplex. Patientia quæ ostendebat eum hominem purum, primo, respectu verborum turpium quæ in eum proferebant. Secundo, congregationum quas adversus eum faciebant, ibi, « *In eo dum convenirent.* » Tertio, consiliorum quæ occultabant hominum æstimationem, ibi, « *Accipere animam meam.* »

Ait ergo : Sic me irrecuperabiliter mortuum putaverunt, et hoc « *quoniam audivi vituperationem multorum,* » non

[1] Psal. IX, 7.

unius tantum, « *commorantium in circuitu,* » mei pendentis in cruce, et existentis coram judice. Audivi, inquam, patienter. Matth. XXVII, 12 : *Et cum accusaretur a principibus sacerdotum, et senioribus, nihil respondit* circumstantibus se et oblatrantibus. Psal. XXI, 17 : *Circumdederunt me canes multi.* Sic adhuc morantes in circuitu temporalium, secundum illud, *In circuitu impii ambulant*[1], vituperant membra Christi cum ipso nuda in cruce pendentia. Sap. XV, 12 : *Æstimaverunt lusum esse vitam nostram.* Et in cap. V, 4 : *Nos insensati, vitam illorum æstimabamus insaniam.*

« *In eo dum convenirent.* » Hic secundum, et tertium tangitur.

Ait enim : Sic audivi vituperationem, et etiam dum convenirent adversum me, non pauci, sed omnes, et concorditer, quia « *simul in eo,* » vituperio scilicet, Ecclesiæ congregatio, « *consiliati sunt accipere animam meam,* » id est, in sua detinere potestate. Ecce consilium occultum. Ecce quod quidam convertunt in malum. Jerem. XI, 9 : *Inventa est conjuratio in viris Juda.* Judic. XV, 4 : Vulpes Samsonis, etsi facies diversas, tamen habent caudas ad invicem colligatas[2]. Act. IV, 27 : *Convenerunt vere in civitate ista adversus puerum tuum sanctum Jesum.* Alii autem convertunt in bonum. I Esdr. III, 1 : *Congregatus est populus quasi vir unus in Jerusalem.* Est autem ad hoc congregatio malorum, ut consilium habeant disperdendis animabus. Jerem. XI, 19 : *Cogitaverunt super me consilia iniqua.* Hoc est consilium quod dedit, II Reg. XV, 31, Achitophel Absaloni de interficiendo David patre suo, et ut adspiraret ad regnum. Genes. XLIX, 5 et 6 : *Simeon et Levi fratres : vasa iniquitatis bellantia. In concilium eorum non veniat anima mea.* Eccli. XXIII, 4 : *Ne derelinquas me in cogitatu illorum.*

15 « *Ego autem in te speravi.* » Hic subjungitur oratio, et primo, persuadet. Secundo, petit, ibi, « *Eripe me.* » Persuadet autem a sua bonitate, et hac duplici. Primo enim tangit bonam confidentiam quam habet in corde. Secundo, piam confessionem quam habet in ore, ibi, « *Dixi Domino, Deus meus es tu.* »

Oratio Christi quæ petit liberari ab illis malis.

Dicit ergo : Sic illi : « *Ego autem in te speravi,* » sciens quia adversus voluntatem tuam non prævalebit eorum consilium, sed semper implebitur voluntas tua. Daniel. IV, 32 : *Juxta voluntatem suam facit.* Isa. XLVI, 10 : *Consilium meum stabit, et omnis voluntas mea fiet.*

« *Dixi : Deus meus es tu.* » Hic allegat piam confessionem, in qua sunt duo. Primo, confessio divinæ bonitatis. Secundo, divinæ prædestinationis, ibi, « *In manibus tuis.* »

Ait enim : Sic speravi, « *Et dixi,* » ore : « *Deus meus* » humilitatis meæ, « *es tu,* » quoniam bonorum meorum non eges. « *Deus meus,* » cujus potestati nemo resistit. Job, IX, 13 : *Deus cujus iræ resistere nemo potest.*

16 « *In manibus tuis,* » id est, in tua bonitate et notitia, quæ sunt quasi duæ manus, « *sortes meæ,* » electio scilicet, sive prædestinatio, qua mera tua bonitate ad hoc eligere voluisti ut essem filius tuus. Ad Roman. I, 4 : *Qui prædestinatus est filius Dei in virtute.* Psal. LXIV, 5 : *Beatus quem elegisti et assumpsisti,* etc. Vel in persona Ecclesiæ : « *Ego autem in te speravi,* » o Domine, non in homine aliquo, quamvis sacramentorum tuorum mi-

[1] Psal. XI, 9.

[2] Judic. XV, 4 : *Perrexitque* (Samson) *et cepit trecentas vulpes caudasque earum junxit ad caudas, et faces ligavit in medio.*

nistro. Jerem. XVII, 5 : *Maledictus homo, qui confidit in homine.* Tales erant Corinthii qui de prælatis disputabant, I ad Cor. I, 12 : *Ego sum Pauli, ego sum Apollo.* Sed talibus facit aliquando Dominus sicut mater parvulo, quæ ponit ei amarum aliquid in mamilla, ut gustata amaritudine refugiat, et currat ad bonum et solidum cibum. Sic amarum dat ei prælatum ut currat ad Deum, ut discat non confidere nisi in ipso. Dixi ore : « *Deus meus es tu,* » quia ad Roman. X, 10 : *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* « *In manibus tuis,* » id est, in tua potestate, et ordinatione « *sortes meæ,* » id est, electio qua me colligere voluisti de tuis electis : hæc enim electio homines latet, et tibi soli innotescit, sicut accidit alicui qui habet aliquid in manibus.

Tres sortes, prædestinationis, gratiæ. et gloriæ.

Et nota hic, quod triplex est sors, electionis seu prædestinationis divinæ, de qua tangitur hic. Ad Eph. I, 11 : *In quo etiam et nos sorte vocati sumus, prædestinati secundum propositum ejus.* Et gratiæ, Act. XXVI, 18 : *Ut recipiant remissionem peccatorum, et sortem inter Sanctos, per fidem quæ est in me,* id est, inter sanctificatos per fidem quæ est in me. Et gloriæ, Daniel. XII, 13 : *Tu autem,* Daniel, *stabis in sorte tua in finem dierum.*

Variæ opiniones de rerum ordine.

Nota ergo hic, quod Philosophorum fuit triplex opinio. Quidam enim posuerunt omnia esse facta quadam necessitate et præter voluntatem Dei et hominum contingere. Alii fuerunt, qui dixerunt omnia esse fortuita, hoc est, nullas habere causas, vel rationabilem ordinem in rebus nullum esse. Tertii, omnia regi providentia et virtute Dei. Huic consentit David. Et hæc est vera et Catholica. De aliis tribus opinionibus, Seneca ad Lucilium : « Philosophandum est, sive nos inexora« bili legi facta constringunt, sive arbi« ter Deus universi cuncta disponat, sive « creans res humanas sine ordine impel« lat. »

« *Eripe me de manu.* » Hic post persuasionem subjungit petitionem. Et primo petit sibi bona. Secundo, inimicis imprecatur mala, ibi, « *Erubescant.* »

Prima in duas. Primo, rogat pro malis amovendis. Secundo, pro bonis adipiscendis, ibi, « *Illustra faciem tuam.* » Pro malis amovendis, ut eripiatur a Judæis primo. Secundo, a Gentilibus, ibi, « *Et a persequentibus me.* »

Dicit ergo : Talis sum : propter hoc « *eripe me* » sperantem, et confitentem tibi, « *de manu,* » de postestate « *inimicorum meorum,* » Judæorum. Jerem. XV, 15 : *Tuere me ab his qui persequuntur me.* Et exauditus fuit, ut posset dicere illud Eccli. LI, 5 : *Liberasti me de manibus quærentium animam meam.* « *Et a persequentibus me,* » Gentilibus. Alibi, in Psal. LXVIII, 15 : *Libera me ab his qui oderunt me, et de profundis aquarum,* tribulationum scilicet.

Duo genera inimicorum contra quos, vel pro quibus orandum.

Vel potest esse vox Ecclesiæ petentis ereptionem ab inimicis. Et distinguit Augustinus inimicorum duo genera. Quidam contra quos orandum, dæmones : alii pro quibus est orandum : quantumcumque enim homo oderit te, tamen diligendus est a te charitatis affectu. I Joan. III, 15 : *Qui odit fratrem suum, homicida est.* Pro liberatione tamen ab iis, et a dæmonibus simul orandum est.

Ait ergo : « *Eripe me de manu inimicorum meorum,* » dæmonum nos per membra sua impugnantium. Ad Eph. VI, 12 : *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem : sed adversus principes, et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritu alia nequitiæ in cœlestibus.* Et notatur in ereptione quasi quædam violentia. Isa. XLIX, 24 et 25 : *Numquid tolletur a forti præda ? aut quod captum fuerit a robusto, salvum esse poterit ?... Equidem et captivitas a forti tolletur : et quod ablatum fuerit a robusto, salvabitur* per fortiorem supervenientem. Luc. XI, 22 : *Si autem fortior eo superveniens vicerit*

eum, universa arma ejus auferet, et spolia ejus distribuet.

« *Et a persequentibus me,* » propriis filiis qui me valde conturbant : quia cum corripiuntur, lites et seditiones suscitant. Prover. xv, 12 : *Non amat pestilens eum, qui se corripit.* Isa. xxx, 5 : *Non fuerunt in auxilium et in aliquam utilitatem, sed in confusionem et in opprobrium.*

17 « *Illustra faciem tuam.* » Hic petit pro bonis adipiscendis : et dicuntur duo. Primo, petit. Secundo, adjungit rationem quare vult exaudiri, ibi, « *In tua misericordia.* » Petit autem duo. Primo, nominis dilatationem et fidei. Secundo, resurrectionem, ibi, « *Salvum me fac.* »

Dicit ergo : Sic eripe me, sed hoc parum, imo « *faciem tuam,* » id est, benevolentiam et amorem, « *super servum tuum* » habitam, id est, super me, qui in quantum homo, sum servus tuus, et in quantum Deus, unigenitus. Psal. cxv, 16 : *Ego servus tuus, et filius ancillæ tuæ,* Mariæ, quæ dixit, Luc i, 38 : *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Hanc « *illustra,* » id est, demonstra toti mundo, et clarifica. Joan. xvii, 5 : *Clarifica me, Pater.* Et xii, 28 : *Pater, clarifica nomen tuum. Venit ergo vox de cœlo : Et clarificavi, et iterum clarificabo.*

« *Salvum me fac,* » a morte resuscitando. Supra, in Psal. xxi, 22 : *Salva me ex ore leonis.* « *Et in misericordia tua.* » Hic persuadet a duobus : a misericordia, et a justitia, ibi, « *Non confundar.* »

Ait enim : Sic illustra, sic salva, et hoc « *in misericordia tua,* » non in justitia mea. Ergo Rex purissimus a peccato petit exaudiri secundum misericordiam : quis jam audebit mihi allegare justitiam propriam ? Nullus. Isa. lxiv, 6 : *Facti sumus ut immundus omnes nos, et quasi pannus menstruatæ omnes justitiæ nostræ.* Eccli. xvii, 27 : *Laudabis Deum, et gloriaberis in miserationibus illius.*

« *Domine, non confundar, quoniam invocavi te,* » id est, in hoc quod invocavi te : hoc enim injustum valde esset, si hoc sustineres. Scriptum est, Joel, ii, 32 : *Omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit.* Vel est vox Ecclesiæ postulantis duo : distinctionem bonorum a malis, et bonorum salutem. Nunc enim boni et mali dicuntur Christiani, et eodem signantur charactere, et ad unum altare accedunt, et unam Dominicam orationem dicunt. Sed, o tu Domine, « *illustra faciem tuam super servum tuum,* » id est, per tuæ faciei adjumentum, id est, irradiationem illustrissimam, ostende quis sit servus tuus. I ad Cor. iv, 5 : *Nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus : qui et illuminabit abscondita tenebrarum,* scilicet facies quæ modo non apparent. Eccle. ix, 2 : *Omnia in futurum servantur incerta :* sed tandem distinguentur, Num. xvi, 5 : *Mane notum faciet Dominus qui ad se pertineant.* 18

Anima justi est Dei facies irradiata virtutibus.

Et nota quantum ad mores, quod cujuslibet anima facies Dei potest dici : est enim per quod cognoscitur Deus, quia imago expressa. Gen. i, 26 : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram :* hæc illustratur quando fit sapientior, generosior, melior, et virtuosior, in omibus constantior. Hæc faciet Deus in faciebus suorum. Isa. lii, 13 : *Ecce intelliget servus meus,* factus sapientior : *exaltabitur,* factus generosior, de servo diaboli factus filius Dei : *et elevabitur,* factus virtuosior : *et sublimis erit valde,* factus constantior.

« *Erubescant impii, et deducantur.* » Hic secundum, in quo imprecatur mala adversariis : et dicuntur duo. Primo, imprecatio. Secundo, ratio imprecationis, ibi, « *Qui loquuntur adversus.* »

Imprecatur autem eis pœnam quæ tangitur in tribus. Primo, in illorum confusione in die judicii. Secundo, ulterius in illorum retrusione in inferno. Non hoc facit libidine vindictæ, sed zelo justitiæ, ibi, « *Et deducantur.* » Tertio, in perpetui

silentii impositione, ibi, « *Muta fiant.* »

Dicit ergo : Sic mihi præbe bona, sed « *impii erubescant,* » ostensa omnibus in generali judicio eorum turpitudine. Nahum, III, 5 : *Ecce ego ad te, dicit Dominus exercituum, et revelabo pudenda tua in facie tua.* Isa. XLI, 11 : *Confundentur et erubescent omnes, qui pugnant adversum te :* « *et deducantur in infernum,* » post illam confusionem. Matth. XXV, 41 : *Discedite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo,* etc. Et etiam existentes in inferno « *deducantur,* » de uno tormento in aliud ducantur. Job, XXIV, 19 : *Ad nimium calorem transeat ab aquis nivium.* Deducentur etiam, quia male tractabuntur. Psal. XLVIII, 15 : *Sicut oves in inferno positi sunt,* etc.

19 « *Muta fiant,* » perpetui silentii impositione, « *labia dolosa,* » de quibus supra, in Psal. XI, 3 : *Labia dolosa in corde et corde locuti sunt.* Hæc fient muta in inferno, I Reg. II, 9 : *Impii in tenebris conticescent.* Et habebunt os obstructum, Psal. LXII, 12 : *Obstructum est os loquentium iniqua.* Quomodo obstruentur? Proverb. XX, 17, dicitur : *Suavis est homini panis mendacii, postea implebitur os ejus calculo,* id est, lapide ignito : quod probatur per Isaiam [1]. Sed contra : Legitur Sap. V, 3, quod dicturi sunt : *Hi sunt quos habuimus aliquando in derisum, et in similitudinem improperii.* Et sequitur, ℣. 14 : *Talia dixerunt in inferno,* etc. Et Isa. LXV, 14 : *Ecce servi mei laudabunt præ exsultatione cordis, et vos clamabitis præ dolore cordis, et præ contritione spiritus ululabitis.* Responsio. Muta erunt quoad consueta gaudia, et derisiones bonorum, in quibus nunc abundant, sed non quantum ad verba planctus, sicut Sap. V, 2 et seq. dicitur : nec quantum ad verba blaphemiæ, sicut habetur, Apocal. XVI, 9 et seq.

Muta fient labia peccatorum ad læta et bonorum derisiones, non ad planctus.

« *Quæ loquuntur.* » Hic tangitur causa tantæ miseriæ, et tangitur triplex peccatum. Oris primo. Secundo, cordis, ibi, « *In superbia.* » Tertio, operis, ibi, « *Et in abusione.* »

Dicit enim : « *Muta fiant labia dolosa,* » quæ, id est, quia illa « *loquuntur adversus justum,* » Christum, Jerem. XXIII, 6 : *Et hoc est nomen, quod vocabunt eum, Dominus justus noster :* et quemlibet alium bonum de Ecclesia, Job, XII, 4 : *Deridetur justi simplicitas* : « *Iniquitatem,* » illum blasphemando, illis crimen imponendo quos tamen deberent laudare, secundum illud Eccli. XLIV, 1 : *Laudemus viros gloriosos.* Et hoc, « *in superbia* » cordis. Prov. XI, 2 : *Ubi fuerit superbia, ibi erit et contumelia.* « *Et in abusione* » operis, utentes bonis sibi datis a Deo ad sustentationem, ad luxuriam. Quinque enim sunt quibus abutuntur mali. Corpore suo, et alieno, illo pessimo usu, de quo Thren. V, 13 : *Adolescentibus impudice abusi sunt.* Et muliere etiam, quando non est sua, Genes. XIX, 8 : *Habeo duas filias, educam eas ad vos, et abutimini eis.* Et tempore, Job, XXIV, 23 : *Dedit ei Deus locum pœnitentiæ, et ipse abutitur eo in superbiam.* Dignitate, Baruch, VI, 27 : *Hostias illorum vendunt sacerdotes, et abutuntur.* Potestate, I ad Corinth. IX, 18 : *Ut non abutar potestate mea, in Evangelio.* Privilegio et bonitate Dei, Esther, VI, 2 : *Multi bonitate principum, et honore qui in eos collatus est, abusi sunt in superbiam.* Et propter hoc Dominus eis abutetur in futuro, ad hoc scilicet ad quod non fuerunt facti, miseriam et pœnam in eis exercendam. Jerem. XVIII, 23 : *In tempore furoris tui abutere eis.*

Quinque notanda quibus abutuntur mali, corpus, mulier, tempus, dignitas, Dei bonitas.

[1] Cf. Isa, VI, 5 et seq.

20 [x]ponuntur [b]onis hu[m]us vitæ et futuræ.

« *Quam magna multitudo.* » Hic est secunda pars primæ partis hujus Psalmi, et ultima, in qua ad consolationem post narrationem tot miseriarum, enarrantur bona quæ Deus facit suis. Et primo facta et fienda omnibus generaliter. Secundo, Christo specialiter, ibi, « *Benedictus Deus.* »

In prima duo. Primo, quæ fient post hanc vitam. Secundo, in hac vita, ibi, « *Proteges eos.* »

Post hanc vitam tripliciter. Ante judicium. In judicio, ibi, « *Perfecisti eis.* » Post judicium, ibi, « *Abscondes eos.* »

In prima duo. Primo, quantum ad quid. Secundo, quare, ibi, « *Quia abscondisti.* »

Exclamat ergo Propheta ad mitigandum quantum ad prædicta mala, secundum illud Psal. xciii, 19 : *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo; consolationes tuæ lætificaverunt animam meam* : « *Quam magna,* » quantum ad quantitatem continuam, « *multitudo,* » quantum ad discretam, « *dulcedinis tuæ, Domine.* » Ecce quid in se. Psal. xxiv, 8 : *Dulcis et rectus Dominus*, dulcedine infinita, ipse enim est sua dulcedo. Et in Psal. cxliv, 3 : *Et magnitudinis ejus non est finis*. Dulcis numerosa quantitate in effectibus suis. Et enumeremus aliqua cum Cassiodoro. Dulcis cum inimicos sustinet, Ad Roman. ix, 22 : *Sustinuit autem in multa patientia vasa iræ apta in interitum.* Dulcis cum orat pro eis, Luc. xxiii, 34 : *Pater, dimitte illis : non enim sciunt quid faciunt.* Dulcis cum corrigit, et quasi vi cogit redire ad se caput, Sapient. xii, 20 : *Inimicos servorum tuorum, et debitos morti, cum tanta cruciasti attentione*, et liberasti. Dulcis cum correptis parcit, Sapient. xi, 27 : *Parcis omnibus : quoniam omnia tua sunt Domine, qui amas animas.* Dulcis cum recipit quibus pepercit, Matth. xi, 28 : *Venite ad me omnes qui laboratis, et onerati estis*, etc. Dulcis cum æterna promittit, Matth. v, 3 : *Beati pauperes spiritu : quoniam ipsorum est regnum cœlorom.* Ergo in omnibus actibus suis dulcis. Sapient. viii, 1 : *Disponit omnia suaviter.* Ipse dulce verbum auditui, de quo Eccli. vi, 5 : *Verbum dulce multiplicat amicos, et mitigat inimicos.* Lux dulcis visui, de qua Eccle. xi, 7 : *Dulce lumen, et delectabile oculis videre solem.* Dulcis cibus gustui, Cantic. ii, 3 : *Fructus ejus dulcis gutturi meo.*

[D]ulcedinis [d]ivinæ varii effectus.

Dulcis omnibus sensibus.

Sed ne torpeant aut negligentes sint, addit, « *quam abscondisti.* » Isa. xlv, 15 : *Vere tu es Deus absconditus.* « *Timentibus te,* » id est, quam timentibus in abscondito reservasti. Temporales enim dulcedines omnibus sunt communes bonis et malis, sed istæ reservantur solis bonis. Isa. lxiv, 4 : *Oculus non vidit, Deus absque te, quæ præparasti timentibus te.* Vel ut sit sensus : « *abscondisti timentibus,* » sed ostendisti amantibus. Sapient. xvi, 21 : *Substantia tua dulcedinem tuam, quam in filios habes, ostendebat*, etc.

Abscondit dulcedinem ut excutiat torporem.

« *Perfecisti eis qui sperant in te.* » Hic subjungit de bonis quæ conferet eis in judicio. Et primo tangit, quia perfecte, ibi, « *Perfecisti.* » Secundo, quo merito, ibi, « *Eis qui sperant in te.* » Tertio, qualiter, ibi, « *In conspectu.* »

Dicit ergo : Sic magna multitudo quam abscondisti timentibus, sed perfecisti, id est, perficies, consummabis, solidabisque, qui sperant in te, non in aliqua re temporali. Propter hoc dicit Jacob. v, 7 : *Patientes estote, fratres mei, usque ad adventum Domini nostri Jesu Christi.*

Nota ergo, quod timentibus dicit absconsam, sed sperantibus perfectam Dei dulcedinem : quia plus gustatur dulcedo cœlestis per spem, quam per timorem : imo proprie loquendo timore non gustatur, sed spe. Sap. iii, 4 : *Spes illorum immortalitate plena est.* Ad Rom. viii, 24 : *Spe salvi facti sumus :* et hoc non in abscondito, sed « *in conspectu filiorum hominum,* » videntibus filiis hominum. Per hominem frequenter in Scriptura sacra significatur vetus homo,

Spe non timore gustatur dulcedo.

Adam scilicet, per filium hominis Christus. Sic homines dicuntur frequenter carnales in Scriptura : filii hominum, spirituales, ad Christum pertinentes, qui fuit filius hominis, quia non primus. Coram omnibus autem justis manifestabit dulcedinem sperantibus, qui eam modo eis latenter ostendit, et prægustare facit. Job, XXIX, 2, 4 : *Quis mihi tribuat, ut sim juxta menses pristinos, secundum dies quibus Deus custodiebat me ?... Sicut fui in diebus adolescentiæ meæ ?* sed tandem perficiet coram omnibus et aperte, quando dicet : *Venite benedicti Patris mei,* etc[1]. I ad Corinth. XIII, 10 : *Cum venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est.* Posset et sic legi : Sic abscondisti eam timentibus, sed eam perfecisti eis qui sperant in te, ita quod in conspectu filiorum hominum, id est, qui se ostendunt sperare in te, per bona opera, quæ audacter faciunt. Matth. v, 16 : *Sic luceat lux vestra coram hominibus : ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est.*

21 « *Abscondes eos.* » Hic tangit bona eis conferenda post judicium : et tanguntur duo. Unum, quod a malis non videbuntur. Secundo, quod ab omni tribulatione salvabuntur, ibi, « *A conturbatione.* »

Ait enim : Sic in judicio coram filiis hominum, tuam illis manifestabis dulcedinem, et etiam « *abscondes eos in abscondito faciei tuæ,* » id est, in illo ordinatissimo cœtu Angelico, quem nec Job cognoscebat. Job, XXXVIII, 33 : *Numquid nosti ordinem cœli, et pones rationem ejus in terra ?* Vel « *abscondes eos in abscondito faciei tuæ,* » id est, in præsentia faciei tuæ, quæ est abscondita modo sub Scripturis et sacramentis. Isa. XLV, 15 : *Tu es Deus absconditus.* I ad Corinth. XIII, 12 : *Videmus nunc per speculum in ænigmate : tunc autem facie ad faciem.* Vel sic : In facie tua, in qua erunt absconditi sic a malis : quia, ut dicit Gregorius, « Usque in diem judicii, « mali qui sunt in inferno, vident bonos « qui sunt in paradiso. Sed tunc non vi« debunt, nec tantum faciem, sed nec « justos glorificatos. » Isa. XXVI, 10 : *Misereamur impio, et non discet justitiam : in terra sanctorum iniqua gessit, et non videbit gloriam Dei.* Et hoc « *a conturbatione hominum,* » ut nullam omnino perturbationem patiantur, nec compatiendo damnatis in inferno, nec modo alio. Sed magis lætabuntur. Videbunt enim damnatos justi, Psal. LVII, 11 : *Lætabitur justus cum viderit vindictam.* Isa. LXVI, 24 : *Egredientur, et videbunt cadavera virorum, qui prævaricati sunt in me : ... et erunt usque ad satietatem visionis omni carni.*

« *Proteges eos in tabernaculo tuo.* » Hic tangitur bonum bonis collatum in præsenti, id est, protectio et conservatio illorum a Deo : et tanguntur tria. Primo, quod proteget, Secundo, ubi, ibi, « *In tabernaculo.* » Tertio, a quo, ibi, « *A contradictione.* »

Dicit ergo : Hæc quæ dimisi, eis facies in futuro, sed etiam in præsenti, « *proteges eos.* » Zachar. IX, 15 : *Dominus Deus exercituum proteget eos.* Sed ubi ? « *In tabernaculo tuo,* » Ecclesia scilicet militante, quæ dicitur *tabernaculum* ad differentiam illius supernæ Ecclesiæ, scilicet triumphantis, quæ dicitur *domus*, quia ibi quiescitur. Proverb. I, 33 : *Qui me audierit, absque terrore requiescet, et abundantia perfruetur, timore malorum sublato.* Jerem. XXX, 10 : *Revertetur Jacob,* supple, ad domum suam, *et cunctis affluet bonis.* Sed militans quæ adhuc militat, Job. VII, 1 : *Mi-*

Bona hic justis collata.

[1] Matth. XXV, 34.

litia est vita hominis, etc., dicitur tabernaculum. Item, tabernaculum dicitur a taberna, et a cœna : et in Ecclesia sanguis Christi proponitur ad bibendum, et caro ad cibum. Isa. xxv, 6 : *Faciet Dominus in monte hoc convivium, convivium pinguium, convivium vindemiæ, pinguium medullatorum, vindemiæ defæcatæ* : hoc ergo *tabernaculum Dei cum hominibus* [1].

Triplex tabernaculum a triplici contradictione vindicatum.

Vel « *in tabernaculo tuo*, » id est, in humanitate tua, quæ est illud tabernaculum, de quo in Psal. xvii, 12 : *In circuitu ejus tabernaculum ejus*. Et in tabernaculo tuo cœlo, quod est dictum tabernaculum supra, in alio Psal. xiv, 1 : *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo?* Et hoc « *a contradictione linguarum*. » In primo, a contradictione linguæ hæreticorum et schismaticorum Ecclesiæ contradicentium. Job, x, 9 : *Suscitatur falsiloquus adversum me contradicens mihi*. In secundo, a contradictione linguarum detrahentium et maledicentium, videns hoc teipsum in patientia sustinuisse. Bernardus : « In factis habuerunt observatores, in verbis contradictores. » Ad Hebr. xii, 3 : *Recogitate eum, qui talem sustinuit a peccatoribus adversum semetipsum contradictionem*. In tertio, a contradictione disputantium contraria sentientium : quia ibi summa pax et concordia, et limpidissima cognitio veritatis. Job, xxv, 2 : *Qui facit concordiam in sublimibus suis*, etc.

22 « *Benedictus Dominus*. » Hic subjungit Psalmista in persona Christi loquens, de bonis Christo proprie exhibitis : et tanguntur duo. Primo, gratiarum actio. Secundo, bonorum sibi factorum recordatio tamquam pro causa, ibi, « *Quoniam mirificavit*. »

Dicit ergo : Hæc quæ prædixi bona, contulit meis. Sed etiam « *benedictus Deus* » benedictione laudativa, sicut alibi, in Psal. cxliii, 1 : *Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium*. Dan. iii, 26 : *Benedictus es Domine Deus patrum nostrorum*.

« *Quoniam mirificavit*. » Hic subjungit bona, et sunt duo. Primum, a toto mundo veneratio. Secundum, totius voluntatis adimpletio, ibi, « *Ego autem dixi*. »

In prima tangit quid fecit, « *quoniam misericordiam*. » Secundo, ad quid fecit, ad Christi gloriam, ibi, « *Mihi*. » Tertio, ubi, quia in toto mundo, ibi, « *In civitate*. »

Dicit ergo : Sic benedictus, « *quoniam mirificavit*, id est, mirabilem fecit, « *misericordiam suam*, » et hoc « *mihi*, » ad honorem meum : et hoc « *in civitate munita*, » quando per totum mundum innotuit, et prædicatum fuit me verum Deum et hominem per Apostolos et prædicatores alios docentes, et miracula facientes. Psal. xviii, 5 : *In omnem terram exivit sonus eorum*. Et in eodem, ℣. 1 : *Cæli*, id est Apostoli, *enarrant gloriam Dei*, scilicet Christi. Ad Philip. ii, 9 : *Propter quod et Deus exaltavit illum*, etc. Civitas enim, totus mundus dici potest, quia, sicut dicit Isidorus, « Civitas dicitur pro eo « quod multorum contineat vitas : et « mundus quot habet diversitates gen« tium, tot continet mores diversarum « vitarum, tam in bono quam in malo. » Hæc « *munita*, » id est, providentia carnis in gulosis, et rationibus philosophicis in superstitiosis, cordis duritia in Judæis, perversitate in hæreticis. Zachar. ix, 3 : *Ædificavit Tyrus*, id est, mundus angustus, in gyro *munitionem suam*. De hac ergo civitate, in Psal. lix : 11 : *Quis deducet me in civitatem munitam? quis deducet me usque in Idumæam?* Quis deducet me in civitatem munitam? sed a

Civitas munita mundus.

[1] Apocal. xxi, 3 : *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum eis.*

piscatoribus, et pauperibus capta est civitas, quos misit Christus ad expugnandam eam. II ad Corinth. x, 4 : *Arma militiæ meæ non sunt carnalia*, etc.

Vel potest esse vox corporis, cui, id est, ad cujus utilitatem, misericordiam suam mirificavit multis modis Deus. Primo, carnem assumendo. Credebatur enim hoc a Philosophis esse impossibile. Jer. xxxi, 22 : *Creavit Dominus novum super terram : fœmina circumdabit virum.* Cum hominibus conversando, Jer. xiv, 8 : *Quare quasi colonus futurus es in terra?* Pro nobis moriendo, Ad Rom. v, 6 : *Ut quid Christus, cum adhuc infirmi essemus, secundum tempus pro impiis mortuus est?* Quarto, ad pœnitentiam exspectando, Ad Rom. ii, 4 : *An... ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* Propter hoc dicitur, Isa. ix, 6 : *Vocabitur nomen ejus, Admirabilis.* Et supra, in Psal. iv, 4 : *Mirificavit Dominus Sanctum suum.* Augustinus et Cassiodorus habent : « In civitate circumstantiæ, id est, in Jerusalem, quæ a toto circumdatur, mirificavit. » Sed hinc per totum mundum effudit tamquam suavissimam unctionem. Cant. i, 2 : *Oleum effusum nomen tuum.*

23 « *Ego autem dixi.* » Hic secundum, scilicet totius voluntatis Christi adimpletio : et dicuntur tria. Primo, ratio exaudiendi. Secundo, exauditio, ibi, « *Ideo exaudisti.* » Tertio, velocitas in exaudiendo, ibi, « *Dum clamarem.* »

Ratio quare exauditur, verba quædam quæ dixit conquerendo. Unde primo dicitur, quod aliquid dixit. Secundo, quando, ibi, « *In excessu mentis meæ.* » Tertio, quid, ibi, « *Projectus sum.* »

Dicit ergo : Sic per totum mundum gloriam meam prædicasti, « *Ego autem dixi,* » non silui, verbis enim quomodo sileret? et « *in excessu mentis meæ,* » quem ex deliberatione feci ut morerer pro mundo : hoc fuit in cruce : magnus enim excessus fuit quod fecit. Luc. ix, 31 : *Dicebant excessum ejus quem completurus erat in Jerusalem.* Et bene dicitur *excessus*, quia tunc homo in extasi vel excessu esse dicitur, sicut dictum fuit supra, quando anima corpori non intendit, sicut Christus in passione, non se, sed suos plangebat inimicos, qui ipsum occidebant[1]. Et quid dicebam in hoc excessu mentis?

« *Projectus sum,* » de Jerusalem. Ad Hebr. xiii, 12 : *Extra portam passus est*, tamquam leprosus, qui extra civitates, et castra ejicitur. Levit. xiii, 46 : *Solus habitabit extra castra.* Isa. liii, 4 : *Putavimus eum quasi leprosum.* Et hoc « *a facie oculorum tuorum,* » sacerdotum scilicet, qui oculi Dei videntes, scilicet toti populo debent esse. Zach. ii, 8 : *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.*

« *Ideo exaudisti,* » scilicet propter passionem hanc amaram, « *orationem meam.* » Eccli. xxxv, 16 : *Deprecationem læsi exaudiet Dominus.* Ad Hebræ. v, 7 : *Cum clamore valido et lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia.* Et hoc statim et sine mora, « *dum clamarem,* » tota die, « *ad te.* » Isa. lxv, 24 : *Eritque antequam clament ego exaudiam : adhuc illis loquentibus, ego audiam.* Isa. xxx, 19 : *Miserans miserebitur tui : ad vocem clamoris tui statim ut audierit, respondebit tibi.*

Possunt etiam legi de Ecclesia et anima fideli hi duo versus. Quasi diceret : « *Dixi in excessu meo* » duplici, terroris scilicet pavore nimio perterrita : « *Projecta sum a facie oculorum tuorum :* » si de me curares, hæc me pati non sineres. « *Ideo exaudisti vocem orationis meæ,* » statim dum sic humiliata « *clamarem ad te.* » Eccli. xxxv, 21 : *Oratio hu-*

Exponitur de justo a Deo per duplicem extasim projecto.

[1] Cf. Luc. xxiii, 34.

miliantis se nubes penetrabit. Vel, « *in excessu meo* » contemplationis, « *dixi : Projecta sum a facie oculorum tuorum.* » Quanto enim plus ascendimus Deum cognoscendo, secundum illud II ad Corinth. v, 13 : *Sive mente excedimus, Deo, sive sobrii sumus, vobis* : tanto magis ipsos nos abjicimus, et viliores reputamus. Job, XLII, 5 et 6 : *Nunc autem oculus meus videt te. Idcirco ipse me reprehendo, et ago pœnitentiam,* etc. Gregorius : « Quanto magis homo in divina contem- « platione proficit, tanto magis se nihil « esse cognoscit. » « *Ideo exaudisti, dum clamarem,* » vocem orationis meæ, sic humiliando me. Luc. XVIII, 10 et seq. : Humilians se Publicanus exauditus est, repulsus autem tumens Pharisæus.

24 Secunda pars Psalmi.

« *Diligite Dominum.* » Hic secunda pars totius hujus Psalmi, in quo præmissa diligenti narratione subjungitur utilis exhortatio populi, vel auditorum illorum quæ præmissa sunt. Primo ergo hortatur ad charitatem. Sed quia charitas otiosa esse non potest, secundo hortatur ad bonam operationem, ibi, « *Viriliter agite.* »

In prima duo. Primo, monet Sanctos ut Deum diligant. Secundo, assignat causam quare diligere debent, ibi, « *Quoniam veritatem.* »

Dicit ergo : Sicut audistis passionem quam propter vos sustinuit Dominus, et propter hoc, O vos omnes sancti ejus, « *diligite Dominum.* » Pulchra consequentia : nihil magis accendere debet nos ad amorem sicut passio quam sustinuit pro nobis Deus passibilis. Nec aliud pro tanto beneficio a nobis requirit, nisi ut eum diligamus. Deut. x, 12 : *Et nunc Israel quid Dominus Deus tuus petit a te, nisi ut... diligas eum?*

« *Quoniam veritatem requirit.* » Hic assignat causam duplicem. Prima, quia virtutem inquirit. Secunda, quia secundum merita retribuit, ibi, « *Et retribuet.* »

Ait enim : Diligite, et debetis, « *quoniam veritatem requiret Dominus,* » triplicem : Cordis, de qua supra, Psal. XIV, 3 : *Qui loquitur veritatem in corde suo.* Oris, de qua Apoc. XIV, 5 : *In ore eorum non est inventum mendacium.* Operis, de qua Eccli. XXVII, 10 : *Veritas, ad illos qui operantur illam revertetur.* Et hanc etiam triplicem requirit, quia veritatem vitæ ab omnibus, veritatem justitiæ a judicibus, veritatem doctrinæ a prælatis et aliorum Doctoribus. De hac triplici, Matth. XXII, 16 : *Magister, scimus quia verax es,* pro veritate vitæ : *et viam Dei in veritate doces,* pro veritate doctrinæ : *et non est tibi cura de aliquo,* pro veritate justitiæ.

Triplex veritas a Deo requiritur, vitæ ab omnibus, justitiæ a prælatis, doctrinæ a doctoribus.

Hæc triplex veritas a Christo exhibita.

« *Et retribuet.* » Ecce tertium. Quasi diceret : Sic veritatem requiret, et non inventa illa retribuet abundanter propter pœnæ numerositatem. Job, XX, 22 : *Arctabitur,* propter multitudinem coafflictorum, et loci arctitudinem : *et æstuabit,* propter ignem : *et omnis dolor irruet super eum,* propter pœnarum multitudinem : et abundanter, propter ipsarum acerbitatem : et tanta est, quod venitur usque ad punctum mortis, nec ultra progreditur. Augustinus de *Civitate Dei* : « Secunda « mors est omnium malorum pessima, « quæ non est in separatione animæ a « corpore, sed est in æterna pœna utrius- « que complexus. Ibi non erunt homines « ante mortem, et post mortem, sed sem- « per in morte. »

Pœnæ æternæ magnitudo.

« *Viriliter agite.* » Hic secundum, in quo invitat ad bonam operationem. Et **25**
primo, invitat ad viriliter operandum. Secundo, docet modum, ibi, « *Et confortetur.* »

Sic retribuit : ergo vos omnes qui speratis in Domino « *viriliter agite,* » non muliebriter et remisse. Proverb. XVIII, 9 : *Qui mollis et dissolutus est in opere suo, frater est sua opera dissipantis.* Pauci tales. Eccle. IX, 14 : *Civitas parva, et pauci in ea viri.* Nahum, III,

13 : *Ecce populus tuus mulieres in medio tui.* Quid mirum si populus, quia etiam prælati. Isa. III, 4 : *Dabo pueros principes eorum, et effœminati dominabuntur eis.* Et ut hoc possitis, « *confortetur cor vestrum,* » per fidem quæ roborat, I Pet. v, 9 : *Cui resistite fortes in fide.* Per spem quæ consolationem et gaudium præstat, Ad Rom. XII, 12 : *Spe gaudentes, in tribulatione patientes.* Per charitatem quæ poscit et confirmat, Psal. CIII, 15 : *Et panis cor hominis confirmet.*

Nota etiam, quod bene postquam dixit, « *viriliter agite,* » recte adjungit, « *Et confortetur cor vestrum,* » quia bona operatio confortat etiam hic in præsenti, et afficit. Psal. CXXVII, 2 : *Labores manuum tuarum quia manducabis,* etc. Et tandem gloriosam remunerationem dat in futuro. Matth, XX, 8 : *Voca operarios,* non otiosos : *et redde illis mercedem suam,* ad quam nos perducat qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS XXXI.

Beatitudo eorum, quorum remittuntur peccata : peccatoris insipientia.

1. *Ipsi David intellectus.*
Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata [1].
2. Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum, nec est in spiritu ejus dolus.
3. Quoniam tacui, inveteraverunt ossa mea, dum clamarem tota die.
4. Quoniam die ac nocte gravata est super me manus tua : conversus sum in ærumna mea, dum configitur spina.

[1] Ad Rom. IV, 7.

5. Delictum meum cognitum tibi feci, et injustitiam meam non abscondi.
Dixi : Confitebor adversum me injustitiam meam Domino [1] : et tu remisisti impietatem peccati mei.
6. Pro hac orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno.
Verumtamen in diluvio aquarum multarum, ad eum non approximabunt.
7. Tu es refugium meum a tribulatione quae circumdedit me : exsultatio mea, erue me a circumdantibus me.
8. Intellectum tibi dabo, et instruam te in via hac qua gradieris : firmabo super te oculos meos.
9. Nolite fieri sicut equus et mulus, quibus non est intellectus.
In camo et fræno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te.
10. Multa flagella peccatoris : sperantem autem in Domino misericordia circumbadit.
11. Lætamini in Domino, et exsultate, justi : et gloriamini omnes recti corde.

IN PSALMUM XXXI

COMMENTARIUS.

1 *Ipsi David intellectus* [2].

« *Beati quorum remissæ sunt iniquitates.* » Hic est Psalmus trigesimus primus, in quo postquam actum est in præcedenti de tribulationibus Ecclesiæ, propter quas in exstasim et pavorem veniebat, agitur de ejusdem Ecclesiæ instructione et intellectu : quia sicut dicitur, Isa. XXVIII, 19 : *Vexatio dabit intellectum auditui.* Item, si in præcedenti Psalmo actum est de exstasi, in secundo secundum quod est raptus animæ ad superna, patet recta consequentia : talem enim exstasim sequitur intellectus : prægustatur enim in prægustatione dulcedo superna, et hauritur veritatis intelligentia, et cognitio secretorum. Psal. XXXIII, 9 : *Gustate et videte.*

Argumentum Psalmi : afflicta superiori Psalmo Ecclesia, hic instruitur, et post duplicem exstasim peccata sua cognoscit et plangit.

Quod autem anima maxime in utraque

[1] Isa. LXV, 24.

[2] Ce psaume, que S[t]Paul (ad Rom. IV, 6) et toute la tradition attribuent sans contestation à David, est le second des pénitentiaux. Il a de commum avec le précédent ℣. 23, la tournure « Dixi... » ℣. 5, familière à l'auteur, et l'exhortation aux justes par laquelle il se termine. Mais, remarque Delitzsch, dans le psaume XXX, la peine du psalmiste venait du dehors, dans celui-ci, elle vient du dedans. David le composa après son péché. Le psaume L est le cri du pécheur repentant, celui-ci, le cri du pécheur pardonné, qui exprime sa joie et sa reconnaissance après que le Seigneur lui a remis sa faute. Dans le premier des psaumes pénitentiaux VI, observe aussi P. Lombard, « pœnitens timore judicii plorat, » dans le second, « graviter afflictus cogitur confiteri. » Ce chant est intitulé מַשְׂכִּיל, *maskil*, LXX : συνέσεως, « intellectus. » Le mot hébreu est un participe qui veut dire « prudent, intelligent, » et qui pris substantivement, sert à désigner certains morceaux poétiques. Ordinairement, on entend *maskil* dans le sens causatif de « intelligentem faciens, » chant instructif ; bien que, sur les treize psaumes qui portent ce nom, il n'y ait à proprement parler que celui-ci et le LXXVII[e] qui soient didactiques. Au Ps. XLVII, 8, le mot est employé dans le sens de chant de louange, et quand il désigne une personne, il signifie « celui qui est prudent, » et non « celui qui rend prudent. » Quand il s'agit d'un morceau à chanter en public, il faut bien avouer qu'il n'y a pas grande différence entre la compo-

exstasi experitur, hoc est, ut seipsam humiliet in cognito peccato, non tantum doleat, sed etiam confiteatur veniam postulando. Hinc est, quod Psalmus iste intitulatur, « *Intellectus David,* » vere ejus ad litteram intellectus, quia intellecto peccato suo, et posito ante oculos per Nathan, scilicet peccato adulterii, et homicidii, statim humiliter confessus est, dicens *: Peccavi Domino* [1]. Hic debet esse intellectus peccantium, non circa cursus siderum, et inutilia et curiosa. Bernardus : « Multi multa sciunt, et seipsos nesciunt. » Eccli. III, 22 : *Altiora te ne quæsieris, et fortiora te ne scrutatus fueris.* Sed potius secundum illud Levit. V, 4 et 5 : *Si intellexerit delictum suum, agat pœnitentiam pro peccato suo.* Hic est enim verus intellectus, ut prius habito dolore de peccato, postea confessio sequatur, et sic erit David pœnitens : David enim interpretatur *adspectu desiderabilis :* et in vero pœnitente est albedo vultus et munditia propter abundantiam lacrymarum, et rubor propter verecundiam : quæ duo reddunt adspectum desiderabilem. Bernardus super *Cantica :* « Rubor ipse genarum quem pudor « invexit, quantum vultui suffuso solet « afferre gratiæ et decoris ! » Cant. II, 14 : *Ostende mihi faciem tuam : sonet vox tua in auribus meis.* Et debet consequenter abstinendo a malo et bona faciendo esse manu fortis. Sic enim etiam interpretatur David. Job, XVII, 9 : *Mundis manibus addet fortitudinem.* Zach. XII, 8 : *Erit qui offenderit ex eis in die illa, quasi David.* Ex dictis patet hunc Psalmum esse secundum pœnitentialium. In primo enim, qui sextus est omnium, actum est de dolore peccatoris ex consideratione futuri judicii : in hoc autem de confessione oris principaliter, etsi agatur de contritione, et quibusdam aliis.

Pœnitens ut David est adspectus desiderabilis et manu fortis.

Divisio Psalmi in tres partes penitentiæ, dolorem, confessionem, et satisfactionem

Dividitur autem Psalmus in tres partes. Primo, loquitur pœnitens ut contritus. Secundo, subjungitur de confessione oris, ibi, « *Delictum meum.* » Tertio, de satisfactione operis, ibi, « *Pro hac orabit.* »

In prima duo. Primo, gemendo recitat quod bene sit existentibus in statu gratiæ. Secundo, explicat quam misere remanentibus in statu culpæ : exemplum ponens in se ibi, « *Quoniam tacui.* »

In prima duo. Primo, ostendit illorum felicitatem. Secundo, causam ex parte illorum, ibi, « *Nec est in spiritu ejus.* »

In prima dicuntur tria : felicitatem enim tangit in tribus, seu beatitudinem. Primo, in carentia originalis culpæ. Secundo, actualis ante baptismum, ibi, « *Et quorum tecta.* » Tertio, venialium post baptismum, ibi, « *Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum.* »

Prima pars Psalmi.

Dicit ergo suspirando pœnitens audita miseria, et afflictione Ecclesiæ, vel re-

sition qui renferme l'intelligence ou l'instruction, et celle qui la donne. Quelques auteurs prennent *maskil* dans l'acception plus généralement applicable de « pia meditatio. »

Il faut bien observer que dans ce psaume David ne fait aucune allusion à la pénitence légale, et n'envisage dans la rémission du péché que ce caractère intime et affectif qui distinguera plus tard la pénitence chrétienne. Il se dégage des conditions de pardon qui dans la loi mosaïque étaient l'excitation à la pénitence et non la pénitence elle-même, et c'est par l'aveu né du remords, par le sentiment de la contrition, par la confiance en Dieu qu'il arrive à la justification. C'est pourquoi S. Paul emprunte un passage de ce psaume dans son Epitre aux Romains (ad Rom. IV, 6) pour prouver l'inutilité des œuvres légales, quand il s'agit d'obtenir de Dieu le don gratuit de la grâce qui justifie.

La prière de David convient bien à celui qui a obtenu le pardon de ses fautes, ou qui du moins aspire sincèrement à l'obtenir. Elle contient une leçon importante que résume S. Augustin dans son explication du titre : « Intelligentia ipsa est, ut noveris nec jactare te debere de meritis tuis, nec præsumere de impunitate peccati... Prima ergo intelligentia, ut te noveris peccatorem. »

H. Lesêtre.

1 Cf. II Reg. XII, 13.

diens de divinorum contemplatione, « *Beati,* » supple, sunt, beatitudine viæ jam in præsenti, « *quorum remissæ sunt iniquitates,* » culpæ scilicet originalis per gratiam illis infusam in baptismo. Si enim peccatum facit miseros, Proverb. xiv, 34 : *Miseros facit populos peccatum :* a contrario gratia felices, et beatos. Dicit autem, « *iniquitates* » in plurali, quamvis sit unum peccatum originale, propter multitudinem effectuum : hinc enim omnia alia oriuntur. I ad Timoth. vi, 10 : *Radix omnium malorum est cupiditas.* Et nota, quod optime dicuntur *remissæ,* non amotæ omnino : per gratiam enim baptismalem cum in originali peccato sint duo, culpa scilicet, et pœna, deletur omnino culpa, sed remanet concupiscentia, non in tantum sæviens, sed remissa. Genes. iv, 7 : *Nonne si bene egeris, recipies : sin autem male, statim in foribus peccatum aderit? seb sub te erit appetitus ejus, et tu dominaberis illius.* Et ad Roman. vi, 12 : *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore.*

« *Et quorum tecta sunt peccata,* mortalia actualia quæcumque ante baptismum sunt facta, tecta sunt vultui Dei, ut jam non puniat illa. Psal. L, 11 : *Averte faciam tuam a peccatis meis :* imo dele ea penitus. Isa. XLIII, 25 : *Ego sum ipse qui deleo iniquitates tuas propter me.* Et nota, quod multipliciter teguntur peccata. Primo, male erubescentia confitendi, sicut tegebat illa Pharisæus, Luc. xviii, 11, sicut dicit Augustinus : « Ille peccata habebat, et coram « medico membra sana ostendebat, et « morbida tegebat. » Sed bene teguntur multis modis. Primo, aqua baptismatis, ut ibi submergantur, et non vivant. Sic tegebantur Ægyptii persequentes filios Israel, Exod. xv, 10 : *Flavit spiritus tuus, et operuit eos mare,* etc. Alio modo, emplastro medicinæ, scilicet pœnitentiæ. Augustinus : « Sub tegmine me- « dici vulnus sanatur. Sub tegmine sau- « ciati corrumpitur. Si tu tegere volue- « ris erubescens, medicus non curabit. » Alio modo, divini amoris igne. Peccata enim denigrant animam, facientes eam carboni similem. Thren. iv, 8 : *Denigrata est super carbones facies eorum.* Sed carbo cum accenditur, sua nigredine detegitur : sic animæ nigredo cum charitate inflammatur. I Pet. iv, 8 : *Charitas operit multitudinem peccatorum.*

Peccata multis modis teguntur.

2 « *Beatus vir cui non imputavit.* » Ecce tertium. Quasi diceret : Beatus cujus remissa originalis culpa, cujus actualia sunt tecta, et etiam, « *beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum,* » veniale sine quo nemo vivit in hac vita. Proverb. xx, 9 : *Quis potest dicere : Mundum est cor meum, purus sum a peccato?* Non imputat autem, quia absorbetur vehementia charitatis, sicut gutta aquæ ab igne : sicut factum est in Job qui dicebat, xvii, 2 : *Non peccavi,* et tamen venialiter peccabat, et eum Dominus commendavit ostendens, quod ei non imputaret. Similiter Nathanaelem, Joan. i, 47 : *Ecce vere Israelita, in quo dolus non est.*

Sed quæret aliquis : Quomodo beatus dicitur, cujus iniquitates remissæ, cujus tecta sunt peccata, cui non imputavit Dominus peccatum, cum videamus viros sanctos tot miseriis exponi? Addimus : Dolori cordis, erubescentiæ confessionis, miseriæ satisfactionis oportet quod exponantur. Isidorus : « Beatus dicitur quasi bene aptus [1]. » In statu enim peccati fuit sicut pulvis modicus, brevis, ut atomus. Psal. xvii, 43 : *Comminuam eos ut pulverem,* etc.

Beatitudo hominis justificati.

[1] Isidorus, lib. X, cap. 3.

Supra, Psal. I, 5 : *Non sic impii, non sic, sed tamquam pulvis*, etc. Sed postea fit gigas mirabilis : habet enim caput quod attingit usque ad cœlum, scilicet Christum, cujus est membrum. Ad Ephes. I, 22 : Ipse dedit eum caput quod attingit usque ad cœlum, super omne corpus quod est Ecclesia[1]. Et extendit in latitudinem corpus suum, ab Oriente usque in Occidentem. Dan. IV, 19 : *Magnificatus es, et invaluisti : et magnitudo tua crevit*. Item, bene aptus est genere et nobilitate : erat enim prius servus peccati. Joan. VIII, 34 : *Qui facit peccatum, servus est peccati*. In eodem, ℣. 44 : *Vos, ex patre diabolo estis*. Nunc autem factus est de genere Dei. Act. XVII, 28 : *Ipsius etenim genus sumus*. Joan. I, 13 : *Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis*, etc. Item, bene aptus nomine. Prius vocabatur fur, vel adulter, vel aliquid tale : nunc autem Deus. In Psal. LXXXI, 6 : *Ego dixi : Dii estis, et filii Excelsi omnes*. II Reg. VII, 9 : *Feci tibi nomen grande, juxta nomen magnorum, qui sunt in terra*. Sed pœnitenti juxta nomen magnorum qui sunt in cœlo. Item, bene aptus munere : quia illud donum excellentissimum accipit, scilicet Spiritum sanctum, qui est summum omnium donorum. Prov. IV, 9 : *Dabo capiti tuo augmenta gratiarum*. Eccli. XLIV, 6 : *Homines divites in virtute*.

« *Nec est in spiritu ejus dolus* ». Hic secundum, in quo causam felicitatis ostendit ex parte illorum.

Ait enim : Sic beatus existens in statu gratiæ, et hoc justum, quia « *nec est in spiritu ejus dolus*. » Dolus in spiritu dicitur esse, quando homo seipsum reputat, nec culpam recognoscit, sicut Pharisæus culpam occultabat, et dolum in spiritu habebat. Tales Deum magis provocant ad vindictam, et ita numquam ad gratiam infundendam. Job, XXXVI, 13 : *Simulatores et callidi provocant iram Dei*. Proverb. XII, 20 : *Dolus in corde cogitantium mala*. III Reg. XIV, 6 : *Ingredere uxor Jeroboam : cur te aliam simulas ?* Et Jeroboam *divisio populi* interpretatur, et significat diabolum qui non quærit nisi dividere populum. Hujus uxor est anima simulatrix justitiæ. Sed huic dicitur : Ingredere interius in corde, et vide iniquitates et peccata : non enim sunt tecta, etc.

« *Quoniam tacui*. » Hic secundum in quo ostendit statum non confitentis, infelicem ostendendo. Primo ergo tangitur defectus boni. Secundo, abundantia mali, ibi, « *Quoniam die ac nocte*. » 3

Infelicitas peccatoris.

In prima duo secundum duplicem culpam quam tangit. Primo, confessionis malorum carentiam, quia ipsam renuit, nec confessus est. Secundo, malorum jactantiam, ibi, « *Dum clamarem*. » Et est superbia causata virtutis diminutione.

Ait enim : Beatus qui est in statu præcedenti, infelix qui in opposito, quem expertus sum, « *quia inveteraverunt*, » facta infirma et debilia, « *ossa mea*, » id est, spiritus mei, vel mei spiritus fortitudo debilitata fuit, et propter defectum. Ad Hebr. VIII, 13 : *Quod antiquatur et senescit, prope interitum est*. Et dicitur anima *os* ratione operis : quia sicut opus ossis est carnem mollem sustentare, sic spiritus carnem sustentat, et corpus totum. Proverb. XVIII, 14 : *Spiritus viri sustentat imbecillitatem suam*. Ratione nominis : quia, sicut dicit Isidorus, « ossa « dicuntur quasi usta, quia, antiquitus « cremabantur. » Sic anima igne charitatis debet cremari tota. In Psal. XXXVIII, 4 : *In meditatione mea exardescet ignis*. Et dicuntur *ossa* in plurali, propter vir-

[1] Vulg. habet, ad Ephes. I, 22 : *Et omnia subjecit sub pedibus ejus*, Christi scilicet : *et ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam*.

tutum pluralitatem. « *Inveteraverunt* ergo *ossa mea, quoniam tacui,* » celando peccatum, non confitendo. Job, xvi, 7 : *Si locutus fuero, non quiescet dolor meus.* Psal. cvi, 4 : *Omnis iniquitas oppilabit os suum.*

« *Dum clamarem.* » Contradicere sibi videtur. « *Tacui,* » dixit, quomodo ergo addit, « *Dum clamarem.* » Responsio multiplex. Primo, ut sit clamor oris, et sit sensus : « *Tacui* » peccata in confessione : sed bona si qua habui, jactando clamavi : contra illud I Reg. ii, 3 : *Recedant vetera de ore vestro,* id est, peccata : *et nolite multiplicare loqui sublimia gloriantes,* bona jactando opera. Vel ut sit clamor operis. Quasi diceret : Tacui ne peccarem ore, dum clamarem opere. Gen. xviii, 20 : *Clamor Sodomorum et Gomorrhæ multiplicatus est.* Et hoc « *tota die,* » hanc miseram jactantiam de die in diem prolongando, vel operis clamorem. Psal. cxxviii, 3 : *Prolongaverunt iniquitatem suam.* Isa. v, 18 : *Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis.* Damnosum ergo valde silentium peccati. Isa. vi 5 : *Væ mihi, quia tacui.* Et perniciosus clamor jactantiæ opera ostentando. Unde addit, *quia vir pollutus labiis ego sum.* Proverb. xxviii, 13 : *Qui abscondit scelera sua, non dirigetur : qui autem confessus fuerit, et reliquerit ea, misericordiam consequetur.*

4 « *Quoniam die ac nocte.* » Hic secundum, in quo tangitur mali abundantia. Et primo, ex parte corporis. Secundo, ex parte animæ, ibi, « *Conversus sum.* »

Ex parte animæ ostenditur duplex miseria. Cognitio ipsius miseriæ in adspectu : remorsus conscientiæ in affectu, ibi, « *Dum configitur.* »

Dicit enim : Sic carui omni bono, et conversus sum in ærumna mea existens, conversus sum ut viderem eam, et cognoscerem. Thren. iii, 1 : *Ego vir videns paupertatem meam in virga indignationis tuæ.* Et hoc « *quoniam gravata est super me manus tua.* » I Reg. v, 12 : *Gravissima valde manus Dei* facta est super Azotios, et tunc cognoverunt se peccare in Dominum propter arcam quam tenebant. Et hoc « *super me,* » plusquam possim sustinere, et « *tota die,* » continue. II Machab. ix, 12 et seq., Antiochus superbe egit et miseriam non cognovit, donec afflictus est graviter a Domino. Tunc habere cœpit conscientiæ remorsum. Et hoc « *dum configitur spina,* » interior in conscientia remorsus de culpa. De hac punctione, Eccli. xxii, 24 : *Pungens oculum deducit lacrymas.* Remorsus enim conscientiæ et oculi interioris, multos usque ad fletum deducit. Vel spina peccatum appellatur, et culpa impugnativa est : et hoc quia nascitur de terra nostra. Genes. iii, 17 : *Maledicta terra in opere tuo : spinas et tribulos germinabit tibi.* Et sponte oritur, imo magis ex negligentia cultorum. Proverb. xxiv, 30 : *Per agrum hominis pigri transivi, et per vineam viri stulti, et ecce totum repleverant urticæ, et operuerant superficiem ejus spinæ.* Item, flos vel fructus si est in spina, sine læsione non capitur : sic nec delectatio peccati sine pœna habebitur, sed statim conscientiam punget. Joel, iii, 4 : *Cito velociter reddam vicissitudinem vobis.* Spina etiam appellatur pœna ista, et miseria exterior quæ affligit. Isa, xxxii, 13 : *Super humum populi mei spinæ et vepres,* majores pœnæ et minores, *ascendent : quanto magis super domos gaudii civitatis exsulantis.* Sensus ergo est : « *Conversus sum in ærumna mea,* » ut ipsam cognoscam dum remordet me conscientia, dum infligitur corporalis pœna.

Spinæ multiplex acceptio.

Vel spina appellari potest superbia, quæ tenet animam rigidam et erectam sicut dorsum spina, et est sensus : Cognovi culpam et miseriam cum confringitur in me superbia, ex miseriis quas sustineo. Job, xi, 12 : *Vir vanus in superbiam erigitur.* Sed confringitur superbia, et humiliatur. Supra, in Psal. xxviii, 5 : *Confringet Dominus cedros Libani.* Vel

spina dicitur ipsa ratio, quæ debet animam sursum erectam tenere. Sed hæc configitur quando ad terrena inclinatur. Proverb. xvii, 24 : *Oculi stultorum in finibus terræ.* Et in Psal. xvi, 11 : *Oculos suos statuerunt declinare in terram.* Daniel. xiii, 9 : *Everterunt sensum suum ne viderent cœlum.*

5 « *Delictum meum.* » Hic secundum, in quo subjungitur de confessione oris, postquam præmissa sunt quæ pertinent ad contritionem cordis : et dicuntur duo. Primo, quidem asserit se confessum. Secundo, ostendit confessionis effectum, ibi, « *Dixi : Confitebor.* »

In prima duo. Primo, tangit confessionem omissorum. Secundo, commissorum, ibi, « *Et injustitiam meam.* »

Dicit ergo : Hæc est beatitudo existentis in gratia, et miseria existentium in statu opposito. Et propter hoc, « *delictum meum,* » omissionis scilicet peccatum, « *cognitum tibi feci.* » Sed hoc quomodo ? Numquid non erat ei cognitum antequam loquereris ? Respondeo. « *Tibi,* » id est, tuo vicario, scilicet sacerdoti. Glossa : « Quod tacui peccata, argumen- « tum est quod negligentia confitendi « est confitenda. » Quando autem peccat mortaliter differendo ? Omnes sunt in hoc quod differendo ultra tempus ab Ecclesia ordinatum, scilicet ultra annum. Alii dicunt, quod si non confitetur, quam cito habet copiam confitendi et sacerdotis, mortaliter peccat, quod est satis durum. Eccli. v, 8 : *Non tardes converti ad Dominum,* corde per contritionem, *et ne differas de die in diem,* facere confessionem.

« *Et injustitiam meam,* » peccatum scilicet actuale, « *non abscondi.* » Job, xxxi, 33 : *Si abscondi quasi homo peccatum meum, et celavi iniquitatem meam.* Psal. xxxvi, 5 : *Revela Domino viam tuam.* Jerem. xi, 20 : *Tibi enim revelavi causam meam.* Prov. xviii, 17 : *Justus, primo est accusator sui.* Isa. xliii, 26 : *Narra, si quid habes, ut justificeris.*

« *Dixi* : *Confitebor.* » Hic secundum, in quo tangitur confessionis effectus, et virtus, quia tantæ virtutis est, quod etsi sit adhuc in proposito, facit peccatum remitti : unde duo dicuntur. Primo, confessio in proposito. Secundo, peccati remissio, ibi, « *Et tu remisisti.* »

Dicit ergo : Sic cognitum feci delictum, non abscondi injustitiam. Et mira confessionis virtus. « *Dixi,* » in corde meo proponendo : « *Confitebor adversum me,* » id est, contra illud quod proposueram tacere peccatum meum : accidit enim talis peccatorum mutatio in prædicationibus. Prov. xv, 7 : *Labia prudentium disseminabunt scientiam.* Et statim sequitur : *Cor stultorum dissimile erit.* Vel, « *adversum me,* » id est, mihi attribuendo, non Deo, non dæmoni, non naturæ. Job. x, 1 : *Dimittam adversum me eloquium meum.* II Reg. xxiv, 17 : *Ego sum qui peccavi.* Proverb. xviii, 17 : *Justus, primo est accusator sui.*

Et sciendum est breviter, quod quicumque creaturæ, vel fato, vel astris, vel carni, vel dæmonibus, vel sociis homo peccatum attribuit, postquam propriæ voluntati obtemperavit, quodammodo illud in ipsum Deum refundit, quod est fere omnium. Jerem. xv, 10 : *Omnes maledicunt mihi, dicit Dominus :* sed errant, quia scriptum est, Psal. v, 5 : *Non Deus volens iniquitatem tu es.* « *Adversum me* ergo *confitebor Domino,* » ad honorem scilicet Dei. Josue, vii, 19 : *Fili mi, da gloriam Domino Deo Israel, et confitere* peccatum tuum.

« *Et tu remisisti,* » statim in proposito confitendi, « *impietatem peccati mei.* »

Nota, quod dicit « *impietatem peccati,* » id est, impietatem quam non confitebar, peccatum scilicet quod silebam. Augustinus : « Nondum vox est in ore « ut loquatur homo, et Deus audit. » Isa. lxv, 24 : *Eritque antequam clament, ego exaudiam : adhuc illis loquentibus, ego*

audiam. Cassiodorus : « Votum pro opere judicatur. »

Fructus confessionis.

Et nota, quod quamvis Dominus dimittat peccatum ad propositum confitendi, tamen utilis est adhuc et necessaria confessio oris, propter multa. Propter pleniorem peccati cognitionem : melius enim cognoscit homo peccatum suum post judicium sacerdotis, quam ante faceret. Deuter. xvii, 8 et 9 : *Si difficile et ambiguum apud te judicium pespexeris... inter lepram et lepram*, etc., *venies ad sacerdotes Levitici generis*, etc., Luc. xvii, 14 : *Ite, ostendite vos sacerdotibus.* Levit. xiii, 2 et seq. : Judicium inter lepram et lepram ad sacerdotem pertinebit. Ad satisfactionis inchoationem : erubescentia enim quam habet in confessione, est magna pars pœnitentiæ. Jerem. xxxi, 9 : *Postquam ostendisti mihi, percussi femur meum. Confusus sum et erubui.* Et ob hoc ulterius ad relaxationem pœnæ virtute clavium faciendam. Joan. xx, 23 : *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Intelligitur de pœna, non de culpa. Item, ad plenam emendam faciendam : non enim in peccato tantum Deum offendit, sed etiam totam Ecclesiam. Unde potest dicere illud Luc. xv, 21 : *Pater, peccavi in cœlum, et coram te.* Contra Ecclesiam et coram te, et propter hoc necessarium est ab Ecclesia petere emendam. Item, ad intercessorum multiplicationem : tenentur enim confessores attentius orare pro confitentibus. Josue, ii, 19 : *Cunctorum sanguis, qui tecum in domo fuerint, redundabit in caput, nostrum,* dixerunt exploratores ad Rahab, si filum coccineum in fenestra apparuerit, Christi passio et pœnitentia in sensibus. Ex hoc debent bonos et sanctos et devotos confessores eligere, qui prudentes sint, quia etsi ratione clavium idem omnes possint, hi tamen magis ratione orationis.

Utrun sacerdos valeat absolvere a culpa et a reatu pœnæ æternæ [1]?

6 « *Pro hac orabit.* » Hic subjungitur in hac tertia Psalmi parte, de tertia parte pœnitentiæ, scilicet satisfactione : et tanguntur duo. Primo, oratio, quæ est magna pars satisfactionis. Secundo, proximi exhortatio ad bonum, quæ est alia, ibi, « *Nolite fieri.* »

Tertia pars Psalmi : de satisfactione, et de oratione ejus præcipua parte.

In prima duo. Primo, oratio pro præteritis relaxandis. Secundo, profuturis vitandis, ibi, « *Tu es refugium.* »

In prima duo. Primo, oratio. Secundo, frustratio talis orationis in aliquibus, ibi, « *Verumtamen in diluvio.* »

In prima tria. Primo, quis oravit, quia omnes sancti. Secundo, pro quo, ibi, « *Pro hac.* » Tertio, quando, ibi, « *In tempore.* »

Ait ergo : Dixi me miserum in statu culpæ, et volentem pœnitere ab omni iniquitate absolutum, et est necessarium : quia « *omnis sanctus,* » excepto sanctorum sancto Christo [2]. Et Virgine ejus matre sanctificata in utero. Isa. lxiii, 3 : *De gentibus non est vir mecum,* sed est mulier in munditia, et in viduitate a peccato. « *Orabit ad te,* » mentem sursum elevando, « *pro hac* » impietate scilicet, vel dimittenda, si est in ipsa adhuc, sicut Maria Magdalene [3]. Eccli. xxxviii, 9 : *Ora Dominum, et ipse curabit te.* Vel gratias referendo, si non est in ipsa : aliter enim ingratus esset. Eccli. xxix, 22 : *Ingratus sensu, derelinquet liberantem se.* Omnes ergo orabunt, omnes indigebunt. Ad Rom. iii, 23: *Omnes peccaverunt, et egent gloria Dei,* scilicet confessione peccatorum, et humili oratione. Et hoc « *in tempore opportuno,* » in tempore scilicet gratiæ, non in tempore ante legem, non in tempore sub lege, sed in tempore gratiæ. II ad Corinth. vi, 2 : *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis,* etc. Nunc petendum et corde et ore et opere. Joan. ix, 4 : *Venit nox, quando nemo potest operari,* nec valebit orare.

[1] Vide Doctorem in IV, dist. 18, art. 7.
[2] Cf. Daniel. ix, 24.
[3] Cf. Luc. vii, 47.

Proverb. vi, 35 : *Nec acquiescet cujusquam precibus, nec suscipiet pro redemptione dona plurima.*

« *Verumtamen in diluvio.* » Hic secundum, in quo monstratur frustratio orationis in aliquibus, scilicet existentibus in deliciis vel hæresibus.

Ait enim : Sic orabit omnis sanctus pro tollenda impietate, « *Verumtamen in diluvio aquarum multarum* » existentes. Nota, quod aquæ sunt hæreses, concupiscentiæ carnales, et pœnæ. Diluvio ergo hæresum submergitur rationabilis, diluvio concupiscentiarum carnalium concupiscibilis, diluvio miseriarum et pœnarum irascibilis aliquando. Sic ergo legatur : « *In diluvio aquarum multarum non approximabunt,* » ut exaudiantur : aquæ enim sunt errores. Proverb. xviii, 4 : *Aqua profunda, verba ex ore viri,* philosophi hæretici scilicet, qui dicitur vir per hypocrisim quam simulat exterius. Isa. xv, 6 : *Aquæ Nembrim desertæ sunt.* Proverb. ix, 17 : *Aquæ furtivæ dulciores sunt, et panis absconditus suavior.* Hæ submergunt fere omnes : dicunt enim quidam, quod fœmina impellit ad peccandum, quidam quod fata, alii quod planetæ, alii quod gens tenebrarum. Ita pauci sunt, qui non involvantur in hoc diluvio, sicut pauci in arca Noe salvati sunt [1]. Secundo modo : « *In diluvio aquarum multarum,* » scilicet existentes : aquæ enim sunt deliciæ. Ezech. xxix, 3 et 4 : *Ecce ego ad te Pharao rex Ægypti, draco magne, qui cubas in medio fluminum tuorum,... extraham te de medio fluminum tuorum*, deliciarum. « *Ad eum non approximabunt,* » quia ipse est vita, et tales mortui. I ad Tim. v, 5 et 6 : *Vidua... quæ in deliciis est, vivens mortua est.* De tertio, sic : « *In diluvio aquarum multarum,* » pœnarum scilicet, quæ sunt amaræ. Jerem. ix, 15 : *Potum dabo eis aquam fellis.* Ipsæ autem inundabunt in judicio : tunc erit illarum diluvium. Sophon. i, 14 : *Vox diei Domini amara, tribulabitur ibi fortis.* In hoc diluvio « *ad eum non approximabunt.* » Proverb. i, 28 : *Tunc invocabunt me, et ego non exaudiam.* Vel in bono sic : « *Omnis sanctus orabit : Verumtamen in diluvio aquarum multarum,* » in judicio inundantium, « *ad eum* » qui sic orat, « *non approximabunt* » illæ aquæ.

Triplex diluvium, erroris, concupiscentiæ, et miseriæ.

Primo diluvio multi submerguntur.

Secundo diluvio deliciarum plures pereunt.

« *Tu es refugium meum.* » Hic de oratione fundenda pro futurorum malorum evasione, et tangitur primo persuasio. Secundo, oratio, ibi, « *Erue me.* » Tertio, divina responsio, ibi, « *Intellectum tibi dabo.* » Persuadet autem a duplici virtute. A fiducia quam habet in illo. Et a spirituali lætitia qua exsultat in ipso, ibi, « *Exsultatio mea.* »

7

Ait ergo sic : Omnes sancti orant, sed non illi qui sunt in diluvio, et sic non valet, sed ego non sic : imo dico, o Domine, « *Tu es refugium meum a tribulatione, quæ circumdedit me.* » In diluviis autem ad alta confugiendum est. Psal. xc, 9 : *Altissimum posuisti refugium tuum : non accedet ad te malum.* Et ad fortem locum, qui inundatione aquarum non possit obrui. Proverb. xviii, 10 : *Turris fortissima nomen Domini : ad ipsum currit justus, et exaltabitur,* ut non timeat aquarum diluvium. In circumdatione aperte significatur tribulationum abundantia. In Psal. xvii, 5 : *Circumdederunt me dolores mortis.* Job, xvi, 14 : *Circumdedit me lanceis suis.* In tali tamen non est refugiendum nisi ad Deum. II Paral. xx, 12 : *Cum ignoremus quid agere debeamus, hoc solum residui habemus, ut oculos,* etc.

« *Exsultatio mea,* » in qua scilicet gaudeo spiritualiter, et exsultationis ma-

[1] Cf. Genes. vii et viii.

teria, etsi tribulor in hac miseria. Nahum, I, 7 : *Bonus Dominus et confortans in die tribulationis.* Psal. XCIII, 19 : *Secundum multitudinem dolorum meorum, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam.* Ad Rom. XII, 12 : *Spe gaudentes, in tribulatione patientes.* Proverb. XIV, 10 : *Cor quod novit amaritudinem animæ suæ, in gaudio ejus non miscebitur extraneus.* Et ideo rogo, « *erue me a circumdantibus me,* » pœnis et culpis. Melius enim est omnino erui, quam in tuta turre obsideri, quod fit hic per gratiam, sed in futuro omnino fiet per gloriam. II ad Corinth. I, 10 : *De tantis periculis eripuit nos in quem speramus.*

Tribulationis bona.

Et nota, quod tribulatio est toleranda patienter, quia circumdat ut spinæ hortum ad defensionem, ut zona tunicam ad deambulationem, ut corona caput ad venerationem. Anima enim justi est hortus in quo seminatum est illud semen, de quo Luc. VIII, 11 : *Semen est verbum Dei.* Ibi plantæ virtutum, flores cœlestium desideriorum, fructus bonorum operum, folia verborum honestorum : hortulani sunt prædicator et Baptista. I ad Corinth. III, 6 : *Ego plantavi, Apollo rigavit.* Non sufficit ergo Deo ut sit huic horto carnis maceria, sed adjunguntur spinæ tribulationum. Cant. II, 2 : *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Item, corpus est vestimentum animæ. Job, X, 11 : *Pelle et carnibus vestisti me.* Et ponderosum, Sap. IX, 15 : *Corpus quod corrumpitur, aggravat animam.* Et propter hoc angitur tribulationibus, ne impediat ambulantem. Job, XIX, 6 : *Saltem nunc intelligite, quia Deus non æquo judicio affixerit me, et flagellis meis me cinxerit.* Luc. XII, 35 : *Sint lumbi vestri præcincti.* Item, honor magnus est animæ assimilari Christo, qui coronam spineam portavit in capite [1]. Et propter hoc et ipsa coronatur tribulatione. Isa. XXII, 18 : *Coronans coronabit te tribulatione.*

« *Intellectum tibi dabo.* » Hic subjungitur responsio Dei : et dicuntur duo, quæ promittit. Primo, illuminatio intellectus. Secundo, confirmatio affectus, ibi, « *In via hac qua gradieris.* » 8

In prima duo. Primo, promittit illuminationem ad credenda. Secundo, ad agenda, ibi, « *Et instruam te.* »

Dicit ergo : Sic petis, et respondeo : « *Intellectum* » veritatis in credendis, maxime cognoscendæ tuæ fragilitatis, quia sine me nihil boni potes facere, « *tibi dabo,* » pœnitenti. Hoc enim est de iis quæ oportet credi contra Pelagianos. Joan. XV, 5 : *Sine me nihil potestis facere.* I ad Corinth. XV, 10 : *Non autem ego, sed gratia Dei mecum.* Et quis melior Paulo ? Hoc dat oranti, hoc pœnitenti confert. Eccli. XLIII, 37 : *Pie agentibus dedit sapientiam.* Militi enim suo statim confert scutum fidei. Ad Ephes. VI, 16 : *In omnibus sumentes scutum fidei.*

« *Et instruam te* », in moribus de agendis per verbum Dei, ut sic post scutum habeas gladium. Ad Ephes. VI, 17 : *Et gladium spiritus quod est verbum Dei.* Et quia parum esset habere scutum et gladium, nisi sequeretur fortitudo, addit, « *In via hac,* » scilicet pœnitentiæ, et mandatorum Dei, « *qua gradieris* », non stabis. Amos, VII, 12 : *Qui vides* (et quasi visum sequeretur fortitudo, addit) *gradere.* « *Firmabo super te oculos meos,* » id est, firmitatem meorum intuitu præstabo oculorum. II Paral. XVI, 9 : *Oculi Domini contemplantur universam terram, et præbent fortitudinem.* Isa. XL, 29 : *Qui dat lasso virtutem, et his qui*

[1] Cf. Joan. XIX, 5.

non sunt, fortitudinem et robur multiplicat.

9 « *Nolite fieri.* » Hic subjungitur exhortatio ad proximum. Et primo, ponitur exhortatio ad bonos, secundo, ad malos, ibi, « *Sperantem autem in Domino.* » Malos dehortatur a malo dupliciter, propter deformitatem culpæ quæ brutis assimilat, et propter pœnalitatem quæ cruciat, ibi, « *Quibus non est intellectus.* »

Et tangitur triplex. In rationali ignorantia : in concupiscibili fames, ibi, « *In camo.* » In irascibili flagellorum copia, ibi, « *Multa flagella.* »

Dicit ergo : Sic Dominus intellectum promisit, quod et vobis facit si vultis, unde moneo : « *Nolite fieri sicut equus et mulus,* » quæ sunt sine intellectu per peccatum maxime superbiæ. Psal. XLVIII, 13 : *Homo cum in honore esset, non intellexit : comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis.* I ad Tim. VI, 3 et 4 : *Si quis... non acquiescit sanis sermonibus Domini nostri Jesu Christi, et ei, quæ secundum pietatem est, doctrinæ : superbus est, nihil sciens.* Item, per torporem acediæ. Eccli. XXII, 9 : *Cum dormiente loquitur qui enarrat stulto sapientiam : et in fine narrationis dicet : Quis est hic ?* Sicut equus qui est animal superbum quantum ad primum, sicut mulus qui est torpens et lentum quantum ad secundum. Significatur autem superbus per equum, quia cervix erigitur. Job, XV, 26 : *Cucurrit adversus eum,* scilicet Deum, *erecto collo.* Pes equi ferro munitur, et superbi ad arma et gladios afficiuntur, multum diligunt talia. Prov. XXII, 5 : *Arma et gladii in via perversi.* Impetuose fertur equus, sic et superbus. Habac. I, 8 : *Leviores pardis equi ejus.* Jerem. VIII, 6 : *Omnes conversi sunt ad cursum suum.*

Superbus equo comparatur.

Piger mulo comparatur.

Mulus autem significat pigrum. Primo, ratione nominis. Mulus autem dicitur secundum Isidorum, quia « tardas in « gyro molando ducit molas, » sicut pigri. Proverb. XXVI, 14 : *Sicut ostium vertitur in cardine suo, ita piger in lectulo suo.* Secundo, ratione sterilitatis : sterilis enim est mulus. Aristoteles : « Genus « mulorum non generat omnino. » Et piger nullum facit fructum. Proverb. XXI, 25 : *Desideria occidunt pigrum : noluerunt enim quidquam manus ejus operari.* Tertio, ratione generis : est enim animal bigenerinum, ex duplici scilicet specie genitum, equo et asina, et neutram speciem implet. Sic piger commune habet cum bonis velle bonam operationem, cum malis nolle operari. Proverb. XIII, 4 : *Vult, et non vult piger.* Vel per equum Gentilis populus est domitus : per mulum Judaicus stolidus.

« *In camo et fræno.* » Hic secundum, in quo tangit pœnam partis vegetabilis, nutrimenti subtractionem, et minorem et majorem : et hoc facit pœnitens hanc miseriam eis imprecando ad bonum eorum, scilicet conversionem.

Ait enim : Sic vos peccatores cavete fieri sicut equus et mulus, quia si noluerint, o tu Domine eorum « *qui non approximant ad te,* » sed magis fugiunt per culpam. Psal. CXVIII, 155 : *Longe a peccatoribus salus* : *maxillas,* quibus debent cibum masticare, *constringe in camo,* id est, per camum, qui minus constringit, ei prius aliquid nutrimenti subtrahendo, et postea si correpti non fuerint, « *in fræno,* » quod fortius stringit. Isa. XXXVII, 29, dicitur superbo cuidam : *Ponam circulum in naribus tuis, et frænum in labiis tuis, et reducam te per viam, per quam non venisti.*

Modus corripiendi, prius camo quam fræno utendum.

Et nota ordinem. Primo enim debemus corripere mansuete, tamquam imponendo camum. Ad Galat. VI, 1 : *Vos qui spirituales estis, hujusmodi hominem scilicet, instruite in spiritu lenitatis.* Postea si opus fuerit, dure imponendo frænum. Ad Tit. I, 13 : *Increpa illos dure.* Job, XXX, 11 : *Frænum posuit in os meum.* Bonum frænum abstinentia,

quæ refrænat a multis. Ezechiel. XXIX, 4 : *Ponam frænum in maxillis tuis.* E contrario multi prælatorum statim volunt subditis imponere frænum, majorem et gravem correctionem, statim excommunicando, fulminando, contra illud Eccli. XVII, 23 et 24 : *Nimis odito exsecrationem : et cognosce justitias et judicia Dei*, etc.

10 « *Multa flagella.* » Hic tertia pœna in sensibili potentia, scilicet flagellorum copia.

Ait enim : Sic excæcabuntur intellectu, et in vegetabili, et etiam « *multa flagella*, » supple, sunt, « *peccatoris*, » ipsam ejus sensibilem torquentia in præsenti. Prov. XXVI, 3 : *Flagellum equo, et camus asino, et virga in dorso imprudentium.* Psal. XXXIV, 15 : *Congregata sunt super me flagella, et ignoravi.* Et bona sunt in præsenti et amoris signa, non crudelitatis. Hieronymus ad Alardum : « Putridæ carnes ferro indigent, et « cauterio. Non est medicinæ culpa, sed « vulneris, cum crudelitate non parcat « medicus, ut parcat. » Seneca : « Ut « misereatur, et nisi flagellaret, crudeli- « tas esset. » Propter hoc dicebat Judith, VII, 20 : *In tuo flagello vindica iniquitates nostras.* Multa etenim parata sunt in futuro, tam in judicio quam in inferno. In judicio, quia quot verba Christi, tot mallei igniti contra peccatores. Jerem. XXIII, 29 : *Numquid non verba mea sunt quasi ignis, dicit Dominus : et quasi malleus conterens petras?* Proverb. XIX, 29 : *Parata sunt derisoribus judicia, et mallei percutientes stultorum corporibus.* Anselmus in *Meditationibus* suis : « Væ, væ, væ, ira Omnipotentis « ubi poteris capi in me? Non est quod « te possit tolerare in toto me. O angu- « stiæ, hinc erunt accusantia peccata, « inde terrens justitia, subtus patens hor- « ridum chaos inferni, desuper iratus ju- « dex, intus conscientia urens, foris « mundus ardens, vix justus salvabitur, « peccator tunc deprehensus ubi pare- « bit? » Sic in judicio multa flagella, sed quid post uno verbo, Job, XX, 22 : *Omnis dolor irruet super eum*, verbo Dei exsufflatum in infernum.

« *Sperantem autem.* » Hic exhortatio ad bonos, et promittit eis primo de præteritis peccatis misericordiam. Secundo, invitat ad lætitiam pro futuris bonis, ibi, « *Lætamini.* » Tertio, ad gloriationem de præsentibus etiam acceptis, ibi, « *Et gloriamini.* »

Ait enim : Sic de peccatoribus. « *Autem*, » pro sed, « *sperantem in Domino.* » Qui ex toto in Deo confidit, omnia illi attribuit, dicens illud Isa. XXVI, 12 : *Omnia opera nostra operatus es nobis, Domine*, et etiam operaris et operaberis. « *Misericordia circumdabit*, » Dominus. « *Misericordia*, » ablativi casus. « *Misericordia*, » inquam, in tribulationibus consolabitur, sicut tribulationes circumdant. II ad Corinth. I, 5 : *Sicut abundant passiones Christi in nobis : ita et per Christum abundat consolatio nostra.* Psal. CII, 4 : *Qui coronat te in misericordia et miserationibus*, beatificans te in futuro. Job, XL, 5 : *Circumda tibi decorem.*

« *Lætamini in Domino.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic misericordia circumdabit, et propter hoc, o vos justi, *Lætamini in Domino*, tacita suavitate interius. Cassiodorus : « *Lætari* est tacitæ « mentis suavitate mulceri. » *Et exsultate*, » lætitia in gestu monstrata exterius. Idem : « *Exsultare* est concitati animi « fervore gaudere. » Et notatur profectus in gaudio justorum : procedit enim ab interiori gaudio, usquequo procedat exterius. Tob. III, 22 : *Post tempestatem tranquillum facis*, quantum ad primum : *et post lacrymationem et fletum, exsultationem infundis*, quantum ad secundum. II ad Cor. VII, 4 : *Repletus sum consolatione, superabundo gaudio.* 11

Progressus gaudii.

« *Et gloriamini.* » Ecce tertium. Quasi diceret : Sic « *lætamini et gloriamini omnes recti corde,* » de puritate conscientiæ. II ad Corinth. I, 12 : *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ.* Et quia certa spe estis filii Dei futuri in futura gloria. Ad Roman. v, 2 : *Gloriamur in spe filiorum Dei.* Vel sic : « *Lætamini* » justi incipientes : « *exsultate* » justi proficientes, « *et gloriamini* » recti corde, perfecti. Vel tangitur hic triplex gaudii materia, quia gaudendum est de ablata culpa, pro collata gratia, et pro sperata gloria, quibus tribus respondent hæc tria., Quantum ad primum, « *lætamini,* » quia liberati a tyranno opprimente, Joan. VIII, 34 : *Qui facit peccatum, servus est peccati.* A laqueo constringente, Prov. v, 22 : *Iniquitates suæ capiunt impium.* Psal. CXXIII, 7 : *Laqueus contritus est, et nos liberati sumus.* Pro collata gratia, quia nos justificat et conservat, Eccli. I, 18 : *Religiositas custodiet, et justificabit cor, jucunditatem atque gaudium dabit.* Pro gloria exspectata, Prov. XXVIII, 12 : *In exsultatione justorum multa gloria est.*

Differentia gaudii.

PSALMUS XXXII.

Commendatur laudatio et timor Dei qui justorum saluti invigilat.

Psalmus David.

1. Exsultate justi in Domino : rectos decet collaudatio.
2. Confitemini Domino in cithara : in psalterio decem chordarum psallite illi.
3. Cantate ei canticum novum : bene psallite ei in vociferatione.
4. Quia rectum est verbum Domini, et omnia opera ejus in fide.
5. Diligit misericordiam et judicium : misericordia Domini plena est terra.
6. Verbo Domini cœli firmati sunt : et spiritu oris ejus omnis virtus eorum.

7. Congregans sicut in utre aquas maris : ponens in thesauris abyssos.
8. Timeat Dominum omnis terra : ab eo autem commoveantur omnes inhabitantes orbem.
9. Quoniam ipse dixit, et facta sunt [1]: ipse mandavit, et creata sunt.
10. Dominus dissipat consilia gentium : reprobat autem cogitationes populorum, et reprobat consilia principum.
11. Consilium autem Domini in æternum manet : cogitationes cordis ejus in generatione et generationem.
12. Beata gens, cujus est Dominus Deus ejus : populus quem elegit in hæreditatem sibi.
13. De cœlo respexit Dominus : vidit omnes filios hominum.
14. De præparato habitaculo suo respexit super omnes qui habitant terram.
15. Qui finxit sigillatim corda eorum : qui intelligit omnia opera eorum.
16. Non salvatur rex per multam virtutem : et gigas non salvabitur in multitudine virtutis suæ.
17. Fallax equus ad salutem : in abundantia autem virtutis suæ non salvabitur.
18. Ecce oculi Domini super metuentes eum, et in eis qui sperant super misericordia ejus :
19. Ut eruat a morte animas eorum, et alat eos in fame.
20. Anima nostra sustinet Dominum, quoniam adjutor et protector noster est.
21. Quia in eo lætabitur cor nostrum, et in nomine sancto ejus speravimus.
22. Fiat misericordia tua, Domine, super nos, quemadmodum speravimus in te.

IN PSALMUM XXXII

COMMENTARIUS.

Psalmus David [2].

« *Exsultate justi.* » Hic est Psalmus trigesimus secundus, in quo postquam actum est in Psalmo præcedenti de confessione peccatorum, et ejus fructu, agitur consequenter de laude et timore et speciali cultu justificatoris, ut recta consequentia confessionem peccati sequatur confessio laudis gloriosa.

Argumentum Psalmi: confessio laudis post confessionem peccatorum in superiori.

Titulus autem Psalmi frequenter superius expositus est : « *Psalmus David.* »

Psalmus autem in tres partes dividitur principales. Primo, enim invitat ad Dei laudem, ut sic serviat ei nostra rationabilis. Secundo, ad timorem ut resiliat ad ejus magnitudinem irascibilis, ibi, « *Timete Dominum.* » Tertio, ad cultum et amorem specialem tam benefici, ut

Divisio, invitat ad laudem, reverentiæ timorem et amorem.

[1] Genes. I, 8, et Judith, XVI, 17.

[2] Ce psaume est sans titre en hébreu, ce qui dans le premier livre ne s'est présenté que pour les deux premiers psaumes. C'est ce qui donne lieu à Eusèbe, Calmet et Hengstenberg de rattacher ce psaume au précédent, comme on a dû le faire pour le neuvième et le dixième de l'hébreu. Le dernier verset du Ps. XXXI et le premier de celui-ci favoriseraient bien cette hypothèse par leur similitude, mais la situation est tellement dif-

tota tendat in ipsum nostra concupiscibilis, ibi, « *Beata gens cujus est Dominus Deus.* »

In prima tria. Primo, invitando ostendit quod debent laudare. Secundo, quomodo, ibi, « *Confitemini Domino.* » Tertio, quare, ibi, « *Quia rectum est verbum.* »

In prima duo. Primo, justos monet ut laudent. Secundo, quod laudes tales deceant et illis competant, ibi, « *Rectos decet.* »

Ait ergo : Sic ad propositum confitendi
1 Dominus peccata dimittit : ergo o vos
Prima pars Psalmi. justi fructum confessionis assecuti, « *exsultate in Domino,* » exsultando laudes dicite, adjicit in fine Psalmi præcedentis : unde colore rhetorico utitur resumendo quod dixerat, et repetit ut addat. Ad Philip. IV, 4 : *Gaudete in Domino semper : iterum dico gaudete.* Sic iste repetit : « *Exsultate in Domino,* » inquam, non in vobis, qui estis repleti omnibus miseriis. Job, XIV, 1 : *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis.* Sed in Domino, in quo gaudium, quia nec contrario admiscebitur, nec invito auferetur, nec tempore finietur, de quo : *Delectationes in dextera tua usque in finem*[1], id est, finales. Isa. XXXV, 10 : *Gaudium et lætitiam obtinebunt, et fugiet dolor et gemitus.* De secundo, Joan. XVI, 22 : *Videbo vos, et gaudebit cor vestrum : et gaudium vestrum nemo tollet a vobis.* De tertio, Isa. XXXV, 10 : *Venient in Sion cum laude : et lætitia sempiterna super capita eorum.*

« *Rectos decet.* » Quasi diceret : Bene vos invito, quia « *rectos,* » quales sunt justi, « *decet collaudatio.* » Eccli. XV, 9 : *Non est speciosa laus in ore peccatoris.* Isa. IV, 2 : *Exsultatio his qui salvi fuerint de Israel :* aliorum est magis gemere. Et nota, quod dicitur *collaudatio,* quia in laude Dei simul debemus esse loco, et conjuncti animo. Cassiodorus : « Collaudatio est in ore multorum una « laudatio. » Per hoc quod dicit *ore,* intelligitur conjunctio in loco : per hoc quod dicit *una,* intelligitur corde conjunctio.

I Pet. III, 8 : *Omnes unanimes,* uno ore laudate Deum. Sic autem orare accendit devotionem, vincit hostem, Deo persolvit debitum honorem : verba enim divinæ laudis sunt quasi ignis, et corda congregatorum ibi quasi ligna. Jerem. V, 14 : *Ecce dedi verba mea in ore tuo, in ignem,*

Unio plurium in laude et oratione utili.

férente dans les deux morceaux qu'il faut nécessairement admettre leur distinction absolue. Les LXX et la Vulgate attribuent ce chant à David. Jusqu'à quel point ont-ils eu le droit d'inscrire ce titre ? Les auteurs protestants sont presque unanimes à le rejeter, et parmi les catholiques, Patrizi avance qu'on peut raisonnablement douter que l'auteur du psaume soit David, aucune preuve intrinseque ne nous obligeant à le croire. Toutefois, il trouve l'occasion de cette composition dans le retour du roi à Jérusalem après la défaite d'Absalon (II Reg. XIX, 9), et il signale plusieurs traits du second livre des Rois qui ont dû inspirer certains versets du psaume. Quant à l'auteur, ce serait un contemporain de David, peut-être Asaph, en tout cas, un poète aux allures plus calmes, plus simples et plus régulières que celles du saint roi. Il se peut que le psaume ait été composé à l'occasion de la défaite d'Absalon et que David n'en soit pas l'auteur. Mais d'autres hypothèses sont aussi possibles. La place donnée à ce chant dans le premier livre où toutes les compositions sont de David est un fort préjugé en faveur du titre ajouté par les LXX ; et si le style et le ton ont une allure plus paisible, on peut bien attribuer cette légère différence à l'âge avancé et à l'état de calme confiance du poète. C'est ce qui paraîtra encore plus plausible, si on ne cherche à rattacher ce psaume à aucune circonstance spéciale. Il serait alors comme une méditation sur la puissance et la bonté de Dieu ; David emprunterait ses allusions à l'histoire de la création et à ses propes souvenirs. Ces peuples qui font des projets, ỳ. 10, seraient les nations environnantes tant de fois combattues ; ce roi et ce guerrier que ne sauvent point leur puissance seraient Saül et Goliath, ou les chefs ennemis en général ; cette cavalerie, ỳ. 17, serait celle des Ammonites et des Syriens (II Reg. x, 18), etc. Tous reconnaissent du reste que rien n'oblige à entendre le psaume d'un fait particulier.

H. Lesêtre.

[1] Psal. XV, 11.

et populum tuum in ligna : et sic accenditur unus ab alio. Eccle. IV, 11 : *Unus quomodo calefiet ?* De secundo, diabolus semper divinum honorem sibi appetit exhiberi. Unde quia videt quod Deo exhibetur, magis invidet, et tunc magis incitatur ad impugnandum laudantem. Eccli. II, 1 : *Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in justitia, et timore, et præpara animam tuam ad tentationem.* Propter hoc expedit orare in societate : magis enim vincitur in pluribus quam ab uno. I Reg. XVII, 8, Goliath singulare certamen requisivit. Deut. XXXII, 30 : *Quomodo persequatur unus mille, et duo fugent decem millia,* etc. ? Multum accrescit ex conjunctione secundi fortitudo. Eccle. IV, 10 : *Væ soli, quia cum ceciderit, non habet sublevantem se.* De tertio, Deo debeo honorem non quantum oportet, sed quantum possum majorem. Eccli. XLIII, 33 : *Benedicentes Dominum, exaltate illum quantum potestis : major est enim omni laude.* Unde nullus per se sufficit ad laudandum. Melius ergo laudare cum pluribus, quia quanto cum pluribus laudatur, tanto magis honoratur. Ex quo relinquitur, quod tantum valet unus Psalmus dictus coram pluribus, quantum decem dicti per se. Propter hoc dicit Psalmista : *Confitebor Domino nimis in ore meo* [1]. Quomodo ? *In medio multorum laudabo eum.* I ad Corinth. XIV, 19 : *Sed in Ecclesia volo quinque verba sensu meo ut loqui, et alios instruam* ad laudandum sicut ego laudo, *quam decem millia verborum in lingua.*

2 « *Confitemini Domino.* » Hic secundum, in quo docet modum quo laudandus. Primo, ut laudent opere. Secundo ore, ibi, « *Bene psallite.* » Opere dicitur primo carnem macerando. Secundo, mandata Dei adimplendo, ibi, « *In psalterio.* »

Modus laudandi Deum

Dicit ergo : Sic exaltate et hoc modo, « *Confitemini,* » confessione laudis, et hoc « *in cithara,* » in carne scilicet per pœnitentiam afflicta. Non enim intelligitur de materiali cithara : et si hoc aliquando fiebat antiquitus, erat ejus quod faciendum erat figura. Augustinus : « Nemo cum hoc audit, convertat cor ad « theatrica instrumenta : talia enim re« prehenduntur. » Isa. V, 12 : *Cithara et lyra, et tympanum, et tibia, et vinum in conviviis vestris.* Et Job, XXI, 12 : *Tenent tympanum et citharam, et gaudent ad sonum organi.* Ergo cithara dicitur caro mortificata, scilicet corpus afflictum pœnitentia. Et bene, primo ratione diffusionis. Dicit enim Isidorus : « Cithara est « lignei ventris in imo sita concavitas. » Imum enim in nobis caro est, altum spiritus : in hac autem venter est, et concavitas pectoris, quæ ad litteram resonat. Propter hoc dicebat forte, Isa. XVI, 11 : *Venter meus ad Moab quasi cithara sonabit.* Item, ratione nominis : quia sicut dicit Isidorus : « Cithara dicitur a cito « iterata percussione. » Cito enim et frequenter percutitur. Sic caro cito, statim ut titillat, frequenter est percutienda, sicut illius cithara, qui dicebat : *Et fui flagellatus tota die, et castigatio mea in matutinis* [2]. Dulcis est sonus hujus citharæ in auribus Dei, quando ab imo ventris gemit, et pectus tundit. Apoc. XIV, 2 : *Et vocem, quam audivi sicut citharœdorum citharizantium in citharis suis.* Cantic. VIII, 13 : *Amici auscultant : fac me audire vocem tuam.* Sed, heu ! potest dici illud Isa. XXIV, 8 : *Conticuit dulcedo citharæ.* Suam citharam percutiebat, qui dicebat, I ad Corinth. IX, 27 : *Castigo corpus meum et in servitutem redigo,* etc. Invitamur ad citharizandum. Isa. XXIII, 16 : *Sume citharam, circui civitatem,* etc.

Cithara est caro mortificata.

« *In psalterio.* » Hic est secundum, in

[1] Psal. CVIII, 30.

[2] Psal. LXXII, 14.

quo monet laudare in adimpletione mandatorum. Primo veteris legis. Secundo, novæ, ibi, « *Cantate ei.* »

Ait enim : Sic « *confitemini in cithara,* » et etiam « *in psalterio decem chordarum,* » id est, in charitate, de qua tamquam decem chordæ pendet tota connexio mandatorum. Matth. XXII, 40 : *In his duobus mandatis universa lex pendet et Prophetæ.* Psal. CXLIII, 9 : *In psalterio decachordo psallam tibi.* Et bene per citharam carnis mortificatio quæ reddit sonum ab imo, per psalterium mandata in charitate, quæ sonum reddit a superiori parte.

3 « *Cantate ei canticum.* » Hic præcipit vel suadet, de adjunctione mandatorum legis.

Canticum novum est legis novæ obedientia.

Ait enim : Sic « *in psalterio decem chordarum* : » et etiam « *cantate ei canticum novum,* » id est, Novi Testamenti mandata, non solum lingua, sed etiam opere adimplete, et in vita. Psal. CIII, 33 : *Cantabo Domino in vita mea,* sed in superadditione mandatum Novi Testamenti, quia Matth. v, 20 : *Nisi abundaverit justitia vestra plusquam Scribarum,* etc. Ad Coloss. III, 16 : *Commonentes vosmetipsos in psalmis, et hymnis, et canticis spiritualibus.* Hoc canticum cantant dulciter adimplentes Christi consilia in Evangelio data. Apocalyps. XIV, 3 : *Virgines... cantabant quasi canticum novum, ante sedem Dei.* « *Bene psallite,* » sic monuit ad exaltandum et cantandum opere : hic, ut etiam voce. Ait enim : Sic et Veteris et Novi Testamenti mandata adimplete, « *et bene psallite ei in vociferatione,* » id est, bonæ operationi vocem laudis addite, ut hilaris sit vestra oblatio, et exterius exserat se in gaudio : hoc faciant, et non gementes. II ad Corinth. IX, 7 : *Hilarem enim datorem diligit Deus.*

Jure plus nobis præcipitur, quam antiquis, quia plura promittuntur, et gratiæ magis

Et recte nobis præcipitur plus quam antiquis, triplici ratione : quia præmium promittitur : illis autem tantum terrena, Isa. I, 21 : *Si audieritis me, bona terræ comedetis.* Sed nobis cœlestia, Matth. VII, 21 : *Qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum.* Item, quia fortius adjutorium nobis confertur. Sacramenta enim antiquorum aut non conferebant gratiam, aut non tantum, quantum modo. Ad Hæbr. VII, 19 : *Nihil ad perfectum adduxit lex.* Sed Joan. VI, 55 : *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam.* Tertio, quia nobis exhibetur præcipuum exemplum, ipse Dei Filius, qui hoc adimplevit, ut nobis implenda demonstraret. Joan. XIII, 15 : *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis.*

juvamur et exemplo.

« *Quia rectum est.* » Hic ponitur ratio quare laudandus, quod fuit tertium, et assignatur duplex. Primo, ratione suæ bonitatis. Secundo, ratione potestatis, ibi, « *Verbo Domini cœli.* » 4

Laudanda Dei bonitas et potentia.

In prima tria. Primo, ratione bonitatis in sermone. Secundo, ratione bonitatis in opere, ibi, « *Et omnia opera.* » Tertio, ratione bonitatis in interiori virtute, ibi, « *Diligit misericordiam,* » Sed quia verbum Domini est et promisssio divina, et doctrina Evangelica, aliter exponitur hoc.

Ait enim : Sic eum laudate, et hoc modo, et dignum est, « *quia rectum est verbum Domini,* » divina scilicet promissio. Promissio enim non est recta, aut quia non rectum promittitur, aut quia promissum non solvitur secundum illud Eccle. v, 3 : *Displicet* ei, scilicet *Deo, infidelis et stulta promissio.* Sed de Deo dicitur, Isai. XLV, 19 : *Ego Dominus loquens justitiam, annuntians recta.* Et immutabiliter, Num. XXIII, 19 : *Non est Deus quasi homo, ut mentiatur : nec ut filius hominis, ut mutetur. Dixit ergo, et non faciet ?* quasi diceret : Non.

Vel sic : « *Rectum est verbum Domini,* » id est, Evangelium, quod dicitur « *rectum,* » quia non discrepat a rectitudine veritatis, quia nihil ibi falsum. Psal.

cxviii, 142 : *Lex tua veritas.* Nec a rectitudine æquitatis, sicut Vetus Testamentum, in quo dabatur libellus repudii, quod erat contra æquitatem. Proverb. viii, 6 et 7 : *Aperientur labia mea, ut recta prædicent. Veritatem meditabitur guttur meum, et labia mea detestabuntur impium.* Et dicitur *verbum*, non verba, propter bonitatem : si enim Novum Veteri comparetur, brevius est sermone, sed multo potentius virtute. Isai. x, 23, Alia littera : Verbum abbreviatum faciet Dominus super terram [2] : sed virtute magnum. Matth. v, 20 : *Nisi abundaverit justitia vestra plusquam Scribarum et Pharisæorum,* etc. Prov. xv, 5 : *In abundanti justitia, virtus maxima est.*

« *Et omnia opera ejus.* » Hic ostendit veritatem bonitatis in opere, quia « *omnia opera ejus in fide,* » id est, in fieri omnia promissa ejus : fides enim dicitur, eo quod fit quod dicitur. Tunc ergo opus est in fide, quando aliquis operatur secundum quod dixit. Matth. v, 18 : *Iota unum, aut unus apex non præteribit a lege, donec omnia fiant.* Vel, « *Omnia opera ejus,* » id est, miracula : quæ sunt proprie opera sua, « *in fide,* » in habentibus fidem. Luc. viii, 48 : *Fides tua te salvam fecit.* Matth. ix, 22 : *Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti.*

Vel sic : « *Omnia opera ejus,* » id est, remuneratione digna, quæ ejus sunt, quia in nobis facit illa : sunt « *in fide* » facta : aliter non remuneraret illa. Ad Hebr. xi, 6 : *Sine fide impossibile est placere Deo.*

5 « *Diligit misericordiam et judicium.* » Hic commendat eum ab interiori virtute triplici. A pietate, a justitia, ibi, « *Et judicium.* » Et a largitate, ibi, « *Misericordia Domini plena est.* »

Dicit ergo : Sic laudandus, quia bonus in sermone, bonus in opere, et etiam « *misericordiam diligit,* » intima et naturali virtute habet hoc a Patre misericordiarum, cujus est Filius naturalis, et a matre. Psal. cii, 17 : *Misericordia autem Domini ab æterno, et usque in æternum.* Et, sicut dicit Cassiodorus : « Certum « signum quod misericordiam diligit, « habemus : nisi enim misericordiam di- « ligeret, tam crebro opera misericordiæ « non exerceret. » « *Et judicium,* » ne credas in eo misericordiam destruere justitiam, cujus signum quod promissa solvit. II Reg. vii, 28 : *Nunc ergo Domine Deus, tu es Deus, et verba tua erunt vera.* Ad hoc autem quod utrumque diligat, Proverb. xxi, 3 : *Facere misericordiam et judicium, magis placet Deo quam victimæ.* Mich. vi, 8 : *Indicabo tibi, o homo, quid sit bonum, et quid Dominus requirat a te : Utique facere judicium, et diligere misericordiam.* Osee, xii, 6 : *Misericordiam et judicium custodi, et spera in Domino Deo tuo semper.*

Christus a patre et a matre misericors.

« *Diligit misericordiam* » facere in hoc adventu primo maxime. An non indignos vocavit ad gratiam ? I ad Corinth. i, 26 : *Videte vocationem vestram, fratres, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles, sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus.* Ad Tit. iii, 5 : *Non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam,* etc. « *Et judicium,* » diligat in futuro, quando requiret lucrum de talento commisso. Luc. xix, 23 : *Quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, et ego veniens utique cum usuris exegissem illam ?* Luc. xvi, 2 : *Redde rationem villicationis tuæ.*

« *Misericordia Domini,* » large omnia effundentis, « *plena est terra.* » Homo enim primus replevit eam propter peccatum miseria, sed secundus replevit eam

[1] Vulg. habet, Isa. x, 23, *Consummationem et abbreviationem Dominus Deus exercituum faciet in medio omnis terræ.*

misericordia. Eccli. xviii, 9 : *Patiens est Deus in illis, et effundit super illos misericordiam suam.*

Vel terram dicit Ecclesiam, sicut dicitur, Sap. i, 7 : *Spiritus Domini replevit orbem terrarum,* id est, Ecclesiam. Sic terram dicit Ecclesiam, Sap. i, 24 : *Misereris omnium Domine, quia omnia potes.*

6 Potentia in superiores et inferiores mundi partes.

« *Verbo Domini cœli.* » Hic ostendit laudandum ratione potestatis : et dicuntur duo. Primo, ostendit potestatem ejus quantum ad superiora. Secundo, quantum ad inferiora, ibi, « *Congregans sicut in utre.* » In cœlis, quia ab ipso est virtus eorum, ibi, « *Et spiritu oris ejus.* »

Ait enim : Sic bonus et vere potens : quia « *verbo Domini cœli firmati sunt,* » stabiliti scilicet materiales isti. De hoc verbo, Joan. i, 1 : *Et Verbum erat apud Deum.* Et Apoc. xix, 13 : *Vocatur nomen ejus, Verbum Dei.* Hoc fabricati sunt, Job, xxxvii, 18 : *Tu forsitan cum eo fabricatus es cœlos, qui solidissimi quasi ære fusi sunt.* Proverb. iii, 19 : *Dominus sapientia fundavit terram, stabilivit cœlos prudentia.*

« *Et spiritu oris ejus,* » id est, Spiritu sancto qui procedit ab ore ejus, scilicet a Filio, « *omnis virtus eorum,* » in agendo, et movendo. Proverb. viii, 27 et 28 : *Quando præparabat cœlos, aderam :... quando firmabat æthera sursum.* II Paralip. vi, 25 : *Tu exaudies de cœlo, firmissimo habitaculo tuo.* Vel mystice, cœli sunt Apostoli, et Doctores fidei. Psal. xviii, 2 : *Cœli enarrant,* etc. Hi cæli firmati sunt in bono per sermones et prædicationes Christi. Psal. lxxiv, 4 : *Liquefacta est terra,* Ecclesia, *et omnes qui habitant in ea: ego confirmavi columnas ejus,* Apostolos. Ad Gal. ii, 9 : *Jacobus et Joannes qni videbantur columnæ esse.* « *Et spiritu oris,* » id est, Spiritu sancto ab ipso procedente, « *omnis virtus eorum,* » quæ multiplex est. I ad Corinth. xii, 8 : *Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ : alii autem sermo scientiæ secundum eumdem Spiritum,* et sic de aliis quæ ibi determinat. Hæc sunt illa ornamenta, de quibus dicit Job, xxvi, 13 : *Spiritus ejus ornavit cœlos.* Gregorius : « Quot sunt bona prædicantium, tot « sunt ornamenta cœlorum. Nisi enim multas virtutes habuissent, et in illis bene firmatæ fuissent tam paucæ oves, quomodo totum mundum lupis plenum convertere potuissent ? » Matth. x, 16 : *Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum.*

7 Potentia in inferiora.

« *Congregans sicut in utre.* » Hic ostendit laudandum comparatione ad potestatem respectu inferiorum, scilicet aquarum, et ostenditur in duobus. Primo, in repressione illarum ne terram cooperiant. Secundo, in occultatione illarum in ipsa terra, ibi, « *Ponens.* »

Dicit ergo : Sic potuit in cœlis, et etiam ipse est « *congregans* » aquas maris ad litteram « *sicut in utre,* » intra littora sua, et terminos suos, ne totam terram operiant. Genes. i, 9 : *Congregentur aquæ quæ sunt sub cœlo, in locum unum, et appareat arida.* Job, xxxviii, 8 : *Quis conclusit ostiis mare ?* etc. Psal. ciii, 9 : *Terminum posuisti quem non transgredientur, neque convertentur operire terram.*

« *Ponens in thesauris,* » in visceribus terræ, ut quibusdam secretis, « *abyssos.* » aquarum scilicet profunditates. Et dicit, « *in thesauris.* » Thesaurus a θέσις quod est *positio,* et aurum, quasi in illis partibus terræ nihil reposuerit nisi aurum. Et hoc in intimo terræ, in profundissimo ejus aurum Deus posuit. Sed nonne facta est aquæ violentia et injuria ? quia cum naturaliter deberet esse super terram, inclusa est, et coarctata in visceribus terræ, et prohibetur a sui diffusione in loco suo debito ? Resp. Non. Si aliquis pauper, ut aliquem magnum, et longe se nobiliorem reciperet, in domo propria, seipsum coarctaret, non esse injuria. Sic non facta est aquæ injuria quando coarctata est,

Aqua non patitur violentiam, inclusa ut daret locum homini.

ut hominem qui longe se dignior erat, imo propter quem facta est, reciperet in terra, et ei locum daret. Recompensatur autem ei tripliciter. Primo, quia anima recipit eam in corpore suo, in quo est eis locus, in loco superiori et digniori, scilicet in pupilla et in cerebro. Item, in sacramento ei recompensatur : quia hoc est solum inter omnia elementa per quæ fit peccatorum remissio, adjuncto divino verbo, scilicet in baptismo. Item, recompensatum est ei, quia in loco positæ sunt superiori, super ipsos cœlos. Daniel. III, 60 : *Benedicite aquæ omnes, quæ super cælos sunt, Domino.* Bona res hospitalitas, quæ sic sublimavit aquas. Ad Hebr. XIII, 2 : *Hospitalitatem nolite oblivisci*, ut par eamdem sitis in cœlo collocati, sicut aquæ. Aquæ etiam possunt appellari persecutiones maximæ. Deut. XXXIII, 19 : *Inundationem maris quasi lac sugent.* Has conclusit in utre infra persecutores ipsos, « *abyssos*, » homines valde malos, quorum cor est inscrutabile[1]. « *Ponens in thesauris*, » in loco occulto, donec ad purgandos bonos proferat illos. Job, XXXVIII, 22 : *Numquid ingressus es thesauros nivis ?* Aquæ etiam populi fluctuantes, Apoc. XVII, 15 : *Aquæ multæ, populi sunt.* Has aquas Deus congregat « *quasi in utre*, » id est, Ecclesiæ unitate. « *Ponens abyssos*, » id est, peccatores, qui sunt in profundo tenebrarum. Isa. XXXI, 6 : *Convertimini sicut in profundum recesseratis.* « *In thesauris*, » eos faciens pretiosos, sicut factum est in Paulo, de quo Act. IX, 15 : *Vas electionis est mihi iste.*

Compensatur tripliciter ejus damnum.

Refrictio aquæ commendat hospitalitatem.

Aquæ inclusæ sunt sicut persecutiones.

Vel aquæ maris adhuc gentes et populi ad Deum conversi, Isa. LX, 5 : *Mirabitur et dilatabitur cor tuum, quando conversa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentium venerit tibi.* Has congregat in utre, ne libertate defluant in peccata, et flatu tentationum moveantur. Eccli. XXXIX, 22 : *In verbo ejus stetit aqua sicut congeries : et in sermone oris illius sicut exceptoria aquarum.* Vel ponit in thesauris, in Christo, de quo ad Colos. II, 3 : *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi.* « *Abyssos*, » gaudia scilicet inscrutabilia, Isa. LXIV, 4 : *Oculus non vidit, Deus absque te, quæ præparasti exspectantibus te*[2].

8

Secunda pars Psalmi: Exhortatio ad timorem.

« *Timeat Dominum omnis.* » Hic secunda pars Psalmi, in qua monet ad timendum Deum, quod respicit irascibilem. Primo ergo monet quemlibet ut Deum timeat. Secundo, assignat causam, quare timere debeat, ibi, « *Quia ipse dixit.* »

In prima duo. Primo, quod timeatur ab ipso continenti. Secundo, ab ipso qui continetur, ibi, « *Ab eo autem.* » Vel sic : Primo, ut omnes timeant simpliciter. Secundo, quod boni specialiter, ibi, « *Ab eo autem.* »

Dicit ergo : « *Timeat Dominum omnis terra :* » continens pro contento : omnes tam boni quam mali generaliter. Jerem. X, 7 : *Quis non timebit te, o Rex gentium ?* « *Timeat*, » et si non amore, saltem timore peccatum caveat. Eccli. I, 27 : *Timor Domini expellit peccatum.* Eccle. XII, 13 : *Deum time, et mandata ejus observa.*

« *Ab eo autem.* » Quasi diceret : Timeant omnes : « *Autem*, » sed, « *ab eo commoveantur omnes inhabitantes orbem*, » in terra contenti. Vel inhabitantes orbem, id est, Ecclesiam : et sic etiam ipsi boni. Et dicitur, « *ab eo* : » commoventur enim boni a Deo, et non ab alio. Job, XXXVII, 1 : *Super hoc expavit cor meum, et emotum est de loco suo.* Non lingua ergo tertia commovet eos, de qua Eccli. XXVIII, 15 : *Lingua tertia multos com-*

[1] Jerem. XVII, 9 : *Pravum est cor omnium, et inscrutabile, quis cognoscet illud ?*

[2] Cf. I ad Corinth. II, 9.

Lingua tertia et diabolica.

movit : lingua diabolica. I ad Cor. XIII, 1 : *Si linguis hominum loquar, et Angelorum.* Ecce duæ linguæ. Sed tertia diabolica, quæ loquens Evæ totum commovit.

Vel inhabitantes terram dicuntur mali, qui ipsam inhabitant per amorem, qui debent timore Dei commoveri de loco suo. Avarus de arca sua, gulosus de mensa, superbus de cathedra. Job, IX, 6 : *Qui commovet terram de loco suo.* Isa. XIII, 11 : *Visitabo super orbis mala.* Nota ergo, quod homo sic appellatur terra triplici ratione. Ratione consimilis dispositionis, originis, et humiliationis. De primo, Seneca de *Naturalibus quæstionibus* : « In corpore hominis sunt humida, et « dum hoc secundum magis et minus sicut « in terra, sicut aquæ per meatus extra« neos discurrunt in terra, sic aquosus hu« mor et sanguis per totum corpus : et sic« ut in terra continentur vapores inclusi, « sic in corpore spiritus. » Secundo modo, ratione originis : hoc patet, quia ortus est de terra. Genes. III, 19 : *Donec revertaris in terram, de qua sumptus es.* Tertio, ratione humiliationis. Verum est enim quod Deum habemus Patrem. Act. XVII, 28 : *Ipsius enim et genus sumus.* Sed matrem habemus terram. Job, XXXVIII, 32 : *Vesperum super filios terræ consurgere facis.* Ex hac ergo parte ignobiles sumus. Ut ergo nos humiliet, terram dicit a parte matris, non cœlum a parte patris.

Homo terra dicitur triplici ratione.

9 « *Quoniam ipse dixit.* » Hic ratio quare timendus. Et primo, a potestate quam ostendit in creando. Secundo, ab illa quam quotidie demonstrat gubernando, ibi, « *Dominus dissipat.* »

In prima duo. Primo, quia solo verbo naturam fecit, ibi, « *Ipse mandavit.* » Secundo, quia factam de nihilo formavit, ibi « *Ipse dixit.* » Sed proprio ordine loquitur, quoniam secundum videtur fuisse quasi majoris potentiæ.

Dicit enim : Sic timeatur et justum est, « *quoniam ipse dixit,* » verbum æternum genuit, « *et facta sunt,* » in illo verbo formata et distincta. « *Ipse mandavit,* » tamquam potentiam suum verbum extendens ad remotissimum in infinitum, scilicet ad nihil, « *et creata sunt,* » omnia scilicet de nihilo facta. Vel potest significari in his factio creaturæ, et collatio in hunc mundum. « *Ipse dixit, et facta sunt,* » de non esse scilicet, in esse deducta et formata. Eccle. VIII, 4 : *Sermo illius potestate plenus est.* Sap. XVIII, 15 : *Omnipotens sermo tuus, Domine*, etc. « *Ipse mandavit,* » id est, legem suam datam per Moysem misit. Eccli. XXIV, 33 : *Legem mandavit Moyses in præceptis justitiarum.* « *Et creata sunt,* » informata, ut jam essent per gratiam, quæ prius erant per naturam. Ezech. XX, 11 : *Dedi eis præcepta mea, et judicia mea, quæ faciens homo, vivet in eis.* Et hoc de moralibus, Ad Ephes. II, 10 : *Ipsius factura sumus,* quoad naturam : *creati in Christo Jesu,* quoad gratiam. Et notantur quatuor. Primo, operatoris potestas, quoniam solo verbo operatur, Job, IX, 19 : *Si fortitudo quæritur, robustissimus est.* Secundo, operum numerositas, quia non dixit factum, sed « *facta* : » nec dicit quantum, vel quanta, quia innumerabilia, et indicibilia, Job, V, 9 : *Qui facit magna et inscrutabilia, et mirabilia, absque numero.* Eccli. XLIII, 28 : *In sermone ejus composita sunt omnia.* Item, operationis velocitas, « *Dixit et facta sunt,* » non fiebant. Psal. CXLVII, 15 : *Velociter currit sermo ejus.* Eccli. XVIII, 26 : *Hæc omnia citata in oculis Dei.* Item, hujus artificis singularitas : quia de nihilo fecit omnia, et alii omnes de aliquo. Psal. LXXXV, 8 : *Non est similis tui in diis, Domine : non est secundum opera tua.*

Potentia in creatione quadrupliciter monstratur.

« *Dominus dissipat.* » Hic de potestate in gubernando, et dicuntur duo. Primo, quod potest super omnem aliam voluntatem. Secundo, quod nullus super 10

Potentia in gubernatione.

suam, ibi, « *Consilium autem Domini.* »

In prima duo. Primo, quod habet potestatem impediendi ne fiant. Secundo, puniendi si permittit fieri. Reprobat autem et hoc, tam minorum, quod ostendit primo, quam majorum, quod ostendit secundo, ibi, « *Et reprobat consilia principum.* »

Ait ergo : Sic potest in creando, et etiam in gubernando. « *Dominus* enim *dissipat consilia gentium,* » quando vult, ut non fiant omnino, nec noceant suis : quando vult non dissipat. Job, v, 13 : *Apprehendit sapientes in astutia, et consilium pravorum dissipat.* Isa. VIII, 10 : *Inite consilium, et dissipabitur : loquimini verbum, et non fiet.*

« *Reprobat autem cogitationes populorum,* » Judæorum scilicet : si enim Christum occiderunt, non tamen factum est quod intenderunt. Jerem. XI, 19 : *Eradamus eam de terra viventium.* Imo magis ibi plantatus est. Job, v, 12 : *Dissipat cogitationes malignorum, ne possint implere manus eorum* quod cœperant. Isa. LIX, 7 : *Cogitationes eorum, cogitationes inutiles.* « *Et reprobat consilia,* » Caiphæ et aliorum. I ad Corinth. I, 19 : *Et prudentiam prudentium reprobabo.* Job, XII, 17 : *Adducit consiliarios in stultum finem, et judices in stuporem.* « *Et reprobat consilia* » Gentium, gentiliter viventium, luxuriosorum, et reprobat cogitationes populorum avarorum, qui omnibus se servos faciunt propter pecuniam : « *et reprobat consilia principum superborum,* ut sic destruat omne peccatum : quia I Joan. II, 16 : *Quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ.*

11 « *Consilium autem Domini.* » Hic est secundum, in quo ostendit quod nullus potest super ejus voluntatem : et tangit duo quasi duobus præcedentibus respondentia. Scilicet quod nullus potest super consilium, nullus super cogitationes. Vel consilium confertur ad pœnas reproborum, cogitationes ad præmia beatorum.

Dicit ergo : Sic dissipat aliorum consilia, « *autem,* » sed, « *consilium Domini in æternum manet,* » de malis non salvandis. Isa. XLVI, 10 : *Consilium meum stabit, et omnis voluntas mea fiet.* Act. v, 38 et 39, dixit Gamaliel : *Si est ex homnibus consilium hoc, aut opus, dissolvetur : si vero ex Deo est, non poteritis dissolvere illud.* Sed Damascenus dicit, quod « consilium in Deum non « cadit, nec etiam in Christi animam : « consilium enim est inquisitio deliberativa de re ignorata. » Responsio. Secundum quod consilium dicitur aliquando inquisitio deliberativa de re ignorata, tunc non cadit in Deum : sed secundum quod secretum propositum aliquid faciendi, sic in Deum cadit. Sap. IX, 13 : *Quis hominum poterit scire consilium Dei?*

« *Cogitationes cordis ejus,* » de salvandis bonis, ejus scilicet æterna prædestinatio, « *in generatione et generationem.* » Malach. III, 6 : *Ego Dominus, et non mutor.* Isa. LV, 8 : *Non enim cogitationes meæ, cogitationes vestræ,... dicit Dominus.* Seneca in libro de *Naturalibus quæstionibus* : « Sapientis viri sententiam ne« gatis posse mutari, quanto magis Dei. »

« *Beata gens cujus est.* » Hic est tertia pars Psalmi, in qua postquam monuit ad laudem et timorem Domini, monet consequenter ad cultum Dei, et primo sumens rationes a bonitate. Secundo, a scientia, ibi, « *De cœlo.* » Tertio, a potestate, ibi, « *Non salvabitur rex.* » 12

Tertia pars Psalmi : Exhortatio ad cultum et amorem.

In prima duo. Primo, a bonitate qua suos beatificavit. Secundo, a bonitate qua prædestinavit beatificandos, ibi, « *Populus.* »

Dicit ergo : Sic consilium hominum frustratur, non Dei. Ergo « *beata gens cujus est Dominus,* etc. » Vel sic consilium Domini et cogitationes, et hoc est consilium : « *Beata gens cujus est Domi-*

nus Deus ejus, » per cultum specialem. Quasi diceret : Beata gens quæ colit Deum. Si enim Dominus est per creationem et emptionem, beati sumus, si eum habuerimus Dominum per specialem cultum. III Reg. XVIII, 21 : *Si Dominus est, sequimini eum.* Seneca ad Lucilium : « Satis Deum coluit, qui eum imitatus « est. »

« *Populus quem elegit.* » Et « *populus,* » supple, beatus, « *quem elegit in hæreditatem sibi,* » ut scilicet esset sua hæreditas, ut Deus eos haberet per cultum, et ipsi Deum tamquam cultorem, et sui possessorem. Deuter. VII, 6 : *Elegit te Dominus Deus tuus, ut sis ei populus peculiaris.* Joan. XV, 16 : *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos,* etc. « *In hæreditatem.* » Isa. XIX, 25 : *Hæreditas mea Israel.* Elegit nos in prædestinatione, sed nos facit hæreditatem sibi in glorificatione proprie. Ad Rom. VIII, 30 : *Quos prædestinavit, hos et vocavit : et quos vocavit, hos et justificavit : quos autem justificavit, illos et glorificavit.*

Sumus Dei hæreditas ratione diffusionis nominis et culturæ.

Et nota, quod nos sumus ejus hæreditas ratione diffusionis nominis, et ratione multiplicis operationis in nobis factæ, sicut homo facit in sua hæreditate. De primo, Isidorus : « Hæreditas est res « quæ morte alicujus ad quempiam per- « venit. » Sed nos ad Christum morte ejus pervenimus. Alii enim hæreditatem perdunt moriendo, sed Christus perditam morte recuperavit. Apoc. I, 5 et 6 : *Lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo, et fecit nos regnum... Deo.* De secundo, hæreditas dicitur secundum Isidorum « a rebus additis. » Sic nos sumus res additæ : habebat enim prius regnum cœlorum, sed postea addidit, et obtinuit regnum terrarum pretiosa morte sua. Unde post resurrectionem suam dixit : *Data est mihi omnis potestas in cœlo, et in terra* [1]. Luc. XIX, 12 : *Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam accipere sibi regnum, et reverti.* De tertio, in nobis multipliciter operatur : tamquam hæreditatem nos excolit, sepit, custodit, augmentat, et delectabiliter inhabitat. Excolit, quia agricola, Jerem. XIV, 8 : *Quare quasi colonus futurus es in terra,* et filius agricolæ, in nobis mala exstirpando et bona seminando. Sepit erubescentia quoad homines, et timore quoad Deum, Isa. LVIII, 12 : *Vocaberis ædificator sepium, avertens semitas in quietem.* Augmentat numero et merito per dona gratiæ eam amplificando, Isa. LIV, 3 : *Ad dexteram et ad lævam penetrabis,* augmentata numero : *et semen tuum Gentes hæreditabit.* Augmentatam merito delectabiliter inhabitat, Proverb. VIII, 31 : *Deliciæ meæ esse cum filiis hominum.*

« *De cœlo respexit.* » In hac parte persuadet ad cultum Dei ab ejus scientia, et primo quia non latent eum homines. Secundo, quia nec hominum cogitationes, ibi, « *Qui finxit.* » Tertio, quia nec operationes, ibi, « *Qui intelligit.* » Iterum homines eum non latent, nec boni, nec mali, ibi, « *De præparato habitaculo* : » et in utraque istarum partium dicit unde vidit, et quid. **13**

Scientia Dei novit omnia quæ sunt hominis.

Dicit ergo : « *Dominus de cœlo respexit,* » vel empyreo, vel Angelis sanctis quos inhabitat. Isa. LXIII, 15 : *Attende Domine de cœlo,* etc. « *Vidit omnes filios hominum,* » bonos scilicet qui imitatores sunt filii hominis, scilicet Christi : et implevit omnibus bonis. Eccli. XXIV, 45 : *Inspiciam omnes dormientes, et illuminabo omnes sperantes in Domino.* Vel, « *de cœlo,* » id est, de humanitate Christi, « *respexit Dominus* : » ipsa enim humanitas ejus cœlum, quia celat divinitatem ejus. Isa. XLV, 15 : *Vere tu es Deus absconditus.* Vidit oculo misericordiæ de

[1] Matth. XXVIII, 18.

cœlo isto « *omnes filios hominum.* » Exod. III, 7 et 8 : *Vidi afflictionem populi mei, qui est in Ægypto... et descendi ut liberem eum.* Hieronymus : « Numquam respectus ejus sine misericordia est. » Sapient. IV, 15 : *Et respectus in electos illius.*

14 «*De præparato habitaculo.* » Hic secundum. Quasi diceret : Sic, quoad bonos, sed etiam quoad malos, « *de præparato habitaculo suo,* » id est, de humanitate sua, in qua habitavit. Ad Coloss. II, 9 : *In ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter.* « *Præparato*, » præ omnibus aliis parato. III Reg. x, 20 : *Non est factum tale opus in universis regnis.* Vel Dei præscientia præparato, et præviso ad salutem generis humani procurandam. Eccli. XXIV, 14 : *Ab initio et ante sæcula creata sum, et usque ad futurum sæculum non desinam.* « *Respexit,* » recognoscendo sine approbatione, « *super omnes qui habitant terram,* » ipsos scilicet malos, qui sunt terræ amatores, et ipsam inhabitant per amorem : hi enim etiam videntur a Deo, et ipsum latere non possunt. Psal. CXII, 5 : *Quis sicut Dominus Deus noster qui in altis habitat, et humilia respicit in cœlo et in terra ?* Eccli. XV, 19 : *Multa sapientia Dei, et fortis in potentia, videns omnes sine intermissione.* Vel in bono, « *Vidit,* » oculo misericordiæ, « *super eos qui habitant,* » per diligentiam excolendo, terram proprii corporis quam portamus, ne germinet spinas et tribulos vitiorum. I ad Corinth. IX, 27 : *Castigo corpus meum, et in servitutem redigo.* Non sicut illi de quibus Proverb. XXIV, 30 : *Per agrum hominis pigri transivi, et per vineam viri sulti,* etc. Vel præparatum habitaculum Angeli, in quibus gratia inhabitat, et opere magis quam in inferioribus, tamquam in propriis ministris. Daniel. VII, 10 : *Millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei.* In his sedet gloriosus Deus, et tunc respicit inhabitantes terram. Mira dignatio pietatis, Job, XXIX, 25 : *Cum sederem quasi rex, circumstante exercitu, eram tamen mœrentium consolator.* Et tu fac similiter, ut in gloria tua recorderis miserorum. Eccli. XI, 27 : *In die bonorum ne immemor sis malorum,* id est, adversitatis. Aliorum præparatio in habitaculum Dei debet esse prædicator. I ad Corinth. III, 17 : *Templum Dei sanctum est, quod vos estis.* Ezech. XLIII, 10 : *Fili hominis, ostende domui Israel templum,* prædicatorem et doctorem factum, *et confundantur ab iniquitatibus suis.* De hoc habitaculo respicit Dominus, etc., quando prædicationis doctrinam per ipsum effundit. Prov. VII, 6 : *De fenestra domus meæ per cancellos prospexi.* Et est hic respectus utilis ad tria. De veritate instruit, Cant. II, 9 : *En ipse stat post parietem nostrum respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos.* Et subditur statim : *En dilectus meus loquitur mihi,* me scilicet instruendo. Virtutes inserit, Prov. XIII, 15 : *Doctrina bona dabit gratiam.* Eccli. XVI, 30 : *Deus in terram respexit, et implevit illam bonis suis.* Peccata destruit : verba enim Dei ignis sunt, et necessario peccata liquefaciunt. Eccli. III, 17 : *Sicut in sereno glacies, solvuntur peccata.* Quippe, Jerem. XXIII, 29 : *Numquid non verba mea sunt quasi ignis, dicit Dominus : et quasi malleus,* etc. Gregorius : « Peccati gelicidia ad adspectum Domini liquefiunt. »

Respicit Deus per prædicatorem, et hic respectus est ad tria utilis.

15 « *Qui finxit sigillatim.* » Hic secundum, in quo ostendit scientiam Dei, quia non latent ipsum cogitationes.

Dicit enim : Sic homines eum non latent, nec cogitationes, quia ipse *est* « *qui finxit,* » id est, ipse formavit corda eorum, id est, animas, et hoc « *sigillatim,* » singulis dona propria tribuendo. I ad Corinth. XII, 8 : *Alii per Spiritum datur sermo sapientiæ : alii autem sermo scientiæ,* et sic de aliis. Et ipse etiam

est, « *qui intelligit omnia opera eorum,* » sciens et videns quomodo quisque in illis et ex illis operetur. II ad Corinth. vi, 1 : *Exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Sap. vi, 4 : *Data est a Domino potestas vobis, et virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra, et cogitationes scrutabitur.*

Vel sic : « *Qui finxit,* » id est, formavit, « *corda eorum,* » sicut supra : et hoc, « *sigillatim,* » singulis gratias gratum facientes largiendo. Ad Ephes. iv, 7 : *Unicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi* : alii enim dat majorem, alii dat minorem.

« *Qui intelligit omnia opera eorum,* » quo fine, qua intentione in illis, et ex illis operentur. Job, xxviii, 3 : *Universorum finem ipse considerat.* Vel sic, « *finxit,* » id est, formavit, « *corda eorum,* » id est, animas, id est, ipsas substantias. Et hoc, « *sigillatim,* » unamquamque per se, sicut suo perfunditur corpori. Et in hoc destruitur duplex error. Unus qui ponit omnes animas simul creatas in cœlo, et quia ibi peccaverunt, in corporibus intrudi. Alius qui ponit de anima Adæ omnes animas factas, sicut corpora de corpore. Isai. xlii, 5 : *Hæc dicit Dominus Deus, creans cœlos, et extendens eos : firmans terram,.. dans flatum populo,... et spiritum calcantibus eam.* Ecce qui datus est spiritus, non traductus.

« *Qui intelligit omnia opera eorum,* » tam exteriora quam interiora. Eccli. xvii, 16 : *Omnia opera illorum velut sol in conspectu Dei,* etc.

16 Potestas salvendi Deo propria.

« *Non salvatur rex per multam virtutem.* » Hic persuadet a potentia, quia ipse solus salvare potest : et dicuntur duo. Primo, quod alia non habent salvandi potestatem. Secundo, quod ipse habet, ibi, « *Ecce oculi Domini.* » Alia non salvant, quia nec collectio multitudinis, nec robur corporis, ibi, « *Et gigas.* » Nec vigor bruti animalis, ibi, « *Fallax equus.* »

Dicit ergo : Sic debes Deum colere, quia bonus et sapiens, et etiam quia potens, quia « *non salvatur rex,* » qui inter alios homines excellit dignitate, « *per multam virtutem,* » exercitus sui collectam ad se defendendum. II Paral. xxv, 8 : *Si putas in robore exercitus bella consistere, superari te faciet Deus ab hostibus.* I Machab. iii, 18 : *Non est differentia in conspectu Dei cœli liberare in multis, et in paucis.*

« *Et gigas,* » confidens de corporis sui viribus, « *non salvabitur in multitudine virtutis suæ,* » quamvis possit super multos. Exemplum de Goliath Gethæo[1]. Jer. ix, 23 : *Non glorietur fortis in fortitudine sua.*

Justus quilibet rex et a nomine possessione et dignitate.

Vel sic : Rex appellari potest justus quilibet, et gigas. Rex ratione nominis, possessionis, dignitatis. Nominis, Isidorus : « Recte faciendo nomen regis tenetur, peccando amittitur. » Unde apud veteres tale erat proverbium : « Rex eris, si bene feceris : si non bene feceris, non eris. » Ratione possessionis, quia impressa in ipsa Dei imagine ad quam factus est, redit ad dignitatem possessionis primæ, ut omnia sua sint. Genes. i, 26 : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram : et præsit,* etc. Imo, quæcumque sunt in cœlo. I ad Corinth. iii, 22 : *Sive præsentia, sive futura omnia vestra sunt.* Rex est ergo, non regulus, qui tot habet insignia. Ratione dignitatis diuturnæ : justus enim æternaliter regnaturus est. Apoc. xxii, 5 : *Dominus illuminabit illos, et regnabunt in sæcula sæculorum.*

Appellatur etiam *gigas* ratione nomi-

[1] Cf. I Reg. xvii, 1 et seq.

Dicitur etiam gigas a nomine, viribus, et magnitudine.

nis, vigoris, et magnitudinis. Nominis, quia *gigas* dicitur a γῆ quod est *terra*, et *genitus*. Et homo justus de terra genitus est, quia homo. Psal. XLVIII, 3 : *Quique terrigenæ et filii hominum*. Eccli. XXXIII, 10 : *Omnes homines de solo et terra, unde ex creatus est Adam*. Vigoris, quia confligit et pugnat cum potestatibus aereis, quod est magni vigoris et audaciæ. Ad Ephes. VI, 12 : *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia*, etc. Cassiodorus : « Merito *gigas* dicitur a quo talibus « spiritibus obviabatur. » Et magnitudinis, quia qui caret charitate, caret magnitudine. I ad Corinth. XIII, 2 : *Si autem charitatem non habuero, nihil sum* : sed qui abundat virtute, hic magnus est. Eccli. XLIV, 6 : *Homines divites in virtute*. Vere justus magnus est : una enim pars ejus, scilicet pes, caro in terra est : sed caput, id est, mens, est in cœlo. Ad Philip. III, 20 : *Nostra autem conversatio in cœlis est*.

17 « *Fallax equus*. » Hic ostendit, quod non salvet vigor bruti animalis, quia nec velocitate ad fugiendum, nec fortitudine ad resistendum, ibi, *In abundantia*. »

Dicit ergo : Sic non salvatur nec multitudine, nec robore rex, et etiam fallax equus ad salutem, id est, salutem promittit aliquando, et non solvit. Augustinus : « Si tu vides equum bene formatum, bonis viribus, magno cursu prææditum, ista omnia tibi velut promittunt « salutem : sed fallit, si non tuetur « Deus. » Proverb. XXI, 31 : *Equus paratur ad diem belli, Dominus autem salutem tribuit*. Isa. XXXI, 1 : *Væ qui descendunt in Ægyptum ad auxilium, in equis sperantes*.

« *In abundantia autem virtutis suæ*, » ad resistendum, « *non salvabitur*, » sed ab eo qui dat ei fortitudinem. Mystice enim equus dicuntur divitiæ temporales, et spirituales. Temporales fallaces sunt ad salutem præstandam : ipsam enim promittunt, et non solvunt. Matth. XIII, 22 : *Sollicitudo sæculi istius, et fallacia divitiarum suffocat verbum*. In abundantia autem illarum non salvatur quis, quantum in ipsis est. Luc. XII, 19 et 20 : *Dicam animæ meæ : Anima, habes multa bona posita in annos plurimos : requiesce, comede, bibe, epulare*. Et quæ sequuntur : *Stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te*. Proverb. I, 32 : *Prosperitas stultorum perdet illos*. Dicuntur autem divitiæ temporales *equi*, ratione fiduciæ ascensoris, periculosæ elevationis, et cursus velocitatis. Confidunt enim multi idiotæ in divitiis suis, et multi corruunt pessime. Prov. XI, 29 : *Qui confidit in divitiis, corruet*. Jerem. LI, 22 : *Collidam in te equum et ascensorem ejus*. De secundo, ad litteram equus elevat hominem non solum corporaliter, sed etiam spiritualiter. Sic divitiæ in superbiam, Osee, XIII, 6 : *Adimpleti sunt et saturati : et levaverunt cor suum*. I ad Timoth. VI, 17 : *Divitibus hujus sæculi præcipe non sublime sapere, neque sperare in incerto divitiarum*. Equus etiam velociter transit, Jerem. IV, 13 : *Velociores aquilis equi illius*. Sic divitiæ, Sapient. V, 8 et 9 : *Divitiarum jactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia illa tamquam umbra*. Et nota, quod vilis homo insidet equo sine medio : sic anima vilis hæret divitiis immediate, sed nobis facit sellam de necessitate corporis. Psal. LXI, 11 : *Divitiæ si affluant, nolite cor apponere*.

Divitiæ temporales equo comparatæ.

Item, divitiæ spirituales.

Equus etiam virtutes designat, quæ sunt divitiæ spirituales, quibus homo portatur ad vitam æternam. Sed etiam hic multum fallax in illis qui de virtutibus habitis contra illos tument, et elevantur. Eccli. XL, 26 : *Facultates et virtutes exaltant cor*. Et vere fallaces, quia promittunt vitam æternam. Hæ etiam fallunt, Proverb. XIV, 12 : *Est via, quæ videtur homini justa, novissima autem ejus deducunt ad mortem*. Et-

si scriptum sit, Proverb. xv, 5 : *In abundanti justitia virtus maxima est.* Sed hæc abundantia statim corrumpitur a modica injustitia. I ad Corinth. v, 6 : *Modicum fermentum totam massam corrumpit,* etc.

18 Salus a solo Deo. « *Ecce oculi Domini.* » Hic secundum, in quo ostenso quod non salvant alia, ostendit quod Deus salvat. Et primo, quod in præsenti. Secundo, quod etiam in futuro, ibi, « *Anima nostra.* »

In prima duo. Primo tangit Dei in nos amorem tamquam salutis causam. Secundo, procedentem salutarem opem, vel operationem, ibi, « *Et eruat a morte.* »

In prima duo. Primo, quod amat metuentes. Secundo, quod sperantes, ibi, « *Et in eis qui sperant.* »

Dicit ergo : Sic hæc non salvant, sed « *oculi Domini,* » id est, dilectio, quæ maxime exserit se per oculos et ostendit, secundum illud : « *Ubi amor, ibi oculus.* » Oculi, inquam, salvantes. Psal. xxx, 8 : *Respexisti humilitatem meam, salvasti,* etc. « *Super metuentes eum,* » non super tumentes contra eum. Eccli. x, 24 : *Qui timent Dominum, erunt in oculis illius.* Et ibid. xxxiv, 19 : *Oculi Domini super timentes eum.* « *Et in eis qui sperant super misericordia ejus.* » Proverb. xxviii, 25 : *Qui sperat in Domino, sanabitur.* Et bene conjungit timorem et spem, quia sunt duæ molæ, inter quas debet teri anima, et neutra sine altera habenda est. Deut. xxiv, 6 : *Non accipies loco pignoris inferiorem et superiorem molam.* Eccli. ii, 9 : *Qui timetis Dominum, sperate in illum : et in oblectationem veniet vobis misericordia.*

Spes et timor, duæ molæ quibus anima teritur.

19 « *Ut eruat a morte.* » Hic tangit operationem salvantem ex amore procedentem, et est duplex. Prima, animarum a morte peccati suscitatio. Secunda, suscitatorum conservatio, ibi, « *Et alat.* »

Dicit ergo : Sic oculi Domini super metuentes, et sperantes Ad quid? « *Ut eruat a morte.* » Et potest intelligi de futuro, « *a morte,* » inferni scilicet, « *animas eorum.* » Habac. iii, 5 : *Ante faciem ejus ibit mors.* Proverb. xx, 8 : *Rex, qui sedet in solio judicii, dissipat omne malum intuitu suo.* « *Et alat eos,* » interim verbo suo, « *in fame,* » in hac scilicet vita, in qua est omnium bonorum defectus, et egestas. Jerem. xv, 16 : *Inventi sunt sermones tui, et comedi eos, et factum est verbum tuum in gaudium mihi, et in lætitiam cordis mei.* Vel, « *eruat,* » in præsenti, « *animas eorum a morte* » spirituali, id est, a peccato mortali, sicut factum est in Petro, qui a peccato trinæ negationis est ereptus intuitu Christi. Luc. xxii, 61 et 62 : *Et conversus Dominus respexit Petrum... Et egressus foras Petrus flevit amare.* Osee, xiii, 14 : *De manu mortis liberabo eos.*

« *Et alat eos,* » ne deficiant liberati « *a fame,* » cibo suo spirituali, verbo suo. Deteron. viii, 3, et Matth. iv, 4 : *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.* Hic nota, quod est triplex mors a qua Deus suos eruit. Naturæ, ut patet in martyribus, qui aut mortem corporis non senserunt, aut multum vilipenderunt absorpti a spe immortalitatis. Sapient. iii, 4 : *Spes illorum immortalitate plena est,* et tribulatio momentanea. II ad Corinth. iv, 17 : *Quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ.* Quid ergo mirum si a plena immortalitate absorbetur quod est momentaneum ? Item, a morte culpæ, de qua Sap. xvi, 14 : *Homo autem occidit per malitiam.* Sed ab hac liberat timentes, quia Eccli. i, 27 : *Timor Domini expellit peccatum.* Et sperantes, Psal. xxxiii, 23 : *Non delinquent omnes qui sperant in eo.* Et gehennæ, quia mortui transeunt ad vitam, Psal. cxxvi, 2 : *Cum dederit dilectis suis somnum, ecce,* etc. Et fames triplex, in qua alit : naturæ, gratiæ, et gloriæ. Quantum ad

Triplex mors a qua nos Deus eruit.

em, triplex fames in qua nos alit.

primum refectio quidem deest multis, sedn umquam justis, Psal. xxxvi, 25 : *Non vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem.* Quantum ad secundum, Amos, viii, 11 : *Mittam famem in terram, non famem panis, neque sitim aquæ, sed audiendi verbum Dei.* Psal. xxxvi, 19 : *In diebus famis saturabuntur.* I Reg. ii, 5 : *Famelici saturati sunt.* Quantum ad tertium, in Psal. xvi, 15 : *Satiabor cum apparuerit gloria tua*; Matth. v, 6 : *Beati qui esuriunt, et sitiunt justitiam : quoniam,* etc.

20 « *Anima nostra sustinet.* » Hic ostendit, quod salvat in futuro : et dicuntur tria. Primo, ostendit justos salutem illam patienter exspectare. Secundo, sperare, ibi, « *Et in nomine sancto.* » Tertio, implorare, ibi, « *Fiat misericordia.* »

In prima duo. Primo tangit patientem exspectationem. Secundo, patientis exspectationis rationem, ibi, « *Quoniam adjutor.* »

Dicit ergo : Sic nunc alit, sed tandem salvabit. Unde « *anima nostra sustinet,* » id est, patienter exspectat « *Dominum.* » Psal. xxiv, 3 : *Universi qui sustinent te, non confundentur.* Eccli. ii, 3 : *Sustine sustentationes Dei,... ut crescat in novissimo vita tua.* Sustinet etiam ut jumentum sessorem suum. Psal. lxxii, 23 : *Ut jumentum factus sum apud te.* Stimulantem etiam calcaribus tribulationum, ut non recalcitret, quamvis bene alita sit, sicut prætactum est, non sicut illi de quibus, Deuter. xxxii, 15 : *Incrassatus est dilectus, et recalcitravit,* sed secundum admonitionem Baruch, iv, 25, patienter sustinuit[1]. Imo, libenter. II Machab. vi, 30 : *Domine, qui habes sanctam scientiam, manifeste tu scis, quia, cum a morte possem liberari, duros corporis sustineo dolores : secundum animam vero propter timorem tuum libenter hæc patior.* Item, dulciter, Job, vi, 10 : *Hæc mihi sit consolatio, ut affligens me dolore non parcat.*

« *Quoniam adjutor.* » Hic tangit rationem patientis exspectationis et primo rationem patientiæ. Secundo exspectationis, ibi, « *Quia in eo.* » Patientia duplex est, quia adjuvat in bono. Secundo, quia protegit a malo.

Ait enim : Sic anima nostra sustinet, et patientiam habet : « *quoniam adjutor noster* » est in bonis faciendis, et « *protector,* » protegendo a malis. Eccli. li, 2 : *Adjutor et protector factus es mihi.* Psal. ix, 10 : *Adjutor in opportunitatibus, in tribulatione.*

« *Quia in eo lætabitur cor nostrum.* » 21
Quasi diceret : Patientiam habet propter prædicta, sed exspectat, affectu inhiat, quod est exspectare, « *quia in eo lætabitur cor nostrum,* » secundo cum venerit. Eccli. i, 29 : *Usque in tempus sustinebit patiens, et postea redditio jucunditatis.* Nec tantum cor nostrum, parum dixit : imo et corpus nostrum, in Christi humilitate. Psal. lxxxiii, 2 : *Cor meum, et caro mea, exsultaverunt in Deum vivum.* Sed utrumque comprehendit in corde : quia cum sit caro, sedes est animæ.

« *Et in nomine sancto.* » Hic secundum. Quasi diceret : Sic exspectamus patienter, et interim « *etiam in nomine sancto ejus speravimus,* » nos venturos ad eum in quo sic lætemur : « *in nomine sancto ejus,* » Filio scilicet ejus ductore nostro, ad hoc misso ut nos reducat illuc. Joan. xvi, 28 : *Exivi a Patre, et veni in mundum : iterum relinquo mundum, et vado ad Patrem,* ut vos illuc reducam. In eo ergo lætabitur cor nostrum, ut in quo est summa voluptas. Psal. xv, 11 :

Quare lætabitur cor nostrum in Christo ?

[1] Baruch, iv, 25 : *Filii, patienter sustinete iram, quæ supervenit vobis.*

Delectationes in dextera tua usque in finem. Summa tranquillitas, Joan. XVI, 33 : *In mundo pressuram, in me pacem habebitis.* Summa securitas, Isa. XLIII, 5 : *Noli timere,* servus meus Jacob, *quia ego tecum sum,* ut protegam te. De iis tribus, Isa. XXXII, 18 : *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, et in tabernaculis fiduciæ, et in requie opulenta.* « *Et in nomine sancto ejus speravimus* » a tyrannica dominatione redemptionem. Isa. VIII, 3 : *Voca nomen ejus, Accelera spolia detrahere, festina prædari.* A multiplici infirmitate curationem, Matth. I, 21 : *Vocabis nomen ejus Jesum : ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.* Et ab omni persecutione curationem, Proverb. XVIII, 10 : *Turris fortissima nomen Domini, ad ipsum currit justus, et exaltabitur.*

22 « *Fiat misericordia tua.* » Hic tertium, in quo subjungitur oratio, et dicuntur duo. Primo, orat. Secundo, monstrat, quod debet exaudiri, ibi, « *Quemadmodum.* »

Ait ergo : *Fiat misericordia tua Domine super nos* in adventu : ut in nobis illud impleatur gaudium de quo in præcedenti versu : « *Quia in eo lætabitur cor nostrum.* » Et nota, quod quamvis innocens sit qui loquitur, tamen justitiam non petit, sed misericordiam, juxta Psal. CXLII, 2 : *Non intres in judicium cum servo tuo.* Job, IX, 14 : *Quantus sum ego ut respondeam ei, et loquar verbis meis cum eo ?* Non audet petere justitiam propter meritorum impuritatem, si quæ habet. Isa. LXIV, 6 : *Quasi pannus menstruatæ universæ justitiæ nostræ.* Propter negligentiam, et venialium saltem multitudinem, Proverb. XXIV, 16 : *Septies in die cadet justus, et resurget.* Propter præmii magnitudinem, I ad Corinth. II, 9, et Isa. LXIV, 4 : *Oculus non vidit, Deus absque te, quæ præparasti,* etc. Psal. CV, 24 : *Pro nihilo habuerunt terram desiderabilem.* Vel de primo adventu, « *fiat,* » o Domine, « *misericordia tua super nos,* » id est, fiat nobis primus adventus tuus, qui totus fuit ex misericordia, sicut secundus ex justitia. Psal. XXIV, 10 : *Universæ viæ Domini misericordia et veritas.* Vel de utroque : « *Fiat misericordia tua,* » triplex scilicet, qua diminuitur culpa. Isa. LV, 7 : *Derelinquat impius viam suam, et vir iniquus cogitationes suas, et revertatur ad Dominum, et miserebitur ejus,* pius et misericors Dominus, et dimittit peccata, in tempore tribulationis, qua infunditur gratia. Ad Hebr. IV, 16 : *Adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ ejus, ut misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in tempore opportuno,* et qua confirmemur in gloria. Psal. CII, 4 : *Qui coronat te in misericordia et miserationibus.* Judas in Canon. II, 21 : *Vosmetipsos in dilectione Dei servate, exspectantes misericordiam Domini nostri Jesu Christi in vitam æternam.* Et hoc, « *quemadmodum speravimus in te.* » Quasi diceret : Non decet tantam excellentiam, ut confundatur qui sperat in te. Eccli. II, 11 : *Nullus speravit in Domino, et confusus est.* « *Speravimus in te,* » quod volumus potente, Ad Ephes. III, 20 : *Qui potens est omnia facere superabundanter quam petimus.* « *In te,* » quo indigemus sciente, Matth. VI, 32 : *Scit enim Pater vester quia his omnibus indigetis.* « *In te,* » quod bonum est volente, I ad Timoth. II, 3 et 4 : *Hoc bonum est, et acceptum coram Salvatore nostro Deo : qui omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire.*

PSALMUS XXXIII.

Benedicit Dominum qui est justorum lumen et tutela, et impiorum aversor.

1. *Davidi, cum immutavit vultum suum coram Achimelech, et dimisit eum et abiit.* (I Reg. XXI.)

2. Benedicam Dominum in omni tempore : semper laus ejus in ore meo.

3. In Domino laudabitur anima mea : audiant mansueti, et lætentur.

4. Magnificate Dominum meum : et exaltemus nomen ejus in idipsum.

5. Exquisivi Dominum, et exaudivit me : et ex omnibus tribulationibus meis eripuit me.

6. Accedite ad eum, et illuminamini : et facies vestræ non confundentur.

7. Iste pauper clamavit, et Dominus exaudivit eum, et de omnibus tribulationibus ejus salvavit eum.

8. Immittet angelus Domini in circuitu timentium eum, et eripiet eos.

9. Gustate, et videte quoniam suavis est Dominus : beatus vir qui sperat in eo.

10. Timete Dominum, omnes sancti ejus, quoniam non est inopia timentibus eum.

11. Divites eguerunt et esurierunt[1] : inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono.

12. Venite, filii, audite me : timorem Domini docebo vos.

13. Quis est homo qui vult vitam[2], diligit dies videre bonos ?

14. Prohibe linguam tuam a malo, et labia tua ne loquantur dolum.

15. Diverte a malo, et fac bonum : inquire pacem, et persequere eam.

16. Oculi Domini super justos[3] : et aures ejus in preces eorum.

17. Vultus autem Domini super facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum.

18. Clamaverunt justi, et Dominus exaudivit eos : et ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos.

19. Juxta est Dominus iis, qui tribulato sunt corde, et humiles spiritu salvabit.

20. Multæ tribulationes justorum : et de omnibus his liberabit eos Dominus.

21. Custodit Dominus omnia ossa eorum : unum ex his non conteretur.

22. Mors peccatorum pessima : et qui oderunt justum delinquent.

23. Redimet Dominus animas servorum suorum, et non delinquent omnes qui sperant in eo.

[1] Luc. I, 53.
[2] I Pet. III, 10.
[3] Eccli. XV, 20 ; Ad Heb. IV, 13.

IN PSALMUM XXXIII

COMMENTARIUS [1].

1 *Psalmus David, cum immutavit vultum suum coram Abimelech, et dimisit eum, et abiit* [2].

Argumentum Psalmi: Cultus Dei per sacrificium nonum, ut titulus ostendit.

« *Benedicam Dominum in omni tempore.* » Hic est Psalmus trigesimus tertius. Cum enim monuerit justificatos per pœnitentiam laudare Deum, et ei cultum divinum exhibere, quia maxime et potissime laudatur et colitur in sacrificio altaris novo, et veteri sacrificio substituto, agit hic de novo sacrificio, quod veteri substitutum est, veteri evacuato. Et hoc ostenditur satis in titulo, qui talis est: « *Psalmus David, cum immutavit vultum suum coram Abimelech, et dimisit eum, et abiit.* Et tangitur historia secundum Augustinum, quæ habetur 1 Reg. xxi, 13, ubi David dicitur mutasse vultum suum coram Achis rege Geth, ad quem confugerat, eo quod accusatus esset apud eum de fortitudine, et stimulante Saule qui ad hoc ipsum nuntios miserat procuraturos, ut vel eum interficeret, vel mitteret ad se. Sic Christus mutavit vultum suum coram Achis, cum vetus sacrificium in novum convertit : quia, secundum Isidorum : « Vultus dicitur, eo « quod per ipsum voluntas ostenditur, « in Testamento autem in sacrificiis eo« rum voluntas Dei ostenditur. » Mutare ergo vetus sacrificium in novum, quid aliud est quam mutare vultum? quod factum est proprie in cœna, quando evacuato antiquo Paschate, substitutum est

[1] David, poursuivi par Saul, s'était réfugié après sa rencontre avec le grand prêtre Achimélech auprès d'Achis, roi de Geth, en pays philistin. Il croyait n'être pas reconnu par ceux qu'il avait défaits naguère avec tant d'éclat : il le fut pourtant par les officiers d'Achis, et il ne put s'échapper qu'en contrefaisant le fou. Il changea donc son visage, dit le livre des Rois (I Reg. xxi, 13) ; il changea, טעמו, *thamo*, son goût, sa raison, dit le titre du psaume, emprunté selon toute apparence à une source différente, probablement aux annales du règne de David, et il dut son salut à cette feinte. C'est en rapportant à cette circonstance périlleuse de sa vie qu'il composa ce psaume d'action de grâces. Le roi de Geth, appelé Achis au livre des Rois, est nommée ici Abimélech. Les commentateurs remarquent, à la suite de S. Basile, que ce nom était un titre commun aux rois philistins de ce pays, comme Pharaon en Egypte, César à Rome, etc. Abimélech veut dire père du roi, ou le roi père, exactement comme le titre des rois de Perse, *padishah*. Cf. Genes. xx, xxvi. S. Athanase Eusèbe et Théodoret ignorant cette identité d'Achis et d'Abimélech, ont expliqué le psaume de l'entrevue de David avec le grand prêtre. Abimélech est pour eux le même qu'Achimélech. C'est cette dernière orthographe que reproduit la Vulgate. Cette interprétation n'est point justifiée, car le grand prêtre ne chassa pas David, comme le dit le titre du psaume.

Ce chant est alphabétique, et chaque lettre commande deux vers. Seulement le ו manque, à moins qu'on ne le prenne au second vers de la lettre ה, ℣. 6, ce qui porterait atteinte à la régularité de la composition. Nous savons que les poètes hébreux ne se faisaient pas scrupule d'omettre ou d'intervertir quelques lettres dans les écrits de ce genre. Le פ est répété au dernier verset comme au Ps. XXIV, probablement par le fait d'une addition postérieure. L'ordre des idées n'est pas très logique : elles se peuvent pourtant diviser en deux groupes : dans les ℣℣. 2-11, l'auteur prend le ton lyrique pour remercier Jéhova de ses bienfaits ; à partir du ℣. 12, il passe au ton purement didactique, pour enseigner aux hommes la manière de mériter la faveur divine.

Les sentiments de reconnaissance exprimés dans ce psaume conviennent bien au chrétien qui met toute sa confiance en Dieu, et tout son bonheur à le servir. (H. LESÊTRE)

Albert le Grand applique ce psaume au Christ et à la Sainte communion.

[2] I Reg. xxi, 13. Vulg. habet, *Achimelehc*. Cf. notam 1.

Aibmelech nomen Judæos significat.

novum[1]. Quod bene dicitur factum coram Abimelech, quia coram Judæis : Abimelech enim interpretatur *patris mei regnum*, et significat Judæos, qui ad Dei regnum pertinebant. I Reg. XII, 12 : *Dixistis :... Rex imperabit nobis : cum Dominus Deus vester regnaret in vobis?* Achis etiam interpretatur *frater meus*, et Judæi fratres erant Christi secundum carnem. Vel quomodo est ? In quo significatur eorum dubitatio, maxime circa sacramentum Altaris. Joan. VI, 53 : *Litigabant ergo Judæi ad invicem dicentes : Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum ?* Et propter hoc « *dimisit* » Abimelech, vel Achis, id est, populus Judæorum, « *eum,* » scilicet Christum, « *et abiit* » Christus ad Gentes. Sensus ergo : Hic Psalmus est Christi, « *cum mutavit vultum suum coram* Achis seu *Abimelech,* » id est, de hoc agens quod Christus mutavit vetus sacrificium in novum coram Judæis, propter quod dimissus est ab eis, et abiit ad gentes. Propter hoc dicit Cassiodorus in hoc Psalmo : « Sic Missarum ordo completus est, ut eum putes conscriptum in temporibus Christianis. » Et est secundus Psalmus scriptus et distinctus per litteras Hebraici Alphabeti, tamen imperfecte. Quare autem distinguantur Psalmi, et quare quidam perfecte, quidam imperfecte, dictum est superius[2]?

Divisio Psalmi juxta missæ ordinem, id est, laude, communione, et instructione fidelium.

Dividitur autem Psalmus secundum ea quæ in Missa fiunt. Primo, laus divina celebratur : sic et hic de laude divina primo agitur. Secundo, populus Christianus communicatur : et de hac communione hic agitur secundo, ibi, « *Accedite ad eum.* » Tertio, populus informatur : et de hac informatione tertio agitur, ibi, « *Venite, filii, audite me.* »

In prima parte duo dicuntur. Primo, admonitio aliorum ut secum laudent Deum, et benedicant. Secundo, ostendit laudis fructum, ibi, « *Exquisivi Dominum.* »

Quatuor conditiones ad laudem necessaria.

In prima quatuor secundum quatuor conditiones quas requirit in laude Dei. Primo, monet ut exemplo suo laudent perseveranter. Secundo, quod humiliter, ibi, « *In Domino laudabitur.* » Tertio, quod suaviter, ibi, « *Audiant mansueti.* »

In prima duo. Primo, quod semper in corde. Secundo, quod ore, ibi, « *Semper laus ejus.* »

2

Prima pars Psalmi.

Dicit ergo : Sic colendus est Deus, et timendus, et laudandus. Et propter hoc, « *benedicam Dominum* » corde interius, « *in omni tempore* » ut fiat distributio pro generibus singulorum, id est, in tempore prosperitatis. Psal. XII, 6 : *Cantabo Domino, qui bona tribuit mihi.* Et adversitatis, sicut Job, I, 21, qui omnibus perditis dicebat : *Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est : sit nomen Domini benedictum.* Non sic quidam, qui in prosperis tantum laudant, et in adversis blasphemant, de quibus in Psal. XLVIII, 19 : *Confitebitur tibi cum benefeceris ei.* Nec sicut alii qui ipsum omnino tradunt oblivioni in prosperis, et in adversis clamant, contrarii aliis. Isa. XXVI, 16 : *Domine, in angustia sua requisierunt te.*

Quomodo potest Deus semper laudari ?

« *Semper laus ejus in ore meo.* » Sed opponit Cassiodorus : « Impossibile videtur laudes Dei jugiter personare. » Et est responsio : « *Semper laus ejus in ore meo,* » id est, numquam aliquid contrarium laudis ejus erit in ore meo. I Pet. IV, 11 : *Si quis loquitur quasi sermones Dei.* Vel : Nihil in ore meo, nisi vel ejus laus, vel ad laudem ejus pertinens, et honorem. Hieronymus :

[1] Cf. Joan. XIII.
[2] Cf. Psalmum XXIV in commentario super titulum et in nota.

« Felix lingua, quæ non novit nisi de « divinis facere sermonem. » Et notanda est Glossa quæ habet versiculum. Joan. xii, 32 : *Et ego si exaltus fuero a terra, omnia traham ad meipsum* laudandum. Quippe Gregorius dicit : « Tanto ab ho- « minibus dignius est honorandus, « quanto pro hominibus indigniora sus- « cepit. »

3 « *In Domino laudabitur anima mea.* » Hic monet, quod humiliter. Quasi diceret : Sic laudando laudabo semper, et « *anima mea laudabitur.* » Laudatam se reputabit, « *in Domino,* » in laude Domini. Quasi diceret : Si Dominus laudatur, laudatam se reputabit anima mea, quia totam laudem vult in Deum referri, nihil sibi penitus retinere, tamquam vere humilis. Sic laudabo tamquam verus filius, Eccli. iii, 13 : *Gloria hominis ex honore patris sui.* Et tamquam bonus servus, Exod. xv, 2 : *Laus mea Dominus.* Et Deuter. x, 21 : *Ipse est laus tua, et ipse est Deus tuus.* Sic etiam potest intelligi : Laudabo semper, et ipse rependet mihi vicem in futuro, quia « *in Domino,* » id est, a Domino « *laudabitur anima mea,* » in die judicii coram toto mundo. I ad Corinth. iv, 5 : *Illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium : et tunc laus erit unicuique a Deo.* Luc. xii, 8 : *Quicumque confessus fuerit me coram hominibus, et Filius hominis confitebitur illum coram Angelis Dei.*

Deus semper, humiliter, suaviter laudandus.

« *Audiant mansueti.* » Hic monet quam suaviter : et per hoc quod sic laudabit, quod mansueti audientes lætabuntur. Suavis enim laus in audiente generat lætitiam, alia non.

Dicit ergo : Sic laudabo humiliter, et etiam « *audiant* » laudem meam « *mansueti, et lætentur,* » præ suavitate ejus. Optime dicit, « *mansueti :* » quantumcumque enim suaviter laudatur Deus, non potest lætari, nisi per mansuetudinem dispositus. Eccli. v, 13 : *Esto mansuetus ad audiendum.* Jacob. i, 21 : *In mansuetudine suscipite insitum verbum.* Et est argumentum, quod Parochiani debent audire verbum divinum in mansuetudine, et divinum officium, et tunc possunt eorum corda lætificari, aliter non. Psal. l, 10 : *Auditui meo dabis gaudium et lætitia, et exsultabunt ossa humiliata.* Jer. xv, 16 : *Factum est mihi verbum tuum in gaudium, et in lætitiam cordis mei,* etc.

« *Magnificate Dominum mecum.* » Hic 4
tangitur quarta conditio, quia communiter : et tangitur primo congregatio, vel communitas quasi loci. Secundo, modi. Si enim in uno loco multi laudarent, et diversi diversa dicerent simul, confusi essent, ibi, « *Et exaltemus.* »

Laudandus Deus a tota communitate.

Ait ergo : Sic est laudandus incessanter, humiliter, et suaviter, et communiter. « *Magnificate Dominum mecum.* » Invitat illos ad cantandum, et magnificandum. Exod. xxvi, 1 et seq.: Cortina cortinam trahat. Apocal. xxii, 17 : *Qui audit, dicat : Veni.* Bene autem invitat qui se non subtrahit, sed magis antecedit, aliter parum valeret, sicut cantores qui alios invitant ad cantandum, et ipsi stant muti. Gregorins : « Loquentis « auctoritas perditur cum vox non juva- « tur. » Notatur etiam laudati magnitudo, quia alios invitat. Quasi diceret : Tantus est quod mihi et vobis bene sufficeret. Amator temporalium quod amat, aliquando non laudat, sed magis vituperat, ut alii dimittant ei. Prov. xx, 14 : *Malum est, malum est, dicit omnis emptor : et cum recesserit, tunc gloriabitur.* Sed si mille Deum fuerint amplexati, bene locum invenient in illo. Augustinus in libro *Confessionum :* « Non enim si amplexus il- « lum fuero, alius non habebit ubi manum « ponat. » Latitudo tanta est, ut eum omnes animæ amplexentur. Psal. xlvii, 2 : *Magnus Dominus et laudabilis nimis, et magnitudinis ejus non est finis.* Magnificatur autem Deus, Christus scilicet,

cum ille qui prius non erat membrum ejus, fit ejus membrum. I ad Corinth. vi, 15 : *Nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi ?* Sed multi minorant eum, et magnificant meretrices, quia seipsos tollunt a Christo, et uniunt se ipsis. I Cor. vi, 16 : *An nescitis, quoniam qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur?* Mecum ergo, qui in Christo sum, magnificate : quia si non estis in Christo, mecum non estis. Eccli. xiii, 22 : *Quæ communicatio sancto homini*, qui est in Christo, *ad canem ?*

« *Et exaltemus nomen ejus,* » non in aliud, sed «*in idipsum,*» ut concordes simus anima in exaltando. Unde Augustinus habet, « In unum, » contra Schismaticos, et varia prædicantes ab iis, quæ tenet Ecclesia : et contra discordantes in cantu in Ecclesia. I ad Corinth. i, 10 : *Obsecro vos, fratres, per nomen Domini nostri Jesu Christi : ut idipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata.* Vel notatur tempus exaltationis. Quasi diceret : Exaltare nec potestis plusquam in idipsum. Eccli. xliii, 33 : *Exaltate illum quantum potestis : major enim est omni laude.* Et nota, quod hi tres versus dicuntur in gratiarum actione post mensam, ut ostendatur, quod pro omnibus beneficiis Deo sunt gratiæ referendæ. I ad Thess. v, 18 : *In omnibus gratias agite : hæc est enim voluntas Dei in Christo Jesu in omnibus vobis.* Et dicit Augustinus : « Turpissimum est Christiano sic surgere a mensa, sicut bos a præsepio, etc. »

Laudandus Deus ob ejus liberalitatem et nostram utilitatem.

Deus semper laudandus ratione liberalitatis suæ. Augustinus : « Omni momento me obligat, qui omni momento beneficium mihi præstat. » Dat autem nobis continue ad minus tempus in quo laudamus, et anhelitum in quo laudamus. Isa. xlii, 5 : *Dominus... firmans terram, et quæ germinant in ea : dans flatum populo, qui est super eam.* Bonus, qui tempus ab ævo ire jubet. Ratione nostræ utilitatis : quia modicus labor, et fructus magnus est. Laudare enim est loqui : ita autem facile est loqui, quod vix potest lingua refrænari. Jacob. iii, 8 : *Linguam nullus hominum domare potest.* Et fructus maximus, Psalm. xxxvi, 9 : *Sustinentes Dominum, ipsi hæreditabunt terram,* scilicet viventium. Si ergo proter lucrum temporale non cessat homo a labore, quanto magis ratione voluptatis, seu suavitatis, quæ etiam in hoc tanta est aliquando, ut etiam lacrymæ exeant. Augustinus in lib. *Confessionum* : « Quantum flevi in hymnis et canticis suave sonantis Ecclesiæ. Voces illæ influebant auribus meis, et æstuabat in me affectus pietatis, et currebant lacrymæ, et bene mihi erat cum illis. » Ratione vitandæ damnationis, semper enim debemus laudare quantum possumus. Eccli. xliii, 33 : *Benedicentes Dominum, exaltate illum quantum potestis : major enim est omni laude.* Alioqui moriemur debitores merentes maledictionem. Augustinus in lib. *Confessionum* : « Væ tacentibus de te, quia loquaces muti sunt. » Propter hoc, Tob. iv, 20 : *Omni tempore benedic Deum.* Eccli. li, 15 : *Laudabo nomen tuum assidue.*

Lib. ix, c. 6.

Lib. i, c. 4.

« *Exquisivi Dominum.* » Hic secundum hujus partis, in quo ut alliciat ad quod monet, ostendit fructum laudandi, et quærendi Deum in orationibus. Duo ergo dicuntur. Primo, perfecta exquisitio Dei. Secundo, fructus sequens ex illa, ibi, *Et exaudivit.* » Primo, in generali. Secundo, specificat, ibi, « *Et in omnibus tribulationibus.* » 5

Dicit ergo : Sic mones ut laudetis, et justum est, et utile, quia « *exquisivi Dominum,* » perfecte quæsivi Dominum. Psal. lxxvi, 3 : *Dominum exquisivi manibus meis.* Sap. viii, 2 : *Hanc amavi, et exquisivi a juventute mea.* Exquiritur autem, id est, perfecte quæritur, quando debito tempore quæritur, scilicet ante mortem, non in morte, nec post mortem. Isa. lv, 6 : *Quærite Dominum dum inveniri potest, invocate eum dum prope est.* Eccli. v, 8 : *Non tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem.*

Et in loco suo, non extra, scilicet in mundi vanitate, Job, xxviii, 14 : *Mare*, mundus scilicet, *loquitur : Non est mecum*. Nec interius in carnis voluptate, Job, xxviii 13 : *Nec invenitur in terra suaviter viventium*. Sed interius in intimo cordis invenietur. Ad Ephes. iii, 16 : *Det vobis... in interiorem hominem, Christum habitare per fidem in cordibus vestris*.

Quærendus Deus diligenter, solus et continuo.

Item, modo debito, scilicet diligenter, Jer. xxix, 13 : *Quæretis me, et invenietis : cum quæsieritis in toto corde vestro*. Singulariter, ut nihil aliud quæratur cum eo, III Reg. xviii, 21 : *Usquequo claudicatis in duas partes ? si Dominus est Deus, sequimini eum*. Et perseveranter, Psal. civ, 4 : *Quærite Dominum, et confirmamini, quærite faciem ejus semper*.

« *Et exaudivit me.* » Hic determinat in quo, in malis scilicet amovendis. « *Et ex omnibus tribulationibus meis eripuit me :* » præteritum pro futuro, id est, eripiet in futuro. Job, v, 19 : *In sex tribulationibus liberabit te, et in septima non tanget te malum*. Vel posset dici de præterito : Eripuit de tribulationibus in mitigando. Daniel. iii, 50 : *Fecit medium fornacis, quasi ventum roris flantem*. Vel patientiam præstando, quod est optimum liberandi genus. Gregorius : « Melius li« berat, qui patientiam dat. » Prov. xvi, 32 : *Melior est patiens viro forti*. Et in ipsis tribulationibus roborando. Psal. lix, 13 : *Da nobis auxilium de tribulatione*. Auxilium datur, cum ipse tribulatus ex tribulatione proficit et roboratur.

6

Secunda pars Psalmi : De præparatione ad Eucharistiam.

« *Accedite ad eum.* » Hic secunda pars Psalmi, in qua agitur de Eucharistiæ sumptione. Et primo, de præparatione. Secundo, de sumptione post præparationem, ibi, « *Gustave, et videte.* » Tertio, monet tota cordis intentione in Deum tendere, qui in sacramento sumptus est, ibi, « *Beatus vir.* »

In prima duo. Primo, monet ad præparationem quæ est per accessum. Secundo, ostendit utilitatem sic se præparandi, ibi, « *Et illuminamini.* »

Dicit ergo : Sic benedicatis Deum dictis modis, et post hoc, « *accedite ad eum,* » vos ipsos præparando ad dignam sacramenti sumptionem. Et est bonus ordo : non enim debet accedere quis ad hanc mensam, nisi in lætitia et exsultatione spirituali. Psal. xli, 5 : *In voce exsultationis et confessionis, sonus epulantis*. Accedite ergo pede intellectus, veraciter credendo, Ad Hebr. xi, 6 : *Credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, et inquirentibus se remunerator sit*. Et affectu dulciter diligendo, Augustinus : « Pedes tui charitas tua. » Ad Hebr. x, 22 : *Accedamus ad eum cum vero corde*.

« *Et illuminamini.* » Hic subjungit accessus duplicem utilitatem : collationem boni primo. Secundo, ablationem mali, ibi, « *Et facies vestræ.* »

Dicit ergo : Sic « *accedite, et illuminamini.* » Hæc enim charitas. Accessum ad charitatis Sacramentum sequitur illuminatio. Eccli. ii, 10 : *Qui timetis Dominum, diligite illum, et illuminabuntur corda vestra*. Isa. lx, 1 : *Surge, illuminare Jerusalem*.

« *Et facies vestræ.* » Hic amotionem mali. Primo, confusionis. Secundo, tribulationis, ibi, « *Iste pauper*.

Ait ergo : « *Et facies vestræ,* » sic illuminatæ, « *non confundentur,* » sed magis infundentur omni dulcedine et gaudio. Isa. xxviii, 16, secundum literam aliam : Omnis qui credit in eum, non confundetur, nimirum in futuro [1]. Psal. xxxvi, 19 : *Non confundentur in tempore malo*, quando mali cogentur confiteri et clamare : *Vastati sumus*, et confusi vehementer [2].

1 Vulg. habet, Isa. xxviii, 16 : *Qui crediderit, non festinet.*

2 Jerem. iv, 13.

Eucharistia a malo liberat.

7 « *Iste pauper clamavit.* » Hic subjungitur fructus qui est in ablatione mali. Dicuntur autem duo. Primo, ostendit se accedentem ad ipsum liberatum. Secundo, ostendit liberationis modum, ibi, « *Immittet Angelus Domini.* »

In prima duo. Primo, quod accessit orando. Secundo, quod exauditus fuit, ibi, « *Et Dominus exaudivit.* »

Dicit ergo : Sic non confundetur accedens, et se præparans : imo et tribulatione liberabitur, et hoc scio, quia « *iste pauper,* » qui loquitur, ego ipse, vel Christus, vel quodlibet membrum Christi, « *clamavit.* » Dicit Cassiodorus, quod « dicendo, « *Iste*, pauperem spiritualem designavit, « qui non tantum opibus, sed et vitiis va- « cuatur. In hoc autem quod dicitur, *Cla-* « *mavit,* fervor orationis intelligitur. » Duo ergo tanguntur. Quomodo Deus non repellit spiritualem paupertatem, et ferventem orationem. Psal. IX, 13 : *Non est oblitus clamorem pauperum.* Augustinus in *Glossa* : « Exaudieris si fueris pauper « spiritu. Dives non auditur. »

« *Et Dominus exaudivit.* » Hic subjungitur exauditio. Et primo, asserit se exauditum. Secundo, specificat in quo, ibi, « *Et de omnibus.* »

Dicit ergo : Sic clamavit, « *et Dominus exaudivit eum,* » in præsenti, et in hoc, quod « *de omnibus tribulationibus ejus salvavit eum,* » et salvabit in futuro : sed propter certitudinem reputandum est factum. Ex hoc patet, quod plane via contraria incedunt divites, et pauperes : quia pauperes vadunt de tribulationibus in exsultationem, divites autem de exsultatione in tribulationem, sicut hic dives, qui epulabatur quotidie splendide, et induebatur bysso et purpura, sepultus est in infernum [1]. Proverb. XXII, 2 : *Dives et pauper obviaverunt sibi.* Luc. XVI, 25 : *Fili, recordare quia recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala : nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris.* Iste pauper, Christus : pauper enim fuit. Eccle. IX, 15 : *Inventus est in ea vir pauper et sapiens, et liberavit urbem per sapientiam suam.* II ad Corinth. VIII, 9 : *Quoniam propter vos egenus factus est, cum esset dives.* « *Iste pauper,* » antonomastice, quia super omnes pauper. Luc. IX, 58 : *Vulpes foveas habent, et volucres cœli nidos ; filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.* Ergo iste pauper clamavit in cruce, Ad Hebr. V, 7 : *Cum clamore valido et lacrymis,* etc. Et exauditus est et liberatus est ab omni tribulatione et morte, et in gloria resuscitatus. Ad Roman. VI, 9 : *Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur,* etc.

« *Immittet Angelus Domini.* » Hic se- 8
cundum, in quo ostendit liberationis modum, per Angelum immittentem consolationem interius, et exterius conservantem. Duo ergo dicuntur. Primo, immissio interius, et exterior conservatio. Secundo, fructus seu effectus consolationis immissæ, et conservationis, ibi, « *Et eripiet.* »

Custodia Angeli tutelaris.

Ait enim : Sic dixi, quod pauper clamavit et liberatus est, quia, « *Angelus Domini,* » bonus, « *immittit,* » id est, immissionem facit, « *in circuitu,* » ad tuitionem ejus qui sibi est commendatus. Daniel. X, 13 : *Ecce Michael unus de principibus primis venit in adjutorium mihi.* Vel immittit, id est, intus mittit consolationem, dulciter alloquendo et consolando. Joan. III, 8 : *Spiritus ubi vult spirat : et vocem ejus audis, sed nescis unde veniat, aut quo vadat.* Et sic custodit contra tentationem interiorem. « *In circuitu timentium* » existens, contra tentationem exteriorem. Psal. XC, 11 : *Angelis suis Deus mandavit de te,* etc. Ex vitæ ergo merito vallantur Angelorum præ-

[1] Cf. Luc. XVI, 19 et seq.

sidio, qui cordis puritate timent Deum. Ad Hebr. I, 14 : *Omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capient salutis.* Propter hoc bene dicitur, Eccli. XXXIV, 16 : *Qui timet Dominum, nihil trepidabit.* « *Et eripiet eos,* » de omni malo, tam interiori quam exteriori. Baruch, IV, 29 : *Qui induxit vobis mala, ipse rursum adducet vobis sempiternam jucunditatem cum salute vestra.*

Legitur et de Christo, qui Angelus dicitur. Isa. IX, 6, secundum litteram aliam : « Vocabitur nomen ejus magni consilii Angelus [1]. » Iste immittit in circuitu timentium se sicut custos castri, spicula et lapides, ad terrendum hostes. IV Reg. VII, 6 et 7 : *Dominus sonitum audiri fecerat in castris Syriæ, curruum, et equorum et exercitus plurimi... Surrexerunt ergo et fugerunt in tenebris, et dereliquerunt tentoria sua,... animas tantum suas salvare cupientes.*

Tertio modo lege sic : Angelus enim est Prælatus. Mal. II, 7 : *Angelus enim Domini exercituum est,* qui debet mittere in circuitu Ecclesiæ suæ jacula, de quibus in Psal. LIV, 22 : *Molliti sunt sermones ejus super oleum, et ipsi sunt jacula,* quibus interficiat inimicos, peccata scilicet, quæ sunt inimici. Prov. XIII, 21 : *Peccatores persequitur malum,* nec tantum magnos hostes, scilicet magna peccata, sed etiam parvos. Isa. XIII, 18 : *Sagittis parvulos interficient.*

9 Communio ore et corde facienda.

« *Gustate, et videte.* » Hic secundum, in quo postquam monuit ad præparationem, monet ad sumptionem : et tanguntur tria. Primo, monet ut sumatur ore. Secundo, ut corde, ibi, « *Et videte.* » Tertio, subjungitur causa quare, ibi, « *Quam suavis est Dominus.* »

Ait ergo : Sic vos præparate, et postea gustate ore, ad litteram, species panis et vini sumite, sub quibus est verum corpus Christi. Vel melius : corde gustate, potius palato cordis, quam oris. Gregorius : « Cibum vitæ ex palato cordis tangite. « Habet enim cor os suum. » Eccli. XXI, 29 : *In corde sapientium os illorum est.* Et post gustum, « *videte* » oculis cordis, « *quam suavis est Dominus,* » quem sumitis sub illis speciebus. Sapient. XII, 1 : *O quam bonus et suavis est, Domine, spiritus tuus,* spiritualis scilicet cibus tuus in nobis ! Proverb. XXXI, 18 : *Gustavit et vidit quia bona est negtiaatio ejus.* Sed quid est quod dicitur, « *Gustate, et videte ?* » Numquid non prius est videre cibum, et postea sumere ? Quis umquam comedit, quod prius non viderit ? Resp. In cibo medicinali aliter fit quam in alio : occultatur enim ne videatur. Sed postquam sumptus est, tunc sentitur, et sic quodam modo videtur. Sic fit in medicinali cibo spirituali : sicut nebula nobis datur in occulto, sed ejus effectus postmodum bene sentitur, et sic videtur. Eccli. XLIII, 24 : *Medicina omnium in festinatione nebulæ.* Item, hic cibus est lux. I Joan. I, 5 : *Deus lux est, et tenebræ in eo non sunt ullæ.* Sed hæc lux occultatur sub panis specie, et propter hoc oportet comminuere, et consumere panis speciem, ut lux videatur intus latens. Hinc est ergo, quod prius sumitur quam videatur. I Reg. XIV, 29 : *Vidistis ipsi quia illuminati sunt oculi mei, eo quod gustaverim paululum de melle isto.* Luc. XXIV, 35 : *Cognoverunt eum in fractione panis.* Et nota, quod dicit Glossa : « *Ego* « *sum via, et veritas, et vita* (Joan. XIV, 6) : « Accede ergo ad viam, vide veritatem, « et gusta vitam. » Item, nota Glossam : « Quia Deus est vita, et caro quam sibi « univit, est vivificatrix. » Joan. VI, 58 : *Qui manducat me, et ipse vivet propter me.*

Ordo præposterus mysterium docet. Prius Eucharistia gustatur quam videatur.

[1] Vulg. habet : Isa. IX, 6 : *Et vocabitur nomen ejus, Admirabilis, Consiliarius,* etc.

« *Beatus vir qui sperat.* » Hic tertium, in quo postquam monuit ad præparationem, et ad corporis Christi sumptionem secundo, hic tertio monet, ut totam cordis intentionem in illud convertant. Primo ergo, quod concupiscibilis, sperando. Secundo, quod irascibilis, reverendo, ibi, « *Timete Dominum.* » Tertio, quod rationabilis, inquirendo, ibi, « *Divites.* »

Dicit ergo : Sic vos præparate, sic sumite, et in ipsum tota concupiscibili tendite, quia « *beatus vir qui sperat in eo,* » supple, cibo. Isa. XXX, 15 : *In silentio et spe erit fortitudo vestra.* In eodem, XXX, 18 : *Beati omnes qui exspectant Dominum.* Thren. III, 24 : *Pars mea Dominus, dixit anima mea : propterea exspectabo eum.* Si quis sperat in illo cibo quem sperat, beatus : maledictus et infelix, qui in ipso non sperat, nec se præparat ut tempore debito sumat.

10 « *Timete Dominum.* » Hic secundum, in quo monet ad timorem, ut sic irascibilis intendat in Deum. Et primo, monet ad timorem. Secundo, subjungit rationem quare timendus Dominus sit, ibi, « *Quoniam non est inopia.* »

Dicit ergo : Sic beatus qui sperat : « *Et vos omnes sancti ejus,* » cibo suo sacratissimo sacrificati, « *timete Dominum,* » quia Eccli. XXVII, 4 : *Si non in timore Domini tenueris te instanter, cito subvertetur domus tua.* Omnes quantumcumque perfecti. Quis enim perfectior beato Job ? qui timebat dicens, IX, 28 : *Verebar omnia opera mea, sciens quod non parceret delinquenti.* Et XXXI, 23 : *Semper quasi tumentes super me fluctus timui Deum.* Proverb. XXVIII, 14 : *Beatus homo qui semper est pavidus.* Et est hoc contra præsumentes tempore Paschali, et torpentes : credunt enim se esse securos. Ad Thessal. V, 3 : *Cum dixerint pax, et securitas : tunc repentinus eis superveniet interitus,* culpæ scilicet.

« *Quoniam non est inopia.* » Augustinus sic continuat : « Si timens, non fraudor : si nec fraudo, certus sum quoniam « vivam. Timete secure, « *quoniam non est inopia timentibus eum.* » Et bene dicitur : quia qui timet, non facit fraudem. Proverb. XVI, 6 : *In timore Domini declinatur a malo.* Sed si non fraudant, non habent unde vivant. Augustinus : « Non « potest ars sine impostura, nec nego« tium esse sine fraude. » Respondet Augustinus : « Pascit Dominus deseren« tes se, imo certe impugnantes se, et « contemneret timentes ? » Quasi diceret : Numquam. Matth. VI, 26 : *Respicite volatilia cœli, quoniam non serunt, neque metunt, nec congregant in horrea : et Pater vester cœlestis pascit illa.* Eccli. XL, 27 : *Non est in timore Domini minoratio.* Et nota, quod non dicit, quod sit illis nimia copia, sed quod non sit illis defectus necessariorum, victus scilicet et vestitus, quæ determinat Apostolus, I ad Timoth. VI, 8 : *Habentes alimenta, et quibus tegamur,* etc.

« *Divites eguerunt.* » Hic tertium, in 11
quo monet rationabilem non occupari in terrenis, sed in inquisitione Dei. Duo ergo dicuntur. Primo, monet ut non occupetur ratio in acquirendis divitiis. Secundo, quod occupetur in quærendo Deum, ibi, « *Inquirentes autem Dominum.* »

Dicit ergo : Sic timete Dominum, et rationabilem non occupate in quærendis divitiis : quia « *divites,* etc. » Vel sic : Non est inopia timentibus eum, « *autem* » pro sed, « *divites eguerunt,* » his quæ non habent, illa semper desiderantes. Eccle. V, 9 : *Avarus non implebitur pecunia.* « *Et esurierunt,* » non audentes tangere Inopia divitum duplex.
illa quæ habent. Luc. I, 53 : *Divites dimisit inanes.* Proverb. III, 33 : *Egestas a Domino in domo impii.* Sed hoc aliquando contingit : tamen quia frequenter videmus divites usque ad mortem abundare, et frui divitiis suis, sicut fa-

ctum est in divite epulone [1], propter hoc aliter legatur, et dicatur : « *Divites,* » divitiis spiritualibus « *eguerunt,* » quibus replentur Sancti. Eccli. XLIV, 6 : *Homines divites in virtute.* Proverb. XIII, 7 : *Est quasi dives,* divitiis temporalibus, *cum nihil habeat,* divitiarum spiritualium. « *Et esurierunt,* » carentes illo cœlesti pane, de quo supra, « *Gustate, et videte,* etc. » Quia etsi sacramentaliter accipiant, non tamen reficiuntur spiritualiter. Supra, Psal. XXI, 27 : *Edent pauperes, et saturabuntur.* Isa. LVIII, 7 : *Frange esurienti panem tuum,* non abundanti. Vel sic : « *Divites,* » divitiis temporalibus, « *eguerunt,* » id est, egebunt in futuro summo bono, quando dicetur eis illud Matth. XXV, 41 : *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum.* « *Et esurierunt,* » id est, esurient eum, quem sitiunt et desiderant omnes creaturæ rationabiles. Agg. II, 8 : *Veniet desideratus cunctis gentibus.*

« *Inquirentes autem Dominum.* » Quasi diceret : Non quæratis bona temporalia, sed Deum tota rationabilis intentione, quia, « *inquirentes Dominum* » intus in corde, et ex toto corde quærentes, secundum illud Psal. CXVIII, 10 : *In toto corde meo exquisivi te,* « *non minuentur omni bono,* » id est, non minus habebunt quam omne bonum : quia illud unum habebunt in quo est omne bonum.
In Deo omne bonum. Cassiodorus : « Unus est qui quæritur, « sed in quo omnia continentur. O lucrum mirabile ! o compendium singulare ! cur nos per diversa fatigemus ? » Sap. VII, 11 : *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa,* quippe quia illa est omne bonum. Exod. XXXIII, 19 : *Ego ostendam omne bonum tibi.* Proverb. X, 24 : *Desiderium suum justis dabitur.* Sed quod est illud, in cap. XI, 23, dicitur : *Desiderium justorum omne bonum est.*

« *Venite, filii, audite me.* » Hic est tertia pars Psalmi, in qua agitur de populi informatione post divinam laudem, et sacramenti sumptionem. Et primo, informandorum advocatio. Secundo, instructio advocatorum, ibi, « *Quis est homo.* » 12
Tertia pars Psalmi : Instructio.

In prima tria. Primo, advocat. Secundo, excitat ad audientiam, ibi, « *Audite me.* » Tertio, determinat quid proponat docere, ibi, « *Timorem Domini docebo vos.* »

Dicit ergo : Sic monui ad timorem, sed forte nescitis quid sit, nec quomodo haberi possit : propter hoc clamo : « *O filii, venite ad me.* » Vel secundum Augustinum : « Postquam locutus est in timore existentibus, et eos instruxit de « sacramento altaris, nunc advocat illos « qui sunt adhuc extra Ecclesiam, quales sunt Cathecumeni. « *O filii, venite.* » Mos est propheticus auditores vocare filios. Matth. XI, 28 : *Venite ad me omnes qui laboratis, et onerati estis.*

Nec mirum : in his enim verbis, omnium hominum Pater loquebatur. Cassiodorus : « Vox paterna sonat, ut ultro dicentem audiamus, quem tacentem exquirere deberemus. Si loquentem in Prophetis, quanto magis in proprio Filio, et per Filium proprium nos « instruentem audire debemus ? » Luc. X, 24 : *Multi Prophetæ et reges voluerunt videre quæ vos videtis, et non viderunt,* etc. Ad Hebr. I, 2 : *Novissime diebus istis locutus est nobis in Filio.*

« *Audite me,* » ut sapientiores sitis. Proverb. I, 5 : *Audiens sapiens, sapientior erit.* Proverb. IV, 1 : *Audite, filii, disciplinam patris.* Sed quid docebis ? « *Docebo vos* » filios, rem utilem, quia Pater sum, et vos filii, Isa. XLVIII, 17 : *Ego Dominus Deus tuus, docens te utilia.* Primum autem horum timor, unde, « *timorem Domini docebo vos.* » Eccli. I,

[1] Luc. XVI, 19 et seq.

16 : *Initium sapientiæ, timor Domini.* Non autem docebo vos servilem tantum, quia filii estis, sed filialem, de quo Eccli. XXIII, 37 : *Nihil est melius quam timor Dei.*

Discipuli sunt filii.

Et nota, quod bene discipulos dicit filios. Primo ratione nominis, quia secundum Augustinum, « Filius dicitur « quia fit ut ille, et ita sonat assimilatio« nem. Et discipulus debet assimilari « Doctori. » Luc. VI, 40 : *Perfectus omnis erit, si sit sicut magister ejus.* Secundo, ratione acceptæ informationis : non enim accipit discipulus a magistro semen fætidum et corruptibile, sed nobile et spirituale, de quo Luc. VIII, 11 : *Semen est verbum Dei.* Ergo multo fortius filius dicendus est, quam ille. I ad Corinth. IV, 15 : *In Christo Jesu per Evangelium ego vos genui.* Tertio, ratione reddendi debiti honoris quem debet Magistro et Doctori tamquam patri. Malach, I, 6 : *Si Dominus ego sum, ubi est timor meus ?* Eccli. LI, 23 : *Danti mihi sapientiam dabo gloriam.* Secundum autem Augustinum, vox est Christi clamantis ad homines. Proverb. VIII, 4 : *O viri, ad vos clamito, et vox mea ad filios hominum,* non ad Angelos. Sed tria sunt quæ impediunt audire Magistrum. Elongatio in superbis, Eccli. XV, 7 : *Longe enim abest a superbia et dolo.* Propter hoc dicitur de superbo, I ad Tim. VI, 4 : *Superbus est nihil sciens.* In carnalibus, tumultuatio carnalium cogitationum, et motuum. Proverb. XX, 1 : *Tumultuosa ebrietas : quicumque his delectatur, non erit sapiens :* quia Eccle. IX, 17 : *Verba sapientium audiuntur in silentio.* In avaris, aurium obturatio. Psal. LVII, 5 : *Furor illis secundum similitudinem serpentis : sicut aspidis surdæ, et obturantis aures suas.* Avarus enim obturat aures terrenis, ne vocem audiat Salvatoris.

Tria instructionis impedimenta.

13

Instruit de merito et præmio.

« *Quis est homo qui vult vitam.* » Hic secundum, in quo subjungitur promissa instructio, et primo de meritis. Secundo, de præmiis retribuendis per illa, ibi, « *Oculi Domini super justos.* »

In prima duo. Primo, de merito oris. Secundo, operis, ibi, « *Declina a malo.* »

Sed quia valde difficilis oris custodia, duo dicuntur in prima parte. Primo, quærendo innuit quantum sit præmium. Secundo, subjungit meritum refrænationis linguæ et custodiæ, ibi, « *Prohibe linguam.* »

Præmium duplex tangit, vitam, et prosperitatem in vita, ibi, « *Diligit dies.* »

Dicit ergo : « *Timorem Domini docebo vos,* » in quo est vita. Prov. XIV, 27 : *Timor Domini, fons vitæ,* quod sic ostendo : « *Quis est homo qui vult vitam ?* » non præsentem, quæ quotidie et continue præterit, I Joan. II, 17 : *Et mundus transit, et concupiscentia ejus.* Imo, quæ mors est, II Reg. XIV, 14 : *Omnes morimur, et quasi aquæ dilabimur super terram, quæ non revertuntur.* Sed æternam de qua pluries. Vita quæ non alteratur, nec deficit : sed pauci sunt qui quærant illam. Cassiodorus : « Utinam « vitam æternam sic quæreremus, sicut « in ista temporalia corda defigimus. » « *Diligit dies videre bonos,* » omni scilicet prosperitate plenissimos, quales non sunt hic, quia tantum mali. Ad Ephes. V, 16 : *Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt.* Sed in patria sunt dies boni, omni suavitate et prosperitate plenissimi. Psal. LXXXIII, 11 : *Melior est dies una in atriis tuis super millia.* Augustinus de *Libero arbitrio* : « Tanta est jucunditas « lucis æternæ, quod etiamsi non liceret « amplius in ea quam una die manere, « propter hoc solum innumerabiles anni « hujus vitæ pleni deliciis, pleni et af« fluentia bonorum temporalium, jure « merito contemnerentur. » Stultus valde est qui hic quærit dies bonos, quia Dominus et Creator dierum non habuit. Augustinus : « Non irascantur servi, « quia ipse Dominus non habuit dies « bonos. » Proverb. XV, 15 : *Omnes dies hominis pauperis,* id est, Christi, *mali.*

Sed, Joan. xiii, 16, dicitur : *Non est servus major Domino suo.*

14 « *Prohibe linguam tuam.*» Hic secundum, in quo subjungit de merito quo pervenitur ad hæc bona, quod est oris refrænatio, et tangitur duplex. Primo, refrænatio a verborum malitia. Secundo, a verborum fraudulentia, ibi, « *Et labia tua.* »

Dicit ergo : Si velis et desideres, ecce quo merito habere poteris : « *Prohibe linguam tuam a malo,* » quia, Proverb. xviii, 21 : *Mors et vita in manu linguæ.* Ad Ephes. iv, 29 : *Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat.* Nec tantum a malo culpæ, sed etiam pœnæ. Ipsa enim mala verba quæ procedunt de lingua tamquam fœtore plena, corrumpunt audientes. I ad Corinth. xv, 33 : *Corrumpunt mores bonos colloquia mala.* Non habitares libenter cum leproso, qui te corrumperet anhelitu suo, quare nec cum illo qui profert mala verba. Jerem. ix, 8 : *Sagitta vulnerans lingua eorum.*

« *Et labia tua ne loquantur dolum,* » bonum scilicet dolose, et mala intentione. Eccli. xii, 15 : *In labiis suis indulcat inimicus.* Cassiodorus : « Dolus est « quando fallimus audientem, ut quod « creditur ad auxilium, inferat incommodum. » Eccli. xii, 18 : *Quasi adjuvans, suffodiet plantas tuas.* Et certo ordine : Primo, dicit : *Prohibe linguam :* deinde *labia* : quia Cassiodorus dicit : « Labia « linguæ motum protinus sequuntur, et « quasi quadam harmonia sociata ambo- « rum modulamine humanus sermo pera- « gitur. » Sed videtur præcipere impossibile. Jacob. iii, 8 : *Linguam nullus hominum domare potest : inquietum malum, plena veneno mortifero.* Resp. Nemo potest ex natura, potest tamen ex gratia. Unde a Deo petit hoc alibi, Psal. cxl, 3 : *Pone, Domine, custodiam ori meo.* Et Eccli. xxii, 33 : *Quis dabi ori meo custodiam, et super labia mea signaculum certum?* Et sequitur, xxiii, 1 : *Domine pater, et dominator vitæ meæ.* Propter hanc difficultatem veniendi ad vitam dicebat Dominus, Matth. vii, 14 : *Arcta est via quæ ducit ad vitam, et pauci,* etc.

« *Diverte a malo.* » Hic secundum, in quo primo monet ad vitanda mala. Secundo, ad facienda bona, ibi, « *Et fac bonum.* » Tertio, ad intentionem rectam in utroque, ibi, « *Inquire pacem.* » 15

Dicit ergo : Sic quantum ad os, et etiam « *diverte a malo* » in opere. Augustinus habet, « Declina, » et recte. Bene autem docet, in hoc quod timoris est. Prov. xvi, 6 : *In timore Domini declinatur a malo.* Isa. i, 16 : *Quiescite agere perverse.* Proverb. iv, 27 : *Averte pedem tuum a malo.* Sed quia hoc parum esset, addit : « *Et fac bonum.* » Eccli. xxxviii, 10, postquam dixit : *Averte a delicto,* statim addidit : *Et dirige manus.* Fac ergo bonum opus aliis subveniendo. Isa. lviii, 7 : *Frange esurienti panem tuum.* Et hoc timoris est. Eccli. xv, 1 : *Qui timet Deum, faciet bona.* Matth. iii, 10 : *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur.* Vel sic potest legi : « *Diverte a malo,* » in teipso ipsum destruendo per contritionem, et oris confessionem : « *Et fac bonum,* » per satisfactionem. Isa. lv, 7 : *Derelinquat impius viam suam, et vir iniquus cogitationes suas,* quantum ad primum, *et revertatur ad Dominum,* quantum ad secundum.

« *Inquire pacem.* » Hic monet ad rectam intentionem, et primo ad intentionem etiam rectam. Secundo, ad perfectionem intentionis, ibi, « *Et persequere.* »

Ait ergo : Sic declina, fac bona, et in his inquire pacem in teipso, ut assequi possis pacem inter spiritum tuum, et carnem, quia Apostolus ad Galat. v, 17 : *Caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem :* ut sis in illo statu de quo Job, v, 24 : *Scies quod pacem ha-*

beat tabernaculum tuum. Et optime post justitiam sequitur hæc pax, quia Isa. XXXII, 17 : *Opus justitiæ pax.*

« *Et persequere eam.* » Perfecte sequere, quia multum fugitiva a nobis, quamdiu sumus in hac misera vita. Mich. II, 10 : *Surgite et ite, quia non habetis hic requiem.* Ergo « *persequere* » eam usque in cœlum, ibi invenies eam. Isa. XXXII, 18 : *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis.* Vel de increata, inquire pacem in omnibus illis, scilicet Christum, de quo ad Ephes. II, 14 : *Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum.* Hanc inquire, intente quære. Cassiodorus : « Quæramus intenti, quia illic eam « invenire non possumus, nisi hic dili- « genter eam quæsierimus. » Isa. XXIX, 13 : *Quæretis me, et invenietis cum quæsieritis me in toto corde vestro.* Et quia Christum perfecte hic habere non poteris, persequere eum usque in cœlum ubi est. Ad Colos. III, 1 : *Christus est in dextera Dei sedens.* Quid dicam ? Non in inferno, quia ibi non est. Augustinus in libro de *Civitate Dei :* « Pax « est tranquillitas cordis. » Sed Job, X, 22 : *Ubi umbra mortis, et nullus ordo.* Nec in mundo, quia nec ibi est. Mich. VII, 6 : *Filius contumeliam facit patri, et filia consurgit adversus matrem suam : quoniam pax ablata est de terra.* Unde Apoc. VI, 4 : *Datum est ei ut sumeret pacem de terra.* Sed in cœlo, ubi est. Job, XXV, 2 : *Qui facit concordiam in sublimibus suis.* Baruch, III, 14 : *Ut scias simul, ubi longiturnitas vitæ, et pax.* Sed qualiter ? Diligenter, Ad Ephes. IV, 3 : *Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis.* Et perseveranter, Isa. XXI, 10 : *Si quæritis, quærite.* Universaliter, Ad Rom. XII, 18 : *Quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes.* Primum notatur in hoc quod dicit, « *Inquire.* » Secundum, in hoc quod dicit, « *Persequere.* » Tertium, in hoc quod sine omni determinatione dicit, « *Inquire pacem.* »

« *Oculi Domini super justos.* » Hic **16**
instruit de meritorum retributionibus. De *Hic instruit de præmio.*
iis determinatur tripliciter, et quantum ad bonos, et quantum ad malos. Primo, respectu divinæ notitiæ. Secundo, respectu pœnæ, ibi, « *Clamaverunt justi.* » Tertio, respectu culpæ, ibi, « *Qui oderunt justum.* »

In prima duo. Primo, de retributione bonorum quantum ad notitiam. Secundo, malorum, ibi, « *Vultus autem Domini.* »

In prima duo. Primo, tangit notitiam quoad facta. Secundo, quoad dicta seu petita, ibi, « *Et aures.* »

Dicit ergo : Sic pacem inquire et persequere recta intentione, malum deserens et bonum faciens : quia « *oculi Domini,* » id est, notitia cum misericordia, « *super justos.* » Sap. IV, 15 : *Gratia Dei et misericordia est in sanctos ejus, et respectus in electos illius.* Hieronymus : « Pietatis inspectione eos jugiter contem- « platur, et dat fortitudinem faciendi bo- « num, et persequendi pacem. » II Paral. XVI, 9 : *Oculi Domini contemplantur universam terram, et præbent fortitudinem.* Eccli. XV, 20 : *Oculi Domini ad timentes eum.* Zachar. XII, 4 : *Super domum Juda aperiam oculos meos.*

Nec tantum cognoscit facta, imo et « *aures ejus ad preces eorum.* » Ad preces, ut notetur velocitas exaudiendi, quia adhuc durantibus precibus, audit. Isa. LXV, 24 : *Adhuc illis loquentibus, ego exaudiam.* Tob. III, 24 : *Exauditæ sunt preces amborum in conspectu gloriæ summi Dei.* Psal. XXI, 25 : *Et cum clamarem ad eum, exaudivit me.* Sed numquid semper liberat clamantem statim ? Non, quia non expedit, sicut in Paulo patuit, II ad Corinth. XII, 8 : *Ter rogavi Dominum ut discederet a me* : tamen non fuit factum. Augustinus : « Medicus crudelis est, qui « exaudit hominem, et parcit ulceri, et « putredini. Non tollit manum, nisi sci- « verit quantum noceat. Sic noster medi- « cus ideo frequenter non exaudit, ut sa- « net. » Psal. XCVIII, 8 : *Deus, tu propi-*

tius fuisti eis, et ulciscens in omnes adinventiones eorum.

17 « *Vultus autem Domini.* » Hic secundum, in quo tangitur notitia respectu malorum : loquitur enim quasi per antithesim et rhetorice : et tanguntur duo. Primo, simplex cognitio sine complacentia. Secundo, præparatio pœnæ notatur, ibi, « *Ut perdat de terra.* »

Dicit ergo : Sic quantum ad bonos, nec mali evadent : quia « *vultus Domini super facientes mala* : » quamvis dicant illud Job, xxii, 14 : *Nubes latibulum ejus, nec nostra considerat.* Isa. xxix, 15 : *Quis videt nos, et quis novit nos?* Et, xlvii, 10 : *Dixisti : Non est qui videat me : sapientia tua et scientia tua hæc decepit te.* Jerem. xxiii, 24 : *Si occultabitur vir in absconditis : et ego non videbo eum, dicit Dominus?*

« *Ut perdat.* Quasi diceret : Non remunerandum gloria cognoscit, sed ad hoc « *ut perdat de terra,* » scilicet viventium, « *memoriam eorum,* » non simplicis notitiæ. Sancti enim bene habebunt de malis memoriam simplicis notitiæ, sed compassionis nullam, quia salvati non orabunt pro damnatis. Luc. xvi, 26 : *Inter nos et vos chaos magnum firmatum est,* scilicet multitudo peccatorum vestrorum : ut nos non eamus ad vos, compassione, nec vos ad nos, gloriæ participatione. Psal. lvii, 11 : *Lætabitur justus cum viderit vindictam.* Jerem. xi, 14 : *Tu ergo noli orare pro populo hoc, et ne assumas pro eis laudem et orationem.* Psal. ix, 7 : *Periit memoria eorum cum sonitu.* Job, xviii, 17 : *Memoria illius pereat de terra.* Isa. xxvi, 14 : *Contrivisti eos, et perdidisti omnem memoriam eorum.*

18 « *Clamaverunt justi.* » Hic de retributione bonorum et malorum respectu pœnæ. Et primo, tangitur pœna bonorum cum suis conditionibus. Secundo, malorum, ibi, « *Mors peccatorum pessima.* » Pœna autem justorum quæ terminabilis est in morte saltem, tangitur primo. Ostendit ergo pœnam bonorum habere consolationem primo. Secundo, finem, ibi, « *Multæ tribulationes.* » Tertio, utilitatem, ibi, « *Custodit Dominus.* » Tribulatio justi habet consolationem, finem, et fructum.

Ostendit autem eam habere consolationem ex tribus : Ex patientia. Ex divina præsentia, ibi, « *Juxta est Dominus.* » Ex spei confidentia, ibi, « *Et humiles.* »

In prima, quia patientia non habetur nisi merito orationis, dicuntur tria. Primo, oratio. Secundo, exauditio orationis, ibi, « *Et Dominus.* » Tertio, liberatio per patientiam quæ confertur, ibi, « *Et ex omnibus.* »

Dicit ergo : Sic cognoscit Dominus, et videt opera et orationes bonorum, et mala impiorum : et « *clamaverunt justi.* » Justi possunt hic dici antiqui sancti, vel etiam modo viventes. Si antiqui, tunc potest exponi de pœna limbi, vel etiam de pœna præsenti. Primo modo sic : Bene dixi, « *Oculi Domini super justos,* » quia « *clamaverunt justi,* » antiqui, « *ad Dominum,* » de limbo dicentes : Thren. iii, 53 : *Lapsa est in lacum vita mea.* Et post invocavi nomen tuum, Domine, de lacu novissimo. « *Et exaudivit eos,* » in sua resurrectione, eos a limbo revocando. Zachar. ix, 11 : *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos de lacu, in quo non est aqua.* « *Et ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos,* » secum ducendo in Ascensione. Ad Ephes. iv, 8 : *Ascendens Christus in altum captivam duxit captivitatem.* Vel secundo modo sic : « *Clamaverunt justi,* » antiqui : « *et Dominus exaudivit eos,* » de miseriis et afflictionibus hujus vitæ, sicut dixit Daniel. xiv, 37 : *Recordatus est mei Dominus.* Et in cap. iv, 88, de tribus pueris existentibus in camino ignis.

Vel sic : « *Clamaverunt justi,* » nunc præsentes, « *et Dominus exaudivit eos,* » petentes non liberationem, sed sapientiam, sicut factum est in sanctis Marty-

ribus, quibus data est patientia in suis passionibus. Ad Hebr. XI, 36 : *Alii vero*, scilicet sancti, *ludibria et verbera experti, insuper et vincula et carceres.* Et hoc cum factum est in sanctis Martyribus, patientia data est eis, secundum illud II Machab. VI, 30 : *Qui habes sanctam scientiam manifeste tu scis, quia cum a morte possem liberari, duros corporis sustineo dolores.* Secundum autem animam libenter propter timorem tuum hæc patior. Et post patientiam, et per ipsam, « *ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos,* » reddens insensibiles. Proverb. XXIII, 35 : *Verberaverunt me, sed non dolui : traxerunt me, et ego non sensi.*

...are sancti non loquuntur ...tum, sed ...mant ad Deum ?

Et nota, quod Sancti clamant ad Dominum, non ei loquuntur, quia suam attendunt necessitatem multiplicem, II ad Cor. XI, 27 : *Periculis fluminum, periculis latronum,* etc. Item, propter sui a Deo elongationem, Prov. VII, 19 : *Non est vir in domo sua : abiit via longissima.* Abiit, inquam, quantum ad speciem. Psal. X sec. Hebr., 1 : *Ut quid, Domine, recessisti longe ?* Item, propter obstaculi interpositionem, scilicet peccatum quod in seipsis esse judicant. Thren. III, 44 : *Opposuisti nubem tibi ne transeat oratio.* Sed numquid impedit nubes auditum ? Non videtur, sed visum tantum. Respons. Aqua impedit auditum, unde et nubes aquosa, et peccatum est quasi nubes aquosa. Job, XV, 16 : *Qui bibit quasi aquam iniquitatem.*

19 « *Juxta est Dominus.* » Hic consolatio ex divina præsentia, ut legatur dupliciter : de afflictis in Novo Testamento specialiter, et de omnibus afflictis generaliter.

Dicit ergo : Sic liberavit per patientiam quam contulit, et etiam « *juxta est Dominus,* » non solum sicut omnibus creaturis per essentiam. Jerem. XXIII, 24 : *Cœlum et terram ego impleo* : sed per gratiam adjuvantem, et liberantem, et consolantem. Psal. XV, 8 : *A dextris est mihi ne commovear : propter hoc lætatum est cor meum.* « *Qui tribulato sunt corde,* » qui terunt propriam cordis duritiam. Ezech. XI, 19 : *Auferam cor lapideum de carne eorum, et dabo eis cor carneum.* « *Et humiles spiritu salvabit,* » spei recta confidentia, non humilem verbis et gestu. Proverb. XXVI, 25 : *Quando submiserit vocem suam, ne credideris ei : quoniam septem nequitiæ sunt in corde illius.* Proverb. XXIX, 23 : *Humilem spiritu suscipiet gloria.*

Vel sic : Vere ex omnibus tribulationibus liberabit suos, quia ipse pronus est valde ad hoc : « *Juxta* enim *est Dominus omnibus his qui tribulato sunt corde,* » cum tamen sit Altissimus : « *et humiles spiritu salvabit,* » quia se salutem illis dabit. Cassiodorus : « Mos divinus, et « humana consuetudo contrariantur. « Nam qui vult altioribus vicinus fieri, « erigitur : Dominus autem altissimus « non nisi per humilitatem attingitur. »

Deus proximus humilibus.

Ex hac Dei proximitate est justis audacia, custodia, facilior patientia, sollicitudo nulla. Audacia, Isa. L, 8 : *Juxta est qui justificat me, quis contradicet mihi ?* Job, XVII, 3 : *Pone me juxta te, et cujusvis manus pugnet contra me.* Custodia, Proverb. III, 26 : *Dominus erit in latere, et custodiet pedem tuum ne capiaris.* Facilior patientia, quia spiritus Dei adjuvat, Ad Rom. VIII, 26 : *Spiritus adjuvat infirmitatem nostram.* Eccli. II, 3 : *Conjungere Deo, et sustine, ut crescat in novissimo via tua.* Sollicitudo nulla, Ad Philip. IV, 5 et 6 : *Dominus prope est : nihil sollicitis sitis.*

« *Multæ tribulationes.* » Hic secundum, in quo ostendit quantumcumque multæ sint justorum tribulationes, tamen esse terminabiles. Primo ergo asserit esse multas. Secundo, terminandas, ibi, « *Et de omnibus.* » **20**

Dicit ergo : Sic consolationem habent justorum tribulationes, « *nam multæ sunt tribulationes justorum ;* » nullus enim

justorum evadit. Hieronymus : « Qui tribulationem non patitur, justus non est. » I ad Tim. III, 12 : *Omnes qui pie volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur.* Et e contra malorum nunc multæ consolationes. Job, XII, 6 : *Abundant tabernacula prædonum.* Jerem. XII, 1 : *Quare via impiorum prosperatur,* impii vivunt [1], *bene est omnibus qui prævaricantur, et inique agunt.* Sed verte folium. Joan. XVI, 20 : *Tristitia vestra vertetur in gaudium,* dicitur de bonis : malis autem illud Proverb. XIV, 13 : *Extrema gaudii luctus occupat.*

« *Et de omnibus his liberabit eos Dominus.* » Ecce tribulationum terminus. Apoc. VII, 17 : *Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum,* id est, Sanctorum, *et jam,* etc. Et nota, quod multæ sunt justorum tribulationes : tum a diabolo, Ad Ephes. VI, 12 : *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates.* Tum ab homine, Jer. IX, 4 : *Unusquisque a proximo suo se custodiat, et in omni fratre suo non habeat fiduciam.* Joan. XVI, 33 : *In mundo pressuram,* in me autem pacem *habebitis.* Tum a carne et passionibus propriis, Psal. XXXVII, 4 : *Non est sanitas in carne mea a facie iræ tuæ.* Tum ex compassione ad alios, II ad Corinth. XIV, 21 : *Quis infirmatur, et ego non infirmor ? Quis scandalizatur, et ego non uror ?* Propter ista dicitur in Psal. LXXXVII, 4 : *Repleta est malis anima mea.*

21 « *Custodit Dominus.* » Hic tertium, in quo ostendit justorum pœnam habere utilitatem, scilicet ipsum Deum virtutum habere custodem, reddentem animam fortiorem : unde duo dicuntur. Conservatio virtutum in tribulatis. Secundo, universalitas conservationis, ibi, « *unum ex his.* »

Dicit enim : Sic termiabuntur tribulationes, sed interim « *custodit Dominus omnia ossa eorum,* » virtutes animæ, quas infundit totam animam sustinentes. Job, VI, 11 : *Quæ est fortitudo mea ut sustineam ?* Quasi diceret : Nulla est ex me. Job, X, 12 : *Visitatio tua custodivit spiritum meum.* Et Hieronymus dicit « Tentatio non est vorago vitiorum, sed « custodia virtutum. »

« *Unum ex his non conteretur.* » Quod figuratum fuit in Agno Paschali. Exod. XII, 46 : *Os non comminuetis ex eo.* Sic nec ossa mystici corporis Christi sunt confracta, sicut figuratum fuit in Passione Christi propria. Joan. XIX, 33 : *Ad Jesum cum venissent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura.* Eorum qui sunt de mystico Christi corpore non franguntur crura, id est, virtutes, totum corpus bonorum operum sustinentes. I ad Corinth. IV, 8 : *In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur.* Imo tali exercitio roborantur ossa mentis, etsi frangantur ossa corporis. II ad Corinth. XII, 9 : *Virtus in infirmitate perficitur.* Ad Rom. V, 3 : *Tribulatio patientiam operatur.*

« *Mors peccatorum pessima.* » Hic de pœna reproborum quæ incipit in morte. 22 Pœnæ reproborum.

Quasi diceret : Sic justi tribulantur multipliciter, sed utiliter : sed « *mors peccatorum pessima,* » qua inchoat ipsorum miseria. Ad Rom. VI, 23 : *Stipendia peccati mors.* Quia mors illorum est introitus ad pessimam mortem, scilicet gehennæ. Vel mors peccatorum proprie appellatur mors gehennæ. Naturæ enim mors hæc communis est justis et peccatoribus. II Reg. XIV, 14 : *Omnes morimur, et quasi aquæ dilabimur,* etc. Eccli. II,

[1] Cf. Job, XX, 7 et seq.: *Quare ergo impii vivunt,* etc.

16 : *Moritur doctus similiter ut indoctus.* Sed mors ipsorum est gehennæ propria, et hæc est pessima. Mala enim est, quia acerbissima in illa afflictio. Augustinus de *Civitate Dei* : « Illa mors « est omnium malorum pessimum [1]. » Hinc est, quod igni comparatur, Matth. xxv, 41 : *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum.* Pejor, quia æterna est duratio ejus, Matth. xxv, 46 : *Ibunt hi in supplicium æternum : justi autem*, etc. Augustinus de *Ecclesiastico dogmate* : « Non credamus restitutionem futuram « quam Origenes delirat, cum putat dæmo- « nes ad Angelicam redituros dignitatem, « et impios homines ad justorum societa- « tem. » Judith, xvi, 21 : *Dabit ignem, et vermes in carnes eorum, ut urantur, et sentiant usque in sempiternum.* Item, est pessima, quia nulla est interpolatio. Isa. xxxiv, 9 : *Convertentur torrentes ejus in picem, et humus ejus in sulphur.* Torrentes appellat sanguinem per venas defluentem, humum ipsas venas. Et erit terra ejus tota, scilicet caro reliqua, in picem ardentem nocte et die. Ecce quod interpolatio nulla.

« *Et qui oderunt.* » Hic de remuneratione comparatione ad culpam. Et primo de malis. Secundo, de bonis, ibi, « *Redimet Dominus.* »

In prima innuit duo. Primo, quod non liberantur mali a culpis prioribus. Secundo, quod cumulandis sequentibus delinquent.

Ait enim : Sic punientur mali, et etiam « *qui oderunt justum,* » et adhuc oderunt Christum scilicet, qui vere justus est. Jerem. xxiii, 6 : *Hoc nomen quod vocabunt eum, Dominus justus noster.* Imo, justificans alios, Ad Rom. iii, 26 : *Ut sit ipse justus, et justificans eum, qui est ex fide Jesu Christi.* Vel « *qui oderunt justum,* » secundum illud Prov. xxix, 10 : *Viri sanguinum oderunt simplicem.* « *Delinquent,* » quia peccata peccatis addunt. Tales delinquent et in Deum impii, et in proximum ingrati, in seipsos nocivi. Impii in Deum, quia oderunt ejus imaginem sibi simillimam, et sua gratia reformatam. Sap. ii, 23 : *Quoniam Deus creavit hominem inexterminabilem, et ad imaginem suæ similitudinis fecit illum.* Ingrati in proximum, quia odiunt diligentem se. Constat quod justus implet illud Matth. v, 44 : *Diligite inimicos vestros.* Psal. xxxiv, 12 : *Retribuebant adversum me mala pro bonis, et odium pro dilectione mea.* Sibi nocivi, quia ira et odium plus nocet proprio subjecto quam alii. I Joan. iii, 14 : *Qui non diligit, manet in morte.*

« *Redimet Dominus.*» Hic quantum ad 23
bonos : et tangit duo, per contrarium ad malos, quod liberabuntur a culpis præsentibus, et conservabuntur a futuris, ibi, « *Et non delinquent.* »

Dicit ergo : Sic mali odientes culpas cumulabunt : sed « *redimet Dominus animas servorum suorum,* » a culpis præteritis sanguine proprio. I Pet. i, 18 : *Scientes quod non corruptibilibus auro, vel argento,* etc. Nec tantum animas, sed etiam et corpora. Sed a parte meliore bene totus homo accipitur. Exod. i, 5 : *Omnes animæ eorum qui egressi sunt de femore Jacob,* etc. Et dicit, « *servorum,* » non viventium in libertate iniqua, de qua Job, xi, 12 : *Vanus in superbiam erigitur, et tamquam pullum onagri se liberum natum putat.* Et « *suorum,* » non inimicorum, sicut illi de quibus Joan. viii, 34 : *Qui facit peccatum, servus est peccati.*

« *Et non delinquent* » amplius, ut peccata super peccata cumulent, maxime mortalia, etsi venialia, sine quibus vita non ducitur humana. Proverb. xxiv, 16 :

[1] S. Augustinus, Lib. XIII de Civitate Dei.

Septies in die cadet justus, et resurget. « *Omnes qui sperant in eo.* » Spes enim sanat morbum animæ, nec sinit infirmari ad mortale, Prov. xxviii, 25 : *Qui sperat in Domino, sanabitur.* I Machab. ii, 61 : *Omnes, qui sperant in eum, non infirmantur.* Propter hoc dicitur in Psal. lxxii, 28 : *Mihi adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam.* Secundum Cassiodorum littera est : « Non derelinquet, scilicet Deus, omnes qui sperant in eo, » secundum illud Judith, xiii, 17 : *Laudate Dominum Deum nostrum, qui non deserit sperantes in se.*

PSALMUS XXXIV.

Inimicis excidium, sibi salutem precatur.

1. *Ipsi David.*
Judica, Domine, nocentes me : expugna impugnantes me.
2. Apprehende arma et scutum, et exsurge in adjutorium mihi.
3. Effunde frameam, et conclude adversus eos qui persequuntur me : dic animæ meæ : Salus tua ego sum.
4. Confundantur et revereantur quærentes animam meam[1] :
Avertantur retrorsum et confundantur cogitantes mihi mala.
5. Fiant tamquam pulvis ante faciem venti : et angelus Domini coarctans eos.
6. Fiat via illorum tenebræ, et lubricum : et angelus Domini persequens eos.
7. Quoniam gratis absconderunt mihi interitum laquei sui, supervacue exprobraverunt animam meam.
8. Veniat illi laqueus quem ignorat, et captio quam abscondit apprehendat eum, et in laqueum cadat in ipsum.
9. Anima autem mea exsultabit in Domino, et delectabitur super salutari suo.
10. Omnia ossa mea dicent : Domine, quis similis tibi?
Eripiens inopem de manu fortiorum ejus : egenum et pauperem a diripientibus eum.

[1] Psal. xxxix, 15.

11. Surgentes testes iniqui, quæ ignorabam interrogabant me.
12. Retribuebant mihi mala pro bonis, sterilitatem animæ meæ.
13. Ego autem, cum mihi molesti essent, induebar cilicio :
Humiliabam in jejunio animam meam, et oratio mea in sinu meo convertetur.
14. Quasi proximum et quasi fratrem nostrum sic complacebam : quasi lugens et contristatus sic humiliabar.
15. Et adversum me lætati sunt, et convenerunt : congregata sunt super me flagella, et ignoravi.
16. Dissipati sunt, nec compuncti, tentaverunt me, subsannaverunt me subsannatione : frenduerunt super me dentibus suis.
17. Domine, quando respicies ? restitue animam meam a malignitate eorum, a leonibus unicam meam.
18. Confitebor tibi in ecclesia magna : in populo gravi laudabo te.
19. Non supergaudeant mihi qui adversantur mihi inique, qui oderunt me gratis, et annuunt oculis[1].
20. Quoniam mihi quidem pacifice loquebantur : et in iracundia terræ loquentes, dolos cogitabant.
21. Et dilataverunt super me os suum : dixerunt : Euge euge viderunt oculi nostri.
22. Vidisti, Domine, ne sileas : Domine, ne discedas a me.
23. Exsurge, et intende judicio meo : Deus meus, et Dominus meus, in causam meam.
24. Judica me secundum justitiam tuam, Domine Deus meus, et non supergaudeant mihi.
25. Non dicant in cordibus suis : Euge euge animæ nostræ : nec dicant : Devoravimus eum.
26. Erubescant et revereantur simul qui gratulantur malis meis :
Induantur confusione et reverentia qui magna loquuntur super me.
27. Exsultent et lætentur qui volunt justitiam meam : et dicant semper : Magnificetur Dominus, qui volunt pacem servi ejus.
28. Et lingua mea meditabitur justitiam tuam, tota die laudem tuam.

IN PSALMUM XXXIV

COMMENTARIUS.

1 *In finem, Psalmus ipsi David*[2].

« *Judica, Domine, nocentes me.* » Hic est Psalmus trigesimus quartus. Postquam enim actum est de mutatione veteris sacrificii in novum sacrificium, quia hoc sumendum et conficiendum in memoria passionis, recte hic subditur de Christi passione. Et est Psalmus hic secundus eorum, qui late agunt de Christi passione. Primus enim Psalmus fuit xxi, *Deus, Deus meus, respice in me.* Bene autem innuitur hoc in titulo hujus Psalmi, qui talis est : « *In finem, Psalmus ipsi David.* » Est enim sensus : Hic Psalmus convenit « *ipsi,* » id est, vero, « *David,* »

Argumentum Psalmi: Christi passio, cujus memoriale Missa, de qua superior Psalmus.

[1] Joan. xv, 25.
[2] Vulg. habet tantum, « *Ipsi David.* »
Les commentateurs regardent généralement ce psaume comme le développement des paroles que David adressait à Saül à la caverne d'Engaddi : « *Sit Dominus judex, et judicet inter me et te : et videat, et judicet causam meam, et eruat me de manu tua.* » (I Reg. xxiv, 16). Les trois premiers versets montrent du reste que celui qui parle est un guerrier, et non le prophète Jérémie auquel Hitzig attribue

nos ordinans « *in finem,* » id est, in ipsum Christum, qui finis est. Ad Rom. x, 4 : *Finis legis Christus, ad justitiam omni credenti.* Eccli. XLIII, 29 : *Consummatio sermonum ipse est in omnibus.* Et sicut alias dictum fuit, ubi ponitur in titulis, « *Ipsi,* » designatur Christus. Et hoc recte : *ipse* enim est pronomen demonstrativum discretivum, et Christus demonstrabilis est ratione humanitatis, et discretus ab omnibus aliis ratione divinitatis. Joan, I, 29 : *Ecce Agnus,* quantum ad primum : *ecce qui tollit peccatum mundi,* quantum ad secundum.

Dividitur autem Psalmus in tres partes. Primo, oratio præmittitur, quæ summum est remedium afflictorum. Secundo, passio narratur, ibi, « *Surgentes testes.* » Tertio, ad orationem reditur, ibi, « *Domine, quando respicies.* »

In prima duo. Primo petit. Secundo, quasi exauditus gratiarum actionem præmittit, ibi, « *Anima mea.* »

In prima, primo petit de se. Secundo, de adversariis, ibi, « *Confundantur.* » De se, non ut non superetur. Secundo, ut adjuvetur, ibi, « *Apprehende.* » Tertio, ut salvetur, ibi, « *Dic animæ meæ.* »

In prima duo. Primo, ut non superetur verbo coram judice. Secundo, quod nec ab impugnantibus facto, ibi, « *Expugna impugnantes me.* »

Dicit ergo Christus, vel melius justus : O Domine pater, « *judica,* » id est, damna, (et sic libera me) « *nocentes me,* » ex certa malitia et deliberatione. Ergo orat contra inimicos, qui Matth. v, 44, docuit nos pro inimicis orare[1] : qui etiam pro ipsis oravit in passione[2]. Respondet Cassiodorus : « Petit damnari quos novit ad pœ« nitudinis remedia non venire, quomo« do nos oramus contra diabolum, quem « scimus non salvandum. » Et nota, quod est judicium in præsenti, et est judicium in futuro. Ab homine ordinarium, quod est judicium specialiter, de quo Deut. XVI, 20 : *Juste quod justum est perse-*

Prima pars Psalmi.

Quomodo Christus orat contra inimicos ?

Multiplex judicium hominum et Dei.

ce chant. « Il règne dans tout ce psaume, dit Delitzsch, un profond chagrin et une très vive émotion. C'est seulement dans la seconde partie, où le psalmiste décrit la noire ingratitude de ses ennemis, que le langage devient plus paisible et plus sereine, et qu'à la place du courroux s'épanche une tristesse plus calme. » « Ce psaume est singulièrement animé, remarque aussi Cook : les transitions de pensées et de sentiments sont abruptes : prières, imprécations, supplications, plaintes, cris d'espérance se succèdent avec de rapides alternatives. Les images sont vives et pittoresques... Le langage est rude, avec beaucoup de formes archaïques et de termes obscurs. Le rythme est du plus haut lyrisme et plein de mouvement. »

Nous pouvons nettement discerner dans cette composition trois parties, ℣℣. 1-10, 11-18, 19-28, formant chacune comme un tout séparé, analogue pour les idées aux psaumes de la persécution : David commence par se plaindre et par implorer le secours de Dieu ;il termine en bénissant le Seigneur de la protection qu'il considère comme accordée.

Jésus-Christ s'est appliqué à lui même le ℣. 19 (Joan. xv, 25), ce qui détermine le sens spirituel du psaume, et lui confère le caractère indirectement messianique. David, type du Messie souffrant, l'est également du chrétien en butte à la persécution des ennemis de son salut, et appelant à grands cris la protection divine.

Nous avons ici, dit Talhofer, le « *nolite timere pusillus grex* » de l'Ancien Testament. Le psalmiste excite sa confiance en Dieu, en contemplant sa puissance dans la création et le gouvernement du monde. Le peuple, le juste qui ont la protection d'un Dieu si grand peuvent-ils redouter quelque ennemi, si puissant qu'il paraisse ?

La dispositiou strophique est fort régulière ; nous avons dix strophes de quatre vers heptasyllabiques, sauf la première et la dernière qui sont de six. Le parallélisme est d'une grande perfection. Ce psaume est un des *alphabétizants,* c'est-à-dire, de ceux qui ont autant de vers, de distiques ou de strophes qu'il y a de lettres dans l'alphabet : ces poèmes, remarque Bickell, sont d'ordinaire « magis gnomica quam lyrica. »

L'Eglise entend ce psaume de ses saints qui rendent grâce à Dieu de leur victoire sur le démon.

H. LESÊTRE.

[1] Matth. v, 44 : *Ego autem dico vobis : Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos : et orate pro persequentibus, et calumniantibus vos.*

[2] Cf. Luc. XXIII, 34 : *Pater, dimitte illis : non enim sciunt quid faciunt,*

queris. Et est non ordinarium, quod est omnium et quodam modo bonum, scilicet discussio propriæ conscientiæ, de quo I ad Corinth. xi, 31 : *Si nos ipsos dijudicaremus, non utique judicaremur.* Et temerarium, quo judicamus alienos, Matth. vii, 1 : *Nolite judicare, ut non judicemini.* Et I ad Corinth. iv, 5 : *Nolite ante tempus judicare.* Vel a Deo , et hoc discretionis, Psal. xlii, 1 : *Judica me, Deus, et discerne causam meam de gente*, etc. Joan. ix, 39 : *In judicium ego in hunc mundum veni*, etc. Purgationis, I Pet. iv, 17 : *Tempus est ut incipiat judicium a domo Dei.* Præmonstratæ damnationis, Joan. iii, 18 : *Qui non credit, jam judicatus est.* In futuro a Deo tantum. Extremæ discussionis, Joel, iii, 2 : *Congregabo omnes gentes, et deducam eas in vallem Josaphat : et disceptabo cum eis.* Salvationis, In Psal. xxxvi, 33 : *Nec damnabit eum cum judicabitur illi.* Damnationis, Jacob. ii, 13 : *Judicium sine misericordia illi, qui non fecit misericordiam.* Et in Psal. cxlii, 2 : *Non intres in judicium cum servo tuo, Domine.*

« *Expugna impugnantes me.* » Hic secundum, in quo petit adjuvari contra impugnantes factis. Et primo, petit adjutorium. Secundo, determinat modum, ibi, « *Apprehende arma.* »

Dicit ergo : Sic judica nocentes, et « *expugna impugnantes me*, » dicit Christus ad Patrem. Et dicit « *expugna*, » id est, vince : expugnare enim est vincere, non sic impugnare. Cassiodorus : « Ex« pugnat Dominus, cujus certamen trium« phus est : virtutis enim infinitæ nulla « est interpolatio. » Vel justus ad Christum loquitur : « *Expugna impugnantes me*, » diabolum, qui per honores intendit impugnare meam humilitatem : mundum, qui per divitias, paupertatem : carnem, quæ per delicias, castitatem.

Hi sunt tres inimici David : Goliath Getheus, qui signat diabolum : Saul, qui interpretatur *petitio*, qui significat carnem, quæ semper petit : et Absalon, qui interpretatur *pax patris*, et significat mundum, qui sub prætextu pacis patris decipit multos. **Dæmon, caro, mundus figurati tribus David inimicis.**

« *Apprehende arma.* » Hic determinat modum quo vult pugnare eum pro se : in quo tanguntur duo. Primo, præparatio adjutoris. Secundo, abundans ultio de inimico, ibi, « *Effunde.* » 2

Ex parte præparationis duo. Primo, ut si armatus. Secundo, ut erectus, ibi, « *Et exsurge.* »

Ait ergo : Sic « *expugna*, » et ut hoc melius possis, « *apprehende*, etc. » Legitur hoc in persona corporis dupliciter. Tertio modo in persona capitis : arma enim, secundum quod legitur de corpore, possunt esse quilibet Christianus, vel anima ipsa Christi.

Ait ergo : Sic « *expugna*, » quod ut possis, « *apprehende*, » pro me liberando, « *arma.* » Augustinus : « Magnum spe« ctaculum videre Deum armatum pro te, « imo Agnum unicum cum leonibus for« tissimis pugnaturum, scilicet cum dæ« monibus. » Apocalyps. xvii, 14 : *Hi cum Agno pugnabunt, et Agnus vincet illos.* Exod. xv, 3 : *Dominus quasi vir pugnator, omnipotens nomen ejus.* Isa. lxiii, 1 : *Ego qui loquor justitiam, et propugnator sum ad salvandum.* « *Apprehende*, » nos ipsos ad expugnandum diabolum in nobis per nos ipsos : ipsius enim sumus arma, et impugnat nos per nos ipsos diabolus. Ad Romam. vi, 13 : *Neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis.* Sed superveniens fortior aufert arma. Luc. xi, 21 : *Cum forties armatus custodit atrium suum*, etc. Sic tamquam David Goliath eum interficiens proprio gladio [1]. Augustinus : « Quid est anima

[1] Cf. I Reg. xvii, 51.

« quamvis splendida et acuta producta, « nisi Deus illam teneat et pugnet cum « ea ? » Joan. xv, 5 : *Sine me nihil potestis facere.*

« *Et scutum,* » bonam scilicet voluntatem, qua nos protegas, sicut scutum cætera protegit arma. Psal. v, 13 : *Scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos.* Arma etiam possunt dici ipsa Christi anima. Arma ejus secundum Cassiodorum, eo quod per ea hostes arcerentur. Supra, in Psal. xvi, 13, dicebat ad Patrem : *Eripe animam meam ab impio, frameam tuam,* id est, animam meam, quæ framea est, *ab inimicis manus tuæ.*

« *Et exsurge in adjutorium mihi,* » qui videris dormire. Psal. lxxvii, 65 et 66 : *Et excitatus est tamquam dormiens Dominus, tamquam potens crapulatus a vino. Et percussit inimicos suos in posteriora,* etc. Aliunde enim adjutorium non habeo, nisi ex te. Osee, xiii, 9 : *Perditio tua* ex te *Israel : tantummodo in me auxilium tuum.* Tertio modo loquitur Christus ipse in quantum homo. O Deus Pater, « *apprehende arma,* » id est, me qui sum manus tua, fac apprehendere arma, doctrinam, et miracula. Sapient. xviii, 22 : *Vicit autem turbas, non in virtute corporis, nec armaturæ potentia, sed verbo illum, qui se vexabat, subjecit.* Hoc patet, Matth. iv, 10, et Luc. iv, 13. Ad Ephes. vi, 17 : *Et gladium spiritus, quod est verbum Dei.*

« *Et scutum,* » constantiam, quam habuit sine dubio. Cant. iv, 4 : *Sicut turris David collum tuum,* id est, Christus qui conjungit hominem vero capiti suo Deo.

« *Et exsurge in adjutorium mihi,* » ut in omnibus his mecum opereris. I ad Corinth. xv, 11 : *Non ego autem, sed gratia Dei mecum.* Joan. xiv, 10 : *Pater autem in me manens ipse facit opera.*

3 « *Effunde frameam.* » Hic petitur abundans ultio.

Ait : Sic præpara te, arma sume, et exsurge, et « *effunde* : » et in hoc notatur abundantia : « *frameam,* » id est, ultionem, quæ intelligitur per frameam, quia per illam fit, sicut scriptura quæ per manum fit. Ezechiel. xxi, 14 : *Duplicetur gladius, ac triplicetur gladius interfectorum.*

« *Adversus eos qui persequuntur me,* » malos scilicet homines, et dæmones, quod fiet. Isa. xxvii, 1 : *Visitabit Dominus in gladio suo duro, et grandi, et forti, super Leviatham serpentem vectem, et super Leviathan serpentem tortuosum.*

« *Et conclude* » eos, in inferno, ne vagentur ulterius ad nocendum, sicut modo decurrunt dæmones ad libitum per aera caliginosum : et sic fiet. Isa. xxiv, 21 : *In die illa visitabit Dominus super militiam cœli in excelso.*

Vel sic potest legi : « *frameam,* » id est, justitiam, quæ est framea, sicut in Psal. xvi, 13, supra : *Eripe animam meam ab impio, frameam tuam,* etc. Hanc « *effunde,* » ut justis undique abundantibus justitia et sanctitas fulgeat, et injustitia destruatur. Ezech. xxi, 15 : *In omnibus portis eorum,* in quibus solent sedere judices, *dedi conturbationem gladii acuti, et limati ad fulgendum.* Tales enim debent esse judices adversus malos : unde addit : « *Adversus eos qui persequuntur me,* » homines scilicet malos. Genes. xxxi, 23, Laban persecutus est Jacob. « *Et conclude,* » ora scilicet eorum, ne injuste audeant me accusare, nec habeant quod vituperent in judice. I Petr. ii, 15 : *Sic est voluntas Dei, ut benefacientes,* vos judices, *obmutescere faciatis imprudentium hominum insipientiam.*

Si loquitur Christus, sic : « *Effunde frameam,* » meipsum, qui sum gladius. Ad Ephes. vi, 17 : *Gladium spiritus, quod est verbum Dei,* extra funde, et appareat, quod sum Deus. Isa. xlv, 15 : *Vere tu es Deus absconditus.* Et sic « *conclude adversus eos qui persequuntur me,* » Judæos, ut nihil possint dicere contra me. Joan. xvii, 24 : *Videant claritatem meam quam dedisti mihi.*

« *Hic animæ meæ : Salus tua ego sum.* » Augustinus dicit : « Intus dic. Ecce in « quo petit ut salvetur, ut mendaces sint « illi de quibus supra, Psal. III, 3 : *Multi* « *dicunt animæ meæ : Non est salus ipsi* « *in Deo ejus.* » Et « *dic* : *Ego sum,* » non alius. Isa. XLV, 21 : *Non est* Deus *salvans, præter me.* « *Hic,* » quod es salus a culpa in præsenti per gratiam, Ad Ephes. II, 8 : *Estis salvati per fidem.* In futuro a pœna per gloriam, Isa. XLV, 17 : *Israel salvatus est in Domino salute æterna.*

4 « *Confundantur et revereantur.* » Hic secundum, in quo postquam oravit pro se, orat consequenter contra adversarios : et dicuntur duo. Primo, imprecatur mala. Secundo, salubria convertendis, ibi, « *Fiant tamquam pulvis.* »

In prima duo. Primo, imprecatur mala malignantibus in apprehensiva. Secundo, contrariantibus in motiva, ibi, « *Avertantur retrorsum.*

In prima promittitur pœna. Secundo, subjungitur culpa, ibi, « *Quærentes.* »

Dicit ergo : « *Confundantur,* » pro peccatis præteritis : « *et revereantur,* » timore concussi de futuris.

Confundantur ergo salubriter pro præteritis peccatis. Cassiodorus : « Confundi « est facta sua erubescere, quadam bona « erubescentia, et in meliorem partem « commutare. » Eccli. IV, 25 : *Est confusio adducens gloriam, et gratiam.* Genes, XXIV, 65, Rebecca respecto Isaac operuit vultum suum, quadam bona erubescentia. Eccli. XXVI, 19 : *Gratia super gratiam mulier sancta et pudorata.* « *Et revereantur,* » de futuris. Proverb. XXVIII, 14 : *Beatus homo, qui semper est pavidus.*

« *Quærentes animam meam,* » non ad imitandum in bonum : quoad hoc enim conqueritur in Psal. CXLI, 5 : *Non est qui requirat animam meam :* sed ad perdendum. Ezech. XXII, 27 : *Principes ejus in medio illius, quasi lupi rapientes prædam ad effundendum sanguinem, et ad animas perdendas,* et avari sectando lucrum quærunt animas perdere. Bestiæ propter carnem quam volunt comedere : ad litteram, Genes. IX, 5 : *Sanguinem animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum.* Mali homines propter possessionem, Michæ, VII, 2 : *Vir fratrem suum ad mortem venatur.* Diabolus propter ipsas animas, Gen. XIV, 21 : *Dixit rex Sodomorum ad Abram : Da mihi animas, cætera tolle tibi.*

« *Avertantur retrorsum.* » Hic secundum, in quo imprecatur, sed salubris errantibus in motiva. Et primo, imprecatur pœnam. Secundo, tangit culpam tamquam causam, ibi, « *Cogitantes.* »

In prima duo. Primo, perduratio adhuc in sua malitia. Secundo, confusio de duratione illa, ibi, « *Et confundantur.* »

Dicit ergo : Illi « *avertantur,* » a veritate, et etiam a bono, ita quod sint « *retrorsum,* » non ante me, sicut justi. Psal. XX, 13 : *Quonias pones eos dorsum.* Jerem. VII, 24 : *Abierunt in voluntatibus,... et facti sunt retrorsum, et non ante.* Marc. VIII, 33, dictum est Petro : *Vade retro me satana.*

« *Et confundantur,* » salubriter in confessione suorum delictorum. Jer. XXXI, 19 : *Pecussi femur meum. Confusus sum, et erubui.* Hac non confundentur mali. Jer. VI, 15 : *Quia potius confusione non sunt confusi, et erubescere nescierunt.*

« *Cogitantes mihi,* » contra me, « *mala.* » Isa. XLV, 16 : *Confusi sunt et erubuerunt omnes simul.* Jer. XI, 19 : *Cogitaverunt super me concilia* iniqua. Et, XVIII, 23 : *Tu autem Domine scis omne consilium eorum adversum me.* Argumentum, quod homo confundi debet de cogitationibus malis.

Potest etiam de mala aversione exponi. Cogitantes mihi mala, « *avertantur retrorsum,* » a te ad creaturas, illa aversione, de qua Proverb. I, 32 : *Aversio parvulorum interficiet eos.* Ad ea quæ sunt retro. Luc. IX, 22 : *Nemo mittens*

manum suam ad aratrum, primo, *et respiciens retro, aptus est regno Dei.*

« *Et confundantur,* » tandem confusione duplici, animæ, et corporis. Psal. cviii, 29: *Operiantur sicut diploide confusione sua*, et æterna. Jer. xx, 11 : *Confundentur vehementer, quia non intellexerunt opprobrium sempiternum, quod numquam delebitur.*

5 « *Fiant tamquam pulvis.* » Hic secundum, in quo imprecatur mala non salubria obstinatis. Primo, in irascibili, impotentiam resistendi malo. Secundo, in concupiscibili, necessitatem cadendi a bono, ibi, « *fiat via illorum.* » Tertio in rationabili, cæcationem ut non possint cavere de futuro, ibi, « *Quoniam gratis.* »

In prima duo. Primo, imprecatur eis vigorem nullum ad standum. Secundo, vigorem multum ad impellendum in adversario, ibi, « *Et angelus.* »

Dicit ergo : Sic corrigibiles bona erubescentia erubescant, et bona confusione confundantur : sed alii « *fiant tamquam pulvis,* » qui instabilis est, et nullum habet vigorem resistendi, « *ante faciem venti,* » id est, ante ipsam tentationem, non exspectando ipsum motum. Isa. xvii, 13: *Rapietur sicut pulvis montium ante faciem venti*. Thren. i, 6: *Abierunt absque fortitudine ante faciem subsequentis.* Supra, in Psal. i, 4: *Non sic impii, non sic : sed tamquam pulvis quem pojicit ventus a facie terræ.* Job, xxvii, 21 : *Tollet eum ventus urens.* Isa. lxiv, 6: *Cecidimus quasi folium universi, et iniquitates nostræ quasi ventus abstulerunt nos.*

Et angelus Domini, scilicet malus, cujus est tantus vigor ut de eo dicatur, Job, xli, 24: *Non est super terram potestas, quæ comparetur ei*, fiat repente « *coarctans eos,* » suggestionibus, de quo Proverb. xvii, 11 : *Angelus crudelis mittetur contra eum.* Psal. lxxvii, 49 *: Misit in eos iram indignationis suæ, indignationem, et iram, et tribulationem : immissiones per angelos malos,* qui eos coarctent. Judic. c. i, 34 : *Arctavit Amorrhæus filios Dan in monte, nec dedit eis locum ut ad planiora descenderent.* Et nota, quod diabolus aliquando coarctat multa possessione, ut fatiget sollicitudine. Luc. xii, 16, de divite, cujus ager uberes fructus attulit, et qui arctabatur ita ut non haberet ubi reponeret illos. Job, xx, 22 : *Cum satiatus fuerit, arctabitur, et omnis dolor irruet super eum.* Quandoque in aliis violenta paupertate, ut murmurent contra Deum. Psal. lviii, 16 : *Si vero non fuerint saturati, et murmurabunt.* Isa. xxx, 20: *Dabit vobis Dominus panem arctum, et aquam brevem.* Quandoque erubescentia confitendi, et pudore, secundum quod jam tactum est. Quandoque perplexitate, ut quasi nulla parte possint effugere peccatum : facit enim eos obligare ad opposita, sicut in habentibus plura beneficia. Thren. iii, 9 : *Conclusit vias meas lapidibus quadris.* Job, xviii, 7 : *Arctabuntur gressus virtutis ejus, et præcipitabit eum consilium suum.*

Arctavit Diabolus divitiis, et paupertate.

« *Fiat via illorum.* » Hic imprecatur necessitatem cadendi in concupiscibili, et tangit duo. Primo, imprecatur impossibilitatem procedendi sine casu. Secundo, necessitatem non standi, ibi, « *Et angelus Domini.* » 6

Dicit ergo : Quantum ad omnes peccatores generaliter, « *Fiat via illorum,* » id est, peccatorum, si contingat eos per rationem resistere, « *tenebræ,* » ut non videant quo debeant ambulare. Soph. i, 17 : *Ambulabunt ut cæci.* Isa. lx, 2 : *Tenebræ operient terram, et caligo populos.* Psal. lxxxi, 5 : *Nescierunt neque intellexerunt, in tenebris ambulant.*

« *Et lubricum,* » ut si fuerint in recto, non possint stare. Thren, iv, 18 : *Lubricaverunt vestigia nostra in itinere.* De utroque, Proverb. iv, 19 : *Via impiorum tenebrosa : nesciunt ubi corruant.*

Vel de luxoriosis specialiter : « *Fiat*

via illorum tenebræ, » id est, vita sua sit esse in tenebris : habent enim tenebras jam mentales, quia carent sapientia quæ est lux mentis. Sap. I, 4 : *In malevolam animam non introibit sapientia.* Et non quærunt nisi corporales. Illas diligunt, Joan. III, 20 : *Qui male agit, odit lucem.* Et propter hoc dignum est ut exspectent æternales, de quibus, Proverb. VII, 27 : *Viæ inferi domus ejus, penetrantes in interiora mortis.* « *Et lubricum.* » Super omnia peccata luxuria magis lubricosum est. Jerem. III, 9 : *Facilitate fornicationis suæ, contaminavit terram.* Osee, IV, 10 : *Fornicati sunt, et non cessaverunt.*

« *Et angelus Domini,* » malus similiter, « *persequens eos,* » donec a delectatione projiciat in amaritudinem æternam. Matth. VIII, 32 : *Illi,* scilicet spiritus immundi, *exeuntes abierunt in porcos, et ecce impetu abiit totus grex per præceps in mare.* Constat impulsu dæmonum, Thren. III, 2 : *Me minavit et adduxit in tenebras, et non in lucem :* tamquam ovem suam ad caulas, Psal. LVIII, 15 : *Sicut oves in inferno positi sunt : mors depascet eos.* Hæc maledictio videtur impleri in malis Prælatis et Doctoribus, Jerem. XXIII, 11 : *Propheta et sacerdos polluti sunt : et in domo mea inveni malum eorum, ait Dominus.* Idcirco via illorum erit lubricum, in tenebris impellentur, et corruent in ea.

7 « *Quoniam gratis absconderunt.* » Hic imprecatur cæcitatem in rationali, qua non vitet futurum malum. Et tangitur primo eorum culpa. Secundo, dicta peccata tamquam præmium illius culpæ, ibi, « *Veniat illi.* »

In prima duo. Primo, tangit eorum insidias in opere. Secundo, opprobria in ore, ibi, « *Supervacue exprobraverunt.* »

Dicit ergo : « *Gratis,* » hoc est, sine causa. Cassiodorus : « Illud gratis dicitur, « quod non alicujus rei compensatione tri- « buitur. » « *Gratis,* » quia nihil eis nocui. Mich. VI, 3 : *Populе meus, quid feci tibi, aut quid molestus fui tibi ? responde mihi.* Et notatur in hoc mira Judæorum malitia. Non enim conducti erant sicut Judas, vel ut custodes [1].

« *Absconderunt mihi,* » putantes me latere. Psal. XCIII, 7 : *Non videbit Dominus, nec intelliget Deus Jacob.* In hoc fraudulentia. Proverb. X, 18 : *Absconderunt odium,* non manifestaverunt, *labia mendacia.* « *Interitum laquei sui,* » id est, insidias et consilia, ut interirem. Prov. I, 11 : *Veni nobiscum, insidiemur sanguini, abscondamus tendiculas contra insontem frustra.* In hoc crudelitas summa, velle innocentissimum interficere. Thren. IV, 3 : *Filia populi mei crudelis, quasi struthio in deserto.* Prov. XII, 10 : *Viscera impiorum crudelia* : sed Eccli. XXVII, 29 : *Qui laqueum alii ponit, peribit in illo.*

« *Supervacue exprobraverunt.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic in opere, sed etiam ore « *exprobraverunt animam meam.* » Isa. LXV, 7 : *Exprobraverunt mihi, et remetiar opus eorum primum in sinu eorum.* Exprobraverunt autem animam meam, ipsam dicentes ignorantem et peccatricem. Joan. IX, 16 : *Non est hic homo a Deo, qui sabbatum non custodit.* Et hoc, « *supervacue,* » id est, inutiliter, et pro nihilo quantum ad illud quod ipsi intendebant. In hoc stultitia, Prov. XV, 21 : *Stultitia gaudium stulto.*

Potest et exponi de diabolo, qui gratis abscondit sanctis laqueos, et exprobrat et irridet eos, quando potest illos capere. I ad Tim. III, 7 : *Ut non in opprobrium incidat et in laqueum diaboli.* Abscondunt laqueum gulæ in deliciis, laqueum avaritiæ in divitiis, I ad Tim. VI, 9 : *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentatio-*

[1] Cf. Matth. XXVI et XXVII.

nem et in laqueum, diaboli. Superbiæ in honoribus, II ad Tim. II, 26 : *Ut resipiscant a laqueis diaboli, a quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem.*

8 « *Veniat illi laqueus.* » Hic subjungitur pœna triplex. Insperatus adventus vastantium. Secundo, captio ipsorum ab illis, ibi, « *Et captio.* » Tertio, interfectio sic captorum, ibi, « *Et in laqueo.* »

Legitur autem multipliciter. Primo, de malo culpæ. Ait enim : Sic contra me peccaverunt : sed, « *veniat illi,* » populo, vel illis hominibus, « *laqueus* » peccati, « *quem ignorat,* » id est, ex insperato. Eccli. XXVII, 30 : *Facienti nequissimum consilium, super ipsum devolvetur.* « *Et captio quam abscondit,* » id est, peccatum quod mihi tetendit, volens me capere in illo. Matth. XXII, 16 : *Magister, scimus quia verax es, et viam Dei,* etc. « *Apprehendat eum,* » sicut scriptum est, Prov. V, 22 : *Iniquitates suæ capiunt impium, et funibus peccatorum suorum* quisque *constringitur.*

« *Et in laqueum cadat.* » Iterat culpam, « *in ipsum,* » scilicet qui tetendit : hæc est enim natura peccati ut prius noceat auctori suo. Augustinus hic in *Glossa* : « Malitia tua ut alteri non noceat, « fieri potest : ut tibi non noceat, fieri « non potest. Certum est ergo, quod tibi « nocebit, quod alii, incertum. Ergo sibi « certum infert malum, certum nocu« mentum, quod ut alii inferat incertus. » Magna stultitia. Propter hoc, Proverb. XXIV, 8 : *Qui cogitat mala facere, stultus vocabitur.* Vel de malo pœnæ secundum quod divisum est, sic : « *Veniat illi laqueus* » captivitatis, « *quem ignorat,* » id est, ex insperato, ut non credat posse. Isa. XLVII, 8 : *Quæ dicis in corde tuo : Ego sum, et non est præter me amplius : non sedebo vidua, et ignorabo sterilitatem.* Venient tibi duo hæc in die una, secundum quod Dominus deflebat, Luc. XIX, 42 : *Quia si cognovisses et tu,...nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis.*

Malus sibi semper nocet, aliis non item.

« *Et captio quam,* » id est, qualem, « *abscondit mihi, apprehendat eum,* » ut sicut me credidit capere ex insperato, et ille populus capiatur a Tito et Vespasiano : et sic factum est. Thren. IV, 12 : *Non crediderunt reges terræ, et universi habitatores orbis, quoniam ingrederetur hostis et inimicus per portas Jerusalem.* Et Jerem. IV, 20 : *Repente vastata sunt tabernacula mea, subito pelles meæ.*

« *Et in laqueum* » mortis, « *cadat,* » scilicet « *in ipsum* » quem mihi paravit. Psal. XVII, 6, de laqueo : *Præoccupaverunt me laquei mortis.* Hoc magis proprie legitur in bono in Glossa. Appellat enim laqueum veritatem et cognitionem. Eccli. VI, 25 : *Injice pedem tuum in compedes illius.* Et infra, ℣. 31 : *Vincula illius, alligatura sanitatis.* Hic est laqueus quem nesciunt mali, Proverb. XXIX, 7 : *Impius ignorat scientiam.* Vult quod iste laqueus illi superveniat, ipsum capiat, et teneat, et captum cadere faciat per humilitatem pœnitentiæ.

« *Anima autem mea.* » Hic secundum primæ partis totius hujus Psalmi, in quo intelligens se exauditum, promittit gratiarum actiones : et dicuntur quatuor. Primo, exsultatio. Secundo, exsultationis ratio, ibi, « *Et delectabitur.* » Tertio, laudatio, ibi, « *Omnia ossa.* » Quarto, laudationis ratio, ibi, « *Eripiens inopem.* » Vel potest esse vox capitis Ecclesiæ, vel corporis. 9

Primo modo : Sic mala illi evenient sicut petii, et ob hoc « *anima mea exsultabit in Domino,* » non in divitiis, vel honoribus, vel deliciis, quia nihil Deo dulcius, Psal. XXX, 20 : *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti,* etc. Deo nihil durabilius, Augustinus in *Glossa :* « Quo nihil suavius « est, nec deficit qui omnia fecit. » Psal. CI, 27 et 28 : *Mutabis eos, et mutabuntur : tu autem idem ipse es.* Deo nihil sufficientius, Augustinus : « In ipso habebis omnia. » Sap. VII, 11: *Venerunt mihi om-*

nia bonapariter cum illa. Joan. xiv, 8 : *Domine, ostende nobis Patrem, et sufficit nobis.*

« *Et delectabitur.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Vere exsultabit, et hoc quia « *delectabitur super salutari suo,* » hoc est, quia ipse salutaris suus liberans a limbo, et restituens corpori proprio, secundum illud Psal. xv, 10 : *Non derelinques animam meam in inferno : nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem*[1]. Vel sic : « *Anima mea,* dicit justus, *exsultabit in Domino.* » Quippe anima spiritus est, et Deus similiter : simile autem in suo exsultat simili. Joan. iv, 24 : *Spiritus est Deus.* « *Et delectabitur in salutari suo,* » Christo scilicet, de quo Isa. lii, 10 : *Videbunt omnes fines terræ salutare Dei nostri.* Delectabitur autem in Deo anima, et exsultabit in salutari aliquantulum quod est in carne, nec facit nisi gustare, Psal. xxxiii, 9 : *Gustate, et videte.* Et alibi, Psal. lxxvi, 4 : *Memor fui Dei, et delectatus sum,* et uberius cum est exuta a corpore. Isa. lviii, 14 : *Tunc delectaberis super Domino Deo tuo, et sustollam te super altitudines terræ.* Sed perfecte cum resumpto corpore unita fuerit in resurrectione, quia modo est aliquid desiderii sui ad corpus quo caret. Job, xxii, 26 : *Tunc super Omnipotentem deliciis afflues, et elevabis ad Deum faciem tuam.* Prov. xiii, 19 : *Desiderium, si compleatur, delectat animam.*

10

« *Omnia ossa mea.* » Hic tertium in quo subjungitur de laude, et legitur in persona Christi : Sic anima mea exsultabit, et delectabitur, « *et omnia ossa mea,* » scilicet Apostoli mei Spiritu sancto roborati, et fortes facti ut ossa. Luc. xxiv, 49 : *Sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto.* « *Dicent,* » te laudando : « *Domine, quis similis tui ?* » Quasi diceret : Nullus. Psal. lxxxviii, 9 : *Domine Deus virtutum, quis similis tibi ?*

Vel sic : « *Omnia ossa mea,* » dicit justus, id est, tota mentis meæ fortitudo, « *dicent : Quis similis tibi ?* » Quasi diceret : Nullus deorum, nullum idolum. Psal. lxxxv, 8 : *Non est similis tui in diis, Domine, et non est secundum opera tua.* Tu solus hominem condidisti, Genes. i, 26 : *Faciamus hominem ad imaginem, et similitudinem nostram.* Tu conditum liberasti, et eripuisti de potestate diaboli, Ad Coloss. i, 13 : *Qui eripuit nos de potestate tenebrarum.* Tu solus infernum spoliasti, Ad Coloss. ii, 15 : *Exspolians principatus et potestates.* Solus mortem destruxisti resurgendo, Sap. xvi, 13 : *Domine, qui vitæ et mortis habes potestatem.*

Ossa ergo appellantur homines, et mali qui carent humore omnis gratiæ Dei. Sic illa ossa, Ezech. xxxvii, 4 : *Ossa arida, audite verbum Domini.* Omnes justi generaliter, qui candent candore gratiæ. Isa. lviii, 11 : *Ossa tua liberabit,* Glossa : « Justos ab igne æterno. » Apostoli specialiter, qui totam sustentant Ecclesiam infirmorum, sicut ossa carnem. Thren. i, 13 : *De excelso misit ignem in ossibus meis, et erudivit me.* Virtutes etiam. Supra, in Psal. xxxiii, 21 : *Custodit Dominus omnia ossa eorum.* Operationes etiam ossa dicuntur. Primo, quæ sunt generationes bonorum, quia fortia. Psal. lii, 6 : *Dissipavit Dominus ossa eorum, qui hominibus placent,* hoc est, opera bona quantum ad genus operis. Exempla sanctorum, et formata charitate. Genes, l, 24 : *Asportate ossa mea vobiscum.* Sicut in corpore remanent ossa, sic de viris justis opera bona, et exempla bona quæ nobiscum sunt deferenda.

[1] Cf. Act. ii, 27 et 35.

« *Eripiens inopem.* » Hic subjungitur ratio laudis quæ tangitur duplex. Prima, ereptio a violenter detinente. Secunda, a nequiter opprimente, ibi, « *Egenum et pauperem.* »

Dicit ergo : Sic omnia ossa mea laudabunt, et justum est, quia tu es, « *eripiens inopem,* » genus humanum et maxime populum Gentilem, « *de manu,* » id est, de potestate « *fortiorum ejus.* » Job, XLI, 24 : *Non est super terram potestas, quæ comparetur ei.* « *Inopem* » dicit, non divitem. Dives enim habet defensionem, et adjutoria multa, divitias suas. Proverb. XVIII, 11 : *Substantia divitis urbs roboris ejus.* Proverb. XIII, 8 : *Redemptio animæ viri divitiæ suæ.* Amicos. Eccli. XIII, 25 : *Dives commotus, confirmatur ab amicis suis.*

« *Egenum et pauperem,* » genus humanum ut prius, « *a diripientibus* » et crudeliter opprimentibus « *eum,* » scilicet dæmonibus, vel malis hominibus, qui sunt membra diaboli. Proverb. XXVIII, 15 : *Leo rugiens, et ursus esuriens, princeps impius super populum pauperem.* Et loquitur rhetorice eamdem rem diversis signans nominibus. Est enim *inops*, qui caret ope : *egenus*, qui gente, vel genere : *pauper,* qui parum habet in pera, et sic caret possessione. Et vere tales eripit de manu tyrannorum, latronum, et draconum eo ipso quod tales sunt. Tyrannorum, Chrysostomus super *Matthæum* : « Maximam defensionem habet inopia, quam rex ipse numquam manu tenere potest. Sed philargum universi contristant, et homines, et tineæ, et vermes, et tempus ipsum adversus ipsum militat. » Latronum, quia scriptum est :

Inopia tuta, divitem omnia infestant.

Cantabit vacuus coram latrone viator.

Isa. XIV, 30 : *Pauperes fiducialiter requiescent.* Draconum, quia sicut dicunt, serpens in vestitum hominem insilit, et nudum fugit. Nec tantum materialium, sed etiam spiritualium, scilicet dæmonum. Chrysostomus : « Si vis esse terribilis dæmonibus, abscinde nocumenta per quæ possunt te arctare, et contristare. » Utinam salvos eos faceret a lingua causidicorum, quod non fit adhuc, quia lingua eorum omnibus crudelior, Eccli. XXVI, 9 : *Flagellum linguæ, omnibus communicans.* Sed tandem liberabuntur in futuro. Job. v, 15 : *Porro salvum faciet egenum a gladio oris eorum, et de manu violenti pauperem,* quando ipsi a pauperibus judicabuntur. Job, XXXVI, 6 : *Judicium pauperibus tribuit.*

« *Surgentes testes iniqui.* » Hic secunda pars Psalmi, in qua præmissa narratione, subjungitur narratio passionis. Et primo agit de Christi passione. Secundo, de ejus compassione, ibi, « *Quasi proximum, et quasi fratrem.* » **11**

Secunda pars Psalmi.

In prima duo. Primo, multiplex pœna. Secundo, patientia laboriosa, ibi, « *Ego autem cum mihi.* »

In prima tria. Primo, falsorum impositio. Secundo, malorum illatio, ibi, « *Retribuebant.* » Tertio, debitorum bonorum subtractio, ibi, « *Sterilitatem animæ meæ.* »

Dicit ergo : Sic eripis a miseriis tuos a quibus non sum immunis, quia « *surgentes testes iniqui.* » Cassiodorus : « Exsurgentes, id est, impetuose, et sine omni deliberatione contra me surgentes. » Prov. XII, 19 : *Qui testis est repentinus, concinnat linguam mendacii.* « *Testes iniqui,* » qui contra veritatem testabantur. Psal. XXVI, 12 : *Insurrexerunt in me testes iniqui*, etc.

« *Quæ ignorabam,* » actu et experientia, si non adspectu, scilicet peccata. Isa. LIII, 9, et I Pet. II, 22 : *Qui peccatum non fecit.* II ad Corinth. v, 21 : *Qui non noverat peccatum*, experientia, *pro nobis peccatum fecit,* id est, est oblationem pro peccato. Habac. I, 13 : *Mundi sunt oculi tui,... et respicere ad iniquitatem non poteris.* Augustinus hoc dicit in originali, quod divinitas Christi dicitur quo-

Quomodo Deus peccatum ignorat?

dammodo ignorare peccatum, quia non habet in Deo ideam. Unde dicit : « Si « non hærebitis regulis meis, vitia estis : « ergo ars ipsa, quæ vitium non habet. » Psal. xci, 16 : *Rectus Dominus Deus noster, et non est iniquitas in eo.* Et secundum ideam, I Joan. i, 5 : *Deus lux est, et tenebræ in eo non sunt ullæ.*

« *Interrogabant me,* » volentes me accusare et condemnare de iis quæ non feceram. Joan. viii, 48 : *Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, et dæmonium habes ?*

12 « *Retribuebant mihi mala.* » Quasi diceret : Sic verbis, nec tantum hoc, imo « *retribuebant mihi mala pro bonis,* » non tantum verborum, sed etiam verberum. Sap. ii, 19 : *Contumelia et tormento interrogemus eum* : pro bonis verbis et operibus bonis quæ nobis exhibuit, scilicet prædicationem, et corporum sanationem. Joan. x, 32 : *Multa bona opera ostendi vobis a Patre meo, propter quod eorum opus me lapidatis ?* In hoc perpende, quod de lege diaboli erant. Quadruplex enim est lex : Dei, reddere bonum pro malo, Matth. v, 44 : *Diligite inimicos vestros.* Lex carnis, malum pro malo, Eccli. xxviii, 5 : *Ipse cum caro sit, reservat iram.* Naturæ, bonum pro bono, Psal. xlviii, 19 : *Confitebitur tibi cum bene feceris ei.* Proverb. viii, 17 : *Ego diligentes me diligo,* Diaboli, reddere malum pro bono, Jerem. xviii, 20 : *Numquid redditur pro bono malum ?* Propter hoc bene dicitur eis, Joan. viii, 44 : *Vos, ex patre diabolo estis.*

Quadruplex est lex, Dei, carnis, naturæ, et diaboli.

« *Sterilitatem animæ meæ.* » Ecce tertium. Quasi diceret : Sic mala inferebant pro bonis, et bona subtrahebant quæ debebant, quia *sterilitatem retribuebant animæ meæ,* cum fructum multum deberent facere : Judæam enim tamquam vineam plantavi plantatione optima, Jerem. ii, 21 : *Ego plantavi te vineam electam, omne semen verum.* Sepivi Angelorum custodia, Psal. xc, 11 : *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis.* Irrigavi temporibus opportunis pluvia doctrinæ, Deuter. xxxii, 2 : *Concrescat ut pluvia doctrina mea, fluat ut ros eloquium meum.* Tamen nihil boni attulit, sed sterilis pessime remansit, Isa. v, 2 : *Exspectavit ut faceret uvas, et fecit labruscas :* imo spinas pessimas, secundum illud Genes. iii, 17 : *Maledicta terra in opere tuo, spinas et tribulos germinabit tibi.* Quid plura ? Attuli ei honorem, et ipsa mihi contumeliam, Joan. viii, 49 : *Ego honorifico Patrem meum, et vos inhonorastis me.* Attuli medicinam, Sap. xvi, 12 : *Domine, neque herba, neque malagma sanavit eos, sed omnipotens sermo tuus, qui sanat omnia.* Et ipsa mihi vulnera, Isa. liii, 3 : *Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras.* Atulit ipsi vitam, Joan. vi, 51 : *Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi.* Et ipsa mihi mortem, Sap. ii, 20 : *Morte turpissima condemnemus eum.*

Ingrati in Christum Judæi.

« *Ego autem cum mihi molesti essent.* » 13
Hic secundum : præmissa enim pœna multiplici, subjungitur patientia gravis multum et laboriosa. Et tanguntur tria. Primo, cohibitio fortis, ne ostenderet quis esset. Secundo, efficax, ut magis lateret, ibi, « *Humiliabam in jejunio.* » Tertio, solitaria oratio, ibi, « *Et oratio mea.* »

Dicit ergo : Sic mihi fecerunt, « *autem,* » pro sed, « *Ego cum mihi molesti essent,* » sæviendo in me, Psal. cxvii, 12 : *Circumdederunt me sicut apes, et exarserunt,* etc., « *induebar* » cilicio, sub quo latebam.

Sed opponunt Augustinus et Hieronymus similiter, quod Dominus numquam fuit indutus cilicio. De jejunio autem ejus bene legimus, Matth. iv, 2, et Luc. iv, 1 et seq. Cilicium ergo appellat hic carnem similem peccatrici : quia cilicium fiebat de pilis caprarum. Per capram autem peccator designatur. Levit,

Christi patientia et humilitas in passione. Caro Christi cilicium.

IV, 27 et 28 : *Si peccaverit anima per ignorantiam,.. et cognoverit peccatum suum, offeret capram immaculatam.* Sensus ergo est : Latui sub carne simili peccatrici. Isa. XLV, 15 : *Vere tu es Deus absconditus,* Habac. III, 4 : *Ibi abscondita est fortitudo ejus.* Nisi se abscondisset, procul dubio crucifigi non potuisset, qui unico verbo eos prostravit[1].

Cilicium utile ad multa.

Et nota, quod cilicium valde utile est ad multa. Primo, valet ad exercendam patientiam hominis : pugnat enim interius et continue. Chrysostomus super Matth. III, 4 : « *Joannes habebat vesti-« mentum de pilis camelorum,* non de « lana, ne mollities vestis delicata faciens « membra, virtutem patientiæ emolli-« ret, sed de asperis setis, ut ipsa aspe-« ritas patientia animum exerceret. » Hinc est, quod tabernaculum, quo significabatur corpus humanum, tegebatur setis exterius, ut defenderetur ab injuria imbrium[2]. Item, valet ad carnem edomandam. Chrysostomus ibidem : « Uta-« mur asperis ad carnem edomandam. » Isa. III, 24 : *Erit pro fascia pectorali, cilicium.* Fascia pectoralis reprimit fluxum carnis. Item, valet ad promovendam bonam famam. Ibidem Chrysostomus : « Tale habuit vestimentum, ut de « virtute animi loqueretur, sicut molle « vestimentum est signum effœminati « animi. » Bernardus : « Mollia vestimen-« ta, mollitiem animi indicant. » Eccli. XIX, 27 : *Amictus corporis... enuntiat de illo.* Item, valet ad vitandam culpam. Hoc patet in divite, qui induebatur purpura et bysso, et positus est in inferno[3]. Gregorius : « Si cultus pretiosarum « vestium culpa non esset, sermo Domi-« ni non tam signanter exprimeret, quod « indutus purpura et bysso apud inferos « torqueretur. » Item, valet ad impetrandam gratiam. Hinc de Judith dicitur, *Judith ingressa est oratorium* IX, 1 : *suum : et induens se cilicio, posuit cinerem super caput suum.* Item, valet ad tuitionem contra diabolicam impugnationem. Unde Hieronymus : « Cinis et cili-« cium arma pœnitentium. »

« *Humiliabam in jejunio.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic latebam sub cilicio, et humiliabam. Species sumitur pro genere, id est, affligebam « *in jejunio animam meam,* » non corporali, sed spirituali. Patet, quod de spirituali jejunio loquitur, et afflictione animæ interiori. In hoc autem forma exprimitur jejunandi, ut cum jejunamus, humiliemus animas. Judith, VIII, 16 : *Humiliemus illi anmas nostras in jejuniis.* Sunt enim quidam qui jejunant superbe, de jejunio suo superbientes. Isa. VII, 8 : *Caput Syriæ,* hoc est, superbiæ, *Damascus,* potus sanguinis : sanguinem enim suum quasi bibit jejunans, sed cum inde superbit, Damascum Syriæ caput facit. Syria enim *sublimis* interpretatur. Alius jejunat famæ, ut appareat et dicatur bonus, sicut hypocritæ. Matth. VI, 16 : *Cum jejunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes : exterminant enim facies suas, ut appareant hominibus jejunantes.* Alii in facie pingunt venalem pallorem, quasi jejunii signum. Displicet eis natura sua, quia non potest mentiri, et misera facies carnis innocens castigatur, quia fraudibus non consentit. Alii jejunant bursæ. Isa. LVIII, 3 : *Quare jejunavimus, et non adspexisti ?* Respondetur eis : *Ecce in die jejunii vestri invenitur voluntas vestra, et omnes debitores vestros repetitis.* Alii carni, ut medici, scientes illud Eccli. XXXVII, 33 et 34 : *In multis escis erit infirmitas.* Et infra : *Propter crapulam multi obierunt.*

Multi male jejunant.

[1] Joan. XVIII, 8.
[2] Cf. Exod. XXVI, 7.
[3] Luc. XVI, 19 et seq.

« *Et oratio mea.* » Hic tertium, scilicet oratio secreta, et in occulto, quia latebat in ipso divinitas, quam orabat in quantum homo. Vel melius ipse homo.

Ait enim : Sic humiliabam animam meam, « *et oratio mea in sinu meo convertetur,* » id est, ad id quod in me est reconditum. Bona societas jejunii et orationis. Tob. xii, 8 : *Bona est oratio cum jejunio et eleemosyna.* Chrysostomus super *Matthæum :* « Sicut nec miles sine « armis est aliquid, nec oratio sine je- « junio. » Vel sic posset intelligi : « *Oratio mea in sinu meo convertetur,* » id est, illis tantum proderit oratio mea, qui prædestinati sunt, et quasi in sinu meo existunt. Hi significantur per manum Moysi, quæ cum fuit in sinu, tota sana erat, extra, leprosa [1]. Sic etiam potest de justo intelligi : « *Oratio mea convertetur in sinu meo,* » mihi quidem fiet utilis, etsi non prosit aliis pro quibus oro. Matth. x, 13 : *Si autem non fuerit digna,* scilicet domus, *pax vestra revertetur ad vos.*

14 « *Quasi proximum et quasi fratrem.* » Hic est secundum, in quo agitur de compassione, postquam actum est de Passione, et primo ostendit suam ad illos compassionem. Secundo, ipsorum ad se ingratitudinem, et perversitatem, ibi, « *Et adversum me.* »

Compassio Christi exhibita inimicis.

In prima duo. Primo, affectio cordis interior ad ipsos. Secundo, exterior operis compassio, ibi, « *Quasi lugens et contristatus.* »

Dicit ergo : Sic patiebar, et in patientia sustinebam, et etiam compatiebar, quia « *sic complacebam* » Deo Patri, quasi habens illum in illo populo. Vel talem affectum ad illum habebam, « *quasi proximum, quasi fratrem,* » id est, quasi de proximo, et quasi de fratre : et sumitur casus pro casu. Vel sic : « *Complacebam* » Deo Patri, quasi habens illum populum ut fratrem et proximum. Vel quod plus est, ut fratrem : affectus enim dilectionis et compassionis facit placere Deo Patri. Matth. iii, 17 : *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui :* quia implebam illud Matth. v, 44 : *Diligite inimicos vestros.* Job, xxx, 29 : *Frater fui draconum, et socius struthionum.* Sed bonos habet fratres Christus, scilicet facientes voluntatem Patris. Matth. xii, 50 : *Quicumque fecerit voluntatem Patris mei qui in cœlis est, ipse meus frater, et soror, et mater est.*

« *Quasi contristatus et lugens.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic compatiebar interius et humiliabar exterius pro ipsis revocandis, « *tamquam contristatus* » corde, et lugens in exteriori justitiæ ostensione. Verum est : Contristatur et lugebat. Luc. xix, 41 et 42 : *Videns Jesus civitatem, flevit super illam, dicens : Quia si cognovisses et tu.* Hæc tristitia, hic luctus figuratus fuit II Reg. i, 17, in fletu David super Saul inimicum suum, et in fletu ejusdem super Absalomen filium [2]. Genes. xlv, 2 : *Elevavitque vocem cum fletu : quam audierunt Ægyptii.* Inimici tamen erant fratres sui. Matth. xxvi, 37 : *Cœpit Jesus contristari, et mæstus esse.*

« *Et adversum me lætati sunt.* » Hic secundum, in quo ostensa Christi ad ipsos benignitate, demonstratur ipsorum ad ipsum malignitas, sive iniquitas. Et primo, tangitur iniquitas. Secundo, malignitatis incorrigibilitas, ibi, « *Dissipati sunt.* » 15

In prima tria. Primo, maligna cordis exsultatio contra Christum. Secundo, concors consilium cordis, ibi, « *Et convenerunt.* » Tertio vero, illata injuria operis, ibi, « *Congregati sunt.* »

[1] Cf. Exod. iv, 60.

[2] Cf. II Reg. xviii, 33.

Dicit ergo : Sic ergo contristabar de eorum perditione, et e contrario « *adversum me lætati sunt,* » hoc est, de mea perditione quam æstimaverunt, me reputantes inimicum. Thren. I, 21 : *Omnes inimici mei audierunt malum meum, lætati sunt, quoniam tu fecisti.* Et hoc contra, Proverb. XXIV, 17 : *Cum ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas, et in ruina ejus non exsultet cor tuum.* Hoc erat gaudium phrenetici, qui gaudet ad illos qui tristantur de se. Eccle. II, 2 : *Risum reputavi errorem : et gaudio dixi : Quid frustra deciperis ?*

« *Et convenerunt,* » in consilium contra me loquentes, et dantes concilium. Joan. XI, 47 : *Collegerunt ergo Principes et Pharisæi concilium.* Act. IV, 27 : *Convenerunt in civitate ista, adversus sanctum puerum tuum Jesum.* Nec hoc tantum, imo « *congregati sunt super me,* » ab eis ut iniquitatem experirer in facto, « *flagella.* » Flagella appellat omnes quas intulerunt tribulationes. Dicit enim Augustinus quod « flagellum « grave est tribulatio justo. » Psal. LXXII, 14 : *Et fui flagellatus tota die.*

« *Et ignorabam.* » Alia litera habet : « Et ignoraverunt. » Et secundum has duas litteras legitur quinque modis. Duobus, primum : tribus, secundum. Primum dicit, « *Et ignoravi,* » id est, ad modum ignorantis me habui. Jerem, XI, 19 : *Ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam : et non cognovi, quia cogitaverunt super me consilia iniqua.* Isa. XLII, 14 : *Tacui semper, silui, patiens fui.* Secundo modo, « ignoravi, » supple, causam quare hoc faciebant, esse ex parte mea, quia nulla erat. Joan. XVIII, 38 : *Dixit Pilatus : Ego nullam invenio in eo causam.* Job, IX, 17 : *Multiplicabit vulnera mea, et sine causa.* Tertio modo et secundum aliam litteram, « et ignoraverunt, » scilicet cui hæc fecerunt. I ad Corinth. II, 8 : *Si enim cognovissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent.* Vel, « ignoraverunt » causam quare hoc fecerunt. Luc. XXIII, 14 : *Dixit ad illos* Pilatus : *Obtulistis mihi hunc hominem, quasi avertentem populum, et ecce ego coram vobis interrogans, nullam causam invenio in homine isto.* Vel, « ignoraverunt, » quod hoc factum esset in caput illorum reversurum. Eccli. XXVII, 30 : *Facienti nequissimum consilium, super ipsum devolvetur.*

Secundum primam lecturam tangitur hic triplex gradus patientiæ. Primus est sensum pœnæ mitigans. Proverb. XV, 18 : *Vir iracundus provocat rixas : qui patiens est, mitigat suscitatas.* Et hæc est virtus politica. Secundus gradus est sensum pœnæ auferens. Prov. XXIII, 35 : *Verberaverunt me, sed non dolui : traxerunt me, et ego non sensi.* Et est gradus purgatorius. Tertius est passiones omnino ignorans. Ad hunc monet, Levit. XIX, 18 : *Nec memor eris injuriæ civium tuorum.* Et est purgati animi. Ad hunc perducit fervens dilectio. Psal. LXXII, 21 et 22 : *Inflammatum est cor meum, et renes mei commutati sunt : et ego ad nihil redactus sum, et nescivi.* **Patientia vel mitigat, vel fert, vel ignorat pœnam.**

« *Dissipati sunt, nec compuncti,* » Hic describit eorum incorrigibilitatem in duobus. Primo, quia præterita non corrigunt. Secundo, quia pejora superaddunt, ibi, « *Tentaverunt me.* » **16**

Dicit ergo : Tales fuerunt : sed numquam correcti. Et etiam « *dissipati sunt,* » corde dissoluti, et stupefacti visis miraculis quæ in ea fiebant passione, quando sol obscurabatur, Matth. XXVII, 52 : *Monumenta aperta sunt.* Et post passionem statim per Apostolos, Act. III, 10 : *Impleti sunt stupore et exstasi in eo quod contingerat illi.* « *Dissipati* » etiam, quia per totum orbem dispersi. Eccli. XLVIII, 16 : *Ejecti sunt de terra sua, et dispersi sunt.* Vel, « *dissipati,* » multis scilicet opinionibus divisi de Christo habitis. Joan. VII, 12 : *Murmur multum erat in turba de eo. Quidam enim dicebant :*

quia bonus est. Alii autem dicebant : Non, sed seducit turbas.

« *Nec tamen compuncti* » sunt, ut præterita mala corrigerent. Job. xxiv, 23 : *Dedit ei Deus locum pœnitentiæ, et ille abutitur eo in superbiam.* Apoc. ii, 21 : *Et dedi illi tempus ut pœnitentiam ageret : et non vult pœnitere a fornicatione sua.*

« *Tentaverunt me.* » Hic pejor superadditio tentationis, scilicet irrisionis, in simplici verbo : subsannationis, in cachinno.

Dicit ergo : Sic non correxerunt præterita : imo « *tentaverunt me.* » Matth. xxvi, 40 : *Si filius Dei es, descende de cruce.* « *Subsannaverunt me,* » irridendo, subsannatione : hoc addit ut notet frequentiam. Cassiodorus : « Hac geminatione copiose res facta dicitur, sicut « alibi in bono, Isa. lxi, 10 : *Gaudens « gaudebo in Domino.* » De hac autem copia, Thren. iii, 30 : *Saturabitur opprobriis* : et ne parum esset, « *frenduerunt,* » præ crudelitate : frendere enim ferarum est : « *super me dentibus suis.* » Job, xvi, 10 : *Infremuit contra me dentibus suis.* Et Psal. cxi, 10 : *Peccator videbit et irascetur, dentibus suis fremet et tabescet.* Thren. ii, 16 : *Fremuerunt dentibus, et dixerunt : Devorabimus eum.* In tentatione verbum fraudulentum, in subsannatione signatur irrisorium : sed hic frendendo crudelissimum exprimit affectum.

17 « *Domine, quando respicies.* » Hic tertia pars Psalmi, in qua reditur ad orationem, et superadditur his quæ supra dicta sunt, et est trina oratio. Prima enim orat de sibi propriis. Secunda oratio agit de adversariis, ibi, « *Exsurge, Domine.* » Tertia, pro membris, ibi, « *Exsultent et lætentur.* »

Tertia pars Psalmi. Oratio Christi de se, de inimicis, et de suis.

In prima duo. Primo, petit sibi bona fieri. Secundo, mala non fieri, ibi, « *Non supergaudeant.* »

In prima duo. Primo, petit. Secundo, ut attrahat, promittit gratiarum actionem si fecerit, ibi, « *Confitebor tibi in Ecclesia.* »

In prima duo secundum duo quæ petit. Primo, Dei respectum et misericordiam. Secundo, restitutionem, ibi, « *Restitue animam.* »

Dicit ergo : Sic illi me irrident, et in me frendent : Et tu, « *Domine, quando respicies ?* » Quæstio petitionem valet, hoc est, quando mihi respectum misericordiæ exhibebis ? De quo, Sapient. iv, 15 : *Gratia Dei et misericordia est in sanctos ejus, et respectus in electos illius.* Videbatur enim Deus Pater hunc respectum a Filio subtraxisse. Job, xxx, 20 : *Sto, et non respicis me.* Vel, « *quando respicies* » inimicos ? Habac. i, 13 : *Quare respicis super iniqua agentes ?*

« *Restitue animam meam.* » Hic petit restitutionem. Primo, animæ. Secundo, corporis, sive carnis, ibi, « *A leonibus.* »

Ait enim : Sic repisce : et o « *Domine, restitue* » post triduum, « *a malignitate eorum,* » id est, a morte quam malitiose mihi intulerunt, « *animam meam,* » carni suæ. Eccli. xi, 12 et 13 : *Est homo marcidus egens recuperatione,* etc. Et subditur : *Et oculus Domini respexit illum.*

« *A leonibus,* » id est, principibus sacerdotum. Principes enim leones sunt, Prov. xix, 12 : *Sicut fremitus leonis, ita et regis ira.*

« *Unicam meam.* » Carnem meam quæ dicitur *unica*. Primo, quia sola sine peccato concepta, et nata, et perseverans in vita. Item, quia ex unico principio, ex sola scilicet Virgine. Et nota hic, quod Principes vel Prælati dicuntur *leones* ratione proprietatis multiplicis. Prima est, quia leoni placido cauda est immobilis, irato movetur. Consilium cauda regum et prælatorum, cui irascitur, totum suum consilium contra illum movetur : cui placatur, et totum consilium placatur. Eccli. x, 2 : *Secundum judicem populi, sic et ministri ejus : et qua-*

Principes leonibus collati.

lis est rector civitatis, tales et habitantes in ea. Item, nisi satientur, valde crudeles sunt. Sic principes, Michæ. III, 5 : *Si quis non dederit in ore eorum quippiam, sanctificant super eum prælium.* Proverb. XXVIII, 15 : *Leo rugiens, et ursus esuriens, princeps impius super populum pauperem.* Item, leo est paucorum filiorum aut nullorum. Sic princeps paucorum hæredum, Jerem. XVIII, 19 : *Non erit semen ejus, neque progenies in populo suo.* Item, magnus ardor coitus est in leonibus, sic in principibus. Nec mirum : quia propter superfluitatem ciborum. Unde Hieronymus : « Ventrem distentum cibo, et vini « potionibus irrigatum voluptas genita« lium sequitur, atque pro membrorum « ordine, ordo vitiorum est. » Proverb. XX, 1 : *Luxuriosa res vinum.* Item, leones hieme sunt sani, sed infirmi febricitantes æstate. Hiems vita ista : in hac hieme ducunt in bonis dies suos, sed in æstate, id est, in alia vita, febricitabunt. Job, XXIV, 19 : *Ad calorem nimium transeat ab aquis nivium.*

18 « *Confitebor.* » Hic secundum, in quo promittit gratiarum actionem, quæ duo requirit : recognitionem beneficii, et hanc promittit primo. Secundo, laudem beneficii, ibi, « *In populo gravi.* »

Ait ergo : Hæc peto, et ego si impetravero, *confitebor tibi,* » tua beneficia recolendo ad honorem tuum. Psal. XLVIII, 19 : *Confitebitur tibi cum bene feceris ei.* Et hoc « *in Ecclesia magna,* » numero fidelium, quia de gentibus omnibus congregata. Psal. LXXXV, 9 : *Omnes gentes quascumque fecisti, venient, et adorabunt coram te, Domine, et glorificabunt nomen tuum.* Item, loco, quia per totum mundum diffusa, Malach. I, 11 : *Ab ortu solis usque ad occasum, magnum est nomen meum, et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda.* Item, præmio, quia non promittuntur ei temporalia sicut Synagogæ, sed æterna. I Joan. II, 25 : *Hæc est repromissio quam ipse pollicitus est nobis, vitam æternam.*

« *In populo gravi* » Quasi diceret : Etsi confitear in Ecclesia, in qua sunt paleæ cum granis. Paleæ autem laudare non possunt, Eccli. XV, 9 : *Non est speciosa laus in ore peccatoris* : non laudabo cum paleis quæ leves sunt, sed in populo gravi, id est, cum granis bonis, et gravibus « *laudabo te.* » Quidam enim habent plumbeam gravitatem, de quibus in Psal. IV, 3 : *Filii hominum, usquequo gravi corde.* Et est aurea gravitas, quæ est in istis de quibus ad Titum, II, 7 : *In omnibus teipsum præbe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate.* Sic Epistolæ Pauli dicuntur *graves,* quia divina sapientia plenæ. II ad Cor. X, 10 : *Epistolæ graves,* [1] etc.

« *Non supergaudeant mihi.* » Hic se- 19
cundum, in quo petit sibi mala non fieri. Primo, ab adversario. Secundo, quod nec a Deo, ibi, « *Vidisti, Domine.* »

In prima duo. Primo, petitio. Secundo, persuasio, quod acquiescendum est illi petitioni, ibi, « *Qui adversantur.* »

Dicit ergo : Sic fiant mihi prædicta bona, et etiam non « *supergaudeant mihi,* » insultando de impossibilitate resurgendi. Vel secundum Glossam de multitudine paleæ, id est, peccatorum existentium in Ecclesia cum granis. Thren. II, 15 : *Sibilaverunt, et moverunt capita super filiam Jerusalem : Hæccine est urbs, dicentes perfecti, decoris, gaudium universæ terræ ?* Hæc autem irrisio est : quia non habent oculum ad totam Ecclesiam, sed tantum ad malos. Hoc significatum fuit, Num. XXII, 13 :

[1] II Ad Corinth. X, 10 : *Quoniam quidem epistolæ, inquiunt, graves sunt, et fortes*

Dixit Balac ad Balaam : *Veni mecum in altum locum, unde partem Israel videas, et totum videre non possis, inde maledicito ei.*

« *Qui adversantur mihi.* » Hic persuasio a triplici iniquitate inimicorum, operis, et cordis, ibi, « *Qui oderunt me gratis.* » Et oris, ibi, « *Quoniam mihi quidem.* »

Dicit ergo : Non supergaudeant irridendo. « *Qui,* » id est, quia illi « *adversantur mihi inique,* » non ad me corrigendum, sed ad subvertendum. Job, xxvii, 7 : *Sicut impius, inimicus meus.* Jer. xii, 6 : *Fratres tui, et domus patris tui, etiam ipsi pugnaverunt adversum te.*

« *Qui oderunt.* » Hic iniquitas. Primo, odium. Secundo, velamen odii et malignitatis, ibi, « *Et annuunt.* »

Ait enim : Sic debes fideles audire, quia iniqui adversantur, « *qui etiam oderunt me gratis,* » pro nihilo, et sine causa. Joan. xv, 25 : *Ut impleatur sermo, qui in lege eorum scriptus est : Quia odio habuerunt me gratis* [1].

« *Et anuunt oculis,* » simulantes quod me diligant. Isa. xxxii, 6 : *Cor ejus faciet iniquitatem, ut perficiat simulationem.* Vel « *annuunt* » ad invicem tacitis nutibus intuendo contra me. Cassiodorus : « Cum prodi voce nolumus, tacitis oculorum nutibus admonemus. » Prov. vi, 12 et seq. : *Homo apostata, vir inutilis graditur ore perverso, annuit oculis, terit pede, digito loquitur : pravo corde machinatur malum.*

20 « *Quoniam mihi quidem pacifice.* » Hic est tertium, in quo subdit de malitia sermonis, et primo de sermone doloso. Secundo, de aperte injurioso, ibi, « *Et dilataverunt.* »

In prima duo. Primo, pacis simulatio dolum tegens tangitur. Secundo, iracundia subtus latens, ibi, « *Et in iracundia terræ.* »

Dicit ergo : « *Annuunt oculis.* » Et vere simulatores sunt, quoniam « *mihi quidem pacifice loquebantur.* » Matth. xxii, 16 : *Magister, scimus quia verax et, et viam Dei,* etc. Joan. viii, 4, iterum eum magistrum dicunt : *Magister, hæc mulier modo deprehensa est in adulterio.* Eccli. xii, 15 : *In labiis suis indulcat inimicus, et corde suo insidiatur, ut subvertat semitas judicii.*

« *Et dolos cogitabant.* » Matth. xv, 8 : *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me* [2]. Jerem. xii, 2 : *Prope es tu ori eorum, longe autem a renibus eorum.*

« *Loquentes in iracundia,* » in corde habita ad interficiendum, ad differentiam latronum qui non loquuntur in iracundia, sed magis in cupiditate : quia quærunt auferre rem, non personam. Matth. xxvi, 4 : *Consilium fecerunt ut Jesum dolo tenerent, et occiderent.*

« *Iracundia,* » inquam, « *terræ,* » id est, ex terrenis habita. Ob hoc enim irascebantur, quia timebant amittere regnum et gentem [3]. Hoc etiam potest exponi de parentibus carnalibus surgentibus contra sanctum propositum : loquuntur enim pacifice, dicentes illud Bernardi : « Magnum est quod proponis, et magna eget deliberatione : experire quid possis, amicos consule, ne post facta pœnitere contingat. » Hæc est sapientia mundi, animalis, et diabolica. Eccli. xxxvii, 9 : *A consiliario,* malo scilicet, *serva animam tuam : prius scito quæ sit illius necessitas : et ipse enim animo suo cogitabit.*

[1] Cf. Psal. xxiv, 19.

[2] Cf. Isa. xxix, 13 : *Et dixit Dominus : Eo quod appropinquet populus iste ore suo, et labiis suis glorificat me, cor autem ejus longe est a me.*

[3] Cf. Joan. xi, 48.

21 « *Et dilataverunt super me.* » Hic secundum, in quo subjungitur de sermone aperte injurioso. Et tangitur duplex. Primo, exclamationis in mortem. Secundo, irrisionis ipsius morientis, ibi, « *Dixerunt : Euge euge.*

Dicit ergo : Sic fraudulenter locuti sunt, et aperte « *dilataverunt super me os suum,* » quando clamaverunt illud Joan. XIX, 6: *Crucifige, crucifige.* Isa. V, 7: *Exspectavi ut faceret judicium, et ecce iniquitas.* Jerem. XII, 8: *Facta est mihi hæreditas mea quasi leo in silva : dedit contra me vocem.*

« *Dixerunt,* » videntes me mori : « *Euge euge, viderunt oculi nostri,* » miracula quæ fecit, ad potentiam ejus ironice loquendo. Thren. II. *Aperuerunt super te os suum omnes inimici tui.... dicentes : En ista dies, quam exspectabamus, invenimus, vidimus.* Et nota, quod tunc dilatatur organum cum extenditur ultra finem ad quem est, et tunc est abusio. Organum autem oris est ad loquendum et comedendum : et ipsi dilataverunt contra Christum, abutendo, quantum ad utrumque dilataverunt contra ipsum loquendo. Isa. LVII, 3 et 4 : *Semen adulteri, et fornicariæ, super quem lusistis ? super quem dilatastis os, ejecistis linguam ?* Item, immoderate quantum ad aliumusum, intendendo ut ipsum devorarent. Psal. XXI, 14 : *Aperuerunt super me os suum, sicut leo rapiens et rugiens.* Proverb. I, 12 : *Deglutiamus eum tamquam infernus viventem.* Et nota : « *Euge* » aliquando est interjectio gaudentis, et tunc idem est quod *bene est nobis.* Item, aliquando vox insultantis, Ezech. XXV, 3 : *Euge euge super sanctuarium meum, quia pollutum est.* Item, interjectio commendantis et applaudentes, Matth. XXV, 23 : *Euge, serve bone et fidelis.* Item, adulantis, Psal. XXXIX, 16 : *Ferant confestim conclusionem suam qui dicunt mihi : Euge euge.* Glossa : « Adulatorie. » Item, admirantis, Ezech. XXVI, 2 : *Dixit Tyrus de Jerusalem : Euge, confractæ sunt portæ populorum.* Secundo modo accipitur hic.

« *Vidisti, Domine.* » Hic secundum, in quo precatur quod mala sibi non fiant 22
a Deo : et primo tangitur persuasio. Secundo, oratio, ibi, « *Ne sileas.* »

Dicit ergo : Hæc mala faciunt adversum me, et o tu « *Domine, vidisti,* » et eorum malitiam et meam patientiam. Proverb. XV, 3 : *In omni loco oculi Domini contemplantur bonos et malos.* Ad Hebr. IV, 13: *Omnia nuda sunt et aperta oculis ejus.*

« *Ne sileas.* » Hic subjungit precationem. Primo, ne taceat sententiam. Secundo, ne puniat innocentem, ibi, « *Ne discedas.* »

Dicit ergo. Sic vidisti. Et propter hoc Domine, rogo ne taceas, vel sileas, id est, sententiam dare non differas pro me contra illos. Habac. I, 13 : *Quare respicis iniqua agentes, et taces devorante impio justiorem se ?* « *Ne discedas a me,* » in passione mea derelinquendo me in morte. Ad Hebr. XIII, 5 : *Ipse dixit : Non te deseram, nec derelinquam.* Psal. XXXVI, 28 : *Non derelinquet sanctos suos : in æternum conservabuntur.* Vel in persona membrorum : « *Ne discedas,* » sicut a synagoga recessisti. Isa. L, 1 : *In sceleribus dimisi matrem vestram.* Matth. XXVIII, 20 : *Et ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi.*

Exsurge, Domine, et intende. Hic subjungitur oratio de adversariis, vel magis 23
contra adversarios : et dicuntur tria. Primo, petit attente judicem attendere. Secundo, sententiam ferre, ibi, « *Judica me.* » Tertio, latæ sententiæ exsecutionem non differre, ibi, « *Non supergaudeant.* »

In prima duo. Primo, rogat judicem intendere sibi illatam injuriam. Secundo, passionis et injuriæ causam, ibi, « *Deus meus, et Dominus meus.* »

Dicit ergo : Sic rogavi pro me, et o tu « *Domine, exsurge,* » qui dormire videris, « *et intende judicio meo.* » Primo quo judicatus sum ab eis, reddens illis secundum quod meruerunt. Cassiodorus : « Judicium sine jure, tormenta sine scelere, mortem sine peccato. » « *Judicio meo,* » quo judicatus sum cum latronibus, pari quidem pœna, sed non culpa. Job, xxxvi, 17 : *Causa tua, quasi impii judicata est.* « *Deus meus,* » quem mea humanitas colit : « *et Dominus meus,* » cui mea humanitas servit, « *in causam meam,* » quia non propter me patior, sed propter alios. Isa. LIII, 5 : *Ipse vulnerastu est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra.* Signanter autem dicit « *causam meam,* » quia causa Martyrem facit, non pœna. Augustinus : « Si pœna Martyres faceret, « omnia metalla Martyres essent, omnes « catenæ Martyres traherent, sed non est « sic : sed causa. » Job, xxxv, 13 : *Omnipotens causas singulorum intuebitur.*

Sex causæ faciunt Martyrem.

Sunt autem sex causæ, quæ proprie faciunt Martyrem. Prima, mori pro omnibus, sicut Christus. Secunda, mori pro Christo, ut Stephanus [1]. Tertia, mori loco Christi, sicut Innocentes [2]. Quarta, mori pro veritate, ut Joannes Baptista [3]. Quinta, pro legis defensione, sicut Machabæi. Sexta, pro justitia, sicut Thomas Cantuariensis.

Christus perfectus noster advocatus.

Et nota, quod sicut Christus petit Patrem advocatum, sic nos debemus petere ipsum in causis nostris, contra diabolum : habet enim bonas advocati conditiones. Prima, de negotio sufficienter est instructus. Prov. xxix, 7 : *Novit justus,* scilicet Christus, *causam pauperum.* Alii advocati cognoscunt causas divitum : sibi derelinquitur causa pauperum. Psal. x, 14 : *Tibi derelictus est pauper, pupillo,* etc. Secunda, quia in facto est exercitatus. Ad Hebr. v, 8 : *Cum esset filius Dei, didicit ex iis quæ passus est, obedientiam* in illa causa quam habuit contra adversarium. Ad Hebr. iv, 15 : *Tentatum per omnia pro similitudine, absque peccato* [4]. Tertia, quia in jure peritissimus. Ad Coloss. ii, 3 : *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ, et scientiæ absconditi.* Omnia enim jura civilia plane novit. Proverb. viii, 15 : *Per me reges regnant, et legum conditores justa decernunt.* Quippe, Isa. xxxiii, 22 : *Dominus judex noster, Dominus legifer noster, Dominus rex noster.* Quarta, quia in sua causa diligentissimus. Psal. xxxix, 18 : *Ego autem mendicus sum et pauper, Dominus sollicitus est mei.* I Pet. v, 7 : *Omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis.* Quinta, quia in verbis eloquentissimus. Isa. l, 4 : *Dominus dedit mihi linguam eruditam.* Propter hoc glossatur, I Joan, ii, 1 : *Advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum.*

« *Judica me, Domine.* » Hic petit fieri 24
sententiam.

Ait enim sic : Sic attende, et post, « *judica me* : » et hoc « *secundum justitiam meam,* » quæ in me est. Job, xiii, 18 : *Si fuero judicatus, scio quod justus inveniar.* Vel « tuam » secundum aliam litteram, scilicet quam habeo a te, et propter hoc tua debet dici. Proverb. viii, 14 : *Meum est consilium et æquitas,* quæ est justitia cum misericordia.

« *Domine Deus meus.* » Quasi diceret : Tibi soli incumbit sic judicare, alii in hoc nihil possunt. Jer. xi, 20 : *Tu autem, Domine Sabaoth, qui judicas just*

[1] Act. vii, 59.
[2] Malth. ii, 16.
[3] Matth. xiv, 3 et seq.
[4] Cf. Matth. et Luc. iv.

et probas renes et corda, videam ultionem tuam ex eis.

« *Et non supergaudeant mihi.* » Hic tertium, et primo petit ut puniantur ni opere. Secundo, in corde, ibi, « *Non dicant.* » Tertio, in ore, ibi, « *Induantur.* »

Dicit ergo : « *Non supergaudeant mihi,* » irridendo de dilatione sententiæ, sed magis cogantur flere, et sentire illud Proverb. XIV, 13 : *Extrema gaudii luctus occupat.*

Pauperum causæ neglectæ. Vox etiam potest hic esse pauperis appellantis summum judicem, quia ei ad mundi judices accessus negatur. Isa. I, 23 : *Pupillo non judicant, et causa viduæ non ingreditur ad illos.* Si ingreditur, non auditur. Job, XIX, 7, in persona pauperis : *Ego clamabo vim patiens, et nemo audiet : vociferabor, et non est qui judicet.* Si autem ingreditur et auditur, antequam possit habere jus ipsum, consumitur et in viribus corporis et in rebus. Isa. XLIX, 4 : *In vacuum laboravi, sine causa fortitudinem meam consumpsi.* Et sequitur : *Judicium meum cum Domino.* Nec valebunt ibi exceptiones dilatoriæ : statim judicabit. Isa. XVI, 5 : *Sedebit super illud,* scilicet solium, *in veritate in tabernaculo David, judicans in veritate, et velociter reddens quod justum est.*

25 « *Non dicant in cordibus.* » Hic petit quod puniantur in corde, et primo ut careant gaudio interius latenti. Secundo, quod etiam exterius manifestato, ibi, « *Nec dicant.* »

Dicit ergo : Sic affligantur et non gaudeant, « *nec dicant in cordibus suis,* » lætantes, « *Euge euge,* » bene est animæ nostræ, voluntati, desiderio nostro : sed magis tristentur tamquam nequissimi. Eccli. III, 29 : *Cor nequam gravabitur in doloribus.* Osee, X, 6 : *Confundetur Israel in voluntate sua.* « *Nec dicant,* » ore, non potentes interius tenere gaudium : « *Devorabimus eum,* » id est, tamquam rem devoratam annihilabimus. Proverb. I, 26 : *Degluttiamus eum sicut infernus viventem.* Thren. I, 16 : *Dixerunt : Devorabimus.* Sed postea apparuit falsum dixisse cum resurrexit. Psal. LXII, 10 : *Obstructum est os loquentium iniqua.* Inhiabant quidem ut devorarent, sed obstructum est cum in gloria jam sedet.

Vel potest esse vox justi contra dæmones, qui devoratores sunt, et exsultant cum devoraverint. Habac. III, 14 : *Exsultatio eorum sicut ejus qui devorat pauperem in abscondito.* Et primo devorat animam quæ est ejus cibus delicatus. Habac. I, 16 : *Cibus ejus electus.* Primo, tenet eam in ore inter dentes, scilicet quando in peccato tenet, et volvit et masticat inter illos tres ordines dentium, de quibus, I Joan. II, 16 : *Omne, quod est in mundo concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ.* Daniel videbat[1] bestiam tres ordines dentium in ore habentem, de quibus loquitur I Joannis, II, 16. Ab iis liberati psallunt : *Benedictus Dominus qui non dedit nos in captionem dentibus eorum*[2]. Sed tandem si non fuerunt liberati, conjicit in ventrem, id est, in gehennam. Matth. XV, 17 : *Quod in os intrat, in ventrem vadit.* De hoc ventre, Eccli. XL, 32 : *In ore imprudentis condulcabitur inopia, et ardebit ignis in ventre ejus.* Jerem. VIII, 16 : *Venerunt, et devoraverunt terram, et plenitudinem ejus : urbem et habitatores ejus.*

« *Erubescant.* » Hic petit pœnam adversantibus corde, et præmittitur pœna, et subjungitur culpa, ibi, « *Qui gratu- 26

[1] Daniel. VII, 5.

[2] Psal. CXXIII, 6.

lantur. » Pœna duplex. Confusionis et timoris.

Ait enim : « *Erubescant* » Judæi mea resurrectione, toti mundo clarescente. Isa. LXV, 14 : *Ecce servi mei lætabuntur, et vos confundemini.*

« *Et revereantur,* » timidi facti. Levit. XXVI, 36 : *Terrebit eos sonitus folii volantis, et ita fugient quasi gladium.* « *Qui gratulantur,* » non tantum qui faciunt : « *malis meis,* » id est, qui corde volentes consentiunt. Ad Roman. I, 32 : *Non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus, digni sunt morte.*

Vel sic in persona Ecclesiæ : « *Erubescant,* » bona erubescentia, et confusione salubri, de qua Eccli. IV, 25 : *Est confusio adducens gloriam.* Jerem. XXXI, 19 : *Confusus sum, et erubui.* Cassiodorus : « Digna vindicta pœna sufficiens « cum se ultore torquetur, et vinculo « confusionis obvolvitur. « *Et revereantur,* » bona et sancta reverentia, est Domini timor cum amore permixtus. « *Qui gratulantur malis meis,* » dicit Ecclesia, et sic bonum optans inimicis implet illud Matth. V, 44 : *Orate pro persequentibus, et calumniantibus vos.* Dicit autem, non malo meo, sed « *malis meis,* » quia tria præcipue mala sunt in Ecclesia. Ignorantia in rationabili, Isa. LVI, 11 : *Ipsi pastores ignoraverunt intelligentiam :* quanto magis oves ? Culpa in concupiscibili, Sapient. XIV, 25 : *Omnia commista sunt, sanguis, homicidium, furtum,* etc. Pœna et miseria in irascibili, II ad Timoth. III, 12 : *Omnes qui pie volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur.* De his tribus simul, Osee, IV, 1 et seq. : *Non est scientia Dei in terra,* ecce primum : *maledictum, et mendacium, et homicidium, et furtum, et adulterium inundaverunt,* ecce secundum : *Propter hoc lugebit terra, et infirmabitur,* ecce tertium.

Tres plagæ Ecclesiæ.

« *Induantur confusione.* » Hic tertium, in quo imprecatur peccantibus, contra se ore. Et primo, tangitur pœna. Secundo, culpa, ibi, « *Qui maligna.* »

Ait enim : « *Induantur confusione.* » Quasi diceret, quod confundantur cogitantes, et etiam « *induantur,* » tamquam undique circumdati, confusione ignominiosa, de qua Eccli. IV, 25 : *Et est confusio adducens ignominiam.* Et in corpore confusi, et in anima, secundum illud Psal. CVIII, 29 : *Operiantur, sicut diploide, confusione sua.* « *Et reverentia,* » timore scilicet futurorum malorum æstimando semper futura majora, ut sunt illi de quibus Sapient. XVII, 4 : *Neque enim quæ continebat illos spelunca, sine timore custodiebat.* « *Qui maligna loquuntur super me,* » dicentes illud Matth. XXVIII, 63 : *Domine, recordati sumus, quia seductor ille,* etc.

Vel in bono ut sit Ecclesiæ sermo. Quasi diceret : Sic rogavi, ut erubescant bona erubescentia, nec modicum vel in occulto, imo « *induantur* » in aperto, « *confusione* » habitu scilicet pœnitentiæ, quo confusi appareant, scilicet lugubri habitu, et cilicio, vel sacco : sicut Ninivitæ, qui induti sunt saccis, a majore usque ad minorem. Isa. XXII, 12 : *Et vocabit Dominus Deus exercituum in die illa ad fletum, et ad planctum, et ad calvitium, et ad cingulum sacci.* Et hoc quia peccaverunt contra me facto. « *Et reverentia,* » humiliatione sui coram me, « *quia magna locuti sunt,* » verbo. Isa. LX, 14 : *Venient ad te curvi filii eorum qui humiliaverunt te.*

27 « *Exsultent et lætentur.* » Hic est tertium tertiæ partis hujus totius, in qua iterum redit ad orationem. Oravit enim primo pro seipso, secundo, contra adversarios : hic pro suis. Et primo, facit orationem. Secundo, promittit gratiarum actionem, si impetraverit, ibi, « *Et lingua mea.* »

In prima duo. Primo, petit eis bonum

in futuro. Secundo, in præsenti, ibi, « *Et dicant semper.* »

In prima duo. Primo, petitio. Secundo, persuasio, quod exaudiri debeat, ibi, « *Qui volunt.* »

Dicit ergo : Sic fiat inimicis, sed peto quod « *exsultent* » exterius pro stola corporis, « *et lætentur,* » pro stola mentis. Proverb. XXXI, 21 : *Omnes domestici ejus, vestiti sunt duplicibus.* Isa. LXI, 7 : *In terra sua duplicia possidebunt.* Psal. CXLIX, 5 : *Exsultabunt sancti in gloria,* pro stola corporis, *lætabuntur,* interius, *in cubilibus suis,* pro stola mentis.

« *Qui volunt.* » Ecce secundum. Sic lætentur et exsultent, « *qui,* » id est, quia illi « *volunt justitiam meam,* » fieri non suam, sicut Judæi de quibus ad Rom. X, 3 : *Ignorantes justitiam Dei, et suam quærentes, statuere, justitiæ Dei non sunt subjecti.* Vel sic : « *Qui volunt justitiam* » ex corde, non tantum eam dicunt ore, sicut magistri operum qui dicunt, Facite, et nihil faciunt. Ad Rom. II, 21 : *Qui alium doces, cur teipsum non doces ?* Vel qui « *volunt justitiam* » corde, non simulant eam exterius tantum in opere, sicut hypocritæ, de quibus Matth. VI, 1 : *Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus.* Illi enim non gaudent duplici stola in æternitate, sed novo favore in modico tempore. Job, XX, 5 : *Gaudium hypocritæ ad instar puncti.* Amantibus ergo justitiam datur duplex stola illa. Matth. V, 6 : *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam :* ut non solum in futuro hoc habeant, sed etiam in præsenti.

« *Et dicant.* » Hic petit in præsenti, et primo, petitio. Secundo, persuasio, quod debet acquiescere illi petitioni, ibi, « *Qui volunt pacem servi ejus.* »

Ait ergo ? Sic in futuro, « *Et dicant,* » tua repleti gratia, in præsenti : « *semper : Magnificetur Dominus,* » secundum illud supra, in Psal. XXXIII, 4 : *Magnificate Dominum mecum.* Vel etiam de futuro. Quasi diceret : Nunc exsultent et lætentur propter tanta beneficia, unde « *dicant semper : Magnificetur Dominus.* » Et dicant, « *qui,* » id est, quia « *volunt pacem servi ejus,* » mei scilicet. Sed mutat personam dicens *ejus,* cum deberet dicere, *Tui.* Illam, inquam, volunt pacem, de qua Joan. XIV, 27 : *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.* Ad Rom. XII, 18 : *Quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes.* Ad Hebr. XII, 14 : *Pacem sequimini cum omnibus, et sanctimoniam, sine qua nemo videbit Dominum.*

Et nota, quod se dicit servum qui dicit, Joan. XIII, 13 : *Vos vocatis me Magister et Domine, et bene dicitis : sum etenim.* Primo, quia servus est Dei Patris in quantum homo, et Dominus respectu nostri. Matth. VIII, 9 : *Ego sum homo sub potestate constitutus,* ecce servus : *habens sub me milites,* ecce Dominus. Et quia nostrum est Deum magnificare, illius est nobis pacem dare. Mittamus ergo ei laudem et magnificationem, et ipse nobis dabit pacem. Luc. II, 14 : *Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus,* dabitur a creatore.

« *Et lingua mea.* » Hic secundum to- 28
tius hujus partis, scilicet promissio gratiarum actionis. Primo, corde. Secundo, ore, ibi, « *Tota die laudem tuam.* » Vel primo promittit gratiarum actionem. Secundo, continuationem, ibi, « *Tota die.* »

Dicit ergo : Sic rogo : « *Et lingua mea,* » si hæc feceris, « *meditabitur justitiam tuam.* » Quæ est ista conjunctio : « *lingua meditabitur ?* » Numquid non linguæ est loqui, et non meditari ? Respondet Glossa, quod « tanta fuit in Christo concordia oris et cordis, quod illud « quod est cordis, attribuitur etiam ori. » Lingua etiam Christi, qua nobis loquitur, est Novum Testamentum. Quasi diceret : Quidquid in lingua mea, in Novo scilicet Testamento, totum dictum est ex præmeditatione, totum justitia. Isa. X, 22 : *Consummatio abbreviata inundabit justitiam.*

« *Tota die laudem tuam.* » Quidquid omnino dicam, totum laus tua erit, et semper illam dicam. Et verum est : quidquid enim dixit, et fecit, totum ad laudem Patris fuit. Joan. VIII, 49 et 50 : *Ego honorifico Patrem meum.* Et iterum : *Ego non quæro gloriam meam,* sed ejus qui misit me. Aliter Sancti habent os in corde. Eccli. XXI, 29 : *In corde sapientium os illorum.* Hujus oris lingua ipsa intelligentia est. « *Lingua* ergo *mea,* » id est, meorum, dicit Christus, id est, interior intelligentia, « *meditabitur justitiam,* » legem scilicet « *tuam,* » justam, « *tota die laudem tuam,* » id est, materiam tuæ laudis, scilicet sacram Scripturam. Psal. I, 2 : *In lege ejus meditabitur die ac nocte.* Vel, « *tota die laudem tuam* » agens, quia non desinet benefacere. Quisquis enim semper bona facit, laudes semper Deo agit. I ad Corinth. x, 31 : *Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis : omnia in gloriam Dei facite.*

Lingua etiam Dei prædicator, per quem Deus tamquam per linguam nos instruit. Matth. x, 20 : *Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis.* II ad Corinth. XIII, 3 : *An experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Christus ?* Hæc lingua debet justitiam meditari, et meditatam prædicare et fari. Psal. XXI, 32 : *Annuntiabunt cæli justitiam ejus* aliis, ut ipsos doceant.

PSALMUS XXXV.

Impiorum malitia ; justitia Dei; justorum gloria.

1. *In finem, servo Domini ipsi David.*
2. Dixit injustus ut delinquat in semetipso : non est timor Dei ante oculos ejus.
3. Quoniam dolose egit in conspectu ejus [1] : ut inveniatur iniquitas ejus ad odium.
4. Verba oris ejus iniquitas, et do-

[1] Psal. XIII, 3.

lus : noluit intelligere ut bene ageret.

5. Iniquitatem meditatus est in cubili suo : adstitit omni viæ non bonæ, malitiam autem non audivit.

6. Domine in cœlo misericordia tua : et veritas tua usque ad nubes.

7. Justitia tua sicut montes Dei : judicia tua abyssus multa.

Homines, et jumenta salvabis, Domine,

8. Quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam, Deus.

Filii autem hominum in tegmine alarum tuarum sperabunt.

9. Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ : et torrente voluptatis tuæ potabis eos :

10. Quoniam apud te est fons vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen.

11. Prætende misericordiam tuam scientibus te, et justitiam tuam his qui recto sunt corde.

12. Non veniat mihi pes superbiæ, et manus peccatoris non moveat me.

13. Ibi ceciderunt qui operantur iniquitatem : expulsi sunt, nec potuerunt stare.

IN PSALMUM XXXV

COMMENTARIUS.

1 *In finem, servo Domini Psalmus David* [1].

Argumentum Psalmi : Docet mala quæ patimur peccatis nostris imputare, non fato aut naturæ.

« *Dixit injustus.* » Hic est Psalmus trigesimus quintus, in quo postquam in præcedenti Psalmo monuit nos exemplo Christi mala sustinere, monet etiam ulterius in hoc, nos ea quæ patimur, peccatis nostris attribuere, ut sciamus nos ipsos facere peccata, propter quæ meremur mala pœnæ. Intendit enim in hoc Psalmo errorem illorum destruere, qui ponebant mala non esse a nobis, sed a fato, vel natura, probans nobis esse a nobis mala, et a gratia Dei bona.

Huic autem Psalmo præponitur titulus talis : *In finem, servo Domini Psalmus David* [2]. Et exponitur dupliciter. Potest enim dici servus Domini ipse Christus, vel quilibet justus. De Christo sic : Psalmus iste, tendens, id est, tendere nos faciens, « *in finem,* » summum et verum,

[1] David prend en tête de ce psaume, comme au Ps. XVII, le titre de serviteur de Jéhova, qui indique à la fois son humble soumission et sa confiance. Théodoret croit devoir rapporter ce morceau à la persécution de Saül, et à la même occasion que le Ps. XXXIII. Mais rien dans le texte ne justifie cette idée ; l'auteur y reste dans les généralités ; tout au plus pourrait-on inférer du ỳ. 13, qu'il écrivit le psaume après la défaite de ses premiers ennemis, et pendant la période paisible de son règne.

Ce psaume a ainsi des analogies avec les Ps. IX. XI, XIII. — Quelques auteurs, dont Riehm se fait l'interprète, ont revoqué en doute l'unité de ce chant ; le lien est pourtant logique entre les deux parties qui le composent. Van Steenkiste le fait bien ressortir : « Istorum (impiorum) pravitatem adeo magnam timere non debemus, quia longe major est Dei erga nos benignitas. » « Personne n'avait eu mieux que David, dans la persécution de Saül, occasion d'expérimenter cette vérité dans sa propre vie. Ce dont il a fait l'expérience, il le revèle en termes généraux dans notre psaume, pour la consolation et l'encouragement de tous les justes qui ont à souffrir de la corruption du monde. » Thalhofer.

[2] Vulg. habet : *In finem, servo Domini ipsi David.*

Dominum scilicet omnium, qui dicit Apoc. I, 8 : *Ego sum Alpha et Omega, principium et finis* : attribuitur « *David servo Domini,* » scilicet secundum humanitatem, in qua per omnia servivit, et in omnibus Patri obedivit. Joan. XIV, 31 : *Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.* Ad Philip. II, 8 : *Christus factus est pro nobis obediens usque ad mortem,* etc. Vel sic : Psalmus iste tendens in finem, sicut prius, convenit « *David,* » cuilibet justo, « *servo Domini.* » Quilibet enim justus servus Dei est, de ipso digna sentiens, et ei adscribens omnia bona sua, sicut docet iste Psalmus, et sibi mala : Domino enim honor debetur. Malach. I, 6 : *Filius honorat patrem, et servus dominum suum.* Et optime dicitur David servus Domini, quia servus Domini non est nisi non adspectu desiderabilis per pulchritudinem, et manu fortis per stabilitatem, et virilem operationem. Levit. XXI, 17 et seq. : *Homo de semine Israel, qui habuerit maculam,* ecce turpitudo. Et post : *Si cæcus fuerit, si claudus,... si fracto pede, si manu, non accedet offerre hostias Domino.*

Dividitur autem Psalmus hic in duas partes. Primo, ostenditur instructio ut mala sua a seipsis agnoscant, et a Dei gratia bona. Secundo, subjungitur finalis oratio, ibi, « *Prætende, Domine.* »

In prima duo, sicut jam tactum est. Primo, agit de malis malorum. Secundo, de bonis bonorum, ibi, « *Domine, in cœlo.* »

In prima duo. Primo, reprehendit mala in genere. Secundo, in specie, ibi, « *Verba oris ejus.* »

In prima tria. Primo, reprehendit propositum peccandi in concupiscibili. Secundo, carentiam timoris in irascibili, ibi, « *Non est timor Dei.* » Tertio, affectatam ignorantiam in rationabili, ibi, « *Quoniam dolose egit.* »

2 Dicit ergo : « *Dixit injustus,* » id est, gens injustorum. Ponitur singulare et individuum generis pro genere simpliciter. Exod. X, 19 : *Et arreptam locustam projecit in mare Rubrum.* « *In semetipso,* » in corde deliberando statuit, « *ut delinquat,* » in actu postea exteriori. Ecce illud, Prov. XXIV, 9 : *Cogitatio stulti peccatum est.* Et illud, Matth. XV, 19 : *De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta,* etc. Et « *in semetipso dixit,* » in corde scilicet, ubi Deus videt, non in ore, ne apud homines erubesceret. Ad Ephes. V, 12 : *Quæ autem in occulto fiunt ab ipsis, turpe est dicere.* « *Non est timor Dei ante oculos ejus.* » Ecce privatio timoris, quæ debet esse in irascibili. Jerem. V, 22 : *Me ergo non timebitis, ait Dominus : et a facie mea non dolebitis ?*

Prima pars Psalmi.

Vel aliter : Dicunt peccatores, quod peccant ex fato, aut propter constellationem, aut propter divinam permissionem : sed non est ita : imo « *injustus dixit in corde suo,* » imo proposuit et voluit, « *ut delinqueret,* » hoc est, sui delicti sua voluntas causa fuit, non aliud, ut scilicet Deum derelinqueret, et ipsum nihil impulit. Jerem. II, 31 : *Numquid solitudo factus sum Israeli, aut terra serotina ? Quare ergo dixit populus meus : Recessimus, non veniemus ultra ad te ?* Et ex hoc quod sic dixit, patet, « *quia non est timor Dei ante oculos ejus.* » Malach. I, 6 : *Si ego sum Dominus, ubi est timor meus ?* Psal. XXXV, 2 : *Non est timor Dei ante oculos ejus.* Ideo, Psal. X sec. Hebr. 5 : *Inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore.*

Et nota, quod detestabile sit proponere peccare antequam surgat tentatio. Item, horribile, stultum, et iniquum. Horribile, quia inter omnia peccata horribilius est homicidium corporale. Magis autem horribile si sit propinquus sanguine, sicut frater, aut pater. Sed super omnia horribile se in anima occidere, maxime quia quanto anima melior est quam corpus, tanto horribilius est occidere animam quam corpus. Et Sap. XVI, 14 : *Homo oc-*

Horribile est peccato consentire ante tentationem.

cidit per malitiam animam suam. Item, stultissimum, quia facis te peccare antequam pecces : potes enim pervenire ad hoc sine hoc damnoso proposito. Eccli. VII, 8 : *Neque*, tibi scilicet, *alliges duplicia peccata* : *nec enim in uno eris immunis*. Propter hoc dicitur, Prov. XXIV, 8 : *Qui cogitat mala facere, stultus vocabitur*. Item, iniquum valde et maxime malitia plenum : anima enim antequam peccet, est tamquam ager plenus semine optimo virtutum et gratiarum. Non est autem major malignitas quam superseminare scienter super bono semine zizania vitiorum. Matth. XIII, 27 et 28 : *Domine, nonne bonum semen seminasti in agro tuo ? Unde ergo habet zizania ? Et ait illis : Inimicus homo hoc fecit.*

3 « *Quoniam dolose egit.* » Ecce tertium, in quo arguit ignorantiam affectatam, quia scienter vult ignorare mala propria, et ex se esse mala : unde dicuntur duo secundum litteram Augustini. Primo, dolosa inquisitio ejus qui non vult invenire. Secundo, de quo inquisitio illa, ibi, « *Ut inveniatur.* »

Ait enim : Nunc « timor Dei non est in conspectu ejus, quoniam dolose egit in conspectu ejus, » id est, Dei : quod nullo modo faceret si timeret ipsum. Eccli. II, 20 : *Qui timent Dominum, præparabunt corda sua.* Sed in quo agit dolum ? In hoc ut non inveniret iniquitatem, id est, ne inquirendo iniquitatem suam, odisset inventam. Quasi diceret : Noluit diligenter inquirere iniquitatem suam, ut sic ulterius odiret inventam : sed voluit ignorare ipsam. Augustinus : « Quærunt : Quare ? Ut inve-« niant, cum tamen nolint inventam re-« linquere. In dolore inquisierunt scire « peccata multi, sed cum sciunt, quod « non possunt ignorare, tunc defendunt. » Michæ. VII, 2 et 3 : *Vir fratrem suum ad mortem venatur : malum manuum suarum dicunt bonum.* Isa. V, 20 : *Væ qui dicitis bonum malum, et malum bonum.*

Secundum nostram litteram sic : « *Non est timor in conspectu ejus.* » Quod patet per hoc, « *Quoniam dolose egit in conspectu ejus,* » id est, studere neglexit in Scripturis, et legere, et subterfugit, ut sic « *inveniatur iniquitas ejus ad odium,* » id est, ad odiendum. Et est hic argumentum, quantum malum sit negligere studium Scripturarum. Aliter enim nequaquam oditur peccatum, quia aliter non cognoscitur. Ad Rom. VII, 7 : *Peccatum non cognovi nisi per legem.* Est enim per legem peccati cognitio. In eodem peccato est, qui si studere vel nesciat vel non valeat, non vult audire, ne cognoscat miserias suas. Isa. XXX, 10 : *Loquimini placentia nobis,* scilicet, nolite indicare nobis quæ requisita sunt. Gregorius : « Qui « resecat vitia, odium malorum gravat. » Talibus dicit Paulus, I ad Corinth. XIV, 37 et 38 : *Domini sunt mandata. Si quis autem ignorat, ignorabitur.*

Vel sic : Timor Domini non est ante oculos ejus, qui proponit in corde peccare. Quod patet : « *Quoniam dolose egit in conspectu ejus,* » scilicet Dei, simulando se servire Deo, et servit mundo, vel carni. Ad Rom. XVI, 18 : *Hujuscemodi Christo Domino nostro non serviunt, sed suo ventri.* Et vere dolus est in conspectu Dei ista duplicitas. Job, XIII, 9 : *Numquid... placebit ei quem celare nihil potest ?* Vel, « *in conspectu ejus,* » id est, suiipsius. Bene enim videt et intelligit quod dolose agit, in tantum, « *ut inveniatur iniquitas ejus ad odium,* » id est, ut videat iniquitatem suam esse odibilem, non oderit tamen, etsi sciat Deo esse odibilem.

« *Verba oris ejus.* » Hic redarguit mala iniquorum in specie, et primo peccatum oris. Secundo, cordis, ibi, « *Noluit intelligere.* » Tertio, operis, ibi, « *Adstitit omni viæ non bonæ.* » 4

Dicit ergo : Sic impius proponit peccare, caret divino timore, et affectat nescire. Et « *verba oris ejus sunt iniquitas et dolus,* » iniqua et dolosa. Iniqua aper-

te, dolosa latenter. Contra illa duo : *Prohibe linguam tuam a malo, et labia tua ne loquantur dolum* [1]. Sed sicut illi de quibus Jerem. IX, 8 : *Sagitta vulnerans lingua eorum, dolum locuta est.*

Nec tantum ore peccat, imo corde, ibi, « *Noluit intelligere.* » Et tangitur duplex malum. Primo, ignorantia affectata excæcans apprehensivam. Secundo, iniquitas amata, inquietans motivam, ibi, « *Iniquitatem.* »

Ait ergo : Sunt ejus verba mala et dolosa, et « *noluit intelligere,* » non dico, non potuit. Zachar. VII, 11 : *Noluerunt attendere, averterunt scapulam recedentem.* Sed quid noluerunt attendere ? Numquid aliquid difficillimum ? imo « *ut bene agerent,* » quod est in ipso corde hominis scriptum. Jerem. IV, 22 : *Sapientes sunt ut faciant mala, bene autem facere nescierunt.* Joan. III,19 : *Lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem.* Et sic quidam sunt qui volunt intelligere, ut sciant bonum, non ut faciant, abutentes doctrina sacra, quæ ad hoc debet a nobis intelligi, non ut sciamus, sed ut boni fiamus. Isa. I, 17 : *Discite bene facere.* Loquitur Theologis, nam isti non carent culpa. Jacob. IV, 17 : *Scienti bonum facere et non facienti, peccatum est illi.* Item, alios superabunt in pœna. Luc. XII, 47 : *Servus, qui cognovit voluntatem domini sui, et non fecit secundum voluntatem ejus, vapulabit multis.* Hi sunt curiosi. Alii volunt intelligere et scire, ut sciantur scientes, secundum illud Proverbium, « Gloriam sapientes possidebunt. » Psal. XLVI, 10 : *Dii fortes terræ vehementer elevati sunt.* Deus autem dicitur græce a θέος, θεᾶσθαι, quod est *videre*, et sonat scientiam. Genes. III, 5 : *Eritis sicut dii, scientes bonum et malum.* Et sunt superbi isti. Alii volunt intelligere ut ditescant, secundum illud Sap. VIII, 5 : *Si divitiæ appetuntur in vita, quid sapientia locupletius ?* Et isti sunt cupidi et adulteri verbi Dei. II ad Cor. II, 17 : *Non sumus sicut plurimi, adulterantes verbum Dei :* intendentes potius possessionem, quam prolem.

Malus et bonus usus scientiæ.

Item, sunt duo modi commendabiles. Quidam enim volunt scire ut ædificentur, attendentes illud Pauli, qui cum dixisset, I ad Corinth. XIV, 26 : *Unusquisque vestrum psalmum habet, doctrinam habet, apocalypsim habet,* etc., statim subjungit : *Omnia ad ædificationem fiant.* Ad Rom. XV, 4 : *Quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt.* Et sunt prudentes. Alii ut ædificent proximos : et est charitas. I ad Corinth, VIII, 1 : *Charitas* perfecta *ædificat.*

5 « *Iniquitatem meditatus est.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic affectavit ignorantiam, et etiam « *meditatus est,* » mente inquieta, « *in cubili suo,* » id est, in corde suo. Michæ. II, 1 : *Væ qui cogitatis inutile, et operamini malum in cubilibus vestris.* Rapinas meditabitur mens eorum. Et nota, quod cor dicitur cubile, quia debet esse in corde pax a laboribus, et pugnis exterioribus : est enim pugna quasi continua inter carnem et animam, et debet anima aliquando abscondere se apud semetipsam, et ibi quiescere. Isa. LVII, 2 : *Veniat pax, requiescat in cubili suo, qui ambulavit in directione sua.* Item, debet esse ibi silentium a tumultibus. Clamat enim et tumultuat caro illud dicens Prov. XXX, 15 : *Affer, affer.* Sed abscondere se debet anima ut non audiat. Job, XXXIX, 7 : *Contemnit multitudinem civitatis.* Item, ibi debet esse secretum a turbarum accessibus. Isa. XXVI, 20 : *Vade, populus meus, intra in cubicula tua, claude ostia tua super te, abscondere modicum ad*

[1] Psal. XXXIII, 14.

momentum, etc. Isa. xxiv, 16 : *Secretum meum mihi.*

« *Adstitit omni viæ non bonæ.* Hic tertio subjungitur de peccato operis : et dicuntur duo. Primo, mali operis consuetudo. Secundo, synderesis, quasi exstinctio, ibi, « *Malitiam autem.* »

Dicit ergo : Sic « *meditatus est in cubili, et adstitit,* » id est, opere promptus et paratus, « *omni viæ,* » operationi scilicet, « *non bonæ,* » id est, malæ. Alibi, in Psal. xlix, 18 : *Si videbas furem, currebas cum eo, et cum adulteris portionem tuam ponebas.*

« *Malitiam autem non odivit,* » quasi exstincta ratione et synderesi, et corrupto palato, in tantum ut sapiat ei malum, et despiciat bonum. In Psal. li, 5, infra : *Dilexisti malitiam super benignitatem, iniquitatem magis quam loqui æquitatem.* Job, xx, 12 : *Cum dulce fuerit in ore ejus malum, abscondet illud sub lingua sua.*

6 *Domine, in cælo*: Hic loquitur de bonis bonorum, et primo de bonis gratiæ. Secundo, de bonis naturæ, ibi, « *Homines et jumenta.* » Tertio, de bonis gloriæ, ibi, « *Filii autem hominum.* »

In prima duo. Primo agit de bonorum gratiæ collatione. Secundo, de imperscrutabili ratione sic dandi, ibi, « *Justitia tua sicut montes Dei.* »

In prima duo. Primo, de collatione virtutis affectui. Secundo, veritas adspectui, ibi, « *Et veritas tua.* »

Dicit ergo : Sic mala sunt a malis, bona a Deo, quia o « *Domine, in cælo,* » id est, in Majoribus et Doctoribus, « *misericordia tua,* » virtus et bonum in affectu, ex tua misericordia. Dicuntur autem Doctores et Majores *cælum* a cœlestibus, quæ continent in seipsis, et cognoscendo intellectu, et amando affectu, Luc. viii, 10 : *Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis.* Propter hoc Daniel. xii, 3 : *Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti... in perpetuas æternitates.*

« *Et veritas tua,* » quæ illuminat intellectum, « *usque ad nubes,* » scilicet Doctores, qui nubes dicuntur, Isa. lx, 8 : *Qui sunt isti, qui ut nubes volant?* Totum ergo quidquid habent acceperunt, II ad Corinth. iii, 5 : *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis : sed sufficientia nostra ex Deo est.* Sic patet quod verus Doctor non est sine misericordia, et veritate. Propter hoc dicitur, Prov. iii, 3 : *Misericordia et veritas te non deserant : describe eam in tabulis cordis tui.*

Cœlum etiam naturaliter potest sumi, ut sit sensus : « *Domine, misericordia tua,* » quam sanctis das, « *et veritas tua,* » per quam innotescit misericordia, « *in cælo* » est, id est, de cœlo venit ad nos, secundum illud Jacob. i, 17 : *Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum.* Veniens « *usque ad nubes,* » id est, prædicatores, et sanctos, et per illos derivata sunt ad nos. Dicunt enim illud Psal. xxxix, 11 : *Non abscondi misericordiam tuam et veritatem tuam, a concilio multo.* Job, xxxvii, 11 : *Et nubes spargunt lumen suum.* Ad Galat. i, 11 et 12 : *Notum vobis facio, fratres, Evangelium, quod evangelizatum est a me, quia non est secundum hominem : neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per revelationem Jesu Christi.*

« *Justitia tua sicut montes Dei.* » Hic secundum, in quo agitur de bonorum datorum inscrutabili ratione : et dicuntur duo. Primo, justitiæ divinæ sublimitas. Secundo, judiciorum Dei profunditas, ibi, « *Judicia tua.* » Legitur autem dupliciter. 7

Primo sic : Sic a te misericordia et veritas, « *et justitia tua,* » id est, justi tui, « *sicut montes Dei sunt,* » id est, sicut montes placentes Deo. Psal. lxvii, 17 : *Mons, in quo beneplacitum est Deo habi-*

tare in eo. Dicuntur autem « *montes*, » quia primo radios suos recipiunt, et postmodum aliis transfundunt, secundum illud Psal. LXXX, 5 : *Illuminans tu mirabiliter a montibus æternis.* I ad Corinth. XI, 23 : *Ego accepi a Domino quod et tradidi vobis.* Sap. VII, 13 : *Quam scilicet sapientiam, sine fictione didici, et sine invidia communico.*

« *Et judicia tua,* » secundum quod istos sic illuminas. Ad Rom. IX, 18 : *Cujus vult miseretur, et quem vult, indurat.* « *Abyssus multa,* » id est, sicut multa abyssus profunda, et inscrutabilia. Hinc venit ille clamor Apostoli ad Rom. XI, 33 : *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei : quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus !*

Aliter, ut sit ablativi casus in hunc modum. Quasi diceret : Sic « *in cœlo misericordia tua, et veritas tua usque ad nubes,* » id est, sanctos tuos, qui « *justitia tua,* » id est, per justitiam tuam sunt, sicut montes Dei, non montes de quibus Habac. III, 6 : *Incurvati sunt colles mundi, ab itineribus æternitatis ejus,* sed sicut illi de quibus in Psal. CXX, 1 : *Levavi oculos meos in montes.* Et alii per « *judicia tua,* » resume priora, sunt « *abyssus multa,* » profundi scilicet in peccatis. Abyssus, quia in profundo vitiorum, secundum illud Psal. LXVIII, 16 : *Neque absorbeat me profundum.* Et « *multa,* » quia profundissima. Jer. XVII, 9 : *Pravum est cor omnium et incrustabile : quis cognoscet illud ?*

[...]ti montes [...]icuntur.

Et nota, quod justi *montes* dicuntur ratione altitudinis : montis enim est terra super terram elevata : totum autem genus humanum est terra. Eccli. XXXIII, 10 : *Omnes homines de solo, et ex terra, unde creatus est Adam.* Justi autem quamvis terra, super alios tamen sunt. Proverb. XIV, 34 : *Justitia elevat gentem : miseros facit populos peccatum.* Item, ratione magnitudinis. Impii sunt pulvis, Supra, in Psal. I, 4 : *Non sic impii, non sic : sed tamquam pulvis quem projicit ventus a facie terræ.* Imo nihil, Psal XIV, 4 : *Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus.* Sed justi magni, Eccli. XLIV, 6 : *Homines divites in virtute.* Ad Rom. VIII, 30 : *Quos justificavit, hos et glorificavit.* Ratione apparitionis : de longe enim videntur nulli. Sap. V, 4 et 5 : *Nos insensati, vitam illorum æstimabamus insaniam :* ipsos de longe videntes, sed prope videntes, vident magnos. Ibidem : *Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, et inter sanctos sors illorum est.*

Omnia bona a Deo, et primo bona naturæ.

« *Homines et jumenta.* » Hic secundum, in quo agit de bonis bonorum, scilicet de bonis naturæ : et dicuntur duo. Primo, quod omnibus communiter fuerunt collata. Secundo, unde sunt collata, quia ex divina misericordia, ibi, « *Quemadmodum.* »

Glossa dupliciter exponit. Primo mystice. Ait enim : Sic confers bona prædicta : et Domine, « *homines,* » ratione utentes, et prudentes, « *et jumenta,* » in quibus plus viget brutalis natura quam rationalis, secundum illud Psal. XLVIII, 13, 21 : *Comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis,* « *salvabis,* » salute corporali, et bona naturæ utrisque conferens. Vel, « *salvabis,* » differenter : quia istos spiritualiter, illa salute de qua Eccli. XXX, 15 : *Salus animæ in sanctitate justitiæ :* sed alios corporali, de qua Eccli. XXX, 16 : *Non est census super censum salutis corporis.* Et hoc quod salvans est, « *quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam.* » Eccli, XVIII, 4 : *Virtutem magnitudinis quis enuntiabit ?* Alio modo sic : Dedisti bona spiritualia, et etiam o Domine, « *homines et jumenta salvabis,* » dando utrisque satis de temporalibus. Et appellat hic homines illos qui carnales sunt, secundum illud I ad Corinth. III, 3 : *Nonne carnales estis, et secundum hominem ambulatis ?* Hi non quærunt, nisi sicut jumenta, ista temporalia : nec plus habebunt. Eccle. III, 19 : *Nihil habet homo jumento amplius.*

8 « *Quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam, Deus.* » Eccli. XVIII, 12: *Misericordia autem Dei super omnem carnem.* Psal. CXLIV, 9 : *Suavis Dominus universis : et miserationes ejus super omnia opera ejus.* Hoc ipsum enim est misericordia, quod dat eis ista.

Item, bona gratiæ a Deo sunt.

« *Filii autem hominum.* » Hic subjungitur de bonis gloriæ, et primo, de bonis habitis nunc in spe, per promissionem Veteris et Novi Testamenti. Secundo, de habendis postmodum in re, ibi, « *Inebriabuntur.* »

Dicit ergo : Sic dabit bona temporalia carnalibus, ut nihil plus habeant quam jumenta. « *Filii autem hominum,* » scilicet spirituales : homines enim dicuntur carnales, non filii hominum, sicut primus pater Adam qui homo fuit, non filius hominis : sed spirituales filii hominum, qui similes sunt secundo Adæ, qui filius hominis est. Augustinus : « Quando « portamus imaginem terreni, homines « sumus : quando imaginem cœlestis, « filii hominum. » Cassiodorus : « Chri« stus filius hominis dictus est, et simili« ter justi, ut cujus præmia suscipiunt, « etiam ejus nomine decorentur. »

Alæ Christi duo Testamenta.

« *In tegmine alarum tuarum sperabunt.* » Christus enim tamquam avis. Job, XXVIII, 7 : *Semitam ignoravit avis,* dicitur de Judæa. Hæc avis habet alas. Matth. XXIII, 37 : *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti ?* Illæ alæ sunt Vetus et Novum Testamentum. Dicit enim Isidorus : « Alæ « sunt quibus pennæ infixæ sunt per or« dinem, et volandi exhibent facultatem. « Vocatæ alæ, quia iis aves complexos « pullos alunt et fovent. » Ex iis apparet, quod tria sunt in alis, ordo, virtus elevandi, et præstatio fomenti. Sic in duobus Testamentis nihil inordinatum, Ad Rom. XIII, 1 : *Quæ autem sunt a Deo, ordinata sunt.* Quæ autem magis a Deo quam illa ? Et elevant in altum, Proverb. IV, 5, 8 : *Posside sapientiam,* quantum ad Novum : *posside prudentiam,* quantum ad Vetus : *arripe illam, et exaltabit te.* Et parvulos fovent, Psal. LX, 5 : *Protegar in velamento alarum tuarum.* Eccli. VI, 29 : *Invenies requiem in ea,* scilicet sapientia : *et convertetur tibi in oblectationem.* Hæ sunt alæ de quibus Malach. IV, 2 : *Orietur vobis timentibus nomen meum, sol justitiæ : et sanitas in pennis ejus.*

9 « *Inebriabuntur ab ubertate.* » Hic agit de bonis habendis tandem in re. Primo, de his quæ satisfacient appetitivæ. Secundo, de his quæ satisfacient cognoscitivæ, ibi, « *De lumine tuo.* »

Bona [...]riæ

In prima tria. Primo, ostendit bona appetitivæ fore sufficientia. Secundo, fore placentia, ibi, « *Et torrente voluptatis.* » Tertio, quod indeficientia, ibi, « *Quoniam apud te est fons vitæ.* » Legitur tamen primo de Ecclesia militante, hic secundum hunc modum :

Sic sperabunt, ut dictum est, imo « *inebriabuntur* » gratia, et devotione, secundum illud Jerem. XXXI, 14 : *Inebriabo animam sacerdotum pinguedine :* ut tamquam ebrii carnalem perdant affectionem. Augustinus : « Inebriati erant « Martyres ad passionem, cognatos suos « non agnoscebant. » Quid tam ebrium quam non agnoscere uxorem, parentes, non filios ? « *Inebriabuntur,* » inquam, « *ab ubertate domus tuæ,* » præsentis Ecclesiæ. Cant. II, 4 : *Introduxit me rex in cellam vinariam.* Beata domus in qua tanta ubertas. Cassiodorus : « Domus quæ « nescit sua inutiliter expendere, quæ uni« verso mundo sufficit, et plena semper « exuberat. »

« *Et torrente,* » non quocumque, « *sed voluptatis tuæ,* » scilicet Spiritu sancto, « *potabis eos.* » Torrens dicitur Spiritus sanctus, quia potat. I ad Corinth. XII, 13 : *Omnes uno spiritu potati sumus :* et abundans ut torrens, Isa. XXX, 28 : *Spiritus ejus velut torrens inundans.* Et delectabilis, Eccli. XXIV, 27 : *Spiritus*

meus super mel dulcis, et hæreditas mea super mel et favum. Lætificans, Psal. xlv, 5 : *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei.* Ecce quam impetuosus. Vel torrens potest dici voluntas Dei, quæ rumpit omnia obstacula. Ad Rom. ix, 19 : *Voluntati ejus quis resistit ?* Et tamen « *voluptatis.* » Ad Rom. xii, 2 : *Ut probetis quæ sit voluntas Dei bona, beneplacens, et perfecta.*

Legitur et de triumphante : « *inebriabuntur,* » audientes a te illud Cant. v, 1 : *Bibite, amici, et inebriamini charissimi.* Genes. xliii, 34 : Joseph inebriatus est cum fratribus suis in meridie [1]. Quid mirum? Isa. xxv, 6 : *Faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc convivium pinguium, convivium vindemiæ, pinguium medullatorum, et vindemiæ defæcatæ.*

« *De torrente voluptatis tuæ,* » amore tuo delectabili, et voluptuoso, et indeficienter abundanti, « *potabis eos.* » Non deficiet, sed implebitur tunc mandatum illud Deuter. vi, 5 : *Diliges Dominum Deum tuum,* etc. Et non deficiet : sed implebitur tunc verissime illud Apostoli, I ad Corinth. xiii, 8 : *Charitas numquam excidit.*

Et nota, quod anima manens in corpore gustat, Psal. xxxiii, 9 : *Gustate, et videte, quoniam suavis est Dominus.* Exuta a corpore bibit, Eccli. xxiv, 29 : *Qui bibunt me, adhuc sitient.* Sed resumpto corpore tunc erit perfecta ebrietas, de qua « *inebriabuntur* ». Jerem. xiii, 13 : *Ecce ego implebo omnes habitatores* Jerusalem *ebrietate.* Dicitur autem gaudium illud *ebrietas,* primo quia ebrius est quasi extra briam : et illud gaudium supra omnem mensuram. Luc. vi, 38 : *Mensuram bonam et confertam,* etc. Item, propter nullius secreti occultationem. Proverb. xxxi, 4 : *Nullum secretum est ubi regnat ebrietas.* I ad Corinth. iv, 5 : *Veniet Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium.* Item, propter cordis jucunditatem tripliciter se exserentem, in cantico laudis quantum ad os : ebrii enim libenter cantant. Proverb. xx, 1 : *Tumultuosa* res est *ebrietas.* Job, viii, 21 : *Donec impleatur risu os tuum.* Psal. cxlix, 6 : *Exaltationes Dei in gutture eorum.* Item, in corporis gesticulatione : libenter enim agitat se ebrius. Isa. xxiv, 20 : *Agitatione agitabitur terra sicut ebrius.* Malach. iv, 2 : *Salietis, sicut vituli de armento.* Eccle. iii, 4 : *Tempus plangendi, et tempus saltandi.* Item, in eructatione pectoris. Psal. cxliv, 7 : *Memoriam abundantiæ suavitatis tuæ eructabunt.*

(Margin: [G]audium [be]atorum [co]mparatur [eb]rietati.)

« *Quoniam apud te est fons vitæ.* » **10**
Hic tertium, in quo ostendit, quod erit indeficientia, et legitur dupliciter. Primo sic : Sic inebriabuntur, et poteris hoc, Christe, « *Quoniam apud te est fons vitæ,* » quia totius boni. Ad Rom. viii, 32 : *Quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit ?*

« *Et in lumine tuo.* » Ecce bonum cognitivæ, id est, in lumine quod ipse es, Joan. viii, 12 : *Ego sum lux mundi* : « *Videbimus lumen,* » id est, Patrem. Joan. xiv, 9 : *Philippe, qui videt me, videt et Patrem meum.* Vel sic ut dirigatur sermo ad Patrem : Sic inebriabuntur, quoniam o Pater, « *apud te est fons vitæ,* » scilicet Filius, de quo in Psal. xli, 3 : *Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum.* « *Et in lumine tuo,* » scilicet eodem Filio Christo, « *videbimus lumen,* » id est, Patrem, qui est lumen. I Joan. i, 5 : *Deus lux est, et tenebræ in eo non sunt ullæ.*

Et nota, quod Christus dicitur *fons,* et *lumen,* quod mirabile. Fons enim exstinguit lumen, et destruit. Augustinus :

(Margin: Christus fons vitæ.)

[1] Genes. xliii, 34 : *Biberuntque et inebriati sunt cum eo.*

« Hic aliud est fons, aliud lumen : quia « fons exstinguit lumen, et tamen quod « est fons, hoc est lumen. »

Et nota, quod Christus dicitur *fons vitæ* : quia sicut in fonte principalis est origo cujuslibet fluminis, sic in eo est principalis origo cujuslibet vitæ. Est enim vita naturæ, de qua Eccle. IX, 4 : *Nemo est qui semper vivat.* Et vita gratiæ, Ad Rom. VIII, 10 : *Spiritus autem vivit propter justificationem.* Et gloriæ, Sap. V, 16 : *Justi autem in perpetuum vivent.* Hujus autem triplicis vitæ origo est Christus. Eccli. XXIV, 25 : *In me omnis spes vitæ et virtutis.* Item, in fonte indeficiens plenitudo : sic in Christo. Isa. I, 11 : *Plenus sum.* Et indeficiens, Isa. LVIII, 11 : *Eris quasi hortus irriguus, et sicut fons aquarum, cujus non deficient aquæ.* In fonte etiam est liberalis communicatio : sic in Christo, Jacob I, 5 : *Qui dat omnibus affluenter.* Proverb. XXI, 26 : *Qui justus est, tribuet, et non cessabit.*

11 Secunda pars Psalmi. « *Prætende, Domine, misericordiam tuam.* » Hic secunda pars totius hujus partis, in qua ponitur finalis oratio : et dicuntur duo. Primo, oratio pro bonis adipiscendis. Secundo, petitio pro malis amovendis, ibi, « *Non veniat mihi.* »

In prima duo. Primo, oratio pro bonis gratiæ in præsenti. Secundo, pro bonis gloriæ in futuro, ibi, « *Et justitiam tuam.* »

Dicit ergo : Sic mala ex nobis, bona autem gratiæ, naturæ, et gloriæ ex te : et propter hoc rogo, « *Domine, prætende,* » valde tende, « *misericordiam tuam scientibus te,* » per veram fidem, quæ propter vehementiam certitudinis scientia appellatur, quemadmodum et mihi fecisti secundum illud Psal. LXXXV, 13 : *Misericordia tua, Domine, magna est super me.* Et vere, quia a peccato homicidii et adulterii me liberasti : sicut et Mariæ Magdalenæ prætendisti, quia credidit firmiter. Luc. VII, 50 : *Dicit autem ad mulierem : Fides tua te salvam fecit : vade in pace.* Sine fide enim non assequitur quis abundantiam misericordiæ. Isa. XXVII 11 : *Populus non est sapiens, propter ea non miserebitur ejus, qui fecit eum.* Et prætende « *justitiam tuam,* » gloriam, quæ ex justitia promissi tui datur iis, qui recto sunt corde, id est, qui suam voluntatem conformant voluntati divinæ, et in adversis et in prosperis. Augustinus : « Bene est tibi in sæculo, benedicatur Deus, qui consolatur in sæculo : « laboras in sæculo, benedicatur Deus, « qui emendat in sæculo, et sic eris recto « corde. Psal. XXXII, 1 : *Rectos decet collaudatio,* illa de qua Matth. XXV, 34 : *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum.*

Et nota, quod sunt scientes Deum naturali inquisitione, sicut Philosophi. Deus tr modis scitur. Ad Roman. I, 20 : *Invisibilia Dei per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.* Sempiterna quoque ejus virtus, et divinitas. Hi propter superbiam suam excluserunt a se misericordiam. Ad Rom. I, 21 : *Quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt.* Item, quidam sciunt eum manifesta visione. I ad Cor. XIII, 12 : *Tunc cognoscam, sicut et cognitus sum.* Hi non indigent misericordia, quia carent miseria. Apocal. VII, 17 : *Absterget Deus omnem lacrymam,* etc. Item, sunt qui sciunt eum fide non formata, de quibus Jacob. II, 19 : *Tu credis, quoniam unus est Deus, bene facis, et dæmones sciunt, et contremiscunt.* His non prætenditur misericordia, sed miseria. Job, III, 20 : *Quare misero data est lux?* Item, sunt qui sciunt Deum ex dilectione intima. I Joan. IV, 7 : *Omnis qui diligit, ex Deo natus est.* Talibus prætenditur misericordia. Exod. XX, 6 : *Ego Dominus... faciens misericordiam in millia his qui diligunt me.*

« *Non veniat mihi pes superbiæ.* » Hic 12
orat pro malis amovendis : et dicuntur

duo. Primo, petitio. Secundo, petitionis ratio, ibi, « *Ceciderunt.* »

In prima duo. Primo, petit ut non peccet propria elatione. Secundo, ut non peccet alterius suggestione, ibi, « *Et manus.* »

Dicit ergo : Hæc rogavi quæ magna sunt : et quia de magnis solet oriri superbia, rogo ne « *veniat mihi pes superbiæ,* » id est, affectio superba. Affectio enim pes est : per ipsam enim est accessus ad Deum, et recessus : sed per superbiæ affectionem longe itur, per affectionem humilitatis propinquatur.

« *Et manus,* » id est, tentatio impulsiva, « *peccatoris,* » hoc est, diaboli, « *non moveat me,* » secundum illud Psal. xii, 5 : *Qui tribulant me, exsultabunt, si motus fuero.* Hæc duo tangit in alio Psalmo, scilicet in Psalmo xviii, 13 : *Ab occultis meis munda me, Domine,* etc. Et nota ordinem : Ille qui superbit, cito movetur ad manum peccatoris. Augustinus : « Serva quod « intus est, et non timebis foris. »

Nota. Et nota, quod dicit « *pes* » in singulari, non *pedes*, quia citius cadit qui uno pede innititur, quam qui duobus. Jerem. l, 32 : *Cadet superbus, et corruet.* Et nota, quod bene orat contra superbiam : hoc enim malum cæteris est gravius.

Gravitas peccati superbiæ. Augustinus super Psal. xviii : « Vere « superbia non est majus peccatum, et « ipsa maximum. » Quid enim majus, quam apostatare a Deo ? Quasi dicat : Nihil. Job, xxxi, 27 et 28 : *Si... osculatus sum manum meam ore meo : quæ est iniquitas maxima.* Item, cæteris odibilius, Eccli. x, 7 : *Odibilis coram Deo et hominibus est superbia.* Item, cunctis incurabilius. Augustinus de *Libero arbitrio* : « Superbia est, qua uno vitio « omnis respuitur medicina. » Jerem. xv, 18 : *Quare factus est dolor meus perpetuus, et plaga mea desperabilis ?* Et respondet : *Et renuit curari.* Nec solum non curatur, sed etiam augmentatur. Psal. lxxiii, 23 : *Superbia eorum qui te oderunt, ascendit semper.*

Nota etiam, quod manus diaboli impellit in tentatione. Psal. cxvii, 13 : *Impulsus eversus sum, ut caderem, et Dominus suscepit me.* Movet in consensu et opere : de qua commotione, Jer. iv, 24 : *Vidi montes, et ecce movebantur.* Montes sunt in Ecclesia magni. Ligat in consuetudine. Proverb. v, 22 : *Funibus peccatorum suorum quisque constringitur.* Augustinus in libro *Confessionum* : « Violentia consuetudinis animus etiam in- « vitus trahitur, et tenetur. » Præcipitat in morte. Jerem. xxii, 7 : *Succident electas cedros tuas, et præcipitabunt in ignem.* Nec petit iste contra primum, sed contra secundum : tentari enim non est malum, sed moveri.

« *Ibi ceciderunt.* » Hic ratio petitionis duplex, scilicet ne contingat cadere in culpam. Secundo, ne ulterius in pœnam, ibi, « *Expulsi sunt.* » 13

Et legitur dupliciter. Vel de primis peccantibus, ut Adam et diabolo, vel de eorum sequentibus. Primo modo : Sic rogo ut mihi caveas a superbia, et recte rogo hoc, quia ibi « *ceciderunt,* » tamquam de alto dæmones de cœlo, homo de terrestri paradiso. II Petr. ii, 4 : *Deus peccantibus Angelis non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos in judicium reservari* : hoc quantum ad diabolum. Et quantum ad hominem subdit, ℣. 5 : *Et originali mundo non pepercit,* etc. Originalis mundus fuit in Adam. Job, xx, 6 : *Si ascenderit usque ad cœlum superbia ejus, et caput ejus nubes tetigerit.*

« *Qui operantur iniquitatem.* » Non dicit : Qui operati sunt, quia adhuc non cessant operari. De dæmonibus enim dicitur, Psal. lxxiii, 23 : *Superbia eorum qui te oderunt, ascendit semper.* De hominibus, I Joan. i, 8 : *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus,* etc. Prov. xxiv, 16 : *Septies in die cadet justus, et resurget.*

« *Expulsi sunt,* » in pœnam de loco

suo. « *Nec potuerunt stare,* » completa omnino expulsione, non tantum quin caderent, sed et nunc quin peccent. Job, IX, 4 : *Quis restitit ei, et pacem habuit?* Et infra, ℣. 13 : *Deus cujus iræ nemo resistere potest.* Secundo modo legitur de Philosophis, sic : « *Non veniat mihi pes superbiæ,* etc., » quia ibi, hoc scilicet pede uno sustentati. Psal. VI, 9 : *Discedite a me, omnes qui operamini iniquitatem,* non quod habeant Dei ignorantiam, scilicet Philosophi. Ad Rom. I, 21 : *Cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt : sed evanuerunt in cogitationibus suis.* « *Ceciderunt,* » in ignorantiam miseram idololatriæ. Ad Rom. I, 23 : *Mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis,* etc.

« *Expulsi sunt.* » Pro facto habetur, id est, expellentur : quoniam audient illam vocem : *Discedite* [1], maledicti, etc. « *Nec potuerunt,* » id est non poterunt, « *stare.* » Cassiodorus : « Non illis licebit « Domini jussa differre, sed statim præ- « cipitabuntur ab Angelis, ubi parata « est illis flamma gehennalis. » Nahum, I, 6 : *Ante faciem indignationis ejus quis stabit? aut quis resistet ei?* Psal. LXXV, 8 : *Tu terribilis es, et quis resistet tibi,* etc.

Et nota in istis quatuor versibus, continuum quasi casum operantium iniquitatem. Primum est pedis infirmitas, scilicet inflatura superbiæ in affectu. I ad Corinth. V, 2 : *Et vos inflati estis : et non magis luctum habuistis.* Secundum, potestas manus impellentis, scilicet potestas diaboli, qui quantum potest, impellit. Job, XLI, 24 : *Non est potestas super terram quæ comparetur ei.* Vel potestas manus impellentis, superior potestas : Prælatus enim peccans, multum movet subditos ad peccandum. Eccli. X, 2 : *Secundum judicem populi, sic et ministri ejus : et qualis rector est civitatis, tales et habitantes in ea.* Tertium, oculorum tenebrositas. Sophon. I, 17 : *Ambulabunt ut cæci, quia Domino peccaverunt.* Quartum, imbecillitas libertatis, scilicet pronitas vitæ nostræ ad malum. Genes. VIII, 21 : *Sensus et cogitatio hominis in malum prona sunt ab adolescentia sua.* Thren. IV, 18 : *Lubricaverunt vestigia nostra in itinere omnium platearum* nostrarum, a quibus nos custodiat, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Cf. Matth. XXV, 41.

PSALMUS XXXVI.

Bonorum et malorum dispares sunt spes et exitus.

1. *Psalmus ipsi David.*
Noli æmulari in malignantibus, neque zelaveris facientes iniquitatem.
2. Quoniam tamquam fœnum velociter arescent, et quemadmodum olera herbarum cito decident.
3. Spera in Domino, et fac bonitatem : et inhabita terram, et pasceris in divitiis ejus.
4. Delectare in Domino, et dabit tibi petitiones cordis tui.
5. Revela Domino viam tuam, et spera in eo, et ipse faciet.
6. Et educet quasi lumen justitiam tuam, et judicium tuum tamquam meridiem.
7. Subditus esto Domino et ora eum.
Noli æmulari in eo qui prosperatur in via sua, in homine faciente injustitias.
8. Desine ab ira, et derelinque furorem : noli æmulari ut maligneris.
9. Quoniam qui malignantur, exterminabuntur : sustinentes autem Dominum, ipsi hæreditabunt terram.
10. Et adhuc pusillum, et non erit peccator : et quæres locum ejus, et non invenies.
11. Mansueti autem hereditabunt terram[1], et delectabuntur in multitudine pacis.
12. Observabit peccator justum, et stridebit super eum dentibus suis.
13. Dominus autem irridebit eum, quoniam prospicit quod veniet dies ejus.
14. Gladium evaginaverunt peccatores, intenderunt arcum suum,
Ut dejiciant pauperem et inopem, ut trucident rectos corde.
15. Gladius eorum intret in corda ipsorum, et arcus eorum confringatur.
16. Melius est modicum justo, super divitias peccatorum multas:
17. Quoniam brachia peccatorum conterentur : confirmat autem justos Dominus.

[1] Matth. v, 4.

18. Novit Dominus dies immaculatorum : et hæreditas eorum in æternum erit.

19. Non confundentur in tempore malo, et in diebus famis saturabuntur,

20. Quia peccatores peribunt.
Inimici vero Domini mox ut honorificati fuerint et exaltati, deficientes quemadmodum fumus deficient.

21. Mutuabitur peccator, et non solvet : justus autem miseretur et tribuet.

22. Quia benedicentes ei hæreditabunt terram : maledicentes autem ei disperibunt.

23. Apud Dominum gressus hominis dirigentur : et viam ejus volet.

24. Cum ceciderit, non collidetur, quia Dominus supponit manum suam.

25. Junior fui, etenim senui : et non vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem.

26. Tota die miseretur et commodat : et semen illius in benedictione erit.

27. Declina a malo, et fac bonum : et inhabita in sæculum sæculi :

28. Quia Dominus amat judicium, et non derelinquet sanctos suos, in æternum conservabuntur.
Injusti punientur, et semen impiorum peribit.

29. Justi autem hæreditabunt terram, et inhabitabunt in sæculum sæculi super eam.

30. Os justi meditabitur sapientiam [1], et lingua ejus loquetur judicium.

31. Lex Dei ejus in corde ipsius [2] : et non supplantabuntur gressus ejus.

32. Considerat peccator justum, et quærit mortificare eum.

33. Dominus autem non derelinquet eum in manibus ejus, nec damnabit eum cum judicabitur illi.

34. Exspecta Dominum, et custodi viam ejus : et exaltabit te ut hæreditate capias terram : cum perierint peccatores, videbis.

35. Vidi impium superexaltatum, et elevatum sicut cedros Libani :

36. Et transivi, et ecce non erat : et quæsivi eum, et non est inventus locus ejus.

37. Custodi innocentiam, et vide æquitatem, quoniam sunt reliquiæ homini pacifico.

38. Injusti autem disperibunt simul : reliquiæ impiorum interibunt.

39. Salus autem justorum a Domino : et protector eorum in tempore tribulationis.

40. Et adjuvabit eos Dominus, et liberabit eos : et eruet eos a peccatoribus, et salvabit eos, quia speraverunt in eo.

[1] Prov. XXXI, 26.

[2] Isa. LI, 7.

IN PSALMUM XXXVI

COMMENTARIUS.

1 *Psalmus ipsi David*[1].

Argumentum Psalmi : Non invidendum peccatorum prosperitati.

« *Noli æmulari in malignantibus.* » Hic est Psalmus trigesimus sextus. Postquam enim in Psalmo præcedenti ostensum est mala esse ab homine malo, bona a Deo, sequitur quod non est bona agere, nisi Deo adhærendo, et a malis recedendo, et mutatione malorum. Unde dicit Cassiodorus : « Totus Psalmus « trigesimus sextus ad mores corrigen- « dos proponitur, et scribitur per Alpha- « betum Hebraicum sed imperfectum.» Deficit enim sexta littera *hain* ו, sicut in Psalmo XXIV : *Ad te levavi animam meam.* Deficit autem litera *hain* ק quæ interpretatur, *fons sum oculis*, hoc est, fons oculorum, ad innuendum quod de talibus agit Psalmus, et talibus loquitur qui non habent fontem lacrymarum ut plorent tamquam perfecti pro suis et aliorum peccatis, sicut petebat Jerem. IX, 1 : *Quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrymarum, ut plorem interfectos populi mei ?* Utilitas hujus Psalmi.

Et notandum, quod secundum Cassiodorum, « Psalmus iste est quasi vestis, « corpus Christi mysticum tegens veste « virtutibus contexta, » secundum illud Eccli. XVII, 2 : *Secundum se vestivit illum virtute.* Secundum Augustinum, « est potio curans morbidos et infirmos, « illos scilicet qui aliorum invident pro- « speritati, » de quoru morbom, Job, V,

[1] Ce psaume est de David, Le ℣. 25 donne à penser qu'il le composa dans un âge avancé. Le psalmiste se plaçant au même point de vue que l'auteur du livre de Job, aborde, quoique d'une manière plus simple et plus didactique, le grand problème de la prospérité des impies opposée aux épreuves des justes. Il ne le résolut pas comme ferait un écrivain du Nouveau Testament, qui dirait : « *Momentaneum et leve tribulationis nostræ... æternum gloriæ pondus operatur.* II ad Cor. IV, 17. Quoique la vie future fût un des dogmes les plus certains des Hébreux, la nature de cette vie leur était peu connue, et c'était seulement dans un avenir fort éloigné qu'ils pouvaient se promettre une compensation aux maux de la vie. D'ailleurs l'Ancien Testament portait avec lui ses bénédictions et ses malédictions terrestres. C'est donc dans cet ordre d'idées, dont le livre de Job présente à la fois la théorie et la confirmation historique, que David va chercher la solution du problème : l'impie est heureux parfois, mais il ne l'est pas longtemps, et sa postérité n'hérite pas de son bonheur ; le juste est éprouvé, il est persécuté par le méchant, mais le Seigneur est là pour tout remettre à sa place ; le juste retrouve bientôt la prosperité due à sa vertu, il a cette suprême joie promise à l'hébreu fidèle, il habite la terre de Chanaan, et sa postérité est heureuse après lui. Cette réponse à l'objection suffisait pratiquement à la masse des Juifs : les plus spirituels savaient, comme David élever leur âme jusqu'aux espérances messianiques, et trouver dans la pensée des biens éternels qui devait assurer le Rédempteur, assez de courage pour supporter même une vie entière d'adversités, comme fit plus tard Jérémie. Pour que l'enseignement fut plus facile à retenir, David lui donna la forme alphabétique, et un peu plus tard Salomon, dans ses Proverbes, reproduisit bon nombre des sentences consignées ici par son père.

Dans ces strophes, ce sont à peu près les mêmes idées qui se reproduisent sans ordre logique : prospérité éphémère des impies, habitation durable des justes dans la terre promise, confiance en la Providence, etc. Tertullien appelait ce psaume : « Providentiæ speculum », et S. Isidore : « Potio contra murmur. » Il convient très bien au juste de la nouvelle loi, à condition qu'on étende à l'autre vie les récompenses et les châtiments qui sont ici limités à la vie présente. Notons un touchant souvenir : S. Fulgence fut converti à la vie religieuse en entendant S. Augustin commenter ce psaume : « Beati Augustini exponentis tricesimum sextum psalmum disputatione commonitus et compunctus, publicare suum statuit votum, mutare gestiens habitum. » Vit. S. Fulg., 3.

H. Lesêtre.

2 : *Parvulum occidit invidia.* Sed hunc morbum curat hic Psalmus, Prov. XVI, 12 : *Neque herba, neque malagma sanavit eos, sed omnipotens sermo tuus, Domine, qui sanat omnia.*

Titulus autem præpositus huic Psalmo communis est, et supra frequenter expositus : non enim habet nisi hunc titulum : « *Psalmus ipsi David.* »

Divisio Psalmi juxta tria genera hominum : infirmos instruit, malos damnat, bonorum sortem laudat.

Dividitur autem in tres partes. Cum enim proprie agat de imperfectis instruendis, qui de malorum prosperitate moventur, et malos volunt imitari ut eam habeant : intellige tria hominum genera, malos prosperantes, bonos adversa ab eis sustinentes, medios et quasi infirmos inter utrosque vacillantes. Tria ergo dicuntur in Psalmo. Primo, vacillantes informat. Secundo, statum malorum vituperat, ut ab illo resiliant, ibi, «*Observabit peccator justum.*» Tertio, statum bonorum multipliciter commendat, ut illum appetant, ibi, « *Apud Dominum gressus hominis.*

In prima duo. Primo, docet vacillantes, quod caveant inspecta malorum prosperitate. Secundo, quod vitent perpessa ab eis in adversitate, ibi, « *Desine ab ira.* »

In prima tria. Primo, docet simpliciter intelligentiam. Secundo, persuadet efficaciter, ne moveat voluntatem, ibi, « *Quoniam tamquam fœnum.* » Tertio repetit et inculcat, ut relinquat dictorum memoriam, ibi, « *Noli æmulari in eo.* »

In prima duo. Primo, monet ut non indignemur, si prosperitate careamus quam habent mali. Secundo, ne malos imitemur ut ipsam habeamus, ibi, « *Neque zelaveris.* »

Prima pars Psalmi.

Dicit ergo : O infirme, « *Noli æmulari,* » indignari scilicet, et offendi, « *in malignantibus,* » cum floruerint in bonis temporalibus, cum sint tamen malignantes, malo scilicet cupiditatis igne ardentes, et igniti secundum illud Isa. IX, 18 : *Succensa est quasi ignis impietas.*

« *Neque zelaveris,* » amando, imitando, « *facientes iniquitatem.* » Glossa, « Qui bonos perimunt, » secundum illud Sap. II, 10 : *Venite, opprimamus pauperem justum injuste.* Et nota, quod primo dicit « *malignantes,* » quod respicit ad interiorem voluntatem : deinde « *facientes iniquitatem,* » quod respicit ad exteriorem operationem. Primo, est enim mala voluntas interior. Secundo, exterius exserit seipsam. Jerem. IX, 3 : *De malo,* interiori, *ad malum,* exterius, *egressi sunt.* Tales monet non imitari : quia sicut dicit Cassiodorus : « Multos « sollicitat cohors nefanda.» Ideo, Prov. I, 15 : *Fili mi, non ambules cum eis.* Et nota hic, quod æmulari multos habet sensus in Scriptura sacra secundum illum versum :

Æmulus inflatur, amat, invidet, ac imitatur.

Inflatur indignando, sicut hic. Amat, I ad Corinth. XII, 31 : *Æmulamini charismata meliora.* II ad Corinth. XI, 2 : *Æmulor enim vos Dei æmulatione.* Invidet, Num. XI, 22 : *Quid æmularis pro me?* I Reg. I, 6 : *Affligebat eam æmula ejus.* Imitatur, Proverb. III, 31 : *Ne æmuleris hominem injustum, nec imiteris vias ejus.*

2 « *Quoniam tamquam fœnum.* » Hic secundum, efficax persuasio a duobus. Primo, a prosperantium deficientia. Secundo, ab imitantium sufficientia, ibi, « *Spera in Domino.* »

In prima duo. Primo, ostenditur velox deficientia nobilium. Secundo, etiam mediocrium, ibi, « *Et quemadmodum olera,* » ut fiat differentia inter fœnum et olera.

Si enim accipiuntur pro eodem, potest legi : Sic dixi, ut non æmuleris, nec imiteris malos : « *quoniam velociter arescent.*» Psal. LIV, 24*: Viri sanguinum*

et dolosi non dimidiabunt, dies suos. Luc. XII, 10 : *Stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te.* Et hoc, « *tamquam fœnum,* » quod ad modicum ardorem solis statim arescit. Job, XIV, 2 : *Quasi flos egreditur et conteritur, et fugit velut umbra.* Psal. CXXVIII, 6 : *Fiant sicut fœnum tectorum, quod priusquam evellatur, exaruit.* Matth. VI, 30 : *Si fœnum agri quod hodie est, et cras in clibanum mittetur.* Similiter, Eccli, X, 12 : *Rex hodie est, et cras morietur.*

« *Et quemadmodum olera herbarum cito decident.* » Repetitio est ejus quod dictum est. Et dicit « *cito,* » quod dicit tempus proximum, sed incertum : quia Matth. XXIV, 36 : *De die autem illa et hora, nemo scit,* de die scilicet mortis suæ. Nota ergo, quod his comparantur prosperantes in hac vita. Ratione radicationis : herba enim non habet radices altas. Sic nec mali : Sapient. IV, 3 : *Spuria vetulamina,* scilicet adulterinæ plantationes, *non dabunt radices altas.* Non sic illi de quibus Apostolus ad Ephes. III, 17 : *In charitate radicati, et fundati.* Item, ratione arefactionis. Herba enim ante solis ardorem virescit, scilicet vere, sed appropinquante sole calido, scilicet æstate, totum arescit. Sic mali nunc virent remoto sole justitiæ : sed ipso adveniente in judicio, totaliter arescent. Job, VIII, 11 et 12, de scirpo : *Numquid vivere potest scirpus absque humore... Cum adhuc sit in flore, nec carpatur manu, ante omnes herbas arescit.* Isa. XXX, 27 : *Ecce nomem Domini venit de longinquo, ardens furor ejus :* sed tunc de justis e contrario implebitur illud Psal. XCI, 13 : *Justus, ut palma florebit.* Item, ratione velocis casus : statim enim ad modicum flatum decidit herba. Sic mundani gloriosi tamquam flatu divina sententia exsiccantur, Isa. XL, 7 : *Exsiccatum est fœnum, et cecidit flos, quia spiritus Domini sufflavit in eo.* Vel per herbas quæ virent naturaliter, nobiles in mundo possunt intelligi. Olera autem herbarum, non hortorum, quæ sunt ad cibum hominum, mediocres ipsis nobilibus inferiores. Omnes arescent, omnes cito in mortem decident, quantacumque felicitate, II Reg. XIV, 14 : *Omnes morimur, et quasi aquæ dilabimur quæ non revertuntur.* Proverb. X, 27 : *Anni impiorum breviabuntur.*

Vitæ hujus felicitas herbæ comparatur.

« *Spera in Domino.* » Hic persuadet a 3
sufficientia nolentium imitari malos. Ostendit enim, quod habebunt illa tria, propter quæ appetuntur temporales divitiæ. Primum est vitæ temporalis necessaria. Secundum, cordis lætitia, ibi, « *Delectare in Domino.* » Tertium, excellens gloria, ibi, « *Et educet.* »

In prima duo. Primo, bonorum non imitantium malos meritum. Secundo, præmium, ibi, « *Et pasceris.* »

In prima duo. Primo, confidentia. Secundo, ratio confidentiæ, ibi, « *Et fac bonitatem.* »

Ait enim : Sic illis, sed tu ipsis dimissis, « *spera in Domino,* » non in vanis rebus hujus mundi. Eccle. II, 11 : *Vidi in omnibus vanitatem,... et nihil permanere sub sole.* Sed Deo dicitur alibi, in Psal. CI, 28 : *Tu autem idem ipse es, et anni tui,* etc.

« *Et fac bonitatem.* » Hic ratio confidentiæ ex duobus : ex bonis operibus, sine his enim non valet spes : et convictu cum fidelibus Ecclesiæ, ibi, « *Et inhabita terram.* »

Ait enim : *Sic spera* : sed quia spes præsumptio est si sit sine meritis, « *fac bonitatem.* » Sicut enim *fides sine operibus mortua est* [1], ita et spes. Psal. IV, 6 : *Sacrificate sacrificium justitiæ, et sperate in Domino.* Et dicit, « *fac bonitatem,* » non bonum : tantum enim bonum facit

Quid sit facere bonitatem ?

[1] Jacob. II, 26.

qui frequenter, non intendens, nec volens : sed bonitatem, qui quod facit intendit. Et dicit, « *fac,* » loquens homini tamquam agro exculto, qui debet facere bonum fructum. I ad Corinth. III, 9 : *Dei agricultura estis, Dei ædificatio estis.* Sed quia iterum bona non valent extra Ecclesiam, addit, « *Et inhabita terram,* » id est, Ecclesiam. Deuter. XVI, 2 : *In loco, quem elegerit Dominus Deus tuus,* invocabis. Bona terra et fictilis Ecclesia : hæc est enim de qua Genes. XXVI, 12 : *Sevit Isaac in terra illa, et invenit in ipso anno centuplum.*

Extra Ecclesiam nulla bonitas.

Divitiæ Ecclesiæ.

« *Et pasceris in divitiis ejus,* » temporalibus ad litteram. Psal. XXXVI, 25 : *Non vidi justum derelictum.* Prov. XII, 11 : *Qui operatur terram suam, satiabitur panibus.*

Vel spiritualiter, « *in divitiis ejus* » pascuntur usque ad satietatem, dicit Glossa, et suavitatem. Primo, in divitiis Eucharistiæ eodem utentes cibo, quo Angeli, etsi alio modo. Psal. LXXVII, 25 : *Panem Angelorum manducavit homo.* Sap. XVI, 20 : *Panem de cœlo præstitisti eis, omne delectamentum in se habentem, et omnem saporis suavitatem.* Vel in divitiis Scripturæ, quæ sunt divitiæ Ecclesiæ. Isa. XXXIII, 6 : *Divitiæ salutis sapientia et scientia.* Et hæ divitiæ pastus sunt. Matth. IV, 4, et Luc. IV, 4 : *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore* Dei. Cassiodorus : « O pastus mirabilis, non corporis defe« ctiva refectio ! Cibus autem hic, quam« vis satiet, famen tamen semper exagge« rat. » Eccli. XXIV, 29 : *Qui edunt me, adhuc esurient : et qui bibunt me, adhuc sitient.*

4 « *Delectare in Domino.* » Hic secundum, quod pervenient ad cordis lætitiam et desideria. Et primo, tangitur quo merito justi ad hanc pervenient. Secundo, quomodo etiam injusti, ibi, « *Revela Domino.* »

Et in prima, primo tangit meritum. Secundo, subjungit præmium, ibi, « *Et dabit tibi.* »

Continua ergo, secundum Augustinum, primo sic : Dixi, quod « *pasceris in divitiis ejus.* » Si quæris in quibus divitiis ? Respondet Deus, quia « *delectare* » contemplando, « *in Domino,* » non in alia re, et statim « *dabit tibi* » hoc merito « *petitiones cordis tui.* » Augustinus : « Discerne petitiones cordis a petitioni« bus carnis. Petit caro oculos aperiri ad « videndam lucem istam materialem : « petit cor reparari et augeri pacem spi« ritualem, ut videat lucem quæ Deus « est, et sic fieri beatum. » Matth. V, 8 : *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Vel sic : Excole terram, sanctifica, et fac bonitatem : nec tamen complaceas in te, sed « *delectare in Domino,* » tamquam faciente omnia bona in te, et pro te. I ad Corinth. III, 7 : *Neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat, Deus.* Quod si feceris, « *dabit tibi petitiones cordis tui,* » quia humilibus nihil negat eorum, quæ desiderant. Judith, IX, 16 : *Nec superbi ab initio placuerunt tibi : sed humilium et mansuetorum semper tibi placuit deprecatio.* Petitiones autem cordis sunt æterna bona. Prov. XXIX, 23 : *Humilem spiritu suscipiet gloria.*

Ad obtinendum spirituale gaudium tria necessaria.

Ad hanc autem tam fructuosam delectationem tripliciter pervenitur. Primo, omne genus voluptatis alterius abdicando. Bernardus : « Delicata est divina con« solatio, quæ non conceditur alienam « admittentibus. » Augustinus : « Si « quando fueris talis, ut nihil te prorsus « terrenorum delectet, crede mihi, eodem « puncto temporis videbis quod cupis. » Secundo, sibiipsi penitus abrenuntiando, ut omnis voluntas propria abjiciatur. Isa. LVIII, 13 et 14 : *Dum non facis vias tuas, et invenitur voluntas tua, ut loquaris sermonem, tunc delectaberis super Domino.* Tertio, Deum jugiter recolendo. Psal. LXXVI, 4 : *Memor fui Dei, et delectatus sum.*

5 « *Revela Domino.* » Hic secundum, in quo ostendit quo merito pervenient etiam injusti ad cordis desideria : unde primo, tangit meritum. Secundo, subjungitur præmium, ibi, « *Et ipse faciet.* »

Duo conferunt ad meritum. Primo, peccati confessio. Secundo, confessio de adjutorio, ibi, « *Et spera.* »

Ait ergo : Sic si bona facis, in Domino delectare : et si injustus adhuc, « *revela Domino,* » quem nihil latet. Ad Hebr. IV, 13 : *Omnia nuda et aperta sunt oculis ejus.* « *Revela* » ergo, non ipsum instruendo, sed humiliter confitendo, « *viam tuam,* » id est, miseram vitam tuam, et cordis anxietatem. Augustinus : « Revela quod pateris, revela « quod quæris. » Quod pateris : Caro concupiscit adversus spiritum. Ad Rom. VII, 24 : *Infelix ego homo, quis me separabit de corpore mortis hujus ?* Contra multos qui erubescunt tentationem carnis confiteri, cum Paulus aperte dicat, II ad Corinth. XII, 7 : *Datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus satanæ,* etc. Et bene « *tuam,* » quia tectus es illa vili vita tua, tamquam tegumento. Cassiodorus : « Velum est quoddam densitas peccatorum : « unde via, id est, vita nostra tenebrosi « amictus circumdatione vestita est. » Psal. LXXII, 6 : *Operti sunt inquitate, et impietate sua.* Item, revela « *tuam,* » non alienam, sicut aliena peccata confitentes, vel confessiones detegentes, de quibus Eccli. XXVII, 17 : *Qui denudat arcana amici, fidem perdit.* Et infra, ℣. 24 : *Denudare amici mysteria, desperatio est animæ infelicis.*

« *Et spera in eo,* » remissionem peccatorum te habiturum. « *Et ipse faciet,* » quod speras, superaddens æternum. Matth. III, 2 : *Pœnitentiam agite,* cujus prima pars est confessio : *appropinquavit enim regnum cœlorum.*

Nota ergo, quod pœnitentia debet esse cum spe certa, et primo propter immensitatem divinæ miserationis. Eccli. II, 23 : *Secundum magnitudinem ipsius, sic et misericordia illius cum ipso est.* Sed in Psalmo CXLIV, 3, dicitur, quod *magnitudinis ejus non est finis.* Secundo, propter pretium redemptionis : quis enim tam care emptum, et post perditum, si revertatur, respuit et abjicit, et non magno cum gaudio recipit ? I ad Corinth. VI, 20 : *Empti enim estis pretio magno.* Cum autem peccamus, perdimur : et cum pœnitemus, revertimur, et ipse non reciperet nos ? Luc. XV, 20, Pater occurrit lætanter filio revertenti. Tertio, ne fiat totus labor pœnitentiæ inanis : si enim non adsit spes, totum perditum est, sicut in Cain[1] et in Juda[2].

Pœnitentia debet esse cum spe.

« *Et educet.* » Hic tertium, in quo ostendit, quod non carebit excellenti gloria : et tangitur primo præmium. Secundo, meritum, ibi, « *Subditus esto.* » 6

In prima duo. Primo, bonorum electio. Secundo, certa cognitio eligendorum, ibi, « *Et judicium tuum.* »

Dicit ergo : Dixi, quod ipse faciet, « *et educet quasi lumen justitiam,* » de occulto ad manifestum ducet « *justitiam tuam,* » fidem scilicet qua justificatus est. Ad Roman. III, 28 : *Arbitramur justificari hominem per fidem.* Modo enim occultatur in corde et latet, secundum quod dicitur, I ad Corinth. II, 11 : *Quis scit quæ sunt hominis ?* Sed Deus ipse manifestabit : I ad Corinth. IV, 5 : *Illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium.* Sic quod est in adspectu bonum, omnibus manifestabit.

« *Et judicium tuum,* » discretionem scilicet, qua magis eligis sequi Christum quem non vides, quam illa quæ vides, « *tamquam meridiem,* » educet in operto omnibus, quia ista vita tota tenebrosa.

[1] Genes. IV, 13.

[2] Matth. XXVII, 4 et seq.

Augustinus : « In hoc sæculo quasi nox « est. Psal. CXLII, 3 : *Collocavit me in obscuris, quasi*, etc. Exod. X, 22 et 23: *Factæ sunt tenebræ horribiles in universa terra Ægypti*, hoc est, in hoc mundo, *tribus diebus* et tribus noctibus, scilicet ante legem, sub lege, et in tempore gratiæ : *et nemo vidit fratrem suum*, scilicet interius cognoscendo, sed tantum ex quadam conjectura exterius. I ad Corinth. XIII, 12 : *Videmus nunc per speculum in ænigmate : tunc autem*, etc. Job, XI, 17 : *Quasi meridianus fulgor consurget tibi ad vesperum.* Quod ut possis,

7 « *Subditus esto Domino,* » bona opera humiliter faciendo, et præcepta adimplendo, quia II Machab. IX, 12 : *Justum est subditum esse Deo, et mortalem non paria Deo sentire.*

« *Et ora eum,* » ore et corde, donec det promissa. Luc. XVIII, 1 : *Dicebat et parabolam ad illos, quoniam opportet semper orare et non deficere.* Jacob. V, 16 : *Multum valet deprecatio justi assidua.* Cassiodorus : « Ecce humanæ vitæ « regula, bene agere, et orare. » Primum quoad activam, secundum quoad contemplativam. Et nota, quod humilis debet esse oratio. Eccli. XXXV, 21 : *Oratio humiliantis se nubes penetrabit.* Si enim superba sit, præ gravedine ascendere non potest, sed descendet. Gregorius : « Oratio bona et laudabilis cum elatione non « elevat, sed gravat. »

« *Noli æmulari.* » Hic tertium, in quo prædicta memoriæ commendat. Primo, ut non indignetur de eorum prosperitate qui mali sunt. Secundo, describitur eorum malitia, ibi, « *Et in homine faciente injustitias.* »

Ait enim : « *Noli æmulari,* » et indignari, « *in eo qui prosperatur in via sua,* » non Dei, quam recusat. Job, XXI, 14 : *Dixerunt Deo : Recede a nobis, et scientiam viarum tuarum nolumus.* Sed ejus via est lata, quæ ducit ad mortem.

« *In homine faciente injustitias,* » quod sequitur ex abundantia et prosperitate. Eccli. XI, 10 : *Si dives fueris, non eris immunis a delicto.* Mich. VI, 12 : *Divites ejus repleti sunt iniquitate.* Vel, « *noli æmulari,* » id est, prosperitas malorum non te moveat, ut muteris : quia illa utitur diabolus ad fallendos bonos. Psal. X, 8 : *Sedet in insidiis cum divitibus in occultis.* « *Neque in homine facente injustitias,* » hoc est, injustitias quas faciunt pauperibus, numquam facias, neque illis consentias, ut de te dici possit illud II Reg. XIV, 17 : *Sicut Angelus Dei, sic est Dominus meus Rex, ut nec benedictione, nec maledictione moveatur.* Eccli. V, 12 : *Esto firmus in via Domini*, ut nec manu peccatoris, hoc est, dæmonis sinistra, scilicet adversitatibus, nec dextera, scilicet prosperitatibus movearis, tamquam ille in quo Deus veraciter est. Psal. XLV, 6 : *Deus in medio ejus non commovebitur.*

In omni peccato triplex injustitia.

Et nota, quod dicit, « *faciente injustitias,* » non injustitiam : quia omnis peccans per mortale peccatum, injustitiam facit triplicem. Primo, enim peccat contra Deum, cum aufert quod creavit et redemit. Deuter. XXXII, 18 : *Deum qui te genuit, dereliquisti, et oblitus es Domini creatoris tui.* I ad Corinth. VI, 20 : *Empti enim estis pretio magno.* Contra seipsum, cui aufert Dominum. Isa. LIX, 2 : *Iniquitates vestræ diviserunt inter vos et Deum vestrum.* Contra proximum, cui aufert orationum suarum suffragium. Thren. III, 44 : *Opposuisti nubem tibi, ne transeat oratio.*

« *Desine ab ira.* » Hic secundum : 8

Quid infirmo agendum in adversis.

postquam enim docuit qualiter se debeat habere infirmus visa malorum prosperitate, ostendit secundo qualiter habere se debet in perpessa ab illis adversitate : tunc enim ira vitanda est. Duo ergo dicuntur. Primo admonitio, ut caveat ab ira cum a malis sustinet adversa. Se-

cundo, ratio quare debet cavere, ibi, « *Quoniam qui malignantur.* »

In prima monet tria. Primo, vitare iram simpliciter. Secundo, iram diuturnam et immoderatam, ibi, « *Et derelinque furorem,* » Tertio, iram in effectu, scilicet vindictam, ibi, « *Noli æmulari.* »

Legitur autem dupliciter.

Primo, secundum quod ex sola prosperitatis visione creantur ista, sic : Sic monui : et tu ergo videns malum prosperari in temporalibus, « *desine ab ira,* » scilicet momentanea, « *et derelinque furorem,* » iram scilicet vehementem et diuturnam. Quasi diceret : Nec modicum, nec multum movearis de illorum prosperitate, quod valde difficile est : David enim ipse, cujus est hæc doctrina, de se dicit, Psal. LXXII, 2 et 3 : *Mei autem pene moti sunt pedes*, quantum ad iram momentaneam : *pene effusi sunt gressus mei*, quantum ad perseverantem : *quia zelavi super iniquos.* « *Noli æmulari ut maligneris,* » quantum ad ipsorum impetitionem. Cassiodorus : « Ut nequitias facias. »

Secundo modo, et secundum divisionem dictam sic : Si tibi nocent florentes mali, « *desine ab ira,* » ut supra, « *et derelinque furorem,* » ut supra. Quasi etiam diceret : Si parum vel multum tibi necesse est ut vituperes, tamen sustine patienter. II ad Corinth. VI, 4 : *In omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros in multa patientia.* « *Noli æmulari ut maligneris,* » malum contra ipsum perpetrando, vel contra alium. Prov. III, 31 : *Ne æmuleris hominem injustum, nec imiteris vias ejus.*

Remedia contra invidiam de malorum felicitate.

Nota, quod ut non irascaris de malorum prosperitate, primo attendere debes tuam dignitatem. Deus enim habet Filium naturalem sibi dilectissimum, Matth. III, 17 : *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui :* et servum vilissimum, scilicet peccatorem. Sed Filius ille in hac vita non prosperatus est. Augustinus : « Vide Christum multa passum, « numquam prosperatum. » Proverb. XV, 15 : *Omnes dies hominis pauperis,* id est, Christi, *mali.* Servo autem vilissimo dat multa bona, Jerem. XII, 1 : *Via impiorum prosperatur.* Job, XII, 6 : *Abundant tabernacula prædonum.* Fac ergo te socium Filii, non servi. Non debes irasci, I ad Corinth. I, 9 : *Vocati estis in societatem Filii ejus, Domini nostri Jesu Christi.* Attende secundo tuam remunerationem, II ad Corinth. I, 7 : *Scientes, quoniam sicut socii passionum estis, sic eritis et consolationis,* Luc. XXII, 28 : *Vos estis qui permansistis mecum in tribulationibus meis : et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus, regnum.* Item, attende magnitudinem offensionis. Gravissimum enim peccatum est blasphemare. Matth. XII, 31, spiritus blasphemiæ non remittitur [1]. Sed irasci de malorum prosperitate, est quasi blasphemare. Unde super illud Habac. I, 16 : *Quare... taces devorante impio justiorem se ?* Hieronymus : « Vide quam temeraria vox « est, et quasi quodam modo blasphe- « mantis. »

« *Quoniam qui malignantur.* » Hic 9
ponit rationes probantes, quare debet sustinere, non irasci. Et primo, a divina ultione. Secundo, a bonorum remuneratione, ibi, « *Sustinentes autem Dominum.* » Tertio, a persecutionis brevitate, ibi, « *Et adhuc pusillum.* » Quarto, a remunerationis magnitudine, ibi, « *Mansueti autem.* »

Dicit ergo : Noli æmulari ut maligneris, « *Quoniam qui malignantur, exterminabuntur* » a Deo. Ecce pœna. Secundum Cassiodorum, « Maligni sunt, qui

[1] Matth. XII, 31 : *Omne peccatum et blasphemia remittetur hominibus, spiritus autem blasphemiæ non remittetur.*

malitiæ votum in opus peragunt. » Exterminari autem est secundum Cassiodorum, « extra terminos projici, » id est, ab illa Dei civitate fraudari, secundum illud I ad Corinth. vi, 10 : *Nec avari, nec ebriosi*, etc. *regnum Dei possidebunt*.

Exterminabuntur autem maligni, quoniam extra terminos terræ quam gerimus, projicientur. Psal. cxlv, 4 : *Exibit spiritus ejus*. Eccle. viii, 8 : *Non est in hominis postestate prohibere spiritum : nec habet potestatem in die mortis*, scilicet ad ipsum elongandum. Item, extra terminos terræ quam terimus. Proverb. ii, 22 : *Impii de terra tollentur, et qui inique agunt, auferentur ex ea*. Item, extra terminos terræ quam quærimus, scilicet terræ viventium. Psal. v, 11 : *Expelle eos, quoniam irritaverunt te, Domine*. Quia, Eccli. xiii, 22 : *Quæ communicatio sancto homini ad canem ?* Apoc. xxii, 15 : *Foris canes, et venefici*. Item, expelletur impius de terra media, quia non remanebit in se, nec in hærede, nec in recordatione. In se, Job, xviii, 18 : *Expellet eum de luce in tenebras, et de orbe transferet illum Deus*. De secundo, Job, xviii, 19 : *Non erit semen ejus neque progenies*. De tertio, in eodem, ℣. 17 : *Memoria illius pereat de terra, et non celebretur nomen ejus in plateis*.

10 « *Et adhuc pusillum*. » Hic sumitur ratio ad persuadendum, a brevitate persecutionis : et dicuntur duo. Primo, brevis duratio persequentis. Secundo, persecutionis, ibi, « *Quares locum ejus*. »

Dicit ergo : Sic præmiaberis si sustinueris. Nec dicas : Multum me sustinere oportet, quia « *adhuc pusillum* » tantum, « *et non erit peccator*. » Totum enim quod transit, tamquam nihil est reputandum. Augustinus : « Vide vitam non esse « diuturnam, quæ sic avolavit. » Psal. lxxxix, 5 : *Quæ pro nihilo habentur, eorum anni erunt*.

« *Quæres locum ejus*, » id est, utilem ejus usum ad justum affligendum, « *et non invenies*, » quia alibi, in Psal. cxxiv, 3 : *Non relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem justorum*. Job, xx, 7 : *Qui eum viderant, dicent : Ubi est ? Velut somnium avolans non invenietur*. Secundum ergo visum istum vita impiorum brevis est. I Machab. ii, 63 : *Hodie extollitur, et cras non invenietur*. Hoc autem facit Deus triplici ratione. Quare felicitas impiorum brevis est ? Primo, ne boni per impatientiam deficiant. Mali enim sunt flagellum quo Dominus castigat. Isa. x, 3 : *Væ Assur virga furoris mei, et baculus ipse est in manu eorum indignatio mea*. Ipse est malleus quo format Deus vasa gloriæ in honorem. Jerem. l, 23 : *Quomodo confractus est, et contritus malleus universæ terræ ?* Item, stimulus quo torpentes stimulat. Jerem. xlvi, 20 : *Vitula elegans atque formosa Ægyptus : stimulator ab Aquilone veniet ei*. Mali ergo sunt baculus, malleus, et stimulus. Sed non expedit jam castigatos flagellare, jam formatos malleare, satis veloces stimulare, ne surrepat impatientia, et dicant illud Job, vi, 11 : *Quæ fortitudo mea ut sustineam ? aut quis finis meus ut patienter agam ?* Psal. cxxiv, 3 : *Non relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem justorum*, etc. Item, ne mali propriam damnationem importabilem faciant : semper enim augent mala. Psal. lxxiii, 23 : *Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper*. Unde multum expedit eis parum vivere. Eccle. viii, 12 : *Peccator ex eo quod centies facit malum, et per patientiam sustentatur, ego cognovi*, etc. II Machab. vi, 13 : *Multo tempore non sinere peccatoribus ex sententia agere, sed statim ultiones adhibere, magni beneficii indicium est*. Item, ne suo exemplo plures inficiant : diuturna enim prosperitas malorum posset trahere bonos ad malum. Eccle. viii, 11 : *Etenim quia non profertur cito contra malos sententia, absque timore ullo filii hominum perpetrant mala*. Et etiam suadendo ut secum mali essent. I ad Cor.

xv, 33 : *Corumpunt mores bonos colloquia mala.*

11 « *Mansueti autem.* » Hic sumitur ratio a remunerationis magnitudine : et tanguntur tria in hoc versu. Præmii voluptas, ibi, « *Delectabuntur.* » Voluptatis perpetuitas quæ proponitur, ibi, « *Hæreditabunt.* » Et in utroque tranquillitas, ibi, « *In multitudine pacis.* »

Dicit ergo : Sic brevis malorum vita, « *sed mansueti hæreditabunt terram.* » Mansueti sunt secundum Cassiodorum, modesti, patientes, et mites. Hi « *hæreditabunt,* » possessione perputa, « *terram* » viventium. Matth. v, 4 : *Beati mites : quoniam ipsi possidebunt terram.*

« *Et delectabuntur* » omni pleni voluptate. Psal. xv, 11 : *Delectationes in dextera tua usque in finem.* Et hoc « *in multitudine pacis,* » in una pace, quæ tamen erit multiplex, quia quot hic pateris angustias et impugnationes, tot invenies ibi paces. Nunc est bellum in corpore ex contrarietate humorum ex qua morbi, et mors. Jerem. xii, 12 : *Non est pax universæ carni.* E contrario in cœlo est illa pax, de qua Augustinus : « Pax corporis est ordinata temperatura partium[1]. » Et sic nec erit morbus nec mors, I ad Corinth. xv, 53 : *Oportet mortale hoc induere immortalitatem, et corruptibile hoc induere incorruptionem.* Item, nunc est bellum in ipsa anima, quia superior pars rationis in pluribus contrariatur inferiori : inferior enim aliquando nimium obtemperat carni, sed superior contradicit. Ad Rom. vii, 15 : *Non quod volo bonum, hoc ago : sed quod nolo malum, illud facio.* Job, ix, 18 : *Non concedit requiescere spiritum meum.* Et Osee, x, 2 : *Divisum est cor eorum.* Sed in cœlo plena consensio. *Facta sum coram eo,* scilicet Deo, *quasi pacem reperiens,* dicit anima[2]. Item, nunc est bellum hominis cum homine, Michæ. vii, 2 : *Vir fratrem suum venatur ad mortem.* Et infra, ℣. 6 : *Inimici hominis domestici ejus.* Sed e contra in cœlo omnes concordes erunt. Isa. xxxii, 18 : *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis.* De hac Augustinus, in eodem quo supra : « Pax hominum est ordinata concordia. » Item, est bellum hominis cum dæmone. Ad Ephes. vi, 12 : *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum.* Sed erit ibi pax ab istis, Isa. liv, 13 : *Ponam... universos filios suos doctos a Domino, et multitudinem pacis filiis tuis.* Omnes paces ibi erunt. Cassiodorus : « Pax futuri sæculi est, ubi nihil adversum, nihil potest esse contrarium. »

[...]plex in vita [...]n et in pax.

« *Observabit peccator.* » Hic secunda pars Psalmi, in qua vituperat statum malorum, ut ab illo mediocres resiliant : et primo agit contra malitiam impugnantium. Secundo, contra abundantiam spoliantium alios, ibi, « *Melius est modicum justo.* » Tertio, contra potentiam impugnantium vel opprimentium, ibi, « *Inimici vero Domini.* » 12

Secunda pars Psalmi.

In prima duo. Primo, agit contra malitiam cordis. Secundo, oris, ibi, « *Gladium evaginaverunt.* »

In prima duo. Primo, tangit malitiam. Secundo, frustratæ malitiæ pœnam, ibi, « *Stridebit super eum.* »

Dicit ergo : Ita in futuro erit pax, sed nunc est pugna : quia « *peccator observabit,* » occulte insidiando, « *justum,* » ut eum alliciat ad malum trahendo, et ei invidendo. Sap. ii, 15 : *Gravis est nobis etiam ad videndum, quoniam dissimilis*

[1] S. Augustinus, De Civitate Dei, lib. XIX.

[2] Cant. viii, 10.

est aliis, etc. Sic observabant Christum Judæi, Luc. xiv, 1 : *Et ipsi observabant eum.*

« *Et stridebit.* » Hic frustratæ malitiæ pœna, et hæc triplex. Belluina ira. Secundo, irrisio divina, ibi, « *Dominus autem.* » Tertio, damnatio futura, ibi, « *Quoniam prospicit.* »

Dicit ergo : Sic observabit : et si non potest eum allicere, vel ei nocere, tunc « *stridebit super eum dentibus suis,* » tamquam furens et sæviens bestia. Psal. cxi, 10 : *Peccator videbit et irascetur, dentibus suis fremet et tabescet.* Ut occidat si non potest subvertere. Prov. i, 11 : *Abscondamus tendiculas contra insontem.* Si interficere non potest, deglutiat totum virum : unde ibidem, ỳ 12 : *Degluttiamus eum sicut infernus viventem.* Sic stridebant super Stephanum Judæi [1].

13 « *Dominus autem irridebit.* » Ecce secunda pœna. Quasi diceret : Sic stridebit : « *Dominus autem irridebit,* » id est, irrisibilem faciet et ab aliis : « *irridebit,* » frustrato conatu ejus. Psal. ii, 4 : *Qui habitat in cœlis, irridebit eos,* etc. Prov. i, 26 : *Ego autem in interitu vestro gaudebo, et subsannabo.* Et bene « *irridebit* : » quia sicut dicit Augustinus super *Joannem* : « Deus de peccatore flagellum « facit ad corripiendum justum. » Unde bonus proficit, inde malus deficit. Et idem : « Corpus tuum premit adversitas, « illius animum putrefacit iniquitas : « quidquid in te proficit, in illum redit : « ejus persecutio te facit purgatum, illum « reum. » Irridetur ergo a Deo, irridetur a dæmonibus. Habac. i, 10 : *Tyranni ridiculi ejus erunt.* Item, ab hominibus, Psal. li, 8 : *Videbunt justi et timebunt, et super eum ridebunt,* etc.

Et vere irridebit : « *Quoniam prospicit* » Dominus, « *quod veniet dies ejus,* » Domini scilicet, in quo judicet in illis : et ipsos latet dies illa. Proverb. iv, 19 : *Via impiorum tenebrosa : nesciunt ubi corruant.* Isa. lxiii, 4 : *Dies ultionis in corde meo, annus redemptionis meæ venit.* Et vocatur *dies Domini* propter præsentiam veri solis, et ejus ortum tunc bonis et malis manifestum. Sap. v, 6 : *Sol intelligentiæ non est ortus nobis,* in vita præsenti, sed tunc orietur. Isa. xl, 5 : *Videbit omnis caro quod os Domini locutum est.* Item, per notitiam potestatis : tunc enim innotescet potestas Domini quæ modo occulta est. Job. xxii, 17 : *Quasi nihil posset facere Omnipotens, æstimabant eum.* Item, propter solemnitatem, tunc enim maxime coletur et laudabitur Dominus a tota triumphante Ecclesia. Psal. xxxiv, 18 : *Confitebor ibi in Ecclesia magna.* Osee, ix, 5 : *Quid facietis in die solemni, in die festivitatis Domini ?*

« *Gladium evaginaverunt.* » Hic contra malitiam oris : et dicuntur tria. Primo, sermonis præparatio eorum tamquam armorum. Secundo, sermonis abusio, ibi, « *Ut decipiant.* » Tertio, abutentium justa punitio, ibi, « *Gladius eorum.* » 14

In prima duo. Primo, præparatio sermonis manifesti. Secundo, occulti, ibi, « *Intenderunt.* »

Ait ergo : Tales sunt in corde, et nituntur justum subvertere. Si non possint, tunc « *gladium evaginaverunt peccatores,* » id est, manifesta mala protulerunt. Cassiodorus : « Gladius peccatorum est « quilibet dolus appetens læsionem. » Hunc habent peccatores in corde, tamquam in vagina : sed hunc evaginant per verba manifesta et facta. Matth. xv, 19 : *De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia,... furta,* etc. Sed sic non proficiunt.

« *Intenderunt arcum suum,* » ut la-

[1] Act. vii, 54.

tenter sagittent incautum. Psal. x, 3 : *Quoniam ecce paratores intenderunt arcum, paraverunt,* etc. Jerem. ix, 3 : *Extenderunt linguam suam quasi arcum mendacii.* Psal. lxiii, 4 : *Intenderunt arcum rem amaram.* Osee. vii, 16 : *Facti sunt quasi arcus dolosus.* Gladius hic peccatorum potest dici peccatum, Eccli. xxi, 4 : *Quasi romphæa bis acuta omnis iniquitas.* Hunc gladium peccator fabricat quando malum in corde cogitat. Sed perficit cum facere consentit. Eccli. xi, 35: *Attende tibi a pestifero, fabricat enim mala.* Genes. iv, 22 : *Tubalcain malleator, et faber in omni opere æris et ferri.* Sed hunc gladium evaginat, quando peccatum suum aliis jactat, vel loquitur ut idem suadeat. Psal. lviii, 8 : *Gladius in labiis eorum, quoniam quis audivit ?* Talia enim audire multis placet, et propter hoc illa referunt indifferenter. Sed idem perficit et incutit, quando alios admonitione sua, et exemplo ad culpam trahit. Job, xxiv, 14 : *Mane primo consurgit homicida, et interficit egenum, et pauperem.* Tali debet dici illud Joan. xviii, 11 : *Mitte gladium tuum in vaginam.*

« *Ut decipiant pauperem.* » Hic tangitur verborum abusio, et primo occultorum. Secundo, manifestorum, ibi, « *Ut trucident.* »

Ait ergo : Intenderun tarcum « *ut dejiciant pauperem* » justum, qui credit se sibi non sufficere, « *et inopem,* » qui caret ope, aliunde nisi a Deo. II ad Corinth. iii, 5 : *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Non sicut illi de quibus Apocalyp. iii, 17 : *Dicis quia dives sum, et nullius egeo.* Sed secundum consilium Eccli. xi, 25 : *Ne dicas : Quid est mihi opus ?* Vel, « *gladium evaginaverunt,* » supple, « *ut trucident rectos corde,* » Martyres scilicet. Ad Hebr. xi, 37 : *Secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt,* etc. In hoc quod dicit, « *Trucident,* » tangit Martyrum pœnam. In hoc quod dicit, « *Rectos corde,* » tangit pœnæ causam : quæ duo sufficiunt ad martyrium, sicut dictum fuit supra, super Psal. xxxv : « Martyrem non facit pœna, sed causa. »

Quare pauper a divite odio habetur et opprimitur?

Inopes autem et pauperes maxime a divitibus opprimuntur. Et est prima ratio, quia pauper amatoribus mundi est odibilis, secundum illud Proverb. xiv, 20 : *Etiam proximo suo pauper odiosus erit.* Et Eccli. xiii, 24 : *Exsecratio divitis pauper.* Item, quia ad tuendum se incautior, Luc. xvi, 8 : *Filii hujus sæculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt.* Et ideo contingit eis illud Isa. v, 13 : *Propterea captivus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam,* id est, mundanam. Item, quia ad defendendum se impotentior, et quilibet opprimit eum : nullus adjuvat, sed divitem multi. Eccli. xiii, 26 : *Diviti decepto multi recuperatores.* Et infra, ℣. 27 : *Humilis deceptus est, insuper et arguitur : locutus est sensate, et non est datus eis locus.* Eccli. xiii, 4 : *Dives injuste egit et fremet : pauper autem læsus tacebit.*

« *Gladius eorum.* » Hic tertium, abu- **15**
tentium punitio justa, et hæc duplex, Prima, quia spiritualiter trucidatur. Secunda, quia a proposito suo fraudatur, ibi, « *Et arcus eorum.* »

Dicit ergo : Sic conantur gladio evaginato alium trucidare, sed « *gladius eorum intret in corda ipsorum,* unde exivit, ut ipsa corda sua trucident. Prov. i, 18 : *Ipsi quoque contra sanguinem suum insidiantur, et moliuntur contra animas suas :* unde patet eorum insania, quia ut aliorum vestes scindant, scilicet corpora, Job, x, 11 : *Pelle et carnibus vestisti me :* ipsi proprias animas necant.

« *Et arcus eorum,* » scilicet occulta eorum machinatio, « *confringatur,* » id est, annihiletur, et frustretur, ita ut nihil omnino valeat. Job, v, 12 : *Qui dissipat cogitationes malignorum, ne possint implere manus eorum quod cœperant.* Duo

Malum in suum auctorem redit, sicut cætera ad suam originem.

ergo mala illis contingunt, quia intus a seipsis occiduntur, et suo proposito frustrantur. Sapient. xi, 13 : *Duplex illos acceperat tædium, et gemitus cum memoria præteritorum.* Hoc autem optime fit, ut malum ad suam revertatur originem : sic enim accidit in omnibus. In superioribus, Eccle. i, 5 : *Oritur sol, et occidit, et ad locum suum revertitur.* In inferioribus Eccle. iii, 20 : *Omnia pergunt ad locum unum : de terra facta sunt, et ad terram revertuntur.* In mediis, Eccle. i, 7 : *Ad locum, unde exeunt flumina, revertuntur ut iterum fluant.* Merito ergo ad cor suum, unde exit malitia, revertitur, secundum illud Matth. xv, 18 : *Quæ procedunt de ore, de corde exeunt* : ut impleatur illud Psal. vii, 17 : *Convertetur dolor ejus in caput ejus.* Et illud Eccli. xxvii, 30 : *Facienti nequissimum consilium, super ipsum devolvetur.* Hoc etiam fit ut rectitudinem æquitatis experiatur malus, secundum illud Poetæ[1],

— Neque enim lex justior ulla est,
Quam necis artifices arte perire sua.

Goliath proprio gladio interfectus est [2], et Holofernes proprio pugione [3]. Item, ut Dei potestas cognoscatur, qui malum vertit quo vult, non quo malus intendit. Isa. xlv, 6 et 7 : *Ego Dominus, et non est alter, formam lucem et creans tenebras, faciens pacem, et creans malum,* id est, ordinans ipsum. Amos, iii, 6 : *Si erit malum in civitate, quod Dominus non fecerit,* id est, ordinaverit.

16 « *Melius est modicum justo,* » Hic secundum, in quo agit contra malitiam spoliantium, ubi præfert modicitatem justorum abundantiæ spoliantium. Primo, simplici sermone. Secundo, ratione, ibi, « *Quoniam brachia.* »

Dicit ergo secundum Cassiodorum, « tamquam pia mater filios consolando : » Si spoliatur justus etiam ab impio, nihilhominus gaudeat, quia « *melius est modicum justo,* » id est, paupertas justi ipsi justo, « *super divitias peccatorum multas,* » id est, quam multæ divitiæ injustorum ipsis injustis. Proverb. xv, 16 : *Melius est parum cum timore Domini, quam thesauri magni et insatiabiles.* Ut sit sensus : Melius est modicum juste acquisitum, quam multæ divitiæ injuste acquisitæ. Proverb. xvi, 20 : *Melius est parum cum justitia, quam multi fructus cum iniquitate.* « *Modicum,* » quod etiam humilitas : humilis enim modicum reputat seipsum. Unde David dicebat se pulicem et canem mortuum [4]. Divitiæ sunt peccata. Michæ. vi, 10 : *In domo impii thesauri impietatis.* Est ergo sensus : Melius est esse humilem quam iniquum : quia ad gloriam perducit humilitas. Prov. xxix, 23 : *Humilem spiritu suscipiet gloria.* Sed illæ divitiæ præcipitant in tartarum. Ezech. xxvii, 27 : *Divitiæ tuæ, et thesauri tui... cadent in corde maris,* id est, in profundo amaritudinis inferni. Propter hoc dicit Hieronymus : « Nudus « et levis ad cœlum vola, ne alas virtu- « tum tuarum auri deprimant pondera. »

« *Quoniam brachia.* » Hic secundum, 17
in quo præfert paupertatem spoliatorum divitiis spoliantium. Rationes : et primo sumitur ratio a præsentibus. Secundo, a consequentibus, ibi, « *Novit Dominus.* »

In prima duo. Primo, ostendit spoliantium damnum. Secundo, spoliatorum emolumentum, ibi, « *Confirmat autem.* »

Dicit ergo : Vere dixi, quod illud me-

[1] *Ovidius,* De arte amatoria, Lib. I.
[2] I Reg. xviii, 51.
[3] Judith, xiii, 8.
[4] I Reg. xxv, 15 : *Quem persequeris, rex Israel? quem persequeris? canem mortuum persequeris, et pulicem unum.*

lius, « *quoniam brachia,* » potestas et robur peccatorum alios spoliantium, « *conterentur.* » Ecce præmium quod cum suis divitiis conterentur. « *Autem,* » sed e contrario, « *confirmat justos Dominus.* » Eccli. xxx, 14 : *Melior est pauper sanus, et fortis viribus, quam dives imbecillis, et flagellatus malitia.* Ad contritionem autem istorum brachiorum agunt tria, ira, gula, inquietudo. Ira enim sæpe concomitatur divitias, Eccli. XIII, 4 : *Dives injuste egit, et fremet.* Et XXVIII, 12 : *Secundum substantiam suam exaltabit iram suam.* Sed iræ tali annexa est impotentia et mors. Eccli. xxx, 26 : *Zelus et iracundia minuunt dies.* De secundo, gula concomitatur divitias, Luc. XVI, 19 : *Homo quidam erat dives.* Statim adjungitur : *Et induebatur purpura et bysso, et epulabatur quotidie splendide.* Prov. XXXVII, 33 et 34 : *In multis escis erit infirmitas.* Et infra : *Propter crapulam multi obierunt.* De tertio, somni et quietis carentia concomitatur divitias, Eccle. v, 11 : *Saturitas divitis, non sinit eum dormire.* Et versus :

Impius tribus conteritur, ira, gula, et æstu animi.

Quod caret æterna requie, durabile non est.

« *Confirmat autem justos Dominus.* » Optime Scripturarum sermone. Cassiodorus : « Confirmare est in animi afflictione positum consolatorio sermone roborare. » Job, IV, 4 : *Vacillantes confirmaverunt sermones tui.* « *Confirmat* » autem spiritus fortitudinis infusione. Psal. L, 14 : *Spiritu principali confirma me.* Et alibi Psal. LXVII, 29 : *Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis.* « *Confirmat* » auxilii exhibitione in operando secundum illud. Psal. LXXXVIII, 22 : *Manus enim mea auxiliabitur ei, et brachium meum confortabit eum.*

18 « *Novit Dominus dies immaculatorum.* » Hic sumit rationem a consequentibus : in quo primo ostendit emolumentum bonorum spoliatorum. Secundo, malorum spoliantium damnum, ibi, « *Quia peccatores.* »

In prima tangit meritum. Secundo, præmium, ibi, « *Et hæreditas eorum.* » Legitur autem dupliciter. Primum quia dies potest dicere statum gratiæ, et statum gloriæ.

Primo modo sic : Vere confirmat justos in speranda felicitate et gloria, quam ipse novit solus. « *Novit* enim *Dominus dies immaculatorum,* » quos eis reservat in æternitate. Sed contra, Job, XV, 14 : *Quid est homo ut immaculatus sit, aut mundus appareat de muliere?* Responsio. Sensus est : « *Novit Dominus dies immaculatorum* » tunc, non nunc. Exceptis enim Jesu Filio et Maria matre, nullus mundus a macula peccati. Apoc. XIV, 5 : *Sine macula sunt ante thronum Dei.* Vel *immaculatos* vocat viventes sine macula peccati mortalis. In Psal. CXVIII, 1 : *Beati immaculati in via.* Quasi diceret : His præparavit claros et mirabiles dies, quos solus novit. I ad Cor. II, 9 : *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se.*

Secundo modo sic : Dominus novit notitia approbationis immaculatam vitam justorum, quæ est dies clara. Sap. IV, 1 : *Quam pulchra est casta generatio cum claritate!*

« *Et hæreditas.* » Hic tangitur præmium triplex animæ justæ, ante judicium, et in judicio, ibi, « *Non confundentur.* » Et post judicium, ibi, « *Et in diebus famis.* »

Dicit ergo : Sic novit, « *et hæreditas eorum,* » eis scilicet pro diebus immaculatis data, « *in æternum erit,* » non temporalis. Isa. LX, 21 : *Populus tuus omnes justi, in perpetuum hæreditabunt terram.*

Et nota, quod vitam justorum novit Dominus, quia ei serviunt fideliter, Prov. XII, 22 : *Qui fideliter agunt, placent ei.* Et quia hilariter, Eccli. XLV, 29 : *In bonitate et alacritate animæ suæ placuit Deo.* Et quia perseveranter, Ad Hebr. X,

38 : *Justus meus ex fide vivit : quod si subtraxerit se, non placebit animæ meæ.* Sed tunc erit impletum illud Jerem. XVI, 21 : *Ostendam eis manum meam et virtutem meam*, Christum scilicet, *et scient quia nomen mihi Dominus.* Psal. IX, 17 : *Cognoscetur Dominus judicia faciens.*

19 « *Non confundentur.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Erit æterna hæreditas, « *et non confundentur*, » tales. Et legatur de præsenti. Primo totum sic : « *Non confundentur in tempore malo*, » in hoc scilicet præsenti tempore, quod est malum. Amos, V, 13 : *Tempus malum est*, quia abundat malum ignorantiæ et culpæ, et pœnæ. Osee, IV, 1 et seq. : *Non est scientia Dei in terra*, quoad malum ignorantiæ. Et iterum : *Maledictum, et mendacium, et homicidium, et furtum, et adulterium inundaverunt*, quantum ad malum culpæ. *Propter hoc lugebit terra, et infirmabitur omnis qui habitat in ea*, quantum ad malum pœnæ.

« *Et in diebus famis*, » qui modo sunt, quia modo est frequens esuries corporalis. Eccli. XL, 9 : *Fames, et contritio, et flagella super iniquos citata sunt.* Item, nunc spiritualis, scilicet veritatis in intellectu. Psal. XI, 2 : *Diminutæ sunt veritates a filiis hominum.* Amos, VIII, 11 : *Mittam famem in terram, non famem panis, sed audiendi verbum Dei.* Item, nunc est fames virtutis in affectu. Matth. V, 6 : *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam.*

« *Saturabuntur*, » bonis temporalibus nunc in specie, et in futuro spiritualibus, non modo in spe sed etiam in re. Et vere saturabuntur, « *quia peccatores* » tantum « *peribunt* : » cum enim careant bonis interioribus, ablatis exterioribus necesse est perire, ut intra et extra tribulentur. Jerem. XVII, 18 : *Induc super eos diem afflictionis, et duplici contritione contere eos, Domine Deus noster.*

Secundo modo legitur sic : Non confundentur in tempore malo, in die scilicet judicii. Sophon. I, 15 : *Dies iræ dies illa, dies tribulationis et angustiæ, dies calamitatis et miseriæ.* « *Et in diebus famis*, » scilicet in præsenti, « *saturabuntur*, » sicut prius.

Vel tertio modo legatur totum de futuro. Prima ergo pars de die judicii, sicut jam lectum est. *Et in diebus famis*, » scilicet post judicium, quando erit malis fames corporalis. Isa. LXV, 13 : *Ecce servi mei comedent, et vos esurietis.* De fame damnatorum.

Et nota, quod post judicium fames perpetua apud inferos erit. Sed dicunt Naturales, quod longa fames convertitur in sitim : nec homo proprie moritur fame, sed siti : cujus signum est, quod Luc. XVI, 24, dives petiit guttam aquæ, non micam panis. Quare ergo non dicit : In diebus sitis potabunt ? Resp. Qui negat consequens, negat et antecedens. Sed potus quoddam genus est cibi : et ob hoc negatio cibi simpliciter, est negatio quidem et potus : sed non esset sic e converso. Erit etiam ibi fames spiritualis in intellectu, fames scilicet sapientiæ. Eccle. IX, 10 : *Nec opus, nec ratio... apud inferos, quo tu properas.* Et gaudii et lætitiæ in affectu : sed totum tormentum et luctus. Apoc. XVIII, 7 : *Quantum glorificavit se et in deliciis fuit, tantum date ei*, etc. Propter hoc dicitur, Eccli. XIV, 17 : *Apud inferos non est invenire cibum.*

« *Quia peccatores peribunt.* » Expone ut supra. Tangit enim damnum malorum. Job, IV, 8 et 9 : *Vidi eos qui operantur iniquitatem, et seminant dolores, et metunt eos, flante Deo periisse.* 20

« *Inimici autem Domini.* » Hic tertium, in quo agit contra potentiam opprimentium, præferens statum oppressorum statui opprimentium. Primo ergo agit de opprimentibus. Secundo, de oppressis, ibi, « *Justus autem miseretur et tribuet.* »

In prima autem tanguntur tria. Primo, tangit inimicorum potestatem. Secundo, potentium dejectionem, ibi, « *Deficientes.* » Tertio, dejectionis rationem, ibi, « *Mutuabitur.* »

Dicit ergo : Sic raptores, et etiam « *inimici Domini,* » qui scilicet sunt amici mundi, Jacob. iv, 4 : *Quicumque voluerit amicus esse sæculi hujus, inimicus Dei constituitur* : « *Mox,* » id est quam cito, « *fuerint honorificati,* » dignitate, « *et exaltati,* » humana laude, « *deficientes deficient.* » Notatur autem in hoc, sicut vult Glossa, defectus scientiæ, et bonæ vitæ. De virtute et vita, Psal. xlviii, 13 : *Homo cum in honore esset, non intellexit : comparatus est,* etc. De scientia, Cassiodorus : « Qui in nimiam altitudinem ascendit, a veritate « cadit. »

« *Et quemadmodum fumus.* » Jacob. iv, 15 : *Quæ est enim vita nostra ? Vapor ad modicum parens, et deinceps exterminabitur.*

Comparatio superbi cum fumo. Comparantur autem fumo superbi et potentes in sæculo. Oritur enim vapor de materia terrestri, sed super terram ascendit. Sic superbi de terra sunt sicut alii homines, Job, xxxiii, 6 : *Ecce, et me sicut et te fecit Deus, et de eodem luto ego quoque formatus sum.* Sed super alios extollunt se secundum illud Eccli. iii, 22 : *Altiora te ne quæsieris.* Et x, 9 : *Quid superbis, terra et cinis ?* Item, cito evanescit fumus. Sic superbus, Job, xxiv, 24 : *Elevati sunt ad modicum, et non subsistent.* De divite, Cf. Luc. xii, 16 et seq. Item, ab igne est fumus, et tamen ignem relinquens nititur ipsum supergredi. Sic potens in sæculo ab illo est de quo Deut. iv, 24 : *Deus tuus ignis consumens est.* Quippe ad Rom. xiii, 1 : *Non est potestas nisi a Deo.* Et hunc ignem spernit, et vult supergredi cum superbit. Isa. i, 2 : *Filios enutrivi et exaltavi : ipsi autem spreverunt me.* Quanto autem plus ab igne elongatur, magis evanescit. Sic iste quanto a Deo elongatur, plus annihilatur. Psal. lxxii, 27 : *Qui elongant se a te, peribunt.* Item, nulli vento resistit fumus. Sic nec superbus, Thren. i, 6 : *Abierunt absque fortitudine ante faciem subsequentis.* Item, lacrymari alios facit fumus. Sic superbus quos opprimit, Eccl. iv, 1 : *Vidi calumnias, quæ sub sole, geruntur, et lacrymas innocentium.* Domos nigras reddit. Sic isti socios sordidos, Eccli. xiii, 1 : *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea.* Et Eccli. x, 2 : *Secundum judicem populi, sic et ministri ejus.*

« *Mutuabitur peccator.* » Hic subjungit dejectionis rationem. Quasi diceret : Sic deficient mali. Et hoc justum, quia « *mutuabitur peccator,* » bona naturæ a Deo mutuo accipiet. I ad Corinth. iv, 7 : *Quid habes quod non accepisti ?* Augustinus : « Accipit ut sit, accipit ut « homo sit, accipit corporis formam : « quinque sensuum distinctionem, manus ad tractandum, pedes ad ambulan- « dum. Et ut ad unum dictum sit : cum « sit minor mundus, accipit omnia sicut « major mundus, unde vocatur mundus, « et omnis creatura. » Marc. xvi, 15 : *Prædicare Evangelium omni creaturæ.* Matth. xviii, 26, 29 : *Patientiam habe in me,... et omnia reddam tibi,* non unum tantum vel duo. 21

Bona homini a Deo collata.

« *Et non solvet,* » gratias agendo, quam solutionem requirit Deus. Gratiarum actio solvitur, cum membro sibi a Deo dato ad honorem Dei quis utitur. I ad Corinth. x, 31 : *Sive comeditis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.*

« *Mutuabitur* etiam *peccator,* » bonum doctrinæ. Luc. xix, 13 : *Vocatis servis,* tradidit illis bona dicens : *Negotiamini, dum venio.* Ab istis ergo peccatores mutuo verbum accipiunt, sed non solvunt, quia non complent opere quod audiunt. Proverb. xxix, 19 : *Servus verbis non potest erudiri : quia quod dicis intelligit, et respondere contemnit.* Cas-

siodorus : « Hoc est non solvere, accepta « divinitatis jussa non implere. »

« *Justus autem.* » Hic secundum, in quo postquam actum est de opprimentibus, subjungit de oppressis : et tangit duo. Primo, bonæ operationis continuationem. Secundo, continuationis rationem, ibi, « *Quia benedicentes.* »

Dicit ergo : Sic mali non solvent. « *Autem,* » sed, « *justus miseretur,* » primo intus in corde : « *Et tribuet,* » extra in operatione. Procedit misericordia in affectu, et sequitur largitas in effectu. Alia littera habet, « retribuet : » et bene, quia nullus tribuit pauperibus Dei, nisi prius acceperit a Deo. I Paralipom. xxix, 14: *Tua sunt omnia : et quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi.*

22 « *Quia benedicentes ei.* » Hic ratio bonæ operationis, scilicet retributio bonorum et malorum, quam fide cognovit. Primo ergo tangitur bonorum retributio. Secundo, malorum, ibi, « *Maledicentes autem.* »

« Ait ergo : Sic justus tribuet misericordia motus, et hoc, « *quia benedicentes ei,* » id est, gratias Deo in omnibus referentes non solum lingua, sed et vita, secundum illud Psal. cxlv, 2 : *Laudabo Dominum in vita mea.*

« *Hæreditabunt terram* » quam terimus, sicut patet in Apostolis. Psal. xliv, 17 et 18 : *Constitues eos principes super omnem terram.* Quare, *memores erunt nominis tui,* Domine, non tantum lingua sed et vita. Augustinus : « De piscatore « lucratus est oratorem, id est, laudato« rem : de oratore senatorem, imo Im« peratorem. Unde et Papæ data est civi« tas imperialis, scilicet Roma. »

Item, terram quam gerimus in generali resurrectione hæreditabunt gloriosam. Ad Philip. iii, 21: *Reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ.*

Item, terram quam quærimus. I Petr. i, 3 : *Regeneravit nos in spem vivam, in hæreditatem incorruptibilem,* illius terræ de qua Proverb. ii, 21 : *Qui recti sunt habitabunt terram.*

« *Maledicentes autem ei,* » Deo, non tam lingua, quam turpi vita. Ad Roman. ii, 24 : *Nomen Dei per vos blasphematur.* « *Disperibunt.* » In bono posset exponi, id est, de malis fient boni. Proverb. xii, 7 : *Verte impios, et non erunt.* Vel ad litteram quoad pœnam perdentur. Genes. xxvii, 29 : *Qui maledixerit tibi, sit ille maledictus.* Prov. xii, 13 : *Propter peccata labiorum, ruina proximat malo.*

« *Apud Dominum gressus.* » Hic tertia pars totius Psalmi, in qua commendat vitam bonorum, ut infirmus vacillans illam appetat. Et primo, commendat statum bonorum in pacis tempore. Secundo, in persecutione, ibi, « *Considerat peccator.* » Primus status est Confessorum. Secundus Martyrum. 23 Tertia pars Psalmi.

In prima duo. Primo, commendatio. Secundo, vacillantium exhortatio ad statum illum, ibi, « *Declina a malo.* »

In prima tria. Primo enim commendat statum bonorum a gratia incipiente. Secundo, a perseverante, ibi, « *Cum ceciderit.* » Tertio, a proficiente, qua aliis proficit, ibi, « *Tota die miseretur.* »

In prima duo. Primo, tangit gratiæ mansionem. Secundo, effectum infusæ, ibi, « *Et viam ejus.* »

Dicit ergo : Tales sunt mali : sed « *apud Dominum,* » id est, a Domino, « *gressus hominis,* » interior scilicet affectio, « *dirigetur,* » per gratiæ infusionem, quæ distorta erat per naturæ corruptionem. Genes. viii, 21 : *Sensus et cogitatio humani cordis, prona sunt in malum ab adolescentia sua.* Proverb. xvi, 3 : *Revela Domino opera tua, et dirigentur cogitationes tuæ.* Dirigentur autem a luce, I Joan. i, 3 : *Deus lux est, et tenebræ in eo non sunt ullæ.* Joan. viii, 12 : *Ego sum lux mundi :* quæ nos illuminat, lu-

cerna Scripturæ mediante. Psal. cxviii, 105 : *Lucerna pedibus meis verbum tuum.* Item, ut a duce, Deut. xxxii, 12 : *Dominus solus dux ejus fuit.* Isa. lv, 4 : *Dedit eum ducem ac præceptorem Gentibus.* Item, ut jumentum a proprio sessore, Psal. lxxii, 23 : *Ut jumentum factus sum apud te,* etc. Et subjungit, ℣. 24 : *Tenuisti manum dexteram meam.* Unde Augustinus : « Sicut jumentum « sessoris manu dirigitur in via, sic libe- « rum arbitrium a gratia, quoad usque « ad cœlum perveniat. »

« *Et viam ejus volet.* » Ecce affectus gratiæ, quia facit consentire in via Domini quamvis dura. Psal. xvi, 4 : *Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras.* Quia secura, Proverb. iii, 17 : *Omnes semitæ illius pacificæ.* Quis amœna, In eodem : *Viæ ejus viæ pulchræ.* Psal. cxviii, 14 : *In via testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus divitiis,* etc. Quia lucida, Prov. iv, 18 : *Justorum semita, quasi lux splendens.* Job, xxxviii, 24 : *Per quam viam spargitur lux.*

16 : *Septies in die cadet justus, et resurget :* « *Non collidetur,* » per mortale peccatum, « *Quia Dominus supponit manum suam,* » id est, auxiliantem gratiam. Osee, xiii, 9 : *Perditio tua,* supple, ex te est, *Israel : tantum in me auxilium tuum.*

Nota ergo, quod justus non collidetur, sed injustus, et hoc propter terminorum distantiam : status enim justitiæ altissimus est. Isa. lii, 13 : *Ecce intelliget servus meus, exaltabitur et elevabitur, et sublimis erit valde.* Sed status peccatoris in mortali, infimus. Proverb. xviii, 3 : *Impius, cum in profundum venerit peccatorum, contemnit.* Item, propter casus velocitatem nimiam : cadit enim a statu in statum, quamvis sit distantia infinita, quasi in instanti. Jerem. xlviii, 16 : *Malum ejus velociter accurret nimis.* Tertio, propter recipientis vim penetrativam : cadit enim in culpam, de qua Eccli. xxi, 4 : *Quasi romphæa bis acuta omnis iniquitas : plagæ illius non erit sanitas.*

Injustus colliditur ob gravitatem et velocitatem casus.

24 « *Cum ceciderit.* » Hic secundum, in quo commendat statum bonorum a gratia perseverante, et stante : et dicuntur tria. Primo tangitur effectus. Secundo, causa, ibi, « *Quia Dominus.* » Tertio, diuturna experientia, ibi, « *Junior fui.* »

Ait enim : Sic justus viam Domini volet : sed « *cum ceciderit* » justus in illa per pœnam, quia in Psal. xxxiii, 20 : *Multæ tribulationes justorum* : « *Non collidetur* » corde, non ore allidetur per impatientiam. Proverb. xii, 21 : *Non constristabit justum quidquid ei acciderit.*

« *Quia Dominus supponit manum suam,* » id est mortis et passionis suæ exemplum. Thren. iii, 65 : *Dabis eis scutum cordis, laborem tuum.* Aliter legitur de casu in culpam. « *Cum ceciderit,* » justus in hac via peccando venialiter, secundum illud Proverb. xxiv,

« *Junior fui.* » Hic tertium, in quo probat per diuturnam experientiam. Duo ergo tanguntur. Primo, ipsorum diuturnitas. Secundo, continuata circa bonos divina pietas, ibi, « *Et non vidi.* » 25

Dicit ergo : Dixi, quod manum supponit : et hoc patet. « *Junior* enim *fui, etenim senui* » jam : « *et non vidi justum derelictum.* » Augustinus : « Quid « magnum quod tu loqueris ? In una « tantum existens regione non vidisti « justum egere ? Potuit autem, vel potest « in alia regione hoc fieri te nesciente. » Et respondet Augustinus, « quod paret « ex his quod hic loquitur Ecclesia, quæ « durat a principio mundi usque ad finem, « et dilatata est per omnes terminos ter- « ræ : fuit enim quasi puer in Abel, qua- « si impubes in Patriarchis et Prophetis, « juvenis in Apostolis et Martyribus, se- « nex in Confessoribus et modernis : « sed in fine mundi erit decrepita, quan-

Diversæ Ecclesiæ ætates, et modo senescit.

« do multiplicabuntur Martyres, secundum illud : *Adhuc mutiplicabuntur in senecta uberi*[1]. » Modo ergo senex est Ecclesia : quippe tremulam eam videmus : ad omnia enim timent qui debent esse fortiores in Ecclesia. Levit. XXVI, 36 : *Terrebit eos sonitus folii.* Item, frigida est, sicut senectus quæ est ætas frigida. III Reg. I, 1 : *Et rex David senuerat, habebatque dies plurimos : cumque operiretur vestibus, non calefiebat.* Sic modo charitas, quæ fuit in Apostolis et Martyribus, pro magna parte refriguit. Matth. XXIV, 12 : *Refrigescet charitas multorum.* Item, ætas fatua est. Isidorus : « Senes a sensus diminutione « dicuntur, eo quod jam vetustate desi« piant. Job, XXXII, 9 : *Non sunt longævi sapientes.* Item, ætas hæc est oculis obscura. Genes. XXVII, 1 : *Senuit Isaac, et caligaverunt oculi ejus, et videre non poterat.* Sed de oculis Ecclesiæ, prælatis scilicet, potest dici illud Isaiæ, LVI, 10 : *Speculatores ejus cæci omnes, nescierunt universi.*

26 « *Tota die miseretur.* » Hic tertium, in quo commendat statum bonorum a gratia proficiente vel perficiente etiam : ubi primo tangitur perfectionis operatio. Secundo, remuneratio, ibi, « *Et semen illius.* »

Dicit ergo, ut legatur de eleemosyna corporali primo, justus non cadit, sed proficit, quia « *tota die miseretur,* » et mane scilicet, et vespere, secundum illud Eccle. XI, 6 : *Mane semina semen tuum, et vespere non cesset manus tua.* Nihil tangit de nocte, quia bona opera sunt opera diei, non noctis. Joan. IX, 4 : *Me oportet operari opera ejus, qui misit me, dum dies est.* « *Miseretur* » ergo affectu, « *et commodat* » postea operis effectu. Cassiodorus : « Misericordia an« te tangit animum, et sic aperit ma« num. » Psal. CXXV, 6 : *Euntes ibant et flebant, mittentes,* etc. Ecce operis exhibitio. Sed quare non dicit, *dat,* cum dare sit magis actus misericordiæ, quam commodare? Responsio. Dat pauperi, sed Deo mutuat vel commodat, secundum illud Proverb. XIX, 17 : *Fœneratur Domino qui miseretur pauperis, et vicissitudinem suam reddet ei.* Vel sic : « *Tota die miseretur,* » admonendo quod recedant à malo : « *et commodat* », suadendo ut faciant bonum. « *Et semen illius,* » opus scilicet justitiæ, quod utroque modo seminat. Osee, X, 12 : *Seminate vobis in justitia.* Vel « *semen,* » imitatores, « *in benedictione erit,* » id est in multiplicatione. Genes. I, 28 : *Benedixitque illis Deus, et ait : Crescite et multiplicamini, et replete terram.* Et nota, « *in benedictione,* » quia II ad Corinth. IX, 6 : « *Qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet vitam æternam.*

« *Declina a malo.* » Hic secundum, in quo subjungitur exhortatio ad imitationem vitæ justorum, de quibus præmissum est. Primo ergo admonet simpliciter. Secundo, persuadet efficaciter, ibi, « *Quia Dominus amat.* » 27

In prima monet ad tria. Primo, declinare a malo. Secundo, facere bonum, ibi, « *Et fac bonum.* » Tertio, in Ecclesia permanere, cum subdit : « *Et inhabita.* »

Dicit ergo : Sic semen justi in benedictione erit, et propter hoc tu, quicumque es, « *declina a malo,* » homine primo, quia Eccli. XIII, 1 : *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea : et qui communicaverit superbo, induet superbiam.* Item, « *a malo,* » id est a dæmone, cum quo multi habent confœderationem. Isa. XXVIII, 15 : *Percussimus fœdus cum mor-*

[1] Psal. XCI, 15.

te, et cum inferno fecimus pactum : quod nullo modo faciendum est Christiano. II ad Corinth. vi, 15 : *Quæ conventio Christi ad Belial ?* id est, uncti Christiani ad diabolum. Item, « *a malo* » opere, ne alii noceas, Eccli. vii, 3 : *Non semines mala in sulcis injustitiæ, et non metes ea in septuplum.* De his tribus simul, Eccli. vii, 1 et seq : *Noli facere mala*, quoad opera : *discede ab iniquo*, homine scilicet et dæmone : *et fac bonum* [1], ut prosis aliis. Et etiam dicit Augustinus sic : « Noli exspoliare vesti« tum, ut vestias nudum. »

« *Et inhabitat in sæculum sæculi,* » in Ecclesia scilicet militante. In hoc ergo tertium sine quo non valent duo prima. Nullum enim bonum valet extra unitatem Ecclesiæ factum. Amos, v, 16 : *In cunctis quæ foris sunt, dicetur væ, væ* : quia in his quæ sunt extra, non valebit declinare a malo et facere bonum.

28 « *Quia Dominus amat.* » Hic subjungitur efficax persuasio. Primo, a præmiis præsentibus. Secundo, a consequentibus et futuris, ibi, *Justi autem hæreditabunt.* »

Triplex præsens justorum præmium.

A præsentibus triplex. Primo, bonorum a malis discretio. Secundo, indeficiens bonorum conservatio a Deo, ibi, *Et non derelinquet.* » Tertio, malorum punitio, ibi, « *Injusti punientur.* »

Dicit ergo : Sic « *declina a malo, et fac bonum, quia Dominus amat judicium,* » discretionis, quo bonos a malis discernit, secundum illud Psal. xlii, 1 : *Judica me, Deus, et discerne causam meam*, etc. Vel quos tu ipse discernis, et speras bonum a malo, factus ei similis. Jerem. xv, 19 : *Si separaveris pretiosum a vili, quasi os meum eris.* Vel judicium discussionis, quo affligeris, vel alius te affliget, ut sic purgeris a malis quæ fecisti, de quo I ad Corinth. xi, 31 et 32 : *Si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur.* Et rursus : *Dum judicamur, a Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur.* Signum autem quod amet judicium habemus, quia vult, illud facere. Jerem. xxiii, *Regnabit rex, et sapiens erit.* Vult etiam illud ab aliis fieri, Jerem. xxii, 3 : *Hæc dicit Dominus : Facite judicium.* Michæ. vi, 8: *Indicabo tibi, o homo, quid sit bonum, et quid Dominus requirat a te : Utique facere judicium.* Et quod plus est, vult illud subire. Isa. v, 3 : *Nunc ergo, habitatores Jerusalem, et viri Juda, judicate inter me et vineam meam.* Propter hoc dicitur, Isa. lxi, 8 : *Ego Dominus diligens judicium.*

« *Et non derelinquet Sanctos suos.* » Hic secundum, in quo dicuntur duo. Primo, quod Sancti non derelinquentur a Deo. Secundo, quod incessanter custodientur ab illo, ibi, « *In æternum.* »

Dicit ergo : Sic discernit, et discretos diligit, « *et non derelinquet Sanctos suos,* » quia Proverb. viii, 31 : *Deliciæ meæ esse cum filiis hominum.* Et cum omnes prædestinati sancti sint, secundum illud Isa. iv, 3 : *Sanctus vocabitur, omnis qui scriptus est in vita in Jerusalem*, tamen Martyres antonomastice dicuntur Sancti, quia secundum Isidorum, « Sanctus dicitur, quasi sanguine tin« ctus. » Et de Martyribus dicitur, Apoc. vii, 14 : *Hi sunt qui venerunt ex magna tribulatione, et laverunt stolas suas in sanguine Agni*, hoc est, in sanguine ab Agno fuso. Hos non derelinquit, etsi videatur persecutoribus dicentibus : *Deus dereliquit eum, persequimini, et comprehendite eum* [2] : quia Isa. xliii, 2 : *Cum transieris per aquas, tecum ero, et flumina non operient te.* Psal. xc, 15 : *Cum ipso sum in tribulatione.* Nec hoc

[1] Psal. xxxiii, 15 : *Diverte a malo, et fac bonum.*

[2] Psal. lxx, 11.

tantum, imo « *in æternum conservabuntur.* » Corpora in terris venerabuntur, Eccli. XLIV, 13 et 14 : *Gloria eorum non derelinquetur. Corpora ipsorum in pace sepulta sunt*, animæ in cœlo feliciter collocabuntur. Apoc. VI, 9 et 11 : *Vidi subtus altare Dei animas interfectorum propter verbum Dei, et propter testimonium quod habebant... Et datæ sunt illis singulæ stolæ albæ : et dictum est illis ut requiescerent adhuc tempus modicum.* Altare hoc, cœlum empyreum est, quia dicitur *altare* quasi *ara alta*, quia Eccli. I, 2 : *Altitudinem cœli... quis dimensus est? Ara* etiam, quia ardet, dicitur. Et cœlum empyreum dicitur ab ἐν quod est *in*, et πύρ, quod est *ignis*, quasi in quo est ignis. Et conjunctum in mentibus hominum conservatur memoriter. Psal. CXI, 7 : *In memoria æterna erit justus.*

« *Injusti autem punientur.* » Hic tertium, scilicet malorum punitio, et primo, exempla mala præbentium. Secundo, imitantium illa, ibi, « *Et semen.* »

Dicit ergo : Sic erit de bonis qui declinant a malo, et faciunt bonum. Sed e contra « *injusti punientur*, « propter mala commissa, et bona omissa. Judith, XVI, 21 : *Dabit ignem et vermes in carnes eorum, ut urantur*, etc. Jerem. IX, 3 : *De malo ad malum egressi sunt*, de malo scilicet culpæ, ad malum pœnæ : et secundum quod magis peccaverunt, magis punientur, Apoc. XVIII, 7 : *Quantum glorificavit se, et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum.* « *Et semen eorum,* » id est, imitatores impiorum, « *peribit.* » Sap. III, 16: *Ab iniquo thoro semen exterminabitur.* Vel « *semen eorum,* » id est, opus eorum quod ab ipsis est seminatum, secundum illud Prov. XXII, 8 : *Qui seminat iniquitatem, metet mala.* Hoc semen dupliciter peribit. Primo, quia erit sine fructificatione, Sap. III, 11 : *Vacua est spes illorum, et labor illorum sine fructu.* Et iterum, quia erit in damnatione, Eccli. XXVII, 3 : *Conteretur cum delinquente delictum.* Semen etiam naturale, scilicet filii naturales impiorum frequenter pereunt justo Dei judicio. Cum enim sint occasio peccandi patribus, juste fit ut patres in ipsis etiam puniantur. Job, XVIII, 18 et 19 : *De orbe transferet eum* Deus : *non erit semen neque progenies in populo suo, nec ullæ reliquæ in regionibus ejus.*

Semen impiorum perit, quia non fructificant et damnantur.

« *Justi autem hæreditabunt.* » Hic secundum, in quo persuadet a præmiis in futuro consequentibus, quia primo satisfiet in futuro ejus concupiscibili per æternæ hæreditatis possessionem, ejus rationabili per superabundantem sapientiam, ibi, « *Os justi meditabitur.* » Ejus irascibili per omnis mali carentiam, ibi, « *Et non supplantabuntur.* » 29

Præmia justorum futura.

In prima duo. Primo, tangitur summi boni hæreditas. Secundo, hæreditatis æternitas, ibi, « *Et inhabitabunt.* »

Dicit ergo : Sic mali : « *Justi autem hæreditabunt,* » in futuro « *terram,* » de qua in Psal. XXVI, 13 : *Credo videre bona Domini in terra viventium.* Et dicitur *terra viventium*, ad differentiam terræ quam calcamus, quæ est morientium, et terræ gehennalis, quæ est mortuorum. Augustinus : « Terra quædam est vivorum regnum, scilicet sanctorum : hæc autem terra morientium receptura mortuos quos nutrit vivos. »

Terra viventium, morientium, et mortuorum.

« *Et inhabitabunt,* » non ad modicum sicut hic, sed « *in sæculum sæculi* » consecutivum, « *super eam,* » hoc est, æternaliter. Non sic de terra ista, de qua dicitur, Isa. VII, 16 : *Derelinquetur terra* absque habitatore, et domus sine homine [1]. Et LXII, 4 : *Terra tua non inhabitabi-*

[1] Cf. etiam Isa. VI, 16 : *Et dixi : Usquequo Domine? Et dixit : Donec desolentur civitates absque habitatore, et domus sine homine, et terra relinquetur deserta.*

tur : verum est post judicium. Sed cum Deo habitabunt boni, Psal. CXXXIX, 14 : *Habitabunt recti cum vultu tuo.* In hoc autem quod dicitur, « *super eam,* » notatur secundum Cassiodorum, levitas corporis glorificati : non enim dicitur, *in ea.* Dicit enim : « Spirituali corpori necesse « non erit terram gravi calcare vesti- « gio. »

30 « *Os justi meditabitur.* » Hic persuadet quod rationabili satisfiet, per abundantem sapientiam : et dicuntur tria. Primo, quod erit sapientia in ejus intelligentia. Secundo, quod exseret se per linguam præ abundantia, ibi « *Et lingua ejus.* » Tertio, quod nihilominus remanebit in memoria, ibi, « *Lex Dei ejus.* »

Dicit ergo : Sic quantum ad concupiscibilem : et etiam « *os* » cordis sive mentis, « *justi,* » quod est intelligentia. Eccli. XXI, 29 : *In corde sapientium os eorum est.* « *Meditabitur sapientiam,* » quæ est proprie de divinis, sicut scientia de humanis. Hæc est illa sapientia de qua Jacob. III, 17 : *Quæ desursum est sapientia, primum quidem pudica est.* Quasi igitur continue ruminat ore cordis panem sacræ Scripturæ, de quo Thren. IV, 4 : *Parvuli petierunt panem, et non erat qui frangeret eis.* Augustinus : « Videte quam libenter comedat justus, « quomodo in ore ejus versetur sapientia, « sicut multorum corda e contrario pa- « scuntur stultitia. » Proverb. XV, 14 : *Cor sapientis quærit doctrinam, et os stultorum pascitur imprudentia.* Et ad aliorum instructionem, « *lingua ejus loquetur.* » Proverb. XIV, 33 : *In corde prudentis requiescit sapientia, et indoctos quosque erudiet.* Quid loquetur ? « *Judicium,* » scilicet quæ prius judicavit esse dicenda. Psal. CXI, 5 : *Miseretur et commodat, disponet sermones suos in judicio.* Unde primo venit sermo ejus ad limam, quam ad linguam. Eccli. XXI, 28 : *Verba prudentium statera ponderabuntur.* Ideo prohibet Ecclesiasticus, ne temere quid loquaris, nec cor tuum sit velox ad proferendum sermonem. Eccli. XXVIII, 29 : *Verbis tuis facito stateram.* Secundum Hieronymum et divisionem nostram exponuntur de statu gloriæ. Sic enim ait : « In regno Dei sapientia ora « justorum replebuntur. Et lingua eorum « in judicio loquetur judicium, quia cum « Domino judicabunt. Sap. III, 7 : *Fulgebunt justi et tamquam scintillæ in arundineto discurrent. Judicabunt nationes,* etc.

« *Lex Dei ejus.* » Ecce tertium. Quasi 31
diceret : Sapientia in corde et per linguam exseret se, et quamvis se per linguam exserat, tamen « *lex Dei ejus,* » scilicet justi : justorum enim Deus est specialiter Deus. Cassiodorus : « Cum sit « omnium Deus, illorum specialiter Deus « est, quos liberare dignatur. » « *In corde,* » non tantum in lingua, sicut in illis de quibus Matth. XV, 8 : *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me.* Jerem. XII, 2 : *Prope es tu ori eorum, longe autem a renibus eorum.* « *Ipsius,* » justi scilicet, ibi sedes legis Dei. Eccli. III, 22 : *Quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper.* Jerem. XXXI, 33 : *Dabo legem meam in visceribus eorum, et in cor eorum superscribam eam.*

« *Et non supplantabuntur gressus ejus.* » Ecce tertium, in quo persuadet per remotionem omnis mali, quod respicit ad irascibilem.

Ait enim : Sic terram hæreditabit justus, sic sapientia plenus erit, « *Et non supplantabuntur gressus ejus,* » malis aliquibus occurentibus non impedientibus. Cassiodorus : « Supplantare, est « plantis foveam prætendere, ne possit « incedens firmum reperire vestigium. » Et bene sequitur, quia qui legem Dei in corde custodit, supplantari non potest : habet enim præsentiam veri luminis. Proverb. XIII, 14 : *Lex sapientis, fons vitæ, ut declinet a ruina mortis.* Pro-

verb. vi, 23 : *Mandatum lucerna est, et lex lux.* Et Joan. xi, 9, dicitur : *Si quis ambulaverit in die, non offendit.* Item, propter præsentiam boni custodis, Dei scilicet, qui custodit eos, qui in corde legem custodiunt. Augustinus : « Quid « miseriæ patitur, quem custodit Deus? « Custodiam ponis in invio et contra fu- « rem securus es : et tamen potest custos « dormire, sed *ecce non dormitabit, neque « dormiet qui custodit Israel*[1] » Hæc ergo debent conjungi in Doctore : Sit lex Dei in corde, non in arca tantum, et non sit supplantatio in opere. Proverb. x, 8 : *Sapiens corde præcepta suscipit.* Sic vitatur culpa. Psal. cxviii, 11 : *In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi.* Et etiam pœna ignorantiæ in adspectu, tristitiæ in affectu. Psal. xviii, 9 : *Justitiæ Domini rectæ lætificantes corda, præceptum Domini lucidum illuminans oculos.* Et habetur vita gratiæ, Proverb. iii, 21 : *Custodi legem atque consilium, et erit vita animæ tuæ, et gratia faucibus tuis.* Et vita gloriæ, Proverb. xxix, 18 : *Qui custodit legem, beatus est,* jam in spe, et post in re. Sapient. vi, 19 : *Custoditio legum, consummatio incorruptionis est.*

32 Status Martyrum in persecutione.

« *Considerat peccator.* » Hic de statu bonorum in malorum persecutione, id est, de statu Martyrum, ubi primo describit persecutorum malitiam. Secundo, patientium remunerationem, ibi, « *Dominus autem non derelinquet.* » Tertio, subjungit duplicem exhortationem, quasi ex dictis illatam, ibi, « *Exspecta Dominum.* »

In prima duo secundum duplicem malitiam persecutorum quam tangit, scilicet malignam bonorum intuitionem quantum ad adspectum, et affectionem nocendi crudelissimam, quantum ad affectum, ibi, « *Et quærit.* »

Dicit ergo : Sic non supplantatur justus: et quamvis hoc sit, tamen « *considerat peccator justum* » cum multa diligentia ei insidiando. Eccli. xii, 15 : *In corde suo insidiatur.* Sapient. ii, 12 : *Venite, circumveniamus justum,* ei insidiando, contra illud Proverb, xxiv, 15 : *Ne insidieris et quæras impietatem in domo justi.*

« *Et quærit mortificare.* » Ad litteram, desiderat occidere eum. Psal. xliii, 22 : *Quoniam propter te mortificamur tota die,* etc. II ad Corinth. vi, 9 : *Quasi morientes, et ecce vivimus.* Sic capiti Martyrum insidiabantur Judæi. Psal. xxi, 18 : *Ipsi vero consideraverunt, et inspexerunt me.* Et sic interficere quærebant, Sap. ii, 20 : *Morte turpissima condemnemus eum.* Joan.. vii, 1 *Et quærebant eum Judæi interficere.*

« *Dominus autem non derelinquet.* » 33
Hic subjungit patientium remunerationem duplicem, unam in præsenti, aliam in futuro, ibi, « *Nec damnabit illum.* »

Ait enim : Sic peccator quærit mortificare justum. « *Autem,* sed *Dominus non derelinquet eum* : » quia supra, ℣, 25 : *Non vidi justum derelictum.* Et alibi. Psal. xvi, 7 : *Salvos facis sperantes in te.* « *In manibus ejus,* » id est, in potestate ejus, scilicet peccatoris. Et hoc verum est secundum animam, quia de carne dictum est, Job, ix, 24 : *Terra data est in manibus impii.* Sed de anima dicitur, Psal. xcxi. 10 : *Custodit Dominus animas data sanctorum suorum.*

« *Nec damnabit,* Deus, *eum,* » scilicet justum, « *cum judicabitur,* » id est, cum judicium fiet, « *illi,* » id est, ad utilitatem ejus, et ad honorem, quamvis sit a tyranno condemnatus. Augustinus de Cypriano Martyre : « Dixit sententiam « Proconsul contra Cyprianum. Ab infe- « riori accipit sententiam, a superiori co-

[1] Psal. cxx, 4 et Isa. v, 27.

« ronam. » Job, xxxvi, 17 : *Causa tua, quasi impii judicata est : causam judiciumque recipies.*

Damnatio justi ab homine semper utilis.

Et nota, quod ad utilitatem justi semper sententiatur, sive pro se sententietur, sive contra se. Pro se, tunc planum est. Si contra se, aut juste, et sic recuperat justitiam quam ignoranter amittebat. Si injuste, habet patientiæ remunerationem. Propter hoc dicitur, Proverb. xii, 21 : *Non contristabit justum quidquid ei acciderit.* Et Job dicebat, i, 21 : *Dominus dedit, Dominus abstulit : sicut Domino placuit, ita factum est.*

34 « *Exspecta Dominum.* » Hic tertium, in quo subjungit exhortationem. Primo, ne in persecutione dejiciantur per tristitiam. Secundo, quod etiam non per iram, ibi, « *Custodi innocentiam.* »

In prima duo. Primo ponit admonitionem. Secundo, allicit ad impletionem admonitionis per utilitatem multiplicem, quam supponit, ibi, « *Et exaltabit te.* »

In prima duo. Primo, monet ad patientiam, et sustinendum sine ira. Secundo, modum patientiæ ostendit, ibi, « *Et custodi.* »

Dicit ergo : Sic minus faciet justo. Ergo exspecta Dominum patienter sine ira et murmuratione sustinendo, etsi longum tibi videatur quod pateris. Hieronymus enim dicit in quadam epistola : « Qui in augustia est constitutus, serum « ei videtur Dei auxilium. » Sed « *exspecta Dominum,* » sicut alibi dictum est, Psal. xxvi, 14 : *Exspecta Dominum, viriliter age.* Jacob. v, 7 : *Patientes estote, fratres, usque ad adventum Domini.* Sed nec exspectabis otiosus, quia Eccli. xxxiii, 29 : *Multam malitiam docuit otiositas* : *imo exspectando* « *custodi vias ejus* : » alioquin eo adveniente remunerationem non habebis, quia alibi, in Psal. xvii, 21 : *Secundum puritatem manuum mearum retribuet mihi : quia custodivi vias Domini.*

« *Et exaltabit te.* Hic subiungitur præmium, et utilitas quæ est multiplex. Primo, bonorum remuneratio in seipsis, in aliis visa damnatio, ibi, « *Cum perierint.* »

In prima duplex remuneratio. Exaltatio in præsenti per gratiam. Secundo, in futuro per gloriam, ibi, « *Ut hæreditate.* »

Dicit ergo: Sic exspecta, « *et exaltabit te,* » quem exspectas, te in virtutum culmine collocando. Eccli. xx, 30 : *Qui operatur justitiam, ipse exaltabitur.* Eccli. xv, 4 : *Exaltabit illum apud proximos suos.* Et in tantum exaltabit, ut tandem « *hæreditate possideas terram,* » viventium hic quoad gratiam, in futuro quoad gloriam. Psal. lxxxiii, 12 : *Gratiam et gloriam dabit Dominus.*

« *Cum perierint.* » Hic secundum, in quo duo tanguntur : damnationis visio. Secundo, ipsius damnationis descriptio, ibi, « *Vidi impium.* »

Dicit ergo : Sic quantum ad te : sed quid de persecutoribus ? « *Cum perierint peccatores,* » qui modo affligunt te, « *videbis.* » Quasi diceret : Peribunt, et tu videbis illorum interitum. Psal. lvii, 11 : *Lætabitur justus cum viderit vindictam.* Isa. lxvi, 24 : *Egredientur, et videbunt cadavera virorum, qui prævaricati sunt in me* : *et erunt usque ad satietatem omnis carnis.* Hanc autem visionem faciet Deus, volens facere potentiæ demonstrationem. Ad Rom. ix, 22 : *Volens Deus ostendere iram suam, et notam facere potentiam suam,* etc. Item, ad gloriæ bonorum augmentationem. Magis enim placet beneficium, cum videtur in aliis contrarium. Super Lucæ, xvi, 22 et seq. : « Licet justis sua gaudia suffi« ciant, ad majorem tamen gloriam pœ« nas reproborum vident, quas per gra« tiam evaserunt. » Item, ad divinæ laudis excitationem. Juste enim condemnans meretur laudem, sicut juste præmians. Proverb. xi, 10 : *In perditione impiorum erit laudatio.* Apoc. xix, 1 : *Audivi quasi vocem tubarum multarum in cœlo dicentium : Alleluia : Salus,* etc.

Pœna impiorum inservit justis ad melia.

35 Damnatio impii.

« *Vidi impium.* » Hic subjungitur damnationis impii descriptio : et dicuntur duo. Primo, impii exaltatio, et super majores et super minores, ibi, « *Et elevatum.* Demum sic elevati velox dejectio et depressio, ibi, « *Et transivi.* »

Dicit ergo : Sic peribunt, et hoc videbis, et hoc modo : « *Vidi impium,* » hominem « *superexaltatum,* » id est, in dignitatibus et honoribus supra modum sublimatum. Eccle. x, 5 : *Est malum quod vidi sub sole, quasi per errorem egrediens a facie principis : positum stultum in dignitate sublimi.* Exaltatur autem cum habet unam dignitatem, superexaltatur autem cum habet duas, vel plures. « *Superexaltatum,* » inquam, super minores, « *et elevatum sicut cedros Libani :* » hoc quantum ad majores. Cedrus enim est arbor altissima, altas arbores etiam excedens. Malus ergo hic cedro comparatur. Et hoc primo, ratione altitudinis, Amos, II, 9 : *Altitudo cedrorum, altitudo ejus,* dicitur de quodam impio. Sic impii frequenter inter homines qui arbores sunt. Marc. VIII, 24 : *Video homines velut arbores ambulantes.* Item, ratione dejectionis. Hieronymus : « Libanus est mons, in quo sunt « altæ cedri, quæ vento dejiciuntur. Sic « impii in dignitate positi, eo irremedia- « bilius divino verbo dejiciuntur, quo « altius elevantur. » Nec mirum, quia Eccle. VIII, 4, dicitur : *Sermo illius potestate plenus est.* Sapient. XVIII, 22 : *Non in virtute corporis, nec armaturæ potentia, sed verbo illum, qui se vexabat, subjecit.* Item, ratione nominis. Libanus enim interpretatur *candidatio.* Et impii exterius albi sunt, in pulchritudine vestium, et speciositate. Luc. XVI, 19 : *Homo quidam erat dives, et induebatur purpura, et bysso :* cum sint nigerrimi et impurissimi. Matth. XXIII, 27 : *Similes estis sepulcris dealbatis, quæ a foris parent hominibus speciosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum, et omni spurcitia.*

Impius cedro comparatur.

« *Et transivi.* » Hic secundum, in quo subjungitur sic elevati dejectio. Et primo, depressio et annihilatio in persona. Secundo, in officio, ibi, « *Quæsivi.* »

Dicit ergo : Sic vidi elevatum impium, « *et transivi,* » intellectu ad ejus novissima consideranda. Exod. III, 3 : *Transiens videbo visionem hanc magnam.* « *Et ecce,* » in aperto, « *non erat.* » Supra, eodem Psalmo, ℣. 10 : *Et adhuc pusillum, et non erit peccator.* Nec tantum transivi in personam propriam, imo etiam in officium, quia « *quæsivi,* » si adhuc esset utilis vita ejus ad exercendum malos, « *et non est inventus locus ejus,* » id est, utilitas. Supra, eodem Psalmo, ℣. 10 : *Quæres locum ejus, et non invenies.* Job, VII, 9 et 10 : *Sicut consumitur nubes, sic qui descenderit ad inferos,... non revertetur ultra in domum suam.* Ezech. XXVIII, 19 : *Nihili factus es.* De hac brevitate vitæ malorum, et causa ablationis eorum supra satis. Potest hoc secundum Glossam intelligi de diabolo. Fuit enim diabolus superexaltatus, quia super illos qui ante legem, exaltatus ultra modum et potens. Ad Rom. V, 14 : *Regnavit mors ab Adam usque ad Moysem.* Et elevatus sicut cedrus Libani super illos, qui fuerunt sub lege. Aliter eis Dominus non dixisset, Joan. VIII, 44 : *Vos ex patre diabolo estis.* Sed « *transivi,* » a consideratione temporis quod fuit ante legem, et sub lege, ad considerationem temporis, quod futurum erat sub gratia, « *et ecce non erat* » ita elevatus, ita potens sicut antea. Joan. XII, 31 : *Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras.* Matth. XII, 29 : *Quomodo potest quisquam intrare in domum fortis, nisi prius alligaverit fortem ? « Quæsivi, et non est inventus locus ejus,* » ut tamquam Deus jam in mundo adoretur. Psal. LIX, 14 : *In Deo faciemus virtutem, et ipse ad nihilum deducet inimicos nostros.*

« *Custodi innocentiam.* » Hic secundum, in quo monet ne in persecutione de- 36

jiciamur per iram, et dicuntur duo. Primo, admonitio. Secundo, probatio quod acquiescendum est admonitioni, ibi, « *Quoniam sunt.* »

Dicit ergo ita : Sic impiis : tu ergo ne sis similis eis in culpa, et per hoc in pœna, sed « *custodi innocentiam,* » ne amittas ipsam. Augustinus : « Quomodo cum « avarus eras, tenebas sacculum, ne ex- « torqueretur a fure, sic custodi inno- « centiam, ne tibi extorqueatur a dæ- « mone. » Imo certe cum majori diligentia, quia innocentia multo melior est quam pecunia, et diabolus fraudulentior fure. Propter hoc dicebat Job, XXVII, 5 et 6 : *Donec deficiam, non recedam ab innocentia mea. Justificationem meam, quam cœpi tenere, non deseram.* « *Et vide æquitatem,* » in Deo scilicet, qui justus est, sic tamen quod misericors. Job, XXXIV, 10 : *Absit a Deo impietas, et ab Omnipotente iniquitas.* « *Custodi* etiam *innocentiam,* » quoad Deum, quia per innocentiam ordinaris, ei similis factus. Psal. XXIV, 21 : *Innocentes et recti adhæserunt mihi.* « *Et vide æquitatem,* » in te, te ad proximum ordinantem, secundum illud Job, XXXV, 8 : *Homini qui similis tui est, tibi, nocebit iniquitas tua.*

Quid ante et post mortem bonis contingat ?

« *Quoniam sunt reliquiæ.* » Hic probat per ea primo quæ fiunt homini in morte pro bonis. Secundo, per ea quæ ante mortem, ibi, « *Salus autem justorum.* » Tertio, ab iis quæ post mortem in generali resurrectione, ibi, « *Liberabit.* »

In prima, primo quæ fiunt in morte pro bonis. Secundo, quæ pro malis, ibi, « *Injusti autem.* »

Dicit ergo : Sic custodi, et utile erit tibi non tantum in præsenti, sed etiam in futuro. « *Quoniam sunt reliquiæ,* » bona post mortem memoria. Prov. X, 7 : *Memoria justi cum laudibus.* Vel « *reliquiæ,* » æterna bona ineffabilia pretiosa abscondita. Isa. LXIV, 4 : *Oculus non vidit, Deus, absque te, quæ præparasti exspectantibus te.* « *Reliquiæ* » etiam sunt æterna illa bona, quæ a dæmonibus derelicta, qui dereliqueruut domicilium suum, « *homini pacifico,* » qui non est iracundus, sed magis pacis arbiter inter alios. Matth. V, 9 : *Beati pacifici : quoniam filii,* etc. Ad Roman. VIII, 17 : *Si filii, et hæredes.*

Quid sit innocentia ?

Et notandum primo quid sit innocentia. Secundo, quam utilis. Tertio, qualiter conservanda. [De primo, Augustinus de *Vera innocentia :* « Vera innocentia « est quando quis nec sibi nec alteri no- « cet. » Et intelligendum, cum possit : cui consonat Plato dicens : « Triumphus « innocentiæ est non peccare, ubi liceat « peccare. » Eccli. XXXI, 10 : *Qui potuit transgredi, et non est transgressus : facere mala, et non fecit. Quis est hic et laudabimus eum ?*

Ad quid utilis ?

De secundo, utilis est primo ad obtinenda vitæ præsentis necessaria. Hi enim Deo disponente obtinent aliorum labores. Job, XXVII, 16 et 17 : *Si comportaverit quasi terram argentum, et sicut lutum præparaverit vestimenta : præparabit quidem, sed justus vestietur illis : et argentum innocens dividet.* Joan. IV, 28 : *Alii laboraverunt, et vos in labores eorum introistis.* Secundo, ad vitanda mala infernalia. Job, IV, 7 : *Recordare obsecro, quis umquam innocens periit ?* Tertio, ad merenda cœlestia bona. Psal. XL, 13 : *Me autem propter innocentiam suscepisti, et confirmasti in conspectu tuo in æternum.* Job, XXII, 30 : *Salvabitur innocens in munditia manuum suarum.*

Quomodo servanda ?

De tertio, optime servatur per quamdam ignorantiam eorum, quæ ad malum trahunt. Seneca de *Casibus fortuitis,* Gallo dicenti : « Oculos perdidi, » Seneca respondet : « Non intelligis partem in- « nocentiæ esse cæcitatem ? Hinc oculi « adulterium monstrant, hinc incestum, « hinc quæ concupiscantur, irritamenta « vitiorum, scelerum duces sunt oculi. » Et ad Lucilium loquens, ait : « Ignoran- « tia rerum innocentes erant. »

38 « *Injusti autem disperibunt.* » Hic secundum, scilicet quæ fient in morte malis. Dicit ergo sic de hominibus : « *Injusti autem disperibunt.* » Psal. x sec. Hebr. 16 : *Peribitis gentes de terra illius.* « *Simul,* » cum ipsis impiis, « *reliquiæ impiorum,* » id est, terrenæ felicitates et deliciæ, « *interibunt.* » Quasi diceret : In hoc assimilantur terreni et terrenæ deliciæ, quia simul deficient. Eccli. xiv, 20 : *Omne opus corruptibile in fine deficiet : et qui operatur illud, ibit cum illo.* Vel potest legi, ut « *simul* » determinet verbum « *disperibunt,* » ut sit sensus : « *Injusti autem disperibunt simul,* » scilicet in judicio, cum dicetur similiter omnibus, Matth. xiii, 27 : *Discedite a me omnes operarii iniquitatis.* Isa. xxiv, 22 : *Congregabuntur in congregatione unius fascis in lacum.* Augustinus : « *Disperibunt* « *in idipsum,* id est, in æternum, ubi « semper *idipsum,* scilicet dolor et mi« seria sine mutatione, et transitu in op« positum. »

« *Et reliquæ impiorum,* » id est, terrena, quæ relinquunt, velint nolint, et æstimant valde pretiosa, « *interibunt.* » I Joan. ii, 17 : *Mundus transit, et concupiscentia ejus.* Sic autem ordinatur contra avaros, ut notet quod magis durant habita quam habentes. Dixit enim primo destructionem impiorum, quam divitiarum suarum, Psal. xlviii, 11 : *Et relinquent alienis divitias suas.* Et nota, quod ibi destruiturr opinio eorum qui dixerunt mundum indeficientem, et sequacium.

Diuturnior possessio possessore.

39 « *Salus autem justorum.* » Hic secundum, in quo probat per id quod fit a Deo homini ante mortem. Et hoc tribus modis. Primo, quia infirmantes salvantur. Secundo, quia impugnati proteguntur, ibi, « *Et protector.* » Tertio, quia operantes adjuvantur, ibi, « *Et adjuvabis eos.* »

Dicit ergo : Sic injusti : « *Autem* » sed pro custodita innocentia, et visa æquitate in seipsis, « *salus justorum est a Domino.* » Proverb. xxi, 31 : *Equus paratur ad diem belli.* Deus autem salutem tribuet triplicem : Naturæ, de qua, Eccli. xxx, 16 : *Non est census super censum salutis corporis.* Luc. vi, 19 : *Virtus de illo exibat, et sanabat omnes.* Item, gratiæ de qua Eccli. xxx, 15 : *Salus animæ in sanctitate justitiæ.* Psal. cxlvi, 3 : *Qui sanat contritos corde : et alligat contritiones eorum.* Et salutem gloriæ, quæ est conjuncti, de qua Joel, ii, 32 : *In Jerusalem erit salvatio,* quando illud implebitur I ad Corinth. xv, 53 : *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem* Et hoc « *a Deo.* » Job, v, 11 : *Qui ponit homines in sublime, et mœrentes erigit sospitate.*

« *Et protector eorum in tempore tribulationis,* » scilicet in pugna, hoc est, in tempore belli. Nahum, i, 7 : *Bonus Dominus, et confortans in die tribulationis.* Jer. xvi, 19 : *Domine, fortitudo mea, et robur meum, et refugium meum.*

« *Et adjuvabit eos,* » supple, Dominus, 40
eis cooperando. Isa. xxvi, 12 : *Omnia opera nostra operatus es in nobis, Domine.* Joan. xv, 5 : *Sine me nihil potestis facere.* Osee, xiii, 9 : *Perditio tua,* supple, ex te, *Israel, tantum in me auxilium tuum.*

« *Et liberabit eos.* » Hic probat ab iis quæ facturus est post mortem : et tangitur primo præmium. Secundo, meritum, ibi, « *Quia speraverunt in eo.* » Præmium autem tangitur triplex. A corruptione liberatio : a peccatoribus segregatio, ibi, « *Et eruet.* » Et æternæ salutis collatio, ibi, « *Et salvabit.* »

Ait enim : Sic adjuvabit ante mortem, et post « *liberabit eos,* » liberos faciet a labore, quo laborant modo in vinea Domini [1] Liberos faciet a corruptione, cui subditi sunt modo. Ad Roman. viii, 20 :

[1] Matth. xx, 1 et seq.

Vanitati creatura subjecta est non volens... Quia et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis.

« *Et eruet eos a peccatoribus,* » separando tamquam agnos ab hœdis[1]. Tamquam grana a paleis, Matth. III, 12 : *Cujus ventilabrum in manu ejus : et permundabit aream suam.*

« *Et salvabit eos,* » in corpore et in anima. Et hoc « *quia speraverunt in eo.* » Psal. LXXXV, 2 : *Qui salvos facis sperantes in te.* Proverb. XVI, 20 : *Qui sperat in Domino, beatus est,* jam in spe, postmodum vero erit in re.

PSALMUS XXXVII.

Orat Deum ut sibi propter peccatum multis modis afflictoopem ferat.

1. *Psalmus David, in rememorationem de sabbato.*
2. Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me :
3. Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi, et confirmasti super me manum tuam.
4. Non est sanitas in carne mea, a facie iræ tuæ : non est pax ossibus meis, a facie peccatotum meorum :
5. Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, et sicut onus grave gravatæ sunt super me.
6. Putrucrunt et corruptæ sunt cicatrices mæ, a facie insipientiæ meæ.
7. Miser factus sum et curvatus sum

[1] Matth. xxv, 32 et seq.

[2] Supra, VI, 2.

usque in finem: tota die contristatus ingrediebar.

8. Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus, et non est sanitas in carne mea.

9. Afflictus sum, et humiliatus sum nimis: rugiebam a gemitu cordis mei.

10. Domine, ante te omne desiderium meum, et gemitus meus a te non est absconditus.

11. Cor meum conturbatum est, dereliquit me virtus mea, et lumen oculorum meorum, et ipsum non est mecum.

12. Amici mei, et proximi mei adversum me appropinquaverunt, et steterunt:

Et qui juxta me erant, de longe steterunt.

13. Et vim faciebant qui quærebant animam meam.

Et qui inquirebant mala mihi, locuti sunt vanitates: et dolos tota die meditabantur.

14. Ego autem, tamquam surdus, non audiebam: et sicut mutus non aperiens os suum.

15. Et factus sum sicut homo non audiens, et non habens in ore suo redargutiones.

16. Quoniam in te, Domine speravi: tu exaudies me, Domine Deus meus.

17. Quia dixi: Nequando supergaudeant mihi inimici mei: et dum commoventur pedes mei, super me magna locuti sunt.

18. Quoniam ego in flagella paratus sum: et dolor meus in conspectu meo semper.

19. Quoniam iniquitatem meam annuntiabo, et cogitabo pro peccato meo.

20. Inimici autem mei vivunt, et confirmati sunt super me: et multiplicati sunt qui oderunt me inique.

21. Qui retribuunt mala pro bonis detrahebant mihi, quoniam sequebar bonitatem.

22. Ne derelinquas me, Domine Deus meus: ne discesseris a me.

23. Intende in adjutorium meum, Domine, Deus salutis meæ.

IN PSALMUM XXXVII

COMMENTARIUS.

1 *Psalmus David, in rememoratione sabbati*[1].

« *Domine, ne in furore tuo arguas me.* »

Argumentum Psalmi. Exhortatio ad pœnitentiam exemplo Prophetæ.

In præcedenti Psalmo, quia Deo est omne bonum, a libero autem arbitrio omne malum, monuit soli Deo, relicto malorum consortio, adhærere: et quia aliquis peccator et imperfectus quæreret, qualiter sit Deo adhærendum, respondet in hoc Psalmo, quia per veram pœnitentiam, unde ad veram monet pœnitentiam. Hic enim est tertius Psalmorum pœnitentialium, exhortans nos ad veram pœnitentiam, et instruens de illa.

Titulus autem talis præponitur huic Psalmo secundum Cassiodorum: « *Psalmus David in rememoratione.* » Et est sensus tituli: « *Psalmus* » iste est « *Da-*

[1] Ce psaume, qui est le troisième des pénitentiaux, a été composé par David להדכיר, *lehozkir*, « pour le souvenir, » titre que nous retrouverons encore au Ps. LXX. Les anciens expliquaient ce mot en di-

vid» litteralis, ut Auctoris figuralis, scilicet pœnitentis, ut recolentis et lugentis, habitus « *in rememoratione,* » supple, peccati, ad evitandum ipsum et detestandum. In hoc autem Psalmo docetur pœnitens habere semper peccatum in memoria, et recordatione, ut ipsum defleat et caveat, secundum illud Isa. xxxviii, 15 : *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Sed Hieronymus et Augustinus addunt, « *In rememoratione sabbati.* » Et est sensus : Iste Psalmus convenit David, id est, pœnitenti, habitus pro « *rememoratione sabbati :* » *pro* enim sumitur pro *in.* Sabbatum autem futura requies appellatur, de qua Isa. xxxii, 18 : *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, et in tabernaculis fiduciæ, et in requie opulenta.* Et ad Hebræ. iv, 9 : *Relinquitur sabbatismus populo Dei* : hoc enim sabbatum debet recogitari cum timore amittendi, cum desiderio adipiscendi. Psal. cxxxvi, 1 : *Super flumina Babylonis illic sedimus et flevimus, cum recordaremur Sion.* Et secundum Cassiodorum, totus Psalmus legitur de Beato Job, qui introducitur loquens et afflictus, ut pœnitentium onera ejus exemplo fiant leviora. II Machab. vi, 28 : *Adolescentibus exemplum forte relinquam.*

Memoria futuræ quietis utilis.

Nota, quod debemus frequenter illud sabbatum recogitare, primo ut ipsum vehementius appetamus : recordatio enim accendit desiderium. Jerem. li, 50 : *Recordamini procul Domini, et Jerusalem ascendat super cor vestrum.* Item, ut præsentes labores temperemus : recordatio enim facit gaudium in corde. II ad Tim. i, 4 et 5 : *Ut gaudio implear recordationem accipiens ejus fidei.* Eccle. v, 19 : *Non satis recordabitur dierum vitæ suæ miseræ, eo quod Deus occupet cor ejus deliciis,* supple, spiritualibus. Item, ut temporalia non curemus : qui enim æterna veraciter recogitat, temporalia abjicit, et non amat. Gregorius : « Qui cœlestis vitæ dulcedinem interius « agnoscit, ea quæ exterius amaverat, « cuncta relinquit. In comparatione ejus

sant que le saint roi avait fait ce cantique « pour se souvenir » de son péché, ou encore « pour faire souvenir » Dieu de sa prière. Les modernes préfèrent rattacher ce terme à celui d'*azkarah*, אזכרה, le sacrifice qui rappelle à Dieu les hommages et les prières des hommes. L'inscription, dit Loch, peut donc avoir une signification liturgique, et range le psaume au nombre des prières qui devraient être dites ou chantées quand on offrait la partie du sacrifice servant de *memoria*. Levit. ii, 2; xxiv, 7 ; Cf. I Par. xvi, 4. Les LXX ajoutent : περὶ σαββάτου, c'est-à-dire, pour servir aux réunions qui se célébraient de leur temps le jour du sabbat, I Mach. i, 48 ; II Mach. vi, 6. S. Athanase et d'autres Pères donnent à ce sabbat une signification mystique : c'est le septième jour, ou le jour du jugement.

La situation psychologique et sociale de David, telle que l'accuse ce psaume, permet de fixer la date de sa composition. Le roi se plaint des souffrances physiques et morales que lui cause son péché, et ensuite de l'abandon et de l'hostilité de ceux qui l'entourent. Ces deux circonstances ne se trouvèrent réunies qu'à la suite du péché de David avec Bethsabée. Nathan avait apporté le pardon du Seigneur : mais si la faute était remise, il restait de dures épreuves à supporter, tant pour expier le crime que pour perfectionner l'état moral du pénitent. Ces épreuves se succèdent pendant les années qui suivirent la faute de David : mort du premier-né de Bethsabée, guerre terrible contre les Ammonites, inceste d'Amnon, le fils aîné du roi, meurtre d'Amnon par Absalon, enfin menées ambitieuses de ce dernier, accroissement de son parti, commencements de la révolte et désertions autour de David. Le roi repentant ne peut méconnaître dans ces maux accumulés la main qui le frappe, et il s'adresse au Seigneur pour qu'il aie pitié de lui et le secoure au milieu des dangers. On sent dans tout ce psaume la profonde tristesse qui pèse sur le cœur de David ; il implore Jéhova, mais avec une confiance qui n'a plus les accents triomphants du persécuté de Saül.

Au sens spirituel, S. Augustin applique ce psaume au Messie souffrant, non pour ses péchés, mais pour ceux des enfants de son Eglise qui ne font qu'un avec lui. David est aussi le modèle des pécheurs repentant, « docens ut peccatum quod prorsus fugere nequimus semper in memoria habeamus, non ad faciendum, sed ut ab ejus frequentia saltem nos temperemus. » Cassiod. Sa résignation est également à imiter : « Felix est qui sic miser est, » dit S. Augustin.

H. Lesêtre.

« vilescunt omnia : habita deserit, et « congregata dispergit. »

Divisio Psalmi : Domino lamentatur peccator, sua peccata, et pœnas Christi.

Dividitur autem Psalmus iste in duas partes. Primo enim pœnitens lamentatur, et conqueritur pro seipso. Secundo loquens pro capite suo, hoc est, de miseriis, quas suum caput sustinuit pro se, ibi, « *Amici mei, et proximi.* »

Lamentatio duplex, ex timore et dolore.

Prima dividitur secundum duplicem causam lamentandi. Prima quidem est timor : secunda, dolor. Lamentatur ergo primo præ timore. Secundo præ dolore, ibi, « *Putruerunt et corruptæ sunt.* »

In prima duo. Primo, præmittitur lamentabilis oratio. Secundo, persuasio subjungitur, quod debeat exaudiri, ibi, « *Quoniam sagittæ tuæ.* »

In prima duo, secundum duo quæ petit. Primo, ne damnetur in judicio. Secundo, ne affligatur in purgatio, ibi, « *Neque in ira tua.* »

2 Prima pars Psalmi.

Dicit ergo : O « *Domine ne in furore tuo,* » in judicio scilicet, in quo videberis furiosus, secundum illud Proverb. vi, 34 : *Zelus et furor viri non pacet in die vindictæ.* Isa. xxx, 27 : *Ecce nomen Domini venit de longinquo, ardens furor ejus.* Quasi diceret : Domine non sim de illis quibus dicturus est illud Matth. xxv, 41 : *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum,* etc.

« *Neque in ira tua,* » quæ major est furore, ut intelligatur ignis purgatorius, « *corripias me.* » Augustinus, « Emendes me. » Ibi enim emendantur animæ, non in inferno. I ad Corinth. iii, 15 : *Ipse autem salvus erit, quasi per ignem :* quod dictum est de punitis in purgatorio.

Vel sic : « *Domine, ne arguas me, et corripias me,* » « *arguas* » verbis, « *corripias* » factis. Et « *in furore tuo,* » et in ira, sed magis in virga, secundum illud Psal. lxxxviii, 33 : *Visitabo in virga iniquitates eorum, et in verberibus peccata eorum.* Ad Hebr. xii, 6 : *Quos enim diligit Deus, castigat : flagellat autem omnem filium quem recipit.*

Nota ergo, quod hic puniri iste mavult, quam in purgatorio : cujus ratio est, quia illa pœna est multo acerbior. Augustinus in sermone de *Igne purgatorio* : « Illa pœna acerbior est quam quidquid « in hoc sæculo pœnarum aut videre, aut « sentire, aut cogitare quis potest. » Ideo dicitur, Isa. xxxiii, 14 : *Quis poterit habitare, de vobis, cum igne devorante ?* Item, quia diuturnior ut æstimatur a multis, quantum annus die. Ezech. iv, 6 : *Diem pro anno dedi tibi.* Item, quia est inutilior, quam præsens pœnitentia : præsens enim pœnitenti, est satisfactoria, et meritoria : sed pœna purgatorii tantum satisfactoria, non meritoria : quippe quia præsens est voluntaria, illa non, sed est ibi pura passio. Passionibus enim non meremur, etsi purgemur. Eccle. ix, 10 : *Quodcumque facere potest manus tua,* etc.

Purgatorii pœna gravior quam vitæ hujus.

3

« *Quoniam sagittæ tuæ.* » Hic persuadet ut suæ consentiat petitioni, et hoc dupliciter. Primo, ostendendo miseriam pœnæ. Secundo, miseriam culpæ confitendo, ibi, « *Quoniam iniquitates.* »

Miseriæ triplex magnitudo.

In prima duo. Primo ostendit miseriarum numerositatem. Secundo, diuturnitatem, ibi, « *Non est sanitas.* »

Dicit ergo : Sic rogo, Domine, ut me tunc non affligas, et non debes, quoniam sagittæ tuæ, judicantes et affligentes me miseria, a te immissæ, « *infixæ sunt mihi,* » et in corpore et in mente fixæ sunt. Et Nahum, i, 9, dicitur : *Non consurget duplex tribulatio.* Unde si hic affligis, ibi non debes affligere. Quæ sunt sagittæ, Augustinus ostendit dicens : « Portamus « corpus mortale plenum sollicitudinibus, « obnoxium doloribus, et indigentiis lan« guidum etiam cum sanum est. » Ecce sagittæ de quibus Job, vi, 4 : *Sagittæ Domini in me sunt, quarum indignatio ebibit spiritum meum.* Primo, intendebantur hæ sagittæ cum Dominus dicebat

Adæ, Genes. II, 17 : *In quocunque die comederitis ex eo, morte moriemini.* Et ipso comedente statim sunt emissæ, et infixæ, secundum illud Thren. III, 12 et 13 : *Tetendit arcum suum comminando, et posuit me quasi signum ad sagittam. Misit in renibus meis filias pharetræ suæ,* puniendo. Infixæ autem sunt, non ad momentum : imo « *et confirmasti super me manum tuam,* » ut maneat affligens me usque ad finem. Job, XIV, 22 : *Caro ejus dum vivet, dolebit.* Hæc est illa manus de qua I Reg. v, 12 : *Gravissima valde manus Dei est.*

Potest etiam legi de sagittis aliis, scilicet verbo Domini. Quasi diceret : Parce mihi in ira et in furore, et debes : « *Quoniam sagittæ tuæ,* » id est, verba tua, Psal. CXIX, 4 : *Sagittæ potentis acutæ :* «*Infixæ sunt mihi,*» id est, in corde meo fixæ. Et licet auferant perversam delectationem, conferunt tamen vulneris dolorem, quia recordari faciunt æterni sabbati, quo caremus. Unde postquam dictum est alibi [1], *Sagittæ potentis acutæ,* subjunctum est statim, *cum carbonibus desolatoriis. Heu mihi ! quia incolatus meus prolongatus est.* Augustinus : « Qui « hoc vulnere non fuerit vulneratus, non « poterit ad veram sanitatem pervenire. » Sed quia dilatio desiderati longa videtur amanti, subdit : « *Et confirmasti super me manum tuam,* » id est, vindictam, quam differs, quam desidero. Job, XXX, 20 et 21 : *Clamo ad te, et non exaudis me : sto, et non respicis me. Mutatus es mihi in crudelem.*

Verbum Dei sagittæ comparatum.

Verbum autem Domini sagittæ comparatur. Primo, quia eminus, hoc est, de longe ferit, gladius autem, cominus. Isa. VIII, 9 : *Audite,* scilicet verbum Domini, *universæ procul terræ.* Psal. XVIII, 5 : *In fines orbis terræ verba eorum.* Secundo, quia volat, et velociter valde currit sicut sagitta. Psal. CXLVII, 15 : *Velociter currit sermo ejus.* II ad Thes. III, 1 : *Orate ut sermo Dei currat, et clarificetur.* Item, quia intrat profundius quam gladius : verbum enim Domini penetrat usque ad intima cordis. Ad Hebræos, IV, 12 : *Vivus est sermo Dei, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti.* Item, quia extrahitur difficilius, propter uncos quos habet. Sic sermo Dei receptus in corde, non cito avellitur. Eccli. XXIV, 28 : *Memoria mea in generationes sæculorum,* dicit Sapientia.

« *Non est sanitas.* » Hic tangit afflictionis universitatem. Primo, ostendit af- 4
flictionem in exterioribus : secundo, in interioribus, ibi, « *Non est pax ossibus meis.* » Notandum autem, quod ira appellatur, vel vindicta jam illata homini propter primorum parentum peccatum, vel in judicio inferenda, et secundum hoc legitur dupliciter.

Primo sic : « *Confirmasti super me manum tuam,* » in tantum, quod « *non est sanitas in carne mea.* » Matth. XXVI, 41 : *Caro autem infirma.* « *A facie iræ tuæ,* » hoc est, a præsentia vindictæ tuæ, primis parentibus inflictæ. Eccli. XL, 1 : *Jugum grave super filios Adam a die exitus illorum de ventre matris suæ.* « *Et non est pax ossibus meis,* » hoc est, interioribus meis, « *a facie,* » id est, afflictionis immissæ propter peccata mea. Jer. XII, 12 : *Gladius Domini devorabit ab extremo terræ,* id est, corporis exterioribus, *usque ad extremum ejus,* id est, usque ad interiora. Ecce quod dixerat *sanitatem,* hoc etiam vocat *pacem :* quia secundum Augustinum. « Pax carnis, vel corporis, est partium ordinata « temperatura [2]. »

Secundo modo sic : Plango dilatio-

[1] Psal. CXIX, 4 et 5.
[2] S. AUGUSTINUS, De Civitate Dei, lib. XIX, cap. 12.

nem æterni sabbati. Si quæris quare? Respondeo. Quia « *non est sanitas in carne mea, a facie,* » id est, a recordatione « *iræ tuæ,* » in judicio futuræ. Job, xxi, 6 : *Ego cum recordatus fuero, pertimesco, et concutit carnem meam tremor.* Et hoc, « *a facie iræ tuæ.* » Job, xxiii, 15 : *A facie ejus turbatus sum, et considerans eum,* scilicet judicantem, *timore sollicitor.* « *Et non est pax ossibus meis,* » imo usque ad interiora concutior : « *a facie,* » id est, a recordatione « *iræ tuæ,* » id est, peccatorum meorum. Isa. lvii, 21 : *Non est pax impiis, dicit Dominus.*

Quare in carne humana non est sanitas? Et nota, quod non est sanitas in carne humana : quod patet ex tribus. Primo, ex continua indigentia : indiget enim quotidie illis medicamentis de quibus Augustinus : « Medicamentum famis est « cibus, sitis potus, et fatigationis som- « nus. » Et dicit, quod « mortales morbi « isti interficiunt, nisi hæc apponantur. » Secundo, patet ex continua vitæ deficientia. Sicut enim *mortuus* dicitur, cui tota vita detracta est, sic infirmus cui aliquid detrahitur, et aliquid est detractum secundum Augustinum : «Quidquid « temporis detrahitur, de spatio vivendi « detrahitur : et quotidie fit minus, mi- « nusque quod restat [1]. » Et continue morimur. II Reg. xiv, 14 : *Omnes morimur,* etc. Item, hoc patet ex immutationis frequentia. Isidorus : « Sanitas dicta « est quasi sanguinis status, quando sci- « licet stant humores. Sed illi numquam « per horam stant : dicunt enim naturales « Astronomi, quod crescente lumine Lu- « næ crescunt humores in corpore, et « decrescente decrescunt : sed non est « momentum in quo Luna non moveatur « in augmentum vel diminutionem : ergo « similiter in nostro corpore. » Job, xiv, 2 : *Fugit velut umbra, et numquam in eodem statu permanet.* Augustinus : « Nihil aliud est tempus vitæ hujus, « quam quidam cursus ad mortem, in « quo nemo vel paululum stare, vel ali- « quanto tardius ire permittitur [2]. »

« *Quoniam iniquitates meæ.* » Hic persuadet confitendo miseriam culpæ. Confitetur autem primo culpæ multitudinem. Secundo, magnitudinem, ibi, « *Supergressæ.* » Tertio, gravitatem sive impossibilitatem evadendi, ibi, « *Et sicut onus.* » 5 **Miseriæ peccati magnitudo.**

Dicit ergo : Nunc usque ad intima penetrans mala mea, « *quoniam iniquitates meæ,* » non una tantum iniquitas. I Esdr. ix, 6 : *Iniquitates nostræ multiplicatæ sunt super caput nostrum.* « *Supergressæ sunt,* » pro magnitudine sua, « *caput meum,* » id est, rationem. Cassiodorus : « Caput est ratio, qua inter bona collata « nihil celsius habetur. » « *Supergressæ sunt caput,* » quia rationi dominatæ sunt, tenentes eam servam. Joan. viii, 34 : *Qui facit peccatum, servus est peccati.* Isa. xxvi, 13 : *Domine Deus noster, possederunt nos domini absque te,* scilicet iniquitates. Alia littera habet : « Iniquitates meæ sustulerunt caput meum. » Et hoc verum est : quo enim ratio peccato magis serva efficitur, eo magis contra Dominum erigitur. Psal. lxxxii, 3 : *Qui oderunt te, extulerunt caput.*

« *Et sicut onus grave,* » scilicet super me, ut non possim evadere. Jerem. xxiii, 36 : *Onus erit unicuique sermo suus,* sive sermo cordis sui, sive peccatum oris, quanto magis peccatum operis? Isa. i, 4 : *Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam,* etc. Et nota, quod peccatum oneri comparatur. **Quare peccatum onus dicitur?** Primo, ratione incurvationis, quia superiora portantis onus deprimit, et sic curvum facit. Similiter et peccatum. Isa, ii, 17 : *Incurvabitur sublimitas hominum,*

[1] S. Augustinus, De Civitate Dei, lib. XIII.
[2] Idem, Ibidem.

et humiliabitur altitudo virorum. Luc. xviii, 13 : *Publicanus a longe stans, nolebat nec oculos ad cœlum levare.* Item, ratione fatigationis. Onus enim lassum facit portantem : sic peccatum, Sap. v, 7 : *Lassati sumus in via iniquitatis, et perditionis, et ambulavimus vias difficiles.* Isa. xlvi, 1 : *Facta sunt simulacra eorum bestiis et jumentis onera vestra gravi pondere usque ad lassitudinem. Contabuerunt,... non potuerunt salvare portantem.* Item, ratione retardationis. Retardat enim onus a motu progressivo, maxime sursum. Sic peccatum a motu progressivo in cœlum, Psal. xxiii, 3 et 4 : *Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto ejus ? Innocens manibus, et mundo corde,* hoc est, qui sine peccato est. Ad Hebr. xii, 1 : *Deponentes omne pondus, et circumstans nos peccatum, per patientiam curramus,* etc. Item, ratione præcipitationis. Peccatum enim cito facit hominem præcipitari. Job, xxi, 13, de peccatoribus : *Ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt.* Isa, xxiv, 20 : *Gravabit eam iniquitas sua, et corruet.*

6 « *Putruerunt et corruptæ sunt.* » Postquam egit de terrore affligente, sequitur de dolore : et primo enumerat dolores quos habet ex malorum præsentia. Secundo, quos habet ex bonorum absentia, ibi, « *Domine, ante te.* »

Lamentatio ex dolore.

In prima duo. Primo, ostendit dolorem quem habet ex iteratione culpæ actualis. Secundo, quem habet ex reliquiis originalis, ibi, « *Quoniam lumbi mei.* »

In prima ergo duo dicuntur. Primo, confitetur culpam inexcusabilem. Secundo, ostendit miseriam consequentem ex illa culpa, ibi, « *Miser factus sum.* »

In prima duo. Primo, tangitur culpæ iteratio. Secundo, removetur excusatio, ibi, « *A facie.* »

Dicit ergo : Sic onerant me peccata mea, nec tantum hoc, imo corrumpunt, quia « *cicatrices meæ,* » id est, plagæ meæ in baptismo sanatæ : omnes enim nascuntur vulnerati, et sauciati in naturalibus. Luc. x, 30 : *Plagis impositis abierunt.* Sed renascendo in baptismate vulnera sanantur, remanentibus quibusdam vestigiis, et inclinationibus ad peccatum, quæ dicuntur *cicatrices.* Isidorus : « Cicatrix dicitur, quia obdurat vulnera, « atque obcæcat. » Jerem. xxx, 17 : *Obducam cicatricem tibi, et a vulneribus tuis sanabo te.* « *Putruerunt* » autem, dum concupiscentiæ consentitur, « *et corruptæ sunt,* » dum talis consensus producitur ad actum. Michæ. ii, 10 : *Propter immunditiam ejus corrumpetur putredine pessima* ; putredo enim non patitur consortium : nec tales consortium Ecclesiæ militantis, vel triumphantis : ab utraque dejecti sunt. Isa. xiv, 19 et 20 : *Quasi cadaver putridum, non habebis consortium.* Hinc est quod lepra percussi, quia morbus putridus est, extra castra projiciuntur [1]. Et hoc, « *a facie,* » id est, a præsentia « *insipientiæ meæ :* » potui enim per vires mihi datas peccato resistere : sed impletum est in me illud Proverb. xix, 3 : *Stultitia hominis supplantat gressus ejus.* Eccli. xv, 18 : *Ante hominem vita et mors, bonum et malum: quod placuerit ei, dabitur illi.* Stultitia ergo et insipientia magna est, relinquere bonum, et eligere malum.

Dolores ex malorum præsentia.

Putredo non patitur consortium.

Littera Augustini habet *livores,* ubi habemus *cicatrices :* et est sensus : Livores mei, pœnalitates relictæ in me ex tua punitione o Domine, « *putruerunt mihi* » ipsi, id est, fœtent mihi, et « *corruptæ sunt,* » ut etiam fœteant aliis. Joel, ii, 20 : *Ascendet fœtor ejus, et ascendet*

[1] Cf. Levit. xiii, 46.

putredo ejus, quia superbe egit. Bene autem livorem dixi residuum flagelli, quia Eccli. XXVIII, 21, dicitur : *Flagelli plaga livorem facit.* Et quia sic fœtent livores mei, necesse est odorare æternum sabbatum, ubi est sapientia quæ de se dicit, Eccli. XXIV, 20 : *Sicut cinnamomum et balsamum aromatizans odorem dedi.* « *A facie insipientiæ meæ :* » hoc non mutatur.

7

Quatuor in peccato mala, totidem pœnis punita.

« *Miser factus sum.* » Hic secundum, in quo ostendit miseriam ex culpa causatam, et tangit quatuor contra quatuor quæ fuerunt in culpa. Primum est delectatio : quantum ad hoc dicit, « *Miser factus sum.* » Elatio contra Dominum : quoad hoc dicit, « *Et curvatus sum.* » Perseverantia : contra hoc dicit, « *Usque in finem.* » Et continuatio : quoad hoc addit, « *Tota die contristatus.* »

Dicit ergo : Sic inexcusabiliter peccavi, et propter hoc « *miser factus sum,* » ut miseria responderet delectationi, quam habui in peccato. Quippe Prov. XIV, 34 : *Miseros facit populos peccatum.* « *Et curvatus sum,* » contra elationem, qua me extuli in peccando : quippe peccata onus sunt. Paulo ante, Psal. XXXVII, 5 : *Sicut onus grave,* etc.

« *Miser factus sum,* » incommutabile bonum, quod Deus est, deserendo : « *et curvatus sum,* » me ad bonum commutabile convertendo, ita quod non possum me sursum erigere. Psal. XVI, 11 : *Oculos suos statuerunt declinare in terram.* Luc. XIII, 11 : *Et ecce mulier, quæ habebat spiritum infirmitatis annis decem et octo : et erat inclinata, nec omnino poterat sursum respicere.* Et « *usque in finem,* » quia potens recedere a peccato non recessi statim ab eo, sed in eo mansi. Eccle. V, 16 : *Cunctis diebus vitæ suæ comedit in tenebris et in curis multis.* Et « *tota die contristatus,* » id est, continue : quia continuitas fuit in peccato meo. Ad Rom. IX, 2 : *Tristitia est mihi magna, et dolor continuus cordi meo.* Thren. I, 13 : *Posuit me desolatam, tota die mœrore confectam.* Psal. LXXII, 14 : *Et fui flagellatus tota die, et castigatio mea in matutinis.* Et tamen non desperabam, imo sic « *tota die contristatus ingrediebar* » in illud æternum sabbatum, meditatione quadam et aviditate. Non enim tribulatio retrahit ab ingressu in illud, sed magis impellit. Act. XIV, 21 : *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cœlorum.*

Circumstantiæ veri doloris.

Nota ergo, quod dolor peccatoris meretur regni æterni ingressum, si tamen habuerit circumstantias quæ hic tanguntur. Primo, si fuerit doloris perpetuitas usque in finem. Job, XIV, 22 : *Caro ejus dum vivet dolebit.* Alia, si fuerit doloris continuitas, « *Tota die :* » Thren. I, 13 : *Posuit me desolatam, tota die mœrore confectam.* Tertio, si fuerit acerbitas, quæ notatur cum dicitur : « *Contristatus,* » id est, ex toto tristatus. Jerem. VI, 26 : *Luctum unigeniti fac tibi,* etc. Thren. II, 13 : *Magna est velut mare contritio tua, quis medebitur tui ?* Post has est ingressus.

8

Miseriæ ex peccati reliquiis.

« *Quoniam lumbi mei.* » Hic enumerat dolores causatos ex reliquiis culpæ originalis. Tangit ergo primo reliquias. Secundo, miserias inde exortas, ibi, « *Afflictus sum.* » Reliquiæ sunt illusiones mentis. Has tangit primo. Et pœnalitates carnis : has tangit secundo, ibi, « *Non est sanitas.* » Dupliciter autem legitur, quia lumbi possunt accipi pro superiori parte animæ, vel pro sensualitate.

Lumbi animi qui sint ?

Primo modo sic : Ita contristatus ingrediebar : nec mirum, « *quoniam lumbi mei,* » intellectus scilicet, et affectus. Isti sunt lumbi animæ. I Pet. I, 13 : *Succincti lumbos mentis vestræ.* Intellectus illusionibus impletur, quia falsa recipit pro veris : affectus, quia mala pro bonis. Job, XIX, 8 : *In calle meo tenebras posuit,* quantum ad primum. De utroque autem, Eccle. VI, 5 : *Non vidit solem,* quoad primum : *neque cognovit distantiam boni*

et mali, quoad secundum. Isa. LXVI, 3 : *In abominationibus suis anima eorum delectata est.* Vel lumbi appellantur sensualitas ipsa. Quasi diceret : « *Lumbi mei,* » inferior pars scilicet, sensualitas mea, « *impleti sunt illusionibus* » diabolicis, et malis suggestionibus. Eccli. XI, 31 : *Multæ sunt insidiæ dolosi.* Psal. LXXVII, 49 : *Misit in eos iram indignationis suæ :... immissiones per angelos malos.*

« *Et non est sanitas in carne mea.* » Ecce pœnalitates in carne, nec mirum, cum sint enim multæ miseriæ in anima, non est possibile esse sanitatem in corpore. Isa. I, 6 : *A planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas.* Job, XVI, 14 : *Circumdedit me lanceis, convulneravit lumbos meos.*

9 « *Afflictus sum et humiliatus.* » Tactis reliquiis originalis culpæ, tangit miserias ex illis causatas. Et primo tangitur afflictio in carne. Secundo, ex afflictionibus dejectio et humiliatio in mente ibi, « *Et humiliatus.* » Tertio, ex adjuncto vehemens lamentatio, ibi, « *Rugiebam a gemitu.* »

Ait ergo : Non est sanitas in carne mea, ex reliquiis originalis culpæ, et ideo, « *afflictus sum, et humiliatus sum.* » « *Lumbi* autem *impleti sunt illusionibus,* » et ideo « *humiliatus sum nimis.* » Propter primum dicitur, Thren. I, 9 : *Vide Domine afflictionem meam, quoniam erectus est inimicus.* Propter secundum, in Psal. XXXVIII, 3 : *Humiliatus sum, et silui a bonis.* Eccli. VII, 19 : *Humilia valde spiritum tuum.* Vel sic : « *Afflictus sum,* » pro dilatione veri et æterni sabbati, « *et humiliatus sum nimis,* » comparando ad ejus dilationem meum desiderium, video me nimium desertum. Psal. XXX, 23 : *Ego dixi in excessu meo,* quo cogito illud æternum sabbatum : *Projectus sum a facie oculorum tuorum.*

« *Rugiebam.* » Ecce tertium. Quasi diceret : Sic sum afflictus carne, sic humiliabar mente, et etiam « *rugiebam,* » quod est bestiarum quando validissime velle suum ostendunt, id est, cum magno desiderio quærebam illud sabbatum. Et iste gemitus erat a gemitu cordis mei procedens. Isa. LIX, 11, de utroque : *Rugiemus quasi ursi omnes, et quasi columbæ meditantes gememus.* Et cum sit gemitus corporis exterius, et cordis interius, bene addit : « *A gemitu cordis.* » Ad Rom. VIII, 23 : *Ipsi inter nos gemimus, adoptionem filiorum exspectantes.*

Et nota, quod est humiliata humana natura propter peccatum. Primo, quantum ad habitationem : prius enim erat homo habitator paradisi, Genes. II, 8 : *Plantaverat autem Dominus paradisum voluptatis a principio : in quo posuit hominem quem formaverat.* Et dicit Magister in *Sententiis :* « Volunt paradisum in « Orientali parte esse in alto situm, us- « que ad lunarem circulum pertingen- « tem [1]. » Sed de tanta sublimitate dejectus est in vallem lacrymarum. Psal. LXXXVII, 16 : *Exaltatus autem humiliatus sum et conturbatus.* Item, quantum ad dignitatem : ante peccatum enim tantæ dignitatis erat, quod erat imago Dei, Genes. I, 26 : *Faciamus hominem ad imaginem, et similitudinem nostram* : sed post peccatum similis factus est jumentis, Psal. XLVIII, 13 : *Homo cum in honore esset, non intellexit,* etc. Prius Dominus erat creaturarum, Genes. I, 26 : *Ut præsit piscibus maris, et volatilibus cœli :* sed post factus est servus vitiorum, Joan. VIII, 34 : *Qui facit peccatum, servus est peccati.* Tertio, quantum ad miseriarum susceptionem : prius enim erat natura hominis integra et pulcherrima,

Multiplex naturæ humiliatio ex peccato.

[1] II Sententiarum, dist. 17.

Ezech. xxviii, 12 et 13 : *Plenus sapientia, et perfectus decore, in deliciis paradisi Dei fuisti.* Post peccatum autem factus est plenus omnibus indigentiis et miseriis, Psal. lxxviii, 8 : *Cito anticipent nos misericordiæ tuæ, quia pauperes facti sumus nimis.* Prov. iii, 33 : *Egestas a Domino in domo impii.*

10 Dolor ex carentia bonorum.

« *Domine, ante te desiderium meum.* » Hic secundum, in quo postquam tetigit dolores quos habet ex malorum præsentia, consequenter enumerat illos quos habet ex bonorum carentia, et primo ex carentia bonorum gloriæ. Secundo, bonorum gratiæ, ibi, « *Cor meum.* »

In prima duo. Primo, exprimitur bonorum gloriæ desideratorum absentia. Secundo, doloris vehementia pro absentia illa, ibi, « *Et gemitus meus.* »

Legitur autem primum tripliciter. Primo modo, secundum quod per hoc quod est « *ante,* » significatur desiderii occultatio, sub hoc sensu : « *O Domine, omne desiderium meum,* » etsi lateat omnes homines, ipsum tamen est « *ante te.* » 1 Reg. xvi, 7 : *Homo videt ea quæ parent, Dominus autem intuetur cor.* Et in Psal. x secund. Hebr. 17 : *Desiderium pauperum exaudivit Dominus.* Per hoc autem quod dicit, « *Omne,* » notatur desiderii multiplicitas. Unum enim desideraverunt Sancti, secundum illud Psal. xxvi, 4 : *Unam petii a Domino,* etc. Sed desiderii continuitas, Psal. civ, 4 : *Quærite Dominum, et confirmamini.* Ecce continuatio desiderii.

Alio modo legitur secundum quod per hoc quod est ante significatur res desiderata, sub hoc sensu, « *Domine,* » omne quod desidero, est « *ante te.* » Psal. xli, 3 : *Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum, quando veniam et apparebo ante,* etc. Et alibi, Psal. xvi, 15 : *Satiabor cum apparuerit gloria tua.*

Tertio modo secundum quod ante significat dignitatem desiderii, sic : « *O Domine, omne desiderium meum,* » est tale, ut sit dignum « *ante te* » esse : quia Prov. xi, 23, dicitur : *Desiderium justorum omne bonum est.* Et contra desiderium impii tale est, quod non est dignum esse in conspectu Dei. Habac. i, 13 : *Mundi sunt oculi tui,... et respicere ad iniquitatem non poteris.* « *Et gemitus meus,* » quo vehementer affligor pro desideratæ rei carentia, « *a te non est absconditus,* » etsi ab hominibus : illum enim libenter respicis. Isa. lxvi, 2 : *Ad quem respiciam nisi ad pauperculum, et contritum spiritu ?*

Et nota in his verbi ostendi nobis necessitatem bene vivendi. Primo, ex divinæ visionis limpiditate, quæ hic nobis ostenditur, quia secundum quod hic dicitur, non respicit Deus tantum opera exteriora, sed etiam cordis desideria. « *Domine, ante te desiderium meum.* » Ad Roman. viii, 27 : *Qui autem scrutatur corde, scit quid desideret spiritus.* Eccli. xvi, 20 : *Omne cor intelligitur ab illo.* Item, divinæ visionis generalitate, quia non tantum desiderium nostrum videt, sed « *ante te omne desiderium.* » Ad Hebr. iv, 13 : *Omnia nuda sunt et aperta oculis.* Ad quod notatur illud Eccli. xxiii, 27 : *Omnia videt oculus illius.* Item, ex divinæ visionis continuitate, et hoc significatur in hoc quod dicit, « *Ante te,* » nullum addens tempus. Quasi diceret : Ante te est, et numquam retro. Eccli. xv, 19 : *Multa sapientia Dei, et fortis in potentia, videns omnes sine intermissione.* Et xvii, 13 : *Viæ illorum coram ipso sunt semper.*

Necessitas bene vivendi ex Dei intuitu.

« *Cor meum conturbatum est.* » Hic enumerat dolores ex carentia bonorum gratiæ. Primo tangit dolorem conturbantem. Secundo, gratiam absentem, ibi, « *Dereliquit me.* » **11**

Et primo absentem in affectu, secundo, in intellectu, ibi, « *Et lumen oculorum.* »

Dicit ergo : Vere gemo, quia « *conturbatum est cor meum.* » Job, xvi, 8 : *Nunc*

autem oppressit me dolor meus : et in nihilum redacti sunt omnes artus mei. « *Dereliquit me virtus mea,* » qua debet informari affectus, et firmari intellectus : et hoc maxime virtus patientiæ est. Cassiodorus : « Malorum abundantia mol« litam in se dicit patientiæ firmitatem. » Et hoc esset secundum causam. Si enim virtus in affectu remansisset, cor non esset timidum nec turbatum : sed recedente virtute timidum efficitur. Proverb. xxviii, 1 : *Fugit impius nemine persequente : justus autem quasi leo confidens absque terrore erit.*

« *Et lumen oculorum meorum,* » interiorum scilicet, « *non est mecum :* » excæcat enim culpa. Psal. lvii, 9 : *Supercecidit ignis, et non viderunt solem.* Job, xxxi, 26 : *Si vidi solem cum fulgeret,* etc. Bene excæcatus est, qui solem videre non potest. Sapient. ii, 21 : *Excæcavit illos malitia eorum.* Hoc autem lumen quod illuminat mentales oculos, Deus est. I Joan. i, 5 : *Deus lux est, et tenebræ in eo non sunt ullæ.* Et appropriate Filius, de quo Joan. i, 9 : *Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem,* etc. Et viii, 12 : *Ego sum lux mundi.* Plangere ergo potest talis anima. Tob. x, 4 : *Ut qui te misimus peregrinari, lumen oculorum nostrorum, baculum senectutis nostræ ?* Ecce quod etiam virtus est. I ad Corinth. i, 23 et 24 : *Prædicamus Christum, Dei virtutem, et Dei sapientiam.*

12 Secunda pars Psalmi. Lamentatio de Christi passione.

« *Amici mei et proximi mei.* » Hic secunda pars totius Psalmi, secundum divisionem superius factam. Postquam enim expressit pœnitens miserias quas sustinet in se, hic secundo illas exprimit quæ sustinuit in suo capite : et dicuntur duo. Primo, passio narratur quam pro membris sustinuit. Secundo, resurrectionem precatur, ibi, « *Quoniam in te, Domine, speravi.* »

Passionis descriptio.

In prima duo, secundum duo quæ concurrerunt ad passionem. Primo quidem tangitur adversariorum malitia. Secundo, capitis patientis patientia, ibi, « *Ego autem tanquam surdus.*

Aliorum malitia tangitur triplex. In opere : in sermone, ibi, « *Et qui inquirebant.* » Et in corde, ibi, « *Et dolos tota die.* »

In opere adhuc tripliciter. Primo, enim conqueritur de Judæis. Secundo, de propriis discipulis, ibi, « *Et qui juxta me erant.* » Tertio, de Gentilibus ministris passionis, ibi, « *Et vim faciebant.* »

De Judæis dupliciter. Primo, quia crudeliter ceperunt eum. Secundo, quia in malitia perstiterunt, ibi, « *Et steterunt.* »

Dicit ergo : Has miserias in me sustineo, sed ut loquar de iis quæ sustinui in capite meo, dico, « *Amici mei,* » ficti et falsi, scilicet Judæi. Eccli. xxxvii, 1 : *Est amicus solo nomine amicus.* Et vi, 9 : *Est amicus qui convertitur ad inimicitiam.* « *Et proximi mei,* » secundum carnem, « *ipsi* » scilicet Judæi. Ad Hebr. vii, 14 : *Manifestum est, quod ea Juda ortus sit Dominus.* « *Appropinquaverunt adversum me, et steterunt me,* » in illa malitia perseverando, ita ut nec flecti possent ab ipso Pilato. Joan. xviii, 29 et 30, Pilatus dixit : *Quam accusationem affertis adversus hominem hunc ? Ego nullam invenio in eo causam*[1]. *At illi dixerunt : Si non esset hic malefactor,* etc.

Persecutores Christi.

Potest etiam legi de membro ipso. Quasi dicat pœnitens : Sic patior et affligor in meipso, et ab iis gravius affligor cum quibus vivo, quia « *amici mei,* » mihi familiaritate et voluntate conjuncti. Cassiodorus :« Amicus dicitur quasi ani« mi æquus, quia æquali nobis voluntate

[1] Joan. xviii, 38.

« conjungitur. » « *Et proximi mei,* » secundum carnem quos mihi conjunxit principium, quod est natura. Cassiodorus : « Proximi sunt, qui nobis parente-« la sociantur. » « *Adversum me appropinquaverunt,* » a bono impediendo, « *et steterunt,* » in hoc perseverando. Cassiodorus : « Qui solent esse remedia calami-« tatum, sunt cumulus passionum. » Michæ. VII, 5 : *Nolite credere amico : et nolite confidere in duce.*

Conqueritur de discipulis.

« *Et qui juxta me erant.* » Hic secundum, in quo conqueritur de discipulis.

Ait enim : Sic Judæi, sed etiam quod gravius est, « *qui juxta me erant,* » cognitione scilicet intellectus, et amore, pede scilicet affectus, « *de longe steterunt,* » timore concussi. Luc. XXIII, 49 : *Stabant omnes noti ejus a longe.* Et tunc « *vim faciebant qui quærebant animam meam,* » non ad juvandum, unde conqueritur, *Non est qui requirat animam meam* [1], sed ad perdendum, scilicet Gentiles ministri passionis. Psal. XXX, 14 : *Accipere animam meam consiliati sunt.* De membro autem sic : « *Qui juxta me erant,* » in prosperis, « *de longe steterunt,* » in adversis, nolentes compati infirmitatibus meis. Job, XIX, 17 : *Halitum meum exhorruit uxor mea.* Cassiodorus : « Quod « ille tolerabat in vulnere, ipsi sustinere « non poterant in odore. Quid rogo ex-« traneorum fastidia facerent, dum ha-« lationes ejus uxoris charitas sustinere « non poterat ? »

13 « *Et vim faciebant,* » diabolus et ministri ejus, « *qui quærebant animam meam,* » non aliud. Gen. XIV, 21 : *Da mihi animas, cætera tolle tibi.* Item, nota quod qui juxta Dominum sunt, clerici sunt juxta ministerii exhibitionem. Num. XVI, 8 et 9 : *Audite filii Levi : Num parum vobis est quod separavit vos Deus Israel ab omni populo, et junxit sibi?* Item, sunt juxta habitationem : habitant enim juxta Ecclesiam, Ezech. XLIII, 8 : *Qui fabricati sunt limen suum juxta limen meum, et postes suos juxta postes meos.* Juxta etiam sunt cognitione, Jerem. V, 5 : *Ibo igitur ad optimates, et loquar eis : ipsi enim cognoverunt viam Domini, et judicium Dei sui.* Sed hi de longe facti sunt : affectione, Jerem. XII, 2 : *Prope es tu ori eorum, longe autem a renibus eorum.* Gregorius in quadam *Homilia* : « Deum vocibus sequuntur, mo-« ribus fugiunt : imo magis impugnant, « et vim faciunt ipsi Christo. » Bernardus : « O Domine, videtur conjurasse « contra te populus tuus. Nam illi in per-« secutione tua primi sunt, qui in Eccle-« sia videntur gerere principatum. » Isa. LXV, 3 : *Populus qui ad iracundiam provocat me, ante faciem meam semper,* supple, est.

Clerici Christo multipliciter proximi.

« *Et qui inquirebant.* » Hic tangit malitiam oris.

Ait enim : Sic me persecuti sunt opere : « *Et qui inquirebant mala* » culpæ, si aliqua essent in me, et hoc « *mihi,* » scilicet ad damnum meum, scilicet Judæi, contra illud Proverb. XXIV, 15 : *Ne insidieris, et quæras impietatem in domo justi.* Augustinus : « Qui quærebant pec-« catum in eo qui peccatum non fecit, « restat ut fingerent quod non invenie-« bant. » Et hoc est quod dicit : *Locuti sunt vanitates.* Quinque enim finxerunt falsitates. Primo, quod tributa dari Cæsari prohiberet, Luc. XXIII, 2 : *Hunc invenimus subvertentem gentem, et prohibentem tributa dari Cæsari.* Secundo, quod ipsum populum contra Cæsarem concitaret : In eodem, paulo post, ℣. 5 : *Commovet populum, docens per universam Judæam, incipiens a Galilæa usque huc.* Et intelligebant de commotione con-

Quinque falsa crimina Christo objecta.

[1] Psal. CXLI, 5.

tra Cæsarem. Tertio, quod se in injuriam Cæsaris regem faceret, et jactaret, Joan. xix, 12 : *Omnis qui se regem facit, contradicit Cæsari.* Quarto, quod de reparatione templi in die tertio se jactaret, Marc. xiv, 58 : *Nos audivimus eum dicentem: Ego dissolvam templum hoc manu factum : et per triduum aliud non manu factum ædificabo.* Et hoc falsum erat. Quinto, quod blasphemaret in Deum, eo quod dicebat se Dei filium sessurum a dextris Dei, et venturum ad judicandum, Matth. xxvi, 64 et 65 : *Videbitis filium hominis, sedentem a dextris virtutis Dei, et venientem in nubibus cœli. Tunc princeps Sacerdotum scidit vestimenta sua, dicens: Blasphemavit.* Et post mortem, corde « *dolos tota die meditabantur,* » quando pecunia custodes corrumpere moliti sunt. Matth. xxviii, 12 : *Consilio accepto pecuniam copiosam dederunt militibus : dicentes : Dicite quia discipuli ejus nocte venerunt, et furati sunt eum, nobis dormientibus.*

Possunt et hæc legi de membro. « *Qui inquirebant mala mihi,* » carnales scilicet amici, qui ad culpam impingunt, quod significatum fuit in uxore Job, ii, 9 : *Benedic Deo, et morere :* Michæ. vii, 6 : *Inimici hominis, domestici ejus : locuti sunt vanitates,* corpori, non animæ consulendo : dicunt enim cum Laban, Gen. xxxi, 7 : *Cur me ignorante fugere voluisti, nec indicare mihi, ut prosequerer te ?* « *Et dolos tota die meditabantur,* » quomodo possint exstinguere initium boni propositi ? Propter quod Eccli. xxxvii, 7 : *Noli consiliari cum eo qui tibi insidiatur.* Et nota, quod vaniloquium est turpis inquinatio ipsius vaniloqui. Gregorius in *Pastor.* : « Auctorem suum « loquacitas inquinat, quam servire au- « ditoribus ad usum profectus ignorat. » Levit. xv, 2 : *Vir qui patitur fluxum seminis, immundus erit.* Est etiam cordis seductio. Jacob. i, 26 : *Non refrænans linguam suam, sed seducens cor suum, ejus vana est religio.* Item, vacuitatis ab omni bono manifestatio. Seneca in libro de *Naturalibus quæstionibus :* « Vides quan- « to sonoriora sunt vacua quam plena. » Proverb. xiv, 23 : *Ubi verba sunt plurima, ibi frequenter egestas.* Matth. xxi, 19, dictum est arbori in qua non erant nisi folia : *Numquam ex te fructus nascatur in sempiternum.* Item, oris abusiones sunt. Chrysostomus super *Matthæum :* « Famulum habentes ipso utimur ad ne- « cessarias res, os autem habentes ad res « inutiles. » Item, terribilis est valde toti consortio in quo habitat : quippe Jacob. iii, 6, dicitur : *Lingua ignis est, universitas iniquitatis in membris nostris, quæ maculat totum corpus, et inflammat rotam nativitatis nostræ.* Hunc autem ignem accendunt et evomunt continue loquaces : quis non timeret habitare juxta talem? Propter hoc Eccli. ix, 25, dicitur : *Terribilis in civitate sua homo linguosus.* Item, locum dat in se diabolo. Sicut enim instructio, vel sancta oratio locum dat Deo, sic vaniloquium diabolo. Chrysostomus super *Matthæum :* « Va- « num sermonem dicentes, damus locum « in nobis immundis spiritibus agendi « quod volunt, contra illud Apostoli ad « Ephes. iv, 27 : *Nolite locum dare dia-* « *bolo.* »

Loquacitatis mala.

14 « *Ego autem tamquam surdus.* » Ostensa aliorum malitia, hic subjungitur Christi patientia in omnibus istis, et tangitur duplex patientia. Una qua se non excusavit. Alia qua alios non accusavit, ibi, « *Et factus sum sicut homo.* »

In prima duo. Primo, quod non excusavit se. Secundo, ostendit quomodo se habuit, ibi, « *Et sicut mutus.* »

Dicit ergo : Sic contra me sæviebant, « *ego autem tamquam surdus non audiebam,* » id est, me exhibui tamquam surdum. Jerem. xi, 19 : *Ego quasi agnus innocens, qui portatur ad victimam,* non audiens quæ dicebant, et sic non excusans me.

« *Et sicut mutus non aperiens,* » qui non aperit os suum ad vituperandum.

I Pet. II, 23 : *Qui cum malediceretur, non maledicebat : cum pateretur, non comminabatur.* Sic et pœnitens debet se habere erga malos tam domesticos quam alios, ut dicat : « *Ego autem tamquam surdus non audiens.* » Eccli. XXVIII, 28 : *Sepi aures tuas spinis.* « *Et sicut mutus non aperiens os suum,* » quantumcumque crucietur. Proverb. XXVI, 4 : *Ne respondeas stulto juxta stultitiam suam.* Et dicit : « *Non aperiens os suum,* » saltem ad murmurandum. Sap. I, 11 : *Custodite vos a murmuratione, quæ nihil prodest.*

Maledicis aures obturandæ et os claudendum.

Et nota, quod maledicentibus debes te exhibere surdum, propter oblatam amaritudinem. Oblatis enim amaris gustui, claudis os ne recipias. Sed maledictio gravat auditum, et est ei amara. Eccli. XXVII, 16 : *Maledictio illorum auditus gravis.* Psal. XIII, 3 : *Quorum os maledictione et amaritudine plenum est.* Propter hoc dicitur, Eccli. XXVIII, 28 : *Linguam nequam noli audire.* Item, propter inficiendi virtutem : venenosa enim sunt verba maledicta. Jacob. III, 8 : *Lingua, inquietum malum, plena veneno mortifero.* Et in Psal. XIII, 3 : *Venenum aspidum,* etc. Et sic inficiunt eorum et labia et lingua. I ad Cor. XV, 33 : *Corrumpunt bonos mores colloquia mala.* Item, ne parias prolem consimilem, scilicet maledictum : Verbum enim semen est. Luc. VIII, 11 : *Semen est verbum Dei.* Et maledictio semen maledictum. Non accommodes aurem huic maledicto, tamquam matrem, ne generes prolem similem, verbum scilicet maledictum. Psal. VII, 15 : *Concepit dolorem, et peperit iniquitatem.* Ideo dicitur, Eccli. XIII, 16 : *Cave tibi, et attende diligenter auditui tuo.*

15 « *Et factus sum sicut homo.* » Hic ostendit, quod nec alios accusavit, asserens duo. Primo, quod se exhibuit quasi non audiret. Secundo, quasi nihil loqui de malis illorum sciret, ibi, « *Et non habens.* »

Dicit ergo : Sic quantum ad excusationem factus sum tamquam surdus et mutus, et quantum ad illorum accusationem, « *factus sum velut homo non audiens,* » quasi audire non possem, « *et sicut homo non habens in ore suo redargutiones* » paratas quibus possem eos accusare. Hieronymus : « Cum me sputis inficerent, « arundine verberarent, illuderentque « genu flexo, nihil commotus respondi. » Job, III, 26 : *Nonne dissimulavi ? Nonne silui ? Nonne quievi ? Et venit super me tribulatio.* Isa. XLII, 14 : *Tacui, semper silui, patiens fui.* Sed quomodo dicitur hoc cum dicatur, Matth. XXIII, 13 : *Væ vobis Scribæ et Pharisæi hypocritæ.* Multas ibi redargutiones habuit in ore. Respons. Ante passionem multas habuit, in passione nullas. Et hoc intelligit hic. Sic justus fiat non audiens aliorum sibi illata vituperia, secundum illud Eccle. VII, 22 : *Cunctis sermonibus, qui dicuntur, ne accommodes cor tuum.* Et non habeat in ore redargutiones, sed magis taceat, quia Eccli. XX, 5 : *Est tacens qui invenitur sapiens.* Et hoc valde bonum. Primo, ne maledicentis augeat incendium. Materiam enim igni adjicit, qui maledictum pro maledicto impendit. Eccli. VIII, 4 : *Non litiges cum homine linguato, et non struas in ignem illius ligna.* Item, ne comburas teipsum. Si enim ei dure respondeas, teipsum cum illo inflammas. Ad Galat. V, 15 : *Si invicem mordetis et comeditis, videte ne ab invicem consumamini.* Eccli. VIII, 1 : *Ne incendaris flamma ignis peccatorum illorum.* Item, ut de inimico lucreris amicum. Eccli. VI, 5 : *Verbum dulce multiplicat amicos, et mitigat inimicos.* Socrates : « Amicitiæ principium est bene « loqui, maledicere principium inimici- « tiarum. » Item, ut ostendas te Christi servum. I ad Tim. II, 24 : *Servum Dei non oportet litigare, sed mansuetum esse.* Item, ut tamquam fortis obtineas triumphum. Ad Rom. XII, 21 : *Noli vinci a malo, sed vince in bono malum.* Cassiodorus : « Nihil potest esse fortius, nihil « egregius, quam audire noxia, et non

« respondere contraria. Iste fortis obti-« net campum. »

16 « *Quoniam in te, Domine, speravi.* » Hic secunda pars secundæ partis totius hujus Psalmi, in qua post positam conquestionem eorum, quæ in capite passus est, precatur in persona capitis resurrectionem : et dividitur hæc pars in tres partes. Primo, asserit se habere confidentiam ut exaudiatur. Secundo, probat quod debeat exaudiri, ibi, « *Quia dixi : Nequando supergaudeant.* » Tertio, supponit orationem, ibi, « *Ne derelinquas me.* »

In prima duo. Primo, tangit confidentiæ causam. Secundo, exprimit confidentiam ipsam quam habet, ibi, « *Tu exaudies me.* »

Orat Christus pro resurrectione.

Dicit ergo : Sic in passione tacui. Et hoc o « *Domine, quoniam speravi in te.* » Vel sic : Illi me affligebant, et ego « *Domine, speravi in te,* » quia spes in te habita firmam et fortem generat patientiam. Jerem. xxx, 15 : *In silentio et spe erit fortitudo vestra.* Et in Psal. xxv, 1 : *Et in Domino sperans non infirmabor.* Propter hoc dicit Jerem. xvii, 17 : *Spes mea tu, in die afflictionis.* Et quoniam ita est, tu exaudies me, confidenter assero, Domine Pater. In Psal. xxxiii, 7 : *Iste pauper clamavit, et Dominus exaudivit eum,* etc. Et alibi, Psal. xvi, 7 : *Qui salvos facis sperantes in te.* Qui es « *Deus meus,* » id est, meæ humanitatis : in quantum enim Deus sum, unus sum tecum Deus.

Potest et hoc legi in persona ipsius pœnitentis. Quasi diceret : Hoc quod prædixi, mihi faciunt, sed in tot adversis speravi in te, Domine. Cassiodorus : « Salutaris medicina est, in adversis « semper sperare. » Et quoniam hoc est, « *tu exaudies me, Domine Deus meus.* » Judith, xiii, 17 : *Non desuerit sperantes in se.* Et nota, quod in afflictione sperandum est in Deo. Primo, quia hæc spes habet consolationem, Ad Rom. xii, 12 : *Spe gaudentes.* II Paral. xiii, 18 : *Vehementissime confortati filii Juda, eo quod sperassent in Domino Deo patrum suorum.* Psal. v, 12 : *Lætentur omnes qui sperant in te,* etc. Secundo, quia generat mentis securitatem, Psal. lv, 5 : *In Deo speravi, non timebo,* etc. Efficit etiam in mente fortitudinem, Isa. xl, 31 : *Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem.* Psal. xxv, 1 : *Et in Domino sperans non infirmabor.* Divinam etiam meretur protectionem, Psal. xvii, 31 : *Protector est omnium sperantium in se.* II Reg. xxii, 3 : *Deus meus fortis meus, et sperabo in eum.* Et statim additur : *Scutum meum, et cornu salutis meæ.* Et tandem plenam meretur liberationem. Hoc est quod dicitur alibi, Psal. xxi, 5 : *In te speraverunt patres nostri, speraverunt, et liberasti eos.* Et quod totum consummat, æternam meretur retributionem in corpore, Proverb. xxviii, 25 : *Qui sperat in Domino, sanabitur,* ab omnibus infirmitatibus in corpore, et in mente. Psal. xvi, 7 : *Qui salvos facit sperantes in te.*

[...]es in tribulatione [m]ultis [o]mnibus necessaria.

« *Quia dixi : Nequando supergaudeant.* » Hic subjungitur persuasio, et primo persuadet ab inimicorum malignitate. Secundo, a sua bonitate, ibi, « *Quoniam ego in flagella.* » 17

Persuadet autem a malignitate duplici. Primo, cordis. Secundo, oris, ibi, « *Dum commoventur pedes mei.* »

Dicit ergo : Sic exaudies, et hoc debes, quia dixi orando : O Domine, « *nequando supergaudeant mihi inimici mei,* » id est, gaudeant super me, ad confusionem meam. Proverb. iii, 33 : *Stultorum exsultatio, ignominia aliorum, quos non diligunt.* « *Dum commoventur pedes mei,* » ut ruant in malum, quod forte fit propter bonum meum. « *Super me mala locuti sunt,* » id est, gratulabunda et læta. Augustinus : « Aliquando labuntur « in aliquod peccatum, tunc ibi exsurgunt « labia inimicorum, » quia rursus Proverb. xv, 21 : *Stultitia gaudium stulto.*

Et nota, quod qui lætantur de malo

Lætitia de malo proximi detestanda. alterius, primo Christi membra se non esse ostendunt : si enim membra essent, dolorem commembri sentirent. I ad Corinth. XII, 26 : *Si quid patitur unum membrum, compatiuntur alia membra.* Unde membrum se esse ostendebat, qui dicebat, II ad Corinth. XI, 29 : *Quis infirmatur, et ego non infirmor ?* non dixit : Et ego non lætor. Secundo, sciant quod hanc lætitiam cito amittunt. Mich. VII, 8 : *Ne læteris inimica mea super me, quia cecidi : consurgam.* Seneca ad Lucilium : « Multi ceciderunt ut altius sur« gerent. » Item, idem : « Inimicus Ro« mæ incendia ob hoc unum doluit, quod « sciret meliora resurrectura quam arsis« sent. » Tertio, cognoscant quod similiter exspectare possunt. Thren. I, 21 : *Omnes inimici mei audierunt malum meum, et fient similes mei.* Unde alibi, Abdiæ, ℣. 15 : *Sicut fecisti, fiet tibi : retributionem convertet in caput tuum.* Item, damnationem merito incurrunt. Proverb. XVII, 5 : *Qui ruina lætatur alterius, non erit impunitus.* Baruch, IV, 31 : *Qui gratulati sunt in tua ruina,... et lætati sunt in casu tuo : sic contristabuntur.* Propter hoc bonum est Socratis verbum : « Ma« lum alienum, gaudium ne feceris « tuum. »

18 Triplex charitatis Christi argumentum. « *Quoniam ego in flagella.* » Hic persuadet ex bonis propriis. Primo, a sua charitate, qua appetit pati. Secundo, a sua humilitate, qua peccata nostra sua voluit reputari, ibi, « *Quoniam iniquitatem.* » Tertio, a patientia eorum quæ sustinuit jam completa morte, scilicet in triduo, ibi, « *Inimici autem mei vivunt.* »

In prima duo. Primo, monstratur charitas qua voluit pati. Secundo, qua voluit etiam ipsis mortem inferentibus compati, ibi, « *Et dolor meus.* »

Dicit ergo secundum Hieronymum : « Sic exaudiet propter prædicta et etiam « *quoniam ego in flagella paratus sum,* » « qui oblata fugi regna : » Hieronymus : « Qui regiam fugit dignitatem, » et ad flagella se obtulit. Joan. XVIII, 4 et 5 : *Quem quæritis ? Responderunt ei : Jesum Nazarenum. Dicit eis Jesus : Ego sum.* Isa L, 5 et 6 : *Retrorsum non abii. Corpus meum dedi percutientibus et genas meas vellentibus.*

« *Et dolor meus,* » compassionis ad humanum genus, maxime ad meos crucifixores, « *in conspectu meo semper.* » Isa. LIII, 12 : *Pro transgressoribus rogavit.* Et Luc. XXXIII, 34 : *Pater ignosce illis : non enim sciunt quid faciunt.* Hæc verba compatientis fuerunt. De pœnitente legit Augustinus, secundum eamdem continuationem : « Quasi diceret : Exaudies, et « debes, dicit pœnitens, *quoniam ego in* « *flagella paratus sum,* » sciens illud ad Hebr. XII, 6 : *Quem diligit Deus, castigat : flagellat autem omnem filium quem recipit.* » Et constat quam multo durius omnes alios qui refugiunt flagellari : unde nullus ejus evadit flagellum. Augustinus : « Usque adeo omnes flagellantur, ut nec « illi pepercerit, qui peccatum non ha« buit. » Ad Rom. VIII, 32 : *Qui etiam proprio filio non pepercit, sed pro omnibus nobis tradidit illum.* « *Et dolor meus,* » causa scilicet doloris mei, scilicet peccatum, « *in conspectu meo semper,* » secundum illud Psal. L, 5 : *Iniquitatem meam ego cognosco, et peccatum meum,* etc.

Tirplex hominum status ad flagella Dei. Nota, ut videas quid sit paratum esse ad flagella, tres status hominum. Sunt enim quidam qui dicunt : Semper hæc mala nobis evenient, et illa, quid agemus ? Et isti non se parant ad flagella. Seneca ad Lucilium : « Quam multa ex« spectata numquam comparuere : et si « futurum sit quod vivas, dolore super« veniente, satis cito dolebis cum evene« rit. » De talibus, Sap. XVII, 10 : *Semper præsumit sæva, perturbata conscientia.* Alius est status dicentium : Non venient nobis mala, et tamquam nimis securi non parant se ad illa. De talibus, I ad Thessal. V, 3 : *Cum dixerint pax, et securitas, tunc repentinus, eis superveniet*

interitus. Tertius status est sperantium mala posse contingere, et eorum contraria. Isti sunt discreti, seipsos exhortantes ad malorum sustinentiam, si venerint, et isti se parant ad flagella. Sic docebat paratos esse, Judith, VIII, 27 : *Reputantes peccatis nostris hæc ipsa supplicia minora esse flagella Domini, quibus tamquam servi corripimur, ad emendationem, et non ad perditionem nostram, evenisse credamus.*

19 Christi humilitas. « *Quoniam iniquitatem meam.* » Hic persuadet ab humilitate qua nostram culpam confitetur suam. Primo, confessione oris. Secundo, satisfactione operis, ibi, « *Et cogitabo.* »

Dicit ergo secundum Hieronymum: « Propter præcedentem charitatem exau« dies, et etiam, « *quoniam iniquitatem* « *meam,* « id est, meorum « *annuntia*« *bo,* » meam reputando, secundum il« lud Isa. XLVI, 4 : *Ego feci, et ego fe*« *ram.* » « *Et cogitabo,* » id est, operam dabo, « *pro peccato meo,* » id est , meorum, sanando et delendo, secundum illud Eccli. XXXVIII, 7 : *In his curans mitigabit dolorem, et unguentarius faciet pigmenta sanitatis, et unctiones conficiet sanitatis.* De pœnitente sic: « *Exaudies,* » propter prædicta, et etiam, « *quoniam iniquitatem meam,* » non æquitatem, sicut multi, « *annuntiabo,* » confitendo ipsam sacerdoti, non eam sociis jactando. Matth. VIII, 4 : *Vade, ostende te sacerdoti.*

« *Et cogitabo,* » sollicitus ero : sic enim habet veritas Hebraica, « *pro peccato meo,* » curando, attendens judicis districtionem, secundum illud Job, XXIII, 13 : *A facie ejus turbatus sum, et considerans eum, timore sollicitor.* Nota, quod cogitare debes pro peccato, ut ipsum cures: cum enim peccasti, læsus fuisti, secundum illud Luc. x, 30 : *Homo quidam descendebat de Jerusalem in Jericho, et incidit in latrones,* etc. Et sunt plagæ quasi incurabiles. Eccli. XXI, 4 : *Quasi romphæa bis acuta omnis iniquitas, plagæ illius non est sanitas* : quippe vulneratus es ab iniquitate in loco nobili, scilicet in corde : et ipsa romphæa in corde relicta est. Proverb. XXVI, 25 : *Nequitiæ sunt in corde illius.* Sed esto quod romphæa sit extracta per confessionem oris, numquid non oportet ut cogites de curatione vulneris ? Ita, si audies illud Isa. I, 6 : *Vulnus, et livor, et plaga tumens, non est circumligata, nec curata medicamine, neque fota oleo.* Item, cogitare debes pro peccato, ut vites : quia nihil est amarius, etsi videatur dulce. Jerem. II, 19 : *Vide quia malum et amarum est reliquisse te Dominum Deum tuum.* Item, cogita ut vites frustrationem perpessi laboris. Ad Gal. III, 3 et 4 : *Sic stuli estis, ut cum spiritu cœperitis, nunc carne consummemini ? Tanta passi estis sine causa ?* Item, cogita ut vites pœnam graviorem inveterati vulneris. Unde Cassiodorus : « Cicatrices sunt præceden« tium vulnerum sanata vestigia, quæ « gravius affligunt quando transacto pe« riculo remeant.

Cogitatio de peccatis ad multa utilis.

« *Inimici autem mei vivunt.* » Hic persuadet a pœna, quam sustinuit in triduo mortis suæ patienter : et dicuntur tria. **20**
Primo, inimicorum prosperitas. Secundo, multitudo, ibi, « *Et multiplicati sunt.* » Tertio, malignitas, ibi, » *Qui oderunt.* »

Et tangitur triplex : Cordis, ibi, « *Qui oderunt.* » Operis, ibi, « *Qui retribuunt.* » Et oris, ibi, « *Detrahebant mihi.* «

Glossa autem non legit hoc nisi de pœnitente, sed Hieronymus legit de Christo sic : « Exaudies propter antedic« ta, et etiam propter patientiam. « *Autem,* » quia. Vel sic : « *Cogitabo pro peccato meo,* » id est, meorum, curando et sanando. « *Autem,* sed *inimici mei,* » iterum dum ad faciendum hoc morior, et jaceo in sepulcro « *vivunt,* » in vita sustinentur a me in patientia, propter pœnitentiam ab eis exspectandam. Sap.

XI, 24 : *Dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam.* « *Et confirmati sunt,* » id est, prosperati, et superbi facti, « *super me,* » id est, contra me. Unde fuit major patientia sustinere. Ad Rom. IX, 22 : *Sustinuit vasa iræ apta in interitum.*

« *Et multiplicati sunt,* » plures numero facti, cum viderent me mortuum, et sepultum. Supra, in Psal. III, 2 : *Domine, quid multiplicati sunt qui tribulant me?* Quanto enim plus crescit bonum in aliquo, tanto frequentius multiplicantur ei adversarii. I ad Cor. XVI, 9 : *Ostium mihi apertum est magnum et evidens : et adversarii multi.* Psal. XXX, 13 et 14 : *Factus sum tamquam vas perditum,* intrando claustrum. Et sequitur : *Audivi vituperationem multorum commorantium in circuitu.* « *Qui oderunt me inique,* » cum eos diligerem, et pro eis mortuus jacerem. Psal. CVIII, 5 : *Posuerunt adversum me mala pro bonis, et odium pro dilectione mea.* De pœnitente sic : Cogitabo pro peccato meo. « *Autem,* sed *inimici mei,* » mali permissione tua mihi avdersantes, « *vivunt,* » id est, lætantur et jucundi sunt in vitiis, cum ego doleam. Eccli. XXX, 23 : *Jucunditas cordis hæc est vita hominis.* Sed sua vita pejor est morte mea. Eccle. IV, 25 : *Laudavi magis mortuos, quam viventes.* « *Et confirmati sunt,* » in lætitia sua, « *super me,* » id est, propter mala mea. Thren. I, 21 : *Omnes inimici mei audierunt malum meum, et lætati sunt.* « *Et multiplicati sunt qui oderunt me inique,* » quia odiunt unde deberent diligere, quia pœniteo. Primum quod innuit, grave : secundum quod de malis meis gaudent, gravius : sed hoc est, quia multiplicati sunt, gravissimum.

Nota etiam, quod inimici isti sunt dæmones, « *qui vivunt,* » quia immortales sunt, in quo notatur eorum sapientia multa ad nocendum. Job, XII, 12 : *In antiquis est sapientia, et in multo tempore prudentia.* « *Et confirmati sunt,* » fortitudine. Ecce fortitudo. Job, XLI, 24 : *Non est super terram potestas, quæ comparetur ei.* « *Et multiplicati sunt.* » Ecce multitudo. Haymo : « Sicut radius solis « plenus est atomis, sic aer iste caligino« sus plenus est dæmonibus. » Apoc. IX, 16 : *Numerus equestris exercitus vicies millies dena millia.* Ubi tot equestres, multi pedestres. « *Qui oderunt me inique.* » Ecce magnitudo iræ. Apoc. XII, 12 : *Væ terræ, et mari, quia descendit diabolus ad vos, habens iram magnam.*

21 « *Qui retribuunt mala,* » de Christo, ita « *me oderunt inique,* » illi etiam qui retribuunt mala pro nobis mihi, ut sic essent mali opere, secundum illud Joan. X, 32 : *Multa bona opera ostendi vobis ex Patre meo, propter quod eorum me lapidatis?* Ipse dulcedinem æternæ vitæ ostendebat eis, et ipsi porrigebant ei acetum. Hieronymus : « Dulcedinem « æternæ vitæ sitientem aceto pota« verunt et felle. « *Detrahebant mihi,* » ut exsuperaret cordis malitia, etiam in ore. Matth. XXVII, 42 : *Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere.* Et rursum, ℣. 63 : *Domine, recordati sumus, quia seductor ille,* etc.

« *Quoniam sequebar bonitatem.* » Propter obedientiam scilicet suscipiendo gratanter mortem. Ad Philip. II, 8 : *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem.* De pœnitente sic : Ita multiplicati sunt inimici, et etiam « *qui retribuebant mihi mala pro nobis,* » saltem pro bonis exemplis, quod est pessimum genus ingratitudinis. Primus enim gradus ingratitudinis est reddere bonum modicum pro magno. Secundus, reddere nullum bonum pro bono etiam modico. Tertius, nullum pro magno. Quartus, malum pro bono modico. Sed summus, malum pro bono magno, quod nullo modo debet fieri. Jerem. XVIII, 20 : *Numquid redditur pro bono malum?* Tales, inquam, « *detrahebant mihi,* » dicentes : Hypocrita est : cum dicatur, Sap. I, 11 : *A detractione parcite linguæ.* Et hoc

Quinque gradus ingratitudinis

« *quoniam sequebar bonitatem,* » Christum, qui est ipsa bonitas, qui pauper fuit propter meam iniquitatem. I ad Thess. v, 15 : *Videte ne quis malum pro malo alicui reddat, sed sectamini bonitatem invicem et in omnes.*

Tria detractionis genera.

Nota, quod est primus gravus detractionis detrahere etiam male agentibus. Secundus et deterior, detrahere nihil agentibus. Sed tertius et pessimus, detrahere bona agentibus. Et in hoc supremo gradu dignus est detractor maxima confusione. Psal. LXX, 13 : *Operiantur confusione et pudore, qui quærunt mala mihi.*

Pravitas detractoris.

Et nota, quod qui detrahit bono, ostendit se habere infirmitatem in oculo spirituali, scilicet in intellectu. Justus enim est sol, Eccli. XXVII, 12 : *Homo sanctus in sapientia manet sicut sol.* Sol autem non displicet oculo sano, Eccle. XI, 7 : *Dulce lumen, et delectabile est oculis videre solem,* secundum quod Augustinus ait in libro *Confessionum* : « Oculis ægris odiosa est lux, quæ sanis est amabilis. » Ergo qui detrahunt bono, dicunt illud Sap. II, 15 : *Gravis est nobis etiam ad videndum,* ostendunt se habere infirmum oculum. Item, ostendunt se habere iniquitatem in affectu : si enim boni essent, bonos diligerent. Eccli. XIII, 19 : *Omne animal diligit sibi simile.* Proverb. XIV, 2 : *Ambulans recto itinere, et timens Deum, despicitur ab eo, qui infami graditur via.*

22 « *Ne derelinquas me.* » Hic tertium, in quo subjungitur persuasioni oratio. Primo ergo orat ne divinitas separetur : loquitur enim Christus. Secundo, ut velociter suscitetur, ibi, « *Intende in adjutorium meum.* »

In prima duo. Primo, ne divinitas separetur ab anima in inferno. Secundo, ne a carne in sepulcro, ibi, « *Ne discesseris a me.* »

Legit ergo Glossa de membro et de capite. Primo, de membro sic : Ista mala mihi inferunt adversarii, quæ sunt soli homini importabilia. Prov. XXVII, 3 : *Grave saxum, et onerosa arena : sed ira stulti utroque gravior,* supple, est. Ergo Deus « *ne derelinquas me* » solum, sed sis socius ut possim sustinere. Eccli. II, 3 : *Conjungere Deo, et sustine.* Vel sic : Mala mea gessi, de quibus pœniteo : sed o « *Domine Deus meus, ne derelinquas me,* » ne redeam ad relicta. Cassiodorus : « Ille quando a nobis recedit, avios sectamur errores : quia necesse est absente via rectissima semper errare. » Quod si ad horam relinquis, tamen ne discesseris a me penitus, secundum illud quod dicitur Isa. LIV, 7 : *Ad punctum, et in modico dereliqui te.* Et sic ostendit se timere recidivum : scit enim quod per hoc abominabilis Deo reddetur : quia Prov. XXVI, 11 : *Sicut canis qui revertitur ad suum vomitum, sic* impudens, vel *imprudens, qui iterat stultitiam suam.*

De Christo sic : Sic exsultant, persequuntur, et detrahunt mihi sepulto inimici mei : sed o Domine Pater, « *Deus meus,* » Deus humanitatis meæ, « *ne derelinquas me.* » Non dico simpliciter, sed relinquendo fui in inferno : unionem enim scio sic factam, ut non sit omnino separabilis : et hoc factum est. In Psal. XV, 10 : *Non derelinques animam meam in inferno.* « *Ne discesseris a me,* » corpus in sepulcro dimittendo : et hoc tantum est similiter mihi. Ibidem : *Nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem.*

« *Intende in adjutorium meum.* » Hic secundum, in quo petit ut velociter suscitetur, et continuo. Sic petivi ut non me deseras, quantum ad animam in inferno, nec quantum ad corpus in sepulcro : imo o Domine Pater, Deus salutis meæ, auctor immunitatis a peccato quæ est in me. Isa. LIII, 9 et I Petr. II, 22 : *Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus.* Et glorificationis corporis mei, Act. III, 13 : *Deus patrum* 23

nostrorum glorificavit filium suum Jesum. « *Intende in adjutorium meum,* » me velociter suscitando, ut anima mea cito spoliet infernum, secundum illud Apostoli ad Coloss. II, 15 : *Exspolians principatus et potestates*, etc. Resumpto proprio corpore de morte triumphet, secundum illud promissum, Osee, XIII, 14 : *Ero mors tua o mors, morsus tuus ero inferne.*

De pœnitente sic : « *Ne discesseris a me,* » ut per hoc malum vitem commune. Insuper « *intende in adjutorium meum,* » ut bonum faciam : quia aliter non possum. Isa. XXVI, 13 : *Omnia opera nostra operatus es nobis Domine.* Joan. XV, 5 : *Sine me nihil potestis facere.* Vel sic : Ne derelinquas me, ne discedas a me, in prosperis, et in pace, quod contingit frequenter. Osee, XIII, 6 : *Adimpleti sunt, et saturati sunt : et elevaverunt cor suum, et obliti sunt mei.* Et etiam « *intende in adjutorium meum,* » in adversis. Psal. LXX, 12 : *Deus meus, in auxilium meum respice.*

« *Domine, Deus salutis meæ,* » dator. Proverb. XXI, 31 : *Equus paratur ad diem belli : Dominus autem salutem tribuit.* Psal. CXLIII, 10 : *Qui das salutem regibus.* Dator salutis naturæ, contra morbum, Psal. XXXV, 7 : *Homines et jumenta salvabis, Domine.* Eccli. XXXIV, 20 : *Illuminans oculos, dans sanitatem, et vitam* gratiæ contra peccatum. Psal. XL, 5 : *Sana animam meam, quia peccavi tibi.* Et alibi, Psal. CVI, 20 : *Misit verbum suum, et sanavit eos.* Jerem. III, 14 : *Convertimini, filii revertentes, et sanabo reversiones vestras.* Gloriæ, contra infernum, Job, XXXVI, 16 : *Salvabit te de ore angusto* latissime. Item, salutis conservator. Proverb. II, 7 : *Custodiet rectorum salutem.* Item, salutis consummator, quando ita sanabit patientem suum ut fiat omnino impassibilis. Joan. VII, 23 : *Totum hominem sanum feci in sabbato*, in illo æterno de quo tactum est in titulo Psalmi[1]. Et ad Hebr. IV, 9 : *Relinquitur sabbatismus populo Dei.*

[1] Cf. Commentarium in titulum hujusce Psalmi, pag. 558.

PSALMUS XXXVIII.

Agit de vanitate et brevitate vitæ. Deum orat ut peccatum remittat, et sibi adsit.

1. *In finem, ipsi Idithun, Canticum David.*
2. Dixi : Custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea.
Posui ori meo custodiam cum consisteret peccator adversum me.
3. Obmutui, et humiliatus sum, et silui a bonis : et dolor meus renovatus est.
4. Concaluit cor meum intra me : et in meditatione mea exardescet ignis.
5. Locutus sum in lingua mea : Notum fac mihi, Domine, finem meum,
Et numerum dierum meorum quis est, ut sciam quid desit mihi.
6. Ecce mensurabiles posuisti dies meos, et substantia mea tamquam nihilum ante te.
Verumtamen universa vanitas, omnis homo vivens.
7. Verumtamen in imagine petransit homo : sed et frustra conturbatur :
Thesaurizat, et ignorat cui congregabit ea.
8. Et nunc quæ est exspectatio mea? nonne Dominus? et substantia mea apud te est.
9. Ab omnibus iniquitatibus meis erue me : opprobrium insipienti dedisti me.
10. Obmutui, et non aperui os meum, quoniam tu fecisti :
11. Amove a me plagas tuas.
12. A fortitudine manus tuæ ego defeci in increpationibus : propter iniquitatem corripuisti hominem.
Et tabescere fecisti sicut araneam animam ejus : verumtamen vane conturbatur omnis homo.
13. Exaudi orationem, meam Domine, et deprecationem meam : auribus percipe lacrymas meas.
Ne sileas, quoniam advena ego sum apud te, et peregrinus sicut omnes patres mei.
14. Remitte mihi, ut refrigerer priusquam abeam, et amplius non ero.

IN PSALMUM XXXVIII

COMMENTARIUS.

1 *In finem, ipsi Idithun, Canticum David*[1].

« *Dixi: Custodiam vias meas.* » Nota in principio quod legitur I Paralipom. xvi, 4 et seq., de institutione cantorum a David, reducta arca de domo Aminadab in Jerusalem. Et videmus in illo libro I Paralipom. xxiii, 5 [2], quod erant quatuor millia qui Psalmos, quos David divina inspiratione ediderat, cantabant vocibus propriis, organis, citharis, cymbalis, nablis, tympanis, et tubis, et omnibus musicis instrumentis. Et videmus etiam in illo libro I Paralip. xxv, 6 et 7, quod illis præposuit cantores octoginta octo viros, inter quos fuerunt principaliores Asaph, Cinan, Ethan, et Idithun. Horum nomina frequenter præponuntur Psalmis, scilicet in titulis Psalmorum, non quia composuerunt Psalmos, imo solus David : sed duplici alia de causa. Primo, secundum Cassiodorum, « ut monstretur, quod commendabiliter suum officium exercuerint, et digni sunt æterna memoria. » Proverb. x, 7 : *Memoria justi cum laudibus.* Ad Hebræ. xiii, 7 : *Mementote præpositorum vestrorum.* Secundo, quia per nominum eorum interpretationes, sæpe aperitur intellectus Psalmi, sicut in isto accidit, *Idithun* qui interpretatur *transiliens* : et agitur hic de transiliente mundum, qualis est pœnitens, et perfecte et recte consequens ad lamentum et gemitum

Cur cantorum nomina Psalmis præfigun-tur?

A titulo colligitur argumentum Psalmi : agit de transiliente mundum, primo a

(1) Ce psaume est adressé au Maître de Chant ידיתון *idithoun*, Ἰδιθούν, le même qu'Ethan, l'un des trois grands chantres du temps de David (I Par. xv, 19; xvi, 41 ; xxv, 1 ; II Par. v, 12 ; xxxv, 15). Le psalmiste designe donc ici nommément le chantre auquel il veut confier l'exécution de ce morceau. Il est contraire à toute espèce de vraisemblance de voir dans Idithun, comme quelques auteurs, l'indication d'un instrument ou d'une mélodie.

L'occasion qui a donné lieu à cette composition n'est pas clairement reconnaissable. Herder suppose une maladie de David, Bossuet et quelques autres rapportent le psaume au temps de la persécutiom de Saül. Nous croyons, avec Flaminius, qu'il faut plutôt descendre jusqu'aux derniers temps de la vie de David, à l'époque de la révolte d'Absalon. Les réflexions sur la brièveté de la vie conviennent beaucoup mieux à un vieillard qu'à un homme dans la force de l'âge, et d'ailleurs dans les dernières paroles de David conservées par le livre des Paralipomènes, nous trouvons en quelques mots comme un résumé de tout le psaume, ce qui montre au moins que les idées exprimées ici hantaient de préférence l'esprit du saint roi au déclin de sa vie. Cf. I Par. xxix, 15. Ce chant, qu'Ewald appelle la plus belle élégie du psautier, traite un sujet analogue à celui du Ps. XXXVI, mais avec un redoublement de tristesse, et un visible effort pour ne pas laisser dégénérer en murmure contre la Providence le chagrin qui pèse sur son âme. Le psaume XXXVI parlait de la prospérité des méchants sous une forme didactique et pleine de réserve. Ici David, plus vivement aiguillonné par l'épreuve, a été comme mis en demeure de mettre à profit lui-même les leçons qu'il donnait aux autres. Il est en face d'Absalon révolté, en face de Séméï qui l'outrage, en face d'impies qui l'accablent, et il s'écrie : Seigneur ! pourquoi donc tant de maux dans une vie si courte? Ne me laisserez-vous pas quelque répit avant ma mort ?

On retrouvera des idées analogues dans le Ps. LXI. Elles sont d'ailleurs analogues à celles du livre de Job, David faisant à son tour l'expérience des souffrances de ce juste, et entrant par là même avec une grande facilité dans ses sentiments. Saint Ambroise en lisant ce psaume, « delectatus ejus sensu profundo et virtute sententiarum, » y trouve de belles leçons, « silendi patientiam et opportunitatem loquendi, et in posterioribus contemptum divitiarum, quæ maxima virtutum fundamenta sunt, » et en prend occasion d'écrire son *de Officiis* : « Dum igitur hunc psalmum considero, successit animo de officiis scribere. » de Offic. i, 7.

H. Lesêtre.

[1] Cf. etiam I Paralip. xv, 23 et xvi, 5.

mundo in se, secundo a se in Deum. pro peccatis, de quo actum est in præcedenti Psalmo.

Sensus ergo tituli talis est : « *Canticum* » hoc est ordinans nos, « *in finem,* » dictum Apoc. XXII, 13 : *Ego sum Alpha et Omega, principium et finis.* « *Canticum,* » inquam, « *David,* » id est, a David editum : et hoc pro « *Idithun,* » id est, pro transiliente. Primo, a mundo in seipsum primo saltu, et post a se in Dominum secundo saltu. Nec mireris si dico hominem salire a mundo in seipsum, quia extra se est homo amans mundum, quia in mundo. Matth. VI, 21 : *Ubi est thesaurus tuus,* etc. Isa. XLVI, 8 : *Redite prævaricatores ad cor.* De hoc duplici saltu potest intelligi illud II Reg. VI, 16, Videbat Michol regem subsilientem, de mundo in seipsum, et saltantem, de seipso in Deum [1]. Sic coram nobis saliunt viri sancti : unde mirum, quod non movent nos ad saltandum. Luc. VII, 32 : *Cantavimus vobis, et non saltastis,* etc.

Nota, quod cum Psalmus sit pro Idithun, id est, pro transiliente Dei, dividitur in duas partes, secundum duplicem saltum qui tactus est. In prima enim parte introducitur subtrahens se ab aliis, et vacans propriæ custodiæ, et sic a mundo saliens in se. Secundo, vacans Deo, id est, contemplationi, in quo intelligitur saltus secundus in Deum, scilicet a se, ibi, « *Concaluit cor meum.* »

In prima tria. Primo, dicit hic introductus, quod primum saltum proposuit, scilicet a mundo redire in seipsum ad sui custodiam. Secundo, quod ad impletionem propositi cito pervenit, ibi, « *Posui ori meo.* » Tertio ostendit, quod reversus ad se invenit, ut velit saltare ulterius, ibi, « *Obmutui, et humiliatus sum.* »

In prima duo secundum duo quæ dicit se proposuisse. Primo, occupari circa propriam custodiam. Secundo, consummare et perficere illam occupationem, ibi, « *Ut non delinquam.* »

Dicit ergo : « *Dixi,* » id est, proposui 2
et ordinavi in corde meo, « *Custodiam* Prima pars Psalmi : Ab externis transitus ad sui custodiam.
vias meas, » cogitationes, locutiones, operationes. Hæ viæ de quibus Jerem. VII, 33 : *Bonas facite vias vestras.* Ad hoc invitat nos Aggæus etiam in primo, ℣℣. 5 et 7 : *Ponite corda vestra super vias vestras.* « *Custodiam* » autem ne oberrem, circumspiciendo et cogitando quæ est recta via. Proverb. XIV, 12 : *Est via, quæ videtur homini justa : novissima autem ejus deducunt ad mortem.* Ne declinem postquam intravero recte incedendo, Numer. XXI, 22 : *Non declinabimus in agros et vineas,* temporalibus adhærendo, *non bibemus aquas ex puteis,* curiosa perscrutando : sed *via regia gradiemur.* Non declinabimus neque ad dexteram, ultra debitum faciendo, neque ad sinistram, omittendo. Ne deficiam in ipsa bona via, perseverando. Jerem. VI, 16 : *State super vias rectas.* Et in tantum custodiam, « *ut non delinquam in lingua mea :* » quod valde difficile est. Jacob. III, 8 : *Linguam nullus hominum domare potest.* Verum est per se, nisi per gratiam : et hoc est perfectionis. Jacob. III, 2: *Si quis non offendit in verbo, hic perfectus est vir.* « *Custodiam* » autem « *ut non delinquam,* » detrahendo. Sapient. I, 11 : *A detractione parcite linguæ.* Adulando, Lingua delinquitur multipliciter.
sicut illi de quibus in Psal. LIV, 22 : *Molliti sunt sermones ejus super oleum, et ipsi sunt jacula,* quia interficiunt illum cui

[1] II Reg. VI, 16 : *Michol filia Saul prospiciens per fenestram, vidit regem David subsilientem atque saltantem coram Domino : et despexit eum in corde suo.*

adulantur mentiendo : quia Sap. I, 11 : *Os quod mentitur, occidit animam.* Veritati contradicendo, ne sensum perdam. Augustinus : « Multi studio con« tradicendi amiserunt sensum. » Isa. L, 5 : *Dominus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico.* Perverse jurando, Eccli. XXIII, 12 : *Vir multum jurans, implebitur iniquitate.* Sophistice loquendo, Eccli. XXXVII, 23 et 24 : *Qui sophistice loquitur, odibilis est, in omni re defraudabitur. Non est illi a Domino data gratia.* Verbum Dei indignis proponendo, secundum illud Matth. VII, 6 : *Nolite sanctum dare canibus, neque margaritas spargatis ante porcos.* Et demum superflua et inutilia proponendo, vel loquendo, Eccli. XXIII, 17 : *Indisciplinatæ loquelæ ne assuescas os tuum : est enim in illa verbum peccati.* Matth. XII, 36, de omni verbo otioso, quodcumque locuti fuerint homines, reddent rationem [1].

« *Posui ori meo.* » Hic secundum, in quo asserit se pervenisse ad impletionem propositi.

Duo autem dicuntur. Primo, quod se segregavit usque ad custodiam oris. Secundo, causa subditur quare hoc facere voluit, ibi, « *Dum consisteret.* »

Dicit ergo : Sic proposui, et sic feci, quia « *posui ori meo custodiam.* » Vel sic secundum Cassiodorum : *Custodiam* « *linguam,* et nunc quia custodiendo « ostium linguæ, scilicet os meum, « *posui ori meo custodiam,* tamquam « seram quamdam. » Eccli. XXIII, 28 : *Facito ostia et seras.* Cassiodorus : « Sera dicitur, eo quod in sero ostiis « adhibeatur. « Hoc attendant senes, quibus jam sero est, ut ponant ori suo seras. In positione autem signatur stabilitas : quasi custodiam stabilem mihi, sicut dicit Joan. XV, 16 : *Posui vos ut eatis.* Sed quare pones custodiam ? Numquid propter bonos auditores, de quibus Proverb. XXV, 12 : *Inauris aurea, et margaritum fulgens, qui arguit sapientem, et aurem obedientem ?* Non, sed potius « *dum consisteret adversum me peccator,* » perversus et nequam auditor, ille scilicet de quo I ad Corinth. II, 14 : *Animalis homo non percipit ea quæ spiritus Dei sunt.* Sic Christus nihil voluit respondere Herodi. Luc. XXIII, 9 : *Interrogabat eum multis sermonibus. At ipse nihil respondebat.* Psal, XXXVI, 32 : *Considerat peccator justum.* Matth. XXII, 15 : *Abeuntes Pharisæi, consilium inierunt ut caperent eum in sermone.*

« *Obmutui, et humiliatus sum.* » Hic est tertium quod in se invenerit ut cogatur ulterius salire, quia dolorem : et tanguntur duo. Primo, dolor. Secundo, causa doloris, ibi, « *Et dolor meus.* » 3

Causa autem doloris est duplex. Una, quia silendo nocuit. Secunda, quia bonis non profuit, ibi, « *Et silui a bonis.* »

Ait enim : Sic proposui et feci, unde « *obmutui,* » id est, penitus tacui, « *et humiliatus sum,* » id est, vilis et nullus reputatus ab illo peccatore, quia dversum me consistebat. Eccli. XI, 33 : *Bona in mala convertens insidiatur, et in electis imponet maculam.* Vel sic : « *Obmutui,* » et non intumui interius sicut multi faciunt, qui de silentio contra alios superbiunt. Sap. IV, 19 : *Disrumpet illos inflatos sine voce.* « *Et silui a bonis* » verbis quibus alios edocerem, vel « *a bonis* » hominibus docendis propter consistentes adversum me. Scio enim in hoc casu verum esse illud Proverb.

[1] Matth. XII, 36 : *Dico vobis, quoniam omne verbum otiosum, quod loquti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii.*

xxv, 2 : *Gloria Dei est celare verbum.* Ezech. III, 26 : *Linguam tuam adhærere faciam palato tuo : et eris mutus, nec quasi vir objurgans, quia domus exasperans est.* Matth. VII, 6 : *Nolite sanctum dare canibus, nec margaritas spargatis ante porcos.*

« *Et dolor meus,* » quem prius habui de peccatis, « *renovatus est,* » quia bonis subtraho spiritualia alimenta. Isa. VI, 5 : *Væ mihi, quia tacui.* Job, XVI, 7 : *Si locutus fuero, non quiescet dolor meus,* propter malos quos video sibi damnum inferre : *et si tacuero, non recedet a me,* propter bonos quibus subtraho spirituale alimentum. Et scio scriptum, esse in Proverb. I, 16 : *Qui abscondit frumenta, maledicetur in populis : benedictio autem super caput vendentium.* Et illud Eccli. xx, 32 : *Sapientia absconsa et thesaurus invisus : quæ utilitas in utrisque ?*

4 Secunda pars Psalmi : Transituri a se in Deum.

« *Concaluit cor meum.* » Hic secundum, in quo agitur de secundo saltu, scilicet a seipso in Deum. Et hic saltus in Deum, quia spiritualis sicut et corporalis componitur ex ascensu et relapsu. Primo agitur de nisu in sursum. Secundo, de relapsu in deorsum, ibi, « *Ab omnibus iniquitatibus.* »

Et quia sursum non potest elevari per se, dicuntur duo. Primo, fervens elevatio ad æterna, et separata a terrenis, ibi, « *Ecce mensurabiles posuisti.* »

Sed iterum quia oratio parum valet nisit sit ex corde ferventi, et desiderio amore succenso, duo dicuntur. Primo agitur de cordis debita dispositione. Secundo, de oratione ex sic disposito erumpente, ibi, « *Locutus sum in lingua.* »

In prima duo. Primo tangitur cordis calefactio, quod est incipientis. Secundo, calefacti adustio, quasi pleni, quod est proficientis, ibi, « *Et in meditatione mea.* »

Dixit ergo : « *Silui,* » et tamen otiosus non fui : imo conversus sum ad Deum cum magno æstu et charitate : unde « *concaluit cor meum intra me,* » amore cœlestium, id est, totum caluit. Nec mirum : quia tenebam illum ignem clausum intra me, de quo Jerem. XXIII, 29 : *Numquid non verba mea sunt quasi ignis, et quasi malleus conterens petram ?* Qui calor si erumperet, alios inflammaret. Jerem. V, 14 : *Ecce do verba mea in ore tuo in ignem, et populum istum in ligna,* etc. Vel si contineatur, dolor meus renovatur. Sed numquid consolatione carnis ? Non, imo « *concaluit cor meum intra me,* » amore cœlestium. Et dicit, « *cor meum intra me,* » ut notet hunc calorem in interiori parte esse, scilicet in ratione, et hoc faciente Spiritu sancto. Ad Rom. XII, 11 : *Spiritu ferventes.*

« *Et in meditatione mea exardescet,* » quod plus est, « *ignis* » charitatis. Luc. XII, 49 : *Ignem veni mittere in terram, et quid volo,* etc. Cassiodorus : « Quid « amplius quam charitas fervet ? sed fer« vor ille tranquillus est, mansueta in« flammatio, motus inculpabilis, festina« tio moderata. » Hic est ignis qui semper debet ardere in corde. Levit. VI, 12 : *Ignis in altari meo semper ardebit.*

« *Locutus sum in lingua.* » Hic secundum, in quo postquam ostendit se dispositum fuisse ad orandum, subjungit de oratione erumpente ex tali corde : et dicuntur tria. Primo, quod oravit. Secundo, quid, ibi, « *Notam fac mihi.* » Tertio, ad quid, ibi, « *Ut sciam quid desit mihi.* » 5

Ait ergo : Sic concaluit cor meum, et in illo calore « *locutus sum,* » non alios erudiendo, sed « *in lingua mea,* » id est, orando, et in orationem prorumpendo. Hinc discant dispensatores verbi Dei orare, cum non licet eis prædicare. Act. VI, 4 : *Nos vero orationi, et ministerio verbi Dei instantes erimus.*

« *Notum fac mihi.* » Hic secundum,

in quo quid oravit, quia duo. Primo petit beatitudinem. Secundo, beatitudinis æternitatem, ibi, «*Et numerum.*»

Duplex versus interpretatio de æterna et mortali vita.

Ait ergo : Hic locutus sum, et quid? «*Notum fac mihi, Domine, finem meum,*» scilicet Christum. Ad Rom. x, 6 : *Finis legis Christus.* Ad hoc enim omnis lex, et mandatum omne, ut Christus habeatur. Apocal. xxii, 13 : *Ego sum Alpha et Omega, principium et finis.* Vel sic : «*Notum fac mihi, Domine, finem meum,*» vitam æternam, ad quam participandam factus sum. I Pet. i, 8 et 9 : *Exsultabitis... reportantes finem fidei vestræ, salutem animarum vestrarum.* Cognoscere etiam Deum, finis est omnium, et vita æterna. Joan. xvii, 3 : *Hæc est vita æterna ut cognoscant te verum Deum, et quem misisti Jesum Christum.* Cognoscere etiam finem meæ consummationis, scilicet mortem meam, quia dicit Eccle. ix, 12 : *Nescit homo finem suum : sed sicut pisces capiuntur hamo,* etc. Valet autem finis cognitio et cogitatio ad bene disponendum bona præsentia. Isa. xxxviii, 1 : *Dispone domui tuæ, quia morieris tu, et non vives.* Valet ad contemnendum terrena, et ad festinandum ad cœlestia. Hieronymus in quadam Epistola : « Qui se cogitat quotidie moriturum, contemnit præsentia, et ad futura festinat. » Item, ad peccata vitandum. Eccli. vii, 40 : *Fili,... in omnibus operibus tuis memorare novissima tua, et in æternum non peccabis.* Sicut e contrario, qui non recordantur finis, omnibus peccatis sordidantur. Thren. i, 9 : *Sordes ejus in pedibus ejus, et non est recordata finis sui.*

Finis cogitatio ad multa utilis.

« *Et numerum dierum.* » Hic petit beatitudinis æternitatem. Et legitur dupliciter secundum duplicem litteram « *Quis,* » vel « Qui. » Secundum primam, de diebus vitæ præsentis : secundum secundam, de diebus æternitatis.

Dicit ergo : Sic notum fac mihi finem Christum, « *et numerum dierum meorum quis est,* ut cognoscam hoc cognito, si visurus sum Verbum incarnatum : hoc enim erat desiderium antiquorum. Luc. x, 24 : *Multi Prophetæ et reges voluerunt videre quæ vos videtis, et non viderunt,* præoccupantes finem dierum suorum, non per constellationem, sed per revelationem : tales enim frequenter falluntur. Isa. xlvii, 13 : *Stent et salvent te augures cœli, qui contemplabantur sidera et supputabant menses.* Et hoc, « *ut sciam quid desit mihi* » usque ad adventum Christi. Cassiodorus : « Deesse sibi putabat ad vitam, si Christi non meruisset videre præsentiam. »

Alio modo sic : « *Et numerum dierum meorum* qui *est :* » Quasi diceret : Sic notum fac finem meum mihi, « *et numerum dierum meorum,* » non illum numerum qui transit, sed « qui *est,* » qui perseverat et stat, hoc est, æternitatem. Numerus enim dierum præsentis vitæ non est. Quod enim de ipsis præteriit, non est : quod futurum est, non est : et hoc totum est, excepto instanti modico, quod quasi nihil est. Psal. lxxxix, 5 : *Quæ pro nihilo habentur, eorum anni erunt.* Job, vii, 16 : *Parce mihi,* Domine : *nihil enim sunt dies mei.* Sed dies æternitatis qui stant, illi vere sunt. Psal. lxxvi, 6 : *Cogitavi dies antiquos, et annos æternos in mente habui.* Propter hoc bene dicitur in Psal. lxxxiii, 11 : *Melior est dies una in atriis tuis super millia.* Sed numquid ibi est numerus ? Hieronymus : « Ibi est numerus sine numero, dies sine die, tempora sine temporibus. »

Sed ad quid hoc requiris ? *Ut sciam quid desit mihi,* » id est, ut videam defectum meum, et sic mihi vilior fiam. Psal. xxx, 23 : *Ego dixi in excessu meo : Projectus sum,* etc. Vult hic scire magis defectum suum, quam profectum. Et bene : quia videndo bonum suum frequenter mentis oculus excæcatur. Justitia enim et quæcumque alia virtus lux est. Psal. xxxvi, 6 : *Et educet, quasi lumen justitiam tuam, et opus justitiæ quasi sol.* Eccli. xvii, 15 et 16 : *Pars Dei Israel facta est manifesta, et omnia opera eo-*

Defectus magis est inspiciendus quam profectus.

rum sicut sol in conspectu Dei. Sed qui intuetur solem, cito obcæcatur. Eccli. XLIII, 4 : *Sol refulgens radiis suis obcæcat oculos.* Item, superbia generatur : sic enim intelligitur illud Apostoli, I ad Corinth. VIII, 1 : *Scientia inflat.* Jerem. X, 14 : *Stultus factus est omnis homo a scientia sua*, suorum scilicet bonorum. Item, proximus cito condemnatur, etsi sit superior. Genes. XVI, 4 : *Illa concepisse se videns, contempsit dominam suam.* Luc. XVIII, 11 : *Non sum sicut cæteri hominum, raptores*, etc. Item, profectus in bonum subtrahitur. Quis enim laborat in eo, in quo se credit abundare ? Luc. XII, 19 : *Anima, habes multa bona posita in annos plurimos : requiesce, comede, bibe, epulare.* Propter hoc docet Dominus, Matth. VI, 3 : *Nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua.* Et Luc. XVII, 10 : *Cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite: Servi inutiles sumus.*

6 « *Ecce mensurabiles.* » Hic secundum, in quo habito de oratione, subjungitur de transpositione affectus in Domino.

Et primo, conatur pedem a terrenis avellere. Secundo, in Deum transponere, ibi, « *Et nunc quæ est exspectatio mea ?* »

In prima duo : ut enim possit pedem avellere, attendit duo. Primo, quam modica sint hæc bona. Secundo, quanta mala, ibi, « *Verumtamen universa vanitas.* » Quam modica bona, quia brevis vita primo. Secundo, quia possessio nulla, ibi, « *Et substantia mea.* »

Dicit ergo : Sic peto, ut sciam quid desit mihi. Sed numquid aliquid deest tibi? Etiam, quia « *ecce posuisti dies meos,* » quos nunc habeo, « *mensurabiles.* » Job, XIV, 5 : *Breves dies hominis sunt.* Et infra, ibidem: *Contistuisti terminos ejus, qui præteriri non poterunt.* Alia littera : « Posuisti dies meos veteres : » et videtur quod illa nihil sit. Dies enim qui cito transit, quomodo inveterascere potuit ? Resp. Modus loquendi est. Dicitur enim dies læta, cum nos lætos facit sic vetus cum veteres facit: faciunt autem nos veteres secundum carnem, quia per istos dies nostros incurrit caro nostra vetustatem. Thren. III, 4 : *Vetustam fecit pellem meam.* Item, secundum mentem, quia in istis diebus incurrimus culpam, quæ est vetustas animæ, quia facit propinquum veræ morti, scilicet gehennæ, sicut vetustas alia morti corporis. Ad Hebr. VIII, 13 : *Omne quod antiquatur et senescit, prope interitum est.*

« *Et substantia mea,* » possessio ipsa, substantia ipsa, in Adam corrupta, « *tamquam nihilum ante te,* » quia corrumpitur, et cito transit. Job, XIV, 2 : *Quasi flos egreditur, et conteritur.* etc. Et hoc, « *ante te,* » qui veraciter vides. Isa. XL, 17 : *Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, et quasi nihilum et inane reputatæ sunt ei.*

« *Verumtamen universa.* » Hic secundum, in quo attendit quanta sint mala in præsenti. Et primo, quanta mala pœnæ. Secundo, quanta mala culpæ, ibi, « *Verumtamen in imagine.* »

In prima duo. Primo, enim tangit pœnam. Secundo, multiplicitatem, ibi, « *Omnis homo.* »

Ait enim : Nihil sunt ante te omnes substantiæ : « *Verumtamen universa,* » quæ hic sunt, « *vanitas* » sunt ratione mutabilitatis. Eccle. I, 14 : *Vidi cuncta, quæ fiunt sub sole, et ecce universa vanitas.* Et ad hanc pertinet, « *omnis homo,* » non tantum quidam : et « *homo vivens.* » Ad Rom. VIII, 22 et 23 : *Omnis creatura ingemiscit, et parturit usque adhuc. Non solum illa, sed etiam nos ipsi primitias spiritus habentes.* Quasi diceret: Nos ipsi qui vivimus per gratiam Spiritus sancti, sub hac vanitate sumus, non Deus, de quo Jacob I, 17 : *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.* Vel sic : Ita æternis inhio, « *Verumtamen omnis homo vivens,* » sive in mundo per amorem remanens, sive mundana transiliens,

est « *universa. vanitas,* » id est, involvitur omni vanitate. Ad hanc litteram cogit Hebraica veritas, quæ habet : « Omnis homo idithun, » id est, etiam transiliens, «est vanitas.» Psal. CXLIII, 4: *Homo vanitati similis factus est.* Tertio modo sic : Dies sunt mensurabiles, etc., substantia nihil : « *Verumtamen omnis homo vivens,* » vita naturæ, est « *universa vanitas,* » superbiendo, et vanitatem appetendo. Psal. IV, 3 : *Filii hominum, usquequo gravi corde, ut quid diligitis vanitatem ?* Et alibi, Psal. LXI, 10 : *Verumtamen vani filii hominum.* Quarto modo sic : Substantia nihil, « *Verumtamen omnis homo vivens,* » jucunde in hoc mundo, est « *universa vanitas,* » velit nolit. Ad Rom. VIII, 20 : *Vanitati subjecta est creatura, non volens.*

Triplex vanitas, mutabilitatis, pœnæ, et malitiæ, et hæc multiplex.

Nota, quod est triplex vanitas. Mutabilitatis et hæc in omni creatura. Eccle. III, 19 : *Cuncta subjacent vanitati.* Pœnalitatis, et hæc in omni sensibili superaddita. Psal. LXXVII, 33 : *Defecerunt in vanitate,* supple, pœnæ, *dies eorum.* Et iniquitatis, supra prædictas addita rationabili creaturæ. Eccli. XVII, 29 : *In vanitate malitiæ placuerunt,* et hæc triplex: Operis, IV Reg. XVII, 15 : *Secuti sunt vanitates, et vane egerunt.* Oris, Psal. CXLIII, 8 : *Quorum os locutum est vanitatem.* Et alibi, Psal. XI, 3 : *Vana locuti sunt unusquisque ad proximum suum.* Mentis, et hæc duplex : In intellectu culpabilis ignorantia, Proverb. XIII, 1 : *Vani sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei.* In affectu appetitus vanæ laudis, Bernardus : « Vanitas est « vitium, quo quis tam de eo quod est, « quam de eo quod non est, suis magis, « quam Dei laudibus delectatur. »

« *Verumtamen in imagine.* » Hic tangitur malum culpæ : et dicuntur duo. Primo tangit naturalem hominis dignitatem. Secundo, contrariam dignitati culpam, ibi, « *Sed et frustra.* »

Et legitur primum tripliciter. Duobus modis secundum nostram litteram, quia per imaginem potest designari vitæ brevitas, vel dignitas. Alio modo secundum litteram Augustini.

Primo modo sic : Ita natura subest vanitati, « *Verumtamen homo pertransit in imagine,* » id est, cito ad modum imaginis speculi. Jacob. I, 23 : *Comparabitur viro consideranti vultum nativitatis suæ in speculo. Consideravit enim se, et abiit.* Job, VII, 6 :*Dies mei velocius transierunt, quam a texente tela succiditur.* Vel sic : Ita homo studet vanitati, « *verumtamen* ipse *homo pertransit* » de statu in statum, « *in imagine,* » supple, Dei : unde mirum quod non revocatur a tanta dignitate. Eccli. XVII, 1 : *Deus de terra creavit hominem, et secundum imaginem suam fecit illum*: et tamen non satiatur vanitate. Proverb. XXVII, 20 : *Oculi hominum insatiabiles,* etc.

« *Sed et frustra.* » Hic tangit culpam vere contrariantem. Una, quia nimis anxie occupatur in necessariis. Secunda, quia nimis stulte in superfluis, ibi, « *Thesaurizat.* »

Dicit ergo : Sic cito transit, vel ita dignus est, « *sed et frustra conturbatur,* » id est, inutiliter. Activa enim inutilis respectu contemplativæ reputatur. Luc. X, 41 : *Martha Martha, sollicita es, et turbaris erga plurima : porro unum est necessarium.* I ad Tim. IV, 8 : *Corporalis exercitatio ad modicum prodest,* vel utilis est.

Secundum litteram Augustini et Cassiodori, sic : « Quamquam in imagine ambulet homo, » ipsam conservando in parte rationis superiori a peccato, inferior tamen, id est, sensualitas, turbatur, vane sollicita circa victum et vestitum, contra illud Matth. VI, 25 : *Nolite solliciti esse corpori vestro,* etc. Jerem. XVII, 16 : *Ego non sum turbatus, te pastorem sequens.* Psal. XLV, 3 : *Non timebimus dum turbabitur terra.*

« *Thesaurizat, et ignorat.* » Hic secundum, in quo ostendit, quod minus

stulte occupatur in superfluis acquirendis.

Continua : Sic turbatur multipliciter, et etiam « *thezaurizat,* » non in cœlo, sed in terra, contra illud Matth. vi, 19 : *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra.* « *Et ignorat cui congregabit ea:* » quia nescit quis habebit illa. Illi enim veraciter congregat, qui illis utetur. Sed numquid non habebit ea filius, aut nepos, aut cognatus ? Non frequenter. Hieronymus: « Sæpe plerique congregant multa, « quæ aut desidia filiorum evertit, aut « fiscus occupat, aut diripiunt aliqui. » Et Cassiodorus : « Qui se putat charis « filiis relinquere, ignorat si contingat « inimicissimos possidere, secundum « illud Psal. xlviii, 11: *Relinquent alie-* « *nis divitias suas.* » Eccle. ii, 18 et 19 : *Detestatus sum omnem industriam meam, qua sub sole studiosissime laboravi, habiturus hæredem post me, quem ignoro, utrum sapiens an stultus futurus sit.*

8 « *Et nunc quæ est exspectatio mea?* » Hic secundum, in quo postquam pes affectus avulsus est a terrenis, nititur ipsum figere in æternis, et tanguntur duo in quibus figit illum. Desiderabilis Christi divinitas primo. Secundo, delectabilis ejus humanitas, ibi, « *Et substantia mea.* »

Dicit ergo : Talis est mundi vanitas, ut dixi, et propter hoc ab illa resiliens et saliens ad æterna dico : « *Et nunc.* » Ex quo ita est, « *Quæ est exspectatio mea,* finis me beatificans, id est, in quo spero. Et dicit, « *Exspectatio :* » ergo adhuc non habetur. Augustinus : « Nemo se di- « cat perfectum : qui hoc dicit, se deci- « pit.» Ad Philip. iii, 12: *Non quod jam acceperim, aut jam perfectus sim*: *sequor autem, si quo modo comprehendam, in quo et comprehensus sum a Jesu Christo.* Quæ est ergo exspectatio mea ? « *Nonne Dominus ?* Ejus et primum, et secundum exspecto adventum, et per primum secundum. Sed Habacuc. ii, 3, respondetur adhuc visus procul : *Si moram fecerit, exspecta eum.*

« *Et substantia mea apud te est.* » Legitur quadrupliciter.

Primo modo sic : « *Et substantia mea,* » corpus scilicet meum, « *apud te est* » jam incorruptibile et impassibile in tua ordinatione, quia I ad Corinth. xv, 53 : *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem,* etc.

Vel sic : « *Substantia mea,* » portiuncula corporis mei, « *apud te est,* » assumpta a te in unitatem : et competit hoc ipsi David proprie a quo Christus descendit. Et loquitur in præsenti de re futura, certitudine prophetali. Matth. xxii, 42 : *Quid vobis videtur de Christo ? Cujus filius est ? Dicunt ei, David.*

Tertio modo sic : « *Substantia mea,* » virtus scilicet mea, quæ est bona substantia valde, et valde divitem facit. Eccli. xliv, 6 : *Homines divites in virtute.* Unde fides *substantia* apellatur : ad Hebr. xi, 1 : *Fides est sperandarum substantia rerum,* etc. « *Apud te est,* » in tua cognitione. Apoc. i, 2 : *Scio opera tua,* id est, fidem et charitatem.

Quarto modo sic : *Substantia mea,* » animus meus quem reputo substantiam meam quidquid sit de carne, « *apud te est,* » meditatione. Sap. v, 16 : *Apud Dominum est merces eorum,* et cogitatio eorum apud Altissimum. Matth. vi, 21 : *Ubi est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum.*

« *Ab omnibus iniquitatibus.* » Hic agitur de relapsu hujus salientis, ubi redit ad humanam miseriam, et petit primo quædam sibi fieri in vita, quædam in morte, ibi « *Exaudi orationem meam.* » 9

In prima primo quærit, quod liberetur a culpa. Secundo, ut liberetur a pœna, ibi, « *Amove a me.* »

In prima duo. Primo, oratio : deinde persuasio orantis, ibi, « *Opprobrium insipienti.* »

Ait ergo : Ita transilivi usque ad æter-

na, sed quantumcumque, tamen peccator sum : unde « *ab omnibus iniquitatibus meis* » mihi imputandis, « *erue me.* » Si enim nesciam, tamen habere possum multas etiam criminales. I ad Corinth. IV, 4 : *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum.* Vel, « *Ab omnibus iniquitatibus* » venialibus, a quibus immunis non sum, etsi justus sum. Proverb. XXIV, 16 : *Septies in die cadet justus, et resurget.* Sic Paulus qui usque ad tertium cœlum saltaverat, II ad Corinth. XII, 2 et seq., rediens dicebat, I ad Tim. I, 15 : *Jesus Christus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum.* Augustinus : « Aliter non potes esse perfectus, nisi scias « hic te non posse esse perfectum. »

« *Opprobrium insipienti.* » Persuasio a duobus. Primo, quia mala patienter toleravit. Secundo, quia hanc patientiam non sibi, sed Deo attribuit, ibi, « *Quoniam tu fecisti.* »

« In prima duo. Primo, quia sustinuit opprobrium. Secundo, quomodo, ibi, « *Obmutui.* »

Dicit ergo : Sic rogo, et debes exaudire, quia dum me sic accuso, « *Opprobrium insipienti dedisti me.* » Cassiodorus : « Stultorum consuetudo talis est, « ut illos magis irrideant, quos bonis mo« ribus studere cognoscunt. » Sola enim scelerati laudant, quæ videntur habere communia. Eccli. I, 32 : *Exsecratio peccatori, cultura Dei.* Job, XII, 4 : *Deridetur justi simplicitas.* Prov. XIV, 2 : *Ambulans recto itinere, et timens Deum, despicitur ab eo, qui infami graditur via.* Et est bona ratio, quia Domini est exaudire, et eruere tribulatos. Eccli. II, 13 : *Pius et misericors est Deus, et remittet in tempore tribulationis peccata.* Hieronymus interpretatur aliter : « Debes me « liberare, quia *opprobrium insipienti*, « id est, diabolo, *dedisti me.* » Sed quomodo vocat diabolus insipientem, qui dicitur *dæmon*, id est, sciens, qui ita antiquus est, et Job, XII, 12, dicitur : *In antiquis est sapientia ?* Resp. Propter superbiam, Proverb. XXI, 24 : *Superbus et arrogans vocabitur indoctus.* Et propter malitiam, Proverb. XXIV, 8 : *Qui cogitat mala facere, stultus vocabitur.*

« *Obmutui, et non aperui.* » Hic secundum. Dicto quod sustinuit opprobrium, hic dicit quomodo, quia hoc patienter, quia silenter omnino. **10**

Ait enim : Ita dedisti me opprobrium insipienti, et ego quid ? « *Obmutui,* » ut non responderem, secundum illud Proverb. XXVI, 4 : *Ne respondeas stulto juxta stultitiam suam, ne efficiaris ei similis.* Et hoc secundum consilium Aristotelis : hoc enim fuit de ænigmatibus ejus : « Ignem gladio ne confodias, ira« cundum verbo ne lacessas. » « *Et non aperui os meum,* » ut murmurarem contra te Deum meum, quia Sap. I, 10 et 11 : *Auris zeli audit omnia... Custodite ergo vos a murmuratione, quæ nihil prodest.*

« *Quoniam tu fecisti.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic patiens fui, et unde tanta patientia mihi ? Non a me, sed « *quoniam tu fecisti.* » Psal. LXX, 5 : *Tu es patientia mea, Domine.* Quippe Jacob. I, 17 : *Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est.*

« *Amove a me.* » Hic secundum, in quo orat pro mitigatione pœnæ : et dicuntur duo. Primo, oratio. Secundo, more suo persuasio ut orationi suæ acquiescatur, ibi, « *Et fortitudine.* » **11**

Dicit ergo : « *Erue me,* » ab iniquitatibus meis, « *et amove a me plagas tuas,* » pœnalitates mitiga, a te inflictas. Plagas enim habemus, Isa. XVI, 7 : *His, qui lætantur super muros cocti lateris, loquimini plagas suas.* Et potes amovere, quoniam tuæ sunt, a te inflictæ. Jerem. XXX, 14 : *Plaga inimici percussi te castigatione crudeli :* et tuum est amovere. Deuter. XXXII, 39 : *Ego percutiam, et ego sanabo.*

12 « *A fortitudine manus tuæ.* » Hic persuasio : persuadet enim a tribus. A pœnæ importabilitate, et ab humili confessione culpæ, ibi, « *Propter iniquitatem.* » Ab humana fragilitate, et in mente, ibi, « *Et tabescere.* » Et in corpore, ibi, « *Verumtamen vane.* »

Dicit ergo : Plagas amove : et necesse est, quia « *a fortitudine manus tuæ,* » id est, a forti potentia tua, de qua manu, I Reg. v, 12 : *Gravissima,* id est, fortis *valde manus Dei.* Ita fortis et gravis, quod quamvis leviter tangat, sustineri non possit. Job, xxx, 21 : *Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me.* « *Ego defeci in increpationibus,* » factis humano generi. Psal. LXXXIX, 7 : *Defecimus in ira tua.* « *Propter iniquitatem.* » Quasi diceret : Amove plagas tuas, quia confitebor, quia « *propter iniquitatem corripuisti hominem :* » ne deflueret in infinitum. Cassiodorus : « Iniquitas « quippe mortalium, more putredinis si« ne fine vagaretur, si causam medicina« lis increpatio minime desecaret. » Propter hoc dicitur, Proverb. VI, 23 : *Via vitæ, increpatio disciplinæ.* Et XV, 10 : *Qui odit increpationes, morietur.*

Vel sic : *A fortitudine manus tuæ ego defeci in increpationibus,* » id est, cum me argueres instruendo, contra illud Proverb. III, 11 : *Ne deficias cum ab eo corriperis.* Sed mea infirmitas non est sine causa : imo « *propter iniquitatem* » primi parentis ; et hoc increpatione factum addit : « *Corripuisti hominem,* » sic increpando non damnasti. Psal. XCVIII, 8 : *Deus, tu propitius fuisti eis, et ulciscens in omnes adinventiones eorum.* Et nota, quod patienter est sustinenda divina increpatio. Primo, propter Christi exemplum, Isa. L, 6 : *Faciem meam non averti ab increpantibus, et conspuentibus in me.* Item, propter vitandum malum, et primo culpæ, Proverb. v, 12 : *Increpationibus non acquievit cor meum.* Et subdit : *Pene fui in omni malo.* Et pœnæ mortis, scilicet imprævisæ, Proverb. XXIX, 1 : *Viro qui corripientem se dura cervice contemnit, repentinus superveniet illi interitus.* Ignorantiæ, Prov. XII, 1 : *Qui odit increpationes, insipiens est.* Propter evitandam mortem gehennæ, Prov. XV, 10 : *Qui odit increpationes, morietur* Propter obtinendum multiplex bonum : scientiæ primo, Prov. XV, 5 : *Qui increpationes custodit, astutior fiet.* Et XXIX, 15 : *Correptio tribuit sapientiam.* Vitæ, Proverb. XVI, 23 : *Via vitæ, increpatio disciplinæ.* Isa. XXXVIII, 16 : *Corripies me, et vivificabis me.*

repatio ia a quo imo fe- nda.

« *Et tabescere fecisti.* » Hic persuadet ab humana fragilitate : et hoc ex parte mentis, et legitur pluribus modis, quia *aranea* potest accipi in bono vel in malo. In malo dupliciter : quia aranea potest significare inanem laborem, vel interficientem ejus auctorem,

Primo, modo dico, quod corripuisti hominem, et in tantum, « *quoniam tabescere fecisti,* » id est, permisisti, « *animam ejus sicut araneam,* » id est, inaniter, tamquam texendo telam inutilem, et aggregationem peccati. Unde Job, VIII, 14 : *Sicut tela aranearum fiducia ejus.* Isa. LIX, 5 : *Telas araneæ texerunt.*

Secundo modo sic : Vere corripuisti, et dure, « *quoniam tabescere fecisti,* » id est, permisisti, « *animam ejus sicut araneam,* » quæ telam egerit in texendo de visceribus suis, unde moritur. Sic anima in opus malas cogitationes exserit, et sic occiditur spiritualiter. Jacob. I, 15 : *Concupiscentia cum conceperit, parit peccatum : peccatum vero cum consummatum fuerit, generat mortem.* Et quamvis sic tabefiat in anima, « *verumtamen,* » nihilominus, « *omnis homo conturbatur vane,* » id est, in vanis temporalibus : et hoc ex parte corporis. Joel, II, 1: *Conturbentur omnes habitatores terræ.* Ezechiel. XXI, 15 : *In omnibus portis eorum* scilicet in omnibus partibus corporis, id est, in omnibus sensibus, *dedi conturbationem.*

Dupliciter legitur in bono, secundum

quod aranea sonat virtutem, vel infirmitatem, id est, humilitatem.

Comparatio pœnitentis cum aranea. Primo sic : Corripuisti hominem. Et vere, « *quia fecisti,* » tu, non alius, « *animam ejus sicut araneam,* » existentem per corporis attenuationem in pœnitentia, sicut aranea totam se extenuat. II Reg. xiii, 4 : *Quare sic attenuaris macie, fili regis?* « *Tabescere,* » ab omni terrenitate deficere. Thren. iii, 20 : *Hæc recolens memor ero, et tabescet in me anima mea.* Aranea etiam in locis sublimioribus habitat, sic anima pœnitentis, et correcti a Domino. Ad Philip. iii, 20 : *Nostra conversatio in cœlis est.* Item, sibi texit operimentum : sic pœnitens de subtilibus operibus virtutum. Proverb. xxxi, 22 : *Byssus et purpura indumentum ejus.* Ezechiel. xvi, 10 : *Cinxi te bysso, et indui te subtilibus.*

Vel sic : « *Corripuisti hominem, et animam ejus fecisti tabescere,* » infirmari, et nihil de se sentire, omni superbia deposita, « *sicut araneam,* » quia nihil est tabidius, deficit enim levi tactu : quia infirmitate fortior redditur. II ad Cor. xii, 10 : *Cum infirmor, tunc potens sum.* « *Verumtamen,* » quamvis sic tabescat, « *vane conturbatur omnis homo,* » id est, his vanis conturbatus sum necessaria procurando, sicut boni activi. Luc. x, 41 : *Martha Martha, sollicita es, et turbaris erga plurima.* Sive superflua congregando, Proverb. xv, 27 : *Conturbat domum suam qui sectatur avaritiam.* Et dicit, « *Omnis,* » quia pauci sunt valde, qui non sic conturbentur. Jerem. vi, 13 : *A minore usque ad majorem omnes avaritiæ student.*

13 « *Exaudi orationem meam.* » Hic secundum, in quo petit quod sibi vult fieri in morte, et petit tria. Primo, æternorum bonorum collationem. Secundo, quia aliter non posse bene scit, spei consolationem : hoc enim maxime necessarium in morte, vel totum perditum, ibi, « *Ne sileas.* » Ultimo, omnis culpæ remissionem, ibi, « *Remitte mihi.* »

In prima duo. Primo, oratio. Secundo, persuasio, ibi, « *Et deprecationem.* »

Ait enim : Sic petivi hæc fieri mihi ante mortem : et etiam exaudi, « *Domine, orationem meam,* » dando mihi æterna bona in morte mea. Nihil enim determinando ostendit quod nihil petit, nisi bonum infinitum, et indeterminatum.

« *Et deprecationem.* » Hic persuasio a duobus, a frequentatione orationis, et a devotione, ibi, « *Auribus percipe.* »

Ait enim : Sic orationem meam exaudi, « *et deprecationem meam,* » quod saltem moveat te. Cassiodorus : « Deprecatio est frequens et assidua supplicatio, « quæ ab imo peccatoris profertur arcano. » Et ne putes me tantum orare verbis, addo, « *auribus percipe lacrymas meas,* » id est, vide lacrymas meas, sicut dictum est, Isa. xxxviii, 5 : *Audivi orationem tuam, et vidi lacrymas tuas.* Hieronymus docet nos, quod « videre Dei, « est audire. « Non enim membris corporalibus distinguitur, vel distenditur, sed omnia virtute divinitatis, quæ simplex est et unica, operatur. Ideo Sap. i, 10 : *Auris zeli audit omnia.* Vel hoc dicitur propter hoc quod dicit Poëta,

.... Lacrymæ pondera vocis habent.

Vel forte erant cum singultu, qui est audibilis. Vel in tanta abundantia fluebant, ut distillantes audirentur. Thren. ii, 18 : *Deduc quasi torrentem lacrymas per diem et noctem.*

Et nota, quod orandum est cum lacrymis, primo Christi exemplo. Ad Hebr. v, 7 : *Cum clamore valido, et lacrymis,* etc., *exauditus est pro sua reverentia.* Item, quia in lacrymis dulcis invenitur refectio. Psal. xli, 4 : *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte.* Ibi Cassiodorus : « Juges lacrymæ non inediam, « satietatem potius inferunt. » Psal. lxxix, 6 : *Cibabis nos pane lacrymarum.* Item, ibi est certa fructus exspectatio. Oratio lacr[ymis] comm[en]dan[da].

Oratio enim est sicut semen, lacryma sicut pluvia. Semen perit si non habeat pluviam. Psal. LXXXIII, 6 et 7: *Ascensiones in corde suo disposuit, in valle lacrymarum* Genes. VII, 17 : *Mutiplicatæ sunt aquæ, et elevaverunt arcam in sublime.*

« *Ne sileas, quoniam.* » Hic petit spei consolationem. Et primo, petitio. Secundo, persuasio, ibi, « *Quoniam advena.* »

Dicit ergo : Sic audi lacrymas, « *et ne sileas,* » sed responde gratiam infundendo, ut sentiam consolationem. Psal. XXXIX, 3 : *Dic animæ meæ : Salus tua ego sum.* Vel « *ne sileas,* » sed audiam te interius dicentem illud Luc. V, 20 : *Homo remittuntur tibi peccata tua.* Tertio modo sic. Nunc oro, « *et ne sileas,* » in futuro, sed audiam cum cæteris : *Venite benedicti Patris mei,* etc. [1].

« *Quoniam advena.* » Hic persuadet a duobus. Primo, ab existentia sui in Ecclesia militante. Secundo, a sanctorum Patrum mutatione, ibi, « *Et peregrinus.* »

Ait ergo : « *Ne sileas,* » nec debes, « *quoniam advena sum,* » sed ubi? « *Apud te,* » id est, in Ecclesia triumphante, in qua sum tantum spe. Unde aliter habet, « inquilinus, » Augustinus : « Qui ergo inquilinus, unde migraturus « sum, non perpetuo mansurus. » Qui enim est spe ibi, aliquando aliquo modo intrat, sed exit cito. Seneca : « Hac con« ditione intravi, ut exirem.»

« *Et peregrinus,* » propter mortalem carnem quam gero, talem enim non cognoscis. II ad Corinth. V, 6 : *Scientes quoniam dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino* : « *sicut omnes patres mei,* » qui reputaverunt se ut peregrinos. Ad Hebræos, XIII, 14 : *Non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus.* Vel sic : « *Advena ego sum apud te,* » in tua Ecclesia militante. Veni enim de Babylonia. Ad Ephes. II, 3 : *Eramus filii iræ.* Nota, « *Et peregrinus* : » quoniam non eligo hic mihi patriam, sed transeo per mortem, « *sicut omnes patres mei.* » « *Omnes,* » inquam, non unus, vel duo. Seneca cuidam minanti : « Morieris, » inquit : respondit : « Sed nec « primus, nec ultimus. Omnes me ante« cesserunt, omnes me consequentur. » Eccl. II, 16 : *Moritur doctus similiter ut indoctus.* II Reg. XIV, 14 : *Omnes morimur, et quasi aquæ dilabimur super terram.*

« *Remitte mihi.* » Hic tertium, in quo petit peccatorum remissionem, et dicuntur duo. Primo, petitio. Secundo, ratio quare petit, ibi, « *Priusquam abeam.* » **14**

Dicit ergo : Tamquam advena et peregrinus hinc sum migraturus : unde « *remitte mihi,* » hic peccata mea, quia post hanc vitam non est confessio, nec peccati remissio, et si est confessio, fructuosa non est. Eccli. XVII, 26 : *A mortuo quasi nihil, perit confessio,* « *Remitte,* » inquam, « *ut refrigerer* » ab æstu vitiorum, et concupiscentiarum, de quo Prov. VI, 27 : *Numquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, ita ut vestimenta ejus non ardeant ?* I Joan. V, 19 : *Mundus totus in maligno*, id est, in malo igne *positus est.* Isa. IX, 18 : *Succensa est quasi ignis impietas.* Et hoc «*priusquam abeam.* » Quasi diceret : Ob hoc peto, quia cito recessurus sum : grave enim est abire non purgatum. Eccli. XLI, 1 : *O mors, quam amara est memoria tua homini pacem habenti in substantiis suis.* Quantum ergo præsentia ipsa? Aut ita, « *quia amplius non ero,* » in hac vita. Job, X, 21 : *Antequam vadam, et non revertar ad terram tenebrosam, et opertam mortis caligine.* Et XX, 9 : *Oculus, qui*

[1] Matth. XXV, 34.

eum viderat, non videbit, neque ultra intuebitur eum locus suus. II Reg. XII, 23: *Numquid poterat revocare eum amplius?*

Vel potest legi ut sit alia ratio, quare sit exaudiendus. Primo, quia non redibit huc, quia nihil erit, nisi remittat : de damnatis enim dicitur quod non sunt. Est enim esse duplex : Naturæ, Psal. IX, 21 : *Sciant gentes quoniam homines sunt.* Gratiæ, de quo, I ad Cor. XV, 10 : *Gratia Dei sum id quod sum.* Et gloriæ, Job, XXII, 29 : *Qui humiliatus fuerit, erit in gloria.* Sed damnatus amittit in morte quasi totum esse. Naturale, tunc enim perdit res suum esse naturale, quando calor naturalis mutatur in incentivum, et naturalis substantia in congruum illi incentivo, quia caro mutatur in sulphur, et sanguis venarum in picem ardentem. Isa. XXXIV, 9 : *Convertentur torrentes in picem, et humus ejus in sulphur.* Carebunt etiam esse gratiæ, Eccli. XX, 13 : *Gratiæ fatuorum effundentur.* Et esse gloriæ. Constat Eccli. XXVI, 1: *Indecens est stulto gloria.* Propter hoc de damnato diabolo, Ezech. XXVIII, 19 : *Nihili factus es, et non eris in perpetuum.*

Damnatus videtur non esse : deficit a triplici esse, naturali, gratiæ, et gloriæ.

PSALMUS XXXIX.

Christus ut hostiam se offert : petit a malis liberationem et remissionem peccatorum.

1. *In finem, Psalmus ipsi David.*
2. Exspectans, exspectavi Dominum, et intendit mihi.
3. Et exaudivit preces meas, et eduxit me de lacu miseriæ et de luto fæcis.
   Et statuit super petram pedes meos, et direxit gressus meos.
4. Et immisit in os meum canticum novum, carmen Deo nostro.
   Videbunt multi, et timebunt, et sperabunt in Domino.
5. Beatus vir cujus est nomen Domini spes ejus, et non respexit in vanitates et insanias falsas.
6. Multa fecisti tu, a Domine Deus

meus mirabilia tua : et cogitationibus tuis non est qui similis sit tibi.
Annuntiavi et locutus sum : multiplicati sunt super numerum.
7. Sacrificium et oblationem noluisti[1]: aures autem perfecisti mihi.
Holocaustum et pro peccato non postulasti :
8. Tunc dixi : Ecce venio.
In capite libri scriptum est de me,
9. Ut facerem voluntatem tuam . Deus meus, volui, et legem tuam in medio cordis mei.
10. Annuntiavi justitiam tuam in ecclesia magna, ecce labia mea non prohibebo: Domine, tu scisti
11. Justitiam tuam non abscondi in corde meo : veritatem tuam et salutare tuum dixi:
Non abscondi misericordiam tuam et veritatem tuam a concilio multo.
12. Tu autem, Domine, ne longe facias miserationes tuas a me : misericordia tua et veritas tua semper susceperunt me.
13. Quoniam circumdederunt me mala, quorum non est numerus : comprehenderunt me iniquitates meæ, et non potui ut viderem.
Multiplicatæ sunt super capillos capitis mei, et cor meum dereliquit me.
14. Complaceat, tibi, Domine, ut eruas me : Domine, ad adjuvandum me respice [2].
15. Confundantur et revereantur simul [3], qui quærunt animam meam, ut auferant eam.
Convertantur retrorsum et revereantur, qui volunt mihi mala.
16. Ferant confestim confusionem suam, qui dicunt mihi : Euge euge.
17. Exsultent et lætentur super te omnes quærentes te , et dicant semper : Magnificetur Dominus , qui diligunt salutare tuum.
18. Ego autem mendicus sum et pauper : Dominus sollicitus est mei.
Adjutor meus et protector meus tu es : Deus meus, ne tardaveris.

IN PSALMUM XXXIX

COMMENTARIUS.

In finem Psalmus David[4].

« *Exspectans exspectavi Dominum.* »

Hic est Psalmus trigesimus nonus. In præcedenti enim postquam actum est de transilientis fervore, et desiderio ad æterna, hic subjungitur consequenter de fructu sic transilientis : quoniam quod exspectavit, adeptus est, unde subjungitur hic de adventu Christi, et de mutatione Veteris Testamenti in Novum, quod ille desiderabat.

Præponitur autem huic Psalmo talis titulus: « *In finem Psalmus David.* » Et est sensus : Hic Psalmus, dirigens « *in finem,* » id est, in Novum Testamentum : finis enim, sicut etiam vult Glossa, dici-

[1] Ad Hebr, x, 5.
[2] Infra, LXIX, 2.
[3] Supra. XXXIV, 4.

[4] Presque tous les commentateurs, dit M. l'abbé Lesètre, conviennent que ce psaume date de la persécution de Saül. On y retrouve les caractère

tur triplex : est enim finis terminans, sicut dicimus quando sumus in termino vitæ, «finita est vita.» Item, est finis consumptionis, sicut consumpto pane, dicimus quod finitus est. Et est finis consummationis, sicut perfecta domo, dicimus quod finita est. Primo modo dicitur Novum Testamentum finis: est enim terminans totam canonicam Scripturam. Apocalyps. XXII, 18 : *Si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto.* Item, potest dici finis consumptionis: veniente enim Novo, Vetus consumptum est, ad minus quantum ad ceremonialia. Matth. XI, 13 ; *Omnes prophetæ et lex usque ad Joannem:* ubi incipit Novum Testamentum. Item, potest dici finis consummans: quia consummat hominem in bono, quod non fecerat Vetus. Ad Hebr. VII, 19: *Nihil ad perfectum adduxit lex.* Sed VIII, 8 : *Consummabo super domum Israel, et super domum Juda testamentum novum.* Hic ergo Psalmus dirigens nos in finem, scilicet in Novum Testamentum, « *est David,* » litteralis ut auctoris : spiritualis ut recitantis et loquentis in persona suorum membrorum, et sua.

Novum Testamentum finis Scripturæ triplicite, terminans, consumens et consummans Vetus.

Sic autem dividitur Psalmus iste. Cum enim agatur de Christo toto, capite scilicet et membris, agitur primo de corpore. Secundo, de capite, ibi, « *Annuntiavi, et locutus sum.* »

In prima duo. Corpus loquens de Deo beneficia ejus enumerat. Secundo, conversus ad Deum, ipsum tamquam benefactorem suum, laudat, ibi, « *Multa fecisti tu.* »

In prima tria, secundum tria beneficia quæ dicit impensa. Primum, quia oranti intendit. Secundo, orantem diligenter audivit, ibi, « *Et exaudivit.* » Tertio, quod effectum ejus quod audierat, adimplevit, ibi, « *Et eduxit me.* »

In prima duo. Primo præmittit meri-

principaux des compositions de David à cette époque, la mention de la loi, ℣. 8, la promesse de louer Dieu dans l'assemblée, ℣. 10, la plainte sur les maux nombreux qui l'environnent, ℣. 13, les cris moqueurs des méchants, ℣. 16, etc. Cf. XXI, 26 ; XXXIV, 18, 21, 25 ; LXVIII, 5, etc. Tholuck et Patrizi croient même pouvoir le rapporter à la situation racontée I Reg. XXIV, quand David eut échappé aux mains de Saül à Engaddi.

Le psalmiste remercie Dieu de sa délivrance, et il promet d'offrir en reconnaissance, non les sacrifices de la loi, mais l'offrande d'un cœur obéissant et fidèle ; puis il renouvelle ses supplications habituelles, car ses fautes lui attirent des maux sans nombre. Mais il n'apparaît ici que comme type et interprète du Messie ; c'est au Verbe incarné qu'il appartient réellement d'abolir les sacrifices mosaïques, et de les remplacer par la seule oblation qui soit agréable au Père éternel, celle de sa propre humanité. C'est avec la pensée d'accomplir cette substitution que le Sauveur entre dans le monde ; aussi en y venant, enseigne S. Paul, ad Hebr. x, 5, profère-t-il les ℣℣. 7-9 de notre psaume, qui résument toute sa mission. Il vient donc dans le monde pour s'immoler en sacrifice, pour faire la volonté de son Père, et laisser après lui une « grande Eglise » qui rendra à ce Père céleste un culte digne de lui. Si on étend à tout le psaume l'application que S. Paul fait à quelques versets, il faut voir dans le début une action de grâce pour le bienfait de l'Incarnation, et dans la seconde partie, une prière instante pour que la Rédemption s'accomplisse malgré tous les ennemis du salut.

Le sentiment des auteurs qui veulent entendre littéralement tout le psaume du Messie est inutile et difficile à justifier ; mieux vaut faire porter sur David le sens littéral et historique du cantique, pour réserver au Messie comme font ici la plupart des catholiques, le sens spirituel. Du reste, il y a des passages, ℣℣. 2, 13, 18, qui ne peuvent concerner que David au sens littéral, et d'autres, ℣℣. 7-10, qui n'ont leur pleine signification que dans le sens messianique.

Le passage des accents de la reconnaissance à ceux de la supplication s'explique par la situation de David, délivré d'un grand péril, mais menacé de beaucoup d'autres. On a voulu tirer de là une objection contre l'unité du psaume, d'autant plus que les ℣℣. 14-18 sont reproduits plus loin pour former le psaume LXIX. L'accord de toutes les versions et de tous les manuscrits, qui donnent le texte tel que nous le lisons aujourd'hui, ne permet pas de doute à son sujet ; il est même généralement admis que le Ps. XXXIX est l'original, et que les deux strophes rééditées au Ps. LXIX l'ont été bien postérieurement à David.

tum quo intendit sibi Deus. Secundo, præmium, ibi, « *Et intendit.* »

2 Prima pars Psalmi.

Dicit ergo in persona antiquorum Patrum, Christum et Novum Testamentum exspectantium : « *Exspectans, exspectavi Dominum.* » Geminatio importat patientiam et mansuetudinem. Quasi diceret : « *Exspectans* » patienter, « *exspectavi* » benigniter. Isa. XXVIII, 10 : *Exspecta reexspecta.* Sed quid sic exspectasti? Numquid veterem legem. Absit : quia ad Roman. V, 20 : *Lex subintravit, ut abundaret delictum.* Quid ergo, hominem, qui potest fallere et falli? Psal. CXV, 11 : *Omnis homo mendax.* Non : sed quid? « *Dominum.* » Jerem. XIV, 22 : *Nonne tu es Dominus Deus noster, quem exspectavimus?* Et propter hoc, « *intendit mihi,* » non avertit se. Jerem. III, 12 : *Non avertam faciem meam a vobis.* Malach. III, 16 : *Locuti sunt timentes Dominum.* Et post pauca : *Et attendit Dominus, et audivit.* Augustinus : « Non frustra sustinuisti, quia ecce « oculi Domini super justos. » Hic ergo nota, quod tria hominum genera sunt. Quidam de Deo non curant. Tales non exspectant, sed ille magis ipsos exspectat. Apocalyps. III, 20 : *Sto ad ostium, et pulso.* Isa. XXX, 18 : *Exspectat nos Dominus Deus noster ut misereatur nostri.* Alii dicuntur qui curant bene, non tamen fervent multum, et ideo exspectant, de quibus Habac. II, 3 : *Si moram fecerit, exspecta eum.* Thren. III, 24 : *Pars mea Dominus, dixit anima mea, propterea exspectabo eum.* Sunt tertii qui non mediocriter curant de Deo, sed ardenter desiderant. Hi exspectare non possunt, sed occurrunt Deo, et quærunt lucernis accensis. Luc. XII, 36 : *Et vos similes hominibus exspectantibus Dominum suum quando revertatur a nuptiis :* qui occurrunt luminaribus accensis.

Tria hominum genera

3 « *Et exaudivit preces.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Non tantum hoc fecit ut exspectarem, imo « *et exaudivit preces meas,* » in quibus perseverabam non otiose exspectans, secundum illud Psal. XXVI, 14 : *Exspecta Dominum, viriliter age.* Nec tantum exaudivit audiendo diligenter, imo affectui mancipavit. Unde dicuntur duo. Primo, quod petitum fecit. Secundo, quod complete perficit, ibi, « *Et statuit.* »

Dicit ergo : *Et eduxit me.* » Et legitur hoc tripliciter : quia locus miseriæ potest significare concupiscentiam in concupiscibili, vel ignorantiam in rationali, aut pœnam infernalem in irascibili. De primo sic : Exaudivit, « *et eduxit me de lacu miseriæ,* » id est, de profundo carnalis concupiscentiæ, de quo Proverb. XXIII, 27 : *Fovea profunda meretrix,* id est, carnalis concupiscentia. « *Et de luto fæcis,* » vel « limi, » secundum aliam litteram, id est, de operibus lutosis, de quibus Exod. I, 13 et 14 : *Oderant filios Israel Ægyptii, et affligebant illudentes eis : atque ad amaritudinem perducebant vitam eorum operibus duris luti et lateris.*

Vel sic : « *Et eduxit me de lacu miseriæ,* » id est, de infidelitate et ignorantia. Multiplex lacus miseriæ.
Lacus enim dicitur a latendo, et ignorantia latebra est. Psal. LXXXVII, 7 : *Posuerunt me in lacu inferiori, in tenebrosis,* etc. « *Et de luto fæcis,* » carnalibus scilicet concupiscentiis, sicut lutum inquinantibus, in quibus cadunt homines propter infidelitatem. Sapient. XV, 10 : *Luto vilior vita ejus, quoniam ignorat eum qui se finxit.* Psal. X secund. Hebr. 5 : *Non est Deus in conspectu ejus : inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore.*

Tertio modo sic : « *Et eduxit me de lacu miseriæ,* » scilicet de limbo. Zachar. IX, 11 : *Tu quoque in sanguine testamenti tui, emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua.* Isa. XXIV, 22 : *Congregabuntur in congregatione unius fascis in lacum.* « *Et de luto fæcis,* » id est, de vilitate et dejectione. Terra enim est fæx elementorum, et infernus in infimo terræ. Psal. LXXIV, 9 : *Verumtamen fæx*

ejus non est exinanita, bibent omnes peccatores terræ.

« *Et statuit supra.* » Hic secundum, in quo ostendit, quod effectu beneficium complevit. Eripere enim a malo parum esset, nisi complesset bona. Et quia loquitur hic Ecclesia, ut dictum est, in ipsa autem sunt duo genera hominum, Prædicatores scilicet, et prædicationis auditores. Primo agit de adjutorio prædicatorum : secundo, auditorum, ibi, « *Videbunt multi.* »

In prima duo. Primo enim dicit, quod audivit prædicatores ad præparationem cordis: secundo, oris, ibi,« *Et immisit in os meum.* »

In prima tanguntur duo beneficia, scilicet confirmatio in fide, quæ respicit apprehensivam. Secundo, directio in voluntate, quæ respicit ad appetitivam, ibi, « *Et direxit.* »

Dicit ergo : Sic erexit de lacu miseriæ, et de luto fæcis, et ulterius « *statuit supra petram,* » Christum. I ad Corinth. x, 4 : *Petra autem erat Christus.* Daniel. II, 34 : *Lapis abscissus est de monte, sine manibus.* « *Pedes meos* » interiores, adspectum scilicet et affectum, quamvis adspectum principalius. Et nota ordinem. Primo eduxit de lacu, de mundo scilicet, dando gratiam relinquendi ipsum. Secundo statuit in Christum pedem intellectus, dando gratiam contemplandi. Seneca : « Si vis vacare animo, aut pauper « sis necesse est, aut pauperi similis. » Christus petra et via. Joan. XIV, 6 : *Ego sum via.* Ergo petrina via, non lutosa. sed munda. Sap. VII, 25 : *Nihil inquinatum incurrit in illam.* « *Et direxit gressus meos,* » postquam posuit me in via recta qua incederem. Ad Philip. III, 13 : *Nunc autem quæ retro sunt obliviscens, ad ea vero, quæ sunt priora extendens meipsum.* De utroque, Proverb. III, 6 : *In omnibus viis tuis cogito illum :* Ecce pes supra petram. *Et ipse diriget gressus tuos :* Ecce aliud, Proverb. XVI, 9 : *Domini est dirigere gressus ejus,* scilicet hominis.

4 « *Et immisit in os meum.* » Hic secundum, in quo adjuvat ad præparationem oris, et hoc in duobus. In instructione auditorum primo, secundo in Dei laude, ibi, « *Carmen Deo nostro.* »

Ait ergo : Sic confirmavit, et direxit quæ pertinent ad bonam vitam, et post, « *immisit in os meum,* » apertum. Psal. LXXX, 11 : *Dilata os tuum, et implebo illud.* « *Canticum,* » scilicet Dei verbum. Jerem. I, 9 : *Ecce dedi verba mea in ore tuo.* Et « *novum,* » id est, prædicationem Novi Testamenti, non Veteris, optime. Non enim decuit nova docere, nisi per vitæ innocentiam innovatos. Glossa : « Novus populus nova cantat. » Luc. V, 37 : *Nemo mittit vinum novum in utres veteres.* Vetus ergo canticum erat reddere oculum pro oculo, et animam pro anima [1]. Matth. V, 38 et 39 : *Audistis, quia dictum est : Oculum pro oculo,* etc.: sed novum canticum est : *Ego autem dico vobis, si quis te percutit in una maxilla, præbe ei et alteram.* Vetus canticum fuit de submersione Ægyptiorum, et filiorum Israel liberatione [2]. Sed novum canticum est de Christi nativitate, passione, et resurrectione. Sic quantum ad populum instruendum. Et etiam, « *immisit,* » quantum ad Deum laudandum, « *carmen,* » non theatrale, non meretricium, non placens dæmonibus, sed « *Deo,* » non alieno, sed « *nostro,* » qui verus est et æternaliter Deus. Psal. LXVI, 7 : *Benedicat nos Deus, Deus noster,* etc.

Mutatio veteris cantici in novum.

Nota ergo, quod cantare debemus carmen Deo placens, non mundo et meretricibus. Primo, quia sumus templum Dei :

Quare Deo cantandum, non mundo?

[1] Cf. Exod. XXI, 24.

[2] Cf. Exod. XV, 1 et seq.

injuria enim magna est si in templo Dei canitur, non de Deo. I ad Corinth. iii, 17 : *Templum Dei sanctum est, quod estis vos.* Et in Psal. xxviii, 9 : *Et in templo ejus omnes dicent gloriam,* non ignorantiam. Hieronymus in quadam Epistola : « Anima quæ futura est tem« plum Dei, turpia non intelligat, canti« ca mundi ignoret. » Item, propter amaræ vitæ temperamentum : nullus enim status qui non sit amaritudinibus respersus. Isa. xxviii, 17 : *In pace amaritudo mea amarissima*, etc. Hymnorum ergo dulcedine elevatur. Bernardus : « Continentiæ labor, et rigor disciplinæ, « hymnorum dulcedine relevetur. » Psal. xci, 2 : *Bonum est psallere nomini tuo, Altissime.* Propter auscultantium beatorum consortium. Psal. lxvii, 26 : *Prævenerunt principes,* scilicet cœlestes, *conjuncti psallentibus.* Cant. viii, 13 : *Quæ habitas in hortis, amici auscultant te: fac nos audire vocem tuam.*

« *Videbunt multi.* » Hic secundum, in quo ostendit quid factum sit in auditoribus, quia conversi sunt : unde duo tanguntur. Primo, illorum conversio. Secundo, conversorum commendatio, ibi, « *Beatus vir.* »

In prima, primo tangit conversionis causam. Secundo, effectum duplicem, in quibus monstratur conversio, scilicet timorem in irascibili, et spem in concupiscibili, ibi, « *Beatus vir cujus est nomen.* »

Dicit enim : Sic prædicabo per Doctores, « *et multi videbunt,* » venisse Christum, de quibus Luc. x, 23 : *Beati oculi, qui vident quæ vos videtis.* Nec mirum si beati, quia multorum antiquorum Patrum vehemens desiderium in illis impletum est. Joan. iv, 38 : *Alii laboraverunt, et vos in labores eorum introistis.* Laboraverunt quidem exspectando, desiderando, suspirando. Vel sic : « *Videbunt multi,* » miracula quæ fient a Christo, « *et timebunt.* » Unde Luc. v, 26 : *Et stupor apprehendit omnes, et magnificabant Deum. Et repleti sunt timore, dicentes : Quia vidimus mirabilia hodie.* Vel sic : « *Multi* » sequentium, « *videbunt* » antecedentes Sanctos consideratione, et meditatione. Istæ sunt duæ turbæ de quibus Matth. xxi, 9 : *Turbæ quæ præcedebant, et quæ sequebantur, clamabant, dicentes : Hosanna filio David.* « *Et timebunt,* » vias peccatorum incedere, et facti Christiani, « *sperabunt,* » non in aliquo illorum se habituros remissionem peccatorum, « *sed in Domino.* » Marc. ii, 7 : *Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus ?*

Hic nota, quod existente Dei cognitione in rationabili, creatur statim timor pœnæ in irascibili. Cognoscitur enim esse justus. Job, xxiii, 15 : *A facie ejus turbatus sum, et considerans eum,* supple, justum, *timore sollicitor.* Habac. iii, 2 : *Audivi auditionem tuam, et timui.* Job, xlii, 5 et 6 : *Nunc oculus meus videt te, idcirco me reprehendo, et ago pœnitentiam in favilla et cinere.* Item, causatur spes gloriæ in concupiscibili, quia cognoscitur summe misericors Psal. ix, 11 : *Sperent in te qui noverunt nomen tuum, quoniam,* etc. Et alibi, Psal. cxiii, 9 : *Domus Israel,* videntis scilicet Dominum, *speravit in Domino.* Nec mirum, quia Eccli. ii, 23 : *Secundum magnitudinem ipsius, sic et misericordia illius cum ipso est.* Sed *magnitudinis ejus non est finis*[1]. Ergo nec misericordiæ.

« *Beatus vir cujus est nomen Domini* 5
spes ejus. » Hic conversorum commendatio. Commendat autem eos a duobus. A conversione ad bonum incommutabile,

[1] Psal. cxliv, 3.

et ab aversione a bono commutabili, ibi, « *Et non respexit.* »

Dicit ergo : Sic convertentur, et « *beatus vir cujus est nomen Domini spes ejus,* » et superfluit « *ejus,* » sicut frequenter fit in Hebræo. Ecce conversio ad Deum. Act. IV, 12 : *Non est in alio aliquo solus. Nec enim aliud nomen est sub cœlo,... in quo oporteat nos salvos fieri.* Vel sic ut nihil superfluat : « *Beatus vir cujus est nomen Domini,* » qui habet semper nomen Domini in corde et in ore ad laudandum, ut dicat illud Psal. XXXIII, 2 : *Benedicam Dominum in omni tempore : semper laus ejus in ore meo.* « *Nomen,* » inquam, « *spes ejus,* » in quo scilicet sperat solummodo, et non in alio. Proverb. XVIII, 10 : *Turris fortissima, nomen Domini : ad ipsum currit justus et exaltabitur.* Isa. XLV, 21: *Deus justus, et salvans non est præter me.* « *Et non respexit,* » avertendo oculum affectus, de quo dicitur : Ubi amor, ibi oculus. « *In vanitates,* » terrena scilicet, quæ vana sunt in se. Ad Rom. VIII, 20 : *Vanitati creatura subjecta est.* Eccle. I, 2 : *Vanitas vanitatum, dixit Ecclesiastes: vanitas vanitatum, et omnia vanitas.* Nolens esse de illis de quibus dicitur supra, Psal. IV, 3 : *Ut quid diligitis vanitatem ?* « *Et insanias falsas,* » id est, rixas quæ inde oriuntur, et dicuntur *insaniæ.* Psal. CVI, 27 : *Turbati sunt, et moti sunt sicut ebrius :* ecce insania : sed falsitas, quia sequitur : *Omnis sapientia eorum devorata est.* Amos, III, 9 : *Congregamini super montes Samariæ, et videte insanias multas in medio ejus.* Insaniæ falsæ sunt in saxis formosis Deum quærere, ubi futurorum ordinem mendaciter quærebant. Osee, IX, 8 : *Insania in domo ejus : profunde peccaverunt,* videlicet infidelitate. Jerem. VI, 29 : *Frustra conflavit conflator.* Tertio modo, insaniæ dicuntur falsitates, spectacula, et facta histrionum ad voluptatem pertinentia. Sap. XIV, 28 : ait, *Dum lætantur, insaniunt.* Et nota, quod voluptates carnales dicuntur *vanæ,* quia non satiant concupiscibilem. Prov. XIII, 25 : *Justus comedit et replet animam suam, venter autem impiorum insaturabilis.* Eccle. XI, 10 : *Adolescentia, et voluptas vana sunt.* Item, sunt insaniæ, quia infatuant rationabilem. Eccli. XIX, 2 : *Vinum et mulieres apostatare faciunt sapientes.* Sap. I, 4 : *Sapientia... non habitabit in corde subjecto peccatis.* Isa. XXIV, 6 : *Insanient cultores terræ,* id est, carnis suæ. Propter hoc dicitur illi qui sub prætextu laboris quem habet in legendo de theologia et prædicando, comedit satis, et bibit, et curam carnis agit. Osee, IX, 7 : *Scito te Israel stultum, prophetam insanum.* Item, dicuntur *falsæ,* quia fallunt irascibilem. Ejus erat detestari malum, et ipsæ simulant se utiles, et sic intrare eas permittit. Isa. V, 11, primo dicitur : *Væ qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandum.* Et post subditur, ℣. 20 : *Væ qui dicitis bonum malum, et malum bonum.*

Quæ sint falsæ insaniæ?

6 « *Multa fecisti.* » Hic secunda pars, in qua laudat suum benefactorem, et laudat eum primo ab opere exteriori. Secundo a sapientia interiori, ibi, « *Et cogitationibus tuis.* »

Dicit ergo : Hæc bona mihi fecisti, propter hoc prorumpo et dico. Vel sic : Non respexit in vanitates et insanias : habet autem quid in te spectet, quia dicit : « *Deus meus, fecisti mirabilia.* » Daniel. XIV, 42 : *Ipse est salvator, faciens signa et mirabilia in terra.* Et « *multa,* » Job, V, 9 : *Qui facit magna et inscrutabilia, atque mirabilia absque numero.*

« *Et cogitationibus.* » Hic a sapientia interiori, et tanguntur duo. Primo, sapientia : secundo, sapientiæ singularis excellentia, ibi, « *Et non est qui similis sit tibi.* »

Dicit ergo : Hæc mirabilia multa, « *et cogitationibus tuis,* » non labore aliquo, non alieno consilio. Isa. XL, 13 : *Quis adjuvit spiritum Domini ? aut quis consiliarius ejus fuit ?* « *Non est qui similis sit,* » sapientia in omni genere artium.

Nullus Deo similis in sapientia et potentia.

Docet histrio super funem in aere ambulare, et tu super mare siccis plantis. Matth. xiv, 25 : *Venit ad eos ambulans super mare.* Jerem. x, 6 : *Non est similis tui, Domine : et magnum nomen tuum.* Job, xxxvi, 22 : *Ecce, Deus excelsus in fortitudine sua, et nullus ei similis in legislatoribus,* nec Moyses, nec Mahumetus. Psal. lxxxv, 8 : *Non est similis tui in diis Domine, et non est,* etc. Neque in potentia ullus est similis, vel in bonitate. Exod. xv, 11 : *Quis similis tui in fortibus Domine,* quantum ad potentiam, *quis similis tui ? Magnificus in sanctitate,* quantum ad bonitatem.

De adventu et prædicatione Christi.

« *Annuntiavi, et locutus sum.* » Hic agit de capite, id est, Christo, et primo, agit de adventu ejus in carnem. Secundo, de prædicatione ejus in carne, ibi, « *In capite libri.* » Tertio, de exitu ejus de carne, ibi, « *Tu autem Domine ne longe.* »

In prima duo. Primo, adventus sui necessitatem præmittit. Secundo, de ipso adventu subjungit, « *Tunc dixi.* »

Et præmittitur duplex necessitas adventus sui. Prima, malorum numerositas non obstante prædicatione facta per Prophetas. Secundo, legalium sacramentorum inutilitas, ibi, « *Sacrificium et oblationem.* »

Continua ergo : Nunc mirabilia fecisti, quia *annuntiavi, et locutus sum.* Per replicationem hanc significatur frequentia annuntiandi, et hoc per Prophetas. Ad Hebr. i, 1 : *Multifarie multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis.* Vel sic : « *Annuntiavi* » per Prophetas prius, « *et locutus sum,* » prius in persona propria Hebræis. Ideo postquam dixit, *Olim Patribus in Prophetis,* addidit, *Novissime diebus istis locutus est nobis in Filio.* Isa. lii, 6 : *Ego ipse qui loquebar, ecce adsum.* Tamen « *multiplicati sunt* » mali « *super numerum* » bonorum. Unde apparet quod magis erat necessitas ut venirem. Matth. xx, 16 : *Multi sunt vocati, pauci vero electi.* Vel absolute : « *Multiplicati sunt super numerum,* » super id quod possit aliquis numerare. Eccle. i, 15 : *Stultorum infinitus est numerus.* Alio modo legitur etiam de bonis sic : « *Annuntiavi,* » per Prophetas, « *et locutus sum,* » per me. « *Multiplicati sunt* » homines « *super numerum* » prius credentium. Act. xvi, 5 : *Ecclesiæ confirmabantur fide, et abundabant numero quotidie.* Ad Galat. iv, 27 : *Lætare sterilis, quæ non paris*[1]. Et paulo post : *Quia multi filii desertæ, magis quam ejus, quæ habebat virum,* scilicet synagogæ. De hac multiplicatione, Genes. xv, 5 : *Suspice cœlum, et numera stellas, si potes : sic erit semen tuum.*

7 « *Sacrificium et oblationem.* » Hic agit de legalium inutilitate, et ostenditur inutilitas legalium sacrificiorum primo. Secundo, etiam holocaustorum, ibi, « *Holocaustum et pro peccato.* »

In prima duo. Primo, Patri loquens dicit quod sacrificium Judæorum noluit. Secundo, quomodo scit, cum Judæi hoc nesciant, ibi, « *Aures autem.* »

Ait ergo : Sic multiplicati sunt superbi : « *Sacrificium,* » quod fiebat de animalibus, « *et oblationem,* » quæ fiebat de aliis rebus, « *noluisti.* » Unde Isa. i, 12 : *Cum veniretis ante conspectum, quis quæsivit hæc de manibus vestris ?* Et rursum, ℣. 11 : *Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum, dicit Dominus ? Plenus sum : holocausta arietum, et adipem pinguium, et sanguinem vitulorum, et agnorum, et hircorum, nolui.* Deinde, ℣. 13 : *Incensum abominatio est mihi.*

« *Aures autem.* » Ecce secundum, et

[1] Cf. Isa. liv, 1.

legitur tripliciter. Primo, secundum litteram Augustini : « Corpus autem perfecisti mihi, » id est, corpus perfectum dedisti mihi, id est, sine peccato, et sine fomite, hoc solus habui. Joan. xiv, 30 : *Venit princeps mundi hujus, et in me non habet quidquam.* Et ad Rom. viii, 3 : *Deus misit Filium suum in multitudinem carnis peccati.* Secundum aliam litteram sic : « *Hæc noluisti, aures autem perfecisti mihi,* » ut intelligerem hoc. Cognosco enim te, et scio voluntatem tuam, non carnales Judæi. Joan. xvii, 25 : *Pater juste, mundus te non cognovit : ego autem te cognovi.* Joan. xvi, 30 : *Nunc scimus quia scis omnia.* Tertio modo, secundum litteram Apostoli ad Hebr. x, 5 : *Corpus autem aptasti mihi,* id est, dedisti mihi corpus aptum ad offerendum, quia fuit mortale, sine macula tamen peccati. Exod. xii, 5, Agnus offerendus debebat esse sine macula [1]. De mortali constat ad Hebr. ix, 14 *Sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum seipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram.*

Auris obedientiam significat.

Hic etiam nota contra inobedientes, quod Deus non curat sacrificium afflictionum, nec oblationes orationum : sed vult aures perfectas, scilicet obedientiam promptam : in aure enim significatur obedientia. Primo, quia auris habet introitum valde patulum ad cito audiendum. Sic vere obediens debet esse promptus ad audiendum, Jacob. i, 19 : *Sit omnis homo velox ad audiendum.* Item, auris habet meatum arctum, et anfractuosum, unde receptus sonus non potest exire. Sic obediens debet audita retinere, Luc. xi, 28 : *Beati qui audiunt verbum Dei,* etc. Item, intus habet aerem quietum paratissimum moveri ad omnem sonum sibi advenientem, et ei conformari. Sic vere obediens, non tantum audire et retinere debet, sed statim adimplere, Ad Rom. ii, 13 : *Non auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores.*

« *Holocaustum et pro peccato.* » Hic secundum, in quo ostenditur inutilitas etiam holocaustorum, et legitur dupliciter. Quia hoc quod dicitur, « *pro peccato,* » potest esse una dictio, vel duæ.

Primo sic : Et est quasi præcedentis versus expositio. Sic sacrificium noluisti, quia « *holocaustum,* » id est, sacrificium quasi totum incensum : Et « *pro peccato,* » id est, oblationes alias quæ nominantur hac appellatione, sicut similam, turtures, capreas, et hujusmodi quæ offerebantur tota die pro peccatis purgandis. Levit. v, 11 : *Si non quiverit manus ejus duos offerre turtures,... offeret pro peccato suo similæ partem ephi decimam.* Vel « *pro peccato,* » appellatur hircus emissarius, qui mittebatur in desertum cum peccatis populi [2].

Secundo modo sic : « *Holocaustum,* etc. » id est, etiam pro peccato factum, quod erat holocaustum vitulæ rufæ, quæ tota incendebatur cum fimo et intestinis [3] : et hoc ad purganda peccata, et reputabatur inter omnia sacrificia et holocausta præcipuum, « *noluisti.* » Ad Hebr. ix, 13 : *Cinis vitulæ aspersus, inquinatos sanctificat ad emundationem carnis.* Sed Deus non curabit, Jerem. vi, 20 : *Ut quid mihi thus de Saba affertis?... Holocautomata vestra non sunt accepta.*

« *Tunc dixi.* » Ex quo ista omnia sunt inutilia, et tibi non placentia : « *Ecce venio,* » ad placendum tibi. Ad Hebr. x, 9 : *Aufert primum, ut sequens statuat.* Sed si nolebat Deus illa, cur fieri præcepit? Resp. Propter tria. Primo, ne pejus occuparentur si essent otiosi : quia dicit Augustinus, « Nihil laboriosius quam non laborare. » Job, v, 7 : *Ho-* 8

Cur Deus Judæis hæc sacrificia non bona præcipiebat?

[1] Exod. xii, 5 : *Erit autem agnus sine macula.*
[2] Cf. Levit. xvi, 22.
[3] Cf. Num. xix, 5.

mo nascitur ad laborem. Item, ne dæmonibus ab eis hæc offerrentur, sicut viderant fieri in Ægypto. Levit. xvii, 6 et 7: *Adolebit adipem in odorem suavitatis Domino : et nequaquam ultra immolabunt hostias dæmonibus.* Item, ut futura significarentur. 1 ad Cor. x, 11 : *Hæc omnia contingebant illis.* Ad Hebr. x, 1 : *Umbram habens lex futurorum bonorum.* Quasi ergo coactus : quia reprimendi et revocandi a diabolo, et manu ducendi in spiritualem sensum.

Prædicatio Christi.

« *In capite libri.* » Hic secundum, in quo postquam actum est de Christi adventu in carnem, subjungitur de prædicatione ejus in assumpta carne. Et primo ostenditur prædicatoris debita dispositio. Secundo, sic dispositi prædicatio, ibi, « *Annuntiavi.* »

Dispositio ad prædicandum, obedientia et legis notitia.

Dispositio duplex tangitur. Una in effectu, scilicet se conformare divinæ voluntati. Secunda in adspectu, scilicet legem divinam plene cognoscere, ibi, « *Et legem tuam.* »

Dupliciter autem legitur pars prima : quia *liber* potest dici ad litteram, vel mystice.

Primo modo sic continua : « *Venio,* » et hoc Domine Pater, « *ut faciam voluntatem tuam,* » non meam. Joan. vi, 38 : *Descendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me.* Et hoc « *in capite libri scriptum est de me,* » id est, in principio primi Psalmi, ubi scriptum est : *In lege Domini voluntas ejus* [1].

corde habui, et in intimo cordis. Hoc etiam scriptum est in capite libri, ubi dicitur, Psal. i, 2 : *Et in lege ejus meditabitur die ac nocte.*

Triplex liber, Scripturæ, Christus, cœlum.

Alio modo sic : Liber ille Christus, in quo sanctos mores evidentissime legere possumus. Apoc. xx, 12 : *Alius liber apertus est qui est vitæ.* Et v, 1 : *Vidi in dextera sedentis super thronum librum scriptum intus* per virtutes, *et foris* per operationes. Sic Christus dicitur liber, cujus caput Deus Pater. I ad Cor. xi, 3 : *Caput Christi Deus.*

Dicit ergo : In capite libri, id est, apud Deum Patrem, qui est caput mihi, « *scriptum est de me,* » id est, præfinitum et determinatum, « *ut facerem voluntatem tuam,* » o Deus Pater, obediendo tibi usque ad mortem. Et hoc, « *Deus meus volui,* » ut supra, nec hoc tantum, imo « *et legem tuam* » volui, « *in medio cordis mei :* » *quia non veni ipsam solvere, sed adimplere* [2]. Et nota, quod tertius est liber, cœlum scilicet. Isa. xxxiv, 4 : *Complicabuntur, sicut liber, cœli.* Hujus libri pellis et pergamen cœli substantia, Psal. ciii, 2 : *Extendens cœlum sicut pellem.* Pellis scripta est manu divina, Psal. viii, 4 : *Videbo cœlos tuos opera digitorum tuorum.* Potest ergo esse, sicut dicit Ambrosius, quod « sicut in sepulcris magnorum scribun- « tur epitaphia, sic in cœlis sanctorum « nomina. » Luc. x, 20 : *Gaudete et exsultate, quia nomina vestra scripta sunt in cœlis.* Sed si sanctorum nomina ibi sunt scripta, non dubium quin in ipso capite scriptum sit nomen Sancti sanctorum [3].

9 Et hoc scriptum est, scilicet, « *facere voluntatem tuam, volui, o Deus meus.* » Joan. iv, 34 : *Meus cibus est facere voluntatem Patris mei.* Quasi diceret : In

« *Annuntiavi justitiam tuam.* » Hic 10
Altera pars Psalmi
secundum, ubi subjungitur de prædicatione : et dicuntur tria. Quid prædica-

[1] Cf. Psal. i, 2.
[2] Matth. v, 17.
[3] Cf. Daniel. ix, 24.

verit, et ubi, « *In Ecclesia magna.* » Et quomodo, ibi, « *Ecce labia.* »

Quid, ubi, quomodo Christus prædicavit ?

Dicit ergo : Sic veni, et ita dispositus fui ad prædicandum, et sic « *annuntiavi justitiam tuam*, supple, esse in nobis a te : contra Pelagianos, qui dicunt, quod homo potest esse justus a se. Prov. VIII, 14 : *Meum est consilium*, id est, temperantia, *et æquitas*, justitia scilicet, *mea est prudentia, mea est fortitudo.* Ad Rom. VIII, 30 : *Quos vocavit, hos et justificavit.* Sol enim Christus. Malach. IV, 2 : *Orietur vobis timentibus nomen meum sol justitiæ.* Et justitia lumen emanans ab hoc sole. Psal. XXXVI, 6 : *Et educet quasi lumen justitiam tuam, et judicium tuum tamquam meridiem.* Et hoc « *in Ecclesia magna,* » id est, ubique divisa et dispersa, et per me, et per mea membra. Malach. I, 11 : *Ab ortu solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus.*

Ecclesia magna multis modis

Et nota, quod dicitur, « *Magna,* » latitudine, quia ubique per orbem terrarum diffusa. Isa. LIV, 2 : *Dilata locum tentorii tui, et pelles tabernaculorum extende.* Item, altitudine, quia caput ejus in summo poli est situm, scilicet Christus. Ad Colos. I, 18 : *Ipse*, scilicet Christus, *est caput corporis Ecclesiæ.* Luc. XVI, 19, dicitur de eo, quod *ascendit in cœlum, et sedet a dextris Dei.* Item, « *magna* » duratione. Matth. VII, 25 : *Venerunt flumina et flaverunt venti, et irruerunt in domum illam, et non cecidit : fundata enim erat supra firmam petram.* Luc. XXII, 34 : *Ego pro te rogavi*, Petre, *ut non deficiat fides tua.* Eccle. I, 4 : *Terra autem in æternum stat.* Item, « *magna* » potestate. Matth. XVI, 18 : *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam : et portæ inferi non prævalebunt adversus eam.*

« *Ecce labia mea.* » Hic tangitur modus, et dicuntur tria. Quia sine timore primo. Secundo, quia sine dilatione, ibi, « *Domine, tu scisti.* » Tertio, probat primum, ibi, « *Justitiam tuam.* »

Dicit ergo : « *Annuntiavi justitiam tuam in Ecclesia magna,* » et hoc constanter, quia « *labia mea non prohibebo.* » Vel sic : Sic annuntiavi : sed si quid adversum in me insurgat, quid facturus es ? « *Labia mea non prohibebo.* » Act. IV, 29 : *Nunc, Domine, respice in minas eorum*, etc. Et XIX, 8, ingressus Paulus synagogas eorum, annuntiabat cum fiducia [1]. Sed numquid sic agam cum simulatione, ut quæram hominibus placere ? Non, « *Domine, tu scisti* » cor meum, intentionem meam : quare scilicet annuntio. Non enim sum de illis, de quibus Matth. XV, 8 : *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum*, etc. Jerem. XVII, 16 : *Tu scis, quod egressum est de labiis meis, quia rectum in conspectu tuo fuit.* Vel « *Domine, tu scisti,* » id est, prædestinasti me hoc facturum. Ad Rom. VIII, 29 : *Quos præscivit, hos et prædestinavit.*

« *Justitiam tuam non abscondi.* » Hic 11
tertium, in quo ostendit quod non potuit cohiberi humano timore, et dicuntur duo. Primo, quod prædicavit. Secundo, quod adversariam multitudinem non expavit, ibi, « *Non abscondi misericordiam.* »

Continua ergo : Sic vere non prohibebo labia, quia « *justitiam tuam,* » quæ a te est, vel secundum Augustinum, « meam, » id est, mihi collatam, scilicet fidem, quæ justitia est. Ad Rom. III, 28 : *Arbitramur justificari hominem per fidem.* « *Non abscondi in corde meo,* » aliquo humano timore. Augustinus : « Interrogat paganus sub pœna :

[1] Act. XIX, 8 : *Introgressus autem synagogam, cum fiducia loquebatur per tres menses, disputans, et suadens de regno Dei.*

« An Christianus ? Dicis : Christianus « sum : hæc est justitia tua. » Ad Rom. x, 10 : *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Sed magis « *veritatem tuam,*» promissorum scilicet jam factorum exhibitione, quantum ad gratiæ plenitudinem, quæ jam exhibita est in Incarnatione. « *Et salutare tuum* », scilicet promissionem exhibendam in resurrectione generali, quando corpora glorificabuntur, et animæ salvabuntur. « *Dixi* » vel sic, ut legatur de membris, « *veritatem tuam,* » id est, Christum. Joan. xiv, 6 : *Ego sum via, et veritas, et vita.* Nec tantum ut est veritas in adspectu, sed ut est vita et salus in affectu. Unde « *et salutare tuum,* » eumdem Christum, « *dixi.* » Luc. ii, 30 : *Viderunt oculi mei salutare tuum.* Hanc veritatem, et hoc salutare Paulus audacter prædicavit, I ad Corinth. i, 23

Contra multos prædicatores.

et 24 : *Prædicamus Christum... Dei virtutem, et Dei sapientiam.* Iste non est sicut illi qui multa sciunt, et tamen abscondunt, et dicere nolunt. Talis est servus nequam, Domino suo noxius, in seipso monstruosus, proximo injuriosus. De primo : quid aliud homines audientes verbum Dei, nisi ager Domini ? I ad Corinth. iii, 9 : *Dei agricultura estis,* et agni sanguine, Christi, rigati. Verbum autem retinens, semen retines. Luc. viii, 11 : *Semen est verbum Dei.* Ergo Domino noxius, qui præceperat (Matth. x, 8) : *Gratis accepistis,* scientia mea : *gratis date* agris meis. De secundo : monstruosus est : Verbum enim semen est, quo anima impinguatur. Eccli. xix, 11 : *A facie verbi parturit fatuus.* Anima sciens multa, et retinens illa, quid est nisi anima multum impinguata ? Et monstruosum est tot annis semen et fructum in ventre portare, et non parere. Job, iv, 2 : *Conceptum sermonem tenere quis poterit ?* Nemo, quin monstruosus efficiatur, et periculose, quia Luc. xxi, 23, dicitur : *Væ prægnantibus, et nutrientibus in illis diebus.* I ad Cor. ix, 16 : *Væ mihi si non evangelizavero.* Eccle. i, 18: *Qui addit scientiam, addit et laborem.* Proverb. x, 31 : *Os justi parturiet sapientiam,* etc. De tertio : proximo injuriosus. Ad distribuendum accipit scientiam. Matth. viii, 6 : *Dabat discipulis suis, ut apponerent.* Ad Rom. i, 14 : *Græcis et barbaris, sapientibus et insipientibus debitor sum.*

« *Non abscondi misericordiam.* » Hic secundum, in quo ostendit, quod adversam multitudinem non expavit. Primo, repetens de prædicatione ut addat. Secundo, addens quod addendum erat breviter a justitia et veritate, ibi, « *Non abscondi misericordiam tuam.* »

Quasi diceret : Petentibus peccata dimittis, secundum illud Eccli. ii, 13 : *Pius et misericors est Deus, et remittet in tempore tribulationis peccata.* « *Et veritatem tuam,* » quam reddis juxta merita, Isa. xlii, 3 : *In veritate educet judicium.* Hoc « *non abscondi a concilio multo,* » mihi adversanti, timens secundum illud Jerem. i, 8 : *Ne timeas a facie eorum : quia ego tecum sum.* Et infra, ℣. 17 : *Ne formides a facie eorum, nec enim timere te faciam vultum eorum.*

Prædicanda misericordia et justitia.

Hic notandum, quod duplici fine debemus prædicare misericordiam et veritatem, hoc est, justitiam ut de misericordia sit spes auditoribus, de justitia timor : quia, sicut dicit Gregorius : « In « peccatoris pectore debent spes et for- « mido incessanter conjungi, quia incas- « sum misericordiam sperat, si non et « justitiam timeat : incassum justitiam « metuit, si non et de misericordia con- « fidit [1]. » Ideo prædicatori dicitur, Prov. iii, 3 : *Misericordia et veritas te non deserant : circumda eas gutturi tuo.* Luc.

[1] S. Gregorius, Lib. xxxiii.

x, 34, Samaritanus infudit vinum et oleum sauciato. Deus in uno sermone suo hæc duo prædicavit : Psal. LXI, 12 et 13 : *Semel locutus est Deus : duo hæc audivi : quia potestas Dei est, et tibi, Domine, misericordia : quia tu reddes unicuique juxta opera sua.*

12 « *Tu autem, Domine, ne longe facias.* » Hic tertium, in quo agitur de exitu ejus a carne, et dicuntur tria. Primo, exiturus a carne petit quæ sibi vult auferri in exitu. Secundo, quæ post, ibi, « *Adjutor.* »

In prima tria. Primo, pro seipso precatur. Secundo, inimicis mala imprecatur, ibi, « *Confundantur.* » Tertio, bonis bona precatur, ibi, « *Exsultent.* »

In prima duo. Primo, ostendit quid sibi non vult fieri. Secundo, quid vult sibi fieri, ibi, « *Complaceat tibi.* »

In prima duo. Primo, oratio ne sibi fiant illa. Secundo, persuasio, ibi, « *Misericordia et veritas.* »

Dicit ergo : Sic vixi in carne. « *Autem,* » pro sed, « *tu, Domine, ne longe facias miserationes tuas.* » Pluraliter dicit, quia opera misericordiæ sunt multæ, « *a me,* » a membris scilicet vulneratis. Et dicit : « *Ne longe facias,* » quia cum pœna et afflictio est in carne, non longe est Dei miseratio. Psal. XC, 15 : *Cum ipso sum in tribulatione.* Tamen aliter videtur multis dicentibus illud Judic. VI, 13 : *Obsecro, mi Domine, si Dominus nobiscum est, cur apprehenderunt nos hæc omnia?* Sed quando culpa venialis adest, tunc aliquantulum sejungitur Deus. Sed quando est mortale peccatum, tunc vero longe fit. Psal. CVIII, 18 : *Et noluit benedictionem, et elongabitur ab eo.*

« *Misericordia et veritas.* » Hic persuasio a tribus. Primo, ab ejus benignitate. Secundo, a promittentis veritate, ibi, « *Et veritas tua.* » Tertio, a propria necessitate, ibi, « *Circumdederunt me mala* »

Dicit ergo : Sic rogavi ne longe miserationes tuas faceres, nec debes, quoniam « *misericordia et veritas tua,* » ut legatur conjunctim, id est, vera misericordia, tua, « *semper susceperunt me,* » id est, meos, a primo justo usque ad ultimum. Eccli. XVIII, 12 : *Miseratio hominis circa proximum suum, misericordia autem Domini super omnem carnem.*

Vel sic : Non debes mihi negare quæ peto : ipsa « *autem,* » sed « *misericordia tua,* » benignitas scilicet, « *et veritas tua,* » qua solvis quæ promittis, et justus es, « *semper susceperunt me.* » Primum, misericordia scilicet, amorem tuum generat. Secundum, scilicet veritas, timorem, ut non sit de multis qui nimium præsumunt, nec de aliis, qui nimium timent, sed de paucis, qui in medio incedunt. Psal. LX, 8 : *Misericordiam et veritatem ejus quis requiret?* Tamen magis attendendum misericordiæ quam veritati, secundum illud Sap. XV, 1 : *Tu, Deus noster, suavis et verus es.* Et addit de misericordia, *patiens, et in misericordia disponens omnia.*

« *Quoniam circumdederunt.* » Hic persuadet tertio a propria necessitate : et 13
hoc primo ratione multiplicis pœnæ in ipso capite. Item, ratione culpæ in corpore, ibi, « *Comprehenderunt.* »

Dicit ergo, ut et hic cum Glossa exponatur de malo culpæ : Sic rogo, nec mirum : « *quoniam circumdederunt me mala,* » et culpæ, et non pauca, « *quorum non est numerus.* » Ecce humilis confessio, non illa Pharisæi, Luc. XVIII, 11 : *Non sum sicut cæteri homines.* Augustinus : « Jactabat se Pharisæus, et « tegebat vulnera. Sed corde, lingua, « medullis hoc dicamus, et nemo se ju- « stum putet. » Et nota, quod per hoc quod dicitur « *circumdederunt,* » monstratur peccatorum magnitudo, quod totum involutum circumdat sicut vestis. Psal. LXXII, 6 : *Operti sunt iniquitate, et impietate sua.* Carnalis vestis ista, Epist. can. Judæ, ℣. 23 : *Odientes et eam quæ car-*

nalis est, maculatam tunicam. Hæc vestis contexitur de filis illis, Ad Galat. v, 19 : *Manifesta autem sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia,* etc. Per hoc quod additur, « *Quorum non est numerus,* » notatur multitudo : non est enim nisi numuerus apud homines. Psal. xviii, 13 : *Delicta quis intelligit,* etc., sed Deus puniens illa, et judicans, bene novit. Cassiodorus : « Omnia Deo dinumerata sunt, qui arenam maris, et guttas « pluviarum, stellarumque multitudinem « cognoscit. »

Aliter de malo pœnæ. Quasi diceret : Miserere, et debes, quoniam « *circumdederunt me mala,* » tot pœnæ, « *quorum non est numerus :* » innumerabiles enim partes in me sunt, sed omnes afflictæ sunt. Isa. i, 6 : *A planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas.*

« *Et comprehenderunt.* » Hic tangit mala in corpore ratione culpæ consecuta : et sunt tria. Primo, captio irascibilis, quæ debet malis resistere. Secundo, excæcatio rationabilis, ibi, « *Non potui.* » Tertio, multiplex evagatio concupiscibilis, ibi, « *Multiplicatæ.* »

Dicit enim : Sic circumdederunt me mala culpæ, et comprehenderunt me iniquitates tamquam ab eis captivatum. Proverb. v, 22 : *Iniquitates suæ capiunt impium, et funibus peccatorum suorum quisque constringitur.* » *Et non potui,* » aperire oculos rationis, « *ut viderem.* » Judic. xvi, 21, Samson captus a Philistæis, statim excæcatus est. Jerem, lii, 11, Rex Babylonis capto Sedecia rege, statim oculos ejus eruit, et vinxit eum cum compedibus. Et nota quod dicit : « *Non potui ut viderem,* » Deum. Isa. lix, 2 : *Iniquitates vestræ diviserunt inter vos et Deum vestrum, et peccata vestra absconderunt faciem ejus a vobis ne exaudiret.*

« *Multiplicatæ sunt.* » Hic tertium, multiplex et vaga occupatio concupiscibilis : unde duo tanguntur. Primo, occupationis multitudo. Secundo, concupiscibilis evagatio per illam multitudinem, ibi, « *Et cor meum.* »

Prima autem pars legitur dupliciter : quia capilli possunt accipi mystice, vel ad litteram.

Primo modo sic : Bene dico, quod circumdederunt me mala, quia « *multiplicatæ sunt iniquitates,* » id est, iniqui : sed emphatice loquitur : « *Super capillos capitis mei,* » id est, super justos, modo capiti Christo adhærentes, et totum corpus ejus ornantes. Isti sunt capilli de quibus Daniel. vii, 9 : *Capilli capitis ejus, quasi lana munda.* Et certe hoc verum est : multo enim sunt plures impii quam justi, Eccle. i, 15 : *Stultorum infinitus est numerus.* Et vii, 29 : *Virum de mille unum reperi.*

Alio modo sic : « *Multiplicatæ sunt,* » culpæ meæ scilicet veniales, « *super capillos capitis mei,* » ad litteram, quia sunt innumerabiles. Propter multitudinem dicit Augustinus : « Vitasti grandia, « scilicet mortalia : cave ne obruaris are- « na. » Et bene comparat capillis, quia per pilos qui superflui sunt, peccata designantur. Numer. viii, 7 : *Levitæ aspergantur aqua lustrationis, et radant omnes pilos carnis suæ.*

« *Et cor meum.* » Hic secundum, et legitur dupliciter, quia cor appellatur vel intellectus, vel affectus : « *Dereliquit me,* » sensibilibus his inhærendo, et me deserendo. Scriptum est enim, Psal. x sec. Hebr. 6 : *Qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam.*

Alio modo sic : « *Cor meum,* » adspectus et intellectus meus, « *dereliquit me,* » ut non cognoscerem meipsum. Bernardus : « Multi multa sciunt, et se- « ipsos nesciunt. » Talis fuit Petrus, qui interpretatur *agnoscens,* cum dicebat, Matth. xxvi, 33 : *Etsi omnes scandalizati fuerint in te, ego numquam scandalizabor.*

Et nota, quod quando multiplicantur iniquitates, cor derelinquit : quia numquam est ei deterius, quam in proprio hospitio, sicut histrioni propter malam

uxorem, quam abjicere non potest, scilicet conscientiam remordentem. Proverb. XIX, 13 : *Tecta jugiter perstillantia, litigiosa mulier.* Et Eccli. XXV, 23 : *Commorari leoni, et draconi placebit magis, quam cum muliere nequam.* Propter hoc dicitur de divite, Osee, VII, 11 : *Factus est Ephraim quasi columba seducta non habens cor* : aufugit enim. Et propterea admonet, Eccli. XXX, 24 : *Contine et congrega cor tuum in sanctitate.* Et David gloriando dicit, II Reg. VII, 27 : *Invenit servus tuus cor suum, ut oraret te oratione hac.*

14 « *Complaceat tibi, Domine.* » Hic secundum, in quo postquam petivit quid sibi velit non fieri, hic petit id quod sibi vult fieri : et sunt duo. Liberatio a malis, et adjutorium in bonis, ibi, « *Domine, ad adjuvandum me.* »

Ait ergo : In tantis sum miseriis et propter hoc, « *Domine,* » (in hoc notatur unitas essentiæ) : « *Complaceat,* » in hoc pluralitas in personis, propter associationem. « *Complaceat,* » inquam « *ut eruas me.* » Ostendit, quod non diffidit de primo, si voluntas adsit, cum dicit : « *Complaceat.* » Psal. CXXXIV, 6 : *Omnia quæcumque voluit, Dominus fecit.*

« *Domine, ad adjuvandum me.* » In bonis, « *respice :* » solo enim respectu tuo adjutorium præstas. II Paral. XVI, 9 : *Oculi Domini contemplantur universam terram, et præbent fortitudinem.* Si solus respectus sic, multo plus approximando ad eum, propter quod dicebat Job, XVII, 3 : *Libera me, Domine, et pone me juxta te, et cujusvis manus pugnet contra me.* Ipse enim est lapis adjutorii. I Reg. IV, 1 : *Castrametatus est* Israel *juxta lapidem adjutorii.*

15 Imprecatur mala inimicis.

« *Confundantur et revereantur.* » Hic secunda pars secundæ partis istius Psalmi, in qua orat, et imprecatur mala malis, et primo ratione mali in operatione. Secundo, ratione mali in corde et cogitatione, ibi, « *Convertantur retrorsum.* » Tertio, ratione mali in sermone, ibi, « *Ferant confestim.* »

In prima duo. Primo tangitur pœna quam illis imprecatur. Secundo, causa quare imprecatur, ibi, « *Qui quærunt animam.* »

Dicit ergo : Hoc mihi præbes, sed quid malis et adversariis ? « *Confundantur inimici mei,* » miraculorum operatione, » *et revereantur,* » hoc est, timeant multum audita mea oratione. Ecce dictæ pœnæ, de quibus Jerem. XVII, 18 : *Confundantur qui me persequuntur.* Et infra : *Duplici contritione contere eos.* Et iterum : *Paveant illi, et non paveam ego.* « *Qui quærunt,* » id est, quia illi quærunt « *animam meam.* » Et ad hoc « *ut auferant eam.* » Supra, in Psal. XXX, 14 : *Accipere animam meam consiliati sunt.* Et alibi, Psal. XVI, 9 : *Inimici mei animam meam circumdederunt,* sed frustra, quia anima Christi non erat in illorum potestate, sed tantum in sua. Joan. X, 18 : *Habeo potestatem ponendi animam meam, et iterum sumendi eam.* Nec tantum hoc dicendo Judæis imprecatur, sed etiam omnibus malis, qui auferunt ei animas suas. Ezech. XVIII, 4 : *Omnes animæ meæ sunt.*

« *Convertantur retrorsum.* » Hic imprecatur mala malis in affectu. Et primo, tangit pœnam. Secundo, subjungit culpam, ibi, « *Qui volunt mihi mala.* »

Dicit ergo : « *Convertantur retrorsum,* » in terrenis, quæ retro sunt, implicati. Ad Philip. III, 13 : *Ea quæ retro sunt obliviscens.* « *Et revereantur,* » id est, multipliciter terreantur, de amissione bonorum quæ cito avolant, et pereunt. Levit. XXVI, 36 : *Terrebit eos sonitus folii volantis.* Vel in bono : « *Convertantur retrorsum,* » ut qui superbe me volebant præcedere, humiliter me sequantur. Plus enim prodest dici eis illud Jerem. II, 27 : *Verterunt ad me tergum,*

et non faciem, ne in eis impleatur illud quod dictum est Petro, Marc. VIII, 33 : *Vade post me Satanas.* « *Qui volunt,* » id est, illi qui volunt « *mihi mala.* » Supra, in Psal. XXXIV, 4 : *Avertantur retrorsum, et confundantur cogitantes,* etc.

16 « *Ferant confestim.* » Hic imprecatur malis mala ratione mali sermonis. Et primo tangit pœnam. Secundo, culpam, ibi, « *Qui dicunt.* »

Dicit ergo : Sic illi, et etiam « *ferant confestim confusionem suam,* » tamquam grave pondus. Ezech. XVI, 58 : *Scelus tuum, et ignorantiam tuam tu portasti.* Et dicit, *suam*, quam ipsi meruerunt. Et dicit, *confestim*, ne crescente culpa periculosius graventur. In hoc bonum eorum petitur. Eccle. VIII, 11 : *Quia non profertur cito contra malos sententia, absque timore ullo filii hominum perpetrant mala.* II Machab. VI, 13 : *Etenim peccatoribus multo tempore non sinere ex sententia agere, sed statim ultiones adhibere, magni beneficii est indicium.* « *Qui dicunt mihi* » adulatorie : « *Euge Euge.* » « *Euge* » primo, quia bona dicunt esse in me. « *Euge* » secundo, quia bona illa esse a me asserunt. Augustinus, « Dicunt : Noli tibi facere « injuriam, tu te talem fecisti. » Sed audi Jeremiam, XII, 6 : *Ne credas eis cum locuti fuerint tibi bona.* Secundum Cassiodorum : « *Euge* hoc est irrisorium. Ait « enim : Euge, Verbum quidem præco« niale est, sed cum recto animo non pro« fertur, ad irrisionem trahitur inferen« dam. » Psal. LXI, 5 : *Ore suo benedicebant, et corde suo maledicebant.*

17 « *Exsultent et lætentur.* » Hic tertium, in quo precatur bona bonis, et primo tangitur duplex præmium quod petit eis. Secundo, simplex meritum, propter quod vult illis illud exhiberi, ibi, « *Qui diligunt.* »

Primum duplex est. Exsultatio cordis, quod est præmium, et eruptio ipsius in laudem ejus oris, ibi, » *Et dicant semper.* »

Ait ergo : Ita illi mali confundantur, sed « *exsultent* » in bono futuro in cœlo, « *et lætentur,* » in hoc præsenti mundo, secundum illud Psal. CXLIX, 5 : *Exsultabunt sancti in gloria,* etc. Sed numquam in re terrena aliqua, sicut Job, XXXI, 25 : *Si lætatus sum super multis divitiis meis.* Sed « *super te.*» Psal. XXXII, 1 : *Exsultate justi in Domino.* Et hoc, « *Omnes quærentes te,* » non tua, sicut illi quibus dictum est, Joan. VI, 26 : *Quæritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis de panibus meis.* Seneca : « Mel mu« scæ sequuntur. Prædam sequetur turba « hæc, non hominem. » Et sic lætantes corde, « *dicant semper* » ore : « *Magnificetur Dominus* » in membris suis, qui in se grandescere non potest. Sic intelligitur illud augmentum Daniel. II, 35 : *Lapis factus est mons magnus.* Et Esther XI, 10 : *Fons parvus crevit in fluvium maximum.* Secundum Cassiodorum : « *Magnificetur Dominus,*» id est, laude« tur, et hoc, « *semper,* » sive in pro« speris, sive in adversis, sicut a bono « Job, I, 21 : *Dominus dedit, Dominus* « *abstulit, sit nomen Domini benedi*« *ctum.* » Et sic laudent non omnes, sed « *qui diligunt salutare tuum,* » id est, me, dicit Christus : Ego sum enim illud salutare, de quo Luc. II, 30 : *Viderunt oculi mei salutare tuum.* Exsultent ergo et laudent, « *qui diligunt,* » quia scriptum est de charitate, I ad Corinth. XIII, 6 : *Charitas... non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati,* quæ Christus est.

Et nota in hoc versu quatuor actus bonæ mentis. Primus est Deum diligere, secundum illud Deut. VI, 5, et Matth. XXII, 37 : *Diliges Dominum Deum tuum.* Secundus, dilectum quærere : si enim non diligeret, non quæreret. Cantic. III, 1 : *Quæsivi quem diligit anima mea.* Tertius, de quæsito gaudere, ibi, « *Læ-*

Bona mens Deum amat amatum quærit, de invento gaudet et laudat.

tentur et exsultent. » Naturaliter enim quisque de bono suo gaudet. Thren. III, 25 : *Bonus est Dominus sperantibus in eum, animæ quærenti illum.* Quartus, gaudendo laudare, ibi, « *Et dicant semper : Magnificetur Dominus.* » Isa. XII, 6 : *Exsulta, et lauda filia Sion.*

18 « *Ego autem mendicus sum.* » Hic petit pro his, quæ cupit sibi dari post finem : et hoc est ut ejus resurrectio acceleretur. Et primo ponitur persuasio. Secundo, oratio, ibi, « *Deus meus, ne tardaveris.* »

Et primo a sua humiliatione. Secundo, a patris bonitate, ibi, « *Dominus sollicitus est.* »

Primo, a bonitate quam exhibet in mente. Secundo, quam exhibet in opere, ibi, « *Adjutor meus.* »

Primum autem legitur dupliciter. Primo, de capite ipso secundum divisionem dictam sic : Ipsi dicunt de me irridendo, Euge euge. « *Ego autem* » dico, « *Mendicus sum,* » quia ab alio peto, et non habeo a meipso quæcumque habeo. Joan. VII, 16 : *Doctrina mea non est mea.* Et XVII, 7 : *Omnia quæ dedisti mihi, abs te sunt.* « *Et pauper,* » quia mihi ipsi non sufficio secundum quod Joan. XIV, 10, habetur : *Verba quæ ego loquor vobis, a me ipso non loquor : Pater autem in me manens, ipse facit opera.* Vel certe de mediocritate et paupertate corporali. « *Ego autem mendicus sum,* » quia in te necessaria mendicavi. Joan. IV, 7, dixit mulieri Samaritanæ : *Da mihi bibere* : sed non sine necessitate, unde addit : « *Et pauper.* » II ad Corinth. VIII, 9 : *Propter vos egenus factus est, cum esset dives* in omnibus.

« *Et Dominus,* » scilicet Pater, « *sollicitus est mei.* » Ecce exhibitio bonitatis in mente, et per se, et per Angelos curam mei gerens. Per se, Matth. XII, 17, et XVII, 5 : *Hic est Filius meus dilectus,* etc. Per Angelos, Matth. IV, 11 : *Angeli accesserunt, et ministrabant ei.* Psal. XC, 11 : *Angelis suis Deus mandavit de te.*

De membris etiam legitur sic : O tu Domine de te dicant, « *Magnificetur Dominus* : » de se autem hæc, « *Ego autem mendicus sum, et pauper,* » in spiritualibus divitiis. Sunt autem spirituales divitiæ intellectus. Isa. XXXIII, 6 : *Divitiæ salutis, scientia et sapientia.* Et affectus, de quibus Eccli. XLIV, 6 : *Homines divites in virtute.* Primæ, veritates : secundæ, virtutes. « *Mendicus* » ergo sum carens veritatibus, « *pauper* » carens virtutibus. Psal. XI, 2 : *Defecit sanctus : quoniam diminutæ sunt veritates a filiis hominum.* Et quamvis ita nihil sim, « *Dominus sollicitus est mei.* » Augustinus : « Qui de te curam habuit antequam es« ses, quomodo non habebit cum hoc « es, quod voluit ut esses ? » Sap. VI, 8 : *Pusillum et magnum ipse fecit, et æqualiter est illi cura de omnibus.* Hæc possunt dici a claustralibus, maxime paupertatem strictam professis. Debet in eis esse paupertas sine proprietate, mendicitas sine simulatione, securitas sine desperatione de Dei misericordia. « *Et Dominus sollicitus est mei.* »

« *Adjutor meus.* » Hic persuadet a bonitate Patris exhibita in opere, et hoc primo adjuvando in bono. Secundo, protegendo a malo, ibi, « *Et protector.* »

Ait ergo : Sic sollicitus est Dominus, et convertit sermonem ad Patrem : « *Adjutor meus,* » ad bonum faciendum : « *et protector meus,* » liberando a malo, « *tu es.* » Exod. XV, 2 : Adjutor et protector factus est mihi in salutem [1]. Psal. LXI, 9 : *Deus adjutor noster in æternum.* Et alibi, Psal. LXIII, 3 : *Protexisti me a conventu malignantium.* Et o Deus meus, ex quo ita humiliatus, et tu ita bonus, « *ne tar-*

[1] Vulg. habet, Exod. XV, 2: *Fortitudo mea, et laus mea Dominus, et factus est mihi in salutem.*

daveris, » auxilium mihi dare. Prov. III, 28 : *Ne dicas amico tuo* : *Vade, et revertere : cras dabo tibi* ; *cum statim possis dare.* « *Ne tardaveris* » suscitare me, et festina. Hoc idem petit in fine Psalmi XXXVIII, 13 et seq.

Vel pro corpore : « *Ne tardaveris* » me in bono confirmare, cum suavitate quæ erit in fine mundi in secundo adventu, in generali resurrectione : et non faciet, cito enim erit. II Pet. III, 9 : *Non tardat Dominus promissionem suam, sicut quidam existimant.* Ad Hebr. x, 37 : *Qui venturus est, veniet, et non tardabit.* Isa. XXXV, 4 : *Confortamini, et nolite timere, ecce Deus vester*, etc. Apoc. XXII, 20 : *Veni Domine Jesu,* qui es benedictus per infinita sæculorum sæcula. Amen.

PSALMUS XL.

Eleemosynæ meritum : querimoniæ de hostium odio et amicorum perfidia.

1. *In finem, Psalmus ipsi David.*
2. Beatus qui intelligit super egenum et pauperem : in die mala liberabit eum Dominus.
3. Dominus conservet eum, et vivificet eum, et beatum faciat eum in terra, et non tradat eum in animam inimicorum ejus.
4. Dominus opem ferat illi super lectum doloris ejus : universum stratum ejus versasti in infirmitate ejus.
5. Ego dixi : Domine, miserere mei : sana animam meam, quia peccavi tibi.
6. Inimici mei dixerunt mala mihi : Quando morietur, et peribit nomen ejus ?
7. Et si ingrediebatur ut videret, vana loquebatur : cor ejus congregavit iniquitatem sibi.
Egrediebatur foras et loquebatur.
8. In idipsum
Adversum me susurrabant omnes inimici mei : adversum me cogitabant mala mihi.
9. Verbum iniquum constituerunt adversum me : Numquid qui dormit non adjiciet ut resurgat ?
10. Etenim homo pacis meæ, in quo speravi [1], qui edebat panes meos magnificavit super me supplantationem.
11. Tu autem, Domine, miserere mei, et resuscita me : et retribuam eis.

[1] Act. I, 16.

12. In hoc cognovi quoniam voluisti me, quoniam non gaudebit inimicus meus super me.

13. Me autem propter innocentiam suscepisti : et confirmasti me in conspectu tuo in æternum.

14. Benedictus Dominus, Deus Israel a sæculo, et usque in sæculum. Fiat fiat.

IN PSALMUM XL

COMMENTARIUS.

In finem, Psalmus David[1].

« *Beatus qui intelligit super egenum.* » Hic est Psalmus quadragesimus, in quo cum in antecedenti monuisset relicto veteri ritu ad novum accedere Testamentum, ne quis abhorreret eo quod in ipso legitur paupertas Christi, subjungit in hoc Psalmo de Christo paupere et passo, et beatitudine credentium in eum, et confitentium Deum verum.

Argumentum Psalm. Christi passio, et beatitudo sperantium in illum.

Præponitur autem huic Psalmo titulus communis et frequenter expositus : « *In finem, Psalmus David,* » hoc est, hic Psalmus est David litteralis ut Auctoris, spiritualis ut loquentis in ipso, nunc pro se, nunc pro membris. «*Psalmus,*» inquam, per hoc ipsum dirigens nos « *in finem,* » Christum scilicet. Secundum Hierony-

[1] Le dernier psaume du premier livre commence par une béatitude, comme celui qui ouvre le psautier. David s'y plaint de ses ennemis, en particulier d'un traître qui a été autrefois son ami et son commensal. Tholuck et quelques autres font remonter la composition de ce chant jusqu'à l'époque de la persécution de Saül : mais du ỳ. 11, Patrizi conclut avec raison que le psalmiste était déjà roi quand il composa le psaume, car le châtiment qu'il promet aux révoltés est un devoir et un acte de justice de la part du souverain, tandis qu'un simple particulier ne pourrait sans un esprit de vengeance condamnable dire à ses ennemis : « Ergo retribuam. » Presque tous les commentateurs regardent donc comme très probable que le psaume est du temps de la révolte d'Absalon. Le traître est alors Achitophel, jadis conseiller et ami de David, qui trempa dans le soulèvement populaire à Hébron, et prit parti pour le fils rebelle. Moll croit qu'il s'agit plutôt d'Adonias, III Reg. I, 5-9 ; le traître alors serait Joab, II, 5. Cette hypothèse est beaucoup moins probable que la précédente, parce que cet événement n'eut qu'une influence restreinte sur la vie de David.

S. Jean, XVII, 12 et S. Pierre, Act I, 16, supposent la trahison de Judas prédite dans l'Ancien Testament : le psaume CVIII a en effet rapport à ce sujet. Mais Notre-Seigneur, Joan. XIII, 18, emprunte un verset de notre psaume, ỳ. 10, pour désigner le traître. Achitophel est donc ici le type de Judas, et David persécuté celui du Messie souffrant. En conséquence, le psaume a le caractère messianique ; S. Augustin, de Civ. Dei, XVII, 18, et Eusèbe, Demonst. Evang. X, 1, le lui attribuent formellement ; Théodoret accuse de témérité celui qui n'admet pas cette interprétation, et D. Calmet appelle « audacissimum, eum qui Christum ejusque passionem hoc psalmo spectari neget. » S. Athanase et la plupart des Pères entendent le psaume immédiatement de Jesus-Christ ; les modernes précisent davantage : dans le sens historique et littéral, il s'agit de David et d'Achitophel, dans le sens typique et spirituel, du Sauveur et de Judas ; de la sorte, on sauvegarde à la fois l'interprétation traditionnelle et la lettre du texte.

David parle dans ce psaume comme s'il relevait de maladie. Cette maladie est-elle une réalité, ou simplement une métaphore employée par le psalmiste pour rendre compte de ses épreuves ? Delitzsch, Cook, Perowne, Thalhofer, etc. sont pour la première hypothèse. L'histoire ne parle pas de cette maladie, il est vrai, mais rien n'empêche de la supposer. Il est bien possible pourtant que David ait voulu peindre le mal de son âme sous les traits d'un mal physique, comme il a déjà fait dans d'autres psaumes, VI, 3 ; XXXVII, 4, etc. D'ailleurs le psaume LIV qui traite le même sujet que celui-ci ne parle que de souffrances morales.

H. LESÊTRE.

mum vero alius est : « In finem, intellectus filiis Core. » Ad cujus intelligentiam notandum, quod sicut legitur Num. xvi, 1 et seq., Core cum Dathan et Abiron, a terra vivi absorpti sunt : Core vero cum ducentis quinquaginta, igne divino percussus interiit. Quidam vero de filiis Core, paternam non imitati malitiam, postmodum in suis successoribus, sunt assumpti ad ministerium templi, vel tabernaculi, et ideo frequenter in titulis nominantur : vel quia interpretationi nominis convenit quod dicitur in Psalmo, sicut hic Core enim interpretatur *calvaria*, quod est locus passionis Christi. Joan. xix, 17 : *Bajulans sibi crucem, exivit in eum, qui dicitur Calvariæ, locum.* Sensus ergo tituli hic est : Intellectus subjecti Psalmi, in finem nos ordinans, sicut prius, attribuitur vel convenit filiis Core, id est, passionis, quæ per calvariam intelligitur, qui dicunt cum Paulo illud ad Gal. vi, 14 : *Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi.* Et illud I ad Corinth. ii, 2 : *Non judicavi me scire aliquid inter vos, nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum.*

Titulus passione n indicat.

Divisio Psalmi : de divinitate et humanitate passa.

Dividitur ergo Psalmus iste in duas partes. In prima agitur de fide divinitatis Christi. Secundo, humanitatis, et resuscitatæ. Vult enim primo monere eum esse verum Deum. Secundo, nihilominus veraciter passum et resuscitandum, ibi, « *Inimici mei.* »

In prima duo. Primo provocat ad credendum commendando credentes. Secundo, prædicando eis bona futura, ibi, « *In die mala.* »

Prima pars Psal.i.

Dicit ergo : Sic relictis antiquis cæremoniis, accede ad Novum Testamentum : nec mireris si ibi pauperem legis Christum, quia « *beatus* » erit « *qui intelligit,* » supple, ipsum, « *super egenum et pauperem* » esse, hoc est, non tantum esse egenum sed pauperem per naturam humanam, sed non per divinam. « *Intelligit,* » inquam, per fidem non per speciem. II ad Corinth. viii, 9 : *Propter vos egenus factus est, cum esset dives* in omnibus. Si dives, etiam nullo indigens per divinitatem. Psal. xv, 2 : *Bonorum meorum non eges.* Ad Coloss. ii, 3 : *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ,* etc. Ergo per oppositum, maledicti qui non intelligunt. Osee, iv, 14 : *Populus non intelligens vapulabit multis.*

« *In die mala.* » Hic provocat prophetando eis bona, primo de exitu de mundo hoc. Secundo, in mundo ipso, ibi, « *Dominus conservet.* »

Dicit ergo : Sic « *beatus qui intelligit,* » et « *in die mala,* » scilicet judicii sui proprii, quando decedet de vita, Sophon. i, 15 : *Dies iræ, dies illa,* « *liberabit eum Dominus,* » a damnatione æterna. Ad Roman. ix, 33 : *Omnis, qui credit in eum, non confundetur.* Ad Hebr. iv, 11 : *Festinemus ingredi in illam requiem.* Aliter legitur de quocumque paupere, et egeno, « *Qui super egenum et pauperem intelligit.* » Intellectum et considerationem ponit cum effectu. Nec dicit : Qui pauperi petenti tribuit, sed qui intelligit quod vult, antequam petat, et intelligere se ostendit. Job, xxxi, 16 : *Si negavi, quod volebant, pauperibus.* Non dicit quod petebant. « *Beatus,* » est jam in spe. Proverb. xiv, 21 : *Qui miseretur pauperi, beatus erit.* « *In die mala,* » scilicet in die judicii, « *liberabit eum Dominus.* » Tob. iv, 11 : *Eleemosyna ab omni peccato, et a morte liberat.* Vere liberabit secundum illud Job, v, 19 : *In sex tribulationibus liberabit te* : et in illis sex opprobriis quæ dicet, Matth. xxv, 42 : *Esurivi, et non dedistis mihi manducare,* etc. *Et in septima,* quæ durissima erit, *non tanget te malum.*

Super tres pauperes intelligendum.

Nota ergo, quod debemus super triplicem egenum intelligere. Super Christum, ut ipsum Deum veraciter credamus, contra illos de quibus Sapient. xiii, 1 : *De his quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum qui est,* scilicet Christum esse Deum Creatorem et Dominum omnium.

Item, super indigentem pauperem, quia in ipso damus Christo. Proverb. XIV, 35 : *Acceptus est regi minister intelligens.* Matth. XXV, 40 : *Quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Legitur quod Melania virgo Pambo eremitam rogavit ut oblatam pecuniam reciperet, qui jussit ministro suo ut acceptam fratribus per desertum illam divideret. Cum autem illa aut benedictionem aut laudem exspectaret ab illo, et ille nec oculos ad illam converteret, ait : « Scito, Domine, trecentas quinquaginta « in hac arca libras esse. » Qui nec adspiciens illam, respondit : « Cui exhibuisti « hæc, o filia, non habet opus a te men« suram cognoscere. » Item, super corpus proprium, quia servire illud oportet ita ut non deficiat. II ad Tim. II, 6 : *Laborantem agricolam oportet primum de fructibus suis percipere.* Et subdit, ℣. 7 : *Intellige quæ dico, dabit tibi Dominus intellectum.*

3 « *Dominus conservet eum.* » Hic provocat ad credendum prophetando, et prædicendo bona etiam ante exitum. Et primo prædicando optat eis bonorum plenitudinem. Secundo, ab impugnantibus protectionem, ibi, « *Et non tradat eum.* »

In prima, primo optat eos plenitudinem bonorum gratiæ habere. Secundo, naturæ, ibi, « *Et beatum.* »

In prima duo. Primo, bonorum gratiæ in affectu, scilicet virtutis. Secundo, in adspectu, scilicet veritatis, ibi, « *Vivificet eum.* »

Ait enim : Sic bene erit credentibus Christum verum Deum in exitu vitæ. Nec tantum hoc bonum sit ei, imo « *Dominus conservet eum,* » in præsenti per gratiam, et virtutem infusam a culpa. Psal. XV, 1 : *Conserva me, Domine, quoniam speravi in te,* tamquam in Deo vivo, et vero.

« *Et vivificet eum,* » veritatem fidei infundendo, quæ purget ab ignorantia. Habac. II, 4 : *Justus in fide sua vivet.* Ad Galat. II, 20 : *Quod autem nunc vivo in carne, in fide vivo Filii Dei.* Nec tantum hoc : imo et « *beatum faciat eum in terra,* » non tantum in cœlo, ut non desint ei quæ de terra naturaliter proferuntur. II Paralipom. XX, 20 : *Credite Prophetis ejus, et cuncta evenient prospera*[1], vobis scilicet.

« *Et non tradat.* » Hic secundum bonum, scilicet protectio ab impugnantibus. Primo, a dæmone. Secundo, a propria carne, ibi, « *Dominus opem ferat.* »

Ait enim : Sic prædicta bona conferat, « *et non tradat eum in animam,* » id est, in voluntatem, « *inimicorum ejus,* » dæmonum scilicet, et membrorum dæmonis, scilicet impiorum. « *In animam* » dicit, non in manus. Inde enim traditi sunt fideles in manus dæmonis, sed non in voluntatem. Job, I, 12 : *Ecce universa quæ habet, in manu tua sunt,* non in voluntate tua. Quamquam etiam ipsa corpora ab ejus eripiantur manu, et anima virtute fidei aliquando. Daniel. VI, 23 : *Eductus est Daniel de lacu, et nulla læsio inventa est in eo, quia credidit Deo suo.*

In manu, non in voluntate dæmonis, sunt servi Dei.

Legitur et de paupere quocumque : Qui pauperis attendit necessitatibus, Dominus conservet eum a malis sæculi, Tob. IV, 11 : *Eleemosyna ab omni peccato et a morte liberat, et non patietur animam ire in tenebras.* Conservat autem a mundi immunditiis, Luc. XI, 41 : *Verumtamen quod superest, date eleemosynam, et omnia munda sunt vobis.* « *Et vivificet eum,* » vita futura, Tob. XII, 9 : *Eleemosyna facit invenire vitam æternam.* Et præsentem, I ad Tim. IV, 8 :

1 Cf. etiam II Paralip. XVIII, 14 : *Ascendite : cuncta enim prospera evenient, et tradentur hostes in manus vestras.*

Pietas... promissionem habet vitæ quæ nunc est, et futuræ. « *Et beatum faciat eum in terra,* » id est, bene auctum, ut non decrescat, sed magis augeatur ejus substantia. Proverb. xi, 24: *Alii dividunt propria, et ditiores fiunt.* Proverb. xxviii, 27 : *Qui dat pauperi, non indigebit.* « *Et non tradat eum in animam inimicorum ejus,* » scilicet dæmonum, vel malorum hominum. Psal. lxxiii, 19 : *Ne tradas bestiis,* dæmonibus et malis hominibus, *animas confitentes tibi.* Psal. cxxxix, 9 : *Ne tradas me, Domine, a desiderio meo peccatori.* Prov. xxii, 9 : *Victoriam et honorem acquiret qui dat munera.*

4 « *Dominus opem ferat.* » Hic prophetat optando protectionem a propria carne. Et primo optat protectionem. Secundo, describit carnis tribulationem, a qua vult eum liberari.

Dupliciter autem legitur primum. Primo, secundum quod lectus possessio appellatur sic, « *Dominus faciet eum beatum,* » bene auctum in terra. Sed quia propter hoc non careret doloribus, sed magis haberet, ideo « *Dominus opem ferat illi,* » eum adjuvando « *super lectum doloris ejus.* » Lectus enim sunt possessiones in quibus jacet, et in quibus quiescere se credit animus humanus. Luc. xii, 19 : *Anima, habes multa bona reposita in annos plurimos, requiesce,* etc. Sed Dominus ne anima totaliter adhæreat huic lecto, respergit eum doloribus. Eccli. xx, 23 : *In requie sua stimulabitur.* Eccle. ii, 11 : *Cum me convertissem ad universa... in quibus frustra sudaveram, vidi in omnibus vanitatem, et afflictionem spiritus.* Quia ergo ibi requies lecti dicuntur divitiæ, dolor et afflictio doloris dicitur stimulare. Job, xxx, 7 : *Inter hujuscemodi lætabantur, et esse sub sentibus delicias computabant.* Super hunc ergo lectum « *ferat illi Dominus opem,* » ne infirmitas humana his divitiis superetur, quia Job, vi, 12 : *Nec fortitudo lapidum fortitudo mea, nec caro mea ænea.*

« *Universum.* » Unde fit, et quanta in illis afflictio. Quasi diceret : Sic liberet, et necesse est, quia o Domine, « *universum stratum ejus,* » omnem ejus felicitatem terrenam, « *versasti* » in amaritudinem. Et hoc « *in infirmitate ejus,* » probando. Eccle. i, 14 : *Vidi cuncta, quæ fiunt sub sole, et ecce universa vanitas, et afflictio spiritus.* Secundo modo secundum quod caro lectus dicitur. Dicitur enim *lectus,* quia anima in ea quiescit : sed *doloris,* propter miserias quas contraxit ab Adam. Ad Roman. viii, 10 : *Corpus quidem mortuum est propter peccatum.* Et Sap. ix, 15 : *Corpus quod corrumpitur, aggravat animam.*

In hoc lecto doloris gemunt sancti. Ad Roman. vii, 24 : *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus ?* Orat ergo : « *Dominus opem ferat illi,* » ipsum adjuvando, « *super lectum doloris ejus,* » super carnem doloribus plenam, ut ei possit imperare, eam tenere subjectam, sicut ille cui dictum est, Matth. ix, 16 : *Surge, tolle lectum tuum,* carnem tuam, *et vade in domum tuam,* in vitam æternam. Quod si quæris, unde hæc infirmitas, et miseria ? Causam reddit : « *Universum stratum ejus,* » sensibilem et vegetabilem carnem, o Domine, « *versasti,* » ipsam rationem supponendo, et ipsam quodammodo subjiciendo, « *in infirmitate ejus,* » quando homo primo est infirmatus. Ad Galat. v, 17 : *Caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem,* etc.

« *Ego dixi : Domine.* » Hic provocat suo exemplo ad confitendum ore, ubi primo tangitur confessio. Secundo, confitentis oratio, in qua confitetur Christum misericordem, ibi, « *Miserere mei.* » Et animarum medicum, ibi, « *Sana animam meam.* » 5

Sic ergo continua : Sic monui ut confiteamini Christum Deum, quod et ego

facio, quia « *ego dixi,* » confitendo ei. Vel ad immediatum : universum stratum hominis est immutatum et versatum, et propter hoc tremens ego dixi. Et quid? « *Domine, miserere mei :* » quia miser peccando factus sum. Proverb. XIV, 34 : *Miseros facit populos peccatum.* Quid vis tibi misero fieri ? « *Sana animam meam* : » et hoc per flagella, non aliter. Isa. XXXVIII, 16 : *In talibus vita spiritus mei, corripies me, et vivificabis me.* Talibus enim spiritus vivificatur, quibus corpus mortificatur. Homo isto medico committat se secundum Augustinum : « Plane committamus nos medici manui : non enim « erit, ut sanum pro impuro secet. Novit «vitium, quia ipsam novit naturam, quam «condidit. Novit quod ex nostra cupiditate « accessit[1]. » « *Et sana animam,* » non ab aliqua alia infirmitate, sed peccati, « *Quia peccavi tibi.* » Cassiodorus : « Omne peccatum morbus est animarum. » Ideo subjungit, « *Quia peccavi.* » Rationem sana, quia dico, non excuso, « *Peccavi tibi.* » Non dico : Adulterari me fecit Venus, Mars furari, Saturnus avarum, Sol superbum. Et Proverb. XXVIII, 13 : *Qui abscondit scelera sua, non dirigetur : qui autem reliquerit ea, et confessus fuerit, veniam consequetur.*

6 Secunda pars Psalmi, de Passione. « *Inimici mei.* » Hic consequenter agitur de fide passæ, et resuscitatæ humanitatis. Primo, ergo agitur de passione. Secundo, de resurrectione, ibi, « *Tu autem, Domine.* »

In prima duo. Primo, agit de inimicantium Christum machinatione. Secundo, de machinata morte ejus ab eis, ibi, « *Numquid qui dormit.* »

In prima duo, quia primo de machinatione inimicantium aperte. Secundo, occulte, ibi, « *Etsi ingrediebatur.* »

In prima duo, quia machinantes aperte primo ostendunt se velle auferre vitam. Secundo, etiam defuncti memoriam, ibi, « *Et peribit.* »

Dicit ergo : Beatus qui intelligit sic Christum Deum, et confitetur sicut ego. Sed aliqui sunt qui tales non sunt, de quibus Christus dicit : « *Inimici mei,* » scilicet Scribæ et Pharisæi quando viderunt quod multi sequebantur me, secundum illud Joan. XII, 19 : *Ecce mundus totus post eum abit,* « *Dixerunt mala mihi,* » imponendo mihi falsa. Joan. VIII, 48 : *Dæmonium habes.* Matth. IX, 34 : *In principe dæmoniorum ejicit dæmones.* Et etiam dixerunt : « *Quando morietur ?* » ut nostro visui subtrahatur. Sap. II, 15 : *Gravis est nobis, etiam ad videndum, quoniam dissimilis est aliis vita illius.* « *Et peribit nomen ejus,* » ut etiam subtrahatur auditui, ut nulla omnino sit de eo fama. Hoc se fecisse crediderunt. Jerem. XI, 19 : *Mittamus lignum in panem ejus, et eradamus eum de terra viventium : et nomen ejus non memoretur amplius.*

In hoc versu notantur tria, quæ mali bonis invident. Famam, ibi, « *Inimici mei dixerunt*, etc. » Vitam, ibi, « *Quando morietur.* » Et memoriam, ibi. « *Et peribit nomen ejus.* » Sed famæ non nocent. Bernardus : « Bonorum æstimatio « sicut falsis delatoribus auferri non potest, ita nec adulatoriis favoribus acqui« ri. » Nec vitæ, quia *Dominus custodit omnia ossa eorum : unum ex his non conteretur*[2]. Ossa, inquam, virtutum. Nec memoriæ : quia Eccli. X, 21 : *Memoriam superborum perdidit Deus, et reliquit memoriam humilium.* Proverb. X, 7 : *Memoria justi cum laudibus.* Mali bonis invident famam, vitam et memoriam.

[1] S. AUGUSTINUS : « Hic ure, hic seca, modo in æternum parcas. »

[2] Psal. XXXIII, 21.

7 Proditio Judæ.

« *Et si ingrediebatur.* » Subjungitur de inimicantium occulta machinatione. Et primo, Judæ, deinde Judæorum, ibi, « *Adversum me susurrabant.* »

Et in prima duo. Primo tangitur proditoris occulta machinatio : secundo, machinationis publicatio, ibi, « *Egrediebatur foras.* »

In prima tria. Primo tangit malignitatem operis : secundo, oris, ibi, « *Vana loquebatur.* » Tertio, cordis, ibi, « *Cor ejus.* »

Dicit ergo : Inimici mala dicebant : et si aliquis, sicut Judas, « *ingrediebatur* » consortium meum, « *ut videret,* » id est, ut exploraret. Ecce cordis malitia. Quales erant etiam illi de quibus ad Galat. II, 4 : *Propter subintroductos falsos fratres qui introierant explorare libertatem nostram.* « *Vana,* » id est, ficta et simulatoria, « *loquebatur.* » Ecce malitia oris. Eccli. XIX, 23 : *Est qui nequiter se humiliat, et interiora ejus plena sunt dolo.* « *Et cor ejus* » parans calumniam mihi, « *congregavit iniquitatem,* » quam potius debebat deponere. Proverb. XXVI, 25 : *Cum se humiliaverit, ne credideris : septem nequitiæ sunt in corde ejus.* Et hoc « *sibi,* « id est, contra se, et ad malum suum. Proverb. I, 18 : *Ipsi contra sanguinem insidiantur, et moliuntur contra animas suas.* Et nota contra tales observatores, primo quod naturam oculi bonam in malam commutant. Naturale enim est oculo ut delectetur in pulchro et bono. Eccli. XL, 22 : *Gratiam et speciem desiderabit oculus.* Et istorum oculi in deformi delectantur. Eccli. XIV, 10 : *Oculus malus ad mala, et non satiabitur pane.* Secundo, cor suum inquinant. In eo enim congregant immunditias : transeuntes enim per pratum, flores dimittunt, et stercora colligunt. Hoc est quod hic dicitur : « *Cor ejus congregavit iniquitatem sibi.* » Tertio, seipsos graviter onerant. Prov. XI, 27 : *Qui investigator malorum est, opprimetur ab eis.*

« *Egrediebatur foras.* » Hic secundum, inimicitiarum publicatio.

Ait enim : Sic insidiabatur, et post « *egrediebatur* » de consortio veritatis in quo recumbebat miser : comedebat enim cum eo in eadem scutella. Vel « *egrediebatur foras,* » ad extraneos, ut qui erat amicus simulatus, fieret apertus inimicus. Joan. XIII, 30 : *Cum accepisset buccellam, exivit continuo.* Et « *loquebatur* » illis ad quos exierat, « *in idipsum,* » scilicet falsa et seductiva, sicut quando egrediebatur. Matth. XXVI, 48 : *Quemcumque osculatus fuero, ipse est, tenete eum.*

Quatuor hic in prælatis arguuntur.

Et nota, quod his duobus versibus, reprehenduntur mali prælati in quatuor. — Primo, de rara Ecclesiæ suæ visitatione. Et hoc est, « *si ingrediobatur* » ad visitandum, quasi raro ingrediebatur. Zachar. XI, 17 : *O pator, et idolum, derelinquens gregem,* scilicet non frequentans gregem, nec ingrediens ad eum. Apocalyps. III, 1 : *Scio opera tua, quia nomen habes quod vivas,* prælate et pastor, *et mortuus es,* scilicet non visitas nec vivificas. — Item, de inani prædicatione, « *vana loquebatur,* » id est, de vanis et temporalibus rebus. Eccle. I, 2 : *Vanitas vanitatum,* etc. De decimis quæ non solvuntur, de oblationibus quæ non frequentantur, est tota prædicatio ejus. Jerem. IV, 16 et 17 : *Ecce auditum est in Jerusalem custodes venire de terra longinqua, et dare super civitates Juda vocem suam.* Et sequitur : *Custodes agrorum facti sunt super eam in gyro :* loquuntur enim quasi custodes agrorum de guerbis, et talibus, magis quam de animabus. — Tertio, de auditorum peccatorum mala in nociva retentione, « *Cor ejus congregavit iniquitatem sibi.* » Auditis enim confessionibus de peccatis carnalibus, ea retinent in corde suo, et congregant ad damnum suum. Eccli. XIX, 12 : *Sagitta infixa femori canis, quæ ipsum gravat, et sauciat : sic verbum in corde stulti.* — Quarto, de retentorum revelatione, « *Egrediebatur*

foras. » Eccli. xix, 11 : *A facie verbi parturit fatuus.* Matth. xii, 34 : *Ex abundantia cordis os loquitur.*

8 Machinatio Judæorum.

« *In idipsum adversum me susurrabant.* » Supra posuit Propheta occultam machinationem Judæ proditoris, hic ponit occultam machinationem populi Judaici.

Et facit hic tria. Primo ponitur occulta detractio. Secundo, perversa cogitatio, ibi, « *Adversum me cogitabant.* » Tertio, in mortem Christi communis conspiratio, vel occultæ machinationis in ejus mortem publicatio, ibi, « *Verbum iniquum.* »

Dicit ergo Christus : « *Susurrabant,* » scilicet in aure alterius mala detractionis seminantes, « *omnes inimici mei.* » Quasi diceret : Non unus tantum, sed multi, ut Judas, et Judæi. Cassiodorus dicit : « Solent pauci esse scelerum auctores, « hic omnes mala cogitasse dicti sunt, « ut nemo sit minus nocens, quos una fa- « cinoris damnat æqualitas. » Supra, in Psal. iii, 2 : *Domine, quid multiplicati sunt qui tribulant me? multi insurgunt adversum me.*

« *In idipsum.* » Vide supra. « *Adversum me.* » Jerem. xviii, 23 : *Tu scis, Domine, omne consilium eorum adversum me in mortem.* « *Cogitabant adversum me,* » dicit Christus. Thren. iii, 60 : *Vidisti, Domine, omnem furorem, et universas cogitationes eorum.* Joan. xi, 53 : *Ab illa die cogitaverunt ut interficerent eum.* « *Cogitaverunt mala.* » Mala dico, « *mihi,* » secundum opinionem eorum, qui mihi mala facere putabant. Vel « *mala mihi,* » id est, ad utilitatem meam, quia inde crevit fructus Ecclesiæ in membris meis. Et est hic intelligendum, quod cogitatio præcedit susurrum, sed præposterando ordinem dat hic intelligere perversitatem Judæorum. Simile habetur, Deuter. v, 27 : *Loqueris ad nos, et nos audientes, faciemus ea.* In bene ordinatis prius est auditus quam operis effectus. Vel fuit ista præposteratio ad exprimendum velocitatem affectus Judæorum ad nocendum.

Moraliter secundum Cassiodorum : Susurronum malitia.
« Susurratio est sermo confusus sine ali- « qua vocis distinctione, tendens in ma- « lum. » Et ita per susurrum recte occultam detractionem possumus intelligere. Sic susurrantes sunt Deo odiosi. Unde ad Roman. i, 30 : *Susurrones sunt Deo odibiles.* Sunt etiam revera aliorum maledici, Eccli. xxviii, 15 : *Susurro et bilinguis, maledictus.* Sunt etiam in se coinquinati, Eccli. xxi, 31 : *Susurro coinquinabit animam suam.* Sunt etiam in vultu commutati, suam malitiam commutantes, Eccli. xii, 19 : *Multa susurrans commutabit vultum suum.* Sunt etiam in corde pungentes et puncti, vulnerantes et vulnerati, Proverb. xxvi, 22 : *Verba susurronis quasi simplicia, et ipsa perveniunt ad intima cordis.* Sunt etiam multorum pacem turbantes, et in se turbati. Unde jam dictum est, Eccli. xxviii, 15 : *Susurro et bilinguis, maledictus : multos enim turbabit pacem habentes.*

« *Verbum iniquum.* » Hic ponitur in morte Christi communis conspiratio, vel occulta machinationis inimicorum ejus contra ipsum propalatio. 9

Et ibi tria. Primo tangetur eorum iniquitas. Secundo, eorum arrogantia et vanitas, ibi, « *Constituerunt.* » Tertio, eorum adversitas, ibi, « *Adversum me.* »

Dicit ergo : « *Verbum iniquum,* » contra Christum, id est, ipsam æquitatem, « *constituerunt.* » « *Constituerunt* » contra Christum judicem vivorum et mortuorum, pro constitutione irrevocabili suum verbum habuerunt. Vel, « *constituerunt,* » quia in malo pœnæ mortis Christi unanimiter convenerunt : « *adversum me,* » veritatem, adversarii veritatis. « *Verbum iniquum* » fuit quod dixerunt Judæi Pilato, Joan. xiv, 12 : *Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris.*

Et illud : *Crucifige, crucifige* [1] : Et illud : *Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere* [2]. Et illud : *Venite, occidamus eum, et habebimus hæreditatem* [3]. Ubi Augustinus : « Stulti, quomodo erit « vestra hæreditas ? Quia occidistis, non « erit vestra, quia perditione digni estis. « Unde vineam suam locabit aliis agri- « colis. » « *Adversum me.* » Thren. III, 59 : *Vidisti iniquitatem illorum adversum me.*

Adulatio pestifera. Moraliter verbum iniquum dicunt adulatores, qui dicunt istis majoribus : Domini, ducatis in bonis dies vestros, honores mundi diligite : quod mundo debetis, illi reddite : nobiles, potentes, divites hujus mundi frequentate delicias, desideria carnis explete, corpus vestrum delicate sustentate : satis estis juvenes, post juventutem satis pœnitentiam poteritis facere. Sed miseri qui hæc dicunt, deberent attendere illud verbum Evangelicum quod est verbum æquitatis, Luc. XII, 20 : *Stulte, hac nocte animam tuam, repetent a te : et quæ parasti, cujus erunt ?* Hoc melius exprimit alia littera quæ est : « Verbum diaboli infundebant mihi. » Verbum diaboli fuit, *Nequaquam morte moriemini* [4]. Sed modo per adulatores qui sicut ejus organa, dicit : Nequaquam adhuc moriemini, sed restat vobis magnum tempus, primo ad deliciose vivendum, secundo ad pœnitentiam faciendam, Sed deberent attendere quod scriptum est, Job, XIV, 1 : *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis.* Et alibi, XIV, 5 : *Breves dies hominis sunt.* Et Eccli. x, 12 : *Rex hodie est, et cras moritur.* Et est hic notandum, quod ter dicit, « *adversum me :* » quia est adversitas in susurratione, unde dicit : « *Susurrabant.* » Est adversitas in cogitatione ; unde dicit, « *Cogitabant mala mihi.* » Et est adversitas in machinationis, vel conspirationis publicatione, vel propalatione cum dicitur, « *Verbum inquum,* etc. » Sed potest quæri, quare non fit hic mentio de adversitate in operatione ? Sed potest esse responsio, quod hic loquitur de Judæis, et contra Judæos, qui mortem Christi procuraverunt : sed milites qui erant Gentiles, exsecutioni mandaverunt.

« *Numquid qui dormit ?* » Supra posuit Propheta inimicorum Christi contra ipsum machinationem, hic ponit illius machinationis frustrationem : et facit duo. Quia primo unum implicat. Secundo, aliquid petit et desiderat, ibi, « *Non adjiciet.* » Implicat Christum mortuum vel moriturum. Petit resuscitatum, vel resuscitandum ? — Vani conatus Judæorum.

Dicit ergo : « *Numquid,* etc. » Inimici Christi contra ipsum machinantes, intendebant nomen ejus exstinguere, sed non prævaluerunt, nec quod intendebant perfecerunt : quia si mortuus fuit ut mortalis homo, non peribit nomen ejus, sed resurget cum sit æternaliter Deus. Hoc est quod dicit : « *Numquid qui dormit,* » id est, Christus, qui moritur, « *non adjiciet ut resurgat ?* etc. » Imo resurget, quia duæ negationes relinquunt unam affirmationem. Illius enim resurrectione visa confundentur inimici, non solum confusione in præsenti, sed etiam confusione æterna. Et sicut cum quis a sommo resurgit, fortior videtur quam ante, sic Christus resurgens a morte. Cassiodorus : « Dormire est a sensibus « carnis remissa mentis intentione quie- « scere, et iterum ad actus vitæ nostræ « reparato animi vigore remeare. » Et nota, quod Christi mors dicitur *dormitio.* Primo, propter ejus voluntatem. Secundo, propter resurgendi facilitatem. Joan. x, 18 : *Potestatem habeo ponendi animam meam, et iterum sumendi eam.* — Mors Christi quare dormitio dicitur ?

1 Luc. XXIII, 21.
2 Matth. XXVII, 42.
3 Matth. XXI, 38.
4 Genes. III, 4.

Tertio, propter resurgendi celeritatem. Matth. XII, 40 : *Sicut fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus, et tribus noctibus*, etc. Ad modicum tempus fuit in morte, sicut homo ad modicum tempus detinetur in dormitione. Quarto, propter resurgentis integritatem. Corpus enim Christi mortuum non fuit incineratum, nec corruptum. Quinto, propter corporis dormientis destitutionem a regimine. Corpus enim mysticum, quod est Ecclesia, a regimine destitutum videbatur, propter mortem Christi. Matth. XXVI, 31 : *Percutiam pastorem, et dispergentur oves gregis*[1]. Sexto, propter Ecclesiæ meliorationem : quia sicut per somnum corpus melioratur, sic Ecclesia per mortem Christi. Luc. XII, 50 : *Baptismo habeo baptizari, et quomodo coarctor usquequo perficiatur ?* Quasi diceret : Cum perficietur, delectabor in Ecclesia, ut pote in Judæis, et conversis gentibus. Augustinus dicit : « Dormit Adam, ut fiat Eva. « Moritur Christus, ut fiat Ecclesia. Dormiente Adam fit Eva de ejus latere. Mortuo Christo percutitur ejus latus lancea, « ut fierent sacramenta quibus fieret Ecclesia. » Et nota, quod sicut medicus provocat phreneticum ad dormiendum, modo quo magis potest, etiam juxta ipsum dormiendo. Sic Christus medicus animarum, qui nos videbat laborare morbo phrenetico, juxta nos dormivit. Quasi diceret : Infirmitas vestra refugit somnum salutis, idcirco juxta vos dormio ut ligando in bono, retrahendo a malo dormiatis. Dormivit, sed ut resurgeret, adjecit, Supra, Psal. III, 6 : *Ego dormivi et soporatus sum, et exsurrexi.* Et alibi, Psal. CXXXVIII, 2 : *Tu cognovisti sessionem*, in sepulchro dormiendo : *et resurrectionem*, a morte resurgendo. Et sicut jam tactum est, qui dormit, fortior resurgit. Sic Christus, II ad Corinth. XIII, 4 : *Etsi crucifixus est ex infirmitate : sed vivit ex virtute Dei.*

Simile notandum.

Et nota, quod signanter dicit : « *Adjecit*, » quia principale fuit ei mori, cætera vero ex adjacentia. Vel propter crucifixores qui solum intendebant ejus mortem, nullo modo sperando ejus resurrectionem. Erat enim illis cura tantum ut moreretur, et sic nomen ejus de terra eradicaretur : sed illis nolentibus, imo si possent contradicentibus, adjecit ut resuscitaret.

Moraliter : Numquid qui dormit per culpam, non adjiciet ut resurgat per pœnitentiam ? Quasi diceret : Imo resurget de peccato ad gratiam, de fœtore ad munditiam, de periculo ad securitatem, de puteo inferni ad jucunditatem paradisi, de servitute peccati ad libertatem ipsius Christi. Si enim Christus resurrexit, et nos quoque resurgemus. I ad Corinth. XV, 51 : *Omnes quidem resurgemus*, non tantum in generali resurrectione, quæ erit in futuro, sed speciali quæ erit in præsenti. Sic resurget peccator si conteratur corde, confiteatur ore, satisfaciat opere, et sic carnalia cum terrenis contemnat, et ad cœlestia cum æternis se erigat. Unde ad Coloss. III, 1 : *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt, quærite : quæ sursum sunt, sapite, non quæ super terram.* Sed multi se et alios decipiunt, qui in suo peccato moriuntur, et alios mori permittunt, antequam ab illo resuscitentur. Isa. XXIV, 20 : *Gravabit eam iniquitas sua : corruet, et non adjiciet ut resurgat.* Talibus locutus est Apostolus ad Ephes. V, 14 : *Surge qui dormis*, etc. Et vere nunc cito surgendum, *quia hora est jam nos de somno surgere*[2]. Et hoc quia pulsatum est horologium, pulsatæ sunt campanæ, pulsatum est classicum, clamatum est regis bannum. Isa. XLIII, 26 : *Narra si quid habes, ut justificeris.*

[1] Cf. Zachar. XIII, 7.

[2] Ad Roman. XIII, 11.

10 De amicis fictis et Judæ proditore.

« *Etenim homo pacis meæ.* » Supra Propheta determinavit de inimicis Christi manifestis et occultis, hic determinat de amicis illius fictis, communiter, sed specialiter de Juda proditore, et tanguntur quatuor quæ aggravant peccatum Judæ. Quorum primum est, quia Christus erat ei pacificus. Secundum, quia erat ei familiaris, et amicus, ibi, « *In quo speravi.* » Tertium, quia erat ei largus et beneficus, ibi, « *Qui edebat panes meos.* » Quartum, quia Judas erat proditor magnificus, ibi, « *Magnificavit super me supplantationem.* »

Dicit ergo : « *Homo pacis meæ.* » Dictum est supra, quia Christus dormivit, id est, mortuus fuit. Et vere sic erat, quia Judas, dicit Christus, tradidit me in manus quærentium animam meam, id est, Judæis : et cum essem ei pacificus, me tradere fuit ei iniquius : unde dicit : « *Homo pacis meæ,* » id est, cum quo pacem habebam, licet non ita ipse mihi. In Psal. LIV, 13 : *Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique.* Iste maledictus Christo debuit esse pacificus. Sed cum magna duritia sui cordis ipsum tradiderit sub signo pacis, Luc. XXII, 48 : *Juda, osculo filium hominis tradis ?* Vere in illo pax vera non fuit. Unde Cassiodorus : « In illius corde pax esse non po« tuit, qui insidias blandiendo præpara« vit. »

« *In quo speravi,* » id est, in quo sperare potui, vel debui, secundum communem usum illorum, qui in suis familiaribus sperant vel confidunt. Et opponit Augustinus : « Quare in illum speravit ? Nonne ab æterno illum cognovit ? » Unde discipulis suis dixit, Joan. VI, 71 : *Nonne ego vos elegi duodecim, et ex vobis unus diabolus est.* Respons. Hoc Christus de se dixit, et docendo alios in se transfiguravit. Multi enim credentes in Christum, videntes Judam esse inter discipulos, et cum Christo ambulare, sperabant quod esset talis quales erant cæteri.

Vel secundum Cassiodorum : « In quo « me sperare putabant alii, non quia in « illo speraret, sciens quod *maledictus est « homo qui confidit in homine, et ponit car« nem brachium suum* (Jerem. XVII, 5). »

Sequitur : « *Qui edebat panes meos.* » Luc. XXII 21 : *Ecce manus tradentis me, mecum est in mensa.* Joan. XIII, 18 : *Qui manducat, panem mecum, levabit contra me calcaneum suum.* Et infra, ℣℣. 26 et 27 : *Cum intinxisset panem, dedit Judæ Simonis Iscariotis, et post buccellam introivit in eum Satanas.*

Sequitur : « *Supplantationem,* » id est, occultam perditionem, « *super me magnificavit.* » Illa enim perditio fuit magna, quia de Christo fuit magnificata, quia a tali scilicet Juda proditore, qui debebat esse Christo pacificus familiaris, et amicus largus et beneficus : et erat sibi factus inimicus, fraudulentus, noxius, et injuriosus, in quo intelligitur magnitudo sui sceleris : unde Cassiodorus : « O discipu« lum indocili corde durissimum, qui tam « crudelis exstitit, ut esset parricida filius, « falsus discipulus, traditor magistri, ser« vus Domini, creatura Creatoris ! » « *Magnificavit.* » Ecce Judæ apertam arrogantiam. « *Super me.* » Ecce apertam injuriam. « *Supplantationem.* » Ecce apertam fraudulentiam. Jerem. IX, 4 : *Omnis supplantans supplantabit, et omnis amicus fraudulenter incedet.* Sed Proverb. XI, 3 : *Supplantatio perversorum vastabit illos.*

Quare Christus permisit se a Juda tradi ?

Sed potest quæri, quare Christus a discipulo voluit tradi ? Resp. Hoc fecit ne homo spem poneret in homine. Jerem. XVII, 5 : *Maledictus,* etc. Michæ. VII, 5 : *Nolite credere amico, et nolite confidere in duce.* Secundo, hoc fecit ne homo se credat homini. Joan. II, 24 : *Ipse autem Jesus non credebat semetipsum eis, eo quod ipse nosset omnes.* Jerem. XII, 6 : *Fratres tui, et domus patris tui, etiam ipsi pugnaverunt adversum te, et clamaverunt post te plena voce : Ne credas eis, cum locuti fuerint tibi bona.* Tertio, ut homo Christianus discat persecutionem sustinere, non solum ab inimicis, sed etiam a domesticis. Joan. XIII, 16 et XV, 2 : *Non est servus major*

domino suo. Si me persecuti sunt, et vos persequentur. Quarto, ut homo ab amicis et familiaribus suis sibi caveat. Eccli. vi, 13 : *Ab inimicis tuis separare, et ab amicis tuis attende.* Michæ. vii, 5 : *Ab ea, quæ dormit in sinu tuo, custodi claustra oris tui.* Quinto, ut ostenderet quantum amici efficaces sunt ad nocendum. Gregorius : « Dum diabolus se propriis « viribus nihil adversum nos proficere « conspicit, tunc per linguas nobis adhæ« rentium sævit. » Ideo nulla pestis efficacior ad nocendum, quam familiaris inimicus. Michæ. vii, 6 : *Inimici hominis, domestici ejus.*

Moraliter hic homo simplex pœnitens et justus quomodo sibi adversatur multifarie inimicus. Unde dicit : « *Homo pacis meæ,* » velut vicinus, « *in quo speravi,* » ut consanguineus, et hujus mundi amicus, « *qui edebat panes meos,* » et commensalis et in mensa socius, « *magnificavit,* etc. » id est, magis quam inimici mei supplantavit. Non sicut Jacob Esau qui suam hæreditatem amisit, sed Jacob illam sibi acquisivit. Isti enim domestici auferunt multis hæreditatem, sed tamen illam non acquirunt sibi, quibus potest dici illud Matth. xxiii, 13 : *Væ vobis qui clauditis regnum cœlorum ante homines : vos enim non intratis, nec introeuntes sinitis intrare.* Eccli. xx, 17 et 18 : *Fatuo non erit amicus, et non erit gratia in bonis illius. Qui enim edunt panes illius, falsæ linguæ sunt* : et te supplantabunt qui in carnis voluntate moriuntur. Pes enim est effectus, planta finis voluntatis, et ipsi in carne mortua terminant voluntatem suam.

11 « *Tu autem, Domine, miserere mei.* » Sicut propheta tetigit Christi passionem, hic orat Christus, et petit suam resurrectionem, et facit tria : quia primo ponit suam petitionem. Secundo, petitionis exaudiendæ confidentiam, ibi, « *In hoc cognovi.* » Tertio, pro petitione exaudita subdit gratiarum actionem, ibi, « *Benedictus Dominus.* »

In prima facit duo : quia primo tangit quod petitur. Secundo, propter quod petitur, ibi, « *Et retribuam eis.* »

Prima pars tangit duo, quorum primum pertinet ad affectum, scilicet miseratio : secundum ad effectum, scilicet resuscitatio.

Dixit ergo : « *Miserere mei,* » hominis, Domine Pater. Christus enim post prædictas miserias, et tribulationes, quasi avis ad nidum suum orat Deum Patrem, et petit suam resurrectionem. Et hic intelligitur quod supra dixit : « *Domine, miserere.* » Et idem hic repetit. Sed supra dixit pro membris tantum, unde ibi sequitur, « *Sana me,* etc. » Hic repetit pro se homine, et pro membris. Unde dicit : « *Resuscita me.* » Resuscitatio autem convenit capiti et membris. Et cum his nota, quod Christus ut homo indigens petit, sed ut Deus omnipotens exaudit.

Dixit ergo : « *Miserere mei,* » hominis, qui sum in afflictionibus et miseria, « *et resuscita me,* » gloriosa resurrectione. Ista resurrectio non fuit iterum morituri, sicut Lazari [1] : sed fuit resurrectio ad gloriam æternæ immortalitatis. Osee, vi, 3 : *In die tertia suscitabit nos.* Nec credendum, quod licet oratio dirigatur ad Patrem, ex hoc impotens sit filius suscitare seipsum : ipse enim de se dicit, Joan. ii, 19 : *Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud* [2]. Cassiodorus dicit : « Quod non potuit mori, non potuit « suscitari : divinitas non potuit mori. « Sicut radius solaris lucet super lignum « quod scinditur, nec potest lædi, sic nec « divinitas Christi potuit mori. Sed caro « fuit mortua cum esset mortalis, et ab

[1] Cf. Joan. xi, 1 et seq.

[2] Cf. Matth. xxvi, 61, et Marc. xiv, 58.

« eo fuit resuscitata. » Joan. v, 21 : *Sicut Pater suscitat mortuos, et vivificat : sic et Filius, quos vult, vivificat.* Isa. XLI, 2 : *Quis suscitabit ab Oriente justum ?*

Sequitur : « *Et retribuam eis,* » inimicis scilicet, et dupliciter. Primo, in præsenti quantum ad pœnam temporalem. Hoc factum fuit, cum Judæi per universum orbem fuerunt dispersi a Romanis per Titum et Vespasianum : sed in futuro quantum ad æternam damnationem : damnabuntur enim qui noluerunt pœnitere vel converti. Isa. LIX, 18 : *Vicissitudinem reddet inimicis suis.* Jerem. IV, 7 : *Ascendit leo de cubili,* ecce resurrectio : *et prædo gentium se levavit,* ecce gentium congregatio ad Judæos dispergendos : *ut ponat terram tuam in solitudinem,* ecce hostium damnatio. Et dixit, « *Retribuam,* » non amore vindictæ, sed ostensione patientiæ et zelo justitiæ. « *Retribuam.* » Quasi diceret : In præsenti tribuam temporaliter, sed in futuro retribuam puniendo æternaliter.

Moraliter : « *Tu autem, Domine, miserere mei.* » Hoc potest dicere quilibet peccator : Domine, miserere mei, quia miser sum et afflictus in multis miseriis. « *Et resuscita me :* » quia mortuus sum, et vitam spiritualem animæ amisi. Et non dicit tantum, Suscita, sed « *resuscita.* » Quasi diceret : Jam alias suscitasti, et ego sic ingratus, excæcatus, lumine gratiæ privatus, me iterum morti spirituali tradidi, et reversus ad vomitum sicut canis, et sus jam lota in volutabro luti [1]. Idcirco Domine mi, « *resuscita me et retribuam ei,* » illis scilicet tribus inimicis meis, scilicet mundo, carni, diabolo, quibus pœnitens retribuit, cum de illis vindictam sumit. De carne per jejunium, de mundo per eleemosynas et mundi contemptum, de diabolo per orationem et amorem serventem. Tob. XII, 8 : *Bona est oratio cum jejunio, et eleemosyna magis quam thesauros auri recondere.* Matth. XVII, 20 : *Hoc genus dæmoniorum non ejicitur nisi per orationem et jejunium.* Vel, « *Miserere mei,* » id est, libera me de statu miseriæ, « *et resuscita me,* » id est, da mihi statum gratiæ, « *et retribuam eis,* » id est, des mihi statum gloriæ, ut judicandos tecum judicem : tu enim dixisti Apostolis, et viris Apostolicis illud Matth. XIX, 28 : *In regeneratione,* etc.

« *In hoc cognovi.* » Supra determinavit Propheta de Christi resurrectione, et 12
sic posuit suam petitionem : hic illius petitionis exaudiendæ cum exauditione ponit confidentiam : et sic facit duo, quia primo ponit illam confidentiam. Secundo, exauditionem, ibi, « *Me autem propter innocentiam.* »

In prima facit tria. Primo ponit paternæ vocis Christi cognitionem, Secundo, ipsius Patris acceptationem, ibi, « *Quoniam voluisti me.* » Tertio, gaudii inimici respectu sui exclusionem, ibi, « *Quoniam non gaudebit.* » Et sic ista cognitio exprimit triplicem confidentiam. Primo, quantum ad seipsum. Secundo, quantum ad Patrem suum. Tertio, quantum ad inimicum.

Dixit ergo : « *In hoc cognovi.* » Sed nonne prius ipse cognovit ? Constat, quod sic. Resp. Cognovit ab æterno. Sed dicit nunc se cognoscere, quia fecit ut cognosceremus. Simile, Genes. XXII, 12 : *Nunc cognovi, quod times Dominum,* id est, te et alios cognoscere feci. Et debet sic ordinari littera : « *In hoc quod voluisti me,* » id est, ab æterno accepisti et approbasti, « *cognovi* » quia suscitabis me, sicut supra petebam. Voluisti enim Deus Pater Christum esse mortuum et resuscitatum voluntate beneplaciti. Matth XVII, 5 : *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi be-*

[1] Cf. II Petr. II, 22.

ne complacui, ipsum audite. Isa. LXII, 4 : *Non vocaberis ultra derelicta, sed vocaberis voluntas mea in ea.* Et etiam in hoc quod voluisti me, « *cognovi, quod non gaudebit inimicus meus super me,* » Judæus scilicet et Judas proditor discipulus : gavisi sunt enim Judæi quando viderunt Christum crucifixum, et mortuum, tunc arbitrantes implevisse effectum suæ voluntatis pravæ, caput suum agitantes, id est, spiritum, quia caput non habebant. Sed Christo resurgente sunt consternati, quia spe sua frustrati. Prius dicebant : Eradamus eum de terra viventium, pereat nomen ejus et non memoretur ultra, condemnemus eum morte turpissima, ne totus mundus eat post ipsum, ne veniant Romani et tollant gentem et locum [1]. Sed quia errantes ceciderunt excæcati et infideles, totus orbis secutus est eum secundum Augustinum. Michæ. VII, 8 : *Ne læteris inimica mea super me, quia cecidi : consurgam.* Baruch, IV, 12 : *Nemo gaudeat super me viduam, et desolatam.* Sequitur : *Ego enim speravi in æternum salutem vestram, et venit mihi gaudium.*

Moraliter, « *Quoniam voluisti me, cognovi,* » securus, Domine, dicit pœnitens, peto tuam misericordiam, dicens : » *Miserere mei, et resuscita me,* » licet reversus fuero iterum ad peccatum post pœnitentiam, quæso, quia adhuc jam alias resuscitare me dignatus es, suscipe me ad pœnitentiam adhuc me suscipiens, remittendo offensam, infundendo gratiam, condonando veniam. Et ideo « *non gaudebit,* » mundus, caro, diabolus, « *super me,* » cum me ad pœnitentiam susceperis. Et sic in hoc versu gratias referendo quantum ad jam collata beneficia, munificum largitorem inducit, addendo ampliora,

13 « *Me autem propter innocentiam.* » Supra posuit Propheta Christi petitionem, et petitionis exaudiendæ confidentiam, hic ponit illius petitionis exauditionem. Et consistit in duobus, scilicet in susceptione, et confirmatione. Susceptio fuit in resurrectione, et confirmatio in gloriæ perpetuitate, ibi, « *Confirmasti me.* »

In primo exprimit resurrectione susceptionem. Secundo, susceptionis causam vel rationem, ibi, « *Propter innocentiam.* »

Dixit ergo : « *Me autem,* etc. : » quia enim Christus fuit innocens, et a peccato immunis, citius debuit resuscitari quam cæteri. Job, XVII, 8 : *Stupebunt justi super hoc, et innocens contra hypocritam suscitabitur.* Supra, Psal. XXIX, 2 : *Exaltabo te, Domine, quoniam suscepisti me, nec delectasti inimicos meos super me.* De innocentia, Job, XXII, 30 : *Salvabitur innocens, salvabitur autem in munditia manuum suarum.*

Sequitur : « *Confirmasti me,* » ubi ponitur confirmatio. Secundo, illius evidentia, et offensio, ibi, « *In conspectu tuo.* » Tertio, ejus perpetuatio, ibi, « *In æternum.* »

Dicit ergo : « *Confirmasti me.* » Hæc confirmatio fuit significata, I. Paral. XVII, 12, ubi dicitur : *Ipse ædificavit mihi domum, et firmabo solium ejus usque in æternum.* Domum, id est, Ecclesiam, ædificavit Christus per se et per suos Apostolos, quorum sonus exivit in omnem terram. Isa. XXII, 23 : *Figam illum paxillum in loco fideli, et erit in solium gloriæ domui patris ejus,* solium gloriæ non vanæ et transeuntis, sed æternæ, et in æternum durantis. Unde dicit hic : « *In æternum.* »

Sequitur : « *In conspectu tuo.* » Quod dicitur ad differentiam conspectus hominum, in quorum conspectu fuit infirmatus in sua passione, hoc est, videbatur infirmus et impotens, quasi leprosus, cui non erat species neque decor [2]. Sed in

[1] Cf. Jerem. XI, 19.
[2] Isa. LIII, 2 et seq.

conspectu Dei fuit confirmatus, gloria et decore immortalitatis decoratus : confirmatus, non ad horam, non ad tempus, sed in æternum. Ad Roman. VI, 9 : *Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur : mors illi ultra non dominabitur.*

Moraliter : Me, dicit pœnitens, contritum, confessum, et ad satisfaciendum paratum propter innocentiam recuperandam suscepisti ad pœnitentiam manu misericordiæ, volens me perducere ad illum montem, quem nullus ascendit nisi innocens. In Psal. XXIII, 3 et 4 : *Quis ascendet in montem Domini?* Sequitur : *Innocens manibus.* « *Et confirmasti.* » Ut de cætero non recidam, et sic sim « *in conspectu tuo in æternum,* » id est, omnibus diebus vitæ meæ tibi complaceam. In Collecta Quadragesimæ dicitur : « Deus « innocentiæ restitutor et auctor, dirige « ad te tuorum corda servorum, ut spiri- « tus tui fervore concepto, et in fide in- « veniantur stabiles, et in opere effica- « ces. »

Vel de futuro : « *Me autem propter* » vitæ meæ « *innocentiam suscepisti,* » id est, suscipies ad gloriam. « *Et confirmasti me,* » id est, confirmabis, « *in conspectu tuo,* » ut te fruerer, et in te delectarer. Prov. VIII, 30 : *Delectabar per singulos dies, ludens coram illo :* « *in æternum,* » id est, sine fine. Qui enim ibi suscipitur, de cætero non timebit lapsum. Propter hoc dicitur ad Ecclesiam triumphantem, quæ jam ibi suscepta est : *Lauda Jerusalem Dominum, lauda Deum tuum Sion. Quoniam confortavit seras portarum tuarum* [1]. Sequitur : *Qui posuit fines tuos pacem,* multo magis medium : quia semper in finibus, et in medio progressu solet esse bellum. Hoc posset dicere quilibet bonus prælatus : « *Me autem propter innocentiam suscepisti* » in prælationem. Multi enim sunt quos Deus non suscipit ad prælationem, sed sibi illam assumunt contra illud Apostoli ad Hebr. V, 4 : *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tamquam Aaron.* Et vere qui sic sibi assumit, non est quisquam, quia dum se magnum aliquid facere credit, se socium illius, et non aliquid facit, qui se voluit aliquid magnum facere, dicens illud Isa. XIV, 13 : *In cœlum conscendam, super astra cœli exaltabo solium meum, sedebo in monte Testamenti.* Sed ad nihilum redactus est, quia ibi sequitur, ℣. 15 : *Verumtamen ad infernum detraheris.* Et post quasi cadaver putridum, non habebit socium. Et quia hodie multi tales sunt in Ecclesia Dei, de illis prædicit Job, XVIII, 15 : *Habitant in tabernaculo illius,* Christi scilicet, *socii ejus, qui non est.* Causam subdit quare non suscipiatur cum dicit : « *Propter innocentiam.* » Unde cum prælatus sit peccator, constat quod a Domino non suscipitur, nisi sit innocens. Sed in prælatione mali fiunt et peccatores, idcirco non possunt dicere quod sequitur : « *Confirmasti in conspectu tuo in æternum,* » quia Dominus projicit a conspectu suo. Exemplum in Saule, quem propter innocentiam suam Dominus suscepit, I Reg. XV, 17 : *Nonne cum parvulus esses in oculis tuis, caput in tribubus Israel factus es?* Sed in conspectu suo illum non confirmavit, eo quod malus factus est, sic inobediens, et plenus peccatis. Unde ibi legitur, ℣. 23, quod dixit illi Samuel : *Pro eo quod abjecisti sermonem Domini, abjecit te Dominus.* Quod signatum est in Petro, quem introduxit Joannes in domum Principis sacerdotum, sed interrogatus ab ancilla si de discipulis Christi esset, ad ignem Christum negavit [2].

Contra malos Prælatos.

14 « *Benedictus Dominus.* » Supra posuit pro petitione exaudita gratiarum actio-

[1] Psal. CXLVII, 12 et seq.

[2] Cf. Matth. XXVI, 69, 72.

nem, hic primo optatur benedictio. Secundo, fit benedicentis descriptio, ibi, « *Dominus Deus Israel*, » Tertio, ponitur benedictionis duratio, vel duplicatio, ibi, « *A sæculo, et usque in sæculum.* »

Dicit ergo : « *Benedictus.* » Vere Deus in se benedictus est, quia in se omne bonum habet, sine quo nullum bonum esse potest : tamen a nobis vult benedici, quia facere non possumus, nisi prius nobis benedicat : quod sciens Propheta dicebat : *Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus*[1]. Vult ergo a nobis benedici, ut ipsum benedicendo, benedictio nobis prosit, reddendo enim Deo quod debemus, nobismetipsis proficimus.

« *Benedictus Dominus,* » Christus homo scilicet cui debetur dulia. Deus Pater, Deus Filius, et Deus Spiritus sanctus cui debetur latria. « *Israel,* » videntium Deum per fidem, nunc in speculo creaturæ, in speculo Scripturæ, ut tandem possim illum videre in speculo divinæ naturæ. Sic quandoque viderunt Judæi, scilicet et in creatura, et in Scriptura : sed illorum benedictio ad minorem filium, id est, ad gentilem populum est translata, qui manens fidelis Christo, et colens illum, dicit illud Luc. I, 68 : *Benedictus Dominus Deus Israel.*

Sequitur : « *A sæculo et usque in sæculum.* » Ubi exprimitur Dei duplex benedictio, quarum una est in præsenti, secunda in futuro Quia secundum Cassiodorum, « per hoc quod dicitur, *A sæculo,* « præsens mundus intelligitur : per hoc « quod dicitur, *In sæculum,* designatur « in quo consistunt æterna. Si enim « sæculum præsens deficiat, Dei benedi- « ctio incommutabilis perseverat. » Unde sequitur : « *Fiat fiat :* » ubi exprimitur benedictionis vel durationis confirmatio. Tob. XII, 6 : *Benedicite Deum cœli, et coram omnibus viventibus confitemini illi : quia fecit nobiscum misericordiam suam.* Et secundum Cassiodorum, « dici- « tur *fiat fiat* : non ut fiat Dominus bene- « dictus, tamquam non sit benedictus, sed « hoc fit ut inde nos proficiamus, dum ju- « giter in ejus laudibus occupamur. » Vel per hoc quod geminatur *fiat,* significatur quod pro duobus sunt gratiæ agendæ, scilicet pro salute bonorum. Apoc. VII, 11, in numeratis signatis subditur : *Ceciderunt in conspectu throni in facies suas, et adoraverunt Deum, dicentes: Benedictio et claritas, et sapientia, et gratiarum actio.* Secundo, gratiæ sunt agendæ pro damnatione malorum. Apocal. XII, 10 : *Nunc facta est salus et virtus,... quia projectus est accusator fratrum nostrorum.*

Vel *fiat* geminatur, quia gratiæ sunt agendæ pro beneficio creationis, et etiam pro beneficio recreationis.

Vel geminatur *fiat,* quia gratiæ agendæ sunt Deo pro mali evasione, et pro boni adeptione. Et nota secundum Hieronymum, quod « in Psalmo sunt qua- « tuor distinctiones, in quorum fine *fiat* « *fiat,* excepto quod in fine quartæ di- « stinctionis loco ejus quod hic dicitur « *fiat fiat,* apud Hebræos dicitur : « Omnis « spiritus laudet Dominum. »

« *Benedictus Dominus,* etc. » « *Benedictus,* » quia benefactor : « *Dominus,* » quia servorum protector : « *Deus,* » quia cultorum exauditor : « *Israel,* » quia speculatorum glorificator : « *A sæculo,* » quia temporalium largitor : « *In sæculum,* » quia æternorum promissor : « *Fiat,* » quia promissorum redditor : « *Fiat,* quia redditorum custos vel custoditor. Ista promissa nobis velit concedere, qui vivit et regnat Deus in sæcula. Amen.

[1] Psal. LXVI, 7.

PSALMUS XLI.

Homo exsul et conturbatus anhelat ad meliorem vitam,

1. *In finem, Intellectus filiis Core.*
2. Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus.
3. Sitivit anima mea ad Deum fortem, vivum : quando veniam? et apparebo ante faciem Dei?
4. Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie : Ubi est Deus tuus?
5. Hæc recordatus sum, et effudi in me animam meam, quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis, usque ad domum Dei,
   In voce exsultationis et confessionis, sonus epulantis.
6. Quare tristis es, anima mea ? et quare conturbas me?
   Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, salutare vultus mei,
7. Et Deus meus.
   Ad meipsum anima mea conturbata est : propterea memor ero tui de terra Jordanis, et Hermoniim a monte modico.
8. Abyssus abyssum invocat, in voce cataractarum tuarum :
   Omnia excelsa tua, et fluctus tui super me transierunt.
9. In die mandavit Dominus misericordiam suam, et nocte canticum ejus :
   Apud me oratio Deo vitæ meæ.
10. Dicam Deo : Susceptor meus es :
   Quare oblitus es mei ? et quare contristatus incedo, dum affligit me inimicus?
11. Dum confringuntur ossa mea, exprobraverunt mihi qui tribulant me inimici mei,
   Dum dicunt mihi per singulos dies : Ubi est Deus tuus?
12. Quare tristis es, anima mea ? et quare conturbas me?
   Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, salutare vultus mei, et Deus meus.

IN PSALMUM XLI

COMMENTARIUS.

1 *In finem, Intellectus filiis Core* [1].

« *Quemadmodum desiderat cervus.* »

Hic est Psalmus quadragesimus primus. Postquam enim egit de fide vera, ut credatur Christus verus Deus, et nihilominus verus homo : quia fides sine charitate non valet, I ad Cor. xiii, 2 : *Si habuero omnem fidem ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum.* Consequenter movet ad charitatem, qua mens illum in quem credit, frequenter desideret, et tristitiam hujus miseræ vitæ temperet : et est ipse primus illorum qui agunt de charitate, et sequuntur duo alii, octogesimus tertius scilicet, « *Quam dilecta tabernacula,* etc. » et centesimus trigesimus tertius, « *Ecce nunc benedicite Dominum.* » Argumentum Psalmi. Charitas gemens ad Deum adspirat.

[1] Ce psaume, dit M. l'abbé Lesêtre, qui est un des plus beaux de la collection, est un *maskil*, ou chant instructif *libnei qorah*, des fils de Coré. Ce Coré, un des révoltés contre Moïse et Aaron, eut des descendants qui ne lui ressemblèrent pas. Ses enfants apparaissent dans l'histoire à la tête d'importantes fonctions lévitiques ; les uns sont portiers du temple, I Par. ix, 17-19 ; xxvi, 1-19 ; les autres sont chantres, sous la direction d'Héman, au temps de David, I Par. vi, 33, et ils remplissent le même office jusque sous le règne de Josaphat, II Par. xx, 19, et peut-être encore dans la suite. Ils ne sont pas nommés ici en qualité de simples exécutants : le psaume est adressé, comme les précédents, *lamnatsach*, au maître de chant, pour la partie musicale ; le ל qui précède le nom des fils de Coré ne peut donc être que le *lamed auctoris*, lu déjà bien souvent devant le nom de David. Nous savons d'autre part que les Coraïtes unissaient parfois le talent de poètes à celui de chanteurs : quant au nombre des sages que surpassait le roi Salomon, l'auteur du livre des Rois, III, iv, 31, cite Héman : il ne veut pas parler d'un simple chantre ; or Héman était coraïte, et le psaume LXXXVII, adressé au maître de chant et attribué aux fils de Coré en général, portera ensuite le nom d'Héman l'Ezrahite, ce qui prouve que parmi les chantres de la descendance de Coré, plusieurs s'appliquaient, non sans grand succès, à la composition de cantiques analogues à ceux de David. La collection de ces cantiques porte le titre général de Psaumes des enfants de Coré, sans que pour l'ordinaire, on se soit mis en peine de conserver le nom de chaque auteur particulier ; c'est ce qui fait que le seul psaume cité plus haut, parmi tous ceux de la collection, ait gardé le nom du poète qui l'a composé.

On n'est d'accord ni sur la date du psaume, ni sur l'occasion qui l'a inspiré. Eusèbe et Théodoret, sans préciser l'époque où les fils de Coré l'ont écrit, en font une prophétie de la captivité de Babylone ; D. Calmet se rallie à cette opinion. M. le Hir le rattache, ainsi que les sept suivants, à l'invasion de Sennachérib, Ewald, au règne de Jéchonias, Olshausen, suivant son habitude, à celui d'Antiochus Epiphane. Hitzig le fait composer par le grand prêtre Onias III, d'autres par un prêtre ou un lévite exilé par Athalie, etc. L'opinion la plus probable et généralement adoptée attribue le psaume à un coraïte, contemporain de David, et compagnon du saint roi dans sa fuite au-delà du Jourdain, pendant la rébellion d'Absalon. Sic Rosenmüller, Moll, Thalhofer, Patrizi, etc. Le style, en effet, a les mêmes allures que celui de David pendant cette période. Cf. Psal. LXII, de David, sur le même sujet, et Psal. LXXXIII, des fils de Coré. Le poète parlerait soit au nom du royal persécuté, soit plutôt en son propre nom, car nous ne trouvons rien dans le texte qui oblige à croire que le coraïte fut réfugié dans le même endroit que son maître, et se fit l'interprète de ses désirs et de ses espérances.

Ce psaume n'en forme qu'un seul avec le suivant, comme l'avaient déjà remarqué Eusèbe et la Misdrash, et comme beaucoup de manuscrits hébreux en font foi. D'ailleurs l'identité du sujet et de la disposition strophique, la répétition de vers et surtout du refrain ne laissent pas de doute à cet égard. Toutefois, la division inspirée probablement par des motifs liturgiques, doit être fort ancienne, car nous la retrouvons dans toutes les versions. On ne peut manquer d'admirer la vie, le coloris, la poésie touchante que le psalmiste met en œuvre pour rendre sa prière plus digne de Jehova. « Semblable à tous les affligés qui cherchent des consolations, il arrête ses regards sur les vagues échappées de la source Phiala ; leur mélancolique bruissement lui rappelle les calamités que Jéhova a

Præponitur titulus : *Intellectus filiis Core*. Sciendum quod Core, ut dictum est supra, interpretatur *calvus*, vel *calvaria :* et signat Christum, qui in Calvaria passus est. Unde Glossa adaptat Christum crucifixum Eliseo, cui irridentes pueri (IV Reg. II, 23) dicebant : *Ascende calve, ascende calve.* Filii ergo Core sunt filii Christi in cruce nudati, et ab omni temporalitate decalvati, et in loco Calvariæ ad litteram crucifixi. Sensus ergo est tituli : « *Intellectus* » hujus Psalmi, tendentis, id est, tendere facientis nos, « *in finem,* » convenit « *filiis Core,* » id est,Christi : vel convenit intellectus, ut ipsum non tantum ore cantent, sed intellectu et corde, secundum illud Matth. xv, 8 : *Populus hic labiis me honorat : cor autem eorum longe est a me* [1].

Psalmus autem dividitur primo et principaliter in duas partes. Cum enim agat de charitate, quæ sicut dictum est, et cœlestia facit desiderare, tristitiam hujus sæculi expellit, primo agitur de charitate desiderium inflammante. Secundo, de eadem sæculi tristitiam expellente, ibi, « *Quare tristis anima mea.* »

Prima dividitur in tres. Primo enim describitur desiderii magnitudo. Secundo, præ desiderati absentia, continua lacrymatio, ibi, « *Fuerunt mihi lacrymæ meæ.* » Tertio, absentis diligens inquisitio, ibi, « *Hæc recordatus sum.* »

Desiderii magnitudo exprimitur ex tribus. Primo, ex sitibundi cervi comparatione in primo versu. Secundo, ex desiderii prolongatione, ibi, « *Sitivit anima mea.* » Tertio, ex anxia quæstione, ibi, « *Quando veniam.* »

Primum autem dupliciter legitur. Primo, in persona catechumeni. Secundo, in persona perfecti viri.

Dicit ergo sic : « *Quemadmodum cervus,* » extracto de caverna serpente venenoso æstuans, et renovationem quærens, « *desiderat ad fontes aquarum,* » scit enim cum ad illum venerit quod ab illo liberabitur : « *ita,* » dicit catechumenus, « *anima mea,* » jam extracto de terra cordis peccato, per confessionem, quod serpens est, Eccli. XXI, 2 : *Quasi a facie colubri fuge peccata,* « *desiderat ad te, Deus,* « scilicet ad tuum sacramentum scilicet baptismi, ad exstinguendum venenum serpentis, scilicet fomitem, et originale peccatum. Eccli. III, 33 : *Ignem ardentem exstinguit aqua.* Illum ignem de quo Isa. IX, 18 : *Succensa est quasi ignis impietas.* 2

Prima pars Psalmi : Charitas ad æterna adspirans.

Vel sic : « *Quemadmodum cervus,* » etiam renovatur secundum illud Apostoli ad Ephes. IV, 22-24 : *Deponite vos veterem hominem,... et induite novum,* etc. Et ibidem, *Renovamini spiritu mentis vestræ.* Hinc inolevit consuetudo, quod in vigilia Paschæ, quando solebant antiquitus baptizari, cantabatur iste Psalmus.

Vel de viro perfecto sic : « *Quemadmodum desiderat cervus ad fontem aquarum,* » extracto serpente venenoso de caverna, sicut dictum est : « *ita anima mea,* » interfecto per pœnitentiam diabolo, ut jam non regnet per peccatum in nostro mortali corpore. Ad Roman. VI, 12 : *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore.* Et interficietis, quantum in vobis est, serpentem antiquum diabolum, de quo Genes. III, 1 : *Sed et serpens erat callidior cunctis animantibus,* etc.

fait fondre sur lui ; peu à peu cependant, il se souvient que son amie, sa harpe, lui est resté fidèle... » Herder, Poés. des Héb. II, 10. Que d'émotion, que de douce expérance dans ce refrain qui vient par trois fois calmer la tristesse du psalmiste et le faire sourire à travers ses pleurs !

Ce psaume peut servir au chrétien d'acte de désir : étranger au milieu d'un monde impie, il aspire à entrer bientôt dans la céleste patrie.

[1] Cf. Isa. XXIX, 13.

Isa. xxvii, 1 : *In die illa visitabit Dominus....... super Leviatham serpentem vectem*, etc. « *Desiderat ad te*, o *Deus,* » ut sitim et ardorem desiderii mei, qui es fons vivus, exstinguas. Psal. xxxv, 10 : *Quoniam apud te est fons vitæ*. Ecce quod dicebat Paulus jam expulso serpente, scilicet diabolo, ad Philip. i, 23 : *Desiderium habens dissolvi, et esse cum Christo*. Sed cum bonitas Creatoris in infinitum excedat bonitatem creaturæ, quomodo comparavit David desiderium Dei a viro justo, desiderio fontis a cervo animali bruto ? Respons. Homo per peccatum factus est brutalis, Psal. xlviii, 13 : *Homo, cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus*, etc. Et alibi, Psal. lxxii, 23 : *Ut jumentum factus sum apud te*. Et ideo magnum est quantum est ex parte sui si desideret sicut brutum. Vel potest dici, quod desiderium humanum ex ratione multo excellit desiderium bruti, tamen in tribus debet assimilari desiderio cervi in hoc casu. Primo, ut desideret Deum totaliter, sicut cervus totaliter fontem, non aliquam ejus partem vel rivum. In Psal. xxxvii, 10, supra : *Domine, ante te omne desiderium meum*. Item, secundo, ut desideret indesinenter, sicut cervus fontem vivum. Isa. xxvi, 9 : *Anima mea desideravit te in nocte : sed et spiritu meo in præcordiis de mane vigilabo ad te*. Item, ut perseveranter, scilicet usque in finem, quando ab eo remuneremur, sicut cervus hoc desiderium continuat. Psal. civ, 4 : *Quærite Dominum, et confirmamini, quærite*, etc. Matth. x, 22 : *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit*.

Cur cervi utatur comparatione ?

3 « *Sitivit anima mea.* » Hic secundum. Quasi diceret : « *Desiderat anima mea*, » non modo primo, imo « *sitivit*, » jam diu est « *ad Deum*. » Græca versio habet, « fortem, » quasi diceret, non ad idola fictilia, et fragilia. Sapient. xiv, 8 : *Illud autem cum esset fragile, deus cognominatus est*. « *Vivum*, » non mortuum, sicut illa Baruch, vi, 41 : *Sensum non habent ipsi dii illorum*. Sapient. xiii, 17 : *Non erubescit loqui cum illo qui sine anima est*. Vel « *fontem vivum* : » sic enim appellat se. Jerem. ii, 13 : *Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ*.

« *Quando veniam.* » Ecce vehementia desiderii. Quasi dicat : Tarde. Et dicit Glossa Augustini : « Citius est Deo, tar« dius est desiderio. » Proverb xiii, 12 : *Spes, quæ differtur, affligit animam*. Cassiodorus : « *Quando* cum pondere « pronuntiandum, ut gravis ei videatur « esse dilatio. » Et « *apparebo ante faciem Dei*, » ut satiet illo æterno fonte, et reficiam sitim meam. Psal. xvi, 15 : *Satiabor cum apparuerit gloria tua*. Hic nota, quod sitis accrescit ex tribus. Ex purgatione, ex sale, ex calore. Sic certe spiritus purgati ab omni humore peccati sitiunt Deum. 1 Pet. i, 12 : *In quem desiderant Angeli prospicere*. Et repleti sale divinæ sapientiæ anxii sunt ad Deum venire, secundum illud Eccle. i, 18 : *Qui addit scientiam, addit et laborem* sitis quam habet a Deo. Et ardentes et tabescentes divino igne. Eccli. xxiii, 22 : *Anima calida quasi ignis ardens, non exstinguetur donec aliquid gluttiat*.

Sitis crescit purgatione, sale, calore.

Nota etiam, quod Deus dicitur *fons*, quia seipsum nobis indesinenter communicat. Eccli. xxiv, 14 : *Usque ad futurum sæculum non desinam*. Item, communicans se indesinenter, semper abundat. Isa. i, 11 : *Plenus sum*. Quippe flumina quæ ab eo procedunt, Filius et Spiritus sanctus, ab eo non recedunt. Joan. i, 18 : *Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit*. Joan. xiv, 11 : *Ego in Patre et Pater in me est*. Item, aqua plus delectat omni alio : sic Deus super omnia delectabilia. Psal. xv, 11 : *Delectationes in dextera tua usque in finem*. Proverb. ix, 17 : *Aquæ furtivæ dulciores sunt*. Psal. xxx, 20 : *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ*, etc.

Deus fonti comparatur.

4 « *Fuerunt mihi lacrymæ.* » Hic secundum, in quo subjungitur pro dilatione lacrymatio : et dicuntur duo. Primo, lacrymatio. Secundo, lacrymationis ratio, ibi, « *Dum dicitur mihi.* »

Dicit ergo : Sic dico : Quando apparebo in pœnitentia ? Nec mirum, quia hac in via « *fuerunt mihi lacrymæ meæ,* » a me effusæ « *die* » prosperitatis, « *et nocte* » adversitatis, ut nullam omnino reciperem consolationem, secundum illud Psal. LXXVI, 3 : *Renuit consolari anima mea.* Fuerunt, inquam, non lacrymæ exinanitionis, « *sed panes,* » id est, lacrymæ refectionis. Hieronymus : « Sicut « corpus satiatur pane, ita anima lacry- « mis. » Cassiodorus : « Audiant hoc « qui Domino flere non appetunt, juges « lacrymas, non inediam, sed satietatem « potius intulisse. Fletus ille, spiritualis « cibus est animarum, corroboratio sen- « suum, absolutio peccatorum, refectio « mentium, lavacrum culparum. » Iste petierat bibere : « *Sitivit,* » inquit, « *anima mea,* » et datur ei comedere. Sed quid lacrymæ quæ salsæ sunt ? comedendo autem salsum crescit sitis. Et ex hoc est quod tales lacrymæ desiderium non exstinguunt, sed augent.

« *Dum dicitur mihi.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic lacrymas effundo, sed quare ? Propter urgentem inimicorum insultationem. Et hoc est quod subdit, « *Dum dicitur mihi quotidie,* » ab inimicis meis, paganis, hæreticis, et Judæis, hominibus peccatis sordidis. Dicitur, inquam, insultando : « *Ubi est Deus tuus ?* » Optima causa flendi. Cassiodorus : « Ultra omnes labores est « ipsum insultantem cernere, quem « cognoscis conscientiæ pravitate sor- « dere. » Et si tibi dicat paganus ostendens digito Deum suum, ubi Christiane est Deus tuus ? Responde secundum Augustinum : « Possum tibi ostendere « Deum meum, sed oculos non habes « unde videas. » Matth. v, 8 : *Beati mundo corde : quoniam ipsi Deum videbunt.*

Hic nota, quod debemus habere lacrymas occultiores, ut dicitur Isa. XXII, 4 : *Recedite a me, amare flebo.* Corpori et animæ communes. « *Meæ,* » dicit anima, non solius corporis, sicut in ficte plorantibus. Eccli. XII, 16 : *In oculis suis lacrymatur inimicus,* scilicet hypocrita. Quomodo flendum ? Item, uberiores, ut non tantum in genis, sed et in os fluant. « *Panes.* » Alibi, in Psal. CI, 10 : *Potum meum cum fletu miscebam.* Et juges, « *die ac nocte.* » Jerem. IX, 1 : *Quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrymarum, et plorabo die ac nocte,* etc.

« *Hæc recordatus sum.* » Hic tertium, 5
scilicet absentis diligens inquisitio : sed quia hæc inquisitio supra res humanas, tangit tria. Primo, diligens scrutinium. Secundo, locum in quem vadit ad quærendum, ibi, « *Transibo in locum.* » Tertio, sui transitus adjutorium, ibi, « *In voce exsultationis.* »

In prima duo. Primo tangit scrutinium in creaturis corporalibus. Secundo, in spiritualibus, ibi, « *Et effudi in me.* »

Dicit ergo : Sic dicunt insultando : Ubi est Deus tuus ? et dum hæc dicunt, « *hæc recordatus sum,* » id est, temporalia, et visibilia meditatus sum, considerando. Bene inchoat, quia ad Rom. I, 20, dicitur : *Invisibilia Dei, a creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta, conspiciuntur.* Et quia in his non inveni, « *effudi in me animam meam,* » intra me ipsam per ipsam cogitando, et per alios spiritus discurrendo : sed nec sic invenio. Cantic. III, 1 : *Quæsivi illum, et non inveni.* Et ubi effudi ? « *Quoniam transibo in locum tabernaculi,* » id est, in Ecclesiam militantem, quæ tabernaculum ejus dicitur, Apocalyps. XXI, 3 : *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus.* Tabernaculi, inquam, « *admirabilis,* » pro sua pulchritudine, Ad Ephes. v, 26 et 27 : *Mundans eam lavacro aquæ, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut*

rugam, aut aliquid hujusmodi. Et ultra, « *usque ad domum Dei,* » id est, Ecclesiam triumphantem, quia nihil ita simile triumphanti, sicut militans. Ad Hebr. VIII, 5 : *Vide* (*inquit*) *omnia facito secundum exemplar, quod tibi ostensum est in monte* [1].

Alio modo legitur, secundum quod per hæc prædicta, verba adversariorum dinumerantur sic : Interim dum improperant idololatræ, « *Ubi est Deus tuus ? recordatus sum,* » interius meditando, « *et effudi,* » præ gaudio, « *animam meam,* » sicut res bulliens effunditur. Cantic v, 6 : *Anima mea liquefacta est.* Sed ubi ? Numquid extra te, sicut gaudentes in exterioribus ? Eccli. x, 9 et 10 : *Avaro nihil est scelestius.... Nihil est iniquius quam amare pecuniam : hic enim et animam suam venalem habet, quoniam in vita sua projecit intima sua.* Non, sed « *in me.* » Sic autem gaudeo, « *quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis,* » scilicet in Ecclesiam triumphantem, de quo supra in Psal. XIV, 1 : *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo ?* etc. Et hoc, « *usque ad domum Dei,* » id est, in mansionem, in qua Deum videam, sicut homo videtur in domo sua. Joan. XIV, 2 : *In domo patris mei mansiones multæ sunt.* Unde quidquid dicunt, non curo, quia si hic non video, gaudeo, quia ibi videbo. Psal. CXXI, 1 : *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi : in domum Domini ibimus.*

« *In voce exsultationis.* » Hic tertium, in quo tangit sui transitus adjutorium, scilicet sonum exsultantium in paradiso, et epulantium, qui ejus auribus sonabit.

Dicit ergo : Sic transibo in domum Domini, sed quomodo ? « *In voce exsultationis* » secreta, et quasi in corde interius audita. Isa. XXXV, 10 : *Gaudium et lætitiam obtinebunt, et fugiet dolor et gemitus.* « *Et confessionis,* » laudis divinæ. Quasi non tantum in se exsultantium, sed in Deum, et ipsum laudantium. Isa. LI, 11 : *Venient in Sion laudantes :* quæ vox est « *sonus epulantis,* » id est, epulas celebrantis. Erat enim antiquitus consuetudo, quod festa et convivia facientes, inter epulas musicis utebantur instrumentis. Isa. V, 12 : *Cithara, et lyra, et tympanum, et tibia, et vinum in conviviis vestris.* Luc. XV, 23-26 : In reversione filii prodigi fecit pater convivium, et audita est vox chori et symphoniæ. Sic in illa cœlesti patria epulantur cum summa modulatione. De epulatione, Isa. XXV, 6 : *Faciet Dominus in monte hoc convivium pinguium, convivium vindemiæ,* etc. Et LXV, 13 : *Ecce servi mei comedent.* Sed numquam sine sono lætitiæ et laudis ? Subjungit : *Servi mei laudabunt præ exsultatione.* Hac ergo dulcedine dicit se illectum, et abstractum : super omnia enim rapit mentem sursum, et trahit, et ab omni carnalitate abstrahit dulcis sonus : quia, sicut vult Philosophus, « Calor est in corpore mixto, ardor in aere grosso et fumoso, sapor in aqueo, tangibile in terreo, tamquam in subjecto. » Unde omnia quæ quasi fixa sunt in his quæ tenent locum infimum, animum inclinant ad infimum. Sed sonus in aere subtilissimo, qui semper tendit sursum : quod sentimus experimento, si enim loquens sit infra, tu supra, melius audies, quam e converso.

Cur sonus sursum rapit animum.

6

« *Quare tristis es ?* » Hic est secunda pars, in qua agit de charitate confortante in his tribus in quibus sensualitas primo contristatur, et hinc ratio turbatur.

Secunda pars Psalmi : De consolatione et tædio terrenorum.

Duo ergo dicuntur. Primo, adhibet

[1] Cf. Exod. XXV, 40 :

remedium sensualitati. Secundo, rationi ibi, « *Ad meipsum.* »

In prima duo secundum duo remedia quæ adhibet. Primo, increpationem. Secundo, consolationem, ibi, « *Spera in Deo.* »

Et primo increpat eam de proprio dolore. Secundo, de sui perturbatione, ibi, « *Et quare.* »

Dicit ergo : Sic anima transibit ad illam domum, unde jam gaudia sentit. Licet ergo mundus foris perstrepat, caro gravet, « *quare tristis es, o anima mea, et quare conturbas me ?* » dicit ratio. Eccli. xxx, 22 : *Tristitiam non des animæ tuæ.* Quare tristis es de temporalibus non habitis, cum abundas aliis ? Hæc est enim mala tristitia si his tristaris. II ad Corinth. vii, 10 : *Sæculi tristitia mortem operatur.* Quare tristis es de perditis ? si habuisti onus,deposuisti. Isa. xxx, 6 : *Onus jumentorum Austri.* Seneca : « Pecuniam perdidisti infinitam ? for« tasse illa te perdidisset. » Quare tristis es de præsentibus adversis, quibus erudiris et mundaris ? Super illud Luc. xvi, 20 : *Ulceribus plenus :* Quos vitii infirmitas vulnerat, medicina paupertatis sanat. Jerem. vi, 7 et 8 : Alia littera : Per omne flagellum erudieris Jerusalem [1] : Quare tristis es de pravis moribus et venialibus culpis quibus humiliata exercitaris ? Judic. iii, 4 : *Has gentes dimisit Dominus, ut in ipsis experiretur,* id est, exerceretur *Israel.* Quare pro æternis dilatis ? quia sic desiderando proficis. Gregorius : « Sancta desideria « dilationis gremio nutriuntur. »

Rationem turbat sensualitas tribus modis.

« *Et quare conturbas me ?* » Et nota, quod sensualitas turbat rationem tripliciter. Alliciendo ut in inferioribus delectetur, Proverb. xv, 6 : *In fructibus impii conturbatio.* Cogendo ut afflictionibus corporis ipsa compatiatur, Sap. ix, 15 : *Corpus quod corrumpitur, aggravat animam.* Si enim unum membrum alteri compatitur [2], multo ortius ratio sensualitati. Tertio, impediendo intellectum phantasmatibus, ne æterna veritas videatur. Quando enim deberet intelligere, et meditari cœlestia, sensualitas infert illi phantasmata. Dan. iv, 2 : *Cogitationes meæ in strato meo, et visiones capitis mei conturbaverunt me.*

« *Spera in Deo.* » Hic subjungitur consolatio post increpationem : et dicuntur duo. Primo consolando monet ut speret. Secundo, quare et potest, et debet spetare, ibi, « *Quoniam adhuc confitebor.* »

Dicit ergo sic : Non contristes me, nec conturbes, imo « *spera in Deo,* » ut sit consoleris, quia ad Roman. v, 5, dicitur : *Spes non confundit.* Et xii, 12 : *Spe gaudentes.* Eccli. ii, 11 : *Nullus speravit in Domino, et confusus est.*

« *Quoniam adhuc.* » Hic subjungitur causa et ratio quare, scilicet plena confessio quam proponit facere, etc. Et hanc dupliciter, laudis scilicet, et peccati. De utraque legitur, et secundum quod legitur de prima, duo dicuntur : futura confessio laudis et laudis modus et materia, ibi, « *Salutare vultus.* »

Ait enim : Sic spera, et potes, *quo« niam adhuc confitebor illi,* » ipsum laudando. Psal. cviii, 30 : *Confitebor Domino nimis in ore meo.* Et quare hoc ? Quoniam ipse est, « *salutare vultus mei,* » particeps, hoc est, mihi similis in natura, et talis vultus, qualis ego sum. Ad Philip. ii, 7 : *Formam servi accipiens, et habitu inventus ut homo.* Ipse, dico, « *Deus meus,* » ut non tantum

[1] Vulg. habet, Jerem. vi, 7 et 8 : *Iniquitatas et vastitas audietur in ea, coram me semper infirmitas et plaga. Erudire Jerusalem, ne forta recedat anima mea a te.*

[2] I ad Corinth. xii, 26 : *Et si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra.*

sit « *vultus mei,* » sed etiam Dei. Hoc est quod promisit Apostolus ad Philip. II, 6 : *Qui cum in forma Dei esset.*

Vel sic : Dicit filius Core : Anima mea spera, et potes : « *Quoniam adhuc confitebor illi* » peccata mea, quod erit tibi ad salutem. Ad Rom. X, 10 : *Ore autem confessio fit ad salutem.* Proverb. XXVIII, 13 : *Qui autem confessus fuerit,* illi, inquam, qui est « *Salutare,* etc. » non mutatur hæc oratio.

« *Et Deus meus.* » Vide supra.

7

« *Ad meipsum.* » Hic secundum, in quo subjungit remedium contra turbationem rationis. Et primo tangitur rationis turbatio. Secundo, ipsius turbationis remedium, ibi, « *Propterea memor ero.* » Tertio, turbationis ratio, ibi, « *Quare oblitus es mei.* »

Dicit ergo sic : Turbata sensualitas turbat me, et non est hæc turbatio ab extrinseco tantum, imo « *ad meipsum* » est, de meipso, vel « a meipso, » secundum litteram Cassiodori. Non enim potest esse quod anima *ad seipsam* redeat, quin inveniat turbationem. Augustinus : « Vis ut non turbetur anima ? « non remaneat in seipsa : sed dic : *Ad* « *te, Domine, levavi animam meam* [1]. » Cant. VI, 11 : *Anima mea conturbavit me.* Quippe ad Galat. V, 17 : *Caro concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem.* Propter hoc dicitur Osee, XIII, 9 : *Perditio tua* ex te *Israel,* supple, est, *tantummodo in me auxilium tuum.*

« *Propterea memor ero.* » Hic subjungitur turbationis remedium, et hoc duplex : Dei recordatio, et secreta oratio, ibi, « *Apud me oratio.* »

In prima duo. Primo tangit recordationem quam habet de Deo. Secundo, recordationis multiplicem rationem, ibi, « *De terra Jordanis.* »

Dicit ergo : Sic turbor a meipso : propterea in remedium hujus turbationis, « *memor ero tui,* » cujus memoria generat delectationem. Psal. LXXVI, 4 : *Memor fui Dei, et delectatus sum.* Propter hoc Isa. XXVI, 8, dicitur : *Memoriale tuum in desiderio animæ.* Et Osee, XIV, 8 : *Memoriale ejus sicut vinum Libani.*

Recordatio Dei ex multiplici capite.

« *De terra Jordanis.* » Hic tangitur hujus memoriæ multiplex ratio. Prima est beneficiorum multiplicatio. Secunda, concors Scripturarum convocatio, ibi, « *Abyssus abyssum.* » Tertia, pœnalitatis brevis duratio, ibi, « *Omnia excelsa tua.* » Quarta, universalis instructio, ibi, « *In die mandavit.* »

Primo a beneficiis divinis.

In prima tanguntur quatuor beneficia combinata. Primo, aptitudo ad fructificandum, et renovatio per baptismum. Secundum efficit primum. Secundo, abrenuntiatio ipsi diabolo, et sibi et bonorum operum humilis perfectio, ibi, « *Et Hermoniim.* »

Dicit ergo : « *Sic memor ero tui,* » recolens « *de terra Jordanis.* » Jordanis est fluvius in quo Christus fuit baptizatus (Matth. III, 13, et Luc. III, 21), in quo significatur spiritualis renovatio. In terra autem quæ est juxta Jordanem, ubi fertilitas et aptitudo ad fructificandum. Luc. VIII, 15 : *Qui autem in terram bonam, hi sunt,qui... fructum afferunt in patientia.*

« *Hermoniim.* » Et hoc « *a monte modico.* » Hic mons est mons modicus juxta Jordanem, et interpretatur *anathematizatio.* Quasi diceret : Memor ero tui de terra anathematizationis, hoc est, quia datum est mihi diabolum anathematizare, et tamquam anathema separare a me. Et meipsum montem dico modicum, quia sum mons per vitæ altitudinem, modicus tamen per humilitatem. Ecce separatio a diabolo, et humi-

[1] Psal. XXIV, 1.

lis profectio, quemadmodum in Paulo, qui erat mons tangens usque ad tertium cœlum [1]. Et tamen modicum se exhibebat per humilitatem, I ad Corinth. xv, 9 : *Ego enim sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei.*

8 Abyssus abyssum invocat. Vetus Testamentum et Novum. « *Abyssus abyssum invocat.* » Hic secunda ratio, scilicet Scripturarum concors invocatio. Legitur enim tripliciter : quia abyssus potest significare Scripturam secundum divisionem dictam, aut humanam naturam, aut judicis Christi sententiam.

Dicit ergo : Dixi, quod ero memor tui, et hoc debeo, quia « *abyssus,* » id est, Testamentum Vetus, « *invocat abyssum,* » ad hoc ut tui memor sim, id est, Novum, quod est « *in voce cataractarum tuarum,* » id est, Apostolorum : cataractæ enim sunt ostia fluviorum, hoc est, unde fluvii oriuntur. Sic de ore Apostolorum, Proverb. xviii, 4 : *Aqua profunda verba ex ore viri.*

Secundo modo sic : Debeo esse memor tui : quia ad hoc homo hominem invocat, et invitat, sicut Paulus, qui homo fuit, Salomon et alii. Apocalyps. xxii, 17 : *Qui audit, dicat : Veni.* Homo autem vocans, et homo vocatus *abyssus* dicitur, quia uterque cognoscit cor alterius tantæ profunditatis. Jerem. xvii, 9 : *Pravum est cor omnium et inscrutabile : quis cognoscet illud ?* I ad Corinth. ii, 11 : *Quis enim hominum scit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est ?* Sed numquid cum homo hominem sic invocat ad tui memoriam, hoc facit propria virtute ? Imo hoc fit « *in voce cataractarum tuarum,* » id est, in Spiritus sancti inspiratione interna, quæ generat in eis flumina, et ostia diversarum gratiarum. Matth. x, 20 : *Non enim vos estis qui loquimini,* etc.

Tertio, modo sic : Anima mea turbata, ad meipsum reversa est. Nec mirum : quia « *abyssus* » sententiæ judicialis in Adam prolatæ, « *invocat,* » id est, nobis aperte indicat « *abyssum,* » judicium scilicet et sententiam de nobis. Ad Roman. xi, 33 : *O altitudo sapientiæ, et scientiæ Dei : quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus !* Propter hoc dicitur in Psal. xxxv, 7 : *Judicia tua abyssus multa.* « *In voce cataractarum tuarum,* » id est, prædicatione Apostolorum, et sanctorum. Et expone ut prius.

« *Omnia excelsa.* » Hic tertia ratio, pœnalitatum brevis duratio, et legitur dupliciter versus iste, quia « *transierunt* » potest significare tribulationum præteritionem, vel earumdem præsentiam.

Primo modo legitur sic : Ideo etiam memor ero « *tui,* » quia « *omnia excelsa tua,* » id est, magnæ tribulationes, et excelsæ usque ad collum pertingentes, de quibus Isa. xxx, 28 : *Spiritus ejus velut torrens inundans : usque ad collum veniet ad perdendas gentes.* « *Et fluctus tui,* » id est, minores tribulationes. Alibi, in Psal. lxxxvii, 8, de his fluctibus : *Et omnes fluctus tuos induxisti super me.* « *Transierunt,* » non manserunt « *super me.* » Psal. lxv, 12 : *Transivimus per ignem,* majorum tribulationum, *et aquam,* minorum. Ideo dicitur Eccli. i, 29 : *Usque in tempus sustinebit patiens, et postea redditio jucunditatis.* Tob. iii, 22 : *Post tempestatem tranquillum facis.*

Alio modo sic : Bene dico : Memor ero tui, quia « *omnia excelsa tua et fluctus tui,* » sicut prius, « *transierunt,* » id est, venerunt « *super me,* » ad me erudiendum et convertendum ad te. Isa.

[1] Cf. II ad Corinth. xii, 2 et seq.

xxviii, 19 : *Vexatio intellectum dabit auditi.* Littera Augustini habet : « Omnes suspensiones tuæ, » id est, omnia quæ minatis, quæ adhuc sunt in suspenso, « *super me,* » id est, super mentem meam « *transierunt.* » Vocat autem tribulationes aquas, quia sunt sordium purgativæ, id est, carnalium peccatorum, Eccli. xi, 29 : *Malitia* unius *horæ oblivionem facit luxuriæ magnæ.* Et spiritualium etiam, quod plus est, sicut acediæ, Osee, vi, 1 : *In tribulatione sua mane consurgent ad me.* Et impatientiæ, Ad Roman. v, 3 : *Tribulatio patientiam operatur.* IV Reg. v, 10 : *Vade, et lavare septies in Jordane, et recipiet sanitatem caro tua, atque mundaberis,* in anima. Item, exstinguit sicut aqua, Eccli. iii, 33 : *Ignem ardentem exstinguit aqua :* sic tribulatio illum ignem de quo Eccli. ix, 9 : *Concupiscentia, quasi ignis exardescit.* Item, quia tribulatio hominem sibi ostendit : est enim speculum. Seneca in libro de *Naturalibus quæstionibus* : « Singula stillicidia singula specula sunt : « per tribulationem enim sibi homo in-« notescit. » Eccli. xxxiv, 11 : *Qui tentatus non est, qualia scit?* Seneca ad Lucilium : « Numquam sui dare certam « fiduciam oportet, nisi quibus multæ « difficultates apparuerunt. » Psal. xlix, 21 : *Arguam te,* tribulando, *et statuam te contra faciem tuam :* ut videas per hoc et cognoscas te. Item, quæ in se manent magis videri facit. Seneca in libro de *Naturalibus quæstionibus* : « Omnia per « aquam videntibus longe sunt majo-« ra. » Sic sustinentes tribulationes patienter, magis procul a Deo judicantur. Seneca ad Lucilium : « Necessario magnus « apparuit, qui numquam in malis inge-« muit. » Post multas miserias dicit Joseph, Genes. xli, 52 : *Crescere me fecit Deus in terra paupertatis meæ.* Item, pertransiens et currens dulcis est, manens amarescit. Sic tribulatio transitoria Sanctis dulcescit. II ad Corinth. vii, 4 : *Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione mea :* sed stans in infimo multum amarescit ei, ut dicat illud. Isa. xxxviii, 17 : *Ecce in pace amaritudo mea amarissima.*

Tribulatio aquæ comparatur, quia purgat sordes vitiorum, et aliis de causis.

« *In die mandavit.* » Hic quartum, in 9
quo subjungitur quartum beneficium, scilicet naturalis instructio. Et primo, in prosperis. Secundo, in adversis, ibi, « *Et nocte.* »

Dicit ergo : Memor ero. Quippe quia « *mandavit Dominus misericordiam* « *suam,* » nos patienter tolerare, « *in die,* » hoc est, in prosperitate, hoc est, effectum misericordiæ suæ, scilicet adversitatem. Psal. xcviii, 8 : *Deus, tu propitius fuisti eis, et ulciscens in omnes adinventiones eorum.* Ad Hebræ. xii, 6 : *Quem diligit Deus, castigat, et flagellat omnem filium quem recipit.* « *Et mandavit,* » repete : « *Canticum ejus,* » quod in eo exsultetur nocte adversitatis, hoc mandavit per Jacobum, i, 2 : *Omne gaudium existimate fratres mei, cum in diversas tentationes incideritis.* Vel sic : Multa flagella super me venerunt, sed « *in die,* » prosperitatis, « *mandavit Dominus,* » id est, docuit « *misericordiam suam :* » quia misericors est, et in tribulationibus liberat. « *Et nocte,* » adversitatis, declaravit. Est alia littera, id est, aperte ostendi, quod ita est, quia liberat. Cassiodorus : « Lex ejus in spatie tranquillita-« tis ebibitur : tunc enim vacat discere, « quando non est quod debeat impedi-« re. » « *Et nocte,* » declarat aperte, quod ita est : tunc enim veraciter sentitur misericordia, cum fuerit abundans miseria. Eccli. xxxv, 26 : *Speciosa misericordia Dei in tempore tribulationis, quasi nubes pluviæ in tempore siccitatis.*

Hic nota, quod cum ad duo teneamur, ad diligendum Deum et proximum, Matth. xxii, 37 : *Diliges,* etc., docet expendere diem in proximi charitate, noctem in Dei dilectione.

« *In die mandavit misericordiam suam,* » ut scilicet misericordiam exhibeamus proximis : tunc enim videntur

miseriæ. Psal. xxxvi, 26 : *Tota die miseretur et commodat.* « *Et nocte canticum ejus.* » Job, xxxv, 10 : *Qui dedit carmina in nocte.* Matth. vi, 6 : *Ora Patrem tuum in abscondito.* Et est notandum, quod utilitatem proximi præponit, sicut Matth. v, 23, de oblatione : *Si offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris*, etc. Chrysostomus : « O Dei bonitatem ! « O Dei superabundantiam philanthro- « piæ[1] ! honorem qui ad seipsum est, « contemnit, pro illo qui ad proximum. »

« *Apud me oratio.* » Hic subjungitur de secundo remedio, scilicet de secretiori oratione, ubi primo tangitur orationis secretum. Secundo, fiducia ad impetrandum, ibi, « *Dicam Deo.* »

Dicit ergo : Sic memor sum : nec tantum, imo « *apud me* » in his tribulationibus est « *oratio* » non in publico. Matth. vi, 6 : *Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio, ora Patrem tuum.* Item, « *apud me,* » quia jam non offero quod est extra me, scilicet vitulos et arietes, sed ipsum spiritum. Daniel. iii, 39 : *In animo contrito, et spiritu humilitatis suscipiamur hodie a te, sicut in millibus agnorum*, etc. Quæ oratio fit « *Deo vitæ meæ,* » id est, qui dat mihi vitam naturæ et gratiæ in præsenti, et tandem gloriæ in futuro. II Machab. vii, 22 et 23 : *Neque enim ego spiritum et animam donavi vobis et vitam : et singulorum membra non ego sola compegi, sed mundi creator*, etc.

10 Et « *dicam Deo* » in oratione illa cum magna confidentia : « *Susceptor meus es,* » id est, meæ orationis. Vel, « *susceptor meus,* » jam in baptismo me suscepisti. Psal. xl, 13 : *Me autem propter innocentiam suscepisti, et confirmasti*, etc. In hoc docet te, quod oratio tua debet esse apud te, non apud alios, ut propter orationem quæras eis placere : qui enim hoc facit, attendere debet cui loquitur, quantam dulcedinem sibi subtrahit, quam utilitatem prodit. De primo, qui loquitur cum Deo, cum summo principum loquitur. Apocal. xix, 16 : *Habet in vestimento et in femore scriptum : Rex regum, et Dominus dominantium.* De secundo : eo enim quod verbis aurem non apponit, dulcedinem orationis perdit. Augustinus : « Influebant voces illæ auribus meis, et « eliquabatur veritas in cor meum, et « æstuabat mihi affectus pietatis, et flue- « bant lacrymæ, et bene mihi erat cum « eis[2]. » De tertio, quia sicut homo corpus cibo, sic animam oratione reficit. Prov. xiii, 2 : *De fructu oris sui, homo satiabitur bonis.* Sicut enim cibus tantum manens in ore, non reficit carnem, sic nec oratio in ore manens, animam. I ad Corinth. xiv, 14 : *Si orem lingua, spiritus meus*, flatus scilicet, tantum *orat, mens autem mea sine fructu est.* Et potest dicere talis, Eccle. iv, 8 : *Cui laboro, et fraudo animam meam bonis ?*

Simile notandum.

« *Quare oblitus es.* » Hic est tertium, in quo tangitur causa, et ratio quare sic turbat se ratio : et dicuntur duo. Primo, multiplicem turbationis rationem assignat. Secundo, consolationem iterat, ibi, « *Quare tristis es ?* »

In prima quatuor, secundum quatuor causas quas assignat. Prima est patriæ cœlestis dilatio. Secundo, propria afflictio, ibi, « *Contristatus incedo.* » Tertio, fortium Ecclesiæ dejectio, ibi, « *Dum confringuntur.* » Sed quarto est dejicientium exprobratio, ibi, « *Exprobraverunt mihi.* »

Quadruplex piæ animæ dolor.

Dicit ergo : Ex quo me Domine tam familiariter diligis, et suscipis, « *quare oblitus es mei,* » dum non liberas me a

[1] Id est, benignitatis, ac amoris impensioris in homines.

[2] S. Augustinus, Confessionum lib. IX.

malis? Psal. XLIII, 24 : *Quare faciem tuam avertis, oblivisceris inopiæ nostræ?* Sed revera non obliviscitur, quamvis videatur. Isa. XLIX, 14 et 15 : *Et dixit Sion:... Dominus oblitus est mei.* Et dixit : *Numquid oblivisci potest mulier infantem suum; ut non misereatur filio uteri sui? et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui.*

« *Et quare contristatus incedo,* » secundum carnem quæ difficultates abhorret. Matth. XXVI, 41 : *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.* « *Incedo* » autem de una tribulatione in aliam. Psal. XXXIII, 20 : *Multæ tribulationes justorum.* « *Dum,* » id est, quia tentando « *affligit me inimicus,* » id est, diabolus. I Pet. v, 8 : *Adversarius vester diabolus tamquam leo rugiens,* etc.

Hujus vitæ afflictiones leves dicuntur multis nominibus.

Et nota, quod bene se arguit, quia in tribulationibus contristatur : omnis enim tribulatio in præsenti levis est. Nonne leve est onus quod sursum levat? Sed sic est de tribulatione. Genes. VII, 17 : *Multiplicatæ sunt aquæ, et elevaverunt arcam in sublime.* Item, leve est onus quod portantem non fatigat, sed roborat : sic tribulatio sancto homini. II ad Corinth. XII, 9 et 10 : *Virtus in infirmitate perficitur.* Et infra : *Cum infirmor, tunc potens sum.* Item, non tantum sublevat, vel non onerat, sed stimulat ut festinemus ad Deum. Gregorius : « Mala quæ nos hic « premunt, ad Deum ire nos compel- « lunt. » Item, non tantum stimulat, sed æterna bona quasi ex debito præstat. II ad Corinth. IV, 17 : *Id enim, quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.*

11

Casus honorum affligit, qui bene ossibus emotis, corruptis, et fractis comparatur.

« *Dum confringuntur.* » Hic tertia ratio, scilicet fortium Ecclesiæ dejectio. Quasi diceret : Contristor his rationibus duabus quas præmisi, et etiam dum « *confringuntur ossa mea,* » fortes Ecclesiæ, qui me et alios deberent sustentare, tribulationibus et scandalis cedunt, et ab illis se abscondunt. Ossa enim Prælati Ecclesiæ sunt. Unde de primitivis dicitur, Thren. I, 13 : *De excelso misit ignem in ossibus meis, et erudivit me.* Sed ossa nostra triplici modo nunc redduntur inutilia, sicut naturalia dislocantur, corrumpuntur, et franguntur. Dislocatio est egressio de loco suo, qui debetur ei per naturam. Ossa ergo dislocata sunt, Prælatis de locis suis, ubi debent esse, egressis. Proverb. VII, 19 : *Non est vir in domo sua: abiit via longissima.* Corrumpuntur ossa, et tunc caro mollescit, et propinqua est fœtori. Caro adhærens ossi, sunt consanguinei et nepotes, qui adhærent Prælato. Prælati ergo corrumpuntur, ut efficiantur peccatores, sicut homines alii. Isa. XXIV, 2 : *Sicut populus, sic sacerdos.* Et signum est molities vestimentorum parentum, et familiæ ipsis adhærentis. Matth. XI, 8 : *Ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt.* Quid mirum? Eccli. X, 2 : *Secundum judicem populi, sic et ministri ejus.* Item, franguntur. Ossa enim sicca facile franguntur, et ipsi sicci sunt igne concupiscentiæ desiccati. Jerem. VI, 13 : *A minore usque ad majorem omnes avaritiæ student.* Et ob hoc cito franguntur. Nihil continuitatis in illis : sed in habitu sunt laici, in cibis epicurei, in verbis mimi, solo nomine clerici et prælati. Job, XXX, 30 : *Ossa mea aruerunt præ caumate.* Et sic statim franguntur ad ictum linguæ. Eccli. XXVIII, 21 : *Plaga linguæ comminuet ossa.*

Et ex hoc sequitur quartum : « *Exprobaverunt mihi qui tribulant me inimici mei.* » Thren. II, 15 : *Sibilaverunt, et moverunt capita sua super filiam Jerusalem,* scilicet Ecclesiam. *Hæccine est urbs, dicentes, perfecti decoris, gaudium universæ terræ?* Inimici ergo irrident, et imperfecti desperant, cum fortes vident succumbere.

« *Dum dicunt mihi per singulos dies.* »

Hic secundum, in quo determinat irrisionis modum et irrisionem. Modum, quia continue, ibi, « *Per singulos dies* » Irrisionem, ibi, « *Ubi est?* » Sic irrident et exprobrant inimici, « *Dum dicunt mihi per singulos,* » quasi incessanter. Eccli. XXIII, 20 : *Homo assuetus in verbis improperii, omnibus diebus suis non erudietur.* Quia Jacob. III, 8 : *Linguam nullus hominum domare potest,* maxime ad mala assuetam. Dicunt ergo improperando : « *Ubi est Deus tuus?* » Cum scilicet confringuntur ossa. Aut non est, aut non curat. Posset respondere, Ubi est? in bene loquentibus, II ad Corinth. XIII, 3 : *An experimentum quæritis ejus, qui me in loquitur Christus?* Matth. X, 20 : *Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus,* etc. Item, in bona facientibus, et miracula. Joan. III, 2 : *Nemo potest hæc signa facere quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo.* Item, in tribulatione pro ipso sustinentibus patienter. Psal. XLV, 6 : *Deus in medio ejus, non commovebitur.*

12 « *Quare tristis es?* » Hic est iteratum remedium super tristitia et turbatione : et sicut prius. Primo, sensualitatis increpatio. Secundo, ipsius rationis consolatio, ibi, « *Spera in Deo.* » Et primo increpat de proprio dolore. Secundo, de sui conturbatione.

Dicit ergo : Sic illi te irrident, sed, o anima mea, « *quare tristis es* » propter ista mala, et « *quare conturbas me* » propter dilata bona? Sed quare sic ista iteratio? Nonne superfluit? Non. Cassiodorus : « In his litteris, nihil superfluum, nihil constat esse confusum. « Sed frequentia tribulationum exigit « frequentiam consolationum. » Psal. XCIII, 19 : *Secundum multitudinem dolorum meorum,* etc. Tristitiam ergo expelle quia te vulnerat. Eccli. XXV, 17 : *Omnis plaga, tristitia cordis est.* Cor rodit, Proverb. XXV, 20 : *Sicut tinea vestimento, et vermis ligno, ita tristitia viri nocet cordi.* Proverb. XVII, 22 : *Spiritus tristis exsiccat ossa* : ut nullum habeat devotionis humorem. Ad bellum spirituale hominem ineptum reddit, Judic. VII, 3 : *Qui formidolosus est, et timidus, revertatur,* scilicet in domum suam. Et tandem interficit, et spiritualiter, et corporaliter. Eccli. XXX, 24 : *Tristitiam longe repelle a te : multos enim occidit tristitia.* Sustine ergo ne tristeris in malis præsentibus, quia Jacob. V, 7, dicitur : *Ecce agricola exspectat pretiosum fructum terræ.*

« *Spera in Deo.* » Hic consolatur invitando ad spem, et subjungendo causam, ibi, « *Quoniam adhuc.* » Et spei materiam, ibi, « *Salutare.* »

Ait enim : Sic tristitiam pellas, nec conturbes te : imo « *spera in Deo* » audacter, et innitaris super eum. Isa. L, 7 : *Quis ex vobis timens Dominum? speret in nomine Domini, et innitatur super Deum suum.* Et potest secure : « *Quoniam adhuc confitebor illi,* » confessione laudis in patria. Psal. LXXXIII, 5 : *Beati qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te.* Vel confessione peccati, de qua Josue, VII, 19 : *Fili mi, da gloriam Domino Deo Israel, et confitere.* Et Jacob. V, 16 : *Confitemini alterutrum peccata vestra.* Et bene potes sperare, cum sis in tribulatione et tristitia, quia Tob. III, 21 : *Hoc autem pro certo habet omnis qui te colit, quod vita ejus, si in probatione fuerit, coronabitur.* Et hoc spera, quoniam ipse erit « *salutare vultus mei,* » hoc est, vitæ meæ, tamquam verus homo, et « *Deus* » nihilominus « *meus,* » propter divinitatem, salvator propter humanitatem. Vel eodem modo lectum posset esse materia laudis : Confitebor, et hoc confitebor, quoniam ipse est « *salutare vultus mei, et Deus meus.* »

PSALMUS XLII.

Spem in Domino reponit a quo judicari exoptat.

1. *Psalmus David.*
Judica me, Deus, et discerne causam meam de gente non sancta : ab homine iniquo et doloso erue me.
2. Quia tu es, Deus, fortitudo mea, quare me repulisti ? et quare tristis incedo, dum affligit me inimicus ?
3. Emitte lucem tuam et veritatem tuam : ipsa me deduxerunt, et adduxerunt in montem sanctum tuum, et in tabernacula tua.
4. Et introibo ad altare Dei, ad Deum qui lætificat juventutem meam.
Confitebor tibi in cithara, Deus, Deus meus.
5. Quare tristis es, anima mea ? et quare conturbas me ?
Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, salutare vultus mei, et Deus meus.

IN PSALMUM XLII

COMMENTARIUS.

1 *In finem, Psalmus David*[1].

« *Judica me, Deus.* » Hic est Psalmus quadragesimus secundus. Cum enim in præcedenti Psalmo invitata est anima ad lætam charitatem, et expulsionem tristitiæ, super quod est redarguta, sciens hanc tristitiæ causam malorum cohabitationem, nec ad perfectam charitatem et ad spiritualem lætitiam se posse pervenire, quamdiu est in malorum consortio, petit in hoc Psalmo ipsorum segregationem : quod quia non fiet nisi in judicio generali, petit ex confidentia in Deum.

Argumentum Psalmi petit Propheta De[i] judicium, [ut] a malis separetur.

[1] Ce psaume, comme nous l'avons vu, n'est que la continuation du précédent. Il est surtout remarquable à raison de l'usage que l'Eglise en fait dans sa liturgie ; il sert d'introduction au saint sacrifice de la Messe.

L'alternative des sentiments de crainte, ℣℣. 1 et 2,

Præponitur autem titulus iste : *In finem, Psalmus David*[1]. Et hic appellatur David tota Ecclesia, quæ gemendo quærit venire ad finem suum, separatis zizaniis : undes ensus est : Hic « *Psalmus* » est « *David*, » id est, Ecclesiæ ordinatæ, « *in finem*, » quem appetit, et cui tandem conjungi petit.

Dividitur autem Psalmus in duas partes. In prima contra pressuras, quas sustinet, orat. In secunda, consolando se, prophetat de futuris bonis, ibi, « *Et introibo ad altare Dei.* »

In prima duo. Primo petit judicium. Secundo, judicis adventum præponens quod magis desiderat in oratione, nec sequens ordinem qui erit in re, ibi, « *Emitte lucem tuam.* »

In prima duo. Primo, orationem præmittit in ore suo, Secundo, persuasionem subjungit, ibi, « *Quoniam tu es, Deus, fortitudo.* »

In prima duo : volens enim separari a malis, orat primo ut separetur merito, secundo, ut loco : sciens, quod non posset obtinere secundum sine primo, ibi, « *Ab homine iniquo.* »

Prima pars Psalmi.

Primum autem dupliciter legitur, quia hoc quod habet, « *judica*, » potest ad futurum referri : et quod additur, « *et discerne*, » ad præsens : vel totum ad futurum. Videns enim Ecclesia totum permixtum, justos cum injustis, bonos cum malis, et cuncta eis evenire communia, mori, nasci, prospera, et adversa, salutem, pestem, bellum, pacem : recolens illud Eccle. IX, 2 : *Universa æque eveniunt, justo et impio, bono et malo, mundo et immundo*, clamans dicit : O Deus, « *judica me*, » in futuro. Sed quod est quod dicit ad Hebr. X, 27 : *Terribilis quædam exspectatio judicii?* Responsio est, quod est judicium districtæ discussionis. Hoc non petit, sed magis dicit illud in alio Psal. CXLII, 2 : *Non intres in judicium cum servo tuo, Domine.* Et est judicium discretionis, et separationis. Illud petit. Quasi diceret : O Domine, a malis separa me in futuro, et interim in præsenti, « *discerne causam meam*, » scilicet merita mea, quæ erunt vitæ meæ, vel mortis causa. « *De gente non sancta*, » hoc est, a meritis gentis non sanctæ, quod bene facit Deus. Ezech. XXXIV, 17 : *Ecce ego judico inter pecus et pecus, arietum et hircorum.*

Vel sic totum in futurum referendo : O Deus, « *judica me*, » non in furore tuo peccata discutiendo, et merita : quia Job, XXV, 5 et 6 : *Stellæ non sunt mundæ in conspectu ejus : quanto magis homo putredo, et filius hominis vermis*[2]*?* sed merita aliam dando quam habeant mali. Vel merita mea, quibus differo a malis, « *discerne.* » Quasi diceret : Non ponderes illa nisi in relatione ad malos.

Et exponit se : « *Et discerne causam meam*, » merita quibus differo, « *de gente non sancta*, » me separantia, « *ab homine iniquo* » qui peccat in iis, quæ sunt ad Deum, « *et doloso*, » contra proximum, « *erue me*, » separando loco etiam hic in præsenti, ne corrumpar ab eo. I ad Corinth. XV, 33 : *Corrumpunt bonos mores colloquia mala.* Eccli. XIII,

de désir, ℣℣ 3 et 4, et d'espérance ℣℣, 5 et 6, qu'il exprime, convient très bien au prêtre qui est sur le point de célébrer les redoutables mystères. On trouve le psaume expliqué à ce point de vue dans le P. de Condren. Idée du Sacrif. et du Sacerd. de Jésus-Christ, IV, 1. Mgr Le Courtier, Explic. des Cérém. de la Messe, etc. H. Lesêtre.

[1] Vulgata habet tantum, *Psalmus David.*

[2] Cf. etiam Job. IV, 18. : *Ecce... in Angelis suis reperit pravitatem.*

1 : *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea* « *Erue me,* » etiam in futuro ad dexternam ponendo cum agnis. Matth. xxv, 31 et 32 : *Congregabuntur ante eum omnes gentes, et separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab hædis : et statuet agnos quidem a dextris,* etc.

Cur appellat ad Christum Judicem supremum ? Nota quod iste videns sic frequenter perpetrari peccata, videtur appellare ad summum Pontificem Deum. Ad Hebr. IX, 11 : *Christus assistens Pontifex futurorum bonorum,* etc. Et assignat triplicem causam appellationis. Prima est falsitas testium, ibi, « *De gente non sancta.* » Dicitur autem « *gens,* » quia sonat multitudinem, quia unus non sufficeret. Deuter. XIX, 15 : *Non stabit testis unus contra aliquem,* et quando falsi sunt, « *gens non sancta,* » in Deum impii, contra quem peccant, secundum illud Exod. xx, 7 : *Non assumes nomen Dei tui in vanum.* Et in se flagitiosi, Sap. I, 11 : *Os quod mentitur, occidit animam.* Et proximo injuriosi, Exod. xx, 16 : *Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.* Proverb. xxv, 18 : *Jaculum et gladius, et sagitta acuta, homo qui loquitur contra proximum suum falsum testimonium.*

Secunda causa est perversitas judicis, ibi, « *Ab homine iniquo.* » Iniquus enim est, qui æquus non est. Judex iniquus, qui personas accipit, contra illud Deuter. I, 16 et 17 : *Quod justum est judicate, sive civis sit ille, sive peregrinus. Nulla erit distantia personarum, ita parvum audietis ut magnum,* scilicet æque pauperem, sicut divitem judicabitis, *quia Dei judicium est.*

Tertia causa est dolositas advocatorum. Dicuntur dolosi Advocati, quia dolo pleni : habent enim dolum in corde. Prov. XII, 20 : *Dolus in corde cogitantium mala.* Dolos in ore, quando leges falsas allegant, vel truncatas. Psal. xxxv, 4 : *Verba oris ejus iniquitas et dolus.* Dolos in opere, quando falsa sigilla ponunt, vel sine consensu judicis sigillant. Jerem. VI, 13 : *A minore usque ad majorem... cuncti faciunt dolum.*

« *Quia tu es, Deus, fortitudo mea.* » 2
Hic subjungitur persuasio a duobus, a confidentia quam habet in Deum primo : secundo, a perpessione tristium.

Dicit ergo : Ita Domine erue, et debes, « *quia tu es, Deus, fortitudo mea,* » et non alius. Psal XXVII, 28 : *Dominus fortitudo plebis suæ.* Non arrogat sibi fortitudinem sicut Rex Assur. Isa. x, 13 : *In fortitudine manus meæ feci.* Jerem, IX, 23 : *Non glorietur fortis in fortitudine sua.*

« *Quare me repulisti ?* » a vita æterna. Hic a perpessione tristium. Primo, a dilatione patriæ : secundo, ab incolatu hujus miseriæ, ibi, « *Et quare tristis ?* »

Dicit ergo : Ex quo in te confido, « *quare me repulisti?* » a vita æterna, tantum differendo. Cassiodorus : « Mos « desiderantium est, ab illa in se putare « depulsos, ad quam venire velociter « non sinuntur. » Psal. LXXXVIII, 39 : *Tu vero repulisti, et despexisti nos.* Et etiam, « *quare tristis incedo,* » per hanc miseriam. « *Dum,* » id est quia, « *affligit me inimicus,* » quotidianis miseriis et afflictionibus. Augustinus : « Inimicus « affligit quotidianas tentationes immit- « tens, vel quod male amemus, vel quod « male timeamus : ut posset Dominus « respondere propter peccata tua. » Isa. LVII, 17, secundum aliam litteram : Propter peccata modicum quid contristavi eum[1]. Et Proverb. XIV, 34 : *Miseros facit populos peccatum.* Propter hanc

[1] Vulg. habet, Isa. LVII, 17 : *Propter iniquitatem avaritiæ ejus iratus sum, et percussi eum.*

quotidianam pugnam dicitur, Job, VII, 1 : *Militia est vita hominis super terram.*

3 « *Emitte lucem tuam.* » Hic est secunda pars istius primæ partis, in qua petit judicis adventum. In prima, oratio. Secundo, persuasio ut orationi consentiat, ibi, « *Ipsa me deduxerunt.* »

Dicit ergo : Sic tristis incedo, sic me inimicus affligit. Ut ergo excludatur, « *Emitte lucem tuam,* » quæ de seipsa dicit, Joan. VIII, 12 : *Ego sum lux mundi :* et I, 9 : *Erat lux vera quæ illuminat hominem venientem in hunc mundum.* « *Et veritatem tuam,* » quæ de seipsa dicit, Joan. XIV, 6 : *Ego sum via, et veritas, et vita.* Lux, quia irradiabat mundo exterioribus miraculorum et virtutum operibus. Veritas, quia instruebat interius. Lux, quæ omnibus corporibus melior est secundum Augustinum, quantum ad humanitatem : veritas, quantum ad divinitatem : hanc enim Deus emisit in primo adventu sicut petebat Salomon, Proverb. IX, 10 : *Emitte eam a sede magnitudinis tuæ, ut mecum sit, et mecum laboret.* Joan. XVI, 28 : *Exivi a Patre, et veni in mundum.* Bernardus : « Venit Salvator ad perditos, lux ad « cæcos, veritas ad deceptos, redemptor « ad venditos, medicus ad ægrotos, ad « errantes via, ad mortuos vita. »

« *Emitte,* » ista in judicio, « *lucem,* » ut illuminet abscondita. I ad Corinth. IV, 5 : *Veniet Dominus qui illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium.* « *Et veritatem tuam,* » ut reddat declarata veritate secundum merita. Daniel. VII, 10 : *Judicium sedit, et libri aperti sunt,* et judicati sunt secundum ea quæ scripta sunt in libris.

« *Ipsa me deduxerunt.* » Hic persuasio, et persuadet a duobus. A separatione a malis primo. Secundo, ab aggregatione cum bonis, ibi, « *Et adduxerunt.* »

Ait enim : Sic emitte ad judicandum, et hoc debes, quoniam « *ipsa me deduxerunt,* » a peccato. Sap. X, 2 : *Eduxit illum a delicto suo,* et a malorum consortio. Psal. CVI, 14 : *Eduxit eos de tenebris, et de umbra mortis.* « *Et adduxerunt in montem sanctum tuum,* » id est, Ecclesiam, et bonorum congregationem, quæ est mons per vitæ altitudinem. Psal. LXVII, 17 : *Mons in quo beneplacitum est Deo habitare in eo.* « *Et in tabernacula tua,* » eamdem Ecclesiam, quæ tabernaculis comparatur, propter bene vivendi difficultatem, et pugnam cum inimico. Augustinus : « Tabernaculum cum audis, « bellum intellige, hostem cave. » De duobus, in Psal. XIV, 1 : *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo? Tabernacula* autem in plurali dicuntur, propter meritorum difficultatem.

« *Et introibo ad altare.* » Hic secunda pars Psalmi, in qua consolando se prophetat de bonis sibi futuris : et tanguntur quatuor. Primo, æternorum bonorum adeptio in re. Secundo, prægustatio in spe, ibi, « *Ad Deum qui lætificat.* » Tertio, gratiarum actio, et exsultatio in Deo pro prægustatione illa, ibi, « *Confitebor.* » Quarto, animæ propriæ consolatio ex prædictis, ibi, « *Quare tristis es?* 4 Secunda pars Psalmi.

Dicit ergo : Ita deduxerunt me in montem sanctum tuum, et in tabernaculum tuum, id est, in Ecclesiam militantem. Et ulterius, « *introibo ad altare Dei,* » Ecclesiam scilicet triumphantem. Hoc est altare de quo dicitur in canone Missæ : « Jube hæc perferri in sublime alta- « re tuum. » Et specificans magis de quo altari loquitur, addit : « *Ad Deum qui lætificat,* » hic in præsenti, « *juventutem meam,* » me consolando per spem. In quam juventutem, a vetustate pristina peccati renovat, qui me contristabat in peccato vetustum. Eccle. XI, 9 : *Lætare juvenis in adolescentia tua, et in bono sit cor tuum, in diebus juventutis tuæ.*

Hic aperte instruuntur Sacerdotes, ut

Attendenda Sacerdoti ad altare accedenti. non accedant ad altare Dei, nisi lætificati spiritualiter : non enim decet lugentes servire Domino. Psal. CIV, 3 : *Lætetur cor quærentium Dominum.* Levit. X, 19 : *Oblata est hodie hostia pro peccato... Quomodo potui comedere eam, aut placere Domino... mente lugubri ?* Quasi diceret : Nullo modo. Item, debent attendere innovari spiritualiter. Psal. CII, 5 : *Qui replet in bonis desiderium tuum,* dando Eucharistiam : *renovabitur ut aquilæ juventus tua,* si vis eam digne
Simile de aquila notandum. recipere. Ad Ephes. IV, 22 : *Deponite vos secundum pristinam conversationem veterem hominem : renovamini autem spiritu mentis vestræ.* Aquilæ senio prægravante crescit uncus rostri, ita quod non potest ad cibum os aperire, donec colliserit rostrum ad petra, et sic renovatur. Ita Sacerdos non aperiat os ad cibum illum, nisi prius ad alium Sacerdotem, qui est loco petræ Christi, I ad Cor. X, 4 : *Petra autem erat Christus,* os colliserit, id est, confessionem fecerit. Hoc significatur in depositione vestium communium, et inductione alborum, vel etiam sericorum. Alioquin dicitur eis, Thren. IV, 15 : *Recedite polluti, clamaverunt eis.* Propter hoc dicitur in Psal. CXXXI, 9 : *Sacerdotes tui induantur justitiam,* pro hoc membro : *et Sancti tui exsultent,* pro alio.

« *Confitebor tibi in cithara.* » Ecce tertium. Quasi diceret : Sic introibo ad altare Dei, et interim me renovatum lætificas, et propter hoc, « *confitebor tibi,* » gratias referendo. Et hoc « *in cithara,* » scilicet in tribulatione ipsa. Psalterion musicum instrumentum sonum habet a parte superiori, ab illa enim est concavum : unde confessio et gratiarum actio in jucunditate, quæ de supernis est exhibita, in Psalterio fit. Sed cithara quæ ab inferiori sonum reddit, significat gratiarum actionem in ipsis tribulationibus, quæ ab inferiori est exhibita. « *Confitebor* ergo *in cithara,* » quia de ipsa tribulatione gratias agam. Supra, in Psalmo præcedenti, XLI, 9 : *Et nocte canticum ejus.* Thren. II, 19 : *Consurge, lauda in nocte.* Et alibi, Psal. CXIII, 2 : *In noctibus* adversitatis, *extollite manus vestras in sancta.* Et Augustinus : « Si in tribulationibus « defeceris, citharam fregisti. »

Et nota, quod Augustinus in Glossa nobis innuit ex quibus nostra cithara confici debeat, quia ex tribus lignis. Jejunio tamquam ex ligno concavo, et eleemosyna tamquam supercavum reflexo, et oratione tamquam sursum elevato Hæc tria oportet nos conjungere, si Deo volumus dulciter sonare. Augustinus in Glossa : « Ne putes jejunium et eleemo- « synam sine oratione sufficere. » In hac ergo cithara Deum suaviter laudat, qui lætanter jejunat, et eleemosynam largitur, et orat. Tob. XII, 8 : *Bona est oratio cum jejunio et eleemosyna, magis quam thesauros auri recondere.* Quibus partibus constat cithara spiritualis?

« *Quare tristis es.* » Hic est quartum, 5
in quo subjungitur animæ consolatio : et dicuntur tria. Primo, increpat eam. Secundo, lætificat monendo ad spei lætitiam, ibi, « *Spera in Deo.* » Tertio, subjungit causam spei et lætitiæ, ibi, « *Quoniam adhuc confitebor.* »

Dicit ergo increpans primo pro proprio dolore : Ex quo sic, quod introibo ad altare, juventus renovatur, confitebor tandem in tribulatione. « *Quare tristis es anima mea,* » in teipsa ? Et adjungit de sua perturbatione ab ipsa sensualitate : « *Et quare conturbas me ?* » Cassiodorus : « Frequenter persuadet contra tri- « stitiam sæculi, quoniam ipsa bo- « nis rebus semper adversa est : per hanc « patientiæ robur frangitur, per hanc « charitatis lumen exstinguitur, per « hanc spei nostræ desiderium mollescit, « et omnis humana vita confunditur. » Et ideo dicitur, Eccli. XXXVIII, 21 : *Ne dederis in tristitia cor tuum, sed repelle eam a te.* II ad Corinth. VII, 10 : *Sæculi tristitia mortem operatur.*

« *Spera in Deo, quoniam adhuc.* » Quasi diceret: Ne tristeris, imo ad consolationem et lætitiam spera in Deo, ut auferas a te tristitiam. Ad Rom. xii, 12: *Spe gaudentes:... in tribulatione patientes.* Et debes, « *quoniam confitebor illi.* » Et si non modo, tamen adhuc, non jam in cithara, sed « *in Psalterio,* » confessione laudis, scilicet in patria, quando illud implebitur Augustini in libro de *Civitate Dei:* « Vacabimus et videbimus, videbimus « et amabimus, amabimus et laudabi- « mus. » Psal. lxxxiii, 5: *Beati qui habitant in domo tua, Domine,* etc. Sed quid confitebor? « *Quoniam ipse salutare vultus mei,* » mihi similis in natura, salvans salute perfecta. Eccli. xxxix, 23: *Non est minoratio in salute ipsius.* « *Et Deus meus,* » ex creatione potentissima, qua me perduxit in esse de nihilo. Malach. ii, 10: *Numquid non Deus unus creavit nos?* Et potest hic notari, quia frequenter repetit de confessione, ut innuat quod frequenter sit confitendum. Et hoc verum est, quia frequentatio confessionis est Deo acceptabilis, et decoratio mentis, et confitenti perutilis. De primo, Augustinus de *Pœnitentia*: « Tan- « tum valent tres syllabæ, scilicet *pecca-* « *vi*: trisyllabum enim est, quod in tribus « syllabis flamma sacrificii cordis ascen- « dit: » de quo sacrificio in Psal. l, 19: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus.* Augustinus in libro *Confessionum*: « Ac- « cipe sacrificium cordis mei de manu « linguæ meæ. »

Confessionis fructus.

Item est decoratio mentis et justæ et injustæ. Bernardus: « Bonum animæ « ornamentum confessio, quæ et peccato- « rem purgat, ad justum reddit purgatio- « rem. » Et iterum: « Ama confessio- « nem, si affectas decorem. » Psal. ciii, 1: *Confessionem et decorem induisti.* Et iterum, Psal. xcv, 6: *Confessio et pulchritudo in conspectu ejus.* Ideo dicitur taliter confitenti, Cant. ii, 14: *Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis.*

Item, confitenti perutilis. Bernardus: « Absque confessione justus « ingratus judicatur, et peccator mortuus « reputatur. » Confessio peccatoris est vita, et justi gloria. Isa. xxiii, 16: *Frequenta canticum,* confessionis peccati mente obliti, *ut memoria tui sit.*

PSALMUS XLIII.

Israelitæ ut Dei opem implorent, beneficia recepta memorant et præsentes miserias exponunt.

1. *In finem, filiis Core ad intellectum.*

2. Deus, auribus nostris audivimus, patres nostri annuntiaverunt nobis:
Opus quod operatus es in diebus eorum, et in diebus antiquis.

3. Manus tua gentes disperdidit, et plantasti eos: afflixisti populos et expulisti eos:

4. Nec enim in gladio suo possederunt terram, et brachium eorum non salvabit eos:
Sed dextera tua, et brachium tuum, et illuminatio vultus tui, quoniam complacuisti in eis.

5. Tu es ipse rex meus et Deus meus: qui mandas salutes Jacob.

6. In te inimicos nostros ventilabimus cornu, et in nomine tuo spernemus insurgentes in nobis.

7. Non enim in arcu meo sperabo, et gladius meus non salvabit me:

8. Salvasti enim nos de affligentibus nos, et odientes nos confudisti.

9. In Deo laudabimur tota die: et in nomine tuo confitebimur in sæculum.

10. Nunc autem repulisti et confudisti nos: et non egredieris, Deus, in virtutibus nostris.

11. Avertisti nos retrorsum post inimicos nostros: et qui oderunt nos diripiebant sibi.

12. Dedisti nos tamquam oves escarum: et in gentibus dispersisti nos.

13. Vendidisti populum tuum sine pretio: et non fuit multitudo in commutationibus eorum.

14. Posuisti nos opprobrium vicinis nostris, subsannationem et derisum his qui sunt in circuitu nostro.

15. Posuisti nos in similitudinem gentibus: commotionem capitis in populis.

16. Tota die verecundia mea contra me est, et confusio faciei meæ cooperuit me:

17. A voce exprobrantis et obloquentis, a facie inimici et persequentis.

18. Hæc omnia venerunt super nos: nec obliti sumus te, et inique

non egimus in testamento tuo.
19. Et non recessit retro cor nostrum: et declinasti semitas nostras a via tua:
20. Quoniam humiliasti nos in loco afflictionis, et cooperuit nos umbra mortis.
21. Si obliti sumus nomen Dei nostri, et si expandimus manus nostras ad deum alienum,
22. Nonne Deus requiret ista? ipse enim novit abscondita cordis. Quoniam propter te mortificamur tota die [1]: æstimati sumus sicut oves occisionis.
23. Exsurge: quare obdormis, Domine? exsurge, et ne repellas in finem.
24. Quare faciem tuam avertis? oblivisceris inopiæ nostræ et tribulationis nostræ?
25. Quoniam humiliata est in pulvere anima nostra: conglutinatus est in terra venter noster.
26. Exsurge, Domine, adiuva nos, et redime nos propter nomen tuum.

IN PSALMUM XLIII

COMMENTARIUS.

1 *In finem, filiis Core ad intellectum* [2].

« *Deus auribus nostris.* » Hic est Psalmus quadragesimus tertius, in quo postquam in præcedenti egit de charitate quæ inflammat ad cœlestia appetenda, et inter hujus mundi tempestates ad consolationem præstat, subjungit de principali effectu charitatis, scilicet de martyrio, in quo non solum homo toti mundo, sed ipsi vitæ propriæ propter charitatem abrenuntiat. Unde proprie agitur de justis afflictis et occisis in Novo Testamento, ut per hoc invitemur et nos, ad plenum contemptum mundi, et desiderium æternorum, secundum illud ad Ephes. III, 2: *Quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.* Argumentum Psalmi: Agit de afflictis et de martyribus qui sunt filii Core id est Christi passi in Calvaria.

Et hoc bene exprimit in titulo qui talis

[1] Ad Rom. VIII, 36.

[2] Il est à peu près impossible de dire sûrement à quel événement se rapporte ce *maskil* des enfants de Coré. Il y est parlé au nom d'un peuple qui souffre la persécution sans l'avoir méritée, et qui demande à Dieu de venir à son aide. Or bien des faits de l'histoire juive peuvent s'harmoniser plus ou moins heureusement avec ces données ; de là, la grande diversité d'opinions qui règne parmi les commentateurs. Nous signalerons seulement les principales. Pour Eusèbe, ce psaume est une prophétie « de ruina judaici populi ; » c'est le chœur des prophètes qui parle au nom du peuple coupable ; aussi les protestations d'innocence qui terminent le psaume doivent-elles être placées exclusivement sur les lèvres des serviteurs de Dieu, devenus les intercesseurs d'un peuple criminel. — Perowne, Jennings et d'autres, dont, parmi les catholiques, Patrizi est seul à partager la manière de voir, font vivre l'auteur au temps des Machabées, pendant la persécution d'Antiochus Epiphane. I Mach. I, 64. Chaque jour à cette époque, un lévite répétait l'invocation du ỳ, 23 : « Levez-vous ! pourquoi dormez-vous, Seigneur ? » jusqu'à ce que Jean Hyrcan eût aboli cet usage. Sota, 48. Plusieurs Pères, Théodoret, S. Jean Chrysostôme, etc. et Bossuet appliquent le psaume à la même période historique, mais en ajoutant, comme Eusèbe, qu'il fut composé prophétiquement bien auparavant. Mais il faut avouer que cette adaptation présente beaucoup de difficultés, malgré son côté spécieux. Dans le psaume, les suppliants se prétendent innocents et fidèles à Dieu, mais persécutés et vaincus ; or au temps des Machabées, beaucoup de Juifs avaient apostasié, I Mach. I, 45, 55, et ceux qui restaient fidèles remportaient une série de victoires, sous le commandement de Judas ; la seule défaite enregistrée à cette époque est celle de Joseph et d'Azarias à Jamnia, I Mach. V, 55-60, mais elle était due à la désobéissance des chefs, et n'eût

est : « *In finem, filiis Core ad intellectum.*» Quasi diceret: Hic Psalmus dirigens nos « *in finem,*» unum Deum, convenit « *filiis Core,* » Christi scilicet, quales sunt martyres, proprie loquendo: filius enim dicitur quasi sicut ille : et ipsi Christum in sua morte sunt imitati, sicut canitur de ipsis ad Ephes. v, 1: *Estote imitatores Dei pro nobis passi, sicut filii charissimi.* Et hoc « *ad intellectum* » præstandum hominibus, quare suos sic permiserit in hac miseria, et in hoc tempore gratiæ tribulari. Cum ergo antiqui sancti sub Testamento Veteri pro magna parte fuerint prosperati, sicut Abraham, Isaac, et Jacob, et Joseph, et David, de quibus dicitur in Psal. xxxvi, 25 : *Non vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens*, etc. Sed de illis qui fuerunt sub Novo dicitur, I ad Cor. iv, 11 : *Usque in hanc horam et esurimus, et sitimus, et nudi sumus, tamquam purgamenta hujus mundi facti sumus.* Ad hoc intelligendum est hic Psalmus : et ratio est, quia illis tamquam rudibus et parvulis temporalis prosperitas est concessa, ut allicerentur ad credendum et serviendum Deo. Psal. civ, 44 : *Dedit illis regiones gentium : et labores populorum possederunt.* Quare? ut custodiant justitiam ejus,

Differentia justorum Veteris et Novi Testamenti.

d'ailleurs aucune influence fâcheuse. Quant à faire vivre l'auteur du temps même des Machabées, peut-on bien y songer puisque, comme l'observait déjà Génésius, le canon des Juifs était fermé à cette époque, et que l'œuvre du poète n'y eût pu être admise, surtout à la place qu'elle occupe aujourd'hui? — Plusieurs autres, parmi lesquels V. Steenkiste, font composer le psaume pendant la captivité de Babylone. Mais comment le peuple pouvait-il alors parler de son innocence, et comment ne trouvons-nous ici aucun vœu de retour, comme dans les psaumes et les doxologies de cette époque ? — On ne saurait assigner non plus la première captivité sous Joachin, IV Reg. xxiv (Tholuck), infligée en punition de crimes précédents, ni l'invasion des Philistins et des Arabes après la mort de Josaphat, car alors régnait l'impie Joram, dont le peuple partageait les prévarications, II Paral. xxi, 11, 17. — M. le Hir fixe la composition du psaume, comme celle du précédent, pendant l'expédition de Sennachérib ; de la quatrième à la sixième année d'Ezéchias, les Assyriens avaient pillé et détruit le royaume d'Israël ; la quatorzième année, ils revenaient contre Juda, IV Reg. xviii, 10, 13. Mais les calamités qui avaient écrasé Israël étaient la conséquence de ses crimes. Quant à Juda, il n'avait encore subi ni la défaite, ni la dispersion, ni la vente dont parle le psaume. — Une dernière hypothèse soutenue par Hengstenberg, Delitzsch, Moll, Cook, etc., recule la composition du psaume jusqu'au règne de David. Pendant que le roi était occupé contre les Syriens, les Iduméens, toujours disposés à faire mentir la prophétie qui les concernait, « major serviet minori, » Gen. xxv, 23, fondirent sur le pays d'Israël, II Reg. viii, 13, et y exercèrent leurs ravages accoutumés, massacres, pillages, vente de captifs, etc. ; les victimes de leur cruauté restèrent même longtemps sans sépulture, III Reg. xi, 15. Leur invasion fut donc terrible, et les enfants de Coré, qui en furent les témoins, pouvaient bien, au nom du peuple protester solennellement de leur fidélité au Seigneur, et demander pourquoi il permettait ces défaites inopinées, cette honte d'Israël et tous les maux dont venaient de les accabler les ennemis. Ce qui donne le plus de force à cette opinion, c'est que de son côté, David fit un psaume sur le même sujet, le LIXe, et que le titre qu'il porte se réfère précisément aux événements que nous venons de rappeler. S'il en est ainsi, les fils de Coré ont dépeint avec des couleurs grandioses une situation qui fut douloureuse, mais qui n'eût le caractère de catastrophe nationale ni par sa durée, ni par son étendue, puisque pendant ce temps l'armée de David était victorieuse. Mais cette grandeur de conception pourra bien cesser d'étonner, si l'on admet avec les Pères qu'en exposant une calamité particulière, le Saint Esprit avait en vue d'autres événements à venir, d'un caractère plus général et plus terrible. C'est ce qui fait que ce chant put servir aux Juifs dans plusieurs de leurs épreuves subséquentes.

Ils s'y présentent comme peuple dans un état analogue à celui de Job : ils ont fidèlement servi le Seigneur, et au nom de l'alliance qui leur promettait la prospérité en retour de la fidélité, ils réclament leur délivrance immédiate. Ce psaume est donc, dit Hengstenberg, un *Kyrie eleison* que la nation fit alors monter vers le Seigneur dans son sanctuaire, et dont elle se servit plus tard dans des situations semblables.

S. Paul, ad Rom viii, 36, cite un verset de ce psaume à propos des souffrances que les premiers chrétiens avaient à endurer de la part de leurs ennemis ; en suivant cette interprétation, les Pères ont entendu le psaume, au sens spirituel, des martyrs de la loi nouvelle : « Vocem ergo martyrum audiamus in Psalmo, » dit S. Augustin. Les protestations de fidélité et d'innocence peuvent être prises alors dans leur sens le plus rigoureux, et la délivrance demandée est l'entrée dans la vie éternelle.

H. Lesètre.

et legem ejus requirant. Illis autem de Novo, tamquam jam fide confirmatis datur adversitas, et aufertur prosperitas, ut his sublatis corda eorum suspirent ad cœlestia, et quærant illa. Augustinus : « Ideo huic vitæ malæ « miscet amaritudines, ut alia quæ salu« bris et dulcis est, requiratur. »

Psalmus autem potest dividi in quatuor partes. Cum enim in hoc Psalmo, sicut tactum est, sit vox afflictorum in Novo Testamento, quia contraria contra se posita magis elucescunt, primo commemorat sanctorum Patrum prosperitatem. Secundo, conceptam ex illa in Sanctis novis spem, ibi, « *Tu es ipse Rex.* » Tertio, multiplicem contra spem illam Ecclesiæ tribulationem, ibi, « *Nunc autem repulisti.* » Quarto, sic afflictus confugit ad orationem, ibi, « *Exsurge, quare obdormis.* » Vel ibi, « *Quoniam propter te mortificamur tota die.* »

Et ne videamur ignorata loqui sine auctore, dicuntur tria. Primo, quod audivit. Secundo, a quibus, ibi, *Patres nostri.* » Tertio, quod opus, ibi, « *Quod operatus es.* »

2 Prima pars Psalmi Dicit ergo in persona afflictorum : « O Deus, » sic solent afflicti incipere sermonem. Matth. xxvii, 46: *Deus meus, Deus meus.* « *Audivimus auribus nostris.* Quare dicit hoc ? Numquid possemus alienis auribus audivisse ? Resp. Hoc addit ut fides adhibeatur dictis suis. Vel ostenditur, quod non a lingua mortua, sed a viva voce audierit, vel ut auditor mirabilium Dei operum instruatur de gestu, ut quando audit, aurem porrigat, non os, vel oculum sicut quidam faciunt. Hugo de Sancto Victore : « Id agat « unumquodque membrum, ad quod fa« ctum est, ut nec loquatur manus, nec « os audiat. Sunt enim qui nisi buccis « patentibus volunt auscultare. » Job, xxix, 21-23 : *Qui me audiebant, exspectabant me sicut pluviam... et os suum aperiebant quasi ad imbrem serotinum.* Item, ut instruatur etiam de diligentia audiendi, quia non una aure audiunt, sed ambabus. Hugo de Sancto Victore : « Aliqui quasi ambæ aures ad audien« dum factæ non sint, alteram tantum « collo distorto voci apponunt, ut quasi « per unam aurem intret, et per aliam « exeat. » Sed Isa. xxxii, 3 : *Non caligabunt oculi videntium, et aures audientium diligenter auscultabunt.* Prov. xxviii, 9 : *Qui declinat aurem suam ne audiat legem, oratio ejus erit exsecrabilis.* Item, instruuntur ut non desit dictorum intelligentia. « *Auribus nostris,* » non brutalibus, quod quæ audiunt non intelligunt. Prov. xxiii, 13 : *Fili, ingrediatur ad doctrinam cor tuum, et aures tuæ ad verba prudentiæ.*

Cur dicit auribus nostris?

« *Patres nostri,* » qui non cito mentuntur filiis, et sunt antiqui, « *annuntiaverunt nobis.* » Job, xii, 12 : *In antiquis est sapientia, et in multo tempore prudentia.* Eccli. viii, 11 : *Non te prætereat narratio seniorum.* « Et *nostri,* » qui non dicunt nobis falsa. Matth. vii, 11 : *Si vos, cum sitis malis nostis bona data dare filiis vestris,* etc. Propter quod dicitur, Deuter. xxxvii, 7 : *Interroga patrem tuum et annuntiabit* Et in Psal. lxxvii, 6: *Quanta mandavit patribus nostris nota facere ea filiis suis.*

« *Opus quod operatus es.* » Hic tertium, in quo subdit quid : et dicuntur tria. Primo, hoc faciendo describit tempus in quo hæc audierunt. Secundo, opus Dei quod ei narratum est, ibi, « *Manus tua.* » Tertio, modum operandi illa, ibi, « *Nec enim in gladio suo.* »

Dicit ergo : Sic audivimus et a Patribus, et quid ? *Opus quod operatus es,* non ipsi, « *in diebus eorum.* » Nec hoc tantum, imo, « *in diebus antiquis* » quæ fuerunt ante eos. Quare non dicit, *opera,* sed « *opus* » in singulari ? Item, cum Deus semper operetur, Joan. v, 17 : *Pater meus usque modo operatur, et ego operor,* quid magnum narrare opera ? Respons. Non

loquitur de operibus Dei communibus, quæ sunt opera conservationis et propagationis, sed excellentiæ et singularis virtutis, quæ sunt opera miraculosa. Et propter hoc quasi antonomastice loquitur, et ad notandum singularitatem in singulari dixit, « *opus.* » Per hoc et plana est responsio ad aliud. Isa. v, 12 : *Opus Domini non respicitis.*

Tria genera operum Dei, primum, medium, et ultimum, et quodlibet illorum triplex.

Et nota, quod est opus Dei primum, medium, et novissimum. Primum triplex, creationis, distinctionis, ornatus [1]. Opus medium triplex, præparationis, significationis, et redemptionis. De primo, Joan. v, 17 : *Pater meus usque modo operatur, et ego operor.* De secundo, ad Hebr. x, 1 : *Umbram habens lex futurorum bonorum.* De tertio, in Psal. LXXIII, 12 : *Operatus est salutem in medio terræ.* Ultimum, propagationis, innovationis, et glorificationis in corpore. De primo, I ad Cor. III, 13 *Uniuscujusque opus quale fuerit, ignis probabit.* De secundo, Apocal. XXI, 1 : *Vidi cælum novum, et terram novam.* De tertio, ad Philip. III, 20 : *Salvatorem exspectamus Dominum nostrum Jesum Christum*, etc.

3 « *Manus tua gentes disperdidit.* » Hic specificatio aliquorum operum mirabilium : et tanguntur tria. Primo, Gentium de terra promissionis expulsio. Secundo, Patrum introductio, ibi, « *Et plantasti eos.* » Tertio, earumdem gentium ad egrediendum coactio, ibi « *Afflixisti eos.* »

Dicit ergo : Sic narraverunt quod fuit, quia « *manus tua gentes,* » hoc est, Gentiles, « *disperdidit,* » de terra Chanaan. Manum autem dicit Dei omnipotentiam. Sap. XI, 18 : *Non enim impossibilis erat omnipotens manus tua.* Psal. LIII, 7 : *Et in veritate tua disperde illos.*

« *Et plantasti eos,* » Patres scilicet in terra eadem, de qua plantatione spiritu prophetico aiebat Moyses, Exod. XV, 17 : *Plantas eos in monte hæreditatis tuæ, firmissimo habitaculo tuo quod operatus es, Domine.* Et in Psal. LXXIX, 9 : *Vineam de Ægypto transtulisti, ejecisti gentes, et plantasti eam.* Isa v, 7 : *Vinea Domini exercituum, domus Israel est.* Sed numquid Gentes cesserunt eis libenter ? Non, imo « *afflixisti populos.* » Gentilium scilicet, septem Gentes quæ ibi habitabant. Sap. XVI, 9 : *Illos locustarum et muscarum occiderunt morsus, et non est inventa sanitas animæ illorum.* Ibid, XII, 8 : *Misisti antecessores exercitus tui vespas*, etc.

« *Et expulisti eos,* » vellent nollent. Jos. XXIV, 12 : *Misi ante eos crabrones, et ejeci eos de locis suis* : aliqui enim ejecti, alii magis obstinati sunt interfecti.

« *Nec enim in gladio suo.* » Hic ostendit operis Auctorem, et dicuntur tria. 4
Primo ostendit quis hoc non fecerit. Secundo, quis hoc fecerit, ibi, « *Sed dextera tua.* » Tertio, quare hoc fecerit, ibi, « *Quoniam placuisti.* »

Dicit ergo : Sic illis expulsis hos plantasti, sed non virtute armorum suorum. « *Nec enim in gladio suo,* » id est, virtute armorum suorum. De hoc parum ante, Psal. XXXII, 16 : *Non salvatur rex per multam virtutem.* « *Possederunt terram,* » illam litteralem, non spiritualem, quæ magis habetur per mansuetudinem. Matth. v, 4 : *Beati mites : quoniam ipsi possidebunt terram.* « *Et brachium eorum,* » illorum fortitudo scilicet, « *non salvavit eos.* » Jerem. IX, 23 : *Non glorietur fortis in fortitudine sua.* Psal. CXLVI, 10 : *Nec in tibiis viri beneplacitum erit ei.* Amos, II, 14 : *Fortis non obtinebit virtutem suam.* Sensus ergo est, quod nec virtute ab aliquo mutuata, nec na-

[1] Cf. Genes. I.

turaliter propria acquisierunt istam terram. Et verum est. Jos. xxi, 41: *Dedit Dominus Deus Israeli omnem terram,... et possederunt illam.*

« *Sed dextera tua.* » Hic secundum, in quo subjungit quis hoc fecerit.

Ait enim sic : Hi hoc non fecerunt, « *sed dextera tua, et brachium tuum,* » conjunctim legatur, id est, dextrum brachium tuum. Judith, v, 16: *Deus eorum pugnavit pro eis.* Dextrum autem brachium appellari potest Filius, de quo Sap. v, 17: *Dextera tua teget eos, et brachio suo defendet illos.* Exod. xv, 6: *Dextera tua, Domine, percussit inimicum.*

« *Et illuminatio vultus tui,* » scilicet sapientia tua, ipse scilicet qui virtus est. I ad Cor. i, 23 et 24: *Prædicamus Christum crucifixum... Christum Dei virtutem, et Dei sapientiam.* Isa. xlv, 21: *Deus justus, et salvans non est præter me.* Luc. i, 51: *Fecit potentiam in brachio suo,* ecce potentia : *dispersit superbos,* etc. Hoc refertur ad sapientiam. Sed quid hoc? Numquid eorum meritis? Non, sed « *quoniam complacuisti in eis,* » non aliis, qui hoc viderunt. « *In eis,* » id est, in his, et propter ea quæ fecisti eis. Aliquando enim Deus placet aliis propter bona, quæ confert suis. Exod. xviii, 9: *Lætatus est Jethro super omnibus bonis, quæ fecerat Dominus Israeli,* etc. Vel secundum litteram Cassiodori : « Quoniam complacuisti tibi in illis, » ut illum populum de toto mundo eligeres, ut inde Salvatorem emitteres. Deut. vii, 6: *Elegit te Dominus Deus tuus, ut sis ei populus peculiaris de cunctis populis.* Vel sic : Sed « *dextera tua,* » id est, prosper successus tuus. Et respicit ad Dei bonitatem. Job, xiv, 15: *Operi manuum tuarum porriges dexteram.* « *Et brachium tuum,* » scilicet fortitudo quæ respicit ad potentiam. Job, ix, 19: *Si fortitudo quæritur, robustissimus est.* « *Et illuminatio vultus tui,* » id est, sapiens consilium tuum, quod omnia illuminat, et te cognoscere facit. Prov. ii, 11: *Consilium custodiet te.* Et viii, 14: *Meum est consilium, et mea est fortitudo.* Et hoc « *quoniam complacuisti in eis,* » sicut prius legendum est.

« *Tu es ipse Rex meus.* Hic secunda pars, in qua subjungit ex illis bonis præstitis conceptam spem : et dicuntur tria. Primo, quare speret. Secundo, in quo speret, ibi, « *In te inimicos.* » Tertio, quid speret, ibi, « *Salvasti enim nos.* » 5 Secunda pars Psalmi.

In prima duo. Primo, Dei immutabilitatem tangit. Secundo, expertam Patribus benignitatem, ibi, « *Qui mandas.* »

Dicit ergo sic : Ita fecisti Patribus, et similiter mihi facies. Ergo, « *quia tu es ipse,* » non alius, « *Rex meus,* » qui regnas in me, secundum illud Luc. xvii, 21: *Regnum Dei intra vos est.* Vel, « *Rex meus,* » me regere assuetus. Psal. xxii, 1: *Dominus regit me.* « *Et Deus meus,* » qui soles in adversis subvenire. Gen. xvi, 13, dixit Agar tribulata: *Tu Deus qui vidisti me.*

« *Qui mandas.* » Ecce secundum. Quasi diceret: Tu es idem Rex, idem Deus, qui prius, non mutatus, « *Qui mandas,* » id est, mandasti per personam aliam, non ipse detulisti. Cassiodorus: « Non « per nos, sed per aliam consuevimus man« dare personam. » « *Salutes,* » scilicet corporales, « *Jacob,* » illi antiquo populo. Ac si dicat: Illi per Angelos locutus es, et Prophetas, non sic modo. Ad Hebr. i, 1: *Olim loquens Deus Patribus in Prophetis.* Jerem. xxxi, 3: *Longe Dominus apparuit mihi,* id est, per creaturam, quæ longe valde est a suo creatore. Sed nobis aliter, quia non per alium mandavit, sed ore proprio ipse dixit. Ad Hebr. i, 1: *Novissime diebus istis locutus est nobis in Filio.* Isa. xxxiii, 22: *Dominus judex noster, Dominus legifer noster, Dominus Rex noster: ipse salvabit nos.*

Sed quærendum quomodo tam audacter dicat Regem suum homo? Qui enim in duobus populis regnat, a potiori se nominat: et qui aliter eum nominaret, et ipsi Regi et omni populo in- Quare homo regem Angelorum suum vocat?

juriam faceret. Sed Christus et in hominibus in terris, et in Angelis regnat in cœlis. Psal. LXXXVIII, 12 : *Tui sunt cœli, et tua est terra.* Ergo non debet dicere homo, et ipsi Regi et Angelis injuriando, « *Rex meus*, » sed magis Angelorum. Vel Angeli dicunt homini illud II Reg. XIX, 43 : *Decem partibus major ego sum apud Regem, magisque ad me pertinet David, quam ad te.* Sed certe licet sint plures, tamen multo plus pertinet ad homines. Ad Hebr. II, 16 : *Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit.* Ne insurgeret ista contentio, et magis se ad homines pertinere ostenderet, secundum etiam quod est Rex, in humana natura scriptum est ipsum Regem, Apoc. XIX, 16 : *Habet in vestimento et in femore scriptum : Rex regum, et Dominus dominantium.*

6 « *In te inimicos nostros.* » Hic secundum, in quo subjungit in quo sperat : et dicuntur duo. Primo, quod in Deo sperat de omnibus. Secundo, quod in nullo alio, ibi, « *Non in arcu meo.* » In Deo autem sperat, et quod possit inimicos fugare, eos scilicet qui oderant, corde scilicet, et impugnantes possit impetere, ibi, « *Et in nomine.* »

Dicit ergo : Sic prædicta Patribus fecisti, sed certe et nos similia a te speramus, quia « *in te inimicos nostros ventilabimus cornu.* » In te, inquam, « *cornu,* » ablativi casus. Vel in te, « *O cornu,* » ut sit vocativi casus. Ventilare autem proprie est fugare, sicut ventus fugat pulverem. Psal. XVII, 43 : *Ut pulverem ante faciem venti.* Et iterum alibi, Psal. XXXIV, 5 : *Fiant tamquam pulvis ante faciem venti.*

« *Et in nomine tuo spernemus insurgentes in nobis,* » hoc est, in nominis tui invocatione spernemus dæmones. Job, XVII, 3 : *Libera me, Domine, et pone me juxta te, et cujusvis*, etc. Et eorum colluctationes omnes, de quibus ad Ephes. VI, 12 : *Non est nobis colluctatio adversus carnem, et sanguinem, sed adversus principes*, etc. Christus ergo *cornu* dicitur, et bene. Ratione altitudinis primo. Quare C[hri]stus di[citur] cornu Cum enim cornu sit de animali, super ipsum animal se extollit. Sic humanitas quasi supra se extulit, cum extulit se usque ad Christum, qui verus est Deus. I Reg. II, 1 : *Exaltatum est cornu meum in Deo meo.* Item, multum se extulit, quando usque ad dexteram Patris sessura ascendit. Ad Ephes. II, 46 : *Deus, qui dives est in misericordia,... conresuscitavit, et consedere nos fecit in cœlestibus in Christo Jesu.* Item, ratione originis. Licet enim caput sit debilius in animalibus, sicut in libro de *Animalibus* dicitur, tamen in eo nascitur robustum cornu. Sic de capite humanæ naturæ ortus est Christus. Nobilius enim in tota natura humana erant Judæi : sed summum in illis tribus Juda quæ regalis erat, et judex. Ad Hebr. VII, 14 : *Manifestum est, quod ex Juda ortus sit Dominus noster.* Luc. I, 69 : *Erexit cornu salutis nobis.* Item, ratione coloris : quia cornu in colore exteriori cuti assimilatur. In libro de *Animalibus* : « Colores cornuum erunt sicut colores « corii. » Sic Christus licet fuerit super homines, de quibus natus est, assimilatur eis tamen, sed in corio, id est, in exterioribus. Ad Roman. VIII, 3 : *Deus Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati.* Ad Philip. II, 7 : *Semetipsum exinanivit, formam servi accipiens*, etc. Item, ratione attractionis. Cornu enim attrahit ad se superfluitates, et viliores partes corporis, et inde sustentatur et augetur. In libro de *Animalibus* : « Cornua « ex superfluitatibus sustentantur. » Sic Christus in corpus suum traxit homines viles, et rusticanos piscatores. I ad Cor. I, 26 et 27 : *Videte vocationem vestram, fratres, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi nobiles : sed quæ stulta*, etc. I ad Corinth. IV, 13 : *Tamquam purgamenta hujus mundi facti sumus, omnium peripsema usque adhuc.* Item, ratione diversitatis quam habet in se : sicut enim dicit Philosophus in dicto

libro: « Cornu prope radicem est concavum, et sursum durum, et solidum, aptum ad impetendum, et fortissimum. Matth. xxvi, 41 : *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.* Hæc superior pars impegit in portas inferni, et fregit illas. Isa. xlv, 2 : *Portas æreas conteram, et vectes ferreos confringam.* Item, ratione finis. Data enim fuerunt creaturæ propter vigorem et ornamentum. Sic Christus est vigor et decor totius humanæ naturæ. Psal. lxvii, 36 : *Ipse dabit virtutem, et fortitudinem plebi suæ.* Et alibi, Psal. xvii, 2 : *Diligam te, Domine, fortitudo mea, Deus meus, et cornu salutis meæ.* Item, ratione temporis. Nullum enim animal parvi temporis, cornu habet, sicut ibidem dicitur. Sic in parva ætate adhuc humana natura cornu non habuit, sed postquam jam crevit, quasi in fine mundi, tunc cornu venit. Ezech. xxix, 21 : *In die illo pullulabit cornu domui Israel.*

7 « *Non enim in arcu meo.* » Hic secundum, in quo subjungit, quod non sperat in alio. Sed primo quia nec in illis armis quibus pugnatur eminus, qualia sunt arcus, nec in illis quibus cominus, qualia gladius, ibi, « *Et gladius meus.* »

Continua : Dixi, quod inimicos ventilabimus cornu, non in nobis. Job, vi, 13 : *Ecce auxilium non est mihi in me.* « *Non enim in arcu meo sperabo.* » Vel sic : hoc facies, et merito. « *Enim,* » quia « *non sperabo in arcu meo,* » quo pugnatur eminus. I. Reg. ii, 4 : *Arcus fortium superatus est.* Amos, ii, 15 : *Tenens arcum non stabit.* « *Et gladius meus,* » quo pugnatur cominus, « *non salvabit me,* » sicut nec priores. Osee, ii, 18 : *Arcum, gladium, et bellum conteram.* Hic aperte ostenditur Ecclesiæ, quod non debet confidere in materialibus armis. Primo, quia arma materialia tantum vestem protegunt, scilicet carnem, quæ vestis est animæ. Job, x, 11 : *Pelle et carnibus vestisti me.* Et non militem, ipsam mentem. Osee, i, 7 : *Salvabo eos in Domino Deo suo : et non salvabo eos in arcu, et gladio.* Præterea, his armati frequenter antequam carnem adversarii tangant, seipsos occidunt odio et iniquitate, quæ gladius est. Eccli. xxi, 4 : *Quasi romphæa bis acuta, omnis iniquitas.* Matth. xxvi, 52 : *Omnes qui acceperint gladium,* naturalem, *gladio peribunt* spirituali. Item, contra graviores hostes, scilicet dæmones, non prosunt, quia non quærunt exteriorem substantiam, vel vitam corporalem, sicut homines, sed animam. Psal. liii, 5 : *Fortes quæsierunt animam meam.* Sed hæc arma non timent. Job, xli, 18 et 19 : *Reputabit quasi paleas ferrum, et quasi lignum putridum, æs. Non fugabit eum vir sagittarius.*

Sed quid prosunt ista arma contra homines, si animas rapiant dæmones ? Matth. xvi, 26 : *Quid prodest homini si mundum universum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur ?* Ergo ad consilium Apostoli recurrendum est, Ad Ephes. vi, 11 : *Induite vos armaturam Dei.* Item, his armati ab inermibus sæpe victi sunt. I Reg. xvii, 5 : Goliath Gethæus a David est devictus. Ille armatus, hic quasi nudus. Si ergo non debent in his armis confidere laici, quomodo confident in illis Clerici ? Non sic Aaron, sed Sap. xviii, 22 : *Vicit autem turbas, non in virtute corporis, sed verbo illum, qui se vexabat, subjecit.*

« *Salvasti enim nos.* » Hic tertium, in quo ostendit quid speret, quia perfecte 8
liberari a malis primo. Secundo, jucundari in bonis, ibi, « *In Deo laudabimur.* »

In prima duo, quia primo sperat liberari ab affligentibus opere. Secundo, ab odientibus corde, ibi, « *Et odientes nos.* »

Dicit ergo : Sic in nulla re corporali sperabo, sed in te. « *Enim,* » id est, quia « *salvasti,* » id est, quia salvabis nos, præteritum pro futuro certitudine pro-

phetali. Augustinus : « Da prophetam « cui non tantum certum sit præteritum, « sed futurum : et quemadmodum tibi « quod meministi factum, non potest fieri « ut non sit factum : sic ille quod novit « futurum, non potest fieri ut non fiat. »

« *De affligentibus nos,* » dæmonibus, qui infatigabiliter confligunt, et graviter affligunt. Job, xvi, 7 : *Si locutus fuero, non quiescet dolor meus : et si tacuero, non recedet a me.* « *Et odientes nos,* » corde, scilicet malos homines, « *confudisti.* » Confundes in judicio, quando dicturus es illud Luc. xiii, 27 : *Discedite a me omnes operarii iniquitatis* [1]. Et hoc proprie de Martyribus intelligitur, quorum occisores, mali scilicet homines, et tyranni confundentur, ipsis salvatis, secundum illud Isa. xli, 11 : *Ecce confundentur, et erubescent omnes, qui pugnant adversum te : erunt quasi non sint.* Mich. vii, 9 et 10 : *Educet me* Dominus *in lucem, et videbo justitiam ejus : et aspiciet me inimica mea, et operietur confusione.*

9 « *In Deo laudabimur.*» Hic secundum, in quo dicit se sperare jucunditatem in bonis, et hoc in duobus, in laude propria perpetuata, et in divina similiter, ibi, « *Et in nomine.* »

Dicit ergo : Hæc bona facies, nec tantum ista, imo « *laudabimur tota die,* » in æternitate, quæ tota dies est. Nihil ibi noctis. Psal. lxxxiii, 11 : *Melior est dies una in atriis tuis,* etc. « *In Deo laudabimur.* » Prov. xxviii, 20 : *Vir fidelis multum laudabitur,* nec tantum ab hominibus, sed a Domino Angelorum. Luc. xii, 8 : *Omnis, quicumque confessus fuerit me coram hominibus, et Filius hominis confitebitur illum coram angelis Dei.* Et tamen sine elatione laudate : quia in Deo nostro in nobis reflectetur tota laudatio. Cassiodorus : « Sine arrogan- « tia designant gloriam suam, qui se in « Deo testantur esse laudandos. » Psal. xxxiii, 3 : *In Domino laudabitur anima mea.*

Sed numquid laudati non laudabimus ? « Imo *et in nomine tuo,* » quod est Jesus, scilicet Salvator, « *confitebimur,* » confessione laudis, « *tibi,* » non alii, « *in sæculum,* » perpetuo duraturum : quia sæculum dicitur simpliciter. Apoc. iv, 8 : *Requiem non habebant animalia die ac nocte dicentia : Sanctus, Sanctus, Sanctus.* Et quamvis sine requie, non tamen cum fatigatione, sed cum summa delectatione. Cassiodorus : « Ista est beatitudo justo- « rum, Deum laudare perpetuo : satietas, « quæ numquam novit fastidium : fames, « quæ de abstinentia matre non nascitur : « aviditas, quæ de jejunio non creatur. »

Verba autem Martyrum sunt hæc, et justissime in his duobus remunerantur in Ecclesia triumphante, in laude contra vilia quæ sunt passi, in lætitia contra gravia. Ad Hebr. xi, 36 : Sancti, *ludibria et verbera experti.* Et propter hoc datur illis de fructu manuum suarum æterna lætitia, et laudent eos in portis opera eorum [2]. Merces Martyrum.

« *Nunc autem repulisti.* » Hic tertia pars totius Psalmi, in qua postquam præmisit de spe, subjungit de adversitate contra spem habita, et primo ostenditur quanta mala pertulerint. Secundo, quod tamen mala culpæ non commiserunt, ibi, « *Hæc omnia venerunt.* » 10 Tertia pars Psalmi.

In prima duo. Primo, quod gravia. Secundo, quod vilia, ibi, « *Vendidisti populum tuum.* »

Gravia tangunt tria, scilicet spei frustrationem : auxilii subtractionem, ibi, « *Et non egredieris.* » Inimicorum for-

[1] Cf. Matth. xxv, 41.

[2] Cf. Proverb. xxx, 31 : *Date ei de fructu manuum suarum, et laudent eam in portis opera ejus.*

titudinem augmentatam, ibi, « *Avertisti nos retrorsum.* »

Dicit ergo : Sic antiquis fecisti. « *Manus tua gentes disperdidit,* etc. » Hæc quæ immediate dixi, « *inimicis nostris,* » et est in proximo, facies. « *Nunc autem,* » in tempore medio inter illud præteritum et hoc futurum, « *repulisti nos,* » dum differs promissa cœlestia. Psal. LXXIII, 1 : *Ut quid, Deus, repulisti in finem?* Supra, Psal. XLII, 2 : *Quare me repulisti?* « *Et confudisti nos,* » non intus in conscientia, sed exterius per præsentis miseriæ abundantiam. I ad Cor. IV, 12 : *Maledicimur, et benedicimus : persecutionem patimur, et obsecramus,* etc. II ad Cor. I, 12 : *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ.* Cassiodorus : « Illam dicit gloriosam confusionem quam Martyres subeunt cum injuriis affliguntur, fustibus verberantur, et velut criminibus obnoxii morti non desinunt mancipari, » de quo Eccli. IV, 25 : *Est confusio adducens gloriam.* Per hoc quod dicit, « *Repulisti,* » gemit pro dilatione cœlestis patriæ. Per hoc quod dicit, « *Confudisti,* » pro incolatu hujus miseriæ.

« *Et non egredieris.* » Ecce secundum. Quasi diceret : hoc non tantum, imo, « *et non egredieris, Deus,* » sicut fecisti antiquitus, aperte et evidenter, « *in virtutibus nostris,* » id est, in pugnis, ita quod exterius non apparet egressus tuus ad auxilium, sed interius præbetur magnum. I ad Corinth. I, 27 : *Infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia.* Imo virtus est in infirmitate, in eo qui non tantum infirmus est, sed quasi ipsa infirmitas. In parvis autem mulierculis perficitur, id est, perfecta ostenditur [1].

« *Avertisti nos retrorsum.* » Hic est tertium grave valde, scilicet augmentum fortitudinis adversariorum. Et dicuntur duo. Primo ostenditur fortitudinis excessus. Secundo, concomitans effectus, et est triplex. Quorumdam captio, ibi, « *Et qui oderunt nos.* » Quorumdam occisio, ibi, « *Dedisti nos tamquam oves.* Aliorum per diversas gentes dispersio, ibi, « *Et in gentibus.* » Et legitur primum dupliciter, vel pro parte a fide discedentium, vel pro parte in illa perseverantium. 11 Multiplex Ecclesiæ afflictio.

Primo modo sic : Vere confudisti nos, quia « *avertisti nos retrorsum,* » id est, a fide ad infidelitatem, de qua aversione, II Pet. II, 21 : *Melius erat illis non cognoscere viam justitiæ, quam post agnitionem, retrorsum converti ab eo.* « *Post inimicos nostros,* » ut eos sequendo imitemur in errore. Deut. XXVIII, 44 : *Ipse erit in caput, et tu eris in caudam.* Thren. I, 5 : *Facti sunt hostes ejus in capite,* et illi per consequens in cauda, qui aversi sunt a fide.

Vel sic : « *Avertisti nos retrorsum post inimicos nostros,* » ut tamquam victi fugiamus, sicut frequenter oportet fieri. Matth. X, 23 : *Cum persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam.* « *Et qui oderunt,* » scilicet infideles et hæretici, secundum lecturam primam versus præcedentis, qui prius nos oderunt. Proverb. XXIX, 10 : *Viri sanguinum oderunt simplicem.* « *Diripiebant sibi,* » ad suum errorem distrahentes nos. Thren. II, 22 : *Non fuit in diebus furoris Domini qui effugeret, et relinqueretur : quos educavi, et enutrivi, inimicus meus consumpsit eos.*

Secundum aliam : « *Qui oderunt nos,* » persecutores scilicet, et tyranni, « *diripiebant sibi.* » Cassiodorus : « Hoc solet fugatis emergere, ut in direptionem prædamque cadant. » Tob. III, 4 : *Traditi sumus in direptionem, et cap-*

[1] Cf II ad Corinth. XII, 9.

tivitatem, et mortem, et fabulam. Isa. XLII, 22 : *Ipse autem populus direptus, et vastatus.*

Fuga majoribus cavenda propter tria.

Mala ergo fuga maxime in majoribus est cavenda, maxime autem propter tria. Propter seipsum, quia sic amittitur et victoria et corona. Bernardus: « Væ tibi si « declinando pugnam, perdis et victoriam « et coronam. » Jacob. I, 12 : *Beatus qui suffert.* Propter proximum : qui enim fugit, alii terrorem incutit. Deuter. XX, 8 : *Quis est homo formidolosus, et corde pavido ? vadat, et revertatur in domum suam, ne pavere faciat corda fratrum suorum.* II Machab. VI, 28 : *Adolescentibus exemplum forte relinquam, si prompto animo, ac fortiter pro gravissimis ac sanctissimis legibus honesta morte perfungar.* Item, propter Deum : quomodo enim tandem poteris effugere, quem modo fugis ? Bernardus : « An quia fugisti ex « acie, putas te evasisse ? Certe non. » II Machab. VI, 26 : *Etsi in præsenti tempore suppliciis hominum eripiar, sed manum Omnipotentis nec vivus, nec defunctus effugiam.* Job. XX, 24 : *Fugiet arma ferrea, et incidet in arcum æneum.* Amos, II, 15 : *Velox pedibus suis non salvabitur.*

12 Malum pœna a Deo.

« *Dedisti nos tamquam oves.* » Hic secundum, quorumdam occisio, et legitur dupliciter, sicut antecedens: vel de deserentibus fidem, vel de perseverantibus.

Primo modo sic : Non tantum direpti sumus ab hæreticis, « *sed dedisti nos,* » tu, non alius : unde ostendit quod adversitates et pœnæ sunt a Deo. Isa. XLII, 24 : *Quis dedit in direptionem Jacob, et Israel vastantibus ? Nonne Dominus ipse est ?* Amos, III, 6 : *Si erit malum in civitate quod Dominus non fecerit.* « *Tamquam oves escarum,* » non facientes fœtum, non sicut illæ de quibus Cant. IV, 2 : *Omnes gemellis fœtibus, et sterilis non est inter eas.* Sed « *escarum* » lupis hæreticis. Cassiodorus : « Esca luporum est ovium « mansueta simplicitas. » Sicut enim illud quod comeditur, in corpus comedentis trajicitur, sic hæreticæ congregationis ab hæreticis seducti, Psal. XIII, 4 : *Qui devorant plebem meam sicut escam panis.* Jerem. LI, 34 : *Comedit me, devoravit me Nabuchodonosor.*

Vel « *dedisti nos tamquam oves escarum,* » persecutoribus et tyrannis, reddens quæ promisisti. Matth. X, 16 : *Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum.* Thren. II, 16 : *Fremuerunt dentibus, et dixerunt : Devorabimus eum.* Infra, ℣, 22 : *Æstimati sumus sicut oves occisionis,* quemadmodum et magister earum. Isa. LIII, 7 : *Sicut ovis ad occisionem ducetur.* II ad Cor. XI, 20 : *Sustinetis si quis vos devorat,* etc.

« *Et in gentibus dispersisti nos.* » Dispersisti quantum ad alios. Thren. IV, 1 : *Dispersi sunt lapides sanctuarii in capite omnium platearum.* Et hoc fecisti ad utilitatem multorum, quod intelligens Tob. XIII, 3 et 4: *In conspectu gentium laudate eum. Quoniam ideo dispersit vos inter gentes, quæ ignorant eum, ut vos enarretis mirabilia ejus, et faciatis scire eos, quia non est alius Deus omnipotens præter eum.* Ad Hebr. XI, 37 : *Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis.* Et post, ℣ 38 : *In solitudinibus errantes, in montibus, et speluncis, et in cavernis terræ.*

« *Vendidisti populum tuum.* » Hic ostendit, quoniam sustinuerunt, vel sustinent vilia. Vilitas autem comprehenditur in duobus. In venditione infructuosa. Secundo, in venditorum irrisione, ibi, « *Posuisti nos.* » 13

Primo ergo venditos sine fructu ostendit. Secundo, quasi exponit quod dixerat, ibi, « *Et non sunt.* »

Dicit ergo : Sic sustinuimus dura, et gravia, et vilia : quia « *vendidisti populum tuum,* » scilicet Martyres qui tuus sunt populus. I Pet. II, 9 : *Vos estis genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis: ut virtutes*

annuntietis ejus. Ad hoc erant Martyres. Et hoc, « *sine pretio,* » ut nec fructuosa illorum venditio. Deuter. XXXII, 30 : *Deus suus vendidit eos, et Dominus conclusit illos.* Magna vilitas dari pro nihilo, Thren. I, 11 : *Vide Domine, et considera quoniam facta sum vilis.* Deut. XXVIII, 68 : *Venderis inimicis tuis in servos et ancillas, et non erit qui emat.*

ocutio ripturæ iliaris, nd sine retio.

Sed quomodo vendidit, si pretium non accepit : aut quomodo non accepit pretium, si vendidit ? Resp. Cassiodorus : « Hoc genus locutionis inter propria divinæ Scripturæ connumeratur, ut dicatur venditum, ubi non constat pretium datum. Isa. L, 1 : *In iniquitatibus vestris venditi estis.* Et LV, 1 : *Venite, emite absque argento, et absque ulla commutatione vinum et lac.* Et LII, 3 : *Gratis venumdati estis.* »

Vel dicatur, quod exponit se, quasi vendidisti sine pretio : « *Et non fuit multitudo in commutationibus eorum.* » Quasi diceret : Martyres vidimus tyrannis datos, et multos, non tamen pro illis videmus ad te converti multos. Unde quasi non reputatur pretium pro tot et tam pretiosis, tam parum. Aggæ. I, 6: *Seminastis multum,* multos scilicet Martyres : *et intulistis parum,* in horreum Ecclesiæ, scilicet paucos fideles. Vel non fuit multitudo, et pretium eorum in apparentia, et si forte sit multitudo magna. Aggæ. I, 9: *Respexistis ad amplius, et ecce factum est minus.* Quasi dicat: Imo dantur mali pro eis ipsi. Diabolus ad torquendum, secundum illud Prov. XXI, 18 : *Pro justo dabitur impius, et pro rectis iniquus.* Hoc nihil est, ut videtur Eccli. XVI, 3 : *Melior est unus timens Deum, quam mille filii impii.* Littera Augustini habet : « Non fuit multitudo in jubilationibus eorum. » Tempore enim persecutionis non poterant ad laudes Dei convenire. Job, XXX, 31 : *Versa est in luctum cithara mea, et organum meum in vocem flentium.* Thren. I, 4 : *Viæ Sion lugent eo quod non sint qui veniant ad solemnitatem.*

« *Posuisti nos.* » Hic subjungitur de irrisione : et dicuntur tria. Primo, irrisionum diversitas. Secundo, continuatio in irridendo, ibi, « *Et confusio.* » Tertio, causa, ibi, « *A voce exprobrantis.* » 14

Irridetur Ecclesia.

In prima duo. Primo tangitur irrisio illata a propinquis. Secundo, a remotis et extraneis, ibi, « *Posuisti nos in similitudinem.* »

In prima, primo, irrisio a propinquis conversatione. Secundo, a propinquis habitatione, ibi, « *Subsannationem.* »

Dicit ergo : Non tantum hanc quam prædixi vilem venditionem sustinemus : imo « *posuisti nos,* » tamquam in hoc fixos. In Orig. *Posuisti* ostendit immobilem esse possessionem : ibi enim diuturnius esse creditur, ubi et positus. « *Opprobrium.* » Ecce irrisio. Psal. CVIII, 25 : *Factus sum opprobrium illis : viderunt me, et moverunt capita sua.* Thren. III, 61 : *Audisti opprobrium eorum Domine.* Ezech. V, 14 : *Dabo te in desertum, et in opprobrium gentibus... in conspectu omnis prætereuntis.* « *Vicinis nostris :* » unde gravis afflictio. « *Subsannationem,* » quæ fit contractione nasi, « *et derisum,* » qui fit ore. II Paral. XXXVI, 16 : *Illi subsannabant nuntios Dei, et parvipendebant sermones ejus, illudebantque prophetis.* Jerem. III, 14 : *Factus sum in derisum omni populo meo.* Omnes subsannant me, quia jam olim loquor vociferans iniquitatem, et vastitatem clamito. « *Iis qui in circuitu nostro sunt.* » Psal. XXX, 14 : *Audivi vituperationem multorum, commorantium in circuitu,* non intus ingredientium : homines enim sunt qui semper circumeunt bonos, modo hinc, modo inde, sed numquam intrant ad illos, ut illis similes efficiantur in conversatione et vita. Psal. XI, 9 : *In circuitu impii ambulant.* Job, XIX, 12 : *Obsederunt in gyro tabernaculum meum.* Et tales vitam illorum irrident et parvipendunt. Psal. XXX, 12 : *Qui videbant me, foras fugerunt a me.*

15 « *Posuisti nos in similitudinem.* » Hic secundum, in quo subjungitur irrisio ab extraneis. Et primo, irrisio verbo. Secundo, signo, ibi, « *Commotionem.* »

Ait enim : Sic a vicinis et propinquis : et etiam « *posuisti nos,* » id est, stabiliter fixisti, « *in similitudinem,* » maledictionis et improperii, « *Gentibus,* » et remotis, ut dicant : Maledicat tibi Deus : sicut illis Nahum, III, 6 : *Contumeliis te afficiam, et ponam te in exemplum.* Job, XVII, 6 : *Posuit me quasi in proverbium vulgi.* II Paral. VII, 20 et 21 : *Tradam eam in parabolam, et in exemplum cunctis populis, et domus ista erit in proverbium universis transeuntibus.* Jerem. XXIX, 21 et 22 : *Percutiet eos in oculis vestris : et assumetur ex eis maledictio omni transmigrationi Juda.*

Vel sic : « *Posuisti nos Gentibus,* » id est, comparatione ad Gentes, « *in similitudinem,* supple, Christi: quia contumeliis nos afficiunt, et miseriis, sicut ipsum affecerunt. Joan. XV, 20 : *Si me persecuti sunt, et vos persequentur.* Sap. XVIII, 11 : *Simili autem pœna servus cum domino afflictus est, et popularis homo regi similia passus.* « *Et posuisti me commotionem capitis,* » ad deridendum, « *in populis,* » sicut Christo in Passione factum est[1]. In Psal. XXI, 8 : *Omnes videntes me deriserunt me,* etc. Thren. II, 15 : *Sibilaverunt, et moverunt caput suum super filiam Jerusalem.* Augustinus : « Hoc Domino, hoc omnibus « Sanctis ejus, quos persequi, quos « eruere, illudere, tradere, affligere, oc- « cidere potuerunt. »

16 « *Tota die verecundia.* » Hic tangitur continuatio in irrisione illa. Quasi diceret : Sic irrident, et irrisionem continuant : quia « *verecundia mea,* » id est, facta et verba, unde verecundia est mihi, « *est contra me,* » hoc est, contra illa quæ merui. Non merueram ut talia mihi fierent, unde verecundiam haberem, et hoc « *tota die.* » Vel « *coram me,* » id est, ante oculos meos. Psal. CI, 9 : *Tota die exprobrabant mihi inimici mei.* Jerem. XIII, 22 : *Revelata sunt verecundiora tua, pollutæ sunt plantæ tuæ.*

« *Et confusio.* » Hic est tertium, in quo ostendit irrisionis effectum.

Ait enim : Sic irrident, et ex hoc accidit, quia « *confusio faciei meæ,* » non conscientiæ interioris, de qua Eccli. IV, 25 : *Est confusio adducens peccatum,* scilicet ignominiam. « *Cooperuit me.* » Non dicit faciem tantum, quia confusio a facie quasi per totum corpus descendebat. Jerem. III, 25 : *Dormiemus in confusione nostra, et operiet nos ignominia nostra.* Psal. LXVIII, 8 : *Quoniam propter te sustinui opprobrium, operuit confusio faciem meam.* Sed quomodo operuit confusio, Cassiodorus ostendit in Glossa : « Quasi quodam pallio. » Color enim quoddam vestimentum est. Matth. VI, 28 et 29 : *Considerate lilia agri quomodo crescunt : non laborant neque nent. Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut unum ex istis.*

« *A voce exprobrantis.* » Hic est quartum, in quo ostendit causam, et tangit 17
triplicem causam, scilicet triplicem adversariorum perversitatem. Oris. Cordis, ibi, « *A facie inimici.* » Et operis, ibi, « *Et persequentis.* »

Ait enim : Sic irrident, et unde omnia hæc? « *A voce exprobrantis,* » in aperto, et in facie. « *Et obloquentis,* » scilicet detrahentis occulte. Psal. LXXII, 8 : *Cogitaverunt, et locuti sunt nequitiam,* scilicet in occulto : *iniquitatem in excelso locuti sunt,* ut aperte audiri pos-

[1] Cf. Matth. XXVII, 29 et seq.

sent. Job, XVI, 11 : *Aperuerunt super me ora sua, et exprobrantes percusserunt maxillam meam.* Nec ad hoc tantum, « *imo a facie,* » id est, a præsentia « *inimici,* » qui me odit corde : « *et persequentis* » ore. Quasi diceret Martyr : Adversarii me persequuntur, voce, et corde, et opere. II ad Corinth. IV, 8 : *In omnibus tribulationem patimur.* Et dicit, « *Persequentis,* » id est, perfecte insequentis. Quasi diceret : Non tantum insequuntur usque ad vultus confusionem, nec usque ad corporis interfectionem, sed etiam usque ad animæ perditionem. Cassiodorus : « Odium probatur « acerrimum, quia non solum corpus ex-« stinguere, sed etiam ipsas animas cu-« piant sua pravitate trucidare.» Jerem. VI, 23 : *Crudelis est, et non miserebitur : vox enim quasi mare sonabit* terribiliter, et amare. Sed consolatio est, Matth. X, 28 : *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere : sed potius timete eum, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam.*

18 « *Hæc omnia venerunt.* » Hic secundum tertiæ partis totius Psalmi, in quo postquam ostendit quanta mala sustinuerunt, intendit ostendere quod hæc non meruerunt : et dicuntur duo. Primo, quod in his omnibus nulla fuit ipsorum a Deo aversio. Secundo, supponitur ratio, quare aversi non sunt, ibi, « *Si obliti sumus.* »

Triplex a Deo aversio removetur a justis.

In prima duo. Primo, quod non sunt aversi a Deo in tot miseriis. Secundo, quod inde bona sunt assecuti, ibi, « *Et declinasti.* »

In prima tria, secundum triplicem modum avertendi se a Deo. Primo, avertunt se quidam a Dei potentia per infidelitatem. Sed hoc primo negant sancti de se. Secundo, a sapientia ejus, et lege, per inobedientiam. Et hoc removent secundo, ibi, « *Et inique non egimus.* » Tertio, a bonitate per desperationem. Et hoc auferunt tertio, ibi, « *Et non recessit retro.* »

Dicit ergo : Sic cruciamur, occidimur: nec tamen meruimus, ut videtur, quia « *hæc omnia,* » quæ diximus, « *venerunt super nos.* » *Supra,* Psal. XLI, 8: *Omnia excelsa tua,* etc. Hæc omnia simul, quia si unum post alterum, minus grave esset, et facilius portabile, sicut bono Job factum est, cui una miseria super aliam irruebat. Job, I, 16 : *Cumque ille adhuc loqueretur, venit alter, et dixit.* Psal. XXXII, 7 : *Congregans sicut in utre aquas maris.* Venerunt, inquam, ac si nos essemus illi, quibus dictum est, Matth. XXIII, 36 : *Venient hæc omnia super generationem istam.* « *Venerunt,* » dicit Cassiodorus, « quasi fera terribilis, « quasi fluvius turbulentus. »

« *Nec obliti sumus te,* » id est, tui. Sed sic loqui, sicut dicit Cassiodorus, est etiam de propriis Scripturæ, id est, tuæ potentiæ et virtutis : quod est valde virtuosum, tenere fortiter Dei memoriam in magna tribulationum amaritudine. Eccli. XXI, 15 : *Non est sensus ubi est amaritudo.* Propter quod dicitur, Eccle. IX, 10 : *Nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos.*

« *Et inique non egimus in testamento tuo,* » ab eo per inobedientiam recedendo. Bene sequitur ad aliud. Cassiodorus : « Qui illum mente retinent, per fidem « veram tenentes, ejus testamentum ne-« sciunt oblivisci.» Job, XXXVI, 21 : *Cave ne declines ad iniquitatem : hanc enim cœpisti sequi post miseriam.* Eccli. XI, 21 : *Sta in testamento tuo, et in illo colloquere, et in opere mandatorum tuorum veterasce.*

Adversitas Deum oblivisci non sinit.

Hic ergo nota quantum bonum præsens adversitas, quæ non permittit hominem oblivisci Deum. Isa. XXVIII, 19 : *Vexatio intellectum dabit auditui.* Et iterum, Isa. XXVI, 16: *Domine, in angustia sua requisierunt te.* Osee, VI, 1 : *In tribulatione sua mane consurgent ad me.* Et etiam in Deum fortius mentem figit. Gregorius : « Lignum quanto fortius

« percutitur, tanto in terra cui inhæret, « fortius infigitur. » Unde mallei Martyrum figebant eos fortius in Deum. E contra prosperitas inducit oblivionem. Osee, XIII, 6 : *Adimpleti sunt et saturati sunt, et levaverunt cor suum, et obliti sunt mei.* Ephraim et Manasses fuerunt fratres [1]. Et a Deo penitus avellit. Prov. I, 32 : *Prosperitas stultorum perdet illos.*

« *Et non recessit retro cor nostrum,* » a
19 tua bonitate per desperationem. Magna Martyrum firmitas. Ad Roman. VIII, 38 et 39 : *Certus sum, quia neque mors, neque vita, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu.* Quidam abeunt retro per infidelitatem, sicut illi de quibus Joan. VI, 67 : *Multi* autem audientes, *abierunt retro.* Quidam per inobedientiam mandatorum Dei, Isa. L, 5 : *Dominus Deus aperuit mihi aurem,... retrorsum non abii.* Quidam per apostasiam a voto primo, Luc. 62 : *Nemo mittens manum ad aratrum, et respiciens retro, aptus est regno Dei.* Quidam per desperationem, sicut Isa. I, 4 : *Abalienati sunt retrorsum. Retrorsum* aliquando sonat impotentiam et infirmitatem, Jerem. VII, 24 : *Facti sunt retrorsum.* Verum est inimicis suis, quibus resistere non possunt. Et non ante, Thren. II, 3 : *Avertit retrorsum dexteram suam a facie inimici.* Quandoque humilitatem, ut cum dictum est Petro, Marc. VIII, 33 : *Vade retro me, Satana.*

« *Et declinasti.* » Hic secundum hujus primæ partis, in quo postquam præmisit, quod in tot miseriis non sunt aversi, subjungit quod inde adepti sunt bona : et dicuntur tria. Primo, quod de viis suis et operibus eos instruxerit. Secundo, per quid, ibi, « *Quoniam humiliasti.* » Tertio, modum ostendit, ibi, « *Et cooperuit.* »

Dicit ergo : Sic sumus afflicti, et in hoc declinasti, id est, declinare fecisti, vel ostendisti, « *semitas nostras,* » umbrosos et voluptuosos calles nostros, « *a via tua.* » Genes. VIII, 21 : *Sensus et cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua.* Ecce callis noster latus, et ducens in perditionem. Via autem tua arcta, Matth. VII, 14 : *Arcta via est quæ ducit ad vitam.* Propter hoc dicitur in Psal. XVI, 4 : *Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras.* Vel sic secundum aliam litteram quæ habet : « Nos sic permansimus, » et hic fructus, « quoniam non declinasti, » id est, declinare non permisisti, deviando et errando « semitas nostras, » arctas et miseras vias, quibus incedimus, « a via tua. » Job, XXIII, 11 : *Viam ejus custodivi, et non declinavi ab ea.* Psal. CXVIII, 32 : *Viam mandatorum tuorum cucurri,* etc.

Vel sic : Via Dei, lex Dei. Illud autem ab alio declinare dicitur, quod dependet ab eo. Sensus ergo est : « *Declinasti,* » id est, declinare fecisti, id est, dependere « *semitas nostras,* » operationes nostras, et duras passiones, « *a via tua,* » id est, a lege tua : quidquid enim a bonis fit, vel quidquid patiuntur, totum ex lege Dei pendet. Matth. XXII, 40 : *In his duobus mandatis universa lex pendet, et Prophetæ.*

« *Quoniam humiliasti nos.* » Hic ostendit per quid instruxit. 20

Ait enim : Sic erudisti, vel sic vias nostras tuis assimilasti. Et nunc, « *quoniam humiliasti nos in loco afflictionis,* » in hoc mundo scilicet. Et dicitur locus afflictionis propter multiplices passiones. Eccli. I, 14 : *Vidi cuncta, quæ*

Merito mundus dicitur locus afflictionis.

[1] Cf. Genes. XLI, 50 et seq.

fiunt sub sole, et ecce universa vanitas, et afflictio spiritus. Item, propter compassiones maxime sanctorum. II ad Corinth. xi, 28 : *Præter illa, quæ extrinsecus sunt, instantia mea quotidiana, sollicitudo omnium Ecclesiarum. Quis infirmatur, et ego non infirmor ?* Et propter multiplices compunctiones de dilatione patriæ, et de incolatu præsentis miseriæ. Psal. lxxxiii, 6 et 7: *Ascensiones in corde suo disposuit, in valle lacrymarum.* Et alibi, Psal. lix, 5: *Potasti nos vino compunctionis.*

Humiliatio triplex, culpæ, pœnæ, et gratiæ. Et nota, quod humiliatio est culpæ, II Reg. xiii, 15, Amnon humiliavit Thamar. Et pœnæ, Psal. civ, 18 : *Humiliaverunt in compedibus pedes ejus.* Sic accipitur hic. Et gratiæ, I Pet. v, 6 : *Humiliamini sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore tribulationis.*

« *Et cooperuit.* » Ecce tertium. Quasi diceret: «*Humiliasti,*» et hoc quia cooperuit nos umbra mortis, homines scilicet umbrosi, et mortales, scilicet infideles, qui sunt umbra in mente per ignorantiam. Ad Ephes. v, 8 : *Eratis aliquando tenebræ,* quæ absconditæ sunt in oculis ejus. Sed « *mortis* » in corpore : quia cito valde moriuntur. Psal. liv, 24 : *Viri sanguinum, et dolosi, non dimidiabunt dies suos.* Sapient. ii, 5 : *Umbræ transitus est tempus nostrum.* Isti ergo præ multitudine cooperiunt nos. Joan. xvi, 33 : *Hæc locutus sum vobis, ut in me pacem habeatis. In mundo pressuram habebitis : Sed confidite, ego vici mundum.* Vel sic : Vere « *humiliasti nos* » humiliatione pœnali, « *quoniam cooperuit nos* » præ abundantia, « *umbra mortis,* » id est, pœna morti similis : sicut illud quod est umbra, ei cujus est umbra est simile. Jer. xiii, 16 : *Exspectabitis lucem,* prosperitatis, *et ponet eam in umbram mortis.* Isa. i, 6 : *A planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas.* Totum pœna cooperuit. Vel umbra mortis separatio animæ a corpore, quæ dicitur tantum umbra comparatione gehennæ, quæ vera mors erit. Gregorius : « Quos « constat non spiritu, sed ipsa carne « mori, nequaquam vera morte, sed « umbra mortis dicuntur operiri. » Propter hoc etiam appellatur *dormitio,* quia leve quiddam est, et suave comparatione ad illam. I ad Corinth. xv, 6 : *Multi manent usque adhuc, quidam vero dormierunt.*

« *Si obliti sumus.* » Hic secundum, in 21
quo subjungit causam et rationem quare non sunt aversi, scilicet Dei ultionem districtam, et dicuntur duo. Primo, ultio pro operibus malis. Secundo, pro ipsis interioribus, ibi, « *Ipse enim novit.* » Vel melius, primo districtio in puniendo. Secundo, in remunerando, ibi, « *Ipse enim novit.* »

Alio modo littera hujus versus ad sequentes ordinatur, et melius. Et tunc duo dicuntur. Primo, dicit, quia propter hoc non sunt obliti, quod Deus vindictam districtam accipit. Secundo, ostendit, quod possit, ibi, « *Ipse enim novit.* »

Dicit ergo : Sic afflicti non sumus obliti Dei, quia « *si sumus obliti nomen Dei nostri,* » id est nominis Dei nostri invocationem, sicut illi de quibus Jerem. xviii, 15 : *Oblitus est mei populus meus.* Deuter. xxxii, 18 : *Deum qui te genuit dereliquisti, et oblitus es Domini creatoris tui ?*

« *Et si expandimus manus nostras.* » In exteriori operatione immolando vel orando. Deuter. xxxii, 16 : *Provocaverunt eum in diis alienis.* « *Ad deum alienum,* » ad idola dæmoniis plena quæ reputantur ab aliquibus dii. Psal. xcv, 5 : *Omnes dii gentium dæmonia,* etc. Baruch, iv, 7 et 8 : *Immolantes dæmoniis, obliti estis Deum, qui nutrivit vos.* Osee, viii, 14 : *Oblitus est Israel Dei sui, et ædificavit delubra.*

Si hæc fecimus, « *Nonne Deus requiret ista?* » ad graviter ulciscendum. Quasi 22

diceret : Ita. Non sicut dicunt impii : *Irritavit impius Deum. Dixit enim in corde suo : Non requiret* [1]. Sed mentitur, quoniam veritatem requiret Dominus, et retribuet fabundanter acientibus superbiam, ut dicitur Ezech. xxxiv, 11 : *Ego ipse requiram oves meas.* Et hoc poterit, scilicet ultionem de omnibus accipere, « *Ipse enim novit abscondita cordis.* » Unde nulla ignorantia impediet quin possit. In tantum breviter novit, ut non solum ea quæ simpliciter sunt in corde, cognoscat, sed etiam ea quæ ipsum hominem latent. Eccli. xxiii, 28 : *Oculi Domini multo plus lucidiores sunt super solem, profundum abyssi, et hominum corda intuentes in absconditas partes.* Jerem. xvii, 9 et 10 : *Pravum est cor omnium, et inscrutabile, quis cognoscet illud ? Ego Dominus scrutans corda.*

Quarta pars Psalmi.

« *Quoniam propter te mortificamur.* » Hic quarta pars totius Psalmi, in qua post narratas miserias quas sustinent sine merito, subjungitur conversio sui ad orationem, et dicuntur duo secundum duplicem miseriam quam allegat, ut assequatur misericordiam. Primo, miseria pœnæ. Secundo, culpæ, ibi, « *Quoniam humiliata est.* »

In prima duo. Persuasio ut exaudiatur. Secundo, oratio, ibi, « *Exsurge.* » Et simul conquestio,

In prima duo. Primo, miseria et afflictio in generali. Secundo, tangitur in speciali, ibi, « *Æstimati sumus.* »

Dupliciter tamen legitur primum, ut respiciat ad antecedens in hunc modum : « *Ipse novit abscondita cordis,* » sed quæ sunt illa ? « *Quoniam propter te,* » non propter alium, « *mortificamur,* » ad mortem affligimur. Et hoc non levi et cito transitoria miseria, « *sed tota die propter te,* » hoc est, pro fide tua multiplicanda in Gentibus convertendis ad te. Ad Philipp. ii, 17 : *Si immolor supra sacrificium, et obsequium fidei vestræ, gaudeo.* I ad Corinth. xv, 31 : *Quotidie morior per vestram gloriam, fratres.* Sed quomodo affligimur? « *Æstimati sumus sicut oves occisionis,* » quæ nullo modo reluctantes occiduntur, et mactantur. Cassiodorus : « Ovis nec cornu valet, nec « dente contendit, aut de fuga præsumit, « sed manibus latronis patienter acquie« scit, dum nulla reluctatione se defen« dit. » Hic est modus pugnandi veris Christianis. Psal. lxxviii, 13 : *Nos autem populus tuus, et oves pascuæ tuæ.* Ezech. xxxiv, 17 : *Vos autem greges mei,* greges pascuæ meæ, homines estis. Vel melius ad sequentia sic : « *Propter te mortificamur, æstimati sumus,* » totum sicut prius : et quoniam ita est, « *Exsurge.* »

Christiani instar ovis pugnandum.

Hic ergo nota, quod Sancti mortificantur pro Christo. Primo, ut Christo vicem reddant, qui pro ipsis mortuus est, I Pet. iv, 1 : *Christo igitur passo in carne, et vos eadem cogitatione armamini,* ut sicut ille pro nobis, et nos pro illo. Item, ut se Christo conforment, I Pet. ii, 21 : *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.* Ut fidei Christi testimonium reddant, Hebr. xi, 39 : *Et hi omnes testimonio fidei probati, non acceperunt repromissionem,* ut quod deerat passionibus Christi, ut bene esset fundata Ecclesia in sanguine, adimplerent. Ad Coloss. i, 24 : *Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi, in carne mea, pro corpore ejus, quod est Ecclesia.* Ut se Deum veraciter diligere demonstrent, Joan. xv, 13 : *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam,* etc. II Mach. vi, 30 : *Propter timorem tuum libenter hæc patior... universæ genti memoriam mortis suæ ad exemplum virtutis et fortitudinis derelinquens.* In eodem, vi, 28 : *Adolescentibus exemplum forte relinquam, si*

[1] Psal. x sec. Hebr. 13.

prompto animo, ac fortiter pro gravissimis et sanctissimis legibus honesta morte fungar. Ut cum Christo perpetuo regnarent, II ad Timoth. II, 12: *Si sustinemus, et conregnabimus.*

23 Oratio Ecclesiæ afflictæ.

«*Exsurge, quare obdormis, Domine?*» Hic secundum, promissa enim persuasione, subjungitur oratio, in qua duo. Primo, oratio. Secundo, orantis conquestio, ibi, « *Quare faciem.* »

In prima quatuor. Primo, excitatio ejus quem orat. Secundo, ratio quare sic excitatur, ibi, «*Quare obdormis?*» Tertio, repetitio excitationis, ibi, « *Exsurge.* » Quarto, petitio, ibi, « *Et ne repellas.* »

Dicit ergo: Sic propter te sustinemus, et propter hoc, o Domine, «*exsurge.*» Sed quare sic loqueris? Quia videris dormire. Unde addit: « *Quare obdormis?* » Tam profunde dormis. Psal. LXXVII, 65: *Excitatus est tamquam dormiens Dominus.* Marc. IV, 38: *Ipse erat in puppi super cervical dormiens: et excitant eum: et dicunt illi: Magister, non ad te pertinet: quia perimus*[1]? Jonæ, I, 5 et 6, Jonas ad interiora navis descenderat, et ibi dormiebat, sed excitatus fuit. Non dormiebat Stephanus, qui vidit Jesum stantem tamquam paratum ad juvandum[2].

«*Exsurge.*» Ecce iteratio, quæ fit non sine ratione. Cassiodorus: « Repetitur, « ut quibus videat pericula crescere, non « dissimulet subvenire. » Tunc enim maxime expedit. Psal. IX, 10: *Adjutor in opportunitatibus, in tribulatione.* Eccli. XXXV, 26: *Speciosa misericordia in tempore tribulationis, sicut nubes pluviæ in tempore siccitatis.* « *Et ne repellas,* » modo saltem, repulsione tendente « *in finem,* » id est, ne repellas finaliter. Thren. III, 31: *Non repellet in sempiternum Dominus.*

Vel potest esse oratio Martyrum, ut Christus qui jam veraciter a mortuis resurrexit, resurgat in hominum opinione et fide. Dicit ergo: O Domine, « *exsurge,* » propter apparentiam et credulitatem. « *Quare obdormis,*» per infidelitatem, non in nostris, sed in cordibus infidelium dicentium illud Sap. II, 1 et 2: *Non est agnitus qui sit reversus ab inferis: quia ex nihilo nati sumus, et post hoc erimus quasi non fuerimus.* « *Exsurge.* » Bis dicit. Quasi diceret: Exsurge propter magnitudinem afflictionis et affectionis quam sustinemus in prædicando illis, et non proficimus. I ad Tim. IV, 2: *Insta, opportune, importune.* « *Et ne repellas in finem.* » gentem. Psal. XCIII, 14: *Non repellet Dominus plebem suam,* etc.

« *Quare faciem tuam.* » Hic secundum, in quo præmissa oratione, subjungitur conquestio, ut magis moveat. Primo ergo conqueritur, quod suam avertit cognitionem. Secundo, quod differt liberationem a duplici miseria, inopia interiori, et tribulatione exteriori, ibi, « *Oblivisceris inopiæ.* » 24

Dicit ergo: Sic rogo ne repellas finaliter, et addo: «*Quare avertis faciem tuam,*» cognitionem scilicet tuam a quibusdam superbis, illis scilicet de quibus in Psal. supra, XI, 5: *Qui dixerunt: Labia nostra a nobis sunt, quis noster Dominus est?* Exod. V, 2, dixit Pharao: *Nescio Dominum, et Israel non dimittam.*

Vel « *facies* » dicitur misericordia. « *Quare faciem tuam avertis,* » benignam in liberando, non ostendens præsentiam, sed magis avertens? Hæc est illa facies, de qua in Psal. XXVI, 9: *Ne avertas faciem tuam a me. Et assimilabor descen-*

[1] Cf. Matth. VIII, 23 et seq., et Luc. VIII, 22 et seq.

[2] Act. VII, 55.

dentibus in lacum [1]. Et Nahum, vi, 25 : *Ostendat Dominus faciem suam tibi, et misereatur tui.* Esth. xv, 17 : *Facies tua plena est gratiarum*, ita plena ut conversa ad te, statim tibi gratiam influat. Sap. iv, 15 : *Misericordia in sanctos ejus, et respectus in electos illius.*

« *Oblivisceris,* » ut videtur, cum non sit ita, « *inopiæ nostræ, et tribulationis nostræ.* » Vel primum referamus ad carentiam boni, scilicet inopiam, alterum ad præsentiam mali, scilicet tribulationem. Vel unum ad intellectum, in quo est ignorantia, scilicet « *faciem avertis* : » alterum ad affectum, in quo miseria, sicut supra conquerebatur : *Quare oblitus es mei, et quare contristatus incedo dum affligit me inimicus* [2] ? Putant enim multi se a Deo oblitos, sicut illi qui dicebant, Job, xxii, 14 : *Nubes latibulum ejus, nec nostra considerat, et circa cardines cœli perambulat.* Sed falluntur, Jerem. vi, 7 : *Coram me semper infirmitas et plaga.*

25 « *Quoniam humiliata est.* » Hic secundum, in quo persuadet a miseria culpæ : et dicuntur duo. Primo, persuasio per descriptionem hujus miseriæ. Secundo, oratio, ibi, « *Exsurge Domine, adjuva nos.* »

In prima duo. Primo, conversio voluntatis ad terrena. Secundo, adhæsio in illis, ibi, « *Conglutinatus est.* »

Et exponitur dupliciter totus versus, quia humiliatio potest sonare in bonum vel in malum.

In malum primo sic : « *Humiliata,* » id est, dejecta « *est anima nostra,* » cogitatio scilicet nostra, « *in pulvere,* » in terrenis, quæ non sunt nisi pulvis. Isa. xxix, 4 : *Humiliaberis, de terra loqueris, et de humo audietur eloquium tuum.* Thren. ii, 1 : *Projecit in terram inclytam Israel.* Imo in pulverem, scilicet in terrena. Michæ. vii, 17 : *Lingent pulverem* peccatores, *sicut serpentes*, qui ad litteram pulvere se reficit. « *Et venter noster,* » voluntas scilicet, « *conglutinatus est,* » vehementer adhæsit, « *in terra,* » id est, in rebus terrenis. Psal. cxviii, 25 : *Adhæsit pavimento anima mea.* Et lxviii, 3 : *Infixus sum in limo profundi.* Genes. xxxiv, 3 : *Conglutinata est anima Sichem cum Dina.* Dina interpretatur *cura hæc.* Ista autem temporalia, curarum sunt materia. Si autem sensualitas appellatur, veniale peccatum est : si voluntas deliberativa, mortale, sicut in avaro. Eccli. x, 9 et 10 : *Avaro nihil est scelestius... Hic enim et animam suam venalem habet : quoniam in vita sua projecit intima sua.* Propter hoc non mirum si clamat illud Jerem. iv, 19 : *Ventrem meum, ventrem meum doleo.* Sensualitas autem dicitur *venter*, quia ad litteram venter in multis destruit. Ad Rom. xvi, 18 : *Hujusmodi Christo Domino nostro non serviunt, sed suo ventri.* Ad Philip. iii, 19 : *Quorum finis interitus : Quorum Deus venter est : et gloria in confusione eorum.*

Secundo, modo sic : « *Humiliata est anima nostra,* » humiliatione pœnalitatis, et vitii, « *in pulvere,* » id est, inter illos de quibus in Psal. i, 4 : *Non sic impii, non sic : sed tamquam pulvis*, etc. Isa. xxix, 5 : *Erit sicut pulvis tenuis multitudo ventilantium te.* « *Et venter noster,* » id est, infirmiores et molliores sicut venter. Nahum, iii, 13 : *Ecce populus tuus mulieres*, quæ molles sunt, *in medio tui.* « *Conglutinatus est,* » adhæsit fortiter, et consensit « *in terra,* » id est, infidelibus et terrenis, qui dicuntur *terra*, quia terram diligunt. Genes. iii, 14 : dictum est de serpente : *Terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ.* Isa. ii, 6 : *Et pueris alienis adhæserunt.*

[1] Psal. xxvii, 1.

[2] Psal. xli, 10.

26 « *Exsurge, Domine.* » Hic oratio : et tanguntur tria. Primum, erectio a peccato. Secundum, adjutorium in proficiendo in bono, ibi, *Adjuva nos.* » Tertio, protectio ab inimico, ne contingat recidere, ibi, « *Et libera nos.* »

Dicit ergo : Sic debes adjuvare, et propter hoc peto, quoniam ita est ut præmisi. « *O Domine, exsurge,* » hoc est, fac nos exsurgere a pulvere in quo humiliati sumus, a terra cui adhæsimus. Ad Coloss. III, 1: *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens : quæ sursum sunt, sapite, non quæ super terram.* «*Adjuva nos,* » ut in bono proficiamus : « *Et libera nos,* » a malo quod evitamus. Vel, «*Adjuva nos,* » erectos. ne recidamus : » *Et redime nos,* » vel libera a malis pœnæ, ne sustineamus. Et hoc totum « *propter nomen tuum,* » non propter meritum nostrum. Isa. LXIV, 6 : *Et facti sumus ut immundus omnes nos, et quasi pannus menstruatæ universæ justitiæ nostræ.* Vel sic : Ita conglutinati sunt fideles cum infidelibus : sed ut cesset ista conglutinatio, « *exsurge, Domine,* » id est, te resurrexisse ostende, ut intelligentes credant, ut te glorificent secundum illud Psal. LVI, 9 et 10 : *Exsurgam diluculo... Confitebor tibi in populis, Domine : et psalmum dicam tibi in gentibus.* Et sic « *redime me* » de manu Gentilium nos persequentium, secundum quod promisisti. Jerem. XV, 21 : *Liberabo te de manu pessimorum, et reducam te de manu fortium.* Et hoc totum « *propter nomen tuum,* » non propter meritum nostrum. Illud nomen tuum exaltandum, de quo Act. IV, 12: *Nec aliud nomen est sub cœlo datum hominibus in quo oporteat nos salvos fieri.* Ad Philip. II, 9 : *Donavit illi nomen, quod est super omne nomen.* Augustinus : « Quia tu dignatus « es facere, non quia dignus sum cui fa- « cias. » Dan. III, 34 et 35, simile : *Ne, quæsumus, tradas nos in perpetuum propter nomen tuum, et ne dissipes testamentum tuum, neque auferas misericordiam tuum a nobis,* sed da eam nobis qui es pater misericordiarum, Deus benedictus per infinita sæculorum sæcula. Amen.

PSALMUS XLIV.

Epithalamium Christi et Ecclesiæ sub typo connubii Salomonis et filiæ Pharaonis.

1. *In finem, pro iis qui commutabuntur, filiis Core, ad intellectum, Canticum pro dilecto.*
2. Eructavit cor meum verbum bonum : dico ego opera mea regi.
   Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis.
3. Speciosus forma præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis : propterea benedixit te Deus in æternum.
4. Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime.
5. Specie tua et pulchritudine tua intende, prospere procede, et regna,
   Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam : et deducet te mirabiliter dextera tua.
6. Sagittæ tuæ acutæ, populi sub te cadent, in corda inimicorum regis.
7. Sedes tua, Deus, in sæculum sæculi [1] : virga directionis virga regni tui.
8. Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem : propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ, præ consortibus tuis.
9. Myrrha, et gutta, et casia a vestimentis tuis, a domibus eburneis : ex quibus delectaverunt te
10. Filiæ regum in honore tuo.
   Adstitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate.
11. Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam : et obliviscere populum tuum, et domum patris tui.
12. Et concupiscet rex decorem tuum : quoniam ipse est Dominus Deus tuus, et adorabunt eum.
13. Et filiæ Tyri in muneribus vultum tuum deprecabuntur : omnes divites plebis.
14. Omnis gloria ejus filiæ regis ab intus, in fimbriis aureis,
15. Circumamicta varietatibus.
   Adducentur regi virgines post

[1] Ad Hebr. I, 8 :

eam : proximæ ejus afferentur tibi.

16\. Afferentur in lætitia et exsultatione : adducentur in templum regis.

17\. Pro patribus tuis nati sunt tibi filii : constitues eos principes super omnem terram.

18\. Memores erunt nominis tui in omni generatione et generationem.

Propterea populi confitebuntur tibi in æternum : et in sæculum sæculi.

IN PSALMUM XLIV

COMMENTARIUS.

1 *In finem, pro iis qui commutabuntur, filiis Core, ad intellectum, Canticum pro dilecto* [1].

« *Eructavit cor meum verbum bonum.* » Hic est Psalmus quadragesimus quartus. Postquam enim actum est de Martyrum miseria et afflictione in præcedenti Psalmo, et oratione ipsorum ad Deum pro liberatione, subjungitur hic dulcis consolatio in cantico Epithalamico, hoc est, in hoc Psalmo, qui dicitur canticum non quodcumque, sed epithalamicum canticum, id est nuptiale : et dicitur *epithalamicum* ab ἐπι quod est *de*, et θάλαμος, *thalamus*, quia solet cantari tale canticum, quando ingreditur sponsa thalamum sponsi, in laudem utriusque. Sic cantatur hic Psalmus in laudem Filii Dei, humanæ naturæ in utero virginali illi desponsatæ, in honorem et laudem Ecclesiæ sponsæ

Argumentum Psalmi: Canticum nuptiale in laudem Christi et sponsæ, humanitatis vel Ecclesiæ.

[1] Ce psaume est encore un *maskil* des enfants de Coré, adressé au maître de chant pour être exécuté על-ששבים, *hal-shoshannim*, sur les lis. S'agit-il d'instruments dont le pavillon rappelât la forme évasée de la fleur ? On n'en trouve point de cette forme parmi ceux des Hébreux. Rien ne prouve non plus que les lis soient ici un symbole allégorique. Les psaumes LX et LXXX (Hébr.) portent en titre la même indication, à laquelle ils ajoutent le mot עדות, *hédouth :* « sur les lis du témoignage. » Tout porte à croire que ces mots sont le commencement d'un chant populaire dont le rythme poétique et musical devait être adapté à notre psaume. Les LXX, ὑπὲρ τῶν ἀλλοιωθησομένων, font venir *shoshannim* de שׁבח, *shanah*, être changé. Le psaume est de plus un *shir*, un cantique ידידת, *iedidoth*, « rerum dilectarum, amabilium, canticum suavitatum.» Il n'est pas à croire que cette expression s'applique aux vierges, dont parle le cantique, il est vrai, mais d'une manière tout à fait secondaire ; il est préférable de prendre ce féminin pluriel pour un neutre, comme y autorise l'usage de la langue : « canticum dilectionis, » Aq. : ᾆσμα προσφιλίας. Le mot hébreu s'emploie de préférence pour désigner l'amour noble et sacré ; c'est ainsi que Salomon, le bien-aimé de Jéhova, est appelé *Jedidiah*. Le chant purement érotique et profane serait un *shir hagabim* ou *dodim*, Ezech., XVI, 8 ; XXXIII, 32. LXX : ὑπὲρ τοῦ ἀγαπητοῦ.

Le point capital est de déterminer si le psaume est purement historique ou allégorique et prophétique. Les ennemis de toute inspiration surnaturelle sont a priori du premier avis. Pour le plus grand nombre d'entre eux, nous avons ici une épithalame célébrant le mariage de Salomon avec la fille du roi d'Egypte. Si cette supposition était vraie, il y aurait vraiment lieu de s'étonner que, dans un pareil chant, il ne fût fait aucune mention du pays de la reine. Comme il est parlé de Tyr, plusieurs laissent de côté la fille du roi d'Egypte, et supposent un mariage de Salomon avec une fille du roi Hiram ; l'histoire, qui donne tant de détails sur les rapports des deux princes entre eux, ne fait aucune mention de cette union. Mais le texte même du psaume est, sinon impossible, du moins fort difficile à appliquer à Salomon. Ce prince ne fut point guerrier, ℣℣. 4-6 ; il est vrai que le psalmiste pouvait prévoir qu'il aurait à faire la guerre dans l'avenir ; mais en tous cas, il ne l'aurait pas appelé Dieu, ℣. 7, et il n'aurait pas dit que ses enfants seraient princes sur toute la terre, ℣. 17, et

et Christi sponsi, quæ est summa consolatio animæ quantumcumque tribulatæ.

Et hoc innuitur satis in titulo qui talis est : « *In finem, pro iis qui commutabuntur, filiis Core, ad intellectum, Canticum pro dilecto,* » Exponitur autem dupliciter. Primo, ut subaudiatur Psalmus, sic : Psalmus hic « *in finem* » tendens, id est, tendere nos faciens, scilicet id consummationem quæ facta est in Incarnatione, ubi sese quasi abbreviando divinitas fecit consummationem universi, quando novissima creatura homo unita est suo principio. Isa, x, 23 : *Consummationem et abbreviationem Dominus Deus exercituum faciet in medio omnis terræ.* Scriptus est, « *filiis Core,* »

que les peuples le loueraient éternellement. ℣. 18. Que s'il ne faut voir là que des adulations, comment les Juifs ont-ils admis ce cantique dans leur psautier ? On a songé aussi au mariage de l'impie Achab avec Jézabel, de Sidon, III Reg. xvi, 31, à celui de Joram avec Athalie, II Paral. xxii, 1, 2, aussi impies que les précédents, et même à celui de princes païens et étrangers. Or, de deux choses l'une ; on s'en tient au sans littéral, et alors comment se fait il que les Juifs ont admis parmi leurs chants sacrés un morceau de destination toute profane ; ou bien on admet un sens spirituel applicable au Messie, et comment alors Achab et Joram ont-ils pu être pris comme figure du Sauveur à venir ?

S'il est difficile d'assigner au psaume un sens historique, il est aisé d'établir sa signification messianique. Isaïe, ix, 6, emprunte au ℣. 4 le qualificatif *gibbor* qu'il donne au Messie, et S. Paul, ad Hebr. i, 8, 9, cite les ℣℣. 7, 8, comme adressés par le Père éternel à son Fils. Quant aux Pères, ils sont ici unanimes à reconnaître le Messie et son Eglise. S. Augustin ne fait que résumer tous ses devanciers quand il dit : « Quis non hic Christum, quem prædicamus et in quem credimus, quamlibet sit tardus, agnoscat ? » Civ. Dei, xvii, 16. Et du ℣. 17, dont l'accomplissement frappe tous les yeux, il tire cette conclusion qui ne sera pas inutile a l'interprétation du psaume : « Procul dubio quidquid hic tropicis locutionibus subobscure dictum est, quoquo modo intelligatur, debet his rebus manifestissimis convenire. » Ajoutons que la tradition juive avait ici devancée la tradition catholique. S. Paul n'aurait pas entendu cette prophétie du Messie, si ses lecteurs avaient pu le contredire ; ils interprétaient comme lui, et le Targum nous a laissé cette traduction du ℣. 3 : « Ta beauté, ô roi Messie, surpasse celle des enfants des hommes. » Ce courant traditionnel a même entraîné les plus sérieux représentants de l'exégèse protestante, J. M. Michaélis, Rosenmüller, Hengstenberg, Delitzsch, Tholuck, Cook, etc., dont plusieurs appliquent le psaume exclusivement au Messie. Il reste en effet ce dernier point à préciser : le psaume est-il directement messianique, ou ne l'est il qu'au sens spirituel ? D. Calmet, Bossuet, Patrizi sont pour cette seconde manière de voir. Les noces de Salomon avec la fille du roi d'Egypte feraient le sujet littéral du cantique. Ce sentiment peut-être soutenu, parce qu'alors, tout ce qui dans le texte ne peut s'appliquer à Salomon est rapporté au Messie. Nous observerons néanmoins que d'ordinaire, quand les écrivains sacrés ont un double objet en vue, ils font des prophéties, et non des descriptions ; ils voient l'un et l'autre objet dans l'avenir, et n'ont pas, comme ferait ici le psalmiste, une vue dirigée du côté du passé ou du présent, l'autre dirigée du côté des temps futurs. Ainsi au psaume XV, David voit deux faits futurs dans une même perspective, sa délivrance prochaine, et la résurrection plus éloignée du Messie ; il en est de même ordinairement dans les écrits des prophètes, comme aussi dans les oracles de notre Seigneur sur la ruine de Jérusalem et la fin du monde. Ici au contraire, le Coraïte décrirait un événement présent ou même déjà passé, et insérerait dans sa description des traits qui ne lui conviennent nullement, et cela sans avertissement aucun en faveur de ses auditeurs. Bien que cette observation ne soit pas absolument concluante contre l'adoption d'un sens littéral historique, nous préférons avec Thalhofer et d'autres interprétes catholiques, entendre le sens littéral du Messie lui-même ; le psaume n'en sera que plus facile à comprendre et le développement des idées y sera beaucoup plus logique. C'est là, du reste, l'interprétation des Pères, qui ne songent même pas à Salomon dans leur explication du texte

Le cantique se divise en deux parties. La première célèbre la beauté, la puissance et la majesté du Messie ; la seconde parle de la reine, épouse spirituelle du Messie. Cette figure de l'union nuptiale employée pour caractériser l'alliance de Dieu avec son peuple, est reproduite par les prophètes (Osée, ii, 19, 20 ; Isa. liv, 4, 5.) L'épouse est l'Eglise, c'est-à-dire Israel converti par le Messie à la loi nouvelle, et conduisant à sa suite les nations idolâtres auprès du roi Sauveur. Cette seconde partie du psaume est appliquée dans la liturgie à la très sainte Vierge, la plus haute et la plus sainte personnification de l'Eglise ; elle peut l'être aussi à chaque âme chrétienne, appelée à avoir par la grâce les rapports les plus intimes avec le Fils de Dieu.

H. Lesêtre.

id est, Christi crucifixi in Calvaria, et hoc « *ad intellectum,* » supple, tanti mysterii, scilicet nuptiarum et conjunctionis humanæ naturæ cum divina, et ipsius Christi cum Ecclesia. Hic, inquam, Psalmus, est « *canticum,* » spiritualis scilicet exsultatio, « *pro iis qui commutabuntur,* » scilicet pro Ecclesia ex pluribus congregata, quæ commutatur renovata a vita veteri culpæ, et transiens in vitam novam, secundum illud Apostoli ad Ephes. IV, 22 et seq. *Deponite vos veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris. Renovamini autem spiritu mentis vestræ, et induite novum hominem qui secundum Deum creatus est.* Et « *pro dilecto,* » scilicet pro sponso, eos sic commutante. Dilectus Christus de quo Matth. III, 17: *Hic est Filius meus dilectus,* et commutans Ecclesiam sive naturam humanam illa mutatione de qua in Psal. LXXVI, 11 : *Hæc mutatio dexteræ Excelsi.* Potest etiam esse titulus, ut non subaudiatur Psalmus, sic : « *Canticum,* » mentis scilicet exsultatio, « *pro iis, qui commutabuntur,* » sicut prius dictum, « *in finem* » nos ordinans, convenit « *filiis Core,* » sicut prius, et hoc « *ad intellectum* » habendum, sicut drius omnino.

Divisio Psalmi : Laus sponsi, deinde sponsæ.

Psalmus autem secundum Glossam dividitur in tres partes. Primo promittit se caniturum. Secundo, solvit debitum quantum ad laudes sponsi ipsum in pluribus commendando, ibi, « *Speciosus forma.* » Tertio, quantum ad laudes sponsæ, ibi, « *Audi filia.* »

In prima duo. Primo, promittit se caniturum ex cordis plenitudine. Secundo dicit, quod non est a se plenitudo, sed a Deo interius movente, ibi, « *Lingua mea calamus scribæ.* »

In prima duo. Primo dicit, quod ex abundantia cordis laudes eructat. Secundo, quas, et cui dicit laudes, specificat, ibi, « *Dico ego.* »

2 Prima pars Psalmi.

Dicit ergo : Sic audio conquestiones Martyrum afflictorum, sed ad consolationem illorum, « *cor meum,* » non tantum os, sicut illorum de quibus Jerem. XII, 2 : *Prope es tu ori eorum, longe autem a renibus eorum.* Isa. XXIX, 13 : *Populus hic labiis me glorificat, cor autem eorum longe est a me.* « *Eructavit,* » inquam, de plenitudine sua. Cassiodorus : « *Eructare* dicitur quando multa satie« tas ciborum digestiones saluberrimas « evaporat. » Sed constat, quod verba Dei cibus cordis sunt. Jerem. XV, 16 : *Inventi sunt sermones tui, et comedi eos, et factum est verbum tuum in gaudium, et in lætitiam cordis mei.* Hoc ergo cibo plenum « *cor, eructavit verbum bonum,* » hymnum scilicet bonum a Deo. Psal. XXI, 27 : *Edent pauperes, et saturabuntur,* etc. Sed cui vis hoc bonum verbum eructare? « *Dico ego,* » non alius, « *opera mea,* » id est, istas laudes supponendas. Quod vero est opus hominis? Augustinus : « Summum homi« nis opus non est nisi laudare. » Hoc dicit Dominus per Isa. XLIII, 21 : *Populum istum formavi mihi, laudem meam narrabit.* « *Regi,* » antonomastice, id est, ad honorem illius, qui simpliciter Rex est super omnes. Apoc. XIX, 16 : *Habet in vestimento et in femore suo scriptum : Rex regum, et Dominus dominantium.* Alia lectura hic ponitur, secundum quod Pater loquens introducitur de filii æterna generatione : sed Augustinus et Hieronymus non approbant, et propter hoc transimus.

« *Lingua mea calamus.* » Hic secundum, in quo ostendit, quod hanc plenitudinem, unde eructat, non habet a se, sed a Deo, et ostendit se motum a Spiritu sancto. Secundo, ex parte sua nullum impedimentum, ibi, « *Velociter.* »

Ait enim : Sic cupis hymnum regi cantare. Numquid ex te? Non, imo « *lingua mea est calamus scribæ,* » qui nihil facit per se : sic nec illa nisi Spiritu sancto movente. II Reg. XXIII, 2 :

Spiritus Domini locutus est per me, et sermo ejus per linguam meam. « *Scribæ,* » inquam, « *scribentis velociter,* » non impediti ex mala calami dispositione. Hieronymus : « Nullus tam velociter « scribit, sicut ipse in cordibus Sancto- « rum, calamus linguarum : quippe « hæc scriptio est cordium illuminatio « ad intelligendum quod dicitur. » Illuminatio autem subito fit. Psal. LXXV, 5: *Illuminans tu mirabiliter a montibus æternis.* Sap. VII, 24 : *Omnibus mobilibus mobilior est sapientia.* Non enim prophetia humano conatu et cogitatione infunditur, sed divina irradiatione. II Pet. I, 21 : *Non enim voluntate humana allata est prophetia, sed Spiritu sancto inspirati, locuti sunt Sancti Dei homines.* Vel velociter scribit, quia dicit simul et facit. Psal. XXXII, 9 : *Dixit, et facta sunt.* Psal. CXLVII, 15 : *Velociter currit sermo ejus.*

3 Secunda pars Psalmi : Laus sponsi a quatuor.

« *Speciosus forma.* » Hic specialiter commendatio sponsi, quem commendat a quatuor, sicut vult Glossa. Primo, a speciositate. Secundo, a potestate, ibi, « *Accingere gladio.* » Tertio, ab auctoritate judicandi, ibi, « *Sedes tua.* » Quarto, ab habitu vel ornatu, ibi, « *Myrrha et gutta.* »

In prima tria. Primo, commendando tangitur speciositas. Secundo, speciositatis irradiatio in alios, vel radiositas, ibi, « *Diffusa est gratia in labiis tuis.* » Tertio, præmium consequens ex duobus, ibi, «*Proptera benedixit.*»

A pulchritudine.

Dicit ergo, ut sit verbum prophetiæ : Sic verbum dicam Regi, quia dico, « *Speciosus* » es, o Rex, « *forma,* » interiori sine macula culpæ. I Pet. II, 22 : *Qui peccatum non fecit*[1]. Augustinus : « Summa et vera pulchritudo, justitia « est. » Jerem. XXIII, 6 : *Hoc est nomem quod vocabunt eum, Dominus justus noster.* Et hoc, « *præ filiis hominum.* » Omnes hominum filios excellens pulchritudine. Nec dicit Angelorum, quamvis omnibus Angelis pulchrior sit, ut in ea comparatione, ad res sui generis, scilicet homines comparet. Augustinus : « Erat « homo inter filios hominum, ex filiis « hominum, et præ filiis hominum. »

Et nota, quod loquitur hic secundum Cassiodorum, de pulchritudine mentis, non corporis.

Ait enim : « *Speciosus,* » hoc dicitur, « non quia forma ejus dcori lactei coloris « eluxit, aut flavo crine lampavit, id est, « luxit in modum lampadis, aut insigni « statura præminuit, sed quia peccata non « habuit.» Isa. LIII, 2 : *Non est ei species, neque decor.* Augustinus : « Videtur « velle contrarium. Ait enim : Invenit « multa fœda, et amavit nos, si quid « fœdi in eo invenimus, non amemus, « quia in hoc ipsum quod carne indutus « est, et ibi pulcher est. » Respons. Vere pulcher fuit, et est secundum humanitatem, nec hoc negat Cassiodorus, sed vult dicere, quod de illa Propheta hic non intendit, quia Prov. XXXI, 30 : *Fallax gratia, et vana est pulchritudo* : sed de mentali. Ad illud Isaiæ, dicendum quod loquitur secundum statum passionis, quando linitus erat fœdis Judæorum sputis, quando moriens in cruce pallebat, et hoc infidelibus : fidelibus enim in omni statu pulcher est. Augustinus : « Vobis credentibus ubique speciosus, « pulcher in manibus parentum, pulcher « in miraculis, pulcher in flagellis, pul- « cher deponens animam, pulcher reci- « piens, pulcher in ligno, pulcher in se- « pulcro, pulcher in cœlo. » Christus ubique pulcher.

Sed quia non sufficit pulchritudo nisi fluat ad alios decorandos, addit : « *Diffusa est,* » abundanter data « *gratia,* » doctrinæ veritatis, quam aliis in-

[1] Cf. Isa. LIII, 9.

fluis, ut pulchri fiant. « *In labiis tuis,* » non solum labia, imo et facies tota. Esther, xv, 17 : *Valde mirabilis es domine, et facies tua plena est gratiarum.* Sed forte magis commendat gratiam labiorum affecta ad osculum anima quæ loquitur hic, si forte aliquid influat de gratia illa. Cant. I, 1 : *Osculetur me osculo oris sui.* Et VIII, 1 : *Quis mihi det fratrem meum sugentem ubera matris meæ, ut inveniam te foris, et deosculer te.* Et notatur in diffusione abundantia, totum enim quod effluxit de labiis illius, fuit gratia. Augustinus : « *Diffusa est gratia in labiis tuis,* cum « morbidos verbo curas, cum mare « quiescere jubes, cum ventis silentium « indicis, cum febrem discedere præcipis, « cum Lazarum vocas, et venit per te « interpellatus, et audit, et omnia quæ- « cumque loqueris, gratia labiorum tuo- « rum perficiuntur. » Joan. VII, 46 : *Numquam sic locutus est homo.* Eccle. VIII, 4 : *Sermo illius potestate plenus est.* Matth. VII, 29 : *Erat dicens sicut potestatem habens,* non sicut Scribæ et Pharisæi. Et quia sic tu es speciosus, et aliis utilis et bonus, propterea « *benedixit te,* » scilicet hominem, « *Deus,* » tamquam major te. Ad Hebr. VII, 7 : *Sine ulla autem contradictione, quod minus est, a meliore benedicitur :* et non benedictione sinistra, quæ fuit benedictio Esau (Gen. XXVII, 39 et seq.), id est, benedictione temporalis prosperitatis, sed « *in æternum,* » dando tibi regnum sine fine. Luc. I, 32, 33 : *Et regnabit in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis.*

4 « *Accingere gladio.* » Hic secundum, in quo agitur de ejus fortitudine, et dicuntur quatuor. Primo, petit confitendo potentiam ut instanter prædicet. Secundo, ut hominem liberet, ibi, « *Intende.* » Tertio, ut super liberatum regnet, ibi, « *Prospere procede, et regna.* » Quarto, quod regnare debet, ibi, « *Propter veritatem.* »

[...]udatur a [...]rtitudine.

Dicit ergo : Sic « *speciosus es, o potentissime.* » Job, IX, 19 : *Si fortitudo quæritur, robustissimus est.* Matth. XXVIII, 18 : *Data est mihi omnis potestas in cælo et in terra.* « *Potentissime,* inquam, « *specie tua,* » in qua mundo visibilis apparuisti, scilicet in natura humana. Cant. v, 15 : *Species ejus ut Libani, electus ut cedri.* « *Et pulchritudine tua,* » id est, secundum formam Dei, *in quam desiderant Angeli prospicere*[1]. Cant. v, 10 : *Dilectus meus candidus et rubicundus.* « *Accingere gladio tuo,* » id est, prædicationis verbo, quæ gladius est : ad Eph. VI, 17 : *Et gladium spiritus, quod est verbum Dei,* quo natura conjuncti dividuntur. Matth. x, 34 : *Non veni pacem mittere in terram, sed gladium : veni enim separare,* gladio prædicationis, *hominem adversus patrem suum, et filiam adversus matrem suam,* etc. Et hoc, « *super femur tuum,* » carnem scilicet assumptam : femur enim significat carnem, eo quod in eo sit carnis seminarium. Genes. XXIV, 2 : *Pone manum tuam subter femur meum, et jura mihi super femur :* et hic gladius ponitur quando caro ad obediendum verbo prædicationis cogitur, ut faciat homo quod docet. Exod. XXXII, 27 : *Ponat vir gladium super femur suum.* Cant. III, 8 : *Uniuscujusque ensis super femur suum.*

Et nota, quod bene dicit : « *Accingere :* » succingitur enim homo iturus, Tob v, 5 : *Egressus Tobias, invenit juvenem splendidum stantem præcinctum, et quasi paratum ad ambulandum.* Eccli. XXXVI, 28 : *Quasi succinctus latro exsiliens de civitate in civitatem.* Præcingi-

[1] I Petr. I, 12.

tur ministraturus, Luc. xii, 37 : *Præcinget se, et faciet eos discumbere, et transiens ministrabit illis.* Joan. xiii, 5 : *Et cœpit lavare pedes discipulorum, et extergere linteo, quo erat præcinctus.* Sed accingitur pugnaturus sicut hic dicitur : et I Mach. iii, 58 : *Accingimini, et estote filii potentes.* Discingitur autem requiem habiturus. III Reg. xx, 11 : *Ne glorietur accinctus æque ut discinctus.* Nota etiam, quod hoc quod dicitur, « *Potentissime,* » potest esse adverbium, ut sit sensus : Accingere potentissime, id est, fortiter, non segniter : et tunc quod sequitur, « *specie tua,* etc. » cum sequenti littera.

5 « *Specie tua et pulchritudine.* » Hic secundum, secundum quod hoc legitur cum sequenti littera. Quasi diceret : Ita prædica fortiter, « *et specie tua et pulchritudine,* » ut legatur conjunctim, id est, specie pulchra tua, hoc est, justitia tua quæ pulcherrima est, « *intende* » super hominem. Cant. ii, 9 : *En ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos,* Eccli. xi, 13 : *Oculus Dei respexit illum in bono, et erexit eum ab humilitate ipsius, et exaltavit caput ejus.* « *Intende,* » inquam, non in malum, sed « *prospere,* » hoc est, ad ejus bonum : specialiter enim verum est de tua justitia illud Augustini : « Et summa et vera est pulchritudo, ju-« stitia. » Sic intendere optabat, qui dicebat : *Benedicat tibi Dominus, pulchritudo justitiæ, mons sanctus*[1]. « *Procede* » ab iis in bono devictis ad alios devincendos.

Et posset etiam ad hoc adjungi : « *Prospere procede,* » et est tertium. « *Prospere,* » victoriosus scilicet, qualis debes esse, quia Prov. xxi, 28 : *Vir obediens loquetur victoriam.* Et de te scriptum est ad Philip. ii, 8 : *Factus obediens usque ad mortem.* Vel, « *procede,* » de utero virginali secundum illud Psal. xviii, 6 : *Et ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo,* virginali scilicet utero. « *Et regna,* » in hominibus conversis per fidem, in quibus antea regnabat diabolus per infidelitatem. Joan. xii, 31 : *Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras.* Sap. iii, 8 : *Regnabit illorum Dominus in perpetuum.* Psal. xxi, 29 : *Domini est regnum, et ipse dominabitur gentium: quoniam rex omnis terræ Deus.*[2]

« *Propter veritatem.* » Hic quartum, in quo ostenditur, quod debet regnare, et etiam quod regnabit : unde dicuntur duo. Primo tangit meritum quo regnare debet. Secundo, modum, ibi, « *Sagittæ tuæ.* »

In prima tria secundum triplex meritum. Primo, bona dispositio adspectus. Secundo, affectus, ibi, « *Et mansuetudinem.* » Tertio, effectus, ibi, « *Et deducet te.* »

Dicit ergo : Sic dico, « *Procede et regna* : » et hoc erit, et debet esse, quoniam « *propter veritatem,* » quam habes in intellectu, Joan. i, 14 : *Vidimus plenum gratiæ et veritatis* : et quam alios docuisti, Psal. ii, 6 : *Ego autem constitutus sum Rex,* etc. « *Et mansuetudinem,* » in affectu existentem ad irascibilem, et hoc ad peccatores Joan. viii, 7 et seq. : *Qui sine peccato est vestrum, primus in illam,* etc. Et infra : *Mulier... nemo te condemnavit ? Quæ dixit: Nemo, Domine... Nec ego te condemnabo. Vade, et jam amplius noli peccare.* Et ad persecutores, Jerem. xi, 19 : *Ego quasi agnus mansuetus qui portatur ad victimam.* Luc. xxiii, 34: *Pater, dimitte illis: non enim sciunt quid faciunt.* « *Et justitiam,* » in concupiscibili, Psal. x, 8 : *Justus Dominus, et justitias dilexit.* Et non sic tantum interius, imo « *et dextera tua,* » a qua est

[1] Jerem. xxxi, 23.

[2] Psal. xlvi, 8.

motus et operatio, non existens otiosa, « *deducet te,* » ab uno opere in aliud : et hoc « *mirabiliter,* » sine omni offensione, et culpa : hoc enim mirabile est in hoc mundo vivere, et non offendere, quia Jacob. III, 2 : *In multis offendimus omnes,* maxime in verbis. Jacob. III, 2 : *Qui non offendit in verbo, hic perfectus est vir.* Sed offendere non poterat lux, quæ alios ab offensione conservat. Joan. XI, 9 : *Si quis ambulaverit in die, non offendit.* Et ipse est lux. Joan. VIII, 12 : *Ego sum lux mundi.*

Vel « *dextera tua,* » id est, divinitas, quæ est in te tamquam dextera, humanitas ut sinistra, sic « *deducet te,* » ut dictum est. De hac dextera, Psal. XV, 11 : *Delectationes in dextera tua usque in finem.* « *Deducet te* » a gente in gentem, ut in omnibus regnes.

Et notantur in hoc versu quatuor virtutes Cardinales in Christo. Veritas, in quo prudentia, ibi, « *Propter veritatem.* » Mansuetudo quæ est quædam temperantia, ibi, « *Et mansuetudinem.* » Et Justitia per seipsam, ibi, « *Et justitiam.* » Et Fortitudo, ibi, « *Dextera tua deducet te mirabiliter,* etc. » Fortia enim facere, et mirabiliter, fortitudinis est.

6 « *Sagittæ tuæ.* » Hic medium, et modum tangit quo hoc fiet. Primo, medium, quia mediantibus verbis prædicationis. Secundo, modum, quia populi humiliabuntur, ibi, « *Populi sub te cadent.* »

Dicit ergo : Dixi, quod venies ad regnandum, quia et debes : et fiet, quia « *sagittæ tuæ,* » id est, verba tua. Si enim verbum sagitta non esset, Jerem. IX, 8, non diceret : *Sagitta vulnerans lingua eorum.* Per causam loquitur. Linguam dicit sagittam, quia a lingua verbum quod est sagitta. Et illud Eccli. XIX, 12 : *Sagitta infixa femori carnis, sic verbum in corde stulti.* « *Acutæ* » et penetrabiles. Ad Hebr. IV, 12 : *Vivus est sermo Dei et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti.* Ita in bono penetrabiles, sicut malæ sagittæ in malo. Eccli. XXVI, 22 : *Verba susurronis quasi simplicia, et ipsa penetrant usque ad intima cordis.* Et ideo « *populi sub te cadent,* » id est, subjicientur tibi. Act. II, 37 : *His auditis, compuncti sunt corde, et dixerunt ad Petrum et ad reliquos discipulos : Quid faciemus, viri fratres?* Ad Roman. III, 19 : *Subditus fiat omnis mundus Deo.* Sed ubi credent? Numquid in corpore? Non, sed interius, « *in corde,* » sicut habent Augustinus et Hieronymus. Vel « *in corda,* » in quibus se erigebant contra te. Jerem. LI, 1 : *Cor suum levaverunt contra me, quasi ventum pestilentem.* « *Corda* » dico, quæ sunt « *inimicorum regis,* » id est, illorum qui erant prius inimici tui, qui es rex verus. Apoc. XIX, 16 : *Rex regum,* etc.

Vel sic ordinetur littera : « *Populi inimicorum regis,* » id est, tui, qui es Rex, et hoc pro magna parte, « *sub te cadent,* » se tibi subjiciendo. Isa. LX, 14 : *Venient ad te curvi filii eorum qui te humiliaverunt, et adorabunt vestigia pedum tuorum omnes, qui detrahebant tibi.* Nec tantum corpore se subjicient, et coacti, sed etiam « *in corde.* » Vel, « *in corda,* » id est, voluntarii, hoc enim placet Deo. Psal. LIII, 8 : *Voluntarie sacrificabo tibi.* Exod. XXXV, 5: *Omnis voluntarius et prono animo offerat eas, scilicet primitias, Domino.*

« *Sedes tua in sæculum.* » Hic commendat eum ab auctoritate judicandi et regnandi : et tanguntur quatuor. Primo, ostendit in Christo regnandi vel judicandi æternam potestatem. Secundo, æquitatem, ibi, « *Virga directionis.* » Tertio, regnantis et judicantis dignitatem et sanctitatem, ibi, « *Dilexisti justitiam.* » Quarto, causam æquitatis et sanctitatis in illo, ibi, « *Propterea unxit te Deus.* » 7

Laudat a potestate judiciaria.

Dicit ergo : Talis es potestate et fortitudine, et etiam, o tu Deus, « *sedes tua,* » potestas scilicet judiciaria, quæ sedes est. Isa. VI, 1 : *Vidi Dominum sedentem su-*

per solium excelsum. Et bene « *sedes,* » quia tranquilla. In sede enim quiescitur. Sap. XII, 18 : *Tu autem dominator virtutis, cum tranquillitate judicas.* Non est ad modicum tempus sicut aliorum. Eccli. x, 17 : *Sedes ducum superborum destruxit.* Et in eodem, ỳ. 11 : *Omnis potentatus brevis vita.* Sed « *in sæculum* » consecutivum « *sæculi.* » Dan. VII, 14 : *Potestas ejus, potestas æterna, quæ non auferetur : et regnum ejus, quod non corrumpetur*[1].

Christus dicitur sedere ex multiplici capite.

Et nota, quod Christus dicitur sedere, aliquando propter occultationem qua latet in sinu Patris in quantum Deus est, In Psal. XCVIII, 1 : *Qui sedet super Cherubim, moveatur terra.* Item, propter Incarnationis humilitatem, Ezech. XLIV, 2 et 3 : *Porta hæc clausa erit principi,... et vir non transibit per eam... Princeps ipse sedebit in ea.* Propter patientiam quietissimam in Passione, Psal. CXXXVIII, 2 : *Tu cognovisti sessionem meam, et resurrectionem meam.* Propter judicandi auctoritatem, sicut hic. Dan. VII, 10 : *Judicium sedit, et libri aperti sunt.* Ultimo, propter suavem tranquillitatem quam facit in sanctis, Isa. LXVI, 1: *Cœlum sedes mea,* id est, anima justi. Et Matth. v, 34 : *Dico vobis non jurare omnino, neque per cœlum, quia sedes Dei est.*

« *Virga directionis.* » Hic subjungit de æquitate. Quasi diceret : Sic æterna est auctoritas. « *Et virga,* » id est, gubernatio « *regni tui,* » id est, qua regitur regnum tuum, « *virga directionis.* » Nihil enim in divina æquitate distortum est. Psal. XCI, 16 : *Rectus Dominus Deus noster, et non est iniquitas in eo,* id est, inæqualitas aliqua. Cassiodorus : « Hæc « virga est fortitud invicta. » Propter hoc dicitur virga ferrea: supra, in Psal. II, 9 : *Reges eos in virga ferrea.* Æquitas rectissima. Propter hoc « *directionis* » inflexibilis disciplina. Propter hoc dicitur virtutis, Psal. CIX, 2 : *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus,* etc.

Maria virga est multiplici modo.

Notandum, quod est virga sanctitatis Virgo Maria. Isa. XI, 1 : *Egredietur virga de radice Jesse, et flos,* etc. Quomodo enim virga sanctitatis non esset, de qua tantæ sanctitatis flos ascendit? Nec tantum sanctitatis, sed etiam sanitatis. Numer. XVII, 8, Virga Aaron peperit amygdalas, fructum infirmorum. Et est virga potestatis faciendi miracula, virga Mosaica (Exod. XIV, et in aliis locis multis). Et est virga auctoritatis, potestas judiciaria, de qua hic loquitur. Et pastorum est habere hanc virgam. Hæc est virga Joseph, qua constitutus fuit rector totius Ægypti, Ad Hebr. XI, 21 : *Fide Jacob moriens per singulos filiorum Joseph benedixit : et adoravit fastigium virgæ ejus.* Et est virga ultionis, mali homines, per quos Deus punit et flagellat bonos, Isa. x, 5: *Væ Assur, virga furoris mei et baculus ipse est, in manu eorum indignatio mea.* Et est virga potestatis accipiendi necessaria, Marc. VI, 8 : *Præcepit eis,* scilicet Apostolis, *ne quid tollerent in via, nisi virgam tantum.* Et est virga blandæ consolationis ut hic, « *Virga tua,* etc. »

8

Laudat a sanctitate.

« *Dilexisti justitiam.* » Hic est tertium, in quo ostendit judicantis sanctitatem in duobus. In amore boni, et odio mali, ibi, « *Et odisti iniquitatem.* »

Dicit ergo : Regnas perpetuo æque judicans, et dignus es. Vel vere nihil in tua potestate distortum, totum rectum, quia « *dilexisti justitiam.* » Psal. x, 8 : *Justus Dominus, et justitias dilexit,* in se, et in aliis, ut ipsam diligant præcipit. Sap. I, 1 : *Diligite justitiam qui judicatis terram.* « *Et odisti,* » non homines, quia creaturæ tuæ sunt, Sap. XI, 25 :

[1] Cf. etiam Daniel, III, 100, et IV, 31.

Diligis omnia quæ sunt, et nihil odisti eorum quæ fecisti: sed « *iniquitatem,* » ut in persona tui, veraciter dictum est : *Iniquitatem odio habui, et abominatus sum* [1]. Isa. LXI, 8 : *Ego Dominus, diligens judicium, et odio habens rapinam in holocaustum.* Econtra de malis judicibus, Michæ. III, 1 : *Numquid non vestrum est scire judicium, quia odio habetis bonum, et diligitis malum ?*

« *Propterea.* » Ecce quartum, scilicet causa æquitatis et tantæ sanctitatis gratia in excellenti gradu, imo incomparabili ad omnes alios.

Dicit ergo: Virga tua virga est æquitatis. Sic bonum diligis, et malum odisti. Et « *propterea,* » ut scilicet talis esses, « *unxit te Deus, Deus tuus,* » nominativi casus :Vocativi, *o Deus.* Isa. LXII, 1 : *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me.* Act. IV, 27: *Convenerunt adversus puerum tuum Jesum, quem unxisti.* « *Oleo lætitiæ,* » ad differentiam olei bonæ famæ, de quo Cant. I, 2 : *Oleum effusum nomen tuum.* Misericordiæ, de quo Luc. X, 34, Samaritanus effudit vulneribus sauciati vinum et oleum. Adulationis, Psal. CXL, 5 : *Oleum peccatoris non impinguet caput meum.* Communis omnium charitatis, Matth. XXV, 4: *Prudentes acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus.* Et hoc, « *præ consortibus tuis,* » tibi similibus in natura, et tibi participibus in gratia, quantum habent ex te. Joan. I, 16 : *De plenitudine ejus nos omnes accepimus.* Psal. CXXXII, 2 : *Sicut unguentum in capite, quod descendit,* etc. Gen. XXVIII, 18 : *Jacob lapidem erexit in titulum, fundens oleum desuper.* Et Levit. VIII, 12, Præceptum fuit Moysi, ut oleo inungeret Aaron fratrem suum cum Pontifex fieret [2]. Ex hac unctione dictus est Christus [3], et nos omnes consequenter Christiani. Et inunctus fuit ut rex, ut sacerdos, ut pugil.

Oleum lætitiæ bonæ famæ, misericordiæ, adulationis, et charitatis.

9 Laudat sponsum ab habitu et sponsæ societate.

« *Myrrha et gutta.* » Hic quartum, in quo commendat sponsum ab habitu, et societate. Primo, ab habitu. Secundo, quia esse separatum indecens est a sponsæ societate, ibi, « *Adstitit Regina.* »

In prima duo. Primo commendat ab habitu. Secundo, ab effectu consequenter ex illo, ibi, « *Ex quibus delectaverunt.* »

In prima duo. Est enim duplex habitus quo tegimur. Commendatur ergo primo ab illo, qui est vestis qua protegimur. Et est domus, a qua secundo, ibi, « *A domibus eburneis.* »

Dupliciter autem legitur primum : quia per vestimenta potest intelligi corpus Christi mysticum, vel verum.

Primo modo sic : Myrrha quæ servat corpora a putredine, et amara est, id est, carnis mortificatio quæ servat a putredine luxuriæ, sicut dicitur Joel, I, 17 : *Computruerunt jumenta in stercore suo.* Sed carnis mortificatio ab hac servat : propter quod dicitur, ad Coloss. III, 5 : *Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram : fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam.* « *Et gutta,* » Ammoniaca, sic dicta est a terra, et appellatur « *gutta* » nomine generali, quæ desiccat et destruit omnem inflaturam, et significat humilitatem quæ destruit inflaturam superbiæ. Hæc est gutta de qua Eccli. XXIV, 21 : *Quasi storax, et galbanus, et ungula, et gutta.* « *Et cassia.* » Genus aromatum est, et crescit in locis aquosis, et odorem optimum evaporat, et significat fidem, quæ odorem bonæ famæ reddit. II ad Corinth. X, 15 : *Christi bonus odor sumus Deo.* Et usque in cœlum proficit et crescit. Ad Hebr. XI,5: *Fide Enoch translatus est,* etc. Et in baptismi aquis nascitur. Hæc, inquam, tria spirant « *a vestimentis tuis,* » a fidelibus tuis, qui sunt tuum vestimentum. Isa. XLIX, 18 : *Vivit Dominus, quia*

[1] Psal. CXVIII, 163.
[2] Levit. VIII, 12 : *Quod,* scilicet oleum, *fundens super caput Aaron, unxit eum, et consecravit.*
[3] *Christus* a χρίστος, unctus, R. Χρι.

his omnibus velut ornamento vestieris.

Vel sic : « *Myrrha,* » id est, amara mortis tuæ recordatio, « *Et gutta,* » mollificans prædicatio, « *Et cassia,* » baptismatis aquæ, fluxerunt « *a vestimentis tuis,* » a membris tuis in cruce extensis, quibus anima vestiebatur. Job, x, 11 : *Pelle et carnibus vestisti me*, etc. Et hæc etiam sunt « *a domibus eburneis,* » id est, Sanctis, qui sunt domus, in quibus habitas. I ad Corinth. III, 17 : *Templum Dei sanctum est, quod estis vos.* Sed domus eburnea propter castitatem. Est enim ebur frigidæ naturæ, et ex animali casto, scilicet elephante. Tales autem, scilicet eburneos oportet esse eos, qui sunt domus Dei. Sap. I, 4 : *In malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.*

10 « *Ex quibus.* » Hic effectus ratio, ex duplici habitu.

Ait enim : Sic spirant vestimenta tua sicut domus : « *ex quibus* » rebus, scilicet bonis odoribus, « *filiæ regum,* » nobiles animæ, Sanctorum filiæ, vel ad litteram sicut Catharina, et aliæ similes illectæ, « *delectaverunt,* » id est, delectabilem habuerunt « *te* : » et hoc, « *in honore tuo,* » non in aliquo sui commodo. Cantic. I, 2 : *Adolescentulæ dilexerunt te nimis.*

Vel sic, ut hoc quod dicit, « *In honore,* » determinet illud quod dictum est, « *filiæ regum.* » Quasi diceret : Illæ quæ sunt filiæ regum : et hoc « *in honore tuo, delectaverunt te,* » sicut prius ex prædictis.

Laus sponsæ.

«*Adstitit regina.*» Hic commendat a societate sponsæ decenter ornatæ : et dicuntur duo. Primo monstratur in sponsa decentia debita. Secundo, in ornatu, pulchritudo et gloria, ibi, « *In vestitu deaurato.* »

Dicit ergo : Talis es, o sponse, et talis ornatus tuus. Sed numquid solus ? Non, imo « *adstitit,* » spe erecta cœlestium, non amore terrenorum incurvata, secundum illud Psal. v, 5 : *Mane adstabo tibi et videbo*, si veniant mihi illa æterna bona, et inhians ad illa. Ad Tit. II, 13 : *Exspectantes beatam spem, et adventum gloriæ magni Dei.* « *Regina,* » Ecclesia per Esther figurata. Esther, II, 17 : Esther est quam Rex Asuerus accepit uxorem, et voluit esse reginam. « *A dextris tuis :* » etsi non adhuc re, tamen spe, dextram tenet judicantis. Ad Rom. VIII, 24 : *Spe salvi facti sumus* : et in dextris positi, secundum quod dicitur, Matth. xxv, 33 : *Statuet oves quidem a dextris suis, hædos autem a sinistris.*

« *In vestitu.* » Hic vestitus gloria et pulchritudo. Tangitur enim primo pretiositas. Secundo, pulchritudo, ibi, « *Circumdata.* » Sic « *stetit regina in vestitu deaurato.* »

Dupliciter legitur, quia vestitus potest dici doctrina vestiens intellectum, vel operatio bona, quasi decorans affectum.

Primo modo sic : « *Adstitit regina in vestitu deaurato,* » id est, in doctrina sapientiæ contexta filis specierum de rebus assumptarum : ut constituerent sapientiam tamquam vestem splendidissimam. Sap. VI, 13 : *Clara est, et quæ numquam marcescit sapientia.* Eccli. LI, 26 : *Insipientiam ejus luxi.*

Vel, «*in vestitu deaurato,* » id est, in operationibus virtutum simul conjunctarum, et ordinate factarum. I ad Corinth. XIV, 40 : *Omnia honeste, et secundum ordinem fiant.* Hæc vestis de qua in Psal. CXXXI, 9 : *Sacerdotes tui induantur justitiam*, sed auro charitatis decoratam. Unde non dicit *auream* : sic enim solam charitatem habere crederetur : sed « *deauratam,* » ut forma bonorum operum charitas intelligatur : ipsa enim est aurum purissimum quo præcepit Dominus vestiri tabulas tabernaculi [1]. Sed non sic de virtutibus Philosophorum, quæ non

[1] Cf. Exod. XXVI, 29.

fuerunt ornatæ charitate, unde nec pulchra vestis fuerunt, sed sordida. Isa. LXIV, 6 : *Quasi pannus menstruatæ universæ justitiæ vestræ.*

« *Circumdata varietate.* » Quasi diceret : « *Deaurata,* » propter pretiositatem : « *circumdata varietate,* » propter multitudinem, et multiplici varietate. Primo, linguarum, Act. II, 4 : *Ceperunt loqui variis linguis Apostoli*, etc. Virtutum : ornatur enim Ecclesia argento Prophetarum, auro Apostolorum, cocco Martyrum, gemmis Virginum, purpura pœnitentium. Hoc significatum fuit, Exod. XXVIII, 5, ubi præceptum est, quod vestes sacerdotales ex cocco, et purpura, et gemmis, et auro texerentur. Consuetudinum : nihil enim officit in Ecclesia in eadem fide consuetudo diversa, imo magna est pulchritudo. Augustinus in libro *Confessionum* : « Alius sic ibat. » Officiorum, ad Ephes. IV, 11 : *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas*, etc. Remunerationum, Joan. XIV, 2 : *In domo Patris mei mansiones multæ sunt.* I ad Corinth. XV, 41 et 42 : *Stella a stella differt in claritate : sic et resurrectio mortuorum.* Hæc varietas exprimitur, Apocal. VII, 9 : *Vidi turbam magnam quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, et tribubus, et populis, et linguis stantes ante thronum.*

II

Tertia pars Psalmi. Laudes sponsæ.

« *Audi, filia, et vide.* » Hic tertia pars Psalmi, in qua subjungitur sponsæ commendatio, et sicut vult Glossa, primo commendatur a forma, seu speciositate. Secundo, a gloria, ibi, « *Omnis gloria ejus.* » Tertio, a societate, ibi, « *Adducentur.* » Quarto, a prole, ibi, « *Pro patribus tuis.* »

In prima commendat eam a forma fidei, quæ est decor animæ et purgatio. Act. XV, 9 : *Fide purificans corda eorum*, invitando semper ad perfectionem in illa : et dicuntur duo. Primo, invitatio. Secundo, persuasio, quod debeat acquiescere, ibi, « *Et concupiscet Rex.* »

In prima quatuor. Primo invitat ad audiendum diligenter Evangelium. Secundo, ad videndum per fidem ipsum Christum, ibi, « *Et vide.* » *Fides ex auditu* (ad Rom. X, 17). Tertio, docet audiendi modum, ibi, « *Et inclina.* » Quarto, videndi vel credendi, ibi, « *Et obliviscere.* »

Dicit ergo : Talis est sponsus, sed o tu, « *filia.* » Ecclesiam vocat filiam, ipse enim fuit de Patribus, unde illa novella, vel primitiva quam alloquitur, descendit. Vel filiam dicit non suam, sed Apostolorum, qui eam in fide genuerunt. Ad Gal. IV, 19 : *Filioli mei, quos iterum parturio.* « *Audi,* » doctrinam Evangelicam : « *et vide,* » postea Christum per veram fidem. Vel, « *audi* » Prophetas antiquos. Christi Incarnationem promittentes : « *et vide* » impletam. Act. III, 18 : *Deus, quæ prænuntiavit per os omnium Prophetarum, pati Christum suum, sic implevit.* Et infra, ℣. 24 : *Omnes Prophetæ a Samuel, et deinceps, qui locuti sunt, nuntiaverunt dies istos.*

Et nota ordinem. « *Audi* » prius, et post « *vide,* » sicut Regina Saba (III Reg. X, 1) prius audivit famam Salomonis : secundo vidit ipsum Salomonem. « *Audi* » ergo primo, « *et vide* » postea per fidem, ut postmodum videas per speciem. I ad Corinth. XIII, 12 : *Videmus nunc per speculum in ænigmate : tunc autem facie ad faciem.* Sed quia aliquando audiunt superbi ad reprehendendum, Matth. XXVI, 4 : *Pharisæi... consilium fecerunt, ut Jesum dolo tenerent, et occiderent*, addit contra hoc : « *Et inclina* » humiliter, « *aurem tuam.* » Alioquin non introibit sapientia. Sap. I, 4 : *In malevolam animam non introibit.* Matth. XI, 25 : *Abscondisti hæc a sapientibus, et prudentibus, et revelasti ea parvulis.* Quippe doctrina aqua est : aqua autem naturaliter petit loca humilia. Proverb. XVIII, 4 : *Aqua profunda, verba ex ore viri.* Propter hoc Eccli. XXXII, 9 : *Audi tacens, et*

pro reverentia accedet tibi bona gratia.

« *Et obliviscere.* » Hic quomodo credendum in Christo, quia excluso ritu Judaico, et exclusa lege Mosaica, ibi, « *Et domum patris tui.* »

Ait enim : Sic audi, et sic etiam crede. Quomodo ? « *Obliviscere populum tuum,* » modum omnem et ritum Judaicum, et etiam Gentium, et idololatrarum. Matth. vi, 24 : *Nemo potest duobus dominis servire.* I ad Corinth. x, 20 : *Non potestis calicem Domini bibere, et calicem dæmoniorum.* Et non hoc, imo et fuge consortium, unde addit : « *Et dominum patris tui* : » repete « *Obliviscere.* » Domum autem vocat congregationem malignantium, et Judæorum, et gentilium, cujus domus pater est diabolus. Joan. viii, 4 : *Vos ex patre diabolo estis.* Ezech. xvi, 45 : *Mater vestra Cethæa, et pater vester Amorrhæus.*

12 « *Et concupiscet Rex.* » Hic tangitur persuasio ab utilitate multiplici consequenti, si velit acquiescere, et tangitur triplex. Primo, amor ipsius a sponso. Secundo, honor ipsius sponsi a toto mundo pro sponsa tam pulchra, ibi, « *Quoniam ipse est Dominus Deus tuus.* » Tertio, ipsius sponsæ veneratio, ibi, « *Vultum tuum deprecabuntur.* »

Ex sponsæ obedientia seu Ecclesiæ fide triplex fructus.

Dicit ergo : Sic monui ut audias, et videas, sed numquid sine fructu hoc facies ? Non, imo « *et concupiscet Rex* » cœlorum, *Rex regum, et Dominus dominantium* [1], « *decorem tuum,* » id est, propter tuum decorem diliget. Nec mirum : Eccli. xl, 22 : *Gratiam et speciem desiderabit oculus.* « *Et adorabunt eum,* » ipsum regem te diligentem, honorem duliæ exhibentes. « *Quoniam ipse,* » non dæmonia, non idola, cum quibus antea fornicabaris. Jerem. iii, 9 : *Contaminavit terram, et mœchata est cum lapide et ligno.* « *Est Dominus Deus tuus.* » I Pet. iii, 6 : *Sara obediebat Abrahæ dominum eum vocans.* « *Et Deus tuus.* » Repete supra in antecedenti Psalmo, ℣. 5 : *Tu es ipse Rex meus, et Deus meus.* Ac si dicat : Adorabunt eum, quia talem habet sponsam, et tam pulchram, quam sustinet et regit.

In hoc etiam notatur magnæ sponsæ provocatio ad obliviscendum domum Patris, quia talis est sponsus, qui est Dominus per potestatem, et Deus per omnium cognitionem apertissimam, et adoratus per confessionem potentiæ et sapientiæ ab ipsa creatura. Cant. v, 16 : *Talis est dilectus meus, et ipse est amicus meus.*

« *Et filiæ Tyri.* » Hic specificat. Quasi 13
diceret : « *Adorabunt eum,* » Et etiam *filiæ Tyri in muneribus eum adorabunt.* » Tyrus civitas est propinqua Judæis, et semper quasi odiosa illi genti. Unde mirabilius est de ejus conversione, hæc autem conversio figurata est, Matth. xv, 21 et seq., in muliere Chananæa, quæ egressa de finibus Tyri venit, et Dominum adoravit. Adorabunt autem « *in muneribus,* » seipsos Deo offerendo secundum illud ad Roman. xii, 1 : *Obsecro vos fratres per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem.* II ad Corinth. viii, 5 : *Semetipsos dederunt primum Domino.* Item, « *filiæ Tyri,* » peccatores : Tyrus enim interpretatur *angustia*, et omnis peccator in angustia est, quia Proverb. v, 22 : *Funibus peccatorum suorum quisque constringitur.* Et dicuntur *filiæ*, quia inutiles sunt sicut filiæ. Psal. xiii, 3 : *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt.*

« *Vultum tuum.* » Hic tertius fructus, scilicet ipsius Ecclesiæ veneratio. Quasi diceret : Adorabunt Dominum Deum tuum. Et etiam o Regina, « *omnes divites*

[1] Apocal. xxi. 16

plebis, » non tantum minores et pauperes. Sed quomodo plebis sunt, si divites sunt? quomodo divites, si de plebe? Resp. Divites, quia abundantiam habent bonorum temporalium : sed plebis sunt, quia semper cupiunt, et egent, sicut fere omnes qui divites sunt. Bernardus : « Constat « eos multis indigere, qui multa possi- « dent. » Eccle. v, 10 : *Ubi multæ sunt opes, multi et qui comedunt eas.* Ezech. xxvii, 4 : *In corde maris,* hoc est, in profundo amaritudinis divitiæ tuæ et thesauri tui. Propter hoc dicit Seneca : « Ut di- « ves sis, non est divitiis addendum, sed « cupiditatibus subtrahendum. » Propter hoc dicit Dominus, Matth, xix, 23 : *Dives difficile intrabit in regnum cœlorum.* Hi ergo « *deprecabuntur vultum tuum,* » id est, te aperte ut videant, ipsum hoc petentes, sponso reconciliari per te. Job, xlii, 7 et seq., præceptum est amicis Job, ut venirent ad Job, et ipso mediante veniam impetrarent. Isa. xlix, 22 et 23 : Venient ad te filii eorum qui te humiliaverunt : *Et erunt reges nutritii tui, et reginæ nutrices tuæ : vultu in terram demisso adorabunt te.* Hoc impletur Act. iv, 34 et 35 : *Quotquot possessores agrorum aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum quæ vendebant, et ponebant ante pedes Apostolorum.*

Quomodo divites plebis sunt ?

11 « *Omnis gloria ejus.* » Hic secundum, in quo commendatur sponsa a gloria, et nobilitate. Et ostendit primo, quod habet unde glorietur interius. Secundo, quod etiam exterius, ibi, « *Circumamicta.* »

Laus sponsæ a nobilitate et gloria.

Dicit ergo : Sic speciosa est Ecclesia : « *et omnis gloria ejus,* » scilicet omnis ejus filiæ, scilicet Ecclesiæ, quæ antea dicebatur sponsa, modo filia : sed sponsa propter amorem, filia propter imitationem, quia filius quasi sit ut ille de quo Eccli. x, 2 : *Qualis rector civitatis, tales et habitantes in ea.* Et « *ab intus,* » a bona conscientia, II ad Cor. i, 12 : *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ,* non mendacis linguæ, et adulatoriæ. Matth. vi, 4 et 3 : *Nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua :... sit eleemosyna tua sit in abscondito.* Non est gloria Judaica, quæ gloriatur in circumcisione corporali. Jerem. iv, 4 : *Auferte præputia cordium vestrorum.* Tales volebat Petrus esse Christianas mulieres. I Pet. iii, 3 et 4 : *Non sit extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus : sed qui absconditus est cordis homo, in incorruptibilitate quieti et modesti spiritus.*

Filiæ, inquam, existentis « *in fimbriis aureis,* » id est, in doctrina divinæ sapientiæ : per fimbriam enim quæ inferior pars est habitus corporalis, bene signatur sapientia quæ est inferior pars habitus mentis. Et iterum in lege præceptum erat, ut in fimbriis tunicæ hiacinthinæ Aaron, præcederent tintinnabula aurea, ut sonus audiretur quando ingrediebatur et egrediebatur tabernaculum [1]. In illo autem sonitu doctrina sapientiæ intelligitur. Et hoc est gloria filiæ. Jerem. ix, 24 : *In hoc glorietur, qui gloriatur, scire et nosse me.* Item, fimbria est finis vestimenti, et significat ultimos qui erunt in fine mundi. Sed illi finales Ecclesiæ erunt aurei, et optimi, fulgentes sapientia et charitate sicut aurum. Prov. iv, 18 : *Justorum semita quasi lux splendens, crescit et proficit usque ad perfectam diem.* Bonæ istæ fimbriæ, et qui eas tetigerit, salvabitur. Matth. ix, 21, et Luc. viii, 43 : *Si tetigero fimbriam vestimenti ejus, salva ero.* Quæ regina erat « *circumamicta varietatibus,* » linguarum, virtutum, bonorum operum quæ sunt extra, ut vere dici possit ei illud Cant. iv, 7 : *Tota pulchra es amica mea,* et interius, et exterius.

[1] Cf. Exod. xxviii, 33 et seq.

15 Laus sponsæ a consortiatu.

« *Adducentur regi virgines.* » Hic subjungitur tertium, scilicet commendatio sponsæ, a consortio cum quo venit ad sponsum. Tria ergo dicuntur in hac parte. Primo, multorum adductio. Secundo, modus adducendi illos, ibi, « *Adducentur in lætitia.* » Tertio, quo adducentur, ibi, « *Adducentur.* »

In prima duo. Tangitur enim primo de consortio imperfectorum, ibi, « *Proximæ ejus.* » Sic sponsa oblita domus Patris sui, venit ad sponsum, « *et virgines,* » mentes scilicet pudicæ et continentes « *adducentur regi,* » sponso suo, Christo, qui est Rex regum, et Dominus dominantium : et hoc « *post eam,* » et per eam tamquam comites et amicæ.

Et dicit : « *Adducentur,* » innuens quod per se venire non possunt, nisi virtute Spiritus sancti et gratia. Psal. CXLII, 10 : *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.* Jerem. XXX, 21 : *Et applicabo eum* gratiæ suæ, *et accedet ad me.* Cant. I, 3 : *Trahe me post te.* « *Proximæ ejus,* » id est, animæ conjugatæ castitatem servantes conjugalem et vidualem, scilicet animæ imperfectæ « *afferentur tibi,* » o tu Rex.

Virgines ducuntur, viduæ afferuntur.

Et nota modum loquendi : Virgines dicit adduci tamquam fortiores. Apoc. XIV, 4 : *Virgines enim sunt, et sequuntur Agnum quocumque ierit.* Sed viduas et conjugatas afferri, tamquam fractas diversis desideriis, et sollicitudinibus et curis. I Reg. II, 5 : *Quæ multos habebat filios, infirmata est.* Jerem. XV, 9 : *Infirmata est quæ peperit.* I ad Corinth. VII, 34 : *Virgo cogitat quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore et spiritu. Quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro.* Vel pro eisdem possunt accipi virgines, et proximæ. Quasi diceret : Sic adducentur virgines, et proximæ ejus, scilicet Ecclesiæ, hoc est, virgines prudentes « *afferentur tibi,* » ad nuptias tuas, o tu sponse : non excludentur. Matth. XXV, 10 : *Quæ paratæ erant, intraverunt cum eo ad nuptias.* In adductione etiam significatur quorumdam conversio per prædicationem opportunam, in allatione quorumdam conversio per importunam. I ad Tim. IV, 2 : *Insta, opportune, importune.*

« *Afferentur in lætitia et exsultatione.* » Hic secundum, in quo subjungitur modus afferendi, et est duplex. Unus ex parte advenientium, alter ex parte adductorum. 16

Ait enim : Sic virgines adducentur, proximæ afferentur. « *Et afferentur,* » ministerio Angelorum. Psal. XC, 11 et 12 : *Angelis suis Deus mandavit de te.* Et sequitur : *In manibus portabunt te.* Luc. XVI, 22 : *Factum est autem ut moreretur mendicus, et portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ.* Et hoc « *in lætitia* » ipsorum adductorum, « *et exsultatione* » ipsorum adducentium. Psal. CIV, 43 : *Eduxit populum suum in exsultatione, et electos suos in lætitia.*

Item, isti portitores debent esse Ecclesiæ Prælati, et Pastores, secundum illud Num. XI, 12 : *Porta eos in sinu tuo, sicut portare solet nutrix infantulum suum, et defer in terram, pro qua jurasti patribus eorum.* « *In lætitia* » interiori, « *et exsultatione* » exteriori ipsorum portantium. Luc. XV, 5, 6 : *Cum invenerit eam, imponit in humeros suos gaudens, et veniens domum convocat amicos et vicinos, dicens illis : Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam quæ perierat.*

Sed quo adducentur ? « *In templum Regis,* » ut cantent ibi sicut in templo cantatur. Apoc. XIV, 3 : *Cantabant quasi canticum novum, ante sedem Dei, et ante quatuor animalia, et seniores.* Psal. XXVIII, 9 : *In templo ejus omnes dicent gloriam.* Item, ut ipsum templum ex seipsis construant. I Pet. II, 5 : *Ipsi tamquam lapides vivi superædificamini, domus spiritualis.* Item, ut divinitatem Christi videant : ibi enim maxime relucet divina potentia, ibi aperte videbitur. Isa. XXXV, 2 : *Ipsi videbunt gloriam Domini, et decorem Dei sui.* Potest etiam

intelligi de templo Ecclesiæ militantis : adducentur enim virgines et proximæ ut sint de unitate Ecclesiæ. Si enim foris sunt, quantumcumque virgines sint, sicut virgines hæreticorum et idololatrarum, et Judæorum, fatuæ sunt et miseræ. Amos, v, 16 : *In cunctis, quæ foris sunt, dicetur væ, væ.* Quia templum hoc est stabile, Augustinus : « Templum Dei non « est ruinosum, nec divisum : junctura « lapidum viventium charitas est. »

17 « *Pro patribus tuis.* » Hic quartum tertiæ partis Psalmi, in quo commendatur sponsa a prole, et dicuntur tria. Primo, prolis multiplicitas. Secundo, dignitas, ibi, « *Constitues eos.* » Tertio, utilitas, ibi, « *Propterea populi.* »

Laus sponsæ a prolis abundantia et nobilitate.

Dici ergo : Sic dixi, quod cum magna veniet societate ad templum tuum, o tu sponse. Nam, o tu sponsa, « *filii nati sunt tibi,* » non unus tantum filius, sed filii fortes et boni, scilicet Apostoli et Apostolici viri. Illo modo enim ascenderunt, de quo Joan. III, 5 : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Et hoc « *pro patribus tuis,* » id est, loco antiquorum patrum tuorum carnalium qui colunt idola. Thren. v, 7 : *Patres nostri peccaverunt, et non sunt.* Jerem. XVI, 19 : *Vere mendacium possederunt patres nostri, vanitatem, quæ eis non profuit.* Numquid faciet homo sibi deos ? Vel, « *pro patribus tuis* » spiritualibus, Patriarchis, Prophetis, et Apostolis, ex quibus nata est Ecclesia, I ad Corinth, IV, 15 : *In Christo Jesu per Evangelium ego vos genui:* nati « *sunt filii tibi,* » Ecclesiarum Episcopi et Prælati. Eccli. XXX, 4 : *Mortuus est pater ejus, et quasi non est mortuus : similem enim reliquit sibi post se.*

« *Constitues eos.* » Hic dignitas prælationis primo. Secundo, sanctitatis, ibi, « *Memores.* »

Dicit ergo : Sic nati sunt tibi filii, « *et constitues eos principes,* » id est, Prælatos, non ipsi se. Ad Hebr. v, 4 : *Nec quisquam sumat sibi honorem.* Nec homo aliquis, sed Spiritus sanctus qui est in te. Eccli. VII, 4 : *Noli quærere a domino ducatum, neque a rege cathedram honoris,* sed a Spiritu sancto. Act. XX, 28 : *Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos* Ecclesiarum. Et non tantum in Judæa sicut antiquitus, sed « *super omnem terram.* » Ecce templum amplum, et latum valde. Augustinus : « Templum regis, « quod late diffusum est, ubique collocavit « fundamenta Prophetarum, et Apostolo- « rum parietes ubique firmavit. » Psal. XVIII, 5 : *In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum.*

« *Memores erunt.* » Hic monstratur filiorum dignitas in sanctitate, quia jugiter de Deo habebunt memoriam. 18

Dicit ergo : Sic exaltabuntur. Sed quia honores solent Judæos ad oblivionem ducere, Osee, XIII, 6 : *Levaverunt cor suum, et obliti sunt mei* : isti tamen non sic, imo, « *memores erunt nominis tui, Domine,* » ipsum prædicantes, tamquam fideles servi. Luc. XII, 42 : *Quis, putas, est fidelis dispensator, et prudens, quem constituit Dominus supra familiam suam, ut det illis in tempore tritici mensuram ?* Ad hoc enim exaltabis eos. Psal. CIV, 44 : *Dedit illis regiones gentium, et labores populorum possederunt : ut custodiant justificationes ejus : et legem ejus requirant.* Propter hoc dicitur, Deut. VI, 10 et seq. : *Cum Dominus... dederit tibi civitates magnas et optimas, quas non ædificasti, domos plenas cunctarum opum, quas non exstruxisti, cisternas, quas non fodisti, vineta et oliveta, quæ non plantasti, et comederis, et saturatus fueris : cave diligenter ne obliviscaris Domini.*

Vel secundum aliam litteram : Sic ipsi prædicatores constituentur, et propter eorum prædicationem ego, populus Christianus, memor ore nominis tui, Domine. Baruch, II, 31 et 32 : *Dabo eis cor, et intel-*

ligent : aures,et audient. Et laudabunt me in terra captivitatis suæ, et memores erunt nominis mei : et hoc non ad breve tempus, sed « *in generatione et generationem,* » id est, in omnes generationes. Vel in generatione Judæorum, et in generatione Gentilium. Eccli. XLIX, 2 : *In omni ore quasi mel indulcabitur memoria ejus, et ut musica in convivio vini.* Et in eodem, ℣. 1 : *Memoria Josiæ in compositionem odoris.* Psal. CXLIV, 4 : *Generatio et generatio laudabit opera tua, et potentiam tuam pronuntiabunt.*

« *Propterea populi.* » Hic tangitur utilitas Dei, scilicet laudativa confessio, et perpetuatio ipsius laudis, ibi, « *In æternum.* »

Dicit ergo : Sic filios multiplicabis, et exaltati erunt prælatione, et sanctitate, et « *propterea populi,* » id est, minores, « *confitebuntur tibi,* » confessione laudis : te enim laudabunt, et se vituperabunt ipsos. Psal. LXXIV, 2 : *Confitebimur tibi, Deus, confitebimur.* Confitebuntur tibi concorditer, et unanimiter laudando. Ad Rom. XV, 6 : *Unanimes uno ore honorificetis Deum.* I ad Corinth. I, 10 : *Idipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata.* Et XIV, 33 : *Non est dissensionis Deus, sed pacis.* Et hoc « *in æternum,* » quamdiu scilicet durat præsens status Ecclesiæ. Psal. CXLV, 2 : *Laudabo Dominum in vita mea, psallam Deo meo quamdiu fuero.* Deut. XXXI, 21 : *Respondebit ei canticum istud pro testimonio, quod nulla delebit oblivio ex ore seminis sui.*

« *Et in sæculum sæculi,* » hujus consecutivum. Psal. LXXXIII, 5 : *Beati qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te.*

PSALMUS XLV.

Ecclesia divino præsidio munita est inconcussa.

1. *In finem, filiis Core, pro arcanis, Psalmus.*
2. Deus noster refugium et virtus : adjutor in tribulationibus, quæ invenerunt nos nimis.
3. Propterea non timebimus dum turbabitur terra, et transferentur montes in cor maris.
4. Sonuerunt, et turbatæ sunt aquæ eorum : conturbati sunt montes in fortitudine ejus.
5. Fluminis impetus lætificat civita-

tem Dei : sanctificavit tabernaculum suum Altissimus.

6. Deus in medio ejus, non commovebitur : adjuvabit eam Deus mane diluculo.

7. Conturbatæ sunt gentes, et inclinata sunt regna : dedit vocem suam, mota est terra.

8. Dominus virtutum nobiscum : susceptor noster Deus Jacob.

9. Venite, et videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram,

10. Auferens bella usque ad finem terræ.

Arcum conteret, et confringet arma : et scuta comburet igni.

11. Vacate, et videte quoniam ego sum Deus : exaltabor in gentibus, et exaltabor in terra.

12. Dominus virtutum nobiscum ; susceptor noster Deus Jacob.

IN PSALMUS XLV

COMMENTARIUS.

1 *In finem, filiis Core, pro arcanis, Psalmus*[1].

« *Deus noster refugium.* » Hic est Psalmus quadragesimus quintus. Postquam enim egit de laudibus sponsi et sponsæ, hic subjungitur invitatio fidelium ad fidem veram habendam de sponso, ut credatur verus Deus et homo, et ad amorem ne sit informis fides. Et hoc monstrando beneficia, quæ ab eo conferuntur suis. Et hoc satis innuitur in titulo qui talis est secundum nostram litteram : « In finem Psalmus David pro arcanis. » Et est sensus : Psalmus iste ordinans nos *in finem*, est *David* qui fuit de Judæis ipsis, unde ejus testimonium contra Judæos quantum ad hoc quod hic dicitur contra illos, valet. Et est tertius editus *pro arcanis* sponsi revelandis, quæ sunt,

Argumentum Psalmi : Exhortatio ad fidem sponsi hominis Dei.

[1] Le chef des chantres doit faire exécuter ce psaume על-עלמות, *hal-halamoth.* Au premier livre des Paralipomènes, xv, 20, il est parlé de chants à accompagner sur les nébels *hal-halamoth* ; les *halamoth* ne sont donc pas des instruments; on pourrait être porté à croire que ce mot, « pour les vierges » est le commencement d'un chant à air connu, mais le texte que nous venons de citer suggère une explication beaucoup plus probable. Au ỹ. 21, il fait mention des chanteurs, qui sur les harpes doivent chanter « à l'octave » grave, comme Ps. vi, 1. Les hymnes *hal-halamoth* sont donc destinés à être exécutés non pas précisément par les vierges ou les femmes, comme celles qui firent entendre le cantique de Moïse, Exod. xv, 20, mais par des voix semblables à celles des femmes. La mishna nous apprend que les enfants des lévites chantaient avec leurs pères, Erachin, 13 ; ce psaume serait donc un des chants attribués à leurs voix de soprano, ou simplement aux voix de ténor des lévites ; car d'après les Paralipomènes, ce sont des hommes qui se font entendre *hal-halamoth.* Les LXX traduisent : ὑπὲρ τῶν κρυφίων, d'après le sens du verbe עלם, *halam*, cacher, d'où *halmah*, la vierge, celle qui est gardée à la maison. Prov xxx, 19.

Le psaume est écrit pour remercier Dieu de sa protection dans un grave péril, et protester d'une absolue confiance en sa bonté. Le psalmiste n'a pas seulement dessein de développer un thème général : le ỹ. 9, « *videte opera Domini, quæ posuit prodigia...* » suppose bien qu'il s'agit d'un fait historique tout récent. Or on signale deux événements auxquels a pu faire illusion le psalmiste. Delitzsch et Cook parlent de l'invasion des Ammonites et des Moabites au temps de Josaphat, II Par. xx. La délivrance fut bien due à la toute puissante protection de Dieu, mais on ne voit pas qu'alors Jérusalem ait couru quelque péril, comme il ressort du ỹ, 6. La plupart des modernes Flaminius, Hengstenberg, M. le Hir, Thalhofer, Patrizi, Beelen, etc., reculent la composition du cantique jusqu'à l'expédition de Sennachérib. Ce fut vraiment alors que la ville fut serrée de près, et ne trouva de secours que dans le Seigneur ; Dieu fit des prodiges en exterminant les cent quatre vingt cinq mille hommes de l'Assyrien, et au matin, ỹ. 6, au moment où Jérusalem se croyait le

quod ipse qui Deus est, simul et homo est, et non tantum Judæis promissus sit, sed et gentibus ipsis in parte maxima excæcatis. Ad Rom. xi, 25 : *Cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo Gentium intraret,* quia illo adveniente maxima pax fit in mundo, secundum illud Psal. LXXI, 7 : *Orietur in diebus ejus justitia et abundantia pacis.* Isa. II, 4 : *Conflabunt gladios suos in vomeres et lanceas suas in falces.*

Vel secundum Hieronymum et Cassiodorum, talis est : « *In finem, Psalmus filiis Core, pro arcanis.* » Et est sensus : Psalmus hic dirigens nos « *in finem,* » sicut supra, convenit « *filiis Core,* » filiis scilicet passionis vel Christi passi. Et est « *pro arcanis* » eis revelatis, sive prædictis. Et optime : afflictis enim fit revelatio. Afflicto enim Danieli facta est revelatio [1]. Agit ergo de arcanis fidei, ea commendando, et quasi publicando, intendens movere ad fidem illorum : fidem, inquam, charitate informatam.

Secundum hoc ergo Psalmus in duas partes dividitur. Primò, Dei beneficia quæ facturus est Ecclesiæ de gentibus eam congregando numerantur. Secundo, ad credendum et amplectendum ea Gentes invitantur, ibi, « *Venite, et videte.* »

Beneficia Christi in Ecclesiam.

In prima duo, secundum duo beneficia principalia, quæ tanguntur. Primum est, Apostolorum prædicationis translatio ad Gentiles a Judæis. Secundo receptio prædicationis lætissima ab ipsis Gentibus per abundantiam Spiritus sancti eis dati, ibi, « *Fluminis impetus.* »

In prima tria. Primo promittitur consolatio populo Dei ab ipso. Secundo, consolationis velut effectus, ibi, « *Propterea non timebimus.* » Tertio, necessitas consolationis, quia quasi turbatio erit ubicumque prædicantibus Apostolis Gentibus, et ipsis ad illas translatis, ibi, « *Sonuerunt.* »

In prima duo secundum duplicem consolationem quam tangit. Primo liberatio ab exteriori malo pœnæ. Secundo, ab interiori tentatione culpæ, ibi, « *Adjutor in tribulationibus.* »

Dicit ergo : « *Deus,* » omnium per creationem, sed « *noster,* » per cultum specialem. Vel, « *Deus* » per divinitatis naturam, « *noster,* » per assumptam nostram humanitatem, est « *refugium* » nobis a malis externis irruentibus. Alibi in Psal. LVIII, 17 : *Factus est susceptor meus, et refugium meum in die tribulationis meæ.* Sed non infirmum refugium quale est hominum, et propinquorum. II Machab. v, 9 : *Jason periit, Lacædemonas profectus, quasi pro cognatione ibi refugium habiturus.* Michæ. VII, 6 : *Inimici hominis domestici ejus.* Sed « *virtus* » qua firmeris. Psal. XVII, 3 : *Dominus firmamentum meum, et refugium meum.* Non sic idola. Baruch, VI, 14 : *Habet gladium et securim in manu : se autem de bello, et a latronibus non liberat. Unde vobis notum sit quod non sunt dii.* Et ipse est « *adjutor in tribulationibus* »

2 Prima pars Psalmi.

plus en danger, elle fut délivrée de ses assiégeants, Isa. XXXVII, 36. On remarque une grande similitude entre ce psaume et le chapitre XXXIII d'Isaïe ; le prophète reproduit aussi dans son *Emmanuel* VIII, 8, 10, le *Jéhovah himmanou* du psalmiste, ℣. 8, sans qu'il soit facile d'établir, si l'un des écrivains s'est inspiré de l'autre, ou s'ils ont exprimé tous deux, chacun de leur côté, des idées communes de leur temps, à la suite des grands événements dont la Palestine avait été le théâtre.

Eusèbe, Théodoret et les Pères en général appliquent ce psaume au début de la prédication évangélique, et à l'agitation qui se produisit alors dans le monde contre l'Eglise de Dieu. C'est là un sens spirituel. L'Eglise est inébranlable parce que « Deus in medio ejus ; » on en peut dire autant, proportion gardée, de l'âme chrétienne unie à Dieu par la foi et la charité.

H. Lesêtre.

[1] Cf. Daniel. x, 2 et seq.

remordentis conscientiæ, « *quæ invenerunt nos,* » non nos illas, quia non per nos diligenter inquirendo, sed per alios admoniti illas novimus. Isa. LVIII, 1 : *Annuntia populo meo scelera eorum, et domui Jacob peccata eorum.* « *Invenerunt,* » inquam, « *nos nimis,* » acriter cruciando : Augustinus : « Nulla major « tribulatio, quam delictorum conscien« tia. » Eccli III, 29 : *Cor nequam gravabitur in doloribus.* Augustinus : « De « teipso sunt tribulationes, quæ sunt « *nimis*, tanto acerbiores, quanto interio« res. Quid prodest si quod exterius est, « sanum est, et putrefacta est medulla « conscientiæ ? »

Potest etiam legi de exterioribus sic : Ita, « *Deus noster refugium* » virtuosum, « *a tribulationibus* » ingruentibus, et « *adjutor in tribulationibus,* » ut eas ipso juvante vincamus. Ad Philip. IV, 13 : *Omnia possum in eo qui me confortat.* « *Quæ invenerunt nos,* » non nos ipsas, quia non quærebamus, sed magis pacem corporalem. Non sicut ille qui dicebat, Psal. CXIV, 3 : *Tribulationem et dolorem inveni.* Et hoc, « *nimis,* » quia nimiæ sunt, et nimis frequentes : incessanter enim mundus plenus est miseriis, et ærumnis atque pressuris. Quærant alii adjutoria regum et principum, nostra munitio in Christo est, qui dicit, Joan. XVI, 33 : *Hæc locutus sum vobis, ut in me pacem habeatis. In mundo pressuram habetis : sed confidite, ego vici mundum.* Eccle. II, 17 : *Tæduit me vitæ meæ, videntem mala universa esse sub sole.*

3 « *Propterea non timebimus.* » Hic secundum, scilicet effectus divinæ consolationis, et prædicti refugii duplex securitas. Primo, a Judæica turbatione. Secundo, a translatione Apostolorum ad Gentes, ibi, « *Et transferentur montes.* »

Dicit enim : Sic Deus est nostrum refugium, « *propterea non timebimus.* » Psal. CXVII, 6 : *Dominus mihi adjutor, non timebo quid faciat mihi homo.* Et alibi, Psal. XXVI, 1 : *Dominus protector vitæ meæ, a quo trepidabo ?* Job, XVII, 3 : *Libera me Domine, et pone me juxta te, et cujusvis manus pugnet contra me.* Et hoc « *dum terra,* » id est, Judæa, « *turbabitur,* » audita Christi prædicatione, visa miraculorum ejus magnitudine, et multitudine. Matth. II, 3 : *Audiens Herodes Rex turbatus est, et omnis Jerosolyma cum illo.* Audiens unicum miraculum de Magis. Psal. LXXV, 5 et 6 : *Illuminans tu mirabiliter a montibus æternis. Turbati sunt omnes insipientes corde.* Et dicitur Judæa terra, secundum Glossam, quia arida ab humore nocivo idololatriæ. Psal. LXXV, 2 : *Notus in Judæa Deus.* Et etiam igne invidiæ tota exsiccata. Job, XXVIII, 5 : *Terra, de qua oriebatur panis,* scilicet Judæa, *igni subversa est.* Et quia gentilitate amara valde circumdata. Isa. LVII, 20 : *Cor impii quasi mare fervens, quod quiescere non potest.*

« *Et transferentur montes.* » Repete : « *Et non timebimus, dum et transferentur montes,* » id est, Apostoli a terra vehementer elevati. Infra, in alio Psal. XLVI, 10 : *Dii fortes terræ vehementer elevati sunt.* Et alibi, Psal. XLIV, 17 : *Constitues eos principes super omnem terram.* « *In cor maris.* » Mare non habet cor : unde constat, quod loquitur de hominibus. Mare enim Gentiles significat, in quorum medium et corda Apostoli sunt translati. Act. XIII, 46 : *Quoniam repellitis verbum Dei, et indignos vos judicastis æternæ vitæ, ecce convertimur ad Gentes.* Et « *in cor* » dicit, quia Apostoli non intraverunt tantum Gentilium civitates vel domos, sed etiam corda per amorem. Psal. LXXII, 7 : *Transierunt in affectum cordis.* Et ostenditur hic, quod boni a malis etiam diliguntur, sicut de beato Sebastiano dicitur : « Necesse erat ut quem « Deus perfundebat gratia, ab hominibus « amaretur. » Isa. II, 2 : *Elevabitur super colles,* per vitæ altitudinem : *et fluent ad eum omnes Gentes.* Joan. XII, 32 :

Ego si exaltatus fuero a terra per vitæ sanctitatem, *omnia traham ad meipsum.* Quippe naturale est creaturæ quod de se dicit Creator, Prov. VIII, 17 : *Ego diligentes me diligo.* Et Seneca : « Si vis « amari, ama. » Sed boni malos amant, implentes illud Matth. v, 44 : *Diligite inimicos vestros, benefacite iis qui oderunt vos.* Vel mare mundus. Alibi, in Psal. CIII, 25 : *Hoc mare magnum, et spatiosum manibus.* Cor hujus maris, barbaræ et magis insciæ nationes, ad quas transierunt Apostoli. Act. XXII, 21 : *Vade, quoniam in nationes longe mittam te.*

4 « *Sonuerunt et turbatæ.* » Hic ostenditur necessitas consolationis duplex. Primo, Plebis turbatio in prædicatione Apostolorum. Secundo, Principum commotio, ibi, « *Conturbati sunt.* »

Dicit ergo : Sic Deus est consolatio, unde removetur turbatio a vobis, turbata Judæa, et Apostolis transeuntibus ad Gentiles, et necessaria est consolatio, quia « *sonuerunt* » prædicando Apostoli, illo sono. Psal. XVIII, 5 : *In omnem terram, exivit sonus eorum.* Et alibi, Psal. LXXVI, 18 : *Multitudo sonitus aquarum,* id est, doctrinarum, supple, facta est, *vocem dederunt nubes,* id est, prædicatores.

Et « *turbatæ sunt aquæ ejus,* » secundum aliam litteram, id est, maria, scilicet gentilitatis. Vel si est *eorum,* non fit relatio ad nomen maris, sed ad suppositum, scilicet Gentes, ut sit sensus : *Turbatæ sunt aquæ,* id est, plebs, minores, *eorum,* id est, Gentilium supra per mare significatorum. Apoc. XVII, 15 : *Aquæ quas vidisti, ubi meretrix sedet, populi sunt, et gentes, et linguæ.* Psal. LXIV, 8 et 9 : *Qui conturbas profundum maris.* Et alibi, Psal. LXIV, 9 : *Turbabuntur gentes, et timebunt qui habitant terminos a signis tuis.* Vel, « *aquæ,* » id est, doctrinæ, « *eorum,* » id est, Gentilium. Omnes enim turbatæ sunt, et quasi viles reputatæ, prædicata per Apostolos veritate. Vera enim sapientia, mundi sapientiam infamavit. I ad Corinth. I, 19 et seq. : *Perdam sapientiam sapientum, et prudentiam prudentium reprobabo*[1]. *Ubi sapiens ? ubi scriba ? ubi conquisitor hujus sæculi ? Nonne stultam Deus fecit sapientiam hujus mundi ?*

« *Conturbati sunt montes,* » id est, mundi principes, et sæculi potestates, « *in fortitudine ejus,* » id est, Christi, ostensa per Apostolos. Jerem. IV, 24 : *Vidi montes, et ecce movebantur, et omnes colles conturbati sunt.* Nahum, I, 5 : *Montes commoti sunt ab eo, et colles desolati sunt.*

Vel sic : Ita Gentilium plebs turbata est, « *et montes,* » id est, Apostoli, « *conturbati sunt,* » montes enim dicebantur in præcedenti versu : et hoc « *in fortitudine ejus,* » scilicet maris, id est, Gentilitatis. Et hoc verum est turbatione sensualitatis. Prov. XXV, 26. *Fons turbatus pede, et vena corrupta, justus cadens coram impio.* Et rationis, quantum ad ipsam dictum est, Proverb. XII, 21 : *Non contristabit justum quidquid ei acciderit.* II Machab. VI, 30 : *Duros corporis sustineo dolores : secundum animam vero propter timorem tuum libenter hæc patior.* Propter hoc ergo necessarium est refugium.

Varii status in Ecclesia

Hic notandum, quod quidam sunt in Ecclesia emeriti, quibus Dominus est in præmium. II ad Tim. IV, 7 : *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi : in reliquo reposita est mihi corona justitiæ.* Alii in probatione positi tamquam pugnantes adhuc, quibus est in auxilium. Psal. XLV, 2 : *Adjutor in tribulationibus,* etc. Alii sunt elisi et dejecti ab adversario, quibus est in elevationem secundum illud Psal.

[1] Cf. etiam ad Rom. I, 16 et Isa. XXIX, 14.

cxlv, 8 : *Dominus erigit elisos*, etc. Alii contriti, non tantum elisi, quibus est in sanationem. Psal. cxlvi, 3 : *Qui sanat contritos corde*. Ezech. xxxiv, 16 : *Quod confractum fuerit, alligabo*. Alii sunt timidi quibus est in refugium, sicut isti de quibus hic, et alibi, Psal. lxxxix, 1 : *Domine, refugium factus est nobis*. Proverb. xviii, 10 : *Turris fortissima nomen Domini : ad ipsum currit justus, et salvabitur*.

5 « *Fluminis impetus*. » Hic tangitur secundum beneficium, scilicet læta susceptio prædicationis per abundantem Spiritum sanctum in Ecclesiis Gentilium : unde dicuntur duo. Primo, abundans Spiritus sancti infusio ipsam lætificans. Secundo, prædicatio ipsam convertens, et instruens, ibi, « *Conturbatæ sunt Gentes*. »

In prima quatuor. Primo, lætificatio per Spiritus infusionem. Secundo, emundatio quæ necessario sequitur, ibi, « *Sanctificavit*. » Tertio, mundatæ conservatio ab immunditiæ recidivo, ibi, « *Deus in medio ejus*. » Quarto, conservatæ promotio in melius, ibi, « *Adjuvabit*. »

Dicit ergo : Sic sævit mare : sed Sancti non timent, sed magis lætantur, quia « *fluminis* » Spiritus sancti, qui fluvius dicitur, Joan. vii, 38 et 39 : *Qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ*. Et exponit Joannes : *Hoc autem dixit de Spiritu sancto, quem accepturi erant credentes in eum*. Hujus « *fluminis impetus*, » Act. ii, 2 : *Factus est repente de cœlo sonus, tamquam advenientis*, etc., « *lætificat civitatem Dei*, » id est, Ecclesiam militantem. Ad Galat. v, 22 : *Fructus autem Spiritus, gaudium et pax*, etc.

« *Sanctificavit*. » Ecce secundum. Quasi diceret : « *Lætificavit civitatem*, » et « *Altissimus*, » Christus scilicet, per illum fluvium, « *sanctificavit tabernaculum suum*, » idem quod civitas. Christus altissimus, quo nullus altior. Marc. xvi, 19 : *Assumptus est in cœlum, et sedet a dextris Dei*. Hic sanctificavit tabernaculum suum, Ecclesiam scilicet, quæ dicitur tabernaculum, quia in ea militatur. Job, vii, 1 : *Militia est vita hominis super terram*. Hos qui in tabernaculo sunt, sanctificavit, gratiam Spiritus sancti infundendo. Sophon. i, 7 : *Sanctificavit vocatos suos*. Et hoc innuit sanguinis effusione. Ad Hebr. xiii, 12 : *Jesus, ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est*. Propter hanc satisfactionem dicitur, I ad Corinth. iii, 17 : *Templum Dei sanctum est, quod estis vos*.

Et nota, quod est flumen vel fluvius malus. Culpæ, Psal. cxxxvi, 1 : *Super flumina Babylonis*, etc. Pœnæ, Psal. lxv, 6 : *In flumine tribulationum pertransibunt pede*. Doctrinæ, Gen. ii, 10 : *Et fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum*. Gratiæ Spiritus sancti, ut hic : « *Fluminis impetus*. »

« *Deus in medio ejus*. » Hic tertium, 6
scilicet mandata conservatio. Et primo, tangitur conservationis ratio et causa. Secundo, ipsa conservatio, tamquam effectus, ibi, « *Non commovebitur*. »

Dicit ergo : Sic sanctificavit tabernaculum, et « *Deus in medio ejus* » tabernaculi vel civitatis. Psal. x, 5 : *Dominus in templo sancto suo*. Et dicit, « *In medio*, » quia sicut illud quod est in medio, æqualiter a circumstantibus distat, sic Deus omnibus, qui in Ecclesia sunt, æqualiter subvenit, et omnes sine personarum acceptione adjuvat. Act. x, 34 : *Non est personarum acceptor Deus*. Sap. vi, 8 : *Pusillum et magnum ipse fecit, et æqualiter cura est illi de omnibus*. Matth. xviii, 20 : *Ubi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*. Gen. ii, 9 : *Lignum vitæ erat in medio paradisi*. Et ideo « *non commovebitur*, » civitas vel tabernaculum quantumcumque hic ab inimicis concussum. Matth. xvi, 18 : *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam : et*

portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Matth. VII, 24 et 25 : *Ædificavit domum suam supra petram, et descendit pluvia, et venerunt flumina, et flaverunt venti, et irruerunt in domum illam, et non cecidit : fundata enim erat super petram.*

« *Adjuvabit eam Deus,* » ad bonum faciendum. Quando ? « *Mane,* » hoc est, in principio boni operis, quia hoc necesse est. II ad Corinth. III, 5 : *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis, sed sufficentia nostra ex Deo est.* Ad Philip. II, 13 : *Deus qui operatur in vobis et velle, et perficere.* Sed quando adjuvabit ? Resp. « *Diluculo,* » id est, illuminatione gratiæ Spiritus sancti, qui est quasi diluculum. Hanc illuminationem senserat, qui dicebat supra, Psal. XXVI, 1 : *Dominus illuminatio mea,* etc. Ad Hebr. x, 32 : *Rememoramini pristinos dies, in quibus illuminati, certamen magnum sustinuistis passionum.* Vel secundum litteram Cassiodori : « Adjuvabit eam Deus vultu suo, » id est, præsentia sua per incarnationem, vel sui demonstratione per contemplationem.

7 Conversio Gentium ad fidem.

« *Conturbatæ sunt gentes.* » Hic secundum hujus partis, in quo præmisso consolationis bono, subjungitur beneficium conversionis Gentium ad fidem : et dicuntur duo. Primo, beneficium. Secundo, causa tanti beneficii, scilicet Dei consortium, ibi, « *Dominus virtutum nobiscum.* »

In prima tria quæ per ordinem se habuerunt. Primo, minorum de Gentibus salubris turbatio. Secundo, majorum humiliatio, ibi, « *Et inclinata sunt.* » Tertio, omnium ad fidem conversio, ibi, *Dedit vocem suam.* »

Dicit ergo : Hæc bona quæ prædixi, fient Ecclesiæ : et propter hoc videntes « *conturbatæ sunt Gentes,* » salubriter. Augustinus : « Quamvis perducere ad « bonum non poterat, quin animum ha« berent turbatum, propter antiquam « consuetudinem quam relinquere difficile « est. » Jerem. XIV, 19 : *Tempus curationis, et ecce turbatio.* Act. XIX, 23 : *Facta est illo tempore turbatio non minima de via Domini.*

« *Et inclinata sunt regna,* » id est, reges regnorum. II Esd. VIII, 6 : *Incurvati sunt, et adoraverunt Deum proni in terram.* Hæc inclinatio felix erectio est. Cassiodorus : « Tantum unusquisque « erigitur, quantum illa satisfactione « curvatur. » Isa. XLIX, 23 : *Vultu in terram demisso adorabunt te.*

« *Dedit vocem suam.* » Prædicationem fecit per Apostolos, tamquam tonitruum de nubibus. Psal. XVII, 14 : *Intonuit de cœlo Dominus, et Altissimus dedit vocem suam.* Et dicit, « *Dedit,* » tamquam munus magnum. Eccli. XVIII, 17 : *Nonne ecce verbum super datum bonum.*

« *Mota est terra,* » id est, Gentilium terrena corda, transeuntia ab infidelitate ad fidelitatem. Isa. LXVI, 5 : *Audite verbum Domini qui tremitis ad verbum ejus.* Eccli. XLIII, 18 : *Vox tonitrui ejus verberabit terram.* Job, XXXVII, 1 : *Super hoc expavit cor meum, et emotum est de loco suo,* de infidelitate ad fidelitatem transiens.

Plus ergo potuit tonitruum nubium, quam garritus ranarum, scilicet infidelium. Augustinus : « Arreptitii idolorum « tamquam ranæ de paludibus persona« bant tanto tumultuosius, quanto sordi« dius. Et quid strepitus ranarum ad to« nitruum nubium ? » Quasi diceret : Nihil.

« *Dominus virtutum nobiscum.* » Hic secundum, scilicet ratio quare conversi sint, et vera causa Dei associatio, et præsentia per Incarnationem. Nihil enim tam mundum ad conversionem attraxit, quam hoc quod Deus homo fieri voluit. Duo ergo dicuntur. Primo, conversatio cum hominibus. Secundo, conversandi modus, ibi, « *Susceptor noster.* »

Dicit ergo : Sic voce data sunt moti, et unde hoc ? Quia « *Dominus virtutum,* » id est, cui virtutes Angelicæ serviunt, Dan. VII, 10 : *Millia millium ministrabant ei, et decies centena millia assistebant ei.* Daniel. IV, 32 : *Juxta voluntatem suam facit, tam in virtutibus cœli, quam in habitatoribus terræ.* « *Nobiscum,* » connumeratur prædicatoribus. Vel, « *nobiscum,* » cum omnibus hominibus. Sed quomodo ? « *Deus Jacob susceptor meus,* » id est, naturæ meæ. Supra, in Psal. XXIX, 2 : *Exaltabo te, Domine, quoniam suscepisti me.*

nobis- multis dis. Nota ergo, quod Deus est « *nobiscum* » carnis susceptione, Matth. I, 23 : *Ecce Virgo concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum, Nobiscum Deus* [1]. Conversationis exterioris confortatione, Baruch, III, 38 : *Post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est.* Nostri inhabitatione, Joan. I, 14 : *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis.* Isa. VIII, 10 : *Loquimini verbum, et non fiet : quia nobiscum Deus.* Sacramenti præsentia et perceptione, Matth. XXVIII, 20 : *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi.* Doctrinæ exhibitione, Joan. XIV, 9 : *Tanto tempore vobiscum sum,* etc. Tribulationum dulcoratione, Psal. XC, 15 : *Cum ipso sum in tribulatione.* Hæc est farinula Elisei, quæ dulcoravit pulmentum amarissimum (IV Reg. IV, 41). Bonorum cooperatione, Joan. XV, 5 : *Sine me nihil potestis facere.* I ad Cor. XV, 10 : *Non ego autem, sed gratia Dei mecum.*

9 ecunda pars salmi : numeratis cclesiæ eneficiis hortatio l fidem.

« *Venite, et videte.* » Hic est secunda pars, in qua postquam præcessit narratio beneficiorum Dei, subjungitur invitatio ad credendum : et loquitur de beneficiis factis in tempore Incarnationis : et dicuntur tria. Primo, invitatio per Prophetam ad considerandum Dei opera. Secundo, introductio Dei ad hoc ipsum invitantis, ibi, « *Vacate, et videte.* » Tertio, fructus et utilitas utriusque invitationis, ibi, « *Dominus virtutum,* » per confessionem ipsorum qui erant invitati.

In prima duo. Primo invitat ad videndum Dei mirabilia. Secundo, specificat illa, ibi, « *Auferens bella.* »

In prima duo. Primo invitat ad videndum opera simpliciter. Secundo, ne credatur quod ad omnia determinat, quia tantum miraculosa, ibi, « *Qui posuit.* »

Et in prima primo vocat ut veniant. Secundo, ut videant opera Domini, ibi, « *Et videte.* »

Dicit ergo : Sic susceptor noster est. Numquid aliquid magnum fecit ? Utique, « *venite,* etc. » Vel sic quia nobiscum est susceptor, ergo non tardemus, imo « *venite, et videte.* » Vel sic : Sic dedit vocem suam. Quam ? Hanc, « *venite,* » omnes, nullus remaneat. Cassiodorus : « Ad magnum nescio quod spectaculum « universitas advocatur. » « *Venite* » ergo primo per fidem, II ad Cor. V, 7 : *Per fidem ambulamus, et non per speciem.* Et tunc « *videte,* » oculo mentis intelligite : aliter enim non poteritis intelligere, nisi prius credatis. Isa. VII, 9 : *Si non credideritis, non permanebitis.* Et quid vis nos videre ? « *Opera Domini,* » tempore Incarnationis facta : ne sitis de illis de quibus improperat, Isa. V, 12 : *Cithara et lyra et tibia et vinum in conviviis vestris : et opus Domini non respicitis,* sicut ille qui dicit, Psal. CXXXVIII, 14 : *Mirabilia opera tua, Domine, et anima mea cognoscit nimis.* Sed quæ quotidie facit ? sed hæc videmus. Non : imo, « *prodigia quæ posuit super terram.* » Act. IV, 30 : *Manum tuam extendas ad sanitates, et signa et prodigia fieri per nomen sancti filii tui Jesu.*

[1] Cf. Isa. VII, 14.

10 Prodigia duo ad endenda, destructio idololatriæ.

« *Auferens bella.* » Hic secundum, in quo subjungit quæ erunt illa prodigia, quia duo. Primum est destructio fidem impugnantium. Secundo, errorem defendentium, ibi, « *Et scuta.* »

In prima duo. Primo dicit quod bella contra fidem destruet. Secundo, quomodo, ibi, « *Arcum conteret.* »

Dicit ergo : Videte prodigia. Quænam sunt illa ? Hæc : quia « *auferens,* » supple, erit, » *bella* » spiritualia, quibus veritas fidei impugnatur. Quis enim dubitat per adventum Christi in toto orbe idololatriam periisse ? Isa. XIX, 1 : *Ecce Dominus ascendet super nubem levem, et ingredietur Ægyptum, et commovebuntur simulacra Ægypti.* Daniel. II, 34 : *Abscissus est lapis de monte sine manibus : et percussit statuam in pedibus ejus ferreis et fictilibus, et comminuit eos.* Auferens autem non tantum in una parte terræ, sed « *usque ad finem terræ.* » Isa. XXIV, 16 : *A finibus terræ laudes audivimus, gloriam justi.* Potest etiam intelligi de bellis corporalibus, quæ Christus in primo adventu destruxit, usque ad fines terræ ubique pax erat. Hieronymus : « In « adventu Domini omnia bella quievisse, « multorum narrat historia : » quod congruebat, quia Isa. IX, 6, dicitur : *Vocabitur nomen ejus Deus fortis, pater futuri sæculi, princeps pacis.* Isa. LX, 17 : *Ponam visitationem tuam pacem, et præpositos tuos justitiam.*

« *Arcum conteret.* » Hic secundum, in quo ostendit modum. Quasi diceret : Nunc auferet bella, quia « *arcum conteret,* » id est, occultas contra fidem et fideles insidias. Zachar. IX, 10 : *Dissipabitur arcus belli.*

« *Et confringet arma,* » apertas scilicet impugnationes. Osee, II, 18 : *Arcum, et gladium, et bellum conteram de terra.*

« *Et scuta.* » Ecce secundum, in quo prædicit eum destructurum erroris defensionem, quæ significatur in scuto. Quasi diceret : Non tantum destruet fidem impugnantes, imo « *et scuta,* » errorum scilicet defensiones, et defensores, de quibus satis, Job, XLI, 6 : *Corpus ejus,* scilicet diaboli, *quasi scuta fusilia, compactum squamis se prementibus.* Ista scuta « *comburet igni* » Spiritus sancti, errores et defensiones annihilans, et defensores convertens per ignem Spiritus sancti, qui est charitas. Luc. XII, 49 : *Ignem veni mittere in terram, et quid volo, nisi ut accendatur ?* Psal. LXXV, 4 : *Confregit potentias arcuum, scutum, gladium, et bellum.* Vel totum posset intelligi ad litteram juxta prophetiam Isa. II, 4 : *Non levabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad prælium,* de bello materiali.

11 Attendenda duo quæ Deus in se et in aliis.

« *Vacate et videte.* » Hic secundum totius hujus partis, in quo introducitur Deus invitans ad considerationem magnitudinis suæ : et dicuntur tria. Primo invitat ut se præparent. Secundo, ut præparati videant, ibi, « *Et videte.* » Tertio ostendit quid debent videre, ibi, « *Quoniam ego sum Deus.* »

Dicit ergo : Sic vos invitavi, sed etiam ipse « *Dominus dedit vocem suam.* » Quam ? Hanc : « *vacate,* » a bellis, ad litteram, ex quo non sunt arma : « *et videte,* » intellectu mentis. Quid ? Duo : Quid sim modo in me. Quid futurus in aliis, ibi, « *Exaltabor.* » « *Videte* ergo *quoniam ego sum Deus,* » non vos, sed tantum imago Dei. Eccli. XVII, 1 : *Deus creavit de terra hominem, secundum imaginem suam fecit illum.* Nec idola, imo dæmonia sunt. Psal. XCV, 5 : *Omnes dii Gentium dæmonia.*

« *Exaltabor in Gentibus.* » Tandem convertentur ad cognitionem et fidem de cœlestibus habendam. Psal. LXIII, 7 : *Accedet homo ad cor altum, et exaltabitur Deus.* Psal. CXII, 4 : *Excelsus super omnes gentes Dominus.* Isa. XI, 10 : *In die illa erit radix Jesse, qui stat in signum populorum : ipsum Gentes deprecabuntur.* Malach. I, 11 : *A solis ortu usque ad occasum magnum est nomen*

meum in Gentibus, et in omni loco offertur nomini meo oblatio munda.

« *Et exaltabor in terra* » promissionis in Judæa et Judæis, quando in fine mundi convertentur ad fidem Dei. Ad Rom. xi, 25 : *Cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo Gentium intraret : et sic omnis Israel salvus fieret.* Vel moraliter potest legi secundum Glossam : « *Vacate* « a peccato, et membra vestra non detis « arma diabolo. » Ad Roman. vi, 13 : *Neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato.* « *Vacate* » etiam a statu turbulento mundi. Eccli. xi, 10 : *Fili, ne in multis sint actus tui.* Et tunc « *videte :* » alias non poteritis. Hoc maxime, « *quoniam ego sum Deus* » exaltandus in omni gente. III Reg. xix, 11 et seq. : Elias in turbine Deum videre non potuit. Eccli. xxxviii, 25 : *Sapientia scribæ in tempore vacuitatis.* Sic ergo « *vacate,* » et non sitis otiosi propter hoc : imo, « *videte.* » Eccli. xxxiii, 29 : *Multam malitiam docuit otiositas.* « *Videte,* » inquam, infirmitatem vestram, sicut ille qui dicebat. Sap. ix, 5 : *Servus tuus sum ego, et filius ancillæ tuæ, homo infirmus, et exigui temporis.* Et meam potentiam : quia ego qui te feci, reficiam te, non tu te. Augustinus : « Ego « feci, ego reficio : si non potuisti facere « te, quomodo poteris te reficere ? » I ad Corinth. xv, 10 : *Gratia Dei sum id quod sum.* Quippe non est minus reficere, quam facere : quia I ad Corinth. xiii, 2 : *Si charitatem non habuero, nihil sum.*

« *Dominus virtutum.* » Hic tertium 12
secundæ partis, fructus et utilitas sequens ex utraque invitatione, scilicet confessio populi facta de duobus. De Dei præsentia primo. De natura humana suscipienda, et sibi unienda secundo, ibi, « *Susceptor noster.* »

Dicit ergo : Sic exaltaberis in Gentibus. Ergo dicere et confiteri debemus, ut video : « *Dominus virtutum,* » scilicet Angelorum, qui multæ sunt virtutis. Psal. cii, 20 : *Benedicite Domino, omnes Angeli ejus, potentes virtute.* « *Nobiscum,* » per benignam præsentiam suam, et inde nobis securitas intrandi ad gloriam. Judith, xiii, 13 : *Aperite portas, quoniam nobiscum Deus, qui fecit virtutem in Israel.* « *Susceptor noster,* » unde speramus veniam et susceptionem illam de qua Jerem. iii, 1 : *Tu autem fornicata es cum amatoribus multis, tamen revertere ad me, dicit Dominus et ego suscipiam te.* « *Deus Jacob,* » populi scilicet luctatoris, non solum contra carnem, sed contra dæmonem. Ad Ephes. iv, 3 : *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem : sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum.*

PSALMUS XLVI.

Deus omnis terræ Dominus ; ipsi psallendum.

1. *In finem, pro filiis Core, Psalmus.*
2. Omnes gentes, plaudite manibus : jubilate Deo in voce exsultationis.
3. Quoniam Dominus excelsus, terribilis, Rex magnus super omnem terram.
4. Subjecit populos nobis, et gentes sub pedibus nostris.
5. Elegit nobis hæreditatem suam : speciem Jacob quam dilexit.
6. Ascendit Deus in jubilo [1], et Dominus in voce tubæ.
7. Psallite Deo nostro, psallite : psallite Regi nostro, psallite.
8. Quoniam rex omnis terræ Deus, psallite sapienter.
9. Regnabit Deus super gentes : Deus sedet super sedem sanctam suam.
10. Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham : quoniam dii fortes terræ vehementer elevati sunt.

IN PSALMUM XLVI

COMMENTARIUS.

1 *In finem, pro filiis Core, Psalmus* [2].

« *Omnes gentes plaudite manibus.* »

Argumentum Psalmi. Exhortatio ad Dei laudem.

In præcedenti Psalmo quadragesimo quinto invitavit ad fidem arcanorum filios Core, hic autem, in hoc scilicet quadragesimo sexto, invitat eos omnes ad Dei laudem. Unde sic exponendus est titulus qui præmittitur huic Psalmo. Hic est « *Psalmus David,* » litteralis, vel in sua persona, vel in persona Apostolorum loquentis, vel cujuslibet fidelis, editus. « *Pro filiis Core,* » pro gentibus conversis ad Core, id est, ad Christum, et sic ejus filiis factis, dirigens eos « *in finem,* » id est, ad laudem Dei, ad quam finaliter sunt facti, secundum illud Isa. XLIII, 21 :

[1] Psal. LXXVII, 2 ; Matth. XIII, 35.

[2] L'examen du texte, dit M. l'abbé Lesêtre, démontre que le Coraïte composa ce psaume à la suite d'une grande victoire, due surtout à l'intervention divine ℣℣. 4, 5, Il ne peut donc être question ici ni du transport de l'arche à Sion sous David, ni de son transfert dans le temple de Salomon (Patrizi), ni de la dédicace du second temple (D. Calmet). L'événement qui, au jugement de Delitzsch, Moll, Thalhofer, et de la plupart des modernes, répond

Populum istum formavi mihi, laudem meam narrabit : quia etiam laus est finis qui non finietur. Augustinus in capite ultimo de *Civitate Dei* : « Videbimus, et « amabimus, et laudabimus. Ecce quid « erit in fine sine fine. »

Psalmus autem in duas partes dividitur. Primo invitat ad Dei laudem, multiplicem assignans laudis rationem. Secundo, ostendit Christi sublimitatem, et Ascensionem, unde iterato invitat ad laudis fervorem et instantiam, ibi, « *Ascendit Deus in jubilo.* »

In prima duo. Primo invitat omnes gentes ad Dei laudem. Secundo, assignat Dei laudis multiplicem rationem, ibi, « *Quoniam excelsus Dominus,* »

In prima tria. Primo invitat ad laudem operis. Secundo, cordis, ibi, « *Jubilate.* » Tertio, oris sive vocis, ibi, « *In voce exsultationis.* »

2 Prima pars Psalmi. Dicit ergo : Tot et tanta beneficia fecit nobis sponsus, quæ in antecedentibus præmisi, et propter hoc o vos « *Gentes,* » non paucos, sed « *omnes,* » ut « sicut fuit « commune beneficium, sic et sit com- « mune laudis officium, » sicut dicit Gregorius. Psal. CXVI, 1 : *Laudate Dominum omnes gentes, laudate eum omnes populi.* « *Plaudite manibus,* » id est, operamini bona, et hoc hilariter, et lætanter, quod est Deum laudare. II ad Cor. IX, 7 : *Non ex tristitia, aut necessitate : hilarem enim datorem diligit Deus.* Isa. LV, 12 : *Omnia ligna regionis plaudent manu.*

Varii plaudendi modi. Et nota hic, quod est plausus malus : irrisionis, Thren. II, 15 : *Plauserunt super me manibus transeuntes per viam.* Adulationis, Jerem. V, 31 : *Prophetæ prophetaverunt mendacium : sacerdotes applaudebant manibus.* Levitatis seu dissolutionis, Isa. III, 16 : *Pro eo quod ambulaverunt filiæ Sion extento collo, et nutibus oculorum ibant, et plaudebant manibus.* Fatuitatis, Proverb. XVII, 18 : *Homo stultus plaudet manibus cum spoponderit pro amico suo.* Hi modi plaudendi mali. Sed etiam est plausus excitationis, Judith, XIV, 9 et 10, Plausum fecit eunuchus Holofernis, ante tentorium ejus, ut eum excitaret. Exsultationis quasi naturalis in prosperitate, IV Reg. XI, 12 : *Fecerunt eum regem, et unxerunt : et plaudentes manu, dixerunt : Vivat Rex.* Hi modi indifferentes. Sed est plausus bonæ et lætanter factæ operationis, de quo hic, et in Psal. XCVII, 8 : *Flumina plaudent manu.*

Nec tantum « *manibus plaudite,* » imo « *jubilate Deo,* » corde, in Deum exsultando, quod est ipsum corde laudare, et tanto gaudio quod sit jubilus : jubilus enim est cordis gaudium tantum, quod nec omnino sileri potest nec totum exprimi. Cassiodorus : « *Jubilare* gaudere est, sic « dictum a juvando, id est, delectando. » Jubilare enim Deo, gaudere in Deo, et in ipso delectari corde. Isa. XLIV, 23 : *Laudate cœli... jubilate extrema terræ, resonate*

le mieux aux idées exprimées dans le psaume, est la victoire remportée contre les Ammonites et les Moabites sous Josaphat, II Paral. XX. Le livre historique raconte qu'en face de ces terribles ennemis, le roi recourut tout d'abord au Seigneur, ℣. 3, qui promit d'intervenir, ℣. 17 ; les agresseurs périrent dans leurs propres pièges, ℣. 22, et Josaphat, à la tête du peuple, après avoir remercié le Seigneur dans la vallée de Bénédiction, ℣. 26, retourna à Jérusalem, et tous ensemble, roi et sujets, « ingressi sunt in Jerusalem, cum psalteriis, et citharis, et tubis in domum Domini, » ℣. 28. C'est ce retour triomphal de l'arche que le psaume célébrerait. Cette hypothèse est d'autant plus probable que les fils de Coré assistaient à l'expédition, ℣. 19.

L'attention des Pères se porte surtout sur le sens spirituel du psaume appliqué au Messie. D'après Eusèbe, qui les résume tous, Demonst. Evang. VI, 2, le psalmiste chante le Fils de Dieu qui soumet les nations à son Eglise, ℣℣. 4, 5, qui, son œuvre accomplie, remonte au ciel au milieu des concerts des Anges et des prédicateurs de l'Evangile, ℣. 6, et qui ensuite, étend son royaume par toute la terre par la conversion des Gentils, ℣℣. 9, 10. Plusieurs passages du texte ne peuvent même être pris à la lettre qu'avec cette interprétation.

montes laudationem. Et hoc, « *in voce exsultationis,* » ut sit vox etiam oris. Supra, in Psal. xli, 5 : *In voce exsultationis et confessionis, sonus epulantis.* Et nota, quod non dicit *in sermone,* qui est vox formata ex discretione, sed « *in voce,* » quæ si sit animalis, non distinguitur, quia Hieronymus dicit : « Nec « verbis nec litteris nec syllabis potest « comprehendi gaudium cordis jubilan- « tis. » I Pet. i, 8 : *Credentes exsultabitis lætitia inenarrabili.*

3 Variæ laudis causæ.

« *Quoniam Dominus excelsus.* » Hic secundum, in quo supponit causas laudis. Et primo sumit causas laudis ex ipso. Secundo, ex effectu suo, ibi, *Subjecit populos nobis.* »

In prima tria. Primo, quia laudandus est ratione potestatis. Secundo, ratione terribilitatis, ibi, « *Terribilis.* » Tertio, ratione dignitatis, ibi, « *Et rex magnus.* »

Dicit ergo : Sic laudate opere, corde, et sermone, et demonstratione, et debetis. Quoniam « *Dominus excelsus,* » potestate, quamvis latens erit in sua passione sub carnis infirmitate. Habac. iii, 4 : *Cornua in manibus ejus, ibi abscondita est fortitudo ejus.* Job, xxii, 17 : *Quasi nihil posset facere Omnipotens, æstimabant eum.* Et iterum excelsus potestate, ut possit quidquid velit. Ad Roman. ix, 19 : *Voluntati ejus quis resistit ?* Esth. xiii, 9 : *Non est qui possit tuæ resistere voluntati.*

« *Terribilis :* » propter quod et laudandus, quamvis lateat sub mansuetudine agnus in ipsa passione. Jerem. xi, 19 : *Ego quasi agnus mansuetus qui portatur ad victimam.* Et Isa. liii, 7 : *Quasi agnus coram tondente se obmutescet.* Sed apparuit in Ascensione secundum illud Psal. xlvii, 6 : *Ipsi videntes, sic admirati sunt, conturbati sunt, commoti sunt,* etc. Sed magis apparebit in districta judicii discussione. Psal. lxxv, 8 : *Tu terribilis es, et quis resistet tibi ? ex tunc ira tua.*

« *Et rex magnus* » dignitate, quamvis lateat sub derisione. Matth. xxvii, 29 : *Et genuflexo ante eum, illudebant ei dicentes : Ave Rabbi.* Sed tamen Rex apparet in conversione omnium ad fidem. « *Super omnem terram.* » Apoc. xix, 16 : *Rex regum, et Dominus dominantium.* Et quod plus est, super ipsos deos putativos, quos omnes exstirpavit. Unde alibi, Psal. xciv, 3 : *Et rex magnus super omnes deos,* non regales : quod expressum fuit in titulo tribus linguis scripto, capiti apposito in sua passione [1].

« *Subjecit populos.* » Hic secundum, in quo subjungit causas ab affectibus sumptas : et sunt tria. Primo, Gentium subjectio. Secundo, subjectarum humiliatio, non rebellio, ibi, « *Et Gentes* » Tertio, æternorum bonorum præparatio, ibi, « *Elegit nobis.* » 4

Primum autem dupliciter legitur. Primo, ut loquatur tota Ecclesia universaliter. Secundo, ut Apostoli specialiter. Similiter et secundum.

Dicit ergo : Sic laudandus est, quia talis in se, et etiam « *subjecit nobis :* » præteritum pro futuro. Et loquitur universalis Ecclesia. « *Populos,* » extra Ecclesiam degentes : petunt enim ibi frequenter ab Ecclesia subveniri. Isa. xli, 1 : *Subjiciam ante faciem ejus* gentes, et dorsa *regum vertam.* Nec mirum si populos subjecit, quia et ipsos dæmones, Luc. x, 17 : *Etiam dæmonia subjiciuntur nobis.* Isa. lx, 14 : *Venient ad te curvi filii eorum, qui humiliaverunt te.* Et non tantum hoc : imo « *Gentes subjecit sub pedibus nostris,* » ipsas subjectione humiles reddendo, non rebelles. Isa. xxviii, 3 : *Pedibus con-*

[1] Cf. Joan. xix, 20.

culcabitur corona superbiæ ebriorum Ephraim. Quippe ipsos dæmones conculcat Ecclesia. Luc. x, 19 : *Dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes.* Psal. xc, 13 : *Super aspidem et basiliscum ambulabis, et conculcabis leonem et draconem.* Ad Roman. xvi, 20 : *Deus conteret satanam sub pedibus vestris.* Vel sic, ut loquantur Apostoli : « *Subjecit populos,* » id est, Gentiles, « *nobis,* » qui sumus de Judæa. Passi enim et afflicti a suis, honorati sunt a Gentibus alienis. Matth. xiii, 57 : *Non est Propheta sine honore, nisi in patria sua, et in domo sua.*

« *Et Gentes.* » Eosdem *Gentes* dicit quos ante *populos.* « *Sub pedibus nostris,* » id est, sub prædicationibus, ut quasi stantes ad pedes audirent prædicationes, et obedirent. Luc. x, 39 : *Maria autem sedens secus pedes Jesu, audiebat verbum illius.* Ad Roman. vi, 17 : *Fuistis servi peccati : obedistis autem ex corde in eam formam doctrinæ, in quam traditi estis.* Prædicationes etiam dicuntur *pedes* : quia per illas veniunt prædicatores usque ad corda hominum. Infra, in alio Psal. lxxii, 7 : *Transierunt in affectum cordis.*

5 « *Elegit nobis.* » Hic tertium beneficium, scilicet eligendi modum. Legitur enim primo secundum quod loquitur tota Ecclesia, et sic hæreditas est vita æterna. Vel secundum quod loquuntur Apostoli, et sic hæreditas appellantur ipsi populi.

Secundum primum modum duo dicuntur. Primo, præparata vita æterna ostenditur. Secundo, quodam modo describitur, ibi, « *Speciem Jacob.* »

Dicit ergo : Hæc bona fecit, et quod majus est, « *elegit* » dare « *nobis,* » non aliis, « *hæreditatem suam,* » vitam scilicet æternam. Joan. xv, 16 : *Ego elegi vos de mundo.* Ad Eph. i, 4 : *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem :* ad quid determinatur, ad Rom. viii, 17 : *Si filii, et hæredes : hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.* Jerem. iii, 19 : *Tribuam tibi terram desiderabilem, hæreditatem præclaram.* I Pet. i, 3, 4 : *Regeneravit nos in spem vivam, per resurrectionem Jesu Christi ex mortuis, et hæreditatem incorruptibilem et incontaminatam, et immarcescibilem, conservatam in cœlis in vobis.*

Sed qualis est illa hæreditas quam dedit ? « *Speciem,* » id est, pulchritudinem, « *Jacob,* » id est, populi Christiani, cujus est desiderare, non hanc inferiorem pulchritudinem de qua Augustinus : « Amor « inferioris pulchritudinis polluit animam : sed magis illam superiorem, et « æternam. » Ad Coloss. iii, 1, 2 : *Quæ sursum sunt, quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens : quæ sursum sunt, sapite, non quæ super terra.* Num. xxiv, 5 : *Quam pulchra sunt tentoria tua Jacob.* Vere pulchra, quia ibi fulget Christus super alios, sicut sol ad stellas. De aliis quippe dicitur, I ad Corinth. xv, 41 : *Stella a stella differt in claritate.* De Christo autem, Apocal. x, 1 : *Iris in capite ejus, et facies ejus erat ut sol.* « *Quem,* » inquam, « *Jacob dilexit.* » Ad Rom. ix, 13 : *Jacob dilexi, Esau autem odio habui.* Vel « *quam* » speciem ipse Dominus dilexit.

Alio modo de Apostolis sic : « *Elegit nobis* » dare « *hæreditatem suam,* » scilicet Gentium multitudinem, de qua in Psal. ii, 8 : *Dabo tibi Gentes hæreditatem tuam.* Ad hoc elegit dare ut eam colerent ut coloni. Matth. xxi, 41 : *Malos male perdet, et vineam suam locabit aliis agricolis,* Apostolis. Sed quam hæreditatem, speciem Jacob, id est, similes Jacob in fide, et per Jacob designatos. « *Quam dilexit,* » vel « *quem,* » sicut prius : non illam pessimam hæreditatem de qua Jerem. xii, 8 : *Facta est mihi hæreditas mea quasi leo in sylva.*

« *Ascendit Deus in jubilo.* » Hic se- 6
cundum, in quo ostendens Christi ascen- Secunda pars

Psalmi : Ascensio Christi.

sionem, invitat ad fervorem laudis, et frequentiam.

Unde duo dicuntur. Primo ostendit Christi potentiam ascendentis. Secundo, subjungit invitationem ad laudem merito, ibi, « *Psallite Deo nostro,psallite.* »

In prima duo. Primo, quia ascendit in gaudio ineffabili hominum. Secundo, quia in aperta lætitia Angelorum, ibi, « *Et Dominus.* »

Dicit ergo : Vere subjecit populos nobis, et gentes, et potuit, quia « *ascendit Deus,* » virtute propria, non portatus fuit. Ad Eph. IV, 9 : *Quod autem ascendit, quid est nisi quia et descendit primum in inferiores partes terræ.* Imo potius alios secum quasi traxit, et portavit. In eodem, ℣. 8 : *Ascendens* Christus *in altum, captivam duxit captivitatem.* Et in Psal. LXVII, 5 : *Qui ascendit super occasum : Dominus nomen illi.* Et hoc, « *in jubilatione,* » id est, admirativo Apostolorum gaudio, quod nec omnino taceri poterat, nec totum exprimi. Augustinus : « Quid est « jubilatio, nisi admiratio gaudii, quæ « vobis non potest explicari? Quis enim « posset exprimere quantum gaudebant « videntes ascendentem, quem planxe« rant paulo ante in sepulcro jacentem? » Job, XXXIII, 26 : *Videbit faciem ejus ascendentis in jubilo.* Hoc gaudium repræsentat Ecclesia festis præcipuis, super unam syllabam frangens vocem pluribus modis, sicut in Natali, in *Tamquam sponsus.* Isa. XLIX, 13 : *Exsulta terra, jubilate montes laudem, quia consolatus est Dominus populum suum.*

« *Et Dominus in voce tubæ,* » supple, ascendit, hoc est, in manifesto Angelorum canore et exsultatione, sicut tuba sonum dat manifestum. Act. I, 11 : *Viri Galilæi, quid statis adspicientes in cœlum?* etc.

Variæ Christi ascensiones.

Nota autem, quod Christus ascendit : primo, in Incarnatione, Isa. XIX, 1 : *Dominus ascendet super nubem levem.* Ascendit in nativitate de utero virginali, Isa. LIII, 2 : *Ascendet sicut virgultum coram eo, et sicut radix de terra sitienti.* Sitiens terra, Virgo Maria. In baptismate, Matth. III, 16 : *Baptizatus autem Jesus, confestim ascendit de aqua.* In prædicatione, Matth. V, 1 : *Videns Jesus turbas, ascendit in montem.* In oratione facienda, Matth. XIV, 23 : *Ascendit in montem solus orare.* Luc. XXII, 39 : *Ibat secundum consuetudinem in montem Olivarum,* ut oraret. In transfiguratione, Matth. XVII, 1 et 2 : *Assumit Jesus Petrum, et Jacobum, et Joannem fratrem ejus, et ducit illos in montem excelsum seorsum : et transfiguratus est ante eos.* In cruce, Cant. VII, 8 : *Ascendam in palmam, et apprehendam fructus ejus.* Psal. LXVII, 5 : *Qui ascendit super occasum : Dominus nomen illi.* Occasus mors, hoc est, crux. In inferni spoliatione, Genes. XLIX, 9 : *Ad prædam, fili mi, ascendisti.* In ascensione sicut hic dicitur, et Marc. XVI, 19. Et tunc ascendit patenter, Act. I, 9 : *Videntibus illis, elevatus est.* Potenter secundum illud Psal. XX, 14 : *Exaltare, Domine, in virtute tua.* Lætanter, sicut hic dicitur : « *Ascendit Deus in jubilo,* etc. » Festinanter, Psal. XXII, 11 : *Ascendit super Cherubim et volavit, volavit super pennas ventorum.*

« *Psallite Deo nostro.* » Hic secundum, scilicet invitatio post ostensam magnificentiam ad laudandum.

Et primo, monet ad laudandum. Secundo, subjungit modum, et causam talis modi, ibi, « *Quoniam rex.* »

In prima duo. Primo invitat quod laudent Christum Deum. Secundo, quod laudem repetant ipsi homini, ibi, « *Psallite regi nostro.* »

Dicit ergo : Sic ascendit Angelis laudantibus, et hominibus, et propter hoc quicumque estis, «*psallite Deo nostro,*» secundum divinitatem : et hoc ore. « *Psallite,* » et hoc corde. Jacob. V, 13 : *Tristatur aliquis vestrum, oret æquo animo, et psallat.* I ad Corinth. XIV, 15 : *Psallam spiritu, psallam et mente.* Aliter parum valet, si non sit interius in

littera dulcedo devotionis aliqua. Bernardus : « Mel in terra, spiritus in littera. » Aliter enim littera occidit, si absque spiritus sapore degluttitur. Luc. xxiv, 42 : *Obtulerunt ei favum mellis.*

« *Psallite regi nostro,* » id est, Christo secundum humanitatem, quoniam rex est. « *Psallite.* » Ecce crebra repetitio, nec tamen otiosa, sicut dicit Cassiodorus : « Non vacat quod toties *Psallite* « repetitur. Agnoscitur enim quam utile, « quam salubre sit opus, quod tam cre- « bra voluit iteratione repetere. » Isa. xxiii, 16 : *Bene cane, frequenta canticum.* Psal. xxxiii, 2 : *Benedicam Dominum in omni tempore : semper laus ejus in ore meo,* etc.

8 « *Quoniam rex omnis terræ.* » Hic secundum, in quo ostendit causam et modum psallendi. Causa autem est potestas regia in Deo. Secundum hoc dicuntur quatuor. Primo, regia dignitas tamquam causa psallendi. Secundo, modus psallendi, ibi, « *Psallite.* » Tertio, latitudo potestatis, et dignitatis Christi, ibi, « *Regnabit Deus.* » Quarto, modus dilatandi sic regnum ad aliquam partem sui, ibi, « *Principes populorum.* »

Dicit ergo : Dixi, quod psallatis Deo, et « *quoniam* » Deus omnium per creationem. Malach. ii, 10 : *Numquid non Deus unus creavit nos ?* Est « *rex omnis terræ,* » non tantum Judææ, vel alicujus alterius partis, regens ubique totum. Apoc. xii, 5 : *Peperit filium masculum, qui recturus erat omnes gentes in virga ferrea.* Sap. viii, 1 : *Attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter.* Quoniam, inquam, talis, « *psallite sapienter,* » non insipienter. Augustinus : « Quando homo sensatus canta- « bat lapidi insensato, numquid sapien- « ter cantabat ? » De hac insipientia, Sap. xiii, 17 : *Non erubescit loqui cum illo qui sine anima est.* Et pro sanitate quidem infirmum deprecabatur, et pro vita mortuum rogat, et in adjutorium inutilem invocat, et pro itinere petit ab eo qui ambulare non potest. Vel secundum Cassiodorum : « Psallite sapienter, « ut intelligatis corde, quæ profertis in « ore, ne dicatur de vobis illud Isa. xxix, « 13 : *Populus hic labiis suis me glorificat, cor autem eorum longe est a me.* »

Quinque modis psallendum.

Et nota, quod quinque modis est psallendum. Primo, in luctu exteriori, et gaudio interiori, Jacob. v, 13 : *Tristatur aliquis vestrum, oret æquo animo, et psallat.* Secundo, in mortificatione carnis hilariter, II Machab. i, 30 : *Sacerdotes psallebant hymnos, usquequo consumptum esset sacrificium.* Tertio, in jucundo obsequio proximi, I Reg. xvi, 23, David psallebat manu, et Saul levius habebat [1]. Quarto, in exhortatione spirituali, Ad Coloss. iii, 16 : *Commonentes vosmetipsos, in psalmis, hymnis et canticis spiritualibus.* Quinto, in contemplatione Dei, sicut dicitur hic : « *Psallite sapienter.* » Et propter hos quinque modos dicitur hic forsitan quinquies « *Psallite.* »

« *Regnabit Deus.* » Hic latitudo tan- 9
gitur : et dicuntur duo. Primo, regni dignitas in inferioribus. Secundo, in superioribus, ibi, « *Deus sedet.* »

Ait ergo : Sic psallite, nec hæsitetis de magnitudine ejus cui psallitis. Quoniam « *regnabit Deus super Gentes,* » ipsas regendo, et « *omnes.* » Habet autem *omnis* littera Augustini, Hieronymi et Cassiodori. Et hoc parum : quid enim

[1] I Reg. xvi, 23 : *Igitur quandocumque spiritus Domini malus arripiebat Saul, David tollebat citharam suam, et percutiebat manu sua : et refocillabatur Saül, et levius habebat : recedebat enim ab eo spiritus malus.*

terra ad cœlum? Nihil. Et propter hoc addit : « *Deus sedet,* » regnans « *super sedem sanctam suam,* » id est, super cœlos, et omnes Angelos ad dexteram patris. Psal. cix, 1 : *Dixit Dominus Domino meo : Sede a dextris meis.* Ad Coloss. iii, 1 : *Ubi Christus est in dextera Dei sedens.* Ad Hebr. i, 3 : *Sedet ad dexteram majestatis in excelsis.* Isa. lxvi, 1 : *Cœlum sedes mea : terra autem scabellum pedum meorum.*

10 « *Principes populorum.* » Hic quartum, scilicet ratio dilatandi regnum in gentibus : et dicuntur duo. Primo, majorum de gentibus conversio. Secundo, superba Judæorum elatio quantum scilicet ad majores, ibi, « *Quoniam dii fortes.* » Vel Apostolorum exaltatio quantum ad aliam lecturam.

Dicit ergo : Sic dixi, quod regnabit super omnes gentes, et hoc fiet sic : « *Principes populorum,* » Gentilium majores et principaliores, « *congregati sunt* » per fidei unitatem. Ad Eph. iv, 5 : *Unus Dominus, una fides, unum baptisma.* Et hoc « *cum Deo Abraham* : » quia in ipsum Abraham credidit. Joan. viii, 56 : *Abraham pater vester exsultavit ut videret diem meum* : *vidit, et gavisus est.* Et sic facti sunt filii Abrahæ. Ad Gal. iii, 7 : *Qui ex fide sunt, ii sunt filii Abrahæ.* Et sic impletur illud Matth. iii, 9 : *Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.* Et sic impletum est illud Eccli. xxiv, 11 : *Superborum et sublimium corda virtute calcavi.* Et hoc totum, « *Quoniam dii fortes terræ,* » id est, majores de Judæis, scilicet Scribæ et Pharisæi qui erant quasi dii super terram per scientiam legis a Deo sibi datæ, Genes. iii, 5 : *Eritis sicut dii, scientes bonum et malum.* Et « *fortes* » per potentiam, Deut. xxxii, 30 : *Quomodo persequatur unus mille, et duo fugent decem millia.* « *Vehementer elevati sunt,* » per superbiam. Quippe I ad Cor. viii, 1 : *Scientia inflat,* et non minus potentia. Isa. vii, 2 : *Requievit Syria super Ephraim.* Non attendentes quod et si sint dii et fortes, tamen sunt dii terræ, fragiles scilicet et mortales. Psal. lxxxi, 6 et 7 : *Ego dixi : Dii estis, et filii Excelsi omnes* [1]. *Vos autem sicut homines moriemini.*

Vel sic : « *Quoniam dii terræ* », id est, Apostoli. Act. xiv, 10 : *Dii similes facti hominibus descenderunt ad nos.* « *Et fortes.* » Ad Roman. viii, 35, dicunt : *Quis nos separabit a charitate Christi?* « *Vehementer elevati sunt,* » prædicatione et doctrina et miraculorum operatione. Marc. xvi, 20 : *Illi autem profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante, et sermonem confirmante, sequentibus signis.* Luc. ix, 6 : *Egressi circuibant per castella, evangelizantes et curantes ubique.*

[1] Cf. Joan, x, 34.

PSALMUS XLVII.

Magnus et laudabilis Dominus qui fundavit Sion.

1. *Psalmus Cantici, filiis Core, secunda sabbati.*
2. Magnus Dominus et laudabilis nimis, in civitate Dei nostri, in monte sancto ejus.
3. Fundatur exsultatione universæ terræ mons Sion: latera aquilonis, civitas Regis magni.
4. Deus in domibus ejus cognoscetur cum suscipiet eam.
5. Quoniam ecce reges terræ congregati sunt, convenerunt in unum.
6. Ipsi videntes, sic admirati sunt, conturbati sunt, commoti sunt.
7. Tremor apprehendit eos:
   Ibi dolores ut parturientis:
8. In spiritu vehementi conteres naves Tharsis.
9. Sicut audivimus, sic vidimus, in civitate Domini virtutum, in civitate Dei nostri. Deus fundavit eam in æternum.
10. Suscepimus, Deus, misericordiam tuam in medio templi tui.
11. Secundum nomen tuum, Deus, sic et laus tua in fines terræ. Justitia plena est dextera tua.
12. Lætetur mons Sion, et exsultent filiæ Judæ, propter judicia tua, Domine.
13. Circumdate Sion, et complectimini eam: narrate in turribus ejus.
14. Ponite corda vestra in virtute ejus, et distribuite domos ejus, ut enarretis in progenie altera.
15. Quoniam hic est Deus, Deus noster in æternum, et in sæculum sæculi: ipse reget nos in sæcula.

IN PSALMUM XLVII

COMMENTARIUS.

1 *Psalmus Cantici, filiis Core, secunda sabbati*[1].

« *Magnus Dominus.* » Hic est Psalmus quadragesimus septimus, in quo postquam monuit ad laudandum Deum, et sponsum, de quo egit supra, quia laudare non convenit in terra aliena, et Babylonia infidelium Synagoga, secundum illud Psal. cxxxvi, 4 : *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena ?* subjungit de civitate Dei et sponsi, in qua solum potest hoc Canticum, hæc laus quæ ad ipsum pertinet, fructuose cantari, et non ab aliis, nisi a civibus hujus civitatis.

Et hoc ostenditur in titulo qui talis est : « *Psalmus Cantici* » secundum Hieronymum, vel, *Laus Cantici*, secundum Augustinum : « *Core filiis, secunda sabbati.* » Et est sensus : « *Psalmus* » iste, qui est « *Cantici,* » quia monet ad laudem et Canticum Dei. Infra, ℣. 12 : *Lætetur mons Sion,* etc. Et « filiorum Core, » id est, filiorum Christi crucifixi, vel convenit « *filiis Core,* » ut ipsum cantent, non alii. Eccli. xv, 9 : *Non est speciosa laus in ore peccatoris*, filii diaboli. « *Psalmus* » dico habitus, vel *Laus Cantici* habita, « *secunda,* » id est, pro secunda « *Sabbati.* »

Notandum enim, quod prima Sabbati est dies Domini, id est, prima dies post Sabbatum, in qua Christus resurrexit corpus resumens lucidissimum, quod figuratum fuerat Genes. i, 3, in principio, ubi legitur, quod eodem die, scilicet Dominica, *facta est lux.* Sicut ergo prima Sabbati est dies resurrectionis, sic in secunda Sabbati dies confirmationis totius Ecclesiæ, quando Apostoli sunt confirmati, et Ecclesia super illos fundata, quod et significatum fuit Genes. i, 6, ubi legitur, quod secunda die *factum est firmamentum*, in quo significatur Ecclesiæ confirmatio, quam constat post resurrectionem factam, in tantum ut

[1] Ce psaume est encore un chant de triomphe et de reconnaissance comme les deux qui précèdent. Les LXX (Vatic.) ajoutent au titre hébreu : δευτέρᾳ σαββάτου, Vulg. : « secunda sabbati », indication liturgique rappelant que le psaume se chantait le second jour de la semaine. Le sujet est le même qu'au chant précédent, mais il est traité avec des images plus vives et plus poétiques. Quelques interprètes l'entendent de la délivrance de Jérusalem après l'invasion de Sennachérib ; il est évident, d'après le texte, que la ville sainte a couru un grand danger, et qu'elle y a échappé, grâce à la protection de Jéhova ; mais au ℣. 5, il est parlé de plusieurs rois, et les ℣℣. 6 et 7 ne semblent pas décrire très formellement l'extermination de l'armée assyrienne. Ces arguments ne sont pas absolument concluants, car le mot « reges » peut être un pluriel emphatique, ou peut désigner les officiers ennemis, Cf. Sap. p. x, 16, et l'extermination serait à la rigueur reconnaissable dans les versets suivants. Toutefois, la situation reconnue dans le psaume XLVI est encore celle qui l'explique le mieux celui-ci. Après avoir chanté « Omnes gentes, plaudite » en remontant l'arche dans le temple, Josaphat et les Israélites, vainqueurs des rois d'Ammon et de Moab, célébrèrent dans le temple même, « in medio templi tui, » ℣. 10, la puissance et la bonté de Jéhova qui rendait Jérusalem inexpugnable. L'application du psaume à cette circonstance est la plus probable ; elle est adoptée par Hengstenberg, Delitzsch, Cook, Thalhofer, Patrizi, Beelen, etc.

Les Pères signalent dans ce cantique le portrait de la Jérusalem spirituelle, l'Eglise, dont Jésus-Christ est l'invincible défenseur. « Montem Dei in quo hujusmodi institutum stabilitum est, ne cuncteris dicere Verbum Dei esse, videlicet Christum, quia supra petram fundata ejus Ecclesia est ; ipse autem petra erat. » Euseb.

H. Lesêtre.

Petrus, qui ad vocem ancillæ negaverat [1], postmodum de contumeliis et verberibus illatis a concilio gauderet. Act. v, 41 : *Ibant Apostoli gaudentes a conspectu concilii.* Et tunc in hujus constantia et aliorum Apostolorum fundata est Ecclesia, et sic postea dilatata per totum mundum. Hoc est quod dicitur in Psal. xcii, 1 : *Dominus regnavit* resurgendo, *decorem indutus est*, claritatem scilicet, *indutus est Dominus fortitudinem*, agilitatem et subtilitatem, quibus nihil possit resistere, *et præcinxit se* virtute impassibilitatis. Et post : *Firmavit orbem terræ, qui non commovebitur*, scilicet Ecclesiam. Ergo idem est dicere, Psalmum vel laudem esse pro secunda Sabbati, ac si diceret, pro confirmatione et dilatatione Ecclesiæ facta secunda Sabbati.

Titulus argumentum Psalmi: laus pro secunda Sabbati pro confirmatione et dilatatione Ecclesiæ.

Dividitur autem Psalmus in duas partes. Primo ponitur Ecclesiæ commendatio a fundatione et firmitate, et quibusdam aliis civitatibus congruentibus. Secundo, agitur de modo et ordine fundationis ejus, ibi, « *Suscepimus, Deus.* »

In prima sex, secundum sex a quibus commendat istam civitatem. Primo, a dignitate conditoris et fundatoris hujus civitatis. Secundo, a situ, ibi, « *In montem.* » Tertio, ab amplitudine, ibi, « *Fundatur exsultatione.* » Quarto, a benignitate regentis, ibi, « *Cum suscipiet eam.* » Quinto, a nativitate civium hujus civitatis, ibi, « *Sicut audivimus.* » Sexto, ab æterna ejusdem fundatione, ibi, « *Deus fundavit eam in æternum.* »

Commendatio Ecclesiæ a sex circumstantiis.

2 Dicit ergo : In præcedentibus invitavi ad laudem Dei, sed non ubique faciendam, nisi in sua civitate, quia « *Dominus*, » qui aliquando fuit dejectus, Ad Philip. ii, 8 : *Humiliavit semetipsum*, est « *magnus*, » potenter agendo, « *et laudabilis*, » admirabiliter faciendo quæcumque facit. Sed quantum laudabilis ? « *Nimis*, » sine fine, et semper adaugendo laudes. Cassiodorus : « *Nimis* non « habet terminum, nec finem, sed assi- « duitate sua semper augetur. » Alibi, in Psal. cxliv, 3 : *Magnus Dominus et laudabilis nimis* : *et magnitudinis ejus non est finis*, etc. Magnus potenter agens, laudabilis dulciter et laudabiliter. Sap. viii, 1 : *Attingit a fine usque ad finem fortiter*, etc. Sed ubi « *magnus*, » ubi laudabilis ? « *In civitate Dei nostri*, » ubi semper laudatur, sicut in Synagoga malorum semper blasphematur. Hæc civitas de qua supra, Psal. xlv, 5 : *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei.* Apoc. xxi, 2 : *Vidi sanctam civitatem, Jerusalem.* Quæ, inquam, civitas sita est, « *in monte sancto ejus*, » id est, in monte firmo : sanctum enim idem est quod sancitum, et hoc idem est quod firmum. Matth. v, 14 : *Non potest civitas abscondi supra montem posita.* Ipse conditor, qui magnus et laudabilis est in illa. Et est mons, Isa. ii, 2 : *Et erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium.* Dan. ii, 35, Lapis de monte præcisus crevit in montem magnum [2].

Prima pars Psalmi.

Et nota hic, quod est civitas Dei generalis, capiens etiam malos, fideles tamen, Ecclesia scilicet militans, de qua hic. Et est civitas spiritualis, capiens bonos, superna scilicet Jerusalem, id est, Ecclesia triumphans. Ad Galat. iv, 26 : *Illa autem, quæ sursum est Jerusalem,... quæ est mater nostra.* Et est civitas singularis, Virgo Maria, de qua in Psal. lxxxvi, 3 : *Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei.*

Triplex Dei civitas.

[1] Cf. Matth. xxvi, 69 ; Luc. xxii, 55, et Joan. xiv, 17.

[2] Daniel. ii, 35 : *Lapis autem... factus est mons magnus.*

3 Ecclesiæ amplitudo. *Fundatur exsultatione.* Hic tertium, in quo commendatur a latitudine: et dicuntur duo. Primo describitur latitudo. Secundo, quasi probatur, ibi, « *Deus in domibus.* »

In prima duo. Primo ponit intentionem. Secundo, declarat eam positam, ibi, « *Mons Sion.* »

Dicit ergo: Talem Regem habet civitas, et in tali loco sita est: nec credas modicam, quia « *fundatur* » in Christo et in Apostolis. Ad Ephes. II, 19: *Vos estis cives Sanctorum, et domestici Dei, superædificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum,* etc. I ad Corinth. III, 11: *Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Jesus.* Et hoc in exsultatione universæ terræ, in ejus dilatatione per ipsam. Act. XIII, 48: *Audientes gentes gavisæ sunt, et glorificabant verbum Domini* per universam regionem.

Alia littera habet: « Fundator exsultationis universæ terræ: » et tunc refertur ad antecedens sic: Bene dixi quia magnus Dominus illius civitatis, quia ipse est fundator exsultationis terræ universæ, id est, ipsi terræ dat exsultationis fundamenta. Joan. XVI, 22: *Iterum videbo vos, et gaudebit cor vestrum: et gaudium vestrum nemo tollet a vobis.* Et concordat alia translatio quæ sic habet: « Dilatans exsultationes universæ terræ. » Nec est contra hoc quod dicitur, Eccle. IX, 14: *Civitas parva, et pauci in ea viri.* Quia illud dicitur de Ecclesia ante adventum Christi: hoc autem post passionem et resurrectionem. Et iterum parva comparatione ad malorum multitudinem, quamvis simpliciter multum dilatata. Isa. LVI, 7: *Adducam eos in montem sanctum meum, et lætificabo eos in domo orationis meæ.*

Postea subdividendo declarat se: « *Mons Sion,* » id est, Ecclesia de circumcisione. « *Et latera Aquilonis,* » id est, diaboli, qui per Aquilonem designatur, scilicet Gentiles, supple, sunt « *civitas Regis magni,* » de quo facta est mentio, qui dicit, Matth. XXVIII, 18: *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra.* Cæteri reges sunt reguli, qui non habent potestatem nisi in regno punctali: tota enim terra quoddam punctum est. Job, XX, 5: *Gaudium hypocritæ ad instar puncti.* Diabolus autem Aquilo dicitur: quia dixit Isa. XIV, 13: *Sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis.* Hujus latera erant Gentiles ei adhærentes, sicut communiter dicimus, Iste potens habet mala latera. Bernardus: « Sanum te dixerim dolentem « latera? »

« *Deus in domibus ejus.* » Hic secundum, in quo subjungitur præcedentis probatio. Quasi diceret: Bene dico, quod sic dilatabitur Ecclesia: quia « *Deus in domibus ejus,* » variis scilicet et particularibus Ecclesiis, quæ sunt illius magnæ Ecclesiæ particulares domus. Vel, « *in domibus,* » id est, in Judæis et Gentibus. « *Cognoscetur,* » per fidem, I ad Corinth. XIII, 12: *Videmus nunc per speculum in ænigmate.* Vel cognoscetur per miruculorum operationem, Jerem. XXXI, 31: *Omnes cognoscent me a minimo usque ad maximum, ait Dominus.* Joel, II, 27: *Scietis quia in medio Israel ego sum.* Cur enim non dicitur de ista militante quod de triumphante dicitur, Joan. XIV, 2: *In domo Patris mei mansiones multæ sunt.* Vel potest legi de Ecclesia triumphante, « *Deus cognoscetur,* » per speciem, « *in domibus ejus,* id est, secundum quod merita exigent, et gradus meritorum. Isa. XXVII, 8: *In mensura contra mensuram, cum abjecta fuerit, judicabis eam.* Luc. VI, 38: *Eadem mensura qua mensi fueritis, remetietur vobis.* I ad Corinth. XV, 41: *Stella a stella differt in claritate.* 4

« *Cum suscipiet eam.* » Hic quartum, in quo commendat Ecclesiam a benigni-

tate Regis, quia ipsam suscepit : et tanguntur duo. Primo, benigna susceptio. Secundo, necessitas suscipiendi, ibi, « *Quoniam ecce reges.* »

egis Ecclesiæ benignitas.

Dicit ergo : Sic Dominus cognoscetur in sua civitate per speciem. Et hoc, « *cum* » benigna voluntate sua « *suscipiet eam,* » ut infirmum medicus ad curandum. Matth. iv, 23 : *Prædicans evangelium regni : et sanans omnem languorem et omnem infirmitatem in populo.* Vel, « *cum suscipiet eam,* » civitatem scilicet custodiendam. Psal. cxxvi, 1 : *Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra,* etc. Isa. xxvii, 3 : *Ego Dominus qui servo eam, repente propinabo ei.* Vel ut respondeat secundæ lecturæ : « *Cum suscipiet eam,* » in æterna beatitudine. Isa. lviii, 14 : *Sustollam te super altitudines terræ, et cibabo te hæreditate Jacob patris tui.*

5 « *Quoniam ecce reges terræ.* » Hic monstratur necessitas suscipiendi ipsam, scilicet noviter conversorum inflictio magna. Duo ergo dicuntur. Primo, congregatio eorum ad fidei unitatem. Secundo, congregatorum successiva et periculosa promotio in bonum Dei, ibi, « *Ipsi videntes.* »

In prima duo. Primo, congregatio ad fidei caput et radicem. Secundo, ad corpus, ibi, « *Convenerunt.* »

Dicit ergo : Vere Dominus suscipiet eam, quia « *ecce reges terræ,* » non tantum vulgares, et minores homines, « *congregati sunt,* » in fidei unitatem. Ecce latera Aquilonis. Nec propter hoc excludit pauperes, Psal. xlviii, 3 : *Simul in unum dives et pauper.*

Quadruplex congregatio, culpæ, gratiæ, justitiæ, gloriæ.

Et nota, quod est congregatio culpæ, de qua in Psal. lxvii, 31 : *Congregatio taurorum in vaccis populorum.* Gratiæ, qualis hic, et Matth. xviii, 20 : *Ubi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, in medio sum eorum.* Justitiæ, scilicet ad recipiendum pro meritis. Joel, iii, 2 : *Congregabo omnes gentes in vallem Josaphat : et disceptabo cum eis ibi.* Et gloriæ, de qua in Psal. cx, 1 : *Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo : in consilio justorum et congregatione.*

« *Convenerunt in unum,* » id est, in Christum caput Ecclesiæ, et fundamentum, qui bene dicitur unus, quia indivisus. I ad Corinth. i, 13 : *Divisus est Christus?* Vel in unum Christum, per imitationem morum Christi. Joan. xii, 19 : *Videtis quia nihil proficimus? Ecce totus mundus post eum abit.* Alio modo loquitur sic : Bene necesse est ut suscipiat, quoniam « *ecce reges terræ,* » non minores, « *congregati sunt,* » contra ipsam tamquam exercitus diaboli. Eccle. ix, 14 : *Civitas parva, et pauci in ea viri.* Venit contra eam Rex magnus. « *Convenerunt in unum,* » ut delerent illam. Psal. ii, 2 : *Adstiterunt reges terræ,* etc. Vel sic : « *Suscipiet eam,* » naturam scilicet nostram in Incarnatione. Et constat, quoniam ecce « *reges terræ,* » Judæorum scilicet principes, congregati sunt ab Herode volente sciscitari ubi Christus nasceretur [1], « *convenerunt in unum,* » diffiniendo quod in Bethleem Judæ [2].

Ipsi videntes. Hic secundum, scilicet 6
promotio in bonum periculosa, et cum timore, unde Dei adjutorium necessarium fuit : et dicuntur quinque. Primo, admiratio de admirabilibus Dei. Secundo, admirantium conturbatio, de vanitate idoli, cui servierunt, ibi, « *Conturbati sunt.* » Tertio, commotio de malo in bonum, et fidem Christi, ibi, « *Commoti sunt.* » Quarto, terror crediti judicii et pœnarum inferni, ibi, « *Tremor apprehendit.* »

[1] Cf. Matth. ii, 4.

[2] Ibid. ii, 6.

Quinto et ultimo, dolor peccati in infidelitate perpetrati, ibi, « *Dolores.* »

Dicit ergo secundum lecturam primam : Sic venerunt ad fidei unitatem, et ad radicem fidei, et tunc ipsi videntes sic, id est, miracula quæ fiebant in Ecclesia, admirati sunt. Isa. LX, 5 : *Tunc videbis et afflues, et mirabitur et dilatabitur cor tuum,.*

Alia littera, et veritas Hebraica habet : « *Et obstupuerunt.* » III Reg. x, 4 et 5 : *Videns regina Saba*, Ecclesiæ scilicet de Gentibus : *sapientiam Salomonis*, id est, Christi, *et domum quam ædificaverat,... non habebat ultra spiritum.* Luc. II, 47 : *Stupebant omnes, qui eum audiebant.*

« *Conturbati sunt* » pro peccatis suis, quæ viderunt ex una parte, mirabilibus quæ ex altera : de qua conturbatione, Psal. XVII, 5 : *Et torrentes iniquitatis conturbaverunt me.*

« *Commoti sunt,* » ad bonum transeundo. Ezech. XXXVII, 7 : *Factus est sonitus, prophetante me, et ecce commotio : et accesserunt ossa ad ossa.*

7 « *Tremor,* » de judicio, et pœna infernali. Job, XXI, 6 : *Quando recordatus fuero, pertimesco : concutit carnem meam tremor.* « *Apprehendit eos,* » fortiter tenendo, Eccli. XVI, 19 : *Cum conspexerit illa Deus, tremore concutientur.* Psal. XVII, 8 : *Commota est et contremuit terra.* Vel potest referri lectura tota ad Judæos, nec mutatur sensus.

8 « *Ibi dolores.* » Hic quintum, in quo duo. Dolorum fructus, et causa doloris, ibi, « *In spiritu vehementi.* »

Quasi diceret : Sic est tremor de pœna infernali, et judicio. Et etiam ibi sunt « *dolores,* » non modici, sed, « *ut parturientis.* » Jerem. XIII, 21 : *Numquid non dolores apprehenderunt te, quasi parturientem?* Et VI, 24 : *Tribulatio apprehendit nos.*

« *Ut parturientis.* » Isa. XXVI, 17 : *Sicut quæ concipit, cum appropinquaverit ad partum, dolens clamat in doloribus suis : sic facti sumus a facie tua, Domine.*

« *In spiritu.* » Hic tangit causam hujus doloris, Spiritus sancti gratiam abundantem : quod potest etiam esse causa omnium præcedentium. Et duplex tangitur : abundans effusio gratiæ in affectu, et veritatis illustratio quæ respicit intellectum uno modo legendi, ibi, « *Sicut audivimus.* »

Dicit ergo : Sic erit ibi dolor magnus, nec mirum, quia « *in spiritu vehementi,* » hoc est, in Spiritu sancto, qui vehementer irruit in animam. Act. II, 2 : *Factus est repente de cœlo sonus tamquam advenientis Spiritus vehementis.*

« *Conteres naves Tharsis,* » id est, superbiam Gentilium evertes. Eccli. XLIII, 24 : *Ros obvians ab ardore venienti, humilem faciet eum.* Vel, « *in spiritu vehementi,* » id est, in timore judicii æterni, et extremi, « *conteres naves Tharsis,* » ut prius. Isa. II, 12 et 16 : *Dies Domini exercituum super omnem superbum, et excelsum,.... et super omnes naves Tharsis.* « *Naves* autem *Tharsis,* » vocat superbiam Gentium : quia mundus mare est. Psal. CIII, 25 : *Hoc mare magnum et spatiosum manibus.* Et « *Tharsis,* » idem est quod mare, sicut vult Glossa super caput II Isaiæ. Naves ergo Tharsis, sunt naves mundi qui est mare, scilicet infideles, qui sunt in mundo sicut naves in mari, quæ omni vento feruntur. Contra quos Apostolus, ad Ephes. IV, 14 : *Ut jam non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinæ*, sicut naves. Tharsis etiam *exploratio gaudii* interpretatur. Naves ergo Tharsis sunt mentes in mundo diversa et vana explorantes. Sed tales Spiritus sanctus felici frangit naufragio, quando tribuit quod conterantur de peccatis.

Vel legitur de Judæis prima pars in bonum : videntes enim Scripturas imple-

tas, quidam vehementissime doluerunt de errore suo, ut ibi, « *dolores ut parturientis.* » Alia pars de Herode, qui « *in spiritu vehementi,* » id est, in ira maxima contrivit naves Tharsis. Naves, in quibus transierant Magi per aliam viam in suam patriam revertentes, sicut dictum est de eis [1]. Prov. XIX, 12 : *Sicut fremitus leonis, ita ira regis.*

Contritio collata dolori parturientis.

Et nota, quod dolor pœnitentis hic comparatur dolori parturientis. Primo, ratione sumpta ex parte prolis, quæ in voluptate concipitur sicut culpa, et emittitur cum maximo dolore, sicut et culpa in confessione. De primo, Jacob. I, 15 : *Concupiscentia cum conceperit, parit peccatum.* De secundo, Jerem. VI, 26 : *Luctum unigeniti fac tibi planctum amarum.* Monstruosum valde esset, si mulier pareret sine dolore. Sic monstruosum cum confitetur aliquis sine contritione, et dolore. Isa. LXVI, 7 et 8 : *Antequam parturiret, peperit.* Et subdit : *Quis audivit umquam tale ? aut quis vidit huic simile ?* Item, ratione sumpta ex parte parientis : vetus enim homo, scilicet ipsa mater discinditur et distenditur, ut novus nascatur et prodeat in lucem. Sic in pœnitentia vetus homo debet distendi et dilatari, ut novus prodeat in lucem. II ad Corinth. IV, 16 : *Sed licet is, qui foris est, noster homo corrumpatur : tamen is, qui intus est, renovatur de die in diem.* Item, ratione sumpta ex parte doloris. Dolor enim parientis acutus est, sed brevis. I Petr. I, 6 : *In quo exsultabitis, modicum nunc si oportet contristari,* est fructuosum valde. Sap. III, 5 : *In paucis vexati, in multis bene disponentur.*

9 « *Sicut audivimus.* » Hic ratio secunda. Quasi diceret : Sic dolore facit Spiritus sancti vehementia : et etiam quia « *sicut audivimus,* » a Prophetis, « *sic vidimus in civitate Domini virtutum,* » angelicarum scilicet, « *in civitate Dei nostri,* » in Ecclesia militante, in quo ostenditur aurium veracitas, quia sic impletum est illud Psal. XXXII, 9 : *Dixit,* per Prophetas, *et facta sunt.* Luc. IV, 17 et seq. : *Ut revolvit librum* Jesus, *invenit locum ubi scriptum erat : Spiritus Domini super me : propter quod unxit me,* etc. Et ℣. 21 : *Cœpit autem dicere ad illos : Quia hodie impleta est hæc scriptura in auribus vestris.* Virtutum etiam angelicarum dicitur Deus, et humanarum, quia super utrosque potest. Dan. IV, 32 : *Juxta voluntatem suam facit, tam in virtutibus cœli, quam in habitatoribus terræ.*

Et nota, quod qui sunt hujus civitatis cives, et audiunt et vident : quicumque autem extra sunt, surdi et cœci sunt. Amos, V, 16 : *In cunctis quæ foris sunt, dicetur væ væ :* quia surdi, quia cæci. Psal. LXIV, 11 : *Audi filia,* quia habes aures, *et vide,* quia non cares oculis.

Commendatio Ecclesiæ ab æternitate.

« *Deus fundavit.* » Hic ultimum, in quo commendat civitatem ab æternitate. Quasi diceret : Talis est civitas : sed ne putetur peritura, « *Deus fundavit eam in æternum* » duraturam. Quippe fundamentum primum Christus est, I ad Cor. III, 11 : *Fundamentum aliud nemo ponere potest, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus.* Et super sanctos Christi, Isa. LIV, 11 : *Sternam per ordinem lapides tuos, et fundabo te in sapphiris.* Psal. LXXXVI, 1 : *Fundamenta ejus in montibus sanctis.* Et propter hoc non est transitoria sicut templum, et tabernaculum, sed æterna. Eccli. XXVI, 24 : *Fundamenta æterna super petram solidam.* I ad Corinth. X, 4 : *Petra autem erat Christus.* Jerem. XVII, 25 : *Habitabitur civitas hæc in sempiternum.*

[1] Cf. Matth. II, 12.

10 Secunda pars Psalmi : gratiarum actio pro bonis Ecclesiæ.

« *Suscepimus, Deus.* » Hic est secunda pars Psalmi, in qua subjungitur gratiarum actio pro tali, et tam gloriosa civitate, et tam grata Deo : et dicuntur duo. Primo, gratiarum actio. Secundo, exhortatio ad bonum ex quo tanta est gratia, ibi, « *Lætetur mons Sion.* »

In prima duo. Primo, quid est datum. Secundo, ubi datum, ibi, « *In medio templi.* »

Et nota, quod tripliciter de susceptione gratiæ legitur. Vel de susceptione Christi, et hoc dupliciter, vel a Simeone in templo materiali, vel a Gentibus in Ecclesia militante.

Dicit ergo : Sic dixi, quod Deus creavit et fundavit Ecclesiam. Sed quo ordine ? Isto : quia, o Deus, « *Suscepimus.* » Vel sic : Audivimus et vidimus. Et quid ? Ecce, « *Suscepimus, Deus.* » Fundavit eam : quod pater, quia « *suscepimus, Deus, misericordiam tuam,* » non tantum sacramenta, sed sacramentorum gratiam qua sumus boni, et peccatorum remissionem qua non mali, a quibus sumus separati quasi granum a palea, Jerem. xxiii, 28 : *Quid paleis ad triticum, dicit Dominus?* Sicut rosa a spinis, Cant. ii, 2 : *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Nos prius infideles, et impii, et ad Rom. ix, 25 : *Vocabo non plebem meam, plebem meam :... et non misericordiam consecutam, misericordiam consecutam* [1]. Ad Rom. xi, 30 : *Aliquando et vos non credidistis Deo, nunc autem misericordiam consecuti estis.* Et ubi ? « *In medio templi tui,* » mundi. Templum enim dicitur, quasi tectum amplum. Vel « *templi,* » id est, Ecclesiæ ex omnibus congregatæ, tam paleis quam granis. Quasi diceret : Quamvis in medio illorum sumus, nihilominus gloriam et misericordiam suscepimus, quæ sunt res sacramenti : et ipsi tantum exterius sacramentum. I ad Corinth. iii, 5 : *Habentes quidem nomen sanctitatis, sed virtutem ejus abnegantes.* Apoc. iii, 1 : *Nomen habes quod vivas, et mortuus es.*

Vel misericordia est Dei Filius. Oleum enim Græce, misericordia Latine : et de ipso dicitur, Cant. i, 2 : *Oleum effusum* per Mariam in medio templi tui, *nomen tuum.* Hæc misericordia est susceptio in die purificationis, a toto mundo in medio templi materialis per manus Simeonis. Luc. ii, 28 : *Et ipse accepit eum in ulnas suas, et benedixit Deum.*

Multiplex templum Dei in quo varie suscipitur.

Et nota, quod est templum materiale, de quo Jerem. vii, 4 : *Nolite confidere in verbis mendacii, dicentes : Templum Domini, Templum Domini, Templum Domini est.* In hoc receptus fuit corporaliter. Sacramentale, malorum congregatio, tamen fidelium fide informi, de quo hic. Nahum, ii, 6 et 7 : *Templum ad solum dirutum : et miles captivus abductus est.* In hoc suscipitur apparenter tantum. Et est templum spirituale, bonorum congregatio. II ad Cor. iii, 17 : *Templum Dei sanctum est, quod estis vos.* In hoc virtualiter, quia in illis operatur Christus. Et est templum cœleste, de quo in Psal. v, 8 : *Adorabo ad templum sanctum tuum.* Ibi recipitur evidenter et lætanter. Et est templum singulare, corpus Christi proprium. Joan. ii, 19 : *Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud.* Ibi non suscipitur, sed illud inhabitat divinitas corporaliter. Ad Coloss. ii, 9 : *In quo habitat plenitudo divinitatis corporaliter.*

« *Secundum nomen tuum.* » Hic subjungitur gratiarum actio, et ostenditur primo in Ecclesia militante. Secundo, in triumphante, ibi, « *Justitia plena est.* » 11

Dicit ergo : Sic in medio malorum « *suscepimus misericordiam,* » non tamen sumus pauci, imo « *secundum no-*

[1] Cf. Osee, ii, 24 et i, 10.

men tuum, etc.» Vel sic: Suscepimus misericordiam tuam credendo corde, et fideles facti: et propter hoc confitemur ore. Ad Rom. x, 10: *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Nam «*secundum nomen tuum,*» effusum, Cant. I, 2: *Oleum effusum nomen tuum.* Et hoc «*in fines terræ,*» Malach. I, 11: *Ab ortu solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in Gentibus.* Sic et «*laus tua,*» supple, est dilatata et diffusa, per sanctos tuos qui ubique sunt, usque «*in fines terræ.*» Ab aliis autem non est laus. Eccli. xv, 9: *Non est speciosa laus in ore peccatoris.* Malach. I, 11: *In omni loco offertur nomini meo oblatio munda.*

«*Justitia plena.*» Posset legi, ut esset causa primi. Quasi diceret: Bene dico, quod laus tua est in fines terræ: quia «*dextera tua plena est justitia,*» tam plena ut per totum mundum effundat, et justos ubique faciat. Isa. LIII, 11: *In scientia sua justificabit ipse justus servus meus multos.* Et isti possunt laudare. Psal. XXXII, 1: *Rectos decet collaudatio.* Vel, «*dextera,*» vita æterna secundum divisionem illam. Illa est dextera, de qua Matth. xxv, 33: *Statuet oves quidem a dextris suis.* Cant. II, 6: *Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me.* «*Plena est justitia,*» quia justis, qui te perpetuo laudabunt. Apocal. VII, 9: *Vidi turbam magnam quam dinumerare nemo poterat.*

12 «*Lætetur mons Sion.*» Hic secundum, in quo subjungitur exhortatio aliorum ad agendum bonum. Primo autem exhortatur Ecclesiam de Judæis. Secundo, de Gentibus, ibi, «*Circumdate Sion.*»

In prima duo. Primo exhortatur ad lætitiam. Secundo, subjungit lætitiæ causam, ibi, «*Propter judicia tua.*»

Dupliciter autem legitur, vel de judicio in præsenti, vel de judicio in futuro. Primo modo sic: Sic dilatata est laus tua et multorum justificatio: unde «*lætetur mons Sion,*» majores de Judæa, qui bene *mons* dicuntur, quia primo radios solis receperunt, secundum illud Matth. xv, 24: *Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israel.* Act. XIII, 26: *Filii generis Abraham, et qui in vobis timent Deum, vobis verbum salutis hujus missum est.*

«*Et exsultent filiæ Judæ,*» minores de Judæis, et infirmi, sicut filiæ. Vel repetitio est pro eisdem. Sed «*lætentur,*» dicit pro exsultatione cordis, «*et exsultent,*» propter exsultationem operis exterioris. Vel, «*filiæ Judæ*» possunt appellari Gentes, a Judæis in fide genitæ. I ad Corinth. IV, 15: *In Christo Jesu per Evangelium ego vos genui.*

«*Propter judicia tua,*» occulta, o Domine, quibus Judæos repulisti superbientes, et vocasti Gentes humiles. Ad Rom. XI, 25: *Cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo Gentium intraret.* Et ℣. 33, exclamat: *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus!*

«*Mons Sion,*» Ecclesia scilicet generalis, quæ Deum speculatur, non facie velata, sicut Synagoga, sed revelata. II ad Corinth. III, 18: *Nos vero omnes, revelata facie gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformamur a claritate in claritatem, tamquam a Domini spiritu.* «*Lætetur*» in masculis, «*et exsultent filiæ Judæ,*» scilicet mulieres Christi filiæ, qui de Juda fuit. Ad Hebr. VII, 14: *Manifestum est quod ex Juda ortus sit Dominus noster* Jesus Christus. Apoc. v, 45: *Vicit leo de tribu Juda, radix David.* Et hoc «*propter judicia tua,*» futura, «*Domine,*» in quibus fiet separatio, ut nec unus bonus remaneat cum malis, nec e contra. Augustinus: «Artifex ventilabrum portabit, «ut unum granum tritici non cadat in «acervum paleæ comburendum, nec una «palea asservetur cum grano in horreo. Matth. III, 12: *Cujus ventilabrum in manu sua: et permundabit aream suam,* id est, perfecte mundabit.

13 « *Circumdate Sion.* » Hic subjungitur Ecclesiæ de Gentibus invitatio. Et primo invitat ut bene se habeat ad proximum. Secundo, ut ad Deum, ibi, « *Ponite corda.* »

In prima monet ut bene se habeat ad proximum diligendo. Secundo, commendat et laudando, ibi, « *Narrate.* »

Legitur autem dupliciter, vel de Judæis, vel de electis totius Ecclesiæ. Primo modo sic : Lætentur et exsultent illi de Judæis, et etiam vos, Gentiles, « *circumdate,* » non in irritando, sicut illi de quibus in Psal. LXXXVII, 18 : *Circumdederunt me sicut apes.* Et alibi, Psal. XVI, 11 : *Projicientes me, nunc circumdederunt me.* « *Sion,* » electos scilicet de Judæis, vel universaliter electos de Christianis. « *Et complectimini eam,* » illam multitudinem brachiis charitatis, sicut Joseph complexus est fratres suos [1].

« *Narrate.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Non tantum eam diligatis, imo « *narrate* » laudes ejus aliis. Vos dico existentes in « *turribus ejus,* » in ipsis Apostolis per bonam vitam et imitationem. In alto enim debent esse positi qui annuntiant, et prædicant laudes Ecclesiæ. Isa. XL, 9 : *Super montem excelsum ascende, tu qui evangelizas Sion.* Turres autem sunt Apostoli. Cant. IV, 4 : *Sicut turris David, collum tuum.* Quilibet enim prædicator collum est : collum enim accipit alimentum a capite, et dat corpori, sicut Apostoli a Christo capite ut transfunderent in corpus Ecclesiæ. Matth. XIV, 19 : *Fregit, et dedit discipulis panes, discipuli autem turbis.* Sed turris fortissima quasi in medio aliarum turrium est Christus. Prov. XVIII, 10 : *Turis fortissima, nomen Domini : ad ipsum currit justus,* etc.

« *Ponite corda vestra.* » Hic hortatur 14
ut bene se habeant : et dicuntur duo. Primo, quod amando. Secundo, quod laudando, ibi, « *Et distribuite.* »

Dicit ergo : Sic vos habete ad proximum, et vos ponite in turribus ejus, et etiam « *ponite corda vestra,* » non tantum ora, per laudem vocalem, « *in virtute ejus,* » id est, in charitate ejus, qua diligatur. Virtus autem charitas dicitur, quia fortis et invincibilis. Cant. VIII, 6 : *Fortis est ut mors dilectio.* Augustinus : « Sicut contra mortem quando venit, resisti non potest : sic contra violentiam charitatis mundus nihil potest. » Nec mirum : quia quidquid est contra charitatem, nihil est. I ad Corinth. XIII, 1 : *Si charitatem non habeam, nihil sum.* Hæc est virtus vinciens illos solum qui sunt in hac civitate. Unde ad Coloss. III, 14 : *Super omnia autem hæc, charitatem habete, quod est vinculum perfectionis,* et simul ligat cives hujus civitatis. Propter hoc civitas fortis est, Prov. XVIII, 19 : *Frater qui adjuvatur a fratre, quasi civitas firma.*

« *Et distribuite.* » Hic quod bene se habeant laudando : et dicuntur duo. Primo, quod laudetur Deus. Secundo, quomodo laudetur, ibi, « *Quoniam hic est Deus.* »

Et legitur littera tribus modis, secundum quod per hoc quod dicitur, « *Distribuite,* » significatur distinctio bonorum et malorum generaliter, vel Ecclesiæ de Judæis ab Ecclesia de Gentibus specialiter. Et hi duo modi secundum nostram litteram. Tertio modo, secundum aliam.

Dicit ergo : Sic diligite, et etiam « *distribuite,* » id est, distinguite prudenter et caute « *domos ejus,* » quia est quædam quæ tantum similitudinem habet quod ejus domus est, cum tamen non sit

[1] Cf. Genes. XLV, 14 et 15.

Distinguenda domus Dei, vel gradus in ea ordinandi.

secundum veritatem : quædam quæ videtur, et est : ne a parte judicetis totum, omnes malos pro uno malo, sicut ille de quo Eccle. x, 3 : *In via stultus ambulans, cum ipse insipiens sit, omnes stultos æstimat.* Joan. vii, 24 : *Nolite judicare secundum faciem, sed justum judicium judicate.* « *Ut* sic *enarretis,* » prædicando magnalia Dei, « *in progenie altera,* » inter bonos scilicet, non inter malos, qui omnia contemnunt. Matth. vii, 6 : *Nolite sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas, etc.* Matth. xv, 26 : *Non est bonum sumere panem filiorum, et mittere canibus,* etc.

Vel sic : « *Distribuite,* » id est, dijudicate « *domos ejus,* » ut Paulus prædicet in Gentibus, et Petrus in Judæis, sicut factum fuit [1]. Et sic « *Enarretis in progenie altera,* » id est, usque ad posteros. Psal. lxxvii, 5 : *Quanta mandavit patribus,* etc. Secundum aliam litteram, « *Distribuite,* » id est, disponite, et ordinate, gradus ejus, scilicet Ecclesiasticas dignitates, et officia non vendite : « *ut* sic *enarretis in progenie,* » non tantum Judæorum, quæ prima est, sed in altera, scilicet Gentilium. Marc. xvi, 15 : *Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ.*

5 « *Quoniam hic est Deus.* » Hic secundum, in quo subjungit qualiter laudetur, quia ut creator. Secundo, ut gubernator et rector, ibi, « *Ipse reget nos.* »

Dicit ergo : Sic « *distribuite, ut enarretis.* » Quid hoc? « *Quoniam hic,* » scilicet Christus, « *est Deus,* » propter creationem, « *Deus noster,* » propter recreationem : et hoc non ad tempus, sicut Jupiter, Mars, et Saturnus, qui ad tempus dii fuerunt hominum opinione. Sap. xiv, 14 : *Supervacuitas enim hominum hoc adinvenit.* Et infra, *Et ideo brevis illorum finis.* Sed, « *in æternum, et in sæculum sæculi,* » consecutivum. Psal. lxxxix, 2 : *A sæculo et usque in sæculum tu es Deus,* et « *ipse* » sic existens Deus, « *reget nos,* » ne erremus. Hieronymus : « Ipse lubricos et tortuosos gressus nostros diriget in se, qui est via. » Joan. xiv, 6 : *Ego sum via, et veritas, et vita.* Isa. xxxv, 8 : *Via sancta vocabitur : non transibit per eam pollutus.* Et hoc, « *in sæcula,* » id est, sine fine, non sicut alii rectores, et prælati ad tempus tantum regentes. Ad Hebr. vii, 23 : *Plures facti sunt sacerdotes : idcirco quod morte prohiberentur permanere.*

Christus dux noster aufert triplicem in morte metum.

Hebraica veritas habet : « Ipse erit dux noster in morte. » Et hæc consolatio magna morituris justis de tali ductore. Morientes enim solent timere tria. Occursus dæmonum : nec mirum. I Pet. v, 8 : *Adversarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit quærens quem devoret.* Sed attendunt ductoris hujus potentiam. Exod. xv, 3 : *Dominus quasi vir pugnator, Omnipotens nomen ejus.* Item, solent divinum timere judicium. Quippe Anselmus : « Tunc damnabitur quidquid « inventum fuerit operis, vel otiosi sermonis, vel silentii, usque ad minimam « cogitationem, si non fuerit ad Dei voluntatem directum. » Ad Hebr. x, 27 : *Terribilis quædam exspectatio judicii.* Sed attendunt, quod ductorem habent sapientissimum advocatum. I Joan. ii, 1 : *Advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum, justum.* Item, solent timere infernum : quia Isa. xxxiv, 9 : *Convertentur torrentes ejus in picem, et humus ejus in sulphur.* Sed attendunt ducis bonitatem : tantæ enim bonitatis est, ut etiam bene esset eis in inferno cum illo. Psal. xxii, 4 : *Si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.* Et iterum, Psal. cxxxviii, 10 : *Illuc manus tua deducet*

[1] Cf. Apostolum ad Galat. ii, 1 et seq.

me, bene sciunt, sed ubi dicitur, Deut. xxxii, 12 et 13 : *Dominus solus dux ejus fuit*. Et infra : *Constituit eum super excelsam terram*, scilicet viventium vita perpetua, ad quam nos ducat in morte, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS XLVIII.

Nihil prosunt opes contra infernum.

1. *In finem, filiis Core, Psalmus.*
2. Audite hæc, omnes gentes : auribus percipite, omnes qui habitatis orbem :
3. Quique terrigenæ, et filii hominum, simul in unum dives et pauper.
4. Os meum loquetur sapientiam : et meditatio cordis mei prudentiam.
5. Inclinabo in parabolam aurem meam [1] : aperiam in psalterio propositionem meam.
6. Cur timebo in die mala ? iniquitas calcanei mei circumdabit me :
7. Qui confidunt in virtute sua : et in multitudine divitiarum suarum gloriantur.
8. Frater non redimit : redimet homo ? non dabit Deo placationem suam,
9. Et pretium redemptionis animæ suæ. Et laborabit in æternum :
10. Et vivet adhuc in finem.
11. Non videbit interitum, cum viderit sapientes morientes. Simul insipiens et stultus peribunt :

Et relinquent alienis divitias suas :

[1] Psal. LXXVII, 2 ; Matth. XIII, 35.

12. Et sepulcra eorum domus illorum in æternum.
Tabernacula eorum in progenie, et progenie : vocaverunt nomina sua in terris suis.
13. Et homo, cum in honore esset, non intellexit. Comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis.
14. Hæc via illorum scandalum ipsis : et postea in ore suo complacebunt.
15. Sicut oves in inferno positi sunt : mors depascet eos.
Et dominabuntur eorum justi in matutino : et auxilium eorum veterascet in inferno a gloria eorum.
16. Verumtamen Deus redimet animam meam de manu inferi, cum acceperit me.
17. Ne timueris cum dives factus fuerit homo, et cum multiplicata fuerit gloria domus ejus :
18. Quoniam, cum interierit, non sumet omnia : neque descendet cum eo gloria ejus.
19. Quia anima ejus in vita ipsius benedicetur : confiteqitur tibi cum benefeceris ei.
20. Introibit usque in progenies patrum suorum : et usque in æternum non videbit lumen.
21. Homo, cum in honore esset, non intellexit. Comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis.

IN PSALMUM XLVIII

COMMENTARIUS.

1 *In finem, filiis Core, Psalmus* [1].

« *Audite hæc, omnes gentes.* » Hic est Psalmus quadragesimus octavus, in quo postquam actum est de laude sponsi, et loco in quo laudandus est, et quasi quædam lætitia nuptiarum, subjungit de repressione hujus lætitiæ, ne convertatur in lætitiam ineptam, scilicet de timore, ostendendo quia impios iste Rex condemnabit. Gregorius : « Anchora mentis, « pondus timoris. »

Argumentum Psalmi : Gaudium timore esse temperandum.

Præponitur autem talis titulus : « *In finem, filiis Core, Psalmus David.* » Et est sensus : Hic « *Psalmus* » qui est « *David* » litteralis, ut auctoris, tendens, hoc est, tendere faciens, « *in finem,* » scilicet Christum, cantandus est « *filiis Core,* » id est, Christi, ut in eis lætitia temperetur timore sancto, secundum il-

[1] Rien dans le texte n'est de nature à indiquer la date précise de ce psaume ; néanmoins nous croyons avec Cook, qu'à en juger par le style, la couleur et le ton général des idées, on doit le rapporter au grand âge de la poésie gnomique des Hébreux, c'est-à-dire à cette période qui commence avec David, se développe sous Salomon, et à travers des alternatives d'obscurité et d'éclat, s'étend jusqu'au moment où, sous Ezéchias, la prophétie prend tout son essor. Ce psaume est encore dû aux enfants de Coré; les termes nouveaux qu'y signale Patrizi, *hashir*, riche, *chidah*, enigme, *pidion*, rançon, etc., prouvent tout au plus que le coraïte auteur de ce chant n'est point celui qui a composé les précédents.

Le sujet est tout moral, et analogue à celui des psaumes XXXVI, de David, et LXXII, d'Asaph. Le psalmiste traite l'important sujet des inégalité humaines; il constate non seulement la juxtaposition du riche impie et du juste pauvre, mais encore l'oppression du second par le premier. Il indique la solution du problème, non pas dans les bouleversements sociaux ni dans les utopies égalitaires, mais dans les espérances de l'autre vie, à la lumière des

lud Psal. LXXXV, 11 : *Lætetur cor meum, ut timeat nomen tuum.* Cantandus est etiam filiis Core, id est, mundum contemnentibus, sicut Christus contempsit, ut in ipsis firmetur contemptus, cum audierint quæ dicuntur contra amatores mundi.

Dividitur autem Psalmus in duas partes. Primo enim ad dicenda attentos facit. Secundo, dicenda subjungit, ibi, « *Cur timebo* ? »

In prima tria : quia primo, monet qualiter audient. Secundo, quid audient, ibi, « *Quique terrigenæ.* » Tertio, quare audire debent, ibi, « *Os meum loquetur.* »

Monet audire duobus modis. Aure corporis primo. Seuundo, aure cordis, ibi, « *Auribus percipite.* »

2 Prima pars Psalmi. Dicit ergo : « *Audite hæc,* » quæ dicturus sum, « *omnes gentes :* » quia aliter non valeret quidquid dicerem. Eccli. XXXII, 6 : *Ubi non est auditus, non effundas sermonem.* « *Audite* ergo *omnes gentes,* » omnes scilicet impii, et mundi amatores. Deut. XXXII, 1 : *Audiat terra verba oris mei.* Isa. XXXIV, 1 : *Accedite gentes et audite.* Nec tantum aure corporis, imo « *auribus* » cordis « *percipite,* » hoc est, perfecte capite quid dicturus sum. Isa. VI, 10 : *Audiat et corde suo intelligat.* « *Omnes qui inhabitatis orbem,* » boni scilicet qui non potestis exire de mundo, tamen ei non adhæretis per amorem. Augustinus : « Ille habitat, qui non te« netur, quomodo ille possidet, qui do« minus est : habitare enim dicitur ab « habere. Justi autem dicuntur habitare « mundum, quia habent mundum. » I ad Corinth. III, 22 : *Omnia vestra sunt.* II ad Corinth, VI, 10 : *Tamquam nihil habentes, et omnia possidentes.* Hieronymus in Prologo : « Fideli totus mundus « divitiarum est, infidelis autem etiam « obolo indiget. » Vel pro eisdem possent accipi gentes et inhabitantes orbem. Quasi diceret : Audite omnes generaliter sine exceptione. Act. X, 34 : *Non est per-*

quelles le riche et le pauvre sauront faire bon usage, l'un de ses biens, l'autre de ses souffrances. S. Basile, sur la fin de son commentaire, résume bien toute la doctrine du psaume : « Cum multi sint inter gentes atque terrigenas, qui propter apparentem inæqualitatem distributionis rerum ad vitam pertinentium, mundum citra providentiam regi suspicantur, hos compellat sermo... Nulla enim utilitas est diviti morienti, cum non queat secum auferre divitias... Proinde ne sis pusillo animo circa præsentia, sed exspecta beatam illam et perpetuam vitam. Tunc enim videbis paupertatem, et ignominiam, et deliciarum privationem ei qui justus est bene cedere ». C'est donc la patience et la foi en la divine Providence pour le présent, c'est l'espérance d'un avenir meilleur dans l'autre vie, que le psalmiste prêche au juste éprouvé par la pauvreté ; la grâce de l'Ancien Testament ne va pas plus loin. C'est au Nouveau qu'il sera réservé de substituer à la patience et à l'espérance l'amour et la joie au sein de la pauvreté, et de faire du « *beati pauperes* » non seulement une promesse pour l'autre vie, mais même une réalité dès ce monde.

Le psaume débute par une solennelle et assez longue instroduction, ℣℣, 2-5, qui rappelle celle d'Eliu dans Job, XXXIV, et qui invite les hommes de toute condition à recevoir l'enseignement du psalmiste. Suivent deux strophes, de longueur à peu près égale, terminées chacune par un refrain. Dans la première, ℣℣. 6-13, l'auteur invite à ne point craindre le méchant qui est riche, car il mourra un jour, et devra abandonner ces biens qu'il compte posséder éternellement. Dans la seconde, ℣℣. 14-21, il fait voir l'impie descendant au *shéol* et à tout jamais privé de la lumière et du bonheur, tandis que le juste obtient justice contre ses oppresseurs, et est appelé dans le sein de Dieu. C'est cette même doctrine que le divin Sauveur a rendue plus saisissante encore dans la parabole du mauvais riche et du pauvre Lazare ; aussi n'était-ce pas sans raison qu'une ancienne version latine avait intitulé le psaume : « Vox Ecclesiæ super Lazaro et divite purpurato. » Ce chant est de plus un magnifique et irrécusable témoignage de la foi des Hébreux à la vie future, avec ses peines et ses récompenses.

Le texte hébreu est en vers heptasyllabiques ; il présente un certain nombre de difficultés ; mais les versions grecques et latines sont si défectueuses qu'on y peut à peine saisir la pensée du psalmiste. J. B. Rousseau a heureusement imité ce psaume dans ses Odes sacrées, I, 3.

H. LESÈTRE.

sonarum acceptor Deus. Et audite, ita quod percipiatis, id est, intelligatis. Lucæ, viii, 8 : *Qui habet aures audiendi, audiat*[1].

3 « *Quique terrigenæ.* » Hic specificat quos vult audire, et a conditione duplici, naturæ primo, et fortunæ secundo, ibi, « *Simul in unum.* »

Dicit ergo : Sic audite omnes et boni et mali, « *quique terrigenæ* » estis, scilicet humiles homines, a terra et loco, unde nati estis nominati, et nomen primæ conditionis retinentes. Genes. ii, 7 : *Formavit igitur Deus hominem de limo terræ.*

« *Et filii hominum,* » nobiles et majores a parentibus nominati. Infra, in eodem Psal. xlviii, 12 : *Vocaverunt nomina sua in terris suis.* Terrigenæ etiam possunt dici mali cadentes in partem primi Adæ, qui terrenus fuit. I ad Corinth. x, 47 : *Primus homo de terra terrenus.* « *Filii hominum,* » nobiles et majores boni, qui cadunt in partem Christi filii hominis. Matth. xvi, 13 : *Quem dicunt homines esse filium hominis ?*

« *Simul in unum,* » venite ad audiendum, « *dives* » in rebus fortunæ, « *et pauper* » in eisdem. Dives refertur ad terrigenam, quia terrenis plenus. Cassiodorus : « Dives pertinet ad terrigenas, quia numerosis peccatis probatur opulentus. » Eccli. xi, 10 : *Si dives fueris, non eris immunis a delicto.* Et pauper ad id quod dictum est, «*filii hominum.*» Matth. v, 3: *Beati pauperes.* Omnes ergo audite, in unum vos congregantes, quia æqualiter vult Deus instruere omnes, et divites et pauperes, et bonos et malos : nullum excipit a doctrina, qui eam recipere velit. Sap. vi, 8 : *Pusillum et magnum ipse fecit. et æqualiter cura est illi de omnibus.* Secundum Cassiodorum sic legitur : « Audite hoc mirum, « quia simul in unum est dives et pauper, « quia in Christo pauper secundum humanitatem, dives secundum divinitatem. » II ad Cor. viii, 9 : *Propter vos egenus factus est, cum esset dives, ut illius inopia divites essetis.*

Hic ergo nota, quod præcessit trina citatio. « *Audite hæc, omnes gentes :* » ecce prima. « *Auribus percipite, omnes qui habitatis orbem :* » ecce secunda : « *Quique terrigenæ,* etc. » subauditur, venite ad audiendum : ecce tertia. Qui non audierit, feretur contra eum sententia dura. Hæc trina vocatio similiter est, Jerem. xxii, 29 : *Terra, terra, terra, audi sermonem Domini.*

« *Os meum loquetur.* » Hic tertium quare audire debent, ubi commendat dicenda, et hoc a quatuor. A sublimitate primo. Secundo, ab utilitate, ibi, « *Et meditatio.* » Tertio, ab auctoritate, ibi, « *Inclinabo.* » Quarto, ab evidenti manifestatione, ibi, « *Aperiam in psalterio.* » 4

Captat benevolentiam ab argumenti dignitate.

Dicit ergo : Omnes audite, et debetis, quia « *os meum loquetur sapientiam,* » quæ pertinet ad divinam, scilicet Christum. I ad Corinth. i, 23 et 24: *Prædicamus Christum crucifixum,... Dei virtutem et Dei sapientiam.* Et infra, ℣ 30 : *Qui factus est nobis sapientia a Deo.* Et scriptum est, Prov. iii, 13 : *Beatus homo qui invenit sapientiam, et qui affluit prudentia.* Sed nunc eo ipso quod loquitur aliquis sapientiam, eo non curant audire multi. II ad Timoth. iv, 3 : *Erit tempus cum sanam doctrinam non sustinebunt.*

« *Et meditatio cordis mei,* » non tantum sonus auris. Augustinus : « Hinc intelligas quia illud quod ex ore funditur, « de vena cordis emanat. » Eccli. xxi, 29 : *In corde sapientium os illorum est.* « *Loquetur prudentiam,* » quæ pertinet ad mores, et utilis est valde. Prov. ii, 3 : *Si inclinaveris cor tuum prudentiæ, intelliges timorem Domini.* Cassiodorus « Omnis sermo divinus duabus his virtutibus plenissimus indicatur. » Prov.

[1] Cf. etiam Apoc. ii, 19 et iii, 22.

IV, 7 : *Posside sapientiam, et in omni possessione tua, acquire prudentiam.*

5 « *Inclinabo in parabolam.* » Hic tertium, in quo notatur dicendorum auctoritas : quia ab ipsa veritate intus creata hæc audiet.

Ait ergo : Sic os meum loquetur sapientiam, et prudentiam : et unde hoc habebis ? « *Inclinabo in parabolam,* » id est, ad parabolas veritatis intus loquentis, « *aurem meam* » interiorem cordis. Et nota, quod illa interiora dicuntur *parabolæ,* non quia intus sint illi qui loquitur, sed quia sic decet loqui ut non capiatur ab indignis. Hieronymus : « Ideo « in parabolis, quia docet me loqui foris « parabolice, ut indignis non pateam. » Luc. VIII, 10 : *Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis, ut videntes non videant,* etc. Vel sic : « *Inclinabo aurem in parabolis,* » etiam intus factis, quia quod intus video, per speciem non cognosco, sed per speculum. I ad Corinth. XIII, 12 : *Nunc per speculum et in ænigmate.* Gregorius in *Moralibus* : « Sancti quamdiu in hac vita « sunt, æterna quasi sub quadam ima-« gine conspiciunt : quia necdum sicut « sunt manifestius contemplantur. » Parabola etiam Græce *similitudo occulta.* Est ergo sensus : Quod occulte dico, exterius aperte manifestabo.

« *Aperiam in Psalterio,* » id est, in opere ipso. Psalterium enim dicitur a ψάλλειν, quod est tangere. « *Propositionem meam.* » factam ore. Quasi diceret : Quod ore prædicabo, opere adimplebo. Sciebat bene regulam suam iste Gregorius : « Lex est prædicatoribus, ut vi-« vendo teneant, quod loquendo suadere « festinant. » Eccli. IV, 34 : *Noli esse citatus in lingua tua, et inutilis, et remissus in operibus tuis.* Aliter condemnatur a propriis labiis. Job, XV, 6 : *Condemnabit te os tuum, et non ego : et labia tua respondebunt tibi.*

« *Cur timebo in die mala ?* » Hic subjungit dicenda : et est secunda pars. Primo ergo malis graviter comminatur. Secundo, bonos consolatur, ibi, « *Verumtamen Deus redimet.* » 6

Secunda pars Psalmi.

In prima tria. Primo tangit malorum culpam. Secundo, carentiam remedii, ibi, « *Qui confidunt.* » Tertio, pœnam, ibi, « *Laborabit in æternum.* »

In prima duo. Primo, causam timoris et damnationis quærit in persona malorum. Secundo, culpam pro causa subjungit, ibi, « *Iniquitas calcanei mei.* »

Dicit ergo : Sic audite quid est quod quæro. Primo, « *Cur timebo ?* » Ego, quicumque scilicet malus, « *in die mala,* » id est, in die judicii, quæ dicitur *mala,* quia omnia mala tunc patebunt. I ad Corinth. IV, 5 : *Veniet Dominus qui illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium.* Mala etiam, quia multo pluribus mala erunt, quam bona. Matth. XXII, 14 : *Multi enim sunt vocati, pauci vero electi.* Tertio, quia malum inferet. Isa. XIII, 9 : *Ecce dies Domini veniet, crudelis, et indignationis plenus, et iræ furorisque, ad ponendam terram in solitudinem.* Eccle. VII, 15 : *Malam diem præcave.*

Calcaneus ultimum vitæ vel corpus significat.

« *Iniquitas.* » Hic respondet, et legitur duobus modis : quia enim calcaneum est extrema pars corporis, per ipsum potest significari extrema pars naturæ, scilicet corpus, vel vitæ.

Primo modo sic : Quæro cur timebo ? Ideo timebo, quia « *iniquitas calcanei mei,* » id est, quæ mihi est ex carne, quod est ultimum ex me. Ad Rom. VII, 18 : *Scio quod non habitat in me,* hoc est, in carne mea, *bonum.* Vel, « *iniquitas calcanei mei,* » id est, quæ erit mihi in fine vitæ meæ : tunc enim maxime diabolus insidiatur. Psal. LV, 6 : *Ipsi calcaneum meum observabunt.* Genes. III, 15 : *Tu insidiaberis calcaneo ejus.* « *Circumdabit me.* » Et hæc iniquitas, ut vestis confusionis turpissima et gravis. Psal. LXXII, 6 : *Tenuit eos superbia, operti sunt iniquitate, et impietate sua.* Hæc vestis est

gravissima : unde in Glossa : « Circum- « dabit me, id est, opprimet. » Isa. I, 4 : *Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate.*

Hic ergo notandum, quod insidiatur diabolus principio boni operis. Thren. I, 5 : *Facti sunt hostes ejus in capite.* Ideo dicimus in principio horarum, « Deus, in adjutorium meum intende. » Psal. CXLI, 4 : *In via hac qua ambulabam, absconderunt laqueum mihi.* Job, XL, 12 : *Stringet caudam suam sicut cedrum,* id est, tentationem in cauda factam. Et propter hoc subjungimus in fine, « Benedicamus Domino. » Genes. XXXIX, 12 : Uxor Putipharis, id est, astutia diaboli, apprehendit laciniam vestimenti Joseph, id est, extremam partem.

7 « *Qui confidunt in virtute sua.* » Hic secundum, in quo ostendit non adesse remedia, sed ipsorum carentiam. Et primo, non adesse æstimata. Secundo, omisisse eos vera, ibi, « *Non dabit Deo.* »

Vana remedia contra dæmonem.

In prima, primo ostendit nulla esse remedia roboris. Secundo, quod nec possessionis, ibi, « *Et in multitudine.* » Tertio cognationis, ibi, « *Frater non redimit.* »

Dicit ergo : Sic dixi, quod iniquitas calcanei mei me circumdabit, loquentem in persona ipsorum, « *qui confidunt in virtute sua,* » scilicet in robore corporis, vel ingenio mentis, secundum illud Jerem. IX, 23 : *Non glorietur fortis in fortitudine sua, nec sapiens,* etc.

« *Et in multitudine divitiarum suarum gloriantur.* » Contra illud, idem Jerem. IX, 23 : *Non glorietur dives in divitiis suis.* Cassiodorus : « Per divitias « maxime inflatur homo. » Eccli. XL, 26 : *Facultates, et virtutes exaltant cor.* Virtutes etiam aliquando, quarum superbia et gloriatio, multo fortius omnibus aliis vitanda est. Primo, propter incertitudinem, Eccli. IX, 1 : *Nescit homo, utrum amore an odio dignus sit.* I ad Cor. IV, 4 : *Nihil mihi conscius sum : sed non in hoc justificatus sum.* Et propter deceptionem, in hoc enim seipsum decipit, et putat se esse in via, quæ videtur homini recta, et novissima ejus ducunt ad mortem. Anselmus *in Meditationibus :* « Quot peccata tibi provenient « ex improviso ex insidiis, quæ modo « non vides ? » Item, propter virtutis ipsius imperfectionem, etiamsi adsit : tam enim imperfecta est omnis virtus nostra in conspectu Dei, ut sit injustitia. Isa. LXIV, 6 : *Facti sumus ut immundus omnes nos, et omnes justitiæ nostræ quasi pannus menstruatæ.* Ideo dicitur in Psal. CXXXVIII, 16 : *Imperfectum meum viderunt oculi tui.* Item, propter ipsius virtutis destructionem : eo enim quod de tua virtute confidis, ipsam perdis. Eccli. XVI, 8 : *Destructi sunt confidentes suæ virtuti.* Quod patet in Pharisæo, Luc. XVIII, 12 : *Non sum sicut cæteri hominum,* etc. Et amisit totum. Propter non confidentium, sed magis diffidentium remunerationem. Chrysostomus super Matthæum : « Paulus dicens : *Non sum* « *dignus vocari Apostolus* (I ad Cor. « XV, 9), propter hoc primus omnium « factus est. Sic Joannes dicens : *Non* « *sum dignus solvere corrigiam calcea-* « *mentorum,* amicus factus est sponsi, « quem indignum dixit calceamentis tan- « gendis, hunc Christus super caput suum « attraxit. » Luc. XVIII, 14 : *Qui se humiliat, exaltabitur.*

Virtutum quam divitiarum superbia periculosior.

« *Frater non redimit.* » Hic ostendit æstimata cognationis remedia nulla esse, 8
et legitur dupliciter, quia frater potest accipi pro carnali fratre, vel pro spirituali, scilicet Christo.

Primo modo sic : Nihil valet fortitudo, nihil divitiarum multitudo, nihil etiam proximitas sanguinis, quia « *frater non redimit,* » non a morte, imo magis venatur ad mortem. Michæ. VII, 2 : *Vir fratrem suum ad mortem venatur.* « *Redimet homo ?* » Interrogative, quasi diceret : Ex quo frater non redimit, putas

homo purus redimet ? Non potest esse. Et potest esse probatio hujus quod sequitur : « *Non dabit,* » id est, dare non poterit, « *Deo placationem suam,* » hoc est, aliquid per quod sibi placetur Deus. Qualiter ergo tuam posset quærere ? Nullo modo. Psal. LXXXVIII, 49: *Quis est homo qui vivet,* per se, *et non videbit mortem ? eruet animam suam de manu inferi.* Quasi diceret : Nullus est.

Potest etiam legi de Christo sic : Confidunt in virtute sua, et in divitiis suis : et propter hoc « *frater,* » id est, Christus, de quo ad Rom. VIII, 29 : *Primogenitus in multis fratribus :* « *non redimet,* » quamvis redimat alios. Osee, XIII, 14 : *De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos.* « *Redimet homo ?* » Velut Adam qui damnavit, vel alius qui est in eadem damnatione ? Quasi diceret : Non, quia alius « *homo non dabit placationem suam,* » sicut prius.

Vel hic ostenditur vera remedia esse omissa, sicut divisum fuit. Et hic duo ostendit. Primo, remedium veræ pœnitentiæ, et afflictionis voluntariæ. Secundo, eleemosynæ, ibi, « *Et pretium redemptionis.* »

Dicit sic : Non valebunt æstimata remedia, et etiam omittunt vera, quia talis « *non dabit Deo placationem suam,* » veram scilicet pœnitentiam, et afflictionem, unde placetur Deus. Job, XXXIII, 25 : *Consumpta est caro ejus a suppliciis* pœnitentiæ, *revertatur ad dies adolescentiæ suæ.* Eccli. XII, 3 : *Altissimus odio habet peccatores, et misertus est pœnitentibus.*

9 « *Et pretium redemptionis.* » Hic omissio eleemosynæ. Quasi diceret sic : Non dabit placationem, et etiam « *non dabit pretium redemptionis animæ suæ,* » scilicet eleemosynam. Proverb. XIII, 8 : *Redemptio animæ viri, divitiæ suæ.* Et Prov. XVI, 6 : *Misericordia et veritate redimitur iniquitas.*

« *Laborabit in æternum.* » Hic tertium, in quo subjungitur de pœna, ex quo præcessit de culpa, et de remediorum carentia. Et primo, tangitur pœnæ æternitas in generali. Secundo, magis specificatur per partes, ibi, « *Non videbit interitum.* »

Dicit ergo : Sic nulla remedia, et præcessit culpa, et propter hoc, « *laborabit in æternum.* » Judith, XVI, 21 : *Dabit ignem et vermes in carnes eorum, ut urantur, et sentiant usque in sempiternum.*

« *Et vivet adhuc in finem,* » veniens,
id est, postquam finierit vitam istam, 10
adhuc redibit ad vitam, et remanebit, et vivens anima non simul cum corpore interibit, sicut dicunt illi, Sap. II, 2 : *Ex nihilo nati sumus, et post hoc erimus quasi non fuerimus.* Et infra, ỹ. 3 : *Extincta,* scilicet anima, *cinis erit corpus nostrum.* Sed non est ita. Job, XX, 18 : *Luet quæ fecit omnia, nec tamen consumetur.*

Justissima pœna æterna multis rationibus ostenditur.

Nec est injustitia, si pro temporali culpa puniuntur æterna pœna pluribus rationibus. Primo, quia emptio momentanea vim dat perpetuum possidendi. Sed diabolus momentanea delectatione emit animam. Prov. X, 20 : *Cor impiorum pro nihilo venumdabitur.* Isa. L, 1 : *Iniquitatibus vestris venumdati estis.* Item, casus in puteum est momentaneus, sed detentio est perpetua sine omni injuria. Sed Job, XXI, 13 : *In puncto ad inferna descendunt.* Amos, VIII, 14 : *Cadent et non resurgent ultra.* Item, nulla justitia reddit æqualem culpæ pœnam nisi forte lex talionis. Augustinus : « Genera pœnarum in legibus esse scri-« psit Tullius, damnum, vincula, talio-« nem, ignominiam, exsilium, mortem, « servitutem. Nulla harum est quæ ma-« jor non sit, quam culpa, nisi forte ta-

« lionis [1]. » Item, culpa durat in æternum. Jerem. xxx, 15 : *Insanabilis est dolor tuus : propter multitudinem iniquitatis tuæ : et propter dura peccata tua feci hæc tibi.* Item, destruit in se bonum, quod in eo æternum permaneret : ergo justo judicio æternaliter puniendus. Augustinus : « Malo dignus est æterno, « qui in se bonum perimit, quod potuit « ei esse æternum. »

11 Enumerantur pœnæ damnatorum tres, quæ ad corpus, possessiones, et nomen pertinent.

« *Non videbit.* » Hic secundo determinantur pœnæ quæ superius tactæ sunt quasi in generali. Et primo, agitur de pœna corporali. Secundo, de mentali, ibi, « *Sicut oves in inferno.* » Tertio, de pœna conjuncti, ibi, « *Et dominabuntur.* »

Item, quia sicut corpus amaverat tria, carnem, possessionem quæ nutriebat illam, et memoriæ perpetuitatem, propter hoc tria dicuntur. Primo, separatio animæ a carne inopinata. Secundo, separatio inopinata a possessione, ibi, « *Et relinquent.* » Tertio, monstratur memoriæ inutilitas, ibi, « *Tabernacula eorum.* »

In prima tria. Primo, negligentia cogitandi de fine proprio, et morte. Secundo, causa quare negligit, ibi, « *Cum viderit.* » Tertio, mors insperata æterna, ibi, « *Simul sapiens.* »

Dicit ergo : Sic punientur mali, et tamen insipiens, et peccator « *non videbit,* » id est, non attendet aut cogitabit, « *interitum,* » verum scilicet gehennæ, de quo Proverb. I, 26 : *Ego autem in interitu vestro gaudebo.* Proverb. XXII, 3 : *Callidus videt malum, et abscondit se : stultus transibit, et confidit.* Isa. XLVII, 11 : *Veniet super te repente miseria, quam nescis.* Et tunc curabunt miselli, qui modo nec cogitare volunt. Ezech. XXVI, 11 : *Attoniti super repentino casu tuo admirabuntur.* Propter hoc bene dicitur, Deut. XXII, 29 : *Utinam saperent, ac intelligerent, et novissima præviderent.*

« *Cum viderit,* » id est, quia videt « *sapientes morientes,* » sicut stultos. Et notatur Glossa dicens, « Si sapiens, etc. » Sap. IV, 17 : *Videbunt finem sapientis, et non intelligent quid cogitet de illo Deus.* In tenebris enim sunt, et nihil vident. Eccle. II, 14 : *Sapientis oculi in capite ejus : stultus in tenebris ambulat.*

Sed quid tandem « *insipiens,* » qui sibi non præcavet in futuro, « *et stultus,* » qui nescit in quo malo sit ? « *Peribunt,* » et hoc « *simul* : » unus alium liberare non poterit. « *Insipiens,* » qui nec præsentia mala attendit, nec futura, sed sicut brutum sequitur suas voluptates. Prov. VII, 22 : *Statim eam sequitur, quasi bos ductus ad victimam.* « *Et stultus,* » qui bene mala prævidet, sed non cavet. Num. XXIV, 16 : *Qui cadens apertos habet oculos.* Jerem. XLIX, 7 : *Inutilis facta est scientia eorum.* « *Peribunt.* » Baruch, III, 28 : *Quoniam non habuerunt scientiam, interierunt propter suam insipientiam.* Peribunt autem non illa communi morte, qua alii, sed æternaliter. Job, IV, 20 : *Quia nullus intelligit, in æternum peribunt.* Jerem. XX, 11 : *Confundentur vehementer, quia non intellexerunt opprobrium sempiternum, quod numquam delebitur.*

« *Et relinquent alienis.* » Hic inopinata separatio a possessione : et dicuntur duo. Primo, dicit eos tales possessiones perdituros. Secundo, numquam recuperaturos, ibi, « *Et sepulcra eorum.* » **12**

Dicit ergo : Sic peribunt. Sed quid fiet de divitiis, quibus tanto amore inhærebant, et in quibus gloriabantur ?

[1] S. AUGUSTINUS de Civitate Dei, lib. XXI, cap. 11

Resp. « *Et relinquent divitias suas,* » propter quas acquirendas multipliciter peccaverunt. Jer. xvii, 11 : *Fecit divitias, et non in judicio : in dimidio dierum suorum derelinquet eas, et in novissimo suo erit insipiens.* Et dicit « *suas,* » quas sibi apparaverunt, non aliis communicaverunt, contra illud Apostoli ad Hebr. xiii, 16 : *Beneficentiæ et communionis nolite oblivisci.* I ad Cor. x, 24 : *Nemo quod suum est quærat.* Sed quomodo dicit « *alienis ?* » Nonne relinquent eas filiis suis, vel consanguineis ? Resp. Proximus est, qui tibi prodest. Luc. x, 36 et 37 : *Quis horum trium videtur proximus fuisse illi, qui incidit in latrones ?... Qui fecit misericordiam in illum.* Si ergo consanguinei nihil tibi mortuo prosunt, certum est quod non sunt proximi, sed alieni valde.

« *Et sepulcra.*» Ecce, quasi on videbunt ad illas : « *et sepulcra* » eorum sunt « *domus illorum* » non ad modicum tempus, sed « *in æternum,* » totius hujus temporis. Vel secundum aliorum opinionem, sunt domus æternæ. Et nota, quod dicit *sepulcra* pluraliter, propter triplicem sepulturam malorum. Primo, sepelitur corpus in terra, Genes. xxiii, 19, Abraham sepelivit uxorem in agro. Eccli. xl, 1 : *Jugum grave super filios Adam, a die exitus de ventre matris eorum, usque in diem sepulturæ in matrem omnium.* Secundo, sepelitur anima mortua peccato in suo corpore, quod dicitur sepulcrum ratione fœtoris, quem exhalat ab anima intus mortua. Psal. xiii, 3 et v, 11 : *Sepulcrum patens est guttur eorum.* Tertia vero est conjectio in infernum. Job, xxi, 32 : *Ipse ad sepulcra ducetur,* ad infernum, *et in congerie mortuorum vigilabit.*

Triplex malorum sepulcrum.

« *Tabernacula eorum.* » Hic tertium, memoriæ inutilitas : et dicuntur duo. Primo tangit memoriæ diuturnitatem. Secundo, hujus memoriæ inutilitatem, ibi, « *Homo cum in honore esset.* »

In prima, primo tangit vim affixam tectis. Secundo, terris, ibi, *Vocaverunt.*»

Dicit ergo : Sic non prosunt divitiæ : et etiam « *tabernacula eorum,* » in quibus modicum valde, Isa. xxviii, 10 et 13 : *Modicum ibi, modicum ibi.* « *In progenie et progenie* » altera sunt duratura, tamquam palatia et domus fortissimæ, transeuntes a progenie filiorum usque ad progeniem nepotum eorum æstimatione : sed non est ita : imo valde cito destruentur illa. Job, xxi, 28 : *Ubi est domus principis ? et ubi tabernacula impiorum ?* Marc. xiii, 2 : *Vides has omnes magnas ædificationes ? Non relinquetur lapis super lapidem qui non destruatur.*

« *Vocaverunt,* » id est, vocari fecerunt, « *nomina sua,* » memoriam scilicet suam, per illa tabernacula « *in terris suis :* » quia non potuerunt in terris alienis, in quibus libentius fecissent, si potuissent.

Vel ita : « *Vocaverunt nomina sua,*» id est, vocabilia fecerunt, et non modo in terris suis, sed in modis diversis. Jerem. xvii, 13 : *Recedentes a te, in terra scribentur.* Vel sic secundum litteram Augustini : Sic tabernacula durabunt, et « *invocabunt* » hæredes « *nomina sua,* » patrum scilicet, in sepulcris : illuc enim veniebant hæredes, et ibi invocabunt patres, et eis cantabant, et se inebriebant. Hunc errorem vult tangere, Eccli. xxx, 18 : *Quasi appositiones epularum circumpositæ sepulcro.* Tob. iv, 18 : *Panem tuum et vinum tuum, super sepulcrum justi constitue.*

« *Et homo cum in honore esset.* » Hic secundum, in quo ostendit memoriæ hujus inutilitatem. Et hoc facit primo reprehendendo ignorantiam talia quærentium, ex qua processit demum culpa, quam efficit, ibi, « *Hæc via illorum.* » 13

In prima, ostendit primo perditam in talibus naturalem sublimitatis intelligen-

tiam. Secundo, adeptam cum infimis æqualitatem, ibi, « *Comparatus est.* »

Dupliciter autem legitur primum : quia primo, prout « *intellexit* » est verbum absolutum, vel ut transitivum secundo. Primo modo sic : Has memorias quærunt, sed « *homo,* » hoc faciendo, « *non intellexit,* » non intelligenter egit : et hoc cum potius regnum Dei quærendum esset, secundum illud Matth. VI, 33 : *Quærite primum regnum Dei, et hæc omnia adjicientur vobis.* Et tamen intelligenter agere debuisset, « *cum in honore esset* » conditus, scilicet intellectu, potentia, et imagine Dei. Genes. I, 26 : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.*

Vel sic : Ita homo intendit vanis istis sepulcris, et tabernaculis ad sui memoriam fabricandis : nec Deo imputandum, sed sibi, quia « *homo cum in honore esset,* » factus scilicet ad imaginem Dei, « *non intellexit* » habere se hunc honorem. Sap. II, 22 : *Nec judicaverunt honorem animarum suarum.* « *Comparatus est jumentis insipientibus,* » id est, in insipientia, contra illud Psal. XXXI, 9 : *Nolite fieri sicut equus et mulus, quibus non est intellectus.* « *Et similis factus est illis,* » in affectu propter concupiscentiam voluptatis. Jerem. V, 8 : *Equi amatores et emissarii facti sunt : unusquisque ad uxorem proximi sui hinniebat.*

[T]riplex ho[m]inis præ[st]antia pec[ca]to amissa.

Et nota, quod est triplex honor hominis. Primus, quia intellectu perfectus. Plantis enim Deus dedit animam vegetativam, brutis sensitivam, sed homini intellectivam. Seneca ad Lucilium : « Quibusdam animalibus servilem, quibusdam pavidum, nobis autem excelsum et gloriosum dedit spiritum, sic excelsum ut præcedat omnem aliam creaturam, solo Deo inferior. » Idem Seneca : « Homo ratione antecedit animalia, deos sequitur. » Secundus est, quod sit omnibus animalibus perfectior. Genes. I, 26 : *Et præsit piscibus maris, et animantibus terræ, et volatilibus cœli.* Psal. VIII, 8 : *Omnia subjecisti sub pedibus ejus, oves,* etc. Tertius, quod statura erectus. Seneca ad Lucilium : « Natura vultus meos erexit ad cœlum, et quidquid magnificum, mirumque fecerat, videri a suspicientibus voluit. » Primum amisit, « *Non intellexit,* » inquit. Et secundum, « *Comparatus est jumentis insipientibus,* » non jam major. Et tertium, « *Similis factus est illis,* » ad terrena inclinatus sicut illa.

« *Hæc via illorum scandalum ipsis.* » 14
Hic secundum, in quo tangit culpam quam facit prædicta ignorantia. Et primo, propriam culpam. Secundo, alienam, ibi, « *Et postea.* »

Dicit ergo : Sic facti sunt ut jumenta insipientes. « *Hæc via,* » vita brutalis scilicet, quam ducunt, et bonam credunt. Proverb. XVI, 25 : *Est via quæ videtur homini recta,* etc. « *Illorum,* » non Dei, nec bonorum, qui dicunt illud Psal. XVI, 4 : *Propter verba labiorum tuorum, ego custodivi vias duras.* « *Scandalum* est *ipsis,* » id est, præcipitat in culpam ipsos scandalizantem et torquentem propter conscientiæ remorsum. Psal. LXVIII, 23 : *Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum,* etc. Eccli. XXI, 11 : *Via peccantium complantata lapidibus, et in fine illorum inferi, et tenebræ.*

« *Et postea in ore suo.* » Hic secundum, sed legitur quadrupliciter. Duobus modis secundum nostram litteram. Duobus secundum aliam.

Primo modo sic : Ita torquentur de mala vita sua, sed « *postea complacebunt* » aliis : et adjungent se eis alii ut similes fiant. Et hoc « *in ore suo,* » eis suavia loquentes, et eos attrahentes. Thren. IV, 3 : *Sed et lamiæ nudaverunt mammam, lactaverunt catulos suos.* Sed Proverb. I, 10, dicitur : *Fili mi, si te lactaverint peccatores, ne acquiescas eis.* Vel sic : Ita torquentur de mala vita sua, et tamen « *postea complacebunt* » aliis, id est, quasi placatos et quietos se red-

dent aliis. Et hoc, « *in ore suo,* » loquente simulate. Isa. xxxii, 6 : *Cor ejus faciet iniquitatem, ut perficiat simulationem.*

Duobus modis legitur secundum aliam litteram, quæ talis est : « Et postea in ore suo benedicent. » Quasi diceret : Tales, et ita afflicti erunt intus, et tamen « postea in ore suo benedicent » Dominum, ut sanctos et bonos se simulent. Matth. xv, 8 : *Populus hic labiis me honorat : cor autem eorum longe est a me*[1]. Vel sic : Tabernacula ædificaverunt sibi, et sepulcra, « et postea, » et post hæc prospera, « benedicent » Deum. Et hoc, « in ore suo. » Zachar. xi, 5 : *Benedictus Deus, divites facti sumus.* In prima notatur aliorum stimulatio ad peccandum. In secunda, simulatio quietæ mentis. In tertia, simulatio sanctitatis. Et in quarta, gratitudo in prosperitate, in culpis, et temporalibus bonis.

15 « *Sicut oves in inferno.* » Hic subjungitur de pœna malorum mentali. Et primo tangitur eorum inopinara damnatio in inferno. Secundo, indeficiens afflictio, ibi, « *Mors depascet.* »

Primum legitur tribus modis. Uno modo secundum litteram aliam. Duobus secundum nostram. Primo modo sic : Ita se jactant se esse in bono statu, sed ipsi « positi sunt, » mente, « in inferno. » Sicut boni ponuntur mente in cœlo. Ad Philip. iii, 20 : *Nostra conversatio in cœlis est.* Nec mirandum si dicuntur esse positi mente in inferno, quia Baruch, iii, 11 : *Deputatus est cum descendentibus in infernum.* Eccli. li, 9 : *Vita mea appropinquans erat in inferno deorsum.* Ipsi, dico, existentes « sicut oves » ignavæ, et ignaræ. Psal. lxxxi, 5 : *Nescierunt, neque intellexerunt : in tenebris ambulant.* « Mors, » id est, diabolus, qui mors dicitur. Osee, xiii, 4 : *Ero mors tua o mors* : sicut Christus vita. Joan. xiv, 6 : *Ego sum via, et veritas, et vita.* Est eis pastor pessimus et seductor. Jerem. l, 6 : *Pastores eorum,* dæmones scilicet, *seduxerunt eos,* quia ducunt ad pascua miserabilia, ubi non est cibus, apud inferos scilicet. Eccli. xiv, 17 : *Non est apud inferos invenire cibum.*

Secundum nostram sic : « *Positi sunt,* » id est, ponentur post mortem « *in inferno sicut oves,* » a quibus etsi auferatur lana, manet tamen substantia. Sic etsi infligatur pœna, manet tamen natura. Job, xx, 18 : *Luet quæ fecit omnia, nec tamen consumetur.* « *Mors,* » id est, infernalis pœna. Apocal. xxi, 8 : *Pars illorum erit in stagno ardenti igne et sulphure : quod est mors secunda.* « *Depascet eos,* » deorsum pascet : ut semper renascantur, et renoventur ad pœnam, sicut herba ad pastum. Job, xxx, 25 : *Consumpta est caro ejus a suppliciis, revertatur ad dies adolescentiæ suæ.*

Tertio modo quantum ad ultimam partem sic : « *Mors,* » id est, diabolus, « *depascet eos,* » id est, de pœna ad pœnam, quasi de pascuis ad pascua ducet. Job, xxiv, 19 : *Ad nimium calorem transeat ab aquis nivium.*

« *Et dominabuntur eorum.* » Hic subjungitur de pœna conjuncti : et est duplex. Primo, inimicorum super illos sublimatio in judicio. Secundo, summa illorum humiliatio in inferno, ibi, « *Veterascet auxilium.* »

Legitur autem tripliciter. Secundum nostram litteram dupliciter. Uno modo secundum aliam.

Dicit ergo : Sic affligentur in corpore et in anima, « *justi,* » quos mali reputant inimicos, et qui erant inimici eorum, « *dominabuntur eorum,* » vel « eis, » ut habet Augustinus, quia judicabunt eos. Malach. iv, 3 : *Calcabitis*

[1] Cf. Isa. xxix, 13.

impios cum fuerint sicut pulvis, vel cinis, sub planta pedum vestrorum. Sap. III, 8 : *Judicabunt* Sancti *nationes.* Et hoc « *in matutino,* » in die judicii. Cassiodorus : « Quando jam beatitudinis « claritas aperitur, et inchoat esse dies « qui nulla nocte finitur. » Nunc quidem nox est, quia corda latent : sed tunc erit dies, quia corda patebunt. Matth. XII, 2 : *Nihil est opertum,* etc.

« *Et auxilium eorum.* » Hic lectura triplex. Primo sic : « *Et auxilium eorum,* » a gloria eorum habitum, quam habebant, aut de virtute, aut de divitiis, aut de carnalibus amicis, « *veterascet,* » id est, annihilabitur. Ad Hebr. VIII, 13 : *Quod antiquatur et senescit, prope interitum est.* « *In inferno.* » Prov. x, 28 : *Spes impiorum peribit.* Isa. xxx, 7 : *Ægyptus frustra, et vane auxiliabitur.* Vel sic : « *Auxilium eorum veterascet in inferno,* » annihilabitur, ut omnino nullum sit. Isa. x, 3 : *Quid facietis in die visitationis, et calamitatis de longe venientis. Ad cujus confugietis auxilium,* etc. Et hoc, « *a gloria eorum,* » quam tantam habuerunt in mundo. Quasi diceret : De tanta gloria devenient ad tantam ignominiam. Osee, IV, 7 : *Gloriam eorum in ignominiam commutabo.* Apocal. XVIII, 7 : *Quantum glorificavit se, et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum.*

Alio modo secundum litteram Cassiodori : « Auxilium eorum veterascet, » annihilabitur scilicet sicut prius. Et « a gloria sua » expulsi sunt, non portabunt illam secum : quippe infra, in eodem Psal. XLVIII, 18 : *Cum interierit, non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria ejus.* Job, XVIII, 18 : *Expellet eum de luce in tenebras* infernales.

16 « *Verumtamen Deus redimet.* » Hic secundum, in quo præmissa dura comminatione malis, consolatur bonos, et dupliciter. Primo consolatur eos contra dæmones nitentes trahere ad æternam damnationem. Secundo, contra homines immittentes tentationem occasionaliter, ibi, « *Ne timueris.* »

[Margin: ...ost comminationem pœnarum ...ontra ma...os hic so...atur bonos ...ontra dæ...omnum et hominum malitiam.]

In prima tria. Primo, liberatio a dæmone. Secundo, de quo erit illa liberatio, ibi, « *De manu.* » Tertio, modus, ibi, « *Cum acceperit me.* »

Dicit ergo: Sic fiet malis : « *Verumtamen Deus redimet animam meam,* » pretio vitæ et sanguinis proprii. Apoc. v, 9 : *Occisus es, et redemisti nos in sanguine tuo.* Sed numquid de aliquo parvo malo? Non, Imo, « *de manu inferi,* » id est, de potestate diaboli, qui omnes detinebat in limbo ante adventum Christi. Isa. x, 14 : *Sicut colliguntur ova, quæ derelicta sunt, sic universam terram ego congregavi : et non fuit qui moveret pennam, et aperiret os, et ganniret.* Et hoc, « *cum acceperit me,* » carnem ex me. Joan. I, 14 : *Verbum caro factum est.* Ad Hebr. II, 16 : *Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit.*

[Margin: Nota hoc versu contineri annuntiationis et passionis mysterium.]

Hic est thema in annuntiatione Dominica, et passione, quando simul concurrunt. In hac enim die duo magna et stupenda facta sunt, scilicet Filii Dei incarnatio, « *Cum acceperit me* : » Et humani generis redemptio per passionem, « *Deus redimet animam.* » Utrumque notatur. Associatio enim dicitur cum de duobus similiter. Luc. I, 68 : *Visitavit,* carnem assumendo, *et fecit redemptionem,* mortem sustinendo. Ad Philip. II, 7: *Semetipsum exinanivit, formam servi accipiens,* in incarnatione. Et post, *Factus obediens usque ad mortem.* Magna dignatio ! Primum dignatur accipere, novissimum primus, altissimus infimum, dignissimus vilissimum, ditissimus pauperrimum : et tu de primo fias vilissimus, de alto infimus, de digno vilissimus, de divite egenus, et sic rependes ei vicem. Et sic retribues ei. Psal. CXXXVI, 8 : *Beatus qui retribuet tibi retributionem tuam, quam retribuisti nobis.*

17 « *Ne timueris cum dives.* » Hic secundum, consolatio contra homines immittentes tentationes occasionaliter. Tentari enim potest justus dupliciter. Primo, de malorum prosperitate. Secundo, de laudata eorum sanctitate, et felicitate. Contra primum consolatur primo. Secundo, contra secundum, ibi, « *Anima ejus in vita.* »

In prima duo. Primo, præmittit malorum prosperitatem, quæ turbat justos. Secundo, subdit ablationem illius prosperitatis, ibi, « *Qui cum interierit.*»

Et tangit primo eorum prosperitatem consistentem in divitiarum copia. Secundo, consistentem in dignitatum copia, ibi, « *Et cum multiplicata.* »

Dicit ergo : Sic redimeris sicut et ego : et si bonus pauper es tu, « *ne timueris* » te amisisse omnia, et Deum non curare, quia, «*cum dives factus fuerit homo*» malus, in malum abit, sicut I ad Corinth. III, 3 : *Cum sint inter vos zelus et contentio, nonne carnales estis, et secundum hominem ambulatis ?* Ne dicatis illud Malach. III, 14 : *Vanus est qui servit Deo : et quod emolumentum quia custodivimus præcepta ejus ?*

Et dicit, « *Dives factus,* » non natus, sed pauper et miser, I ad Timoth. VI, 7 : *Nihil intulimus in hunc mundum, haud dubium,*etc.Job,I,21:*Nudus egressus sum de utero matris meæ,* etc. Sed quia divitias possunt habere viles personæ, subdit : « *Et ne timueris.* » Repete : « *Cum multiplicata fuerit gloria domus ejus,* » quæ consistit in honoribus et dignitatibus sæculi. Ezech. XXVII, 25 : *Repleta es, et glorificata nimis in corde maris,* id est, mundi.

Non est curandum pauperi justo si divitiæ multiplicantur injusto.

Et nota, quod non est curandum pauperi justo, si divitiæ et gloria multiplicantur injusto. Primo, quia beneficium est sinistræ, Prov. III, 16 : *In sinistra illius divitiæ, et gloria.* Eccli. IX, 16 : *Non zeles gloriam et opes peccatoris.* Item, malis conferuntur, Psal. LXXXII, 3 : *Qui oderunt te, extulerunt caput.* Job, XII, 6 : *Abundant tabernacula prædonum.* Item, majora eis reservantur, Matth. V, 3 : *Beati pauperes spiritu : quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Luc. XII, 32 : *Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum.* Item, frequenter ipsi justo ab ipso divite ista congregantur, Job, XXVII, 16 et 17 : *Si comportaverit quasi terram argentum, et sicut lutum præparaverit vestimenta : præparabit quidem, sed justus vestietur illis : et argentum innocens dividet.*

« *Quoniam cum interierit.*» Hic secundum, in quo subjungit prosperitatis ablationem. Et primo tangit ablationem rerum. Secundo, dignitatum, ibi, « *Nec descendet.* » 18

Dicit ergo : Ne timueris, « *Quoniam cum interierit,* » homo ille, non enim mortem tollunt divitiæ. Eccli. X, 12 : *Rex hodie est, et cras morietur.* Imo reddunt amariorem valde, Eccli. XLI, 1 : *O mors, quam amara est memoria tua homini pacem habenti in substantiis suis.*

« *Non sumet omnia.* » Negatio totum negat, id est, nulla secum sumet. Job, XXVII, 19 : *Dives cum dormierit, nihil secum auferet.* I ad Timoth. VI, 7 : *Nihil intulimus in hunc mundum : haud dubium quod nec auferre quid possumus.*

« *Nec descendet cum eo gloria ejus,* » in inferno. Cassiodorus : « Descendet « sine turba satellitum, sine præsump« tione gazarum.» Habac. II, 16 : *Repletus est ignominia pro gloria.* Osee, IV, 7 : *Gloriam eorum in ignominiam commutabo.* Sed numquid secum portat ornamenta quibus involvitur, et expensas quæ fiunt in sepulcris ? Nullo modo. Augustinus : « Certe nec quæ tollit sepul« tura, secum sumet mortuus. » Et Cassiodorus : « Aliud secum non portat, nisi « unde valeat ardere, » scilicet peccata, secundum illud Apocal. XIV, 13 : *Opera enim illorum sequuntur illos.*

Tria diviti morienti valde gravia.

Tanguntur ergo tria valde gravia diviti morienti. Privari amatis temporalibus,

« *Non sumet omnia.* » Isa. XVII, 11 : *Ablata est messis in die hæreditatis, et dolebit graviter.* Aliud quod est gravius, scilicet a corpore separari, quod tangit cum dicit : « *Cum interierit.* » Eccli. XLI, 1: *O mors, quam amara est memoria tua homini pacem habenti in substantiis suis!* Tertium quod est gravissimum : in gehennam mitti, cum dicit : « *Nec descendet cum eo.* » In hoc enim innuitur quod descendet. Job, XXI, 13 : *Ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt.* Et vere est hoc gravissimum, quia ibi, sicut dicit Job, XX, 22 : *Arctabitur et æstuabit, et omnis dolor irruet super eum.*

19 « *Quia anima ejus.* » Hic secundum, quod pertinet ad consolationem super falsa laude de sanctitate. Tangit autem primo exhibitam laudem malis. Secundo, causam, scilicet simulatam sanctitatem, ibi, « *Confitebitur.* » Tertio, veram illorum malitiam, ibi, « *Introibit usque in progenies.* » Quarto, pœnam condignam, ibi, « *Et usque in æternum.* »

Dicit ergo : Descendet sine gloria, « *quoniam anima ejus,* » id est, sensualitas, « *benedicetur,* » ab ipso. Primo, « *in vita ejus,* » benedictione sinistræ, habet enim Hebraica veritas, « Animæ suæ in vita sua benedicet,» secundum illud Luc. XII, 19 : *Anima, habes multa bona reposita in annos plurimos : requiesce, comede, bibe, epulare.* Ista benedictio maledictio est. Matth. XVI, 25 : *Qui voluerit animam suam salvam facere, perdet eam.* Sed si dispergeret, tunc ille vere benediceretur. Prov. XI, 17 : *Benefacit animæ suæ vir misericors.* Vel « *benedicetur,* » id est, laudabitur ab aliis secum comedentibus, et cum eo luxuriantibus, et ei adulantibus. Hieronymus : « Victus « et vestitus sæpe proferunt non de bene « vivente, sed de bene pascente senten- « tiam. » Eccli. XX, 18 : *Qui edunt panem illius, falsæ linguæ sunt.*

« *Confitebitur.* » Hic tangit causam, quare sic laudabitur anima ejus : et hoc « *quoniam confitebitur tibi.* » Vel ideo etiam descendet, « *quoniam confitebitur,* » tunc « *tantum cum benefeceris ei :* » laudant enim in prosperis tantum, non in adversis. Zachar. XI, 5 : *Benedictus Deus, divites facti sumus.* Sed si adversitas advenerit, tunc blasphemant. Isa. VIII, 21: *Cum esurierit, irascetur, et maledicet regi suo.* Psal. LVIII, 16 : *Si vero non fuerint saturati, et murmurabunt.*

« *Introibit usque in progenies.* » Hic ostendit veram illorum malitiam. Quasi 20
diceret : Ideo etiam descendet in infernum gloria ejus cum eo, quoniam « *introibit,* » affectionis et operationis pedibus, « *usque in progenies patrum suorum,* » de quibus, Thren. V, 7 : *Patres nostri peccaverunt et non sunt.* Cassiodorus : « Patres appellavit, non tantum « ex semine carnis, quantum quos mo- « rum imitatione secuti sunt. » Matth. XXIII, 32 : *Implete mensuram patrum vestrorum.* Jerem. XI, 10 : *Reversi sunt ad iniquitates patrum suorum priores.* Imo, ibid. VII, 26 : *Induraverunt cervicem suam : et pejus operati sunt quam patres eorum.*

« *Usque in æternum.* » Hic quartum, in quo subjungit illorum pœnam condignam. Primo ergo tangitur pœnæ durabilitas. Secundo, dignitas, ibi, « *Homo cum in honore.* »

Dicit ergo : Sic imitabitur patres in malo, propter quod « *non videbit lumen,* » de quo Eccle. XI, 7 : *Dulce lumen, et delectabile est oculis videre solem.* Et hoc, « *usque in æternum.* » Isa. XXVI, 10 : *Misereamur impio... et non videbit gloriam Domini, ut numquam revertatur.* Job, XV, 22 : *Non credit quod possit reverti de tenebris ad lucem.* Et merito, quia sic voluit esse in interioribus tenebris culpæ, erit tunc in exterioribus pœnæ. Matth. XXV, 30 : *Ejicite eum in tenebras exteriores.* Si enim sit ibi ignis, ni-

hilominus tenebræ : erit enim afflictivus, non tamen illuminativus. Job, XVIII, 5 : *Nonne lux impii exstinguetur, nec splendebit flamma ejus.*

12 « *Homo cum in honore.* » Hic secundum, in quo ratio pœnæ, quæ tangitur duplex. Naturalis similitudinis desertio, et inferiorum monstruosa similitudo, ibi, « *Comparatus est.* »

Ait ergo : In æternum non videbit lumen. Et merito, quia « *cum esset in honore* » temporalis fortunæ, « *homo* ille *non intellexit,* » quod est valde honorabile. Quasi diceret : Honor temporalis fortunæ, privavit eum honore majori, ne scilicet intelligeret. Isa. LVI, 10 : *Speculatores ejus,* scilicet in honoribus constituti, *cæci omnes.*

« *Comparatus est jumentis insipientibus.* » Psal. LXXII, 23 : *Ut jumentum factus sum apud te.* Imo, minus quam jumenta. Job, XII, 7 : *Interroga jumenta et docebunt.* Ecce assimilatio, imo minoratio in intellectu.

« *Et similis factus est illis,* » in affectu. Magna est verecundia a consortio Angelorum transire ad similitudinem pecorum. Isa. II, 17 : *Incurvabitur sublimitas hominum, et humiliabitur altitudo virorum.* Et nota, quod similis factus est equo per luxuriam, Jerem. V, 7 et 8 : *In domo meretricis luxuriabantur. Equi amatores et emissarii facti sunt in fœminas.* Vitulo per gulam, Jerem. L, 11 : *Effusi estis sicut vituli super herbam.* Tauro per superbiam, Eccli. VI, 2 : *Non te extollas in cogitatione tua sicut taurus.* Lupo rapaci per avaritiam, Joan. X, 12 : *Lupus rapit, et dispergit oves.* Genes. XLIX, 27 : *Benjamin, lupus rapax,* etc. Ezech. XXII, 27 : *Principes ejus in medio illius, quasi lupi rapientes prædam.* Serpenti per iram, Psal. LVII, 5 : *Furor illis secundum similitudinem serpentis.* Chrysostomus super Matthæum : « Si rapias ut lupus, irascaris ut serpens, qualiter te « potero cum hominibus numerare ? » Asino per pigritiam et acediam, Job, I, 14 : *Boves arabant, et asinæ pascebantur juxta eos,* nihil faciendo. Draconi, qui est fera pessima, per invidiam, Gen. XXXVII, 33 : *Fera pessima comedit eum, bestia devoravit Joseph.*

PSALMUS XLIX.

In die judicii non victimæ immolatæ, sed animi puritas, et sacrificium laudis hominem justificabunt.

1. *Psalmus Asaph.*
Deus deorum, Dominus, locutus est, et vocavit terram
A solis ortu usque ad occasum.

2. Ex Sion species decoris ejus :

3. Deus manifeste veniet : Deus noster, et non silebit.
Ignis in conspectu ejus exardescet : et in circuitu ejus tempestas valida.

4. Advocabit cœlum desursum, et terram, discernere populum suum.

5. Congregate illi sanctos ejus, qui ordinant testamentum ejus super sacrificia.

6. Et annuntiabunt cœli justitiam ejus, quoniam Deus judex est.

7. Audi, populus meus, et loquar : Israel, et testificabor tibi. Deus, Deus tuus ego sum.

8. Non in sacrificiis tuis arguam te : holocausta autem tua in conspectu meo sunt semper.

9. Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos :

10. Quoniam meæ sunt omnes feræ silvarum, jumenta in montibus et boves.

11. Cognovi omnia volatilia cœli : et pulchritudo agri mecum est.

12. Si esuriero, non dicam tibi : meus est enim orbis terræ, et plenitudo ejus.

13. Numquid manducabo carnes taurorum ? aut sanguinem hircorum potabo ?

14. Immola Deo sacrificium laudis, et redde Altissimo vota tua.

15. Et invoca me in die tribulationis ; eruam te, et honorificabis me.

16. Peccatori autem dixit Deus : Quare tu enarras justitias meas ? et assumis testamentum meum per os tuum ?

17. Tu vero odisti disciplinam, et projecisti sermones meos retrorsum.

18. Si videbas furem, currebas cum eo : et cum adulteris portionem tuam ponebas.

19. Os tuum abundavit malitia : et lingua tua concinnabat dolos.

20. Sedens, adversus fratremt uum loquebaris, et adversus filium matris tuæ ponebas scandalum.

21. Hæc fecisti, et tacui.
Existimasti inique quod ero tui si-

milis : arguam te, et statuam contra faciem tuam.

22. Intelligite hæc, qui obliviscimini Deum : nequando rapiat, et non sit qui eripiat.

23. Sacrificium laudis honorificabit me : et illic iter quo ostendam illi salutare Dei.

IN PSALMUM XLIX

COMMENTARIUS.

1 *Psalmus Asaph*[1].

« *Deus deorum, Dominus, locutus est.* » In præcedenti Psalmo actum est de miseria diligentium terrena, et illis adhærentium. Sed posset aliquis quærere, quando hæc fient ? propter quod consequenter agitur de tempore in quo fient, scilicet de adventu secundo Christi, in quo iniqui potissime puniuntur, et per consequens etiam de primo aliquid tangitur. Item, amatoribus terrenorum talia comminatur Deus, qualia præcesserunt. Lex quæ terrena promittebat, evacuanda constat, scilicet vetus lex : et lex laudis divinæ et amoris, per quam acquirantur cœlestia, substituenda : et de hac mutatione legis veteris in legem divinæ laudis agitur in hoc Psalmo.

Argumentum Psalmi : Adventus Christi judicis et mutatio legis veteris in novam.

1 Asaph, auquel est attribué le psaume, était fils de Barachie, I Paral. vi, 39. Il était chantre au service du tabernacle, I Paral. xv, 19 ; xvi, 5, et de plus avait comme David composé des poésies sacrées, II Paral. xxix, 30 ; Nehem. xii, 46. Il laissa une descendance qui perpétua le zèle paternel, et se distingua sous Josaphat, II Paral. xx, 14, sous Ezechias, ibid. xxix, 13, et jusqu'après la captivité, Esdr. ii, 41 ; Nehem. vii, 45 ; xi, 22. L'auteur du psaume rappelant expressément le peuple au devoir du culte intérieur, plusieurs commentateurs voient là une raison pour attribuer la composition seulement à un des descendants d'Asaph, parce qu'au temps de David et de Salomon, à l'époque de la translation de l'arche et de l'inauguration du temple, il était oiseux, semble-t-il, d'appuyer sur une obligation qui devait être parfaitement remplie. Il serait difficile de démontrer péremptoirement que l'Asaph, auteur de notre psaume, est bien le contemporain de David ; toutefois, il n'y a pas non plus de raison sérieuse pour affirmer le contraire. Du reste, les circonstances invoquées sont plutôt de nature à favoriser l'opinion traditionnelle, que celle qu'on veut lui substituer. Au temps de David et de Salomon, les lois cérémonielles étaient parfaitement exécutées ; mais l'esprit de la loi était-il aussi bien respecté que la lettre ? Et ne convenait-il pas très bien à un lévite de rappeler cet esprit aux Israélites, précisément pour les mieux préparer aux grandes manifestations liturgiques qui devaient illustrer les deux règnes ? David exprime lui-même à plusieurs reprises les mêmes idées qu'Asaph, Psal. xv ; xxv, 1-6, à l'exemple de Samuel qui avait rappelé dans une circonstance solennelle le principe qui sert de thème à ce psaume, I Reg. xv, 22. Ajoutons une dernière observation qui confirmera celles qui précèdent : au ỳ. 7, le peuple est appelé Israël ; or, on sait qu'après le schisme, cette appellation fut réservée aux dix tribus séparées ; et les asaphites étaient restés fidèles à la descendance de David.

Le psaume a toutes les allures des compositions prophétiques ; Dieu y apparaît majestueux, et y intime ses oracles à son peuple. Quoique les idées soient simples et pratiques, elles sont formulées dans un langage plein de noblesse et de vivacité. Le psalmiste débute par un exorde qui décrit les principaux traits d'une théophanie semblable à celle du Sinaï, ỳỳ. 1-6. Suivent deux morceaux plus étendus, dont le premier, ỳỳ. 7-15, regarde les Juifs fidèles à Dieu, mais trop exclusivement attachés aux formalités extérieures du culte : ils doivent se souvenir que la vraie louange de Dieu vient du cœur. Dieu s'adresse ensuite aux Juifs prévaricateurs ; aux précédents, remarque Hengstenberg, il reprochait de méconnaître ce qu'il y a de capital dans les préceptes de la première table ; pour ceux-ci il les accuse vivement de violer les préceptes de la seconde, et il termine en leur annonçant qu'il n'y a de salut pour eux que dans le retour à une adora-

Præponitur autem titulus huic Psalmo : « *Psalmus Asaph.* » « *Asaph* » fuit de principibus cantorum constitutorum a David, I Paral. VI, 31 : *Isti sunt quos constituit David super cantores domus Domini.* Et post pauca tangitur, et nominatur Asaph. Et ibidem, XVI, 4 et 5 : *Constituitque coram arca Domini de Levitis, qui ministrarent, et recordarentur operum ejus, et glorificarent atque laudarent Dominum Deum Israel : Asaph principem,* etc. Sed cum in hoc Psalmo agatur de terribili adventu Christi, scilicet secundo, quomodo cum magis ab actu intitulandus esset *Psalmus*, dicitur «*Psalmus Asaph,*» qui cantor erat? Et potest dici, quod non proponitur Asaph in titulo ratione officii, sed ratione interpretationis : interpretatur enim *congregatio* Latine, *Synagoga* Græce. Quasi diceret : Hic Psalmus convenit *Asaph*, Synagogæ scilicet Judæorum, ut ipsum cantent, ut testimonium perhibeant, non unus homo Judæus, sed tota congregatio bonorum, de legis transmutatione. Deut. XIX, 15 : *In ore duorum aut trium testium stabit omne verbum* [1]. Joan. VIII, 17 : *Duorum hominum testimonium verum est.* Quanto ergo fortius congregationis totius ? Item, si tangatur de adventu secundo qui erit terribilis, hoc est verum, malis : sed plenus bonis gaudio. Alibi, in Psal. XCVI, 8 : *Exsultaverunt filiæ Judæ, propter judicia tua, Domine.* Et alibi, XCVII, et 9 : *Montes exsultabunt a conspectu* 8 *Domini : quoniam venit judicare terram.* Et rursus, Psal. LVII, 11 : *Lætabitur justus cum viderit vindictam.*

Psalmus autem dividitur secundum quod jam quodammodo patere potest ex dictis. Cum enim agat de mutatione veteris ritus in obsequium laudis, hæc autem mutatio nullo modo debeat esse sine auctoritate majori, dicuntur tria. Primo describitur magnificentia Auctoris hujus mutationis. Secundo, subjungitur repudiatio antiquæ venerationis Dei, ibi, « *Audi, populus meus.* » Tertio, exigitur ab hominibus sacrificium oris, hoc est, laus, ibi, « *Immola sacrificium laudis.* »

In prima tria, secundum tria per quæ describit magnificentiam Auctoris. Primo tangitur ejus dignitas. Secundo, benignitas, ibi, « *Et vocavit terram.* » Tertio, potestas, ibi, « *Deus manifeste.* »

Dicit ergo : « *Deus,* » Christus, « *deorum*», factor. Magna dignitas : facit enim homines deos, alioquin non diceretur in Psal. LXXXI, 6 : *Ego dixi : Dii estis, et filii Excelsi omnes.* Et alibi, Psal. XLVI, 10 : *Dii fortes terræ vehementer elevati sunt.* Et iterum, Psal. XI, 9 : *Secundum altitudinem tuam multiplicasti filios hominum.* In exsultatione ut illos deos faceres, sicut est alibi, Psal. CXXXVIII, 17 : *Nimis honorificati sunt amici tui Deus.* « *Dominus* » dominantium (Apoc. XIX, 16) « *locutus est* », primo per præcones, et postea per seipsum. Loquitur *patribus in Prophetis : novissime diebus istis locutus est nobis in Filio* [2]. Ergo Filius locutus est. Alibi dictum est quot modis loquitur Prima pars Psalmi.

tion vraiment sincère et spirituelle. Toutes ces pensées se retrouveront fréquemment exprimées par les prophètes. Le psaume peut-être divisé en douze strophes de quatre vers heptasyllabiques.

L'enseignement d'Asaph s'adresse encore plus strictement aux chrétiens dont le culte doit être tout entier « en esprit et en vérité. » Aussi S. Clément, Ep. I ad Rom. 35, cite-t-il la fin du psaume pour leur bien faire comprendre que Dieu demande d'eux un hommage spirituel, et qu'ils doivent accomplir avant tout « quæ ad inculpatam ejus voluntatem spectant. » Plusieurs Pères, SS. Cypr. de Bon. Patient. XXII, Athan., Aug. de Civ. Dei, XX, 24, Chrys., Theod., etc., entendent tout l'exorde du jugement dernier. Ils appliquent la suite du psaume au premier avènement de Jésus-Christ, à la prédication évangélique, à l'abrogation des sacrifices anciens et à leur remplacement par le sacrifice eucharistique de la loi nouvelle. « Vaticinatur etiam novum Testamentum, ostendens legalem cultum minime Deo gratum. » Theod. Cf. Euseb., Præp. evang. VI, 3 ; J. Cassian. de Incarn. VII, 9.

(1) Cf. etiam Deut. XVII, 6 ; Matth. XVIII, 16 ; II ad Corinth. XIII, 1.

2 Ad Hebr. I, 1 et 2.

Dei multiplex acceptio. Deus. Sed hic notandum, quod est Deus natura, et non habet plurale, Deuter. vi, 4 : *Audi Israel : Dominus Deus noster, Deus unus est.* Nuncupative, Jerem. x, 11 : *Dii, qui cœlos et terram non fecerunt, pereant de terra.* Adoptione per gratiam, justi, Psal. LXXXI, 6 : *Ego dixi : Dii estis*, etc. Unione cum divina natura, sicut solus Christus Deus dicitur, Joan. xx, 28 : *Deus meus, et Dominus meus*, dixit Thomas palpato latere. Miraculorum operatione, Exod. vii, 1 : *Constituam te Deum Pharaonis.* Potestatis auctoritate, Exod. xxii, 28 : *Diis non detrahes.*

Et vocavit terram. Hic secundum, in quo tangitur benignitas, et hoc ipso per hoc quod omnes vocavit generaliter : unde duo dicuntur. Primo, quod vocavit. Secundo, unde incepit illos vocare, ibi, « *Ex Sion.* »

Dicit iterum duo. Primo, quod omnes vocaverit. Secundo, quod omnes universaliter, et nullum reliquerit, ibi, « *A solis ortu.* »

Dicit ergo : Sic locutus est, « *et vocavit terram.* » Metonymia est, id est, habitatores terræ. Isa. XLI, 4 : *Quis hæc operatus est, et fecit vocans generationes ab exordio ? Ego Dominus.* Vocavit, inquam, terram per patres antiquos, Patriarchas scilicet et Prophetas. Jer. vii, 25 : *Misi ad vos omnes servos meos Prophetas per diem*, etc. Item, per se, et suos Apostolos et Discipulos. Prov. ix, 3 : *Misit ancillas suas, ut vocarent ad arcem, et ad mœnia civitatis.* Modo quasi peremptorie vocat propemodum nos. Matth. xiv, 17 : *Misit hora cœnæ servos suos, dicere invitatis ut venirent, quoniam parata sunt omnia.* Vocavit sic terram, id est, terrenum hominem, et pulverem, « *Deus Deorum*, » et contemnit. Proverb. i, 24 : *Vocavi, et renuistis.*

« *A solis ortu.* » Quasi diceret : Sic vocavit terram, non partem unam, sed vocavit « *a solis ortu usque ad occasum*, » secundum illud Isa. XLI, 9 : *Ab extremis terræ, et a loginquis ejus ego vocavi te.* Et XLIII, 5 et 6 : *Ab Occidente congregabo te. Dicam Aquiloni : Da : et Austro, Noli prohibere.* Psal. cvi, 3 : *A solis ortu, et occasu : ab Aquilone, et mari.*

2 Unde incepit ? « *Ex Sion,* » quæ superior pars est in Jerusalem, supple, apparuit toti mundo, « *species decoris ejus*, » ipse scilicet speciosus et decorus. Psal. XLIV, 3 : *Speciosus forma præ filiis hominum.* Cant. v, 10 : *Dilectus meus candidus et rubicundus, electus ex millibus.* Ex Sion ergo ad litteram incepit vocatio, quia inde per Apostolos dispersa est in totum mundum, secundum Isa. ii, 3 : *De Sion exibit lex, et verbum Domini de Jerusalem.* Hebraica veritas habet. « Ab « ortu solis usque ad occasum ejus, Sion « perfecta decore Deus apparuit. »

3 « *Deus manifeste veniet.* » Hic tertium, in quo tangitur terribilis potestas : et quia hæc potestas terribilis in judicio maxime apparebit, describitur hic adventus ad judicium. Et tangit primo terribilem judicis præsentiam. Secundo, assessorem, et judicandorum affluentiam, ibi, *Advocavit cœlum.* » Tertio, æquissimam ejus sententiam, ibi, « *Annuntiabunt cœli justitiam.* »

In prima duo. Primo tangitur judicis manifestatio. Secundo, mundi conflagratio, ibi, « *Ignis in conspectu ejus.* »

In prima, primo tangitur judicis manifestatio ad visum. Secundo, ad auditum, ibi, « *Et non silebit.* »

Dicit ergo : Sic benignus, nec tantum hoc, sed potestate terribilis, quia « *Deus noster,* » non alius. Baruch, iii, 36 : *Hic est Deus noster, et non æstimabitur alius adversus eum.* Deus, inquam, noster latens in Patris dextra. I ad Tim. vi, 16 : *Solus habet immortalitatem, et lucem inhabitat inaccessibilem.* Hic, inquam, « *Deus noster,* » repetit ad majorem expressionem, « *manifeste veniet* » ad ju-

dicium. Apocal. I, 7 : *Ecce venit cum nubibus, et videbit eum omnis oculus.* Augustinus : « Venit occultus, ut ante judicem staret in primo adventu : sed veniet manifestus, ut de judicibus judicet. »

« *Et non silebit,* » sed auditui se manifestabit, sicut modo silet. Sed quærit Augustinus : « Si modo silet, unde ergo quæ modo dicimus? unde præcepta? unde monita? Supra, ibi, *Deus deorum, Dominus, locutus est.* » Resp. Et silet, et non silet. Non silet a præcepto, sed silet a judicio. Sed tunc intonabit illud Matth. xxv, 41 : *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum.* Job, XXXVII, 5 : *Tonabit Deus in voce sua mirabiliter.* Et XXVI, 14 : *Cum vix parvam stillam sermonis ejus audierimus, quis poterit tonitruum magnitudinis ejus intueri?*

« *Ignis in conspectu ejus.* » Hic secundum : et dicuntur duo. Mundi conflagratio, et severorum judicum circumdatio ibi, « *In circuitu ejus.* »

Quasi diceret : Sic veniet : « *Ignis exardescet,* » et hoc ante ipsum. Ignis urentis et malæ conscientiæ, Isa. XXXIII, 11 : *Concipietis ardorem, et parietis stipulam.* Ignis etiam litteralis, Isa. LXVI, 15 : *Ecce Dominus in igne veniet* : quia in igne Dominus dijudicabit. Hic est ignis quo facies mundi conflagrabit, II Pet. III, 10 : *Adveniet dies Domini ut fur.* Et infra : *Terra autem, et ea quæ in ipsa sunt opera exurentur.* Ignem palea timeat, auro quid facit? Alibi, in Psal. XCVI, 3 : *Ignis ante ipsum præcedet, et inflammabit,* etc. Sed boni purgabuntur ut aurum, Num. XXXI, 23 : *Omne quod potest transire per flammas, igne purgabitur.*

« *Et in circuitu ejus.* » Hic secundum, scilicet severorum judicum circumdatio.

Ait enim : Sic ignis exardescet, « *et valida tempestas,* » severa scilicet sententia et fortis ad ventilandam illam aream magnam « *in circuitu ejus.* » In Sanctis, qui in circuitu ejus erunt : quia cum eo judicabunt. Matth. XIX, 28 : *Cum venerit filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos,* etc. Sed si in circuitu sunt, ergo et a sinistris boni erunt : quomodo ergo vera sunt quæ dicuntur, Matth. xxv, 33 : *Et statuet oves quidem a dextris suis, hœdos autem a sinistris?* Responsio est, quod in circuitu humanitatis Christi erunt Sancti judicaturi cum eo, sicut hic dicitur. Quod autem dicitur (Matth. xxv, 33) intelligendum est quantum ad divinitatem : a dextris enim divinitatis, scilicet in bonis æternis ejus, quæ dicuntur *dextera,* erunt omnes electi. Vel intelligitur de judicandis.

« *Advocabit cœlum.* » Hic secundum 4
in quo tangitur affluentia judicandorum, et assidentium. Et primo tangitur multitudo assessorum. Secundo, judicandorum. Et primo, malorum, ibi, « *Et terram.* » Secundo, bonorum, ibi, « *Congregate illi.* »

Legitur autem dupliciter primum. Primo modo sic : Ita manifeste veniet, et veniens « *advocavit,* » præteritum pro futuro, id est, advocabit : et sic etiam habet Cassiodorus. « *Cœlum desursum,* » omnes perfectos, qui dicere possunt cum Paulo, ad Philip. III, 20 : *Nostra conversatio in cœlis est,* secum judicaturos « *terram.* » *Et advocabit,* » repete, id est, terrenos judicandos, Psal. IX, 9 : *Ipse judicabit orbem terræ,* scilicet « *discernere,* » hoc est, ut discernat, « *populum suum,* » ante se, scilicet salvandos a damnandis, de qua discretione vide Matth. xxv, 31 et seq.

Secundo modo legitur sic : Ipse veniens « *desursum,* » id est, a Patre. Jacob. I, 17 : *Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est,* etc. « *Advocabit cœlum,* » id est, omnes in fide instructos. Daniel. XII, 3 : *Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti.* « *Et terram,* » id est, peccatores, qui sunt terra illa quam serpens comedit. Genes. III, 14 : *Terram comedes cun-*

ctis diebus vitæ tuæ. « *Discernere,* » id est, ut discernat, « *populum suum,* » bonos scilicet a malis. Ezech. xxxiv, 17 : *Ego judico inter pecus, et pecus.* Matth. xiii, 49 : *Separabunt malos de medio justorum.*

5 « *Congregate illi Sanctos.* » Hic tangitur de bonis judicandis : et dicuntur duo. Primo tangit illorum gloriam. Secundo, gratiam qua illam meruerunt, ibi, « *Qui ordinant testamentum ejus.* »

Dicit ergo : Sic advocabit assessores, « *cœlum,* » et malos, « *terram.* » Et vos o Angeli, « *congregate.* » Matth. xiii, 41 : *Mittet filius hominis Angelos suos, et colligent de regno ejus omnia scandala.* « *Illi,* » ad eum, et ad honorem ejus. Matth. xxiv, 28 : *Ubicumque fuerit corpus, ibi congregabuntur et aquilæ.* « *Sanctos ejus,* » omnes in libro vitæ scriptos. Isa. iv, 3 : *Sanctus vocabitur omnis qui scriptus est in vita in Jerusalem.*

Sacrificium sumptum quadrupliciter.

« *Qui ordinant.* » Hoc legitur quadrupliciter : quia sacrificia appellantur hic, vel Vetus Testamentum, vel afflictiones, vel actiones bonæ, vel pecudum mactationes.

Dicit ergo : Congregate quoscumque Sanctos, maxime tamen illos, « *qui ordinant Testamentum ejus,* » Novum scilicet, quod illi est proprium, quia ab ipso datum, non ab Angelo. Luc. xxii, 20 : *Hic est calix Novum Testamentum* : « *super sacrificia* » Veteris Testamenti, id est, præponunt Novum Veteri, quod in sacrificiis consistebat.

Secundo modo sic : « *Qui ordinant Testamentum ejus,* » vitam scilicet æternam, quam nobis in sacramento dereliquit, « *super sacrificia,* » super qualescumque afflictiones et passiones quas sustinent in hac vita, dicentes illud Apostoli ad Roman. viii, 18 : *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Et rursum, II ad Corinth. iv, 17 : *Hoc momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum æternæ gloriæ pondus operatur in nobis.*

Vel sic : « *Qui ordinant Testamentum ejus,* » præmium vitæ æternæ, ut prius, « *super sacrificia,* » super bona opera, et labores sanctos, quibus laborant manus, reputantes minimum quasi laborem vineæ, et non murmurantes contra patremfamilias. Matth. xx, 8 : *Voca operarios, et redde illis mercedem suam.*

Vel sic : « *Qui ordinant Testamentum ejus,* » opera charitatis, quæ in Novo Testamento præcipiuntur, « *super sacrificia,* » super carnis macerationem, scientes illud Osee, vi, 6 : *Misericordiam volui, et non sacrificium, et non scientiam Dei plusquam holocausta.* I ad Tim. iv, 8 : *Exerce autem teipsum ad pietatem : corporalis enim exercitatio ad modicum prodest. Pietas autem ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, et futuræ.*

Tehma pro festo sanctorum.

Hic posset esse thema in Festo omnium Sanctorum. Indicitur enim nobis solemnitas primo, « *Congregate illi.* » Secundo, subjungitur ratio quare, ibi, « *Qui ordinant.* » Et in primo tangitur omnium una celebritas, « *Congregate.* » Secundo : congregatorum sanctitas, ibi, « *Sanctos ejus.* » De primo congregandi sunt ad venerandum, omni veneratione digni. Psal. xxxii, 1 : *Rectos decet collaudatio.* Congregandi etiam sunt ad intercedendum pro nobis, quia quod uni forte negaretur, omnibus non negabitur. Matth. xviii, 19 : *Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcumque petierint, fiet illis.* Multo fortius si omnes. Item, ad imitandum, ut inter tot aliquis inveniatur, quem desideres imitari. Job, v, 21 : *Voca ergo si est qui respondeat tibi, et ad aliquem sanctorum convertere.* Item, ad ostendendum levitatem cordium nostrorum : qui enim hac die non est devotus, valde siccus est. Genes. i, 9 : *Congregentur aquæ quæ sub cœlo sunt, in locum unum : et appareat arida.*

6 Sententia judicis. « *Et annuntiabunt cœli.* » Hic tertium, æquissima scilicet sententia judicantis, et dicuntur duo. Primo, quod erit justa. Secundo, ratio quare non potest esse alia, ibi, « *Quoniam Deus.* »

Dicit ergo : Sic veniet ut judicet, et discernat. « *Et cœli,* » Apostoli, id est, prædicatores sancti, annuntiabunt toti mundo, « *justitiam ejus,* » id est, sententiam judicii futuram justam. Psal. XVIII, 2 : *Cœli enarrant gloriam Dei*, etc. Et Job, XXVI, 13 : *Spiritus ejus ornavit cœlos.* « *Et annuntiabunt,* » supple, secure, « *quoniam Deus judex est,* » qui falli non potest. II ad Corinth. v, 10 : *Omnes nos oportet manifestari ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum.* Jerem. XXIX, 23 : *Ego sum judex, et testis.* Et Jacob. v, 9 : *Judex ante januam assistit.* Hic judex, quem nullus poterit fallere. Job, XIII, 9 : *Numquid... decipietur ut homo vestris fraudulentiis?* Item, hic est judex, quem nullus poterit effugere. Psal. LXXIV, 7 et 8 : *Quia neque ab Oriente, neque ab Occidente, neque a desertis montibus : quoniam Deus judex est.* Item, quem nullis poterit donis corrumpere. Proverb. VI, 35 : *Nec acquiescet cujusquam precibus, nec suscipiet pro redemptione dona plurima.* Soph. I, 18 : *Argentum eorum non poterit liberare eos.*

7 Secunda pars Psalmi: Mutatio legis. « *Audi, populus meus.* » Hic secunda pars Psalmi, in qua subjungitur antiquæ venerationis repudiatio : et dicuntur quatuor. Primo, sic venerantes secundum antiquum modum attentos facit. Secundo, ab hac veneratione, pro leviori quam habet ad manum, absolvit, ibi, « *Non in sacrificiis.* » Tertio, talem venerationem omnino respuit, ibi, « *Non accipiam.* » Quarto, rationem quare respuit, reddit, ibi, « *Quoniam meæ sunt omnes feræ.* »

In prima duo. Primo admonet simpliciter. Secundo persuadet pluribus, ibi, « *Et loquar, Israel.* » Primo, a sua dulci locutione. Secundo, a locutionis certitudine, ibi, « *Et testificabor.* » Tertio, ab ipsius loquentis magnitudine, ibi, « *Deus, Deus tuus.* »

Dicit ergo : « *Deus deorum, Dominus, locutus est.* » Et quid hoc? « *Audi,* » tu qui es « *populus meus.* » Vel, « *audi, popule meus,* » sicut veritas habet Hebraica. Et tangitur qui audiant, et quare, quia eo ipso quod sunt populus ejus. Joan. x, 27 : *Oves meæ vocem meam audiunt.* Psal. LXXVIII, 13 : *Nos autem populus tuus, et oves pascuæ tuæ.* « *Audi* » non tantum aure corporis, sed intellectus interioris, de qua aure, Prov. XVIII, 15 : *Auris sapientium quærit doctrinam.* Et ulterius aure affectus, et voluntatis obedientis, de qua in Psal. XVII, 45 : *In auditu auris obedivit mihi.*

Et, « *o Israel,* » repete, audi, « *et loquar,* » aliter non. Eccli. XXXII, 6 : *Ubi auditus non est, non effundas sermonem.* « *Loquar* » ego, cujus eloquia dulcissima sunt. Psal. CXVIII, 103 : *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua.* Nec incerta loquar, « *et testificabor* » tibi per Scripturas, et maxime per miracula. Joan. x, 38 : *Si mihi non vultis credere, saltem operibus credite : opera enim quæ ego facio, testimonium perhibent de me.* Joan. III, 2 : *Nemo potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo.* De Scripturis, Joan. v, 39 : *Scrutamini Scripturas, quia illæ sunt quæ testimonium perhibebunt de me.* Sed quid testificaberis? hoc, quod ego « *Deus* » omnium per creationem, sum « *Deus tuus* » per cultum specialem. Psal. LXXX, 11 : *Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti.* Deut. XXVI, 18 : *En Dominus elegit te hodie, ut sis ei populus peculiaris.*

« *Non in sacrificiis.* » Hic absolvit eos a dicta veneratione pro leviori. Primo ergo dicit, quod a prædicta et antiqua veneratione absolvit illum populum. Se- 8

cundo, quod leviora, et magis parata requirit, ibi, « *Holocausta autem.* »

Dicit ergo : » *Testificabor,* » quoniam « *Deus, Deus tuus ego sum,* » et ego ipse, « *non arguam te in sacrificiis tuis* » non mihi exhibitis, quia hæc non requiro, talibus fastiditus. Isa. I, 11 : *Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum, dicit Dominus? plenus sum.* Jerem. VII, 22 : *Non præcepi eis, in die... qua eduxi eos de terra Ægypti de verbo holocautomatum.* Et Michæ. VI, 27 : *Numquid placari potest Dominus in millibus arietum?* etc. Quasi dicat : Non.

« *Holocausta autem tua,* » id est, tui juris, « *semper sunt in conspectu meo,* » placentia. Hæc holocausta sunt, ipsa mens pro peccatis tribulata, et contrita. Cassiodorus : « Holocaustum est mens « nostra, quando divino amore succensa, « peccata sua tribulatione decoquit, et « omnia vitia sua cruciatu corporeo exu- « sta consumit. » Psal. L, 19 : *Sacrificium Deo spiritus contribulatus.* Levit. VI, 9 : *Hæc est holocausti lex : Cremabitur in altari tota nocte,* id est, durante tenebra culpæ. Per sacrificium significatur pœnitentia singularium, non tantum in mundo corpore existentium, sed mente propriam voluntatem retinentium, sed difficile, quod tale sacrificium placeat, quia sine igne charitatis offertur. I Joan. II, 13 : *Si quis non diligit, non est charitas Patris in eo.* Sed holocaustum, ubi tota voluntas Deo igne charitatis annihilatur, et incineratur per humilitatem. « *In conspectu Dei sunt semper,* » per placentiam, quia ubi amor, ibi oculus. Isa. LXVI, 2 : *Ad quem respiciam, nisi ad pauperem spiritu, et trementem sermones meos?* Isa. LVIII, 3 : *Quare jejunavimus, et non adspexisti?* Resp. *In die jejunii vestri invenitur voluntas vestra.*

9 « *Non accipiam de domo tua.* » Hic prædictorum venerationem omnino respuit, et illam quæ offertur de præsepio, et illam quæ de agno, ibi, « *Nec de gregibus.* »

Dicit ergo : Sic per omissa sacrificia non argueris, et numquid si offerantur, Domine, acceptabis? Non. Et hoc est : « *Non accipiam de domo tua,* » de præsepio tuo, « *vitulos* » in sacrificium, id est, non acceptabo, et hoc rejicio. Isa. LXVI, 3 : *Qui immolat bovem, quasi qui interficit virum.* Et dicit « *de domo tua,* » ad differentiam multorum aliorum, scilicet vitulorum, non domorum, sed labiorum. Osee, XIV, 3 : *Reddemus vitulos labiorum nostrorum.* « *Nec de gregibus tuis,* » existentibus in pascuis, « *hircos.* » Isa. I, 11 : *Sanguinem agnorum et hircorum nolui.*

Nota, quod vitulus erat antiquitus sacerdotum hostia. Levit. IV, 3 : *Si sacerdos, qui unctus est, peccaverit, delinquere faciens populum, offeret pro peccato suo vitulum.* Et hircus hostia principis. Levit. IV, 22 et 23 : *Si peccaverit princeps,... offeret hostiam Domino, hircum.* Sic hodie Judaizantes uncti nostri pontifices, offerunt vitulos, ad beneficia, petulantes, et lascivos, et gulosos : quibus posset dici illud Jerem. L, 11 : *Effusi estis sicut vituli super herbam.* Et nostri principes, hircos, luxuria fœtidos. Isidorus : « Hircus lascivum animal est, « semper fervens ad coitum. » Daniel. VIII, 5 et seq. : *Hircus... efferatus est in arietem.* Tales enim frequenter opprimunt. Sed Ecclesiæ hujus sacrificia non acceptat Deus. **Contra malos Prælatos.**

Item nota, quod per vitulum lascivi, per hircum denotatur hypocrita. Habet enim visum acutissimum : sic hypocrita acutissime videt aliorum peccata. Matth. VII, 3, 5 : *Quid vides festucam in oculo fratris tui.* Et paulo post : *Ejice primo trabem de oculo tuo.* Eccli. XIV, 10 : *Oculus malus ad mala.* Item, sanguis ejus frangit adamantem, id est, peccatum detractionis ejus, virum constantem. Prov. XV, 4 : *Lingua placabilis lignum vitæ : quæ autem immoderata est, conteret spiritum.* Item, carnes habet **Hypocrita hirco comparatus.**

duras : hypocrita vero carnales affectiones incorrigibiles et perseverantes. Jerem. XXX, 15 : *Insanabilis est dolor tuus, propter multitudinem iniquitatis tuæ, et propter dura peccata tua.* Item, cornua habet : sic hypocrita cornua superbiæ. Dan. VIII, 5 : *Porro hircus habebat cornu insigne, inter oculos suos* Psal. LXXIV, 11 : *Cornua peccatorum confringam.* Superbus Pharisæus cornua habebat elata contra Publicanum [1]. Item, fœtus bonus : sic hypocrita sæpe callet doctrina, et geniti ab eo per doctrinam, optimi sunt. Num. XXVI, 10 et seq. : *Et factum est grande miraculum, ut, Core pereunte, filii illius non perirent.* Item, fœtet : sic hypocrita. Matth. XXIII, 27 : *Væ vobis Scribæ, et pharisæi hypocritæ quia similes estis sepulcris dealbatis.* Et in Psal. v, 11 : *Sepulcrum patens est guttur eorum.* Item, habet barbam, quod est signum virilitatis : sic hypocrita habet barbam, id est, exteriorem sanctitatis apparentiam. II Reg. XIX, 24 : Venit Miphiboseth, os confusionis, scilicet hypocrita, qui ore suo se confundit, cum non facit quod dicit ad regem, barba intonsa [2]. Item, habet brevem caudam : sic hypocrita finem velocem. Job, XX, 5 : *Gaudium hypocritæ ad instar puncti.* Lascivos ergo et hypocritas Deus abjicit, qui diligit maturos et veraces. Hypocrita libenter ascendit, et amat diligi. Matth. XXIII, 6 : *Amant primos recubitus in mensis.*

Tertio, quia caret naturali indigentia, ibi, « *Numquid manducabo ?* »

In prima duo. Primo, quod est ei abundantia gressibilium. Et hoc tam silvestrium, » *quoniam meæ sunt omnes* : » quam domesticorum, « *jumenta in montibus.* » Item, et volatilium, ibi, « *Cognovi omnia.* » Et terræ nascentium, ibi, « *Et pulcritudo agri mecum est.* »

Et legitur primum dupliciter. Primo sic : Vere quippiam talium non postulo a te : quoniam mea sunt etiam quæ non possides. Quoniam feræ sylvarum, quæ sunt indomitæ, sunt meæ. Nec tantum illa, imo et quæ possides : et hoc est « *jumenta,* » quæ pascis in montibus, « *mea sunt, et boves,* » mei. Psal. XXIII, 1 : *Domini est terra et plenitudo ejus.* Deut. X, 14 : *En Domini Dei tui cœlum est, et cœlum cœli, terra et omnia quæ in ea sunt.*

Secundo modo sic : « *Omnes feræ silvarum,* » Gentiles scilicet, « *meæ sunt.* » Psal. II, 8 : *Postula a me, et dabo tibi Gentes hæreditatem tuam.* « *Jumenta in montibus,* » credentes in culmine fidei existentes, quale jumentum fuit David cum dicebat, Psal. LXXII, 23 : *Ut jumentum factus sum apud te.* Et « *boves,* » ex utraque gente Doctores terram Ecclesiæ excolentes. Job, I, 14 : *Boves arabant, et asinæ pascebantur.* Ezech. XVIII, 4 : *Omnes animæ meæ sunt.*

10 « *Quoniam meæ sunt omnes.* » Hic quartum, in quo rationem reddit, et hanc triplicem. Primo, quia est ei abundantia. Secundo, quia non est in eo vitiosa concupiscentia, ibi, « *Si esuriero.* »

Deus nullus rei indiget.

« *Cognovi omnia volatilia,* » non ex tempore, sed antequam fierent. Et est suum cognoscere, suum possidere : suum enim cognoscere, quia causa est rerum, et eo ipso quod causa est rerum, possessor est rerum. Et dicit « *volatilia cœli* » pro aere. Matth. XIII, 4 : *Volucres* **11**

1 Cf. Luc. XVIII, 10 et seq.

2 II Reg. XIX, 24 : *Miphibostah quoque filius Saul descendit in occursum regis, illotis pedibus et intonsa barba,* etc.

cœli comederunt illud. Vere cognoscit, qui tantam curam de ipsis gerit. Matth. x, 29 : *Nonne duo passeres asse veneunt : et unus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro?* Matth. vi, 26 : *Respicite volilatia cœli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea : et Pater vester cœlestis pascit illa.*

Versus tripliciter expositus.

« *Et pulchritudo.* » Hoc legitur tripliciter : quia mecum potest dicere subjectionem, vel præsentiam, vel permanentiam. Primo sic : « *Pulchritudo agri,* ubertas scilicet fructuum ornans agrum : unde dicitur *vestitura agri.* Psal. lxiv, 12 : *Campi tui replebuntur ubertate.* « *Mecum est,* » propter subjectionem, quia mihi servit. Psal. cxviii, 91 : *Omnia serviunt tibi.* Vel, « *mecum est,* » id est, mihi præsens est : quia ego ubique sum. Jerem. xxiii, 24 : *Cœlum et terram ego impleo.* Vel, « *mecum est,* » id est, mecum permanet, non transit ut tecum. Augustinus in Glossa : « Cum eo sunt omnia futura, nec detra« huntur præterita. » Psal. lxxxix, 4 : *Mille anni ante oculos tuos tamquam dies hesterna quæ præteriit.*

12 « *Si esuriero, non dicam.* » Hic secundum, in quo ostendit quod abest ab eo vitiosa concupiscentia : et dicuntur duo. Primo, ostendit in se hujus concupiscentiæ carentiam. Secundo, subjungit causam, ibi, « *Meus est enim.* »

Dicit ergo : « *Si esuriero, non dicam,* » ut pascas me tamquam desiderans, et appetens tua. Psal. xv, 2 : *Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* Isa. i, 11 : *Plenus sum.* Act. xvii, 25 : *Nec manibus humanis colitur indigens aliquo, cum ipse det omnibus vitam, et inspirationem, et omnia.*

Christi triplex esuries.

Tamen dicitur Christus esurire materialiter. Matth. iii, 2 : *Cum jejunasset quadraginta diebus, et quadraginta noctibus, postea esuriit.* Et mentaliter illum cibum, de quo Joan. iv, 34 : *Meus cibus est ut faciam voluntatem ejus qui misit me.* Item, esurit in membris. Matth. xxv, 42 : *Esurivi, et non dedistis mihi manducare.*

« *Meus est enim orbis terræ.* » Ecce ratio. Quasi diceret : Si esuriero, non dicam tibi. Quare? « *Quoniam meus est orbis terræ,* » id est continens, « *et plenitudo ejus,* » id est, contentum. Psal. xxiii, 1 : *Domini est terra, et plenitudo ejus.*

« *Numquid manducabo carnes taurorum?* » Hic tertium, quod caret naturali indigentia, et hoc cibi. 13

Ait enim : Sic non concupisco : et iterum numquid indigeo? Quasi dicat : Non. Quia, « *Numquid manducabo carnes taurorum,* » tamquam indigens cibo, « *aut sanguinem hircorum potabo?* tamquam indigens potu, sicut de diis Gentium creditur. Daniel. xiv, 5 : *Non videtur tibi esse Bel vivens deus? An non vides quanta comedat et bibat quotidie?* Sed pauperibus ista volo dari. Augustinus : « Si habes taurum pin« guem, occide pauperibus : manducent « illi. » In pauperibus accipit, et dabit ille qui dixit, *Si esuriero, non dicam tibi*[1]. Matth. ix, 13 et Osee, vi, 6 : *Misericordiam volo, et non sacrificium.* De illis Deus magis vult pauperes sustentari, quam offerri, nisi ubi simul est et oblatio, et pauperum sustentatio : tunc enim Deo accepta oblatio. Eccli. xxxv, 6 : *Non apparebis ante conspectum Domini vacuus*[2].

« *Immola Deo.* » Hic tertia pars Psalmi, in qua præ omnibus sacrificiis 14

Tertia pars Psalmi :

[1] Vide supra, ℣. 12.

[2] Cf. Exod. xxiii, 15.

Sacrificium laudis præ omnibus acceptum.

requiritur sacrificium oris, scilicet laus : et dividitur in tres partes. Primo, omnibus hominibus indicitur quasi generaliter. Secundo, interdicit peccatoribus, ibi, « *Peccatori autem dixit Deus.* » Tertio, bonos effectu concomitante extollendos promittit, ibi, « *Sacrificium laudis.* »

In prima tria, quia primo judicis laudationem. Secundo, orationem, ibi, « *Et redde.* » Tertio, gratiarum actionem post orationem et laudem, ibi, « *Et honorificabis.* »

Dicit ergo : De iis non curo, hæc renuo, sed « *immola Deo,* » mihi. Et loquitur de se tamquam de alio. « *Sacrificium laudis.* » Sacrificium dicitur, quasi sacrum factum. Ergo non erit laus sacrificii et laudis, nisi sit cum laude sanctitas laudantis. Unde Cassiodorus : « Immolat sacrificium laudis, qui a terrenis « vitiis fuerit mundatus. » Osee, xiv, 3 : *Omnem aufer iniquitatem, accipe bonum : et reddemus vitulos labiorum nostrorum.*

« *Et redde.* » Hoc ad orationem. Primo, in prosperis. Secundo, in adversis, ibi, « *Et invoca me.* »

Ait enim : Sic offer sacrificium laudis, et etiam « *redde,* » reiterando da. Redditio enim, reiterata datio. Isa. xxiii, 16 : *Bene cane, frequenta canticum.* « *Vota tua,* » id est, oblationes voluntarias et laudes, « *Altissimo.* » Psal. xxi, 26 : *Vota mea reddam in conspectu timentium eum.* Invitat autem ad laudandum Deum. Primo, quia suum a Deo requiritur : cum enim laudamus eum, de suo ei servimus. Augustinus : « O sacrifi« cium gratuitum ! Non quidem hoc « emi quod offerrem, sed tu donasti. » Isa. xlii, 5 : *Dans flatum populo qui est super eam,* scilicet terram, *et spiritum calcantibus eam. Ego Dominus, hoc est nomen meum.* Secundo, non difficile procuratur, quod Dominus requirit. Augustinus : « Securi sumus : non « ibimus in Arabiam thus quærere. Sa« crificium laudis a nobis requirit Domi« nus. » Jerem. vi, 20 : *Ut quid mihi thus de Saba affertis? et calamum suaveolentem de terra longinqua?* Item, facillime redditur. Quid enim facilius quam reddere sermonem, quem nullus tenere potest. Job, iv, 2 : *Conceptum sermonem tenere quis poterit ?* Job, xxxii, 18 : *Plenus sum sermonibus, et coarctat me spiritus uteri mei.*

« *Et invoca me.* » Hic orationem exigit in adversis. Quasi diceret : Non tan- 15
tum in prosperis reddam vota, imo etiam « *invoca me,* » id est, intus voca. Quid enim prodest strepitus labiorum, si cor sit mutum, ut possit dici illud Isa. xxix, 13, et Matth. xv, 8 : *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me.* Et hoc, « *in die tribulationis,* » stimulantis te ut me invoces. Gregorius : « Os quod prosperitas clau« dit, adversitas aperit. » Unde in Psal. cxix, 1 : *Ad Dominum cum tribularer, clamavi, et exaudivit me.* Osee, vi, 1 : *In tribulatione sua mane consurgent ad me.*

Tribulatio dies est.

Et dicit, « *in die tribulationis,* » non in nocte, quia tribulatio bonis est dies, et ipsos illuminat. Isa. xxviii, 19 : *Vexatio intellectum dabit auditui.* Et non invocabis sine fructu : quia « *et eruam te,* » ne diuturna tribulatione fatigeris. Psal. cxxiv, 3 : *Non relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem justorum.* « *Eruam,* » inquam, « *te.* » Primo, a carnis propriæ infestatione, Ad Galat. v, 17 : *Caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem.* A qua liberari quærebat, qui dicebat, ad Rom. vii, 24 : *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Et a miseriarum hujus mundi multitudine, de quibus Eccli. xl, 4 : *Ab eo, qui utitur hyacintho, et portat coronam, usque ad eum, qui operitur lino crudo : furor, et zelus, tumultus, fluctuatio, et timor mortis, iracundia perseverans, et contentio.* De quibus septem, Isa. iv, 1 : *Apprehendent septem mu-*

lieres virum unum. Sed ab illis liberat, Job, v, 19 : *In sex tribulationibus liberabit te, et in septima non tanget te malum.* Item, ab alterius sæculi infelicitate. De hac ereptione, Psal. xc, 15 : *Eripiam eum,* a purgatorio et inferno. Ab inferno, ne ibi sit : a purgatorio, si ibi fuerit.

« *Et honorificabis me.* » Ecce gratiarum additio. « *Honorificabis,* » inquam, perpetuo laudando in cœlo cum illis de quibus alibi, in Psal. lxxxiii, 5 : *Beati qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum,* etc. Et etiam in præsenti alios per bona opera ad mei laudem et gloriam invitando. Matth. v, 16 : *Videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est.* Isa. li, 3 : *Gaudium et lætitia invenientur in ea, gratiarum actio, et vox laudis.*

16 « *Peccatori autem dixit Deus.* » Hic secundum totius hujus partis, quæ tertia est in toto Psalmo, in quo interdicit hoc obsequium malis : et dicuntur tria. Primo, de usurpatione laudis increpatio. Secundo, culparum peccatoris increpati commemoratio, ibi, « *Tu vero odisti.* » Tertio, gravis comminatio, ibi, « *Arguam te.* »

In prima duo. Primo increpat de usurpatione Novi. Secundo, de usurpatione Veteris Testamenti, ibi, « *Et assumis.* »

Dupliciter autem potest continuari. Primo modo, sicut supra dictum est, « *immola Deo sacrificium laudis.* » Sed cui dictum est : Numquid bene cantantibus, et male viventibus ? Non. Acute, quia, « *peccatori dixit Deus,* » non populo suo. Unde, « *Audi, populus meus.* » Sed quid non suo ? Ecce : *Peccatori autem dixit Deus,* » non populo suo : « *Quare tu enarras justitias meas,* » prædicando, et non faciendo eas, secundum illud Matth. xxiii, 3 : *Dicunt enim, et non faciunt.* Posset respondere peccator : Triplici ratione hoc facio. Primo, quia hoc mihi ad salutem sufficere credo. Augustinus : « Dicunt : Non perdat nos Deus, « per quorum os tanta voluit bona pro- « pinquare. Sed falleris. » Matth. vii, 22 et 23 : *Multi dicent mihi in illa die : Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus ?... et tunc confitebor illis : Quia numquam novi vos : discedite a me, qui operamini iniquitatem.* Exemplum de Balaam, qui prophetavit pulcherrimam prophetiam [1] : et de Caipha, qui prædixit tam utilem [2]. Item, quia malitiam meam occultare quæro. Chrysostomus super Matthæum : « Sacerdotes populo mandant « omnem justitiam, et ipsi nec modicum « servant, non ut facientes servire Deo « sint justi, sed ut dicentes appareant « justi. » Genes. iii, 7 : *Cumque cognovissent se esse nudos* (non esse illis vestimenta, de quibus in Psal. cxxxi, 9 : *Sacerdotes tui induantur justitiam) fecerunt sibi perizomata,* ad tegendum suam turpitudinem, de foliis ficuum, id est, verbis Scripturarum filii Adam. Item, quia illis mihi temporalia acquiro. Gregorius : « Ideo contemptum temporalium prædi- « cant, ut ea soli habeant. Nam pauper- « tatem prædicant ut medicamentum, sed « eam fugiunt ut venenum. » Michææ, iii, 11 : *Sacerdotes ejus in mercede docebant.*

Quare multi bona præcipiunt quæ non faciunt ?

« *Et assumis,* » præsumendo, « *testamentum meum,* » Vetus, « *per os tuum.* » In assumptione notatur præsumptio. Cassiodorus : « Assumere præsumptio- « nem significat, secundum illud Eccli. « xviii, 10 : *Vidit præsumptionem cordis* « *eorum quoniam mala est.* » Testimonium meum sanctum, Ad Rom. vii, 12 : *Lex sancta, et mandatum sanctum : qui facit contra prohibitionem, peccat.* Sic ergo habetur quod prædicator peccat, si

(1) Cf. Num. xxiv, 9.

(2) Cf. Joan. xi, 51.

prædicat dum est in peccato mortali. Dicunt aliqui, quod verum est de omni si sit in aperto peccato : si autem sit in occulto, potest. Item, si in aperto, et incumbat ei ex officio, dicunt aliqui quod potest. Alii dicunt, quod non.

affectum sanat, non mortificat, Psal. cxxii, 18 : *Castigans castigavit me Dominus, et morti non tradidit me*, sed sanavit. Tob. xi, 17 : *Benedico te, Domine Deus Israel, quia tu castigasti me, et tu salvasti me*. Deut. xxxii, 39 : *Percutiam, et ego sanabo :* percutiam corpus, et sanabitur affectus.

17 Multa peccant mali prædicatores.

« *Tu vero odisti.* » Hic commemoratio culpæ ejus, cui interdicitur prædicatio, et commemorat plures. Prima, boni detestatio. Secunda, mali delectatio, ibi, « *Si videbas furem.* » Tertia, erronea de Deo existimatio, ibi, « *Existimasti inique.* »

In prima duo. Primo, detestatio correctionis mali quæ valde mala est. Secundo, detestatio instructionis boni, ibi, « *Et projecisti.* »

Dicit ergo : Dixi peccatori prædicta, addens causam, et dicens : Prædicas : « *tu vero odisti* » accipere disciplinam, secundum illud Jerem. vii, 28 : *Hæc est gens, quæ non audivit vocem Domini Dei sui, nec recepit disciplinam*, qui ad correctiones justas remurmurat, et non vult Deum in se judicare quod peccat. Et « *projecisti sermones meos,* » ad bonum promoventes, « *retrorsum.* » Gregorius : « Sermones Dei post se projicit, qui hoc « quod dicit, facere contemnit » Augustinus : « Quæ dicuntur aperte, projecisti « post te ut non videantur a te, sed one- « rent te : » cum tamen scriptum sit Deut. vi, 8 : *Ligabis ea quasi signum in manu tua, eruntque et movebuntur ante oculos tuos.* Bene reprehensibilis est, qui tantum odit : tria enim præcipua bona facit. Certum signum dilectionis demonstrat, Apocal. iii, 19 : *Ego quos amo, arguo, et castigo.* Et canon dixit : « Qui phreneti- « cum ligat, et lethargicum excitat, am- « bobus molestus, ambos amat. » Ad Hebr. xii, 6 : *Quem diligit Dominus, castigat : flagellat autem omnem filium quem recipit.* Ab adspectu insipientiam fugat, Jerem, xxxi, 18 : *Castigasti me Domine, et eruditus sum.* Prov. xxii, 15 : *Stultitia alligata est in corde pueri, et virga disciplinæ fugabit eam.* Tertio,

« *Si videbas furem.* » Hic tangitur mali dilectio. Primo, operis. Secundo, sermonis, ibi, « *Os tuum abundavit.* » 18

In prima duo. Dilectio mali operis ex concupiscentia oculorum procedentis. Secundo, ex concupiscentia carnis, ibi, « *Et cum adulteris.*

Dupliciter legitur. Primo ad litteram. Secundo, mystice. Ait ergo : De bono non curabas : et « *si videbas furem,* » res alienas rapientem ad litteram, « *currebas cum eo,* » ut consors furti esses. Jerem. xxiii, 10 : *Factus est cursus eorum malus, et fortitudo eorum dissimilis.* Prov. i, 16 : *Pedes illorum ad malum.*

« *Et cum adulteris portionem tuam ponebas.* » Cassiodorus : « Si quis dan- « do pecunias, aut consiliando, aut lau- « dando adminicula præbet adultero, qui- « bus sua vota perficiat, habere ibi sine « dubio dignoscitur portionem. » Seneca de *Beneficiis* : « Pecuniam non dabo « quam muneraturam adulteram sciam, ne « in societate turpis facti inveniar. » Eccli. ix, 6 : *Ne des fornicariis animam tuam in ullo, ne perdas te*, et animam tuam, *et hæreditatem tuam.* Et xix, 3 : *Qui se jungit fornicariis, erit nequam : putredo et vermes hæreditabunt illum.*

Vel sic : « *Si videbas furem,* » sacrarum Scripturarum, quales sunt hæretici, Jerem. xxiii, 30 : *Ecce ego ad Prophetas ait Dominus, qui furantur verba mea.* « *Et cum adulteris,* » cum illis scilicet qui pro lucro temporali, vel delectatione carnali prædicant, non pro fructu spirituali, II ad Corinth. ii, 17 : *Non sumus, sicut plurimi, adulterantes verbum Dei,*

« *Cum illo currebas, cum isto portionem tuam ponebas.* »

Novem modis potest quis esse particeps alieni criminis.

Nota, quod novem modis participat aliquis crimen alterius. Primo jubendo, Sic Achab qui Naboth imperio interfecit, III Reg. XXI, 19 : *Occidisti, insuper et possedisti.* Consulendo, Eccli. XXVII, 30 : *Facienti nequissimum consilium,* hoc est, danti, *super ipsum devolvetur.* Auxiliando, II Paral. XIX, 2 : *Impiis præbes auxilium, et his qui oderunt Dominum amicitia jungeris.* Idcirco iram Dei merebaris. Adulando, vel commendando, Prov. XVII, 15 : *Qui justificat impium, et qui condemnat justum, abominabilis est uterque apud Deum.* Constat ergo quod peccat. Prov. XXIV, 24 : *Qui dicunt impio : Justus es : maledicent eis populi.* Recipiendo, Eccli. XII, 4 : *Ne suscipiam peccatorem.* Et infra, de bono, ỷ. 5 : *Et non receperis peccatorem.* Participando, hoc est, habendo partem de rapto, Hinc Isa. I, 23 : *Principes tui infideles, socii furum.* Non corripiendo, I Reg. III, 13 et 14 : *Eo quod noverat indigne agere filios suos, et non corripuerit eos, idcirco juravi domui Heli, quod non expietur iniquitas domus ejus victimis et muneribus usque in æternum.* Non resistendo cum possis, Augustinus : « Error cui non resistitur, approbatur ; « nec caret scrupulo societatis occultæ, « qui manifesto facinori desinit obviare « manifestando. » Prov. XXIX, 24 : *Qui cum fure participat, odit animam suam : adjurantem audit, et non judicat.* Hinc dicitur, Matth. XVIII, 16 et 17 : *Si te non audierit: adhibe tecum unum vel duos, ut in ore duorum vel trium stet omne verbum. Quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ.*

19

Triplex vitium linguæ.

« *Os tuum abundavit malitia.* » Hic secundum, dilectio scilicet mali, et tangitur primo oris malitia. Secundo, mira Dei potentia, ibi, « *Hæc fecisti et tacui.* »

Oris malitia tangitur triplex. Sermo adulatorius, deceptorius, ibi, « *Et lingua tua.* » Detractorius, ibi, « *Sedens adversus fratrem tuum.* »

Dicit ergo quasi sic : Mala postea diligis, et « *etiam os tuum abundavit malitia* » adulationis : malitia enim est, non reprehendere malum, cum videmus illud fieri : sed abundantia malitiæ, malefacientem laudare. De qua malitia, in Psal. X, 3 : *Laudatur peccator in desideriis animæ suæ.*

« *Et lingua tua concinnabat dolos.* » Nota, cinnus est genus compositionis ex mixturis diversis : hinc enim dicitur concinnare, scilicet blanda componere, ut magis fallant. Isa. III, 12 : *Popule meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt.* Et XXXII, 7 : *Fraudulenti vasa pessima sunt : ipse enim cogitationes concinnavit ad perdendos mites.*

« *Sedens adversus fratrem tuum.* » **20**

Duplex detractionis malum.

Hic de detractorio sermone : et tangitur duplex nocumentum. Primo, ejus qui detrahit. Secundo, ejus coram quo detrahit, ibi, « *Et adversus filium.* »

Dupliciter autem legitur in Glossa : Vel secundum nostram litteram, vel secundum aliam. Primo modo sic : Non tantum dolose loquebaris, imo etiam « *loquebaris adversus fratrem tuum,* » ipsi detrahendo. Et appellat fratrem quemcumque hominem : omnes enim fratres sumus de uno Adam. Eccli. XL, 1 : *Jugum grave super filios Adam.* Matth. XXIII, 8 : *Omnes vos fratres estis.* Et hoc, « *sedens,* » hoc est, in detractione moram faciens, non detrahens in transcursu. Cassiodorus : « Sedere, morantis est. »

« *Et adversus filium matris tuæ.* » Ecclesiæ scilicet triumphantis, quæ omnium nostrum mater est. Ad Galat. IV, 26 : *Illa, quæ sursum est, Jerusalem libera est, quæ est mater nostra.* « *Ponebas,* » quasi arte quadam, sicut ponuntur laquei. « *Scandalum,* » contra illum. Matth. XVIII, 6 : *Qui scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt,* etc. Hoc autem scandalum hæresis potest

esse, vel calumnia, vel detractio ipsa qua scandalum est infirmo adhuc lacte materno indigenti. Augustinus : « Cum detra- « hitur bonis ab iis qui videntur docti es- « se, in scandalum cadunt infirmi, qui « adhuc nesciunt judicare. » Sic detrahebant Pharisæi Christo coram cæco illuminato de novo. Joan. IX, 24 : *Da gloriam Deo : Nos scimus quoniam hic homo peccator est.*

21 « *Hæc fecisti,* » et ego tamquam patientissimus, « *tacui,* » pœnam distuli, et te ad pœnitentiam exspectavi. Isa. XXX, 18 : *Propterea exspectat Dominus ut misereatur vestri.* Ad Rom. II, 4 : *An ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit ?* Hic tanguntur tria quæ conveniunt malis judicibus. Primum, judiciaria dignitas, cum dicit : « *Sedens.* » Judicum enim est sedere. Psal. CXXI, 5 : *Illic sederunt sedes in judicio.* Perversitatis malignitas, « *Adversus fratrem tuum,* » si eum possis capere in sermone ut ei calumniam imponas. Eccli. XI, 31 : *Multæ sunt insidiæ dolosi.* Et infra, ℣. 33 : *Bona in mala convertens insidiatur, et in electis imponet maculam.* Tertium, divina benignitas, quæ hoc sustinet, « *Hæc fecisti et tacui,* » qui potestatem tibi dedi. Sap. VI, 4 : *Data est a Domino potestas vobis,... qui interrogabit opera vestra, et cogitationes scrutabitur.* Ad Roman. XIII, 1 : *Non est potestas, nisi a Deo* Sed dicetur eis illud Matth. XVIII, 33 : *Nonne oportuit et te misereri conservi tui, sicut et ego tui misertus sum ?*

Tria in malo judice.

« *Existimasti inique.* » Hic tertium, in quo tangitur erronea de Christo æstimatio.

Ait enim : Sic facis ea, dum « *inique existimasti, quod ero tui similis,* » putando quod talia mihi placerent. Isa. XLVI, 5 : *Cui assimilastis me, et adæquastis ?* Sed non est ita. Psal. V, 5 : *Deus non volens iniquitatem tu es.* Sap. XIV, 9 : *Similiter odio sunt Deo, impius et impietas ejus.*

Pœna mali prælati.

« *Arguam te.* » Hic posita culpa sequitur pœnæ comminatio, et comminatur ei reprehensionem primo. Secundo, erubescentiam seu pudorem, ibi, « *Et statuam.* » Tertio, irremediabilem dolorem, ibi, « *Intelligite hæc.* »

Dicit ergo : Tacui, et tamen aliquando « *arguam te.* » Supra, ℣. 3 : *Deus manifeste veniet : Deus noster, et non silebit.* Isa. XI, 4 : *Judicabit in justitia pauperes, et arguet in æquitate pro mansuetis terræ.* Et « *statuam te contra faciem tuam,* » ut videas turpitudinem tuam, et confundaris. Nahum, III, 5 : *Ecce ego ad te, dicit Dominus exercituum, et revelabo pudenda tua in facie tua.* I ad Corinth. IV, 5 : *Illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium.* Grave valde erit audire arguitionem illam. Propter quod dicit Psal. VI, 2 : *Domine, ne in furore tuo arguas me.* Et horribilis valde confusio, et omni confusione plena. Anselmus in suis *Meditationibus* loquens animæ suæ : « Fuge, fuge « tu horribilis, nescio quæ substantia : « fuge teipsam, et exterrita a te ipsa : sed « vere te fugere non potes. »

« *Intelligite hæc.* » Hic comminatur irremediabilem dolorem, et præmittit admonitionem ut audiant. Secundo, comminationem pœnæ irremediabilis ut timeant, ibi, « *Nequando rapiat.* » 22

Dicit ergo : Sic existimasti me tibi similem. Et sic non recolitis me esse Deum, « *qui obliviscimini Deum,* » supple, me esse, I ad Corinth, XV, 34 : *Ignorantiam Dei quidam habent.* Et in Psal. XXX, 13, conquerendo dicit : *Oblivioni datus sum.* « *Intelligite,* » hæc quæ præmisi, quod laudem volo, sed non a peccatore. Eccli. XV, 9 : *Non est speciosa laus in ore peccatoris.* « *Intelligite,* » ut nullus se excuset, ac si ei dictum non esset quod dictum est quasi uni, scilicet peccatori.

Marc. XIII, 37 : *Quod vobis dico, omnibus dico.*

« *Nequando rapiat,* » nos Deus ad pœnam, « *et non sit qui eripiat,* » a pœna, secundum illud Job, X, 7 : *Cum sit nemo, qui de manu tua possit eruere.* Isa. XLIII, 11 et 13 : *Ego sum, ego sum Dominus :... ab initio ego ipse, et non est qui de manu mea eruat.* Vel, « *rapiat* » diabolus. « *Et non sit qui eripiat.* » Psal. VII, 3 : *Nequando rapiat ut leo animam meam,* etc. Et vere non erit qui eripiat, si Deus in ejus manu te dimiserit. Primo, quia dæmones valde avide animas retinent. Isa. V, 29 : *Frendet, et tenebit prædam, et amplexabitur, et non erit qui eruat.* Et XLIX, 24 : *Numquid tolletur a forti præda? aut quod captum fuerit a robusto, salvum esse poterit?* Item, carnales amici non repetent. Isa. XLII, 22 : *Facti sunt in rapinam, nec est qui eruat : in direptionem, nec est qui dicat, Redde.* Item, subito descendent et peribunt, unde non possunt retrahi, nisi ab illo cujus actio subita est. Job, XXI, 13 : *Ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt.*

23 « *Sacrificium laudis.* » Hic tertium, in quo per concomitantem effectum ad Dei laudem allicit : et tanguntur duo. Primo, Dei laudati veneratio. Secundo, laudantis honorificatio, ibi, « *Et illic iter.* »

Quasi diceret : Non solum prædicta intelligite, sed etiam hoc, quod « *sacrificium laudis,* » non quod scelerati cantant, de quo Thren. III, 14 : *Factus sum in derisum omni populo, canticum,* etc. Et in Psal. LXVIII, 13 : *In me psallebant qui bibebant vinum :* sed « *sacrificium laudis,* » quod canitur ab illis qui jam sancti sunt. Augustinus in Glossa : « Sic benedicite, etc. » Psal. CXLIX, 1 : *Laus ejus in Ecclesia sanctorum.* « *Sacrificium,* » inquam, « *laudis honorificabit me,* » non illa antiqua : « *et illiciter, quo* » itinere, « *ostendam illi salutare Dei.* » Laus enim Dei est quasi scala Jacob, de qua Genes. XXVIII, 12. Ibi enim sunt ascendentes Angeli ad contemplationem Dei, et descendentes ad humanitatem. Item, hoc sacrificium est Missa, in qua laudatur Deus, et in qua sacrificium offertur Deo. Malach. I, 11 : *Ab ortu solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus,* ecce quod pertinet ad laudem : *in omni loco offertur nomini meo oblatio munda,* ecce sacrificium. Et in illo sic laudis sacrificio ostenditur salutare Dei, sub panis specie, quod tandem ostendetur in patria in aperta visione. Job, XXXIII, 26 : *Deprecabitur Dominum, et placabilis ei erit, et videbit faciem ejus in jubilo.* Isa. LII, 8 : *Levaverunt vocem, simul laudabunt : quia oculo ad oculum videbunt, cum converterit Dominus Sion,* ad quam visionem nos perducat qui est benedictus in sæcula. Amen.

PSALMUS L

Pœnitentis animæ amara contritio.

1. *In finem, Psalmus David,*
2. *Cum venit ad eum Nathan propheta, quando intravit ad Bethsabee* (II Reg. XII).
3. Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam :
Et secundum multitudinem miserationum tuarum, dele iniquitatem meam.
4. Amplius lava me ab iniquitate mea, et a peccato meo munda me.
5. Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, et peccatum meum contra me est semper.
6. Tibi soli peccavi, et malum coram te feci : ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas cum judicaris[1].
7. Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea.
8. Ecce enim veritatem dilexisti : incerta et occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.
9. Asperges me hyssopo, et mundabor[2] : lavabis me, et super nivem dealbabor.
10. Auditui meo dabis gaudium et lætitiam, et exsultabunt ossa humiliata.
11. Averte faciem tuam a peccatis meis, et omnes iniquitates meas dele.
12. Cor mundum crea in me, Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis.
13. Ne projicias me a facie tua, et spiritum sanctum tuum ne auferas a me.
14. Redde mihi lætitiam salutaris tui, et spiritu principali confirma me.
15. Docebo iniquos vias tuas : et impii ad te convertentur.
16. Libera me de sanguinibus, Deus, Deus salutis meæ, et exsultabit lingua mea justitiam tuam.
17. Domine, labia mea aperies : et os meum annuntiabit laudem tuam.
18. Quoniam si voluisses sacrificium,

[1] Ad Roman. III, 4.

[2] Lev. XIV, Num. XIX.

dedissem utique : holocaustis non delectaberis.
19. Sacrificium Deo spiritus contribulatus : cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies.
20. Benigne fac, Domine, in bona voluntate tua Sion, ut ædificentur muri Jerusalem.
21. Tunc acceptabis sacrificium justitiæ, oblationes et holocausta : tunc imponent super altare tuum vitulos.

IN PSALMUM L

COMMENTARIUS.

1 *In finem, Psalmus David.*
Cum venit ad eum Nathan Propheta, quando intravit ad Bethsabee [1].

« *Miserere mei, Deus.* » Hic est Psalmus quinquagesimus, in quo postquam antiqua sacrificia pecudum sunt repudiata, et abjecta, et ostensum quod Deus quærit sacrificium laudis, ne crederet aliquis, quod hoc sacrificium impleretur in sono et strepitu labiorum tantum, subjungitur de hoc quod veraciter hoc perficit sacrificium, scilicet de spe, contritione, et vera pœnitentia, et hoc, ipsum David ponendo in exemplum, qui post peccata adulterii et homicidii per hoc sacrificium satisfecit Deo.

Argumentum Psalmi ; Repudiatis superiori Psalmo sacrificiis vitulorum, verum contriti cordis sacrificium commendat

Et hoc satis aperte innuitur in titulo hujus Psalmi, qui talis est : « *Psalmus David, cum venit ad eum Nathan Propheta, quando,* vel quoniam *intravit ad Bethsabee,* id est, hic Psalmus editus est a David litterali pœnitente, et per hoc

[1] Le *Miserere*, dit Patrizi, n'est qu'un développement du *peccavi* que prononça David, quand Nathan lui fit sentir l'énormité de sa faute. Le titre placé en tête du psaume nous reporte à ce qui est raconté II Reg. XII. Le prophète a dit au roi : « Dominus transtulit peccatum tuum ; » mais si les reproches de Nathan ont excité la contrition dans le cœur du coupable, le pardon du Seigneur l'a portée à son comble. Le psalmiste repentant ne doute point de ce pardon, mais comprenant mieux toute la grandeur de son crime, il ne se lasse pas de faire appel à l'indulgence divine, et il exhale sa douleur avec des accents si humbles et si expressifs, que ce psaume est devenu l'acte de contrition que répètent tous les coupables de génération en génération. Quelques commentateurs protestants ou rationalistes attribuent le *Miserere* à un auteur plus récent que David. Jennings s'appuie pour le soutenir, sur la manière dont David parle des sacrifices aux ℣℣. 18 et 19, comme si la notion du culte intérieur eût été étrangère à cette époque, I Reg. xv, 22, et comme si elle n'était pas l'esprit même de la loi. D'autres tirent un argument des deux derniers versets, dont nous verrons l'explication dans le commentaire, et reportant la composition du psaume à l'époque de la captivité, n'en font qu'une expression générale de repentir. Mais l'indication que donne le titre « est confirmée par l'évidence intrinsèque la plus vive. Il n'y a aucun autre personnage connu dans la Sainte Ecriture dont on puisse affirmer qu'il a vécu dans la piété avant et après une chute grave, ℣℣. 12-14, que cette chute impliquait un meurtre, ℣. 16, que ce crime était resté impuni par la loi, et que le coupable fut rétabli dans la faveur divine. » Cook. Il n'y a donc aucune raison, avoue Perowne, pour s'écarter de la croyance constante et raisonnable de l'Eglise qui s'en rapporte au titre. Quelques-uns s'étonnent aussi du long intervalle d'une année au moins qui s'écoula entre le péché et le repentir de David ; cet étonnement a sa raison d'être, mais on ne s'explique que trop par la violence des passions et les illusions incroyables qui en sont la conséquence, le sommeil prolongé de la conscience du roi. Ce retard du repentir ne prouve rien contre l'authenticité ni du psaume, ni du passage correspondant du Livre des Rois. Dans le titre, on emploie le même verbe בּוֹא, *bo*, pour parler de la

cuilibet pœnitenti competit, « *cum venit ad eum,* » ad corripiendum super peccato adulterii, « *Nathan Propheta.* » Ista plana sunt II Reg. xii, 1 et seq. « *Quando,* » vel quoniam, « *intravit.* » Curialiter loquitur Scriptura. Psal. xi, 7 : *Eloquia casta.* « *Ad Bethsabee,* » adulterando cum illa.

Tria notantur in hoc titulo. Primo, quod peccatum occulte perpetratum publicatur toti mundo. II Reg. xii, 12 : *Tu fecisti abscondite : ego autem faciam verbum istud in conspectu omnis Israel.* Luc. xii, 2 : *Nihil opertum, quod non reveletur : neque absconditum, quod non sciatur.* Secundum, quod major pars peccati, scilicet homicidium seditiosum tacetur, in quo docemur quando necesse fuerit aliena peccata tangere, ut tangamus ea ad minus quam possimus. Eccli. viii, 6 : *Ne despicias hominem avertentem se a peccato suo, neque improperes ei.* Tertium, quod ipsum residuum quod tangit circa locutionem velatur : « *Quando intravit,* » inquit, etc. Et hoc quia expressi sermones, maxime de peccato luxuriæ, cito inficiunt, et ideo docet nos talibus non uti. Ad Ephes. v, 3 et 4 : *Fornicatio autem et omnis immunditia, aut avaritia, nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos : aut turpitudo,* etc.

Psalmus autem dividitur in tres partes. Primo enim pœnitens David loquens in sua, vel cujuscumque pœnitentis persona, suspirat pro venia consequenda. Secundo, pro præsenti miseria, ibi, « *Libera me de sanguinibus.* » Tertio, pro patria, ibi, « *Benigne fac.* »

In prima duo, quia primo optat suspirando pro venia generaliter. Secundo, specialiter, ibi, « *Secundum multitudinem.* »

Dicit ergo : Sic vis, Domine, ut audio, 3
non vitulos, non hircos, sed sacrificium Prima pars Psalmi.
cordis contribulati : et propter hoc dico, « *o Deus,* » cujus est misereri, non hominis. Luc. v, 21 : *Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus?* Isa. xliii, 25 : *Ego sum, ego sum ipse qui deleo iniquitates tuas propter me.* « *Miserere.* » Ergo miser es? Sed nonne es divitiis cumulatus, et dignitate regia sublimatus, sapientia, et futurorum tamquam Prophetarum eximius, scientia illustratus : et secundum sententiam tuam, vulgus beatum dicit populum cui hæc sunt? Quid ergo gemis? Quid amplius possum tibi facere, et non feci [1]. Respondet illud Prov. xiv, 34 : *Miseros facit populos peccatum,* et regem populorum facit ser-

démarche de Nathan près du roi, et de celle de David près de Bethsabée. Il n'y a point là de coïncidence recherchée à dessein ; la similitude est plutôt due, remarque Delitzsch, à la simplicité qui caractérise le style hébreu.

Les vérités dogmatiques et morales se pressent dans ce psaume ; David semble avoir fait appel à toutes ses croyances pour remuer jusqu'au fond toutes les fibres de son âme. C'est ainsi qu'il rappelle la miséricorde divine, ℣. 3, la persistance des restes du péché, même après le pardon reçu, ℣. 4, l'offense directe faite à Dieu par toute faute, même contre le prochain, ℣. 6, l'existence du péché originel, ℣. 7, la nécessité de la grâce qui pardonne et réhabilite, ℣℣. 9, 11-14, celle d'une contrition intérieure, ℣. 19, etc. Ces vérités, et les sentiments dont le psalmiste en accompagne l'expression, contribuent à donner au psaume un caractère tout évangélique.

C'est ici la douleur qui parle, et elle épanche tout ce que le cœur ressent. Néanmoins, un certain ordre logique ne manque pas dans la suite des pensées.

Les deux derniers versets doivent être considérés comme une addition subséquente. « Serius addita est supplicatio pro Hierosolymis, qua simul caveretur, ne ℣℣. 18, 19, de absoluta sacrificiorum rejectione intelligerentur. Soluto stilo conscripta videtur ». Bickell. Le prophète Isaïe, surtout dans ses derniers chapitres, reproduit un certain nombre des expressions de notre psaume ; on n'en peut conclure qu'une seule chose, c'est qu'il avait souvent récité et médité la prière de son illustre devancier.

H. Lesêtre.

[1] Isa. v, 4 : *Quid est quod debui ultra facere vineæ meæ, et non feci ei?* etc.

vum. Joan. VIII, 34 : *Qui facit peccatum, servus est peccati.* O certe grave est et grande peccatum, quod tot bonis abundantem fecit miserum. « *Mei.* » Non dicit David. « *Mei* » enim est pronomen, quod puram designat substantiam, cujus conditor indubitanter est Deus. Quare « *miserere mei,* » hoc est, creaturæ tuæ. Sap. XI, 27 : *Parcis omnibus : quoniam tua sunt Domine, qui amas animas.*

« *Secundum misericordiam,* » non secundum legis justitiam, quia Levit. XX, 10 : *Morte moriantur mœchus, et adultera.* Ad Hebr. X, 28 : *Irritam quis faciens legem Moysi, sine ulla miseratione duobus vel tribus testibus moritur.* « *Tuam,* » o Christe, « *tuam,* » inquam, id est, tibi naturalem est ex parte Patris, qui est *Pater misericordiarum et Deus totius consolationis* [1]. Et ex parte matris quæ similiter est mater misericordiæ. Job, XXXI, 18 : *Ab infantia mea crevit mecum miseratio.* Et hoc « *magnam :* » si enim magna non fuisset, quomodo tam magna fecisset? Virtus enim ex operatione dignoscitur. Inter opera autem omnia tua, unum tangam cum Cassiodoro. Ait enim : « Hæc misericordia mundi « creatorem in cœlo deposuit, eumque « qui æternitate Patri manet æqualis, « mortalitate coæquavit nobis, et for« mam servi mundi Domino imposuit, ut « ipse panis esuriret, fons vitæ sitiret, et « virtus infirmaretur, omnipotens vita « moreretur. »

« *Et secundum multitudinem.* » Hic orat, suspirando pro venia specialiter : et dicuntur tria. Primo orat contra maculam ut deleatur. Secundo, contra peccati memoriam, ut jam a Deo non habeatur, ibi, « *Averte faciem tuam.* » Tertio, contra pœnam ut dimittatur, ibi, « *Ne projicias me.* »

In prima tria : quia primo, oratio. Secundo, persuasio, ibi, « *Quoniam iniquitatem.* » Tertio, certa confidentia de impetrando, ibi, « *Asperges me.* »

In prima tria, secundum tria quæ petit. A macula lavari primo per lacrymas contritionis. Secundo, per lacrymas confessionis, ibi, « *Amplius.* » Tertio, per lacrymas satisfactionis, ibi, « *Et a peccato meo.* »

Dicit ergo : Sic peto misericordiam, et magis specificando dico : « *Et secundum multitudinem miserationum tuarum,* » hoc est, effectuum misericordiæ tuæ, quos multos vidi : et hoc rogo securus. Eccli. II, 12 et 13 : *Quis invocavit eum, et despexit illum? Quoniam pius et misericors est Deus.* « *Dele iniquitatem meam.* » Non adde divitias, et scientiam. « *Iniquitatem,* » quæ scripta est fortiter, Jerem. XVII, 1 : *Peccatum Juda scriptum est stylo ferreo in ungue adamantino.* Adamas lapis durissimus est, nec potest frangi, nisi sanguine hirci mediante. Sic peccatum deleri non potest, nisi sanguine Christi per hircum designati, de quo Ezech. XLIII, 25 : *Septem diebus facies hircum pro peccato quotidie.* Quotidie et omni tempore Deus Christi carnem pro peccatis immolabit, quam sumpsit similem peccatrici. Ad Roman. VIII, 3 : *Deus Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati.* « *Dele* » ergo. Respondet Isa. XLIV, 22 : *Delevi ut nubem iniquitates tuas,* quoad mortalia : *et quasi nebulam peccata tua,* quoad venialia.

« *Amplius lava me.* » Hic secundum. 4
Quasi diceret : Sic dele per contritionem cordis, et « *amplius lava me* » per lacrymas confessionis. Magna videtur hujus præsumptio. Sordidaverat se luto peccati, et vocat Deum ad lavandum se. Et

[1] II ad Corinth. I, 3.

bene : nihil enim inveniebat in mundo nisi immundum. Isa. LXIV, 6 : *Facti sumus ut immundus omnes nos.* Eccli. XXXIV, 4 : *Ab immundo quid mundabitur ?* Nullus, sed magis inquinabitur. Num. XIX, 22 : *Quidquid tetigerit immundus, immundum faciet.* Ezech. XVI, 30 : *In quo mundabo cor tuum, dicit Dominus Deus?* in nullo nisi in teipso. Oportet ut facias teipsum lavatorium, et sic fecit : unde undique voluit perforari, et de se effluere sanguinem in nostram ablutionem. Psal. LXXVII, 20 : *Percussit petram,* scilicet Christum (I ad Cor. X, 4 : *Petra autem erat Christus*), *et fluxerunt aquæ et torrentes inundaverunt,* ad lavandum et majorem mundum, et minorem. Imo cantat Ecclesia :

Terra, pontus, astra, mundus,
Quo lavantur flumine [1].

Ecce lotio majoris mundi. Apocalyps. I, 5 : *Dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris.* Ecce lotio minoris. « *Lava* ergo *me ab iniquitate mea,* » quæ sordidat me. Ad Tit. I, 15 : *Infidelibus nihil est mundum, sed inquinatæ sunt eorum et mens, et conscientia.* Et hoc « *amplius* : » quia non tantum ab actu, sed a circumstantia actus : quia scienter peccavi, non ignoranter. Augustinus : « Lava amplius multum inquinatum : « magis magisque ablue peccata scientis, « qui abluisti peccata ignorantis. » Vel, « *lava amplius*» quam noverim petere, qui meipsum non novi. I ad Cor. IV, 4 : *Nihil mihi conscius sum : sed non in hoc justificatus sum.*

Sed quia quidam lavantur, non tamen mundantur, II Petr. II, 22 : *Sus lota in volutabro luti,* addit, « *a peccato meo,* » mihi proprio, et mihi imputando, « *munda me,* » ut impleatur illud Isa. I, 16 : *Lavamini, mundi estote,* etc.

Peccator debet semper clamare ut lavetur, propter tria.

Nota ergo, quod peccator semper debet clamare ut lavetur, et mundetur, et hoc triplici ratione. Primo, propter peccatorum ignoratorum multitudinem. Isa. LIX, 12 : *Multiplicatæ sunt iniquitates nostræ coram te.* Et Psal. XXXIX, 13 : *Circumdederunt me mala quorum non est numerus.* Secundo, propter firmam peccatorum adhæsionem. Baruch, I, 20 : *Adhæserunt nobis multa mala,* id est, fortiter, sicut pellis carni. Jerem. XIII, 23 : *Si potest mutare Æthiops pellem suam aut pardus varietates suas : et vos poteritis benefacere, cum didiceritis malum?* Tertio, propter facilem immunditiei iterationem. Job, IX, 30 : *Si lotus fuero quasi aquis nivis, et effulserint velut mundissimæ manus meæ : tamen sordibus intinges me,* id est, iterato intingi permittes.

« *Quoniam iniquitatem meam.* » Postquam præmissa est oratio, subjungitur 5
persuasio, et primo, a peccati confessione. Secundo, a misericordiæ Dei promissione, ibi, « *Ut justificeris.* » Tertio, ab humana fragilitate, ibi, « *Ecce enim in iniquitatibus.* » Quarto, ex parte Dei a bonitate, ibi, « *Ecce enim veritatem dilexisti.* »

In prima tria. Primo tangitur peccati cognitio. Secundo, cogniti jugis detestatio, ibi, « *Et peccatum meum.* » Tertio, detestati verecunda confessio, ibi, « *Tibi soli peccavi.* »

Dicit ergo : Peto mihi exhiberi misericordiam : nolo tamen omnino perire justitiam, « *quoniam iniquitatem meam.* » Vel sic : Munda me, et debes, « *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco.* » Ecce meam iniquitatem cognosco, quia in iniquitate non attendo voluptatem, sed intueor deformitatem, et detestor illam. Cassiodorus :

[1] Ex hymno : *Lustra sex qui jam peregit.*

« Soli illi probantur peccata agnosce- « re, qui ea videntur propria exsecratione « damnare. » Nahum, III, 7 : *Omnis qui viderit te, resiliet a te.*

Persuadet Deo ut remittat a confessione peccati.

« *Et peccatum,* » a me cognitum, « *coram est me est semper,* » ad detestandum. Supra, in Psal. XLIX, 21 : *Statuam contra faciem tuam.* Cassiodorus : « Hic « quasi jam in venturo judicio constitu- « tus delictorum suorum adspectus teter- « rimos pertimescit. » Et alia littera, quæ est Augustini : « Contra me est semper. » Quasi diceret : Prius fuit peccatum retro me, cum dixi, Vir mortis est homo, qui hoc fecit : sed Nathan coram me, et contra me peccatum meum posuit, quando dixit : *Tu es ille vir* (II Reg. XII, 7). Nec postea discessit a conspectu meo, sicut in multis accidit, qui cito tradunt peccata oblivioni, si aliquando cognoverint. Alii penitus non cognoscunt. Et est prima ratio, quia peccata ipsa eos excæcant. Sap. II, 21 : *Excæcavit illos malitia eorum.* Psal. XXXIX, 13 : *Comprehenderunt me iniquitates meæ, et non potui ut viderem.*

Peccata ægre cognoscuntur : quia aut excæcant, aut se variis modis occultant.

Secunda causa est, quia peccata se occultant nunc sub voluptate. Eccle. V, 19 : *Non satis recordabitur dierum vitæ suæ, eo quod Deus occupet cor ejus deliciis.* Nunc sub adulantium laude, Psal. X secundum Hebr. 5 : *Laudatur peccator in desideriis animæ suæ.* Ibi Glossa : « De- « lectatur ea facere ubi non solum non « metuitur reprehensor, sed etiam audi- « tur laudator. » Nunc peccantium multitudine : videtur enim licere quod quasi omnes faciunt. Eccle. I, 15 : *Perversi difficile corriguntur.* Et addit statim causam : *Stultorum infinitus est numerus.* Nunc sub majorum auctoritate : Gregorius in quadam *Homilia* : « Peccata de- « linquentium fovent ne amittant tempo- « ralia. »

Tertio non cognoscuntur, quia virtutes se esse simulant. Hieronymus : « Multi « superbiam libertatis loco laudant, ac « decepti vitiis pro virtutibus glorian- « tur. » III Reg. XIV, 6 : *Ingredere uxor Jeroboam,* iniquitas scilicet, *quare aliam te esse simulas ?*

« *Tibi soli peccavi.* » Hic verecunda et 6
sancta confessio : confitetur peccandi audaciam, quia est contra Dominum videntem omnia, ibi, « *Et malum coram te.* »

Dicit ergo : Sic munda, quoniam iniquitatem cognosco, cognitam abhorreo, et etiam aperte confiteor, « *quoniam tibi soli peccavi.* » Quomodo dicit hoc ? Nonne peccavit peccato homicidii et seditionis ? Ergo non solum contra Dominum peccavit, sed etiam contra proximum. Imo si diligenter attendimus, omnis peccans peccat contra omnem creaturam Dei. Contra cœlestia, quia contristat supernam illam Jerusalem. Quomodo non contristaretur de filii perditione ? Et ipsa est mater nostra. Ad Galat. IV, 26 : *Illa, quæ sursum est, Jerusalem, libera est, quæ est mater nostra.* Prov. X, 1 : *Filius stultus mæstitia est matri suæ.* Baruch, IV, 3 : *Contristatis nutricem vestram Jerusalem.* Item, peccat contra corporalia, et visibilia hæc mundana omnia : quia quantum in se est, impedit et retardat eorum gloriosam innovationem pro qua gemunt. Ad Rom. VIII, 22 : *Omnis creatura ingemiscit, et parturit usque adhuc,* ut veniat illa innovatio, de qua Apocal. XXI, 5 : *Ecce nova facio omnia.* Peccat etiam contra infernalia, quia eis socios multiplicat ut magis ardeant. Luc. XVI, 27 et 28 : Volebat dives epulo, ne fratres sui descenderent in infernum, ne illi augeretur tormentum [1]. Isa. XIV, 9 : *Infer-*

Peccatum est contra Deum et omnem creaturam.

[1] Luc. XVI, 27 et 28 : *Et ait,* scilicet dives in inferno positus : *Rogo ergo te pater ut mittas eum* (Lazarum) *in domum patris mei. Habeo enim quinque fratres, ut testetur illis, ne et ipsi veniant in hunc locum tormentorum.*

nus subter conturbatus est in occursum adventus tui.

Respondeo secundum Glossam, quæ hoc exponit dupliciter, vel ut dicendo soli, exprimat regiam dignitatem, vel ut ostendat singularem Christi dignitatem. Primo, modo sic : « *Tibi soli peccavi,* » id est, ad te solum pertinet me punire, quia rex sum, nec superiorem habeo nisi te. Eccle. v, 7 et 8 : *Excelsior est,... et insuper universæ terræ rex imperat servienti.* Vel sic : « *Tibi soli peccavi,* » id est, non apponant ad me puniendum alii manum qui peccatores sunt sicut ego : sed tu solus, qui sine peccato est. Tuum est proprie me punire, ut ostendatur singularis dignitas Christi, qui solus est sine peccato. Isa. LIII, 9, et I Pet. II, 22 : *Qui peccatum non fecit, nec inventus est,* etc. Joan. VIII, 7 : *Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat.* Ad Heb. XII, 19 : *Mihi vindicta, et ego retribuam.*

« *Et malum coram te,* » omnia cernente, judicante, ponderante, « *feci* » impudenter valde. Psal. XXXIII, 17 : *Vultus autem Domini super facientes mala.* Quod deberet eos confundere, et terrere certe, quia testificabitur ipse veritati quam vidit. Jerem. XXIX, 23 : *Ego judex sum, et testis, dicit Dominus.* Propter hoc dicit Boetius in fine libri sui de *Consolatione philosophiæ* : « Magna nobis indita est « necessitas probitatis, si non dissimulare « velimus, cum omnia agamus ante ocu- « los judicis cuncta cernentis. »

Persuadet a Dei misericordia et promissis.

« *Ut justificeris.* » Hic persuadet a misericordiæ Dei promissione secundum lecturam unam. Legitur autem multipliciter. Primo modo sic, ut justitia veracitatis hic intelligatur sic : Ita dico quod peccavi coram te justo, in tantum « *ut justificeris in sermonibus,* » id est, verax inveniaris, et in tantum « *ut vincas,* » alios judices superando, « *cum judicaris,* » id est, cum sermonibus tuis compararis. Prov. VIII, 8 : *Justi sunt omnes sermones mei : non est in eis pravum quid.*

Vel sic : Justus es, o Christe, et adeo justus, « *ut justificeris* », id est, solus justus inveniaris, « *in* omnibus *sermonibus tuis,* » et hoc adeo, ut vincas omnes homines in justitia, « *cum,* » id est, quamvis, « *judicaris,* » judicatus fueris a Pilato injuste. Augustinus : « Tu solus « juste judicans, et injuste judicatus. » Psal. CXLII, 2 : *Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* Vel sic, ut veritas dicat victoriam contra dæmones. Adeo justificaris in omnibus sermonibus tuis, « *ut vincas,* » diabolum et mortem. Oseæ, XIII, 14 : *Ero mors tua, o mors, morsus tuus ero inferne.*

Legitur et de justitia promittentis et miserantis : et hoc dupliciter, vel promittentis Incarnationem, vel peccatorum remissionem.

Ait enim : Justus es, o Pater, « *ut justificeris in sermonibus tuis :* » hoc non mutatur, « *et vincas,* » id est, mendaces ostendas homines, « *cum judicaris,* » ab illis non facere quod promisisti, scilicet Filium non mittere. Num. XXIII, 19 : *Non est Deus quasi homo ut mentiatur : nec ut filius hominis ut mutetur.* Esth. XIV, 9 : *Volunt tua mutare promissa.* Vel de justitia promittentis remissionem, contra illos qui dicunt non posse impetrare remissionem de tantis culpis. Quasi diceret : Adeo munda me, « *ut justificeris,* » in apparentia hominum, qui in te justior esse non potes. « *Et vincas,* » id est, tamquam mendaces ostendas homines, « *cum judicaris,* » ab eis non remittere culpas quantascumque. Eccli. XII, 3 : *Altissimus odio habet peccatores, et misertus est pœnitentibus.* Ezechiel. XVIII, 21 et 22 : *Si impius egerit pœnitentiam,... omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor.*

« *Ecce in iniquitatibus.* » Hic tertio 7
persuadet ab humana fragilitate, et hoc quia conceptus in originali iniquitate primo, et parentum libidine secundo, ibi, « *Et in peccatis concepit.* »

Persuadet ab humana fragilitate.

Dupliciter autem continuat Glossa.

Primo, sic : Omnes vincis, et vere non tantum qui fecerunt peccata grandia, sed totum humanum genus, in cujus persona dico, « *Ecce enim*, etc. » Alio modo sic : Vere tibi peccavi : « *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum.* » Quasi diceret : Ab ipsa origine contraxi corruptelam, per quam cecidi in culpam. Nec hoc dicit peccatum excusando, sed miseriam ostendendo.

Quomodo sit in iniquitatibus conceptus, varie exponitur.

Et nota, quod plurale ponitur pro singulari, id est, *iniquitate*. Et item non est hoc intelligendum de peccato parentum suorum, sicut quidam putant : in conjugio enim sancto conceptus fuit, et genitus : opus enim conjugale, sine omni peccato fieri potest : quod patet, Tob. vi, 22, ubi Angelus dixerat ad Tobiam minorem : *Transacta autem tertia nocte, accipies virginem cum timore Domini.* Vel *iniquitates* appellat irregularitates quasdam, quas contrahebant quodam modo coeuntes. Levit. xv, 16 : *Vir de quo egreditur semen coitus, lavabit aqua omne corpus suum.* Vel, « *in iniquitatibus conceptus sum,* » id est, inter iniquos. Ezech. ii, 6 : *Fili hominis, cum scorpionibus habitas.* Vel, « *in iniquitatibus conceptus sum,* » non proximorum, sed præcedentium patrum, sicut Judæ in Thamar, Genes. xxxviii, 1 et seq. Sap. iv, 6 : *Ex iniquis somnis filii qui nascuntur, testes sunt nequitiæ adversus parentes in interrogatione sua,* Vel. « *in iniquitatibus* » proximorum saltem venialium. Proverb. xx, 9 : *Quis potest dicere : Mundum est cor meum ? purus sum a peccato ?* Non quod peccarent vel venialiter in illo actu, sed quia aliunde habebant venialia.

« *Et in peccatis concepit me mater mea,* » hoc est, in libidine, quæ peccatum esset, nisi esset conjugii bonum. Sed quare magis tangit libidinem, quasi ex parte matris, non patris ? Videtur velle confirmare Naturalium sententiam, qui dicunt majorem libidinem in fœmina quam in viro. Appetit enim virum, sicut materia formam : et Tiresias, sicut dicunt fabulæ, hoc determinavit. Vel secundum litteram aliam : « In peccatis originalibus in utero habuit me mater mea. » Hoc est contra illos qui dicunt David sanctificatum fuisse in utero.

8 Persuadet a percepta Dei bonitate.

« *Ecce enim veritatem.* » Hic quartum, in quo persuadet a percepta Dei bonitate : et dicuntur duo. Primo, dicit suæ sapientiæ veritatem diligere, et hanc dilectam sibi revelasse, ibi, « *Incerta, et occulta.* »

Dicit ergo : Non refundo in te culpam, o Domine, sed dico veritatem, « *Ecce enim veritatem dilexisti.* » Vel sic : Primo peccatum meum confitendo, quia « *ecce enim veritatem dilexisti,* » in tantum, ut per ipsam peccata dimittas. Proverb. xvi, 6 : *Veritate redimitur iniquitas.* Psal. lxxxiii, 12 : *Misericordiam et veritatem diligit Deus.*

« *Incerta et occulta.* » Hoc tripliciter legitur, quia aut tangit sibi factam de Incarnatione revelationem, aut excellentem Dei cognitionem, aut revelatam sibi remissionem.

Dicit ergo : Sic veritatem diligis, et tamen « *incerta* » hominibus, « *et occulta* » valde in se, « *sapientiæ tuæ,* » ad sapientiam tuam pertinentia, « *manifestasti mihi* » tanto peccatori, scilicet Incarnationis mysterium. II Reg. xxiii, 1 et 2 : *Dixit David filius Isai : Dixit vir cui constitutum est de christo Dei Jacob, egregius Psaltes Israel : Spiritus Domini locutus est per me.* Et mysterium istud dicit « *occulta sapientiæ,* » quia I ad Corinth. i, 23 et 24 : *Prædicamus Christum Dei virtutem,... et Dei sapientiam.*

Secundo modo sic : « *Incerta et occulta,* » quæ scilicet alios latere debent. Jerem. ii, 8 : *Tenentes legem nescierunt me.* Osee, iv, 1 : *Non est scientia Dei in terra.* « *Sapientiæ tuæ.* » Hæc est enim vera sapientia. Sapient. xiii, 1 : *Vani sunt omnes homines in quibus non subest scientia Dei.* Jerem. ix, 24 : *In hoc glorietur, qui gloriatur, scire et nosse me.* « *Manifestasti mihi.* » Psal. cxxxiv, 5 :

Ego cognovi quod magnus est Dominus.

Tertio modo sic : « *Incerta et occulta* » omni homini, excepto quam mihi et Bethsabee, scilicet peccata mea, « *manifestasti mihi,* » per Nathan prophetam. II Reg. xii, 1 et seq. Et dicit « *incerta,* » quantum ad peccatorum perpetrationem : « *occulta* » quantum ad peccati remissionem. Manifestavit enim ei remissionem peccati per Nathan prophetam. II Reg. xii, 13 : *Peccavi Domino*, dixit David : et dixit Nathan ad eum : *Et Dominus transtulit peccatum tuum.*

Triplex veritas, vitæ, doctrinæ, confessionis.

Hic notandum, quod triplicem veritatem diligit Deus. Primo, veritatem vitæ, qua carent hypocritæ. Matth. vii, 15 : *Veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* Ideo non amantur a Deo. Job, xxxvi, 13 : *Simulatores et callidi provocant iram Dei.* Hæc ergo est veritas contra hypocrisim. Et est veritas contra hæresim, veritas doctrinæ. II ad Tim. ii, 18 : *A veritate exciderunt, dicentes resurrectionem esse jam factam.* Et qui a veritate fidei recedunt, amari a Deo qui veritas est, non possunt. Ad Hebr. xi, 6 : *Sine fide impossibile est placere Deo.* Item, est veritas confessionis puræ, de qua Josue, vii, 19 : *Confitere, atque indica mihi quid feceris, ne abscondas.* Hæc veritas multum placet Deo, in tantum ut statim cum exit, imo cum proponit exire de corde hæc veritas, obviet ei et misericordia Dei et pietas. Hæc est enim de qua scriptum est, Psal. lxxxiv, 11 : *Misericordia et veritas obviaverunt sibi.*

9 Fiducia de remissione peccati et spirituali consolatione.

« *Asperges me hyssopo.* » Hic tertium, scilicet certa confidentia de impetrando : et confidit de duobus. Primo, quod mundabitur. Secundo, quod mundatus lætificabitur, ibi, « *Auditui meo.* » Mundari autem confidit duobus quæ præcesserunt de Christi latere, Joan. xix, 34, scilicet sanguinis Christi effusione primo. Secundo, aquæ aspersione, ibi, « *Lavabis me.* »

Dicit ergo : Non frustra manifestasti mihi incerta, et occulta sapientiæ, quia ecce, « *Asperges me,* » o Domine, « *hyssopo,* » aspersione de hyssopo facta, qua intincto sanguine aspergebantur leprosi (Levit. xiv, 6 et 7). « *Et mundabor* : » peccator enim leprosus est. Signum enim lepræ, est quando diversus calor apparet in carne : diversus autem calor peccatum est. Proverb. xv, 7 : *Cor stultorum dissimile erit.* Christus autem hyssopus est, herba scilicet humilis. Matth. xi, 29 : *Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde.* Item, est herba calida : et Christus secundum divinitatem calidus est valde, imo ignis. Deuter. iv, 24 : *Deus tuus ignis consumens est.* Hæc hyssopus fuit tincta sanguine in sua passione. Isa. lxii, 1 : *Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra?* Hac ergo hyssopo sic sanguine tincta, mundantur leprosi, id est, peccatores. Ad Hebr. ix, 14 : *Sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum obtulit semetipsum immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis.* I Pet. i, 2 : *In aspersionem sanguinis Jesu Christi.*

Chrisus hyssopo comparatur.

« *Lavabis.* » Hic ablutio per aquam, et tangitur ablutio : Sic asperges, « *et lavabis* » me aqua, quæ simul fluxit de latere Christi cum sanguine, imo ipso sanguine. Apoc. i, 5 : *Qui dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo.* Et rursum, vii, 14 : *Laverunt stolas suas, et dealbaverunt eas in sanguine Agni.*

« *Et super nivem dealbabor.* » Contra, nihil albius nive. Respondet Cassiodorus : « Super nivem album de corpori« bus nihil potest inveniri : sed ideo *su*« *per* dicit, quia spiritualis anima longe « super corpora mundana resplendet. » Psal. xliv, 14 : *Omnis gloria ejus filiæ Regis ab intus.* Cant. iv, 3 : *Sicut fragmen mali punici, ita genæ tuæ, absque eo quod intrinsecus latet.*

Vel sic : Remissionem peccati mei manifestasti mihi, quia « *asperges me hyssopo et mundabor* : » quæ humilis est

herba, et calida, id est, humilitate et charitate : et quia hæ virtutes non tantum auferunt maculam, sed præbent decorem, « *lavabis me,* » per eas, « *et super nivem dealbabor*, » ut possit dici illud Cant. IV, 7 : *Tota pulchra es amica mea, et macula non est in te.*

Pœnitentia hyssopo collata.

Nota etiam, quod hyssopus, mundans animam et dealbans, est pœnitentia propter sex, quorum duo pertinent ad contritionem cordis : hyssopus enim est herba calida, et pœnitens debet interius, si vere contritus est, calere, secundum illud Psal. XXXVIII, 3 : *Dolor meus renovatus est, concaluit cor meum intra me.* Ad Rom. XII, 11 : *Spiritu ferventes.* Evomit enim tepidos Dominus [1]. Item, hyssopus aquam projicit : fit enim in aspersorium. Sic vere pœnitens lacrymas fundit. Judith, VIII, 14 : *Pœniteamus, et indulgentiam ejus fusis lacrymis postulemus.* Dicitur, quod facula accensa guttas distillat calidas. Item, hyssopus exscreare facit, et sic valet ad purgationem pectoris. Sic vera pœnitentia paulatim tamquam quasdam exscreationes emittit iniquitates, et sic sanat. Prov. XI, 6 : *Justitia rectorum liberabit eos.* Item, vomitum non facit, sed paulatim per partes corruptionem emittit, vel ejicit. Sic oris confessio per partes debet fieri, non simul tota. Eccli. IV, 34 : *Noli citatus esse in lingua tua.* Hæc duo a confessione oris. Item, in petrosis crescit. III Reg. IV, 33 : *Disputavit Salomon super lignis, a cedro... usque ad hyssopum quæ egreditur de pariete.* Sic sanctificatio debet in operibus radicari, contra delectationem quæ fuit in peccato. Prov. XXX, 26 : *Lepusculus, plebs invalida,* pœnitens timorosus, et infirmus : *qui collocat in petra cubile suum.* Psal. LIX, 5 : *Ostendisti populo tuo dura.* Item, humilis et parva. Et nunc pœnitens debet esse humilis in satisfactione, secundum illud Psal. CVI, 17 : *Propter injustitias enim suas humiliati sunt* : contra elationem quæ fuit in peccato. De duobus, Psal. XXXVII, 9 : *Afflictus sum, et humiliatus sum nimis.* »

« *Auditui meo dabis.* » Hic de confi- 10
dentia impetranda lætitiam. Et primo, de venia culpæ. Secundo, de gloria conferenda primo menti, ibi, « *Et lætitiam.* » Postmodum corpori, ibi, « *Et exsultabunt.* »

Dicit ergo : Sic mundabor, dealbabor, et sic factus mundus, audiam. Rectus ordo : quia Sap. I, 4 : *In malevolam animam non introibit sapientia.* Sed in mundo vase intrabit : propter hoc, « *Auditui meo,* » inclinato ad audiendum humiliter. Psal. XLIV, 11 : *Audi filia, et vide, et inclina aurem tuam :* non sicut illi de quibus Jerem. VI, 17 : *Audite vocem tubæ,* prædicatoris, et prælati : *et dixerunt : Non audiemus.* « *Dabis gaudium,* » de peccati venia, Nathan dicente II Reg. XII, 13 : *Dominus transtulit peccatum tuum.* « *Et lætitiam,* » de futura beatitudine, quantum ad stolam animæ. Isa. LXI, 3 : *Ut darem eis coronam pro cinere, oleum gaudii pro luctu.* « *Et,* » tandem, « *exsultabunt ossa humiliata,* » in resurrectione generali glorificata. Isa. LVIII, 11 : *Implebit splendoribus animam tuam, et ossa tua liberabit.* Psal. LXXXIX, 15 : *Lætati sumus pro diebus quibus nos humiliasti.* Legitur etiam de ossibus spiritualibus, viribus scilicet animæ, quæ intus latent, et corpus sustentant. Prov. XVIII, 14 : *Spiritus viri sustentat imbecillitatem suam.* Hæc ossa prius in contritione conturbata, postea lætificantur in interiori auditu de remissione. Prov. XII, 25 : *Mœror in corde viri, humiliabit illum, et sermone bono lætificabitur.*

Et nota, quod sunt tria, quæ dant au-

[1] Apoc. III, 16 : *Quia tepidus es,... incipiam te evomere ex ore meo.*

ria signa gratiæ nimo infusæ.

ditui certum testimonium de remissione peccati, et sic gaudium. Primum, infusa securitas in conscientia. II ad Corinth. I, 12 : *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ*, de remissione culpæ : nec lætificat modicum iste testis, quia Prov. XV, 15 : *Secura mens, quasi juge convivium*. Alterum est facilitas deflendi peccata præterita in abundantia. II Reg. III, 13, dicebat David : *Non videbis faciem meam, antequam adduxeris Michol*. Non videbis per certam spem, Michol quæ interpretatur *aqua omnis*. Quasi diceret : Si adduxeris aquam ex omnibus, id est, pro omnibus peccatis tuis, certus sis, quod tu videbis. Tertius testis est fervens voluntas magis moriendi pro Christo, quam peccatum committendi. De tribus simul, I Joan. V, 8 : *Tres sunt qui testimonium dant in terra: Spiritus, et aqua, et sanguis*. Matth. XVIII, 16 : *In ore duorum vel trium testium stet omne verbum* [1]. *tur peccata vestra*. Dele iniquitates ergo, de omni loco in quo sunt scriptæ. Primo de mente ipsa tua divina, Psal. CXXXVIII, 16 : *In libro tuo omnes scribentur*. Isa. LXV, 6 : *Ecce scriptum est coram me : non tacebo, sed reddam et retribuam in sinum eorum*. Secundo, de mente angelica, Isa. XXX, 8 : *Scribe ei super buxum*, quod valde solidum est, id est, supra solidam mentem angelicam, *et in libro diligenter exara illud, et erit in die novissimo in testimonium*. Item, de propria, Dan. VII, 10 : *Judicium sedit, et libri aperti sunt*. Libri, inquam, conscientiarum. Apoc. XX, 12 : *Judicati sunt mortui, ex his quæ scripta erant in libris*. Item, de dæmonum mente, Prov. XVII, 11 : *Angelus crudelis mittetur contra eum cum libris accusatoriis*. Apocal. XII, 10 : *Projectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum Dei nostri*.

11 Orat contra peccati memoriam.

« *Averte faciem tuam.* » Hic secundum, in quo orat contra peccati memoriam. Primo, ne videat. Secundo, ne memoria remaneat, ibi, « *Et omnes iniquitates meas.* »

Dicit ergo : Humiliatus sum, et propter hoc « *averte faciem tuam,* » non a me, sed a « *peccatis meis.* » Cassiodorus : « Rogat judicem pium ne respice« ret peccata, quæ sibi ipsi quoque vide« bantur horrenda. » Vel sic : Mea peccata cognosco, et quia adverto illa, « *averte faciem tuam a peccatis.* » Augustinus : « Si homo advertit, Deus faciem suam « avertit. Et non tantum « *averte* », ut non videat intelligentia, sed ut non retineat ipsa memoria. Et hoc est : « *Et omnes iniquitates meas dele.* » Hoc enim debetur pœnitentiæ. Act. III, 19 : *Pœnitemini igitur, et convertimini, ut deleantur peccata vestra.*

Delentur peccata de mente divina, angelica, et dæmonum.

12 Petit liberari a duobus peccati effectibus.

« *Cor mundum.* » Hic tertio orat contra peccati efficaciam. Duo autem facit peccatum. Sordidat. Contra hoc orat primo. Item, ad casum incurvat. Contra hoc secundo. Et sunt isti duo effectus quasi reliquiæ culpæ, postquam etiam dimissa est, et deleta : surgunt enim sordidæ affectiones, surgunt pronitates ad malum. Ibi secundum, « *Spiritum rectum.* »

Dicit ergo : Sic petii ut mala auferas : nunc peto ut conferas bona malis, quæ reliquit in me peccatum contraria. Unde, « *cor mundum crea in me Deus,* » quo videre possim te : quia Matth. V, 8 : *Beati mundo corde : quoniam ipsi Deum videbunt*. Et dicit, « *crea,* » quod est de nihilo aliquid facere, quia cor peccantis ad nihilum redactum est. Jerem. V, 21 : *Audi, popule stulte, qui non habes cor*. Psal. LXXII, 22 :

[1] Cf. Deuter. XIX, 15.

Ad nihilum redactus sum, et nescivi. Et alias, Psal. XIV, 4: *Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus.* Vel, « *crea,* » quoad ultimum munditiam : cum enim peccat homo, virtutes perdit et quasi annihilantur : cum autem resurgit, tunc iterum in illo creantur. I Mach. I, 41 : *Conversi sunt honores ejus in nihilum.*

« *Et innova spiritum,* » per peccatum inveteratum, illa innovatione, de qua Apostolus ad Ephes. IV, 23 : *Renovamini spiritu mentis vestræ,* ut impleas illud Ezech. XI, 19 : *Dabo eis cor unum, et spiritum novum tribuam in visceribus eorum.* « *Innvova,* » inquam, « *spiritum,* » faciendo « *rectum,* » hoc est, tibi rectissimo conformatum. Augustinus : « Rectus est spiritus, cum ei Deus bonus « est per omnia.» Psal. LXXII, 1: *Quam bonus Israel Deus, his qui recto sunt corde!* Sicut ergo petiit cor mundum ad videndum, sic petit spiritum rectum ad diligendum. Cant. I, 3 : *Recti diligunt te.* Et non tantum innova cor, sed etiam innova ipsa viscera cordis, hoc est, affectus, et intima, ex quibus procedit delectatio mala. Matth. XV, 19 : *De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, et similia.* Et hoc est innovandum « *in* ipsis *visceribus meis.* »

Et nota, quod petit innovari post mundationem : innovatio autem fit in vasis, per applicationem ad fornacem. Applica illi fornaci ardentissimæ, de qua Isa. XXXI, 9 : *Cujus ignis in est Sion, et caminus ejus in Jerusalem.* Sicut Paulus applicatus fuit, et totus mundatus, quando raptus est ad tertium cœlum [1]. Si dicas : Cor meum grave est, filii hominum illuc non possunt ascendere : aliam ostendo tibi, scilicet doctrinam sacram, quæ fornax est ardentissima. Jerem. XXIII, 29 : *Numquid non verba mea sunt quasi ignis ?* Et XX, 8 et 9 : *Sermo Domini... factus est in corde meo quasi* in quodam vase *ignis exæstuans.* Psal. CXVIII, 140 : *Ignitum eloquium tuum vehementer.* Et necessario liquefies ad hanc fornacem. Cant. V, 6 : *Anima mea liquefacta est, ut locutus est dilectus* . Quod si et hanc non vis accipere, tertiam ostendo, scilicet charitatem, quæ ignis est, et fornax maxima. Luc. XII, 49 : *Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur ?*

«*Ne projicias me a facie tua.*» Hic quartum, in quo orat contra debitam pœnam pro peccatis. Et primo, oratio : deinde persuasio, ibi, « *Docebo iniquos.* » 13

In prima tria secundum tria contra quæ petit, quæ sunt pœnæ culpæ. Primo petit contra gratiæ ablationem in hoc versu. Secundo, contra spiritualis gaudii amissionem, ibi, « *Redde mihi.* » Tertio, contra pronitatem ad recidivum, ibi, « *Et spiritu principali.* »

In prima duo. Primo petit contra primum, gratiam illuminantem adspectum. Secundo, contra secundum, gratiam accedentem affectum, ibi, « *Et spiritum sanctum tuum.* »

Dicit ergo : Sic petii, ne faciem tuam avertas, et « *ne projicias me,* » sed peccata mea, « *a facie tua,* » unde lumen est in quo viam videam. Psal. LXXXVIII, 16 : *Domine, in lumine vultus tui ambulabunt.* Sed quid est hoc ? Supra dixit ut faciem suam averteret, hic autem ut non projiciatur a facie ? Contrarius sibi videtur. Augustinus : « Cujus faciem metuit « ejus faciem invocat. » Respond. Metuit ab illa videri, sed eam desiderat videre : et quia hoc non potest esse nisi destructis peccatis, Isa. LIX, 2 : *Iniquitates vestræ diviserunt inter vos, et Deum vestrum,*

[1] Cf. II ad Corinth. XII, 2 et seq.

et peccata vestra absconderunt faciem ejus a vobis ne exaudiret. Prius dixit, « *Omnes iniquitates meas dele :* » et post subdit : *Ne projicias me a facie tua.*

« *Et spiritum sanctum tuum,* » gratiarum datorem, I ad Corinth. xii, 11 : *Unus atque idem spiritus, dividens singulis, prout vult.* « *Ne auferas a me.* » Vide ergo, quod sicut in præcedenti versu petiit bonorum collationem, sic in isto petit conservationem. Ergo habens petit Spiritum non auferri, ut habeat in doloribus consolatorem : unde Paraclitus dicitur, Joan. xiv, 26 : *Paraclitus autem spiritus sanctus,* etc. Paraclitus autem dicitur *consolator.* Item, ut habeat ipsum pignus contra exhæredationem. Exhæredatus enim fuit quando peccavit. Ad Ephes. i, 14 : *Pignus hæreditatis nostræ.* Item, robur contra dæmonis impugnationem : est enim spiritus fortitudinis.

14 « *Redde mihi lætitiam.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic rogavi ut non auferas spiritum : imo per eum, « *redde mihi lætitiam.* » Cassiodorus : « Reddere « dicit, quia sibi nescio quid gratiæ sen- « serat imminutum. » Non mundi lætitiam reddas, de qua Proverb. ii, 14 : *Lætantur cum male fuerint.* Sed « *salutaris tui.* » Hebraica veritas habet, « *Jesu tui,* » cujus contemplatione divinitatis et prævisione humanitatis, ante peccatum vehementius delectabar. Hinc discendum, quod cum Dominus recipit peccatorem ad pœnitentiam, non statim ipsum recipit ad pristinam consolationis gratiam. II Reg. xiv, 24 : *Revertatur* Absalon *in domum suam, et faciem meam non videat.*

« *Et spiritu principali confirma me.* » Ecce tertium. Quasi diceret : Non tantum redde lætitiam, imo « *et spiritu principali,* » in bono me continente et conservante, qui principatur spiritibus humanis, Psal. lxxv, 13 : *Qui aufert spiritum principum.* Et Angelis, In Psal. ciii, 4 : *Qui facis Angelos tuos spiritus.* Isto, inquam, spiritu, « *confirma me,* » ne ruam iterum in peccatum, sed in bono perseverem. Quasi diceret : Eadem qua me liberasti bonitate, eadem me confirma. Psal. lvii, 29 : *Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis.*

Nota hic satis expressam evidenter Trinitatem : « *Spiritum rectum,* » in hoc Filium. Psal. xci, 16 : *Rectus Dominus Deus noster.* Filius quippe veritas est. Spiritum sanctum ipso nomine, « *et spiritum sanctum tuum ne auferas a me.* » Et Patrem qui est Spiritus principalis, quia Filii et Spiritus sancti principium.

Et bene forti Spiritu, et principali indiget, quia oportet eum contra triplicem pugnare spiritum. Contra spiritum carnis, de quo Num. xvi, 22 : *Fortissime Deus spirituum universæ carnis.* Et contra spiritum mundi, I ad Cor. ii, 12 : *Nos autem non spiritum hujus mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est.* Item, contra spiritum dæmonis intransitive, I Reg. xvi, 23 : *Spiritus Domini malus arripiebat Saul.* De iis tribus spiritibus, spiritus carnis mollia, spiritus mundi vana, spiritus malitiæ amara loquitur.

Spiritus Dei contra triplicem spiritum necessarius

« *Docebo iniquos.* » Hic secundum, in quo posita oratione subjungitur persuasio. Et primo, ab ipso suo actu. Secundo, a profectu sive fructu sequente ex illo actu, ibi, « *Et impii ad te.* » 15

Dicit ergo : Sic spiritu principali me confirma, et ingratus non ero, imo « *docebo iniquos vias tuas, et impii,* etc. » Docebo, inquam, verbo, conversatione, et exemplo. I ad Timoth. iv, 12 : *Exemplum esto fidelium in verbo, in conversatione,* etc.

Et nota, quod prius voluit audire quam docere. Unde supra præmisit, « *Auditui meo,* etc. » Nunc dicit, « *Docebo.* » Eccli. xviii, 19 : *Antequam loquaris, disce.* Sed quærendum quomodo dicit se docturum alios, et prædicaturum, qui adulter fuit, seditiosus, et homicida. Et

ipsemet supra dixit in Psal. XLIX, 16, in persona Domini : *Peccatori autem dixit Deus : Quare tu enarras*, etc. Resp. Non placet Deo prædicatio peccatoris in peccato existentis. Talis supra prohibetur. Multum autem placet peccatoris pœnitentis : unde supra, in Psal. XVIII, 14 : *Emundabor a delicto maximo : et erunt ut complaceant eloquia oris mei*, etc. Hinc peccatorem qui ter negaverat, elegit in maximum prædicatorem, et Paulum qui persecutor erat. Et hoc facit Dominus quadruplici ratione.

Cur maximos peccatores eligit in prædicatores ? Prima est, ut nemo jam desperet, cum David adulterum, et Petrum infidelem, et Paulum persecutorem viderit non solum reconciliatos, sed verbi Dei dispensatores factos. Ad Rom. II, 4 : *Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit ?*

Secunda, ut major concordia esset in membris Ecclesiæ. Si enim qui innocens est, prædicator fieret, et peccator in nullo exaltaretur, ab innocente condemnaretur, et pœnitens rursus in innocentem occasionem invidendi haberet : sed huic datur innocentia, huic prædicandi gratia. I ad Corinth. XII, 23 et seq.: *Quæ putamus ignobilia membra, his honorem abundantiorem circumdamus.* Et infra : *Cui deerat, abundantiorem tribuendo honorem, ut non sit schisma in corpore.*

Tertia, propter superbiam evitandam. Si enim aliquis haberet summum in virtute, scilicet innocentiam, summum in dignitate et officio, scilicet prædicandi gratiam, superbiret, et vix caveret ab elatione. Eccli. XL, 26 : *Virtutes exaltant cor.* I ad Corinth. VIII, 1 : *Scientia inflat.* Sed nunc innocens inscius humiliorem se reputat prædicatore peccatore, et peccator prædicatore innocente. Ad Philip. II, 3 et 4 : *In humilitate superiores sibi invicem arbitrantes, non quæ sua sunt singuli considerantes, sed ea, quæ aliorum.*

Quarta, ad diaboli confusionem. Experti enim pugiles magis eligendi sunt contra adversarium, quam inexperti. Eccli. XXXIV, 10 : *Qui non est expertus, pauca recognoscit.* Innocentes non sunt experti pugnas diaboli, sed maxime peccatores. II ad Cor. II, 11 : *Ut non circumveniamur a Satana : non enim ignoramus cogitationes ejus.* Esther, VI, 13 : *Si de semine Judæorum*, confitentium scilicet, *est, ante quem cadere cœpisti, non poteris ei resistere, sed cades in conspectu ejus.*

« *Et impii ad te convertentur.* » Ecce fructus tantus ut gaudium sit in cœlo. Luc. XV, 10 : *Gaudium erit coram angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente.*

« *Libera me de sanguinibus.* » Hic secunda pars Psalmi, in qua suspirat pœnitens pro præsenti miseria. Et primo, oratio. Secundo, persuasio, ibi, « *Et exaltabit.* » Dupliciter autem legitur primum. Vel de præsenti, et sic suspirat pro gratia habenda, vel de futuro, et sic pro gloria. 16 Secunda pars Psalmi : Gemitus de miseria præsenti.

Dicit ergo : Dixi : Docebo iniquos, quod ut possim, « *libera de sanguinibus*, » id est, de carnalibus peccatis : vel de dominio carnis, vel sanguinis : hoc enim necessarium est prædicanti. I ad Cor. IX, 27 : *Castigo corpus meum, et in servitutem redigo*, etc. Et dicit, « *Sanguinibus* » in plurali, magis proprie quam Latine, quia peccata carnis multa sunt. Ad Galat. V, 19 : *Manifesta sunt opera carnis : quæ sunt fornicatio, immunditia*, etc. Alio modo sic : « *Libera de sanguinibus.* » Libera me de corruptione culpæ, et pœnæ quæ in sanguinibus maris et fœminæ mixtis seminatur. Quasi diceret : Semine tuo purissimo, ab his sanguinibus libera me. Joan. VIII, 36 : *Si Filius vos liberaverit, vere liberi eritis.* « *Deus, Deus.* » Duplicat « *Deus,* » quia sanguinem in plurali dixerat, « *salutis meæ,* » auctor. Alibi, in Psal. LXXXVII, 2 : *Domine, Deus salutis meæ, in die clamavi.*

« *Et exsultabit lingua.* » Hic persuasio : et dicuntur duo. Primo, quod promittit

Domini venerationem in futuro. Secundo, in præsenti, ibi, « *Domine, labia.*»

Dicit ergo : Sic libera, et tunc exsultabit, id est, exsultando nuntiabit « *lingua mea*,» a sanguinibus liberata, « *justitiam tuam*, » non meam. II ad Corinth. IV, 5 : *Non nosmetipsos prædicamus, sed Jesum Christum Dominum nostrum.* Littera Cassiodori habet, « Exaltabit. » Hebræ. « Laudabit. » Et quasi de utraque confecta est nostra. Breviter autem ostenditur hic, quod qui volunt Dei narrare justitiam, debent primo a sanguinibus liberari, ut non sint sanguisugæ sugentes aliorum sanguinem per carnalem concupiscentiam, gulam, nec pauperum per concupiscentiam oculorum. Prov. XXX, 15 : *Sanguisugæ duæ filiæ sunt, quæ dicunt : Affer, Affer.*

17 « *Domine, labia mea.* » Hic promittit venerationem in futuro. Et primo, oris. Secundo, operis, ibi, « *Quoniam si voluisses.* » Tertio, cordis, ibi, « *Sacrificium Deo spiritus.* »

In prima duo. Cum enim promittat venerationem oris, et hoc sine adjutorio Dei non possit, promittit primo de divino adjutorio confidentiam. Secundo, promittit laudem, ibi, « *Et os meum.* »

Dicit ergo : Sic dixi : « *Exsultabit lingua mea justitiam tuam :* nec hæsito, quia, o « *Domine, labia mea aperies,* » propter peccatum prius clausa. Psal. CVI, 42 : *Omnis iniquitas oppilabit os suum.* Cassiodorus : « In reatu positis ora dam- « nata sunt.» Supra, Psal. XLIV, 16 : *Peccatori autem dixit*, etc. Sed me oculos ad lacrymas aperiente, et tu labia aperies, et linguam solves. Isa. XXXV, 6 : *Aperta erit lingua mutorum.* Quare ? *Quia scissæ sunt in deserto aquæ.* Luc. XI, 14 : *Cum ejecisset dæmonium,* per aquam benedictam lacrymarum, *locutus est mutus.* Et sic « *os meum* » apertum, « *annuntiabit laudem tuam.* » Psal. LXX, 15 : *Os meum annuntiabit justitiam tuam.*

Sed quid est hoc ? David manu fortis qui leonem et ursum interfecerat sicut ipsemet dicit (I Reg. XVII, 35) os aperire sine adjutorio non poterat ? Item, quod magis mirabile, Psalmos præcedentes, et hunc ipsum versum, et hoc ipsum verbum, « *Domine, labia mea aperies,* » dixerat, non labiis clausis, constat. Quid igitur orat pro aperiendis ? Resp. Hoc dicit propter tria. Primo, ut hinc colligamus materiam humiliationis, quia Deus non dat tantum sapientiam cordis, sed ab ipso est etiam apertio oris. Sap. X, 21 : *Sapientia aperuit os mutorum, et linguas infantium fecit disertas.* Mentiti sunt qui dixerunt, Psal. XI, 5 : *Labia nostra a nobis sunt.* Item, ut intelligamus incentivum dilectionis : quia Deus in omni opere nostro cooperatur, et societas in eodem opere frequens, multum solet ad amorem incitare, etiam bruta. Isidorus : « In bobus sociis eximia pietas. « Nam alter alterum inquirit, cum quo « ducere aratra consuevit, et frequenti « mugitu primum attestatur affectum. » Sed Joan. XV, 5, dicit Dominus : *Sine me nihil potestis facere.* Eccli. LI, 11 : *Memoratus sum misericordiæ tuæ, Domine, et operationis tuæ.* Item, ut colligamus formam religionis. Ex hoc scilicet quod labia clausa sint, et non aperiantur sine licentia Dei. Sed ipse habet clavem ostiorum linguæ. Eccli. XXII, 33: *Quis dabit ori meo custodiam, et super labia mea signaculum certum, ut non cadam ab ipsis, et lingua mea perdat me?* scilicet Christus de quo, Apoc. III, 7 : *Habet clavem David : qui aperit, et nemo claudit : claudit et nemo aperit.*

Petit labia sibi aperiri ad triplicem instructionem.

« *Quoniam si voluisses.* » Hic veneratio operis per duo quæ dicuntur. Primo, quod paratus sit ad dandum sacrificium. Secundo, illud non esse Deo acceptum, ibi, « *Utique holocaustis.* » 18

Dicit ergo : Sic os meum laudem nuntiabit, nec mactabit manus pecudes : quoniam sacrificium, quo tempore illo fiebat expiatio. Ad Hebr. IX, 13 : *Sanguis hir-*

corum, et taurorum, et cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis. « *Dedissem utique* : » quia non erat hoc ei magnum qui rex erat, sacrificia pecudum offerre, « *si voluisses.* » Sed etiam « *holocaustis,* » quæ tota incenduntur tibi, et maxime tibi placere creduntur, « *non delectaberis.* » Isa. I, 11 : *Holocausta arietum, et adipem pinguem, et sanguinem vitulorum, agnorum et hircorum nolui.* Hoc est, religiosos immoderate se affligentes : holocaustum enim est malum, quando totum destruitur, id est, non culpa et peccatum, sed simul natura interimitur. Tale holocaustum Deo displicet. Job, xxx, 19 et seq.: *Assimilatus sum favillæ et cineri,* me indiscrete macerando. *Clamo ad te, et non exaudis me : sto, et non respicis me. Mutatus es mihi in crudelem,* etc.

19 « *Sacrificium Deo spiritus contribulatus.* » Hic tertium, in quo promittit cordis venerationem. Et primo promittit dolorem contritionis, contra delectationem. Secundo, actus humiliationis contra elactionem, quæ est ab illo, ibi, « *Cor contritum et humiliatum.* »

Dicit ergo : Hæc non amas quæ paratus eram dare, sed dabo quæ desideras, scilicet cor contritum et humile, quia « *sacrificium Deo spiritus contribulatus,* » id est, simul cum corpore tribulatus. Ad Rom. XII, 1 : *Obsecro vos, fratres, per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem.* Et nota, quod sicut lætitia culpam contrahit, sic tristitia destruit. Eccle. VII, 3 : *Melius est ire ad domum luctus, quam ad domum convivii.*

« *Cor contritum et humiliatum* » simul, contra peccati elationem, « *non despicies,* » imo suscipies : sic enim longe es a superbis, exigente eorum superbia. Eccli. XV, 7 : *Longe abest a superbia et dolo.* Sic propinquus humilibus. Augustinus : « Nosti quam extensus sit Deus : « si te excelsum feceris, elongabitur a te : « si te humiliaveris, appropinquabit ad « te. »

Et possunt notari hic tria, quæ faciunt hominem Deo acceptum, et propinquum. Tribulatio in satisfactione. Contritio in interiori dolore. Humiliatio in oris confessione, etc. **Tria quæ gratum Deo faciunt.**

20 **Tertia pars Psalmi.**

« *Benigne fac.* » Hic tertia pars totius hujus Psalmi, in qua suspirat pœnitens pro patria. Et dicuntur duo. Primo præmittit orationem. Secundo, venerationem, vel venerationis acceptationem, ibi, « *Tunc acceptabis.* »

In prima duo. Primo præmittit orationem pro Ecclesia militante, tamquam pro lapidibus præparandis. Secundo, pro triumphante, tamquam pro præparatis lapidibus, in ædificio collocandis, ibi, « *Ut ædificentur.* »

Dicit ergo : Sic, Domine, rogavi pro me, sed etiam rogo pro omnibus electis tuis, cum quibus affecto esse. Unde, o « *Domine, benigne fac.* » Vel sic : Ita tibi placet sacrificium spiritus contribulati, et cordis contriti : et hoc ut tibi fiat, o « *Domine, benigne fac,* » Filium mittendo, peccata dimittendo. Joan. I, 29 : *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit,* etc. Ecce benigne : quid enim benignius Agno? *Ecce qui tollit peccata mundi.* « *Sion,* » id est, Ecclesiæ militanti. Sion enim, sicut frequenter dictum est, *specula* interpretatur, locus de quo longe prospicitur. Et Ecclesia de longe valde videt. Isa. XXXIII, 17 : *Oculi ejus cernent terram de longe.* Et hæc non nostris meritis, « *sed in tua voluntate.* » Dan. IX, 18 : *Neque enim in justificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam.* Et insuper « *ædificentur* » in nobis per fidem, spem, et charitatem, non in nobis existentibus, « *muri Jerusalem* » cœlestis in futuro. Isti muri sunt immortalitas, et omnimoda impas-

sibilitas. I ad Corinth. xv, 52 : *Mortui resurgent incorrupti : et nos immutabimur,* scilicet in melius. *Oportet enim corruptibile hoc induere,* etc. Hi sunt muri de quibus Isa. LVI, 5 : *Dabo eis in domo mea, et in muris meis locum.*

21 « *Tunc acceptabis.* » Hic secundum, in quo promittit sacrificium et venerationem. Primo, oris. Secundo, operis, ibi, « *Oblationes et holocausta.* »

Legitur autem tripliciter in Glossa : quia sacrificium justitiæ potest significare futuram laudem, aut præsentem virtutem, aut Christi passionem.

Primo modo sic : Cum ædificati fuerint muri, sancti scilicet immortales, et incorruptibiles effecti, « *tunc acceptabis,* » id est, acceptum habebis, « *sacrificium justitiæ,* » id est, justæ laudis tuæ, id est, laudis tibi debitæ. Psal. LXXXIII, 5 : *Beati qui habitant in domo tua, Domine,* etc. Sacrificium quidem pœnitentiæ, quod relaxat peccata, non cantatur : sed tunc cantabitur sacrificium justitiæ unicuique reddentis quod meruit. Tunc implebitur perfecte illud Psal. XLIX, 23 : *Sacrificium laudis honorificabit me.*

« *Oblationes et holocausta.* » Hic venerationem operis, ab Angelis, quorum ministerium est offerre non materiales arietes, sed homines.

Ait enim : Sic acceptabis laudes et oblationes minorum tibi ab Angelis oblatorum, « *Et holocausta,* » majores sanctos, totos igne divino succensos, in illo cœlesti camino, cœlo scilicet empyreo. Et tunc illi Angeli « *imponent super altare tuum vitulos,* » mediocres. Et appellat altare cœlum empyreum : altare enim dicitur, quasi alta ara, et illud altum est. Eccli. I, 2 : *Altitudinem cœli... quis dimensus est ?* Ara autem dicitur ab ardendo : et ibi est ardor continuus. Hinc enim dicitur empyreum, ab ἐν, quod est *in*, et πῦρ, quod est *ignis*, quasi in quo est ignis. Isa. XXXI, 9 : *Ignis est in Sion, et caminus in Jerusalem.*

Vel sic, secundo modo : Ædificentur muri Jerusalem, id est, Ecclesia militans. Et « *tunc acceptabis sacrificium justitiæ,* » id est, justitia erit tibi sacrificium, non pecudes, ut in synagoga. Malach. III, 3 : *Erunt Domino offerentes sacrificia.* Et in justitia tibi placebunt. Et « *tunc acceptabis oblationes,* » minores sanctos : « *et holocausta,* » majores et perfectos. Et tunc sacerdotes etiam « *imponent vitulos super altare tuum,* » id est, homines a jugo peccati liberos. Ad Rom. VI, 18 : *Liberati a peccato servi facti estis justitiæ.* « *Super altare tuum,* » fidem, quæ est alta, quia est de cœlestibus : ara, quia igne charitatis ignita, et inflammata. Vituli etiam sunt prædicatores, qui mundum suo mugitu replere debent. Cassiodorus : « Quorum prædicatorum imaginem in vituli figura Lucas Evangelista suscipit, hos imponent super altare tuum, id est, Ecclesiam : tales enim essent præficiendi. Sed nunc non isti, sed canes muti non valentes latrare, secundum illud Isa. LVI, 10 : *Nescierunt universi : canes muti non valentes latrare.* » Vel ipsi vituli, id est, Martyres, « *imponent etiam super altare tuum vitulos,* » scilicet semetipsos offerendo. II ad Corinth. VIII, 5 : *Semetipsos dederunt primum* Deo, vel *Domino.*

Vel sic, tertio modo : « *Tunc,* » id est, tempore gratiæ, « *acceptabis sacrificium justitiæ,* » agni scilicet immaculati Christi oblationes, etc. Hæc imitantur Martyres seipsos pro Christo offerentes, etc.

INDEX PSALMORUM

(I-L)

ORDINE NUMERICO.

INDEX PSALMORUM

(I-L)

ORDINE ALPHABETICO DIGESTORUM.

A

B

C

D

E

I

J

M

N

O

Q

S

U

V

FINIS TOMI XV.

Sancti Amandi (Cher). — Ex typis de DESTENAY,

D. ALBERTI MAGNI,

RATISBONENSIS EPISCOPI, ORDINIS PRÆDICATORUM,

COMMENTARII

IN SECUNDAM PARTEM PSALMORUM (LI-C)

B. ALBERTI MAGNI,

RATISBONENSIS EPISCOPI, ORDINIS PRÆDICATORUM,

OPERA OMNIA,

EX EDITIONE LUGDUNENSI RELIGIOSE CASTIGATA, ET PRO AUCTORITATIBUS
AD FIDEM VULGATÆ VERSIONIS ACCURATIORUMQUE
PATROLOGIÆ TEXTUUM REVOCATA, AUCTAQUE B. ALBERTI VITA AC BIBLIOGRAPHIA SUORUM
OPERUM A PP. QUÉTIF ET ECHARD EXARATIS, ETIAM REVISA ET LOCUPLETATA

CURA AC LABORE

AUGUSTI BORGNET,

Sacerdotis diœcesis Remensis.

ANNUENTE FAVENTEQUE PONT. MAX. LEONE XIII.

VOLUMEN DECIMUM SEXTUM

COMMENTARII IN SECUNDAM PARTEM PSALMORUM (LI-C).

PARISIIS
APUD LUDOVICUM VIVÈS, BIBLIOPOLAM EDITOREM
13, VIA VULGO DICTA DELAMBRE, 13

MDCCCXCII

D. ALBERTI MAGNI,

RATISBONENSIS EPISCOPI, ORDINIS PRÆDICATORUM,

SECUNDA PARS

COMMENTARIORUM IN PSALMOS

(LI-C).

PSALMUS LI.

Frustra in divitiis sperant impii : salus est sperantibus in Domino.

1. *In finem, Intellectus David,*
2. *Cum venit Doeg Idumæus, et nuntiavit Sauli : Venit David in domum Achimelech.* (I Reg. XXII, 9).
3. Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate?
4. Tota die injustitiam cogitavit lingua tua : sicut novacula acuta fecisti dolum.
5. Dilexisti malitiam super benignitatem : iniquitatem magis quam loqui æquitatem.
6. Dilexisti omnia verba præcipitationis, lingua dolosa.
7. Propterea Deus destruet te in finem : evellet te, et emigrabit te de tabernaculo tuo, et radicem tuam de terra viventium.
8. Videbunt justi, et timebunt : et super eum ridebunt, et dicent :
9. Ecce homo qui non posuit Deum adjutorem suum :
Sed speravit in multitudine divitiarum suarum, et prævaluit in vanitate sua.
10. Ego autem, sicut oliva fructifera in domo Dei : speravi in misericordia Dei, in æternum et in sæculum sæculi.
11. Confitebor tibi in sæculum, quia fecisti : et exspectabo nomen tuum, quoniam bonum est in conspectu sanctorum tuorum.

IN PSALMUM LI

COMMENTARIUS.

1 *In finem, Intellectus David,*
2 *Cum venit Doeg, Idumæus, et nuntiavit Sauli : Venit David in domum Achimelech*[1].

Secunda quinquagena ad proficientes pertinet. Argumentum Psalmi: Anti-Christus.

« *Quid gloriaris in malitia.* » Incipit secunda quinquagena quæ sicut a principio dictum fuit, pertinet ad proficientes, sicut prima ad incipientes. Sicut igitur prima inchoavit a fonte misericordiæ Christo, per quem peccata inchoantibus dimittuntur, describens ipsum, et agens de eo in primo sui Psalmo : sic hæc secunda in primo agit de capite malorum Anti-Christo, contra quem necessario debent armari proficientes, quorum est esse in pugna. Vel contra personam ipsius Antichristi, sicut illi boni qui erunt in fine mundi. Vel contra ejus membra, sicut omnes justi antecedentium temporum.

Quod autem de Antichristo agatur in Psalmo isto, apparet ex titulo qui talis est : *In finem, Intellectus David, Cum venit Doeg, Idumæus, et nuntiavit Sauli : Venit David in domum Achimelech.* Prænotata enim diligenter historia de primo Reg. XXI, XXII, XXIII, dupliciter exponitur hic titulus.

Primo, ut per Doeg Idumæum, malorum corpus significetur : vel ipsum caput, scilicet Antichristus. Doeg interpretatur *motus,* et significat malos, qui numquam sunt in quiete. Isa. LVII, 20 : *Impii quasi mare fervens, quod quiescere non potest.* « *David,* » Christum significat. Interpretatur *manu fortis, adspectu desiderabilis,* quorum utrumque Christo convenit, de cujus fortitudine, Job, IX, 19 : *Si fortitudo quæritur, robustissimus est.* Et de secundo, I Pet. I, 12 : *In quem desiderant Angeli prospicere.* Saul autem mortem significat : interpretatur enim *petitio,* et rex erat. Petitio autem bene dicitur, id est, appetitio : quia quasi invito Domino Judæi petierunt, et appetierunt ut rex fieret super eos, Domino invito, sicut patet I Reg. VIII, 19. Sic mortem ab invito Domino primi parentes extorserunt, et pro culpa quam commiserunt. Sapient. I, 15 et 16 : *Justitia perpetua est et immortalis. Impii autem manibus,* pomum vetitum tangendo, *et verbis,* peccata excusando, *accersierunt illam :* et facta est super omnes usquequo venit vita. Ad Rom. V, 17 : *Si unius delicto mors regnavit per unum, multo magis,* etc. Abimelech[2] autem Judæorum synagogam significat : interpretatur enim *patris mei regnum,* quod erant soli Judæi ante adventum Christi, et publi-

[1] C'est au temps de la persécution de Saül, dit M. l'abbé Lesêtre, que David composa ce psaume. Doëg, l'Iduméen, intendant des troupeaux du roi, avait dénoncé le grand prêtre Achimélech, coupable d'avoir donné asile au fugitif, puis de sa propre main avait massacré quatre-vingt cinq ministres du Seigneur, pour plaire à son maître. I Reg. XXII, 9-18. A cette nouvelle David est saisi d'horreur, et avec des accents de véhémente indignation, il interpelle le lâche courtisan et lui prédit le châtiment divin. Hengstenberg croit que l'objet des invectives du prophète est Saül lui-même, ce *gibbor*, ℣. 3 (Cf. II Reg., I, 19) qui accuse faussement David de révolte, et abandonne Dieu pour se confier dans ses richesses. Il est certain que toutes les expressions du psaume peuvent parfaitement s'appliquer à Doëg. Quant à Saül, malgré ses torts et ses perfidies, jamais David ne s'attaquait directement à lui, parce qu'il était l'oint du Seigneur.

Doëg se faisant traître et meurtrier par égard pour un intérêt matériel, est l'image de tous ceux qui sacrifient la justice et la vérité à leur avantage personnel. « Referuntur item hæc ad personam populi Judæorum atque Judæ. » S. Athan., S. Hilar.

[2] In Vulg. habetur *Achimelech.*

cationem fidei, et vocationem Gentium. Psal. XLIII, 5 : *Tu es ipse rex meus, et Deus meus.* Sensus ergo tituli hic est : In hoc subjecto Psalmo continetur « *intellectus,* » habitus a « *David,* » tunc « *cum venisset Doeg,* etc. » Per hoc enim intellexit quod proditio Doeg significabat proditionem malorum : et proditio sui, proditionem Christi : et « *Sauli,* » qui significat mortem, proditionem Christi ad mortem ducentem ipsum Christum : et hoc cum venisset in Judæam, quæ erat regnum patris. Qui, inquam, intellectus dirigit nos « *in finem* » nostrum Christum, vel Deum.

Alio modo legitur ut per Doeg, ipse malorum caput Anti-Christus intelligatur, qui totum mundum perversa prædicatione, signis, et miraculis falsis commovebit, et per se et per suos. Matth. XXIV, 24 : *Surgent pseudo-Christi et pseudo-prophetæ : et dabunt signa magna et prodigia, ita ut in errorem inducantur (si fieri potest) etiam electi.* Et adversabitur Christo sicut ipso suo nomine patet, sicut Doeg David. Per Saul autem malum regem, diabolus significatur. Hunc ergo intellectum in præcedenti habuit David, Doeg Idumæum, Anti-Christum, tandem proditurum Christum Sauli, id est, ipsi dæmoni : quod fiet in fine mundi cum Christus venerit in regnum Patris, id est, in Ecclesiam, quam sibi per gratiam congregabit, quæ regnum Patris dicitur. Apoc. V, 10 : *Fecisti nos Deo nostro regnum, et sacerdotes.* Et hic intellectus dirigit nos in finem mundi, quando scilicet hæc fient.

De contrarietate tituli et historiæ, quia in titulo dicitur Abimelech, et in historia Achimelech, nota Glossam Hieronymi et Augustini.

Divisio autem Psalmi sic patere potest. Agitur enim de malis, et capite illorum, sicut dictum est. Sed quia opposita juxta se posita magis elucescunt, agitur de bonis consequenter. Primo ergo de malis agitur. Secundo, de bonis, ibi, « *Ego autem sicut oliva.* »

In prima, primo tangitur mala actio malorum. Secundo, malæ dilectionis actio, ibi, « *Dilexisti malitiam, et odisti.* »

In prima, tangitur primo mala actio interior mentis. Secundo, exterior oris, ibi, « *Tota die injustitiam.* » Illa culpa interior quæ tangitur, est de abusu potentiæ : unde duo tanguntur : Potentiæ abusio, et gloriatio in abusu.

Dicit ergo : Tu Doeg spiritualis, scilicet Anti-Christus, vel Anti-Christiane, « *qui potens es in iniquitate,* » cum non sit ad hoc tibi data potentia. Ecce abusio potentiæ. Jerem. III, 5 : *Fecisti mala, et potuisti.* Et Isa. V, 11 : *Væ qui consurgitis mane ad ebrietatem.* « *Quid gloriaris in malitia?* » in hoc scilicet abusu potentiæ. Isa. LXVI, 3 : *In abominationibus suis anima eorum delectata est.* Prov. II, 14 : *Lætantur cum male fecerint, et exsultant in rebus pessimis.* 3

Prima pars Psalmi.

« *Tota die injustitiam.* » Hic mala actio oris : et notantur tria. Iniquitas, et indiscretio, et fraudulentia. Primum in hoc quod dicit, « *Injustitiam.* » Secundum in hoc quod addit, « *Cogitavit lingua.* » Tertium in hoc quod subjungit, « *Sicut novacula.* » 4

Dicit ergo : « *Gloriaris,* » in corde, « *in malitia :* » nec hoc tantum, « *imo tota die injustitiam :* » ecce iniquitas, « *cogitavit lingua tua.* » Deberet dicere, ut videtur, mens tua : mentis enim est cogitare, non linguæ. Resp. Hoc dicit ut innuat, quod non ante est in mente iniquitas, quam in lingua, præ ardore dicendi, et notatur indiscretio. Eccli. XXI, 29 : *In ore fatuorum cor illorum est.* Et dicit, « *Tota die,* » non semel tantum, vel raro, sed « *tota die.* » Augustinus in Glossa : « Si non potest facere « malum, loquitur : si non potest loqui,

« saltem cogitat, ut impleatur in illo « illud Psal. x, 5 : *Inquinatæ sunt viæ* « *illius in omni tempore.* »

Et post hanc indiscretionem, « *fecisti dolum.* » Ecce fraudulentia. Jerem. ix, 8 : *Sagitta vulnerans lingua eorum, dolum locuta est.* Et hoc « *sicut novacula acuta,* » rasorium scilicet acutum. Et legitur tripliciter : quia aut sonat habilitatem faciendi malum, aut nocumenti pravitatem, aut fraudulentam operationem. Primo sic : « *Fecisti dolum,* » et hoc « *sicut novacula acuta,* » id est, sine omni difficultate, sicut illa radit. Prov. i, 16 : *Pedes illorum ad malum currunt.* Et supra, in alio Psal. xlix, 18 : *Si videbas furem, currebas cum eo,* sine obstaculo, sicut per barbam novacula. Secundo, modo sic : « *Fecisti dolum,* » sed non nisi « *sicut novacula acuta,* » quæ aufert pilos superfluos, et decorat illum quem radit. Sic a sanctis auferens superflua, decoros eos reddis. Ad Hebr. x, 34 : *Rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis :* quia scitis vos modo decoros factos, ut in vobis impleatur illud Psal. xlii, 12 : *Concupiscet rex decorem tuum.* Vel sic : « *Fecisti dolum sicut novacula acuta,* » quæ rasionem promittit, sed aliquam incisionem facit. Jerem. ix, 8 : *Pacem cum amico suo loquitur, et occulte ponit ei insidias.*

Persecutio si ut novacula decorat.

5 « *Dilexisti malitiam.* » Hic secundum, in quo arguit de malitiæ dilectione. Et primo dilectio malitiæ interioris in corde. Secundo, exterioris in ore, ibi, « *Iniquitatem.* »

Dicit ergo : Sic fecisti dolum tamquam novacula acuta, nec hoc tantum, imo « *dilexisti malitiam* », et propter hoc non facile resipiscere potuisti ab illa. Cassiodorus : « Numquam malum dere« linquit, qui cognoscitur amare quod « peccat. » Michæ. iii, 2 : *Odio habetis bonum, et diligitis malum.* Et hoc, « *super benignitatem.* » Quasi diceret : Utrumque cum coram te est, malitiam præeligis. Eccli. xv, 18 : *Ante hominem vita et mors, bonum et malum : quod placuerit ei, dabitur illi.*

« *Iniquitatem.* » Ecce secundum, in quo tria. Primo, iniquæ locutionis. Secundo, indiscretæ, ibi, « *Dilexisti omnia.* » Tertio, fraudulentæ, ibi, « *Lingua dolosa.* »

Dicit ergo : Sic dilexisti malitiam super benignitatem, et « *magis loqui iniquitatem dilexisti, quam æquitatem.* » Contra quos Augustinus : « Escas amaritudi« nis non das ventri tuo, et cibos mali« gnitatis das ori tuo maligne? Sicut « eligis quid vescaris, sic elige quid lo« quaris. » Et bene dicit, quia loqui iniquitatem cibus amarus est. Supra, in Psal. xiii, 3 : *Quorum os maledictione, et amaritudine plenum est,* mala scilicet dictione.

« *Dilexisti omnia verba.* » Hic secundum. Quasi diceret : Non tantum dilexisti verba iniqua, imo dilexisti « *omnia verba præcipitationis,* » indiscrete scilicet prolata, non tantum habens prudentiæ, ut saltem malitiam abscondas, sed statim præcipitas. Cassiodorus : « Plerique « qui peccata faciunt, per decorem se « compositæ locutionis abscondunt. » Sed iste non sic : sed audacter prædicat quod amat. Isa. iii, 9 : *Peccatum suum quasi Sodoma prædicaverunt, nec absconderunt.* Cassiodorus : « Iste sic pro« fessus est malum, ut loqui non erube« scat. » Psal. lxxii, 8 : *Cogitaverunt, et locuti sunt nequitiam.* 6

Vel, « *Dilexisti omnia verba præcipitationis,* » active, quibus alios possis corrumpere, et in culpam præcipitare. I ad Corinth. xv, 33 : *Corrumpunt bonos mores colloquia mala.* Sed cum eis teipsum simul præcipitas, quia Eccli. xxvii, 29 : *Qui foveam fodit, incidet in illam : et qui statuit lapidem proximo, offendit in eum.* Eccli. x, 12 : *Labia insipientis præcipitabunt eum.*

Hæc fecisti tu, qui es « *lingua dolo-*

sa. » Emphatice per vehementem amorem dolositatis. Augustinus : « Lingua « dolosa est ministra fallaciæ. » Lingua dolosa est aliud in corde gestantium, aliud in ore proferentium. Psal. v, 11 : *Linguis suis dolose agebant, judica illos, Deus.*

nsania de malo lætantium.

Arguit ergo gloriantes in malis, et illa diligentes : et hi recte arguendi : quæ enim avis gaudet de laqueo, aut piscis de hamo ? Eccle. ix, 12 : *Sicut pisces capiuntur hamo, et sicut aves laqueo comprehenduntur, sic capiuntur homines in tempore malo.* Quis lupus de pedica, et loco in quo tenetur captus ? Jerem. v, 26 : *Inventi sunt... laqueos ponentes et pedicas ad capiendos viros.* Job, xviii, 10 : *Abscondita est in terra pedica ejus.* Quis fur gloriatur de fune, et vinculo in quo detinetur et stringitur ? Proverb. v, 22 : *Iniquitates suæ capiunt impium, et funibus peccatorum suorum constringitur.* Psal. cxv, 16 : *Dirupisti vincula mea.* Quis incarceratus de lacu fœtido in quo mergitur ? Psal. xxxix, 3 : *Et eduxit me de lacu miseriæ, et de luto fæcis.* Quis vulneratus de vulnere lethali et mortifero ? Jerem. xxx, 12 : *Insanabilis fractura tua, pessima plaga tua.* Quis prudens mercator de omnium bonorum amissione ? Thren. i, 10 : *Manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia ejus.* Quis prius liber, de subjectione et miseria servitutis ? II Pet. ii, 19 : *A quo quis superatus est, hujus et servus est.* Joan. viii, 34 : *Qui facit peccatum, servus est peccati.*

7 « *Propterea Deus destruet te.* » Hic consequenter agitur de pœna. Et primo agitur de pœnarum perpessione. Secundo, de illarum utilitate eorum adversariis, scilicet bonis : quod est magna miseria afflictorum, ibi, « *Videbunt justi.* » Tertio, de afflictorum irrisione, ibi, « *Et dicent : Ecce homo.* »

In prima, primo tangitur pœnæ æternitas. Secundo, multiplicitas, ibi, « *Evellet te.* »

Dicit ergo : Sic mala diligis, et in illis gloriaris, « *propterea,* » o tu Anti-Christe, vel omnis Anti-Christiane, « *Deus destruet te in finem,* » id est, destructione finali, quæ est æterna : vel destructione semper in finem tendente, sed numquam ad illum perveniente. Cassiodorus : « In « finem qui destruitur, æternis suppliciis « deputatur. » Huic concordat Hebraica veritas quæ habet : « Destruet te in sempiternum. » De Anti-Christo hoc verum est, II ad Thessal. ii, 8 : *Quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui, et destruet illustratione adventus sui eum.* De quolibet membro ejus, Isa. xi, 4 : *Spiritu laborium suorum interficiet impium.* Thren. ii, 2 : *Destruxit in furore suo munitiones virginis Juda.*

« *Evellet te.* » Hic pœnarum diversitas, et tangitur triplex. Primo, quod a corpore violenter avelletur. Secundo, quod de mundo quem dilexit, ejicietur, ibi, « *Et emigrabit te.* » Tertio, quod evulsus de mundo, in cœlo non plantabitur, sed magis ut arbor inutilis, imo nociva, in infernum projicietur, et ibi cremabitur, ibi, « *Et radicem tuam.* »

Dicit ergo : Sic destrueris finaliter, et perpetuo, « *et evellet te Deus,* » de corpore quod tam diligis. Jerem. i, 10 : *Posui te ut evellas, et dissipes.* Vel, « *evellet* » de dignitate in qua fixus es, et potentia. Job, v, 3 : *Ego vidi stultum firma radice, et maledixi pulchritudini ejus statim.* Eccli. x, 11 : *Omnis potentatus brevis vita.* Et Psal. xxxvi, 35 : *Vidi impium superexaltatum, et elevatum sicut cedros Libani.* Job, xix, 10 : *Tamquam evulsæ arbori abstulit spem meam.*

« *Et emigrabit te,* » id est, emigrare te faciet, de « *tabernaculo tuo,* » de mundo quem diligis, quem tabernaculum tibi facis, ad inferos. Isa. v, 9 : *Dicit Dominus exercituum : Nisi domus multæ desertæ fuerint grandes, et pulchræ absque habitatore.* Deserere fecit eos Dominus magna palatia. Baruch, iii, 16

et 17 : *Ubi sunt principes gentium, et qui dominantur super bestias, quæ sunt super terram ? Qui in auribus cœli ludunt*, etc. Et respondet, ℣. 19 : *Exterminati sunt, et ad inferos descenderunt.* Vel sicut vult Glossa : « Tabernaculum « dicit Ecclesiam militantem, de qua « avelletur iniquus, qui modo inter bo- « nos est. » Joan. VIII, 35 : *Servus non manet in domo in æternum.*

« *Et radicem.* » Tertium est, quod legitur tripliciter : quia radix charitas, vel cupiditas, vel ministri. Primo modo sic : Destruet et evellet « *radicem tuam,* » charitatem tuam in qua aliquando fuisti, ut intelligatur de Anti-Christo. Ad Ephes. III, 17 : *In charitate radicati et fundati.* « *De terra viventium,* » ut non figatur in cœlestibus, sed magis in terrenorum cupiditate convertatur. Job, XV, 29 : *Nec mittet in terra radicem suam.* Verum est, « *viventium.* » Secundo modo sic : « *Evellet radicem tuam,* » cupiditatem tuam. I ad Tim. VI, 10 : *Radix omnium malorum est cupiditas.* « *De terra viventium,* » in præsenti. Vel sic specialiter de malorum capite, cujus radix sunt ejus ministri : « *Et radicem tuam,* » malos quibus sustentaris, sicut arbor radice. Ad Rom. XI, 18 : *Non tu radicem portas, sed radix te.* « *De terra viventium,* » de cœlo quod promittis illis. Job, VIII, 15 : *Innitetur super domum suam,* familiam scilicet suam, *et non stabit : fulciet eam,* cœlestia promittendo, *et non consurget in cœlum.*

8 « *Videbunt justi, et timebunt.* » Hic de pœnarum utilitate eorum adversariis, et tangitur duplex. Una, quia in præsenti utiliter timebunt justi videntes malorum finem miserum. Secunda, quod in futuro gaudebunt feliciter, ibi, « *Et super eum.* »

Dicit ergo : Sic affliges : sed quæ utilitas inde bonis ? Magna : quia « *videbunt justi,* » etiam nunc per fidem, futura malis mala : « *et timebunt* » sibi, ne pereant cum eis. Job, XLI, 16 : *Cum sublatus fuerit, timebunt Angeli,* non autem inimici mei, *et territi purgabuntur.* Videbunt in futuro per speciem, et gaudebunt : « *Et super eum ridebunt,* » quando vertetur folium. Joan. XVI, 20 : *Plorabitis et flebitis vos, mundus autem gaudebit : sed tristitia vestra vertetur in gaudium.* Modo *deridetur justi simplicitas* (Job, XII, 4), tunc deridebitur stultorum fatuitas. Quippe confirmabunt se justi capiti suo, qui dicit Proverb. I, 26 : *Ego vero in interitu vestro ridebo.*

« *Et dicent.* » Hic de pœnarum exprobratione, quod fuit tertium, in quo tanguntur duo. Primo, exprobratio super amissione boni. Secundo, super commissione mali, ibi, « *Sed speravit.* »

Dicit ergo : Sic gaudebunt justi super afflictum iniquum, et dicent ridendo :

« *Ecce homo qui non posuit Deum adjutorium suum,* » homo purus : quamvis se Deum mentiatur, II ad Thessal. II, 9
4 : *Extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur.* Sic omnis etiam peccator se præposuit Deo, et quasi se non solum Deum, sed quasi plusquam Deum se facit. Ezech. XXVIII, 2 : *Elevatum cor est tuum et dixisti : Deus ego sum.* Non ponit etiam Deum adjutorem suum, sed hæc est falsa positio, quia Joan. XV, 5 : *Sine me nihil potestis facere.* Deut. XXXII, 15 : *Dereliquit Deum factorem suum, et recessit a Deo salutari suo.*

« *Sed speravit in multitudine.* » Hic irrisio de commissione mali. Et primo tangitur commissio. Secundo, commissionis magnitudo super omnes, ibi, « *Et prævaluit.* »

Dicit ergo : Sic omisit, et irridebunt, et etiam de hoc dicent : Non speravit in Deo, sed « *speravit in multitudine divitiarum suarum,* » quas habebit multas Anti-Christus. Cassiodorus : « Divitiis et « pompis sæculi nefandissimus abunda-

« bit. » Sic et alii reprobi in hoc sperant. Job, XXI, 7 : *Impii vivunt, sublevati sunt, confortatique divitiis*. Contra illud Job, XXXI, 24 : *Si putavi aurum robur meum, et obryzo dixi : Fiducia mea.*

« *Et prævaluit in vanitate sua.* » Super omnes verum est de Anti-Christo, qui super omnes prævalebit decipiendo, et iniquitates perpetrando. Augustinus in libro de *Quantitate animæ* : « Vanitas « est fallacia. In ista prævalebit Anti- « Christus. » Iniquus etiam quilibet qui sperat in divitiis, iniquitate prævalet. Augustinus : « Nihil est vanius eo, qui « putat plus valere nummum, quam « Deum. » Eccli. X, 9 : *Avaro nihil est scelestius.* Nota ergo, quod divitiæ hic vanitas appellantur, et bene, per diffinitionem veram. Cassiodorus : « Vanum « est quod inane est, fragile, vel cadu- « cum, et ab ipsa firmissima veritate « discretum. Inane caret soliditate : sic « divitiæ. » Sapient. V, 8 et 9 : *Divitiarum jactantia quid contulit nobis? transierunt omnia illa tamquam umbra.* Umbra solida non est, nec repletiva. Eccle. V, 9 : *Avarus non implebitur pecunia.* Quia fragile et caducum, caret durabilitate. Tales sunt divitiæ. Augustinus secundo libro de *Libero arbitrio* : « Temporalia antequam sint, non sunt : « et cum sunt, fugiunt : et cum fugierint, « non erunt. Propterea dicunt tempora- « lium amatores : Venite fruamur bonis « quæ sunt, tamquam in juventute cele- « riter [1]. » Item, quod est a fortissima veritate discretum, caret veritate. Sic divitiæ : fallunt enim teste Domino, Matth. XIII, 22 : *Fallacia divitiarum suffocat verbum.* Ergo veraciter vanæ.

10 « *Ego autem sicut oliva fructifera.* » Hic est secunda pars Psalmi, in qua agit de bonis. Et primo agit de bonorum merito. Secundo, de præmio, ibi, « *Confitebor tibi in sæculum.* »

Secunda pars Psalmi.

In prima tangitur bonorum operum fructificatio, et ratio fructificationis, ibi, « *Speravi in misericordia.* »

Dicit ergo : Sic mali sperant in divitiis, « *Ego autem* sum *in domo Domini sicut oliva fructifera.* » Hoc dicit quilibet justus. Oliva hieme viret et æstate. Quasi diceret : Bene me habeo, et hieme adversitatis, et æstate prosperitatis. Eccli. XXVI, 4 : *Divitis, et pauperis,* (si justi) *cor bonum : in omni tempore vultus eorum hilaris.* Nec tantum virens, imo « *fructifera.* » Oliva fructifera David, de quo Christus processit, gloriosus valde et copiosus fructus. Matth. XXII, 42 : *Quid vobis videtur de Christo? cujus filius est? Dicunt ei : David.* Bonum autem opus cujuslibet justi fructus. Joan. XV, 2 : *Omnem palmitem... qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat.*

Ego, inquam, talis, « *speravi in misericordia Dei,* » non sicut Doeg in divitiis. Alibi, in Psal. XII, 6 : *Ego autem in misericordia tua speravi.* Et inde quia oliva dicitur ab ἐλεος Græce, quod est *misericordia* Latine [2]. Quasi diceret : Omnino ego misericors, in misericordia spero : et hoc justum. Matth. V, 7 : *Beati misericordes : quoniam ipsi misericordiam consequentur.* « *Speravi,* » inquam, « *in misericordia* », duratura « *in æternum, et in sæculum sæculi* » consecutivum. Psal. CII, 17 : *Misericordia autem Domini ab æterno, et usque in æternum super timentes eum.* Item, « *speravi in misericordia in æternum,* » hoc est, in misericordia non tantum terrena dante, sed æterna. I ad Corinth. XV, 19 : *Si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus.*

Hic notandum, quod justus olivæ comparatur. Primo, quia oliva, sicut jam tactum est, semper viret, et justus in virore fidei semper est, quæ est vera sapientia. Sapient. VI, 13 : *Clara est, et*

Quare justus olivæ comparatur?

[1] Sapient. II, 6.

[2] Vel melius, ab ἔλαια, oleum, oliva [R. ἐλ].

quæ numquam marcescit sapientia. In radice amaritudinem habet, sed fructus dulcis : sic justi quasi in radice, hic in hac vita amarum vitam ducunt, sed fructum exspectant suavissimum. Ad Hebr. xii, 11 : *Omnis quidem disciplina in præsenti non videtur esse gaudii, sed mœroris : postea autem fructum pacatissimum,* etc. Propter hoc etiam dicit unus justorum, Isa. xxxviii, 17 : *In pace amaritudo mea amarissima.* Arbor pacis : sic justi pacifici sunt cum omnibus. Psal. cxix, 7 : *Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus.* Matth. v, 9 : *Beati pacifici : quoniam filii Dei vocabuntur.* Habet folia salici infructuosæ similia : sic justus verba humilia. Luc. v, 8, dixit unus justorum : *Exi a me, quia homo peccator sum, Domine.* Et xvii, 10 : *Cum benefeceritis omnia, dicite : Servi inutiles sumus.* Oleum quod fit de fructu, excedit in valore : sic remuneratio opera misericordiæ quæ justus facit, in multis excedit. II ad Corinth. iv, 17 : *Id enim, quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Oleum olivæ, in quo mortuus est scorpio, medicinale est : sic misericordia in qua moritur diabolus, medicinalis valde, quia procedit ex justo, et hoc contra peccatum. Daniel. iv, 24 : *Peccata tua eleemosynis redime.* Psal. cxi, 9 : *Dispersit, dedit pauperibus.* Breviter quidquid in oliva est, totum est utile : quidquid in justo, totum est bonum, et proficuum aliis. I ad Corinth. ix, 22 : *Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos.*

11 « *Confitebor tibi in sæculum.* » Hic secundum, in quo subjungitur de præmio bonorum, et tangitur duplex. Primo, præmium habitum jam in re præsentialiter. Secundo, exspectatum et habitum in spe, ibi, « *Et exspectabo.* »

In prima duo. Præmium, et ratio præmii, ibi, « *Quia fecisti.* »

Ergo dicit : « *Confitebor tibi,* » confessione jucunditatis. Supra, in Psal. xlii, 4 : *Confitebor tibi in cithara, Deus :* et hoc « *in sæculum,* » non ad horam. Psal. ciii, 33 : *Psallam Deo meo quamdiu sum.* « *Quia fecisti,* » me olivam fructiferam, et in te sperantem, et omnia quæcumque habeo, totum est a te. Isa. xxvi, 12 : *Omnia opera nostra operatus est nobis, Domine.* Ad Philip. ii, 13 : *Operatur in vobis, et velle, et perficere, pro bona voluntate.* I ad Corinth. iv, 7 : *Quid habes quod non accepisti ?* et xv, 10 : *Gratia Dei sum id quod sum.*

« *Et exspectabo.* » Hic secundum præmium habitum in spe, et tangitur præmium, scilicet exspectatio salutis. Secundo, ratio, ibi, « *Quoniam bonum.* »

Dicit : Confitebor, « *et exspectabo nomen tuum,* » rem scilicet nominis tui : non festinabo, quia Prov. xx, 21 : *Hæreditas ad quam festinatur in principio, in fine benedictione carebit.* Res autem nominis salus est. Matth. i, 21 : *Vocabis nomen ejus Jesum : ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.* « *Quoniam bonum,* » id est, jucundum et delectabile, non quidem omnibus, quia non est bonum habentibus corruptum palatum cordis. « *Sed in conspectu sanctorum tuorum,* » tuæ dulcedinis scilicet expertorum. Apoc. ii, 17 : *Vincenti dabo illi calculum candidum : et in calculo nomen scriptum, quod nemo novit, nisi qui accipit.* Psal. xxx, 20 : *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te,* ad quam dulcedinem nos perducat, etc.

PSALMUS LII.

Impiorum insipientia, numerus et pœna.

1. *In finem, Pro Maëleth intelligentiæ, David.*
Dixit insipiens in corde suo [1] : Non est Deus.
2. Corrupti sunt, et abominabiles facti sunt in iniquitatibus : non est qui faciat bonum.
3. Deus de cœlo prospexit super filios hominum [2] : ut videat si est intelligens, aut requirens Deum.
4. Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt : non est qui faciat bonum, non est usque ad unum [3].
5. Nonne scient omnes qui operantur iniquitatem, qui devorant plebem meam ut cibum panis ?
6. Deum non invocaverunt : illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor.
Quoniam Deus dissipavit ossa eorum qui hominibus placent : confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos.
7. Quis dabit ex Sion salutare Israel ? cum converterit Deus captivitatem plebis suæ, exsultabit Jacob, et lætabitur Israel.

IN PSALMUM LII

COMMENTARIUS.

1 *In finem, pro Amalec, intellectus David* [4].

« *Dixit insipiens in corde suo.* » Hic est Psalmus secundus secundæ quinquagenæ, in quo postquam actum est de capite malorum, scilicet Antichristo, consequenter agitur de corpore malorum, ut præmuniatur justus contra persecutores et molestias a talibus inferendas, exspectando liberationem et remunerationem : et hoc innuitur secundum utramque litteram. Duplex enim est littera tituli. Prima talis : « *In finem, intellectus David pro Amalec* : » ad cujus intelligentiam notanda est primo historia, quæ habetur I Reg. xxvii, de data civitate Si-

Argumentum Psalmi: Corpus Antichristi, id est, mali.

[1] Psal. xiii, 1.
[2] Psal. xiii, 2.
[3] Ad Rom. iii, 12.
[4] Ce psaume reproduit le treizième avec quelques variantes qui ont pour but d'adapter le texte à une circonstance particulière. Ces variantes sont manifestement introduites avec intention, surtout celle du ỷ. 6. Il y est parlé d'un assiégeant frappé soudainement par la colère divine, ce qui peut faire allusion à la défaite des Ammonites et des Moabites sous Josaphat, II Par., xx, 22, mais s'applique beaucoup plus exactement à l'extermination des Assyriens sous Ezéchias. Isa. xxxvii, 33. Un poète contemporain de cet événement aurait emprunté le psaume de David, écrit en vue d'autres circonstances, pour retracer l'insolence impie du prince assyrien et le désastre qui en fut le châtiment. On ne peut rien opposer de grave à cette hypothèse, grâce à laquelle le texte si formel du ỷ. 6 trouve une explication très satisfaisante. Il serait d'ailleurs difficile d'admettre dans le second livre du psautier une répétition pure et simple d'un chant déjà consigné dans le premier ; cette répétition est donc une adaptation destinée à consacrer un souvenir mémorable. Le titre est plus explicite ici qu'au Ps. XIII. C'est un maskil qui doit être

celeg ipsi David. Et xxx, de recuperatione, quam tulerant Amalecitæ per David : et tunc exponatur : In hoc subjecto Psalmo est « *intellectus David,* » id est, habitus David, « *pro Amalec,* » pro eo quod fecerat Amalec, et quod fecit David in Amalec : intellexit enim in illo facto captivationem bonorum a membris Antichristi, et liberationem illorum per Christum, secundum illud Psal. LXXI, 12 : *Liberabit pauperem a potente : et pauperem cui non erat adjutor.* Luc. XI, 22 : *Si autem fortior eo superveniens vicerit eum, universa arma ejus auferet,... et spolia ejus distribuet.*

Et bene per Amalec mali intelliguntur : interpretatur enim *populus lingens* : et mali, sicut dicitur Mich. VII, 17 : *Lingent pulverem sicut serpentes.* Et hic intellectus est dirigens nos « *in finem.* »

Alia littera habet « pro Maeleth [1],» qui interpretatur *parturiens,* et significat Ecclesiam parturientem filios spirituales in dolore. Joan. XVI, 21 : *Mulier cum parit, tristitiam habet.* Apoc. XII, 2 : *Mulier cruciabatur ut pariat.* Hic est ergo intellectus David, habitus pro Ecclesia liberanda dirigens nos in finem, vel Christum, vel temporis in quo fient ista.

Psalmus autem potest dividi in duas partes. Primo quidem agitur de malis per Amalec designatis secundum primam litteram tituli. Secundo, de bonis per Maeleth figuratis secundum litteram secundam tituli, ibi, « *Quis dabit ex Sion.* »

Item, in prima duo. Primo, arguit malorum culpam. Secundo, minatur pœnam, ibi, « *Nonne scient ?* »

In prima duo. Primo arguit culpam. Secundo, culpæ generalitatem, ibi, « *Dominus de cœlo prospexit.* »

In prima duo. Primo arguit culpam infidelitatis. Secundo, morum, ibi, « *Corrupti sunt.* »

Primum legitur dupliciter : quia insipiens potest appellari generaliter, sive sit Gentilis, sive Judæus, et negari de Deo proprietas : vel specialiter Judæus, et negari de Christo Deo divinitas.

Primo ergo modo sic : « *Dixit insipiens,* » omnis scilicet male vivens. Omnis peccans ignorans est : non enim habet veram sapientiam, quæ desursum est [2]. Vel saltem initium illius sapientiæ, scilicet timorem Dei. Psal. CX, 10 : *Initium sapientiæ timor Domini.* Ad Roman. I, 21 : *Obscuratum est insipiens cor eorum.* Non ore, quia non auderet, sed « *in corde suo.* » Quomodo ergo David cognovit hoc, si corde hoc dicebat ? Resp. Prophetico spiritu. Psal. XI, 3 : *In corde, et corde locuti sunt.* Sed quid? « *Non est Deus,* » id est, non est punitor malorum Deus, nec justus : qui enim negat ipsum justum, negat ipsum Deum. Sed contra : Cum David dicat sæpius quod Deus non dereliquit nos in omnimoda sui ignorantia, sed sui cognitionem nobis naturaliter inseruit, quomodo dicere potuit, « *Non est Deus ?* » Et patet responsio : quia non dixit non esse simpliciter divinitatem, sed divinitatis non intellexit proprietatem : et idcirco ex consequenti, quia quidquid in ipso est, ipse est, negat et destruit substantiam.

Vel insipiens hic dicitur Judæus. « *Dixit insipiens,* » Judæus scilicet excæcatus malitia sua. Sapient. II, 21 : *Excæcavit illos malitia eorum.* « *Non est Deus,* » Christus, vel Jesus. Jer. V, 12 : *Negaverunt Dominum, et dixerunt : Non est ipse.* Joan. X, 33 : *Et tu homo cum sis,*

exécuté על-מחלת, *hal machalath.* Ce terme a embarrassé les Septante qui l'ont reproduit tel quel : ὑπὲρ Μαελεθ. Plusieurs auteurs anciens et quelques modernes, Patrizi entre autres, le font venir de חלל, *chalal,* percer, d'où le sens de « flûte. » Mais la plupart le tirent de חלה, « être malade », et en font une indication musicale : « sur un ton plaintif ». La même notation se retrouvera au psaume LXXXVIII.

H. LESÊTRE.

[1] Et est Vulgatæ littera, uti videre est in principio Psalmi.

[2] Cf. Jacob. III, 17 : *Quæ desursum est sapientia,* etc.

facis teipsum Deum. Isa. I, 3 : *Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe domini sui : Israel autem me non cognovit,* etc. Et vere insipiens excæcatus. Ad Roman. XI, 25 : *Cæcitas ex parte contigit in Israel,* qui verum solem ante se positum non cognovit, de quo Malach. IV, 2 : *Orietur vobis timentibus nomen meum sol justitiæ.*

2 « *Corrupti sunt.* » Hic secundum, ubi de corruptione interiori cordis. Secundo, exteriori operis, ibi, « *Non est qui faciat bonum.* »

In prima duo. Primo, corruptio. Secundo, corruptionis abominatio ipsi Deo videnti, ibi, « *Deus de cælo prospexit.* »

Sic quantum ad fidem, et etiam « *corrupti sunt* » interius in mente : quippe infidelitas necessario corruptum relinquit affectum. I ad Corinth. V, 6 : *Modicum fermentum totam massam corrumpit.* Est autem duplex corruptio.

Corruptio duplex, mentis et corporis.

Corporalis et pœna quæ est involuntaria : et mentis quæ voluntaria est, et tanto magis culpabilis est. Augustinus de *Libero arbitrio :* « Omnium corruptionum « sola quæ vitiosa est, recte vituperatur. « Sed quia corruptionem sequitur fœtor, « corporalem corporalis, et spiritualem « spiritualis, sequitur[1]. »

« *Corrupti sunt, et abominabiles facti sunt in iniquitatibus suis.* » Ezech. VIII, 9 : *Vide abominationes pessimas, quas isti faciunt.* Job, XV, 16 : *Abominabilis et inutilis homo, qui bibit quasi aquam iniquitatem.* Proverb. XVI, 5 : *Abominatio est Domino omnis arrogans.* « *Non est qui faciat bonum,* » exterius in operatione. Et dicit minus, et plus significat, id est, faciunt malum : quippe mala arbor non potest bonos fructus facere[2]. Sed contra : Nonne Patriarchæ, et Apostoli, et Prophetæ bona fecerunt ? Imo et ipsi mali qui sunt de corpore ejus multa faciunt frequenter bona. Resp. secundum Cassiodorum : « Non est qui « faciat bonum sua virtute, sed tantum « virtute principalis agentis. »

« *Dominus de cælo.* » Hic secundum, 3
in quo probatur malitiæ generalitas per divinam inquisitionem : et dicuntur duo. Primo, divina inquisitio. Secundo, inventio universalis malitiæ, ibi, « *Omnes declinaverunt.* »

Item, in prima duo. Primo, inquisitio quantum pertinet ad adspectum. Secundo, quantum pertinet ad affectum, ibi, « *Aut requirens.* »

Legitur autem dupliciter, quia respectus hic potest sonare misericordiam, vel simplicem inquisitionem. Ait enim : Sic omnes peccant in fide et in moribus, quia Dominus « *prospexit* » oculo misericordiæ, « *super filios hominum,* proximorum parentum : et hoc, « *de cælo,* » supple mittendo Filium. Hic respectus de quo Sapient. IV, 15 : *Gratia Dei et misericordia est in sanctos ejus, et respectus in electos illius.* Exod. III, 7 : *Vidi afflictionem populi mei,* qui est *in Ægypto.* Vel « *Dominus respexit,* » diligenter attendendo, « *super filios hominum* : » et hoc, « *de cælo,* » scilicet de sanctis animabus in quibus celatur, et quasi latens absconditur. Isa. LXVI, 1 : *Cælum sedes mea,* supple, est. Sap. VII, 27 : *In animas sanctas se transfert.* Psal. CI, 20 : *Prospexit de excelso sancto suo.*

« *Ut videat si est intelligens,* » quantum ad adspectum, « *aut requirens Deum,* » quantum ad affectum, quem requirit. Psal. VII, 10 : *Scrutans corda, et renes Deus.* Quantum ad primum potuit invenire nihil, Isa. V, 13 : *Propterea captivus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam.* Osee, IV, 1 : *Non est veritas, non est misericordia, non est scientia in terra.* Quantum ad secundum, Jerem. VIII, 6 : *Attendi et auscultavi, nemo quod bonum est loquitur : nullus est*

[1] S. AUGUSTINUS, Lib. II de Libero arbitrio.

[2] Cf. Luc. VI, 43 et 44.

qui agat pœnitentiam super peccato suo, dicens : Quid feci ?

4 « *Omnes declinaverunt.* » Hic inventio carentiæ boni in omnibus. Et primo, carentiæ boni in corde. Secundo, in ore, ibi, « *Simul inutiles.* » Tertio, in opere, ibi, « *Non est qui faciat bonum.* »

Dicit ergo : Sic inquisivit, et hoc invenit, « *Omnes declinaverunt* » ab eo corde, etiam majores, non tantum minores. Isa. LVI, 11 : *Ipsi pastores ignoraverunt intelligentiam, omnes in viam suam declinaverunt.* « *Et inutiles facti sunt simul,* » in ore, et doctrina. Aliquando enim homo malus est in corde, sed proficit aliis in sermone. Isa. XIV, 19 : *Projectus es quasi stirps inutilis.*

« *Non est qui faciat bonum,* » in opere, *non est usque ad unum.* » Jerem. V, 1 : *Circuite vias Jerusalem, et adspicite, et considerare, et quærite in plateis ejus an inveniatis virum facientem judicium, et quærentem fidem : et propitius ero.*

5 « *Nonne scient omnes.* » Hic subjungitur pœnæ comminatio : et dicuntur duo. Primo, comminatio pœnæ in generali. Secundo, ratio quare debent puniri, in quo quædam illorum mala replicantur ibi statim, « *Omnes qui operantur iniquitatem.* »

Tangitur autem primo eorum malitia generaliter, ibi, « *Omnes qui operantur iniquitatem.* » Secundo, specialiter, ibi, « *Qui devorant plebem meam.* »

Et tangitur primo amor male inflammans. Secundo, timor male humilians. Primum, ibi, « *Qui devorant.* Secundum, ibi, « *Trepidaverunt timore.* »

In prima duo tanguntur quæ surgunt ex amore illo male inflammante, scilicet cupiditas in rapiendo. Secundo, avaritia inordinate diligendo rapta, et habita. Primum, « *Qui devorant.* » Secundum, « *Deum non invocaverunt.* »

Dicit ergo : Tales sunt mali, sed « *nonne scient,* » supple, ipsi, qui modo Deum esse negant justum, quoniam justus est experimento pœnarum sibi inflictarum ? Quasi diceret : Utique. Proverb. XXVIII, 5 : *Viri mali non cogitant judicium.* Sed tunc scient, Psal. IX, 17 : *Cognoscetur Dominus judicia faciens.* « *Nonne* ergo *scient omnes qui operantur iniquitatem ?* » Constat, quod sic. Si enim pro sola boni omissione puniuntur, Matth. XXV, 41 et 42 : *Esurivi et non dedistis mihi comedere,* etc. Et post : *Discedite a me, maledicti,* etc. : multo fortius pro mali commissione, Luc. XIII, 27. *Discedite a me omnes operarii iniquitatis.*

« *Qui devorant plebem meam.* » Quomodo ? « *Ut cibum panis.* » Devorant, inquam, multipliciter animam rapiendo, et corpori diaboli uniendo. Hi sunt hæretici et Doctores perversi. Si enim boni dicuntur os Christi, et dentes, quia bonos illi incorporant, Act. X, 13 : *Petre, occide, et manduca,* cur non dicentur isti os diaboli, devorantes, et ejus corpori unientes animas Sanctorum quas decipiunt ? Ezech. XXII, 25 : *Conjuratio prophetarum in medio ejus, sicut leo rugiens.* Devorant etiam corpus occidendo tyranni, qui sic corpora destruunt, ut nec remaneat vestigium occisorum. Sic credens occisum filium suum Jacob dicebat, Genes. XXXVII, 33 : *Tunica filii mei est, Fera pessima, comedit eum, bestia devoravit Joseph.* Devorant quoad possessionem, omnes auferendo. Eccli. XIII, 23 : *Pascua divitum sunt pauperes.* Michæ. III, 2 : *Tollitis pelles eorum desuper eis,* quantum ad vestimenta : et quantum ad carnes et vestimenta simul, in eodem, ℣. 3 : *Comederunt carnes populi mei, et pellem eorum desuper excoriaverunt.* Carnes comederunt, quando cibaria unde carnes nutriri deberent auferunt : pelles, quando vestimenta.

« *Deum non invocaverunt,* » in ipsum confidendo, sed magis in pecuniam suam 6

tamquam in Deum. Osee, viii, 4 : *Argentum suum et aurum suum fecerunt sibi idola.* Eccle. x, 19 : *Et pecuniæ obediunt omnia.*

« *Illic trepidaverunt.* » Hic tangitur de timore male humiliante. Et primo ostenditur dejectio illorum per vanum timorem. Secundo, ratio quare sic permittuntur dejici, ibi, « *Quoniam dissipavit.* »

Dicit ergo : Ita malo amore inflammantur, et etiam « *trepidaverunt illic,* » scilicet in mundo, et in miseriis mundanis, « *timore* » eos interius concutiente, « *ubi non fuit timor.* » Sed quid est hoc? Quomodo timere potuerunt ubi non esset timor? Nonne ubique est timor ? Primo si timebant, ibi erat timor : quomodo ergo timuerunt ubi non fuit timor? Resp. « *Ubi* » non est locale, sed causale. Quasi diceret : Timuerunt sine causa rationabili timoris. Si enim sint in hac vita feræ insidiantes carni, secundum illud Eccli. xxvii, 11 : *Leo venationi insidiatur :* sic homines insidiantes possessioni. Prov. i, 13 : *Omnem pretiosam substantiam reperiemus, implebimus domos nostras spoliis.* Et dæmones insidiantes spiritui secundum illud Psal. xxx, 14 : *Dum convenirent simul adversum me, accipere animam meam consiliati sunt.* Tamen hæc nullo modo timenda comparatione ad doctrinam malam : hoc est enim timere umbram, et non veritatem timere secundum illud Job, vi, 16 : *Qui timent pruinam, irruet super eos nix.*

« *Quoniam Dominus dissipavit.* » Hic tangitur ratio talis timoris duplex. Una, divisio virium animæ. Secunda, separatio veræ vitæ ab anima, ibi, « *Confusi sunt.* »

Dicit ergo : Sic trepidaverunt : etc. Et hoc quoniam « *Dominus dissipavit,* » dissipari permisit, et ut dissiparentur, ordinavit « *ossa,* » id est, vires animæ interiores ipsam sustentantes, « *eorum qui hominibus placent,* » id est, placere desiderant, hoc est, qui quærunt hic consolationem. Ad Gal. i, 10 : *Si hominibus placerem, Christi servus non essem.* Et glossandum, placendi actionem appetens, vel quærens inordinate, hoc est, ipsam placentiam faciens finem : ipse enim dicit ad Roman. xii, 17 : *Providentes bona non tantum coram Deo, sed etiam coram hominibus.* I ad Cor. x, 33 : Placete omnibus per omnia, *sicut et ego per omnia omnibus placeo :* sed finem placentiæ pono animarum utilitatem [1]. Sed ossa justorum non dissipantur, Joan. xix, 36 : *Os non comminuetis ex eo :* sed de malis, alibi, in Psal. cxl, 7 : *Dissipata sunt ossa nostra secus infernum.*

« *Confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos.* » Spernendi recidendo, a mente gratiam removendo in præsenti. Et hoc justum, ut qui spernit, spernatur. Isa. xxxiii, 1 : *Væ, qui spernis, nonne et ipse sperneris* ? I Reg. ii, 30 : *Qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.* Vel præteritum pro futuro, « *confusi sunt,* » id est, confundentur. Jerem. xx, 11 : *Confundentur vehementer, quia non intellexerunt opprobrium sempiternum, quod numquam delebitur.* Et ii, 26 : *Quomodo confunditur fur quando comprehenditur, sic confusi sunt domus Israel.*

« *Quis dabit ex Sion ?* » Hic secunda 7
pars Psalmi, in qua subjungit de bonis, postquam præcessit de malis : et præmittitur quasi increpantis interrogatio. Secundo subjungitur læta promissio, ibi, « *Cum averterit Dominus.* »

Secunda pars Psalmi.

Dicit ergo : Sic mali dicitis Deum non esse, et sic, ut dixi, recipietis. Sed quos ? « *Ex Sion* », id est, de Judæis, qui per Sion intelliguntur, veniens « *dabit salutare,* » id est, salutem, vel gratiam sa-

[1] I ad Corinth. x, 32 et 33 : *Sine offensione estote Judæis, et Gentibus, et Ecclesiæ Dei : sicut et ego per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi utile est, sed quod multis, ut salvi fiant.*

lutarem, vel salutarem doctrinam, « *Israel* », id est, populo videnti Deum, nimirum ille quem vos dicitis non esse justum, et sic non esse Deum. Quasi diceret : Ipse dabit. Jacob. I, 17 : *Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum.* Et dicit : « *Dabit,* » non reddet. Non enim meritis est redditus. Ad Tit. III, 5 : *Non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam,* etc.

« *Cum averterit.* » Hic læta responsio, in qua tangitur, et quando dabitur salus, et quibus, quia « *Jacob,* » id est, activis, et « *Israel* », id est, contemplativis.

Ait enim : Sic quæro, quis dabit? Et responsio est : « *Cum averterit Dominus captivitatem plebis suæ,* » secundum illud Jerem. XXIX, 14 : *Reducam captivitatem vestram.* « *Tunc exsultabit Jacob,* » activi boni, qui in lucta sunt : « *et lætabitur Israel,* » id est, contemplativi. Soph. III, 20 : *Dabo vos in nomen et in laudem omnibus populis, cum convertero captivitatem vestram coram oculis vestris.* Amos, IX, 14 : *Convertam captivitatem plebis meæ Israel.*

PSALMUS LIII.

David auxilium Dei implorat adversus hostium insidias.

1. *In finem, In carminibus, intellectus David,*
2. *Cum venissent Ziphæi, et dixissent ad Saul : Nonne David absconditus est apud nos?* (I Reg. XXIII, 19 *et* XXXVI, 1.
3. Deus, in nomine tuo salvum me fac : et in virtute tua judica me.
4. Deus, exaudi orationem meam : auribus percipe verba oris mei.
5. Quoniam alieni insurrexunt adversum me, et fortes quæsierunt animam meam : et non proposuerunt Deum ante conspectum suum.
6. Ecce enim Deus adjuvat me, et Dominus susceptor est animæ meæ.
7. Averte mala inimicis meis : et in veritate tua disperde illos.
8. Voluntarie sacrificabo tibi, et confitebor nomini tuo, Domine : quoniam bonum est.
9. Quoniam ex omni tribulatione eripuisti me, et super inimicos meos despexit oculus meus.

IN PSALMUM LIII

COMMENTARIUS.

1 *In finem, In carminibus, intellectus David.*

2 *Cum venissent Ziphæi, et dixissent ad Saul : Nonne David absconditus est apud nos* [1] *?*

Argumentum Psalmi: justi afflicti gemitus et solatium.

« *Deus, in nomine tuo salvum me fac.* » Hic Psalmus quinquagesimus tertius in toto libro, sed in secunda quinquagena tertius. Postquam enim de malorum nequitia qui gloriantur in malo, et blasphemant contra Dominum in quinquagesimo primo et quinquagesimo secundo actum est, subjungitur de malitia eorum qui bonos opprimunt, sed tandem non prævalebunt.

Unde agitur de clamore bonorum ad Deum, et liberatione ipsorum a malorum oppressione : quod innuitur in titulo qui talis est : « *In finem, In carminibus, intellectus David, cum venissent Ziphæi, et dixissent ad Saul : Nonne David absconditus est apud nos ?* » Tangit historiam quæ habetur I Reg. xxiii, 19, de Ziphæis qui David latitantem apud se timore Saul, ipsi manifestaverunt, et morti exposuerunt. Sed David fugit ad loca tutissima Engaddi, et ibi salvatus est : unde etsi scriptum non sit in carminibus et hymnis, Deum laudavit. Intelligebat enim in hoc facto David Ziphæos significare malos : Ziphæi enim interpretantur *florentes*, et mali florent in hac vita. Jerem. xlviii, 9 : *Date florem Moab qui cito transit.* Moab, illius scilicet qui ex patre diabolo. Job, xiv, 2 : *Quasi flos egreditur et conteritur, et fugit velut umbra.* Inter hos flores latent boni, non apparent. Ad Coloss. iii, 3 : *Mortui estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo :* inter malos qui vos cooperiunt, quia multi sunt, et vos pauci. Eccle. i, 15 : *Stultorum infinitus est numerus.* Eccle. vii, 29 : *Virum de mille, unum reperi.* Sed mali eos quasi manifestant, quando ad mortem trahunt. Quæ mors per Saul designatur, ut supra dictum fuit. Sed refugium habent ad fontem : sic enim interpretatur Engaddi, id est, ad Christum, qui est fons. Psal. xxxv, 10 : *Quoniam apud te est fons vitæ.* Et fons hœdi, fœtidi scilicet peccatoris, qui in illo abluitur, Zach. xiii, 1 : *Erit fons patens domui David, et habitantibus Jerusalem in ablutionem peccatoris, et menstruatæ.*

Moralis tituli interpretatio.

Ergo sensus tituli est : In hoc Psalmo continetur « *intellectus,* » quem habuit « *David, cum venissent Ziphæi ad Saul,* etc. » In hoc enim intellexit bonos qui inter malos latent, ab ipsis quærendos ad mortem, sed per Christum liberandos. Unde carmina et hymni sunt cantandi. Et est intellectus dirigens nos « *in finem* » nostrum, scilicet Christum. Ad Rom. x,

[1] Le titre de ce psaume, dit M. Lesêtre, indique clairement l'événement qui l'inspira. Après le meurtre d'Achimélech et des quatre-vingt-cinq prêtres par Doëg, David avait délivré la ville de Ceïla d'une attaque des Philistins. A cette nouvelle, Saül résolut de le surprendre dans cette cité ; mais David, informé que les habitants étaient disposés à le livrer, s'enfuit dans le désert de Ziph. Les Ziphéens à leur tour dénoncèrent sa présence au roi, I Reg., xxiii, 19 ; xxvi, 1, et le fugitif se vit obligé de chercher un abri dans le désert de Maon. C'est à cette occasion qu'il composa ce psaume pour implorer le secours divin.

S. Hilaire entend ce psaume de Jésus-Christ livré par les Juifs. Les persécuteurs du prophète représentent aussi les ennemis du salut; c'est pourquoi l'Eglise fait réciter chaque jour ce psaume au commencement de son office. « Quando inchoamus in prima hora diei vitare persecutiones et insidias diaboli, cantamus hunc psalmum pro toto itinere diei. » Amalaire.

4 : *Finis legis, Christus.* Vel hic intellectus est mentes figentibus in æternis, non in rebus transitoriis. II ad Corinth. IV, 18 : *Non contemplantibus quidem nobis quæ videntur, sed quæ non videntur.*

Dividitur ergo Psalmus in duas partes. Primo enim orat Ecclesia pro se ut liberetur a Ziphæis, id est, a malis in mundo florentibus. Secundo, quia optimus liberationis modus quando inimici convertuntur, orat pro illis, ut et ad Deum convertantur, et ad bonum, ibi, « *Averte mala.* »

In prima duo. Primo, orat. Secundo, pronuntiat se esse exauditam, ibi, « *Ecce enim Deus adjuvat me.* »

Item, in prima duo. Primo, oratio. Secundo, persuasio, quod debeat exaudiri, ibi, « *Quoniam alieni.* »

In prima tria. Primo, quod velit proponit. Secundo, ad effectum exaudiri petit, ibi, « *Deus exaudi.* » Tertio, ut hoc possit fieri verbis perfecte attendere requirit, ibi, « *Auribus percipe.* »

In prima tria petit. Salutem : et ostendit in quo velit habere salutem illam, ibi, « *Et in nomine tuo.* » Et ex hoc ulterius separationem a malis in judicio, ibi, « *Et in virtute tua judica me.* »

3 Prima pars Psalmi.

Dicit ergo : Sic mali blasphemant, et nos tribulant : unde, o « *Deus,* » peto « *salvum me fac.* » Alibi, Psal. CV, 47 : *Salvos nos fac Domine Deus noster*, non in quocumque nomine, sed « *in nomine tuo,* » quod prædicabitur in mundo, quod est Jesus. Act. IV, 12 : *Nec aliud nomen est sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.* Hoc nomen excedens omnia nomina. Ad Philip. II, 9 : *Donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu, omne genu flectatur.* Hoc nomen quod superius se exspectare dixit : *Exspectabo nomen tuum, quoniam bonum est*[1].

« *Et in virtute tua,* » hoc est, in judicio, quando virtus tua, quæ nunc latet, apparebit, « *Judica me.* » Sed quid est quod dicit, quomodo petit secundum virtutem judicari ? Alibi dicit : *Non intres in judicium cum servo tuo*[2]. Job, XXVI, 11 : *Columnæ cæli contremiscunt, et pavent ad nutum ejus.* Amos, III, 6 : *Clanget tuba*, divini judicii in virtute, *et populus non expavescet ?* Quasi diceret : Non est hoc possibile. Resp. Est judicium districtæ discussionis secundum merita. Sic judicari nemo petit. Sed est judicium separationis. Illud petit, ut scilicet a malis separetur, secundum illud Psal. XLII, 1 : *Judica me, Deus, et discerne causam meam de gente non sancta.*

Judicium separationis a malis petendum.

« *Deus exaudi.* » Ecce secundum, quod hic peto, quod proposui. Et o tu « *Deus,* » qui potes, « *exaudi,* » ad effectum perducendo, « *orationem meam,* » quia terrenorum non quæro florem sicut mali. Baruch, II, 14 : *Exaudi, Domine, preces nostras, et orationes nostras.* Dan. IX, 17 : *Exaudi, Deus noster, orationem servi tui.* Nec per hoc intelligendum quoniam aliquando non sit orandum etiam pro temporalibus habendis, sed non sicut Ziphæi, hoc est, ut finis in illis ponatur, sed ut ad æterna ordinantur. 4

« *Auribus* ». Hic tertium. Quasi diceret : Sic peto, ut ad effectum perducas, quod ut sit, « *auribus percipe,* » hoc est, diligenter attende, « *verba oris mei.* » Anthropopatos, in quo attribuitur Deo quod hominis est, cum tamen secundum divinitatem membris corporeis non distendatur. Sed aures suæ sua pietas appellatur, quæ audit omnia. Sapient. I, 10 : *Auris zeli audit omnia.*

« *Quoniam alieni insurrexerunt.* » 5
Hic secundum, scilicet persuasio ut acquiescat petitioni, et allegat tria quæ

[1] Psal. LI, 11.

[2] Psal. CXLII, 2.

sunt in adversariis a quibus petit salvari. Primum est extraneitas. Secundum, fortitudo, ibi, « *Et fortes.* » Tertium, infidelitas, ibi, « *Et non proposuerunt Deum.* » Isti alieni, sunt mali omnes generaliter, qui quasi aliunde nati sunt, quia quasi ex diabolo. Boni, ex Deo. Psal. LXXXII, 8 et 9 : *Etenim Assur venit cum illis : alienigenæ cum habitantibus Tyrum.* Sed alieni sunt dæmones, de quibus Prov. V, 9 : *Ne des alienis honorem tuum, et annos tuos crudeli.* Alieni homines, et mundani, qui bonos persequuntur, de quibus Job, XIX, 13 : *Noti mei, quasi alieni recesserunt a me.* Quasi diceret : Qui prius erant amici, facti sunt inimici. Alieni etiam caro ipsa, et motus ex ipsa nati. Osee, VII, 9 : *Comederunt alieni robur ejus, et ipse nescivit.* Motus enim carnis comedunt vires spiritus.

« *Et fortes quæsierunt.* » Ecce fortitudo Saul ad litteram, et ministri ejus animam David quærentes, hoc est, vitam, ad perdendum. Fortes etiam dæmones, Job, XLI, 24 : *Non est super terram potestas, quæ comparetur ei.* Luc. XI, 21 : *Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea quæ possidet,* etc. Hic quærit animam, quia Gregorius dicit : « Quid non potuit Dominus? et nihil se fecisse æstimat cum animas non sanat. »

« *Et non proposuerunt Deum ante conspectum suum,* » putantes eum sua ignorare. Job, XXII, 13 et 14 : *Quasi per caliginem judicat. Nubes latibulum ejus, nec nostra considerat.* Daniel. XIII, 9 : *Everterunt sensum suum, et declinaverunt oculos suos, ut non viderent cœlum, neque recordarentur judiciorum justorum.*

6 « *Ecce enim Deus adjuvat me.* » Hic secundum primæ partis totius Psalmi, in quo confidenter asserunt non tantum exaudiendos, sed quasi jam factum sit, exauditos : et dicuntur duo. Primo, certitudo divini adjutorii. Secundo, modi adjuvandi, ibi, « *Quia Dominus susceptor est.* »

Dicit ergo : Sic petii, et « *ecce Dominus adjuvat me.* » Isa. L, 9 : *Dominus Deus auxiliator meus.* Deut. XXXIII, 26 : *Ascensor cœli, auxiliator tuus.* Quod si est, potes dicere illud Apostoli ad Rom. VIII, 31 : *Si Deus pro nobis, quis contra nos ?*

« *Ecce.* » Hic notatur quod Deus adjuvat occulte, evidenter et continue. « *Deus,* » qui potest, scit, et vult. Potest, quia fortis : scit, quia sapiens : vult, quia bonus. « *Me,* » debilem, inscium, et infirmum. « *Adjuvat,* » liberando, conservando, defendendo. Liberando a malis in quibus fui, conservando in bonis in quibus sum, defendendo a recidivo. « *Adjuvat* » quem redimendo adjuvit, quem adjuvabit glorificando. Psal. XCIII, 17 : *Nisi quia Dominus adjuvit me, paulo minus habitasset,* etc. Et alibi, Psal. XLV, 6 : *Adjuvabit eam Deus mane diluculo.*

« *Et Dominus susceptor est animæ meæ.* » Hic adjuvandi modus. Quasi diceret : Sic jam adjuvat, et « *Dominus susceptor est animæ meæ,* » etsi corpus miseriis exponat. Sap. III, 1 : *Justorum animæ in manu Dei sunt.* Sed de carne non sic. Job, IX, 24 : *Terra data est in manus impii.* Sed de anima : unde Job, II, 6, dicit Deus ad Satan : *Verumtamen animam illius serva.*

« *Averte mala.* » Hic secunda pars hujus Psalmi. Huc usque enim oravit pro se, hic pro adversariis : et dicuntur tria. Primo, oratio. Secundo, promissio sacrificii si consenserit Deus, ibi, « *Voluntarie sacrificabo tibi.* » Tertio, ratio quare sic orat pro illis, ibi, « *Quoniam ex omni tribulatione.* » 7 Secunda pars Psalmi.

In prima duo. Primo enim orat eis liberationem a malo. Secundo, profectum in bono, ibi, « *In veritate tua.* »

Item, orat amoveri malum dupliciter.

Primo, pœnæ. Secundo, culpæ, ibi, « *Disperde.* »

Legitur tamen dupliciter. Uno modo, ut sit prædictio mali pœnæ, et pendet ex prædictis. Secundo, ut sit oratio secundum quod dictum est.

Dicit ergo : Sic adjuva me hoc modo, quia o Domine, « *averte,* » id est, avertes « *mala inimicis meis,* » mala quæ in me modo faciunt, in illos convertendo. Eccli. xxvii, 30 : *Facienti nequissimum consilium, super ipsum devolvetur,* ipso liberato contra quem machinatur. Jerem. xvii, 18 : *Confundantur qui me persequuntur, et non confundar ego.*

« *Et in veritate tua.* » Quasi diceret : Sic prædixi futurum. Luc. vi, 24 : *Væ vobis divitibus, quia habetis consolationem vestram,* scilicet hic super terram. « *Disperde illos,* » quos tolerasti in tua infirmitate persequentes, vel in tua patientia. Eccli. v, 4 : *Altissimus est patiens redditor.* Vel sic : « *Averte mala,* » subaudi, pœnæ, « *inimicis meis,* » id est, ab inimicis meis, ut non affligantur. « *Et disperde illos,* a mala intentione, in qua vivunt, ut a culpa liberentur, Et hoc, « *in veritate tua* » ponendo illos, et sic exhibebis bona. Ecce quomodo boni rogant pro inimicis, et sequuntur Magistri doctrinam, Matth. v, 44 : *Orate pro persequentibus, et calumniantibus vos.* Et exemplum, Luc. xxiii, 34 : *Pater, dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt.*

8 « *Voluntarie sacrificabo tibi.* » Hic est secundum, scilicet promissio sacrificii, si consenserit facere quod rogatur : et dicuntur duo. Primo, sacrificium voluntarium promittitur. Secundo, specificatur illud sacrificium, ibi, « *Et confitebor.* »

Dicit ergo : Sic rogo : quod si feceris, « *sacrificabo tibi,* » non coacte sicut antiquitus, sed « *voluntarie :* » quia tale placet. Exod. xxv, 2 : *Ab omni homine qui offeret ultroneus,* non ab alio, *accipietis eas,* scilicet primitias : et xxxv, 5 : *Omnis voluntarius offerat eas,* scilicet primitias, *Domino.* Tale enim sacrificium fructuosum est. Ezech. xlvi, 12 : *Cum fecerit princeps spontaneum holocaustum, aut pacifica voluntaria Domino : aperietur ei porta quæ respicit ad Orientem.*

« *Et confitebor.* » Hic specificat : et sacrificium primo, et modum sacrificii secundo alium a prædictis, scilicet quia voluntarie, et pro nihilo, ibi, « *Quoniam bonum est.* »

Dicit ergo : Sic sacrificabo voluntarie, « *Et confitebor nomini tuo, o Domine,* » confessione laudis. Psal. cxii, 1 : *Laudate nomen Domini.* Et hoc confessione cordis, oris, et operis. Ne sim de illis de quibus Apostolus ad Tit. i, 16 : *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant.* Confessio cordis est incipientium, oris proficientium, operis perfectorum : et hoc non aliqua remuneratione temporali, vel etiam æterna : sed « *quoniam bonum est,* » hoc est, gratis, puram spectans nominis charitatem. Bonum incipienti, melius proficienti, sed optimum consummato.

« *Quoniam ex omni tribulatione.* » 9
Hic est tertium in quo subjungit rationem quare oraverit pro inimicis convertendis, quia eorum conversio ei est utilis : unde tanguntur duo. Primo, liberatio ejus ab inimicis per hanc vitam. Secundo, ipsorum despectio de cætero adversantium, ibi, « *Et super inimicos meos.* »

Dicit ergo : Rogo quod avertas mala inimicis meis : quoniam hoc faciendo, « *eripuisti me,* » bono et honesto modo, « *ex omni tribulatione.* » Vel sic : Bonum est, et vere, « *quoniam eripuisti me ex omni tribulatione.* » Et cavendum ut non continuetur ad hoc quod dictum est, « *Confitebor nomini tuo :* » jam enim dictum est sicut etiam in Glossa habetur, quod illi confitetur propter bonitatem ipsam, et gratis, non propter aliud. Rogo ergo, « *quoniam ex omni,* etc. » Job, v,

19 : *In sex tribulationibus liberabit te, et in septima non tanget te malum* : quando valde bonum est et dulce liberari.» Eccli. xxxv, 26 : *Speciosa est misericordia Dei in tempore tribulationis, sicut nubes pluviæ in tempore siccitatis.* Sap. xvi, 8 : *Tu es qui liberas ab omni malo.*

« *Et super inimicos.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Non solum liberas, imo « *et super inimicos meos,* » id est, ab inferendo de cætero inimicis mala. « *Despexit,* » tamquam nihil curans, vel apretians illa, « *oculus meus,* » mentis meæ in Deum raptus. Quasi diceret : Non timeo mala, sed illa despicio, non personas inferentes illa. Isa. xxxi, 1 : *Væ qui spernis, nonne et ipse sperneris ?* Sed de malis qui inferunt, dictum est in Psal. lv, 11 : *In Deo speravi, non timebo quid faciat mihi homo.* Et alibi, Psal. cxvii, 7 : *Dominus mihi adjutor : et ego despiciam inimicos meos.*

PSALMUS LIV.

David postulat inimicorum et fictorum amicorum confusionem.

1. *In finem, In carminibus, intellectus David.*
2. Exaudi, Deus, orationem meam, et ne despexeris deprecationem meam :
3. Intende mihi, et exaudi me.
Contristatus sum in exercitatione mea : et conturbatus sum
4. A voce inimici, et a tribulatione peccatoris.
Quoniam declinaverunt in me iniquitates, et in ira molesti erant mihi.
5. Cor meum conturbatum est in me, et formido mortis cecidit super me.
6. Timor et tremor venerunt super me, et contexerunt me tenebræ :
7. Et dixi : Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo, et requiescam ?
8. Ecce elongavi fugiens : et mansi in solitudine.
9. Exspectabam eum qui salvum me fecit a pusillanimitate spiritus et tempestate.
10. Præcipita, Domine, divide linguas eorum : quoniam vidi iniquitatem et contradictionem in civitate.
11. Die ac nocte circumdabit eam super muros ejus iniquitas : et labor in medio ejus,
12. Et injustitia :
Et non defecit de plateis ejus usura et dolus.
13. Quoniam si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique.
Et si is qui oderat me super me magna locutus fuisset, abscondissem me forsitan ab eo.
14. Tu vero homo unanimis, dux meus, et notus meus :
15. Qui simul mecum dulces capiebas cibos, in domo Dei ambulavimus cum consensu.
16. Veniat mors super illos, et descendant in infernum viventes,
Quoniam nequitiæ in habitaculis eorum, in medio eorum.
17. Ego autem ad Deum clamavi, et Dominus salvabit me.
18. Vespere, et mane, et meridie, narrabo et annuntiabo : et exaudiet vocem meam.

19. Redimet in pace animam meam ab his qui appropinquant mihi : quoniam inter multos erant mecum.
20. Exaudiet Deus, et humiliabit illos, qui est ante sæcula.
Non enim est illis commutatio, et non timuerunt Deum.
21. Extendit manum suam in retribuendo :
Contaminaverunt testamentum ejus :
22. Divisi sunt ab ira vultus ejus : et appropinquavit cor illius.
Molliti sunt sermones ejus super oleum : et ipsi sunt jacula.
23. Jacta super Dominum curam tuam, et ipse te enutriet [1] : non dabit in æternum fluctuationem justo.
24. Tu vero, Deus, deduces eos in puteum interitus.
Viri sanguinum, et dolosi non dimidiabunt dies suos : ego autem sperabo in te, Domine.

IN PSALMUM LIV

COMMENTARIUS.

In finem,
In carminibus, intellectus David[2].

« *Exaudi, Deus, orationem meam.*» Hic est Psalmus quartus in secunda quinquagena. Cum enim clamaverit Ecclesia pro crudelitate et fortitudine persequentium in Psalmo præcedenti, nunc orat pro multitudine miseriarum quas sustinet in hoc statu. Sed sic clamat ut habens oculum mentis in finem suum, non desperet, sed magis exsultet semper in illo, sive sit in prosperis, sive sit in adversis. Et hoc ostenditur in titulo, qui talis est : « *In finem, In carminibus, intellectus David.* » Et est sensus : In hoc subjecto Psalmo est « *intellectus David,* » id est, res ab Ecclesia, vel a justo quolibet in-

Argumentum Psalmi. Justus deflens hujus vitæ miserias.

[1] Matth. vi, 25 ; Luc. xii, 22 ; I Petr. v, 7.

[2] Par le sujet traité, dit M. l'abbé Lesêtre, ce psaume est analogue au psaume XL. Il a tout à fait la ressemblance des compositions inspirées par la révolte d'Absalon, et s'adapte bien aux circonstances auxquelles le rapporte la tradition, c'est-à-dire à la fuite de David hors de Jérusalem et à la trahison d'Achitophel. Cette idée, admise par la plupart des modernes, Delitzsch, Moll, Cook, etc., ne laisse pas que de soulever des difficultés dans l'esprit de plusieurs commentateurs. Patrizi trouve le style rocailleux, obscur et compliqué, et il incline à attribuer ce *maskil* à un poète contemporain qui l'aurait composé sous le nom de David fuyant devant Absalon ; mais ces caractères du style ne sont pas aussi extraordinaires qu'on pourrait le croire au premier abord. David ne recule devant aucune forme abrupte quand elle exprime bien sa pensée, et ici comme ailleurs, l'état d'âme du psalmiste suffit à expliquer tout ce qui pourrait étonner le lecteur. D'autres vont beaucoup plus loin, et nient péremptoirement que le psaume s'applique à la circonstance indiquée ; d'après II Reg., xxiii, 34, et I Par., iii, 5, il paraît que Bethsabée était petite-fille d'Achitophel ; ce dernier, en prenant parti pour le révolté, n'aurait donc fait que venger l'honneur de sa famille, et David serait bien mal venu à accuser de félonie celui dont il avait violé les droits paternels en s'emparant de l'épouse d'Urie. Cf. Phillott, Dict. of the Bibl. Bathshaba. Malheureusement, cette parenté n'est rien moins que prouvée, et le fût-elle, pourquoi Achitophel, depuis l'adultère, aurait-il accepté les fonctions de conseiller et le titre d'ami intime? Même la vengeance à laquelle on fait allusion excuserait-elle la trahison chez celui qui avait vécu dans l'intimité de son roi ? On prétend aussi que le psalmiste est à l'intérieur de la ville, loin de laquelle il voudrait pouvoir fuir ; cette assertion ne peut vraiment pas s'appuyer sur le texte du psaume. David est sorti à la hâte de Jérusalem, mais il redoute la poursuite d'Absalon qui pourrait facilement l'attendre, et se rappelant tous les dangers qu'il a courus au temps de Saül, sentant le poids de la vieillesse et n'ayant plus la force de mener comme autrefois une vie d'aventures, il souhaite

telligenda, et diligenter advertenda, scilicet quod præsens vita miseriis et afflictionibus est plena, ad purgandum bonos, sicut fornax in igne. Job, XXVIII, 1 : *Anro locus est, in quo conflatur.* Hic locus, de quo Exod. XXXIII, 21 : *Ecce, inquit, est locus apud me, et stabis supra petram*, scilicet tribulationum duritiam, et inde videre me poteris, tamen adhuc transeuntem[1]. Hic de quo Job, XXXVIII, 12 : *Numquid ostendisti auroræ locum suum*, animæ luce gratiæ illustratæ. « *Intellectus,* » inquam, habendus « *in carminibus,* » vel hymnis, in lætitia scilicet spirituali, quia pro modica tribulatione transitoria, et temporali, veniet purgata anima ad gaudia indeficientia. II ad Corinth. IV, 17 : *Id enim, quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Sed hoc « *in finem,* » Christum, tendentibus et intendentibus, non in aliis. Deficit enim cito in præsentibus miseriis, qui in ipsum mentis oculos non intendit. Ad Hebr. XII, 3 : *Recogitate eum, qui talem sustinuit a peccatoribus adversum semetipsum contradictionem, ut ne fatigemini, animis vestris deficientes.*

Potest autem Psalmus dividi in tres partes. Primo quidem liberari a miseriis præsentibus deprecatur. Secundo, sperans exaudiri, adversariis imprecatur, ibi, « *Exspectabam eum.* » Tertio, quid sit pro quo oravit, et inimicis contra quos oravit, prophetice nuntiatur, ibi, « *Ego autem ad Dominum.* »

Item, quia orare non valet aliquid, nisi homo faciat quod in se est, in prima dicuntur duo. Primo petit. Secundo, quod in se est, fecisse ostendit, ut a miseriis liberetur, ibi, « *Quis dabit mihi.* »

Item, in prima duo. Primo petit. Secundo, necessitatem clamandi et petendi ostendit, ipsam miseriam in qua est, ibi, « *Contristatus sum.* »

In prima tria secundum tria quæ petit, tamquam alicui homini magno loqueretur. Primo, ut orationem audiat. Secundo, ut auditam non despiciat, vel contemnat, ibi, « *Et ne despexeris.* » Tertio, quod magis impleat, ibi, « *Intende mihi.* »

ardemment de pouvoir se retirer loin des agitations et d'y trouver le repos ; c'est le sentiment qui l'accompagnait dans sa fuite. Il ajoute qu'il voit la ville en proie à la discorde, ℣. 10 ; mais il n'est pas nécessaire d'être à l'intérieur pour être témoin de ce spectacle ; d'ailleurs David saura par Chusaï tout ce qui se passe dans la cité, II Reg., XV, 33-36.

Dans ces tristes conjonctures, « à cette heure de grande angoisse, David fait entendre ce psaume au Seigneur ; dans le principe, quand il se retirait de Jérusalem, son cœur avait aisément porté sa peine, Ps., III ; mais à psésent, en apprenant l'outrage que lui fait son propre fils, le parti que prend Achitophel et les nouveaux coups que celui-ci frappe pour sa ruine complète, il est profondément ému. » Tholuk.

Bickell dit des quatre dernières strophes, ℣℣. 21-24 : « Psalmum separandum esse, non solum impossibilitas conjunctionis cum præcedentibus, sed etiam tota sententiarum series docet. Quomodo enim, jam suo ordine præmissis invocatione Dei, etc., idem carmen iterum ad querelas et exhortationem fiduciæ reverti potest ?.... Accedit quod hi versus amicum infidelem non alloquuntur. Cette dernière partie pourrait donc n'être qu'un fragment mis à la suite du Psaume LIV.

Le sens spirituel apparaît ici très clairement à travers le sens littéral ; ces révoltés, ce sont les Juifs, ce traître, c'est Judas, ce persécuté, c'est Jésus-Christ. S. Athan., Euseb., Demonst. evang. X, 2, etc. Mais c'est par dessus tout la perfidie de l'ami infidèle qui émeut le cœur de David et du Messie qu'il figure : « querela non de passione est, sed de apostolo proditore. » S. Hilar., in ℣. 14. « Hic igitur divinus David et iniquitatem in se patratam docet, et futuram contra Dominum impietatem adumbrat, de communione cruciatuum exsultans, et fere cum Paulo exclamans : *Ego stigmata Domini* Christi *Jesu in corpore meo porto.* » Theod.

[1] Exod. XXXIII, 21 et seq.: *Et iterum* dicit Dominus ad Moysen : *Ecce, inquit, est locus apud me, et stabis supra petram. Cumque transibit gloria mea, ponam te in foramine petræ, et protegam dextera mea, donec transeam : tollamque manum tuam, et videbis posteriora mea : faciem autem meam videre non poteris.*

2 Prima pars Psalmi. « Dicit ergo : Sic oravi contra tribulantes, et o « *Deus.* » Expone ut frequenter expositum est, qui potes, scis, et vis. « *Exaudi orationem meam,* » fusam pro liberatione a malis.

« *Et ne despexeris.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic audi orationem, « *et ne despexeris,* » postquam audieris, « *deprecationem meam.* » Deprecatio idem est quod oratio. Vel deprecatio pro malis amovendis, oratio pro bonis adipiscendis. Notandum enim, sicut dicit Glossa, quod aliquorum orationes Deus audit, et auditas despicit, illorum scilicet qui petunt temporalia : audit quidem Deus orationes illorum, illis dando quod petunt, sed contemnit, quia ad malum illorum est quod illis tribuit, et ex ira Dei. Sic petentibus cibaria dedit in deserto, et statim interfecit quibus dederat [1]. Psal. LXXVII, 24 : *Et pluit illis manna ad manducandum.* Et statim sequitur, ℣ 30 : *Adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum, et ira Dei ascendit super eos.* Cum enim petuntur temporalia ad superbiendum, si dantur, ex ira dantur. Augustinus : « Aliud est petere ut superbias, aliud « unde vivas : licite enim petuntur tem« poralia sub fine æternorum, et ad illa « ordinata. »

3 Sic non despicias, sed magis « *intende mihi,* » meam videndo miseriam et intentionem : « *Et exaudi,* » ad effectum audi. Eccli. XXXV, 17 : *Non despiciet Dominus preces pupilli : nec viduam si effundat loquelam gemitus.* Dan. IX, 19 : *Exaudi Domine... attende, et fac.*

« *Contristatus sum.* » Hic secundum, in quo ostendit necessitatem, miseriam scilicet quam sustinet : et dicuntur quatuor. Primo exprimit miseriam. Secundo, miseriæ causam, ibi, « *A voce.* » Tertio, modum inferendi illam miseriam, ibi, « *Quoniam declinaverunt.* » Quarto, vehementiam, ibi, « *Cor meum.* » Miseriam autem tangit duplicem. Affectus primo. Secundo, intellectus, ibi, « *Et conturbatus.*

Dicit ergo : Sic rogo et clamo, et necesse habeo, quia ecce « *contristatus sum,* » ratione et sensualitate tristatus in affectu. II Reg. XVIII, 33 : *Contristatus itaque rex, ascendit cœnaculum portæ, et flevit.* Sed contra, Prov. XII, 21 : *Non contristabit justum quidquid ei acciderit.* Resp. Non tristitia quæ non sit secundum Deum, sed tristitia sæculi quæ mortem operatur. Sed tristitia quæ est secundum Deum, bene contristatur etiam usque ad turbationem rationis. II ad Cor. VII, 9 : *Gaudeo... quia contristati estis secundum Deum.*

Et hoc, « *in exercitatione mea,* » id est, in pœnis et miseriis quæ me exercent. Est enim exercitatio tentationis, de qua in Psal. LXXVI, 7 : *Exercitabar,* a diabolo et carne tentationibus, *et scopebam spiritum meum,* in scopa confessionis puræ. Gregorius : « Tentatio non est « nova generatio vitiorum, sed exercita« tio virtutum. » Sapientiæ in studio, Genes. XXIV, 63, ubi nos habemus : *Egressus fuerat* Isaac *ad meditandum in agro,* alia littera habet : « Ad exercitandum se. » Pœnitentiæ, I ad Timoth. IV, 8 : *Corporalis exercitatio ad modicum utilis est.* Misericordiæ, In eodem, ℣. 7 : *Exerce autem teipsum ad pietatem. Pietas enim... promissionem habet vitæ quæ nunc est, et futuræ.* Et justitiæ in operibus legis, Psal. CXVIII, 23 : *Servus autem tuus exercebatur in justificationibus tuis.* Et tribulationis et molestiæ sicut hic. Gregorius : « Abel esse renuit, quem « Cain malitia non exerceret. »

« *Et conturbatus sum,* » intellectu. Thren. I, 20 : *Vide Domine quoniam tribulor : conturbatus est* oculus meus, et *venter meus.*

[1] Cf. Num. XI, 33.

4 « *A voce.* » Hic secundum, in quo tangit causam duplicem : vituperia oris, et flagella operis. Et hæc contristatio, et conturbatio sunt. « *A voce inimici,* » vituperia inferentis, « *et a tribulatione peccatoris,* » flagella imponentis. Psal. XL, 6 : *Inimici mei dixerunt.* De utroque alibi, Psal. XLIII, 17 : *A voce exprobrantis et obloquentis, a facie inimici et persequentis.*

« *Quoniam declinaverunt.* » Hic modus quo contristant loquentes : et tanguntur duo. Primo, quia culpam falso imponunt. Secundo, quia sine causa molestiam inferunt, ibi, « *Et in ira.* »

Dicit ergo : Sic turbor a voce et tribulatione. Sed numquid contra te talia faciunt ? Sic : « *Quoniam declinaverunt,* » id est, cum quodam impetu imposuerunt « *in me iniquitates :* » quæ erant in semetipsis, etiam in me declinaverunt : sicut factum est in Christo a Judæis, qui cum dæmoniis pleni essent, dicebant Christo, Joan. VIII, 48 : *Dæmonium habes.* » Psal. XX, 12 : *Declinaverunt in te mala.*

« *Et in ira sua,* » non alia de causa, « *molesti erant,* » molestiam inferebant, « *mihi.* » Eccli. XXIX, 4 : *Multi præstiterunt molestiam his qui se adjuverunt,* velut his qui bona faciunt. Matth. XXVI, 10 : *Quid molesti estis huic mulieri ? bonum enim opus operata est in me.*

5 « *Cor meum conturbatum est.* » Hic quartum, in quo ostendit turbationis et contristationis vehementiam. Et primo ostendit miseriam interiorem. Secundo, exteriorem, ibi, « *Timor et tremor.* »

Interiorem ostendit quantum ad intellectum primo, postea quantum ad effectum, ibi, « *Et formido mortis.* »

Dicit ergo : Nunc contristatus, et conturbatus sum, « *quia cor meum.* » Vel sic, mihi molesti sunt, et ita « *cor meum conturbatum est.* » Thren. II, 11 : *Conturbata sunt viscera mea* : et hoc, « *in me* : » quia si non est in me aliquo modo turbationis causa, vel ratio, non me possunt conturbare exterius molestantes. Gregorius : « Justum est ut in se semper « mœrorem inveniat, qui relicto vero gau« dio in se gaudium quærit. » Psal. XXXVII, 11 : *Cor meum conturbatum est, dereliquit me virtus mea.*

« *Et formido mortis,* » hoc est, formido qua timeo mortem, « *cecidit super me,* » super oppressionem notatam. Ezech. VII, 18 : *Operiet eos formido, et in omni facie confusio.* Thren. III, 47 : *Formido et laqueus,* scilicet est vobis. Deuter. XXVIII, 65 : *Dabit tibi Dominus cor pavidum, et deficientes oculos, et animam consumptam mœrore.*

« *Timor et tremor.* » Hic tangit exteriorem miseriam, et primo, tangit miseriam. Secundo, causam, ibi, « *Et contexerunt.* » 6

Dicit enim : Sic interius, et etiam « *timor et tremor,* » hoc est tremor ex exteriori timore surgens, « *venerunt super me.* » Job, IV, 14 : *Pavor tenuit me, et tremor, et omnia ossa mea perterrita sunt.* Eccli. XVI, 19 : *Cum conspexerit illa Deus, tremore concutientur.* Et dicit, « *Venerunt super me,* » tamquam fluctus ad obruendum me. Psal. LXXXVII, 8 : *Omnes fluctus tuos,* etc.

« *Et contexerunt me tenebræ.* » Ecce causa timoris : quia tenebrosa. Tenebrosi peccatores emphatice dicti « *tenebræ.* » *Contexerunt me,* » abundanter circumdando me. Ad Ephes. V, 8 : *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux,* etc. Tenebræ autem dicuntur mali, quia in tenebris sunt peccatorum. Exod. X, 21 : In tenebris erant Ægyptii, maxime qui sunt in odio. I Joan. II, 11 : *Qui odit fratrem suum, in tenebris est.* Et etiam *tenebræ* dicuntur, quia tendunt ad æternas. Job, X, 22 : *Terram miseriæ et tenebrarum, ubi,* etc. Et VII, 4 : *Replebor doloribus usque ad tenebras.* Sap. XVII, 17 : *Una catena tenebrarum omnes erant colligati.*

7 « *Et dixi* : *Quis dabit.* » Hic secundum primæ partis totius hujus Psalmi : in quo postquam petiit, ostendit se fecisse quod in se fuit : et dicuntur duo. Primo, quod habuit appetitum separanse a malis quantum posset. Secundo, quod ad effectum perduxit, ibi, « *Ecce elongavi fugiens.* »

In prima duo. Primo, desiderium suum exprimit. Secundo, de quo fuerit illud desiderium, et ad quid, ibi, « *Et volabo.* »

Dicit ergo : Sic afflictus sum a malis, et sic rogo liberari ab eis. Et quid facies ? Aliquid. « *Et dixi* » interius in corde meo deliberando et quærendo : « *Quis dabit mihi pennas ?* Non milvi rapacis, de quibus Jerem. II, 34 : *Inventus est in alis vestris sanguis animarum pauperum.* Sed « *columbæ* », quæ simplex est, Matth. x, 16 : *Estote prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ.* Felle caret, Ad Hebr. XII, 15 : *Ne qua radix amaritudinis sursum germinans impediat.* Sapient. VIII, 16. *Non habet amaritudinem conversatio illius.* Gregatim volat, Eccle. IV, 9 et 10 : *Melius est duos esse simul, quam unum solum : habent enim* ambo *emolumentum societatis suæ... Væ soli : quia cum ceciderit, non habet sublevantem se.* Nutrit pullos alienos, non tantum proprios. Matth. v, 44, et Luc. VI, 27 : *Diligite inimicos vestros, bene facite his, qui oderunt vos.* Osculum habet, quod est pacis signum. Ad Rom. XII, 18 : *Quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes.* Ad Hebr. XII, 14 :*Pacem sequimini cum omnibus, et sanctimoniam, sine qua,* etc. Puro grano vescitur, non cadaveribus ut corvus. Proverb. XXIII, 20 : *Noli esse in conviviis potatorum, nec in comessationibus eorum, qui carnes ad vescendum conferunt.* Osee, XIV, 8 : *Vivent tritico.* Super aquas residet, ut caveat ab accipitre, id est, super Scripturas. Cantic. v, 12 : *Oculi ejus sicut columbæ super rivulos aquarum.* Gemitum doloris habet pro cantu lasciviæ, et dissolutionis, Isa. LIX, 11 : *Quasi columbæ meditantes, gememus.* Ad Rom. VIII, 26 : *Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Ultimo, nidificat in petra, Christo. I ad Corinth. x, 4 : *Petra autem erat Christus.* Jerem. XLVIII, 28 : *Relinquite civitates, et habitate in petra, habitatores Moab : et estote quasi columba nidificans in summo ore foraminis.* Ecce pennæ columbæ virtutes, quibus ad alta volatur. Sed sunt altiores pennæ aquilæ in viris jam perfectis in contemplatione, de quibus Isa. XL, 31 : *Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas ut aquilæ.* Qui fiunt sic pennati, non timent retia diaboli. Prov. I, 17 : *Frustra jacitur rete ante oculos pennatorum.*

Justus columbæ comparatur.

« *Et volabo.* » Hic tangit ad quid velit, et tangit finem proximum, ut bona operetur. « *Et volabo,* » bona operando, et alas movendo. Ezechiel. I, 8 : *Et manus hominis sub pennis eorum.* Et ultimum, « *Et requiescam,* » in Deo. Augustinus : « Inquietum est Domine cor « meum, donec quiescam in re. » Joan. XVI, 33 : *In mundo pressuram habebitis* : *sed confidite*, etc.

8 « *Ecce elongavi fugiens.* » Hic adimpletio desiderii, seu propositi : et dicuntur duo. Primo, elongatio a tumultu. Secundo, perseverantia vel duratio in illa elongatione, ibi, « *Et mansi in solitudine.* »

Ait enim : Sic ordinavi, desideravi, et proposui, et « *ecce elongavi fugiens,* » non distantia corporali, sed morum dissimilitudine, a malis elongavi. Job, III, 13 et 14 : *Nunc.... somno meo requiescerem : cum regibus et consulibus terræ, qui ædificant sibi solitudines.* Genes. XIX, 17 : *Ne stes in omni circa regione : sed in monte salvum te fac.* Quasi diceret : Non tantum separeris, sed elongeris. Apocalyps. XII, 14 : *Datæ sunt mulieri alæ duæ.... ut volaret in desertum,* et ibi peperit. Et sic elongatus,

« *mansi in solitudine,* » non statim redii : et propter hoc dignus fui divina consolatione. Osee, II, 14 : *Ducam eam in solitudinem, et loquar ad cor ejus.*

Et nota, quod in solitudinem non fugit, nec manet, qui in divitiis et honoribus et deliciis vivit : nihil enim talium in solitudine. Propter hoc dicit Bernardus : « Fugite fratres de medio Babylo- « nis, mundi scilicet : periclitatur enim « castitas in deliciis, pietas in negotiis, « veritas in multiloquio, charitas in ne- « quam sæculo. » Et idem : « Fugite « fratres ad civitates refugii, ut possitis « de præteritis agere pœnitentiam, et in « præsenti obtinere gratiam, et futuram « gloriam fiducialiter præstolari. »

quasi mare fervens, quod quiescere non potest. Et facta est etiam tempestas magna. Isti venti sunt tentatio gravis et occulta, quæ sufflat ex una parte : levis et aperta, et quasi a contrario : gravis et aperta ex altera : levis et occulta ex opposito. Sed Deus salvat ab iis, in deserto solitudinis. Tob. III, 22 : *Post tempestatem, tranquillum facis.* Jerem. XXXI, 2 : *Invenit gratiam in deserto populus.* Isa. XXXII, 2 : *Et erit vir sicut qui absconditur a vento, et celat se a tempestate.* Matth. VIII, 26 : *Imperavit ventis, et mari, et facta est tranquillitas magna.* Vel quatuor affectiones : gaudium, tristitia, spes, et timor. Hæ timent quod non oportet, et sperant quod non decet : dolent vane, gaudent vanius.

Quadruplex tentatio quatuor ventis comparata.

9 « *Exspectabam eum.* » Hic secunda pars totius Psalmi, in qua sperans exaudiri pro se, inimicis imprecatur : secundum quod duo dicuntur. Primo, quod sperans habuit in Deo fiduciam. Secundo, subjungit imprecationem contra malos, ibi, « *Præcipita Domine.* »

Secunda pars Psalmi.

In prima duo, secundum duplicem rationem confidentiæ quam tangit. Prima præcedens liberatio a pusillanimitate habita ex se, et turbatione habita ex aliis, ibi, « *Et tempestate.* »

Dicit ergo : Sic in solitudinem secessi, et quid ibi faciebas ? « *Exspectabam,* » ut me perfecte ab omni miseria liberaret. Genes. XLIX, 18 : *Salutare tuum exspectabo, Domine.* Ad Philip. III, 20 : *Salvatorem exspectamus,* etc. Luc. XII, 36 : *Et vos similes hominibus exspectantibus dominum suum.* « *Eum qui salvum me fecit,* » jam, « *a pusillanimitate spiritus,* » quæ grande malum est. Eccli. VII, 9 : *Noli esse pusillanimis in animo tuo.* Isa. XXXV, 4 : *Dicite pusillanimis : Confortamini, et nolite timere.* « *Et tempestate,* » orta in me ex concussione tentationum. Dan. VII, 2 : *Quatuor venti cæli pugnabant in magno mari,* quatuor genera tentationum in corde peccatoris, quod est mare. Isa. LVII, 20 : *Impii*

« *Præcipita, Domine.* » Hic secundum, in quo subjungitur imprecatio. Et primo, contra impugnantes aperte. Secundo, contra impugnantes occulte, ibi, « *Quoniam si inimicus meus.* » 10

In prima duo. Primo, imprecatio pœnæ. Secundo, ratio imprecationis, ibi, « *Quoniam vidi.* »

In prima duo, secundum duo quæ illis imprecatur. Primum, præcipitatio a statu dignitatis. Secundum, dissipatio perversæ unitatis, ut non possint convenire ad malum perpetrandum, ibi, « *Et divide linguas eorum.* »

Dicit ergo : Sic confidebam liberari plene : et tu, o Domine, qui potes, « *præcipita,* » munitiones malorum contra me, ne stent, sicut dæmonem præcipitasti. Luc. X, 18 : *Videbam satanam, sicut fulgur de cælo cadentem.* Sicut præcipitas omnem superbiam. Thren. II, 2 : *Præcipitavit Dominus, nec pepercit, omnia speciosa Jacob.* Sicut et in futuro præcipitabis ipsam mortem. Isa. XXV, 8 : *Præcipitabit Dominus mortem in sempiternum.* Munitiones omnis malitiæ contra omnem justitiam, sunt malorum advocatorum linguæ. Has petit tamquam pessimas machinas præcipitari : et

sic fiet. Job, XL, 28 : *Videntibus cunctis præcipitabitur.* Et linguæ adulatorum, et istæ præcipitabuntur cum illis quibus adulantur. Isa. IX, 16 : *Erunt qui beatificant populum istum, seducentes : et qui beatificantur, præcipitati.*

« *Et divide linguas eorum,* » ne veniant in unitatem et concordiam contra me, sicut divisisti antiquitus turrim Babel fabricantes [1]. Thren. IV, 16 : *Facies Domini divisit eos.* Aliquando enim unio mala est, quando scilicet ad malum : et bonum est ut dissipetur. Gregorius : « Si « injustorum unitas noxia non fuisset, « divina prudentia linguarum unitatem « in tantam diversitatem non dissipas- « set. »

« *Quoniam vidi iniquitatem.* » Hic subjungit rationem, scilicet eorum culpam apertam quare sunt puniendi. Et primo, tangit culpam in Deum. Secundo, contra proximum, ibi, « *Die ac nocte.* »

Duplicem autem culpam tangit contra Deum. Perfidiam contra ea quæ sunt fidei, inobedientiam contra ea quæ sunt moris, ibi, « *Et contradictionem.* »

Dicit ergo : Sic præcipita, et divide, « *quoniam vidi,* » tamquam apertum malum, « *iniquitatem.* » Glossa : « Perfi- « diam eorum qui non credunt nec fidei « articulis, nec sacramentis, nec divinis « promissis. » Ezech. XXI, 27 : *Iniquitatem, iniquitatem, iniquitatem ponam eam* : ter contra tria prædicta : perfidiam, contradictionem, inobedientiam. Osee, IV, 4 : *Populus tuus sicut hi, qui contradicunt sacerdoti.* Isa. LXV, 2 : *Expandi manus meas tota die ad populum incredulum,* et contradicentem mihi. Et hoc « *in civitate* » Babylonia, in malorum vita confusione plena. Hæc civitas, de qua Osee, XI, 9 : *Deus in medio tui sanctus, et non ingrediar civitatem.* Hæc est civitas de qua Ezech. XXI, 26 : *Hæc est quæ humilem sublevavit, et sublimem humiliavit.* Non est illa de qua scriptum est, Psal. LXXXVI, 3 : *Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei.* Nec illa, de qua Matth. V, 14 : *Non potest civitas abscondi supra montem posita.*

« *Die ac nocte circumdabit.* » Hic se- 11
cundum, in quo tangit inordinationem ad proximum : et dicuntur tria. Primo, iniquitatis in proximum continuitas. Secundo, iniquitatis generalitas, ibi, « *Labor in medio.* » Tertio, ejusdem fraus et dolositas, ibi, « *Et non defecit.* »

Dicit ergo : Tales sunt in Deum, et etiam « *circumdabit eam iniquitas* : » iniquitas, inquam, existens « *super muros ejus,* » ad litteram in majoribus, et principibus, et prælatis, qui debent esse muri. Isa. XLIX, 16 : *Muri tui coram oculis meis semper.* Et LXII, 6 : *Super muros tuos, Jerusalem, constitui custodes,* scilicet Prælatos et Angelos. Isa. I, 23 : *Principes tui,* ecce muri : *infideles, socii furum,* ecce iniquitas super muros. Et V, 7 : *Exspectavi ut faceret judicium, et ecce iniquitas : et justitiam, et ecce clamor* pauperum quos opprimunt. Et hoc non ad horam, sed « *die ac nocte.* » Quasi diceret : Continue, vel in die prosperitatis, ac nocte adversitatis. « *Et labor,* » superflua acquirendi, in quo notatur cupiditas non habitorum : « *et injustitia* » retinendi aliena, in quo avaritia retinendorum : « *in medio ejus,* » in omnibus generaliter et aperte. Jer. VI, 13 : *A minore usque ad majorem omnes avaritiæ student.*

Vel ut conjunctim legatur : « *Labor et injustitia,* » id est, laboriosa injustitia, « *in medio ejus.* » Jer. IX, 5 : *Ut inique agerent, laboraverunt.* Eccle. X, 15 : *Labor stultorum affliget eos, qui nesciunt in urbem pergere.* Propter hoc dicturi sunt : *Lassati sumus in via iniquitatis, et perditionis* [2].

[1] Cf. Genes. XI, 7.

[2] Sapient. V, 7.

12 « *Et non defecit.* » Hic tertium. Quasi diceret : Sic continue, et omnes : « *et non defecit de plateis ejus,* » non de angulis, ut totum sit in publico, « *usura et dolus,* » id est, dolosa usura, qua requiritur ultra sortem aliquid, contra illud Deuter. XXIII, 20 : *Fratri tuo absque usura commodabis.* Luc. VI, 35 : *Mutuum date, nihil inde sperantes.* « *Et non defecit.* » Notatur continuitas, vel perseverantia : « *de plateis,* manifestatio : « *usura,* » culpæ augmentatio : « *et dolus,* » pietatis simulatio.

Rapacitas usurarii variis similibus expressa.

Et nota, quod usurarius comparatur lappæ, tenaci valde et rapaci. Osee, IX, 6 : *Desiderabile argentum eorum urtica hæreditabit* pungitiva : *lappa,* id est, tenacitas, *in tabernaculis eorum.* Sed quantumcumque fortiter teneat, relinquet tandem omnia. Job, XXVII, 19 : *Dives cum dormierit, nihil secum auferet.* Et talpæ, quæ tantum super se de terra cumulat, quod se suffocat, et occidit. Habac. II, 6 : *Væ qui multiplicat non sua : usquequo et aggravat contra se densum lutum?* Buboni, quæ est avis odio habens lucem, et amatrix tenebrarum. Sic usurarius occultat semper suam iniquitatem, et palliat. Joan. III, 20 : *Qui male agit, odit lucem, et non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus.* Dæmoni, qui pro modico multum expetit, pro delectatione transitoria, æterna simplicia, sicut dicitur Isa. XIV, 4 : *Quomodo cessavit exactor? quievit tributum?* Et de fœneratore dicitur, IV Reg. IV, 1 : *Creditor venit ut tollat duos filios meos.* Quietem diligit, et nihil vult facere, sicut diabolus. Isa. XIV, 13 : *Sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis.* Et Dei sententiæ contradicit, Genes. III, 19 : *In sudore vultus tui vesceris pane.*

13 « *Quoniam si inimicus meus.* » Hic secundum, in quo inprecatur apertis persecutoribus, et inimicis : et dicuntur tria. Primo, manifestat eorum culpam. Secundo, imprecatur pœnam, ibi, « *Veniat mors super illos.* » Tertio, ostendit pœnæ dignitatem, ibi, « *Quoniam nequitiæ.* »

In prima, ad aggravandam eorum malitiam dicuntur duo. Primo, ostendit persecutionis apertæ facilem esse tolerantiam. Secundo, occultam per domesticos importabilem, ibi, « *Tu vero homo unanimis.* »

In prima duo. Primo, portabilem in verbis opprobriosis. Secundo, in comminatoriis, ibi, « *Et si is qui oderat me.* »

Dicit ergo : Sic prædicti persequuntur me, et mali sunt, sed sunt alii deteriores eis. « *Quoniam si inimicus meus,* » apertus, « *maledixisset mihi,* » opprobria, blasphemias inferendo, « *sustinuissem utique,* » patienter tolerando, sicut David sustinuit Semei maledicentem sibi, II Reg. XVI, 11 : *Dimitte eum ut maledicat,* scilicet mihi. Et de Christo dicit Petrus, I Pet. II, 23 : *Qui cum malediceretur, non maledicebat : cum pateretur,* etc.

« *Et si is qui oderat me,* » aperte, « *adversum me magna locutus fuisset,* » comminando, « *abscondissem me forsitan ab eo,* » sicut caput meum Christus fecit. Joan. VIII, 59 : *Jesus autem abscondit se, et exivit de templo.* Sicut etiam docuit, Matth. X, 23 : *Cum persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam :* quia, sicut dicit Glossa, « jacula præ- « visa minus feriunt, quam non prævisa. » Sic Moyses cessit furori Pharaonis, et fugit in Madian [1]. Nec est contrarium quod dicitur Joan. X, 12 et 13, de mercenario, qui *videt lupum venientem, et dimittit oves, et fugit,... quia mercenarius est :* quia illud intelligitur in persecutione Ecclesiæ generali, et hoc quod hic dicitur, in particulari.

« *Tu vero homo unanimis.* » Hic secundum, in quo ostendit importtabilem per 14

[1] Cf. Exod. II, 15.

multas conditiones occultam impugnationem. Primo, naturalis conformitas, ibi, « *Homo.* » Secundo, voluntatum unitas, ibi, « *Unanimis.* » Tertio, palliata bonitas, ibi, « *Dux meus.* » Quarto, cultus identitas, ibi, « *Et notus meus.* » Quinto, communitas in victu, ibi, « *Qui simul mecum.* » Sexto, in officio et actu, ibi, « *In domo Dei ambulavimus.* »

Dicit ergo : Sic illum sustinere forte possem, vel ab eo cavere. « *Tu vero,* » qui persequeris me, es « *homo* » mihi conformis in natura, et propter hoc debes me diligere naturaliter. Eccli. XIII, 19 : *Omne animal diligit simile sibi.* Et volatilia ad similia congregantur. Et mihi « *unanimis* » fuisti, in una voluntate conjunctus. Ad Philip. II, 2 : *Implete gaudium meum, ut idem sapiatis, eamdem charitatem habentes, unanimes, idipsum sentientes.* « *Dux meus,* » qui me in multis dirigebas, et ducebas, tamquam verus esses amicus. Sed, ut video, de illis eras, de quibus Matth. XV, 14 : *Cæci sunt, et duces cæcorum.* Proverb. XVI, 29 : *Vir iniquus lactat amicum suum : et ducit eum per viam non bonam.*

« *Et notus meus,* » qui in eadem Ecclesia mecum fuisti. In hoc cultu identitas. Isa. I, 21 : *Quomodo facta est meretrix, civitas fidelis?* Job, XIX, 13 : *Noti mei, quasi alieni recesserunt a me.*

15 « *Qui simul mecum,* » id est, associatus aliis. Hoc notat *simul.* « *Mecum dulces capiebas cibos.* » Ecce communitas in victu. *Cibos,* inquam, corporales. Eccli. VI, 10 : *Est amicus socius mensæ, et non permanebit in die necessitatis.* Et spirituales Scripturarum, qui nunc dulces sunt, Psal. CXVIII, 103 : *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo.* Ezech. III, 2 et 3 : *Et aperuit os meum, et cibavit me volumine illo :... et comedi istud, et in ore meo factum est sicut mel dulce.*

« *In domo Dei,* » id est, in Ecclesia, « *ambulavimus cum consensu :* » quod Deo placet. Matth. V, 23 : *Si offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris, quod habet frater tuus aliquid adversum te,* etc. Et post, in eodem, ℣. 25 : *Esto consentiens adversario tuo, dum es in via.* Gen. XLV, 24 : Dixit Joseph fratribus suis : *Ne irascamini in via.* Tu, inquam, taliter me persecutus es, quod est importabile magis. Propter hoc dicitur, Michæ. VII, 5 : *Nolite credere amico, et nolite confidere in duce.* Cantic. I, 5 : *Filii matris meæ pugnaverunt contra me.* Isa. XXXVIII, 17 : *Ecce in pace amaritudo mea amarissima.*

Hæc omnia aliter leguntur ab illo loco, « *Exspectabam,* » ut loquatur Christus sic : « *Exspectabam,* » Patrem scilicet meum, « *qui salvum me fecit a pusillanimitate spiritus,* » ne deficerem in passionibus : « *et tempestate,* » ne irascerer contra persequentes, secundum illud Isa. XLII, 4 : *Non erit tristis,* pusillanimitate : *neque turbulentus,* iracundia. Sed, o tu Domine, « *præcipita illos,* » Judæos me persequentes, in miseriam : « *et divide linguas eorum,* » per dissensionem inter ipsos, quod et factum est : quia post quadraginta annos a Christi passione, obsessi sunt a Romanis, et pugnabant per diem contra illos, et per noctem ad invicem. Alibi, in Psal. LVIII, 12 : *Disperge illos in virtute tua, et depone illos, protector meus, Domine.* Sed quare hæc fient? Et hoc peto. « *Quoniam vidi iniquitatem, et contradictionem in civitate,* » Jerusalem. Hoc non mutatur usque ibi, « *Quoniam si inimicus meus :* » et tunc specialiter contra factum ipsorum per Judam. Nec mutatur lectura usque ibi, « *Tu vero homo unanimis,* » qui mea sciebas consilia. Joan. XV, 15 : *Vos autem dixi amicos : quia omnia quæcumque audivi a Patre,* etc. Ad Rom. III, 2 : *Credita sunt illis eloquia Dei.* « *Dux meus,* » id est, meorum, quia prædicator eras et doctor. Isa. LV, 4 : *Dedi eum ducem ac præceptorem Gentibus.* « *Et notus meus,* » inter alios specialior, quia totum tibi commiseram. Psal. LXXXVII,

Legitur totum hoc de Christo.

19 : *Elongasti a me amicum et proximum.* Et Job, xix, 19 : *Quem maxime diligebam, adversatus est me.* « *Qui simul mecum dulces capiebas cibos,* » judicia Scripturarum, quæ erant antiquis delectabilia. Et quantum ad peccatum Judæ specialiter, corporales. Comedit enim cum Christo in eadem scutella. Joan. xiii, 26 : *Et cum intinxisset panem, dedit Judæ Simonis Iscariotis.* Proditori enim soli corporales dulces erant, non spirituales illi de quibus Sap. xvi, 20 : *Panem de cœlo præstitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem, et omnis saporis suavitatem.* « *In domo Dei,* » ad litteram, in materiali templo, « *ambulavimus cum consensu.* » Simul enim cum Christo templum intrabat, et prædicationibus assistebat.

16 « *Veniat mors super illos.* » Hic secundum, in quo imprecatur eis pœnam : et dicuntur duo. Primo, mortis imprecatio. Secundo, expositio illius imprecationis, ibi, « *Et descendant.* »

Dicit ergo : Tales sunt inimici, et sic infestant me, et propter hoc rogo, « *veniat mors,* » nova, « *super illos.* » In hoc quod dicit « *illos,* » innuit, quod non erat tantum unus singularis inimicus, cui supra loquebatur. Si in illo loquebatur omnibus. « *Et descendant in infernum viventes,* » sicut Dathan et Abiron[1]. Sed nunc opponitur quod nihil tale legimus, vel de Judæis qui Christum sunt persecuti, vel de malis Ecclesiam persequentibus. Sed responsio est, quod sicut illi, scilicet Dathan et Abiron a terra sunt absorpti, et per hoc descenderunt in infernum, sic Judæi, sic Ecclesiæ persecutores absorbentur a terra, terrena scilicet concupiscentia, et sic quasi scienter descendunt in infernum. Sciunt enim Judæi certissime periculum suum, maxime majores, sed propter invidiam non resipiscunt.

Et nota, quod novo generi peccati, nova debetur pœna. Peccaverunt Sodomitæ novo genere peccati, et nova morte perempti sunt[2]. Similiter Dathan et Abiron nova morte occisi sunt, Num. xvi, 29 : *Si consueta hominum morte interierint, et visitaverit eos plaga, qua et cæteri visitari solent, non misit me Dominus.* Et post pauca, ℣. 33 : *Descenderunt vivi in infernum operti humo.* Vel potest legi ut petatur duplex pœna, sicut et in illis fuit. Pro minoribus pœna mortis, « *Veniat mors super illos :* » quantum ad minores cum majoribus consenserint. Ad Rom. i, 32 : *Quoniam, qui talia agunt, digni sunt morte : et non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.* Et imprecatur eis ignem, quia igne iræ et furoris accensi sunt a suis ducibus contra Christum, quem viderant tot miracula facientem. « *Et descendant in infernum,* » terrenæ cupiditatis, « *viventes,* » non ignoranter, sed scientes se peccare. Num. xxiv, 3 et 4 : *Dixit homo... qui cadit, et sic aperiuntur oculi ejus.*

« *Quoniam nequitiæ.* » Hic tangitur dignitas pœnæ impositæ, hoc est, quia digni sunt tanta pœna propter duo quæ tangit. Primo, rapina. Secundo, quod voluntarie, et cum deliberatione facta, uno modo legendo. Vel melius secundum aliam lecturam, primo iniquitatis occultatio. Secundo, occultatæ tandem manifestatio, ibi, « *In medio.* »

Dicit ergo : Sic puniantur, et digni sunt, « *quoniam nequitiæ,* » res scilicet per nequitiam acquisitæ, « *in tabernaculis eorum,* » id est, in hospitiis vel domibus. Isa. iii, 14 : *Rapina pauperis in domo vestra.* Amos, iii, 10 : *Thesaurizantes iniquitatem, et rapinam in domibus suis.* Jer. ii, 34 : *In alis tuis inventus est sanguis animarum pauperum,* in familiis et sociis vestris. Domus *tabernacula* dicuntur, quia tota vita est peregrinatio, et

[1] Cf. Numer. xvi, 1 et seq.

[2] Cf. Genes. xix, 24 et seq.

peregrini inhabitant. Gen. XLVII, 9 : *Dies peregrinationis meæ parvi et mali.* II ad Cor. V, 6 : *Dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino.* Ad Hebr. XI, 13 : *Et confitentes quia peregrini et hospites sunt super terram,* quia non naturales. Sap. I, 13 : *Deus mortem non fecit*, sed impii. « *In medio eorum,* » id est, in cordibus ipsis. Psal. LXXII, 7 : *Transierunt,* iniquitates et peccata, *in affectum cordis.*

Vel sic : « *Nequitia in habitaculis eorum,* » id est, in occulto, et latenter est in eis. Ad Ephes. V, 12 : *Quæ in occulto ab eis fiunt, turpe est dicere.* « *In medio eorum,* » venientes tandem ut omnibus notæ fiant. Vel quia ipsimet illas aliis prædicant. Isa. III, 9 : *Peccatum suum quasi Sodoma prædicaverunt, nec absconderunt :* quia certe aliis ipsis volentibus fœtent. Luc. XII, 2 : *Nihil opertum quod non reveletur, et nihil occultum quod non sciatur.* Joel, II, 20 : *Ascendit fœtor ejus, et ascendit putredo ejus.* Amos, IV, 10 : *Ascendere feci putredinem castrorum vestrorum.*

17 « *Ego autem ad Dominum.* » Hic tertia pars Psalmi, in qua postquam oravit pro sua liberatione, et pro adversariorum punitione, prædicitur quid futurum sit utrisque. Et primo, qui dfuturum sit bonis, in quorum gratiam primo oratum. Secundo, quid malis, ibi, « *Exaudiet Deus.* »

Tertia pars Psalmi.

In prima duo. Primo, ostendit præmissæ orationis fructum. Secundo, se laudaturum tamquam gratum, et laudationis bonum quod assequetur, ibi, « *Vespere et mane.* »

In prima duo. Primo, tangit orationis fervorem. Secundo, fervoris utilitatem, ibi, « *Et Dominus salvabit.* »

Dicit ergo : Tales illi, et in aperto, et in occulto, propter quod juste sunt puniendi. « *Autem,* » sed « *ego clamavi,* » non tantum clamore oris, sed magis cordis in contristatione qua exercebar, sicut Susanna falso a sacerdotibus impugnata[1]. Et sicut Moyses et filii Israel Ægyptiis persequentibus[2]. Sciens illud II Paral. XX, 12 : *Cum ignoramus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te.*

« *Et Dominus salvabit me,* » vel « salvavit. » Isa. XIX, 20 : *Clamabunt ad Dominum a facie tribulantis, et mittet eis salvatorem.* Psal. CXVII, 5 : *De tribulatione invocavi Dominum, et exaudivit me,* Joel, II, 32 : *Et erit, omnis qui invocaverit,* intus vocaverit, *nomen Domini, salvus erit*[3].

« *Vespere et mane.* » Hic secundum, in quo subjungit gratitudinem, et eam fructuosam valde : unde dicuntur duo. Primo, præmittit laudem tamquam gratus pro acceptis jam bonis. Secundo, subjungit utilitatis certitudinem, ibi, « *Et exaudiet vocem meam.* » 18

Dicit ergo : Sic oravi et accepi, et propter hoc nolens ingratus inveniri. Dupliciter autem legitur : Vel ut fiat narratio, vel enuntiatio bonorum Dei factorum vel faciendorum generaliter, vel aliquorum, passionis scilicet vel resurrectionis specialiter. Dicit ergo : Sic clamavi, et sic exauditus sum, et propter hoc tamquam gratus, « *vespere narrabo :* » Glossa, de præteritis : « *et mane annuntiabo,* » de futuris.

Sed opponunt, quod magis deberet dici e contrario. Potius enim per *vespere* futura debent intelligi, et per *mane* præterita, quam e contrario. Respondent omnes : Quia vespere mane præcessit, et mane secutum est, secundum illud Genes. I, 8 : *Factum est vespere et mane*, etc., sic melius per vespere præterita, per mane futura. Sed melius potest dici, si bene

[1] Cf. Daniel. XIII, 24.
[2] Cf. Exod. XIV, 10 et seq.
[3] Cf. Ad Roman. X, 13.

intelligatur littera, quod sensus est : « *Vespere narrabo* » de præteritis, id est, præterita beneficia mihi in die facta : « *et mane,* » de futuris, quæ futura exspectabo, « *annuntiabo* » aliis, supple, ut laudent ipsum. Luc. VIII, 39 : *Redi in domum tuam, et narra quanta tibi fecit Deus.* Vel sic : « *Narrabo vespere,* » id est, beneficium in vespere factum, scilicet mortem. Ad Coloss. I, 13 : *Qui eripuit nos de potestate tenebrarum.* « *Et annuntiabo mane,* » id est beneficium resurrectionis, in quo nos transtulit in regnum claritatis suæ. Idem, ibidem, *Et transtulit* nos *in regnum filii dilectionis suæ.*

« *Et exaudiet.* » Hic tangit fructum gratitudinis : et dicuntur duo. Primo, quod exaudietur. Secundo, in quo determinatur, ibi, « *Redimet animam.* »

Dicit ergo : Sic narrabo vespere, et annuntiabo mane : « *et in meridie,* » existens Dominus, id est, ad dexteram Patris. Marc. XVI, 19 : *Assumptus est in cœlum, et sedet a dextris Dei.* Ad Hebr. VIII, 1 : *Consedit in dextera sedis magnitudinis in cœlis,* ubi interpellat pro nobis. Hæc est meridies, de qua Cant. I, 6 :
Nota antithesim egregiam. *Indica mihi quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie.* Et sic redduntur tria tribus : vespere, mane, meridie, narrabo, annuntiabo, exaudiet. Et tanguntur tria beneficia, passionis, resurrectionis, et ascensionis. Vel posset legi sic : « *Vespere,* » senectutis, « *mane,* » juventutis, « *et meridie,* » virilis ætatis, « *narrabo,* » sermone simplici, « *annuntiabo,* » prædicatione solemni tua beneficia. Sic accipitur mane, et hora sexta, et novissima[1]. Psal. XXXIII, 2 : *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus,* etc. Tob. IV, 20 : *Omni tempore benedic Deum.*

19 « *Redimet in pace.* » Hic secundum, in quo dicit in quo exaudietur, quia in hoc quod plene liberabitur, seu redimetur : et tanguntur tria. Primo, redemptio. Secundo, a quo erit illa redemptio, ibi, « *Ab his qui appropinquant.* » Tertio, necessitas redimendi, ibi, « *Quoniam inter multos.* »

Dicit ergo : Sic exaudiet, et in hoc, « *quod redimet animam meam.* » Sed nunc jam redemit ipse. Superius dixisti, quod salvavit te. Resp. Redimendum se dicit David loquens tempore suo, in quo non erat adhuc facta redemptio. Superius autem dicit se salvatum ab inimicis materialibus qui eum infestabant. Sed melius est ut dicatur, quod redemit Deus prædestinando ad redemptionem. Isa. XLIII, 1 : *Noli timere, servus meus Jacob : ego redemi te,* hoc est, redimere disposui, sicut in liberatione Ægyptiorum redemit suos, hoc est, redimendos figuravit. Sic accipitur in Psal. CXXXV, 24, ubi postquam locutus est de transitu filiorum Israel per mare Rubrum, et de submersione Ægyptiorum, intulit : *Qui redemit nos,* id est, redimet nos, *ab inimicis nostris.* Et pretium redemptionis mittendo, sicut in Psal. CX, 9 : *Redemptionem misit Dominus,* etc. Luc, I, 68 : *Visitavit, et fecit redemptionem plebis suæ.* Pretium solvendo. Sic accipitur proprie, I Petr. I, 18 et 19 : *Scientes quod non corruptibilibus auro vel augento redempti estis de vana vestra conversatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi et incontaminati,* istam adimplendo redemptionem. Isa. I, 27 : *Sion in judicio redimetur.* Sic accipitur hic, et sic convenit cuilibet justo, in quocumque statu in hac vita. Unde signanter addit, « *in pace,* » supple, æterna, de qua ad Philip. IV, 7 : *Et pax Dei, quæ exsuperat omnem sensum,* etc. Et hoc, « *ab iis qui appropinquant mihi,* » conversationis similitudine, dicit justus, qui videntur Christiani confessione oris, sed contrarii sunt factis. Ad Tit. I, 16 : *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant.*

[1] Cf. Matth. XX, 1, 16.

Vel in persona Christi : « *Appropinquant mihi,* » ore laudando me, sed corde elongando. Isa. xxix, 13 : *Appropinquat populus iste ore suo, et labiis suis glorificat me, cor autem ejus longe est a me.* Isa. LVIII, 2 : *Quasi gens quæ justitiam fecerit, et judicium Dei sui non dereliquerit... appropinquare Deo volunt.* Et necesse erat ut ab iis redimeretur anima, « *quoniam inter multos.* » Alia littera, « In multis : » et tunc exponunt de Sacramentis, festis, doctrina, et talibus. « *Erant mecum,* » in Ecclesiis, sed non in fide formata, et charitate, et spe, sine quibus non potest quis placere Deo. De fide, ad Hebr. xi, 6 : *Sine fide impossibile est placere Deo.* De charitate, I ad Corinth. xiii, 3 : *Charitatem autem non habuero, nihil sum.* De intermedia spe nulli dubium : qui enim desperat, totum perdit. Exemplum de Cain (Genes. iv, 13 et seq.).

Vel, « *inter multos,* » vocatos, « *erant mecum,* » palea cum grano in multitudine magna. Eccle. i, 15 : *Stultorum infinitus est numerus.* Et nota Glossam : « De uno enim semine. » Et concludo, Matth. xiii, 30 : *Colligite zizania, et alligate in fasciculos ad comburendum, triticum autem congregate in horreum meum.*

20 « *Exaudiet Deus.* » Hic secundum, in quo prænuntiato quid fiet bonis, subjungitur de malis, et dicuntur duo. Primo, prænuntiatio eorum quæ illis futura sunt. Secundo, conversio Prophetæ in Deum, tamquam volentis effugere miserias illorum, ibi, « *Ego autem sperabo.* » Et est ultimum versum Psalmi.

Item, in prima duo. Primo, quid eis futurum sit in præsenti. Secundo, quid in futuro, ibi, « *Tu vero Deus deduces.* »

In prima duo. Primo, pœna. Secundo, ut monstretur quod digni sunt, subjungitur culpa, ibi, « *Non illis commutatio.* »

Dicit ergo : Hæc quæ præmisi, mihi fient roganti pro me, et etiam aliis imprecanti, scilicet malis. « *Exaudiet Deus,* » ad votum audiet, quia mea petitio concordat justitiæ ejus : ille « *qui est ante sæcula,* » etsi cum hominibus in sæculis conversetur. Baruch, iii, 38 : *Post hoc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est :* Ante sæcula tamen existens. Eccli. xxiv, 14, dicit Dei sapientia : *Ab initio, et ante sæcula creata sum,* id est, genita. Prov. viii, 23 : *Ab æterno ordinata sum.* « *Humiliabit eos,* » ipsos dejiciendo in hac vita. Isa. ii, 11 : *Oculi sublimes homines humiliati sunt.* Et hoc justum, quia Luc. xiv, 11 : *Qui se humiliat, exaltabitur.* Et Psal. CXLVI, 6 : *Humilians autem peccatores,* etc.

Non est illis commutatio a malo, quia sunt obstinati.

« *Non enim est illis commutatio.* » Hic secundum, in quo ostenduntur digni humiliatione, per culpam ipsorum : et quia nihil est de quo Deus non eliciat bonum, duo dicuntur. Primo, ostendit eorum culpam. Secundo, ostendit eorum utilitatem inde consequentem in bonis, ibi, « *Et appropinquavit.* »

In prima dicuntur quatuor. Primo, obstinatio in malo. Secundo, divini amoris abjectio, ibi, « *Et non timuerunt.* » Tertio, aversio a divina lege tamquam contemptibili, ibi, « *Contaminaverunt.* » Quarto, divisio illorum per varios errores, ibi, « *Divisi sunt.* »

Dicit ergo : Humiliabuntur, et digni sunt. « *Enim,* quia, *non est illis commutatio,* » a perversitate sua. Proverb. ii, 19 : *Omnes qui ingrediuntur ad eam, non revertentur.* Et xxvii, 22 : *Si contuderis stultum in pila quasi ptisanas, feriente desuper pilo, non auferetur ab eo stultitia ejus.* Eccle. i, 15 : *Perversi difficile corriguntur.* Jerem. xiii, 23 : *Si mutare potest Æthiops pellem suam,* etc. Propter hoc dicitur, Jer. XLVIII, 11 : *Fertilis fuit Moab ab adolescentia sua, et requievit in fæcibus suis : nec transfusus est de vase in vas, et in transmigrationem non abiit : idcirco permansit gustus ejus*

cum eo, scilicet peccati delectatio : *et odor ejus*, fœtor scilicet infamiæ, *non est immutatus*. Osee, v, 4 : *Non dabunt cogitationes suas, ut revertantur ad Deum*. Propter hoc dicitur, Soph. I, 12 : *Visitabo super viros defixos in fæcibus suis*.

21 « *Et non timuerunt Deum.* » Hic secundum, in quo dicuntur duo. Primo, divini timoris abjectio. Secundo, ostenditur quasi effectus proprius hujus peccati, scilicet major exacerbatio iræ Dei, ibi, « *Extendit.* »

Ait enim : Sic non est in illis commutatio : et hoc, quia « *non timuerunt Deum :* » si enim timuissent, mutati essent. Eccli. II, 20 : *Qui timent Dominum, præparabunt corda sua*. Malach. I, 6 : *Si Dominus ego sum, ubi est timor meus ?* Et propter hoc, « *extendit manum suam,* » præparando se in repercutiendo, « *in retribuendo,* » id est, ad retribuendum. Isa. IX, 12 et 13 : *Et adhuc manus ejus extenta : et populus non est reversus ad percutientem se.*

Diversi mutationis modi, intentionis, sermonis, habitus, actus.

Et nota hic, quod est mutatio naturæ, sicut in avibus, et cervo, et serpente, de quibus alibi dictum est [1]. Et est mutatio pœnitentiam veram. I Reg. x, gratiæ per 6 : *Insiliet in te spiritus Domini, prophetabis cum eis, et mutaberis in virum alium*. Glossa : De quo Zach. III, 4 : *Auferte vestimenta sordida ab eo. Et dixit ad eum : Ecce...indui te mutatoriis*. In contrarium autem debet mutari intentio primo, ut qui faciebat bona aliqua propter mundum, nunc faciat propter Deum. De quo in Psal. LXXVI, 11 : *Hæc mutatio dexteræ Excelsi*. Debet mutari sermo, ut qui prius turpia loquebatur, nunc honesta proferat. Isa. XIX, 18 : *In die illa*, nunc pœnitentiæ scilicet : *erunt quinque civitates*, homines prius quinque sensibus servientes : *loquentes lingua Chanaan*, hoc est, commutata. Propter hoc Dominus linguas Apostolorum commutavit [2]. Habitus, ut qui prius mollibus, nunc duris vestiatur. Genes. XLI, 14 : *Eductum de carcere Joseph totonderunt, et veste mutata obtulerunt ei*, scilicet Regi. Exod. XIX, 10, præceptum est ut populus recepturus legem, mutaret vestem. Et actus, ut nunc bona faciat qui prius mala faciebat, donec abeat in perfectam transmutationem. Job, XIV, 14 : *Cunctis diebus quibus milito, exspecto donec veniat immutatio mea*.

« *Contaminaverunt testamentum.* » Hic tertium, dispersio testamenti Dei. Et etiam « *contaminaverunt,* » contaminatum reputaverunt « *testamentum ejus,* » promissionem scilicet ejus contemnando : illam, inquam, promissionem, quæ est de Gentium vocatione ad fidei unitatem. Genes. XXII, 18 : *Benedicentur in semine tuo omnes gentes*. Putantes illud semper durare ad litteram : *Notus in Judæa Deus*, tantum, *in Israel magnum nomen ejus* [3]. Scripturas etiam corrumpendo, vel contraria illis faciendo, contaminant testamentum Dei, sicut vinum bonum contaminatur, cum aquæ admiscetur. Isa. I, 22 : *Vinum tuum mistum est aqua*. Vel, tertio modo « *contaminant testamentum* » qui viliter tractant quodlibet sacramentum, maxime altaris. I Machab. I, 39 : *Contaminaverunt sanctificationem meam*. Ezech. VII, 22 : *Violabunt arcanum meum : et introibunt ad illud emissarii, et contaminabunt illud*. Malach. I, 12 : *Mensa Domini contaminata est*. Sed ad Hebr. x, 29, dicitur : *Quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit, et sanguinem testamenti pollutum duxerit?* « *Divisi sunt,* » per varios errores, et hæreses. Osee, x, 2 : *Divisum est cor eorum, nunc interibunt*. Et hoc, « *Ab ira vultus ejus,* » 22

[1] Cf. Libr. XX et seq. de Animalibus, tom. XII hujusce novæ editionis.

[2] Act. II, 7 et 8.

[3] Psal. LXXV, 2.

id est, Dei : hoc enim ab ira ex ejus indignatione præcedente factum. Cum enim peccatum sine timore Dei perpetratur, juste datur anima usque in errores et hæreses. Ad Rom. I, 28 : *Propter hoc tradidit illos Deus in reprobum sensum :* ut quilibet sequatur errorem suum. Thren. IV, 16 : *Facies Domini divisit eos, non addet ut respiciat eos.* Luc. XII, 46 : *Dividet eum, partemque ejus cum infidelibus ponet.*

« *Et appropinquavit cor illius.* » Hic secundum, in quo posita malorum punitione in præsenti, subjungitur de utilitate bonorum ex illa proveniente : et tangitur triplex. Prima, Scripturarum apertio. Secunda, eorum mitigatio quæ videbantur crudius dicta in Scripturis, ibi, « *Molliti sunt.* » Tertia, bonorum confirmatio in bono, ibi, « *Et non dabit.* »

Dicit ergo : Dati sunt in sensum reprobum facti hæretici, et per hoc « *appropinquavit,* » id est, innotuit, sicut res quæ propinqua est, « *cor illius,* » voluntas Dei bonis. Deut. XXXIII, 3 : *Qui appropinquant pedibus ejus,* justi scilicet qui Doctoribus se humiliaverunt, *accipient de doctrina ejus.* Jacob. IV, 8 : *Appropinquate Deo, et appropinquabit vobis.* Felices quibus cor Dei appropinquat. Baruch, IV, 4 : *Beati sumus Israel, quia quæ Deo placent, manifesta sunt nobis.*

« *Molliti sunt sermones.* » Hic secundum bonum, in quo tria dicuntur. Primo, mitigatio verborum Scripturæ. Secundo, necessitas mitigandi, ibi, « *Et ipsi sunt.* » Tertio, responsio quæstioni quæ posset fieri, ibi, « *Jacta super Dominum.* »

Dicit ergo : Sic apparet quod Dei bonis, et etiam per exercitium disputationis cum hæreticis, « *molliti sunt,* » molles et suaves ostensi sunt, « *sermones ejus.* » Psal. CXVIII, 103 : *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua !* Sentiunt enim illud Matth. XI, 29 : *Tollite jugum meum super vos, et discite a me, quia mitis sum,* etc. Et illud Matth. XII, 7 : *Si autem sciretis, quid est : Misericordiam volo, et non sacrificium.* Et hoc « *super oleum,* » quod est suave multum : quia sicut mel. Prov. XXV, 16 : *Fili mi, mel invenisti, comede quod sufficit tibi.*

Et nota, quod oleum est clarum, sed clarior sapientia. Sap. VI, 13 : *Clara est, et quæ numquam marcescit sapientia.* Sanativum, similiter et sapientia. Luc. X, 34, Samaritanus infudit sauciati vulneribus vinum et oleum. Cibativum est : sic et scientia Dei : unde panis dicitur, Thren. IV, 4 : *Parvuli petierunt panem.* Conditivum eorum quæ sunt insipida : sic sapientia. Psal. XVI, 4 : *Propter verba labiorum tuorum, ego custodivi vias duras.* Hæc est farinula Elisei, quæ condivit pulmentum [1]. Colores ligat cum subjecto : sic virtutes cum anima tenet sapientia. Psal. XXXVI, 31 : *Lex Dei ejus in corde ipsius, et non supplantabuntur,* etc. Isa. V, 13 : *Propterea captivus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam.* Ardori fomentum præstat : sic sapientia charitati. Psal. CXVIII, 140 : *Ignitum eloquium tuum vehementer.* Vel sic, Psal. CIV, 19 : *Eloquium Domini inflammavit eum.* Illuminat : sic Dei sapientia. Psal. CXVIII, 105 : *Lucerna pedibus meis verbum tuum,* etc. Hoc oleo debent repleri lucernæ super candelabrum positæ (Exod. XXV, 37). Sed caveant ne a bubonibus ebibatur, id est, a dæmonibus de nocte volantibus. Psal. XC, 6 : *A negotio perambulante in tenebris.*

Comparatio sapientiæ cum oleo.

« *Et ipsi,* » sermones, quamvis ita molliti sint, « *sunt* adhuc *jacula,* » pungitiva : unde necesse est illa emolliri. Eccle. XII, 11 : *Verba sapientium sunt quasi stimuli, et quasi clavi in altum defixi.* Ad Hebr. IV, 12 : *Vivus est sermo Dei, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti.* Aliquando enim quod in se lene est, et suave, procul dubio penetrativum est valde.

[1] Cf. IV Reg. IV, 41.

23 « *Jacta super Dominum curam tuam.* » Hic tertium, scilicet responsio ei quod quæri posset : quia non videtur quod mollis sit sermo Dei, sed valde pungitivus. Et respondet, quia jactanti se in Deo datur paulatim lactis nutrimentum, ut hoc sentire possit. Dicit ergo duo. Primo, quærenti respondet quid ei sit faciendum. Secundo, ostendit hujus obedientiæ fructum, ibi, « *Et ipse te enutriet.* »

Dicit ergo : Sic dixi, quod sermones ejus molliti sunt, nec tibi videatur incredibile, quia adhuc rudis es : sed « *jacta super Dominum curam tuam,* » tamquam anchoram quamdam super firmam petram. I ad Corinth. x, 4 : *Petra autem erat Christus.* Augustinus : « Projice te « in Dominum. Non est tam crudelis ut « se subtrahat, et te cadere permittat. » I Pet. v, 7 : *Omnem sollicitudinem projicientes in eum.*

« *Et ipse te enutriet,* » propter hujusmodi confidentiam, ut possis intelligere, et sentire quam nunc sermones ejus molles sunt. Primo, lacte simplicioris doctrinæ, secundum illud I ad Corinth. III, 1 et 2 : *Tamquam parvulis in Christo, lac vobis potum dedi, non escam.* Ad Hebr. v, 12 : *Quibus lacte opus sit, non solido cibo.* Osee, XI, 3 : *Ego quasi nutritius Ephraim.* Postea cibo solidiori, Isa. XXVIII, 9 : *Quem docebit scientiam? et quem intelligere faciet auditum? ablactatos a lacte, avulsos ab uberibus.* Et tunc est magnum festum. Genes. XXI, 8, Abraham fecit magnum festum in ablactatione Isaac.

« *Non dabit.* » Hic tertium, scilicet confirmatio justorum in bono.

Ait enim : Sic voluntas Dei scitur, et scriptura emollitur. Et propter hoc, propter ipsam hæreticorum divisionem, « *non dabit Dominus fluctuationem justo,* » sed stabilitatem. Thren. I, 8 : *Peccatum peccavit Jerusalem, propterea instabilis facta est.* Gen. III, 14, Cain factus est vagus et profugus super terram. Tales fluctuant in mari hujus mundi. Jacob. I, 6 : *Qui autem hæsitat, similis est fluctui maris, qui a vento movetur et circumfertur.* Sed de justo, Prov. x, 25 : *Justus quasi fundamentum sempiternum.* Matth. VII, 24 : Dicam vobis cui similis est, *Assimilabitur viro sapienti, qui ædificavit domum suam supra petram.*

« *Tu vero, Deus, deduces.* » Hic secundum totius tertiæ partis hujus Psalmi. 24
Postquam enim præmisit de pœna in præsenti, subjungit consequenter de pœna eorumdem in futuro. Et tanguntur duo. Primo, pœnæ inevitabilitas, hoc est, æternitas. Secundo, velocitas, ibi, « *Viri sanguinum.* »

Dicit ergo : Sic punientur in præsenti ut præmissum est, Sed quid erit tandem eis? Hoc : « *Tu vero, Deus,* » qui potes, scis, et vis malos punire, « *deduces eos in puteum interitus,* » unde non evaditur, sicut nec de puteo, hoc est, in infernum. Est enim puteus bonus, et hic duplex. Misericordiæ, Beata Virgo. Cant. IV, 15 : *Puteus aquarum viventium, quæ fluunt impetu de Libano.* Vitæ, ipse Christus. Foderunt servi Abraham puteum [1], id est, Judæi, Christum. Psal. XXI, 17 : *Foderunt manus meas,* etc. Et indifferens, pœnalitatis, et miseriæ humanæ. Joan. IV, 6 : *Jesus autem fatigatus ex itinere, sedebat sic super fontem.* Sequitur in eodem, ℣. 11 : *Puteus altus est, neque in quo haurias habes.* Malus, peccati. Psal. LXVIII, 16 : *Neque urgeat super me puteus os suum.* Inferni, ut hic. Apocal. IX, 2 : *Et aperuit puteum abyssi : et ascendit fumus putei.*

« *Viri sanguinum et dolosi.* » Hic secundum, pœnæ propinquitas. Quasi diceret : Sic in puteum deduces, et cito, quia « *viri sanguinum,* » homicidæ animarum

[1] Cf. Genes. XXI, 25 et seq.

et corporum, omnes generaliter peccatores in peccato perseverantes : hujusmodi enim utrumque occidunt. Et dicuntur « *viri sanguinum,* » quia subditi et servi sunt peccato, quod sanguis est. Psal. L, 16 : *Libera me de sanguinibus*, etc. Osee, IV, 2 : *Et sanguis sanguinem tetigit.* « *Et dolosi.* » *Viri sanguinum* dicuntur, qui ad libitum peccant : et aperte « *dolosi,* » qui se justos simulant. Job, XXXVI, 13 : *Simulatores et callidi provocant iram Dei.*

« *Non dimidiabunt dies suos,* » sed cito morientur. Proverb. X, 27 : *Timor Domini apponet dies, et anni impiorum breviabuntur.* Sapient. IV, 3 : *Spuria vitulamina non dabunt radices altas, nec stabile fundamentum collaudabunt.* Sed contra Eccle. VII, 16 : *Justus perit in justitia sua, et impius multo vivit tempore.* Sed responsio est, quod non dimidiat impius de diebus, quos existimat, et promittit sibi, sicut ille qui dicebat, Luc. XII, 19 et 20 : *Anima, habes multa bona reposita in annos plurimos*, etc. Et post : *Stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te*, etc. Isa. XXXVIII, 10 : *Ego dixi : Indimidio dierum meorum, vadam*, etc.

« *Ego autem, o Domine,* » me similis fiam illis, « *sperabo in te,* » non in alio homine. Jerem. XVII, 5 : *Maledictus homo qui confidit in homine.* Non in divitiis. Prov. XI, 28 : *Qui confidit in divitiis suis corruet.* Sed « *in te,* » in quem qui sperat, beatus est. Jerem. XVII, 7 : *Beatus vir qui sperat in Domino, et erit Dominus fiducia ejus.* Amen.

PSALMUS LV.

Promissionibus Dei fretus invocat pro adversariorum exitio.

1. *In finem, Pro populo qui a sanctis longe factus est, David in tituli inscriptionem, cum tenuerunt eum Allophyli in Geth* (I Reg. XXI, 12).
2. Miserere mei, Deus, quoniam conculcavit me homo : tota die impugnans, tribulavit me.
3. Conculcaverunt me inimici mei tota die : quoniam multi bellantes adversum me.
4. Ab altitudine diei timebo : ego vero in te sperabo.
5. In Deo laudabo sermones meos : in Deo speravi : non timebo quid faciat mihi caro.
6. Tota die verba mea exsecrabantur : adversum me omnes cogitationes eorum in malum.
7. Inhabitabunt, et abscondent : ipsi calcaneum meum observabunt.
Sicut sustinuerunt animam meam,
8. Pro nihilo salvos facies illos : in ira populos confringes.
Deus,
9. Vitam meam annuntiavi tibi : posuisti lacrymas meas in conspectu tuo,
Sicut et in promissione tua :
10. Tunc convertentur inimici mei retrorsum :
In quacumque die invocavero te, ecce cognovi quoniam Deus meus es.
11. In Deo laudabo verbum : in Domino laudabo sermonem. In Deo speravi : non timebo quid faciat mihi homo.
12. In me sunt, Deus, vota tua, quæ reddam, laudationes tibi :
13. Quoniam eripuisti animam meam de morte, et pedes meos de lapsu, ut placeam coram Deo in lumine viventium.

IN PSALMUM LV

COMMENTARIUS.

1 *In finem.*
Pro populo qui a sanctis longe factus est, David in tituli inscriptionem, cum tenuerunt eum Allophyli in Geth[1].

Argumentum Psalmi: Oratio Christi vel Ecclesiæ pro sua et inimicorum salute ut monstrat titulus.

« *Miserere mei, Deus.* » Hic est Psalmus in secunda parte quintus. Postquam enim in Psalmo præcedenti orans pro seipso Christus, vel Ecclesia, et etiam inimicis multa mala imprecati sunt : ne videretur fuisse imprecatio ex malitia, vel contra omnes inimicos generaliter facta, subjungitur consequenter in hoc Psalmo oratio capitis Christi, vel corporis, Ecclesiæ scilicet, pro sua liberatione a malis, et inimicorum salute : ut sic aperte relinquatur, quod in præcedenti imprecatum sit obstinatis : et non ex malitia, sed ut divinæ justitiæ, voluntas Christi vel Ecclesiæ conformis ostendatur.

Quod autem non tantum hic oret Christus vel Ecclesia pro se, satis apparet in titulo qui talis est : « *In finem, pro populo, qui a sanctis longe factus est, David in tituli inscriptionem, cum tenuerunt eum Allophyli in Geth.* Nota ergo ad intelligentiam hujus tituli quod habetur in Evangelio Joannis, XIX, 21, quod proposito titulo inscripto super caput crucifixi Christi, Judæi clamaverunt Pilato, quod non scriberet *Jesus Nazarenus Rex Judæorum*, sed quia dicit se Regem[2] : quod noluit Pilatus, implens illud tituli Psal. XV, 1 : *Tituli inscriptio ipsi David.* Ne ergo corrumpas tituli inscriptionem. Pro qua petitione nunc populus Judæorum longe a sanctis Prophetis, et Patribus factus est, qui Christum futurum Regem prædicebant. Genes. XLIX, 10, dicebat Jacob : *Non auferetur sceptrum de Juda, et dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est.* In quo regia dignitas est consummanda. Et Isa. XXXIII, 22 : *Dominus judex noster, Dominus legifer noster, Dominus rex noster : ipse salvabit nos.* Et Jerem. XXIII, 5 : *Suscitabo David germen justum, et regnabit Rex, et sapiens erit.* Et Zachar. IX, 9 : *Rex tuus veniet*, etc. Hoc autem factum est ut tituli inscriptionem negarent, cum Gentiles Christum tenerent cruci affixum,

[1] I Reg. XXI, 12.

Ce miktham porte en titre : *hal ionath elem rechoqim*, « sur la colombe du muet des (pays) éloignés », ou « sur la colombe muette des pays éloignés : » Aq. : ὑπὲρ περιστερᾶς ἀλάλου μακρυσμῶν. Au lieu de אלם, *elem*, muet, les Septante et Syr. lisent לאם, *leom*, « pro populo », et encore probablement מאל, *meel* « a Deo, a sanctis. » D'autres *elim*, térébinthes : sur la colombe des térébinthes. Les anciens se sont appliqués à chercher à ce titre un sens allégorique : David serait cette colombe muette et résignée au milieu des étrangers. Il est à peu près certain que ces mots, comme ceux que nous avons déjà rencontrés en tête de certains psaumes, sont le début d'un air connu sur lequel ce chant devait s'adapter.

Les circonstances dans lesquelles il fut composé sont clairement indiquées. David avait cherché un refuge dans Geth, lorsque les Philistins avertis de sa présence et l'ayant en leur pouvoir (אחוז, *achouz*) eurent l'idée de se venger de leurs défaites précédentes. David dut contrefaire le fou pour leur échapper. I Reg., XXI, 10-15. Il se plaint ici de tous les ennemis qui le pressent, tant étrangers que concitoyens, et dans un style qui trahit l'agitation et la crainte de son âme, il se tourne plein de confiance vers son protecteur ordinaire, Jéhova.

Comme dans les autres psaumes dont le sujet est analogue, David représente encore le Messie persécuté par les Juifs, et le chrétien en butte aux attaques des ennemis du salut.

H. LESÊTRE.

[2] Joan. XIX, 21 : *Dicebant ergo Pilato Pontifices Judæorum : Noli scribere, Rex Judæorum : sed quia ipse dixit : Rex sum Judæorum.*

tamquam in torculari, de quo sanguis ipsius emanabat. Isa. LXIII, 2 et 3 : *Quare ergo rubrum est indumentum tuum?* Respondet: *Torcular calcavi solus.* Verum est dum in eo calcareris : sic enim calcatur Christus in torculari crucis : utinam amplius non calcetur in eo quantum in se est. Sed calcatur in membris suis, usque ad diem extremum quando jam plene erit, et in membris, et in capite ab hoc torculari liberatus, secundum illud Isa. XVI, 10 : *Vinum in torculari non calcabit, qui calcare consueverat.*

Sensus ergo tituli est hic : « *In finem,* » nos dirigens, scilicet Christum, vel « *in finem* » charitatis, ut diligamus inimicos, et oremus pro ipsis : et est charitas consummata. Psal. CXVIII, 96 : *Omnis consummationis vidi finem, latum mandatum,* etc. Editus est « *pro populo* » convertendo ad bonum, vel contra populum dono suo, « *qui a sanctis,* » Patribus et Prophetis omnibus Christo obedientibus, « *longe factus est, in tituli inscriptionem* » factam « *ipsi David,* » Christo secundum regulam superius datam : quia ubi *ipsi* additur ad David, Christum intelligere debemus : quam Scripturam nitebantur Judæi delere : et ob hoc « *a sanctis longe* » erant. Dan. IX, 26 : *Non erit populus ejus, qui eum negaturus est.* Usque huc totum quod dicitur in titulo, de Evangelio sumitur Joan. XIX, 19. Quæ inscriptio facta est, et delectionis petitio, « *cum Allophyli,* » id est, Gentiles, « *tenuerunt eum,* » id est, Christum, « *in Geth,* » id est, in torculari, id est, in cruce. Geth enim *torcular* interpretatur, et tangit historiam, quæ tangitur I Reg. XXI, 12, quando David fugit in Geth Palæstinorum : non tamen ibi detentus legitur, sed magis ad sensum spiritualem referendum.

Dividitur autem Psalmus in tres partes. Primo, Christus vel Ecclesia præmittit orationem pro liberatione, ostendens se certa spe roborari. Secundo ostenditur, qualiter per patientiam et orationem inimicos ad bonum convertit, ibi, « *Tota die verba mea.* » Tertio, tamquam completa liberatione sua a malis, vel hic, vel in futuro, laudem præmittit, ibi, « *In me Deus sunt vota tua.* »

In prima tria. Primo, oratio ut liberetur. Secundo, quæ patitur, ut ab iis liberari petat, ibi, *Quoniam conculcavit me.* »

Et in hoc secundo, ostendit primo quæ patitur, et quæ sunt ex parte afflictionis. Secundo, ex parte affligentis, ibi, « *Conculcaverunt me.* »

Ex parte afflictionis sunt duo, vilitas conculcationis, et continuitas, ibi, « *Tota die impugnans tribulavit me.* »

Dicit ergo : Sic misericordiam petis, 2
sed cum misericordia respiciat miseriam, Prima pars Psalmi.
quid mali pateris? Multum. « *Quoniam homo* » longe factus a sanctis, vel Allophylus Gentilis, vel diabolus qui homo dicitur. Matth. XIII, 28 : *Inimicus homo hoc fecit.* « *Conculcavit me,* » pedibus superbiæ suæ quasi me comprimendo. Propter quod alibi oratur : *Non veniat mihi pes superbiæ*[1]. Conculcavit Christum, et sanctos quotidie conculcat, sicut uvas in torculari tribulationum. Osee. IX, 10 : *Quasi uvas in deserto, inveni Israel.* Et eliquatur vinum boni exempli, ad quod bibendum invitamur. Cant. V, 1 : *Bibite, et inebriamini charissimi.* Conculcat sicut fullo vestes, ut candidiores reddat. Matth. XVII, 2 : *Facta sunt vestimenta ejus alba sicut nix,* qualia fullo non potest facere super terram. Cesset ergo clamor Habacuc, I, 13 : *Quare non respicis super iniqua agentes, et taces, impio conculcante justiorem se?* Quia hinc vinum eliquatur, hinc pulchriores efficiuntur. Sed peccatores conculcat in luto peccati. Primo quidem eos invadit per suggestionem mali. Secundo, arripit per delectationem. Tertio, innectit fortiter per con-

[1] Psal. XXXV, 12.

sensum. Quarto, dejicit per actum. Dan. vii, 7 : *Comedens atque comminuens, et reliqua pedibus suis conculcans.* Comedit atque comminuit quos ad infernum trahit, sed conculcat quos in peccatis involvit. Nec hoc ad tempus, imo « *tota die impugnans tribulavit me,* » homo malus et diabolus. Job, xxx, 17 : *Qui me comedunt, non dormiunt.* Gregorius : « Assiduis tentationibus pulsat, ut saltem « tædio vincat. » Sic bonis. Sed et malos continue conculcat. Jer. xvi, 13 : *Servietis* ibi *diis alienis die ac nocte, qui non dabunt vobis requiem.*

3 « *Conculcaverunt me.* » Hic tangit quæ sunt ex parte tribulationem inferentis. Et sunt perversitas, quia sola malitia conculcant : et multiplicitas, quia non unus tantum, sed multi.

Dicit ergo : Sic conculcor, et incessanter, et etiam inimici mei, non meo merito, sed quia inimici mei tantum, « *conculcaverunt me.* » Augustinus : « Uva « conculcatur, premitur a diabolo. Sed « hæc uva sterilis non est. » Item, idem Augustinus : « Plane conculcavit, sed « quid erit ? Uva eram, vinum ero. » Inimici etiam quibus Deus multa bona contulit, et sola malitia persequuntur, et conculcant, sunt prælati et pastores mali, qui pauperes opprimunt et affligunt. Jerem. xii, 10 : *Pastores multi demoliti sunt vineam meam, conculcaverunt partem meam.* « *Quoniam multi.* » Quasi diceret : Miserere, et necesse est, quia non solum perversitas in persequentibus, imo « *quoniam multi bellantes adversum me.* » Infra, in Psal. lxviii, 5 : *Multiplicati sunt super capillos capitis mei qui oderunt me gratis.* Eccle. i, 15 : *Stultorum infinitus est numerus.*

4 « *Ab altitudine diei.* » Hic tertium, in quo præmissa oratione, et orandi necessitate, subjungitur persuasio ut exaudiatur, et sunt tria per quæ persuadet. Primo, quia in alterum spem non posuit. Secundo, quia ad ipsum solum refert, quidquid habet boni, ibi, « *In Deo laudabo sermonem.* » Tertio, quia sperans in Deo omnem afflictionem despicit, ibi, « *In Deo speravi.* »

In prima duo. Primo, quod non timebit humanam altitudinem. Secundo, quod in Domino habebit spem, ibi, « *Ego vero.* »

Ait ergo : Sic rogo hac necessitate compulsus, et exaudire debes, quia « *ego timebo ab altitudine,* » non æternitatis, sed diei qui cito transit. Quasi diceret : Altitudo humana est altitudo diei, propter brevitatem. Eccli. x, 11 et 12 : *Omnis potentatus brevis vita.* Et infra : *Rex hodie est, et cras morietur.* Et propter apparentiam exteriorem et gloriam. Jerem. xvii, 16 : *Diem hominis non desideravi : tu scis.* Job, iii, 3 : *Pereat dies in qua natus sum.* Propter prosperitatem quæ in ea est, etiam dies dicitur in Psal. cxx, 6 : *Per diem sol non uret te, neque luna per noctem.* Ego vero quantumcumque timeant alii hanc altitudinem, « *in te sperabo,* » quia spes reddit fortiorem. Isa. xl, 31 : *Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem.* Ad Hebr. vi, 18 et 19 : *Ut... fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem : quam sicut anchoram habemus animæ tutam et firmam.* Item, quia facies sentire tuam dulcedinem. Thren. iii, 25 : *Bonus est Dominus sperantibus in eum, animæ quærenti illum.* Item, quia jam præbes mihi beatitudinem. Prov. xvi, 20 : *Qui sperat in Domino, beatus est.* Hanc litteram non mutato sensu, sed ordinatione modica, legit aliter Glossa sic : « Quoniam multi bellantes adversum me « sunt, timebo ego ab altitudine diei ? « non vere, sed, in te sperabo ego. » Aliam litteram ponit Augustinus in Glossa, et legit ipsam multipliciter, et plana est lectura intuenti Glossas.

Altitudo diei est felicitas temporalis.

5 « *In Deo laudabo sermones meos.* » Hic secundum, in quo promittit se omnia in Christum relaturum. Quasi diceret : Sic sperabo, et etiam sermones meos, a me scilicet prolatos, et qui maxime videntur esse : « *Laudabo,* » non in suo nitore et decore, « *sed in Deo.* » Eccli. iv, 28: *Non abscondas sapientiam tuam in decore suo.* Vult enim Deus sermones impolitos, non ex decore ornatos. Exod. xx, 25 : *Si altare lapideum feceris mihi,* eloquium ex Scripturæ sententiis collectum, *non ædificabis illud de sectis lapidibus,* non in sublimitate auditoribus incomparabili : magis enim diligit Deus ruditatem. Isa. ii, 4 : *Conflabunt gladios suos in vomeres, et lanceas suas in falces.* Et recte si laudantur sermones, in eo sunt laudandi, et opera, et cogitationes. II ad Corinth. iv, 7 : *Quid habes quod non accepisti ?* II ad Corinth. iii, 5 : *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis : sed sufficientia nostra ex Deo est.* Sap. vii, 16 : *In manu illius sumus, et nos, et sermones nostri.*

« *In Deo speravi.* » Hic tertium, scilicet quod contemnit omnia illata ab homine : et dicuntur duo. Primo, causam contemptus tangit. Secundo, ipsum contemptum subjungit, ibi, « *Non timebo.* »

Dicit enim : Sic in Deo solo sperabo, ad ipsum referam omne. Et ex quo « *in Deo speravi, non timebo quid faciat mihi caro,* » homo scilicet vilis et fragilis, et cito sicut caro transiens. Isa. xl, 6 : *Omnis caro fœnum, et omnis gloria ejus quasi flos agri.* Et ob hoc non timenda a sperante in Domino. Isa. li, 12 : *Quis tu ut timeres ab homine mortali, et a filio hominis, qui quasi fœnum ita arescet ?* Ecce caro. I Mach. ii, 62 et 63 : *A verbis viri peccatoris ne timueritis : quia gloria ejus stercus, et vermis est : hodie extollitur, et cras non invenietur.*

« *Tota die verba.* » Hic est secunda pars Psalmi, in qua ostendit conversionem inimicorum per patientiam et orationem suam. Unde tria dicuntur. Primo, ostensio patientiæ per memorationem illorum quæ sustinuit ab inimicis. Secundo, inimicorum salus gratissima sine aliquo ipsorum merito, ibi, « *Pro nihilo salvos.* » Tertio, lacrymosa oratio et fructuosa pro ipsis convertendis et salvandis, ibi, « *Deus viam meam.* » 6

Secunda pars Psalmi.

In prima duo, secundum duo mala quæ inferunt. Primo, detestatio doctrinæ suæ. Secundo, contra ipsum machinatio, ibi, « *Adversum me omnes cogitabant.* »

Dicit ergo : Sic non timebo quid caro faciat. Sed facitne contra te aliquid ? Ita, quia « *verba mea,* » et ad bonum informantia, « *exsecrabantur* » tamquam mala, « *tota die :* » et hoc « *adversum me* » stando. Amos, v, 10 : *Odio habuerunt corripientem in porta : et loquentem perfecte abominati sunt.* Gregorius : « Mens mala prædicationem sustinere « non valet, quia tacta in vulnere dolet. » Eccli. i, 32 : *Exsecratio peccatori, cultura Dei.*

» *Adversum me.* » Hic machinatio, et tanguntur tria. Machinatio, et modus, ibi, « *Inhabitabunt.* » Tertio, finis, ibi, *Ipsi calcaneum meum observabunt.* »

Dicit ergo : Sic doctrinam detestabantur, et etiam « *omnes cogitationes eorum,* » non una tantum, « *in malum* » tendentes (sic nulla bona est) « *sunt adversum me,* » ut quasi assertio insit. Jerem. xviii, 23 : *Tu scis omne consilium eorum.* Matth. ix, 4 : *Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris ?* Jerem. iv, 14 : *Usquequo morabuntur in te cogitationes noxiæ ?* Isa. i, 16 : *Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis.*

« *Inhabitabunt et abscondent.* » Hic secundum. Quasi diceret : Sic cogitabunt malum : sed numquid statim manifestabunt ? Imo, « *inhabitabunt,* » id est intus 7

habitabunt cum bonis. Vel « incolent, » alia littera, et sic malitiam suam cum bonis abscondent : et incolatus facit credere quod sint boni, et sub hoc latent mala. Ezech. II, 6 : *Fili hominis... subversores sunt tecum, et cum scorpionibus habitas.* Sed non potest eorum corda in hac peregrinationis vita cognoscere. Augustinus : « Omne cor omni cordi clausum « est. » Jerem. XVII, 9 : *Pravum est cor omnium, et inscrutabile, quis cognoscet illud ?* Tales sunt subdoli, qui inter bonos latent, et explorant facta eorum contra eos machinando, sicut illi de quibus Apostolus ad Galat. II, 4 : *Propter subintroductos falsos fratres, qui subintroierunt explorare libertatem nostram.*

« *Ipsi calcaneum meum.* » Hic tertium, finis machinationis occultæ, scilicet ut fini insidientur : et tangitur primo. Secundo, causa seu ratio finis illius secundum nostram litteram, ibi, « *Sicut sustinuerunt.* »

Dicit ergo : Sic abscondent, et hic finis. « *Ipsi observabunt calcaneum meum,* » id est, sicut qui vult dejicere pedem, observat et calcaneum : sic ipsi omnia verba, si possint in eis aliquid calumniari. Sic Matth. XXII, 15, Pharisæi miserunt, quasi aucupes suos, *ut Jesum caperent in sermone.* Jerem. V, 26 : *Inventi sunt in populo meo impii insidiantes quasi aucupes, laqueos ponentes et pedicas ad capiendos viros.* Calcaneum etiam finis vitæ, cui inimici spirituales insidiantur. Gen. III, 15 : *Et tu insidiaberis calcaneo ejus.* Et hoc primo, quia vult auferre quod homo in hac vita magis desiderat, scilicet finem bonum. Num. XXIII, 10 : *Moriatur anima mea morte justorum.* Secundo, quia in tuto est, si tunc evadit. Psal. CXXIII, 7 : *Laqueus contritus est, et nos liberati sumus.* Eccle. XI, 3 : *Si ceciderit lignum ad Austrum,... ibi erit.* Tertio, quia tunc potestas ejus in hominem, finem accipit. Apocalyps. XII, 12 : *Descendit ad vos diabolus, habens iram magnam, sciens quod modicum tempus habet.* Statius : « Non parcit populis regnum breve. » Quarto, quia tunc Deus magis ad pœnitentiam excitat, et propter hoc ipse magis ad oppositum. Psal. LXXXII, 17 : *Imple facies eorum ignominia,* quod maxime fit in die mortis, *et quærent nomen tuum, Domine.*

Quare dæmon acrius in fine vitæ nos impetit?

Sicut sustinuerunt. Hic secundum, ratio insidiandi : quia gravis est eis. Ait enim sic : Calcaneum meum observaverunt sicut illi : quia « *sustinuerunt animam meam,* » id est, vitam meam habuerunt tamquam grave pondus : vita enim justorum gravis est malis hominibus. Sap. II, 15 : *Gravis est nobis etiam ad videndum.* Eccli. XIII, 2 : *Pondus super se tollet, qui honestiori se communicat.*

Alia littera habet : « Sicut sustinuit anima : » et legitur tunc cum littera sequenti sicut statim dicetur.

« *Pro nihilo salvos.* » Hic secundum 8
totius hujus partis. Ostensa enim patientia per ea quæ sustinuit, subjungitur salvatio populi, qui illa mala intulit : et tangitur modus, ibi, « *Pro nihilo.* » Vel « *sicut sustinuerunt,* » sic « *salvos facies,* » et per quid ? « *In ira populos.* »

Dicit ergo : Hæc mihi fecerunt, « *et tu salvos facies illos :* » et hoc « *pro nihilo,* » sine gravamine tuo, et difficultate. Genes. XVIII, 14 : *Numquid Deo quidquam est difficile ?* Jerem. XXXII, 27 : *Numquid erit difficile mihi omne verbum ?*

Vel sic : Sicut sustinuit anima mea impugnationes illorum, « *pro nihilo,* » id est, sine meritis meis : ita « *salvos facies illos pro nihilo,* » sine merito illorum. Isa. LII, 3 : *Gratis venumdati estis, et sine argento redimemini.* Ad Tit. III, 5 : *Non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos, sed secundum misericordiam suam salvos nos fecit.* Sed per quid ? « *In ira populos confringes :* » « *in ira,* » inquam, correptionis filiorum, non con-

sumptionis inimicorum. Prima est de qua Habacuc, III, 2 : *Cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis.* Bernardus : « Utinam modo irascaris, bone Jesu, « quia cum iratus fueris, misericordiæ « recordaberis. » Augustinus : « Irasce- « ris, et deducis : sævis, et salvas : ter- « res, et vocas. » « Item, idem » Augustinus : « Iratus pater filio, colaphizat, « cædit, aurem evellit, manu trahit, et ad « scholam ducit. Item, idem : Quare multi « ingressi sunt ? Quam multi implebunt « domum Domini in ira ejus deducti ! « Sed de aliis, *Tamquam vas figuli con-* « *fringes eos.*[1] » Matth. XXI, 44 : *Quis ceciderit super lapidem istum, confringetur : super quem vero ceciderit conteret eum.*

Diversæ lacrymarum species.

de quibus in Psal. VI, 7 : *Lacrymis meis stratum meum rigabo.* Conquestionis, Eccli. XXXV, 18 : *Nonne lacrymæ viduæ ad maxillam descendunt, et exclamatio ejus super deducentem eas ?* Devotionis, Psal. LXXIX, 6 : *Potum dabo vobis in lacrymis in mensura.* Dilationis patriæ cœlestis, Tob. III, 6, Tobias cum lacrymis dixit : *Præcipe in pace recipi spiritum meum.* Congratulationis, Tob. XI, 11 : *Cœperunt ambo flere præ gaudio.* Compassionis pro ipsis inimicis, de quibus hic. Job, XXX, 25 : *Flebam quondam super eo qui afflictus erat.* Luc. XIX, 41 : *Videns civitatem* Jerusalem, *flevit super illam.* Hæ sunt sex hydriæ positæ ad Judæorum purificationem[2].

9 « *Deus, vitam meam.* » Hic tertium, in quo subjungitur fructuosa oratio pro inimicis convertendis : et dicuntur duo. Primo, exauditio pro inimicis. Secundo, certitudo, quod semper sit exaudiendus sive in his, sive in aliis, ibi, « *In quacumque die invocavero te.* »

In prima tria. Primo confessio, quæ necessaria est omni qui vult exaudiri. Secundo, lacrymarum accepta effusio pro inimicis, ibi, « *Posuisti.* » Tertio, inimicorum reductio ad bonum, merito illarum lacrymarum, ibi, « *Sic et in promissione tua.* »

Dicit ergo : Sic salvos facies populos, ad bonum eos confringendo : et hoc quia, o « *Deus, vitam meam* » duplicem, « *annuntiavi tibi,* » gratias pro eis referendo, quia primam mihi tu dedisti : secundam mihi morte tua meruisti. II ad Corinth. V, 15 : *Pro omnibus mortuus est, Christus : ut, et qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei,* scilicet Deo, *qui pro ipsis mortuus est.* Et post hoc etiam « *posuisti lacrymas meas,* » pro convertendis inimicis factas, « *in conspectu tuo,* » ipsas acceptando, quia sunt optimæ. Sunt enim lacrymæ contritionis de peccatis,

« *Sicut et in promissione.* » Hic conversio inimicorum. Posset tamen legi hoc, « *Sicut et in promissione,* » cum antecedentibus, sub hoc sensu : Lacrymas meas posuisti in conspectu tuo, « *sicut et in promissione tua,* » id est, sicut promiseras exauditurum te me flentem, et omnem alium. Isa. XXXVIII, 3 et seq, ad lacrymas Ezechiæ Regis revocavit eum statim ad vitam, et quindenos annos superaddidit : ℣. 5 : *Audivi orationem tuam, et vidi lacrymas tuas.* Propter hoc dicitur, Judith, VIII, 14 : *Indulgentiam ejus fusis lacrymis postulemus.* Vel sic : Ita lacrymas suscepisti, et tunc verissime, quia a te gratiam infundente, « *convertentur inimici mei retrorsum :* » ad te ab idolis, ad veritatem a falsitate quam habebant antea. « *Retrorsum.* » Jerem. VII, 24 : *Facti sunt retrorsum.* Zachar. VII, 11 : *Averterunt scapulam recedentem.* Et hoc, « *sicut et in promissione tua* » fixum est, qua dixisti Abrahæ, Genes. XXII, 18 : *Benedicentur in semine tuo omnes gentes.* Vel in illa promissione tua, qua dixisti per Ezech. XVIII, 21 et 22 : *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis,... omnium* 10

[1] Psal. II, 9.

[2] Joan. II, 6.

iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor.

« *In quacumque die.* » Hic secundum, in quo subjungitur certitudo, quod semper exaudietur : et tanguntur duo. Primo, certitudo quod semper exaudietur, et velociter. Secundo, conversio sui in Deum ex toto, ex quo sic est corde, ibi, « *In Deo laudabo.* »

Dicit ergo : Sic exaudisti pro inimicis orantem, quod sciebam, quia « *in quacumque die invocavero te,* » die, inquam, materiali, vel spirituali, qui est illuminatio gratiæ, « *ecce* » statim et in continenti, « *cognovi,* » cognitione experimentali, « *quoniam Deus meus es,* » mihi præstando quod postulo, vel æque bonum pro illo. Joan. XVI, 24 : *Petite, et accipietis.* Intus, inquam, in corde, quia non tantum audis petitionem oris, sed cordis. Isa. LXV, 24 : *Eritque antequam clament,* ore, *ego exaudiam* : imo ante. Psal. X, 7 : *Præparationem cordis eorum audivit auris tua.*

11

« *In Deo laudabo verbum.* » Hic secundum, in quo subjungit conversionem sui in Deum propter hoc beneficium : et dicuntur duo. Primo, præmittit laudem, quæ respicit quasi ad cognitivam. Secundo, securitatem, et stabilitatem, quæ respicit ad motivam, ibi, « *In Deo speravi.* »

Sperandum in Deo.

Ait enim : Sic me exaudis semper, et velociter, et propter hoc, « *in Deo laudabo,* », id est, laudabile faciam « *verbum* » doctrinæ eorum quæ pertinent ad Deum. « *In Domino laudabo,* » id est, laudabilem faciam « *sermonem* » eorum quæ spectant ad proximum. Quasi diceret : Convertam me ut in prædicando et docendo quæram honorem Dei, et utilitatem proximi. De primo, I ad Corinth. X, 31 : *Omnia in gloriam Dei facite.* In Psal. XXI, 23 : *Narrabo nomen tuum fratribus meis : in medio Ecclesiæ,* etc. De secundo, ad Ephes. IV, 29 : *Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat : sed si quis bonus ad ædificationem fidei, ut det gratiam audientibus.* Vel verbum potest referri ad orationem, sermo ad prædicationem.

« *In Deo speravi.* » Hic secundum, quo promittit securitatem, et tangit primo, causam securitatis, scilicet spem. Secundo, supponit ipsam, ibi, « *Non timebo.* »

Ait enim : Sic laudabo, et etiam « *in Deo* jam *speravi.* » Et bene : quia dives est, Prov. III, 16 : *Longitudo dierum in dextera ejus, et in sinistra illius divitiæ, et gloria.* Et largus, Esth. II, 18 : *Dona largitus est juxta magnificentiam principalem.* Matth. VI, 33 : *Quærite primum regnum Dei, et hæc omnia,* etc. Quia verba bona dat quæ reficiunt, non quæ deficiunt. Matth. XI, 28 : *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.* Eccli. XXIV, 26 : *A generationibus meis implemini.* Data conservat, Job, I, 12, Nihil potuit tangere satan eorum quæ erant Job absque Dei permissione. Dat velociter, Luc. XXIII, 43 : *Hodie mecum eris in paradiso.* Prov. III, 28 : *Ne dicas amico tuo : Vade et revertere : cras dabo tibi : cum statim possis dare.* Et liberaliter, hoc, est, sine improperatione, Jacob. I, 5 : *Dat omnibus affluenter, et non improperat.* Et propter hoc quia speravi, « *non timebo quid faciat mihi homo,* » quilibet scilicet impius, qui homo dicitur sicut supra dictum est a principio Psalmi. Ad Roman. VIII, 31 : *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* Job, XVII, 3 : *Libera me, Domine, et pone me juxta te, et cujusvis manus pugnet contra me.* Sed hæc parum si non times : imo magis ipse timebit te. Gregorius in *Dialogis* : « Plerumque ex « divina bonitate agitur, ut non solum « diabolus non timeatur, sed etiam bene « viventium virtute terreatur. » Cant. VI, 3 : *Terribilis ut castrorum acies ordinata.*

12 Tertia pars Psalmi. « *In me sunt, Deus.* » Hic tertia pars Psalmi, in qua promittitur in futuro laus, et gratiarum actio pro liberatione plenissima, quamvis possint legi quæ dicuntur hic etiam de præsenti : et dicuntur duo. Primo, promittit se promptissime laudaturum in gloria. Secundo, subjungit rationem promptæ laudis in illa, ibi, « *Quoniam eripuisti.* »

Dicit ergo : Sic hic securus ero, nec timebo : et o tu « *Deus, in me sunt,* » non ex me, « *vota tua,* » ea quæ desideras et requiris, scilicet voluntas bona et fervens sanctis desideriis. Plus enim considerat Deus affectum quam censum. Marc. XII, 43, de vidua quæ plus omnibus misit in gazophylacium, cum tamen non misisset nisi minuta duo. Prov. XVI, 2 : *Spirituum,* voluntatum scilicet *ponderator est Dominus.* Sic justus implet legem. Exod. XXIII, 15 : *Non apparebis in conspectu meo vacuus* : semper enim bona voluntate plenus est, quod Deo sufficit, dum aliud non possit. Poeta,

Hoc ego contentos auguror esse deos.

Et Gregorius : « Numquam est vacua « manus a munere, dum arca cordis ple- « na est bona voluntate. » Vota, inquam, « *laudationes.* » Vel secundum aliam litteram, « Laudationis. » Supra, in Psal. XLIX, 23 : *Sacrificium laudis honorificabit me.*

« *Quæ reddam tibi,* » in æternitate plene et perfecte. Augustinus *de Civitate Dei* : « Vacabimus et videbimus, vide- « bimus et amabimus, amabimus et laudabimus. » Vel hic etiam in præsenti. Psal. CIII, 33 : *Cantabo Domino in vita mea : psallam Deo meo quamdiu sum.*

13 « *Quoniam eripuisti.* » Hic secundum, ratio promptæ laudis in futuro : et tangitur duplex. Plena a malo ereptio, et consummata in bono perfectio, ibi, « *Ut placeam coram Deo.* » Ereptio autem tangitur a duplici malo. Pœnæ primo, et culpæ secundo, ibi, « *Et pedes meos.* »

Dicit ergo, ut primo legatur de præsenti, sicut legit Glossa, sic : Reddam laudationes, et hoc justum, « *quoniam eripuisti,* » tua potestate, « *animam meam de morte,* » culpæ scilicet de qua Apostolus ad Eph. V, 14 : *Surge qui dormis, et exsurge a mortuis.* « *Et pedes meos a lapsu,* » affectus a pronitate ruendi in peccatum. Alibi, in Psal. CXIV, 8, idem. Et ita eripuisti, ut placeam coram Domino, coram teipso. Ego dico, « *in lumine viventium,* » scilicet superna dilectione, in qua sunt qui vivunt vita gratiæ, tamquam in luce. I Joan. II, 10 : *Qui diligit fratrem suum, in lumine manet.* Sed quomodo hoc dicit, cum sicut dicit Glossa, « Nemo hoc de se scire possit, quod « sit ereptus, quod sit in lumine posi- « tus. » Eccle. IX, 1 : *Nescit homo utrum « amore an odio dignus sit.* » Resp. Hoc dicit quadam certitudine, non scientiæ. Vel sic de futuro, ut dictum est : Sic reddam in futuro, quoniam tunc dicere potero : Eripuisti me de morte æterna, et etiam de omni mortalitate, et corruptione.

Alia littera addit : « Oculos meos a lacrymis », id est, a causis lacrymarum, præsentibus scilicet miseriis. Apocal. VII, 17, et Isa. XXV, 8 : *Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis sanctorum,* quando impletum erit illud Apostoli in I ad Corinth. XV, 53 : *Oportet mortale hoc induere immortalitatem.* « *Pedes meos,* » affectus scilicet intimos, quibus itur ad te, « *a lapsu,* » a pronitate, et omni inclinatione ad culpam : ut jam non oporteat timere de inquinatione pedum, sicut illa timebat quæ dicebat, Cant. V, 3 : *Lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos?* Et sic eripuisti a pœna et a culpa : « *Ut placeam coram Domino,* » perfectus in omni bono. Jerem. XVIII, 4 : *Fecit illud vas alterum, sicut placuerat in oculis ejus ut faceret.* Ego dixi, « *in lumine viventium,* » in cœlo empyreo, quæ regio lucis est, et viventium vita æterna. Vel, lumen viventium ipse

Deus qui omnes vivificat. Psal. xxxv, 10 : *In lumine tuo videbimus lumen*, ad quod nos perducat Jesus qui vivit in sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS LVI.

De inimicis victoriam rogat : Dei misericordiam et veritatem exaltat.

1. *In finem, Ne disperdas, David in tituli inscriptionem, cum fugeret a facie Saul in speluncam* (II Reg. xxii, 1, *et* xxiv, 4).
2. Miserere mei, Deus miserere mei, quoniam in te confidit anima mea.
   Et in umbra alarum tuarum sperabo, donec transeat iniquitas.
3. Clamabo ad Deum altissimum, Deum qui benefecit mihi.
4. Misit de cœlo, et liberavit me : dedit in opprobrium conculcantes me.
   Misit Deus misericordiam suam et veritatem suam,
5. Et eripuit animam meam de medio catulorum leonum : dormivi conturbatus.
   Filii hominum dentes eorum arma et sagittæ, et lingua eorum gladius acutus.
6. Exaltare super cœlos, Deus, et in omnem terram gloria tua.
7. Laqueum paraverunt pedibus meis, et incurvaverunt animam meam.
   Foderunt ante faciem meam foveam, et inciderunt in eam.
8. Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum : cantabo, et psalmum dicam.
9. Exsurge, gloria mea : exsurge, psalterium et cithara : exsurgam diluculo.
10. Confitebor tibi in populis, Domine : et psalmum dicam tibi in gentibus :
11. Quoniam magnificata est usque ad cœlos misericordia tua, et usque ad nubes veritas tua.
12. Exaltare super cœlos, Deus, et super omnem terram gloria tua.

IN PSALMUM LVI

COMMENTARIUS.

1 *In finem,*
Ne disperdas, David in tituli inscriptionem, cum fugeret a facie Saul in speluncam[1].

« *Miserere mei, Deus, miserere mei.* »

Hic est Psalmus sextus in secunda quinquagena, in quo postquam monstrata est Christi pietas orantis, et salutem imprecantis illis qui titulo regiæ dignitatis ejus contradixerunt, subjungitur Prophetæ exclamatio præ stupore magno, et admiratione, ut jam ejus regiæ dignitati nullus contradicat, sed omnis anima ipsum regem recognoscat, et dicat illud Psal. xliii, 5 : *Tu es ipse Rex meus, et Deus meus.* Non jam regnantem, quia hoc parum est. Ad Rom. xiii, 1 : *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* Sed etiam patientem in cruce, quando

Argumentum Psalmi: Regnum Christi cruce partum.

[1] Après le mot *lamnatseach*, au maître de chant, le titre ajoute les deux autres mots

sibi sceptrum imperii portavit. Isa. IX, 6 : *Factus est principatus super humerum ejus.* Et ostenditur in titulo qui talis est. « *In finem,* ne corrumpas, vel *disperdas, David in tituli inscriptionem, cum fugeret a facie Saul in speluncam.* » Est enim sensus tituli : « *In finem* » nos dirigens Psalmus iste, scilicet in Christum, hoc intendit : « *Ne* corrumpas, vel *disperdas* » quicumque sis, « *David,* » id est, Christum, non secundum suam substantiam, quia secundum illam immortalis est jam, et impassibilis. Ad Rom. VI, 9 : *Christus resurgens ex mortuis jam non moritur.* Sed secundum suam dignitatem, ut dicas cum Judæis ipsum non esse Christum : quia Daniel. IX, 26 : *Non erit populus ejus qui eum negaturus est.* Sed dicas cum Isa. XXXIII, 22 : *Dominus judex noster, Dominus legifer noster, Dominus rex noster.* Et « *in tituli inscriptionem,* » qui erat de ipsius dignitate. Joan. XIX, 19 : *Jesus Nazarenus,* etc. Inscriptione, inquam, facta, « *cum fugeret a facie Saul in speluncam,* » id est, factum in illo figuratum ageret Christus. Fuga enim David in speluncam, I Reg. XXIV, 4 [1], figuravit latitationem Christi in nostra carne, in qua latens propter infirmitatem nostram, non apparebat Deus. Isa. XLV, 15 : *Vere tu es Deus absconditus.* Figuravit etiam magis proprie latitationem ejus in passione sua, secundum illud Habacuc. III, 4 : *Cornua in manibus ejus, ibi abscondita est fortitudo ejus.* Magis in sepulcro, ubi absconduntur mortui sub terra. Isa. XXVI, 20 : *Vade popule meus, intra in cubicula tua,* sepulcra, *abscondere modicum ad momentum.*

Dividitur autem Psalmus in tres partes secundum Glossam. Primo, Christus, vel Ecclesia præmittit orationem tamquam pro liberatione sua. Secundo, tamquam qui impetraverit, ostendit malorum a quibus liberatus est, diversitatem, et magnitudinem, ibi, « *Misit Deus misericordiam.* » Tertio, subjungit gratiarum actionis promissionem propter liberationem, ibi, « *Paratum cor meum, Deus.* »

In prima tria. Primo, orando clamat, et replicat orationem. Secundo, probat quod debeat exaudiri, ibi, « *Quoniam in te confidit.* » Tertio, declarat modum quomodo poterit fieri quod petit, ibi, « *Et in umbra.* »

אל השחת, *al thashcheth*, que les versions ont traduits μὴ διαφθείρῃς, *ne disperdas*. Hengstenberg, qui les traduit aussi, pense qu'ils sont comme un résumé de la prière de David, et un écho du cri de son cœur. Cette idée, qu'on retrouve d'ailleurs dans plusieurs commentateurs anciens, est plus que contestable. Jamais on ne lit en tête des psaumes de pareilles invocations, et il en est, comme le LXXIV, d'Asaph, qui portent la même mention, et dont le sujet est tout différent. Les mots *al thashcheth* sont donc à peu près certainement l'indication d'un air qui commençait ainsi, et sur lequel il faut mettre ce psaume.

Le titre indique encore la circonstance qui inspira David : dans sa fuite devant Saül, il s'était réfugié dans une caverne, celle d'Odollam, I Reg. XXII, 1, ou celle d'Engaddi, I Reg. XXIV, 4 ; on n'a point de raison formelle pour préférer l'une à l'autre ; Eusèbe cependant incline ici pour la première, réservant le Ps. CXLI pour la seconde. David persécuté fait encore ici profession de mettre toute son espérance dans le Seigneur. Les sentiments sont ceux des psaumes analogues, mais ici la confiance joyeuse l'emporte finalement sur la tristesse et la crainte. Le prophète reproduit plusieurs idées empruntées à ses autres chants ; il appelle son âme « sa gloire, » comme au psaume VII, 6, il compare ses ennemis à des lions acharnés, Ibid. 3, et le péril qui le menace à une fosse, Ibid. 16 ; la langue des ennemis est un glaive, comme LI, 4 ; LVIII, 8, etc. A son tour ce psaume sera répété à partir du ℣. 8, avec quelques variantes que nous signalerons en leur lieu, pour commencer le psaume CVII.

Comme toujours la prière de David convient très bien au serviteur de Dieu en butte à la persécution. « Refertur etiam ad ea quæ nostrum gratia Christus peregit. » S. Athan.

H. Lesêtre.

[1] II Reg. XXII, 1 et XXIV, 4.

In prima duo. Primo, oratio. Secundo, orationis inculcatio, ibi, « *Miserere.* »

2 Prima pars Psalmi. Dicit ergo Christus, o « *Deus* » Pater, « *miserere mei,* » a miseriis tormentorum liberando : miserere mei ab injuriis et miseriis verborum eripiendo : hoc enim modo duplici et ipse, et sui afflicti sunt. Sap. II, 19 : *Contumelia et tormento interrogemus eum.* Psal. LXVIII, 27 : *Super dolorem vulnerum meorum,* ecce tormenta, *addiderunt,* contumelias et verbera. Miseria etiam Christi duplex fuit. Contracta voluntarie quando naturam nostram assumpsit. Psal. LXXXVII, 16 : *Pauper sum ego, et in laboribus a juventute mea.* II ad Corinth. VIII, 9 : *Propter vos egenus factus est.* Et inflicta ab adversariis confodientibus manus et pedes. Psal. XXI, 17 : *Foderunt manus meas,* etc. In nobis autem duplex : pœnæ, et culpæ. De prima, Apoc. III, 17 : *Quia tu dicis quod dives sum, et locupletatus, et nullius egeo* : *et nescis quia tu es miser, et miserabilis.* De secundo, Proverb. XIV, 34 : *Miseros facit populos peccatum.* Et dicit Glossa : « quoniam re-« plicatio magnum periculum ostendit. »

« *Quoniam in te confidit anima mea.* » Hic probatio, quod exaudiri debet. Quasi diceret : Sic misereri debes, « *quoniam in te solo confidit anima mea.* » Omnis enim creatura vana et corruptibilis, unde non est in ipsa confidendum. Isa. XXXVI, 6 : *Confidis super baculum arundineum confractum, istum super Ægyptum* : *cui si innixus fuerit homo, intrabit in manum ejus, et perforabit eam.* Nec etiam in spiritualibus bonis, in quibus magis videtur innitendum. Prov. III, 5 : *Ne innitaris prudentiæ tuæ,* etc. Sed super Christum tantum cum sponsa, Cant. VIII, 5 : *Innixa super dilectum suum.* Et dicit, «*Anima mea,* » ad majorem expressionem, sicut illud Num. XXI, 5 : *Anima nostra nauseat super cibo isto.* Et ex opposito, Proverb. VI, 16 : *Septimum detestatur anima ejus.*

« *Et in umbra alarum tuarum.* » Hic tertium, in quo ostendit quod possit impleri sua petitio, quia nihil ex parte sua deerit : quia perseveranter sperabit, hoc primum : orabit ardenter, hoc secundum, ibi, « *Clamabo ad Deum.* » Et confidenter tamquam expertus Dei beneficia, hoc tertium, ibi, « *Ad Deum qui bene fecit.* »

In prima duo. Primo, promittit se speraturum. Secundo, in spe perseveraturum, ibi, « *Donec transeat.* »

Ait ergo : Sic miserere, et debes, nec erit obstaculum misericordiæ ex parte mei, qui non tantum confido modo, imo, « *et in umbra alarum tuarum,* » in tua protectione, quæ refrigerat ut umbra, et fovet ut ala, « *sperabo.* » Umbram senserat quæ dicebat, Cant. II, 3 : *Sub umbra illius quem desideraveram, sedi.* Nec fomento caruerat, addit enim : *Et fructus ejus dulcis gutturi meo.* Thren. IV, 20 : *Spiritus oris nostri, Christus Dominus* : *in umbra tua vivemus in gentibus.* Has alas mali refugiunt exponendo se accipitri, id est, diabolo. Matth. XXIII, 37 : *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti ?* Et hoc non ad horam, sed tamdiu sperabo.

« *Donec transeat iniquitas,* » hoc est, usque in finem mundi. Glossa : « Usque « in finem sæculi, nec iniquitas deerit « premens, nec justitia patiens : iniqui-« tas enim semper impugnat justitiam, « et justitia semper exercetur, et acui-« tur. » Gregorius : « Bonus non fuit, « quem malorum pravitas non limavit. » Et iterum, idem Gregorius : « Ferrum « animæ nostræ non perducetur ad sub-« tilitatem acuminis, nisi illud acuerit li-« ma alienæ iniquitatis. »

« *Clamabo ad Deum.* » Hic secundum. 3
Quasi diceret : Perseveranter, et etiam « *clamabo,* » orabo ardenter. Hic est enim clamor, scilicet fervor cordis, cla-

mor tacentis Moysi[1] : Et Susannæ[2] Augustinus : « Non clamor, sed amor. » Hic desiderii fervor sonat in aure Dei. Psal. x, 17 : *Desiderium pauperum exaudivit Dominus.*

« *Ad Deum altissimum,* » hoc est, ad Deum qui altissimus est, et ego infimus : et propter hoc necesse habeo clamare tamquam valde remotus. Eccli. xxxviii, 4 : *Altissimus creavit de terra medicamenta.* Et Luc. i, 35, dictum est Virgini : *Et virtus Altissimi obumbrabit tibi.*

« *Ad Deum qui benefecit.* » Hic tertium, in quo ostendit quod orabit confidenter tamquam expertus Dei beneficia : et dicuntur duo. Primo, quod expertus est Dei beneficia. Secundo, specificat illa quæ est expertus, ibi, « *Misit de cœlo, et liberavit me.* »

Dicit ergo : Sic clamabo ad Altissimum, propter altitudinem non diffidens, quia « *clamabo ad Deum qui benefecit mihi.* » Alias, Glossa : « Et si impios « quæsivit qui eum non quærebant, et « pro impiis mori voluit, clamantes quo- « modo non exaudiet? Bene autem fe- « cit, dando bona naturæ, sed melius su- « peraddendo bona fortunæ, sed optime « cumulando bona gratiæ : totum enim « ab ipso. » Jacob. i, 17 : *Omne datum optimum, et omne donum perfectum,* etc. I ad Corinth. iv, 7 : *Quid habes quod non accepisti ?* Nihil.

4 « *Misit de cœlo.* » Hic secundum, in quo specificat quæ bona receperit. Et sunt duo. Liberatio a malis hominibus. Secundo, ipsorum adversariorum conculcatio, ibi, « *Dedit.* » Et legitur dupliciter versus, de corpore scilicet, et de capite, hoc est, de Ecclesia, et de Christo.

Dicit ergo Ecclesia : Nunc benefecit mihi, quia « *misit de cœlo.* » « *Misit,* » inquam, Pater non servum aliquem, sed Verbum, proprium Filium, « *de cœlo,* » de secreto divinitatis suæ. I ad Timoth. vi, 16 : *Lucem inhabitat inaccessabilem.* De Angelorum occulta cognitione ad oculos meos, ut ipsum in humanitate viderem. Baruch, iii, 38 : *Post hoc in terris visus est.*

« *Et liberavit me,* » jam in spe, tandem liberabit in re, ut non oporteat gemendo dicere : *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus*[3] *?* Osee, xiii, 14 : *De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos.* Hæc visio figurata fuit, Genes. xxxvii, 13, quando Jacob misit filium suum Joseph ad visitandos fratres suos. Et Exod. iii, 10, in missione Moysis in Ægyptum, ut inde educeret populum Domini. Tobiæ, iv, 21 et seq., in missione filii Tobiæ, ut pecuniam reportaret. Sumus enim summi Regis filii, populus, et pecunia ejus imagine insignita, et desiderata. Exod. iv, 13 : *Obsecro, Domine, mitte quem missurus es.* Et Isa. xvi, 1 : *Emitte Agnum, Domine, dominatorem terræ.* Ad Galat. iv, 4 : *At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege.*

« *Dedit in opprobrium conculcantes me,* » ut conculcarentur qui me conculcabant. Hoc justum est. Sapient. xi, 17 : *Per quæ peccat quis, per hæc et torquetur.* Isa. xxxiii, 1 : *Væ qui spernis,* et alios conculcas : *nonne et ipse sperneris ? Cum fatigatus desieris contemnere, contemneris.* Hoc autem erit quando fiet illud Isa. xvi, 4 : *Finitus est pulvis, consummatus est miser : defecit qui conculcabat terram,* et ipse conculcabitur. Isa. x, 6 : *Ponat in conculcationem, quasi lutum platearum.*

Legitur et de Christo : « *Misit,* » Deus Pater, « *et liberavit me,* » de morte : et quid misit de cœlo? Gratiam resuscitationis, ut ante omnes suscitaretur : « *et dedit in opprobrium conculcantes me,* » Judæos, qui toti mundo sunt in oppro-

[1] Cf. Exod. xvi, 15.
[2] Cf. Daniel, xiii, 24.
[3] Ad Roman. vii, 24.

brium et derisionem. Jerem. xx, 11 : *Confundentur vehementer, quia non intellexerunt opprobrium sempiternum, quod numquam delebitur.* Magna confusio et opprobrium valde magnum, quod vident adorari quem crucifixerunt.

Secunda pars Psalmi.

« *Misit Deus misericordiam.* » Hic secunda pars Psalmi, in qua ostendit se exauditum, demonstrando se plane liberatum, et specificando a quibus sit liberatus, et monstrando se vere duo præmissa impetrasse, scilicet propriam liberationem : et hoc primo. Secundo, inimicorum dejectionem et captionem in iniquitate propria et versutia, ibi, « *Laqueum paraverunt.* »

In prima duo. Primo, liberatio ostenditur. Secundo, ut plena sit liberatio, invitatio a Propheta ad ascendendum, ibi, « *Exaltare super cœlos, Deus.* »

In prima duo. Primo, liberatio ab adversariis. Secundo, descriptio diligentior ipsorum adversariorum, ibi, « *Filii hominum.* »

In prima quatuor. Primo, per quid sit liberatus vel ereptus. Secundo, secundum quid, ibi, « *Et eripuit.* » Tertio, a quibus, ibi, « *De medio.* » Quarto, qualiter, ibi, « *Dormivi conturbatus.* »

Dicit ergo : Sic expertus sum bona, et nunc quoniam « *misit Deus de cœlo misericordiam suam et veritatem,* » Filium mittendo : ipse enim est misericordia Dei patris. Supra, in alio Psal. xlvii, 10 : *Suscepimus, Deus, misericordiam tuam,* etc. Et alibi petebatur hæc misericordia : *Ostende nobis misericordiam tuam*[1].

« *Et veritatem tuam,* » quoniam misit Christum qui veritas est. Joan. xiv, 6 : *Ego sum via, et veritas, et vita.* Augustinus : « Non est misericordia solum ne « præsumas, sed simul veritas ut timeas : « non tantum veritas ut desperes, sed « misericordia ut confidas : et sic media « est spes. » Deut. xxiv, 6 : *Non accipies loco pignoris inferiorem, et superiorem molam.* Vel misericordia, quoad Gentes quibus promissus non fuerat : veritas, quoad Judæos quibus erat promissus. Psal. xcvii, 3 : *Recordatus est misericordiæ suæ,* quantum ad Gentes : *et veritatis suæ domui Israel.*

« *Et eripuit animam meam,* » vitam 5
scilicet meam. Ecce secundum : quia est ereptus. Joan. xii, 25, accipitur sic anima : *Qui odit animam suam in hoc mundo,* etc. Sed unde eripuit ? « *De medio catulorum leonum.* » Leones vocat majores Judæorum, Principes sacerdotum, et Pharisæos, et Scribas : ut referatur lectura ad caput Christum : catulos leonum, minores, qui omnes rugierunt contra Christum. Jerem. xii, 8 : *Facta est mihi hæreditas mea quasi leo in silva : dedit contra me vocem.* Secundum quod legitur de Ecclesia, tunc leones appellantur mali principes et tyranni : catuli vero illorum subditi, a quibus Deus suos eripuit frequenter, et eripit. Psal. xxi, 14 : *Aperuerunt super me os suum,* etc. Dan. vi, 22 : *Misit Deus angelum suum, et conclusit ora leonum : et non nocuerunt mihi.* Et dicit « *de medio,* » quasi obsessum undique ab eis. Job, xix, 12 : *Obsederunt in gyro tabernaculum meum.*

« *Dormivi.* » Quasi diceret : Ereptus fuisti, sed quomodo ? De facili, sicut dormiens de facili excitatur. Ait enim : Sic eripuit animam meam, quia « *conturbatus* » in passione, « *dormivi* » in morte, a qua excitatus de facili fui, sicut dormiens a somno. Quare autem mors Christi comparetur dormitioni, causæ assignatæ fuerunt supra Psalmo III[2]. Sed dubitatur cum de eo scriptum sit, Isa. xlii, 4 : *Non erit tristis, neque turbulentus,* quare nec conturbatus. Resp. Non fuit conturbatus

[1] Psal. lxxxiv, 8.
[2] Cf. Psal. III, commentarios in ℣. 6, tomo XV hujus editionis.

secundum rei veritatem, sed secundum eorum opinionem qui eum credebant conturbatum : et sic loquitur. Vel conturbatum se dicit conturbatione quæ est propassio, non quæ sit passio. Augustinus : « Placatus erat iste turbatus, et « obdormivit cum vellet. » Jerem. xxxi, 26 : *Quasi de somno suscitatus sum : et vidi, et sommus meus dulcis mihi.* Sic omnium justorum mors dormitio appellatur ab Apostolo, I ad Thessal. iv, 12 : *Nolumus vos ignorare de dormientibus.* I ad Corinth. xv, 6 : *Ex quibus multi manent usque adhuc, quidam autem dormierunt.*

« *Filii autem hominum.* » Hic secundum, diligentior descriptio eorum qui mala inferunt. Et primo, ostenditur malitia cordis. Secundo, oris, ibi, « *Et sagittæ.* » Et monstratur duplex. Occulta, detrahendo. Aperta, postulando mortem ejus, ibi, « *Et lingua.* »

Ait ergo : Sic eripuit animam meam de medio catulorum leonum. Numquid leonum naturalium ? Non. Imo, « *filii hominum* » hoc patiuntur, ut locum habeat sequens relatio. Vel potest ordinari hoc ad aliud quod sequitur : « *Laqueum paraverunt, dentes eorum,* » corrosiones in occultis cordis consiliis : « *arma,* » ad defendendum peccata sua. Job, xli, 5 : *Per gyrum dentium ejus formido.* Prov. xxx, 14 : *Generatio, quæ pro dentibus, gladios habet,* id est, dentes pro gladiis, *et commandit molaribus suis, ut comedat inopes de terra.* « *Et sagittæ,* » ad vulnerandum in occulto, quasi de longe. Jer. ix, 8 : *Sagitta vulnerans lingua eorum, dolum locuta est.*

« *Et lingua eorum gladius acutus,* » qui velociter necat. Sic ipsi velociter per linguam suam mortem meam procurarunt cum clamaverunt, Joan. xix, 6 : *Crucifige, crucifige.* Et nota, quod est lingua carnis quæ loquitur nobis suavia. Vox sua est illa : *Comedamus et bibamus*[1]. Et illud Sap. ii, 8 : *Nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra.* Et est lingua mundi quæ loquitur vana, quæ dicit : Beatus populus cui hæc sunt. Et illud Prov. i, 13 : *Omnem pretiosam substantiam reperiemus, implebimus domos nostras spoliis.* Et est lingua diabolica, lingua detractoris, de qua hic, et Eccli. xxviii, 16 : *Lingua tertia multos commovit.*

Triplex lingua, carnis, mundi, et detractoris.

« *Exaltare super cœlos.* » Hic secun- 6
dum, exclamatio Prophetæ ut ascendat Christus ab iis miseriis, quasi sic librando se super cœlos : et dicuntur duo. Primo, exhortatio filii ad ascendendum. Secundo, ostendit ascensionis fructum, ibi, « *Et super omnem terram.* »

Dupliciter tamen legitur. Primo, ut sit vox Filii ad Patrem. Quasi diceret : Tales sunt qui me impugnant. Et propter hoc, o Deus Pater, « *exaltare,* » id est, exaltatus appare in mea suscitatione, « *super cœlos,* » super omnes cœlestes Angelos. Consuetudo enim Scripturæ est ut res dicatur fieri, cum facta innotescit : et Deus facere quasi in se quod nobis fecit. Genes. xxii, 12 : *Nunc cognovi quod times Dominum.* Et sic erit, « *super omnem terram* » manifesta gloria tua, quam quæro, non meam. Joan. viii, 50 : *Ego gloriam meam non quæro :* et vii, 18 : *Qui quærit gloriam ejus, qui misit eum, hic verax est.*

Legitur etiam ut sit vox Prophetæ exclamantis, et excitare volentis Christum ad ascendendum, ut dictum est. Quasi diceret : Tales sunt inimici, et sic te persequuntur, et propter hoc o « *tu Deus,* » qui potes, « *exaltare super cœlos,* » super omnes angelicos spiritus. Isa. lii, 13 : *Ecce intelliget servus meus, exaltabitur, et elevabitur, et sublimis erit valde.* Ad Philip. ii, 9 : *Propter quod et Deus exaltavit illum.* Et in Psal. viii, 2 : *Elevata est magnificentia tua super cœlos Deus.* Et hoc erit, « *super omnem*

[1] Isa. xxii, 13.

terram gloria tua, » gloriosa fama tua, ut solus gloriosus reputeris. Ad Philip. II, 9 : *Deus exaltavit illum,* in ascensione, *et donavit illi nomen quod est super omne nomen.* Et in Psal. XLV, 11 : *Exaltabor in Gentibus, et exaltabor in terra.* Isa. II, 11 : *Exaltabitur Dominus solus in die illa.* Cant. VIII, 14 : *Fuge dilecte mi, et assimilare capreæ hinnuloque cervorum super montes aromatum.*

7 « *Laqueum paraverunt.* » Hic est illa pars, in qua postquam monstrata est ejus liberatio, subjungitur inimicorum dejectio a propria malitia eorum. Primo, ergo tangitur fraudulentia. Secundo, pœna, quæ in eis consecuta est ex illa, ibi, « *Et inciderunt.* »

Et primo, tangitur malitia in ore. Secundo, in corde, ibi, « *Incurvaverunt.* » Tertio, in opere, ibi, « *Foderunt.* »

Dicit ergo : Sic ereptus sum a leonibus, quia filii hominum paraverunt « *laqueum pedibus meis,* » sermonibus et exhortationibus meis, qui erant quasi duo pedes mei. Sermo exhortationis ad bonum erat quasi pes dexter, quo Deus veniebat ad nos. Sermo dehortationis a malo alius similiter. Sed iis ponebant laqueos sermonum Judæi. Joan. VIII, 4 et seq., de adultera. Matth. XXII, 16 et seq., de censu : sed ipsi magis capiebantur in illis, secundum illud Eccli. XXVII, 29 : *Qui laqueum ponit alii, peribit in illo.* Eccle. IX, 12 : *Sicut pisces capiuntur hamo, et sicut aves laqueo comprehenduntur, sic capiuntur homines in tempore malo.* Sic membris suis hodie multi insidiantur, et ponunt laqueos ut illa capiant. Jerem. V, 26 : *Inventi sunt in populo meo impii insidiantes quasi aucupes laqueos ponentes et pedicas ad capiendos viros.* Et hoc non tantum in via : « *incurvaverunt,* » id est, incurvare intenderunt a sua rectitudine, « *animam meam,* » ut me facerent peccare, et quasi de cœlo ad infernum descendere. Ecce malitia cordis par malitiæ dœmonis. Dicit enim Isa. LI, 23 : *Incurvare ut transeamus.* Vel, « *incurvaverunt animam meam.* » Quasi diceret : Inclinatus sum ad eos per compassionem, nec ereptus ab eis per ipsorum emendationem. Luc. XIX, 41 : *Jesus videns civitatem, flevit super illam.* Et Luc. XXIII, 34, pro ipsis oravit.

Et nota, quod est incurvatio compassionis, de qua Job, XXXIX, 3 : *Incurvantur ad fœtum, et pariunt, et rugitus emittunt.* Et iniquitatis, de qua tactum est, Isa. LI, 23 : *Incurvare,* etc. Et Psal. XXXVII, 7 : *Miser factus sum, et curvatus sum nimis,* etc. Et pœnalitatis, de qua, « Incurvatus sum multo vinculo ferreo [1]. Et humilitatis, Genes. XXXIII, 6 : *Appropinquantes ancillæ et filii earum, incurvati sunt.*

Incurvatio compassionis, iniquitatis, pœnalitatis, et humilitatis.

« *Foderunt ante faciem meam.* » Ecce tertium. Quasi diceret : Non tantum verbo, vel corde mali fuerunt contra me, « *foderunt foveam* » facto, quantum potuerunt mortem meam procurantes : sed hoc, « *ante faciem meam,* » quia me non latuit. Jerem. XVIII, 20 : *Foderunt foveam animæ meæ.* Genes. XXXVII, 20, dixerunt fratres Joseph : *Venite, occidamus eum, et mittamus in cisternam veterem.*

« *Et inciderunt in eam.* » Ecce pœna. Prov. XXVI, 27 : *Qui fodit,* scilicet alii, *foveam, incidet in eam.* Psal. VII, 15 : *Incidit in foveam, quam fecit.* Sic Goliath, proprio gladio interficitur a David [2]. Aman suspenditur in proprio patibulo [3]. Et Holofernes decollatur proprio pugnione [4] : et flamma fornacis combussit quos reperit de Chaldæis ministros regis, qui eam incendebant, ut dicitur Daniel. III, 48.

[1] Cf. Orationem Manasses, circa medium.
[2] Cf. I Reg. XVII, 51.
[3] Cf. Esther, VII, 10.
[4] Cf. Judith, XIII, 8.

8 « *Paratum cor meum, Deus.* » Hic tertia pars Psalmi, in qua promittit se laudaturum pro tantis beneficiis, et in se, et in membris : et dicuntur duo. Primo, promissio laudis, et per se, et per suos, cum causis laudationis. Secundo, Prophetæ congratulatio invitantis Christum iterato ad ascensionem ultimo versu, « *Exaltare super cœlos Deus.* »

Tertia pars Psalmi.

In prima duo. Primo, laudis promissio, in seipso. Secundo, in membris, ibi, « *Confitebor tibi.* »

In prima duo. Primo, promissio laudis. Secundo, tangitur quasi ratio, quare sic laudare velit, scilicet carnis resurrectio, ibi, « *Consurge gloria mea.* »

In prima duo. Primo, asserit se paratum ad laudem. Secundo, promittit ipsam, ibi, « *Cantabo.* »

Item, paratum ostendit se dupliciter, id est, ad referendum gratias ore primo. Secundo, etiam opere, ibi, « *Paratum cor meum.* »

Dicit ergo : Sic illi mihi : sed ego sum liberatus, et propter hoc o « *Deus*, etc. » Vel sic : Ita illi parant foveas, sed o « *Deus cor meum paratum,* » supple, ad tuam laudem, et gloriam voce proferendam. « *Paratum cor meum,* » etiam ad quærendam illam opere, ne sim de illis de quibus Isa. xxix, 13 : *Populus hic labiis suis me glorificat, cor autem ejus longe est a me.* Et Jerem. xii, 2 : *Prope es tu Domine ori eorum, et longe a renibus eorum.* Vel, « *paratum cor meum,* » ad contumelias sustinendas propter te : « *paratum cor meum,* » ad tormenta. Sap. ii, 19 : *Contumelia et tormento interrogemus eum.* Ad hoc paratus fuit Christus, Psal. xxxvii, 18 : *Quoniam ego in flagella paratus sum.* Et Isa. liii, 7 : *Oblatus est quia ipse voluit.*

Cor dupliciter præparandum ut digne laudare possit.

Et notandum, quod cor dupliciter est præparandum ut digne laudare possit. Primo, immunditias removendo. I Reg. vii, 3 : *Præparate corda vestra Domino.* Exod. xix, 10 et 11 : *Lavent vestimenta sua,... et sint parati in diem tertium.* Hoc autem fit per diligentem meditationem peccatorum, et cordis contritionem, et oris confessionem. Secundo, paratur ornando : non enim sufficit ut mundetur, nisi et virtutibus adornetur. Isa. xl, 3 : *Parate viam Domini,* in cordibus vestris. Luc. xii, 40 : *Et vos estote parati.* Matth. xxv, 10 : *Quæ paratæ erant, intraverunt cum eo ad nuptias.* Et sic paratus, « *cantabo* » ore. Isa. xxiii, 16 : *Bene cane, frequenta canticum.* « *Et psalmum dicam,* » id est, psallam, quod est bene operari, ut opere confirmem quod ore dicam : ne sim sicut illi de quibus Apostolus ad Tit. i, 16 : *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant.*

« *Exsurge gloria mea.* » Hic est secundum, in quo subjungitur de carnis resurrectione, tamquam de ratione laudis. Hoc autem fit invitando carnem ad resurrectionem : unde duo dicuntur. Primo, excitatio ad resurgendum. Secundo, obedientiæ promptitudo, ibi, « *Exsurgam diluculo.* » Excitans autem carnem, vocat eam triplici nomine, gloriam, psalterium, et citharam. *Gloriam* causaliter : quia in illa sustinuit unde glorificari meruit, vel saltem accelerari gloria. *Psalterium* quod a superiori parte sonat, propter miracula quæ in illa fecit. *Citharam* quæ ab inferiori, propter gratiarum actionem in passionibus quas sustinuit. Dicit ergo : Sic cantabo et psallam : quod ut fiat, o « *gloria mea,* » caro scilicet in qua merui ut acceleraretur resurrectio gloriosa, « *exsurge* » de morte : et « *o psalterium,* » quod a superiori parte honesti, quando in te miracula sunt facta : « *et cithara,* » quæ ab inferiori, quando mala sustinens dulciter respondisti, « *exsurge,* » accelera surgere. 9

« *Exsurgam diluculo.* » In hoc obedientiæ promptitudo, quia quasi loquens introducitur ipsa caro, et dicit Glossa, quod « in hoc notatur resurrectionis hora, » cui contrarium videtur quod dicit Gregorius, quod « sicut Samson surre-

« xit nocte media, et tulit portas Gazæ, « sic Christus fracto inferno surrexit de « morte. » Item, Proverb. XXXI, 15 : *De nocte surrexit*, etc. Et David de nocte surrexit quasi tribus horis ante diem. Quod autem dicitur hic, referendum est ad Resurrectionis manifestationem.

Vel possunt esse verba Patris ad Filium suscitandum, et revocandum a morte, quem vocat gloriam suam, quantum ad æternam ejus generationem. Dicit enim Anselmus, « quod magna gloria « est Deo Patri, quia Filium sibi æqua- « lem genuit. » Proverb. XIII, 1 : *Filius sapiens, doctrina patris* : ergo multo fortius qui est ipsa sapientia. Vocat *psalterium et citharam*, sicut homo præ amore vocat filium suum *viellam suam*. Fuit psalterium de supernis instruendo. Thren. III, 63 : *Ego sum psalmus eorum* tota die, his de supernis resonando. Et cithara, sonos passionis emittendo. Isa. XVI, 11 : *Venter meus ad Moab quasi cithara sonabit.*

« *Exsurgam.* » Ecce obedientiæ promptitudo. Osee, VI, 3 : *Quasi diluculum præparatus est egressus ejus*. Et nota, quod Christus fuit cithara bene tensa in cruce, et dulcissimos sonos reddens. Sonum casti timoris emisit hæc cithara, cum dixit, Matth. XXVII, 46 : *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Sonum pietatis, cum pro inimicis rogans ait, Luc. XXIII, 34 : *Pater, dimitte illis.* Sonum scientiæ, cum de matre, qua nihil plus habebat, ordinavit, Joan. XIX, 26 : *Mulier ecce filius tuus. Deinde dicit discipulo, Ecce mater tua.* Sonum consilii, Luc. XXIII, 46 : *In manus tuas commendo spiritum meum.* Consilium enim est totam animam in manus Dei ponere. Sonuit fortitudo, Luc. XXIII, 43 : *Hodie mecum eris in paradiso.* Sed sonum intellectus, quando dixit, Joan. XIX, 30 : *Consummatum est* : tunc enim velamina remota sunt Scripturarum, et intellectus illarum apparuit. Sonum sapientiæ, quando dixit : *Sitio* : hic est enim qui dicit, Eccli. XXIV, 29 : *Qui bibunt me, adhuc sitient.*

istus in ce velut ara sep- m verba xta sep- m dona Spiritus ancti, ut dulces os edit.

« *Confitebor tibi.* » Hic secundum : 10
postquam enim promisit se laudaturum in se, promittit, in membris : et dicuntur duo. Primo, promissio laudis. Secundo, ratio, ibi, « *Quoniam confirmata.* » Et primo, in conversis de Judæis. Secundo, in conversis de Gentibus. Per hos enim sic laudabit, ut ipsi etiam causa laudis sint, quia ad fidem conversi.

Ait ergo : Sic cantabo, et Psalmum dicam per me, et etiam, « *in populis* », Judæis scilicet conversis, o Domine, « *confitebor tibi* » confessione laudis, « *et dicam tibi psalmum* » laudis « *in Gentibus,* » et in ipsis, et propter ipsas ad fidem conversas. Christus enim lapis angularis conjungens duos parietes, Judæos scilicet et Gentiles. Ad Ephes. II, 20 : *Ipso summo angulari lapide Christo Jesu.* Joan. X, 16 : *Alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili.*

« *Quoniam magnificata sunt.* » Hic se- 11
cundum, ratio laudandi in membris, et tangitur duplex, scilicet exaltatio humanæ naturæ, hæc prima : et manifestatio veritatis suæ, ibi, « *Et veritas.* »

Dicit ergo : Sic laudabo in membris, et hoc justum : *quoniam misericordia tua,* » humanitas mea, dicit Christus, quæ ex misericordia tua est, « *usque ad cœlos.* » Supra, in Psal. VIII, 2 : *Elevata est magnificentia tua*, etc. Isa. IV, 2 : *Et erit germen Domini in magnificentia et gloria, et fructus terræ sublimis.* Elevata est usque ad Angelos, quia usque ad æqualitatem Angelorum elevata est humana natura, ruinam ipsorum reparando, et æqualem gloriam participando. Matth. XXII, 30 : *Non nubent neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei in cœlo.* Apocal. XXI, 17 : *Mensura hominis, quæ est Angeli.*

« *Et veritas tua,* » qua erant Angeli illustrati quasi soli ante, « *usque ad nubes,* » ad Apostolos et Doctores Ecclesiæ, qui gravi teguntur carne. Sap. IX, 15 : *Corpus quod corrumpitur, aggravat ani-*

mam. Et coruscant aliquando miraculis. Terram Ecclesiæ compluunt doctrinis, et intonant minis. Sunt enim nubes de quibus Isa. v, 6 : *Nubibus mandabo ne pluant super eam imbrem*. Et Isa. LX, 8 : *Qui sunt isti qui ut nubes volant, et quasi columbæ ad fenestras suas ?* Job, XXXVII, 11 : *Frumentum desiderat nubes*. Vide ergo concordiam inter cœlum et terram : terra usque ad Angelorum celsitudinem carnem mittit, cœli vero, id est, Angeli, veritatem apertam, quæ jugiter fœcundat, et qua vivunt, terrenis transmittunt.

« *Exaltare super cœlos*. » Hic secundum totius hujus partis, in quo subjungitur Prophetæ exclamatio ad Christum ut ascendat : et sicut supra, tanguntur duo. Primo, invitatio ad ascensum. Secundo, ratio invitationis, scilicet fructus sequens, ibi, « *Et super omnem terram*. » Et expone omnino sicut supra expositum in eodem Psalmo ad ℣. 6. Si autem quæritur ratio repetitionis, assignatur fidei confirmatio in Glossa. Genes. XLI, 32 : *Quod vidisti secundo ad eamdem rem pertinens somnium : firmitatis indicium est.*

PSALMUS LVII.

Objurgatio contra calumniatores et iniquos judices.

1. *In finem, Ne disperdas, David in tituli inscriptionem.*
2. Si vere utique justitiam loquimini, recta judicate, filii hominum.
3. Etenim in corde iniquitates operamini : in terra injustitias manus vestræ concinnant.
4. Alienati sunt peccatores a vulva ; erraverunt ab utero, locuti sunt falsa.
5. Furor illis secundum similitudinem serpentis, sicut aspidis surdæ et obturantis aures suas,
6. Quæ non exaudiet vocem incantantium, et venefici incantantis sapienter.
7. Deus conteret dentes eorum in ore ipsorum : molas leonum confringet Dominus.
8. Ad nihilum devenient tamquam aqua decurrens : intendit arcum suum donec infirmentur.
9. Sicut cera quæ fluit auferentur : supercecidit ignis, et non viderunt solem.
10. Priusquam intelligerent spinæ vestræ rhamnum, sicut viventes sic in ira absorbet eos.
11. Lætabitur justus cum viderit vindictam : manus suas lavabit in sanguine peccatoris.
12. Et dicet homo : Si utique est fructus justo, utique est Deus judicans eos in terra.

IN PSALMUM LVII

COMMENTARIUS.

1 *In finem,*
Ne disperdas, David in tituli inscriptionem[1].

« *Si vere utique justitiam.* » Hic est Psalmus septimus in secunda parte, secunda scilicet quinquagena, in quo postquam in præcedenti ostendit humilitate Passionis Christum pervenisse ad gloriam Resurrectionis, et Ascensionis, insuper increpationem infidelium Judæorum, et abnegantium Christi regiam dignitatem facto et corde, etsi aliquando videntur confiteri ore, hic consequenter determinat miseriam quæ inde consequetur.

Præmittit autem titulum, eorum duritiam breviter ostendentem. Est enim talis : « *In finem, ne corrumpas, David in tituli inscriptionem.* » Et est sensus : Subjectus Psalmus « *in finem* » nos ordinans, hoc monet quasi increpando, « *ne,* » o tu Judæe, « corrumpas, vel *disperdas David,* » id est, Christum, non in se, sed « *in tituli inscriptionem,* » quem negasti in passione qui dicebas ante, Matth. xxii, 16 : *Magister, scimus quia verax es, et viam Dei in veritate doces.* Iterum, in præcedenti Psalmo actum est de Christi passione et ejus gloria, in hoc agitur de crucifixoribus, et eorum miseria consecuta, quia regem negaverunt et occiderunt. Argumentum Psalmi: Malitia et miseria Judæorum Christum persequentium.

Dividitur Psalmus in tres partes. In prima ponitur exprobratio culpæ crucifixorum. In secunda, comminatio pœnæ pro culpa ipsorum, ibi, « *Deus conteret.* » Tertio, subjungitur bonorum correctio, visa pœna illorum, ibi, « *Lætabitur justus.* »

In prima duo. Primo improperat, quod mala faciunt contra Christum. Secundo, quod bonum correctionis fugiunt, ibi, « *Furor illis secundum.* »

In prima tria. Primo arguit malitiam cordis. Secundo, operis, ibi, « *Injustitias manus vestræ.* » Tertio, oris, ibi, « *Locuti sunt falsa.* »

In prima duo. Primo arguit. Secundo ostendit, quod bene arguendi sunt, ibi, « *Etenim iniquitates.* »

Dicit ergo : Sic Christus est per passionem exaltatus. Ergo, o vos « *filii hominum,* » Patriarcharum, Prophetarum, qui homines fuerunt, ratione scilicet utentes. Psal. ix, 21 : *Sciant gentes quoniam* 2 Prima pars Psalmi.

[1] C'est aussi sur le mode *al thashchet* que doit être chanté ce psaume, dit M. l'abbé Lesêtre. Inséré entre deux psaumes de même mètre, et tous deux rapportés formellement au temps de la persécution de Saül, celui-ci, malgré l'absence de toute indication intrinsèque positive, paraît bien être du même temps. C'est la pensée d'Eusèbe, de Théodoret, de Patrizi, etc. D'autres y ont cherché des allusions aux meurtriers d'Abner, II Reg., iii, 30-39 (Tholuck), aux menées d'Absalon pour changer le système judiciaire de son père, II Reg., xv, 3, 4, aux partisans de ce dernier pendant sa révolte (Delitzsch), etc. Il s'agit ici d'hommes de justice ou de conseillers, persécuteurs acharnés du psalmiste, double donnée qui concorde mieux avec l'époque de Saül, où tous les courtisans, pour plaire au roi, cherchaient à donner à la violation du droit les apparences de l'équité.

Le langage est ici d'une grande vivacité et trahit les vives émotions d'un jeune homme. L'auteur, en proie à une bouillante indignation, l'exprime par une série d'images qui se succèdent sans qu'aucune donne à la précédente le temps de se développer ; aussi l'intelligence de certains vers est-elle assez difficile.

Les meurtriers de Jésus-Christ et les ennemis de son Église sont représentés par les persécuteurs de David.

homines sunt, rationem habentes et Deo similes. Genes. I, 26 : *Faciamus hominem ad imaginem, et similitudinem nostram.* « *Recte judicate*, » causarum merita deligenter investigando. Sicut Job, XXIX, 16 : *Causam, quam nesciebam, diligentissime investigabam.* Personam non accipiendo, Prov. XXVIII, 21 : *Qui cognoscit in judicio faciem, non bene facit.* Deuter. I, 17 : *Ita parvum audietis ut magnum : nec accipietis cujusquam personam.* Timore non declinando a veritate, Eccli. VII, 6 : *Noli quærere fieri judex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates.* Nec amore remittendo, sicut Felix præses Syriæ, Act. XXIV, 27 : *Volens gratiam præstare Judæis Felix, reliquit Paulum vinctum.* Nec odio aggravando sicut summus sacerdos, Act. XXIII, 3 : *Percutiet te Deus paries dealbate. Et tu sedens judicas me secundum legem, et contra legem jubes me percuti ?* Muneribus judicium rectum non vendendo, sicut illi de quibus Michæ. III, 11 : *Principes ejus in muneribus judicabant.* Exod. XXIII, 8 : *Non accipies munera, quæ excæcant etiam prudentes.*

Rectum judicium quid ?

Et hoc facite, « *Si vere justitiam loquimini.* » Quasi diceret : Si veritas est quam dicitis, in illam vere intenditis : ergo rectitudinem judicii tenete. Sapient. I, 1 : *Diligite justitiam qui judicatis terram.* II Paral. XIX, 6 : *Videte quid faciatis : non enim hominis exercetis judicium, sed Domini.* Nec tantum judices, imo omnes admonentur : quilibet enim, sicut loquitur justitiam alterum judicando, sic debet judicare seipsum. Prov. XX, 10 : *Pondus et pondus, mensura et mensura, abominatio apud Deum.* Pondus, quo judicas alium : mensura, qua punis ipsum : et pondus quo tuum peccatum judicas, et mensura qua punis : unum enim id debet esse.

Item, juste judicare debes, ut bona opera vitæ æternæ meritoria non facias pro temporali aliqua re. Gregorius : « Qui de bonis quæ agit, terrenam mer« cedem desiderat, rem pretiosam pro « vili pretio venalem portat. »

3 « *Etenim iniquitates.* » Hic secundum, in quo probat bene arguendos de malitia cordis, et judicii perversitate. Quasi diceret : Vere non judicatis recte. « *Etenim operamini iniquitates*, » et hoc, « *in corde*, » intus. Mich. II, 1 : *Væ qui cogitatis inutile, et operamini malum in cubilibus vestris.* Matth. IX, 4 : *Quid cogitatis mala in cordibus vestris ?* Vos, dico, existentes « *in terra*, » in terrenis fixi, qui diligitis terrena. Supra, in Psal. XLIII, 25 : *Humiliata est in pulvere anima nostra, conglutinatus est*, etc. Vel, « *In terra operamini iniquitates in corde* : » quia propter terram corporis, quam videtis, purum hominem in cordibus vestris judicatis. Isa. LIII, 2 : *Vidimus eum, et non est ei species, neque decor : unde nec reputavimus eum.*

« *Injustitias manus vestræ concinnant.* » Hic malum operis, in quo primo iniquitatis in opere multiplicatio. Secundo, quasi naturalis adhæsio, ibi, « *Alienati.* »

Dicit ergo : Sic peccatis in corde, et etiam « *injustitias manus vestræ concinnant*, » congregant, coacervant. Ecce malum operis. Et nota, quod super illud Exod. XXV, 6 : *Ad luminaria concinnanda*, dicit Strabus, quod « cinnus est col« lectio quædam ex diversis speciebus. » Inde transfertur ad significandum omnem collectionem : unde collectio capillorum appellatur *cincinnus*, quasi capillorum cinctus. Cantic. V, 2 : *Caput meum plenum est rore, et cincinni mei pleni guttis noctium.* Sic dicitur : Concinnant iniquitates, id est, coacervant et congregant. Osee, IV, 2 : *Maledictum, et mendacium, et homicidium, et furtum, et adulterium inundaverunt : et sanguis sanguinem tetigit.* Et XII, 1 : *Tota die mendacium et vastitatem multiplicat.*

4 « *Alienati sunt peccatores.* » Hic secundum, quasi naturalis adhæsio : et primo naturalis adhæsio relinquendi bonum. Secundo, faciendi malum, ibi, « *Erraverunt.* »

Dicit ergo : Sic manus congregant injustitias, nec est novum, imo « *alienati sunt* » a bono « *peccatores a vulva,* » ex quo scilicet exierunt de vulva. Nec mirum : quia ad Ephes. II,3 : *Eramus natura filii iræ.* Quare alieni ab omni bono ab ipsa origine. Isa. I, 4 : *Abalienati sunt retrorsum.* Vulva etiam potest hic appellari Ecclesiæ doctrina : unde a vulva alienantur peccatores cum ab illis Sanctorum doctrinæ relinquuntur. De hac vulva, Genes. XXX, 23 : *Recordatus est Dominus Rachelis, et aperuit vulvam ejus.* Isa. LI, 2 : *Attendite ad Abraham patrem vestrum, et ad Saram, quæ peperit vos.*

Et nota Glossam quæ per se facit distinctionem in hoc spirituali conceptu et partu, et ea quæ sequuntur ibi. Ezech. XVI, 4 : *In die ortus tui non est præcisus umbiculus tuus,* carnalitas, et superfluitas tua. Hoc videtur in aliquibus parvulis, qui quasi a vulva et ab utero incipiunt peccare, cito relinquentes gratiam baptismalem : sicut quædam aves, quæ statim ut possunt nidum relinquunt. Osee, IX, 11 : *Ephraim quasi avis avolavit.* Tales etiam sunt qui ab utero et vulva occasionem superbiendi quærunt, de quibus Osee, IX, 11 : *Gloria eorum a partu, et ab utero, et a conceptu.* Sed Seneca dicit : « Vilis nobilitas, quæ in locis tur- « pibus generatur. »

« *Locuti sunt falsa.* » Ecce peccatum oris. Psal. XI, 3 : *Vana locuti sunt unusquisque ad proximum suum :* quippe aversionem sequitur error et falsitas, et sic animæ perditio. Sap. I, 11 : *Os, quod mentitur, occidit animam.*

5 *Furor illis secundum.* Hic secundum. Postquam redarguta est ipsa iniquitas, hic redarguitur iniquitatis incorrigibilitas, per duo quæ redarguit hic. Primum, horum boni et veritatis indiscreta impugnatio, per comparationem ad serpentem furentem. Secundum, obstinatio voluntaria in illa malitia, ibi, « *Sicut aspidis surdæ.* »

Dicit ergo : Sic corde, et opere, et ore perversi sunt : et etiam « *furor,* » supple, est, « *illis,* » contra bonum et omnem voluntatem, « *secundum similitudinem serpentis,* » qui venenum infundit, et corrumpit naturam : sic ipsi animam, infundendo doctrinam perversam. Num. XXI, 6, Serpentes morsibus vulnerabant filios Israel in deserto. Serpentes autem dicuntur peccatores pessimi. Primo, quia sicut serpens corpus totum exponit, non curat caudam, sed tantum caput : sic illi vitam præsentem in qua sunt generati, non finem curant : contra illud Eccli. VII, 40 : *In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, et in æternum non peccabis.* Item, serpens pellem, non venenum deponit. Sic peccator juvenilem pulchritudinem, non vitæ perversitatem. Isa. LX, 20 : *Puer centum annorum morietur.* Dan. XIII, 5 : *Egressa est iniquitas.... a senioribus judicibus, qui videbantur regere populum.* Non possunt senescere moribus. Poeta,

Serpenti comparatur peccator.

Nequitia est quæ te non sinit esse senem.

Item, ante se non videt, nec incedit ante, sed videt a dextris et a sinistris, et tortuose incedit. Sic peccatores a dextris vident prosperitates ut appetant, a sinistris adversitates ut fugiant : ante nihil : contra illud Prov. IV, 25 : *Oculi tui recta videant, et palpebræ tuæ præcedant gressus tuos.* Et, sicut Paulus faciebat ad Philip. III, 13 : *Quæ retro sunt obliviscens, ad ea vero quæ sunt priora extendens meipsum.* Item, toto pectore serpit. Sic peccator toto corpore terrenis rebus se ingerit. Genes. III, 14 : *Super pectus tuum gradieris, et terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ.* Sic peccator, Psal. XLIII, 25 : *Humiliata est in pulvere anima nostra, conglutinatus est in terra venter noster.*

Item, pulverem lingit. Sic peccator inanem gloriam, quæ pulvis dicitur, Matth. x, 14 : *Excutite pulverem de pedibus vestris.* Sed de serpente, Isa. LXV, 25 : *Serpenti pulvis panis ejus.* Mich. VII, 17 : *Lingent pulverem,* inanem gloriam, *sicut serpentes.* Item, in occulto mordet, et pungit lingua sua bifurcata. Sic peccator lingua sua duplici occulte mordet, et detrahit. Eccle. x, 11 : *Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet qui occulte detrahit,* lingua scilicet sua bifurcata. Eccli. XXVIII, 15 : *Susurro et bilinguis maledictus.* Item, sputum hominis timet, jejuni tamen : sic peccator contemni et exspui a bonis. Signum enim contemptus est conspuitio. Deut. XXV, 9, Mulier spuebat in faciem discalceati. Et Matth. XXVI, 67, In faciem Christi Judæi exspuebant in signum contemptus [1]. Item, fugit hominem nudum, inficit vestitum. Sic peccator fugit et timet omnia abjicientem propter Christum, infestat congregantem. Matth. XIX, 27 : *Ecce nos reliquimus omnia,* etc. Respondere posset illud Luc. x, 19 : *Dedi vobis potestatem calcandi super serpentes,* etc.

« *Sicut aspidis.* » Hic obstinatio per comparationem ad aspidem. Et primo similitudo. Secundo, similitudinis exploratio, ibi, « *Quæ non exaudiet.* »

Dicit ergo : Et etiam « *furor* » est « *illis sicut furor aspidis surdæ et,* » id est, « *obturantis aures suas,* » unam terræ apponendo, alii caudam intus ponendo. Sicut aspides sunt venenosi, Psal. XIII, 3 : *Venenum aspidum sub labiis eorum.* Et surdos se faciunt doctrinam fugiendo sicut aspides, Ezechiel. XXIII, 25 : *Nasum tuum,* discretionem scilicet, *et aures tuas,* scilicet obedientiam, *præcident.* Sed, Prov. XXI, 13 : *Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, et ipse clamabit, et non exaudietur* : oratio ejus fiet execrabilis. Qualiter autem obturent, dicit Glossa.

« *Quæ non exaudiet.* » Hic explanatio, in qua ostenditur obstinatio, et obstinationis magnitudo, ibi, « *Et venefici.* »

Ait ergo : Sic sunt sicut aspis obturans aurem, « *quæ non exaudiet,* » ut exeat de caverna, « *vocem incantantium :* » sic nec illi prædicantium. Jerem. VIII, 17 : *Mittam vobis serpentes regulos, quibus non est incantatio.* Tales fuerunt pessimi Judæi, quos non potuit Stephanus incantare, Act. VII, 57 : *Continuerunt auras suas, et impetum fecerunt,* etc.

« *Et venefici.* » Quasi diceret. Non cujuslibet incantatoris non audit vocem, imo etiam nec « *venefici incantantis sapienter,* » non simpliciter, sed secundum suam artem. Et nota, quod *veneficus* appellatur incantator qui aspides quærit, quia non nisi propter venenum, ut frequentius, vel ad conficiendam medicinam, vel ad vitandum. Quantum ad hoc quod ad medicinam, sic comparatur prædicatori bono, qui ad hoc extrahit peccata de cavernis, de cordibus scilicet humanis, ut inde medicinam conficiat animarum. Isa. XI, 8 : *Delectabitur infans ab ubere super foramine aspidis : et in caverna reguli, qui ablactatus fuerit, manum suam mittet.*

Et nota, quod furibundi dicuntur, qui nolunt audire verbum Dei. Et hoc recte : respuunt enim medicamina, cum sint ad mortem ægroti. Ezech. XLVII, 12 : *Erunt fructus ejus in cibum, et folia ejus ad medicinam.* Panem, cum sint famelici, Thren. IV, 4 : *Parvuli petierunt panem, et non erat qui frangeret eis.* Panis qui debet masticari per meditationem, incorporari per amorem, sed digeri per operationem. Aquam, cum sint sitibundi. Eccli. XV, 3 : *Aqua sapientiæ salutaris potavit illum.* Ignem, cum sint congelati, Jer. XXIII, 29 : *Numquid verba mea sunt quasi ignis?* Prov. XXX, 5 : *Omnis sermo Domini ignitus, clypeus est sperantibus in se.* Lumen, cum sint involuti tenebris,

Peccator fugit bonum suum.

[1] Matth. XXVI, 67 : *Tunc exspuerunt in faciem ejus,* etc. Cf. etiam Matth. XXVII, 30 ; Isa. L, 6 ; Marc. XIV, 65.

Psal. CXVIII, 105 : *Lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis.* Baculum, cum sint, debilitati. Hic baculus Elisei, qui præmittitur ad parvulum suscitandum[1]. Consolationem, cum sint desolati, Ad Rom. XV, 4 : *Quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam et consolationem Scripturarum, spem habeamus.*

7 « *Deus conteret.* » Hic est secunda pars Psalmi, in qua præmissa pessimorum culpa, subjungitur eorumdem pœna : et dicuntur tria. Primo, omnium Christi adversariorum generaliter. Secundo, Dei misericordia comminantis benigniter, ut ipsi corrigantur, ibi, « *Intendit arcum.* » Tertio, irrevocabilis miseria his qui non corriguntur, ibi, « *Sicut cera quæ fluit.* »

Secunda pars Psalmi.

In prima duo secundum pœnam duplicem quam tangit. Prima est confusio illorum ut jam non possint contradicere veritati. Secunda est annihilatio illorum, ut non possint contraire, ibi, « *Ad nihilum devenient.* »

In prima duo. Primo, confusio contradicentium prædicationi Christi. Secundo, acclamantium et petentium ejus mortem, ibi, « *Molas leonum.* »

Dicit ergo : Sic falsa locuti sunt, et veritatem spernunt : sed « *Deus* » tandem « *conteret dentes eorum.* » Verba dolosa et mordentia sunt dentes, de quibus in Psalmo præcedenti, ℣, 5 : *Filii hominum, dentes eorum arma et sagittæ.* Thren. III, 16 : *Fregit ad numerum dentes meos.* « *In ore ipsorum,* » ut ipsi verba sua videant esse falsa, et sentiant quasi fracta et vana in seipsis, sicut factum est in Judæis, quando confractis eorum verbis compulsi sunt dicere illud Matth. XXVIII, 13 : *Dicite quia discipuli ejus nocte venerunt, et furati sunt eum vobis dormientibus.* Luc. XIX, 22 : *De ore tuo te judico, serve nequam.*

Et Dominus confringet « *molas leonum.* » Molæ sunt dentes qui comminuunt. Sic eorum voces, quibus Christus in cruci confractus, et quasi comminutus est, molæ dicuntur leonum. Jerem. XII, 8 : *Facta est mihi hæreditas mea quasi leo in silva : dedit contra me vocem.* Sed confregit quando surrexit, et de inferno prædam tulit. Job, XXIX, 17 : *Conterebam molas iniqui, et de dentibus illius auferebam prædam.* Eccli. XXI, 3 : *Dentes leonis, dentes ejus,* et mola ejus ut catuli leonum.

Nota, quod serpenti comparati sunt propter iracundiam, aspidi propter astutiam, leoni propter superbiam. Item, *dentes* habere dicuntur propter divisionem bonorum, quam procurant : *molas* propter ipsorum bonorum comminutionem. De primo, Eccli. XXVIII, 18 : *Virtutes populorum concidit, et gentes fortes divisit,* vel *dissolvit* lingua tertia. De secundo ibidem, ℣. 21 : *Flagelli plaga livorem facit : plaga autem linguæ comminuet ossa.*

« *Ad nihilum devenient.* » Hic secundum. Quasi diceret : Sic confundentur, et quod plus est, si nunc videntur in suo cursu, tamen tandem « *ad nihilum devenient.* » Primo ad nihilum culpæ : peccatores enim nihilum reputantur. Psal. LXXII, 22 : *Ad nihilum redactus sum, et nescivi.* Postmodum ad nihilum pœnæ, damnati in inferno. Sap. III, 16 et 17 : *Filii adulterorum... in nihilum computabuntur.* Item, Sap. IX, 6 : *Si ab illo abfuerit sapientia tua, in nihilum computabitur.* Et hoc « *sicut aqua decurrens,* » quæ cito transit. II Reg. XIV, 14 : *Omnes morimur, et sicut aquæ dilabimur,* etc. Job, VI, 15 : *Fratres mei præterierunt me, sicut torrens qui raptim transit in convallibus.* Et sicut torrens, quia continuo, et cito sicut sol præterit. Seneca : « Quotidie morimur, et ipsum 8

[1] IV Reg. IV, 29 : *Et ille* (Eliseus) *ait ad Giezi : Accinge lumbos tuos, et tolle baculum meum in manu tua, et vade :... et pones baculum meum super faciem pueri.*

« diem in quo vivimus, cum morte divi-
« dimus. »

« *Intendit arcum suum.* » Hic secundum, in quo monstratur misericordia Dei comminantis ut resiliant.

Ait enim : Sic deducentur ad nihilum : et tamen omnes miseriæ istæ sunt ad bonum suum, si volunt, quia « *intendit* » Dominus « *arcum suum,* » comminationem suam de longe ferientem, sicut arcus, et hoc « *donec infirmentur* » in bonum, id est, ut doleant de malis quæ fecerunt, et pœniteant. Hæc est infirmitas quæ fortiorem reddit. I Reg. II, 4 : *Et infirmi accincti sunt robore.* Sic infirmatus est Saulus, quando cecidit, sed postea fortior surrexit [1]. Psal. XXI, 2 : *Infirmati sunt, et ceciderunt.* Michæ. I, 12 : *Infirmata est in bonum, quæ habitat in amaritudinibus.* Etiam legitur, ut arcus appelletur vindicta intensa. Quasi diceret : « *Intendit arcum suum,* » vindictam et pœnam pro peccatis, « *donec infirmentur,* » infirmitate insanabili, scilicet miseria gehenali. Hic est arcus de quo Habac. III, 9 : *Suscitans suscitabis arcum tuum.* Thren. II, 4 : *Tetendit arcum suum quasi inimicus.* Hæc est infirmitas de qua infirmabitur omnis spiritus, *et per cuncta genua fluent aquæ.* Ezech. XXI, 7.

9 « *Sicut cera quæ fluit.* » Hic tertium, in quo postquam præmisit pœnam malorum simpliciter, et subjunxit revocantis Dei misericordiam, addit insanabilem miseriam nolentium corrigi : et dicuntur duo. Primo, velox valde ipsorum destructio, sicut cito cera liquefit coram igne. Secundo, destructionis ratio, ibi, « *Supercecidit.* »

Dicit ergo : Sicut arcum suum intendit comminando ut ipsi convertantur, quod non facient : et propter hoc auferentur igne concupiscentiæ malæ. Eccli. IX, 11 : *Quasi ignis concupiscentia exardescit.* Prov. VI, 27 : *Numquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, ut vestimenta ejus non ardeant ?* Non : quia Job, XXXI, 12 : *Ignis est usque ad perditionem devorans, et omnia eradicans genimina.* Et hinc « *auferentur,* » de terra sua dispersi per totum mundum : quia timuerunt amittere illam si Christum non occiderent. Joan. XI, 48 : *Venient Romani, et tollent nostrum locum, et gentem.* Et hoc, « *sicut cera quæ fluit a facie ignis,* » sic ipsi a facie concupiscentiæ liquefient per diversa vitia, et igne persecutionis fluentes ad diversas terras et loca. Job, VI, 17 : *Tempore quo fuerint dissipati, peribunt : et ut incaluerint, solventur de loco suo.* Mich. I, 4 : *Scindentur sicut cera a facie ignis, et sicut aquæ, quæ decurrunt in præceps.*

« *Supercecidit ignis.* » Hic secundum, scilicet ratio, propter quam sunt juste puniendi : et tangitur duplex. Primo, excæcatio ipsorum igne cupiditatis ut dictum non agnoscant. Secundo, plena possessio ipsorum a concupiscentia, et invidia, ibi, « *Priusquam.* »

Dicit ergo : Sic auferentur, et fluent sicut cera per totum mundum, et digni sunt : quia « *super,* » supple, eos, « *cecidit ignis* » superbiæ, qui tendit sursum. Isa. XIV, 13 : *In cœlum conscendam, super astra cœli exaltabo solium meum.* Et concupiscentiæ, hoc est, avaritiæ, de quo, II Mach. II, 10 : *Descendit ignis de cœlo, et consumpsit holocaustum.* « *Et non viderunt solem* » justitiæ, hoc igne triplici excæcati, de quo Sap. V, 6 : *Erravimus a via veritatis, et justitiæ lumen non luxit nobis.* Malach. IV, 2 : *Orietur vobis timentibus nomen meum sol justitiæ.* Hinc ostenditur, sicut dicit Glossa, quod « sunt quædam peccata, quæ sunt « et peccata, et pœnæ peccatorum. »

« *Priusquam intelligerent.* » Hic secundum, plena possessio a peccato : et dicuntur duo. Primo, plena ipsorum pos- 10

[1] Cf. Act. IX, 3 et seq.

sessio a malitia. Secundo, quod in hac vita (in inferno enim non esset mirum), ibi, « *Priusquam.* »

Sic enim littera ordinata est : Ita sunt excæcati igne concupiscentiæ, et superbiæ, et iræ : qui ignis « *in ira* Dei *sic,* » et non simpliciter, quia Deus non movetur cum irascitur. Vel, « *sic,* » id est, diminuta comparatione ad illam, quæ futura est in inferno existentibus, « *absorbet,* » id est, absorbebit. Antiqua Grammatica, sicut illud Joan. xv, 6 : *Et in ignem mittent, et ardet.* « *Sicut viventes*, id est, dum adhuc sunt non vere vivi, sed sicut viventes, quia carent vita dimidia, scilicet vita gratiæ cum vita naturæ. Luc. x, 30 : *Abierunt, semivivo relicto.* Deut. xi, 6 : *Quos aperto ore suo terra absorbuit* vivos, id est, amor terrenorum.

Et hoc, « *priusquam,* etc. » Hic est duplex littera. Primo enim legatur : « Priusquam spinas vestras rhamnus. » Et est sensus converso sermone ad illos : Et hæc fient vobis, o miseri, « priusquam rhamnus » divinus, adhuc in teneritudine sua producat « spinas vestras, » duras et pungitivas. Ad quod notandum, quod ex peccatorum delectatione, quæ mollis est sicut rhamnus mollis est in principio, et pulcher, surgunt infernales punitiones, sicut ex rhamno spinæ. Sensus ergo est, quod a culpa absorbentur antequam ad æternam damnationem perducantur.

Alia littera communis non discordat quæ talis est : « *Priusquam intelligerent spinæ vestræ,* etc. » Et est sensus : Sic absorbebit viventes ignis, et hoc factum est vobis o infelices, « *priusquam intelligerent,* » id est, intelligere facerent per experimentalem scientiam, « *rhamnum,* » id est, infernum acutissime affligentem.

Hic nota, quod est spina mundanæ sollicitudinis. Matth. xiii, 7, et Luc. viii, 7 : *Exortæ spinæ suffocaverunt verbum.* Tamen multi non sentiunt harum punctiones, de quibus Job, xxx, 7 : *Esse sub sentibus delicias computabant.* Item, sunt spinæ remorsionis conscientiæ, ipsum peccatum quod pungit conscientiam, et cruciat ipsam. Prov. xxiv, 31 : *Operuerant superficiem ejus spinæ.* Peccatum in conscientia est sicut in pede spina : unde dicebat qui hanc senserat punctionem : *Conversus sum in ærumna mea, dum configitur spina* [1]. Item, est spina defensionis, et excusationis peccati. Carnalis enim homo pungit confessores peccatum suum excusando. II Reg. xxiii, 6 et 7 : *Prævaricatores quasi spinæ evellentur universi : quæ non tolluntur manibus. Et si quis tangere voluerit eas, armabitur ferro et ligno lanceato.* Primæ spinæ ad infernum ducunt. Secundæ præsentire faciunt. Et tertiæ tandem illum inevitabiliter procurant.

Spinarum triplex acceptio ex Scriptura.

III

Tertia pars Psalmi.

« *Lætabitur justus.* » Hic tertia pars totius Psalmi, in qua post descriptionem persequentium Christum, et pœnam illorum, subjungitur de bonorum correptione et lætitia pro Dei justitia : vel ut ad unum dicatur fructus et utilitas sequens ex malorum pœna. Et fructus triplex est. Primus, exsultatio de malorum afflictione. Secundus, correctio Sanctorum ipsorum, et profectus in munditia et sanctitate, ibi, « *Manus suas lavabit.* » Tertio, commendatio justitiæ divinæ quæ proficere facit bonos, et punit malos, ibi, « *Et dicet homo.* »

Triplex fructus ex malorum pœna.

Dicit ergo : Sic punietur : et ex hoc, *lætabitur justus cum viderit vindictam,* » id est, divinæ justitiæ rectitudinem affligentem malos pro peccatis suis. Nec est contra illud quod dicitur Job, xxxi, 29 : *Si gavisus sum ad ruinam ejus, qui me oderat*, etc., quia loquitur Job de gaudio quod surgit ex odio et rancore cordis : hic autem de gaudio quo gaudet justus de divina rectitudine, de qua gaudent in præsenti Sancti. Exod. xv, 1, Videntes filii Israel Ægyptios in mari submersos,

[1] Psal. xxxi, 4.

cantabant canticum Domino, et dicebant: *Cantemus Domino*, etc. Sed magis et perfectius gaudebunt in futuro. Isa. LXVI, 24: *Et erunt usque ad satietatem visionis omni carni.* Quippe sic gaudent, quia Deus ipse gaudebit. Prov. I, 26: *Ego quoque in interitu vestro gaudebo, et subsannabo, cum vobis id, quod timebatis, advenerit.* Bernardus: « Non crudelitas, sed modus ipse ordinationis et « æquitatis complaceat, quod Deus vin« dicet in eos. » Et vere sic erit, Luc. XVIII, 7: *Deus autem non faciet vindictam electorum suorum clamantium ad se?*

« *Manus suas.* » Quasi diceret: Non tantum gaudebit, imo etiam corrigetur, et mundior efficietur: quia « *manus suas,* » opera sua, « *lavabit,* » ab immunditia si senserit immundas; ut mundiores sint, si jam habet mundas: « *in sanguine peccatoris,* » in ejus scilicet miseria et morte: inde sumpta lavandi occasione. Gregorius: « In peccantium morientium san« guine Sanctorum animæ manus lavant, « quia dum peccatorum pœna conspici« tur, inspicientis vita mundatur. » Non tantum in hoc sanguine, sed et in pretiosissimo sanguine Christi. Apocalyps. VII, 14: *Laverunt stolas suas et dealbaverunt eas in sanguine Agni*: sumpta occasione, unde plus sordet ille, plus elucescit iste. Apocalyps. XXII, 11: *Qui in sordibus est, sordescat adhuc: et qui sanctus est, sanctificetur adhuc.*

12 « *Et dicet homo: Si utique.* » Hic tertius fructus, et præmeditatio justitiæ in remuneratione bonorum primo. Secundo, in punitione malorum, ibi, « *Utique Deus.* »

Dicit ergo: Sic gaudebit, et congaudendo divinæ justitiæ, « *homo,* » id est, rationabilis et bonus, « *dicet* » intra se: « *Utique est fructus justo.* » Utique est dulce præmium quo reficitur. Isa. III, 10: *Dicite justo quoniam bene: quoniam fructum adinventionum suarum comedet.* Non sic dicet homo animalis, qui quasi ratione caret. I ad Corinth. II, 14: *Animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei.* « *Utique est Deus, judicans eos,* » id est, malos, « *in terra,* » judicio punitionis et afflictionis, de quo in Psal. XXXIV, 1: *Judica, Domine, nocentes me.* Et est hic « *si* » pro quia. Alia littera Augustini est: « Et dicet homo, » sicut prius: « Ergo est fructus justo. » Et sequitur immediate: « Manus suas lavabit, etc. Ergo est Deus judicans eos in terra, » id est, malos, ex quo sic absorbentur ab igne. Et hoc verum est: quilibet enim comedet fructus quales fecit. De malis, Prov. I, 31: *Comedent fructus viæ suæ.* De bonis, Eccli. VI, 19: *Sustine bonos fructus illius.* Ideo monet Apostolus ad Coloss. I, 10: *Ambuletis digne Deo per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes.*

Et nota, quod duodecim sunt fructus justitiæ, quos habet justus de justitia sua in præsenti. Primus, temporalium abundantia. Isa. I, 19: *Si volueritis et audieritis, bona terræ comedetis.* Secundus est habitarum subjectio, velut ad usum suum, et ad bonum. Psal. VIII, 8: *Omnia subjecisti sub pedibus ejus.* Aliter non essent vere sua, sed ipse magis rerum. I ad Corinth. III, 22 et 23: *Omnia vestra sunt: vos autem Christi: Christus autem Dei.* Tertius, spiritualium bonorum augmentatio. Prov. IV, 18: *Justorum semita quasi lux splendens, et crescit et procedit usque ad perfectam diem.* II ad Corinth. III, 18: *Transformamur a claritate in claritatem.* Quartus, multiplicatorum radicatio. Ad Ephes. III, 17: *In charitate radicati et fundati.* Consuetudo enim altera natura est. Quintus est spiritualium consolationum frequens perceptio in doloribus hujus mundi. Psal. XCIII, 19: *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam.* Sextus est secretorum revelatio. Gen. XVIII, 17: *Nunquid celare potero Abraham quid gesturus sum?* Joan. XV, 15: *Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcumque au-*

Duodecim fructus justitiæ in hac vita.

divi a Patre meo, nota feci vobis. Septimus est hilaritas in operando, ut impleatur illud Psal. xcix, 2 : *Servite Domino in lætitia.* Eccli. xxxv, 11 : *In omni dato hilarem fac vultum tuum.* II ad Corinth. ix, 7 : *Non ex tristitia aut necessitate : hilarem enim datorem diligit Deus.* Octavus, jucunditas de triumpho quem sentit se habere de diabolo. Hoc significatum fuit in lætitia filiorum Israel de Ægyptiis. Eccli. xxv, 10 : *Homo qui jucundatur in filiis,* id est, in operibus bonis, quantum ad præcedens : *videns subversionem inimicorum,* quantum ad hoc membrum. Nonus est fomitis debilitatio. Genes. xxxii, 25, Nervus femoris Jacob emarcuit ex lucta cum Angelo. Josue, xi, 6, Præcepit Dominus subnervari equos. Decimus, per certam experientiam eruditio. Sic dicebat Paulus, II ad Corinth. ii, 11 : *Non enim ignoramus cogitationes ejus,* scilicet Satan. Eccli. xxxiv, 10 : *Qui non est expertus, pauca recognoscit.* Undecimus est divinorum prælibatio in contemplatione. Psal. xxxiii, 9 : *Gustate, et videte quoniam suavis est Dominus.* Genes. xxxii, 27, Jacob facie ad faciem vidit Dominum, salvaque facta est anima ejus. Duodecimus, petitorum a Deo adeptio. Psal. xxxvi, 4 : *Delectare in Domino, et dabit tibi petitiones cordis tui.* Alii duodecim numerantur in epistola ad Galat. v, 22 et seq.

Sunt et duodecim quos habebit in futuro. Ezech. xlvii, 12 : *Ex utraque parte* scilicet torrentis, *lignum omne promiferum,* afferens fructus duodecim a dextris, duodecim a sinistris. A dextris affert Christus, qui est lignum vitæ, justis fructus duodecim in patria : a sinistris, in via, fluvio mortis in medio currente.

PSALMUS LVIII.

Orat ut inimici disperdantur : liberatus Deum laudat.

1. *In finem, Ne disperdas, David in tituli inscriptionem, quando misit Saul, et custodivit domum ejus, ut eum interficeret* (I Reg. xix, 11).
2. Eripe me de inimicis meis, Deus meus, et ab insurgentibus in me libera me.
3. Eripe me de operantibus iniquitatem, et de viris sanguinum salva me.
4. Quia ecce ceperunt animam meam : irruerunt in me fortes,
4. Neque iniquitas mea, neque peccatum meum, Domine : sine iniquitate cucurri, et direxi.
6. Exsurge in occursum meum, et vide. Et tu, Domine, Deus virtutum, Deus Israel,
Intende ad visitandas omnes gentes : non miserearis omnibus qui operantur iniquitatem.
7. Convertentur ad vesperam, et famem patientur ut canes : et circuibunt civitatem.
8. Ecce loquentur in ore suo, et gladius in labiis eorum : quoniam quis audivit?
9. Et tu, Domine, deridebis eos : ad nihilum deduces omnes gentes.
10. Fortitudinem meam ad te custodiam, quia, Deus, susceptor meus es.

11. Deus meus, misericordia ejus præveniet me.
12. Deus ostendet mihi super inimicos meos : ne occidas eos, nequando obliviscantur populi mei.
Disperge illos in virtute tua, et depone eos, protector meus, Domine :
13. Delictum oris eorum, sermonem labiorum ipsorum : et comprehendantur in superbia sua.
Et de exsecratione et mendacio annuntiabuntur,
14. In consummatione, in ira consummationis : et non erunt.
Et scient quia Deus dominabitur Jacob, et finium terræ.
15. Convertentur ad vesperam, et famem patientur ut canes : et circuibunt civitatem.
16. Ipsi dispergentur ad manducandum : si vero non fuerint saturati, et murmurabunt.
17. Ego autem cantabo fortitudinem tuam, et exsultabo mane misericordiam tuam :
Quia factus es susceptor meus, et refugium meum in die tribulationis meæ.
18. Adjutor meus, tibi psallam, quia Deus susceptor meus es : Deus meus, misericordia mea.

IN PSALMUM LVIII

COMMENTARIUS.

I *In finem,*
Ne disperdas, David in tituli inscriptionem, quando misit Saul, et custodivit domum ejus, ut eum interficeret[1].

« *Eripe me de inimicis meis.* » Hic est Psalmus octavus in secunda quinquagena, in quo postquam arguit Christi crucifixores, consequenter in hoc videtur arguere sepulcri observatores. Primo quidem voluerunt perimere vitam. Secundo, famam. Quod notatur in titulo qui talis est : « *In finem, Ne* corrumpas, vel *disperdas, David in tituli inscriptionem, quando misit Saul, et custodivit domum ejus, ut interficeret eum.* » Hic notandum, quod habetur I Reg. XIX, 11, quod Saul misit custodiri domum David, ut exiens interficeretur, vel non exiret ab illa : sed per fenestram dimissus est ab uxore sua Michol, et sic evasit.

Psalmus agit contr custodes sepulcri Christi.

Prima pars tituli patet ex prædictis.

[1] I Reg. XIX, 11.

Le titre rapporte ce psaume aux événements racontés I Reg. XIX, 11. Saül avait envoyé des soldats pour garder David dans sa maison, et le mettre à mort le lendemain ; Michol, femme de ce dernier, le fit fuir avant que l'ordre du roi put être exécuté. Cette fuite fut le point de départ de la longue persécution à laquelle David fut en butte de la part de Saül ; on devait donc s'attendre à ce que l'un de ses psaumes en immortalisât le souvenir. C'est le but et le sujet de ce miktham qui, bien entendu, ne fut pas composé à l'heure même, pas plus que les autres psaumes analogues ; aussi le psalmiste n'y retrace-t-il qu'en traits généraux le danger qu'il a couru ; mais il y consigne ses émotions, et surtout les sentiments de gratitude dont il se croit redevable vis-à-vis du Seigneur. D. Calmet, comparant les idées de ce psaume avec le récit des Rois, n'y trouve pas une concordance suffisante dans tous les détails ; et surtout le mot *goim* deux fois répété, ℣℣. 6, 9, et appliqué d'ordinaire aux gentils, lui paraît en contradiction avec le sujet indiqué par le titre ; aussi croit-il le psaume composé par Esdras au temps de Néhémie. D'autres auteurs, protestants et en petit nombre, soutiennent une semblable conclusion. Or, ni le mot *goim*, quelques autres expressions particulières ne fournissent aucune preuve concluante contre l'authenticité du titre.

Les commentateurs divisent ordinairement le psaume en quatre parties assez nettement

Psalmus hic dirigens nos « *in finem,* » Christum scilicet, moneo « *ne* » tu quicumque es, corrumpas vel « *disperdas, David* », non in se, sicut prius, sed « *in tituli inscriptionem* » ipsum negando verum Regem. « *Quando misit Saul,* » qui formam Judæorum retinuit in hoc facto, id est, majores Judæorum, « *et custodivit* » Synagoga illa, id est, custodiri fecit « *domum ejus*, » scilicet quæ fuit domus antiquissima, et adhuc ab alio, Joseph scilicet ab Arimathea, mutuata, « *ut interficeret eum* », non corporaliter, jam enim sic interfecerat, sed famam ejus et resurrectionis quantum in se erat, impediret. Matth. xxvii, 64 : *Jube,* domine, *custodiri sepulcrum.* Et tunc dixit eis Pilatus : *Habetis custodiam,* etc. Sed inanis fuit eorum intentio, quia surrexit, et gentes ad fidem ipsius conversæ sunt : et in fine mundi Judæi convertentur, sicut prophetatur in Psalmo, qui divisus est in tres partes.

In prima præmittitur oratio. In secunda, prædictio, ibi, « *Convertentur ad vesperam.* » In tertia gratiarum actio, ibi, « *Ego autem cantabo.* »

In prima duo. Primo orat Christus pro seipso. Secundo, pro Gentium conversione, ibi, « *Et tu, Domine Deus virtutum.* »

Item, in prima duo, secundum duo quæ petit. Primo petit liberationem. Secundo, liberationis accelerationem, ibi, « *Exsurge in occursum.* »

Item, in prima duo. Primo, liberatio. Secundo, persuasio, quod debeat exaudiri, ibi, « *Quia ecce ceperunt.* »

In prima tria, secundum tria genera inimicorum a quibus petit liberari. Primi sunt inimici corde. Secundi, ore, ibi, « *Et ab insurgentibus.* » Tertii, opere, ibi, « *Eripe me de operantibus.* »

Dicit ergo : « *Deus* » qui scis, et potes, « *meus,* » unde bene debes : « *eripe me de inimicis meis.* » Inimici proprie hic dicuntur, qui oderunt corde, quales erant Judæi ad Christum. Joan. xv, 25 : *Odio habuerunt me gratis.* Quippe Amos, v, 10 : *Odio habuerunt corripientem in porta : et loquentem perfecte abominati sunt.* Sic et mali generaliter bonos oderunt. Exod. i, 13 : *Oderantque filios Israel Ægyptii,* sicut Cain Abel, Gen. iv, Ismael Isaac, ejusdem, xxi, et Esau Jacob, ejusdem, xxviii. 2 Prima pars Psalmi.

« *Et ab insurgentibus in me,* » id est, contra me, odium ostendendo per verba, « *libera me.* » Quales erant qui dicebant ad Christum, Joan. viii, 48 : *Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu,* etc. Et in eodem, vii, 20 : *Dæmonium habes : quis te quærit interficere?* Sic post odium cordis quod habent mali ad bonos, addit irrisiones. Job, xii, 4, 5 : *Deridetur justi simplicitas : lampas contempta apud cogitationes divitum :* unde in fine dicturi sunt : Sapient. v, 3 : *Hi sunt quos aliquando habuimus in derisum.*

« *Eripe me de operantibus.* » Hic tertium, in quo dicuntur duo. Primo, persecutio opere. Secundo, persecutionis consummatio, ibi, « *Et de viris.* » 3

tranchées ; la première et la troisième strophes se termine par un séla ; les deux autres commencent par une sorte de refrain identique, et finissent par un autre dont la répétition n'est point littérale. Cette division porte plutôt sur la forme que sur le fond des idées. Pour être en harmonie avec la mesure prosodique du mode *al thashchet,* il faudrait diviser le psaume en cinq strophes semblables à celles des deux psaumes qui précédent.

Les Pères appliquent ce psaume au Messie persécuté par les Juifs. « Prædicit gentium vocationem et Judæorum dispersionem ». Theod. Le chrétien peut le réciter lui-même, « quando domus corporis a principe hujus mundi custodiri præcipitur, ut capiamur et interficiamur gladio cujuscumque peccati. » Arnob. ap. Thalhofer.

H. Lesètre.

Dicit ergo : Sic eripe a prædictis, et etiam « *eripe de operantibus iniquitatem* » in me, et contra me, quia colaphizant me. Matth. xxvi, 68, Et dabant ei alapas, dicentes : *Prophetiza nobis Christe, quis est qui te percussit?* Mich. v, 1 : *Percutient maxillam judicis Israel.* Sic impii pios, Isa. lviii, 4 : *Ad lites et contentiones jejunatis, et percutitis pugno impie.* Sed Deus liberabit tandem et eripiet suos. Job, xxxvi, 15 : *Eripiet de angustia sua pauperem.* II ad Corinth. i, 10 : *Qui de tantis periculis nos eripuit.*

« *Et de viris sanguinum,* » qui sanguinem meum sitiunt effundere, « *salva me.* » Matth. xxvii, 25 : *Sanguis ejus super nos, et super filios nostros.* Sic mali sanguinem et mortem bonorum sitiunt qui eos corripiunt. Prov. xxix, 10 : *Viri sanguinum oderunt simplicem.* Sed ab iis cito liberat, quia moriuntur cito. Supra, in Psal. liv, 24 : *Viri sanguinum, et dolosi, non dimidiabunt dies suos.*

4 « *Quia ecce ceperunt.* » Hic persuasio, quod debet exaudiri, et primo suadet ab illorum malitia. Secundo, a sua innocentia, ibi, « *Neque iniquitas.* »

In prima duo. Primo, perfecta iniquitas. Secundo, iniquitatis aviditas, ibi, « *Irruerunt.* »

Ait ergo : Sic rogo, et necesse est, quod exaudias, quia « *ecce fortes,* » id est, divites et potentes in hoc sæculo, Pilatus, et Herodes. Prov. xviii, 11 : *Substantia divitis urbs roboris ejus.* De hac fortitudine Pilatus gloriabatur, Joan. xix, 10 : *Nescis quia potestatem habeo dimittere te?* Vel, « *fortes,* » sua reputatione Judæi, et illorum principes, qui se tam fortes reputabant, ut Deo non obedirent, sed suam justitiam statuerent. Ad Rom. x, 3 : *Ignorantes justitiam Dei, et suam quærentes statuere, justitiæ Dei non sunt subjecti.* Sic peccatores omnes et superbi bonos impugnantes, fortes sunt fortitudine mala. Jerem. xxiii, 10 : *Factus est cursus eorum malus, et fortitudo eorum dissimilis.* Sap. ii, 11 : *Sit fortitudo nostra lex justitiæ.* Fortitudo ista sanitas non est, sed insania.

« *Ceperunt animam meam,* » vitam scilicet temporalem abstulerunt. Thren. iii, 52 : *Venatione ceperunt me, quasi avem.* Et infra, iv, 20 : *Spiritus oris nostri Christus Dominus captus est in peccatis nostris.* Hoc intendebant in Psal. xxx, 14 : *Accipere animam meam consiliati sunt.*

« *Irruerunt in me fortes,* » cum impetu, cum aviditate capiendi animam meam. Job, xxx, 14 : *Quasi rupto muro, et fracta janua irruerunt super me.* Act. vii, 56 : *Et impetum fecerunt unanimiter in eum.* Hos arguit in Psal. lxi, 4 : *Quousque irruitis in hominem?* Isa. xxv, 4 : *Spiritus robustorum quasi turbo impellens parietem.* Sed tandem miseria irruet sicut fluvius in eos. Job, xxii, 16 : *Viri iniqui sublevati sunt ante tempus suum, et fluvius subvertit fundamenta eorum.* Exod. xv, 16 : *Irruat super eos formido et pavor, in magnitudine brachii tui.*

« *Neque iniquitas mea.* » Hic sumitur 5
ratio ab innocentia sua, quam ostendit complete in duobus. In carentia mali, et præsentia boni, ibi, « *Sine iniquitate.* » Duo autem mala ostendit a se removere, cordis, et operis, ibi, « *Neque peccatum.* »

Ait enim : Sic impugnant, quod debet te movere ad eripiendum. Et etiam o Domine, « *neque iniquitas mea,* » hoc est, cordis mei est contra illos. Jerem. ii, 5 : *Quid invenerunt patres vestri in me iniquitatis?* « *Neque peccatum,* » est causa quare me persequuntur. Peccatum, inquam, in ore vel opere. I Petr. ii, 22 : *Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus,* etc[1]. Supra, Psal. i, 1 : *Non abiit*

[1] Cf. Isa. liii, 9.

in consilio impiorum, et in via peccatorum non stetit, et in cathedra pestilentiæ non sedit.

« *Sine iniquitate.* » Hic additur carentiæ mali, boni præsentia : et hoc duplicis. Primo, quantum ad se. Secundo, quantum ad alios, ibi, « *Et direxi.* »

Ait ergo : Sic sine iniquitate fui, « *et cucurri.* » In via hujus vitæ ambulat, qui implet mandata : sed currit, qui consilia. I ad Corinth. IX, 24 : *Sic currite ut comprehendatis.* II ad Tim. IV, 7 : *Cursum consummavi,* etc. Et hoc, « *sine iniquitate,* » id est, sine intentionis perversitate. Isa. XXVI, 7 : *Semita justi recta est, rectus callis ad ambulandum.* Sine obliquitate perversæ intentionis, et sine palliatione simulationis. Jacob. III, 17 : *Quæ desursum est sapientia.... sine simulatione est.*

Et direxi, » alios ad bonos quantum potui, et verbo et exemplo : implens ad quod missus eram. Luc. I, 73 : *Ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.* « *Direxi* » etiam, omnia referendo ad te. I ad Cor. X, 31 : *Sive comeditis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.*

6 « *Exsurge in occursum.* » Hic est secundum primæ partis totius Psalmi, in quo post petitam liberationem, petit liberationis accelerationem. Et primo, petit accelerationem. Secundo accelerationis manifestationem, ut non solum cito illum liberet, sed etiam liberationem manifestet, ibi, « *Et vide.* »

Ait enim : Sic me affligunt, et injuste : et propter hoc o Domine « *exsurge,* » qui dormire videris, « *in occursum meum,* » ut occurrens liberes me, et inimicos dissipes. Num. X, 35 : *Surge, Domine, et dissipentur inimici tui.*

Vel, « *exsurge in occursum meum,* » id est, mihi currenti ad te per obedientiam, occurens per exauditionis accelerationem, Isa. LXIV, 5 : *Occurristi lætanti et facienti justitiam.* Non enim potest se continere pius, quin occurrat currenti ad se. Exod. IV, 14 : *Aaron frater tuus... egreditur in occursum tuum.* Matth. XXV, 10 : *Quæ paratæ erant, intraverunt cum eo ad nuptias.* Jacob. IV, 8 : *Appropinquate Deo, et appropinquabit vobis.*

« *Et vide,* » id est, videre fac, quod occurreris, non solum meam resurrectionem mundo manifestando, sed etiam mei ad te æqualitatem : occurrere enim Patrem Filio, et Filium Patri, est æquales in omnibus esse. Et hoc videre, id est, facere quod videatur, est hoc ipsum mundo manifestare, quamvis minor credatur ex infirmitate. Videre etiam facit, quod alicui occurrerit, quando constantiam in tribulationibus se elegisse ostendit. Deuter. XIII, 3 : *Tentat vos Dominus Deus vester, ut palam fiat utrum diligatis eum annon :* sicut Genes. XXII, 12 : *Nunc cognovi,* id est, cognoscere feci, *quod times Deum.*

« *Et tu Domine Deus virtutum.* » Hic secunda pars totius primæ partis in qua orat. Oratione enim præmissa pro sua liberatione, hic subjungitur pro gentium conversione : et dicuntur duo. Primo, confitetur quod orat potentiam, et sic allicit ad consentiendum. Secundo, subjungit deprecationem, ibi, « *Et intende ad visitandas.* »

Confitetur autem potentiam quantum ad cœlestia. Secundo, quantum ad terrena, ibi, « *Deus Israel.* »

Dicit ergo : Sic libera, et eripe, et tu etiam « *Domine virtutum* » cœlestium. Supra, Psal. XXIII, 10 : *Dominus virtutum, ipse est rex gloriæ.* Angeli enim virtutes cœlorum appellantur. Luc. XXI, 26 : *Nam virtutes cœlorum movebuntur.* Vel, « *Deus virtutum* » gratuitarum, et gratum facientium dator. Jacob. I, 17 : *Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est,* etc. « *Deus Israel,* » etiam hominum, sed specialiter Israelitarum, quasi Deus cœli et terræ. Judith, IX, 17 : *Creator aquarum, et Dominus totius creaturæ.*

« *Intende ad visitandas.* » Hic secundum, in quo subjungitur oratio : et dicuntur duo. Primo, petit. Secundo, addit modum quo impleri velit petitum, ibi, « *Et non miserearis.* »

Dicit ergo : Sic potens es, et propter hoc peto, « *intende ad visitandas omnes gentes,* » visitatione bona ut convertantur, non mala ut damnentur. Notandum ergo est, quod est visitatio perscrutationis et discussionis, qua visitabit Deus in die judicii, Soph. I, 12 : *Scrutabor Jerusalem in lucernis, et visitabo super viros defixos in fæcibus suis.* Et est visitatio ultionis temporalis, Isa. x, 3 : *Quid facietis in die visitationis, et calamitatis de longe venientis? ad cujus confugietis auxilium?* Et est visitatio æternæ damnationis si præcedens non valet, Isa. XXIV, 22 : *Post dies multos visitabuntur,* dicitur de damnatis, non ad liberationem, ut somniavit Origenes, sed renovationis ad pœnam. Sed est visitatio bona liberationis a malo, Jerem. xv, 15 : *Tu scis Domine, recordare mei, et visita me, et erue me.* Sic visitavit Petrum [1]. Et beneficii temporalis : Sic dicitur visitasse Saram quando dedit ei filium, Genes. XXI, 1 et 2 : *Visitavit Dominus Saram,... concepitque et peperit filium.* Et postmodum Rebeccam [2]. Superadditionis gratuitorum non gratum facientium, sicut propheticæ inspirationis, Eccli. XLIX, 18 : *Ossa ipsius visitata sunt, ut post mortem prophetarent.* Collationis abundantis bonorum gratum facientium, de qua in Psal. LXIV, 10 : *Visitasti terram,* liberi arbitrii : *et inebriasti eam,* omni gratia spirituali. Conservationis datorum, Job, x, 12 : *Visitatio tua custodivit spiritum meum.* Et redemptionis, quod est fons et origo boni, Luc. I, 78 : *Visitavit nos oriens ex alto.*

Variæ visitationis species.

« *Non miserearis.* » Hic secundum, in quo determinat modum : et legitur multipliciter. Primo enim iniquitas accipi potest universaliter pro omni peccato. Et sic primo legitur. Vel pro peccato in Spiritum sanctum : et hoc simpliciter comparatione ad omnes : vel comparatione ad Judæos.

Dicit ergo : Sic visita omnes gentes visitatione misericordiæ, non tamen pereat omnis justitia : imo visita, « *et non miserearis,* » penitus dimittendo omnibus qui operantur iniquitatem, ne facilitas veniæ incentivum præbeat delinquendi. Isa. XXVI, 15 : *Indulsisti genti, Domine, indulsisti genti, numquid glorificatus es?* Et in eodem, XXVI, 10 : *Misereamur impio, et non discet justitiam.* Propter hoc flagella ad bonum ut aliquo modo satisfaciant, et etiam flagella ut a futuris malis resipiscant. Osee, II, 6 : *Sepiam viam tuam spinis.* Et ut æternam damnationem non exspectent. II Machach. VI, 13 : *Etenim multo tempore non sinere peccatoribus ex sententia agere, sed statim ultiones adhibere, magni beneficii est indicium.*

Vel ad peccatum in Spiritum sanctum referatur : « *Non miserearis omnibus qui operantur iniquitatem,* » illam quæ nulla misericordia digna est, scilicet qui peccant in Spiritum sanctum. I Joan. v, 16 : *Est peccatum ad mortem : non pro illo dico ut roget quis.* Vel, « *non miserearis omnibus qui operantur iniquitatem,* » hanc, scilicet Judæis, etsi ex abundanti tu aliquibus miserearis, ut sint de illis de quibus Luc. XII, 10 : *Qui in Spiritum blasphemaverit, non remittetur ei,* neque in hoc sæculo, neque in futuro [3].

7

Secunda pars Psalmi.

« *Convertentur ad vesperam.* » Hic secunda pars totius Psalmi hujus, in qua postquam oravit, prædicit quæ futura sunt de conversione Gentium et Judæorum ad fidem. Et primo, de conversione Gentium. Secundo, Judæorum, ibi, « *Con-*

[1] Cf. Act. XII, 7 et seq.

[2] Cf. Genes. XXV, 21.

[3] Cf. etiam Matth. XII, 32, et Marc. III, 29.

vertentur ad vesperam : » secundo, positum.

In prima quatuor. Primo prædicitur conversio primitivorum de Gentibus. Secundo, devotio illorum et fervor ad alios convertendum, ibi, « *Et famem patientur.* » Tertio, modus convertendi aliquos per prædicationem continuam, ibi, « *Ecce loquentur.* » Quarto, non credentium eis pœna, et credentium fructus, ibi, « *Et tu, Domine, deridebis.* »

Dicit ergo : Rogavi ut intendas ad conversionem Gentium, et sic facies, quia « *convertentur ad vesperam,* » in fine scilicet mundi. I ad Cor. x, 11 : *Hæc omnia... scripta sunt ad correptionem nostram, in quos fines sæculorum devenerunt.* I Joan. ii, 18 : *Filioli, novissima hora est.* Et dicit, « *Convertentur,* » non convertent se, quia Dominus convertit eos qui convertuntur, quicumque sunt illi. Psal. lxxxiv, 5 : *Converte nos, Deus salutaris noster.* Jerem. xv, 19 : *Si converteris, convertam te.*

« *Et famem patientur.* » Hic fervor monstratur in duobus. In desiderio interiori primo. Secundo, in sollicitudine, et labore exteriori, ibi, « *Et circuibunt.* »

Dicit ergo : Sic convertentur, et conversi famem patientur, id est, desiderium vehemens convertendi alios, et corrigendi.

Et nota, quod justi patiuntur famem quadruplicem. Primo, audiendi verbum Dei, Amos, viii, 11 : *Mittam famem in terra, non famem panis, neque sitim aquæ, sed audiendi verbum Dei.* Bene operandi, Matth. v, 6 : *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam : quoniam ipsi saturabuntur.* Et alios incorporandi, sicut hic dicitur. Sic esuriebat Paulus ad Philip. i, 8 : *Testis est mihi Deus, quomodo cupiam omnes vos in visceribus Jesu Christi.* Hæc significata fuit in fame Petri[1]. Hæ tres in via. Sed tandem erit quarta in patria, scilicet videndi Deum.

lruplex storum mes.

Eccli. xxiv, 29 : *Qui edunt me, adhuc esurient.*

Famem, inquam, patientur, latrando « *ut canes,* » per prædicationem et vitiorum repressionem : et non sunt de illis, de quibus Isa. lvi, 10 : *Canes muti non valentes latrare.* Hi sunt canes linguam habentes medicinalem. Luc. xvi, 21 : *Canes veniebant, et lingebant ulcera ejus.*

« *Et circuibunt civitatem,* » sollicite eam muniendo, « *civitatem* » scilicet Ecclesiæ, exemplo Christi, de quo Matth. iv, 23 : *Circuibat Jesus totam Galilæam.* Cantic. iii, 2 : *Surgam, et circuibo civitatem.* Proverb. vi, 3 : *Discurre, festina.*

« *Ecce loquuntur.* » Hic tertium, in 8
quo tangitur modus prædicandi : et dicuntur duo. Primo, declarat modum. Secundo, probat ipsum, ibi, « *Quoniam quis.* »

In prima tria. Parata voluntas ad docendum, ibi, « *Ecce loquentur.* » Secundo, prolationis facultas, ibi, « *In ore suo.* » Tertio, efficacia verbi et potestas, ibi, « *Et gladius.* »

Dicit ergo : Sic ferventes erunt ad conversionem aliorum : quoniam « *ecce loquentur.* » In promptu est ut alios doceant. Hoc necessarium est Prælato, I Petr. iii, 15 : *Parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea, quæ in vobis est, spe.* Eccli. vi, 5 : *Lingua eucharis in bono homine abundat.* Prov. xiv, 6 : *Doctrina prudentium facilis.*

« *In ore suo,* » proprio non in alieno ore, vel vicario. Videtur enim esse paganus, vel barbarus qui per interpretem loquitur. Genes. xlii, 23 : *Nesciebant autem quod intelligeret Joseph : eo quod per interpretem loqueretur ad eos.*

« *Et gladius in labiis eorum,* » ad penetrandum efficaciter corda auditorum.

[1] Cf. Act. x, 10.

Gladius, de quo ad Ephes. VI, 17 : *Et gladium spiritus, quod est verbum Dei.* Hic de quo Matth. X, 34 : *Non veni pacem mittere* in terram; *sed gladium.* Et Isa. XLIX, 2, dicit prædicator : *Posuit os meum quasi gladium acutum.* Ad Hebr. IV, 12 : *Vivus est sermo Dei, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti.*

« *Quoniam quis audivit?* » Hic probatio modi præmissi. Quasi diceret : Vere ita est, « *quoniam quis audivit* » umquam talia, quæ ab eis dicuntur? Quasi dicat : Nullus : unde alia littera addit, « Talia verba. » Miracula ut impleatur in ipsis quod de Magistro illorum dicitur, Luc. IV, 22 : *Mirabantur omnes in verbis gratiæ quæ procedebant ex ore ejus.* Et Joan. VII, 46 : *Numquam sic locutus est homo, sicut hic homo*, supple, loquitur. De miraculis, Joan. XIV, 12 : *Qui credit in me, opera quæ ego facio, et ipse faciet, et majora horum faciet.* Ad Hebræ. XI, 33 et 34 : *Obturaverunt ora leonum, exstinxerunt impetum ignis.*

9 « *Et tu, Domine, deridebis.* » Hic quartum, in quo subjungit miseriam nolentium illis acquiescere, et hoc primo. Et acquiescentium fructum, et hoc secundo, ibi, « *Fortitudinem meam.* »

In prima duo. Primo, irrisio illorum qui non consentient. Secundo, irrisorum captivatio, ibi, « *Ad nihilum,* » vel magis elongatio a vero esse.

Dicit ergo : Sic prædicabunt : aliqui vero non credent : et propter hoc, « *tu, Domine, deridebis eos.* » Prov. I, 26 : *Ego quoque in interitu vestro ridebo.* Et justum est, Proverb. III, 34 : *Ipse deludet illusores.* Et Psal. II, 4 : *Qui habitat in cœlis irridebit eos, et Dominus*, etc.

« *Ad nihilum deduces omnes gentes,* » quæ non consentient illis a vero esse repellendo, et jungendo ei qui non est. Job, XVIII, 15 : *Habitent in tabernaculo illius socii ejus, qui non est*, diaboli scilicet. Ezech. XXVIII, 19, dicitur diabolo : *Nihili factus es.* Et Boetius dicit, quod « mali homines non sunt. » Isa. XL, 15 : *Ecce gentes quasi stilla situlæ.* Et ℣. 17 : *Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo.* Et XXXIV, 11, de Babylone : *Extendetur super eam mensura, ut redigatur in nihilum.* Act. V, 36 : *Omnes*, qui crediderunt Theodæ, *dissipati sunt, et redacti ad nihilum.*

« *Fortitudinem meam ad te.* » Hic se- 10
cundum, in quo subjungitur bonum volentium acquiescere prædicationi, conversorum in principio Ecclesiæ.

Et est duplex. Bona ordinatio ad Deum primo. Secundo, ad proximum, ibi, « *Ne occidas eos.* »

In prima duo. Primo confitetur conversus se bene ordinatum ad Deum. Secundo, hujus rei debitum, ibi, « *Quia Deus susceptor.* »

Dicit ergo : Vere illi erunt derisi, et ad nihilum redacti : « *ego vero,* » dicit Ecclesia, « *custodiam fortitudinem meam,* » a te mihi datam. Job, XXXIX, 19 : *Numquid præbebis equo fortitudinem?* Hæc fortitudo de qua Isa. XL, 31 : *Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem.* Et hoc, « *ad te,* » semper totum dirigens, et numquam a te recedens, ut non dicam illud Job, VI, 11 : *Quæ est fortitudo mea ut sustineam? aut quis finis meus ut patienter agam?* Et est contra fervorem novitiorum, qui fortitudinem suam non custodiunt, illam ad Dei servitium conservando, sed statim enervant. Sed in lege, mulier quæ auferebat virilia, sine omni misericordia puniebatur[1]. Hoc est contra illos, qui totam ætatis fortitudinem volunt non ad Deum, sed ad mundi servitium retorquere, cum dictum sit, Exod. XXXIV, 26, quod Deo primitiæ offerantur[2].

[1] Cf. Deuter. XXV, 11.

[2] Deest in editione Lugdunensi commentarius et expositio ℣. 11 : *Deus meus, misericordia ejus præveniet me.*

12 « *Deus ostendet mihi.* » Hic signum, quod misericordia prævenit, et magna. Quasi diceret : Sic misericordia præveniet me, et hoc « *ostendit mihi Deus.* » Hujus rei dedit mihi signum, « *super inimicos meos,* » id est, inimicis meis sic reprobatis, et ad malum præparatis, et præscitis. Ad Rom. xi, 22 : *Vide bonitatem et severitatem Dei.* In eos quidem qui ceciderunt, severitatem, in te autem, bonitatem. Deus enim ad ostendendam majorem in suis misericordiam, exercet in aliis justitiam. Ad Rom. ix, 22 et 23 : *Sustinuit in multa patientia, vasa iræ, apta in interitum, ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ.*

« *Ne occidas eos.* » Hic secundus fructus, scilicet bona ordinatio ad Christum, id est, oratio pro ipso, non pro quocumque, sed etiam pro inimico : et dicuntur duo. Primo petit a quo vult illis caveri. Secundo, quid conferri, ibi, « *Disperge illos.* »

In prima duo. Primo, petitio. Secundo, petitionis ratio, ibi, « *Nequando obliviscantur.* »

Dicit ergo : Sic ostendit mihi super inimicos meos : sed o Domine, « *ne occidas eos,* » spiritualiter occidi permittas, vel etiam corporaliter antequam convertantur. Matth. vi, 44 : *Orate pro persequentibus et calumniantibus vos,* sicut et Christus fecit, Luc. xxiii, 4, et Stephanus, Act. vii, 9.

« *Nequando.* » Hic ratio. Quasi diceret : Ne occidas eos, « *nequando obliviscantur populi mei,* id est, ne tradant me oblivioni populi, ut *mei* sit casus genitivi : multum enim valet ad Dei memoriam exercitium ab inimicis infidelibus habitum. Isa. xxviii, 19 : *Vexatio intellectum dabit auditui.* Si autem intelligatur de Judæis specialiter, optime, quia adhuc orat Christus et Ecclesia ut serventur, ut per ipsos passionis memoria suscitetur in nobis, et veritas probetur per ipsos qui adversarii sunt.

Quare Judæi reservantur? Notandum enim, quod Judæi reservantur, nec occiduntur in exemplum cautelæ, ut exemplo ipsorum, qui de tanta familiaritate dejecti sunt ad tantam miseriam, timeamus et caveamus. Prov. xxi, 11 : *Mulctato pestilente sapientior erit parvulus.* In servitium, ut sint asini nostri deferentes ubique propter nos codices Hebraicæ veritatis, ad usum Ecclesiæ, si opus esset. Augustinus hic dicit, quod « dispersi sunt per mundum, ut « nobis ubique codices deportarent. » Item, in opprobrium suum, ut vilificentur ab omnibus, qui omnium Deum vilificaverunt. Psal. lxxviii, 4 : *Facti sumus opprobrium vicinis nostris, subsannatio, et illusio.* In testimonium eorum quæ gesta sunt contra Christum. Genes. iv, 15 et 16 : *Posuit Dominus Cain* interfectore fratris *signum, et habitavit profugus in terra.* Et ultimo in aculeum, ut videntes ipsos pungamur, et renovetur in nos memoria passionis Christi, et doleamus. Job, xxi, 6 : *Quando recordatus fuero, pertimesco, et concutit carnem meam tremor.*

Alia littera habet : « Nequando obliviscantur meæ. » Et est sensus : Ne occidas, et expone, me. « Nequando obliviscantur legis meæ : » quod esset quædam mors, imo vera mors. Prov. iv, 22 : *Vita enim sunt invenientibus ea, et universæ carni sanitas.* Et loquitur de præceptis.

« *Disperge illos in virtute tua.* » Hic secundum. Primo, enim petit a quo vult eis caveri, hic quid conferri, quia miseriam, ad bonum suum tamen. Secundo, utilitatem ex illa consequentem, ibi, « *Delictum oris.* » Pœnam petit eis duplicem. Dispersionem primo. Secundo, dejectionem, ibi, « *Et depone.* »

Dicit ergo : Sic rogavi ne occidas, sed magis « *disperge illos,* » quoscumque Ecclesiæ inimicos, vel specialiter Judæos : et hoc, « *in virtute tua.* » Deut. xxviii, 64 : *Disperget te Dominus in omnes populos a summitate terræ usque ad terminos ejus.* Jerem. xv, 4 : *Dabo eos in fervorem universis regnis terræ.* Et infra,

ỳ. 7 : *Dispergam eos ventilabro in portis terræ.*

« *Et depone eos, protector meus, Domine,* » de sua superbia et elatione : vel ab omni gloria dejiciens, et honore, secundum Virginis prophetiam, Luc. I, 52 : *Deposuit potentes de sede.* Eccli. x, 17 : *Sedes ducum superborum destruxit Deus, et sedere fecit mites pro eis.* Isa. XXII, 19 : *Expellam te de statione tua.*

13 « *Delictum oris eorum.* » Precatur eis utilitatem consequentem ex illa pœna, et hanc duplicem. Confusionem de culpa primo. Conversionem ad Christum secundo, ibi, « *Annuntiabuntur.* »

In prima duo. Primo, ut peccatum eorum annihiletur, vel frustretur. Secundo, quod conversio sequatur, ibi, « *Et comprehendantur.* »

Dicit ergo : Sic depone eos, et etiam « *delictum oris eorum.* » Vel occide, vel dimitte. Et inculcat : « *Et sermonem labiorum ipsorum.* » Vel primum refertur secundum Glossam ad peccatum cordis, et sic os cordis intelligitur : secundum ad peccatum oris. Vel melius potest dici, quod in primo tangitur peccatum oris. In secundo, diligentia in peccando. Hæc ergo petit annihilari, quæ dixerunt contra se, cum dicebant, Joan, VIII, 48 : *Nonne bene dicimus nos quia Samaritanus es tu, et dæmonium habes?* Et illud Matth. XXVII, 63 : *Domine, recordati sumus, quia seductor ille dixit adhuc vivens : Post tres dies resurgam.*

« *Et comprehendantur.* » Hic secundum, in quo petit confusionem consequentem.

Ait enim : Sic peccator destruatur, « *et comprehendantur,* » confusi et stupefacti, « *in superbia sua,* » qua superbiunt contra Christum : quod factum est in multis Judæorum. Videntes enim, quod nihil profecerunt Christum occidendo, et contra ipsum superbiendo, comprehensi sunt in hac confusione sua. Eccli. XXIII, 8 : *In vanitate sua apprehenditur peccator et superbus.* Job, v, 13 : *Apprehendit sapientes in astutia eorum.* Osee, x, 6 : *Confusio Ephraim capiet eum.*

Et etiam comprehendantur confusi, « *de exsecratione* », qua Christum sunt exsecrati. Eccli. I, 32 : *Exsecratio peccatori cultura Dei,* Christus de quo I ad Corinth. I, 23 : *Prædicamus Christum crucifixum Dei virtutem, et Dei sapientiam.*

« *Et de mendacio,* » Scripturarum ab ipsis corruptarum, quod est perniciosum mendacium, de quo Sap. I, 11 : *Os quod mentitur, occidit animam.* Psal. v, 7 : *Perdes omnes qui loquuntur mendacium.*

« *Annuntiabuntur.* » Hic secundum, in quo prædicendo precatur eorum conversionem ad præmissam confusionem consequentem : et dicuntur tria. Primo, prædicitur confusionis tempus. Secundo, modus, ibi, « *In ira consummationis.* » Tertio, conversio ipsa, ibi, « *Et non erunt.* »

Ait enim : Sic peto ut bona confusione confundantur : et sic ulterius « *annuntiabuntur* » ab Apostolis et prædicatoribus convertendi.

Et hoc « *in consummatione* » sæculi, quemadmodum dicit Paulus ad Roman. **14**
XI, 25, quod postquam plenitudo Gentium intraverit, convertentur, ut sic omnis Israel salvus sit[1]. Vel convertendi « *in consummatione* : » erunt enim viri perfectissimi qui in fine convertentur, secundum illud ad Roman. v, 20 : *Ubi abundavit delictum, superabundavit gratia.* Isa. x, 22 : *Consummatio abbreviata mundabit justitiam.* Et addit modum seu causam conversionis : et hæc fient « *in ira consummationis,* » non consum-

[1] Ad Roman. XI, 25 et 26 : *Cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo Gentium intraret, et sic omnis Israel salvus fieret.*

ptionis : quia percutit filios suos Deus ad modicum ut revocet eos ab errore. Isa. LIV, 7 : *Ad punctum in modico dereliqui te, et in miserationibus magnis congregabo te.* Ad Rom. VIII, 28 : *Omnia cooperantur in bonum,* « Ipse casus, » dicit Glossa, *his qui secundum propositum vocati sunt sancti.*

« *Et non erunt.* » Hic tertium, ipsa conversio plena, in quo primo tangitur ipsa conversio. Secundo, profectus post conversionem, ibi, « *Et scient.* »

Ait enim : Sic annuntiabuntur ab Apostolis et prædicatoribus convertendi, et per iram Dei bonam, « *et non erunt* » impii deinceps, a malo in bonum mutati. I Reg. x, 6 : *Mutaberis in virum alium.* Proverb. XII, 7 : *Verte impios, et non erunt,* sicut factum est in Paulo, qui dicit de seipso ad Galat. II, 20 : *Vivo autem, jam non ego, vivit vero in me Christus.*

« *Et scient quia ego sum Deus.* » Hic tangitur profectus post conversionem, scilicet cognitio potestatis divinæ super Judæos, et hoc primo. Et super Gentiles, ibi, « *Et finium.* »

Dicit ergo : Sic rogo ut convertas eos, et jam non erunt impii, et etiam scient omnes, « *quia Deus dominabitur Jacob,* » Judæorum de Jacob descendentium.

« *Et finium terræ,* » Gentilium scilicet qui in finibus terræ habitabant, comparatione ad Judæos qui erant in medio, scient tribulationibus erudiri. Isa. XXVIII, 19 : *Vexatio intellectum dabit auditui.* Ezech. XII, 20 : *Civitates quæ nunc habitantur, desolatæ erunt, terraque deserta : et scietis quia ego Dominus,* non tantum Judæorum, sed et Gentium. Isa. LIV, 5 : *Dominabitur tui qui fecit te, Dominus exercituum nomen ejus : et redemptor tuus sanctus Israel, Deus omnis terræ vocabitur,* non tantum tuæ. Joel, III, 17 : *Scietis quia ego Dominus Deus vester habitans in Sion.* I Reg. II, 10 : *Dominus judicabit fines terræ : et dabit imperium regi suo, et sublimabit cornu Christi sui.*

« *Convertentur ad vesperam.* » Hic secunda pars secundæ partis totius Psalmi, in qua postquam præmisit de conversione Judæorum, subjungitur hic eorumdem Judæorum conversio perfecta : et dicuntur quatuor. Primo, conversio. Secundo, affectio conversorum, et desiderium ad alios convertendum, ibi, « *Et famem.* » Tertio, sollicitudo implendi quæ desiderabant, ibi, « *Et circuibunt.* » Quarto et ultimo compassio et anxietas pro illis quos convertere non valebunt, ibi, « *Si vero non fuerint saturati.* » **15** Conversio Judæorum.

Dicit ergo : Sic rogabunt pro ipsis Judæis Gentes, et tandem convertentur, tamen « *ad vesperam,* » scilicet in fine mundi plenarie, aliquibus conversis completa resurrectione et ascensione, quod fuit etiam tarde et quasi ad vesperam. Isa. x, 22 : *Si fuerit populus tuus Israel quasi arena maris, reliquiæ convertentur ex eo.*

« *Et famem patientur,* » animas convertendi, « *ut canes* » seipsos reputantes non oves. Sic tangitur ipsorum humilitas, ut non sint similes superbo Pharisæo, qui ovem se reputavit, non canem[1].

Vel, « *ut canes,* » ut prædicatores aliorum carnalitatem devorare cupientes. Apoc. XIX, 18 : *Venite et manducetis carnes regum et tribunorum.* Hinc dictum est Petro, Act. x, 13 : *Occide et manduca.* Comparatio prædicatoris cum cane. Et nota, quod bonus canis est prædicator bonus. Primo, quia ore latrat contra tyrannos et hæreticos, qui lupi sunt et latrones. Unde quibusdam improperatur, Isa. LVI, 10 : *Canes muti non valentes latrare.* Dentibus mordet et lacerat vitia tamquam carnes, Jerem. x, 3 : *Visitabo super eos quatuor species, dicit Dominus : Gladium ad occisionem, et canes ad lacerandum.* Lingua medetur vulneri re-

[1] Cf. Luc. XVIII, 10 et seq.

licto in anima per peccatum, Luc. xvi, 21 : *Et canes veniebant, et lingebant ulcera ejus.* Verba enim prædicatoris debent esse medicinalia. Ezech. xlvii, 12 : *Et erunt fructus ejus in cibum, et folia ejus in medicinam.* Joan. xiv, 10 : *Verba quæ ego loquor vobis, spiritus et vita sunt.* Canis applaudit cauda : sic prædicator justis monstrando æterna præmia, Tob. xi, 9 : *Tunc præcucurrit canis... et quasi nuntius adveniens, blandimento suæ caudæ gaudebat.* Sic docet applaudere cauda. Isa. iii, 10 : *Dicite justo, quoniam bene, quoniam fructum adinventionum suarum comedet.* Gregem custodit : sic Doctores boni, Act. xx, 28 : *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.* Vigiliis intendit aliis dormientibus, Luc. ii, 8 : *Pastores erant... custodientes vigilias noctis, super gregem suum.* Cant. iii, 3 : *Invenerunt me vigiles qui custodiunt civitatem.* Ad Hebr. xiii, 17 : *Ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri.* Odore prædam sequuntur semper vestigiis instando : sic prædicator Christum, ejus vestigiis adhærendo, I Pet. ii, 21 : *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.* Talis canis fuit beatus Job. xxiii, 11 : *Vestigia ejus secutus est pes meus.* Pro Domino suo moritur, Psal. xliii, 22 : *Quoniam propter te mortificamur tota die, æstimati sumus*, etc. Cæcus tamen nascitur, donec suxerit ubera matris aliquo tempore : sic prædicator donec suxerit ubera matris Ecclesiæ, Cant. i, 1 : *Meliora sunt ubera tua vino.* Duo enim Ecclesiæ ubera sunt, scilicet testamenta.

« *Et circuibunt.* » Hic sollicitudo in duobus, in inquisitione, et sui divisione, ibi, « *Ipsi dispergentur.* »

Dicit ergo : Sic erunt famelici, « *et circuibunt* » præ solitudine « *civitatem.* » Ad Rom. xii, 11 : *Sollicitudine non pigri.* Et II ad Corinth. xi, 28 : *Præter illa quæ extrinsecus sunt, instantia mea quotidiana, sollicitudo omnium Ecclesiarum.*

« *Ipsi dispergentur.* » Ecce secundum. **16**
Sic circuibunt. Numquid omnes simul ? Non : imo « *ipsi dispergentur,* » per loca diversa, « *ad manducandum* » spiritualiter, et incorporandum Ecclesiæ infideles, et Christi peccatores. Osee, iv, 8 : *Peccata populi mei comedent.* Et in Psal. lxxiii, 14 : *Dedit eum escam populis Æthiopum,* id est, sanctis passionibus et laboribus denigratis propter passionem Christi. Cant. i, 6 : *Nolite me considerare quod fusca sim, quia decoloravit me sol.*

Murmur in bonam partem sumitur.

« *Si vero non fuerint saturati, et murmurabunt.* » Nota, quod hæc conjunctio « *et* » superfluit, sicut frequenter accidit in Hebræo. Et nota etiam, quod murmuratio hic sumitur in bonum : est enim murmur compassionis : unde Glossa, « Murmurabunt, id est, dolebunt. » Vel murmurabunt contra pigros, quos vix poterunt excitare ad bonum faciendum. Secundo, est murmur dissensionis, et discordiæ, de quo Joan. vii, 12 : *Et murmur multum erat in turba de eo. Quidam enim dicebant : Quia bonus est. Alii autem dicebant : Non, sed seducit turbas.* Et est murmur impatientiæ, de quo I ad Corinth. x, 10 : *Neque murmuraveritis, sicut quidam eorum murmuraverunt, et perierunt ab exterminatore.* Et invidiæ, quando fit melius alii quam sibi, de quo Matth. xx, 11 : *Et murmuraverunt adversus patremfamilias, dicentes*, etc.

Et potest legi versus iste contra Archidiaconos, qui ad litteram disperguntur per Episcopatum, non ad prædicandum, sed ad manducandum : et murmurant si non sint ad libitum procurati. Non sicut Eliezer qui ait, Genes. xxiv, 33 : *Non comedam donec loquar omnes sermones.* Et completis sermonibus, paucis fuit contentus. Sic enim habetur ibi : *Et appositus est in conspectu ejus panis.* Genes. xviii, 6 et seq., Angeli qui vene-

runt ad Abraham in meridie, habuerunt lac et butyrum et vinum, ferculum de carnibus, scilicet vitulum [1].

Potest etiam legi contra claustrales, qui per cameras disperguntur, hic quatuor, et hic quinque relicto refectorio : et murmurant contra Abbatem si non ministraverit ad superfluitatem. Osee, iv, 18 : *Separatum est convivium eorum, dimitte eos.* Nota de monacho, qui solus in refectorio comedebat, et dimissa cultella plena paleis, ivit cum aliis.

17 Tertia pars Psalmi.

« *Ego vero cantabo.* » Hic est tertia pars Psalmi, sicut a principio dictum fuit, in qua subjungitur gratiarum actio post præmissam orationem, et futurorum prænuntiationem : et dicuntur duo secundum modum duplicem gratias referendi. Primo promittit se laudaturum ore. Secundo, quod magis placet Deo, opere, ibi, « *Adjutor meus.* »

In prima duo. Primo, promissio gratiarum actionis ore. Secundo, ratio quare agendæ, ibi, « *Quia factus es.* »

In prima duo. Primo, promittit se laudaturum. Secundo, addit tempus et modum, ibi, « *Et exsultabo mane.* »

Dicit ergo : Sic convertentur Gentes, et Judæi. « *Ego autem,* » hoc intelligens, « *cantabo,* » cantando ore laudabo, « *fortitudinem tuam,* » qua reprobatis malis et divisis in inferno, de Gentibus et Judæis electos potenter colligis. Exod. xv, 1 : *Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est,* etc. Et additur, ℣, 2 : *Fortitudo mea, et laus mea Dominus.* I Reg. ii, 2 : *Non est fortis sicut Deus noster.* Job, ix, 19 : *Si fortitudo quæritur, robustissimus est.* Et supple, suscipiens, « *misericordiam tuam,* » me ab infidelitatis errore liberantem, *exsultabo* corde, ne sit laus tantum in voce. Isa. xii, 6 : *Exsulta et lauda habitatio Sion.* Psal. lxxxviii, 3 : *Cor meum et caro mea,* id est, lingua, *exsultaverunt in Deum vivum.* De utroque, misericordia scilicet et fortitudine, Eccli. li, 11 : *Memoratus sum misericordiæ tuæ,* ecce misericordia, *et operationis tuæ,* ecce fortitudo, *quæ a sæculo sunt.*

Commendatur tempus matutinum.

Et hoc, « *mane.* » Notandum enim, quod mane laudandum, sicut hic dicitur. Psal. xxix, 6 : *Ad vesperum demorabitur fletus, et ad matutinum lætitia.* Mane prædicandum, Eccle. xi, 6 : *Mane semina semen tuum.* Mane contemplationi vacandum, Isa. xxvi, 9 : *Anima mea desideravit te in nocte : sed et spiritu meo in præcordiis meis de mane vigilabo ad te.* Et in Psal. v, 4 : *Mane adstabo tibi et videbo, quoniam,* etc. Mane etiam colligebatur manna [2]. Et mane exeundum ad laborandum, Cant. vii, 12 : *Mane surgamus ad vineas.* Matth. xx, 1 : *Paterfamilias exiit primo mane conducere operarios in vineam suam.*

« *Quia factus es.* » Hic tangitur ratio duplex. Primo, ipsius exaltatio, quæ lætanter laudat. Secundo, exaltati liberatio a multis tribulationibus, ibi, « *Et refugium.* »

Ait ergo : Sic laudabo fortitudinem, et lætabor de misericordia, « *quia factus es,* » o Domine, « *susceptor meus,* » cum reversione de regione longinqua, ubi dissipavi substantiam, sicut filius prodigus [3]. Jerem. iii, 1 : *Fornicata es cum amatoribus multis : tamen revertere ad me, dicit Dominus, et ego suscipiam te :* tandem suscepturus in gloria revertentem ad te de præsenti miseria. Prov. xxix, 23 : *Humilem spiritu suscipiet gloria.*

« *Et refugium meum,* » quando oportuit, quia « *in die tribulationis meæ.* » Eccli. xxxv, 26 : *Speciosa misericordia Dei in tempore tribulationis, quasi nubes pluviæ in tempore siccitatis.* Psal.

[1] Genes. xviii, 8 : *Tulit quoque* (Abraham) *butyrum et lac, et vitulum quem coxerat.*

[2] Cf. Exod. xvi, 21.

[3] Cf. Luc. xv, 13.

cIII, 18 : *Petra refugium herinaciis.* II Reg. xxII, 2 : *Dominus petra mea, et robur meum.*

18 « *Adjutor meus.* » Hic secundum, in quo præmittit gratiarum actionem in opere : et primo præmittit opere. Secundo addit rationem, ibi, « *Quia Deus.* »

Dicit ergo : Sic cantabo ore, et o tu, « *adjutor meus, psallam tibi,* » opere : psallere enim est operari bene, eo ipso quod adjutor es. Eccli. xxxIV, 20 : *Adjutorium casus,* id est, a casu, *exaltans animum, et illuminans oculos.* Et LI, 2 : *Confitebor nomini tuo, quoniam adjutor et protector factus es mihi.*

« *Quia Deus.* » Hic ratio laudis in opere, scilicet susceptio alia a præmissa : et tangitur susceptio, et susceptionis ratio, non debitum, sed pura Dei misericordia, ibi, « *Deus meus, misericordia mea.* »

Dicit ergo : Sic psallam, quia « *es Deus meus :* » unde magis mirandum est. « *Susceptor meus* » ad familiaritatem, et præmium : et alia susceptio fuit incipientium, hic jam perfectorum. Et hoc non imputo meis meritis, sed o « *Deus meus, misericordia mea* » es, id est, totum est ex misericordia tua. Ad Rom. vI, 23 : *Gratia autem Dei, vita æterna.* Ad Titum, III, 5 : *Non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit.* Ad quam salutem nos perducat Jesus Christus, qui cum Patre et Spiritu sancto, etc.

PSALMUS LIX.

Querimonia de Dei derelictione : nixus promissione Dei ejus opem et victoriam sperat.

1. *In finem,*
   Pro his qui immutabuntur, in tituli inscriptionem ipsi David, in doctrinam,
2. *Cum succendit Mesopotamiam Syriæ, et Sobal, et convertit Joab, et percussit Idumæam in valle Salinarum duodecim millia* (II Reg. vIII, 1 ; et x, 7 ; et I Par. xvIII, 1).
3. Deus, repulisti nos, et destruxisti nos : iratus es, et misertus es nobis.
4. Commovisti terram et conturbasti eam : sana contritiones ejus, quia commota est.
5. Ostendisti populo tuo dura : potasti nos vino compunctionis.
6. Dedisti metuentibus te significationem, ut fugiant a facie arcus :
   Ut liberentur dilecti tui,
7. Salvum fac dextera tua, et exaudi me.
8. Deus locutus est in sancto suo : Lætabor, et partibor Sichimam : et convallem tabernaculorum metibor.
9. Meus est Galaad, et meus est Manasses : et Ephraim fortitudo capitis mei.
   Juda rex meus :
10. Moab olla spei meæ.
    In Idumæam extendam calceamentum meum : mihi alienigenæ subditi sunt.
11. Quis deducet me in civitatem munitam ? quis deducet me usque in Idumæam ?

12. Nonne tu, Deus, qui repulisti nos ? et non egredieris, Deus, in virtutibus nostris ?
13. Da nobis auxilium de tribulatione, quia vana salus hominis.
14. In Deo faciemus virtutem : et ipse ad nihilum deducet tribulantes nos.

IN PSALMUM LIX

COMMENTARIUS.

In finem,
1 *Pro his qui commutabuntur, in tituli inscriptionem ipsi David, in doctrinam,*
2 *Cum succendit Mesopotamiam Syriæ et Sobal, et convertit Joab, et percussit Edon*[1] *in valle Salinarum duodecim millia*[2].

« *Deus, repulisti nos.* » Hic est Psalmus nonus in secunda parte totius libri, in secunda scilicet quinquagena, in quo postquam actum in Psalmo præcedenti de conversione Gentium ad Christum, et etiam Judæorum, quia parum est converti, nisi sequatur consummari in bono et salvari, agitur de eorum consummatione et sanatione in præsenti a reliquiis vitiorum, et futura glorificatione, in quibus erit plena commutatio, et consummata.

Psalmus agit de conversorum superiori Psalmo perfectione.

Et hoc ostenditur satis in titulo proposito in Psalmo qui talis est : *In finem, Pro his qui commutabuntur, in tituli inscriptionem ipsi David, in doctrinam, Cum succendit Mesopotamiam Syriæ et Sobal, et convertit Joab, et percussit Edon in valle Salinarum duodecim millia.* Hic enim tangitur quod dicitur II Reg. VIII, 1 et X, 7, et I Paralip. XVIII, 1, de percussione Ammonitarum, et illorum

[1] Vulg. habet *Idumæam*.

[2] Le psaume doit être chanté sur שושן עדות *shoushan hedouth*, nom d'un instrument, selon quelques-uns, mais plus probablement indication d'une mélodie sur laquelle ce morceau doit être exécuté. Cf. Ps. XLIV, 1. C'est un miktham ללמד, *lelammed*, à enseigner au peuple comme plusieurs autres chants, Deut., XXXI, 19. II Reg., I, 18. Le titre donne assez de détails sur les circonstances qui inspirèrent le psalmiste : « Lorsqu'il combattit Aram des deux fleuves, et Aram de Tsobah, et que Joab retourna et frappa Edom dans la vallée de sel, douze mille hommes. » Aram est le nom hébreu de la Syrie. Aram *naharim*, la Syrie des deux fleuves est la Mésopotamie, pays entre le Tigre et l'Euphrate, spécialement ici la partie située à l'ouest, sur l'Euphrate, dans le voisinage de la Syrie proprement dite. Cette région n'est pas mentionnée dans le récit des Rois, II, VIII, mais elle était dans la dépendance ou l'alliance du roi de Soba. La Syrie de Soba était le pays compris entre l'Euphrate et l'Orontes, au nord-ouest de Damas ; mais la position de Soba, la capitale n'est pas très bien déterminée. Au moment où nous reporte le psaume, David était occupé à faire la guerre à Adarezer, roi de Soba. Les Iduméens profitèrent de l'éloignement du roi et de son armée pour faire invasion au sud-est de la Palestine. Dans ces conjonctures, la situation ne laissait pas que d'être très critique : Joab qui commandait l'armée de Syrie, avec Abisaï, son frère, sous ses ordres, n'était point sûr de la victoire, et les Israélites se trouvaient pris entre deux ennemis redoutables. C'est cette heure d'angoisse qui inspira le psaume. Les Syriens ne tardèrent pas à être battus ; David retourna toutes ses forces contre les Iduméens, et Abisaï, I Par., XVIII, 12, sous la direction de Joab, défit les envahisseurs dans la vallée des Salines, au sud-ouest de la mer Morte. Le titre du psaume compte 12,000 hommes taillés en pièces ; le texte des Rois, II, VIII, 13, et celui des Paralipomènes, I, XVIII, 12, en marquent 18,000 ; nous avons ici une faute de copiste, ou bien l'auteur se sera contenté de donner à peu près le nombre des ennemis tués. Du reste, ces deux indications différentes, observe Hengstenberg, sont une excellente présomption en faveur de l'authenticité du titre ; un auteur subséquent eût tout simplement reproduit le

qui secum venerunt in adjutorium contra David, scilicet illorum de Mesopotamia et Syria. Et illud quod habetur II Reg. VIII, 1 et seq., quando David percussit Aderezer Regem Sobal, et fecit sibi totam Syriam tributariam, et ipsa capta et subjecta, subjecit etiam sibi Idumæam, duodecim millibus Idumæorum interfectis in valle Salinarum.

Moralis tituli expositio.

Sed ut aperte ostendatur, quod non respicit ad facta illa Psalmi intentio, sed ad significata, tangitur in titulo quod nusquam legitur, scilicet quod David converterit Joab. Remittantur ergo ad spiritualem intelligentiam, et conversionem Joab intelligamus spiritualiter, scilicet illorum qui per Joab designantur : et alias similiter victorias interpretemur. Et per hoc etiam, quia etsi David illas legitur subjecisse provincias, tamen non legitur succendisse, sicut hic dicitur. Et iterum sicut superius dictum fuit, quod ubi in titulo pronomen discretivum additur ad David, intelligendum est non de litterali.

Nota ergo, quod sunt homines elati superbi, qui significantur per Mesopotamiam : interpretatur enim *elevata vocatio*, et Syria, *sublimis*. Et sunt in malitia inveterati, qui significantur per Syriam Sobal, quod interpretatur *vana vetustas*. Et sunt homines Deo inimici, et bonum in alios persequentes, qui designantur per Joab, qui interpretatur *inimicus*. Et sunt terrenis omnino dediti, qui designantur per Edon, qui interpretatur *terrenus*. Omnes istos tamen ad sui tituli confessionem convertit Christus, ut sequantur doctrinam Christianam secundum illud Psalmi LXXVII, 23 : *Dixit Dominus : Ex Basan*, id est, ex confusione peccati, *convertam :* et succendit igne charitatis. Ad Rom. v, 20 : *Ubi abundavit delictum, superabundavit gratia*. Et hoc est quod in titulo dicitur. Subjectus Psalmus « *in finem*, » supple, nos dirigens, editus est, « *pro his qui commutabuntur* » de regno diaboli, « *in tituli inscriptionem*, » in hoc quod tituli inscriptione demonstratur, scilicet in regnum Christi. Inscriptionem, inquam, factam « *ipsi David*, » id est, Christo. Vel, « *commutabuntur* » non sibi, sed « *ipsi David*, » id est, Christo, ut jam vivant ipsi soli. Ad Galat. II, 20 : *Vivo autem, jam non ego, vivit vero in me Christus*. Consentientes in doctrinam Christi : hic enim vere de regno diaboli commutatur in regnum Christi, qui sequitur doctrinam ejus, quæ est doctrina pietatis. Super illud I ad Tim. IV, 8 : *Pietas autem ad omnia*, etc., Glossa : « Omnis summa « doctrinæ Christianæ religionis de pieta- « te, et misericordia. » Pietate ad Deum, misericordia quantum ad proximum : quod totum factum est, « *quando succendit David*, » id est, Christus, « *Mesopotamiam Syriæ*, » igne charitatis superbos et electos inflammavit. « *Et Syriam Sobal*, » in superbia et sublimitate antiquatos. « *Et convertit Joab*, » id est, inimicum prius, ipsum faciens amicum, sicut factum est in Paulo [1]. Vel convertit per hoc inimicum, id est, diabolum, retrorsum expellens, cum diabolus fugit, et retrorsum convertitur quando homo

chiffre des livres historiques. Comme toujours, « sunt qui huic inscriptioni ita omnem fidem denegent, ut carmen quod sequitur ad alia plane tempora referendum existiment... Mihi quidem minime videtur opus esse hebræam inscriptionem sollicitare, cui certe traditionis a majoribus acceptæ auctoritas denegari non poterit. » Rosenmüller.

Le sujet du psaume est également traité par le coraïte, auteur du Psaume XLIII. Le psalmiste, à la nouvelle d'une agression aussi terrible que soudaine, pousse vers Dieu un cri de détresse, qui passe bientôt aux accents de la confiance et du triomphe, de sorte que le même chant peut exprimer à la fois la crainte en face du danger, et la reconnaissance après la victoire.

Le sens spirituel, signalé par S. Hilaire, Eusèbe, etc., se rapporte à la conquête des Gentils par la prédication évangélique.

H. Lesêtre.

[1] Cf. Act. IX, 1 et seq.

convertitur ad Christum, qui inimicus appellatur. Matth. XIII, 28 : *Inimicus homo hoc fecit.* « *Et percussit*, » gladio spiritus, quod est verbum Dei[1]. « *Edon,* » id est, de Edon ut sit casus genitivi, id est, de terrenis, « *duodecim millia*, » id est, generaliter mandata decalogi cum charitate gemina custodientes : in millenario enim perfectio et universitas, in duodenario observatio decalogi propter denarium, et charitas gemina propter binarium designatur. Sed quia non valeret converti nisi adesset humilitas, et discretio, signanter addit : « *In valle Salinarum.* » Vallis enim Salinarum sic dicebatur a sale, cujus similitudo in illa valle reperiebatur. Et notatur in hoc humilis discretio, et discreta humilitas. Humilitas in valle : Gregorius : « Qui cæteras virtutes sine humilitate congregat, « quasi pulverem in ventum portat. » Levit. II, 13, præcipiebatur, quod in omni sacrificio Domini poneretur sal. Et Bernardus dicit, quod « discretio est auriga virtutum. »

Dividitur autem Psalmus in duas partes. Primo enim petit loquens in parte conversorum de Gentibus et Judæis, consummationem in bono. Secundo, conversionem ipsarum tribulationum in utilitatem, et gloriam, ibi, « *Da nobis auxilium.* »

In prima duo. Primo, petit ut sanentur a reliquiis peccatorum. Secundo, ut sanati salventur, ibi, « *Salvum fac dextera.* »

In prima dicuntur tria. Primo, recolunt bona quæ fecit sibi Deus. Secundo, petunt ut perficiat quod bene inchoavit eos sanando, ibi, « *Sana contritiones ejus.* » Tertio, ostendunt quod sanandi sunt, ibi, « *Quia commota est.* »

In prima duo. Primo ostendunt bonum quod eis est a Deo factum. Secundo, modum quo factum est, ibi, « *Iratus es.* »

In prima duo secundum duplex bonum. Primum est malæ voluntatis amotio. Secundum, pravæ consuetudinis destructio, ibi, « *Destruxisti nos.* »

3 Prima pars Psalmi

Dicit ergo : O « *Deus,* » qui es fons et origo omnis boni, « *repulisti nos*, » a malis delectationibus in quibus mergebamur, et quibus adhærebamus eas amaritudinibus respergendo. Augustinus in libro *Confessionum :* « Omnes delectatio- « nes meas amaritudinibus respersisti, ut « sic ab illis me repelleres. » Osee, II, 6 : *Sepiam viam tuam spinis, et sepiam eam maceria,* ut pungant, et impingas ambulans per illam, ut sic repulsi a Deo convertamur, et doctrinam tuam tamquam solidum et verum animæ cibum recipiamus. Isa. XXVIII, 9 : *Quem docebit scientiam ? et quem intelligere faciet auditum ? ablactatos a lacte, avulsos ab uberibus.* Propter hoc, Thren. II, 7 : *Repulit Dominus altare suum, maledixit sanctificationi suæ : tradidit in manu inimici muros turrium ejus.* Sed contra, Ad Rom. XI, 1 : *Numquid repulit Dominus populum suum ? Absit.* Respons. Non repellit irreparabiliter, sed ad tempus repellit suos, ut corrigantur.

« *Et destruxisti nos,* » malam consuetudinem in qua ædificati eramus, destruendo, et dissipando. Thren. II, 2 : *Præcipitavit Dominus, nec pepercit omnia speciosa Jacob*, peccata, et consuetudines malas quæ videbantur speciosa : sed inter ipsos et Deum dividebant. Isa. LIX, 2 : *Peccata nostra diviserunt inter vos et Deum vestrum.* Isa. V, 5 : *Diruam maceriam ejus.* Jerem. I, 10 : *Constitui te... ut evellas, et destruas, et disperdas :* hic disperdas. Hic dicit Basilius : « Qui « ædificavit excelsum superbiæ, huic « destructio remedio erit. »

« *Iratus es.* » Hic subjungit modum repulsionis, et destructionis : et primo tangit quod fuit ex parte Dei repellentis, iram scilicet misericordiæ mixtam. Se-

[1] Ad Ephes. VI, 17 : *Assumite... gladium spiritus (quod est verbum Dei).*

cundo, ex parte repulsorum, ibi, « *Commovisti.* »

Ait enim : Sic dixi, Repulisti et destruxisti, et hoc modo « *iratus es nobis,* » effectum irati in nobis exercendo, et tamen iratus misertus es nobis. Habac. III, 2 : *Cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis.* Et in Psal. LXXVI, 10 : *Numquid... obliviscetur misereri Deus ? aut continebit in ira sua misericordias suas ?* Quasi diceret : Non. Ira autem temperata misericordia valde libenter est sustinenda, ne incurratur alia ira, imo furor. Mich. VII, 9 : *Iram Domini portabo,* libenter scilicet, *quoniam peccavi ei.*

4 « *Commovisti terram.* » Hic tangit quod factum est in pulsis, et sunt duo. Primo, translatio de peccato in bonum. Secundo,dolor et conturbatio pro peccato, ibi, « *Et conturbasti.* »

Dicit ergo : Sic misericorditer iratus fuisti, et ex hoc secutum est, quia « *commovisti terram,* » terrenos homines Judæos et Gentiles, transferens eos de peccato, impellens eos timore tuo, et terrens prædicationis gladio. Job, XXXVII, 1 : *Super hoc expavit cor meum, et emotum est de loco suo.* Et in Psal. LXXVI, 19 : *Illuxerunt coruscationes tuæ orbi terræ : vidit et commota est terra.* Timor enim Domini cum venit in mentem, totam commovet, et concutit illam. Joan. V, 4 : *Angelus Domini descendebat secundum tempus in piscinam, et movebatur aqua.*

« *Et conturbasti eam,* » dolorem immittendo pro miseriis et peccatis. Psal. LIV, 5 : *Cor meum conturbatum est intra me : et formido mortis cecidit super me.* Et alibi, CXLII, 4 : *Anxiatus est super me spiritus meus : in me turbatum est cor meum.* Nota ergo pulchrum ordinem. Primo, timor commovet et concutit. Secundo, dolor conturbat, et convertit. Moveri enim est a timore, Eccli. I, 16, et in Psal. CX, 10 : *Initium sapientiæ timor Domini.* Eccle. I, 28 : *Qui sine timore Domini est, non poterit justificari.* Et dicit, « *Commovisti et conturbasti :* » quia non est hominis seipsum commovere pro peccatis, nisi Deus hoc faciat. Isa. XXVI, 12 : *Omnia opera nostra operatus es in nobis.* Item, non dicit *movisti,* sed « *commovisti, et conturbasti,* » quia nec Deus facit sine homine præbente consensum. Auctor Deus est principalis. Ad Rom. IX, 16 : *Non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei.*

« *Sana contritiones.* » Ecce petitio : et appellat contritiones hic quas sanari petit, miserias ex peccato relictas. Psal. CXLVI, 3 : *Qui sanat contritos corde.* Osee, XIV, 5 : *Sanabo contritiones eorum, diligam eos spontanee.*

« *Quia commota est.* » Hic tertium, in quo ostenditur ratio sanandi. Primo, propter peccati dimissionem. Secundo, propter fructuosæ correctionis confessionem, ibi, « *Ostendisti populo tuo.* »

Dicit ergo : Sic sana, et dignum est, quod sanes eam, « *quia commota est.* » Quasi diceret : Si commota est per peccati dimissionem, et tu debes per misericordiam commoveri. III Reg. III, 26 : *Commota sunt quippe viscera ejus super filio suo.* Luc. XV, 20, Pater misericordia motus occurrit filio prodigo revertenti [1].

« *Ostendisti populo tuo.* » Hic ostenditur confessio fructuosæ correctionis. Primo ergo confitentur sui afflictionem. Secundo, afflictionis rationem, ibi, « *Dedisti metuentibus.* » Tertio, utilitatem, ibi, « *Ut fugiant.* » 5

In prima duo. Primo confitentur se afflictos exterius. Secundo, interius compunctos, ibi, « *Potasti nos.* »

Dicit ergo : Sic commota est terra, et etiam « *ostendisti* » experimento certo, « *populo tuo dura,* » afflictiones scilicet

[1] Luc. XV, 20 : *Cum adhuc longe esset, vidit illum pater ipsius, et misericordia motus est, et accurrens cecidit super collum ejus, et osculatus est eum.*

et flagella, Act. IX, 10, de uno de populo Dei : *Ostendam ei quanta oporteat eum pro nomine meo pati*. Multa dura et aspera, sicut ipse narrat, II ad Corinth. XI, 23 et seq., eum opportuit sustinere, ut posset dicere illud Psal. XVI, 4 : *Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras*. Dura in principio et importabilia, sed tandem per charitatem facilia et delectabilia. Bernardus : « Via Domi-« ni primo quidem amara est, secundo « tolerabilis, sed tandem delectabilis. » Matth. XI, 30 : *Jugum, meum suave est, et onus meum leve*. Deut. XXXIII, 19 : *Inundationes maris quasi lac sugent*.

« *Potasti nos*. » Quasi diceret : Non tantuem xterius afflixisti,sed interius « *vino compunctionis* » mordaci, et pungitivo, «*nos potasti*.» Et nota,quod diabolus habet vina sua diversa, quibus potat suos. Habet vinum luxuriæ quo potat multos,de quibus ad Ephes. V, 18 : *Nolite inebriari vino in quo est luxuria*. Et vinum invidiæ, quod ei carius est, de quo Deut. XXXII, 33 : *Fel draconum vinum eorum, et venenum aspidum insanabile*. Sed optimum et specialissimum, vinum pravitatis hæreticæ, Apocal. XVII, 2 : *Inebriati sunt qui inhabitant terram de vino prostitutionis ejus*. Prostitui enim in Scriptura sacra est in vino corrumpi.

Vinum Christi.

Deus autem sua habet vina. Primum tribulationum : quasi de assisia, quo potat omnes generaliter. Jerem. XXV, 15 : *Sume calicem vini furoris hujus de manu mea, et propinabis cunctis gentibus ad quas ego mittam te*. Ipse primo bibit de hoc vino, et post consanguineis propinavit. Matth. XX, 22 et 23 : *Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum? Dicunt ei* : *Possumus. Ait illis : Calicem quidem meum bibetis*, etc. Sed melius compunctionis, quod datur tantum suis, nec inde bibunt servi, de quo hic. I ad Corinth. X, 20 : *Non potestis bibere calicem Domini*, compunctionem scilicet de peccatis. Hoc vinum est vulnerum sanativum. Samaritanus infudit vulneribus sauciati vinum et oleum[1]. Sed et vinum contemplationis vinum optimum tantum specialissimorum amicorum, de quo Esther, I, 7 : *Vinum quoque abundans, et præcipuum ponebatur*. Ad hoc potandum invitantur charissimi. Sed hoc vinum nuptiale[2]. Bibere oportet nunc de primo, et secundo, quæ aliquid habent amaritudinis, qui vult bibere de tertio. Exemplum in libro de *Consolatione* : Quia in templo Joviniano erant duo dolia vini, unum amari, et aliud dulcissimi vini : oportebat autem bibere de amaro, qui volebat bibere de dulci.

« *Dedisti metuentibus*. » Hic ratio afflictionis tangitur. Quasi diceret : Ostendisti dura exterius, interius amara, et per hoc, « *dedisti significationem*, » non omnibus, sed « *metuentibus te*. » Ad quid utilem? ad duo. Ad fugiendum primo sententiam æterni judicii. Secundo, ad liberationem ulterius a pœna inferni. Primum, cum dicit, « *Ut fugiant*. » Secundum, cum addit, « *Ut liberentur*. » 6

Dicit ergo : Sic per hoc dedisti significationem, hujus nimirum, « *Ut fugiant a facie arcus*, » a sententia scilicet, et ira justi judicii. Et sicut dicit Glossa, signum datur triplex hunc arcum fugiendi. Tribulatio præsens, hoc est primum. Si enim sic Deus affligit in præsenti etiam charissimos sibi, quid faciet in futuro in malitia obstinatis? Luc. XXIII, 31 : *Si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet*? I Petr. IV, 17 : *Tempus est ut judicium incipiat a domo Dei :* quod si primum a nobis, quis finis iis, qui non credunt Evangelio? Ipsis etiam percussis signum est, quod non debeant æternaliter punire, quia hic sunt correpti. I ad Cor. XI, 32 : *Dum judicamur, a Domino corripimur, ne cum hoc mundo damnemur*.

Secundum signum est crux Christi et

[1] Cf. Luc. X, 34.

[2] Cf. Joan. II, 7 et seq.

passio, ut sequamur ipsum, et sic evadamus judicium. I Petr. II, 21 : *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum ut sequamini vestigia ejus.* Et sic evadetis. Ezech. IX, 6 : *Omnem super quem videritis thau, ne occidatis.*

Signum tertium est Scriptura, quæ veraciter ostendit homini qualis est, et qualiter puniendus est, ut non murmuret de persecutione. Augustinus : « Proferatur speculum Scripturæ, quod nemini « parcit, quod qualis es, talem te osten- « det tibi. » Jacob. I, 23 : *Si quis autem auditor est verbi, et non factor : hic comparabitur viro consideranti vultum,* etc.

« *Ut liberentur dilecti.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic flagellas, ut districtam judicii sententiam fugiant metuentes : et etiam « *ut dilecti tui liberentur,* » ab omnibus miseriis propter pœnas, quas sustinent in præsenti. Ad Roman. VIII, 21 : *Creatura liberabitur a servitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei.* Judith, IX, 2 et seq., orabat Judith Dominum Deum Israel ut dirigeret eam ad liberationem populi sui Israel. Osee, XIII, 14 : *De manu mortis liberabo eos.* Et etiam a culpis, ne in servitutem diaboli redigantur, et peccati. Sed sunt liberi, Joan. VIII, 36 : *Si ergo vos Filius liberaverit, vere liberi eritis.* Infundit enim spiritum libertatis, scilicet Spiritum sanctum, II ad Corinth. II, 3 : *Ubi spiritus Domini, ibi libertas.*

7 « *Salvum me fac.* » Hic secundum, in quo petita sanatione dolorum, et reliquiarum peccati, petitur consequenter salvatio. Et primo petit. Secundo, conquerendo ostendit ardorem affectionis de salute omnium, et gloriæ adeptione. Vel, primo petit. Secundo, ostendit quis hoc conferre possit, quia Deus solus, ibi, « *Quis deducet me ?* »

Item, in prima duo. Primo petit. Secundo probat, quod necesse sit impleri quæ petit, ibi, « *Deus locutus est.* »

Dicit ergo : Sic sana contritiones, ut petii, et etiam « *salvum me fac :* » et hoc « *dextera tua,* » id est, in dextera collocando cum agnis, non in sinistra cum hœdis. Matth. XXV, 33 : *Et statuet oves quidem a dextris suis, hœdos autem a sinistris.* « *Et exaudivit me,* » petentem æterna quæ das libenter, non temporalia : ne mihi respondeas, sicut responsum est mulieri, IV Reg. VI, 26 et 27 : *Salva me, domine mi rex. Qui ait : Non te salvat Dominus : unde te possum salvare ? de area, vel de torculari ?*

« *Deus locutus est in sancto suo.* « Hic 8
secundum, in quo ostendit, quod necesse sit ut exaudiatur et salvetur : et dicuntur duo. Primo, quia Deus promisit. Secundo, quid promiserit, ibi, « *Lætabor.* »

Dicit ergo : Sic peto, et scio quoniam exaudiet : « *quia Deus,* » qui non mentitur, « *locutus est,* » etsi non per se, tamen « *in sancto suo,* » Moyse, vel quocumque propheta alio per Scripturas sanctas. Psal. LXI, 12 : *Semel locutus est Deus.* Job, XXXIII, 14 : *Semel loquitur Deus, et secundo idipsum non repetit.* Scriptura enim immobiliter stat. Et Prov. XII, 19 : *Labium veritatis firmum erit in perpetuum.* Matth. V, 18 : *Unum iota, aut unus apex non præteribit a lege donec omnia fiant.* « *Locutus est in sancto,* » antonomastice loquendo, scilicet Christo sanctorum sancto. Ad Hebr. I, 1 : *Novissime diebus istis locutus est nobis in Filio.*

« *Lætabor.* » Hic secundum, scilicet quid promiserit : et dicuntur duo. Primo, quia promiserit Ecclesiæ lætitiam. Secundo, lætitiæ causam, ibi, « *Et partibor.* »

Dicit ergo : Locutus est, et hoc locutus est quod « *lætabor.* » Vel, tale locutus est, unde sequitur in me lætitia. Psal. CXVIII, 162 : *Lætabor ego super eloquia tua,* etc. Et alibi, Psal. CXXI, 1 : *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi.*

« *Et partibor Sichimam.* » Hic tangit lætitiæ causam, postquam est certa Ecclesia de salute, et est duplex. Prima, Judæorum et Gentium conversio ad fidem Christi. Secunda, conversorum promotio usque ad perfectionem, ibi, « *Meus est Galaad.* »

In prima duo. Primo, conversio Gentilium. Secundo, Judæorum, ibi, « *Et convallem.* »

Dicit ergo : « *Lætabor,* » quia hoc dixit Deus, et hac causa « *partibor Sichimam,* » id est, Gentilium plebem, partem ad fidem convertendo. Significat autem Sichima gentilitatem ratione facti, quia Jacob ibi idola abscondit sub therebintho, sicut legitur Genes. xxv, 4. Et similiter Gentium idola sub ligno crucis abscondita sunt, ut jam Gentilibus ad fidem de cruce Christi conversis, idololatra non reputetur. Eccli. xxiv, 22 : *Ego quasi therebintus extendi ramos meos.* Psal. xxxi, 1 : *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata.*

« *Et convallem tabernaculorum,* » id est, gentem Judæorum per illam convallem designatam, quia ibi Jacob cum suis habitavit, et ovibus fecit tabernacula : « *metibor,* » accipiendo partem meam. Num. xxiv, 5 et 6 : *Quam pulchra sunt tabernacula tua Jacob, et tentoria tua Israel! Ut valles nemorosæ,* etc. Nota alias lecturas in Glossa de Sichima.

9 « *Meus est Galaad.* » Hic secundum quod est causa lætitiæ, scilicet promotio conversorum : et dicuntur tria, secundum triplicem modum promotionis. Primo, promotio ad virtutum excellentiam. Secundo, ad unionem et subjectionem ipsi Christo, ibi, « *Juda rex meus.* » Tertio, usque ad aliorum conversionem, ibi, « *In Idumæam.* »

In prima duo. Primo, consummatio in excellentia virtutum. Secundo, ratio hujus consummationis, ibi, « *Et Ephraim.* »

Dicit ergo : Sic convertentur de Gentibus, et de Judæis, et etiam « *meus est* », jam factum reputo, « *Galaad,* » acervus testimonii, et significat multitudinem Martyrum. Ecce cumulus perfectorum corpus exponendo. Jerem. viii, 22 : *Numquid resina non est in Galaad, aut medicus non est in terra?* Tangit quæ debent nos sanare : Galaad, exemplum Martyrum : resina, sacramentum : medicus, ordo Prælatorum. Cantic. vii, 2 : *Venter tuus,* dicitur Ecclesiæ, *sicut acervus tritici.* Martyres enim persecutionum flagellis sunt triturati. Martyr autem idem quod testis. Tales autem sunt vere Christi testes. Isa. xliv, 8 : *Vere vos estis testes mei,* dicit Dominus. Supra dictum fuit quot causis aliquis Martyr[1].

« *Et Manasses,* » quod interpretatur *oblivio,* et significat illos qui obliviscuntur omnium temporalium propter Christum, sequentes Paulum in epistola ad Philip. iii, 13 : *Quæ quidem retro sunt obliviscens, ad ea vero quæ sunt priora extendens meipsum.* Psal. xliv, 11 : *Audi filia, et vide, et inclina aurem tuam, et obliviscere populum tuum :* nec solum hoc, imo confusionis et peccati. Isa. liv, 4 : *Confusionis adolescentiæ tuæ oblivisceris, et opprobrii viduitatis tuæ non recordaberis amplius.* Item, opprobrii pro Christo habiti : imo gloriam reputabunt. Ad Rom. i, 16 : *Non enim erubesco Evangelium.*

« *Et Ephraim.* » Hic secundum, scilicet ratio præmissorum : et continua : Sic in me sunt perfecti Martyres et Confessores : sed hoc non est ex me, imo fortitudo capitis mei est Ephraim, quod interpretatur *fructificans.* Quasi diceret : Quidquid fructus est in Martyribus, quidquid in Confessoribus, totum est ex mei capitis fortitudine : fructus enim sunt bona opera. Matth. iii, 10 : *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur.* Et Luc. iii, 8 : *Facite fructus dignos pœnitentiæ.* Et hoc totum ex illius

[1] Cf. Psal. XXXIV, commentarius in ℣. 23, in tomo XV.

gravi virtute et fortitudine, quod dicit de se ipso : *Nisi granum frumenti*, etc[1].

« *Juda rex meus.* » Hic secundum quod pertinet ad virtutum consummationem, inseparabilis adhæsio cum suo capite, in quo dicuntur duo. Primo, adhæsio. Secundo, monstratur adhæsionis fortitudo, ibi, « *Moab* : » quia tribulatio non separat, sed magis unit.

Dicit ergo : Sic in me sunt perfecti, dicit Ecclesia, « *et Juda*, » id est, Christus de Juda natus, « *rex meus* » est. Jud. I, 1 et 2 : *Quis ascendet ante nos contra Chanaan, et erit dux belli? Dixitque Dominus : Judas ascendet*, scilicet Judas, Christus. Apocal. v, 5 : *Vicit leo de tribu Juda, radix David.* Gen. XLIX, 10 : *Non auferetur sceptrum de Juda, et dux de femore ejus, donec veniat*, etc.

10 « *Moab olla.* » Hic secundum. Quasi diceret : Sic Judas est mihi rex, cui adhæreo inseparabiliter : imo tribulationibus magis confirmor, quia « *Moab* », id est, tribulatio, et mala mihi ab aliis illata, est « *olla* », non desolationis, sed « *spei meæ*, » magisque et magis facit me Christo adhærere. In hoc ergo notandum, quod per Moab tribulatio designatur, quia sicut Moab genitus de filia patre suo abutente, sic abutentibus mandato Dei quod debet esse nobis pater, et nos regere, nascitur tribulatio, quæ est olla succensionis igne plena tepidis, et eos succendit et separat a Christo : sed bonis fit olla spei. Hæc est olla succensa quam videbat Jerem. I, 13, cujus facies ab Aquilone[2], a diabolo frigido sine charitatis igne. Luc. II, 49 : *Ignem veni mittere in terram.* Sed injustis impletur illud Apostoli ad Roman. v, 3 et 4 : *Tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem.* Ecce quod tribulatio est olla spem generans, non consummationem. Psal. XXVI, 3 : *Si exsurgat adversum me prælium*, etc.

Ollæ multiplex acceptio.

Item, in olla coquuntur cibaria : per ollam ergo refectio significatur. Sensus ergo est : « *Moab* », id est mali : Moab enim interpretatur *ex patre*, et significat quibus dictum est : *Vos, ex patre diabolo estis*[3] : sed refectio « *spei meæ* », quia combusti malitia sicut olla, et alios comburentes, Joel, II, 6 : *Vultus eorum redigentur in ollam.* Nahum, III, 3 : *Facies eorum sicut nigredo ollæ.* Meam spem reficiunt, quia spero convertendos, vel quia præmium augmentant et coronam. Jacob. I, 12 : *Beatus qui suffert tentationem*, etc.

Post has duas ollas est olla, littera Veteris Testamenti literaliter intellecta. IV Reg. IV, 40 : *Mors in olla, vir Dei, mors est in olla.* Mens luxuriosa. Job, XLI, 2 : *Fervescere faciet quasi ollam profundum maris, congregando mala.* Ezech. XXIV, 26 : *Væ civitati sanguinum, ollæ cujus rubigo in ea est, et rubigo ejus non exivit ex ea.* Et mens dissoluta. Eccle. VII, 7 : *Sicut sonitus spinarum ardentium sub olla, sic risus stulti.*

Sed olla ultima est Virgo Maria. Eccli. XIII, 3 : *Quid communicabit cacabus ad ollam?* Diabolus ad Mariam? In hac fuit decoctus cibus nostræ refectionis, Agnus immaculatus, de quo Isa. XVI, 1 : *Emitte Agnum, Domine.* In qua facta fuit offa crassa Deus homo.

« *In Idumæam extendam.* » Hic tertium, scilicet aliorum conversio postquam fuerint in virtutibus consummati, in Christo confirmati : et dicuntur duo. Primo, prædicationis dilatatio, usque ad terrenos, et peccatis plenissimos. Secundo, ipsorum conversio, et subjectio ipsi Ecclesiæ, ibi, « *Mihi alienigenæ.* »

Dicit ergo : Sic adhærebo regi meo,

[1] Joan. XII, 24.

[2] Jerem. I, 13 : *Et dixi : Ollam succensam ego video, et faciem ejus a facie Aquilonis.*

[3] Joan. VIII, 43.

Calceamentum bonum et malum.

et « *extendam calceamentum meum,* » Evangelium quo munitur pes spiritualis, scilicet affectus tamquam calceamento. Cant. VII, 1 : *Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis tuis, filia principis.* Ad Ephes. VI, 15 : *Calceati pedes in præparationem Evangelii pacis.* Vel calceamentum, id est, Christi humanitatem, quæ mea est, quia divinitatem in Christo calceavit cum eam celavit. Joan. I, 27 : *Cujus ego non sum dignus ut solvam ejus corrigiam calceamenti.* Calceamentum humanitas est, pes divinitas. Sed corrigia, unio divinitatis ad humanitatem. Calceamentum est etiam exemplum antiquorum patrum. Exod. XII, 11 : *Calceamenta habebitis in pedibus.* Et calceamentum malum, opus mortuum, quod est abjiciendum de affectu. Exod. III, 5 : *Solve calceamentum de pedibus tuis : locus enim in quo stas, terra sancta est.* Extendam ergo primum, et secundum calceamentum, et tertium certe, « *in Idumæam,* » id est, usque ad terrenos, id est, terrenis deditos. Idumæa enim *terrena* interpretatur. Osee, II, 24 : *Dicam non populo meo, populus meus es tu.* Et per hoc, « *alienigenæ mihi subditi sunt.* » Et non est frustrata intentio prædicantis, et calceamentum extendentis. Psal. LXXXII, 8 : *Alienigenæ cum habitantibus Tyrum.*

11 « *Quis deducet me ?* » Hic secundum, in quo præmissa conversione, ostenditur per quem erit illa conversio, quia solius Dei virtute : et dicuntur duo. Primo, a quo tantum bonum fieri poterit. Secundo, responsio, quod non nisi a Deo, ibi, « *Nonne tu, Deus ?* »

In prima duo. Primo, interrogat. Secundo, aggravat interrogationem seu quæstionem, ibi, « *Aut quis deducet me ?* »

Dicit ergo : Sic mundum convertam, et mihi subjugabo. « *Sed quis deducet me,* » meum dominium et potestatem, « *in civitatem munitam,* » in mundum qui civitas dicitur. Osee, XI, 9 : *Deus ego et non homo : et in medio tui sanctus, et non ingrediar civitatem.* Illa civitas de qua in Psal. LIV, 10 et 11 : *Vidi iniquitatem, et contradictionem in civitate. Die ac nocte,* etc. Et munita. Muri ejus sunt temporales divitiæ, et transitoriæ. Nahum, III, 8 : *Aquæ in circuitu ejus : cujus divitiæ mare : aquæ muri ejus.* Fossa profundissima, avaritia. Eccle. V, 9 : *Avarus non implebitur pecunia.* Turres sunt dignitates. Isa. XXX, 25 et 26 : *In die interfectionis multorum, cum ceciderint turres. Et erit lux lunæ sicut lux solis.* Propugnacula omnem malitiam defendentia, advocati mali, et sæcularis scientia. Ezech. XXVII, 11 : *Filii Aradii cum exercitu suo erant super muros tuos in circuitu,* sicut in circuitu sunt propugnacula. Aradii interpretatur *deponentes,* et significat malos advocatos, qui de dignitatibus deponunt et de divitiis frequenter bonos.

Aut, « *quis deducet me usque in Idumæam ?* » Non tantum usque ad mundanorum, sed usque ad terrenorum et in terrenis defixorum conversionem, qui non sentiunt mala sua, nec proficere quærunt. Job, XXIV, 13 : *Ipsi rebelles fuerunt lumini, nescierunt vias suas.* Isidorus : « Graviter fœdatus est, cui « non fœtet peccatum. » Vel, « *civitatem munitam* » appellat Ecclesiam triumphantem. Psal. LXXXVI, 3 : *Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei,* ad quam desiderat deduci Ecclesia, sic ut non sola, sed secum ducat terrenorum multitudinem a terrenis separatorum.

« *Nonne tu, Deus ?* » Hic responsio, in qua ostendit per quem fiet, et quomodo tantum bonum. Et primo, per quem. Secundo, quomodo, ibi, « *Et non egredieris.* » 12

Dicit ergo : Sic quæro per quem fiet, et quis deducet me ? « *Nonne tu, Deus ?* » Et non alius. Tu, inquam, « *qui repulisti nos,* » ad bonum ut in principio prius

dictum est, ℣. 1 : *Deus repulisti*, etc. Tuum enim deducere, Psal. LXXVI, 21 : *Deduxisti sicut oves populum tuum.* Deut. XXXII, 12 : *Dominus solus dux ejus fuit*, etc.

« *Et non egredieris.* » Hic tangit modum. Quasi diceret : Sic deduces, « *et non egredieris,* » exterius te ostendendo, o Deus, « *in virtutibus nostris,* » quemadmodum antiquitus tempore Moysi mirabilia exteriora opera ostendebas, Pharaonem et Ægyptum decem plagis affligendo, et mare dividendo, et Ægyptios submergendo, manna in deserto ministrando, sicut tempore Josue, et David qui Goliath lapide occidit. Sed intus operaberis, et latenter, gratiam infundendo, et veritatis tuæ cognitionem. Job, IV, 12 : *Furtive suscepit auris mea venas susurri ejus.* Isa. XLV, 15 : *Vere tu es Deus absconditus*, in tempore gratiæ. Et Habac. III, 4 : *Ibi abscondita est fortitudo ejus*, qui antiquitus quasi manifestus apparebas. In Psal. LXVII, 8 : *Deus, cum egredereris in conspectu populi tui*, etc.

13 Secunda pars Psalmi. Utilitas ex tribulatione.

« *Da nobis auxilium de tribulatione* » ipsa, ut ipsa sit nobis auxilium eundi ad te, quod fit, quia tribulatio a peccatis mundat et absolutum facit. Tob. III, 13 : *Cum iratus fueris, misericordiam facies, et in tempore tribulationis peccata dimittis.* Item, tribulatio dilatat in bonum sicut malleus aurum vel argentum. In Psal. IV, 2 : *In tribulatione dilatasti mihi.* Item, certam spem præstat de futuris bonis. Ad Rom. V, 3 et 4 : *Tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem.* Et hoc peto, non salutem temporalem, « *quia vana salus hominis.* » Salus hominis appellari potest sanitas corporis, et hæc varia, sicut fumus qui cito transit. Jacob. IV, 15 : *Quæ est enim vita nostra? Vapor est ad modicum parens.* Psal. CXLIII, 4 : *Homo vanitati similis factus est.* Vel, « *salus hominis,* » prosperitas temporalium, et hæc vana valde. Eccle. I, 14 : *Vidi cuncta, quæ fiunt sub sole, et ecce universa vanitas, et afflictio spiritus.* Propter hoc in persona quærentium tales salutes, Job, XXX, 15 : *Velut nubes pertransiit salus mea.*

« *In Deo faciemus.* » Hic est tertium, **14**
in quo asserit confidenter se recepturum petitum : et dicuntur duo. Primo, exaltatio sui super tribulationes. Secundo, tribulantium dejectio, ibi, « *Et ipse ad nihilum.* »

Dicit ergo : Sic vana salus hominis, sed nos « *faciemus virtutem,* » tribulationes superando, et sic convertentur in bonum : « *in Deo,* » non virtute nostra. I Machab. III, 19 : *De cœlo fortitudo est.* Jacob. I, 17 : *Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est.* Ad Coloss. I, 29 : *Laboro, certando secundum operationem ejus, quam operatur in me in virtute.* « *Et ipse,* » Deus, non nos, « *deducet tribulantes nos, ad nihilum,* » eos æternaliter damnando cum illo cui dictum est, Ezech. XXVIII, 19 : *Nihili factus es.* Isa. XXXIV, 12 : *Omnes principes ejus erunt in nihilum.* I Machab. II, 62 : *A verbis viri peccatoris ne timueris, quia gloria ejus stercus et vermis est : hodie extollitur, et cras non invenietur.* Vel ad nihilum nostri reputatione, ut eos pro nihilo reputemus, dicentes illud Psal. CXVII, 7 : *Dominus mihi adjutor : et ego despiciam inimicos meos* : non tantum corporales et visibiles, sed invisibiles et spirituales : impleto quod rogat Apostolus ad Rom. XVI, 20 : *Deus autem pacis conterat Satanam sub pedibus vestris.* Amen.

PSALMUS LX.

Exsul petit reditum, longam vitam, et ampliationem regni Christi.

1. *In finem, In hymnis David.*
2. Exaudi, Deus, deprecationem meam : intende orationi meæ.
3. A finibus terræ ad te clamavi, dum anxiaretur cor meum : in petra exaltasti me.
   Deduxisti me,
4. Quia factus es spes mea, turris fortitudinis a facie inimici.
5. Inhabitabo in tabernaculo tuo in sæcula : protegar in velamento alarum tuarum.
6. Quoniam tu, Deus meus, exaudisti orationem meam : dedisti hæreditatem timentibus nomen tuum.
7. Dies super dies regis adjicies : annos ejus usque in diem generationis et generationis.
8. Permanet in æternum in conspectu Dei. Misericordiam et veritatem ejus quis requiret?
9. Sic psalmum dicam nomini tuo in sæculum sæculi, ut reddam vota mea de die in diem.

IN PSALMUM LX

COMMENTARIUS.

1 *In finem, In hymnis David* [1].

« *Exaudi, Deus, deprecationem.* » Hic est Psalmus decimus in secunda parte totius libri, secunda scilicet quinquagena : et recte, scilicet ordinatus ad antecedentia : cum enim in Psalmo præcedenti determinatum sit de mirabili sanatione, salute, et conversione tribulationum Ecclesiæ in lætitiam, subjungitur hic recte Psalmus lætitiæ, gratiarum actionis scilicet, et promissionis, quod persolventur. Hic Psalmus gratias agit pro beneficius

Et hoc satis ostendit titulus qui talis est : « *In finem, In hymnis David.* » Et est sensus : Subjectus Psalmus ordinans nos « *in finem,* » in Christum scilicet, est « *in hymnis* » lætitiæ, gratiarum actionis exhibendis, ipsi « *David,* » hoc est Christo, per regulam superius assignatam. Et præterea constat, quod David non componeret Psalmum ad sui

[1] Psaume destiné à être chanté על-בגינת, *hal-neginath* ; ces mots pourraient être le début d'un autre chant, mais il est beaucoup plus vraisemblable qu'ils équivalent à *bineginoth* du Psaume IV, « sur les instruments à cordes. » La terminaison *ath*, dit Delitzsch, n'est pas nécessairement celle de l'état construit ; elle était primitivement la forme terminale du féminin. *Neginath* serait donc un archaïsme. David parle ici comme exilé, ℣. 3, et comme roi, ℣. 7 ; le psaume doit donc se rapporter à la révolte d'Absalon, au moment où David était de l'autre côté du Jourdain, à Mahanaïm ou aux environs, II Reg. XVII, 24. Quoique l'auteur y parle du roi à la troisième personne, on n'en saurait conclure que l'un et l'autre soient deux personnages différents. Le psalmiste est ici tout à fait calme, et plein d'espérance et de résignation.

Au sens spirituel, le chrétien aspire à être délivré des maux de cette vie et à jouir de la présence de Dieu dans le ciel.

H. Lesêtre.

laudem proferendam, qui tantæ humilitatis fuit, cum scriptum sit, Prov. XXVII, 2 : *Laudet te alienus, et non os tuum : extraneus, et non labia tua.* Et quidam sapientium : « Omnis laus in proprio ore « sordescit. » Ipsum ergo Judam regem suum, de quo in Psalmo præcedenti tetigit, laudare hic intendit.

Dividitur autem Psalmus in tres partes, aliter quam Glossa dividat. Primo, petit quasi humiliter inchoans ut audiatur. Secundo, repetit beneficia quæ accepit a Deo, addens quod sperat alia, ibi, « *A finibus terræ.* » Tertio, promittit se semper laudaturum opere, ibi, « *Sic psalmum dicam.* »

In prima duo. Primo petit ut exaudiatur. Secundo, ut suæ petitioni postquam audita fuerit, intendatur, ibi, « *Intende.* »

2 Prima pars Psalmi

Dicit ergo : O « *Deus, exaudis deprecationem meam :* » quæ est assidua : deprecatio enim sonat assiduitatem, et ob hoc debes exaudire. Ipsemet exemplum posuisti de vidua, quæ propter instantiam impetravit ab iniquo judice fieri justitiam de adversario [1]. Jacob. v, 16 : *Multum valet deprecatio justi assidua.* Quanto magis Ecclesiæ ex justis congregatæ ?

« *Intende orationi meæ,* » postquam exaudieris, ut illam non abjicias. Et est oratio, dicit Glossa, quæ pure Deo offertur. Deprecatio enim ad alium fieri potest : sed oratio importat quod ad Deum singulariter et pure fiat. I ad Tim. II, 8 : *Volo viros orare in omni loco, levantes puras manus* in oratione. Sciebat enim Paulus quod volebat. Super Num. XXXI, dicit Glossa : « Plus unus justus orando « quam innumeri peccatores pugnan« do. Oratio enim justi cœlum penetrat : « quid mirum si Deum vincit ? » Propter hoc dicitur alibi, in Psal. v, 3: *Intende voci orationis meæ.* Daniel. IX, 19 : *Exaudi Domine, attende Domine, placare, et fac.*

3 Secunda pars Psalmi.

« *A finibus terræ.* » Hic repetit beneficia quæ recepit, ut per hoc alliciat ad dandum, quando aliquid petitur. Vel forte non est alia deprecatio, nec alia oratio, quam petiit exauditi, et cui volebat intendi, nisi istud quod modo repetitur hic. Et primo, repetit bona ad se pertinentia in se. Secundo, ad se in suo capite Christo, ibi, « *Dies super dies.* »

In prima duo. Primo repetit quæ receperit. Secundo, quæ adhuc se recepturum certissime confidit. Vel primo, quæ jam receperit in re. Secundo, quæ in spe, ibi, « *Inhabitabo.* »

In prima duo. Primo tangit meritum ex parte sui. Secundo, præmia et beneficia a parte Dei, ibi, « *In petra.* »

Dicit ergo : Sic rogo ut exaudias et intendas, et scio quoniam sic erit, tamquam experta, « *Quoniam a finibus.* » Vel sic: Exaudias, vel intendas, non aliud modo nisi hoc : « *A finibus terræ,* » non ab uno loco tantum : unde non sum sicut unus homo qui loquitur. « *Ad te,* » non ad alium Domine, « *clamavi,* » fervore animi : et hoc, « *dum anxiaretur cor meum,* » peccatis et pœnis. Isa. XIX, 20 : *Clamabunt ad Dominum a facie tribulantis, et mittet eis salvatorem et propugnatorem, qui liberet eos,* non de una parte terræ, sed de omni. Jerem. XVI, 19 : *Ad te Gentes venient ab extremis terræ.* Isa. XLIX, 6 : *Dedi te in lucem Gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ.* Baruch, III, 1 : *Anima in angustiis, et spiritus anxius clamat ad te.* Jacob. v, 13 : *Tristatur aliquis vestrum ? oret æquo animo, et psallat.*

« *In petra exaltasti.* » Hic triplex exaltatio : In Christo. Promotio in bonum, ibi, « *Deduxisti.* » Et protectio a malo, ibi, « *Turris.* »

Dicit ergo : Sic exclamavi, et tu exaudisti me, et hoc « *in petra,* » Christo.

[1] Cf. Luc. XVIII, 1 et seq.

I ad Corinth. x, 4 : *Petra autem erat Christus.* Matth. xvi, 18 : *Super hanc petram,* quam confessus es, meipsum, *ædificabo Ecclesiam meam.* Ad Ephes. ii, 20 : *Ipso summo angulari lapide Christo Jesu.* Hæc petra ad quam refugiendum peccatoribus, Psal. ciii, 18 : *Petra refugium herinaciis.* Hæc super quam standum, Exod. xxxiii, 21 : *Est locus apud me, et stabis supra petram.* In qua manendum, Jerem. xlviii, 28 : *Relinquite civitates, habitate in petra, habitatores Moab.* In qua quiescendum, Prov. xxx, 26 : *Collocat in petra cubile suum.* Sculptus enim fuit in cruce Christus, ut locus in eo nobis daretur. Zach. iii, 9 : *Ego celabo sculpturam ejus.*

4 « *Deduxisti me.* » Hic secundum, scilicet deductio de bono in melius. Quasi diceret : Sic exaltasti me, nec solum hoc, imo « *deduxisti me.* » Glossa : « Per te « viam, ad te virtutem, et vitam reficien« tem affectum. » Joan. xiv, 6 : *Ego sum via, et veritas, et vita.* Sapient. x, 10 : *Justum deduxit Dominus,* etc. Et hoc, « *quia factus es spes mea* : » alios enim non deducis nisi sperantes in te. Factus es mihi spes veniæ de peccatis relaxandis, spes gratiæ de bonis postea faciendis, spes gloriæ de præmiis adipiscendis. Hac triplici spe, tamquam funiculo triplici me ducis ad te. Eccle. iv, 12 : *Funiculus triplex difficile rumpitur.* Et tu es factus, supple, mihi, « *turris fortitudinis,* » non sine indigentia : unde addit, « *A facie inimici,* » infestantis me. Prov. xviii, 10 : *Turris fortissima nomen Domini : ad ipsum currit justus, et exaltabitur.* Isa. v, 1 et 2 : *Vinea facta est dilecto meo... et ædificavit turrim in medio ejus.* Et turris fortitudinis : imo turris fortitudo ipsa. Job, ix, 19 : *Si fortitudo quæritur, robustissimus est.* Et I ad Corinth. i, 23 : *Prædicamus Christum crucifixum, Dei virtutem, et Dei sapientiam.* De turre alibi.

« *Inhabitabo in tabernaculo.* » Hic secundum, in quo subjungit beneficia spe habita jam, etsi non re : et dicuntur tria. Primo, beneficium finalis securitatis. Secundo, modus beneficii talis, scilicet qualiter conferetur, ibi, « *Protegar.* » Tertio, ratio et causa hujus securitatis, ibi, « *Quoniam tu Deus meus.* » 5

Dicit ergo : Hæc bona quæ præmisi, mihi contulisti, et etiam adhuc spero quoniam « *inhàbitabo in tabernaculo tuo,* » quidquid agat, quidquid inferat inimicus. Secundum hoc tabernaculum Ecclesia militans dicitur : tabernaculum enim militantium est : et hic militamus. Job, vii, 1 : *Militia est vita hominis super terram.* Et peregrinantium : et nos peregrinamur. II ad Corinth. v, 6 : *Quamdiu sumus in corpore, peregrinamur a Domino.* Ad Hebr. xi, 13 : *Confitentes quia peregrini sunt et hospites super terram.* Et hoc quod additur usque « *in sæcula,* » scilicet usquequo sæculum durabit. Ad Rom. viii, 39 : *Neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu.* Ex hoc relinquitur, sicut dicit Glossa, quod Ecclesia semper bonos colliget, quod est, illos qui non putant se esse bonos, nisi in suo tempore. Augustinus : « Noli invidere « cæteris post futuris. Noli quia trans« isti, pontem misericordiæ velle præ« scindere. »

Sed quomodo hoc erit, quod sic inhabitabis? « *Protegar in velamento alarum tuarum,* » non mearum virtutum. Alæ Domini sub quibus latent boni protecti in Ecclesia, sunt justitia, et misericordia. Sub justitia proteguntur justi, ne præsumant : sub misericordia impii, ne desperent. His enim duobus modis, scilicet per præsumptionem et desperationem, homines diabolo exponuntur. Matth. xxiii, 37 : *Volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas,* etc. Beatus qui confugerit et fotus fuerit sub alis istis : si justus, ut non præsumat : si peccator, ut non desperet. Ruth, ii, 12 : *Reddat tibi Domi-*

Alæ Dei, justitia et misericordia.

nus Deus tuus pro opere tuo, ad quem venisti, sub cujus alis confugisti.

6 « *Quoniam tu Deus meus.* » Hic est tertium in quo subjungit rationem sive causam, scilicet receptionem beneficii in aliquibus filiorum. Beneficii, inquam, æterni : unde dicuntur duo. Primo, tamquam rationem assignat sui exauditionem. Secundo, specificat in quo fuit exaudita, ibi, « *Dedisti.* »

Dicit ergo : Sic sperabo inhabitare, et hoc modo protegar, nec mirum, quia « *tu Deus meus,* » non alius, « *exaudisti orationem meam,* » de qua supra dixi, ℣. 3 : *A finibus terræ*, etc. In qua de hoc precabat : « *Quoniam dedisti hæreditatem,* » scilicet æternam, « *timentibus nomen tuum.* » Eccli. I, 13 : *Timenti Dominum bene erit in extremis, et in die defunctionis suæ benedicetur.* Benedictio autem salutis æternæ participatio, de qua Isa. LVIII, 14 : *Cibabo te hæreditate patris tui Jacob.* Sed quid est hæc hæreditas? Ipse Deus. Deuter. XVIII, 2 : *Dominus ipse est hæreditas eorum.* Hereditas dulcissima, Eccli. XXIV, 27 : *Hæreditas mea super mel et favum.* Et abundantissima, Eccli. XL, 28 : *Timor Domini sicut paradisus benedictionis.* Et hoc verum de timore casto et filiali : hic enim qui abundantissimam infundit benedictionem : sed hanc inchoat filialis timor. Eccli. XXV, 16 : *Timor Dei initium dilectionis ejus.* Propter hoc autem verbum, quia jam hæreditatem æternam adepti sunt Apostoli, facti Christi cohæredes[1], cantatur hic Psalmus de Apostolis.

Deus hæreditas nostra.

7 « *Dies super dies regis.* » Hic secundum, in quo præmissis beneficiis quæ respiciunt ad se, hic tangit beneficia quæ sperat in capite : et dicuntur duo. Primo, quæ sunt beneficia quæ exspectat in suo capite. Secundo, increpat membra negligentiæ in imitatione capitis, ibi, « *Misericordiam et veritatem.* »

In prima duo. Primo, quod exspectat æternitatem. Secundo, quod gloriam, ut sit æternitas gloriosa, et gloria æterna, ibi, « *Permanet.* »

In primo tangitur æternitatis collatio. Secundo, collatæ duratio, ibi, « *Annos ejus.* »

Dicit ergo : Hæc bona mihi spero conferenda in me certissime, et etiam, « *super dies regis* » mei, Christi qui est Rex, et caput meum. Ille, inquam, Rex, de quo in præcedenti Psal. LIX, 9 : *Juda rex meus.* Prov. XXI, 1 : *Cor regis in manu Domini : quocumque voluerit, inclinabit illud.* « *Adjicies dies* » super dies præsentis temporis, dies æternitatis : utrique enim dies in Christo, et temporis et æternitatis fuerunt. Michæ. V, 2 : *Et tu Bethlehem Ephrata, parvulus es in millibus Juda : ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israel,* ecce dies temporis : *et egressus ejus ab initio, a diebus æternitatis.* « *Annos ejus,* » Dei, extendens « *usque in diem generationis et generationis,* » hoc est, usque in diem æternitatis. Vel posset legi ut ad membra referretur, et tunc *dies regis* appellarentur hic bonorum conversationes, Christum imitantium, quibus adjiciuntur æternæ remunerationes, ut sit sensus : « *Dedisti hæreditatem timentibus nomen tuum.* » Et vere, quia « *super dies regis,* » id est, Christi, in quibus vixerunt isti ipsum imitando quantum ad illos qui vixerunt minus. Et « *super annos ejus,* » id est, Christi, in quibus vixerunt justi, « *adjicies dies,* » dies, inquam, durantes, « *usque in diem generationis et generationis,* » hoc est, æternitatis. Quasi diceret : Pro bona conversatione, dabis dies æternitatis.

Et nota hic, quod etiam in præsenti Dominus dies adjicit multis de causis.

Quid longiorem vitam faciat?

[1] Cf. ad Roman. VIII, 17 : *Si autem filii, et hæredes : hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.*

Primo, propter sapientiam, Prov. XXVIII, 2 : *Propter hominis sapientiam, et horum scientiam quæ dicuntur, vita ducis longior erit.* Propter largitatem, et liberalitatem, In eodem, ℣. 16 : *Qui odit avaritiam, longi fient dies ejus.* Propter parentum reverentiam ut honorem, Exod. XX, 12 : *Honora patrem tuum et matrem tuam, ut sis longævus super terram.* Eccli. III, 7 : *Qui honorat patrem suum, vita vivet longiore.* Propter præceptorum Dei adimpletionem, Deuteron. XXI, 20 : *Scribes ea super postes, et super januas tuas, ut multiplicentur anni tui.* Propter lacrymosæ orationis instantiam, Isa. XXXVIII, 5 : *Audivi orationem tuam, et vidi lacrymas tuas : ecce ego adjiciam super dies tuos quindecim annos.*

Hic etiam nota, quod est annus malus, scilicet sterilitatis. Luc. XIII, 7 : *Ecce anni tres sunt ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, et non invenio.* Isa. XXXVIII, 15 : *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Hujusmodi dies sunt peccata. Job, III, 3 : *Pereat dies in qua natus sum.* Septem dies, septem mortalia. Sed annus prædestinationis collectus ex electis, tamquam ex clarissimus diebus. Job, III, 6, de anno similiter et diebus suis : *Non computentur in diebus anni :* dicitur de reprobato Angelo. Hujus tres dies, Noe, Daniel, et Job[1]. Et est annus relaxationis, annus scilicet Jubilæus, in quo omnia dimittuntur[2]. Et habet dies septem, septem scilicet sacramenta. Exod. XII, 15 : *Septem diebus azyma comedetis : in die primo non erit fermentum in domibus vestris,* id est, nulla infidelitas in sacramentis. Item, est annus benignitatis, ibi, Psal. LXIV, 12 : *Benedices coronæ anni benignitatis tuæ.* Et Isa. LXI, 2 : *Ut prædicarem annum placabilem.* Hujus dies sunt septem dona Spiritus sancti. Septem Virtutes. Eccli. I, 2 : *Dies sæculi,* virtutes et dona, *quis dinumeravit,* nisi Deus? Et est annus creatæ felicitatis. Psal. LXXVI, 6 : *Cogitavi dies antiquos, et annos æternos,* etc. Hujus septem dotes. Et est annus increatæ æternitatis. Psal. CI, 28 : *Tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient.* Hic habet diem unicam lucem increatam. Psal. LXXXIII, 11 : *Melior est dies una in atriis tuis super millia.*

Annus in bonam et malam partem acceptus.

« *Permanet in æternum.* » Hic secundum, in quo tangitur secundum exspectatum, scilicet gloria. 8

Ait enim : Adjicies dies super dies regis, et hoc factum est, quia jam etiam « *permanet,* » quasi factum reputo, « *in conspectu Dei,* » id est, in gloria, et æterna vita. Et hoc, « *in æternum* : » hæc enim gloria videre te. Joan. XVII, 7 : *Hæc est vita æterna ut cognoscant te,* etc. Isa. XXXIII, 17 : *Regem in decore suo videbunt.* Psal. LXXI, 5 : *Et permanebit cum sole et ante lunam.* Et Luc. I, 32 : *Regnabit in domo Jacob in æternum.*

« *Misericordiam.* » Hic secundum, in quo dicto quod in Christo recipiet, consequenter increpat negligentes imitari. Quasi diceret : Sic æternus et gloriosus est rex, sed « *misericordiam ejus,* » hic in nobis implendam, et veritatem exhibendam in futuro, « *quis requiret?* » ut ipsas habeat, et ipsum imitetur. Quasi diceret : Rarus, aut nullus. Ambulandum tamen esset per has vias post eum. Osee, XIV, 10 : *Quis sapiens, et intelliget ista?... quia rectæ viæ Domini, et justi ambulabunt in eis : prævaricatores autem corruent in eis,* scilicet in malum. Propter hoc dicitur, Michæ. VI, 8 : *Indicabo tibi o homo quid sit bonum, et quid Dominus requirat a te : Utique facere judicium,* ecce veritas : *et diligere misericordiam.* Vel sic : Ita rex « *permanet in æternum in conspectu Dei,* » id est, permanebit. Et « *quis requiret* » exi-

[1] Ezech. XIV, 14 : *Et si fuerint tres viri isti in medio ejus, Noe, Daniel et Job : ipsi justitia sua liberabunt animos suas.*

[2] Cf. Levit. XXV, 1 et seq.

stens ibi, « *misericordiam et veritatem ejus ?* » Quasi diceret : Nullus in miseria. Nullus quæret misericordiam. Apocalyps. VII, 17, et Isa. XXV, 8 : *Absterget Deus omnem lacrymam* ab oculis eorum, sanctorum scilicet[1]. Nullus veritatem, quia quilibet aperte videbit veritatis fontem. Joan. VI, 45 : *Erunt omnes docibiles Dei.* Joan. XVI, 23 : *In illo die me non rogabitis quidquam.* Jerem. XXXI, 34 : *Non docebit ultra vir proximum suum, dicens : Cognosce Dominum.*

9 Tertia pars Psalmi. « *Sic psalmum dicam.* » Hic tertia pars Psalmi, sicut supra divisimus, in qua postquam petiit, et repetiit, promittit etiam duo. Laudem oris, et hoc primo. Secundo, operis, ibi, « *Ut reddam.* » Vel, primo laudaturum se dicit in futuro. Secundo, non cessaturum in præsenti.

Ait enim : Hæc bona mihi in me, et in meo capite contulisti, et propter hoc « *Psalmum dicam,* » laudabo te ore, « *et in sæculum sæculi* » consecutivum, hoc est, quamdiu sæculum continuabitur : semper enim stabit et durabit Ecclesia. Matth. XXVIII, 20 : *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Vel, « *in sæculum sæculi* » consecutivum, hoc est, in alio sæculo, et hoc, « *Nomini tuo,* » id est, ad honorem nominis tui. I ad Corinth. X, 31 : *Omnia in gloriam Dei facite.* » Et sic psallam vel in præsenti, vita, vel in futura, « *ut reddam vota mea :* » hoc enim necessarium est. Psal. LXV, 13 : *Reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea.* Isa. XIX, 21 : *Vota vovebunt Domino, et solvent.* Bernardus : « Nihil « placet Dei quidquid ei obtuleris, ne- « glecto eo ad quod tu teneris. » Et hoc « *de die in diem,* » id est, assidue. Eccle. IX, 10 : *Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare.* Et XI, 6 : *Mane semina semen tuum,* opus bonum, *et vespere non cesset manus tua.* Vel « *de die* » gratiæ, procedens usque « *in diem* » perfectam gloriæ. Prov. IV, 18 : *Justorum semita, quasi lux splendens, procedit et crescit usque ad perfectam diem,* scilicet diem gloriæ, ad quam nos perducat qui est benedictus, et æternitatis dies, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS LXI.

Securitas ejus qui Deo subjectus in eo solo fiduciam habet.

1. *In finem, Pro Idithum, Psalmus David.*
2. Nonne Deo subjecta erit anima mea ? ab ipso enim salutare meum.
3. Nam et ipse Deus meus et salutaris meus : susceptor meus, non movebor amplius.
4. Quousque irruitis in hominem ? interficitis universi vos, tamquam parieti inclinato et maceriæ depulsæ?
5. Verumtamen pretium meum cogitaverunt repellere : cucurri in siti : ore suo benedicebant, et corde suo maledicebant.
6. Verumtamen Deo subjecta esto, anima mea, quoniam ab ipso patientia mea :
7. Quia ipse Deus meus et salvator

[1] Cf. etiam Apocalyps. XXI, 4.

meus, adjutor meus, non emigrabo.

8. In Deo salutare meum et gloria mea : Deus auxilii mei, et spes mea in Deo est.

9. Sperate in eo, omnis congregatio populi : effundite coram illo corda vestra : Deus adjutor noster in æternum.

10. Verumtamen vani filii hominum, mendaces filii hominum in stateris : ut decipiant ipsi de vanitate in idipsum.

11. Nolite sperare in iniquitate, et rapinas nolite concupiscere. Divitiæ si affluant, nolite cor apponere.

12. Semel locutus est Deus : duo hæc audivi : quia potestas Dei est,

13. Et tibi, Domine, misericordia[1] : quia tu reddes unicuique juxta opera sua.

IN PSALMUM LXI

COMMENTARIUS.

1 *In finem, Pro Idithum, Psalmus David*[2].

Psalmus persuadet parendum et adhærendum Deo.

« *Nonne Deo subjecta erit anima mea?* » Hic est Psalmus undecimus in secunda parte, secunda scilicet quinquagena. Postquam enim Eccle sia benefactori gratias reddidit recolendo ejus beneficia, hic consequenter se convertit tamquam unus homo loquens ad seipsum, et alios, se hortando ut tanto benefactori sit subjecta, et alios similiter suggerentes oppositum increpando, et instruendo de propria constantia, quia a Deo non separabitur, sed omnia transiliens, ei soli subjacebit.

Et hoc satis innuitur in titulo, qui talis est : « *In finem, pro Idithum, Psalmus David.* » Et est sensus : Psalmus hic subjectus editus est « *pro Idithum,* » id est, per transilientem : sic enim interpretatur Idithum. Unde non propter officium quia cantor erat in templo Domini, sicut legitur I Paralip. xxv, 1, sed propter nominis interpretationem hic ponitur. Transilientem, inquam, « *in finem,* » Deum qui omnium finis est. Apoc. 1, 8 : *Ego sum Alpha et Omega, principium et finis.* Vel in Christum, Ad Roman. x, 4 : *Finis legis Christus ad justitiam omni credenti.*

Dividitur autem Psalmus in tres partes. Primo, hortantes se ad malum instruit, quod soli Deo subjectus erit. Secundo, increpat suadentes et impellentes

[1] Matth. xvi, 27 ; Ad Rom. ii, 6 ; I ad Cor. iii, 8 ; ad Gal. vi, 5.

[2] Ce psaume a la plus grande analogie avec le Psaume XXXVIII. L'un et l'autre sont adressés à Idithun, et expriment les sentiments de tristesse et de confiance de David en butte à ses ennemis ; seulement, tandis que la douleur abat le psalmiste dans le premier de ces chants, la confiance reprend victorieusement le dessus dans le second. La plainte contre les persécuteurs n'est plus la note dominante ; le fugitif se sent sous la main toute puissante de Dieu, et reconnaissant d'une part la fragilité et le néant des hommes, de l'autre la puissance et la bonté de son divin protecteur, il ressent presque de la joie au milieu de ses tribulations. Tout porte à croire avec Delitzsch, Moll, Patrizi, etc., que David composa ce psaume au temps de la révolte d'Absalon ; au ℣. 5, il fait allusion à ceux qui voudraient le précipiter de son trône. Théodoret le rapporte prophétiquement au temps des persécutions d'Antiochus, application légitime qui n'exclut pas le sens historique.

Le sens spirituel s'applique à tous les justes éprouvés mais confiants en Dieu au milieu des tentations.

H. Lesêtre.

ad malum, ibi, « *Quousque irruitis ?* » Tertio, subjungit exhortationem et suiipsius, et aliorum, ibi, « *Verumtamen Deo subjecta.* »

In prima duo. Primo, confitetur subjectionem animæ propriæ ipsi Deo quidquid suadeatur. Secundo, assignat rationem multiplicem quare debeat ei subjici, ibi, « *Ab ipso enim.* »

2 Prima pars Psalmi.

Dicit ergo : Hæc bona quæ præmisi, fecit mihi Deus, « *nonne* ergo *Deo,* » benefactori tanto, « *subjecta erit anima mea,* » quidquid perversi homines suadeatis ? Quasi diceret : Ita est, et quia præter causas quæ tanguntur in littera sequenti, et quæ præcesserunt in Psalmo antecedenti, ipse mihi omnia subjecit. Psal. VIII, 8 : *Omnia subjecisti sub pedibus ejus.* Anima enim justi est illa mulier de qua Apocal. XII, 1 : Dicitur, quod *amicta* erat *sole, et luna sub pedibus ejus,* id est, omnia temporalia. Genes. I, 28 : *Replete terram, et subjicite eam.*

Quomodo et quare debet anima subjici Deo?

Item, semetipsum homini subjecit. Luc. II, 51 : *Descendit cum eis, et venit Nazareth.* Debemus autem ei subjici tamquam creatura creatori, quia Isa. XLV, 9 : *Væ qui contradicit factori suo.* Deut. XXXII, 6 : *Numquid non ipse est pater tuus, qui possedit te, et fecit, et creavit te ?* Sicut materia suo artifici, Jerem. XVIII, 6 : *Nonne sicut lutum in manu figuli, sic omnes vos in manu mea, domus Israel ?* Isa. LXIV, 8 : *Fictor noster tu, et opera manuum tuarum omnes nos.* Sicut discipuli magistro, Matth. XI, 29 : *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde.* Marc. XII, 14 : *Magister, scimus quia verax es.* Sicut sponsa viro suo, II ad Corinth. XI, 2 : *Despondi vos uni viro, virginem castam exhibere Christo.* Sicut ancilla domino suo, I Reg. XXV, 41 : *Famula tua sit in ancillam, et lavet pedes famulorum domini sui.* Debemus autem subjici propriam voluntatem abnegando. Eccli. XVIII, 30 : *Post concupiscentias tuas non eas, et a voluntate tua avertere.* Sensum proprium abjiciendo, Prov. III, 3 : *Fili, ne innitaris prudentiæ tuæ.* Naturalem intellectum humiliando, maxime in fide sacramentorum. II ad Corinth. X, 5 : *In captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.*

« *Ab ipso enim.* » Hic subjungit rationem multiplicem : et dicuntur duo. Primo, ratio quare subjicietur. Secundo, conclusio, quia perseveranter, et numquam movebitur, ibi, « *Non movebitur.* »

In prima quatuor secundum rationem quadruplicem quam assignat. Prima est, quia Filium dedit. Secunda, quia creavit, ibi, « *Nam et ipse Deus meus.* » Tertia, quia justificabit, ibi, « *Et salutaris.* » Quarta, quia salvavit jam in spe, vel adjuvit in bona operatione secundum duplicem litteram, ibi, « *Susceptor meus.* »

Dicit ergo : Sic subjecta esse debet anima mea : et hoc justum : « *nam ab ipso,* » Deo Patre, « *salutare meum,* » scilicet Filius, qui est illud salutare, de quo Gen. XLIX, 18 : *Salutare tuum exspectabo, Domine.* Et Luc. II, 30 : *Viderunt oculi mei salutare tuum.*

« *Nam et ipse Deus meus,* » per creationem. Judith, IX, 17 : *Deus cœlorum, creator aquarum, et dominus totius creaturæ.* 3

« *Et salutaris meus,* » per justificationem et gratiæ suæ infusionem. Ad Roman. VIII, 30 : *Quos vocavit, hos et justificavit.*

« *Susceptor meus,* » ad gloriam in futuro. Proverb. XXIX, 23 : *Humilem spiritu suscipiet gloria.* Vel sicut vult Glossa, « ab ipso salutare meum, » mea salvatio a peccato. Matth. I, 21 : *Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.* « *Ipse Deus meus,* » per cultum specialem. Genes. XXVIII, 21 : *Erit mihi Dominus in Deum.* « *Et salutaris meus,* » per redemptionem et mortem specialiter I Pet. I, 18 : *Non corruptibilibus auro vel argento redempti,* etc. « *Susceptor meus,* » sicut prius, ad gloriam.

Vel secundum aliam litteram : « Adjutor, » ad bonam operationem, et in laboribus hujus mundi. Eccli. LI, 2 : *Adjutor et protector factus es mihi.* Et propter hoc, « non movebor amplius » ab ipso, sicut in primis parentibus : vel sicut antequam pœniterem. Eccli. XI, 22 : *Confide in Deo, et mane in loco tuo.* Eccle. X, 4 : *Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris :* et hoc ipso me sustinendo. Jerem. XXXIII, 17 : *Non interibit de David vir, qui sedeat super thronum domus Israel.* I Pet. V, 10 : *Ipse perficiet, confirmabit, solidabitque.* Psal. LIV, 23 : *Non dabis in æternum fluctuationem justo.*

4 Secunda pars Psalmi. « *Quousque irruitis.* » Hic secundum, increpatio post instructionem : et dicuntur duo. Primo, arguit eorum nequitiam. Secundo, pietatis simulationem, ibi, « *Ore suo benedicebant.* »

In prima duo. Primo, arguit. Secundo, arguendos justitia ostendit, ibi, « *Concurri in siti.* »

In prima duo. Primo, de malitia in opere. Secundo, in corde, ibi, « *Pretium meum.* »

In prima tria. Primo, arguitur eorum impetuositas, contra malos. Secundo, crudelitas. Vel simpliciter secundum unam litteram. Secundo, contra seipsos secundum aliam, ibi, « *Interficitis.* » Tertio, ostenditur qualitas peccati, ibi, « *Tamquam parieti inclinato.* »

Dicit ergo : Sic immobilis stabo, et vos miseri adversarii, « *quousque irruitis,* » tamquam flumina, vel ut feræ in hominem. In Psal. LVIII, 4 : *Irruerunt in me fortes.* Sicut factum est in Protomartyre Stephano : *Et impetum fecerunt unanimiter in eum*[1]. Sed irruere possunt in hominem exteriorem, carnem scilicet, non in interiorem. Job, IX, 24 : *Terra data est in manu impii.* II ad Corinth. IV, 16 : *Licet is qui foris est, noster homo corrumpatur : tamen is, qui intus est, renovatur de die in diem.* Matth. X, 28 : *Nolite timere eos, qui occidunt corpus.* Et o miseri « interficitis innocentem, » secundum aliam litteram, sicut Herodes et sui [2]. Ecce crudelitas. Jerem. VI, 23 : *Crudelis est, et non miserebitur.* Vel secundum nostram : Et sic « *interficitis vos universi,* » saltem spiritualiter, mandatum Dei transgrediendo, iniquitatem amando. Psal. X, 6 : *Qui diligit iniquitatem, odit animam suam.* I Reg. XXXI, 4, Saul interficit seipsum in monte Gelboe [3]. Et Matth. XXVII, 5 : *Judas recessit : et abiens laqueo se suspendit.* Et est tertia littera quæ sic habet : « Quousque apponitis onera gravia, et flagella super hominem ? » Matth. XXIII, 4 : *Alligant onera gravia et importabilia, et imponunt in humeros hominum : digito autem suo nolunt ea movere.* Et « interficitis omnes vos, » ut *vos* sit ex parte suppositi. Quasi diceret : Omnes estis interfectores. Ezechiel. XXII, 9 : *Viri detractores fuerunt in te ad effundendum sanguinem.* Osee, VI, 9 : *Fauces viarum latronum, particeps sacerdotum, in via interficientium pergentes de Sichem.*

«*Tamquam parieti.*» Hic qualitatem peccati. Quasi diceret : Irruitis in hominem, et tamquam irrueretis « *parieti inclinato,* » ad cadendum parato, « *et maceriæ,* » quæ sine cæmento est, et adhuc, « *depulsæ,* » et propter hoc faciliori ad casum. Et differt : quia *paries* appellatur proprie domorum, et qui fit proprie de omni materia, *maceria* autem proprie hortorum et vinearum clausura, et de lapidibus sine cæmento conjunctis. Isa. XXV, 4 : *Spiritus robustorum quasi turb impellens parietem.* Isa. V, 5 : *Diruam maceriam ejus, et erit in conculcationem.*

[1] Act. VII, 56.
[2] Cf. Matth. II, 16 et seq.
[3] I Reg. XXXI, 4 : *Arripuit Saul gladium, et irruit super eum.*

5 « *Verumtamen.* » Hic secundum, in quo arguit de peccato cordis. Quasi diceret : Sic interficitis, opere scilicet : « *Verumtamen cogitaverunt repellere pretium meum,* » dicit Ecclesia, id est, Christum quo redempta sum tamquam pretio. I ad Cor. vi, 20 : *Empti estis pretio magno.* Pretium inæstimabile quadruplex. Pretiosissima res sum, dicit Ecclesia, quæ inæstimabili pretio sum redempta. Augustinus : « O homo, appende te ex « pretio, ne vilescas. » Vel animam meam, quæ fuit Christi sanguinis pretium. Deut. xxiv, 15 : *Eadem die reddes ei,* scilicet indigenti, *pretium laboris sui,* animam scilicet tuam quam laboribus et morte acquisivit. Vel bona opera, quæ sunt pretium quo emitur vita æterna. Prov. xxxi, 16 : *Consideravit agrum, et emit illum,* pretio bonorum operum. Eccli. xvii, 18 : *Eleemosyna viri quasi sacculus cum illo, ad emendum vitam æternam.* Luc. xii, 33 : *Facite vobis sacculos qui non veterascunt.* Vel vitam æternam, quæ est pretium bonorum, de quo Job, xxviii, 13 : *Nescit homo pretium ejus*, etc.

Quatuor res pretiosæ, Ecclesia, anima, opus bonum, vita æterna.

« *Cucurri in siti.* » Hic ostendit juste increpandos. Quasi diceret : Sic cogitaverunt contra me : ego tamen « *cucurri* » ad eos liberandos, et mihi incorporandos : « *in siti,* » in ardore magno, et desiderio. Ad hoc enim monet me Paulus, I ad Corinth. ix, 4 : *Sic currite ut comprehendatis.* Sicut caput meum, de quo in Psal. xviii, 6 : *Exsultavit ut gigas ad currendam viam.* Et sitiens illorum salutem, sicut et ipse dicit, Joan. xix, 28 [2]. Sitit enim malus desiderio temporalium. Jerem. ii, 25 : *Prohibe pedem tuum a nuditate, et guttur tuum a siti.* Et sicut bonus aliorum salutem, sicut hic dicitur. Matth. v, 6 : *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam.* Et vitam. Psal. xli, 3 : *Sitivit anima mea ad Deum*, etc.

« *Ore suo benedicebant.* » Hic secundum, in quo arguit eos de pietatis simulatione.

Dicit ergo : Sic cogitabant contra me absque meritis meis, et « *ore suo benedicebant* » exterius, « *et corde suo maledicebant* » interius, ecce simulatio, sicut scorpiones qui facie blandiuntur, et cauda pungunt. Ezech. ii, 6 : *Fili hominis, cum scorpionibus habitas.* Prov. i, 10 : *Fili mi, si te lactaverint peccatores, ne acquiescas eis*, etc. Prov. xvi, 29 : *Vir iniquus lactat amicum suum,* sermonibus blandiendo : *et ducit eum per viam non bonam,* seducendo si potest.

« *Verumtamen Deo.* » Hic tertium, 6
secundum divisionem prius factam totius Psalmi. Postquam enim instruxit, et instructos increpavit, hic admonitionem subjungit. Primo, alloquens animam propriam. Secundo, omnium congregationem, ibi, « *Sperate in eo, omnis congregatio populi.* »

Tertia pars Psalmi.

In prima duo. Primo, exhortatio animæ ut Deo sit semper subjecta. Secundo, promissio respondentis animæ de perseverantia in subjectione, ibi, « *Non emigrabo.* »

In prima duo. Primo, exhortatio. Secundo, exhortationis probatio, quod ei est acquiescendum, ibi, « *Quoniam ab ipso.* »

Dicit ergo : Sic impugnant mali, « *verumtamen anima mea esto subjecta,* » id est, in subjectione ejus persevera subjiciendo collum intellectus. Eccli. li, 34 : *Collum vestrum subjicite jugo*, et caput affectus vestri, ejus præceptis et consiliis acquiescendo. Matth. xi, 29 : *Tollite jugum meum super vos,* etc. Et humerum bonæ operationis, Eccli. vi, 26 : *Subjice humerum tuum, et porta illam,* scilicet sapientiam. Nec tantum Deo subjecta esto, sed omni creaturæ humanæ propter eum. I Petr. ii, 13 : *Subjecti estote omni*

[1] Joan. xix, 28 : *Sciens Jesus quia omnia consummata sunt, ut consummaretur Scriptura, dixit : Sitio.*

humanæ creaturæ propter Deum. Ad Ephes. v, 21 : *Subjecti invicem in timore Christi,* et maxime prælatis ejus. Ad Hebr. xiii, 17 : *Obedite præpositis vestris, et subjacete eis.* Deo ergo subjecta esto, non alii pro peccato. Eccli. iv, 31 : *Ne subjicias te omni homini pro peccato.*

« *Quoniam ab ipso.* » Hic probatio, quod debet subjici, a quo tantum recipit bonum. Et dicuntur duo. Primo, collatio patientiæ in adversis. Secundo, probatio quod vere confertur ab eo, ibi, « *Quia ipse est Deus meus.* »

Dicit ergo : Sic subjiciaris, et debes : « *quoniam ab ipso est patientia mea.* Job, xvii, 15, ubi littera est : *Ubi est nunc præstolatio mea, et patientiam meam quis considerat ?* Quis considerat, dicit Ecclesia, ubi est nunc præstolatio mea? Tu es Domine Deus meus.

A Deo patientia tripliciter.

7 « *Quia ipse* est *Deus meus.* » Hic probat, quod vere dat patientiam per alia beneficia tria. Quia vocavit de infidelitate ad fidem, et hoc primum. Secundum, quia vocatum justificavit, ibi, « *Et Salvator.* » Tertium, quia justificatum adjuvit ut perveniat ad gloriam, ibi, « *Adjutor.* »

Dicit ergo : Vere ab ipso habeo bonum patientiæ, nam et « *ipse Deus meus* » est, in vocando ad fidem : tunc enim quasi de nihilo me fecit. I ad Cor. i, 28 : *Qui vocat ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrueret.* « *Et Salvator meus,* » me post vocationem justificando. Isa. xlv, 21 : *Deus justus et salvans non est præter me.* « *Adjutor meus,* » ad gloriam perducendo per opera meritoria. Exod. ii, 22 : *Deus patris mei adjutor meus* [1].

De iis tribus, Isa. xvii, 10 : *Oblita es Dei salvatoris tui,* ecce primum et secundum : *et fortis adjutoris tui,* ecce tertium. Ad Roman. viii, 30 : *Quos vocavit, hos et justificavit : quos autem justificavit, illos et glorificavit,* in operibus bonis et meritoriis.

« *Non emigrabo.* » Hic secundum hujus partis, in quo subjungitur quasi responsio animæ promittentis perseverantiam : et dicuntur duo. Promissio primo. Secundo, multiplex ratio quare promittit hoc secure, ibi, « *In Deo salutare.* »

Dicit ergo : Sic invito ut subjecta maneas, o anima. Et respondet : « *Non emigrabo,* » a Dei subjectione, sicut avis deferens nidum suum. Osee, ix, 11 : *Ephraim quasi avis avolavit.* Ego autem non sic : imo dicam illud Psal. x, 2 : *In Domino confido : quomodo dicitis animæ meæ : Transmigra in montem sicut passer ?*

« *In Deo salutare meum.* » Hic ratio- 8
nes sumit promissionis a bonis in futuro habendis primo. Secundo, ab habitis in præsenti, ibi, « *Deus auxilii mei.* » Beneficia habenda duo tangit, liberationem a malo, hoc est salus : collationem pleni boni, hoc est gloria.

Ait enim : Sic « *non emigrabo,* » nec debeo, quia in Deo est « *salutare meum,* » id est, ab eo exspecto salvari ab omni miseria et culpa in futuro. Jerem. xv, 20 et 21 : *Ego tecum sum ut salvem te, et eruam te, dicit Dominus. Et liberabo te de manu pessimorum, et redimam te de manu fortium. Salvabo te, et liberabo te : noli timere.* Luc. i, 47 : *Exsultavit spiritus meus in Deo salutari meo.*

« *Et gloria mea,* » conferente mihi omne bonum. In Psal. iii, 4 : *Tu autem, Domine, susceptor meus es, gloria mea,* etc, Jerem. ix, 24 : *In hoc glorietur qui gloriatur, scire, et nosse me.* II ad Cor. x, 17 : *Qui gloriatnr, in Domino glorietur.*

« *Deus auxilii mei.* » Hic tangitur bonum in præsenti duplex, adjutorium de pugna, et spes de victoria, ibi, « *Et spes.* »

Dicit ergo : Sic in futuro, et nunc ipse est : « *Deus auxilii mei,* » id est, a quo

[1] Cf. etiam Exod. xviii, 4.

est auxilium mihi. Osee, XIII, 9: *Perditio tua ex te Israel, tantum ex me auxilium tuum.* Deut. XXXIII, 26: *Ascensor cœli auxiliator tuus.* « *Et spes mea,* » de victoria, « *in Deo* » est: quippe ex quo auxiliator est, nullus nocere poterit. Job, XVII, 3: *Pone me juxta te, et cujusvis manus pugnet contra me.* Ad Rom. VIII, 31: *Si Deus pro nobis, quis contra nos?*

9 « *Sperate in eo.* » Hic secundum, in quo postquam monuit animam propriam alloquendo, subjungit exhortationem ad omnes generaliter: et dicuntur duo. Primo, exhortatio. Secundo, probatio, quod acquiescendum, ibi, « *Semel locutus est Deus.* »

In prima duo. Primo, exhortatio de sperando in quo veraciter sperandum est. Secundo, dehortatio, ne speretur in quo non est sperandum, ibi, « *Nolite sperare.* »

In prima duo. Primo, exhortatio. Secundo, necessitas exhortationis monstratur, ibi, « *Verumtamen mendaces.* »

In prima, exhortatio primo. Secundo, remotio ejus quod posset in contrarium movere, ibi, « *Deus est adjutor.* »

In prima duo. Primo, admonitio de sperando in Deo. Secundo, specificatio modi quomodo sperandum, ibi, « *Effundite coram illo.* »

Dicit ergo: Sic monui animam meam ut Deo se subjiciat, et consensit. Sed o vos, omnis scilicet « *congregatio populi, sperate in eo,* » quia Prov. XVI, 21: *Qui sperat in Deo, beatus est.* Maxime si congregatio, quia Matth. XVIII, 21: *Ubi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum,* paratus ad dandum quod petunt. Quanto ergo magis ubi fuerit maxima multitudo a Deo facta, secundum illud Michæ. II, 12: *Congregatione congregabo Jacob,* congregatione intellectus in fidei unitatem, et affectus in unam voluntatem, secundum illud Act. IV, 32: *Erat multitudinis credentium cor unum et anima una.* I Mach. III, 13: *Congregavit Judas congregationem fidelium.*

« *Effundite coram illo,* » cogitationes, et affectiones vestras, et per hoc mala. Nota enim, quod quidam male effundunt cor suum, cupidi in terram per cupiditatem, Thren. II, 11: *Effusum est in terra jecur meum.* Gulosi in cibum per nimium ardorem in edendo, Eccli. XXXVII, 32 et 33: *Non te effundas super omnem escam: in multis enim escis erit infirmitas.* Luxuriosi in mulierem per peccatorum adinventionem, Genes. XLIX, 3 et 4: *Ruben primogenitus meus,... effusus es sicut aqua,* viliter, et totaliter: *non crescas.* Jerem. L, 11: *Effusi estis sicut vituli super herbam, mugistis ut tauri post vaccam.*

Mala cordis effusio.

Sed « *effundite* » in confessione, Thren. II, 19: *Effunde sicut aquam cor tuum:* sicut aquam, non sicut vinum, de quo remanet odor in vase: vel mel de quo remanet sapor: vel lac de quo remanet color. Effundite in oratione, Psal. CXLI, 3: *Effundo in conspectu ejus orationem meam.* I Reg. I, 15: *Effudi in conspectu Domini animam meam.* Effundite in operibus misericordiæ, Isa. LVIII, 10: *Cum effuderis esurienti animam tuam, et animam afflictam repleveris.* Nec timeatis, ut dicatis: Quid erit si sic speramus, et confidimus? Iterum in peccata recidemus.

Bona effusio.

« *Deus adjutor noster,* » non ad horam, sed « *in æternum.* » Matth. XXVIII, 20: *Ecce ego vobiscum sum,* adjutor vester, *usque ad consummationem sæculi.*

« *Verumtamen vani filii hominum.* » 10
Hic subjungitur necessitas exhortationis, quia sunt in peccatis, maxime in duobus: amoris terrenorum, et confidentiæ in illis. Secundo, dolositatis, quæ causatur ex illo, ibi, « *Mendaces filii hominum.* »

Dicit ergo: Sic moneo ut semper speretis in Deo: et hoc necesse est, quia quidquid dicatur, « *verumtamen vani filii*

hominum. » Vel sic ad immediatum : Deus adjutor noster in æternum, « *verumtamen,* » etc. Vel ad remotiora : Sic, bonos affligunt mali, « *verumtamen,* » vos qui injusti estis, dicite, « *vani filii hominum,* » primorum scilicet parentum Adam et Evæ, « *vani* » corde, et quantum ad cogitativam, quia nihil sciunt de Deo. Sap. XIII, 1 : *Vani sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei.* Et quantum ad motivam, quia diligunt vana. Psal. IV, 3 : *Ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium?* Et quantum ad sermonem, Psal. XI, 3 : *Vana locuti sunt unusquisque ad proximum suum.* Et quantum ad operationem, Isa. XXX, 7 : *Ægyptus enim frustra et vane auxiliabitur.* Eccle. I, 2, dicitur tibi : *Vanitas vanitatum, et omnia vanitas.*

« *Mendaces.* » Hic secundum, scilicet dolositatis peccatum. Et primo, tangit dolositatis culpam. Secundo, convenientiam omnium in illa culpa, ibi, « *De vanitate.* »

Ait enim : Sic vani sunt, et etiam « *filii hominum* » ut prius, « *mendaces* » sunt « *in stateris* : » non ut intendant plus aliis solvere, imo ut decipiant ad litteram in statera ponderis, in alia ponderant cum vendunt, in alia cum emunt. Osee, XII, 7 : *Chanaan in manu ejus statera dolosa.* Levit. XIX, 36 : *Statera justa, et æqua sint pondera, justus modius æquusque sextarius.* Item, in statera discussionis Scripturarum, multum ponderantes quod pro se, allevіantes quod contra se : cum dicatur Eccli. XXI, 28 : *Verba prudentium statera ponderabuntur.* In statera judiciariæ potestatis : quid enim potestas judiciaria, nisi quædam statera ei qui judicat data, ut judicet uni sicut alii. Prov, XI, 1 : *Statera dolosa abominabilis est apud Deum.* Sed tandem veniet statera divinæ æquitatis, quæ omnia ad judicium reducet, de qua Isa. XL, 12 : *Cribrabit colles in statera.* Job, VI, 2 : *Utinam appenderentur peccata mea, et calamitas quam patior, in statera.* Sic filii hominum mendaces fiunt in stateris, ut decipiant existentes « *in idipsum,* » hoc est, unum, non cujuslibet rei, sed « *de vanitate,* » hoc est, in hac miseria unum sunt, et ad invicem colligati, quamvis per diversa vitia sint divisi, sicut vulpes Samsonis, quæ facies diversas habentes, caudas habebant ad invicem colligatas [1]. Daniel XIV, 27 : Congregati sunt Babylonii quasi vir unus [2]. Osee, XIII, 12 : *Colligata est iniquitas Ephraim.*

[margin: ...ultiplex statera.]

11 « *Nolite sperare.* » Monuit ad sperandum in quo sperandum est, hic dehortatur a sperando in eo in quo sperandum non est. Et primo, ne sperent in peccatis. Secundo, quod nec in divitiis, ibi, « *Et rapinas.* »

Dicit ergo : Sic monui, ut in Deo omnes speretis, et etiam nolite sperare in iniquitate fictionis hypocrisis, sicut hypocritæ faciunt, qui per suam dissimulationem aliquid semper sperant acquirere. Habac. II, 18 : *Speravit in figmento fictor ejus.* Vel injustæ acquisitionis, sicut usurarii et rapaces. Eccli. XXXI, 8 : *Beatus vir qui non sperat in pecunia et thesauris.*

« *Et rapinas.* » Hic quod non confidant in divitiis : et dicuntur duo. Primo, quod ipsas non rapiant, tamquam confidentes in illis. Secundo, quod habitas ex justo non diligant, ibi, « *Divitiæ.* »

Dicit ergo : Nolite sperare in peccatis, de divitiis. « *Rapinas,* » id est, res raptas, « *nolite concupiscere,* » ne sitis de illis de quibus Amos, III, 10 : *Thesaurizantes iniquitatem, et rapinam in cordibus suis.* Proverb. XXIV, 1 : *Ne æmuleris viros malos : rapinas meditabitur mens eorum.* Et ne nobis accidat tandem quod dicitur, Isa. XXXIII, 1 : *Væ qui prædaris, nonne et ipse prædaberis?*

[1] Cf. Judic. XV, 4.

[2] Daniel. XIV, 27 : *Quod cum audissent Babylonii, indignati sunt vehementer : et congregati adversus regem, dixerunt,* etc.

Et quid de bene acquisitis?

« *Divitiæ si affluant,* » bene acquisitæ, « *nolite cor apponere,* » eas inordinate diligendo, quia I ad Timoth. vi, 9: *Qui volunt divites fieri, incidunt in laqueum et in tentationem diaboli.* Quasi diceret: Habere non damno, sed affectum ponere in illis, hoc reprobo. Job, xxxvi, 5: *Deus potentes non abjicit, cum ipse sit potens:* ergo nec divites cum ipse sit dives. Luc. xix, 1 et seq., Non abjecit Zachæum, quia dives, sed intrans ejus domum, salutem attulit, sicut ibi dicitur. Proverb. xiii, 8: *Redemptio animæ viri, propriæ divitiæ.*

12 « *Semel locutus est Deus.* » Hic secundum, in quo ostendit, quod acquiescendum exhortationi: ultio nolentium acquiescere, et remuneratio acquiescentium certissime cognita: unde tanguntur tria. Primo, divinæ voluntatis ordinatio æterna et perfecta. Secundo, ordinatæ cognitio quantum ad hoc spectat, ibi, « *Duo hæc audivi.* » Tertio, explanatio, ibi, « *Quia tu reddes.* »

Dicit ergo; Sic sperate in Domino, non in iniquitate, vel divitiis, quia semel locutus est Deus, id est, perfecte ordinavit ab æterno. Sed ordinatio hæc *locutio* appellatur: quia in verbo facta est æterno, quod unicum est. Joan. i, 1: *In principio erat Verbum,* in quo totum completissime est dispositum. Job, xxxiii, 14: *Semel loquitur Deus, et idipsum non repetit.*

« *Duo hæc audivi,* » auditu interiori intellixi, « *quia potestas Dei est,* » ad puniendum sperantes in peccatis et divitiis. Job, xxv, 2: *Potestas et terror apud eum est, qui fecit concordiam in sublimibus suis.* Apocal. xii, 10: *Nunc facta est salus, et virtus, et regnum Dei, et potestas Christi ejus.* Dan. vii, 14: *Potestas ejus, potestas æterna.*

« *Et tibi, Domine, misericordia,* » simul cum potestate, imo ipse est misericordia. Supra, in Psal. lviii, 8: *Deus meus, misericordia mea.* Luc. vi, 36: *Estote misericordes, sicut et Pater vester,* etc. Potestatem dicit habere Deum contra illos, qui dicunt se habere plenitudinem potestatis. Ille solum habet, qui nullum supra se habet. Eccle. v, 7 et 8: *Excelso excelsior est alius, et super hos quoque eminentiores sunt alii. Et insuper universæ terræ rex imperat servienti.* Qui nec misericordiam habent in pauperes. Amos, vi, 6: *Bibentes vinum in phialis, et optimo unguento delibuti: et nihil patiebantur super contritione Joseph.*

Et hoc nunc dixi, et explano: « *Quia tu reddes unicuique juxta opera sua,* » bonis ex misericordia, malis ex potestate et justitia. Job, xxxiv, 11: *Opus hominis reddet ei, et juxta vias singulorum restituet eis.* Proverb. xxiv, 12: *Reddet homini juxta opera sua.* Jerem. l, 29: *Juxta opera quæ fecit, facite illi.*

Sed adverte, quod ista mensuratio in comparatione unius puncti, ad alium est: quia qui plus peccavit alio, plus punitur et semper citra condignum. Sed in bonis semper supra, Luc. vi, 38: *Mensuram bonam, et confertam, et coagitatam, et supereffluentem dabunt in sinum vestrum. Bonam,* quia secundum merita: *confertam,* etc., quia supra merita: cujus mensuræ participes faciat nos potens et misericors, qui est benedictus per infinita sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS LXII.

Exsul se in Dei laudibus consolatur : prædicit hostium ruinam.

1. *Psalmus David. Cum esset in deserto Idumææ*, (I Reg. XXII, 5).
2. Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo.
Sitivit in te anima mea : quam multipliciter tibi caro mea?
3. In terra deserta, et invia, et inaquosa, sic in sancto apparui tibi, ut viderem virtutem tuam et gloriam tuam.
4. Quoniam melior est misericordia tua super vitas, labia mea laudabunt te.
5. Sic benedicam te in vita mea : et in nomine tuo levabo manus meas.
6. Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea, et tabiis exsultationis laudabit os meum.
7. Si memor fui tui super stratum meum, in matutinis meditabor in te.
8. Quia fuisti adjutor meus,
Et in velamento alarum tuarum exsultabo.
9. Adhæsit anima mea post te : me suscepit dextera tua.
10. Ipsi vero in vanum quæsierunt animam meam : introibunt in inferiora terræ :
11. Tradentur in manus gladii; partes vulpium erunt.
12. Rex vero lætabitur in Deo ; laudabuntur omnes qui jurant in eo, quia obstructum est os loquentium iniqua.

IN PSALMUM LXII

COMMENTARIUS.

Psalmus David, Cum esset in deserto Idumææ [1].

« *Deus, Deus meus.* » Hic est Psalmus duodecimus in secunda parte totius libri, sexagesimus secundus in toto libro. Præponitur autem titulus aperiens Psalmi materiam et intentionem, qui talis est : « *Psalmus David, cum esset in deserto Idumææ.* » Et tangit quod habetur I Reg. XXII, 5, quod David fugiens Saul habitavit in deserto Mahon : quia tamen Psalmum ibi non legitur cecinisse, etsi forte cecinerit, ad spiritualem intelligentiam recurrendum est. Est enim vox Christi per David designati, sicut frequenter dictum est : vel Ecclesiæ conversantis in deserto Idumææ, in mundo

Argumentum Psalmi: Quomodo conversandum justis in deserto hujus sæculi?

[1] David fit ce psaume à l'occasion de son séjour dans le désert τῆς Ἰουδαίας, *bemidbar iehoudah*, et non dans celui τῆς Ἰδουμαίας, comme traduisent les Septante et quelques autres versions. Cette dernière désignation pourrait venir de ce que le désert de Judée s'étendait de Jérusalem à la mer Morte, par conséquent, dans la direction de l'Idumée. Or, David séjourna pour la première fois dans cette retraite au temps de la persécution de Saül ; c'est à cette époque que les anciens, S. Athan., Euseb., Theod. etc., rapportent le psaume ; David y prend le titre de roi, ỳ. 12, parce qu'il avait déjà reçu l'onction royale des mains de

scilicet qui desertum appellari potest propter multitudinem reptilium, peccatorum scilicet in ipso conversantium. Psal. CIII, 25 : *Illic reptilia, quorum non est numerus.* Et desertum Idumææ, id est, sanguineæ, quia ipsa peccata sanguis appellantur. Osee, IV, 2 : *Et sanguis sanguinem tetigit.* Unde hic exprimit formam boni viatoris, et recte conversantis inter malos mundi : et sicut in Psalmo præcedenti formam expressit transiliens omnia, et soli Deo se subjicientis, sic hic formam exprimit viatoris boni, et per desertum mundi peregrinantis. Job, XXI, 29 : *Interrogate quemlibet de viatoribus,* per desertum Idumææ transeuntis, *et hæc eadem illum intelligere cognoscetis.* Thren. I, 12, rursus de tali viatore : *O vos omnes qui transitis per viam,* ut sic in utraque perfectus sit homo, in contemplativa scilicet et activa, et transiliendo discat quid postmodum viator agere debeat.

Dividitur autem Psalmus in duas partes secundum Glossam. Primo, ostendit appetitum quem habet in deserto perveniendi ad Deum. Secundo, describit statum et bonorum et malorum qui sunt in mundo, ibi, « *Si memor fui.* »

In prima duo. Primo, ostendit appetitum et fervorem desiderii quem habet ad Deum. Secundo, petit desiderii augmentationem, ibi, « *Sicut adipe.* »

In prima dicuntur duo. Primo petit. Secundo, allicit ad dandum quod petitum est, ibi, « *Quoniam melior.* »

In prima quatuor. Primo, quando fuerit in eo præcipue illud desiderium. Secundo, quantum sit illud desiderium, ibi, « *Sitivit anima mea.* » Tertio, locum describit in quo, ibi, « *In via deserta.* »

Samuel, et que ses compagnons se plaisaient déjà peut-être à l'appeler de ce nom. Les modernes, V. Steenkiste, Thalhofer, Beelen, Perowne, etc., croient avec raison que ce psaume nous reporte plutôt à la période de la révolte absalonnienne ; jamais, en effet, David ne prend le titre de roi dans les psaumes de l'époque de Saül. Ajoutons aussi que les aspirations à vivre à l'ombre du tabernacle caractérisent le dernier exil du psalmiste ; c'était lui qui avait établi l'arche à Sion, et son bonheur était d'abriter sa vieillesse auprès d'elle. Au temps de Saül, le tabernacle n'avait pas de résidence fixe, et le fugitif pouvait le visiter parfois sans avoir rien à craindre de son persécuteur ; d'ailleurs la piété de David envers le Seigneur, quoique vive dans les premières années, était plus habituée à chercher Jéhova dans son ciel que dans sa demeure terrestre. En tous cas, « il n'y a point de raison pour douter que David soit l'auteur du psaume ; il est caractérisé par une tendresse exquise et une profonde affection envers Dieu, et cependant il ne manque ni d'énergie, ni même d'une certaine rudesse d'expression : il porte toutes les marques de la poésie de David. » Perowne. Le roi venait alors de sortir de Jérusalem ; « pendant toute une année, dit Tholuck, ce désert qui s'étend de la capitale à la côte occidentale de la mer Morte, lui avait servi de refuge quand Saül le poursuivait ; devenu roi, il ne pensait guère à être obligé d'y retourner. » Le voilà pourtant forcé de demander encore un abri à ces solitudes qui avaient soustrait sa jeunesse à la haine de ses premiers ennemis ; il semble que malgré la tristesse des circonstances, il les revoie avec quelque joie ; Achitophel n'a pas encore dévoilé ses noirs desseins, le royal fugitif n'a pas encore traversé le Jourdain, II Reg., XVII, 22, tout ne semble pas désespéré, et le psalmiste, à peine sorti de Jérusalem, espère que son absence ne sera pas de longue durée. C'est dans cette situation d'esprit qu'il écrivit ce chant, médité dans le silence de la nuit, et adressé à Dieu aux premières lueurs de l'aurore.

Comme il ressort du premier verset, ce chant est une prière du matin. Dans la primitive Eglise, ce psaume appelé ὁ ὄρθρινος, Const. apost. VIII, 37, était prescrit, ἑκάστης ἡμέρας ὄρθρου, Ibid. II, 59. S. Athanase, de Virginit. et S. Basile, Ep. LXIII, ad Neocæs. font allusion à ce même usage. Dans la liturgie actuelle, on le récite chaque jour à l'office de Laudes. Les sentiments qu'il exprime conviennent très bien à l'adaptation qu'en fait l'Eglise. « Ce psaume trahit une âme aimante; et il a besoin d'une âme semblable pour être bien compris ; car *lingua amoris*, dit S. Bernard, *non amanti barbara est.* » Delitzsch. « Refertur etiam ad animam quæ olim omni vacua bono erat, et quæ postea per Christi gratiam conversa est. » S. Athan.

H. LESÊTRE.

Quarto, finem desiderii, ibi, « *Sicut in sancto.* »

2 Prima pars Psalmi. Dicit ergo : « *Deus,* » per beneficium creationis, « *Deus,* » per beneficium recreationis, sed « *meus* » per beneficium exspectatæ glorificationis : sic exponitur illud Matth. XXII, 37 : *Diliges Dominum Deum tuum*, etc. *Dominum* creatione, *Deum* recreatione, sed *tuum* glorificatione.

« *Ad te de luce vigilo.* » Quid magnum dicit hic? Vigilare de die non est magnum, sed si de nocte, hoc aliquid magnum esset. Responsio. Lux non accipitur hic pro die artificiali, qui pars est naturalis, sed pro toto tempore isto, in quo tamquam in luce sine die operandum. In alia autem vita nox erit, in qua jam non erit tempus operandi, sed quiescendi ab omni opere. Eccle. IX, 10 : *Quodcumque potest manus tua, instanter operare*, etc. Joan. IX, 4 : *Me oportet operari..., donec dies est : venit nox, quando nemo potest operari.*

Vigilarum usus et utilitas. Vel secundam aliam litteram, « Vigilo ad te diluculo, » in aurora, non ad potandum, sicut multi vigilant, Isa. V, 11 : *Væ qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam, et potandum usque ad vesperam.* Non ad spoliandum homines, vel magis occidendum, Job, XXIV, 14 : *Mane primo consurgit homicida : interficit egenum et pauperem.* Sed ad orandum te, et laudandum. Ad Coloss. IV, 2 : *Orationi instate, vigilantes in ea.* Eccli. XXXIX, 6 : *Justus cor suum tradidit ad vigilandum diluculo ad Dominum qui fecit illum.* Isa. XXVI, 9 : *In præcordiis meis de mane vigilabo ad te.* Qui sic vigilat et orat, increpationem Dei duram evitat, Job, XXXVIII, 7 : *Ubi eras...cum me laudarent simul astra matutina, et jubilarent omnes filii Dei ?* Ipsum Deum, si dormit, sibi evigilat, Job, VIII, 5 et 6 : *Si diluculo consurrexeris ad Deum, et Omnipotentem fueris deprecatus statim evigilabit ad te.* Carnem reprimit ne lasciviat, Eccli. XXXI, 1 : *Vigilia honestatis tabefaciet carnes.* Deum invenit, Prov. VIII, 17 : *Qui mane vigilant ad me, invenient me.* Propter hoc dicitur, Prov. VIII, 34 : *Beatus qui audit me, et qui vigilat ad fores meas quotidie, et observat ad postes ostii mei.*

« *Sitivit in te anima mea.* » Hic secundum, in quo ostendit quantum sit desiderium : quia tantum est ut totus desideret. Et primo exprimit desiderium mentis. Secundo, etiam carnis, ibi, « *Quam multipliciter.* »

Dicit ergo : Tali hora vigilans ad te, deprecor te. Numquid tepide, et sola mente ? Non : imo « *sitivit,* » tendens « *in te anima mea.* » Sap. XI, 4 : *Sitierunt, et invocaverunt te*, id est, invocando sitim habuerunt veniendi ad te. Psal. XLI, 3 : *Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum.* Sed si sitit Deum, signum est quod gustaverit aliquid de ejus dulcedine. Eccli. XXIV, 29 : *Qui bibunt me, adhuc sitient.* Bonum est sitire, quando fons vivacissimus et optimus præparatus est, et invitat etiam ad potandum aquas proprias. Isa. LV, 1 : *Omnes sitientes venite ad aquas*, dicit fons vitæ. Joan. VII, 37 : *Stabat autem Jesus, et dicebat : Si quis sitit, veniat ad me, et bibat.* Primo, aquas de fonte eruditionis, Prov. XVI, 22 : *Fons vitæ eruditio possidentis.* Et aquas de fonte casti timoris, Prov. XIV, 27 : *Timor Domini fons vitæ.* Et XIII, 14 : *Lex sapientis*, scilicet qua se ligat sapiens, *fons vitæ.*

« *Quam multipliciter.* » Quasi diceret : Non tantum sitivit anima mea, imo « *caro mea* » etiam « *quam multipliciter,* » id est, valde multipliciter sitit et desiderat. Nec mirum si caro sitiat tendens in Deum, quæ sicut alibi dicitur, in Deum exsultat. Alibi, in Psal. LXXXIII, 3 : *Cor meum et caro mea exsultaverunt in Deum vivum.* Dicitur autem sitire multipliciter, quia quanto caro in pluribus affligitur et deficit, tanto ardentius ad Deum venire sitit. Suum autem sitire et quasi orare Deum, est ipsam carnem Sitire dicitur multipliciter

voluntarie et lætanter affligere. Gilbertus : « Caro voluntariis afflicta disciplinis, di« vinam sententiam ad propitiationem « flectere nititur. Ipsa enim propter Deum « supplicia, quædam ad eum supplica« tiones sunt : voluptatis repressio, quæ« dam est votorum expressio. » Referri etiam potest sitis et desiderium mentis ad stolam animæ : sitis vero carnis ad stolam corporis. Vel primum ad obtinendum spiritualia, secundum ab obtinendum corporalia : utraque enim a Deo sunt petenda.

3 « *In terra deserta.* » Hic tertium, in quo describit locum in quo orat, ut major orantis virtus ostendatur, et necessitas orationis : quia in mundo quem describit. Primo, a contemptu bonorum. Secundo, a causa contemptus duplici. Primo, quia non est in eo via ducens, ibi, « *Invia.* » Secundo, quia nec aqua refrigerans ab ardore vitiorum, ibi, « *Et inaquosa.* »

Sæculi duo incommoda.

Dicit ergo : Sic oro et desidero, et in mane : et ubi es, « *in terra deserta,* » in mundo a sanctis derelicto et contempto tamquam desertum infructuosum. Jerem. IV, 23 : *Adspexi terram, et ecce vacua erat, et nihili.* Osee, VIII, 7 : *Culmus stans non est in eo, germen non faciet farinam.* Bene derelicto a sanctis, quia non est homo in mundo. Omnes sunt tamquam silvestres feræ, ratione non utentes. Jerem. IV, 25 : *Intuitus sum, et non erat homo,* activus bonus *: et omne volatile cœli recessit,* contemplativus, in via non ducente ad Dominum, sed magis deviante. Isa. XXXIII, 8 : *Dissipatæ sunt viæ, cessavit transiens per semitam.* Jerem. II, 6 : *Terram inhabitabilem et inviam, per terram sitis, et imaginem mortis.* Et sine illa via maxime, quæ dicit de seipsa, Joan. XIV, 6 : *Ego sum via, et veritas, et vita.*

« *Et inaquosa,* » sine aqua gratiæ aquam vitiorum refrigerante, quæ est necessaria. II Reg. I, 21 : *Montes Gelboe, nec ros nec pluvia veniant super vos.* Num. XXXI, 5 : *Deest panis, et non sunt aquæ.*

« *Sic in sancto.* » Hic tertium, in quo ostendit ad quid sic sitit. Quasi diceret : Sic sitio in deserto, fervore desiderii videndi te, et apparui tibi « *in sancto* » proposito. Sic Exod. III, 1 et seq., Moyses apparuit Domino in deserto, et Dominus ei [1]. Et hoc, « *ut viderem* » tandem aperta visione quæ est per speciem, « *virtutem tuam, et gloriam tuam,* » Christum scilicet qui est virtus tua, et gloria tua, quia sapientia tua. I ad Cor. I, 23 : *Prædicamus Christum crucifixum, Dei virtutem, et Dei sapientiam.* Et Prov. X, 1 : *Filius sapiens lætificat patrem.* Multo ergo plus filius qui est sapientia.

Et nota, quod desertum malum est, in quo est vere horror vitiorum. Deut. XXXII, 10 : *In loco horroris et vastæ solitudinis.* Periculum leonum, superborum pauperes opprimentium. Eccli. XIII, 23 : *Venatio leonis onager in eremo.* Latronum, corporalia rapientium. Luc. X, 30 : *Homo quidam descendebat ab Jerusalem in Jericho,* per desertum ad litteram, *et incidit in latrones.* Et serpentium venenum infundentium, dæmonum scilicet. Deuter. VIII, 15 : *Ductor tuus fuit in solitudine vasta atque horribili, in qua erat serpens flatu adurens, et scorpio, et dipsas. Serpens adurens flatu,* quando per ambitionem sursum erigit. *Scorpio* facie blandiens, cauda pungens, cum ad luxuriam pertrahit. Sed *dipsas* qui cum pungit, sitire facit, cum avaritiam suggerit. Vastitas tanta non potest coli. Num. XX, 5 : *Adduxistis nos in locum istum pessimum, qui seri non potest.* Speluncæ dolositatum, et latebræ. Job, XXX, 6 : *In desertis habitabant torrentium, et in cavernis terræ.* Sed desertum bonum est

[1] Exod. III, 2 : *Apparuit ei Dominus in flamma rubi in medio ignis...* ℣. 4 *Cernens Dominus quod pergeret ad videndum, vocavit eum,* etc.

crux Christi, claustrum, et cœlum, de quibus mox loquetur.

4 « *Quoniam melior est misericordia.* » Hic secundum, in quo allicit primo commendando. Secundo, promittendo, ibi, « *Labia mea laudabunt te*, etc. »

Dicit ergo : Hæc facio, ut videam virtutem et gloriam, et hoc mihi præstabis, bene scio, « *quoniam misericordia tua*, » effectus misericordiæ, tuæ, scilicet gratia et gloria. Psal. LXXXIII, 12 : *Gratiam et gloriam dabit Dominus.*

« *Super vitas,* » humanas quantumcumque prosperas, et longuævas, quibus nihil melius putant homines. Jacob. IV, 13 : *Quæ est enim vita vestra? Vapor est ad modicum parens.* « *Et super vitas,* » activam scilicet et contemplativam, significatas per Rachel et Liam [1], et Martham et Mariam [2]. Vel « *super vitas,* » quatuor figuratas per quatuor facies ostensas, Ezech. I, 10 : *Facies hominis*, vita conjugatorum : *facies leonis* qui habitat in desertis, vita eremitarum : *facies bovis* qui terram colit, vita Prælatorum : *facies aquilæ,* vita claustralium per contemplationem sursum volantium.

Quadruplex vita significata quator animalibus.

« *Labia mea.* » Hic allicit promittendo et promittit duo. Laudem verborum primo. Secundo, operum, ibi, « *Sic benedicam te.*

Dicit ergo : Sic desidero : quod si impleveris, « *labia mea laudabunt,* » a te aperta ad hoc, quia per me non possem. Supra, in Psal. L, 3 : *Domine, labia mea aperies,* etc. Osee, XIV, 3 : *Aufer omnem iniquitatem, et accipe bonum : reddemus vitulos labiorum nostrorum.*

5 « *Sic benedicam te.* » Ecce secundum Quasi diceret : Labiis laudabo, « *sic,* » et « *benedicam te in vita mea,* » mihi a te data. Vel *sic* ut sit causale : « *Melior est misericordia tua*, etc. » « *Sic,* » id est, ideo « *benedicam*, etc. » Vel labia laudabunt, quod datum est ex misericordia tua, « *sic*, » etiam, id est, ex dono misericordiæ tuæ, « *benedicam te in vita mea.* » Si enim vita blasphemaret, laus labiorum parum valeret. Eccli. XV, 9 : *Non est speciosa laus in ore peccatorum.* Et LI, 8 : *Laudabit usque ad mortem anima mea Dominum, et vita mea.* Psal. CXLV, 2 : *Laudabo Dominum in vita mea.* Matth. V, 16 : *Sic luceat lux vestra coram ut videant opera vestra bona, hominibus*, etc.

« *Et levabo manus meas*, » in oratione et supplicatione pro bonis impetrandis. Thren. III, 41 : *Levemus corda nostra cum manibus.* I ad Tim. II, 8 : *Levantes manus puras cum oratione.* Ille autem bene levat, qui bona opera operatur, et libenter orat. Exod. XVII, 11 : *Cumque levaret Moyses manus, vincebat Israel : sin autem paululum remisisset, superabat Amalec.* Et nota, quod manus debet extendi ad pauperem per compassionem, Marc. III, 5 : *Extende manum tuam.* Aperiri per largitatem, Prov. XXXI, 20 : *Manum suam aperuit inopi.* Et levari per rectam intentionem, ut totum fiat ad Dei honorem. Hoc est quod additur, « *In nomine.* » I ad Corinth. X, 31 : *Omnia in gloriam Dei facite.*

« *Sicut adipe.* » Hic secundum totius primæ partis Psalmi, in quo postquam ostendit desiderii fervorem, petit fervoris augmentationem : et dicuntur duo. Primo, petit. Secundo, allicit ad dandum petitum, ibi, « *Et labiis exsultationis.* » 6

Dicit ergo : Sic dico, quod levabo manus ad petendum, et hoc petam ut anima mea repleatur, aliquantulum enim jam sentit, « *sicut adipe et pinguedine,* » id est, iis quæ per adipem et pinguedinem designantur, quæ antiquitus multum placebant Deo. In adipe interna delectatio, in pinguedine fortitudo ab bene operan-

[1] Cf. Genes. XXX.

[2] Cf. Luc. X.

dum. Macilenta enim animalia debilia sunt. Adeps etiam est pinguedo magis interna, pinguedo magis extrinseca.

Hic autem duo diligit Deus multum. Spiritualem lætitiam, Eccli. xxxv, 11 : *In omni dato hilarem fac vultum tuum.* II ad Corinth. ix, 7 : *Hilarem datorem diligit Deus.* Et fortitudinem ad bonum, de qua Isa. xl, 31 : *Qui sperant in Domino mutabunt fortitudinem.* Propter hoc dicebat David[1] : *Fortitudinem meam,* pinguedinem scilicet meam, *ad te custodiam :* quia vis illam. Levit. iii, 3 : *Adipem qui operit vitalia, et quidquid pinguedinis est intrinsecus... adolebunt Domino.* Hoc impletur in bonis sacerdotibus. Jerem. xxxi, 14 : *Inebriabo animam sacerdotum pinguedine,* hac ut toti sint pinguedo. Eccli. xlvii, 1 : *Surrexit Nathan propheta quasi adeps separatus a carne.*

« *Et labiis exsultationis.* » Hic allicit promittendo. Quasi diceret : Sic imple animam meam, et « *os meum laudabit te,* » non alium : et hoc « *labiis,* » non quibuscumque, sed « *exsultationis* : quippe Matth. xii, 14 : *Ex abundantia cordis os loquitur.* Et dicit : « *Labiis exsultationis,* » quia in labiis notatur aliquando timoris magnitudo, Habac. iii, 16 : *A voce contremuerunt labia mea.* Discretio, Psal. lxv, 14 : *Reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea.* Simulatio, Matth. xv, 8 : *Populus hic labiis me honorat.* Lætitiæ magnitudo sicut hic, et alibi, in Psal. cxviii, 171 : *Eructabunt labia mea hymnum.* Et alibi, Psal. lxx, 23 : *Exsultabunt labia mea, cum cantavero tibi.*

7 Secunda pars Psalmi Status bonorum et malorum in hoc sæculo.

« *Sic memor fui.* » Hic est secunda pars Psalmi, in qua postquam monstravit affectum quem habet ad Deum, describit statum bonorum in deserto hujus mundi simul et malorum. Et primo describit statum. Secundo, præmium sequens in futuro ex hoc statu, ibi, « *Rex vero lætabitur.* »

In prima duo. Primo, statum bonorum. Secundo, malorum, ibi, « *Ipsi vero.* »

In prima duo. Primo, memoria Dei in prosperitate. Secundo, in adversitate, ibi, « *Et in velamento.* »

In prima duo. Primo, memoria Dei in prosperitate. Secundo, causa illius memoriæ, ibi, « *Quia fuisti adjutor.* »

Item, in prima duo. Primo, memoria in quiete. Secundo, in actione, ibi, « *In matutinis.* »

Dicit ergo : Sic labiis exsultationis laudabo. « *Sic,* » quia « *fui memor :* » et hoc, « *super stratum meum,* » stans, id est, quiescens in mea prosperitate, quando solent aliorum homines oblivisci. Genes. xl, 23 : *Succedentibus prosperis, magister pincernarum oblitus est interpretis sui.* Ephraim enim et Manasses fratres sunt. Deuteron. vi, 10 : *Cum dederit tibi Dominus civitates magnas et optimas,... cave deligenter ne obliviscaris Domini.* Vilescit enim acceptum beneficium. Philosophus : Nihil carius quam « beneficium cum petimus, nihil vilius « cum accepimus. Quæ vel quid faciat « oblivionem acceptorum, cupiditas acci- « piendorum. »

Et nota, quod stratum est mensa refectionis. Luc. xxii, 12 : *Ostendet cœnaculum grande stratum, et illuc parate nobis.* Super hoc debemus Dei memorari ad serviendum ei, non ad luxuriandum. I ad Corinth. x, 31 : *Sive comeditis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Et est stratum lectus ægritudinis. Psal. xl, 4 : *Universum stratum ejus versasti in infirmitate ejus.* Super hoc debemus memores esse Dei, nos humiliando et orando, sicut Ezechias [2], et obtinuit quindenos annos ad corrigendum vitam. Et est stratum quietis et prosperitatis temporalis. De hoc hic. Super hoc memores

[1] Psal. lviii, 10.

[2] Cf. Isa. xxxviii, 2 et seq.

esse debemus gratias referendo sicut Joseph, qui in prosperitate semper melioratus est [1], non sicut Salomon qui inde conversus est ad amorem mulierum, et ulterius in idololatriam [2]. Et est etiam stratum conscientiæ interioris, de quo Isa. xxviii, 20 : *Coangustatum est stratum*, etc. Super hoc debemus esse memores veniam deprecando, peccata deflendo, sicut ille qui dicebat : *Lavabo per singulas noctes* [3], etc.

« *In matutinis.* » Quasi diceret : Ad opera surgendum est ad litteram. Matth. xx, 1 : *Exiit primo mane conducere*, etc. Cant. vii, 12 : *Mane surgamus ad vineas.* Vel, « *in matutinis,* » id est, in operibus bonis in luce gratiæ factis : mala enim de nocte fiunt absente luce gratiæ. Joan. iii, 20 : *Qui male agit, odit lucem.* Ad Ephes. v, 12 : *Quæ in occulto fiunt ab ipsis, turpe est et dicere.*

8 « *Quia fuisti.* » Ecce secundum, ratio scilicet et causa. Quasi diceret : Si in quiete cogito de te, et in operatione, hoc non est a me : « *quia fuisti adjutor meus,* » ad hoc promovens me. Eccli. li, 2 : *Adjutor et protector factus es mihi.*

Status bonorum in adversis.

« *Et in velamento alarum tuarum.* » Hic describit statum bonorum in adversitate, et primo ostendit statum. Secundo, addit causam, ibi, « *Me suscepit.* »

In prima duo, quæ faciunt justi in adversitate, in Deo protectore gaudent, hoc tangit primo. Ductori inseparabiliter adhærent, hoc secundo, « *Adhæsit anima.*

Dicit ergo : Sic in prosperitate me habeo. Sed si occurrat adversitas, quid erit ? « *Exsultabo,* » et hoc non in me, sed « *in velamento alarum tuarum,* » tamquam pullus sub alis gallinæ protectus a milvo, scilicet a diabolo. Augustinus : « Nos sumus pulli sub alis gallinæ : sed illi crescentes alis matris non indigent, sed nos quanto magis crescimus, tanto magis gallina indigemus. Fatui ergo præsumptuosi qui ad alas non currunt. » Matth. xxiii, 37 : *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti ?* Deuteron. xxxii, 12 : *Expandit alas suas, et assumpsit eos.* Ergo quanto major es, tanto plus fuge ad alas : ibi abscondere humiliando te, et latendo quantum est in te. Eccli. iii, 20 : *Quanto magnus es, humilia te in omnibus*, sub isto velamento. Notandum enim, quod est velamen defensionis a tribulatione iræ Dei, sicut hic dicitur. Et ab æstu et fervore concupiscentiæ, Eccli. xiv, 26 : *Satuit filios suos sub tegmine illius, et protegentur a fervore verecundiæ.* Et I ad Corinth. xi, 13 : *Decet mulierem non velatam orare Deum ?* ne ostentans speciem suam, alios moveat ad peccatum. In eodem, ℣. 6 et 10 : *Mulier... velet caput suum... propter Angelos*, Clericos. Cæcitatis quæ est super oculos Judæorum, ut nullam intelligant veritatem, II ad Corinth. ii, 15 : *Usque in hodiernum diem... velamen positum est super cor eorum*, in lectione Veteris Testamenti. Malitiæ, I Petr. ii, 16 : *Quasi liberi, et non quasi velamen habentes malitiæ libertatem*, scilicet Scripturæ, sub qua velatur profunditas veritatis. Luc. ix, 45 : *Et ignorabant verbum istud, et erat velatum ante eos, ut non sentirent illud.* Gratiæ, caro Christi sub qua late gratia sacramentalis, Ad Hebr. x, 20 : *Initiavit nobis viam novam, et viventem per velamen, id est, carnem suam.* Gloriæ, quæ velatur sub speculo et ænigmate, donec reveletur, Ad Hebr. vi, 18 et 19 : *Ut... fortissimum solatium, habeamus, qui confugimus ad tenendum propositam spem : quam sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam, et in-*

Multiplex Velamen.

[1] Cf. Genes. xli et xlii, et deinceps.
[2] Cf. III Reg. xi.
[3] Psal. vi, 7.

cedentem usque ad interiora velaminis.

9 « *Adhæsit.* » Quasi diceret : Non solum gaudeo de protectione, sed etiam « *adhæsit anima mea,* » fortiter et inseparabiliter, « *post te,* » ut sequar te, nolens præire te, ne forte audiam quod audivit Petrus, Matth. XVI, 23 : *Vade post me, satana.* Cant. I, 3 : *Trahe me post te.* Alia littera habet : « Agglutinata est anima mea : » in quo vehemens adhæsio monstratur. Jerem. XIII, 11 *: Sicut adhæret lumbare ad lumbos viri, sic agglutinavi mihi omnem domum Israel.* I Reg. XVIII, 1 : *Anima Jonathæ conglutinata est animæ David.* De sic conglutinatis intelligitur illud Apostoli, I ad Corinth. VI, 17 : *Qui adhæret Domino, unus spiritus est.*

« *Me suscepit.* » Ecce secundum. Quasi diceret ei qui quæreret, unde potuisti protegi, et adhærere? Non meis viribus vel mea fortitudine : sed quia « *suscepit me dextera tua,* » aliis protegendo. Psal. LIV, 19 : *Redimet in pace animam meam ab his, qui appropinquant mihi.*

10 « *Ipsi vero in vanum.* » Hic tangit statum malorum, et primo tanguntur tria. Machinatio contra bonos. Cupiditas, ibi, *Introibunt usque.* » Et dolositas, ibi, « *Partes vulpium.* »

Status malorum et odium in bonos.

Per primum impugnant vitam bonorum, per secundum substantiam, per tertium utrumque, quod est ibi, « *Partes vulpium,* » quamvis quantum ad secundum et tertium sit lectura duplex.

Dicit ergo : Taliter me protegis, et tibi adhæreo, a malis recedens. « *Ipsi vero,* » cum pondere legendum, « *quæsierunt* enim *animam meam,* » vitam scilicet meam. Supra, in Psal. LIII, 5 : *Fortes quæsierunt animam meam.* Et alibi, Psal. XXX, 14 : *Accipere animam meam consiliati sunt.* Sed hoc « *in vanum,* » ex quo tibi adhæreo, quidquid infligant. Job, II, 3 : *Tu commovisti me adversus eum frustra.* Prov. I, 17 : *Frustra jacitur rete ante oculos pennatorum.*

« *Introibunt.* » Hic tangitur illorum cupiditas : et dicuntur duo. Primo, cupiditas. Secundo, pœna ex cupiditate sequens, ibi, « *Tradentur.* »

Ait ergo : Sic quærunt animam, et etiam « *introibunt* » affectu, et desiderio vehementi, « *in inferiora terræ,* » id est, usque in infimam terrenitatem : quod verum fuit specialiter de Judæis, qui ne terram amitterent, occiderunt Christum. Joan. XI, 48 : *Et venient Romani, et tollent locum nostrum et gentem.* Sic omnes cupidi. Eccli. X, 10 : *In vita sua projecit intima sua.* Psal. XLIII, 25 : *Conglutinatus est in terra venter noster.* Et propter hoc « *tradentur in manus,* » scilicet in potestatem persecutoris, Judæi in manus Titi et Vespasiani. Matth. XXIII, 36 : *Amen dico vobis, venient hæc omnia super generationem istam.* Et hoc justum, quia Matth. XXVI, 52 : *Omnes, qui acceperint gladium, gladio peribunt.* Et cupidi propter congregata frequentius occiduntur. Vel sic : « *Introibunt in inferiora terræ,* » in infernum, dicit Glossa. Et est argumentum quod infernus sit in terra. Ezech. XXXI, 14 : *Omnes traditi sunt in mortem ad terram ultimam.*

« *Tradentur in manus gladii,* » sententiæ divini judicii, de quo Job, XIX, 11
20 : *Fugite a facie gladii, quoniam ultor iniquitatum est gladius.*

« *Partes vulpium.* » Ecce tertium. Quasi diceret : Sic quærent animam meam perdere, sic rapere substantiam, et ipsi « *erunt partes vulpium,* » seipsos dolosis conjungentes, et sic jam vulpes existentes. Ezech. XIII, 14 : *Quasi vulpes in desertis prophetæ tui, Israel.* Thren. V, 17 et 18 : *Contenebrati sunt oculi nostri. Propter montem Sion quia disperiit, vulpes ambulaverunt in eo,* scilicet fraudulenti et dolosi prælati. Vul-

pes etiam dicuntur dæmones, quia furantur alienam foveam : nec faciunt sibi foveam, sed taxi defœdando eam. Sic ipsi animas peccati fœtore sibi acquirunt, et Christum abjiciunt. Luc. IX, 58 : *Vulpes foveas habent, et volucres cœli nidos : Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.* Terra rubra respergunt ne cognoscantur. Sic diabolus transfigurat se in Angelum lucis ut bonus credatur. II ad Corinth. XI, 14 : *Satanas transfigurat se*, etc. Gallinis insidiantur, illis maxime quæ fovent pullos. Sic diabolus prælatis, quorum est fovere subditos. III Reg. XXII, 31 : *Non pugnabitis contra minorem et majorem quempiam, nisi contra regem Israel solum.* I Reg. XXXI, 3 : *Totum pondus prælii versum est in Saul.* Hæretici etiam vulpes dicuntur. Cantic. II, 15 : *Capite nobis vulpes parvulas.* Et tyranni. Matth. XIII, 32 : *Dicite vulpi illi*, etc.

Dæmonum collatio cum vulpibus.

12 « *Rex vero lætabitur.* » Hic secundum in quo descripto statu bonorum et malorum quantum ad meritum, subjungit descriptionem quantum ad præmium. Et primo tangit præmium bonorum. Secundo, malorum, ibi, « *Quia obstructum est.* »

Præmia utrorumque.

In prima duo. Primo, præmium capitis, scilicet Christi. Secundo, corporis, ibi, « *Laudabuntur.* »

Dicit ergo : Sic boni sperabunt, et inseparabiliter adhærebunt. « *Rex vero*, » supple, eorum, Christus scilicet, de quo Proverb. XXI, 1 : *Cor regis in manu Domini : quocumque voluerit, inclinabit illud.* Jerem. XXIII, 5 : *Regnabit rex, et sapiens erit.* Apoc. XIX, 16 : *Habet in vestimento, et in femore scriptum : Rex regum, et Dominus dominantium.* « *Lætabitur in Deo*, » Patre. Isa. XXXV, 10 : *Lætitia sempiterna super caput eorum*, Christum scilicet. Vel, « *Rex* » existens in Deo Patre unum per divinitatem cum illo, « *lætabitur.* » Joan. X, 30 : *Ego et Pater unum sumus.*

« *Laudabuntur.* » Quasi diceret : Non tantum rex præmiabitur, et caput bonorum, imo « *laudabuntur* etiam omnes *qui jurant in eo*, » non in idolo, vel in Deo somniato a capite suo. Deuter. VI, 13 : *Dominum Deum tuum timebis, et illi soli servies, et per nomen illius jurabis.* Matth. V, 33 : *Reddes Domino juramenta tua.*

Sed contra, Matth. V, 37 : *Sit sermo vester, est, est : non, non : quod autem his abundantius est, a malo est.* Jacob. V, 12 : *Ante omnia, fratres mei, nolite jurare.* Respondeo, quod David hic non præcipit juramentum, sed magis innuit, si jurare oportet, in quo sit jurandum. Est enim juramentum prohibitum quod fit sine causa, vel ex causa injusta, permissum quod fit ex causa.

Posset etiam dici sicut vult Glossa, quod non præcipitur sacramentum vel juramentum, sed commendatur in Deo firmiter stabiliri. Unde sensus est : « *Laudabuntur omnes qui jurant*, » firmiter statuisse in eo se perseveraturos, et ei servituros : et ob hoc erit laus in membris, lætitia in capite consummata.

« *Quia obstructum est*, » ut jam non obloquatur amplius, « *os loquentium iniqua*, » Judæorum, Paganorum, Hæreticorum, et falsorum Christianorum. Psal. CVI, 42 : *Omnis iniquitas oppilabit os suum.* I Reg. II, 9 : *Impii in tenebris conticescent.* Sap. III, 18 : *Non habebunt spem, nec in die agnitionis allocutionem.*

PSALMUS LXIII.

Implorat Dei opem contra inimicos : peribunt, et lætabitur justus.

1. *In finem, Psalmus David,*
2. Exaudi, Deus, orationem meam cum deprecor : a timore inimici eripe animam meam.
3. Protexisti me a conventu malignantium, a multitudine operantium iniquitatem.
4. Quia exacuerunt ut gladium linguas suas : intenderunt arcum rem amaram,
5. Ut sagittent in occultis immaculatum.
6. Subito sagittabunt eum, et non timebunt : firmaverunt sibi sermonem nequam.
   Narraverunt ut absconderent laqueos; dixerunt : Quis videbit eos?
7. Scrutati sunt iniquitates : defecerunt scrutantes scrutinio.
   Accedet homo ad cor altum :
8. Et exaltabitur Deus.
   Sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ eorum :
9. Et infirmitatæ sunt contra eos linguæ eorum.
   Conturbati sunt omnes qui videbant eos :
10. Et timuit omnis homo.
    Et annuntiaverunt opera Dei : et facta ejus intellexerunt.
11. Lætabitur justus in Domino, et sperabit in eo : et laudabuntur omnes recti corde.

IN PSALMUM LXIII

COMMENTARIUS.

1 *In finem, Psalmus David* [1].

« *Exaudi, Deus.* » Hic est Psalmus decimus tertius in secunda parte libri, secunda scilicet quinquagena. Cum enim in præcedenti Psalmo magister instruxerit viatorem per desertum Idumææ, id est, per mundum incedentem, qualiter ei sit conversandum, hic instruit cum quanta patientia sustinendum quod infertur a malis, proponens in exemplum patientiam Christi patientis, Judæorum persequentium frustrationem, ut sic faciendo bona et sustinendo constanter mala, veniat tandem ad finem me Christum, et ob hoc nihil amplius in titulo

Psalmus docet malos patienter ferendos exemplo David et Christi.

[1] Ce psaume a l'allure des compositions ordinaires de David, dit M. Lesêtre, mais comme il ne renferme aucun détail caractéristique, il est difficile d'assigner l'époque où il fut composé. Patrizi n'y voit qu'une diatribe générale contre les mauvaises langues, par le fait desquelles le psalmiste avait tant eu à souffrir. S. Hilaire s'en tient à une idée analogue : « Propheta orare intelligitur in psalmo ex persona sua quatenus in Deum sperare nos conveniat ostendens. » Cook le rapporte aux premiers temps de la révolte absalonnienne ; le plus grand nombre des commentateurs, Théodoret, Hengstenberg, Tholuck, etc., préfèrent remonter jusqu'à la persécution de Saül ; c'est dans les psaumes de cette époque que David aime à comparer les méchantes langues à des armes tranchantes.

La nature même du sujet fait que ce psaume peut être appliqué au Messie, victime de la haine et des calomnies des Juifs ; S. Augustin l'explique dans ce sens, et l'Eglise emprunte au Saint Docteur les leçons du second nocturne des Vendredi et Samedi Saints.

ponitur nisi hoc : « *In finem, Psalmus David.* » Quod est : Hic « *Psalmus* » dirigens nos « *in finem,* » id est, Christum, quia docet non deficere in tribulationibus, sed orare, et adversitates irridere, est « *David* » materialis ut auctoris, spiritualis ut loquentis et dantis exemplum suis.

Divisio Psalmi. Duo ergo dicuntur, sicut dicit Glossa. Primo, quidem orat Christus in agonia Passionis positus, ut nos doceat similiter in passionibus orare. Secundo, subsannat adversarios et irridet, ut nos doceat non curare, ibi, « *Sagittæ parvulorum.* »

In prima duo. Primo, oratio pro sua liberatione ab adversariis. Secundo, adversariorum descriptio, ibi, « *Quia exacuerunt.* »

In prima duo. Primo, orat. Secundo, provocat ad dandum quod petit, ibi, « *Protexisti me.* »

Secundum autem lecturam duplicem dupliciter dividitur Psalmus. Secundum primam, primo orat ut exaudiatur. Secundo, specificat in quo velit exaudiri, ibi, « *A timore inimici.* »

2 Prima pars Psalmi. Dicit ergo : O « *Deus, exaudi orationem meam,* » ad te factam « dum tribulor [1] : » alia littera : tunc enim potissime clamandum. Isa. XIX, 20 : *Clamabunt ad Dominum a facie tribulantis.* Osee, VI, 1 : *In tribulatione sua mane consurgent ad me.* Sicut Jonas, II, 8 : *Cum angustiaretur in me anima mea, Domini recordatus sum.* Et in hoc exaudi.

« *Eripe animam meam,* » non a morte, sed « *a timore inimici,* » ut ipsum non timeam, sed tantum te. Sed quomodo hoc ? Nonne scriptum est, Prov. XXVIII, 1 : *Fugit impius nemine persequente, justus autem quasi leo confidens absque terrore erit ?* Jerem. XVII, 8 : *Non timebis cum venerit æstus* scilicet tribulationis et ardentis adversitatis. Resp. Hic dicit non ut eripiatur a timore in quo jam sit, sed ut in habita securitate conservetur. Quod enim non timet, a Deo vult conservari, quia sicut dicit Gregorius : « Bonum cito amittitur, quod a « largiente non conservatur. »

Alio modo, et secundum aliam litteram legitur : et dicuntur duo. Primo, petit exaltationem sui. Secundo, ereptionem, ibi, « *Cum deprecor, a timore.* »

Ait enim : « *Exaudi, Deus, orationem meam,* » pro mea exaltatione et glorificatione ad te factam : « *et eripe animam meam,* » non a timore mortis, quia hanc omnis anima timet naturaliter, etsi ab ea elevata aliquando virtute, propter bona consequentia desideretur, sicut in Paulo qui dicebat ad Philip. I, 23 : *Desiderium habens dissolvi, et esse cum Christo :* sed « *a timore inimici,* » qui potest corpus affligere. Job, IX, 24 : *Terra data est in manus impii :* non anima. Matth. X, 28 : *Nolite timere eos, qui occidunt corpus,* postea autem non habent quid faciant [2]. Et hoc, « *cum deprecor,* » id est, in ipsa deprecatione, ut impleas illud Isa. LXV, 24 : *Illis adhuc loquentibus, ego exaudiam.*

Vel referendo ad membra, « *Cum deprecor,* » id est, cum desero peccatum : tunc enim valet precatio. Eccli. XXXV, 3 : *Deprecatio pro peccatis, recedere ab injustitia,* supple, est. Vel dum deprecor ei, quod precari consuevi. Dicebam quondam illud Prov. XXX, 15 : *Affer, affer :* affer ventri concupiscentias suas, cupiditati delicias : modo precor, aufer utrumque, dicens illud Eccli. XXIII, 6 : *Aufer a me ventris concupiscentias,* et hoc contra primum. Et illud Prov. XXV, 4 : *Aufer rubiginem de argento,* non congregando, sed dispergendo : rubiginatur enim congregatum, clarificatur distributum.

[1] Vulg. habet, *Cum deprecor.*

[2] Luc. XII, 4 : *Ne terreamini ab his qui occidunt corpus, et post hæc non habent amplius quid faciant.*

8 « *Protexisti me.* » Hic secundum, in quo provocat ad dandum quæ petiit. Primo, beneficia recepta quæ recolit : et dicuntur duo. Primo, quod eum liberaverit a mala cogitantibus. Secundo, quod a mala facientibus, ibi, « *A multitudine.* »

Dicit ergo : Sic exaudi, et eripe, et certus sum, quod sic erit : quia « *protexisti me.* » Eccli. xxvii, 9 : *Si sequaris justitiam.., proteget te in sempiternum.* Et ii, 13 : *Protector est omnibus exquirentibus se in veritate.* Et hoc, « *a conventu malignantium,* » in corde Judæorum. Isa. i, 13 : *Iniqui sunt cœtus vestri.* Est enim conventus malignantium, scilicet corde, sicut hic dicitur. Et est conventus malignantium vanitati studentium in sermone, de quo in Psal. xxv, 14 : *Non sedi cum concilio vanitatis,* etc. Perversorum in operatione, Eccli. x, 16 : *Exhonoravit Dominus conventus malorum.* Et est conventus bonorum concordium in charitate, de quo Isa. lxvi, 10 : *Exsultate in ea omnes qui diligitis eam,* scilicet Jerusalem. Et conjunctorum ad defensionem Ecclesiæ, I Mach. iii, 44 : *Et congregatus est conventus ut essent parati in prælium.* Et est conventus indifferens convenientium ad tractanda quæcumque negotia, I Mach. xiv, 44 : *Ne liceat ulli... congregare conventum in regione sine ipso.* Et Jacob. ii, 2 : *Si introierit in conventum vestrum vir aureum annulum habens.* Et maxime ad causas terminandas, Act. xix, 38 : *Si Demetrius, et qui cum eo sunt artifices, habent adversus aliquem causam, conventus forenses aguntur, et proconsules sunt, accusent invicem.*

« *A multitudine.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic protexisti a conventu malignantium, « *et a multitudine* etiam *operantium,* » non tantum cogitantium, vel volentium, « *iniquitatem :* » fabri enim sunt peccatorum. Eccli. xi, 35 : *Attende tibi a pestifero : fabricatur enim contra te mala.* Ad Philip. iii, 2 : *Videte canes, videte malos operarios.*

« *Quia exacuerunt.* » Hic secundum 4
totius primæ partis Psalmi, in quo præmissa oratione persuasoria ut ab inimicis liberetur, subjungitur inimicorum descriptio a malitia et machinatione contra Christum. Et primo, describuntur ab aperta impugnatione. Secundo, ab occulta machinatione, ibi, « *Intenderunt arcum.* »

Dicit ergo : Sic rogo ut liberes ab inimicorum timore, « qui, » vel, « *quia exacuerunt contra me linguas suas.* » Vel sic continua, sicut vult Glossa : « Protexisti a malignantibus, et operan- « tibus iniquitatem. Sed qui sunt mali- « gnantes et operantes iniquitatem ? « *Qui* « *exacuerunt linguas suas,* » contra me « adulando ut me subverterent. » Matth. xxii, 6 : *Magister, scimus quia verax es, et viam Dei in veritate doces.* Illudendo, ut me in iracundiam dejicerent. Matth. xxvi, 68 : *Prophetiza nobis, Christe, quis est qui te percussit ?* Blasphemando, ut me per impatientiam de via deducerent. Matth. xxvii, 40 : *Si Filius Dei est, descendat nunc de cruce, et credemus ei.* Et hoc, « *ut gladium.* » Psal. lvi, 5 : *Lingua eorum gladius acutus.* Bene *gladius* dicitur eorum lingua, qui vitam occidere potuit. Lingua enim Judæi Christum occiderunt, etsi non manu. Ad quod respiciens Marcus, dicit ipsum hora tertia crucifixum [1].

Machinatio malorum contra Christum.

« *Intenderunt arcum.* » Hic agitur diffusius de machinatione occulta : et tanguntur tria. Primo, machinatio. Secundo, finis, ibi, « *Ut sagittent.* » Tertio, modus, ibi, « *Subito.* »

Dicit ergo : In aperto : et etiam « *intenderunt arcum,* » id est, machinationem occultam, et ex improviso ferientem, sicut arcus. Jerem. ix, 13 : *Extenderunt linguam suam quasi arcum*

[1] Marc. xv, 25 : *Erat autem hora tertia : et crucifixerunt eum.*

mendacii. « *Arcum,* » inquam, « *rem amaram.* » Occulta enim eorum machinatio fuit, ut per proprium discipulum traderetur : quod fuit amarum valde. Propter hoc dicit eis per Jeremiam, II, 21 : *Quomodo conversa es mihi in pravum vinea aliena ?* Deuter. XXXII, 33 : *Fel draconum vinum eorum, et venenum aspidum insanabile.*

5 « *Ut sagittem in occultis immaculatum.* » Ecce finis propter quem intenditur arcus, ut immaculatus, Christus scilicet, et designatus per agnum sine macula. I Petr. II, 22 : *Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus* [1]. Jerem. IX, 8 : *Sagitta vulnerans lingua eorum, dolum locuta est.*

6 « *Subito sagittabunt.* » Hic tangitur modus exsequendi quod machinatum fuerat : et tanguntur duo, quæ pertinent ad partes principales, qualiter scilicet per seipsos. Secundo, qualiter per alios, scilicet per falsos testes, ibi, « *Scrutati sunt iniquitates.* »

In prima quatuor. Primo, quod improvise. Secundo, quod audacter, ibi, « *Et non timebunt.* » Tertio, quod obstinate, ibi, « *Firmaverunt.* » Quarto, quod fraudulenter, ibi, « *Narraverunt ut absconderent.* »

Dicit ergo : Sic machinabuntur, et « *subito sagittabunt.* » Loquitur Christus de se tamquam de alio. « *Sagittabunt* » accusationibus quasi ex improviso, tamquam nesciat respondere. Thren. III, 12 : *Posuit me,* populus scilicet Judæorum, *quasi signum ad sagittam.* Hi fuerunt significati per sagittarios, de quibus I Machab. IX, 11 : *Fundibularii, et sagittarii præibant exercitum* Bacchidis. Mala sagitta, malum verbum : lingua mala, malus arcus, a qua est emissa. Propter quod dicitur, Eccli. XXVIII, 23 : *Beatus vir qui tectus est a lingua nequam.* Sed in Psalmo, XLV, 10, dicitur : *Arcum conteret, et confringet arma, et scuta comburet igni.*

« *Et non timebunt.* » Ecce quam audacter. Psal. XXXV, 2 : *Non es timor Dei ante oculos eorum.*

« *Firmaverunt sibi.* » Ecce tertium. Quasi diceret : Non timebunt : et tamquam obstinati, « *firmaverunt sibi,* » in corde scilicet, « *sermonem nequam :* » ut ipsum constanter accusarent, et occidi procurarent. Proverb. XXVI, 25 : *Quando submiserit vocem suam, ne credideris ei : quoniam septem nequitiæ sunt in corde illius,* scilicet confirmatæ : ut non valeret, vel ipsius immaculata innocentia, vel quam plurima exhibita illis beneficia, vel excusatio a judice facta.

« *Narraverunt ut absconderent.* » Hic quartum, scilicet quam fraudulenter : et dicuntur duo. Primo, deliberatio abscondendi malum. Secundo, falsa æstimatio, quod bene sit absconditum, ibi, « *Dixerunt.* »

Dicit ergo : Sic obstinati fuerunt, et etiam « *ut absconderent laqueos,* » hoc est, deceptiones, et verba quibus impugnarent. Proverb. I, 11 : *Abscondamus tendiculas contra insontem frustra.* Psal. CXLI, 4 : *In via hac qua ambulabam,* etc. Jerem. V, 26 : *Inventi sunt in populo meo impii, laqueos ponentes, et pedicas ad rapiendos viros.*

« *Dixerunt in corde suo,* » vel certe sese mutuo excitando : « *Quis videbit eos ?* » Quasi dicerent : Nullus, si fuerit a proprio discipulo traditus, a judice condemnatus. Daniel. XIII, 20 : *Et nemo nos videt, nec Deus.* Psal. XCIII, 7 : *Dixerunt : Non videbit Dominus nec intelliget Deus Jacob.* Job, XXII, 14 : *Nubes latibulum ejus, nec nostra considerat.* Sed Isa. XXIX, 15 : *Væ qui profundi estis corde, ut a Domino abscondatis consilium.* De utroque, Eccli. XXIII, 26 : *Quis*

[1] Cf. Isa. LIII, 9.

me videt ? Tenebræ circumdant me, et parietes cooperiunt me, et nemo circumspicit me : quem vereor ? Delictorum meorum non memorabitur Altissimus.

« *Scrutati sunt iniquitates.* » Hic secundum, in quo ostenditur quomodo machinati sunt per alios : et dicuntur tria. Primo, falsorum testium suppositio. Secundo, frustratio supponentium ab intentione sua, ibi, « *Defecerunt.* » Tertio, ratio defectus illorum, ibi, « *Accedet homo*, etc. » secundum magis propriam lecturam.

Dicit ergo : Sic in se cogitaverunt, et etiam « *scrutati sunt,* » id est, inquisierunt a falsis testibus suppositis, « *iniquitates.* » In quo notandum, quod scrutatur et inquirit diabolus ut subvertat, I Petr. v, 8 : *Adversarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit quærens quem devoret.* Abdiæ, ℣. 6 : *Quomodo scrutati sunt*, dæmones scilicet, *Esau*, id est, peccatorem : *investigaverunt abscondita ejus ? Usque ad terminum emiserunt te.* Et homo aliquando, ut intelligat veritatem, Joan. v, 39 : *Scrutamini Scripturas.* Et in Psal. cxviii, 2 : *Beati qui scrutantur testimonia ejus.* Aliquando ut curiositatem impleat, Prov. xxv, 27 : *Scrutator majestatis opprimetur a gloria.* Aliquando ut bona rapiat aliorum, Psal. cviii, 11 : *Scrutetur fœnerator omnem substantiam ejus.* Aliquando ut ipsi personæ noceat, sicut Saul David, I Reg. xxiii, 23 : *Perscrutabor eum in cunctis millibus Juda*, ut hic. Et scrutatur Deus Ecclesiam, Sophon. i, 12 : *Scrutabor Jerusalem in lucernis.* Et ipsam religionem, Amos, ix, 3 : *Si absconditi fuerint in vertice Carmeli*, in altum perfectionis et religionis, *inde scrutans auferam eos.* Sed maxime Prælatos, Isa. xxii, 5 : *Scrutans murum*, id est, Prælatum, *et magnificus super montes*, super Prælatos superiores. Scrutatur autem peccata secundum illud Job, x, 6 : *Ut quæras iniquitatem meam, et peccatum meum scruteris.* Usque ad interiora, desideria, Jerem. xvii, 10 : *Ego Dominus scrutans corda, et probans renes.* Imo usque ad idipsa cogitata, I ad Cor. ii, 10 : *Spiritus omnia scrutatur, etiam secreta Dei.*

Perscrutatio diverso fine

« *Defecerunt.* » Hic secundum. Quasi diceret : Sic scrutati sunt, sed « *defecerunt scrutinio,* » id est in scrutinio suo : ipsi, dico, « *scrutantes.* » Vel sic : « *Scrutantes scrutinio,* » id est, diligenter et sollicite perscrutantes, si quid invenire possent contra Christum, « *defecerunt,* » nihil omnino inveniendo in quo possent eum accusare. Gen. xix, 11, Sodomitæ non poterant ostium invenire : Deus enim destruit sapientiam sapientium, et prudentiam, etc. [1].

Quot hodie deficiunt in scrutiniis electionum, non bene suam conscientiam perscrutantes, cum tamen dictum sit, Thren. iii, 40 : *Scrutemur vias nostras, et quæramus, et revertamur ad Dominum*, etc.

« *Accedit homo ad cor altum.* » Hic tertium, in quo tangitur ratio defectus in scrutinio secundum unam lecturam scilicet. Duplex natura in Christo : una passionibus exposita, scilicet humana : alia exaltans expositam, et exaltata, scilicet divina. Primo tangitur humanæ expositio ipsi morti. Secundo, divinæ exaltatio, vel ipsius humanæ per divinam, ibi, « *Et exaltabitur.* »

Dicit ergo : Sic scrutabuntur contra Christum, et hoc frustra, « *quia accedet homo,* » Christus, et « *cor altum* » erit ei. « *Accedet,* » inquam, ad Passionem. Et hoc ex alto corde, id est, ex profundo et altissimo consilio suo. Nullus enim coegit eum ut moreretur, sed ipse accessit voluntarius. Isa. liii, 7 : *Oblatus est quia ipse voluit.* Joan. x, 18 : *Nemo tollit eam*, scilicet animam meam, *a me : sed ego pono eam a meipso, et potestatem ha-*

[1] I ad Corinth. i, 19 : *Perdam sapientiam sapientium, et prudentiam prudentium reprobabo.*

beo ponendi eam : et potestatem habeo iterum sumendi eam. Objecit enim illis hominem, sed virtute divinitatis evasit.

Et hoc est quod subdit : « *Et exaltabitur Deus,* » id est, virtute divinitatis seipsum hominem suscitabit, et glorificabit, ex quibus ejus exaltatio relinquitur. Isa. LII, 13 : *Ecce puer meus exaltabitur, et elevabitur, et sublimis erit valde.* Hoc fuit Genes. XXII, 13, ubi oblato ariete Isaac evasit. I Reg. XIX, 13, ubi Michol statuam David persecutoribus exposuit, ipse vero David evasit. Hæc duo tangit Paulus ad Philip. II, 6 et 7 : *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo : sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens.*

Vel sic secundum lecturam aliam : Ita illi frustrantur, et deficiunt, sed « *accedet homo,* » fidelis aliquis utens ratione, « *ad cor altum,* » ad scrutandum, et inquirendum alta de Deo : vel, « et cor altum, » supple, habebit, « *et exaltabitur Deus,* » in homine rationnabiliter inquirente secreta Dei. Prov. VIII, 17 : *Qui mane vigilant ad me, invenient me.* Nec est contrarium quod dicitur, Prov. XXIII, 23 : *Scrutator majestatis opprimetur a gloria.* Nec illud Proverb. XVII, 19 : *Qui exaltat ostium,* scilicet cor suum, *quærit ruinam.* Ista enim intelligenda sunt de homine brutali et carnali, qui nec dignus est nomine hominis. Exod. XIX, 12 et 13 : Bellua quæ tetigerit montem, lapidabitur [1].

Secunda pars Psalmi. Irridentur Christi persecutores.

« *Sagittæ parvulorum.* » Hic est secunda pars Psalmi, scilicet persecutorum sic frustratorum irrisio : et tanguntur duo. Primo, illorum irrisio. Secundo, ad cumulum irrisionis, consequens aliorum ædificatio, et fructus, ibi, « *Conturbati sunt.* »

In prima duo. Primo, irridendo tangitur eorum frustratio in opere. Secundo, in sermone, ibi, « *Et infirmatæ sunt.* »

Dicit ergo : Sic persequentur, et tam astute : sed « *plagæ eorum,* » quas Christo intulerunt, « *factæ sunt sagittæ,* » id est, a sagitta. Græcismus est. « *Parvulorum,* » id est non plus profecerunt plagando Christum, quam parvulus sagittando. Et bene parvulis comparantur, quia in veritate sensu valde parvuli exstiterunt : contra illud I ad Corinth. XIV, 20 : *Nolite parvuli effici sensibus.* Parvuli etiam sermone, de imis et infimis tantum scientes loqui, I ad Corinth. XIII, 11 : *Cum essem parvulus,* Judæus scilicet, *loquebar ut parvulus,* etc. Parvuli etiam virtute : quia nullam habebant. Invidia pleni, quæ exterminat omne bonum, et parvulum facit. Job, V, 2 : *Parvulum occidit invidia.* Et sagittæ eorum ut parvulorum, quia non perforaverunt nisi Christi vestem, carnem scilicet quæ vestis est animæ. Non tetigerunt militem. Job, X, 11 : *Pelle et carnibus vestisti me.*

« *Et infirmatæ sunt.* » Ecce quasi non tantum opere nihil profecerunt, verum 9
etiam « *linguæ eorum infirmatæ sunt,* » id est, sermones eorum cassi fuerunt : et hoc, « *contra eos,* » in malo scilicet eorum. Psal. CVI, 12 : *Infirmati sunt, nec fuit qui adjuvaret.* Nonne contra eos lingua eorum infirmata est, quando scitum est per mundum universum, quod ipsi custodes corruperunt, et suggesserunt ut dicerent, quia ipsis dormientibus sublatum est corpus ejus, ut dicitur Matth. XXVIII, 13 et seq.

Multiplex fructus ex irrito conatu Judæorum.

« *Conturbati sunt omnes.* » Hic secundum, in quo ostenditur ædificatio et fructus aliorum consequens ex illorum frustratione : et dicuntur septem. Primo, bona conturbatio. Secundo, timoris incussio, ibi, « *Et timuit.* » Tertio, promulgatio operum Dei, ibi, « *Et annun-*

[1] Exod. XII, 12 et seq. : *Cavete ne ascendatis in montem... omnis qui tetigerit montem, morte morietur. Manus non tanget eum, sed lapidibus opprimetur :... sive jumentum fuerit,* etc.

tiaverunt. » Quarto, promotio ipsorum ad intelligentiam secretorum, ibi, « *Et facta.* » Quinto, lætitia et exsultatio pro manifestatione veritatis, ibi, « *Lætabitur justus.* » Sexto, bonorum certa exspectatio, ibi, « *Et sperabit.* » Septimo, magnificatio ipsorum sic lætantium, ibi, « *Et laudabuntur.* »

Dicit ergo : Sic confusi erunt. Sed quid inde bonis accidit ? « *Conturbati sunt,* » bona conturbatione, « *omnes qui viderunt eos,* » sic confusos, oculo rationis : multi enim viderunt forte oculo corporali qui non adverterunt. Isa. XXI, 3 : *Corrui cum audirem, conturbatus sum cum viderem.* Seneca : « Bonum est fugienda adspicere « in alieno malo. » Cant. VI, 11 : *Anima mea conturbavit me propter quadrigas,* id est, Evangelistas, *Aminadab,* spontanei, id est, Christi, qui annuntiaverunt Judæorum confusionem in universo mundo.

Notandum enim, quod est *turbatio doloris,* de qua hic, et alibi in Psal. XLI, 7 : *Ad meipsum anima mea conturbata est.* Et alibi, Psal. XXX, 10 : *Conturbatus est in ira oculus meus, anima mea, et venter meus.* Timoris, Matth. II, 3 : *Audiens autem Herodes Rex turbatus est, et omnis Jerosolyma cum illo,* etc. Et admirationis, de quo Luc. I, 29 : *Quæ cum audisset, turbata est in sermone ejus, et cogitabat,* etc.

10 Et post turbationem, « *timuit omnis homo* » sapiens uti ratione : tunc enim est homo, et hoc, omnis incipiens sapiens sapere. Eccli. I, 16 : *Initium sapientiæ, timor Domini.* Et XV, 1 : *Qui timet Deum, faciet bona.* Nunc dicit, Facit jam.

« *Et annuntiaverunt.* » Quasi diceret : Sic timore Domini concussi, « *annuntiaverunt,* » aliis prædicando, « *opera Dei.* » Supra, in Psal. XVIII, 2 : *Opera ejus annuntiat firmamentnm,* firmitas scilicet conversorum. Act. IV, 20 : *Non enim possumus quæ audivimus et vidimus non loqui.* Servus qui abscondit talentum Domini sui, graviter est punitus [1]. Psal. XXXIX, 11 : *Justitiam tuam non abscondi in corde meo : veritatem tuam et salutare tuum dixi.*

« *Et facta ejus.* » Quasi diceret : Sic annuntiaverunt, et ex hac annuntiatione profecerunt, quia « *intellexerunt opera Dei,* » quare homo factus est, natus, passus, etc., qui prius simpliciter credebant, et aliis prædicabant. Isa. VII, 9 : *Si non credideritis, non permanebitis.* Eccli. XV, 5 : *Implevit eos Dominus spiritu sapientiæ et intellectus.* Quamvis enim in Spiritus sancti missione repleti fuerint Spiritus sancti dono septemplici, de quo Isa. XI, 2 : *Super eum spiritus sapientiæ et intellectus,* etc., tamen ipsum prædicationis exercitium in multis eos magis intelligentes reddit.

« *Lætabitur justus.* » Ecce quintum. 11
Quasi diceret : Si intellexerunt, et etiam « *justus,* » audiens confusionem Judæorum, « *lætabitur* » non in seipso, vel in aliquo temporali commodo, sed « *in Domino.* » Zachar. X, 7 : *Lætabitur cor eorum quasi a vivo, et filii eorum videbunt, et lætabuntur, et exsultabit cor eorum in Domino.* Videbunt enim multos converti. Isa. IX, 3 : *Lætabuntur coram te, sicut qui lætantur in messe : sicut exsultant victores capta præda.* Et LI, 11 : *Lætitia sempiterna super capita eorum.* Et LXI, 3 : *Oleum gaudii pro luctu.*

« *Et sperabit in eo,* » Deo scilicet, et est bonum sextum : et hoc quando mali damnabuntur. Videns nunc omnia quæ prædixit Christus impleri, firmatur in fide, et exsultans tota spe, non confunditur. Ad Roman V, 5 : *Spe non confundit.* Et XII, 12 : *Spes gaudentes, in tribulatione patientes.* Et tandem in futuro damnatis malis,

[1] Matth XXV, 30.

« *Laudabuntur omnes recti corde.* » Hoc est, diligentes Dominum. Cantic. I, 3 : *Recti diligunt te.* Et hi, « *laudabuntur.* » Proverb. XXXI, 31 : *Laudent eam in portis opera ejus.* 1 ad Corinth. IV, 5 : *Tunc laus erit unicuique a Deo.* Illa laus, de qua Matth. XXV, 21 et 23 : *Euge serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam : intra in gaudium Domini tui :* ad quod gaudium nos perducat, etc.

PSALMUS LXIV.

Deus laudandus propter beneficia quibus homines cumulat.

1. *In finem, Psalmus David, Canticum Jeremiæ et Ezechielis, populo transmigrationis cum inciperent exire.*
2. Te decet hymnus, Deus, in Sion, et tibi reddetur votum in Jerusalem.
3. Exaudi orationem meam : ad te omnis caro veniet.
4. Verba iniquorum prævaluerunt super nos : et impietatibus nostris tu propitiaberis.
5. Beatus quam elegisti et assumpsisti : inhabitabit in atriis tuis.
Replebimur in bonis domus tuæ : sanctum est templum tuum,
6. Mirabile in æquitate.
Exaudi nos, Deus, salutaris noster, spes omnium finium terræ, et in mari longe
7. Præparans montes in virtute tua : accinctus potentia :
8. Qui conturbas profundum maris, sonum fluctuum ejus.
Turbabuntur gentes,
9. Et timebunt qui habitant terminos a signis tuis : exitus matutini et vespere delectabis.
10. Visitasti terram, et inebriasti eam : multiplicasti locupletare eam.
Flumen Dei repletum est aquis : parasti cibum illorum : quoniam ita est præparatio ejus.
11. Rivos ejus inebria, multiplicata genimina ejus : in stillicidiis ejus lætabitur germinans.
12. Benedices coronæ anni benignitatis tuæ, et campi tui replebuntur ubertate.
13. Pinguescent speciosa deserti, et exsultatione colles accingentur.
14. Induti sunt arietes ovium, et valles abundabunt frumento : clamabunt, etenim hymnum dicent.

IN PSALMUM LXIV

COMMENTARIUS.

1 *In finem, Psalmus David, Canticum Aggæi, Jeremiæ, vel Ezechielis. De verbo peregrinationis, vel de populo transmigrationis cum inciperent proficisci* [1].

« *Te decet hymnus.* » Hic Psalmus decimus quartus secundæ partis, secundæ scilicet quinquagenæ. Cum enim in Psalmo præcedenti monuerit viatorem ad patientiam exemplo capitis sui Christi, de cujus actum est Passione, hic subjungit efficacem consolationem viatoris in labore suo, et roborat in ipso patientiam, agens de reditu a præsenti miseria et labore, ad gloriam cœlestis patriæ : qui figuratus fuit in reditu filiorum Israel, ad terram propriam, ad montem Sion, et in Jerusalem, de Babylonica captivitate. Et hoc exprimitur satis in titulo, qui talis est : « *In finem, Psalmus David, Canticum Aggæi, Jeremiæ, vel Ezechielis. De verbo peregrinationis, vel de populo transmigrationis cum inciperent proficisci.* » Tangit enim in hoc titulo, et figurantem captivitatem, scilicet captivitatem Judæorum fa-

Argumentum Psalmi. Solatur justos spe reditus in cœlestem Jerusalem, ad litteram reditus a captivitate Babylonica.

[1] Vulgata habet : *In finem, Psalmus David, Canticum Jeremiæ et Ezechielis, populo transmigrationis, cum inciperent exire.*

Ni l'hébreu, ni les Septante ne portent en titre la mention de Jérémie, d'Ezéchiel et du retour de la captivité. Cette addition se lit dans l'édition de Complut et dans la Vulgate, et elle a peut-être l'intention de rappeler une adaptation liturgique du psaume à la circonstance indiquée ; mais l'idée en est assez malheureuse, car Jérémie n'alla jamais à Babylone, et Ezéchiel, selon toute probabilité, était mort bien avant le retour de la captivité. Théodoret constate que cette addition n'était point dans les Hexaples, « sed aliquis, ut videtur, ajoute-t-il avec raison, neque ad psalmi sententiam attendens, neque historiam tenens, hanc apposuit inscriptionem. » Le nom de David dans le titre n'est pas lui-même à l'abri de toute contestation. Sans parler des auteurs qui, de parti pris, reportent tous nos psaumes aux dernières périodes de l'histoire juive, il en est qui élèvent ici des doutes assez spécieux. « La mention du temple au ỳ. 4, dit Johnson, semble un argument contre la composition du psaume par David ; celle des parvis du temple a encore plus de poids, puisque le tabernacle n'avait qu'une seule cour. Certains mots et certaines locutions nous rappellent les psaumes du temps d'Ezéchias et les dernières prophéties d'Isaïe. Il est possible, du reste, que le psaume ait subi quelques altérations dans le cours des temps, et qu'il ne soit qu'une adaptation au service du temple d'un cantique original de David. » Cette dernière hypothèse est inconciliable avec l'unité qui règne dans le psaume et l'enchaînement parfait que l'on peut signaler dans les idées. La mention de la maison de Dieu, remarque Hengstenberg, se trouve déjà aussi explicite dans le psaume V, dont la composition par le saint roi n'est pas contestable. Quant aux parvis, il est trop facile d'expliquer leur nombre par l'emphase poétique pour que l'objection soit sérieuse. Delitzsch, suivi par Perowne et Jennings, trouve dans les ỳỳ. 7 et 8 la trace de convulsions politiques et d'une grande victoire récemment remportée. Le psaume aurait alors été composé sous Ezéchias, quelque temps après l'exterminations des Assyriens, à l'occasion d'une récolte prédite en ces termes par Isaïe, XXXVII, 30 : « Comedite hoc anno quæ sponte nascuntur, et in anno secundo pomis vescere ; in anno autem tertio seminate, et metite, et plantate vineas, et comedite fructum earum. » Il est possible que le psaume ait été composé à cette occasion, mais rien ne le démontre ; on peut même dire que la nature des idées accuse une époque calme et tranquille et la jouissance d'une longue paix ; l'allusion aux ennemis vaincus est bien faible, si on la compare à la grandeur du danger couru par Jérusalem. Le psalmiste a le dessein de remercier Dieu des nombreux bienfaits accordés à Israël, et spécialement de l'abondance de la récolte ; parmi tous ces bienfaits, la défaite des ennemis du peuple de Dieu doit être mentionnée d'une manière générale, mais cette mention convient à tous les temps de l'histoire d'Israël. Nous pouvons donc nous contenter de voir dans ce psaume un chant d'actions de grâces composé par David, comme porte le titre, pour remercier

ctam, et reversionem post septuaginta annos, sicut prædixerat Jeremias, xxx, 3 et seq., in Jerusalem, et ipse Ezechiel captivatus, et Aggæus cum illis revertens : quæ omnia habentur IV Reg. xxv, et II Paral. xxxvi, Jerem. xxxix, etc.

Magis autem intendit de reversione spirituali, et significata per illam, et secundum hoc sensus tituli talis est : Hic « *Psalmus David*, » id est, a David factus, dirigens nos « *in finem*, » in vitam scilicet æternam ad quam facti sumus : « *Canticum*, » id est, lætitia et exsultatio habita, « *de verbo peregrinationis*, » id est, de peregrinatione humani generis per verbum diaboli inobedientiam suggerentis facta. Peregrinationis, inquam, quasi terminatæ in bonis. Vel Canticum « *de populo transmigrationis* » revertente, supple, tendente ad Deum, unde transmigraverat. Boni enim sunt transmigratores et peregrini, secundum illud Jacob, Genes. xlvii, 9 : *Dies peregrinationis meæ centum triginta annorum sunt, parvi et mali.* Et Job, xxviii, 3 : *Lapidem caliginis, et umbram mortis*, duros scilicet et obcæcatos peccatores, *dividit torrens*, id est, verbum Dei, *a populo peregrinante*, a bonis scilicet. Dicit enim Augustinus : « Nullum majus signum est prædestinationis, quam audire « libenter verbum Dei. » Quod, inquam, Canticum est « *Jeremiæ, et Aggæi, vel Ezechielis.* » Isti enim scribentes de litterali reversione, scripserunt et cantaverunt etiam de spirituali.

Tres Prophetæ tria genera justorum significant.

Vel per istos tres tangit tria genera hominum revertentium ad patriam, ad quos pertinet. Contemplativos, qui per Jeremiam, qui *excelsus* interpretatur, designantur : qui tam excelsi sunt, ut dicere possint verba Apostoli ad Philip. iii, 20 : *Nostra conversio in cœlis est.* Et æternorum spe jam lætificatos, qui per Aggæum, qui *festivus* interpretatur. Ad Rom. xii, 12 : *Spe gaudentes.* Isti sunt in quibus impletur illud Psal. lxxv, 11 : *Reliquiæ cogitationis diem festum agent tibi :* quod consequens est ad contemplationem. Et roboratos in bona operatione per Ezechielem, qui interpretatur *Roboravit me Dominus :* quod iterum relinquitur ex gaudio scilicet spei certæ, et spirituali cordis exsultatione, secundum illud Isa. xl, 31 : *Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem.*

« *Canticum*, » inquam, habitum « *cum inciperent proficisci de Babylonia*, » de confusione peccati et mali, de qua Eccli. iv, 25 : *Et est confusio adducens ignominiam.* Hoc autem fit per charitatem, sicut dicit Glossa. Incipit enim exire de Babylonia, et tendere in Jerusalem tamquam civis ejus, qui incipit amare. Hinc est quod Paulus charitatem viam appellat, I ad Corinth. xii, 31 : *Adhuc excellentiorem viam vobis demonstro.* Hinc est quod clamat Zachar. ii, 6 : *O, o, fugite de terra Babylonis.*

Divisio Psalmi : de reditu et reditus auctore.

Psalmus autem dividitur secundum Glossam in duas partes. Primo, agit de reditu, prædicando ipsum, et precando quod impleatur. Secundo, de laudibus et virtute ejus per quem fit reditus, ut a redeuntibus honoretur, ibi, « *Spes omnium*, » secundum Glossam : vel, ibi, « *Exaudi nos, Deus.* »

Dieu après la moisson de chaque année, et faire écho aux promesses consignées dans le Deuteronome, xi, 10-17. C'est l'idée d'Hengstenberg, de Patrizi, etc., déja patronnée par Eusèbe, qui après avoir expliqué le psaume dans un sens spirituel, ajoute : « tametsi prædicta verba de sensibilibus quoque Dei donis dicta putare par est, ita ut sit hymnus in gratiarum actionem pro iis, si verba spectentur, quæ quotannis a Deo hominibus subministrantur. »

Le ton du cantique est plein de vivacité ; les images poétiques abondent, et la suite des idées est parfaitement logique.

Le sens spirituel se rapporte aux bien surnaturels dont Dieu se plaît à combler le peuple de la loi nouvelle

H. Lesètre.

In prima duo. Primo, dignum laude affirmat. Secundo, orat, ibi, « *Exaudi, Deus, orationem.* »

In prima duo dicit, ubi digne laudabitur, quia in patria. Secundo, quomodo ibi laudabitur, quia in corpore, et in anima, ibi, « *Reddetur tibi.* »

2 Prima pars Psalmi. Laudatur Deus in Ecclesia cœlesti et militante quæ Sion dicitur, multis de causis.

Dicit ergo tamquam rediens de Babylonia spirituali, et spirans ad Jerusalem : O « *Deus,* » qui omnia scis, et potes, « *te,* » non alium, « *decet hymnus,* » sicut Dan. III, 51 : *Tunc hi tres quasi ex uno ore laudabant, et glorificabant, et benedicebant Deum.* II Mach. x, 38 : *In hymnis et confessionibus benedicebant Dominum.* Ad Coloss. III, 16 : *In psalmis, hymnis et canticis spiritualibus, in gratia cantantes in cordibus vestris Deo.* Sed ubi ? « *In Sion,* » in patria scilicet cœlesti, quæ Sion dicitur, id est, specula, quia inde Deus omnia quæcumque hic inferius fiunt, speculatur. Prov. xv, 3 : *In omni loco oculi Domini contemplantur bonos et malos.*

Hæc est illa Sion de qua Psal. XIII, 7 : *Quis dabit ex Sion salutare Israel?* Et infra, in alio, CIX, 2 : *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion.* Et vere ibi laudandus, quia sine omni culpa : et scriptum est, Eccli. xv, 9 : *Non est speciosa laus in ore peccatoris.* Propter quod dicitur in Psal. CXLVII, 1 : *Lauda Deum tuum Sion.*

Vel Sion potest appellari Ecclesia militans, in qua nunc solum meritorie laudari potest. Psal. CXXXVI, 4 : *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* Quasi diceret : Nullo. Sed in Sion, id est, in Ecclesia possumus, quæ Sion appellatur. Isa. XXXI, 9 : *Dixit Dominus, cujus est ignis in Sion, et caminus ejus in Jerusalem.*

Et dicitur Sion, id est, specula, quia de Ecclesia gloriam Dei valde remotam speculamur. II ad Corinth. III, 18 : *Nos vero omnes revelata facie gloriam Domini speculantes,* etc. Insultus hostium prævidemus, Isa. XXI, 8 : *Super speculam Domini ego sum, stans jugiter totis noctibus.* Quia venientem amicum prævidemus, Baruch, v, 5 : *Exsurge Jerusalem et sta in excelso : et circumspice ad Orientem, et vide collectos filios tuos ab oriente sole usque ad occidentem, in verbo sancti gaudentes Dei memoria.*

Speculum etiam, quia in ea homo potest videre immunditias suas, et maculas, respiciendo vitam bonorum. Job, XXXIII, 27 : *Respiciet homines, et dicet : Peccavi, et vere deliqui.* Ezech. XLIII, 10 : *Fili hominis, ostende domui Israel templum, et confundantur ab iniquitatibus suis.*

« *Et tibi reddetur votum.* » Plena laus cordis, et corporis, « *in Jerusalem,* » in patria cœlesti : pro utriusque glorificatione. Isa. XIX, 21 : *Vota vovebant Domino, et solvent* : tunc enim implebitur illud Psal. LXXXIII, 3 : *Cor meum, et caro mea exsultaverunt in Deum vivum.* Isa. XXX, 29 : *Canticum erit vobis sicut nox sanctificatæ solemnitatis.*

« *Exaudi, Deus, orationem meam.* » Hic secundum primæ partis, in quo orat : et dicuntur duo. Primo, oratio sive petitio ut exaudiatur. Secundo, ratio unde datur ei confidentia impetrandi, et excitativa ad orandum, ibi, « *Ad te omnis caro.* » 3

Dicit ergo : Sic debes laudari in patria, et ut ad hoc perveniam, o Deus, « *exaudi, Deus, orationem meam* » petentem non temporalia, sed æternam felicitatem. Matth. VII, 8 : *Omnis qui petit, accipit.*

« *Ad te omnis caro.* » Hic secundum, et tangitur ratio multiplex movens ad petendum, et confidentiam præstans. Prima est universalis potestas Dei. Secunda, confessa iniquitas propria, ibi, « *Verba iniquorum.* » Tertia, Dei benignitas, ibi. « *Et impietatibus.* » Quarta, præmii quantitas, ibi, « *Beatus quem eligisti.* »

Dicit ergo : Sic rogo, nec mirum, quia spero, quod « *omnis caro,* » non tantum anima, ad te veniet, id est, coram te ad judicium. II ad Corinth. v, 10 : *Omnes* Dei potentia.

nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum. Et est argumentum expressum de resurrectione. Job, XXIX, 26 : *Rursum circumdabor pelle mea, et in carne mea,* etc. I ad Corinth. XV, 51 : *Omnes quidem resurgemus.* Et infra, ℣. 52 : *Mortui resurgent incorrupti : et nos immutabimur.*

Vel « *omnis caro,* » id est, de omni gente, et sexu, et conditione, « *ad te veniet* » aliquis, ut te et fruatur, et lætificetur. Isa. XL, 5, de hoc, *Videbit omnis caro salutare Dei.* Ad Gal. III, 28 : *Non est Judæus, neque Græcus : non est servus, neque liber : non est masculus, neque fœmina.* Et bene dicitur : « *Caro veniet ad te,* » non lapis : duri enim non salvabuntur, sed carnei. Eccli. III, 27 : *Cor durum male habebit in novissimis.* Propter hoc promittit, Ezech. XI, 19 : *Auferam cor lapideum de carne eorum, et dabo eis cor carneum.*

4 « *Verba iniquorum.* » Hic secundum. Quasi diceret : Non tantum me compellit tanta tua potentia, nec tantum præstat fiduciam : imo et hoc, quia, « *verba iniquorum,* » dæmonum primis parentibus per serpentem suadentium, vel verba iniquorum, ipsorum parentum se excusantium, « *prævaluerunt super nos,* » inducere miseriam et culpam. Jerem. XXXVIII, 22 : *Seduxerunt te, et prævaluerunt adversum te.*

Peccatum Angeli et Adæ tripliciter noxium.

Notandum enim, quod diabolus peccavit in Deum, quando voluit dejicere hominem, et ipsum subjicere, qui Dei filius erat. Isa. XIV, 13 : *In cœlum conscendam, super astra,* homines scilicet innocentes, et fonte gratiæ illustratos, *exaltabo solium meum.* In proximum, in ipsum hominem quem occidit. Sap. II, 24 : *Invidia diaboli mors intravit in orbem terrarum.* Et in seipsum, quia *qui diligit iniquitatem, odit animam suam* [1], vitam scilicet suam. Homo iterum peccavit in Deum, appetendo æqualem scientiam, ad minus in muliere. Gen. III, 5 : *Eritis sicut dii, scientes bonum et malum.* In proximum, quia totam posteritatem corrupit. Jerem. XXXI, 29 : *Patres nostri comederunt uvam acerbam, et dentes filiorum obstupescunt.* Et in seipsum. Genes. III, 17 : *Maledicta terra in opere tuo.* Patres etiam hic possunt dici antecessores, qui filios induxerunt per iniqua verba in errorem. I ad Corinth. XV, 33 : *Corrumpunt mores bonos colloquia mala.*

« *Et impietatibus.* » Hic tertium. Quasi diceret : Sic me movet propria miseria, et universalis iniquitas, « *et impietatibus nostris,* » scio quod « *propitiaberis :* » unde monet me tua pietas, prompta ad ignoscendum. Psal. XXIV, 11 : *Propter nomen tuum, Domine, propitiaberis peccato meo,* etc. Ad hoc positus es a Patre. Ad Rom. III, 25 : *Quem posuit Dominus propitiationem.* Unde significabatur per propitiatorium [2]. I Petr. II, 2 : *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris.*

« *Beatus quem eligisti.* » Hic est quarta ratio orandi et petendi ut perveniat in Sion, scilicet præmii quantitas, vel petiti, quia illuc perveniens, ad hoc vocatus, erit beatus. Duo ergo dicuntur. Primo vocat ad hoc, et electi beatitudo. Secundo, probatio, quod vere beatus. 5

Præmii magnitudo.

Dicit ergo : Sic rogo ut illuc etiam me transferas, quia « *beatus* », supple, est, jam spe, « *quem elegisti,* » de massa totius generis humani : « *et assumpsisti,* » in sortem tuam, et portionem. Electio respicit terminum a quo : assumptio terminum ad quem. Notandum enim, quod Deus elegit prædestinando, Ad Ephes. I, 4 : *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem.* Hoc non fuit nisi prædestinando, et ad fidem vocando. Joan. XV, 19 :

[1] Psal. X, 6.

[2] Cf. Exod. XXVI, 34.

Multiplex Dei electio. *Ego elegi vos de mundo.* Et rursum, ℣. 16 : *Non vos me elegistis*, etc. Gratiam conferendo, Ad Rom. VIII, 30 : *Quos vocavit, hos et justificavit.* Joan. VI, 71 : *Nonne ego vos duodecim elegi : et ex vobis unus diabolus est?* Examinando et probando, Isa. XLVIII, 10 : *Elegi te in camino paupertatis.* Privilegia dando, sicut ad Joannem Evangelistam. Isa. XLII, 1 : *Ecce servus meus, suscipiam eum : ... dedi spiritum meum super eum.* Psal. LXXXVIII, 20 : *Exaltavi electum de plebe mea.* Præ omnibus aliis et singulariter sublimando Virginem, matrem ipsam faciendo, et de ea carnem assumendo. Ecclesia de ea, « Elegit eam Deus et præelegit eam. » Sibi uniendo in unitate personæ, sicut elegit hominem assumptum, de quo etiam intelligi potest quod hic dicitur. Et Cantic. V, 10 : *Dilectus meus candidus, et rubicundus, electus ex millibus.*

« *Habitabit.* » Hic probatio, quod vere beatus sit : et dicuntur duo. Primo, ratio quare beatus. Secundo, petitionis inculcatio, ut ei concedatur tantum bonum, ibi, « *Exaudi nos, Deus.* »

In prima duo secundum duo quæ tacta sunt. Primo, cohabitatio ipsi Deo. Secundo, bonorum cumulatio, ibi, « *Replebimur.* »

Dicit ergo : Beatus est electus et assumptus, quia « *habitabit,* » non movendus, nec ejiciendus ulterius : « *in atriis tuis,* » cœlestis Jerusalem. Ista sunt atria, de quibus alibi, in Psal. CXXXIV, 2 : *Qui statis in domo Domini, in atriis domus Dei nostri.* Et alibi, Psal. CXXI, 2 : *Stantes erant pedes nostri in atriis tuis Jerusalem.* Habitabunt autem : quia diversis secundum merita diversa diversæ mansiones erunt. Joan. XIV, 2 : *In domo Patris mei mansiones multæ sunt.* Et hoc vere fuit factum. Psal. LXXXIII, 5 : *Beati qui habitant in domo tua, Domine.*

Bona cœlestis Jerusalem et domus Dei, id est, Ecclesiæ, Christi corporis. « *Replebimur in bonis.* » Ecce secundum, repletio de bonis illius domus : et dicuntur duo. Primo, repletio de bonis illis. Secundo, bonorum specificatio, ibi, « *Sanctum est templum tuum.* »

Dicit ergo : Sic beatus, quia habitabit in domo, etc., et etiam nos qui illuc perveniemus, « *replebimur in bonis domus tuæ,* » Jerusalem scilicet cœlestis. Psal. CII, 5 : *Qui replet in bonis desiderium tuum.* Replebimur usque ad summum, ut super fundamentum omni bono. Matth. XXI, 3 : *Intra in gaudium Domini tui.* Hæc est domus de qua Baruch, III, 24 : *O Israel, quam magna est domus Domini, et ingens locus possessionis ejus !*

Potest etiam legi de domo secunda, scilicet præsenti Ecclesia, et adhuc militanti. Quasi diceret : Beatus quem elegisti et assumpsisti in unitatem personæ, quia per eum « *replebimur in bonis domus tuæ,* » militantis Ecclesiæ, scilicet bonis gratiæ. Joan. I, 14 : *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre, plenum gratiæ et veritatis.* Et post, ℣. 16 : *Et de plenitudine ejus nos omnes accepimus, et gratiam pro gratia.* Hæc domus de qua Matth. VII, 24 : *Ædificavit domum suam supra petram.*

Vel domus, Christi corpus, in qua habitavit divinitatis plenitudo. Ad Coloss. II, 9 : *In ipso habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter.* Prov. IX, 1 : *Sapientia ædificavit sibi domum.* Bonis hujus domus replemur, cum Christi corpus recipimus plenum omni bono. Sapient. XVI, 20 : *Panem de cœlo præstitisti eis sine labore, omne delectamentum in se habentem, et omnis saporis suavitatem.* Hæc est Bethlehem, *domus panis* transitive.

Deiparæ. Domus etiam Dei, Maria : omnis enim mulier domus est. Genes. II, 22 : *Et ædificavit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem.* Sed Maria domus est Dei. Eccli. XXIV, 12 : *Qui creavit me, requievit in tabernaculo meo.* Ex hac multa bona recipimus. Triticum refectionis, Cant. VII, 2 : *Venter tuus sicut acervus tritici, vallatus liliis.* Quæ bona nobis Virgo contulit? Poculum lætitiæ et exsultationis. In eodem, ibidem : *Umbilicus tuus crater tornatilis numquam indigens poculis.* Medi-

camentum nostræ curationis, Eccli. xxxviii, 4 : *Altissimus creavit de terra medicamenta.* Aquam nostræ ablutionis, et fœcundationis, Genes. ii, 10 : *Fluvius egrediebatur de loco voluptatis,* Dei Filius de utero Virginis. Pretium nostræ redemptionis, I ad Cor. vi, 20 : *Empti enim estis pretio magno.* Apoc. i, 5 : *Qui redemit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo.*

6 Distincte bona illa domus Dei explicat.

« *Sanctum est templum.* » Hic specificat bona quibus replebuntur, et sunt duo. Sanctitas quam tangit primo : et æquitas quam secundo, ibi, « *Mirabile.* »

Dicit enim : Sic replebimur bonis domus tuæ. Quænam sunt illa ? Sanctitas, quia « *sanctum est templum tuum,* » justi scilicet, qui templum tuum sunt. I ad Cor. iii, 17 : *Templum Dei sanctum est, quod estis vos.*

« *Mirabile in æquitate* » ad proximum : jam enim in se sunt justi : ad alios autem æquitatem habent, quod est habere justitiam, quæ mirabiliter reddit unicuique quod suum est.

Vel de domo superiori. « *Sanctum est templuum tuum,* » supernum : quia in eo nulla omnino est pollutio. Isa. xxxv, 8 : *Non transibit per eam pollutus.* « *Mirabile in æquitate* : » mirabiliter enim ibi distribuitur unicuique de gloria, quantum hic habuit de gratia. Zachar. iv, 7 : *Exæquabit gloriam gratiæ.* Joan. i, 16 : *Gratiam pro gratia.*

Item, de tertia. « *Sanctum templum tuum,* » corpus tuum de Virgine assumptum. Luc. i, 35 : *Quod nascetur ex te Sanctum.* « *Mirabile in æquitate,* » unicuique digna retribuendo in die judicii : homo enim Christus omnes judicabit, et reddet secundum merita. Joan. v, 22 : *Pater... omne judicium dedit Filio,* quia filius hominis est.

Vel de quarta domo, scilicet de Maria. « *Sanctum est templum tuum,* » Maria in uterina sanctificatione. Psal. xlv, 5 : *Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus.* « *Mirabile in æquitate,* » in Filii scilicet conceptione, quam æquum erat fieri : tunc enim continuit majus se. Eccli. xliii, 2 : *Vas admirabile opus Excelsi.*

« *Exaudi nos, Deus.* » Hic secundum, in quo subjungitur Passionis inculcatio.

Ait enim : Tanta sunt bona domus tuæ, quod illis replebimur si ibi fuerimus : quod ut fiat nobis, o « *Deus, salutaris noster, exaudi nos.* » Supra, in Psal. xxvi, 9 : *Ne... despicias me, Deus, salutaris meus.* Et Psal. lxi, 8 : *In Deo salutare meum* [1].

« *Spes omnium finium terræ.* » Hic secunda pars Psalmi secundum Augustinum, in qua postquam egit de exitu de Babylonia spirituali, subjungit de laude et commendatione ejus, per quem est exitus ; et hoc facit tripliciter. Primo, prophetando virtutes Christi, et miracula quæ faciet. Secundo, orando ut impleat quod præmonstratum est, ibi, « *Rivos ejus inebria.* » Tertio, asserendo tamquam certus quod ita fiet, ibi, « *Benedices coronæ.* »

Secunda pars Psalmi. De Christi reditu et auctoris virtutibus.

In prima duo. Primo, ostendit bonum quod faciet Christus toti mundo sua virtute. Secundo, explanat modum, ibi, « *Præparans montes.* »

Dicit ergo : Sic exaudi ut nos reducas ad patriam, et bonis domus tuæ nos repleas : tu, qui es futurus « *spes omnium finium terræ,* » id est, existentium « *in mari longe,* » id est, in insulis maris valde remotis. Ad Ephes. ii, 17 : *Et veniens evangelizavit pacem vobis, qui longe fuistis,* in finibus terræ, et in insulis : *et pacem iis, qui prope,* circa Jerusalem. Supra, in Psal. lxi, 9 : *Sperate in eo, omnis congregatio populi.* Ibidem, ℣. 3 : *Ad te omnis caro veniet,* etiam de finibus terræ.

Mare mundus iste amarus valde et spumosus, fluctuans, et fremens, et tumens.

[1] Cf. etiam Psal. lxi, 2 : *Ab ipso salutare meum.* Et ℣. 3 : *Ipse Deus meus et salutaris meus.*

Amarus, immundus, et spumosus in luxuriosis : fluctuans in incredulis, et fremens in iracundis : tumens in superbis. Psal. CIII, 25 : *Hoc mare magnum et spatiosum.* Mare, in quo majores pisces devorant minores. Habac. I, 14 : *Facies homines quasi pisces maris.* Augustinus : « O piscis, male prædam vis, præda « efficieris majoris piscis. » In hoc mari longe sunt, qui in majoribus peccatis sunt. Luc. XV, 13 : Filius prodigus in regionem longinquam abiit : his tamen Christus spes efficitur, cum ad se convertuntur.

7 Christus spes omnium per miracula et doctrinam.

« *Præparans montes.* » Hic secundum, in quo fiet Christus spes omnium, quia per duo. Per miraculorum operationem ab Apostolis et prædicatoribus Christi, et per doctrinæ abundantiam. Et agit primo de primo, et secundo de secundo, ibi, « *Visitasti terram.* »

In prima duo. Primo, collatio virtutis et potentiæ ipsius Apostolis. Secundo, effectus consequens in aliis, et etiam in seipsis, ibi, « *Qui conturbas profundum.* »

Dicit ergo : Sic omnium eris spes, et hoc quia tu, « *accinctus potentia* » divinitatis (divinitas enim in Christo quasi cingebat humanitatem, et tenebat) eris « *præparans montes,* » id est, Apostolos, « *in virtute tua,* » eis desuper infusa. Luc. XXIV, 49 : *Sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto.* Et est argumentum expressum, quod non in quantum homo dat Deus gratiam, et virtutes. *Montes* autem dicuntur Apostoli, in quibus fundata sedet Ecclesia. Psal. LXXXVI, 1 : *Fundamenta ejus in montibus sanctis.* Et propter hoc ejus fortitudinem diabolus admiratur, Judith, V, 3 : *Dicite mihi quis est iste populus qui montana obsidet?* Hos præparavit Christus constantiam tribuendo, ut nihil timeant, Matth. X, 28 : *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere.* Et veritatis intelligentiam, Matth. V, 14 : *Vos estis lux mundi.* Et infra, ℣. 16 : *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut,* etc. Et in opere strenuitatem ut facerent quod docerent, Luc. X, 19 : *Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes,* etc., cui non poterunt resistere adversarii vestri. Et locutionis et facundiæ gratiam, ut posset dici de quolibet illorum : *Diffusa est gratia in labiis tuis*[1]. Quia Eccli. XX, 21 : *Homo acharis,* hoc est, sine gratia, *quasi fabula vana.* In adversis patrientiam, Matth. V, 39 : *Qui te percusserit in dextera maxilla, præbe ei et alteram.* Psal. XCI, 15 : *Bene patientes erunt ut annuntient.* In montibus gravitatem, Ezech. I, 7 : *Planta pedis eorum quasi planta vituli,* qui graviter incedit. Psal. XXXIV, 18 : *In populo gravi laudabo te.* Et faciendi miracula potestatem, Matth. X, 8 : *Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones ejicite.*

Quando Christus montes, id est, Apostolos præparavit ?

8

« *Qui conturbas profundum.* » Hic secundum, in quo tangitur effectus hujus præparationis. Primo, in aliis ab istis montibus. Secundo, in ipsis, ibi, « *Exitus matutini.* »

In prima duo. Primo, ostendit effectum metaphorice. Secundo, subjungitur expositio metaphorice, ibi, « *Turbabuntur gentes.* »

In prima duo. Primo, conturbatio ignorantium et infidelium simpliciter. Secundo, etiam rebellium, ibi, « *Sonum fluctuum.* »

Dicit enim : Sic præparas montes, Apostolos, et primos prædicatores : et per hoc tu es, « *qui conturbas profundum maris,* » infideles, qui sunt in profundo iniquitatis, et mundanæ amaritudinis. « *Et conturbas sonum,* » id est, fluctuantes et sonantes contra fidei veritatem, scilicet rebelles. Job, XXXVIII, 16 : *Numquid ingressus es profunda maris?* cor

[1] Psal. XLIV, 3.

scilicet peccatoris, ad conturbandum ipsum bona conturbatione. Isa. LVII, 20 : *Impii quasi mare fervens.* Jerem. XVII, 9 : *Profundum est cor hominis et inscrutabile, quis cognoscet illud ?* Osee, IX, 9 : *Profunde peccaverunt.*

9 « *Turbabuntur gentes.* » Hic explanat quod dixerat eo ordine quo prædixit.

Ait enim : Vere conturbas profundum maris, id est, conturbabis : quia « *a signis tuis,* » a miraculis ab Apostolis factis, quæ tua erunt, tua invocatione facta, et virtute. Act. III, 6 et 7 : *In nomine Jesu Christi Nazareni surge et ambula. Et apprehensa manu ejus dextera, allevavit eum.* Et IX, 34 : *Ænea, sanat te Dominus Jesus Christus : surge, et sterne tibi. Et continuo surrexit.*

« *Turbabuntur gentes,* » infideles. Ecce maris conturbatio. Alibi, in Psal. CI, 16 : *Timebunt gentes nomen tuum, Domine.* Habac. III, 7 : *Turbabuntur pelles terræ Madian,* visis nimirum signis. *Angelus autem Domini,* id est, gratia, *descendebat secundum tempus in piscinam,* in Gentilitatem scilicet, *et movebatur aqua*[1], Gentilium corda.

« *Et qui habitant terminos,* » Gentilitatis, rebelles veritati, qui sunt in fine et termino erroris, similiter « *turbabuntur a signis :* » qui bene dicuntur *termini terræ,* quia sicut terræ superficies opponit se lumini ne transeat, sic tales veritati. Job, XXIV, 23 : *Ipsi semper rebelles fuerunt lumini.* Habitantes etiam terminos sunt avari, qui possessiones extendunt usque ad terminum loci. Isa. V, 8 : *Numquid habitabitis vos soli in medio terræ ?* Malach. I, 4 : *Isti ædificabunt, et ego destruam : et vocabuntur termini iniquitatis.*

Vel in bono, « *habitantes terminos terræ,* » finem mundi, vel proprii corporis, scilicet mortem attendentes. Job, XIV, 5 : *Constituisti terminos ejus qui præteri*ri non poterunt.* Hi omnes turbati sunt a signis et miraculis quæ fieri videbunt, et timuerunt, secundum illud Psal. LIV, 6 : *Dedisti metuentibus te significationem, ut fugiant,* etc. Vel terminos terræ ad litteram, Job, XXXVII, 3 : *Lumen illius super terminos terræ.*

« *Exitus.* » Hic ostenditur effectus in ipsis, vel magis vitæ perfectio, quæ tangitur in duobus : in lætitia amissæ prosperitatis, et præsentia adversitatis. Hoc est enim quod hic dicitur. Quasi diceret : Sic a signis per prædicatores factis timebunt, « *et delectabis,* » id est, delectabiles facies ipsis prædicatoribus, « *exitus matutini* » prosperitatis, quæ per matutinum intelligitur. « *Et delectabis,* » id est, delectabile facies, « *vespere,* » id est, adversitatem. Psal. CXX, 7 : *Dominus custodiat introitum tuum,* in adversitate, *et exitum tuum,* a prosperitate : ut habeas patientiam et delectationem. Effectus præparationis apostolorum.

10 « *Visitasti terram.* » Hic secundum, in quo prædicitur de conversione gentium ad Christum, et de exitu de Babylonia per prædicationem primitivorum. Dicuntur ergo duo. Primo, institutio infidelium, et repletio donis Spiritus sancti. Secundo, modus et ordo quo hoc factum est, ibi, « *Flumen Dei.* » Prædicitur Gentium conversio per Christi prædicationem.

Et in prima duo. Primo, instructio ad cognitionem boni et mali. Secundo, repletio donorum Spiritus Sancti ad operationem boni, et fugam mali, ibi, « *Multiplicasti.* »

Dicit ergo : Sic misisti miracula facientes : « *visitasti terram,* » per prædicatores tuos, tamquam nubes undique discurrentes. Isa. LX, 8 : *Qui sunt isti qui ut nubes volant?* Luc. I, 78 : *Visitavit nos Oriens ex alto,* per has nubes, non per se. Isa. LX, 17 : *Ponam visitationem tuam pacem, et præpositos tuos justitiam.*

« *Et inebriasti eam,* » doctrina re-

[1] Joan. V, 4.

plens, sicut ebrius repletur. Cant. v, 1 : *Comedite amici, et bibite, et inebriamini charissimi.*

« *Multiplicasti.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Non solum doctrina replevisti, quasi usque ad ebrietatem. Sed etiam « *multiplicasti* » adhuc, id est, multiplex bonum superaddidisti, Quid ? scilicet locupletare, vel ditare eam donis Spiritus sancti. Prov. x, 22 : *Benedictio Domini divites facit.* Ad Ephes. iii, 16 : *Det vobis Deus secundum divitias gloriæ suæ.*

Hit versus de Virgine exponitur.

Hic versus potest exponi de Virgine : hæc est enim terra, de qua Isa. iv, 2 : *Et fructus terræ sublimis.* Et xlv, 8 : *Aperiatur terra, et germinet Salvatorem.* Hanc terram Deus visitavit in ultima sanctificatione, sed inebriavit in Filii conceptione, sed locupletavit in sua glorificatione. Vel, ut totum referatur ad Filii conceptionem, visitavit hanc terram in Angeli salutatione, Luc. i, 28 : *Ingressus Angelus ad eam dixit : Ave,* etc. Inebriavit in Spiritus sancti infusione, In eodem, ℣. 35 : *Spiritus sanctus superveniet in te.* Multipliciter locupletavit in Filii conceptione, In eodem, ℣. 31 : *Ecce concipies in utero, et paries filium... Hic erit magnus,* etc. Et vere locupletata tunc fuit, quia in se continuit illum, de quo Paulus ad Coloss. ii, 3 : *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi.* Propter quod de ipsa dici potest illud Prov. xxi, 29 : *Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu supergressa et universas.*

Eclesia est illud flumen.

« *Flumen Dei repletum est.* » Hic secundum, in quo ostendit ordinem et modum quo terra inebriata est doctrina, et donis locupletata : et dicuntur tria. Primo, abundantia bonorum primitivis de Ecclesia. Secundo, a quo sit illa abundantia, quoniam a Deo, ibi, « *Parasti.* » Tertio, probatio quod ab illo, ibi, « *Quoniam ita est.* »

Dicit ergo : Sic inebriasti terram, et locupletasti, et hoc ordine : « *Flumen Dei,* » Apostoli et primitivi Ecclesiæ, qui egressi sunt a Christo tamquam quoddam flumen, Gen. ii, 10[1], *Fluvius,* Apostolorum et primitivorum chorus : *voluptatis locus,* Christus. Hoc flumen de quo in Psal. xlv, 5 : *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei.* Hoc ergo « *flumen repletum est aquis,* » id est, Spiritus sancti donis, et doctrinis, ut possit influere aliis. Joan. vii, 38 : *Qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.* Vel, flumen appellat alveum, et illi Apostolos comparat : aquis vero dona et doctrinas, sicut dictum est. Item, flumen Dei ejus misericordia, unde orat Ecclesia petens misericordiam : « Effunde super « nos misericordiam tuam. » Hoc flumen dicitur repletum aquis, Spiritus sancti donis, quibus nos irrigat, potat, et mundat. Ezech. xliv, 3 : *Effundam aquas super sitientem, et fluenta super aridam.* Et maxime cum potat, nos in altari sanguine Christi, qui aqua dicitur, quia refrigerat ab ardore peccati, et fœcundat, et potat, et mundat. Ezech. xlvii, 1 : *Aquæ descendebant in latus templi dexterum ad meridiem altaris.*

Flumen est Dei misericordia.

« *Parasti.* » Hic secundum. Quasi diceret : Sic fuerunt donis Spiritus sancti repleti primitivi : et tu « *parasti cibum illorum,* » intelligentiam Scripturarum, gratiam virtutum et donorum, quibus reficiuntur. Eccli. xv, 3 : *Cibavit illum pane vitæ et intellectus.* Vel cibum illorum dicit corpus Dominicum, quo reficiebantur quotidie in Ecclesia primitiva. Sap. xvi, 20 : *Panem de cœlo præstitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem,* etc. Hunc cibum paravit in Virginis utero, tamquam pistrino, in cruce ut in clibano : et probatio hujus, scilicet quod pares, est, « *quoniam ita est præparatio ejus.* » Nullus enim sciret talem præparationem cibi adinvenire, ut caro sub specie panis, sanguis sub specie vini sumeretur, nisi tu. Isa. lviii,

Paravit primitivæ Ecclesiæ et Apostolis diversos cibos.

Præsertim Eucharistiam, cujus præparatio est mirabilis.

[1] Genes. ii, 10 : *Et fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum.* etc.

14 : *Cibabo te hæreditate Jacob patris tui*, hoc est, Christi carne et sanguine. Neque est cibus tantæ dulcedinis. Psal. LXIII, 11 : *Parasti in dulcedine tua pauperi, Deus.* Unde Mannæ comparatur, quod erat dulcissimum [1].

11 « *Rivos ejus inebria.*» Hic secundum : præcessit prænuntiatio, hic subjungitur oratio : et dicuntur duo. Primo, petit. Secundo, ostendit quoddam bonum quod sequetur si hoc fecerit Deus, ibi, « *In stillicidiis.* »

In prima duo. Primo, petit ut majores gratia repleantur. Secundo, quod a repletis spirituales filii generentur, ibi, « *Multiplicasti.* »

Ait enim : Sic video futurum, et ut fiat orando, dico : o Domine, « *inebria,* » plenitudine sapientiæ et sapientiæ et gratiarum, « *rivos ejus,* » id est, majores Ecclesiæ : vel rivos fluminis prædicti, hoc est, flumen prædictum, reple usque ad rivos, hoc est, usque ad summum. Isa. VIII, 7 : *Ascendet super omnes rivos aquarum.*

Inebriat rivos, majores Ecclesiæ.

« *Multiplica genimina,* » filios ad fidem conversos. Ex inebriatione majorum sequitur multiplicatio filiorum spiritualium. Genes. XLIII, 34 : *Biberunt que fratres Joseph in meridie, et inebriati sunt cum eo.* Et secuta est prædicatio. Act. II, 4 : *Repleti sunt omnes Spiritu sancto, et cœperunt loqui.* Zachar. IX, 15 : *Bibentes inebriabuntur quasi a vino, et replebuntur ut phialæ,* quæ replentur ad effundendum aliis. Act. VI, 7 : *Verbum Domini... crescebat, et multiplicabatur numerus fidelium.* Et quid sequetur ex hoc ? Quod « *germinans* » aliquis, scilicet incipiens et rudis, « *lætabitur,* » lætitia spirituali et bona.

Genimina filii ad fidem conversi.

« *In stillicidiis,* » id est, stillis, sive guttis cadentibus, « *ejus,* » fluminis scilicet prædicti. Germinans, est justus incipiens. Psal. XCI, 13 : *Justus, ut palma florebit* Osee, XIV, 6 : *Ero quasi ros, Israel germinabit sicut lilium.* Hic germinans lætatur in stillicidiis, in prædicatione interpolata et modesta. Hæc stillicidia de quibus in Psal. LXXI, 6 : *Descendet sicut pluvia in vellus,* in Incarnatione : *et sicut stillicidia stillantia super terram,* in prædicatione. Joel, III, 18 : *Stillabunt montes dulcedinem* [2].

Germinans est justus incipiens.

« *Benedices coronæ.* » Hic tertium secundæ partis totius hujus Psalmi. Prædixit bona quæ facturus est Christus Ecclesiæ, et petivit ut fiant : hic tertio asserit certitudinaliter, quod sic fient : et dicuntur duo. Primo asserit, quod multa bona fidelibus conferentur. Secundo, quod gratiæ datori referentur, ibi, « *Clamabunt.* » 12

Bona toti Ecclesiæ et membris ejus collata.

In prima duo. Primo, quod bona conferentur toti Ecclesiæ generaliter. Secundo, quod secundum status speciales specialiter quædam, ibi, « *Pinguescent.* »

In prima duo secundum duo beneficia quæ asserit Deum collaturum toti Ecclesiæ generaliter. Primum, gratiæ infusio. Secundum, sequens ad hoc bonorum operum multiplicatio, ibi, « *Et campi.* »

Dicit ergo : Sic rogavi, et sic facies certus sum, quia « *benedices,* » gratiam infundendo. Eccli. III, 11 : *Benedictio patris firmat domos filiorum.* « *Coronæ,* » collationi scilicet fidelium, quæ est quasi pulcherrima corona. Isa. LXII, 3 : *Et eris corona gloriæ in manu Domini, et diadema regni in manu Dei tui.*

Corona fidelium congregatio.

« *Anni benignitatis tuæ,* » id est, temporis gratiæ, in quo benignus mundo apparuisti. Ad Tit. III, 4 : *Apparuit benignitas et humanitas,* etc. Isa. LXI, 2 : *Ut prædicarem annum placabilem Domino.* Hæc benedictio Abrahæ promissa est, Gen. XXII, 18 : *In semine tuo benedicentur omnes gentes.* Psal. XXXVIII, 11 : *Dominus benedicet populo suo in pace.*

« *Et campi tui,* » fideles tui, quos

[1] Cf. Exod. XVI, 31.

[2] Cf. Amos, IX, 13.

excoles sicut campos. I ad Corinth. III, 9 : *Dei agricultura estis, Dei ædificatio estis*. Plani et æquales per justitiam et humilitatem : non montes Gelboe. II Reg. I, 21 : *Montes Gelboe, nec ros, nec pluvia*, etc. Suscepto semine verbi tui. Luc. VIII, 11 : *Semen est verbum Dei*. « *Replebuntur ubertate*, » bonorum operum. Psal. CXXXI, 6 : *Invenimus eam in campis silvæ*, bonorum operum abundantiam in humilibus et justis Ecclesiæ. Hæc ubertas de qua Isa. VII, 21 : *Homo præ ubertate lactis comedet butyrum*. Et in Psal. XXXV, 9 : *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ*.

13 « *Pinguescent*. » Hic secundum, in quo ostendit quæ beneficia fecerat Gentibus et Judæis specialiter. Et primo, qualia Gentibus : secundo, qualia Judæis, ibi, « *Induti sunt*. »

In prima duo beneficia. Primum est abundans devotio ad Deum. Secundum, fortitudo laborandi lætanter in doctrina aliorum, ibi, « *Et exsultatione*. »

Dicit ergo : Hæc quæ præmisi bona, certus sum quod facies omnibus, et etiam « *speciosa deserti*, » Gentilitatis scilicet, quæ infructuosa erat, « *pinguescent* » pinguedine internæ devotionis, et spiritualis lætitiæ, quam petebat supra David, Psal. LXII, 6 : *Sicut adipe et pinguedine*, etc. De qua Jer. XXXI, 14. *Inebriabo animam sacerdotum pinguedine*.

Pinguedo terræ periculosa. Et nota, quod est pinguedo terræ, scilicet abundantia, de qua in benedictione Esau, Genes. XXVII, 28 : *Det tibi Deus de pinguedine terræ*. Psal. XXI, 30 : *Adorabunt omnes pingues terræ*. Hæc est valde periculosa, quia excæcat, Job, XV, 27 : *Operuit faciem ejus crassitudo, ut non videret Deum*. Crassitudo materiam iniquitatis præstat, Psal. LXXII, 7 : *Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum*. Luxuriæ fomentum ministrat, Jerem. VII, 18 : *Filii colligunt ligna, et patres succendunt ignem, et mulieres conspergunt adipem :* colligunt adipem lignis, discursus, et occasiones luxuriandi. In adipe temporalium abundantia, quæ conspergitur per mulieres, quando repræsentant et ostendunt suas pulchritudines.

Pinguedo diabolica delectari malo. Et est pinguedo pessima et diabolica, delectatio in malitia, de qua Job, XV, 26 : *Cucurrit adversus eum*, scilicet Deum, *erecto collo, et pingui cervice armatus est*. Sic pingues diabolus ad festum mactandos præparat. Zachar. XI, 4 et 3 : *Pasce pecora occisionis*. Ezech. XXIV, 5 : *Pinguissimum pecus assume*, hominem, qui sicut pecus in peccatis est delectatus : *congere frusta ejus in ollam* æneam, id est, in gehennam. I Reg. XV, 32 : *Et oblatus est ei Agag pinguissimus... Et in frusta concidit eum Samuel coram Domino in Galgalis*.

Et est pinguedo optima internæ devotionis, quasi pinguedo deserti, hoc est, claustri, et castus amor veræ pœnitentiæ, de qua hic : creatur sicut alibi dictum est, ex dulci somno contemplationis, ex abundantia optimæ refectionis Scripturæ et Sacramenti altaris, ex abjectione curæ et sollicitudinis rerum temporalium, quæ pungunt sicut spinæ.

« *Et exsultatione*. » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic erunt devoti, « *et colles*, » Gentiles scilicet, humiles, et propter hoc alti secundum divinum judicium. Luc. XIV, 11 : *Qui se humiliat, exaltabitur*. « *Accingentur*, » ad strenue prædicandum, gladio verbi Dei. Supra, in Psal. XLIV, 4 : *Accingere gladio tuo super femur tuum*, etc. Et hoc, « *in exsultatione :* » secus enim non placeret. Eccli. XXXV, 11 : *In omni dato*, etc. II ad Cor. IX, 7 : *Hilarem enim datorem, diligit Deus*.

« *Induti sunt*. » Hic bonum in Judæis, 14
et primo in majoribus, ut in Apostolis. Secundo, in aliis, scilicet in minoribus, ibi, « *Et valles*. »

Arietes Apostoli induti exsultatione aut charitate. Ait enim : Sic in Gentilibus, et etiam « *arietes ovium*, » supple, duces, scilicet Apostoli : illi, inquam, arietes, de qui-

bus Isa. LX, 7 : *Arietes Nabajoth ministrabunt tibi.* Defensores etiam erant gregis, armati duobus cornibus, scilicet Testamentis. « *Induti sunt,* » repete, exsultatione, propter fructum quem videbant in illis quibus prædicabant. Vel melius, charitate quæ vestis est nuptialis. Matth. XII, 12 : *Amice, quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem?*

Valles minores Ecclesiæ. « *Et valles,* » id est, populi humiles Judæorum, « *abundabunt frumento,* » verbi Dei, de quo Prov. XI, 26 : *Qui abscondit frumenta, maledicetur in populis : benedictio autem super caput vendentium,* populis proponentium. Propter hoc benedictus fuit Joseph, qui frumenta vendidit in populo. Et bene dicit : « *Valles abundabunt :* » quia in humilibus abundat verbum Dei, et sapientia. Prov. XI, 2 : *Ubi est humilitas, ibi sapientia.* Joel, II, 19 : *Ecce ego mittam vobis frumentum, vinum, et oleum, et replebimini in eis.*

« *Clamabunt.* » Ostenso quod beneficia conferentur, hic asserit quod gratiæ referentur datori : et tangitur modus gratias referendi ex parte agentium gratias. Primo, quod ardenter. Secundo, quod lætanter, ibi, « *Etenim.* »

Ait enim : Hæc beneficia facies : et propter hoc « *clamabunt,* » præ desiderio in fervore. Isa. LVIII, 1 : *Clama, ne cesses.*

« *Etenim hymnum,* » qui est cantus lætitiæ, « *dicent* » in gratiarum actionem. II Machab. x, 38 : *In hymnis et confessionibus benedicebant Dominum, qui magna fecit in Israel.* Et eo ipso, quod hymnum dicent, magis ac magis abundabunt. Gregorius : « Si clamant in « hymno, abundabunt in frumento. » Hæc audiant qui propter studium dimittunt officium. Si in hymno clamarent, et frumento abundarent : in frumento doctrinæ, et postea in frumento gloriæ horrei cœlestis. Amen.

PSALMUS LXV.

Hortatio ad laudandum Deum ob ejus mirabilia opera et beneficia.

1. *In finem,*
Canticum Psalmi resurrectionis.
Jubilate Deo, omnis terra :
2. Psalmum dicite nomini ejus : date gloriam laudi ejus.
3. Dicite Deo : Quam terribilia sunt opera tua, Domine ! in multitudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui.
4. Omnis terra adoret te, et psallat tibi : psalmum dicat nomini tuo.
5. Venite, et videte opera Dei : terribilis in consiliis super filios hominum.
6. Qui convertit mare in aridam, in flumine pertransibunt pede : ibi lætabimur in ipso.
7. Qui dominatur in virtute sua in æternum, oculi ejus super gentes respiciunt : qui exasperant non exaltentur in semetipsis.
8. Benedicite, gentes, Deum nostrum : et auditam facite vocem laudis ejus.
9. Qui posuit animam meam ad vitam, et non dedit in commotionem pedes meos.
10. Quoniam probasti nos, Deus : igne nos examinasti, sicut examinatur argentum.
11. Induxisti nos in laqueum : posuisti tribulationes in dorso nostro.
12. Imposuisti homines super capita nostra.

Transivimus per ignem et aquam : et eduxisti nos in refrigerium.
13. Introibo in domum tuam in holocaustis : reddam tibi vota mea
14. Quæ distinxerunt labia mea :
Et locutum est os meum, in tribulatione mea.
15. Holocausta medullata offeram tibi, cum incenso arietum : offeram tibi boves cum hircis.
16. Venite, audite, et narrabo, omnes qui timetis Deum, quanta fecit animæ meæ.
17. Ad ipsum ore meo clamavi : et exaltavi sub lingua mea.
18. Iniquitatem si adspexi in corde meo, non exaudiet Dominus.
19. Propterea exaudivit Deus, et attendit voci deprecationis meæ.
20. Benedictus Deus, qui non amovit orationem meam, et misericordiam suam a me.

IN PSALMUM LXV

COMMENTARIUS.

1 *In finem, Canticum Psalmi resurrectionis* [1].

Psalmus hortatur ad jubilationem ex spe resurrectionis.

« *Jubilate Deo, omnis terra.* » Hic est Psalmus decimus quintus secundæ partis, in toto sexagesimus quintus. Cum enim consolatus sit viatorem per desertum Idumææ, hoc est, per miseriam vitæ exemplo passionis Christi, et reversionis tandem in patriam, quia hæc reversio fiet per resurrectionem gloriosam, non qualem exspectant Judæi, sed jam inchoatam in capite justorum Christo, certa spe consummandam in membris, monet in hoc Psalmo ad jubilum et exsultationem omnimodam in Deo, et consideratis operibus Dei patienter adversa omnia sustinere, et in ipso solo omnes sperare.

Et hoc innuit titulus præmissus, qui talis est : « *In finem, Canticum Psalmi resurrectionis.* » Est enim sensus : « *Canticum Psalmi,* » id est, canticum quod per musicum instrumentum quod *Psalterium* dicitur, cantabatur, et propter

1. Ce psaume cantique, c'est-à dire, destiné à être chanté, n'a pas de nom d'auteur : c'est un chant d'actions de grâces à la suite de grandes épreuves que le Seigneur a terminé par une éclatante délivrance. Patrizi croit que l'absence du nom de David n'est pas une raison pour refuser la composition du psaume au saint roi ; il s'agirait ici d'un événement intéressant à la fois pour le roi et pour son peuple, la cessation des guerres entraînées par la révolte d'Absalon. Mais on sait quelle douleur la mort du fils rebelle causa à son père, II Reg. XVIII, 32 et XIX, 6, douleur inconciliable avec les accents d'allégresse exprimés dans le psaume. Théodoret, Flaminius, Van Steenkiste, etc., en font un chant de délivrance au retour de la captivité de Babylone, supposition aussi inacceptable que la précédente : il s'agit ici d'une épreuve de courte durée, ℣℣. 9, 17, sans rapport avec de grandes fautes antérieures, ℣. 18, et se terminant par des action de grâces dans le temple, ℣. 13, toutes choses qui ne peuvent avoir trait à la captivité. D'après une hypothèse plus généralement soutenue (Delitzsch, Thalhofer, Le Hir, etc.) le psaume se rapporterait à la délivrance de Jérusalem après l'extermination de l'armée de Sennachérib ; les idées formulées dans le texte sont favorables à cette supposition, mais elles sont trop générales pour en démontrer la réalité. Qui serait alors l'auteur du psaume ? Isaïe, Ezéchias, ou quelque prêtre inspiré ? On ne saurait le dire. Force est donc ici de ne rien affirmer.

Eusèbe, S. Athanase et S. Augustin entendent le psaume de la vocation des Gentils. Un sens spirituel plus général et d'une application plus naturelle se rapporte à la reconnaissance des élus au jour de la résurrection. C'est ce sens que suggère le titre ψαλμὸς ἀναστάσεως, tiré par les Septante probablement des ℣℣. 9, 12, mais faisant défaut dans l'hébreu, et au rapport de Théodoret, dans les Hexaples.

H. Lesêtre.

hoc « *Canticum Psalmi* » appellatur, est « *resurrectionis,* » id est, de resurrectione. « *Canticum,* » inquam, dirigens nos, id est, intentionem nostram, « *in finem*, Christum, vel magis proprie in gloriam consummatam, quæ erit in resurrectione generali. Et bene primo musico intrumento, scilicet psalterio, quod dicitur a ψάλλειν, quod est *operari*. Et postmodum respondebatur cantando, ut monstraretur quod non nisi per bonam operationem ad resurrectionis gloriam et gaudium pervenitur. Matth. xix, 17 : *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.*

Dividitur autem Psalmus sicut jam haberi potest ex dictis, in quatuor partes. Primo, monet in Deo exsultare, et corde, et ore, et opere pro resurrectione jam in apite inchoata, et in nobis postmodum consummanda. Secundo, monet Dei opera diligenter attendere, et considerare, ut ferventior sit laus et jubilatio, ibi, « *Venite et videte.* » Tertio, etiam in adversis eum benedicere, et laudare, ibi, « *Benedicite Gentes Deum nostrum.* » Quarto et ultimo, omnes in unum collectos in ipso confidere, ibi, « *Venite, audite, et narrabo.* »

In prima duo. Primo est admonitio ut in Deo corde, ore, et opere exsultent. Secundo, supplicatio ipsi Deo, ut hæc in ipsis fiant, ibi, « *Omnis terra adoret te :* » per se enim non possent, nisi Deus daret.

In prima tria. Primo, ut in Deo exsultent corde. Secundo, quod opere, ibi, « *Psalmum dicite.* » Tertio, quod ore, « *Dicite Deo :* »

Prima pars Psalmi. Dicit ergo : Sic reversi de Babylonia hymnum dicent : sed vos, scilicet « *omnis terra,* » id est, omnes in terra habitantes, non solum Judæi, « *jubilate Deo,* » id est, exsultate cordis lætitia, quæ non possit enarrari, nec penitus sileri. Hoc enim est jubilare. Et est hic metonymia, in quo continens, scilicet « *omnis terra,* » invitatur ad jubilandum, pro contento, scilicet pro habitantibus in ipsa. Alibi, in Psal. xciv, 1 : *Jubilemus Deo salutari nostro.* Zach. ix, 9 : *Exsulta satis filia Sion, jubila filia Jerusalem.* Isa. xlix, 13 : *Laudate cœli, exsultet terra, jubilate montes laudem.* Et dicit ibi Glossa, quod in cœlo est continuus jubilus, secundum illud Job, xxxiii, 26 : *Deprecabitur Deum, et placabilis ei erit : et videbit faciem ejus in jubilo.* In terra autem debet esse a tempore gratiæ, sicut monet Sophon. iii, 14 : *Lauda filia Sion, jubila filia Jerusalem : abstulit a te Dominus judicium tuum.*

2 « *Psalmum dicite.* » Hic secundum, et primo monet ut opera referant in Deum. Secundo, quod ipsam gloriam operum, ibi, « *Date gloriam.* »

Ait enim : Sic jubilate, et etiam « *psalmum dicite,* » id est, bonum opus in medio agite : quasi enim bonum opus dicit, qui bonum in publico facit. Sed hoc, « *nomini ejus,* » id est, ad famam ejus, et gloriam. Matth. v, 16 : *Videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est.*

« *Date gloriam.* » Quasi diceret : Non solum opus bonum in ipsum referatis, sed « *laudi ejus,* » si gloria et honor vobis exhibetur pro bonis operibus, « *date gloriam* » illam. Non enim vult nos hic habere gloriam, sed tandem dabit nobis suam. I ad Cor. i, 28 et 29 : *Elegit ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt, destrueret : ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus :* sed ℣. 31 : *Qui gloriatur, in Domino glorietur*[1]. Augustinus : « Abstulit gloriam nostram, ut daret suam : abstulit vacuam, ut daret plenam : abstulit vanam, ut daret solidam. » Propter hoc dicitur, Jerem. ix, 23 et 24 : *Non glorietur sapiens in sa-*

[1] Jerem. ix, 23 et 24 ; II ad Corinth. x, 17.

pientia sua, et non glorietur fortis in fortitudine sua, et non glorietur dives in divitiis suis: sed in hoc glorietur, qui gloriatur, scire et nosse me. Propter hoc dicebat Paulus, II, ad Corinth. XII, 5 : *Pro hujusmodi gloriabor : pro me autem nihil gloriabor.*

3 « *Dicite Deo.* » Hic tertium, in quo monet laudare ore : et dicuntur duo. Primo monet ut confiteantur operum Dei admirabilem magnitudinem. Secundo, quod nihilominus perversorum obstinationem, qui tantis operibus non franguntur, ibi, « *In multitudine.* »

Dicit ergo : Sic jubilate corde laudantes, sic Psalmum dicite, bona ad honorem Dei facientes, et ore, « *dicite Deo.* » Ad quid Deo cum ipse omnia sciat? Responsio. Non propter ejus ignorantiam ut ipsum instruamus, sed propter nostram utilitatem ut confitendo mereamur. Tob. XII, 7 : *Opera Dei revelare et confiteri honorificum est.* « *Dicite* ergo *Deo, quam terribilia sunt,* » timorem scilicet, et admirationem incutientia, « *opera tua, Domine!* » Eccli. XLIII, 30 et 31 : *Ipse omnipotens super omnia opera sua. Terribilis Dominus, et magnus vehementer, et mirabilis potentia ipsius.* Et propter hoc dicebat Habacuc, III, 2 et 3 : *Domine, audivi auditionem tuam, et timui. Domine, opus tuum*[1], etc. Terribilia opera liberationis filiorum Israel de Ægypto. Liberationis, inquam, litteralis, et multo plus spiritualis.

Terribilia Dei opera bonis et malis.

Et nota, quod valde terribilia debent esse opera creationis. Primo, creaturis ipsis abutentibus, de quibus in Canonica Judæ, ℣. 4 : *Dei nostri gratiam transferentes in luxuriam.* Deum infestantibus, Job, XII, 6 : *Abundant tabernacula prædonum* : et cum eo ipso quod abundant, *et audacter provocant Deum.* Terribilia opera recreationis vicem non rependentibus, Judic. IX, 16 : Non *reddidistis vicem beneficiis ejus, qui pugnavit pro vobis, et animam suam dedit periculis, ut erueret vos de manu Madian.* Et fortiori ratione mala pro tantis bonis retribuentibus, Psal. XXXIV, 12 : *Retribuebant mihi mala pro bonis.* Jerem. XVIII, 20 : *Numquid redditur pro bono malum?* Sed terribilissima, ut ita dicam, opera retributionis ultimæ, miseriam et afflictionem bonorum attendentibus : quia Luc. XIII, 31 : *Si in viridi ligno hæc fiunt, in arido quid fiet?* Prov. XII, 31 : *Si justus in terra recipit, quanto magis impius et peccator.*

« *In multitudine.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic terribilia sunt opera, et tamen « *inimici tui mentientur tibi,* » et in ipsa « *multitudine virtutis tuæ.* » Quasi diceret : Quamvis tam multa sit virtus tua, non timebunt, nec persolvent vota, quemadmodum Pharaò de Ægypto promittebat se dimissurum filios Israel, et mentiebatur. Sicut Judæi qui videntes terribilia opera Dei, Exod. XIX, 8, dixerunt : *Cuncta quæ locutus est Dominus, faciemus.* Sed in omnibus sunt mentiti.

Vel ut sit expositio præcedentis. Quasi diceret : Vere terribilia sunt opera tua Domine, quia « *inimici tui mentientur tibi,* » scilicet contra te dicentes, Joan. VIII, 48 : *Dæmonium habes.* Luc. XII, 15 : *In Beelzebuth principe dæmoniorum ejicit dæmonia.* Et multipliciter accusando coram Pilato[2]. Et tandem falsitatem velut adinveniendo, quod dormientibus custodibus corpus sublatum esset[3]. Et hæc omnia mendacia, « *in virtute tua,* » declaranda : quia ex iis omnibus major apparuit resurrectionis tuæ gloria et potentia. Propter hoc petentibus signum potentiæ suæ, Luc. XI, 29 : *Cœpit dicere : Generatio hæc, generatio nequam est : signum quærit, et signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ Prophetæ. Nam sicut fuit Jonas,* etc. Joan. II, 19 :

[1] Vide totam orationem Habacuc prophetæ pro ignorantiis, III, 1 et seq.

[2] Joan. XVIII, 29 et 30.

[3] Matth. XXIII, 13.

Solvite templum hoc, et in tribus diebus, etc.

4 « *Omnis terra adoret.* » Monuit ut honorent Deum, et exsultent in illum corde, ore, et opere, hic orat Deum ut hæc fiant, ut det gratiam hæc faciendi eo ordine, quo tacta sunt.

Ait enim : Ad prædicta monui, et o Domine, hoc rogo, quia omne bonum ex te. « *Omnis terra adoret te,* » tibi subjecta sit, te venerans corde. Joan. IV, 23 : *Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate.* Vel saltem subjectione et timore. « *Omnis terra,* » terra viventium, terra morientium, et terra mortuorum : cœlestia, terrestria, et infernalia. Ad Philip. II, 10 : *In nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, et infernorum.*

« *Et psallat tibi,* » bono opere. Hoc enim psallere, sicut sæpe dictum est supra. In Psal. XLVII, 7 : *Psallite Deo nostro, psallite : psallite regi nostro, psallite.* Et, « *Psalmum dicat,* » ore te laudando : « *nomini tuo,* » ad honorem tuum retorquendo. Tob. XIII, 10 : *Benedicite Dominum, omnes electi ejus : agite dies lætitiæ, et confitemini illi.*

5 Secunda pars Psalmi. « *Venite et videte.* » Hic secunda pars Psalmi, in qua monet ad majorem fervorem excitandum, Dei opera diligenter attendere : et dicuntur duo. Primo, admonitio ut opera Dei considerentur diligenter. Secundo, imprecatio obstinatis Judæis, qui illa noluerunt attendere, sed in suis cæremonialibus perdurare, ibi, « *Qui exasperant.* »

In prima quatuor. Primo, monet ut se præparent, ibi, « *Venite.* » Secundo, ut præparati opera Dei considerent, ibi, « *Et videte opera.* » Tertio, ratio quare debent considerare, ibi, « *Terribilis.* » Quarto, exprimit opera, quæ considerari debent, ibi, « *Qui convertit.* »

Dicit ergo : Sic monui ut in Deo exsultetis, et ut possitis ferventius, « *venite,* » peccata reliquendo in confessione : « *et videte,* » diligenti consideratione, « *opera Dei :* » ecce secundum, non enim potestis videre nisi oculo prius emundato et purgato a sordibus culpæ : unde ad videndum Deum oportet prius venire, Joan. I, 46 : *A Nazareth potest aliquid boni esse?* dixit Nathanael nuntiantibus de Christo. *Respondit Philippus : Veni, et vide.* Et ad videndum ejus locum, Matth. XXVIII, 6 : *Venite, et videte locum.* Et ad videndum opus ipsum Dei, Dei, inquam, « *terribilis in consiliis super filios hominum,* » id est, terribilia agentis de filiis hominum, et propter hoc multum considerandum. Deus enim quidem est humano intellectui valde terribilis, cum attendit potentiam ejus infinitam. Esther, XV, 9 : Assuerus, id est, Deus, *erat terribilis adspectu.* Psal. LXXV, 8 : *Tu terribilis es, et quis resistet tibi ?* Sed terribilior longe in sapientia, qua regit genus humanum. Quis enim non terreatur considerans, quod istum ex propria misericordia salvat, alium ex justitia damnat ? Gregorius : « Videns Psalmista, quod « alius per misericordiam vocatur, alius « per justitiam reprobatur, et quod Do- « minus alii parcendo, alii irascendo « mundum disponit, quia hoc ipsum con- « silium penetrare non potuit, dixit : « *Terribilis in consiliis super filios ho-* « *minum.* » Psal. XXXII, 11 : *Consilium autem Domini manet in æternum.* Isa. XLVI, 10 : *Omnis voluntas mea stabit, et omne consilium meum fiet.* Et tamen nescitur cur ita sit. Isa. XL, 13 : *Quis cognovit consilium Domini, aut quis consiliarius ejus fuit ?*

« *Qui convertit mare in aridam.* » Hic tertium hujus partis, in quo tanguntur opera consideratione digna : et dicuntur duo. Primo, enumeratio operum quæ sunt consideranda. Secundo, ratio illorum, ibi, « *Oculi ejus super gentes.* » 6 Tria beneficia consideranda.

In prima tria secundum tria opera enu-

merata. Primo, emendatio ab omni culpa præterita quam Deus facit in suis. Secundo, conservatio a futura, ibi, « *In flumine pertransibunt.* » Tertio, exsultatio in patria, ibi, « *Lætabimur.* »

Dicit ergo : Sic venite ad videndum opera Dei, « *qui convertit mare,* » mundum, et collectionem Gentilium, « *in aridam,* » ut omnis humor peccati, qui est humor marinus, in ipso siccaretur usque ad desiderium æternorum. Nahum, I, 4 : *Increpans mare, et exsiccans illud:* quemadmodum figuratum fuit, Exod. XIV, 21 et seq., in illa materiali desiccatione. Et nota, quod mare etiam tribulatio, et tentatio appellatur. Deut. XXXIII, 19 : *Inundationes maris quasi lac sugent,* hoc est, tribulationes amaras.

Hoc ergo mare Dominus aliis aufert, sicut novitiis, et ferventibus, qui nihil omnino sentiunt amaritudinis. Exod. XIV, 21 et 22 : *Abstulit Dominus illud,* scilicet mare, *flante vento vehementi et urente tota nocte, et vertit in siccum :... et ingressi sunt filii Israel,* noviter egressi, imo adhuc egredientes de Ægypto. Aliis dividit, perfectis, qui possunt portare, unam tribulationem post aliam immittendo. Psal. CXXXV, 13 : *Qui divisit mare Rubrum in divisiones :* sicut in beato Job fuit factum, quia primus vix ille sermonem compleverat, *et venit alius, et dixit,* etc.[1]. Aliis vero desiccat omnino, ut jam non sit in eis amaritudo, glorificatis, et perfectissimis viris. Apoc. XXI, 1 : *Et mare jam non est.*

« *In flumine.* » Hic secundum. Quasi diceret : Sic mare desiccat, et ipsi qui ante erant mare, « *pertransibunt pede,* » supple, sicco, id est, affectu non infecto : « *in flumine,* » in mundi volubili successione, quæ est quasi fluvius quidam. II Reg. XIV, 14 : *Omnes morimur, et quasi,* etc. Aquæ etiam sunt fluminis cito transeuntes, hujus vitæ dies breves. Cant. VIII, 7 : *Aquæ multæ non potuerunt exstinguere charitatem.* Per has transibunt uno pede, alio suspenso ad æterna, sicut Jacob claudicantes[2]. Gregorius : « Labenti inhæremus, et labentem sequimur, et cum cadente cadimus. » Bernardus : « Si tibi est cor, si tibi est lumen « oculorum, desine jam illa sequi, quæ « miserum est assequi. Beatus qui post « illa non abiit, quæ possessa inquinant, « acquisita lacerant, amissa cruciant. « Nonne satius cum honore dimittis, « quam cum dolore perdis ? »

« *Ibi lætabimur.* » Ecce tertium, exsultatio in patria. Quasi diceret : Sic pertransibunt pede, sed quid cum illuc pervenerint? « *Ibi lætabimur cum ipso.* » Cant. I, 3 : *Exsultabimus, et lætabimur in te.*

« *Qui dominatur in virtute sua.* » Deus autem est, qui in virtute sua dominatur omni potestati et virtuti alteri. Ad Roman. XIII, 1 : *Non est potestas nisi a Deo.* Psal. LXXXVIII, 10 : *Tu dominaris potestati maris.* Dan. VII, 14 : *Potestas ejus, potestas æterna.* Hoc est quod additur, « *In æternum.* » 7

« *Oculi ejus.* » Hic secundum, in quo tactis operibus eminentibus, tangitur ratio illorum operum, respectus Dei scilicet. **Horum bonorum causa Dei intuitus.**

Dicit enim : Hæc bona fient filiis hominum : et hoc, quia « *oculi ejus,* » Dei scilicet, « *super Gentes* » respiciunt : illi oculi quibus respexit Petrum, et flevit amare[3] : et quibus Matthæum sedentem in telonio, et separavit eum a lucris temporalibus[4]. Sap. IV, 15 : *Gratia Dei, et misericordia est in sanctos ejus, et respectus in electos illius.*

« *Qui exasperant.* » Secundum illius partis, in qua monet ad Dei opera attendenda. Hic imprecatur Judæis, qui non acquieverunt admonitioni, sed in suis cæremonialibus perstiterunt. **Judæi exasperant.**

[1] Cf. Job. I, 14 et seq.
[2] Genes, XXXI, 31.
[3] Luc. XXII, 62.
[4] Marc. II, 14 ; Matth, IX, 9.

Ait enim : Sic illis fiet. Sed « *qui exasperant* » Deum, ipsi obviando, ei non obediendo, quales sunt Judæi, Ezech. II, 5 : *Domus exasperans est :* « *non exaltentur in semetipsis,* » supple, manentes, hoc est, opinionibus falsis et stultis, quod cæremonialia debent stare. Sed si humiliantur ad fidem Christianam, exaltantur. Luc. XIV, 11 et XVIII, 14 : *Qui se exaltat, humiliabitur : et qui se humiliat, exaltabitur.* Exasperantes Dominum, scilicet peccatores et impii, non debent exaltari, sicut hic prohibet Dominus per David. Aliter dicitur eis illud Osee, VIII, 4 : *Ipsi regnaverunt, et non ex me, et cito dejicientur.* Psal. XXXVI, 35 et 36 : *Vidi impium superexaltatum,* impium exasperantem Dominum : *et transivi, et ecce non erat.* Exasperantes autem sunt duri Prælati, et subditos provocantes. Tales non debent exaltari. Nota de Roboam filio Salomonis : exasperavit populum subditum, et totum destruxit[1]. Tales vero non exaltantur, habentes in semetipsis causam suæ humiliationis. Michæ. VI, 14 : *Humiliatio tua in medio tui,* supple, est, scilicet crudelitas et exasperatio tua.

Item, duri prælati.

8

Tertia pars Psalmi. Deus in adversis benedicendus.

« *Benedicite, Gentes, Deum.* » Hic tertia pars Psalmi, in qua monet Deum in adversis etiam benedicere, et laudare : quia beneficus est etiam in illos quemadmodum ipse ostendit exemplo sui. Duo ergo dicuntur. Primo, admonitio. Secundo, ratio admonitionis, ibi, « *Qui posuit.* »

In prima duo. Primo, monet Gentes, quod Deum benedicant. Secundo, quod in publico, non latenter hoc faciant, ibi, « *Et auditam.* »

Dicit ergo : Sic monui ut opera Dei consideretis : et, o Gentes, « *benedicite Deum nostrum,* » in quacumque sitis adversitate. Judith. XIII, 17 : *Laudate Dominum Deum nostrum, qui non deserit sperantes in se.* Eccli. XXXIX, 41 : *Nunc in omni corde et ore collaudate, et benedicite nomen Domini.* Prophetia autem de Gentilitate, quæ laudatura erat. Eccli. XXXIX, 14 : *Sapientiam ejus enarrabunt gentes.* Et ad Roman. XV, 10 : *Lætamini Gentes cum plebe ejus*[2].

« *Et auditam.* » Quasi diceret : Non benedicatis latenter, et in cubiculis : imo « *auditam facite,* » hoc est, faciatis ut ab aliis audiatur, « *vocem laudis ejus,* » qua scilicet laudatur, ut cortina cortinam trahat[3]. Apocalyp. XXII, 17 : *Et qui audit, dicat : Veni.*

Vel, « *annuntiate vocem laudis ejus,* » qui laudatur a Deo præ omnibus aliis. Quæ est illa vox ? Illa quæ insonuit in Baptismate. Matth. III, 17, et Luc. III, 22 : *Hic est Filius meus dilectus,* etc. Et quæ audita fuit in Transfiguratione[4]. Hanc autem auditam facite, ut ad fidem alios invitetis. Non enim curat Deus de laude vestra, si non curetis de proximi utilitate. I Joan. IV, 20 : *Si quis dixerit quoniam Deum diligo, et fratrem suum oderit, mendax est.*

« *Qui posuit animam.* » Hic secundum, 9
ratio scilicet admonitionis præmissæ. Primo, ponit pro rationem adjutorium sibi exhibitum in tribulatione. Secundo, fructum ex tribulatione, ibi, « *Transivimus per ignem.* »

In prima tria. Primo, quod ei Deus vitam præstiterit. Secundo, quod in præstita vita ipsum conservaverit, ibi, « *Et non dedit.* » Tertio, modos conservandi, et etiam tribulationes in quibus conservavit, ostendit, ibi, « *Quoniam probasti nos, Deus.* »

Dicit ergo : Sic benedicite, et hoc justum, « *qui,* » id est, quia ille « *posuit animam meam ad vitam,* » quæ erat in morte de se. Ezech. XVI, 6 : *Et dixi tibi cum esses in sanguine tuo : Vive.* Ipse enim hoc potest, mortem destruere,

[1] Cf. III Reg. XII, 3 et seq.
[2] Deuter. XXXII, 43.
[3] Exod. XXV, 1 et seq.
[4] Matth. XVII, 5.

et vitam conferre. Sap. xvi, 13 : *Tu es*, Domine, *qui vitæ* tribuendæ, *et mortis* destruendæ *habes potestatem*. Sed ad quam vitam ? Ad seipsum qui vita est. Joan. xiv, 6 : *Ego sum via, et veritas, et vita*. Ponit enim Deus animas ad se conversas ad seipsum, ut vitam inde sumant quantum volunt, sicut bruta animalia ponuntur ad præsepia plena.

« *Et non dedit.* » Hic secundum. Quasi diceret : Sic ad vitam te posuit : sed numquid cito retraxit et permisit cadere in petram ? Non : imo « *non dedit in commotionem,* » a statu illo, « *pedes meos :* » ut impleretur illud in me, quod supra petitum est. Et manus peccatoris non moveat me, ipso Deo defendente vitam meam. Psal. xxvi, 1 : *Dominus protector vitæ meæ*. Tamen aliquando prope fui ut converteret se, secundum illud Psal. lxxii, 2 : *Mei autem pene moti sunt pedes : pene effusi sunt gressus mei.*

10 « *Quoniam probasti nos.* » Hic tertium, in quo modum tangit quo conservatus est, et in quibus conservatus.

Duo autem dicuntur. Primum, probatio ipsius et similium sibi per tribulationes. Secundo, tribulationum specificatio, ibi, « *Induxisti nos.* »

In prima duo. Primo, intentio exponendi tribulationibus. Secundo, promotio, ibi, « *Igne nos.* »

Dicit ergo : Vere dixi, quia non dedisti in commotionem pedes meos, quoniam o tu Deus, « *probasti nos,* » id est, ad probandum, non ad perdendum, tribulationibus exposuisti nos. Deut. xiii, 3 : *Tentat vos Dominus Deus noster, ut palam fiat utrum diligatis eum*. Sap. iii, 6 : *Tamquam aurum in fornace probavit electos Dominus*. Et Eccli. xxvii, 6 : *Vasa figuli probat fornax*.

« *Igne* » ardentis tribulationis « *nos examinasti,* » id est, puros, et absque sordibus reddidisti. « *Sicut examinatur argentum,* » quod consumpto plumbo et fæcibus manet purissimum. Supra, in Psal. xvi, 3 : *Igne me examinasti, et non est inventa*, etc. Non sumus de illis de quibus Jerem. vi, 29 : *In igne consumptum est plumbum, frustra conflavit conflator : malitiæ eorum non sunt consumptæ*.

Quidam autem sunt qui non possunt magnitudinem tribulationis, quæ ignis est, sustinere, et tales Dominus per aquas purgat, hoc est, per minorem tribulationem. Num. xxxi, 23 : *Quidquid ignem non potest sustinere, aqua expiationis sanctificabitur,* lacrymis scilicet et suspiriis. Sed longe melior qui per ignem : aufert enim rubiginem omnem, quod non potest aqua. Ezech. xxiv, 6 : *Væ... ollæ, cujus rubigo in ea est, et rubigo ejus non exivit de ea*. Et nota, quod vehemens tribulatio igni comparatur, quia sicut ignis separata conflat simul : tunc enim totum cor hominis, si ante dispersum erat, colligitur. Job, xxviii, 1 : *Auro locus est, in quo conflatur*, tribulatio scilicet cordi bono. Conflata liquefacit, ut possint novam formam recipere. Eccli. ii, 5 : *In igne probatur aurum et argentum, homines vero receptibiles in camino humiliationis*. Liquefactos purgat. Gregorius : « Quod lima ferro, quod « fornax auro, quod flagellum grano, « hoc tribulatio justo. » Sed hæc omnia fornax purgat, illud a rubigine, hoc a fæce, et tertium a palea. Sic conflatum, liquefactum, et purgatum in vas gloriosum et purissimum summus artifex transmutat, secundum illud Prov. xxv, 4 : *Aufer rubiginem de argento, et egredietur vas purissimum*.

Tributatio igni comparata.

« *Induxisti nos.* » Hic secundum, tribulationum scilicet specificatio, in carcerem, et in carcere afflictionem, ibi, « *Posuisti tribulationes.* » Et mortem, ibi, « *Imposuisti homines.* » 11

Dicit ergo : Sic nos promovisti et purgasti per ignem tribulationis. Sed quænam illæ tribulationes ? Ecce « *induxisti nos,* » induci permisisti, « *in laqueum,* »

in catenas, dicit Glossa. Ecce carcer. Job, XIII, 27 : *Posuisti in nervo pedem meum.* Psal. XVII, 26 : *Præoccupaverunt me laquei mortis.* II ad Corinth. XI, 23, dicit Paulus de seipso : *In carceribus abundantius.* Ad Eph. VI, 20 : *Pro quo legatione fungor in catena.* Ad Hebr. XI, 36 : *Sancti... ludibria et verbera experti, insuper et vincula, et carceres.*

« *Posuisti.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Non tantum carcerem sustinuimus, sed « *posuisti,* » id est, poni permisisti, « *tribulationes in dorso nostro,* » tamquam pondus, ut nostra superbia domaretur, et curvaretur sub manu tua. Job, IX, 13 : *Deus... sub quo curvantur qui portant orbem.* I Pet. V, 6 : *Humiliamini igitur sub potenti manu Dei.* Tamquam malleo quo attenuaremur, ut essemus vas in honorem. Psal. CXXVIII, 8 : *Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores,* etc. Tamquam virgam et disciplinam qua instrueremur. Prov. XXII, 15 : *Stultitia colligata est in corde pueri, et virga disciplinæ fugabit eam,* percutiens in dorso. Prov. X, 13 : *Virga in dorso ejus qui indiget corde.*

12 « *Imposuisti.* » Ecce tertium. Quasi diceret : Non solum imposuisti tribulationes, imo etiam « *imposuisti homines super capita nostra,* » ut ipsa auferrent, tyrannos scilicet nos occidentes. Psal. XLIII, 22 : *Quoniam propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oves occisionis.* Thren. V, 5 : *Cervicibus nostris minabamur, lassis non dabatur requies.* Homines capitibus subditorum impositi sunt Prælati, qui supponuntur ad custodiam. Isa. LXII, 6 : *Super muros tuos Jerusalem constitui custodes.* Imo etiam omnes capitibus justorum, qui eos omnibus subjici præcipit. I Pet. II, 13 : *Subjecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum.*

« *Transivimus per ignem.* » Hic secundum propter quod benedicendus Deus etiam in adversitate, scilicet fructus sequens, quem expertus est in se. Primo ergo bonorum enumeratio, quæ consecuta sunt ex illa. Secundo, gratiarum actio pro bonis illis, ibi, « *Reddam tibi.* » Tertio, confessio obligationis debitæ ad illam gratiarum actionem, ibi, « *Quæ distinxerunt.* »

In prima tria, secundum tria bona quæ enumerantur. Primum, in nullo cessatio a bono propter mala. Secundum, tribulationum mitigatio per spem æternorum bonorum, ibi, « *Et induxisti nos.* » Tertio, bonorum præsentatio tandem ipsi Deo in æterna vita, ibi, « *Introibo in domum.* »

Dicit ergo : Tales sunt tribulationes, quas inferri permisisti, sed non sine fructu : « *quia transivimus,* » non fracti, « *per ignem* » tribulationis majoris, et per « *aquam* » minoris. Per ignem tribulatio, a qua Deus animam liberat. Genes. XV, 7 : *Eduxi te de Ur Chaldæorum.* Daniel. III, 49 et seq., tres pueri ab igne sunt liberati. Per aquam prosperitas, quæ non est minus periculosa. Jerem. XIII, 7 : *Et abii ad Euphraten, et fodi,... et ecce computruerat lumbare.* De duobus simul, Isa. XLIII, 2 : *Cum transieris per aquas, tecum ero, et flumina non operient te : et cum ambulaveris in igne, non combureris.* Sed e contrario in Psal. CV, 18 : *Flamma combussit peccatores.*

« *Et eduxit nos in refrigerium,* » dando æterna bona prægustare et præsentire per gratiam tuam. Sap. IV, 7 : *Justus si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit :* morte, id est, tribulatione ad mortem ducente : quia quanto major erit angustia tribulationis, tanto major erit delectatio. Gregorius : « Ad hoc quod « magna sit delectatio, oportet quod ma« gna sit tribulatio : quia quanto diffici« lius habetur, tanto charius possidetur. »

Et nota ordinem secundum quod dicit

Glossa : quia qui transit per ignem, quod est tribulatio gravis, facile non perit in aquis prosperitatis.

13 Tribulatio iter ad cœlum. « *Introibo in domum tuam.* » Hic tertium bonum. Quasi diceret : Non defecimus in tribulatione, sed magis refrigerati sumus. « *Introibo in domum tuam,* » per illas tribulationes : quippe Act. XIV, 21 : *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei,* ipsum dominum domus scilicet. Luc. XXIV, 26 : *Nonne hæc oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam ?* Genes. III, 24 : *Dominus... collocavit ante paradisum voluptatis Cherubin, et flammeum gladium,* etc. Et IV Reg. II, 11 : *Ascendit Elias per turbinem in cœlum,* et in curru igneo. Sed non introibo vacuus, sed « *in holocaustis,* » in operibus totis incensis charitatis ardore, quia Exod. XXIII, 15 : *Non apparebis in conspectu meo vacuus.* Psal. CXXV, 6 : *Venientes autem venient cum exsultatione, portantes manipulos suos.*

« *Reddam tibi.* » Ecce secundum : positis enim fructibus, promittitur gratiarum actio pro illis. Quasi diceret : Hæc bona facta sunt mihi, et propter hoc, « *reddam.* » Vel sic : tandem introibo domum tuam in holocaustis, et interim « *reddam tibi,* » tamquam gratias agens, « *vota mea.* » Isa. XIX, 21 : *Vota vovebunt Domino, et solvent.* Psal. LXXV, 12 : *Vovete et reddite Domino Deo,* etc. Ut non sim de illis de quibus Proverb. XX, 25 : *Ruina est homini devotare sanctos, et post vota retractare.*

14 « *Quæ distinxerunt.* » Hic tertium, confessio scilicet obligationis, in quo dicuntur tria. Primo, quod obligatus. Secundo, quando, ibi, « *Et locutum.* » Tertio, ad quæ fuit obligatus, ibi, *Holocausta.* »

Dicit ergo : Reddam vota. Et hæc de bono : « *quæ,* » id est, quia illa « *distinxerunt labia mea.* » Quasi diceret : Voluntarie promisi illa. Psal. LIII, 8 : *Voluntarie sacrificabo tibi.*

In distinctione etiam notatur discretio. Quasi diceret : Non solum voluntarie factum est, sed cum magna discretione. Levit. II, 13 : *In omni oblatione tua offeres sal.* Item, in distinctione notatur præelectio melioris : qui enim Deo vult offerre, debet distinguere quod melius est, et illud dare, ne sit sicut Cain, qui se dabat diabolo, et meliora sua retinebat sibi, et deteriora Deo dabat [1]. Malach. I, 14 : *Maledictus dolosus, qui habet in grege suo masculum, et votum faciens debile immolat Domino.* Eccle. V, 3 : *Displicet ei,* id est, Deo, *infidelis,* sine electione melioris, *et stulta,* sine discretione, *promissio.*

« *Et locutum est os meum.* » Hic secundum, in quo ostendit quando. Quasi diceret : Sic reddam vota quæ promisi : « *et locutum est,* » illa promittendo, « *os meum,* » non aliud, « *in tribulatione mea.* » II Esdr. IX, 27 : *In tempore tribulationis suæ clamaverunt ad te, et tu de cœlo audisti eos.* Eccli. LI, 33 : *Aperui os meum, et locutus sum.* Et hoc « *in tribulatione mea.* » Argumentum contra illos, qui credunt se non teneri quando tribulatione compulsi vovent. Osee, VI, 1 : *In tribulatione sua mane consurgent ad me.* Jonæ, I, 16 : *Et timuerunt timore magno Dominum, et immolaverunt hostias Domino, et voverunt vota.*

« *Holocausta medullata.* » Hic tertium, quæ voverit, et qualia. Primo, quod devota, et plena charitate sacrificia. Secundo, quod pura et consummata ab omni malitia, ibi, « *Cum incenso.* » 15

Ait enim : Sic in tribulatione mea vovi, et quid hoc ? « *Holocausta medullata,* » oblationes et opera pinguedine et

[1] Cf. Genes. IV, 5.

medulla charitatis plena. Sicut enim medulla vitam totius animalis tenet, et conservat, sic charitas omnium bonorum. Propter quod dicitur, Eccli. xxxv, 8 : *Oblatio justi impinguat altare.* Hic medullata sacrificia Deo offeruntur : sed ipse tandem nuda medulla, sincerissima charitate suos satiabit. Genes. xlv, 18 : *Comedetis medullam terræ.* Isa. xxv, 6 : *Faciet Dominus in monte hoc convivium pinguium, convivium medullatorum.*

« *Offeram tibi,* » non alii : « *cum incenso arietum.* » Hic secundum, quia pura, quia absque repugnatione superbiæ, quæ significatur in ariete : et cupiditate avaritiæ, quæ significatur in bove, qui arat terram : et sine fœtido motu luxuriæ, qui significatur in hircis.

Ait enim : Sic novi offerre holocausta medullata : et hoc « *cum incenso,* » id est, cum incensione et destructione « *arietum,* » motuum superbiæ resistentium Deo, et repugnantium.

« *Offeram tibi boves,* » motus avaritiæ circa terrena negotiantes. « *Cum hircis,* » cum motibus fœdis. Offeram, inquam, mactando, et destruendo. Genes. xv,9 et seq., Abraham hæc tria Deo obtulit, et combussit. Arietes etiam Apostoli. Supra, in alio Psal. xciv, 14 : *Induti sunt arietes ovium.* Et Isa. lx, 7 : *Arietes Nabajoth ministrabunt tibi.* Cum incenso ergo arietum fit Deo oblatio, quando Deo opus bonum datur cum oratione Apostolorum, id est, cum modo orandi ab eis instituto. Psal. cxl, 2 : *Dirigatur oratio mea sicut incensum.* Item, arietes sunt Prælati. Proverb. xxx, 31 : *Aries, nec est rex, qui resistat ei.* Boves sunt prædicatores. Job, i, 14 : *Boves arabant, et asinæ pascebantur juxta illos.* Proverb. xiv, 4 : *Ubi plurimæ sunt segetes, ibi manifesta est fortitudo boum.* Hirci fœtidi peccatores. Genes. xxvii, 25, Isaac hœdis libenter vescitur. Hæc tria genera offert Ecclesia, sicut præceptum fuit, Levit. iii, 1 et seq.

« *Venite, audite.* » Hic est quarta pars Psalmi, in qua monet exemplo sui sperare in Deum eos qui timent ipsum. Talibus enim magis necessaria est spes, ne nimio timore desperent : et dicuntur duo. Primo, enumerat bona sibi a Deo facta. Secundo, gratias agit, et benedicit pro illis, ibi, « *Benedictus Deus.* » **10** Quarta pars Psalmi.

In prima duo. Primo, excitatio timidorum ut audiant bona a Deo sibi facta narraturum. Secundo, explicat illa bona, ibi, « *Ad ipsum ore meo clamavi.* »

In prima tria. Primo, ut se præparent. Secundo, ut præparati audiant a narrante, ibi, « *Audite.* » Tertio, qui sunt qui audire debent, ibi, « *Omnes qui timetis.* »

Dicit ergo : Sic monui ad Deum benedicendum. Sed « *venite,* » fide, dicit Glossa, vos præparando. Fides enim ad audiendum, id est, intelligendum præparat. Isa. vii, 9 : *Si non credideritis, non intelligetis.* Philosophus : « Discentem « oportet credere. »

« *Audite, et ego narrabo.* » Supra, in Psal. xxxiii, 12 : *Venite filii, audite me.* Eccli. li, 31 : *Appropiate ad me indocti, et congregate vos in domum disciplinæ.* Deut. xxxiii, 3 : *Qui appropinquant pedibus ejus, accipient de doctrina ejus.* Ecce quod bonum : qui et cavet malum audire, illud scilicet improperium, de quo Isa. xxx, 9 : *Populus ad iracundiam provocans est, et filii mendaces, filii nolentes audire legem Dei.*

« *Narrabo,* » inquam, « *quanta fecit animæ meæ* : » ut sciatis quid faciet vestræ, nisi per vos steterit : amat enim multum animas. Sap. xi, 27 : *Parcis omnibus, quoniam tua sunt,Domine, qui amas animas.* Vos, inquam, « *venite, et audite qui timetis Dominum.* » Malach. iv, 2 : *Et orietur vobis timentibus nomen meum sol justitiæ.* Etiam fenestræ apertæ sunt, quicunque jam habentes initium sapientiæ, et sic apti, ut majora doceamini. Psal. cx, 10, et Eccli. i, 16 : *Initium sapientiæ, timor Domini.* Non timentibus enim Deum, quales contemp-

tores verbi et illusores, non est prædicandum verbum Dei. Matth. VII, 6 : *Nolite sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos.*

17 « *Ad ipsum ore meo clamavi.* » Hic secundum, in quo explicat bona quæ vult eos audire, quæ sibi Deus contulit, quæ comprehendit in duobus. In bonis meriti : et hoc tangitur primo. Et in bonis præmii : et hoc secundo, ibi, « *Propterea exaudivit.* »

In prima tria. Primo, quod dedit ei orare ferventer. Secundo, quod lætanter, ibi, « *Et exsultavi.* » Tertio, quod munde, ibi, « *Iniquitatem.* »

Dicit ergo : Narrabo quanta fecit mihi Dominus. Quænam illa sunt? Hoc primo fecit mihi, quia « *ad ipsum clamavi* » ex fervore cordis, « *ore meo,* » non vicario. Non enim est recta oratio quæ non fit ad Deum, sicut oratio Ochoziæ, quæ fiebat ad Baal. Neque quæ fit sine cordis fervore. Isa. XXIX, 13 et Matth. XV, 8 : *Populus hic labiis me honorat,* etc. Matth. XV, 23 : *Dimitte eam : quia clamat post nos.* Quod non fit proprio ore. Joan. IX, 21 : *Ætatem habet, ipse de se loquatur.* Et nota, quod clamant ad Deum veri adoratores, clamant pro Deo boni prædicatores : sed clamant contra Deum falsi expositores, peccatorum suggestores.

« *Et exsultavi.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Non tantum dedit ut clamarem : imo « *et exsultavi,* » ipso faciente « *sub lingua mea,* » in corde. Cor enim sub lingua est. Radix enim est linguæ sicut dicunt. Quemadmodum enim in fide necesse est ut jungantur os et cor, sic in oratione. Ad Rom. X, 10 : *Corde creditur ad justitiam, ore autem,* etc. Tunc impletur illud Cant. IV, 11 : *Mel et lac,* dulcedo spiritualis lætitiæ, *sub lingua tua,* in corde scilicet tuo.

18 « *Iniquitatem si adspexi.* » Hic quod dedit orare munde, et ponit probationem hujus rei tamquam supponens ipsam primo : sic enim legenda est. Sic dedit quod clamavi, sic quod exsultavi sub lingua mea, et etiam quod iniquitatem non habui : sed « *si adspexi* » oculo dilectionis, non intuitu simplici, « *iniquitatem in corde meo,* » quia respectus sumitur pro dilectione. Sic Luc. IX, 62 : *Nemo mittens manum ad aratrum, et respiciens retro,* etc., id est, amans quæ retro sunt. Sic Gen. XIX, 17 : *Noli respicere post tergum tuum.* Consonat enim quod communiter dicitur : « Ubi amor, ibi oculus. »

« *Non exaudiet Dominus :* » et ipse exaudivit, sicut jam dicam : unde certum est, quod dedit non adspicere iniquitatem. Hoc est quod dicit Gregorius : « Si is qui displicet, ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora provocatur. » Verum est de amante iniquitatem in actu : unde Glossa : « Puritas orationis auditur, et non aliter. » Joan. IX, 31 : *Scimus, quia peccatores Deus non audit,* volentes manere in peccatis, et pro æternis deprecantes : pro temporalibus enim forte exaudit eos, sicut Alexandrum Magnum de montibus Caspiis conjungendis.

Impedimenta orationis.

Et nota, quod orationem ne exaudiatur impedit nubes superbiæ, Thren. III, 44 : *Opposuisti nubem tibi, ne transiret oratio.* Sartago luxuriæ, Ezech. IV, 3 : *Sume tibi sartaginem ferream, et pone eam inter te, et civitatem.* Per murum cupiditatis, Ezech. XLIII, 8 : *Et murus erat inter me et eos.* Cant. II, 9 : *En ipse stat post parietem nostrum,* quem fecimus nobis. Tonitruum rancoris, et discordiæ ut est in corde, Eccli. XXVIII, 2 : *Relinque proximo tuo nocenti te : et tunc deprecanti tibi peccata solventur.*

[1] Cf. IV Reg. I, 2 et seq.

19 « *Propterea exaudivit.* » Hic secundum, in quo ostendit sibi a Deo datum præmium qui dederat et meritum. Et primo, quia bona quæ petiit, concessit. Secundo, quia mala quæ nolebat, amovit, ibi, « *Et intendit.* »

Dicit ergo : Sic dedit ut orarem, lætanter, ferventer, et pure : et « *propterea,* » quia sic oravi, « *Deus exaudivit,* » concedendo, et conferendo dona quæ petebam. In Psal. x sec. Hebr. 17 : *Desiderium pauperum exaudivit Dominus.* Isa. XLI, 17 : *Et erit, antequam clament, ego exaudiam.*

« *Et attendit.* » Diligentiam importat, « *voci deprecationis meæ,* » de malis amovendis. Isa. LXIII, 15 : *Attende de cœlo, et vide de excelso cœlorum habitaculo.* Jerem. XVIII, 19 : *Attende Domine ad me, et vide voces adversariorum meorum.* Daniel. IX, 19 : *Exaudi Domine, placare Domine, attende, et fac.* Malach. III, 16 : *Attendit Dominus et audivit.* Nota Glossam : « Ecce vicissitudo. »

20 « *Benedictus Deus.* » Ecce secundum, in quo postquam ad illorum utilitatem bona sibi a Deo facta recoluit, gratiarum actiones pro tanto beneficio reddit. Duo dicuntur. Primo, benedicit Deo. Secundo, reddit rationem duplicem, ibi, « *Qui non amovit.* » Prima, quia perseverantiam contulit in orando. Secunda, quia orationem infructuosam non dereliquit, ibi, « *Et misericordiam.* »

Dicit ergo : Hæc bona mihi fecit, et propter hoc « *benedictus Deus,* » supple, sit, ab omni creatura sua. III Reg. VIII, 56 et 57 : *Benedictus Dominus... non derelinquens nos, nec projiciens.* Et II Paral. VI, 4 : *Benedictus Dominus Deus Israel, qui quod David locutus* est, etc. Luc. I, 68 : *Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit,* etc. Benedictio autem ista est gratiarum actio. Sicut Paulus benedicebat, II ad Corinth. I, 3 : *Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi,* etc. Et tres pueri eruti de igne (Dan. III, 26), benedicebant Dominum una voce : *Benedictus es Domine Deus,* etc.

« *Qui non amovit.* » Ecce prima ratio benedicendi. Quasi diceret : « *Benedictus sit qui,* » id est, quia « *non amovit orationem meam,* » ipsam repellendo. Deus enim aliquando amovet orationem, etsi non orantem, sicut factum est in Paulo petente stimuli amotionem, quem non abjecit Dominus, etsi orantem non repulit [1]. Aliquando amovet et projicit orantem, etsi non orationem, sicut dæmones petentes quod eos mitteret in porcos orationem quidem audivit, sed ipsos repulit. Marc. v, 12 : *Si ejicis nos, mitte nos in porcos.* Aliquando utrumque, et orationem, et orantem, sicut in illis dicit se facturum quibus dicit, Matth. VII, 23 : *Quia numquam novi vos : discedite a me qui operamini iniquitatem* [2]. Deus aliquanda orationem vel orantem vel utrumque abjicit.

Vel, « *non amovit orationem* : » quia tribuit mihi in illa perseverantiam : quia super illud I ad Thessal. v, 17 : *Sine intermissione orate,* Glossa : « Non desinit « orare, qui non desinit bene facere. » Sicut autem Deus non amovet orationem nostram, sic nec nos debemus amovere. Stultus enim valde est, qui instante adhuc bello scutum amovet : sed bellum hominis continuum. Job, VII, 1 : *Militia est vita hominis super terram.* Oratio autem est scutum. Sap. XVIII, 21 : *Homo... proferens servitutis suæ scutum, orationem.* Propter hoc dicit Dominus, Luc. XVIII, 1 : *Oportet semper orare, et numquam deficere.*

« *Et misericordiam suam.* » Ecce ratio secunda, quare et ex hoc sit benedictus, quia sicut non amovit orationem, sic « *non amovit misericordiam suam a me.* » Psal. CII, 17 : *Misericordia autem Domini ab æterno, et usque in æternum,* etc.

[1] Cf. II ad Corinth. XII, 7 et seq.
[2] Cf. etiam Matth. XXV, 41 : *Discedite a me,* etc.

etc. Primum autem amovere orationem respicit ad meritum : hoc autem non amovere misericordiam, ad præmium. Hoc est dare illud quod dedit instanter petere. Matth. VII, 7, et Luc. XI, 9 : *Petite, et dabitur vobis : quærite, et invenietis : pulsate, et aperietur vobis.* Petite gratiam, et dabitur : quærite sapientiam, et invenietis : pulsate ad vitæ januam, et aperietur. Sic petere et pulsare det nobis, qui est benedictus per infinita sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS LXVI.

Orat ut Deus ab omnibus gentibus cognoscatur et laudetur.

1. *In finem, In hymnis, Psalmus cantici David.*
2. Deus misereatur nostri, et benedicat nobis : illuminet vultum suum super nos, et misereatur nostri :
3. Ut cognoscamus in terra viam tuam, in omnibus gentibus salutare tuum.
4. Confiteantur tibi populi, Deus, confiteantur tibi populi omnes.
5. Lætentur et exsultent gentes, quoniam judicas populos in æquitate, et gentes in terra dirigis.
6. Confiteantur tibi populi, Deus, confiteantur tibi populi omnes.
7. Terra dedit fructum suum. Benedicat nos Deus, Deus noster !
8. Benedicat nos Deus, et metuant eum omnes fines terræ.

IN PSALMUM LXVI

COMMENTARIUS.

1 *In finem,*
In hymnis, Psalmus cantici David.

« *Deus misereatur nostri.* » Hic est Psalmus decimus sextus in secunda parte libri, sexagesimus sextus in toto libro. Postquam in Psalmo præcedenti monuit jubilare Deo, ipsum benedicere, et totum se in ipsum projicere propter spem resurrectionis gloriosæ : quia nec ista facere possumus nisi Deus, quantum est ex parte sui, gratiam infundat, præstando misericordiam, dando benedictionem, et nisi nos humiliemus Deo, quantum est ex parte nostri, et ipsum exaltemus, invitat nos in hoc Psalmo ad orationem, ut benedictionem impetremus, ad confessionem ut nos humiliemus, et Deum glo- Psalmus ad orationem et confessionem laudis hortatur.

[1] Psaume sans nom d'auteur, dit M. Lesêtre, composé pour remercier Dieu soit de la récolte annuelle, soit d'une récolte extraordinaire et inespérée. Le sujet est donc analogue à celui du Ps. LXIV, bien qu'il soit traité ici avec plus de simplicité et de brièveté. Le chant commence et finit en implorant la bénédiction divine ; le psalmiste sait, en effet, que l'abondance matérielle n'est pas le plus grand bien à désirer, et que toujours il faut penser à attirer par sa prière la miséricorde du Seigneur, alors même qu'on le remercie de l'avoir accordée précédemment. Les versions attribuent ce chant à David, et Patrizi embrasse ce sentiment. De fait, aucune particularité du texte ne peut être mise en avant pour contredire cette manière de voir ou pour la confirmer. Le psalmiste remercie Dieu de tous ses bienfaits en général,

rificemus, et laudemus : unde laudis divinæ expressivus est Psalmus iste.

Et hoc innuitur in titulo qui talis est : « *In finem, In hymnis, Psalmus cantici David.* » In quo nota in principio quod supra dictum fuit, quare dicatur Psalmus cantici : et expone titulum. « *Psalmus* » hic, qui est « *cantici,* » post canticum votum prolatum musico instrumento, quod est Psalterium : vel « *Psalmus,* » quia monet bene operari : « *cantici,* » quia cum lætitia cordis et exsultatione aliquando etiam vocali, « *in finem* » nos ordinans, in Christum scilicet, vel in Deum, et habendus in « *hymnis* » exhibendis « *David* », id est, Christo : vel certe inter hymnos materialis David computandus.

Dividitur autem Psalmus, sicut jam tactum est, in duas partes. Primo, oratio ad Deum pro beneficiis quibusdam impetrandis necessariis ad hoc ut ad resurrectionis gloriam veniatur. Secundo, admonitio ad confessionem et laudem Dei pro nobis jam habitis, ut prima facilius impetrentur, vel impetrata conserventur ibi, « *Confiteantur.* »

In prima duo. Primo, petit. Secundo, ostendit quo fine petierit, ibi, *Ut cognoscamus.* »

In prima duo. Primo, pro quibusdam bonis petit, ut sibi confiteantur. Secundo, ut collata conserventur, ibi, « *Et misereatur nostri.* »

Tria mala a peccato illata et illorum remedia.

In prima tria secundum bona quæ petit. Anima enim humana per peccatum facta est misera in irascibili, maledicta in concupiscibili, quæ non desiderat nisi malum, cæca in rationabili. Petit ergo contra primum primo misericordiam : contra secundum secundo benedictionem, ibi, « *Et benedicat.* » Contra tertium tertio illuminationem, ibi, « *Illuminet.* »

2 Prima pars Psalmi.

Dicit ergo : Sic monui, ut jubiletis, et benedicatis Dominum : sed quia hoc nullo modo potestis, Isa. xxvi, 12 : *Omnia opera nostra,* etc. Joan. xv, 5 : *Sine me nihil potestis facere,* « *Deus misereatur nostri.* » *Misereatur* : quia captiva tenetur nostra irascibilis ne insurgat contra malum, amovendo per misericordiam, gratiam infundentem. Genes. xliii, 29 : *Deus misereatur tui, fili mi.* Eccli. xxxvi, 1 : *Miserere nostri Deus omnium, et respice nos.*

« *Et benedicat nobis,* » maledictionem contra malum, quod nostra concupiscibilis appetit, amovendo. Num. vi, 24 : *Benedicat tibi Dominus, et custodiat te. Ostendat Dominus faciem suam tibi, et misereatur tui.* « *Illuminet vultum suum,* » non suum in se, sed suum « *super nos,* « nostram scilicet rationem, quæ quasi vultus ejus est, quia imago ejus. Psal. iv, 7 : *Signatum est super nos lumen,* etc. Illustrando et cæcitatem auferendo. Supra in Psal. xvii, 29 : *Deus meus, illumina tenebras meas.* Et alibi, Psal. xii, 4 : *Illumina oculos meos, ne umquam obdormiam in morte.* Vel, « *illuminet vultum suum*, id est, manifestet nobis Filium Deus Pater, qui, inquam, Filius est vultus ejus, et hoc « *super nos,* » id est, nobis. Psal. lxxix, 4, 8, 20 : *Ostende faciem tuam, et salvi erimus.* Et alibi, Psal. xxxv, 10 : *In lumine tuo videbimus lumen.* Eccli. xxxvi, 1 : *Ostende nobis lucem miserationum tuarum.*

« *Et misereatur nostri.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Hæc prædicta det, *et misereatur nostri,* » in his omnibus nos conservet. Gregorius : « Bene cito « perditur, quod a largitore non custodi- « tur. » Ecce iste petit hæc quatuor petenda, egressum quatuor fluviorum de paradiso, quadruplicem scilicet gratiam ex Deo, quarum tres primæ quæ pro-

Quadruplex gratia velut egressus quatuor fluviorum de paradiso.

et spécialement de la récolte ; c'est pourquoi il invite à s'unir à lui tous les peuples, qui aussi bien qu'Israël, ont part aux libéralités de la divine Providence.

Le sens spirituel se rapporte à l'Incarnation et à ses fruits de grâce sur la terre. « Prædicit Dei Verbi incarnationem, et salutarem adventum, omnium que gentium salutem. » Theod.

priam irrigent terram, animæ scilicet potentiam : quarta vero, circueat totum [1]. Eccli. XL, 17 : *Gratia sicut paradisus in benedictionibus, et misericordia in sæculum permanet.*

3 « *Ut cognoscamus.* » Hic secundum primæ partis totius Psalmi, in quo ponit finem suæ petitionis, maxime quantum ad usum illuminationis petitæ. Et est duplex ratio, scilicet ut cognoscatur Christus esse via. Secundo, ut cognoscatur Christus esse medicina, ibi, « *In omnibus Gentibus.* »

Ait enim : Sic Deus misereatur, benedicat, illuminet : et hoc, Deus, fiat, « *ut cognoscamus viam tuam,* » Christum, qui ducit ad te tamquam viam. Joan. XIV, 6 : *Ego sum via, et veritas, et vita.* Sed quid prodest scire viam, si non ambuletur in ea? Isa. XXX, 21 : *Hæc via, ambulate in ea : et non declinetis neque ad dexteram, neque ad sinistram.* Isa. II, 3 : *Docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis ejus.* Et hoc in terra, in vita scilicet ista, quæ tenebris est plena. Sed notandum, quod hujus vitæ triplex est cognitio. Naturalis, etsi cognoscatur in suo appropriato, quod est sapientia. Ad Rom. I, 20 : *Invisibilia ipsius... per ea quæ facta sunt, intellecta, conspiciuntur.* Gratuita, quæ est per fidem. I ad Corinth. XIII, 12 : *Videmus nunc per speculum, in ænigmate.* Jerem. IX, 24 : *In hoc glorietur, qui gloriatur, scire et nosse me.* Et gloriosa, qua cognoscetur in patria. I ad Corinth. XIII, 12 : *Tunc autem cognoscam sicut et cognitus sum.* Sapient. VI, 16 : *Cogitare de illa*, scilicet Dei sapientia, *sensus est consummatus.* Et etiam cognoscamus, non tantum in Judæis : sed « *in omnibus Gentibus salutare tuum.* » Esse salutare in medicinam omnium salutarem. Luc. III, 6 : *Videbit omnis caro salutare Dei.* Et Isa. XLIX, 6 : *Dedi te in lucem Gentium, ut sis salus mea, usque ad extremum terræ.*

« *Confiteantur tibi populi.* » Hic secunda pars Psalmi, in qua subjungitur omnium admonitio ad confessionem et dicuntur duo. Primo, invitat ad confessionem et laudem pro Christi utili regimine. Ad idem pro Ecclesiæ fructificatione, ibi, « *Confiteantur,* » versu quinto. 4 Secunda pars Psalmi

In prima tria. Primo, invitat ad confessionem. Secundo, ad spiritualem lætitiam, ibi, « *Lætentur et exsultent.* » Tertio, assignat utriusque causam, ibi, « *Quoniam judicas.* »

In prima duo. Primo, invitat ad confessionem simpliciter. Secundo, omnes invitat generaliter, ibi, « *Confiteantur.* »

Dicit ergo : Sic peto ut omnes cognoscant Christum : et quia hoc cerno, quod jam impletum, « *confiteantur tibi, o Deus, populi,* » confessione laudis, de qua Luc. XII, 8 : *Quicumque me confessus fuerit coram hominibus.* Et ad Philip. II, 11 : *Omnis lingua confiteatur.* Confessione veritatis, de qua Joan. I, 20 : *Confessus est et non negavit : et confessus est : Quia non sum ego Christus.* Confessione propriæ iniquitatis, de qua Num. V, 7 : *Vir sive mulier quæ fecerit aliquid de his quæ accidere solent hominibus, venient ad sacerdotem, et confitebuntur illi peccata sua.* Expressior actus qui fit in Veteri Testamento de confessione facienda. Jacob. V, 16 : *Confitemini ergo alterutrum peccata vestra.* Et fiant hæ confessiones corde simul, et ore, juxta illud Apostoli ad Rom. X, 10 : *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Nec tantum in una terra, imo confiteantur his confessionibus « *populi omnes.* » Isa. LII, 10 : *Paravit Dominus brachium sanctum suum,* Filium scilicet, *in oculis omnium Gentium : et*

[1] Genes. III, 10 : *Et fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum, qui inde dividitur in quatuor capita,* etc.

videbunt omnes fines terræ salutare Dei nostri.

5 « *Lætentur et exsulteut.* » Hic secundum, in quo monet ad lætitiam primo interiorem, secundo, exteriorem, ibi, « *Et exsultent.* »

Ait enim : Sic confiteantur et lætentur interius, et exsultent exterius Gentes. Bene post confessionem subditur de lætitia. Confessio enim primo humiliat et confundit, dum homo confitetur. Eccli. XLI, 21 et 22 : *Erubescite... a principe et a judice de delicto.* Sed humiliatum et confusum purgat a pessimo, a vetustate. I Machab. IV, 36 : *Ascendamus nunc mundare sancta, et renovare.* Sed confusum et purgatum lætificat multum. Psal. XLVI, 8 : *Exsultaverunt filiæ Judæ propter judicia*, etc. Animæ scilicet confessionis filiæ. Sed etiam lætificatum Deo reconciliat. Isa. LVII, 19 : *Creavi fructum labiorum pacem*, scilicet reconciliationem ad Deum.

Fructus confessionis.

« *Quoniam judicas.* » Hic tertium, in quo subjungitur confessionis et lætitiæ causa duplex. Æquum judicium in futuro, et auxilium in præsenti exhibitum in bonis ut secure veniant ad illud, ibi, « *Et gentes.* »

Ait enim : Sic lætentur gentes et exsultent, et hoc justum est, « *quoniam judicas,* » id est, judicabis, « *populos in æquitate,* » Isa. XI, 4 : *Arguet in æquitate pro mansuetis terræ.* Vere in æquitate sine personarum omni acceptione. Act. X, 34 : *In veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus.* Proverb. VI, 34 et 35 : *Zelus et furor viri non parcet in die vindictæ, nec acquiescet cujusquam precibus, nec suscipiet pro redemptione dona plurima.* Et interim Gentes « *dirigis in terra,* » præbens auxilium ut securi accedant ad te. Et etiam documentum, Joel, II, 23 : *Filii Sion exsultate, et lætamini in Domino Deo vestro : quia dedit vobis doctorem justitiæ.* Et directorem, Isa. XLV, 13 : *Omnes vias ejus dirigam.* Et judicem, Job, IX, 15 : *Meum judicem deprecabor.*

« *Confiteantur tibi.* » Hic secunda pars, in qua invitat ad confessionem pro fructificatione Ecclesiæ quæ secuta est ex prædictis. 6

Tria ergo dicuntur. Primo, iteratio de confessione facienda ad honorem Dei. Secundo, ratio talis confessionis, terræ fructificatio, ibi, « *Terra dedit.* » Tertio, postulatio benedictionis ab illo fructu et per illum : vel dilatatione illius fructus usque ad gentiles omnes, ibi, « *Benedicat nos.* »

In prima duo supra. Primo, simplex invitatio ad confessionem. Secundo, collectio omnium ad hoc ut confiteantur, ibi, « *Confiteantur.* »

Dicit ergo : Sic confiteantur, quia judicas, et dirigis : et etiam « *confiteantur tibi populi, Deus,* » et repetit ut addat, « *Confiteantur tibi populi omnes.* » In hac repetitione notatur, quod confessio frequenter est iteranda. Joan. XI, 7 : *Eamus iterum in Judæam.* Judæa interpretatur *confessio.* Nec mirum cum frequens sit peccati iteratio. Proverb. XXIV, 16 : *Septies cadet justus, et resurget.* Quater autem dicit, « *Confiteantur,* » propter quadruplicem confessionis effectum. Unum ad Deum quem glorificat, Josue, VII, 19 : *Fili mi, da gloriam Domino Deo Israel, et confitere.* Ad confessorem quem obligat ad hoc ut ipsum reducat, quantum in se est, ad Ecclesiæ unitatem, Genes. VIII, 9, Noe redeuntem ad se columbam intromisit in arcam [1]. Ad animam propriam quam purgat, Psal. LXXVI, 7 : *Exercitabar, et scopebam spiritum meum.* Ad diabolum quem necat proprio gladio,

Quater iteratur idem verbum propter quatuor confessionis effectus.

[1] Genes. VIII, 8 et 9 : *Noe emisit columbam :... quæ cum non invenisset ubi requiesceret pes ejus, reversa est ad eum in arcam :... extenditque manum, et apprehensam intulit in arcam.*

quem evaginat, Judith, xiii, 8 et 9 : *Interfecit Holofernem proprio pugione*[1].

7 « *Terra dedit.* » Hic secundum, quo monet ad confessionem. Sed quare ? quia terra nostra, Virgo Maria, de eodem limo terræ de quo et nos, Genes. ii, 7 : *Formavit igitur Dominus hominem de limo terræ.* « *Dedit fructum suum.* » Terra ergo Virgo Maria. Psal. lxxxiv, 2 : *Benedixisti, Domine, terram tuam.* Ad proferendum fructum. Isa. xlv, 8 : *Aperiatur terra, et germinet Salvatorem.* Terra, quia humilis : hæc est enim humillimum elementorum. Luc. i, 48 : *Respexit humilitatem ancillæ suæ.* Stabilis. Eccle. i, 4 : *Generatio præterit*, Apostolorum Christum relinquentium : *et generatio advenit*, Judæorum crucifigentium : *terra autem in æternum stat*, Maria in omnibus perseverat fertilis : hæc enim elementum inter omnia fertilissimum, et intus plenum divitiis, habens mineras auri et argenti. Isa. ii, 7 : *Repleta est terra auro et argento : et non est finis thesaurorum ejus.* Et exterius arboribus et pecoribus. Baruch, iii, 32 : *Qui replevit terram pecudibus et quadrupedibus.* Sed Maria tota fœcunda, et intus et extra. Hæc terra dedit fructum suum : fructum concepit in Annuntiatione, conceptum protulit in Nativitate, prolatum ostendit in apparitione, sed ostensum dedit in Purificatione. De primo et secundo, Luc. i, 31 : *Ecce concipies in utero, et paries filium.* De tertio, ad Tit. iii, 1 : *Apparuit benignitas et humanitas salvatoris nostri Dei.* De quarto, in Psal. lxxxiv, 13 : *Etenim Dominus dabit benignitatem, et terra nostra dabit fructum suum.* Et dicit, « *Dedit,* » non reddidit, quia semen non suscepit.

Virgo terra dicitur.

Quo tempore fructum tulit ?

De alia triplici terra legitur. De terra corporis Christi, de qua Job, ix, 24 : *Terra data est in manus impii.* Hæc dedit fructum prædicationis, bonæ operationis, et tandem passionis. Vel terra, Ecclesia, de qua Isa. lxvi, 8 : *Numquid parturiet terra in die una ? aut parietur gens simul ?* Hæc dedit fructum suum, trigesimum in conjugatis, sexagesimum in continentibus, centesimum in virginibus[2]. Vel terra, liberum arbitrium. Genes. iii, 17 et 18 : *Maledicta terra in opere tuo,... spinas et tribulos germinabit tibi.* Hæc dabit fructum bonarum affectionum, cogitationum, et operum. Genes. xliii, 11 : *Sumite de optimis terræ frugibus, et ferte viro munera.*

« *Benedicat nos.* » Hic tertium. Quasi diceret : Sic confitemini, quia « *terra,* » Maria, « *dedit fructum,* » et in hoc fructu et semine « *benedicat nos,* » etc. 8

Subjungitur ergo postulatio benedictionis a tam glorioso fructu : et dicuntur duo secundum duo quæ petuntur. Primum est gratiæ infusio ad fructificandum. Secundo, ad conservandum fructum quem fecimus, ibi, « *Et metuant.* »

Dicit ergo : Sic « *terra dedit fructum,* » quod ut et nos possimus, « *benedicat nos Deus* » Pater gratiam infundendo, qua bona faciamus, et in terra Ecclesiæ multiplicentur. « *Deus noster,* » Filius scilicet, « *benedicat nos Deus.* » Repete. Benedicat etiam Deus Spiritus sanctus. Benedicit ergo Pater, Eccli. iii, 11 : *Benedictio patris firmat domos filiorum.* Benedicit Filius, Ad Eph. i, 3 : *Benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo*, id est, per Christum benedicentem nos. Luc. xxiv, 50 : *Elevatis manibus ferebatur in cœlum, et benedixit eis.* Benedicit Spiritus sanctus, in quo omnis benedictio fit, Isa. lxv, 16 : *Qui benedictus est super terram* a Deo Patre vel Filio, *benedicetur in Deo*, id est, Spiritu sancto, hoc est, per Spiritum sanctum. *Amen.*

« *Et metuant.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic tota Trinitas nos benedicat,

[1] Cf. etiam orationem Judith, ix, 2 et seq.

[2] Matth. xiii, 8 et Luc. viii, 4 et seq.

« *Et metuant eum.* » Non dicit eos, ut notetur essentiæ unitas. « *Omnes fines terræ :* » continens pro contento, id est, omnes in terræ finibus habitantes. Jerem. v, 24 : *Metuamus Dominum Deum nostrum,* quia Eccli. VIII, 12, dicitur : *Ego cognovi, quod erit bonum timentibus Deum :* quippe timor Domini, charitatem quæ totius boni fons est, initiat. Eccli. xxv, 16 : *Timor Dei initium dilectionis ejus.* Et ipse omnia alia bona conservat. Unde hic etiam post petitam benedictionem ad bonorum multiplicationem, timorem ultimo adhibet ad conservationem. Eccli. xxv, 14 : *Timor Dei super omnia se superponit,* sicut asseres lapidibus sunt tecti ne a vento tollantur.

PSALMUS LXVII.

Cantus triumphalis quo exaltatur summa Dei benignitas et providentia.

1. *In finem, Psalmus Cantici ipsi David.*
2. Exsurgat Deus, et dissipentur inimici ejus : et fugiant qui oderunt eum, a facie ejus.
3. Sicut deficit fumus, deficiant, sicut fluit cera a facie ignis, sic pereant peccatores a facie Dei.
4. Et justi epulentur ; et exsultent in conspectu Dei, et delectentur in lætitia.
5. Cantate Deo, psalmum dicite nomini ejus : iter facite ei qui ascendit super occasum.
Dominus nomen illi : exsultate in conspectu ejus.
Turbabuntur a facie ejus :
6. Patris orphanorum, et judicis viduarum :
Deus in loco sancto suo.
7. Deus qui inhabitare facit unius moris in domo :
Qui educit vinctos in fortitudine, similiter eos qui exasperant, qui habitant in sepulcris.
8. Deus, cum egredereris in conspectu populi tui, cum pertransires in deserto,
9. Terra mota est, etenim cœli distillaverunt a facie Dei Sinai, a facie Dei Israel.
10. Pluviam voluntariam segregabis, Deus, hæreditati tuæ ; et infirmata est, tu vero perfecisti eam.
11. Animalia tua habitabunt in ea : parasti in dulcedine tua pauperi, Deus.
12. Dominus dabit verbum evangelizantibus, virtute multa.
13. Rex virtutum dilecti dilecti : et speciei domus dividere spolia.
14. Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ, et posteriora dorsi ejus in pallore auri.
15. Dum discernit cœlestis reges super eam, nive dealbabuntur in Selmon.
16. Mons Dei, mons pinguis,
Mons coagulatus, mons pinguis :
17. Ut quid suspicamini montes coagulatos ?
Mons in quo beneplacitum est Deo habitare in eo : etenim Dominus habitabit in finem.
18. Currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium : Dominus in eis in Sina in sancto.

19. Ascendisti in altum, cepisti captivitatem, accepisti dona in hominibus [1]:
Etenim non credentes, inhabitare Dominum Deum.
20. Benedictus Dominus die quotidie ! prosperum iter faciet nobis Deus salutarium nostrorum.
21. Deus noster, Deus salvos faciendi : et Domini Domini exitus mortis.
22. Verumtamen Deus confringet capita inimicorum suorum, verticem capilli perambulantium in delictis suis.
23. Dixit Dominus : Ex Basan convertam, convertam in profundum maris :
24. Ut intingatur pes tuus in sanguine, lingua canum tuorum ex inimicis, ab ipso.
25. Viderunt ingressus tuos, Deus, ingressus Dei mei, regis mei, qui est in sancto.
26. Prævenerunt principes conjuncti psallentibus, in medio juvencularum tympanistriarum.
27. In ecclesiis benedicite Deo, Domino de fontibus Israel.
28. Ibi Benjamin adolescentulus, in mentis excessu :
Principes Juda, duces eorum : principes Zabulon, principes Nephthali.
29. Manda, Deus, virtuti tuæ : confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis.
30. A templo tuo in Jerusalem, tibi offerent reges munera.
31. Increpa feras arundinis; congregatio taurorum in vaccis populorum : ut excludant eos, qui probati sunt argento :
Dissipa gentes quæ bella volunt.
32. Venient legati ex Ægypto : Æthiopia præveniet manus ejus Deo.
33. Regna terræ, cantate Deo : psallite Domino : psallite Deo,
34. Qui ascendit super cœlum cœli, ad orientem :
Ecce dabit voci suæ vocem virtutis.
35. Date gloriam Deo super Israel : magnificentia ejus et virtus ejus in nubibus.
36. Mirabilis Deus in sanctis suis : Deus Israel ipse dabit virtutem et fortitudinem plebi suæ. Benedictus Deus !

IN PSALMUM LXVII

COMMENTARIUS.

I *In finem, Psalmus Cantici ipsi David* [2].

« *Exsurgat Deus.* » Hic est Psalmus decimus septimus in parte secunda. Postquam enim monuit jubilare et benedicere Deum in Psalmo decimo quinto pro sperata resurrectione, et ideo supplicare ut hoc ipsum conferat, quod suus populus possit confiteri, et ipsum laudare valeat, in decimo sexto tamquam impetravit, et in hoc decimo septimo lætanter exsultat pro resurrectione, et invitat jucunde Christum ad resurrectionem, et inimicorum confusionem, Evangelii publicationem, et Ecclesiæ dilatationem per

Psalmus canit gloriam Resurrectionis et Ascensioni Christi.

[1] Ad Ephes. IV, 8.

[2] Le psaume LXVII occupe une place à part dans le psautier, tant à cause des beautés qu'il renferme, qu'à raison des difficultés qu'il présente. « C'est, dit Delitzsch, un psaume dans le style de Débora, s'élevant au plus haut faîte du sentiment et de la description poétiques. » Il débute par les paroles qui servaient de signal au départ de l'arche, Num. x, 35, comme le précédent par les paroles de la bénédiction d'Aaron. Les premiers mots révèlent donc déjà le caractère triomphal et solennel du poëme.

omnes Gentes. Et hæc lætitia et exsultatio exprimitur satis in titulo qui talis est : « *In finem, Psalmus Cantici ipsi David.* » Hoc est, hic « *Psalmus David* » dirigens nos « *in finem,* » est « *Cantici,* » id est, lætitiæ et exsultationis, et forte primo vocibus cantabatur, postmodum musico instrumento quod *Psalterium* dicitur.

David en est-il vraiment l'auteur, comme le suppose le titre ? Olshausen, fidèle à son idée fixe, le rapporte au temps des Macchabées ; Ewald, Gésénius, Riehm, au retour de la captivité de Babylone ; Kimchi à la lutte d'Ezéchias contre les Assyriens; Hitzig, à celle de Josaphat et de Joram contre les Edomites et les Moabites. Toutes ces hypothèses ne peuvent tenir en face des quelques observations suivantes. Tout d'abord, le ton triomphal du psaume exclut l'époque de la captivité et les temps postérieurs ; puis l'Egypte et l'Ethiopie, ℣. 32, sont représentées comme type des grands ennemis de Jéhova et de son peuple ; aux temps d'Ezéchias et de la captivité, l'auteur eût fait mention des Assyriens. La désignation distincte des tribus de Juda, de Benjamin, de Zabulon, de Nephtali, nous fait remonter jusqu'à une époque où le schisme n'avait pas brisé l'unité nationale. Enfin le style accuse un âge assez reculé de la poésie hébraïque, et Bœttcher n'hésite pas à ranger d'une manière certaine ce morceau parmi les monuments les plus anciens. On signale, il est vrai, quelques ressemblances avec Isaïe, XL, 3, 9 ; LII, 7 ; LVII, 14; LXII, 10 ; mais si on les juge capables de prouver que le psalmiste s'est inspiré du prophète, elles peuvent démontrer le contraire avec tout autant de certitude.

Patrizi s'appuie sur des remarques un peu subtiles faites à propos du titre, et surtout sur l'objet même du psaume, pour lui chercher un autre auteur que David, cet auteur serait Asaph, et le chant aurait été composé à l'occasion de la translation de l'arche dans le temple de Salomon, par le « maître de chant de David » encore en fonction sous son successeur. Nous allons voir qu'une simple translation de l'arche ne suffit pas à rendre raison de toutes les idées exprimées par le poète.

Les commentateurs les moins aventureux admettent comme certain le renseignement donné par le titre et attribuent le psaume à David. Les uns le font composer à l'occasion de la translation de l'arche à Sion. Mais cette translation, qui fut toute pacifique, ne paraît pas expliquer suffisamment les idées guerrières exprimées dans le texte, ni ce passage à travers le désert, ℣. 5, ni cette ascension de l'arche escortée de captifs, ℣. 19. D'ailleurs la mention qui est faite du temple dominant Jérusalem, ℣. 30, suppose déjà existant le sanctuaire de Sion. Nous savons aussi par l'histoire, I Paral. XVI, 8, qu'en cette circonstance David fit chanter un tout autre psaume que celui-ci. D'autres rapportent ce chant à la fin de la guerre contre les Syriens et les Iduméens, II Reg. VIII, mais sans preuves décisives à l'appui de leur sentiment. Il est beaucoup plus à croire que l'auteur l'écrivit après la défaite des Ammonites et des Assyriens. La guerre avait été terrible et longue, et l'arche avait été emportée au camp, II Reg. XI, 11. C'est pendant les deux ans que durèrent les hostilités que David commit son crime avec Bethsabée, et eut le temps d'en obtenir le pardon et de faire pénitence. L'état d'âme dans lequel devait se trouver le roi à la suite de sa faute, même pardonnée, offre bien ici quelque difficulté : dans ce psaume, tout de triomphe ou de joie, il ne fait aucune allusion à ce qui s'est passé entre lui et le Seigneur. Mais il est en cette circonstance l'interprète officiel d'Israël victorieux de ses ennemis, et tout entier à cette pensée, il laisse de côté toute idée personnelle pour ne rappeler que les témoignages de la puissance et de la bonté de Jéhova envers la nation. Ce fut lui d'ailleurs qui termina la guerre en se portant contre la ville de Rabbath ; il fit le psaume en accompagnant l'arche à son retour à Jérusalem. II Reg. XII, 31. Sic Flaminius, Tholuck, Hengstenberg, Reinke, Moll, Jennings et Delitzsch, ce dernier pourtant attribuant le psaume non au roi lui-même, mais à un poète contemporain. Ajoutons que quelques-uns croient que l'auteur n'a pas eu en vue de circonstance particulière, ce qui est très peu vraisemblable.

Toute cette composition est d'une grande magnificence poétique et a l'allure martiale et solennelle qui convient à une marche triomphale. Le psalmiste veut accompagner de ses chants le retour de l'arche au sanctuaire ; mais emporté par son enthousiasme, il plane de haut au-dessus de la scène qu'il décrit, et il en étend les limites aux horizons les plus lointains. Pour lui, le cortège triomphal ne part pas seulement de Rabbath pour arriver à Sion ; il embrasse toute la suite des siècles, et l'*Exsurgat Deus* est comme la synthèse poétique de l'histoire passée et future d'Israël. Aussi bien, voici Moïse qui donne le signal du départ, et la

Dividi autem potest Psalmus aliter quam Glossa dividat, in tres partes principaliter. Primo, orat pro resurrectione, et quibusdam sequentibus ad illam, invitans ad lætitiam. Secundo, narrat quæ futura sunt post resurrectionem, ibi, « *Deus, cum egredereris,* » vel egredieris. Tertio, prænuntiat Christum venturum, ibi, « *Psallite Deo qui ascendit.* »

In prima duo. Primo, orat pro resurrectione, et consequentibus quibusdam ad illam, invitatque fideles ad laudem resurgentis, ibi, « *Cantate Deo.* »

In prima duo. Primo, orando petit Christi resurrectionem. Secundo, consequentia ad illam in bonis et malis, ibi, « *Et dissipentur.* »

2 Prima pars Psalmi. Dicit ergo : Sic monui jubilare propter spem resurrectionis, post Deum exorare ut daret hujus rei facultatem : nunc ergo rogo, et vos similiter mecum : « *Exsurgat,* » a morte, « *Deus.* » Psal. XLIII, 23 : *Exsurge, quare obdormis, Domine ?* Quod et fecit : unde alibi, in Psal. III, 6 : *Ego dormivi, et soporatus sum : et exsurrexi :* unde postea cœlis apertis Stephanus vidit eum stantem [1]. Stantes, nec mortui sunt, nec dormiunt.

« *Et dissipentur.* » Hic orat contra persequentes. Primo, pro inimicorum dejectione. Secundo, pro bonorum exaltatione, ibi, « *Et justi epulentur.* »

In prima dicuntur tria, secundum tria mala quæ imprecatur. Primo, dispersionem per totum mundum. Secundo, vounltariam separationem et elongationem a Deo, ibi, « *Et fugiant.* » Tertio, omnimodam annihilationem in populo, ut omnino nihil prosint, ibi, « *Sicut deficit fumus.* »

Dicit ergo : Sic rogo, quod exsurgat Deus, et dissipentur inimici per totum mundum, scilicet crucifixores ejus, qui inimici erant secundum regulam Jacob. IV, 4 : *Quicumque ergo voluerit amicus, esse sæculi hujus, inimicus Dei constituitur.* Hi sunt dissipati. Isa. XXIV, 3 : *Dissipatione dissipabitur terra,* Judæa scilicet, et ejus cogitationes, ut nihil simul sit. Job, V, 12 : *Dissipat cogitatio-*

sublime procession se déploie aux pieds du Sinaï, traverse le désert, pénètre dans le pays de Chanaan, passe par-dessus les monts de Basan, par-dessus le Salmon, et, triomphante, traînant les vaincus à sa suite, vient déposer l'arche sur la colline de Sion : puis derrière Israël, voici dans l'avenir les nations idolâtres, l'Egypte, l'Ethiopie, tous les peuples, qui à leur tour viennent se soumettre à Jéhova. Pour donner une expression à cette majestueuse conception, David s'inspire des chants antiques d'Israël, en particulier du cantique de Débora, mais tout en gardant son originalité. Il n'emploie pas moins de treize mots que l'on ne retrouve pas ailleurs ; Dieu est nommé vingt-trois fois,le plus souvent sous le nom d'*Elohim*, quelquefois sous celui d'*Adonaï*, quatre fois seulement sous celui de *Jéhova* ou de *Jah*. Les difficultés proviennent du caractère brusque et heurté du style, des nombreux sous-entendus, qui obscurcissent pour nous le texte, des métaphores d'une hardiesse étonnante, et enfin des allusions dont nous n'avons plus la clef.

Le sens spirituel est formellement suggéré par S. Paul, ad Eph. IV, 8 : l'arche de la nouvelle alliance est le Verbe incarné, montant au ciel et recevant les hommages de l'humanité régénérée. « Est psalmus iste refertus evangelicis sacramentis... Materia est Christus exaltatus et exaltans Ecclesiam. » Pseud. Ruf. « Recipit actu tum futurorum revelationem, simulque docetur et docet humanæ naturæ salutem, hostiumque perniciem, et omnino admirabilem rerum immutationem. » Theod. Aussi l'Eglise applique-t-elle ce psaume aux mystères de l'Ascension et de la Pentecôte, qui sont le couronnement de l'œuvre divine de la Rédemption. On lit dans le bréviaire mozarabique, aux matines de la quatrième férie, une prière citée par Thalhofer, et qui résume bien ce sens spirituel : « Domine, qui ascendisti in altum, captivam ducens captivitatem, nos a captivitate diaboli victoriæ suæ erue triumphis, ut dona tua dum hominibus tribuis, ipsos homines donorum tuorum reddas ex toto participes. »

H. LESÊTRE.

[1] Act. VII, 55 : *Et ait* Stephanus : *Ecce video cœlos apertos, et Filium hominis stantem a dextris Dei.*

nes malignorum, ne possint implere manus eorum quod cœperant.

« *Et fugiant.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Non solum dissipentur, imo et fugiant terrore compulsi, et in desperationem inducente, « *a facie ejus,* » a præsentia sua, non loco, quia hoc non possunt, cum Deus sit ubique. Act. xvii, 27 : *Quærere Deum,... quamvis non longe sit ab unoquoque nostrum.* Sed voluntate et affectu, sicut Cain. Genes. iv, 14 : *Ecce ejicis me hodie a facie terræ.* « *Qui oderunt eum.* » Joan. xv, 24 : *Viderunt et oderunt et me, et Patrem meum. Sed ut impleatur,* etc.

Usus est autem in hoc versu David verbis, quibus Moyses utebatur cum incedere volebat, et movere castra : *Surge, Domine, et dissipentur inimici tui, et fugiant qui oderunt te, a facie tua* [1].

3 « *Sicut deficit fumus.* » Hic tertium, in quo petitur annihilatio eorum in primo : et primo in præsenti, secundo, in futuro, ibi, « *Sicut fluit cera.* »

Dicit ergo : Sic dissipentur, et fugiant, et etiam « *deficiant,* » evanescendo a potestate sua. Dan. ix, 23 et seq. : Cum venerit Sanctus sanctorum, cessabit unctio vestra regia, et sacerdotalis [2]. Et hoc « *sicut fumus* » deficit, qui quanto altius extollitur, tanto plus evanescit : sic maxime evanuerunt Judæi, quando se maxime extulerunt. Psal. xxxvi, 20 : *Deficientes, quemadmodum fumus deficient.* Isa. lxv, 5 : *Isti fumus erunt in furore meo.*

Comparatur superbia fumo.

Et nota, quod superbi comparantur fumo. Primo, quia fumus de corpore nascitur : sic superbus de bono opere superbus efficitur, et elevatur in altum. Eccli. xxii, 30 : *Ante ignem camini vapor, et fumus inaltatur.* Operationes enim quæ sine charitate fiunt, sunt quasi quidam vapores ante ignem, miserum cor elevantes tamquam fumum. Cito a vento dispergitur : sic superbus modici verbi flatu extollitur, et totus evanescit. Isa. ix, 18 : *Convolvetur superbia fumi.* Sap. v, 15 : *Tamquam fumus qui a vento diffusus est.* Nocet oculis : sic superbia excæcat oculum rationis, imo solem. Apocal. ix, 2 : *Aperuit puteum abyssi : et ascendit fumus putei,* scilicet e corde superbi, *sicut fumus fornacis magnæ : et obscuratus est sol et aer de fumo putei.* Mali etiam odoris est. Sapient. xi, 19 : *Vaporem ignium spirantes, aut fumi odorem proferentes,* id est, fœtorem. Signum est incendii, id est, magnæ combustionis in corde. Apoc. xviii, 9 : *Cum viderit fumum incendii ejus.* Fuliginem, quæ nigra et amara est, inducit : sic superbia. Osee, xiii, 3 : *Idcirco erunt sicut fumus de fumario.*

« *Sicut fluit.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic nunc deficiant, et in futuro, « *peccatores pereant a facie Dei,* » a præsentia scilicet Dei, « *sicut cera fluit a facie ignis.* » Judith, xvi, 18 : *Petræ,* scilicet dura corda et obdurata in malitia, *sicut cera liquescent ante faciem tuam.* Michæ. i, 4 : *Valles scindentur sicut cera a facie ignis* : tunc enim magni cerei ardebunt, et ab igne culpæ trahentur ad ignem pœnæ. Gregorius : « Qui ardent « mente, ardebunt et carne : ab æstu « namque avaritiæ, transibunt ad ignem « gehennæ. » Vel in bono potest legi. Quasi diceret : Sic mali « *deficiant* » ut fumus, boni vero « *pereant,* » non in quantum sunt, sed in quantum sunt peccatores, ut jam non sint amplius. Proverb. xii, 7 : *Verte impios, et non erunt.* « *A facie Dei,* » spiritus scilicet in terris effusi. « *Sicut cera a facie ignis.* » Spiritus enim sanctus ignis est. Luc. xii, 49 : *Ignem veni mittere,* etc. Act. ii, 3 : In igneis linguis super Apostolos descendit [3].

[1] Num. x, 35.

[2] Dan. ix, 27, Christus *confirmabit pactum multis hebdomada una : et in dimidio hebdomadis deficiet hostia et sacrificium,* etc.

[3] Act. ii, 3 : *Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tamquam ignis, seditque supra singulos eorum*

4 « *Et justi epulentur.* » Hic secundum, in quo orat pro justorum exaltatione : et dicuntur tria secundum tria quæ petit eis. Primo, resurrectionem. Secundo, lætitiam, ibi, « *Et exsultent.* » Tertio, delectationis puritatem, ibi, « *Et delectentur.* »

Ait enim : Sic fiat malis postquam surrexeris. « *Et justi epulentur,* » contemplatione Dei, quæ reficit hic et in futuro, sed minus nunc, plus incomparabiliter tunc. Nunc reficit suos Deus, Eccli. xv, 3 : *Cibavit illum pane vitæ et intellectus.* In futuro, Luc. xxii, 29 : *Et ego dispono vobis sicut disposuit mihi,* etc. De utraque epulatione, Isa. xxv, 6 : *Et faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc convivium pinguium.* Mons, Ecclesia et militans, et triumphans. « *Et exsultent :* » non comedent panem suum in luctu, sicut Tob. ii, 5 : *Cumque occultasset corpus, manducavit panem cum luctu et tremore,* etc. : et Isa. lxv, 13 et 14 : *Ecce servi mei comedent, et vos esurietis : ecce servi mei bibent, et vos sitietis : ecce servi mei lætabuntur, et vos confundemini : ecce servi mei laudabunt præ exsultatione cordis, et vos clamabitis pro dolore cordis, et præ contritione spiritus ululabitis.*

« *Et delectentur.* » Hic tertium. Quasi diceret : Sic epulentur, et lætentur, « *et delectentur,* » non jam in timore aliquo admixto delectationi, vel in perturbatione aliqua, sed « *in lætitia.* » Tob. vii, 17 : *Epulati sunt benedicentes Deum.* Hoc convivium quod fecit Joseph fratribus suis in meridie, et inebriati sunt, Genes. xliii, 34. Fercula quæ dat hic in contemplatione, nemo scit, nisi qui accipit. In futuro autem dabit multa. Primum, vita sine morte. Isa. xxv, 8 : *Præcipitabit mortem in sempiternum :* mensuram in illa præcipitatione. Secundum, sanitas sine infirmitate, aliter parum valeret vita. Psal. cii, 3 : *Qui sanat omnes infirmitates tuas.* Tertium, plenitudo sine defectione. Psal. cii, 5 : *Qui replet in bonis desiderium tuum.* Apoc. vii, 16 : *Non esurient, neque sitient amplius.* Quartum, saturitas sine fastidio. Eccli. xxiv, 29 : *Qui edunt me, adhuc esurient : et qui bibunt me, adhuc sitient,* etc. Quintum, pax sine perturbatione. Psal. cxlvii, 14 : *Qui posuit fines tuos pacem.* Isa. xlviii, 18 : *Utinam attendisses mandata mea, facta fuisset sicut flumen pax tua.* Sextum, scientia sine ignorantia. I ad Corinth. xii, 12 : *Nunc cognosco ex parte : tunc autem cognoscam sicut et cognitus sum* : modo autem aliter. Eccli. xxiv, 6 : *Et sicut nebula texi omnem carnem.* Septimum, gaudium sine tristitia. Apocal. xxi, 4 : *Et mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra.* Psal. xxxv, 9 : *Torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Modo comeditur agnus cum lactucis agrestibus, sed tunc non.

Bona futuræ gloriæ.

« *Cantate Deo.* » Hic secundum primæ partis totius Psalmi. Postquam enim oravit ut resurgat, et bona consequentia impleat, hic secundo invitat fideles ad fidem resurgentis : et dicuntur duo. Primo, invitat ad laudandum resurgentem. Secundo, ad laudandum beneficia exhibentem, ibi, « *Exsultate in conspectu.* » 5

In prima duo. Primo, invitat ad laudem. Secundo, subjungit causam quare benedicendus, ibi, « *Qui ascendit super occasum.* »

In prima tria. Primo, invitat, ad laudem mentis. Secundo, oris, ibi, « *Psalmum.* » Tertio, operis, ibi, « *Iter facite.* »

Dicit ergo : Sic rogavi, modo conversus ad vos o fideles dico : « *Cantate Deo,* » mente vivendo Deo. Ad Galat. ii, 20 : *Vivo autem, jam non ego,* etc. Bene Deo canit, qui bonum diligit, quod est mente vivere Deo. Isa. xii, 5 : *Cantate Domino, quoniam magnifice fecit.* Si quæris quomodo cantus est ? audi Eccli. xl, 20 : *Vinum et musica lætificat cor : et super utraque dilectio sapientiæ.* Nec

tantum mente, imo « *Psalmum dicite,* » id est operamini : ipsa enim bona opera, sicut frequenter dictum est, sunt verba. Sed hoc, « *nomini ejus,* » id est, ad ejus laudem ordinata, ut nomen ejus dilatetur, et glorificetur. Matth. v, 16 : *Sic luceat lux vestra coram hominibus : ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est.*

« *Iter facite.* » Ecce tertium. Quasi diceret : Sic cantate, et Psalmum dicite, et ulterius « *iter facite ei :* » non solum vos præparando ut Deus ad vos veniat, sed aliorum corda per prædicationem habilitando, sicut Joannes Baptista. Luc. I, 76 : *Præibis ante faciem Domini parare vias ejus.* Isa. XL, 3 : *Parate viam Domini, rectas facite in solitudine semitas Dei nostri.* Et LXII, 10 : *Transite, transite per portas, præparate viam populo, planum facite iter, eligite lapides.*

« *Qui ascendit.* » Hic assignat causam duplicem. Prima, mortis destructio. Secunda, universalis et singularis dominatio, ibi, « *Dominus nomen illi.*»

Ait ergo : Sic cantate, Psalmum dicite, prædicate Deo, « *qui,* » id est, quia ille « *ascendit super occasum,* » id est, super mortem ipsam destruendo, et in gloriam convertendo. Osee, XIII, 14 : *Ero mors tua, o mors.* I Petr. III, 22 : *Qui est in dextera Dei, degluttiens mortem ut vitæ hæredes efficeremur.* I ad Corinth. XV, 54 : *Absorpta est mors in victoria.* « *Dominus,* » simpliciter, « *nomen illi,* » vere et appropriate. Isa. XLII, 8 : *Ego Dominus, hoc est nomen meum.* Ad Philip. II, 9 : *Donavit illi nomen, quod est super omne nomen.*

« *Exsultate in conspectu.* » Hic secundum hujus partis, in quo invitat ad laudandum beneficia exhibentem. Et primo, invitatio. Secundo, ratio invitationis, ibi, « *Turbabuntur.* »

Ait ergo : Sic « *cantate,* etc.» Quæ dixi in honorem resurgentis, facite, et etiam « *exsultate,* » non in vanitate, sed « *in conspectu ejus.* » I Petr. I, 6 : *Exsultabitis, modicum nunc si oportet contristari.* In conspectu autem Dei exsultare, est intus in conscientia gaudere, ubi solus Deus videt. Eccli. XXX, 16 : *Non est oblectamentum super cordis gaudium.*

« *Turbabuntur a facie.* » Hic ratio exsultationis. Prima, inimicorum certitudo. Secunda, bonorum exhibitio, ibi, « *Patris orphanorum.* »

Dicit ergo : Sic exsultate ne timeatis, quia qui vos turbant nunc, « *turbabuntur a facie ejus,* » a præsentia scilicet ejus. Sapient. V, 2 : *Videntes turbabuntur timore horribili.* Mich. VII, 17 : *Velut reptilia terræ perturbabuntur in ædibus suis.* Ezech. XXVI, 18 : *Turbabuntur insulæ in mari.*

« *Patris orphanorum.* » Hic secundum, beneficiorum exhibitio. Primo, miseris corporaliter. Secundo, miseris spiritualiter, ibi, « *Qui educit.* » Vel melius : Primo, quæ bona conferat bonis. Secundo, quæ impiis, etc. 6

In prima dicuntur quatuor, secundum quatuor beneficia quæ facit bonis. Primum, provisio in necessariis sicut pater. Secundum, conservatio ab adversariis et protectio tamquam judex, ibi, « *Et judicis.* » Tertium, præsentiæ exhibitio, ibi, « *Deus in loco.* » Quartum, collectio ipsorum in uno vivendi modo, ibi, « *Deus qui inhabitare.* »

Quatuor beneficia bonis confert Deus.

Dicit ergo sic : Dico, quod mali turbabuntur a facie ejus. Cujus *ejus ?* « *Patris,* » provisoris, et nutritoris, « *orphanorum* : » bonorum scilicet, quibus mortuus est pater, mundus scilicet, et mater, concupiscentia mala, de quibus Ezech. XVI, 3 : *Pater tuus Amorrhæus,* mundus : *et mater tua Cethæa,* concupiscentia. Et Deus adoptat eos in filios statim. Jerem. XLIX, 11 : *Relinque pupillos tuos : ego faciam eos vivere.* Joan. XIV, 18 : *Non vos relinquam orphanos : veniam ad vos.* Psal. X secund. Hebr. 14 : *Orphano tu eris adjutor.* Et alibi, Psal. XXVI, 10 : *Pater meus, et mater mea dereliquе-*

runt me: Dominus autem assumpsit me.

Et nota : Si Deus assumit et adoptat in filios quos carnales patres deserunt, quid faciet de illis qui propter ipsum deserunt et patrem et matrem, et totum mundum, et ipsam propriam voluntatem ?

« *Et judicis viduarum,* » eas ab oppressionibus defendendo : et est secundum beneficium. Isa. I, 17 : *Judicate pupillo, defendite viduam.* Viduam autem dicit animam quæ ab hæreticis aliquando desponsaverat sibi errorem in virum, sicut e contrario boni desponsant sapientiam in uxorem. Sapient. VIII, 2 : *Quæsivi sponsam mihi eam assumere, et amator,* etc. Joan. XIV, 18, dixit Dominus Samaritanæ : *Quinque viros habuisti,* quinque sensus tuos quibus obediebas: *et nunc quem habes,* error scilicet, quem tibi desponsasti, *non est tuus vir :* et si de facto, non de jure : imo adulter est. Tales ergo defendit Christus, quibus moritur mundus, quibus moritur sensus proprius. Proverb. XXIII, 10 et 11 : *Non attingas parvulorum terminos : et agrum pupillorum non introeas : propinquus enim illorum fortis est, et ipse judicabit contra te causam illorum.*

« *Deus in loco sancto.* » Hic tertium beneficium. Quasi diceret : Sic providet et defendit : et hoc potest, quia « *Deus* est *in loco sancto suo,* » in orphanis scilicet et viduis, quos locum suum facit et sanctum. I ad Cor. III, 17 : *Templum Dei sanctum est, quod estis vos.* Et illud inhabitat, etsi non videatur multis. Gen. XXVIII, 16 : *Vere Dominus est in loco isto, et ego nesciebam.* Tales enim sunt vera Jerusalem, vera Sion. Zach. VIII, 3 : *Habitabo in medio Jerusalem* ego Dominus, habitans in Sion, in monte sancto meo.

« *Deus qui inhabitare.* » Hic quartum beneficium tangitur. Quasi diceret : Sic habitat, et etiam ipse est, qui « *facit inhabitare in domo,* » in Ecclesia, vel ad litteram in claustro, « *unius moris homines,* » orphanos scilicet prædictos, et viduas : quod aperte fit, quando illi quibus mundus mortuus est, et sensus proprius, uniformiter vivunt et concorditer. Act. IV, 32 : *Multitudinis autem credentium erat cor unum, et anima una.* Et in V, 42 : *Omni autem die non cessabant, in templo.* Ad Philip. II, 2 : Estote *eamdem charitatem habentes, unanimes, idipsum sentientes,* et circa domos docentes, et evangelizantes Christum Jesum. III Reg. X, 1 et seq., Regina Saba mitabatur unitatem ministrantium Salomoni [1].

« *Qui educit vinctos.* » Hic beneficia quæ exhibet malis, quia extrahit eos de malitiis suis, et peccatis : et dicuntur duo. Primo, liberatio consuetudine ligatorum. Secundo, quod majus est, præ superbia blasphemantium, ibi, « *Similiter eos.* » Tertio, obstinatorum omnino, quod est maximum, ibi, « *Qui habitant in sepulcris.* »

Beneficia malis collata. exsolvit illos Deus vinculis pœnæ consuetudinis.

Ait ergo: Propter hæc exsultate, quæ præmisi, et etiam quia ipse est « *qui educit,* » de statu peccati ad gloriosam pœnitentiam, « *vinctos,* » prava peccandi consuetudine, quæ vincit. Prov. V, 22 : *Funibus peccatorum suorum quisque constringitur.* Isa. V, 18: *Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis,* et ita fortiter aliquando sicut catena, Unde Augustinus eam catenæ comparat in libro *Confessionum.* Isa. LVIII, 9 : *Si abstuleris de medio tui catenam.* Et hoc « *in fortitudine tua,* » Samsonita. Fortitudo enim Samsonis, de qua Judic. XVI, 9, 12 et 14, quod omnia vincula disrumpebat, illam figurabat. I Reg. II, 2 : *Non est fortis sicut Deus noster* : maxime, quando tam fortiter visus es catenas rumpere, quod sanguinem abundantissime effudisti. Zachar. IX, 11 : *Tu quoque in san-*

[1] III Reg. X, 8 : *Beati viri tui, et beati servi tui, qui stant coram te semper,* etc.

guine testamenti tui emisisti vinctos de lacu, et alligasti inimicum. Marc. III, 27 : *Nemo potest vasa fortis ingressus diripere, nisi prius fortem alliget.* Apocal. XX, 2 : *Apprehendit draconem, serpentem antiquum, qui est diabolus et satanas, et ligavit eum.*

« *Similiter eos.* » Hic est secundum. Quasi diceret : Sic educis vinctos perversa peccandi consuetudine, similiter educens de peccatis eos « *qui exasperant,* » blasphemando. Deut. XXXII, 16 : *Provocaverunt eum in diis alienis*, diis quos ignorabant. Ezech. II, 5 : *Domus exasperans est*, et Deum quem provocat sua infidelitate, et bonos quos persequitur. Eos etiam educit, « *qui habitant,* » tamquam omnino mortui, et in peccatis obstinati, et « *in sepulcris* » fœtidis, carnalibus desideriis. Proverb. XII, 12 : *Desiderium impii munimentum est pessimorum.* Matth. VIII, 28, Dæmoniaci habitant in sepulcris [1]. Ezech. XXXII, 22 : *Ibi Assur*, in medio incircumcisorum, motuum scilicet carnalium, *in circuitu illius sepulcra ejus.* Quasi diceret : In ipsis est, quasi in sepulcris quibusdam.

Et est notandum, quod carnalia desideria, et fœtida dicuntur hic sepulcra mortuorum in peccatis ; in illis enim quiescunt, et e converso ipsi homines sunt sepulcra, desideria mortua in se continentia. Matth. XXIII, 27 : *Væ vobis scribæ et Pharisæi hypocritæ : quia similes estis sepulcris dealbatis, quæ a foris parent hominibus speciosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum, et omni spurcitia.*

8 Secunda pars Psalmi : Enumerat quatuor beneficia Ecclesiæ post resurrectionem collata, doctrinam, missionem

« *Deus, cum egredereris.* » Hic est secunda pars Psalmi, in qua postquam præcessit oratio pro resurrectione, et invitatio aliorum ad laudandum et benedicendum, sequitur narratio beneficiorum Ecclesiæ collatorum post resurrectionem : et dividitur in quatuor partes. Primo ergo agit de beneficio instructionis per mundum diffusæ. Secundo, de beneficio missionis donorum Spiritus sancti sive infusionis, ibi, « *Dum discernit.* » Tertio, operationis miraculorum quæ sequebatur ex donis, et doctrinam confirmabat, ibi, « *Deus noster, Deus salvos.* » Quarto, dilatationis, quod secutum est ex tribus, ibi, « *In Ecclesiis benedicite Deum.* »

Spiritus sancti, miracula, Ecclesiæ dilatationem.

In prima, de benedictione prædicationis primo. Secundo, de ministris prædicationis agitur, ibi, « *Dominus dabit verbum.* »

Item, prædicationis beneficium non est ubi deest gratia : unde duo dicuntur. Primo, de prædicationis beneficio agitur. Secundo, de beneficio infusionis gratiæ, ibi, « *Pluviam voluntariam.* »

In prima tria. Primo, ostenditur in quo facta est prædicatio. Secundo, affectus sequens ex prædicatione illa, ibi, « *Terra mota est.* » Tertio, modus prædicationis tamquam causa illius effectus, ibi, « *Etenim cœli.* »

In prima duo. Primo, signatur tempus a Christi manifestatione per opera. Secundo, a transmigratione Apostolorum ad gentes, ibi, « *Cum pertransieris.* »

Dicit ergo : Sic petii resurrectione nos moveri ad lætitiam : nec mirum : quia, o « *Deus cum egredereris,* » manifestando te per opera, et resurrectionem mirabilem.

« *In conspectu populi tui,* » homini, qui populus tuus est. Psal. XCIV, 7 : *Et nos populus pascuæ ejus, et oves manus ejus.* Prius enim quasi clausus erat et absconditus. Isa. XLV, 15 : *Vere tu es Deus absconditus.* Et LIII, 3 : *Quasi absconditus vultus ejus.* Sed egressus est per opera mirabilia maxime, quando resurrexit. Isa. XLII, 13 : *Dominus sicut fortis egredietur.* Præter hunc autem egressum est alius triplex. Æternitatis, Michæ. V, 2 : *Egressus ejus ab initio,*

[1] Matth. VIII, 28 : *Occurrerunt ei duo habentes dæmonia, de monumentis exeuntes.*

Nota tres Christi egressus, a Patre, a Virgine, et egressus ad salutem gentium per prædicationem.

a diebus æternitatis. Temporalis nativitatis, Matth. II, 6 : *Ex te enim exiet dux.* Osee, VI, 3 : *Quasi diluculum præparatus est egressus ejus.* Sicut diluculum ab aurora, sic Christus ex Maria. Humanæ subventionis, Habac. III, 13 : *Egressus es in salutem populi tui.* « *Cum pertransires,* » transmigrando de Judæis « *in deserto,* » vel melius « *in desertum,* » scilicet ad Gentiles qui videbantur deserti a Deo. Hoc desertum est de quo supra, in Psal. LXII, 3 : *In terra deserta, et invia,* etc. Isa, XLIII, 19 : *Ponam in deserto viam, et in invio flumina.*

9 « *Terra mota est.* » Ecce effectus prædicationis. Quasi diceret : « *Tunc,* » quando scilicet egressus, quando transieris ad Gentes, « *terra mota est.* » Supra, in Psal. LIX, 4 : *Commovisti terram,* etc. Exod. XV, 15 : *Tunc conturbati sunt principes Edom, robustos Moab,* etc. Psal. LIII, 9 : *Conturbati sunt omnes qui videbant eos.*

« *Etenim cœli.* » Hic tertium, scilicet modus prædicationis. Duo ergo tanguntur. Moderata prædicatio, et origo illius moderaminis in prædicatione, ibi, « *A facie Dei Sinai.* »

Dicit ergo : Sic nota est : « *etenim,* » quia, « *cœli distillaverunt,* » Apostoli modeste prædicaverunt, quod est stillare : qui dicuntur cœli. Supra, in Psal. XVIII, 2 : *Cœli enarrant,* etc. Job, XXIX, 22 : *Super illos stillabat eloquium meum.* Hæc sunt stillicidia de quibus Psal. LXXI, 6 : *Sicut stillicidia stillantia super terram.* Hæc sunt stillicidia dulcedinis, de quibus Amos, IX, 13 : *Ecce dies veniunt... et stillabunt montes dulcedinem.* Cantic. IV, 11 : *Favus distillans labia tua.* Sed quomodo dicuntur stillare Apostoli, cum abundantissime effunderent doctrinam ? Eccle. XI, 3 : *Si repletæ fuerint nubes, imbrem super terram effundent.* Responsio. Stillicidium quidquid ab eis de Deo dicitur, respectu ejus quod dicendum esset. Job, XXVI, 14 : *Cum vix parvam stillam sermonis ejus audierimus, quis poterit tonitruum magnitudinis illius intueri ?*

Causæ conversionis.

Et nota, qnod satis mirum est, quod stillicidium assiduum, prædicationis scilicet et lectionis : et mulier litigiosa, scilicet remordens conscientia : et fumus, inferni intuitus et consideratio, non ejiciunt multos de domo sua, scilicet de conversatione perversa. Proverb. XXVII, 15, secundum aliam literam : Tria sunt quæ hominem de domo ejiciunt : fumus, stillicidium, et litigiosa mulier [1].

« *A facie Dei Israel.* » Hæc est ratio etiam quasi causa prima stillicidli ipse Deus, quem describit a legis datione, et a populi Israelitici regimine, ibi, « *A facie Dei.* »

Ait enim : Sic stillaverunt cœli, non hoc a se habentes, sed « *a facie,* » benignitate scilicet « *Dei Sinai,* » qui dedit legem in Sinai [2]. « *A facie Dei Israel,* » rectoris scilicet populi Israelitici. Infra, ℣. 36 : « *Deus Israel ipse dabit virtutem et fortitudinem plebi suæ.* » Job, XXVIII, 28 : *Quis est pluviæ pater, et quis genuit stillas roris ?* Ille constat, qui dixit, Matth. X, 20 : *Non vos estis qui loquimini, sed spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* Aliæ litteræ ponuntur in Glossa, et etiam leguntur.

10 Secundum beneficium post doctrinam, gratiæ infusio.

« *Pluviam voluntariam.* » Postquam egit de beneficio prædicationis, hic agit consequenter de beneficio infusionis gratiæ cum doctrina : aliter enim non valeret. Gregorius : « Frustra laborat exte- « rius lingua prædicatoris. si non opere- « tur interius gratia conditoris. » Et tanguntur tria. Primo, infusio abundans. Secundo, effectus sequens ex illa infusione, ibi, « *Et infirmata est.* » Tertio,

[1] Prov. XXVII, 15 : *Tecta perstillantia in die frigoris, et litigiosa mulier comparantur.* Cf. etiam Prov. XIX, 13.

[2] Cf. Exod. XX, 1 et seq.

ratio infusionis illius, scilicet dulcedo, ibi, « *Parasti in dulcedine tua.* »

Dicit ergo : Sic stillabunt cœli, et etiam o Deus, « *segregabis,* » vel « segregasti, » tamquam aliquid pretiosum « *pluviam voluntariam* , » gratiam abundantem, Ezech. XXXIV, 26 : *Pluviæ benedictionis erunt.* Hæc pluvia vere de cœlo descendit. Act. XIV, 16 : *Benefaciens de cœlo, dans pluvias.* Hæ sunt aquæ de cisterna Bethlehem, de Virgine Maria. Luc. I, 28 : *Ave gratia plena.* II Reg. XXIII, 15, David desideravit aquas de cisterna Bethlehem [1]. « *Pluviam,* » inquam, « *voluntariam,* » tua voluntate emissam. Jac. I, 18 : *Voluntarie enim genuit nos verbo veritatis.* Vel, « *pluviam voluntariam,* » quia uniuscujusque præparat voluntatem, et ei sapit sicut vult : optime signata in illa pluvia, in qua pluebat Dominus manna filiis Israel in deserto [2]. Sap. XVI, 21 : *Deserviens uniuscujusque voluntati, ad quod quisque volebat, convertebatur.* Et hoc, « *hæreditati tuæ,* » scilicet gentilitati de qua in Psal. II, 8 : *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam.*

Effectus gratiæ, infirmitatis agnitio.

« *Et infirmata est.* » Hic tangitur effectus gratiæ hujus. Primo, recognitio infirmitatis. Secundo, consummatio in bono, ibi, « *Tu vero.* » Tertio, omnimoda subjectio ipsi Deo, ibi, « *Animalia tua.* »

Dicit ergo : Sic pluviam segregabis, et ipsa infusa hæreditati tuæ, ipsa hæreditas « *infirmata est* » sui reputatione, sese infirmam cognoscens : quo enim plus abundat gratia, eo plus se nihil, et infirmam animam recognoscit. Luc. XVII, 10 : *Cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite : Servi inutiles sumus.* « *Tu vero* » merito hujus, « *perfecisti eam,* » in bono, II ad Corinth. XII, 9 : *Virtus in infirmitate,* supple, cognita, *perficitur.* Psal. XV, 4 : *Multiplicatæ sunt infirmitates eorum,* cognitione sua : *postea acceleraverunt,* ad perfectionem, Proverb. XXIX, 23 : *Humilem spiritu suscipiet gloria,* perfectio scilicet gloriosa. Et Psal. XXX, 20 : *Perfecisti eis, qui sperant in te.* Et alias, Psal. LXXIX, 16 : *Perfice eam, quam plantavit dextera tua.*

« *Animalia tua.* » Hic tertium, quare 11
sic humiliabitur, et perficietur ? « *Et animalia tua,* » subjecti scilicet tibi ut animalia, « *habitabunt in ea,* » hæreditate quæ tua est. Hæc est enim hæreditas tua sic completa, sic infirmata, sic perfecta. Quasi diceret : Hæc fient tibi subjectis, sicut subjiciuntur mitia animalia. Isti greges de quibus Exod. X, 26 : *Cuncti greges pergent nobiscum.* Talia animalia, de quibus Isa. I, 3 : *Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe domini sui.* Et ille qui dicit alibi, in Psal. LXXII, 23 : *Ut jumentum factus sum apud te.* Joel, II, 22 : *Nolite timere animalia regionis.* Sed hæc omnia unde ? Numquid ex meritis illorum qui sic perficiuntur ? Non : imo, o Deus, hæc bona parasti, æternaliter prædestinando, « *pauperi,* » supple, populo tuo, non in meritis suis, sed « *in dulcedine tua,* » in dulci tua bonitate.

Nota enim, quod bonus homo parat, secundum illud Psal. CVII, 2, et LVI, 8 : *Paratum cor meum.* Paratum ad observantiam mandatorum , ad perfectionem consiliorum. Et Deus parat ei cibum. Psal. LXIV, 10 : *Parasti cibum illorum, quoniam ita est,* etc. Sapient. XVI, 20 : *Panem de cœlo præstitisti illis.* Et parat eis locum in vita æterna. Joan. XIV, 2 : *Vado parare vobis locum.* Et parat ineffabile præmium. Isa. LXIV, 4 : *Oculus non vidit, Deus absque te, quæ præparasti exspectantibus te.*

Nota etiam, quod Deus parat pauperi-

[1] II Reg. XXIII, 15 : *Desideravit ergo David, et ait : O si quis mihi daret potum aquæ, de cisterna quæ est in Bethleem juxta portam.*

[2] Cf. Exod. XVI, 31.

bus in dulcedine, non culpæ, de qua Proverb. v, 3 : *Favus distillans labia meretricis.* Sed gratiæ, de qua Eccli. xxiv, 27 : *Spiritus meus super mel dulcis.* Et gloriæ, de qua hic, et Psal. xxiv, 8 : *Dulcis et rectus Dominus.*

Item, pauperi parat in dulcedine, quia ad litteram dulciores sunt reliquiæ pauperibus, quam divitibus ipse cibus. Quare : Quia Dominus optimum saporem facit illis reliquiis tamquam bonus coquus, scilicet famem.

12 De prædicatoribus.

« *Dominus dabit verbum.* » Hic secundum. Postquam elegit de beneficio prædicationis fructuosæ, agit primo de ministris, ostendens eorum conditionem primo. Secundo, quemdam fructum consequentem ex eis, ibi, « *Et posteriora dorsi.* »

In prima duo. Primo, collatio bonorum ministris a Deo. Secundo, apponitur ex parte ipsorum conditio, ibi, « *Si dormiatis.* »

In prima adhuc tria sunt bona a Deo exhibita sibi, doctrina, potentia faciendi miracula, ibi, « *Virtute multa,* » et auctoritas ordinandi Ecclesiæ membra, ibi, « *Et speciei domus.* »

Dicit ergo : Sic beneficium doctrinæ gratiosæ per mundum effundetur, quia « *Dominus dabit,* » non vendet. Matth. x, 8 : *Gratis accipistis, gratis date.*

Eorum virtus in prædicando.

Proverb. xxiii, 23 : *Noli vendere sapientiam.* « *Verbum* » utile et bonum, non frivolum. Psal. cvi, 20 : *Misit verbum suum, et sanavit eos.* Sanativum ergo et verissimum. Luc. xxi, 15 : *Dabo vobis os, et sapientiam, cui non poterunt resistere, et contradicere adversarii vestri.* Propter hoc dicebat Esther, xiv, 13 : *Tribue sermonem compositum in ore meo.* Sap. vii, 16 : *In manu illius,* scilicet Dei, *et nos, et sermones nostri.* « *Evangelizantibus,* » non aliis. Psal. lxxx, 11 : *Dilata os tuum,* evangelizando : *et implebo illud,* sapientiam infundendo, et « *verbum.* » Prov. xi, 25 : *Qui inebriat, ipse quoque inebriabitur.* Et hoc « *virtute multa* » constantiæ adjuncta. Act. iv, 29 : *Da servis tuis cum omni fiducia loqui verbum tuum.* Jerem, i, 18 : *Dedi te hodie in civitatem munitam, et in columnam ferream.* Vel, « *virtute multa* » faciendi miracula adjuncta, et est secundum beneficium. Marc. xvi, 20 : *Illi autem profecti prædicaverunt ubique Domino cooperante, et sermonem confirmante, sequentibus signis.*

Nota ergo hic, quod quidam evangelizant in potestate faciendi miracula, sicut Petrus, in cujus umbra sanabantur infirmi, Act. v, 15. Alii in fortitudine et constantia, ut Paulus, qui dicebat ad Roman. viii, 38 : *Certus sum quod neque mors, neque vita,* etc. Alii in sapientia, sicut Stephanus, Act. vii, 10 : *Non poterant resistere sapientiæ, et Spiritui, qui loquebatur.* Alii in infirmitate, sicut mercenarius, qui videt lupum venientem, et fugit, Joan. x, 12. Alii in cupiditate, de quibus in Psal. xiii, 4 : *Qui devorant plebem meam sicut escam panis.* Ezech. xiii, 9 : *Violabant me ad populum meum propter pugillum hordei, et fragmen panis.*

« *Rex virtutum dilecti.* » Hic conferentis hæc bona descriptio interseritur. 13 Hæc virtus est a Christo.

Quasi diceret : Dominus dabit verbum. Quis Dominus ille ? qui est « *rex virtutum.* » « *Virtutum,* » inquam, « *dilecti,* » Christi scilicet : Deus enim Pater est rex virtutum angelicarum, et virtutum animis infusarum. Psal. xxiii, 10 : *Dominus virtutum, ipse est rex gloriæ.* Quæ virtutes sunt etiam Christi « *dilecti* » a Deo Patre. Matth. iii, 17 : *Hic est Filius meus dilectus,* etc. Et « *dilecti* » ab Angelis. I Petr. i, 12 : *In quem desiderant Angeli prospicere.* Imo « *dilecti* » ab omni creatura. Deus quidem diligit quidquid diligere potest. « *Dilecti* » in humanitate, *quia speciosus forma*

præ filiis hominum [1]. « *Dilecti* » in Dei virtute, quia *candor est lucis æternæ, et speculum fine macula* [2]. Ad Hebr. I, 3 : *Splendor gloriæ, et figura substantiæ* Patris.

[A]uctoritas Apostolo[r]um in ordinanda Ecclesia.

« *Et speciei domus.* » Hic tangitur tertium beneficium. Quasi diceret : Sic dabit verbum, dabit virtutem, dabit et auctoritatem, quia dabit, repete, « *dividere,* » distinguere, et ordinare, « *spolia speciei domus,* » id est, domus speciosæ, scilicet Ecclesiæ militantis : non quia ab Ecclesia sunt abstracta illa spolia, sed quia prædicatores a diaboli regno tulerunt illa. Unde de Paulo dicitur illud Genes. XLIX, 27 : *Benjamin lupus rapax, mane capiet prædam, et vespere dividet spolia.* Isa. IX, 3 : *Lætabuntur coram te, sicut qui lætantur in messe : sicut exsultant victores capta præda, quando dividunt spolia.*

[A]lia expositio.

Aliter etiam potest exponi, ut « *dilecti* » secundo positum, ad sequens referatur. Quasi diceret : Prædicta faciet « *rex virtutum dilecti,* » et etiam « *dilecti dividere spolia,* » id est, ad dividendum spolia : ad hoc enim Deus Pater dilexit Filium, ut spoliatorem diaboli eum faceret. Isa. VIII, 3 : *Voca nomen ejus, Accelera spolia detrahere : festina prædari.* Luc. XI, 21 : *Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea, quæ possidet. Si autem fortior illo,* etc.

14 Conditio prædicantium.

« *Si dormiatis.* » Hic tangitur ex parte ipsorum conditio. Notandum enim, quod columba est Ecclesia, pennæ hujus columbæ ipsam ad alta sublevantes, sunt Doctores sacri, maxime primitivi, qui erant etiam eloquentia quasi deargentati.

[D]uo κλῆρος, seu duo Testamenta, vel hæreditas temporalis et æterna, inter quæ dormiendum prædicatori.

Notandum ergo, quod Græco vocabulo, κλῆρος idem est quod *sors,* portio videlicet, quæ accidit ex divisione alicujus hæreditatis maximæ. Cum autem per duo Testamenta habeantur æterna bona, quæ nostra sunt hæreditas : duo Testamenta *cleros* appellat, secundum duas hæreditates, æternam scilicet et temporalem.

Sensus ergo est : Sic fiet ut prædixi, si vos qui estis pennæ columbæ deargentatæ, id est, eloquentes Doctores Ecclesiæ, « *dormiatis* » contemplando, « *inter medios cleros,* » inter duo scilicet Testamenta, et inter duas hæreditates, illam respuendo, illam vero eligendo, et ardenter quærendo. Et debuisset dixisse : *Inter cleros,* sed more Græcorum sic locutus, qui cum debent dicere, inter me et te, dicunt inter medium nostrum. Pennæ ergo dicuntur Apostoli illi, de quibus Malach. IV, 2 : *Et orietur vobis timentibus nomen meum Sol justitiæ,* Christus scilicet : et sanitas in pennis ejus, id est, in Apostolis. Hæ pennæ de quibus supra, in Psal. LIV, 7 : *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo, et requiescam?* Et deargentatæ, argento scilicet eloquii. Psal. XI, 7 : *Eloquia Domini eloquia casta, argentum,* etc. Propter hoc dicitur, Num. X, 2 : *Fac tibi duas tubas argenteas.*

Ecclesia dicitur *columba.*

Et pennæ ipsius columbæ Ecclesiæ quæ *columba* dicitur, primo quia felle caret. Ad Ephes. IV, 31 : *Omnis amaritudo, et ira, et indignatio, et clamor, et blasphemia tollatur a vobis.* Ad Hebr. XII, 15 : *Ne qua radix amaritudinis sursum germinans impediat.* Cadavere non vescitur : in quo notatur abstinentia. II Petr. I, 6 : *Ministrare... in scientia abstinentiam.* Proverb. XXI, 17 : *Qui diligit epulas, in egestate erit.* Non lædit ore. Ad Ephes. IV, 28 : *Qui furabatur jam, non furetur.* Alienos pullos nutrit. Matth. V, 44 : *Diligite inimicos vestros,* etc. quia, I ad Corinth. XIII, 5 : *Charitas non quærit quæ sua sunt.* Gemitum habet pro cantu : Et Ecclesiæ vox est, Psal. CXIX, 5 : *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est!* Et alibi,

[1] Psal. XLIV, 3.

[2] Sapient. VII, 26.

Psal. VI, 7 : *Laboravi in gemitu meo.* Isa. LIX, 11 : *Et quasi columbæ meditantes gememus.* Super aquas ut videat accipitrem et fugiat, sicut Ecclesia super aquas Scripturarum. Cantic. V, 12 : *Oculi ejus sicut columbæ super rivulos aquarum, quæ lacte sunt lotæ, et resident juxta fluenta plenissima.* Gregatim volat : et de Ecclesia dicitur, Cant. VI, 9 : *Terribilis ut castrorum acies ordinata.* Act. IV, 32 : *Credentium erat cor unum, et anima una.*

« *Et posteriora.* » Hic secundum hujus partis, in quo ostendit fructum consequentem quemdam si fuerint ministri, quales sunt descripti. Et legitur dupliciter, quia dorsum potest hic significare charitatem, vel extremorum in Ecclesia collectionem.

Fructus prædicationis, charitas dorso deaurato significata.

Ait enim : Hæc fient quæ præmisi, si sic inter duo Testamenta dormieritis. « *Et posteriora dorsi ejus,* » id est, Ecclesiæ, scilicet charitas : in dorso enim posterius onera portantur, unde per dorsum charitas designatur, de qua I ad Corinth. XIII, 7 : *Charitas omnia sustinet.* Et in dorso sic figuntur virtutes, scilicet alæ spirituales in charitate, ut sine ipsa nihil sint, I ad Corinth, XIII, 2 : *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum.*

Erunt « *in pallore auri,* » id est, charitas Ecclesiæ erit sicut aurum fulvum, quod est valde pretiosum, III Reg. X, 18 : *Fecit etiam rex Salomon thronum de ebore grandem, et vestivit eum auro fulvo nimis.* Vel in nitore auri, charitate et sapientia : viror enim est claritas divinæ sapientiæ: Sap. VI, 13 : *Clara est, et quæ numquam marcescit sapientia.* Alio modo sic : « *Et posteriora dorsi ejus,* » Ecclesiæ scilicet : illi qui erunt in temporibus extremis, erunt lucentes in charitate et fervidi. Ipsi enim erunt *quasi vas auri solidum* [1]. Ipsi erunt de quibus dictum est in Psal. XLIV, 10 : *Adstitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato.*

« *Dum discernit.* » Hic secundum secundæ partis, in quo agitur de beneficiis post prædicationem exhibitis : et dicuntur duo. Primo, enarratio bonorum. Secundo, gratiarum actio pro exhibitis, et exspectatio consummationis illorum, ibi, « *Benedictus Dominus.* » 15

Alii ex prædicatione fructus.

In prima duo. Primo, enarratio beneficiorum. Secundo, probatio quod necesse erat conferre illa bona, vel collatorum magnitudo, ibi, « *Currus Dei decem millibus.*

In prima duo. Primo, beneficii collatio. Secundo, collatoris commendatio multiplex, ibi, « *Mons Dei, mons pinguis.*

In prima tria tanguntur. A quo collatum, et quando. Secundo, quid collatum et quibus, ibi, «*Reges super eam.* » Tertio, per quid, ibi, « *In Selmon.* »

Munditia regum et rectorum Ecclesiæ.

Dicit ergo : Sic de beneficio Ecclesiasticæ prædicationis, et etiam « *Reges super eam,* » id est, prædicatores sancti, et Doctores, qui regunt Ecclesiam, et ob hoc reges dicuntur, Eccli. XXXII, 1 : *Rectorem te posuerunt.* Act. XX, 28 : *Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei,* etc.

« *Dealbabuntur,* » id est, albiores efficientur nive, mundati penitus a peccatis. Supra, in Psal. L, 9 : *Et super nivem dealbabor.* Isa. I, 18 : *Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur.* Dan. XII, 10 : *Eligentur, et dealbabuntur, et quasi ignis probabuntur.* Apoc. VII, 14 : *Laverunt stolas suas, et dealbaverunt eas in sanguine Agni.* Et hoc « *In Selmon,* » id est, in umbra : sic enim interpretatur Selmon, scilicet infrigerante eos gratia ab ardore vitiorum.

[1] Eccli. L, 10 : *Simon Oniæ filius .. quasi vas auri solidum.*

Sub hac umbra refrigerari quærebat, quæ dicebat, Cant. II, 3 : *Sub umbra illius, quem desideraveram, sedi.* Projicitur autem umbra hæc a Christo monte, in quem plenitudo lucis divinæ descendit. Unde signanter dictum est Mariæ perquirenti quomodo Filium Dei sustineret concipere, Luc. I, 35 : *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Projicitur etiam umbra hæc a Maria : ipsa enim est tabernaculum. Eccli. XXIV, 12 : *Qui creavit me, requievit in tabernaculo meo.* Et Isa. IV, 6, dicitur : *Et tabernaculum erit in umbraculum diei ab æstu.* Eccli. XXXIV, 19 : *Tegimen ardoris, et umbraculum meridiani.*

Et hoc « *dum cœlestis,* » id est, Christus, qui vere cœlestis : ascendit enim super omnes cœlos, ut adimpleret omnia. Judic. IX, 34 : *Surrexit itaque Abimelech cum omni exercitu suo.* « *Discernit* » bonos a malis, gratiam illis conferendo, hos in peccatis dimittendo : et bonos ab invicem, his majora bona, his minora et pauciora conferendo. I ad Cor. IV, 7 : *Quis enim te discernit?* supple a malis. Nonne cœlestis? *Quid habes quod non accepisti?* Quasi diceret : Nihil. Et XII, 4 : *Divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus.* Matth. XXV, 15 : *Et uni dedit quinque talenta, alii autem duo, alii vero unum, unicuique secundum propriam virtutem.*

16 « *Mons Dei.* » Hic secundum, scilicet datoris commendatio. Commendatur autem multipliciter. Primo, a vitæ altitudine. Secundo, a bonorum operum abundantia et fertilitate, ibi, « *Mons pinguis.* » Tertio, a doctinæ generalitate, ibi, « *Mons coagulatus.* » Quarto, ab excellentia in bonitate super alios, ibi, « *Ut quid suspicamini.* » Quinto, a privilegii singularitate, ibi, « *Mons in quo.* »

Auctor horum beneficiorum commendatur.

Dicit ergo : Hæc bona sunt a cœlesti discernente : qui cœlestis, scilicet Christus, est « *mons Dei,* vitæ altitudine. Isa. II, 2 : *Erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium.* Daniel. II, 35, Lapis de monte præsicus sine manibus excrevit in montem magnum [1]. Et est mons pinguis bonorum fertilitate, unde alia littera habet : « Mons uberi. » Genes. XLIX, 20 : *Aser,* id est, beatus, Christus scilicet, *pinguis panis ejus.*

Dicitur mons Christus.

« *Mons coagulatus.* » Hic tertium, in quo commendatur a doctrinæ generalitate. Et primo, a doctrina parvulorum. Secundo, majorum, ibi, « *Mons pinguis.* »

Laus ejus doctrinæ.

Ait enim : Et ipse « *mons coagulatus,* » id est, fluens, quasi lacte coagulato, quod cibus est parvulorum. I ad Corinth. III, 1 : *Tamquam parvulis in Christo, lac vobis potum dedi, non escam.* Ad Hebr. V, 12 : *Facti estis quibus lacte opus sit, non solido cibo.* Hinc dicitur de Apostolis, qui doctrina simplici parvulos imbuebant : « Et sicut lac coagulati sunt [2]. » Christus etiam in se mons coagulatus, quia carnem coagulatam ex sanguine purissimo Virginis habuit. Sap. VII, 2 : *Decem mensium tempore coagulatus sum in sanguine.* Job, X, 10 : *Nonne sicut lac mulsisti me, et sicut caseum me coagulasti?* Et sic factus caseus, cibus scilicet fatuorum. I ad Cor. III, 18 : *Si quis videtur inter vos sapiens in hoc sæculo, stultus fiat ut sit sapiens* : ut de hoc caseo digne comedere possit.

« *Mons pinguis,* » quantum ad majores, in quos influit pinguedinem devotionis abundantem, et cibum solidiorem. Ad Hebr. V, 14 : *Perfectorum est solidus*

[1] Daniel. II, 35 : *Lapis, qui percusserat statuam, factus est mons magnus, et implevit universam terram.*

[2] Officium Apostolorum pro tempore paschali, ℟. VIII.

cibus. Judic. IX, 9 : *Numquid possum deserere pinguedinem meam?*

17 « *Ut quid suspicamini?* » Ecce quartum, in quo commendat ab excellentia in bonitate. Ait enim : Sic est mons coagulatus et excellenter, quia « *ut quid suspicamini montes coagulatos?* alios in comparatione ad ipsum. Quasi diceret : Male suspicamini. Joan. III, 31 : *Qui de cœlo venit, super omnes est.* Si enim alii montes coagulati sunt, iste tamen super omnes est. Mich. IV, 1 : *Erit mons domus Domini præparatus in vertice montium.*

Alii prædicatores sunt montes.

Nota enim, quod ideo montes dicuntur, quia super alios elevati. Thren. III, 28 : *Levavit super se.* Ad Philip. III, 20 : *Nostra conversatio in cœlis est.* Quia aquas, res scilicet temporales non retinent. I ad Timoth. VI, 8 : *Habentes alimenta, et quibus tegamur, his contenti sumus.* Susceptam undique effundunt, et distribuunt. Tob. IV, 9 : *Si multum tibi fuerit, abundanter tribue : si parum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude.* Quia lumen susceptum in se prius in inferiora spargit. Psal. LXXV, 5 : *Illuminans tu mirabiliter a montibus æternis.*

Privilegia Christi.

« *Mons in quo beneplacitum.* » Hic est quintum, in quo commendatur a privilegii singularitate : et dicuntur duo. Primo, privilegii singularitas. Secundo, singularitatis æternitas, ibi, « *Etenim Dominus.* »

In illo habitat divinitas corporaliter.

Dicit enim : Non suspicemini montem comparatione ad istum : ipse enim est mons, « *in quo Deo beneplacitum est habitare in eo.* » *In quo* superfluit, sicut frequenter in Hebræo contingit. Vel sic : « *Mons in quo beneplacitum est Deo,* » in eo scilicet habitare, « *in Deo,* » id est, ut inhabitet in eo per unionem. Joan. I, 14 : *Verbum caro factum est.* Ad Coloss. II, 9 : *In ipso habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter,* non sicut in illis de quibus I ad Corinth. X, 5 : *Non in pluribus eorum beneplacitum est Deo.* Imo, nec sicut istis, de quibus in Psal. CXLVI, 11 : *Beneplacitum est Domino super timentes eum :* sed plus in infinitum. Numquid inhabitabit ad tempus? Non.

Etenim, quia « *Dominus,* » ipsa divinitas, « *habitabit* » in hoc monte, in Christo, « *usque in finem,* » hoc est finaliter. Et sic semper. Hinc dixit Augustinus : « Qui dixerit Dei Verbum assumptum deseruisse hominem, anathema sit. » Hæc est enim conjunctio, et unio conjugalis. Matth. XIX, 6 : *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* Psal. XVIII, 6 : *Et ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo,* etc.

« *Currus Dei.* » Hic secundum beneficium tangitur, scilicet promotio illorum qui dealbati fuerunt in bonum : et dicuntur duo. Primo, beneficiorum enumeratio. Secundo, ratio exhibendi illa : quia filius accipit a patre, ibi, « *Accepisti dona.* » 18

Dona prædicatoribus collata.

In prima duo. Primo, beneficium respectu viventium. Secundo, respectu mortuorum, ibi, « *Ascendisti in altum.* »

In prima tria secundum tria beneficia quæ tanguntur. Primum, prædicationis gratia. Secundum spiritualis lætitia, ibi, « *Millia lætantiam.* » Tertium, Dei præsentia, ex qua causantur duo prima, ibi, « *Dominus in eis.* »

Dicit ergo : Sic dealbabuntur a morte tali, et ipsi etiam sicut « *currus Dei,* » etc. Vel ad immediatum : Deus habitat montem istum et per ipsum alios, unde fiunt « *currus Dei,* » id est, currus portans Deum. « *Currus,* » inquam, « *multiplex decem millibus,* » innumeris. In solo enim Deo numerati sunt, quia ejus fuerunt, et sunt, et futuri sunt portitores. Job, XXV, 3 : *Numquid est numerus militum ejus? Et super quem non fulget lumen illius?* Dan. VII, 10 : *Millia millium ministrabant ei, et decies millies,* etc. Quod autem justi currus sint, IV Reg. II, 12 : *Pater mi, currus Israel, et auriga ejus,* dixit Eliseus ad Eliam.

Sunt currus Deum portantes.

« *Millia lætantium.* » Ecce secundum, et construe : Currus est multiplex infinitis millibus, quia « *millia sunt lætantium,* » spirituali scilicet lætitia in Deum exsultantium. Ad Rom. XII, 12 : *Spe gaudentes.* Joel, II, 23 : *Filii Sion exsultate, et lætamini in Domino Deo vestro.* Ad Philip. IV, 4 : *Gaudete in Domino semper.*

« *Dominus in eis.* » Hic tertium, causa scilicet utriusque præmissorum. Quasi diceret : Bene dixi, quod in eis prædicationis gratia et lætitia, quippe Dominus in eis est. Sed quomodo ? « *In sancto,* » dato « *in Sina,* » vel in Sinai, scilicet in mandato quod bonum est, et sanctum, et justum. Ad Roman. VII, 12 : *Mandatum justum, et sanctum, et bonum.* Hoc autem non adimpletur nisi Deus sit in ipso adjutor. Ad Philip. II, 13 : *Operatur in vobis et velle, et perficere pro bona voluntate.* Infundit enim charitatem, quæ eum præsentem habet : et sic potest mandatum compleri. Aliter non. Ad Rom. XIII, 10 : *Plenitudo legis est dilectio.* Vel, Dominus est in eis, et specificat ubi est in eis, « *in Sina,* » sed per Angelum. Ad Galat. III, 19 : *Lex ordinata est per Angelos in manu mediatoris.* « *In sancto,* » in homine assumpto, Christo scilicet. Luc. I, 35 : *Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur,* etc. Dan. IX, 24 : *Sanctus sanctorum.*

19 « *Ascendisti in altum.* » Hic beneficium in mortuis factum, scilicet extractio ipsorum de limbo : et tanguntur duo. Terminus a quo traxit primo. Secundo, ad quid, ibi, « *Cepisti captivitatem.* »

Dona patribus defunctis collata : e limbo liberantur.

Ait enim : Sic prædestinationis gratiam et lætitiam per tui præsentiam præstitisti, « *ascendisti in altum,* » in cœlum. Hic ascensus fuit figuratus, III Reg. XVIII, 44 : *Ecce nubecula parva quasi vestigium hominis ascendebat de mari.* Prædictus, Michæ. II, 13 : *Ascendet pandens iter ante eos.* Nec tantum in cœlum, imo super omne cœlum materiale. Ad Eph. IV, 10 : *Ascendit super omnes cœlos, ut impleret omnia.* Psal. XVIII, 7 : *Et occursus ejus usque ad summum ejus.* Nec mirum si ascendisti, quia deposuisti pondus superbiæ per veram humilitatem. Matth. XI, 29 : *Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde.* Ad Ephes, IV, 10 : *Qui descendit,* per humilitatem, *ipse est qui ascendit.* Imo pondus omnis culpæ, de quo ad Hebr. XII, 1 : *Deponentes omne pondus, et circumstans nos peccatum* : et hoc per veram innocentiam. I Pet. II, 22 : *Qui peccatum non fecit,* etc [1]. Et pondus fortunæ, cum quo nemo potest ascendere. Super illud Matth. XIX, 27 : *Ecce nos reliquimus omnia,* Bernardus : « Recte, Petre, et non ad insipientiam, illum, qui exsultavit ut gigas ad currendam viam, imo qui volavit, volavit super pennas ventorum, sequi non poteras oneratus, sed hoc deposuisti per veram paupertatem. » Luc. IX, 58 : *Vulpes foveas habent, et volucres cœli nidos : Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.* Et corpus naturale corruptibile, quod valde aggravat. Sapient. IX, 15 : *Corpus quod corrumpitur, aggravat animam,* etc. Sed hoc deposuisti per gloriosam resurrectionem. I ad Cor. XV, 53 : *Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem : et mortale hoc induere immortalitatem.*

Ascensio Christi.

« *Cepisti,* » de lumbo inferni ad ducendum illuc, « *captivitatem,* » homines justos qui ibi tenebantur. Zachar. IX, 9 : *Tu quoque in sanguine Testamenti emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua.* Vel de viventibus potest legi : « *Cepisti captivitatem,* » peccatores in peccati servitute, tamquam in quodam detentos carcere. Joan. VIII, 34 : *Qui facit peccatum, servus est peccati.* Prov. V, 22 : *Funibus peccatorum suorum* quisque

[1] Cf. Isa. LIII, 9.

constringitur. Cepisti eos in reti prædicationis. Thren. I, 13 : *Expandit rete pedibus meis, convertit me retrorsum.*

« *Accepisti dona.* » Ecce secundum, in quo enumeratis beneficiis, tangitur potestas conferendi illa, quia hæc accepit a Patre.

Ait enim : Si hæc bona contulisti, et hoc quia « *accepisti dona* » a Deo Patre. « *Dona,* » inquam, « *in hominibus* » exhibita. Vel sic : « *Accepisti dona,* » a Deo Patre, « *in hominibus,* » postmodum reformanda, et ipsis hominibus retribuenda. Primo, in Apostolis, Act. II, 4 : *Repleti sunt omnes Spiritu sancto.* Postea per illos in aliis, Psal. LXXI, 3 : *Suscipiant montes pacem populo.* Et rursus : Psal. LXXV, 5 : *Illuminans tu mirabiliter a montibus æternis.*

« *Etenim non credentes.* » Hic secundum totius primæ partis illius, in qua agitur de beneficiis exhibitis post resurrectionem. Quasi diceret : Hæc bona fecisti, et hoc necesse erat. « *Etenim,* » quia « *non credentes,* » supple, erant homines, « *Dominum Deum inhabitare,* » per unionem hominem Christum : sed eis est prædicatum postea. II ad Cor. V, 19 : *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi.* Et ad Coloss. II, 9 : *In ipso habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter.* Vel, « *Deum,* » id est, Patrem, « *inhabitare Dominum,* » per essentiæ unitatem : cum tamen dicat, Joan. X, 30 : *Ego et Pater unum sumus.* Et XIV, 11 : *Non creditis quia ego in Patre, et Pater in me est?*

20 Gratiarum actio pro beneficiis memoratis.

« *Benedictus Dominus die.* » Hic secundum, in quo præmissa beneficiorum enumeratione, subjungitur exclamatio Prophetæ in gratiarum actionem cum assertione de beneficiis consummandis : et secundum hoc dicuntur duo. Primo, gratiarum continua actio. Secundo, certa consummatorum bonorum exspectatio, ibi, « *Prosperum iter.* »

In prima duo. Primo, gratiarum actio, Secundo, duratio vel continuatio, ibi, « *Die quotidie.* »

Dicit ergo : Hæc bona fecit Deus, et propter hoc, « *Deus sit benedictus.* » Daniel. III, 26 : *Benedictus es Domine Deus patrum nostrorum.* I Esdræ, VII, 27 : *Benedictus Dominus Deus patrum suorum,* et hoc « *die* » succedente « *quotidie :* » unde alia littera habet, « De die in diem. » Supra, in Psal. XXXIII, 2 : *Benedicam Dominum in omni tempore : semper laus ejus in ore meo.* Eccli. LI, 8 : *Laudabit usque ad mortem anima mea Dominum.*

« *Prosperum iter.* » Hic secundum, certa exspectatio consummationis bonorum futurorum. Ait enim : Sic sit benedictus : et hoc justum : « *quoniam Deus salutarium nostrum.* » In Psal. LXXXVII, 2 : *Domine Deus salutis meæ.* Et dator, « *faciet iter prosperum* » veniendi ad illa salutaria. Sed quomodo dicitur hoc? Nonne dicitur, Matth. VII, 14 : *Arcta via est, quæ ducit ad vitam?* Quomodo ergo prospera? Respondeo : Arcta est sine dubio in se, sed ipsam arctitudinem sanctis reddit dulcem, et sic prosperam, secundum quod exponitur illud Isa. LV, 11 : *Prosperabitur in his, ad quæ misi illud,* scilicet Verbum meum, quamvis multa dura passum sit. Si quis enim bene confidat, eo ipso quod antecessit, prosperum iter fecit, ipse columna nubis et ignis, quæ filios Israel deducebat prospere per desertum [1]. Tob. V, 21 : *Bene ambuletis, et sit Deus in itinere vestro, et Angelus ejus comitetur vobiscum.* Qui hanc non sequitur, non prosperabitur. Eccle. X, 15 : *Labor stultorum affliget eos, qui nesciunt in urbem pergere.*

« *Deus noster, Deus salvos.* » Hic tertium secundæ partis totius hujus Psal- **21**

[1] Cf. Exod. XIII, 21.

mi, in quo post narrata beneficia prædicationis et infusionis donorum Spiritus sancti, sequitur beneficium mirabilis operationis maxime in conversione peccatorum quasi desperatorum, et humiliatione adversariorum : et secundum hoc dicuntur duo. Primo, adversariorum humiliatio et dejectio. Secundo, extremorum in peccatis conversio, ibi, « *Dixit Dominus : Ex Basan.* »

In prima duo. Primo, descriptio adversarios confringentis. Secundo, summa confractio ipsorum, ibi, « *Verumtamen Deus confringet.* »

In prima duo. Primo, describit eum in virtute salvandi omnes generaliter qui salvantur. Secundo, ab humilitate qua voluit sicut alii subjici morti, ibi, « *Et Domini Domini.* » Vel a virtute seipsum suscitandi potenter secundum aliam lecturam.

Ait ergo : Hæc quæ præmisi bona, faciet. « *Et Deus,* » non quorumcumque, illorum scilicet qui colunt idola : imo « *noster.* » Psal. xcv, 5 : *Omnes dii Gentium, dæmonia : Deus autem noster in cœlo,* supple, est.

Potestas vitæ et mortis in Christo.

« *Deus salvos faciendi,* » hoc est, salvandi omnes quicumque salvantur generaliter. Act. iv, 12 : *Nec aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.* Joan. xii, 47 : *Non veni ut judicem mundum, sed ut salvificem mundum.* Et iii, 17 : *Non enim misit Deus Filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum.* Et quamvis tantæ virtutis sit, tamen « *Domini Domini* : » Domini Judæorum, Domini Gentium : vel Domini corporum, Domini animarum : vel Domini præcipientis quæ facienda sunt, Domini prohibentis quæ sunt cavenda : est « *exitus,* » de hac vita, « *mortis,* » supple, exitus. Mori enim voluit, Isa. liii, 12 : *Tradidit in mortem animam suam.* Ad Philip. ii, 8 : *Factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Hic exitus de quo alibi, in Psal. cxx, 8 : *Dominus custodiat introitum tuum, et exitum tuum.* Et bene dicit eum hic esse *Dominum,* quia etiam cum exiret de mundo per mortem, ipse tamen erat dominus mortis, quod nullus alius umquam potuit. Eccle. viii, 8 : *Non est in hominis potestate prohibere spiritum,* scilicet ne exeat : *nec habet potestatem in die mortis.* Sed Christus dicit, Joan. x, 18 : *Potestatem habeo ponendi animam meam : et potestatem habeo iterum sumendi eam... nemo tollit eam a me.* Vel sic : Ita potest omnes salvare generaliter, et « *domini* » vitæ, et « *domini* » mortis. Sap. xvi, 13 : *Tu es enim, Domine, qui vitæ et mortis habes potestatem.* Est « *exitus mortis,* » id est, exitus a morte, id est, resurrectio : quasi suum sua virtute a morte exire. Osee, xiii, 14 : *Ero mors tua, o mors.* Vel sic posset exponi : « *Mortis domini domini exitus,* » id est, Ecclesiæ reditus, qui vulgariter *exitus* appellatur, videat qui expendit quantum expendit.

« *Verumtamen Deus confringet.* » Hic secundum, inimicorum destructio : et tanguntur duo. Primo, destructio. Secundo, consummatio in destructione, ibi, « *Verticem capilli.* » 22

Destructio inimicorum Christi.

Ait enim : Sic Deus quamvis Dominus morietur, « *verumtamen Deus,* » quantumcumque impotens videatur, « *confringet capita inimicorum suorum,* » naturalia ad litteram. In Psal. cix, 6 : *Conquassabit capita in terra multorum.* Psal. ii, 9 : *Tamquam vas figuli confringes eos.* Isa. xxx, 14 : *Comminuetur sicut conteritur lagena figuli contritione pervalida : et non invenietur de fragmentis ejus testa,* etc. Vel capita dicit majores interinimi cos, quos confringet humiliando, vel tandem æternaliter cruciando. Amos, vi, 1 : *Væ qui opulenti estis in Sion, optimates capita populorum.* Eccli. xxiv, 11 : *Et omnium excellentium et humilium corda virtute calcavi.*

« *Et confriuget verticem perambulantium in delictis suis,* » non illa relinquen-

tium. « *Verticem,* » inquam, « *capilli,* » vanitatis. Capillus enim quid inutile est, et vanum. Vel, « *verticem capilli,* » quia usque ad capillum totam penitus confringet. Vel melius in *vertice* notatur superbia. In *capillo* qui nascitur ex superfluo, temporalis abundantia. Superbiam ergo de temporali abundantia ortam, quæ est vertex capilli, Dominus humiliabit, et dejecit eos qui perseverant in malis, quod est perambulare in delictis. Prov. I, 16 : *Pedes illorum ad malum currunt.* Isa. II, 11 : *Oculi sublimes hominis humiliati sunt, et incurvabitur altitudo virorum.*

23 « *Dixit Dominus : Ex Basan.* » Hic secundum beneficium, extremorum in peccatis plena conversio et universalis : unde dicuntur duo. Primo, consummatio conversionis. Secundo, multitudo et differentia conditionum in conversis, et quidam ordo, ibi, « *Prævenerunt principes.* »

In prima duo. Primo, consummata conversio. Secundo, motivum ad conversionem, et ratio quare, ibi, « *Viderunt ingressus.* »

Et in prima duo. Primo, conversio. Secundo, consummatio in conversione, ibi, « *Ut intingatur.* »

In prima duo. Primo, conversio simpliciter omnium. Secundo, magis immersorum in peccatis, ibi, « *Convertam.* »

Conversio peccatorum.

Dicit ergo : Sic de inimicis, sed quantum ad alios, « *dixit Dominus,* » id est, ab æterno ordinavit. Vel, « *dixit,* » id est, ordinatum ab æterno me cognoscere fecit, intus illam veritatem exprimens cordi meo. Psal. LXXXIV, 9 : *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus.* « *Convertam,* » ad me, « *ex Basan,* » id est, ex confusione, peccatores scilicet in peccati confusione existentes. De qua Eccli. IV, 25 : *Est confusio adducens peccatum.* Michæ. IV, 10 : *Venies usque ad Babylonem : ibi liberaberis, ibi redimet te Dominus de manu inimicorum tuorum.* Nec quoscumque convertam, sed « *convertam in profundum maris* » existentes, et demersos in inundatione amaritudinis et peccati, sicut factum est in Matthæo [1], in Maria [2], in Paulo [3], in latrone et homicida [4]. Ad Rom. V, 20 : *Ubi abundavit delictum, superabundavit gratia.*

Et nota, quod congrue dicit, « *ex Basan* » : Basan enim interpretatur *bruchus*, qui totum consumit, et designat invidiam. Vel *pinguedo*, et designat inflatam superbiam. Hæc duo ad Paulum, qui invidebat Ecclesiæ, et tumebat contra illam. Interpretatur etiam *siccitas*, et signat avaritiam quæ semper sitit, et refertur ad Matthæum et latronem. Interpretatur *confusio*, et signat luxuriam, et refertur ad Magdalenam.

Nota etiam, quod est conversio inchoantis bonum, de qua hic, et Ezech. XVIII, 3 et : *Vivo ego, dicit Dominus Deus... Numquid voluntatis meæ est mors impii, et non ut convertatur a viis suis et vivat ?* Et Augustinus de *Fide ad Petrum :* « Firmissime tene neminem agere pœnitentiam, nisi quem Deus illuminaverit, et gratuita conversione converterit. » Et est conversio proficientis, qui semper de bono tendit in melius. Hæc est de qua in Psal. LXXIX, 8 : *Domine Deus virtutum, converte nos,* ad illas semper plus, et plus. Et in Completorio quasi nihil actum sit, dicimus, Psal. LXXXIV, 5 : *Converte nos, Deus, salutaris noster.* Jerem. XV, 19 : *Si converteris, convertam te.* Et est conversio perfecti et contemplantis. Cant. VII, 10 : *Ego dilecto meo, et ad me conversio ejus.* Ezech. XLIV, 1 : *Et convertit me ad viam portæ sanctuarii exterioris, quæ respiciebat ad Orientem : et erat clausa.*

Alia littera habet : « Convertar ad eos ex Basan, convertar ad eos in profundum maris : » nec mutatur sensus.

[1] Cf. Matth. IX, 9 et seq.
[2] Cf. Luc. VII, 47 et seq.
[3] Cf. Act. IX, 15.
[4] Cf. Luc. XXIII, 43.

Deum enim ad nos converti, est ad ipsum nos convertere.

24 Conversorum perfectio et martyrium.

« *Ut intingatur.* » Hic consummatio in conversione. Plene autem convertitur ad Deum, qui morti pro eo se exponit, et qui alios ad se convertit, non contentus salvare se. Duo ergo dicuntur. Primo, conversio usque ad martyrii passionem. Secundo, usque ad conversionem in prædicatores, ibi, « *Lingua canum.* »

Dicit ergo : Sic dixit Dominus, et sic fecit, facietque : o Deus sic convertes, « *ut pes tuus* » sanctus et justus, qui portat sicut pes hominem, « *intingatur in sanguine* » proprio, martyrium sustinendo. Audi pedem, Act. IX, 15 : *Vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram Gentibus, et regibus, et filiis Israel.* Audi in sanguine tinctum, II ad Cor. XI, 25 : *Ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum,* etc. Et tandem fuit a Nerone decollatus. Talis pes debet calceari aurichalco constantiæ et fortitudinis, ignito igne charitatis, Apocal. I, 15 : *Pedes ejus similes aurichalco, sicut in camino ardenti.* Lavari butyro intimæ devotionis, Job, XXIX, 6 : *Quando lavabam pedes meos butyro.* Et intingi sanguine passionis propriæ, vel capitis, vel magis utriusque si opus sit, Exod. XII, 22[1]. Præceptum fuit quod postes, pedes quasi ostii, tingerentur sanguine agni, et proprio, ne audiant illud Apostoli ad Hebr. XII, 4 : *Nondum usque ad sanguinem restitistis.* Et oleo pietatis, Deut. XXXIII, 24 : *Benedictus in filiis Aser, tingat in oleo pedem suum.*

Prædicatores a Gentibus conversi.

Lingua canum. Ecce secundum. Quasi diceret : Sic convertentur usque ad hoc ut in sanguine tingantur, et etiam « *lingua canum tuorum,* » id est, prædicatorum tuorum, est facta « *ex inimicis* » prius. Quasi diceret : Inimici conversi facti sunt lingua canum, non malorum, quales sunt detractores, Ad Philip. III, 2 : *Videte canes, videte malos operarios.* Quales etiam peccata reiterantes post confessionem, II Petr. II, 22 : *Contingit eis illud veri proverbii : Canis reversus ad suum vomitum : et, Sus lota in volutabro luti.* Sed « *tuorum,* » scilicet prædicatorum. Hi enim sunt canes, de quibus supra, in Psal. LVIII, 7 : *Famem patientur ut canes.* Luc. XVI, 21 : *Canes veniebant, et lingebant ulcera ejus.* Sed hoc nullus credat ab alio fieri : tamen fit « *ab ipso* » Deo : et est subita conversio ad alios. Joan. XV, 5 : *Sine me nihil potestis facere.* Et nota, quod dicit, « *Ex inimicis* » fieri non prædicatorem, sed ipsam linguam, quod plus est. Hæ sunt linguæ lambentes aquas, in quibus Gedeon devicit inimicos[2].

25 Notatur hic causa conversionis infidelium.

« *Viderunt ingressus.* » Hic secundum, in quo præmissa conversione, subjungitur motivum et ratio quare sic convertentur : quia videbunt Deum hominem procedere : unde dicuntur duo. Primo, ratio. Secundo probatio, quod bene debet eos ad hoc movere, ibi, « *Ingressus Dei mei.* »

Ait enim : Sic convertentur, et quid movebit ad hoc illos : quia « *videbunt, o Deus, ingressus tuos.* » Primo ingressum in uterum virginalem sine carnis corruptione et libidine. Ezech. XLIV, 2 : *Porta hæc,* scilicet Maria, *clausa erit : non aperietur, et vir non transibit per eam : quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam.* Angelus ad eam, Luc. I, 28 : *Ingressus Angelus ad eam dixit : Ave,* etc. Sed tu solus in eam. In mundum, Isa. XIX, 1 : *Ecce Dominus ascendet super nubem levem, et ingredietur Ægyptum,* mundum : *et movebuntur simulacra Ægypti a facie ejus.* In gloriam, Ad Hebr. IX, 12 : *Introivit semel in sancta, æterna redemptione inventa.* Luc. XXIV,

[1] Exod. XII, 22 : *Fasciculum hyssopi tingite in sanguine qui est in limine, et aspergite ex eo superliminare, et utrumque postem.*

[2] Cf. Judic. VII, 6.

26 : *Nonne oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam ?* Et per hoc maxime ingressus est in mentem eorum ut converterentur ad te. Apoc. III, 20: *Ecce sto ad ostium, et pulso : si quis audierit vocem meam, et aperuerit mihi januam, intrabo ad illum*, etc.

« *Ingressus Dei mei.* » Nec mirum si moti sunt hæc videntes, quia hæc videndo « *viderunt ingressus Dei mei,* » per creationem. Deuteron. XXXII, 6 : *Numquid non ipse pater tuus, qui possedit te, et fecit, et creavit te ?* « *Regis mei,* » per gubernationem. Apocal. XIX, 16 : *Et habet in vestimento et in femore suo scriptum : Rex regum, et Dominus dominantium.* Psal. CXLIV, 1 : *Exaltabo te, Deus meus rex.* « *Qui est in sancto* » quolibet per gratiæ illuminationem et infusionem, tamquam in templo. I ad Cor III, 17 : *Templum Dei sanctum est, quod estis vos.* Et specialiter per unionem in sanctorum sancto, homine scilicet Christo. Supra, ỷ. 6 : *Deus in loco sancto suo.*

26 Multitudo conversorus omnis conditionis et sexus. « *Prævenerunt principes.* » Hic secundum hujus partis, in quo præmissa mirabili conversione, ostenditur multitudo et diversitas sic conversorum : unde primo, conversio majorum : secundo, minorum, ibi, « *Conjuncti.* » Ubi ostendit conversionem in utroque sexu. Primo, in viris, post in fœminis, ibi, « *In medio.* »

Ait enim : Sic videntes ingressus conversi sunt, et hoc in illa conversione : « *prævenerunt* » omnes alios, « *principes,* » Apostoli totius Ecclesiæ primates, sicut supra, Psal. XLVI, 10 : *Principes populorum congregati sunt*, etc. « *Prævenerunt,* » inquam, tamquam viæ præparatores aliis ad Deum, et Dei ad alios. Isa. XL, 3 : *Parate viam Domini, rectas facite in solitudine semitas Dei nostri.* Luc. X, 1 : *Misit illos binos ante faciem suam in omnem civitatem, et locum quo erat ipse venturus.*

« *Conjuncti psallentibus,* » minoribus bona facientibus, quod est psallere. Vel ad litteram laudes divinas cantantibus. Ad Ephes. V, 19 : *Cantantes, et psallentes in cordibus vestris Domino*, etc. Argumentum, quod prælati debent esse primi in choro ad psallendum. Joan. X, 4 : *Bonus pastor... cum proprias oves emiserit, ante eas vadit : et oves illum sequuntur.*

Existentes etiam « *in medio juvencularum,* » ad litteram, « *tympanistriarum,* » in tympanis Deo jubilantium. Exod. XV, 20, Maria soror Moysi sumpsit tympanum in manu, et egressæ sunt mulieres cum illa. Sed nunc quia instrumenta versa sunt in lasciviam, melius legitur de tympano spirituali, et juvenculis spiritualibus, animabus scilicet ad Deum noviter conversis. Cantic. VI, 7 : *Adolescentularum non est numerus.* Et ibidem, I, 2 : *Adolescentulæ dilexerunt te.* Tympanistriæ autem sunt per carnis mortificationem. Pellis enim si non tenditur, non sonat. Et iterum si nimium tenditur, rumpitur. Sic qui carnem non extendit in pœnitentia, sonum non reddit : si ultra modum tenditur, rumpitur, et totum perditur. Propter hoc dicit Augustinus in *Speculo clericorum* : « Carnem vestram domate je« juniis, et abstinentia escæ et potus, « quantum valetudo permittit : ne rum« patur. Tunc fugatur diabolus tantam « discretionem non valens sustinere. » Isa. XXX, 32 : *In tympanis et citharis, et in bellis præcipuis expugnabit eos.* Et est argumentum hinc, quod Prælati debent esse in medio minorum domantium carnem, non in cavernis. I ad Thess. II, 7 : *Facti sumus parvuli in medio vestrum, tamquam si nutrix foveat filios suos.*

« *In Ecclesiis benedicite.* » Hic est quarta pars secundæ partis Psalmi. Postquam enim actum est de beneficio prædicationis, et postmodum infusionis donorum Spiritus sancti, et tandem mirabilis conversionis extremorum in peccatis, monstratur hic beneficium dilatationis **27**

Ecclesiæ, et multiplicationis per plures Ecclesias, et hoc dupliciter. Primo, admonendo ad laudem Dei Ecclesiam sub pluralitate. Secundo, orando pro dilatatione ejus a Jerusalem usque ad extremum terræ, ibi, « *Manda, Deus.* »

In prima duo. Primo, invitatio Ecclesiarum in plurali ad benedicendum. Secundo, ratio quare benedictus Deus, ibi, « *De fontibus.* »

Dicit ergo : Hæc bona quæ præmisi, faciet Deus, et propter hoc « *benedicite Deo.* » Supra, Psal. LXV, 8 ; *Benedicite gentes Deum nostrum.* Tob. XIII, 10 : *Benedicite Dominum omnes electi ejus.* « *Deo*, » inquam, creatione, et propter hoc ei debetur latria. « *Domino*, » gubernatione, et pro hoc ei debetur dulia. Esther, XIII, 11 : *Dominus omnium es.* Et hoc « *in Ecclesiis*, » non in una tantum Ecclesia, nec in conventiculis hæreticorum, vel in choreis. Supra, in Psal. XV, 4 : *Non congregabo conventicula eorum de sanguinibus.*

« *De fontibus Israel.* » Hic ratio benedictionis, scilicet haustus doctrinæ Apostolicæ : et tanguntur duo. Primo, portatio illorum doctrina Apostolica. Secundo, ipsorum Doctorum specificatio, ibi, « *Ibi Benjamin.* »

Dicit ergo : Sic benedicite, et hoc « *de fontibus Israel* » potati, id est, de doctrina fontium Israel, scilicet Apostolorum. Isa. II, 3 : *De Sion exibit lex,* doctrina scilicet Dei, *et verbum Domini de Jerusalem.*

Fons multiplex.

Notandum autem, quod est multiplex fons. Ipse Pater, Jerem. II, 13 : *Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ.* Jerem. XVII, 13 : *Dereliquerunt venam aquarum viventium, Dominum.* Filius, Eccli. I, 5 : *Fons sapientiæ verbum Dei in excelsis.* Psal. XXXV, 10 : *Apud te est fons vitæ*, ex quo in Joanne, I, 1 : *Et Verbum erat apud Deum.* Spiritus sanctus, Joan. IV, 14 : *Omnis qui bibit ex aqua hac,* scilicet qui credit in me, *fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Quod Joannes exponens ait, VII, 39 : *Hoc autem dixit de Spiritu sancto* [1]. Beata Virgo, Cant. IV, 12 : *Hortus conclusus, fons signatus.* Esther, XI, 10 : *Fons parvus crevit in fluvium maximum, et in aquas plurimas redundavit.* Sacra Scriptura, Proverb. XVI, 22 : *Fons vitæ eruditio possidentis.* Genes. XXIV, 45 : Rebecca descendit ad fontem ut impleret hydriam. Apostolus quilibet et doctor, est fons unus, Isa. XII, 3 : *Haurietis aquas in gaudio de fontibus salvatoris.* Hi sunt de quibus conqueritur per Joel, I, 20 : *Exsiccati sunt fontes aquarum.* Baptismus, Zach. XIII, 1 : *In die illa erit fons patens domui David et habitantibus Jerusalem in ablutionem peccatoris, et menstruatæ.* Pœnitentia, Joel, III, 18 : *Fons de domo Domini egredietur, et irrigabit torrentem spinarum,* mentem plenam peccatorum. Compassio ad aliorum mala, Jerem. IX, 1 : *Quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrymarum ? et plorabo die ac nocte interfectos filiæ populi mei ?* Gratia generalis, Genes. II, 6 : *Sed fons ascendebat e terra, irrigans universam superficiem terræ.* Gratia supernaturalis, charitas, Proverb. XIII, 14 : *Lex sapientis,* charitas scilicet, *fons vitæ, ut declinet a ruina mortis.* Charitas enim lex est sapientis, Dei scilicet. Job, XI, 5 et 6 : *Utinam Deus loqueretur tecum, et aperiret labia sua tibi. Ut ostenderet tibi quod multiplex esset lex ejus.* Apoc. VII, 17 : *Deducet eos ad vitæ fontes aquarum.* Hi sunt duodecim fontes, quos filii Israel invenerunt in Elim [2].

[1] Hic in textu Doctoris est quædam confusio textuum Joannis, quod nulli mirum videri debet, nam loca Scripturæ quæ in Commentariis sæpe sæpius memoriter revocat Doctor, ex parte aliquoties sunt mendosa. Hic alludit verbis Christi Judæis, Joan. VII, 38 et 39 : *Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vitæ. Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.*

[2] Cf. Exod. XV, 27.

28 « *Ibi Benjamin.* » Hic est secundum hujus partis, scilicet Doctorum, quorum doctrina potantur, specificatio. Et primo tangit quod pertinet ad Paulum specialiter. Secundo, quod ad illos qui de duabus tribubus, ibi, « *Principes.* » Tertio, quoad illos qui de decem, ibi, « *Principes Zabulon.* »

In prima duo secundum duplicem conditionem per quam describit Paulum. Primo, tarditas conversionis. Secundo, sublimitas contemplationis, ibi, « *In mentis.* »

Laus Apostoli Pauli qui jure *Benjamin* dicitur.

Dicit ergo : Sic benedicite, quia potati illis fontibus, et ibi inter illos fontes. Vel, benedicite in Ecclesiis : quia ibi, in Ecclesiis scilicet, « *Benjamin,* » Paulus scilicet de Benjamin natus. Ad Rom. xi, 1 : *Ego Israelita sum, ex semine Abrahæ, de tribu Benjamin.* Nec tantum ratione originis, sed etiam propter interpretationem nominis. Benjamin enim interpretatur *filius dexteræ :* et Paulus a Christo jam in dextera posito, scilicet in æterna vita, genitus est in fide. Act. ix, 3 et 4 : *Et subito circumfulsit eum lux de cœlo. Et cadens in terram, audivit vocem dicentem sibi : Saule Saule, quid me persequeris ?* Item, ratione temporis, in quo conversus est ad fidem. Sicut enim Benjamin ultimus fuit in filiis Rachel, sic ultimo vocatus inter Apostolos, unde hic dicitur « *adolescentulus.* » I ad Corinth. xv, 9 : *Ego sum minimus Apostolorum.* Hinc potest dici illud Eccle. xi, 9 : *Lætare, juvenis, in adolescentia tua.* Item, ratione consequentis ad nativitatem. Sicut enim in partu Benjamin mortua est Rachel, ita in partu spirituali Pauli, synagoga. Act. ix, 22 : *Saulus autem multo magis convalescebat, et confundebat Judæos.* Item, ratione præsignatæ proprietatis. Sicut in sacco Benjamin inventus est scyphus Joseph argenteus [2], sic ipse Paulus vas Dei factus est, et maxime scyphus ad potandum Gentes. Act. ix, 15 : *Vas electionis est mihi iste.* Item, ratione prænuntiatæ beatitudinis. Deuter. xxxiii, 12, de Benjamin : *Amantissimus Domini habitabit confidenter in eo : quasi in thalamo tota die morabitur.* Et ipse dicit ad Rom. viii, 39 : *Neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro.*

« *In mentis excessu,* » quando mente excedens raptus est usque ad tertium cœlum [3]. Nec tantum tunc eum credimus metas excessisse humanas, sed alias pluries: etsi non forte tantum. II ad Cor. v, 13 : *Sive mente excedimus, Deo : sive sobrii sumus, vobis.* Et iv, 18 : *Non contemplantibus nobis ea quæ videntur, sed quæ non videntur.* Job, xxxix, 27 : *Numquid ad præceptum tuum elevabitur aquila, et in arduis ponet nidum suum ?*

Conversio aliorum Apostolorum prædicitur.

« *Principes Juda.* » Hic secundum. Quasi diceret : Ibi Paulus, et « *principes Juda,* » id est, de Juda nati, Apostoli quantum ad Jacobum filium Zebedæi, Jacobum Alphæi , et Judam fratrem ejus, et Simonem Chananæum, qui omnes fuerunt de Juda, et a Christo principes constituti. Psal. xliv, 17 : *Constitues eos principes super omnem terram.*

« *Principes Zabulon,* » id est, de terris, et de tribu Zabulon. « *Principes Nephtali,* » de terra scilicet et tribu Nephtali, fuerunt duces, vel erunt aliorum de Ecclesia. Hoc quantum ad Petrum et Andream, Philippum, Bartholomæum, et Matthæum. Isa. ix, 1 : *Primo tempore alleviata est terra Zabulon, et terra Nephtali :* a peccatis suis, cum ex ea Apostoli sunt electi, sicut habetur Matth. iv, 15 : Luc. v, 1 et seq. : et Joan. i, 40 et seq.

Aliter potest legi ut interpretationes nominum sequamur. Interpretatur enim Judas *confesssio*, quæ omnium prima est his qui in Ecclesia præsunt. Ad Rom. x,

[1] Genes. xxxv, 19.
[2] Genes. xliv, 12.

[3] Cf. II ad Corinth. xii, 2 et seq.

10 : *Corde creditur ad justitiam : ore autem confessio fit ad salutem.* Ibi ergo principes Juda, id est, principes confitentes. Zabulon interpretatur *habitaculum fortitudinis.* Et quid valeret confessio si in tempore tribulationis absente fortitudine negatio fidei sequeretur, sicut in illis de quibus dicitur, Luc. VIII, 13 : *Ad tempus credunt, et in tempore tentationis recedunt.* Propter hoc etiam sunt duces aliorum, « *Principes Zabulon.* » Sed quia post devictas persecutiones sequitur latitudo, addit : « *Principes Nephtali,* » quod interpretatur *latitudo.*

Tertio modo legit Glossa, de tribus virtutibus principalibus, quæ aliis præstant, fides princeps confitentium, spes fortium, charitas gaudio dilatatorum. Prima ducit, secunda trahit, tertia perducit per hastam tamquam tres duces. Sic homo Benjamin filius dexteræ fiet adolescentulus sine peccati vetustate, et « *in mentis excessu,*» in contemplatione. Et tunc sic construendum. « *ibi,* » id est, in Ecclesiis, est fidelis « *Benjamin,* » id est, filius dexteræ, et « *adolescentulus,* » sine vetustate culpæ : « *in mentis excessu* » sublimium contemplatione : sed eorum « *duces* » ad hoc fiunt, « *principes Juda* » id est, fides, spes, charitas, quæ confessioni, fortitudini, dilatationi spiritus principantur.

29 Orat pro dilatatione Ecclesiæ.

« *Manda, meus, virtuti* » Hic secundum hujus partis, in quo subjungitur oratio pro dilatatione Ecclesiæ, et extensione : et dicuntur duo. Primo, oratio. Secundo, tamquam impetratum sit, omnium invitatio ad gratiarum actionem.

In prima duo. Primo, oratio pro Ecclesia dilatanda, et confirmanda in bono quod habet. Secundo, pro adversaria potestate conterenda et dissipanda, ibi, « *Increpa feras.* »

In prima duo adhuc. Primo, oratio pro Ecclesia dilatanda et confirmanda. Secundo, suasio ad hoc ipsum propter bona inde sequentia, ibi, « *A templo tuo.* »

In prima duo, secundum quod tactum est. Primo, oratio pro dilatatione. Secundo, pro confirmatione, ibi, « *Confirma.* »

Dicit ergo : Sic multæ Ecclesiæ, quod ut fiat, o « *Deus, manda,* » id est, notifica mundo, « *virtutem tuam.* »

Virtus Dei Apostoli.

Alia littera, « Filium tuum, » qui est virtus tua. I ad Cor. I, 24 : *Prædicamus... Christum Dei virtutem, et Dei sapientiam.* Manda hanc virtutem *qui mandas salutes Jacob* [1]. Manda ut ei obediatur, et ipsam commenda, quod et factum est. Matth. III, 17, et Luc. III, 22 : *Hic est Filius meus dilectus in quo mihi complacui.* Et Matth. XVII, 5, et addatur mandatum : *Ipsum audite.* Psal. CXXXII, 3 : *Illic mandavit Dominus benedictionem, et vitam.*

Vel secundum nostram : « *Manda virtuti tuæ,* » Apostolorum scilicet congregationi, o « *Deus,* » prædicta facere, scilicet prædicare, mundum ad fidem convertere, quod est factum. Marc. XVI, 20 : *Illi autem profecti prædicaverunt ubique.* Eccli. XXXVI, 16: *Reple Sion inenarrabilibus verbis tuis, et gloria tua populum tuum.* Virtutem autem vocat Apostolos, non tantum virtuosos, sed undique virtute circumcinctos. Luc. XXIV, 49 : *Vos autem sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto.*

« *Confirma hoc, Deus.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic dilata, et o « *Deus, confirma hoc quod operatus es in nobis,* » salutem. In Psal. LXXIII, 12 : *Operatus est salutem in medio terræ.* Et hanc confirma. Alibi, in Psal. CXVI, 2 : *Confirmata est super nos misericordia ejus.* Confirmat autem tripliciter. Docendo verbo et exemplo, et per se, et per suos. II ad Thessal. II, 15 et 16 : *Ipse autem Dominus noster Jesus Christus, et Deus et Pater noster.... exhortetur corda vestra, et confirmet in omni opere et sermone bono.*

[1] Psal. XLIII, 5 : *Tu es ipse rex meus et Deus meus : qui mandas salutes Jacob.*

Confirmat, gratiam infundendo. Augustinus : « Manda docendo, confirma juvan- « do, gratiam infundendo. Confirma tri- « bulationibus decoquendo. » Sic olla ad ignem confirmatur. I Petr. v, 10 : *Modicum passos ipse perficiet, confirmabit, solidabitque.* Sed tandem reformabit confirmatos in resurrectione generali. Ad Philip. III, 20 et 21 : *Salvatorem exspectamus Dominum nostrum Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ.*

30 « *A templo tuo.* » Hic secundum. Suasio propter bonum sequens, scilicet magnorum devotionem : et tangitur etiam devota subjectio, et modo debito exhibita, quia in Ecclesia : non enim valet quidquid extra exhibetur.

Ait enim : Hæc facias, quod si feceris, « *Reges offerent tibi,* » et non alii, « *munera,* » ad litteram sicut factum fuit, Matth. II, 11 : *Obtulerunt ei munera, aurum,* etc. Psal. LXXI, 10 : *Reges Tharsis et insulæ munera offerent, reges Arabum,* etc. Vel munera, devotionis sacrificia, sicut quotidie fit per spirituales reges, qui se regere noverunt. Isa. LX, 6 : *Omnes de Saba venient, aurum et thus,* etc. Et infra, ℣, 12 : *Gens et regnum quod non servierit tibi, peribit.*

« *A templo.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Tibi offerent inchoantes afferre, vel mittentes oblationes, « *a templo sancto tuo in Jerusalem,* » existente, id est, quod est Jerusalem, scilicet Ecclesia, non litteralis illa, quæ prophetas occidit. Matth. XXIII, 37 : *Jerusalem quæ occidis prophetas, et lapidas eos, qui ad te missi sunt,* etc. Joan. IV, 21 : *Venit hora, et nunc est, quando non in monte hoc, nec in Jerosolymis adorabitis Patrem,* sed in Jerusalem spirituali per totum mundum diffusa. Malach. I, 11 : *In omni loco sacrificatur, et offertur nomini meo oblatio munda.*

Vel posset legi, ut hoc quod dicitur, « *a templo tuo in Jerusalem,* » ad antecedentia referretur, sic : « *Confirma quod operatus es in nobis,* » incipiens « *a templo tuo in Jerusalem :* » ibi enim prodesse incepit Christus, et inde effluxit doctrina per totum mundum. Isa. II. 4 : *De Sion exibit lex, et verbum Domini de Jerusalem.*

« *Increpa feras arundinis.* » Hic secundum, in quo orat pro inimicorum Ecclesiæ dissipatione, si noluerint converti : unde dicuntur duo. Primo, orat pro increpatione illorum ut sic corrigantur. Secundo, pro dissipatione si noluerint corrigi, sed magis litigare, ibi, « *Dissipa gentes.* » 31

Orat con[tra] Ecclesi[æ] inimicos [et] hæretico[s] qui *fera[e]* dicuntur

In prima tria. Primo, ut hæretici increpentur. Secundo, necessitas propter quam increpandi, ibi, « *Congregatio.* » Tertio, monstratur utilitas quædam sequens ex illa necessitate, ibi, « *Ut excludant.* »

Dicit ergo : Sic dilata Ecclesiam et in bono confirma, quod ut fierit possit, o Deus, « *increpa,* » per tuos Doctores, « *feras,* » hæreticos non adhuc obstinatos in infidelitate sua : tui enim sunt. Supra, in Psal. XLIX, 10 : *Meæ sunt omnes feræ silvarum, jumenta in montibus et boves.*

Et dicuntur *feræ,* quia devorant simplices. Gen. XXXVII, 33 : *Fera pessima comedit eum, bestia devoravit Joseph.* Item, quia rodunt exterius Scripturarum cortices, non intrantes ad medullam. Job, XXX, 3 et 4 : *Qui rodebant in solitudine : squallentes calamitate et miseria. Et mandebant herbas, et arborum cortices,* non tangentes medullam. Item, quia semper est pugna inter eos, et veros Christianos, sicut inter feras, et canes materiales. Genes. XIII, 7 : *Facta est rixa inter pastores gregum Abrahæ et Loth.* I ad Cor. XV, 32 : *Si (secundum hominem) ad bestias pugnavi Ephesi.* Feras, inquam, « *arundinis* », quia Scripturas pervertunt, quæ calamo arundineo so-

lent scribi. Vel propter instabilitatem : quia instabiles ut arundo, quæ movetur ad omnem ventum. Matth. XI, 7 : *Sed quid existis in desertum videre ? Arundinem vento agitatam ?* II Petr. III, 16 : *Indocti et instabiles depravant Scripturam, ad suam ipsorum perditionem.* Hos increpa ut desistant. Nahum, I, 4 : *Increpans mare, et exsiccans illud.*

ructus ex uina hæreticorum, nanifestatio bonorum.

Et necesse est, quia « *congregatio taurorum* », conspiratio scilicet cervicosorum, « *in vaccis,* » id est, inter vaccas, inter mulierculas scilicet et viduas « *populorum,* » prophetant et docent ad litteram. Vel, « *inter vaccas,* » id est, inter semiviros et molles, non inter boves, fortes scilicet. Osee, X, 5 : *Vaccas Bethaven coluerunt habitatores Samariæ,* hæretici scilicet. II ad Timoth. III, 6 : *Ex his sunt, qui penetrant domos, et captivas ducunt mulierculas,* etc. Quippe omnes semiviri sunt et molles, et propter hoc vaccæ volunt esse inter vaccas. Amos, IV, 1 : *Audite verbum hoc, vaccæ pingues, quæ estis in monte Samariæ.*

Et hoc tantum malum tamen permittis fieri, ut excludant, id est, notos et manifestos faciant, « *qui probati sunt argento,* » id est, in argento, in sacro scilicet eloquio. I ad Cor. XI, 19 : *Oportet et hæreses esse, ut et qui probati sunt, manifesti fiant.* Deus enim non sineret fieri mala, nisi inde eliceret bona. Et multo potentius est de malo bonum elicere quam malum impedire, ut non sit. Dionysius : « Ad omnipotentissimam bo« nitatem suam magis pertinet de malis « bona facere, quam mala non sinere « esse. Contraria enim juxta se posita « magis elucescunt. » Et Augustinus : « Malos sustinuit esse Deus, ut majorem « haberent gloriam boni in adeptione « gloriæ, in evasione tantæ pœnæ. Gau« debunt enim se evasisse pœnam, qua « videbunt alios cruciari. » Vel posset legi ut esset intentio ipsorum hæreticorum. Ad hoc enim congregantur, ut a vaccis populorum, a simplicibus ne suis credant, excludant unitatem Doctorum sacrorum, et in sacro eloquio probatorum.

« *Dissipa gentes.* » Hic est secundum, in quo petitur dissipatio eorum qui magis erunt obstinati : et dicuntur tria. Primo, petitio. Secundo, petiti asseritur adimpletio, ibi, « *Venient.* » Tertio, subjungitur modus adimplendi, et ordo, ibi, « *Æthiopia.* »

Dicit ergo : Sic increpa, quod si forte increpatio non sufficit ad correctionem, « *dissipa,* » quod plus est, « *Gentes,* » hæreticos omnes fidei adversarios, « *quæ bella volunt,* » quæ non correctioni, sed magis contentioni intendunt. Gen. XLIX, 5 : *Simeon et Levi fratres : vasa iniquitatis bellantia.* Proverb. XVI, 28 : *Homo perversus,* hæreticus scilicet, *suscitat lites : et verbosus separat principes.* Non sic fideles. I ad Cor. XI, 16 : *Si quis videtur contentiosus esse : nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei.* Sed sicut Prov. XIII, 10, dicitur, *Inter superbos semper jurgia sunt.* Hos dissipa, horum scilicet consilium perversum, et mala opera. Job, V, 12 et 13 : *Deus... qui dissipat cogitationes malignorum, ne possint implere manus eorum quod cœperant : qui apprehendit sapientes in astutia eorum, et consilium pravorum dissipat.* Supra, in Psal. XXXII, 10 : *Dominus dissipat consilia gentium.* Mali advocati sunt, pro iis rogat ut dissipentur.

« *Venient legati.* » Ecce secundum. 32
Quasi diceret : Sic petii, et sic fiet, quia « *venient legati,* » prædicatores, et prælati boni, mediatores ad reconciliationem, « *ex Ægypto,* » ex tenebris mundi et peccato, sicut Paulus, et Matthæus, et Petrus, qui fuerunt maximi peccatores. Hoc est quod cantamus de Augustino : « Qui de tenebris Gentium lumen Ecclesiæ suæ vocavit Augustinum. » II ad Cor. IV, 6 : *Qui dixit de tenebris lumen splendescere.* Talis ergo legatus erat, qui

Prædicatores sunt legati ex Ægypto.

dicebat, II ad Cor. v, 20 : *Pro Christo legatione fungimur.* Et ad Ephes. vi, 20 : *Pro quo legatione fungor in catena.*

« *Æthiopia.* » Hic tertium, in quo tangitur modus et ordo quo fiet : et legitur tripliciter.

Primo ut non sit ibi, « *Deo,* » in fine versus, et « *ejus* » referatur ad Deum : et est sensus : Sic venient legati et Doctores, et « *Æthiopia,* » gens peccatis nigra et horrida, ad prædicationem legatorum mota, « *præveniet,* » seipsam per pœnitentiam affligendo, « *manus ejus,* » Dei scilicet percutientis. I ad Cor. xi, 31 : *Quod si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur.*

Vel sic, ut sit ibi, « *Deo,* » in fine versus : et tunc dupliciter, quia relativum ejus potest referri ad hoc quod est Æthiopia : et est sensus : « *Æthiopia* » Deo fide adhærens, « *præveniet manus ejus,* » id est, Æthiopiæ, scilicet opera sua per fidem : fides enim debet præcedere bona opera. Ad Hebr. xi, 6 : *Sine fide impossibile est placere Deo.*

Vel ut referatur ad Ægyptum, et tunc supponitur etiam per Ægyptum populus Judæorum : et est sensus : « *Æthiopia,* » adhærens « *Deo,* » ut supra, « *præveniet manus ejus,* » scilicet Ægypti, hoc est, Judaici populi : Gentiles enim ipsos ad fidem et bona opera prævenerunt. Ad Rom. xi, 25 : *Cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo Gentium intraret.* Alia est littera : « Æthiopia festinet manus dare Deo, » quod planum est.

33 « *Regna terræ.* » Hic secundum hujus partis, in quo invitat pro Ecclesiæ dilatatione et conformatione omnia regna ad laudem Dei : et primo ad laudem devotam oris. Secundo, operis, ibi, « *Psallite Domino.* »

Dicit ergo : Sic dilatabitur Ecclesia, et confirmabitur : et propter hoc, « *regna terræ,* » quæcumque, « *cantate Deo,* » in mentis puritate. Infra, Psal. xcvii, 1, et cxlix, 1 : *Cantate Domino canticum novum.* « *Psallite,* » bona facite, « *Domino,* » ad honorem Domini qui hoc requirit. Malach. i, 6 : *Si Dominus ego sum, ubi est timor meus ?* Judith, xvi, 2 : *Modulamini illi psalmum novum.* I ad Corinth. xiv, 15 : *Psallam spiritu, psallam et mente.*

Psallite Domino. Hic tertia pars Psalmi hujus, secundum quod divisum fuit supra, in qua Christum qui ascendit ad dexteram Dei Patris, ad judicium venturum prænuntiat, et mortuos resuscitaturum : et dicuntur duo. Primo, agit breviter de gloria ascendentis. Secundo, de potentia redeuntis ad judicium, ibi, « *Ecce dabit.* »

Tertia pars Psalmi.

In prima duo. Primo, invitat ad psallendum ad gloriam Dei. Secundo, assignat causam ascendentis ad gloriam, ibi, « *Qui ascendit.* »

Prophetica de Christi ascensione et reditu ad judicium.

Dicit ergo sic : Omnia regna terræ propter beneficia prædicta cantate, et etiam « *psallite Deo,* » id est, bona ad laudem et honorem Dei facite, sicut frequenter est expositum.

« *Qui ascendit.* » Hic assignat causam duplicem pertinentem ad gloriam ascendentis, scilicet ipsum locum ad quem ascendit. Secundo, ipsum locum unde ascendit, secundum unam lecturam. Vel causam quare ascendit secundum tertiam, ibi, « *Ad Orientem.* » 34

Dicit ergo sic : « *Psallite Deo,* » id est, quia ille « *ascendit super cœlum cœli,* » id est, super omnem creaturam usque ad dexteram Patris, id est, usque ad bona Patris potiora. Ad Ephes. iv, 10 : *Ascendit super cœlos, ut adimpleret omnia.* Marc. xvi, 19 : *Assumptus est in cœlum, et sedet a dextris Dei.* Ad Hebræ. i, 3 : *Sedet ad dexteram majestatis,* scilicet Dei, *in excelsis.* Et hoc existens « *ad Orientem,* » in Jerusalem : vel circa quæ ad Orientem sunt, sicut dicit Glossa. Sed

contra : Nonne dicitur, quod Jerusalem est umbilicus terræ[1] ? Et iterum, Psal. LXXIII, 12 : *Operatus est salutem in medio terræ ?* Respondeo. Locus unde ascendit, est in Jerusalem ad Orientem, et propter hoc dicitur ad Orientem existens ascendisse. Vel ipsa Jerusalem ad Orientem dicitur urbi Romæ, ubi modo est sedes et caput Ecclesiæ. Vel sic : Ad Orientem nobis faciendum ascendit, scilicet ut in nos suam oriri faciat gratiam tamquam solem. Malach. IV, 2 : *Et orietur vobis timentibus nomen meum Sol justitiæ.* Job, XI, 17 : *Cum te consumptum putaveris, orieris ut Lucifer.* II Petr. I, 19 : *Et habemus firmiorem propheticum sermonem : cui bene facitis attendentes, quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco, donec dies illucescat, et lucifer oriatur in cordibus vestris.* Vel sic : « *Ascendit super cœlum cœli ad Orientem,* » ad se, scilicet Verbum, referens ascensum : virtute enim Verbi, quod oritur de Patre, ascendit homo Christus. Zach. VI, 12 : *Ecce vir, Oriens nomen ejus.* Luc. I, 78 : *Visitavit nos, oriens ex alto,* ex Patre, qui excellenter altus est.

35 « *Ecce dabit.* » Hic agitur de potentia redeuntis ad judicium, et ostenditur duplex : in suscitando mortuos omnes generaliter, in sublimando et glorificando sanctos et electos specialiter, ibi « *Super Israel.* »

In prima duo. Primo, prænuntiat potentiam suscitandi. Secundo, invitat ad glorificandum tam potentem, ibi, « *Date gloriam.* »

Dicit ergo : Sic gloriose ascendit : sed ecce in aperto mihi est, et quid præsens ? « *Dabis voci suæ,* » ipsam esse, « *vocem virtutis.* » Supra in Psal. XXVIII, 4 : *Vox Domini in virtute : vox Domini in magnificentia.*

ox Christ triplex in virtute.

Et nota, quod est vox Domini qua usus est in præsenti, triplex. Eruditiva, quæ fuit in virtute. Marc. I, 22 : *Erat docens eos, quasi potestatem habens, et non sicut Scribæ* et Pharisæi. Increpativa, qua increpabat dæmones, et hoc in virtute. Marc. I, 27, et Matth. IX, 32 : *Spiritibus immundis imperat, et obediunt ei.* Deprecativa, et hoc in virtute. Ad Hebr. V, 7 : In omnibus *exauditus est pro sua reverentia.* Apoc. I, 15 : *Vox illius tamquam vox aquarum multarum,* scilicet gratiarum et virtutum. Sed in judicio erit vox suscitativa mortuorum, quæ erit magnæ virtutis. I ad Thes. IV, 16 : *Ipse Dominus in jussu, et in voce Archangeli, et in tuba Dei descendet de cœlo : et mortui,* etc. Postea disceptativa, tantæ virtutis, ut nullus audeat mutire. Matth. XXV, 42 : *Esurivi, et non dedistis mihi manducare.* Diffinitiva, cui nullus poterit resistere. Matth. XXV, 41 : *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, qui præparatus est diabolo, et angelis ejus.* De resuscitativa ergo specialiter intelligitur quod hic dicitur : « *Date gloriam Deo.* »

Secundum est. Quasi diceret : Sic virtuose suscitabit omnes : et propter hoc « *date Deo,* » non idolo vel homini vano, « *gloriam.* » Supra, in Psal. LXV, 2 : *Date gloriam laudi ejus.*

« *Super Israel.* » Hic secundum, in quo monstratur potentia in sublimando specialiter electos : et dicuntur duo. Primo, declaratio potentiæ venientis ad judicium in electos. Secundo, benedictio tam potentis, ibi, « *Benedictus.* »

In prima tria dicuntur. Primo, manifestatio potentiæ ejus super omnes electos generaliter. Secundo, super perfectos specialiter, ibi, « *Et virtus.* » Tertio, declaratio secundi, ibi, « *Mirabilis Deus.* »

Dicit ergo : Sic omnes suscitabit, et post apparebit omnibus evidenter. « *Magnificentia ejus super Israel,* » super omnes electos, qui tunc erunt veri Israelitæ Deum videntes, et ejus gloriam aperte speculantes. I ad Cor. XIII, 12 : *Videmus nunc per speculum in ænigmate :*

[1] Vide Ezech. XXXVIII, 12.

tunc autem facie ad faciem. I Joan. III, 2 : *Videbimus eum sicuti est.* Modo in cœlis latet magnificentia. Psal. VIII, 2 : *Quoniam elevata est magnificentia tua super cœlos.* Et mixti sunt boni malis. Sed tunc apparebit magnificentia distinctis his ab illis. Matth. XXV, 31 : *Et virtus ejus,* supple, apparebit, *in nubibus,* in sanctis majoribus cum Christo venientibus ut judicent. Isa. III, 14 : *Dominus ad judicium veniet cum senioribus populi sui.* Prov. XXXI, 23 : *Nobilis in portis vir ejus, quando sedebit cum senatoribus terræ.* Hi sunt nubes de quibus, Luc. XXI, 27 : *Et tunc videbunt Filium hominis venientem in nube cum potestate magna, et majestate*[1].

36 Mirabilis Deus in operanda salute.

« *Mirabilis Deus.* » Hic probat secundum. Quasi diceret : Bene dico, quod in nubibus apparebit virtus ejus, quod « *Deus* » erit tunc « *mirabilis in sanctis suis,* » præcipue. Mirabilis quidem fuit prædestinando, eos qui videntur in mundo beati respuens, et despicabiles eligens. Gen. XLVIII, 20, Jacob constituit Ephraim ante Manassem. Mirabilis in vocando desperatos : Matthæum[2], Saulum[3]. In justificando vocatos : quia ipsam iniquitatem facit viam ad justificandum impios. Mich. IV, 10 : *Ibi liberaberis.* In magnificando justificatos : quis enim crederet pauperem piscatorem futurum orbis rectorem ? Eccli. XI, 5 : *Insuspicabilis portavit diadema.* In exercendo per tribulationes magnificatos, sicut Job[4], et Paulo datus est stimulus carnis suæ, ut eum colaphizaret[5]. In salvando exercitatos et purgatos, aliis damnatis. Num. XXVII, 3 et seq., Factum est in castris grande miraculum, ut Core pereunte filii ejus non perirent. In glorificando salvatos usque ad sublimationem assessorum. Isa. LX, 5 : *Tunc videbis, et afflues, et mirabitur et dilatabitur cor tuum, quando conversa fuerit ad te,* tamquam ad judicem, *multitudo maris,* plebis judicandæ. Matth. XIX, 28 : *Amen dico vobis, quod vos, qui secuti estis me... sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes,* etc.

« *Deus Israel ipse dabit.* » Hic probat primum. Quasi diceret : Sic magnificentiam dixi futuram super Israel, et hoc vere : quia « *ipse dabit,* » in resurrectione, « *virtutem* » omnia sustinendi, et nihil patiendi omnino, « *et fortitudinem* » sibi subjiciendi omnia, « *plebi suæ.* » I ad Cor. XV, 43 : *Seminatur in infirmitate, surget in virtute.* Isa. XL, 31 : *Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem.*

Vel posset legi hoc de præsenti. Quasi diceret : Deus sic erit in sanctis mirabilis : nec discredatur, quia « *Deus Israel ipse dabit virtutem,* » in anima, « *et fortitudinem,* » in corpore sanctis, « *plebi suæ.* » Isa. XL, 29 : *Qui dat lasso virtutem : et his, qui non sunt, fortitudinem et robur multiplicat.* Et propter hæc bona, « *benedictus Deus,* » qui in seipso benedictus est ab æterno usque in æternum. Amen.

[1] Cf. Matth. XXIV, 30 : *Et videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute multa et majestate.*

[2] Matth. IX, 9.

[3] Act. IX, 6.

[4] Cf. Job, I, 14 et seq. et II, 7 et seq.

[5] Cf. II ad Corinth. XII, 7.

PSALMUS LXVIII.

Christus patiens orat pro salute sua et inimicorum exitio: promittit Deum laudare.

1. *In finem, pro iis qui commutabuntur, David.*
2. Salvum me fac, Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam.
3. Infixus sum in limo profundi, et non est substantia.
   Veni in altitudinem maris : et tempestas demersit me.
4. Laboravi clamans, raucæ factæ sunt fauces meæ : defecerunt oculi mei, dum spero in Deum meum.
5. Multiplicati sunt super capillos capitis mei qui oderunt me gratis.
   Confortati sunt qui persecuti sunt me, inimici mei injuste : quæ non rapui, tunc exsolvebam.
6. Deus, tu scis insipientiam meam : et delicta mea a te non sunt abscondita.
7. Non erubescant in me qui exspectant te, Domine, Domine virtutum.
   Non confundantur super me qui quærunt te, Deus Israel.
8. Quoniam propter te sustini opprobrium : operuit confusio faciem meam.
9. Extraneus factus sum fratribus meis, et peregrinus filiis matris meæ.
10. Quoniam zelus domus tuæ comedit me [1], et opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me [2].
11. Et operui in jejunio animam meam, et factum est in opprobrium mihi.
12. Et posui vestimentum meum cilicium : et factus sum illis in parabolam.
13. Adversum me loquebantur qui sedebant in porta, et in me psallebant qui bibebant vinum.
14. Ego vero orationem meam ad te, Domine : tempus beneplaciti, Deus.
   In multitudine misericordiæ tuæ : exaudi me in veritate salutis tuæ.
15. Eripe me de luto, ut non infigar : libera me ab iis qui oderunt me, et de profundis aquarum.
16. Non me demergat tempestas aquæ : neque absorbeat me profundum : neque urgeat super me puteus os suum.
17. Exaudi me, Domine, quoniam benigna est misericordia tua : secundum multitudinem miserationum tuarum respice in me.
18. Et ne avertas faciem tuam a puero tuo : quoniam tribulor, velociter exaudi me.
19. Intende animæ meæ, et libera eam : propter inimicos meos eripe me.
20. Tu scis improperium meum, et confusionem meam, et reverentiam meam.
21. In conspectu tuo sunt omnes qui tribulant me.
   Improperium exspectavit cor meum, et miseriam :
   Et sustinui qui simul contristaretur, et non fuit : et qui consolaretur, et non inveni.

[1] Joan II, 17.

[2] Ad Rom. XV, 3.

22. Et dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto [1].
23. Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, et in retributiones, et in scandalum [2].
24. Obscurentur oculi eorum, ne videant : et dorsum eorum semper incurva.
25. Effunde super eos iram tuam : et furor iræ tuæ comprehendat eos.
26. Fiat habitatio eorum deserta [3] : et in tabernaculis eorum non sit qui inhabitet.
27. Quoniam quem tu percussisti persecuti sunt, et super dolorem vulnerum meorum addiderunt.
28. Appone iniquitatem super iniquitatem eorum, et non intrent in justitiam tuam.
29. Deleantur de libro viventium, et cum justis non scribantur.
30. Ego sum pauper et dolens : salus tua, Deus, suscepit me.
31. Laudabo nomen Dei cum cantico : et magnificabo eum in laude :
32. Et placebit Deo super vitulum novellum, cornua producentem et ungulas.
33. Videant pauperes, et lætentur : quærite Deum, et vivet anima vestra,
34. Quoniam exaudivit pauperes Dominus, et vinctos suos non despexit.
35. Laudent illum cœli et terra : mare, et omnia reptilia in eis.
36. Quoniam Deus salvam faciet Sion, et ædificabuntur civitates Juda.
Et inhabitabunt ibi, et hæreditate acquirent eam.
37. Et semen servorum ejus possidebit eam : et qui diligunt nomen ejus habitabunt in ea.

IN PSALMUM LXVIII

COMMENTARIUS.

In finem, pro iis qui commutabuntur, ipsi David[4].

« *Salvum me fac, Deus.* » Hic est Psalmus decimus octavus in secunda parte. Cum enim Christum ad resurrectionem invitaverit, et inimicorum confusionem, et dilatationem Ecclesiæ postulaverit, subjungitur Psalmus, in quo Christus loquens introducitur, ipsam resurrectionem, et fructum ex resurrectione sequentem, et inimicorum dejectionem postulans a Patre.

Psalmus postulat Christi resurrectionem et fructum ex ea consecutum.

Et hoc innuitur in titulo Psalmi, qui talis est : « *In finem, pro iis qui commutabuntur, ipsi David.* Est enim sensus : Hic Psalmus ordinans nos « *in finem* » nostrum attendendum, et considerandum,

[1] Matth. XXVII, 48.
[2] Ad Rom. XI, 9.
[3] Act. I, 20.
[4] Ce psaume, dit M. l'abbé Lesêtre, est avec le psaume XXI le morceau de l'Ancien Testament le plus fréquement cité dans le Nouveau. Il traite aussi des souffrances de Jésus-Christ, et nous initie à un ordre d'idées que les Evangélistes ont totalement laissé dans l'ombre. Ces derniers ont raconté l'histoire extérieure de la Passion, et ils ne font connaître l'état d'âme du divin Sauveur pendant ce drame sanglant, que par les rares paroles tombées de ses lèvres. Le psaume LXVIII, comme le psaume XXI, comble cette lacune; c'est une page évangélique écrite par un prophète, et S. Jean, XIX, 28, nous montre bien que Jésus l'avait devant les yeux et se préoccupait d'y conformer ses actes et ses sentiments. Il a été composé par David, à l'occasion d'une de ses persécutions, celle de Saül, probablement. Mais l'ensemble des traits du tableau ne peuvent se rapporter à lui que d'une manière imparfaite, tandis qu'ils s'appliquent très bien au divin Sauveur, quel-

scilicet Christum, de quo Apostolus ad Roman. x, 4 : *Finis legis, Christus,ad justitiam omni credenti :* vel præmium : quomodo enim finem exspectare possumus de peccatis nostris, si innocentem tanta legimus esse passum? Si justus in terra recipit, quanto magis impius et peccator? Luc. xxiii, 31 : *Si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet ?* I Petr. iv, 17 : *Si autem primum a nobis : quis finis eorum, qui non credunt Dei Evangelio ?* Conditus est « *pro iis,* » id est, pro tanto commutabili, scilicet pro passione, « *qui commutabuntur,* » et mala commutatione et bona.

Mutatio [qu]adruplex. Est enim mala commutatio de bono in malum, qua sumus omnes in Adam primo commutati. Thren. iv, 1 : *Quomodo obscuratum est aurum ? mutatus est color optimus ?* Hoc in Judæis, qui quia Christum occiderunt, sic mutati sunt. Psal. cv, 20 : *Mutaverunt gloriam suam.* Et hujus Christi passio est causa. Sed est bona, quæ etiam ex eadem passione causatur, de malo in bonum, de bono in melius, de speculo ad speciem, de miseria ad omnimodam gloriam. Hæc est illa, de qua in Psalmo lxxvi, 11 : *Hæc mutatio dexteræ Excelsi.* Quia sic non mutatur Moab, illi scilicet qui sunt ex patre diabolo, arguitur Jerem. xlviii, 11 : *Requievit in fæcibus suis : nec transfusus est de vase in vas, et in transmigrationem non abiit : idcirco permansit gustus ejus in eo,et odor ejus non est immutatus.* Hic, inquam, Psalmus convenit « *ipsi David,* » id est, Christo, per regulam superius dictam : quia cum ad David additur nomen discretivum, supponit Christum.

Psalmus autem dividitur in duas partes. In prima, supplicat pro liberatione a passione, et inimicorum dejectione. Secundo, narrat beneficia ex passione consecuta, ibi, « *Ego sum pauper.* »

In prima duo. Primo, ponitur oratio pro sua liberatione. Secundo imprecatio ipsis obstinatis Judæis, et perseverantibus in infidelitate, ibi, « *Fiat mensa eorum.* »

Prima dividitur in tres partes. Primo quidem Christus caput Ecclesiæ orat pro se. Secundo, pro suo corpore, ibi, « *Eripe de luto.* » Tertio, pro utroque, ibi, « *Ne avertas faciem.* »

« In prima duo. Primo, supplicatio pro liberatione. Secundo, persuasio ut ei detur pro quo supplicatur, statim, ibi, « *Quoniam intraverunt.* »

2 Dicit ergo : O « *Deus* » Pater, « *salvum me fac,* » tu enim es qui salvas spe- Prima pars Psalmi.
rantes in te, et nunc salvatum est quod salvas, secundum illud Jerem. xvii, 14 : *Salvum me fac, et salvus ero.* Confunditur autem humana superbia in hoc verbo

ques-uns même exclusivement, ℣℣. 9, 10, 21, 22, 27. Aussi les auteurs catholiques le regardent-ils comme directement messianique ; ils suivent en cela la tradition des Pères. S. Hilaire dit ici, « Omnia ad eum (Christum) dicta gestaque esse referenda, » et S. Augustin : « Quin Christus hic loquitur, dubitare omnino non permittitur. » Cfr. Civ. Dei, xvii, 19. Sic S. Athan., Euseb., etc.

Le texte présente quelques rapprochements possibles avec Jérémie ; de là à conclure que ce prophète est l'auteur du psaume, c'était la chose la plus naturelle pour certains commentateurs. Nous avons signalé souvent déjà le vice d'une pareille conclusion. Théodoret indique dans le psaume d'importantes prophéties messianiques ; mais dans son ensemble il le rapporte à la captivité de Babylone. Les derniers versets, sur lesquels s'appuient ceux qui suivent ce sentiment, ne suffisent pas pour justifier cette manière de voir.

L'idée capitale est que le patient est lui-même innocent, mais qu'il souffre pour la cause de Dieu et par la volonté même de Dieu. « Il n'y a, dit Berthier sur le ℣. 25, aucun verset de ce psaume qui ne doive guérir l'homme du désir d'être heureux en cette vie. On y voit le Messie, le Fils de Dieu, en proie aux opprobres, à la douleur et sans consolation. Quel doit donc être le sort des hommes nés dans le péché et coupables de péché dans tous les moments de leur vie ! »

quæ non supplicat ut salvetur, cum dicatur, Osee, xiii, 9 : *Perditio tua ex te Israel*, supple, est : et petit salvari, de quo Angelus, Matth. i, 21 : *Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.*

Humana superbia reprehenditur.

« *Quoniam intraverunt.* » Hic persuasio : persuadet autem multipliciter. Primo sumit rationes a malo quod patitur. Secundo, a bono, quod ab ipso exhibetur, ibi, « *Veni in altitudinem.* » Tertio, ab ipso inimico a quo affligitur, ibi, « *Multiplicati sunt.* » Quarto, a causa pro qua patitur, ibi, « *Quæ non rapui.* » Quinto et ultimo, a veritate et clementia ejus qui rogatur, ibi, « *In multitudine misericordiæ tuæ.* »

In prima duo. Primo enim allegat mali magnitudinem. Secundo, evadendi impossibilitatem per se, ibi, « *Et non est substantia.* »

Iterum in prima duo. Primo, allegat mali intensionem. Secundo, intensi durationem, ibi, « *Infixus sum.* »

Dicit ergo : Sic « *salvum me fac,* » et necesse est, « *quoniam aquæ* » tribulationum et passionum, de quibus Cantic. viii, 7 : *Aquæ multæ non potuerunt exstinguere charitatem.* Istæ sunt aquæ ex quibus Moyses assumptus est [1], in quibus multi periclitantur, non recurrentes ad Dei auxilium. Psal. xxxi, 6 : *In diluvio aquarum multarum*, etc. Istæ, inquam, aquæ « *intraverunt usque ad animam meam.* » Matth. xxvi, 38 : *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Joan. ii, 6 : *Circumdederunt me aquæ usque ad animam meam.* Nec est enim contra illud Isa. xlii, 4 : *Non erit tristis neque turbulentus :* quia illud intelligitur de tristitia et passione, quæ turbat rationem : sed hoc de passione, quæ non ascendit usque ad perturbationem.

3 « *Infixus sum in limo.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic intense et multipliciter affligor, et etiam « *infixus sum,* » tamquam detentus, « *in limo profundi.* » Homo limus, Genes. ii, 7 : *Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ.* Sed profundus limus, perfidus Judæorum populus, totus terrenus ad terrena respiciens, et terrenis deditus, inter quos tamquam infixus tenebatur Christus. Genes. xxxvii, 20 : *Mittamus eum in cisternam veterem.* Jerem. xxxviii, 6 : *Projecerunt eum*, id est, Jeremiam, *in lacum Melchiæ*, ubi erat limus, ad litteram. Et notandum, quod limus est terra tenax. Unde limus secundum Isidorum, « quasi ligans humus » et Cassiodorus similiter. Et significat mundi divitias, et delicias, quæ retinent homines sicut limus. Gen. xiv, 10 : *Vallis Silvestris habebat puteos multos bituminis.* In hoc limo infiguntur multi, et notatur in infixione dilectionis vehementia, in limo tenacitatis magnitudo, in profundo tenacitatis oppressio. Sed Deus suos eduxit inde. Sap. x, 2 : *Eduxit illum a delicto suo*, id est, de limo terræ.

Profundus limus Judæi.

« *Et non est substantia.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Tam intensa est tribulatio, et tam durabilis, « *et non est substantia,* » virtus scilicet evadendi a tribulatione tanta secundum carnem. Imo Cassiodorus : « Crucifixus sum iniquitate Judæorum, et non est carnis virtus evadendi mortiferam passionem. » Matth. xxvi, 41 : *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.* Joan. vi, 64 : *Spiritus est, qui vivificat : caro non prodest quidquam.*

Substantiæ multiplex acceptio.

Notandum est, quod est ibi quadruplex substantia. Primo, omnis natura appellatur substantia : sicut dicitur, quod peccatum non est substantia, quia nulla natura est, sed magis naturæ corruptio : unde pater et filius dicuntur ejusdem naturæ. Secundo, possessio terrena. Gen. xiii, 6 : *Erat quippe substantia eorum multa, et nequibant habitare communiter.* Et Prov. iii, 9 : *Honora Domi-*

[1] Cf. Exod ii, 5 et seq.

num de substantia, *tua* scilicet, da pauperibus. Luc. xv, 12 : *Da mihi portionem substantiæ quæ me contingit.* Tertio, stabilitas vitæ, et incorruptio in qua creata est natura humana. De hac Glossa : « Deus hominem fecit substantiam, « atque utinam mansisset in eo quod « Deus eum fecit. » Quarto, virtus evadendi mala : virtus enim substantia appellatur. Eccli. xiii, 30 : *Bona est substantia, cui non est peccatum in conscientia.* Legi ergo potest de substantia in triplici acceptione sua. « *Non est substantia,* » divitiarum abundantia, pauper enim fuit. Vel, « *non est substantia,* » id est, non est integra natura sicut a Deo fuit condita, propter quod pati me convenit. Vel, « *non est substantia,* » virtus evadendi, sicut dictum est supra.

« *Veni in altitudinem.* » Hic secundum, in quo sumitur ratio a bono, quod exhibitum est ab illo, et tangitur triplex bonum : primo, voluntas patiendi : secundo, labor convertendi illos, ibi, « *Laboravi.* » Et tertio, mors sine rebellione, et virtute repellendi eos qui cædebant, ibi, « *Defecerunt.* »

In prima duo. Primo, quod voluntarie ad tribulationes accessit. Secundo, quod impletum fuit quod voluit, ibi, « *Et tempestas.* »

Dicit ergo : Sic salva, quia tribulatio est tanta : et etiam quia « *veni* » voluntarie, « *in altitudinem maris,* » tribulationis scilicet et amaritudinis. Hoc mare, de quo Deut. xxxiii, 19 : *Inundationem maris quasi lac sugent.* Ipsi etiam mali inter quos Christus venit, mare dicuntur. Isa. lvii, 20 : *Impii quasi mare fervens, quod quiescere non potest.* In has amaritudines se projecit voluntarie sicut Jonas : *Tollite me, et mittite in mare,... scio enim quoniam propter me tempestas hæc grandis venit super vos* [1].

« *Et tempestas,* » seditio et conturbatio Judæorum, « *demersit me,* » ad mortem trahendo. Psal. lxxxvii, 8 : *Omnes fluctus tuos induxisti super me.* Jon. i, 4 : *Facta est tempestas magna in mari,* cum submergit impium : sed major cum aliquem justum : sed certe etiam maxima tempestas, quando submersit ipsum Dei Filium. Sed sicut tempestate ipsum impii demerserunt, sic ipse eos in fine tempestabit. Nahum, i, 3 : *Dominus in tempestate, et turbine,* supple, veniet. Isa. xix, 6 : *Eritque repente confestim. A Domino exercituum visitabitur in tonitruo, et commotione terræ, et voce magna turbinis et tempestatis.*

« *Laboravi clamans.* » Hic secundum, et dicuntur duo. Labor in convertendo ad bonum primo. Secundo, laboris magnitudo, ibi, « *Raucæ.* » 4

Dicit ergo : Sic sustinere volui, et etiam « *laboravi clamans,* » pro eorum conversione. Isa. i, 14 : *Laboravi sustinens,* et post clamans. Joan. vii, 37 : *Stabat Jesus, et clamabat dicens : Si quis sitit, veniat ad me, et bibat.* Joan. xi, 43 : *Voce magna clamavit : Lazare veni foras.* Clamare autem oportebat, quia ad surdos loquebatur. Zach. vii, 11 : *Aggravaverunt aures suas ne audirent.* Prov. i, 24 : *Vocavi et renuistis,* supple, venire.

« *Raucæ factæ sunt.* » Hic secundum. Quasi diceret : Non modicum laboravi in clamando, imo « *raucæ factæ sunt fauces meæ,* » propter magnitudinem laboris, sicut gallina, quæ propter amorem pullorum efficitur rauca. Matth. xxiii, 37 : *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas,* etc.

« *Defecerunt oculi mei.* » Hic tertium. Quasi diceret : Non solum voluntarie tribulationes sustinui, ut vos converterem laboravi : sed etiam « *defecerunt oculi mei,* » in morte : in ipsa enim deficiunt

[1] Jon. i, 12.

Quæ fuit spes in Christo.

oculi : et hoc volui, « *dum spero,* » id est, quia spero in Deo meo. Ecce argumentum quod habuit spem : et hoc verum est de gloria corporis habenda. Isa. LIII, 7 : *Oblatus est quia ipse voluit.* Et deficientibus oculis corporalibus, defecerunt et spirituales, scilicet Apostoli. Matth. XXVI, 56 : *Discipuli omnes relicto eo fugerunt.* Job, VI, 13 : *Et necessarii quoque mei recesserunt a me.* Oculi sunt homini valde amici.

Vox pœnitentis clamantis in confessione, oratione et prædicatione.

Hæc possunt exponi de prædicatoribus et doctoribus, quorum vox deficit in clamando, oculi in studendo. Potest et esse vox pœnitentis, qui dicit : « *Laboravi* » in contritione, ad educendum colubrum tortuosum[1]. Isa. XXVII, 1 : *In die illa visitabit Dominus... super Leviathan serpentem tortuosum.* Dicitur, quod adultera non potest parere, donec nominaverit adulterum. Clamans in confessione primo, Isa. XXVI, 17 : *Sicut quæ concipit, cum appropinquaverit ad partum, dolens clamat in doloribus suis.* In oratione secundo, Baruch, III, 1 : *Anima in angustiis, et spiritus anxius clamat ad te.* In prædicatione tertio, Isa. LVIII, 1 : *Clama, ne cesses,... et annuntia populo meo scelera eorum.*

« *Defecerunt oculi mei* » in lacrymarum effusione. Thren. II, 11 : *Defecerunt præ lacrymis oculi mei.* « *Dum spero in Deo meo,* » cœlestium certa exspectatione. Psal. IV 6 : *Sacrificate sacrificium justitiæ, et sperate in Domino.* Hæc duo ultima, Isa. XXXVIII, 14 : *Attenuati sunt oculi mei suspicientes in excelsum.* Prov. XIV, 32 : *Sperat justus in morte sua.*

5 « *Multiplicati sunt.* » Hic tertium, in quo sumit rationes ab ipso persecutore populo : et tangitur primo persecutorum multiplicitas. Secundo, malignitas, ibi, « *Qui oderunt.* » Tertio, malignitatis perversitas, ibi, « *Confortati sunt.* »

Dicit ergo : Tanta mala patior, propter quod salvum me fac : et etiam quia « *multiplicati sunt* » non modicum. Imo, « *super capillos capitis mei,* » quasi in infinitum. Supra, in Psal. III, 2 : *Domine, quid multiplicati sunt qui tribulant me?* Job, XXX, 18 : *In multitudine eorum consumitur vestimentum meum,* corpus scilicet meum occiditur, vulneratur. Jerem. XLVI, 23 : *Multiplicati sunt super locustas, et non est eis numerus.* Capilli etiam qui capiti adhærent, Sanctos significant. Cant. IV, 1 : *Capilli tui sicut greges caprarum, quæ ascenderunt de monte Galaad* Super hos multiplicati sunt mali.

« *Qui oderunt me gratis,* » sine meritis. Ecce malignitas. Supra, in Psal. XXXIV, 7 : *Gratis absconderunt mihi interitum laquei sui,* id est, sine meritis. Eccli. XXIX, 8 : *Possidebit illum inimicum gratis.* Thren. III, 52 : *Venatione ceperunt quasi avem inimici mei gratis.*

« *Confortati sunt.* » Hic tertium, scilicet malignorum perversitas, scilicet confortari in malo et lætari.

Ait enim : Sic multiplicati sunt, et etiam « *qui persecuti sunt me injuste.* » I Pet. I, 23 : *Tradebat autem judicanti se injuste* « *Confortati sunt,* » in mea afflictione, et sua malitia. Jerem. V, 6 : *Confortatæ sunt aversiones eorum.* I Reg. IV, 9 : *Confortamini, et estote viri, Philistiim.* Jerem. IX, 3 : *Confortati sunt in terra : quia de malo ad malum egressi sunt.*

« *Quæ non rapui.* » Hic tertium, in quo sumit rationes a causa patiendi, ut salvus fiat : et dicuntur duo. Primo, quia pro aliena patitur iniquitate, et ignorantia. Secundo, pro Dei obedientia et amore, ibi, « *Quoniam propter te.* »

In prima tria. Primo, quod non pro

[1] Job, XXVI, 13 : *Spiritus ejus ornavit cœlos : et obstetricante manu ejus, eductus est coluber tortuosus.*

se, sed pro aliis pœnam solvit. Secundo, cui solvit exponit, ibi, « *Deus tu scis.* » Tertio, petit ut illis proficiat pro quibus solvit, ibi, « *Non erubescant.* »

Christus solvit quod Adam rapuit.

Dicit ergo : Tanta patior et a tot, et a tam malis injuste, et etiam « *quæ non rapui, tunc,* » in mea scilicet Passione, « *exsolvebam,* » pro aliis satisfaciendo. Genes. XXXI, 39, dicebat Jacob : *Ego damnum omne reddebam.* Totum Christus reddidit, totum solvit, nihil est quod solvimus. Job, XVII, 2 : *Non peccavi, et in amaritudinibus moratur oculus meus.* Pro alienis peccatis. Isa. LIII, 6 : *Posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum.* Lev. XVI, 22 : *Cumque portaverit hircus omnes iniquitates eorum in terram solitariam.* Rapuit diabolus quantum in se fuit divinitatem, volens ad æqualitatem ascendere divinæ potestatis. Isa. XIV, 14 : *In cœlum conscendam : super astra Dei exaltabo solium meum.* Rapuit et homo sapientiam quantum in se fuit, quando ad æqualitatem scientiæ affectavit pervenire, et fecit quod credidit se perducturum. Genes. III, 5 : *Eritis sicut dii, scientes bonum et malum.* Sed Christus non, quia naturaliter æqualis Patri semper fuit, est, et erit. Ad Philip. II, 6 : *Non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo.* Solvit ergo Christus pro homine, non pro dæmone : quia fidejussorem se constituit carnem assumendo, hominis naturam, non dæmonis. Ad Hebr. II, 16 : *Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit.* Et scriptum est, Proverb. XX, 16 : *Tolle vestimentum ejus, qui fidejussor exstitit alieni.*

6 « *Deus, tu scis insipientiam.* » Hic est secundum hujus partis, in quo exponit quæ solvit. Ignorantias primo. Secundo, culpas, ibi, « *Et delicta.* »

Aliqua ignorantia est peccatum.

Dicit ergo : Bene solvi quæ non rapueram, quia o « *Deus* » Pater, « *tu scis,* » qui nihil ignoras, « *insipientiam meam* », id est, meorum, quanta indigebat purgari pœna. Argumentum expressum, quod aliqua ignorantia est peccatum, quod verum est illorum verorum, quæ necesse est scire ad salutem. Psal. XXXVII, 6 : *Corruptæ sant cicatrices meæ, a facie insipientiæ meæ.*

« *Et delicta mea,* » id est, meorum, et propter hoc reputo mea. Vel « *mea,* » quia a me suscepta. I Petr. II, 22 : *Peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus :* sed ab aliis facta suscipit. In eodem, ℣. 24 : *Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum.* « *A te non sunt abscondita,* » quin scias, qualiter pro illis emenda facienda. Job, XXVI, 4 : *Nudus est infernus coram illo, et nullum est operimentum perditioni.* II ad Corinth. V, 21 : *Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit,* id est, hostiam pro peccato. Sed si insipientiam habeant eorum quæ necessaria sunt ad salutem, articulorum scilicet fidei, et per hoc dicit, quomodo membra Christi erant? Et similiter si delicta tanta punitione digna. Respondeo. Membra erant ejus prædestinatione, non secundum statum in quo erant in ignorantia et delictis.

« *Non erubescant in me.* » Hic tertium in quo petit ut illis prosit, pro quibus solvit : et dividitur in partes duas. Primo quidem orat pro antiquis ejus adventum desiderantibus, ut illis prosit. Secundo, pro modernis, ibi, « *Non confundantur.* » 7

Dicit ergo : Sic solvi et ignorantias et peccata : et propter hoc o « *Domine, Domine,* inquam, *virtutum.* » Et potest dici, quod duplicat « *Domine* » propter duplex dominium, Angelorum scilicet et hominum. « *Non erubescant,* » in me scilicet, frustrati sua fideli exspectatione. I ad Corinth. XV, 14 : *Si Christus non resurrexit, inanis est et fides nostra.* « *Qui exspectant te,* » antiqui, qui tamen videre non potuerunt oculo carnis. Luc. X, 24 : *Multi Prophetæ et Reges volue-*

runt videre quæ vos videtis, et non viderunt. Et oculo mentis sicut Abraham. Joan. VIII, 56 : *Abraham pater vester exsultavit ut videret diem meum.* Exspectant, inquam, remuneratorem pro fide, quam habent de me. Eccli. XXXVI, 18: *Domine... da mercedem sustinentibus te.* Psal. XXIV, 3 : *Universi, qui te exspectant, non confundentur*[1].

« *Non confundantur.* » Hic secundum. Quasi diceret : Sic rogo quoad præteritos, nunc autem quoad modernos, o « *Deus Israel,* » Deum per fidem videntium nunc in via. I ad Corinth. XIII, 12 : *Videmus nunc per speculum in ænigmate.* Et per speciem contemplantium. Ibidem, *Tunc autem facie ad faciem.* « *Non confundantur super me* » moriendo in carne, « *qui quærunt te* » in desiderio, et fervore, et sincera fide. Amos, V, 4 : *Quærite me, et vivetis,* et non confundemini, quia ad Rom. IX, 33 : *Omnis qui credit in eum, non confundetur.*

8 « *Quoniam propter te sustinui.* » Hic secunda causa tangitur patiendi, obedientia scilicet et amor Dei. Et primo, pro causa tangitur obedientia. Secundo, amor fervens, seu amoris vehementia ad honorem Dei, ibi, « *Quoniam zelus.* »

In prima duo. Primo, quod sustinuit propter obedientiam verba vilia. Secundo, quod facta, ibi, « *Operuit.* »

Dicit ergo : Prædictis causis salvum me fac, et propter hoc maxime, « *quoniam propter te,* » id est, propter voluntatem tuam, cui volebam in omnibus obedire, sustinui opprobrium verborum. Jerem. XV, 15 : *Scito quoniam propter te sustinui opprobrium.* Jerem. XX, 8 : *Factus est mihi sermo Domini in opprobrium, et in derisum.* Augustinus : « Felix miseria, cujus Deus est causa. » Si autem quæratur, quæ sint illa ? Matth. XI, 19 : *Ecce homo vorax et potator vini.* Luc. XI, 15 : *In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia.* Joan. VIII, 48 : *Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es, et dæmonium habes ?* Et Matth. XXVII, 40 : *Vah qui destruis templum Dei, et in triduo illud reædificas.* Propter hoc dicit, Thren. III, 61 : *Audisti opprobrium eorum Domine, omnes cogitationes eorum adversum me.*

Nec hoc tantum, imo « *confusio,* » crucifixoribus velantibus, « *operuit faciem meam.* Matth. XXVI, 68 : Velata facie percutiebant eum *dicentes* : *Prophetiza nobis Christe, quis est qui et percussit ?* Vel, « *Confusio operuit faciem meam.* » Boni enim cum in se vilia perpetiuntur, confunduntur ad tempus confusione propassionis, non passionis. Genes. XXI, 9 et seq., Sara moleste tulit opprobrium ancillæ suæ. Apocalyps. II, 9 : *Blasphemaris ab his qui se dicunt Judæos esse, et non sunt.* Tamen omnia in patientia sustinenda. Isa. L, 6 : *Faciem meam non averti ab increpantibus, et conspuentibus in me.*

Alia littera : « Operuit, » secundum judicium hominum, « faciem meam irreverentia. » Et sunt verba corporis : cum enim infideles blasphemant Christum, quasi impudenter, oportet nos confiteri, nec curare de contemptu. Seneca : « Æquo animo toleranda sunt iniquorum convicia, et ad honesta tendenti contemnendus est iste contemptus. » I ad Corinth., IV, 3 : *Mihi autem pro minimo est ut a vobis judicer, aut ab humano die.*

« *Extraneus factus sum.* » Hic secundum, in quo ostendit quid sustinuit a domesticis : et tanguntur duo. Primo, alienatio. Secundo, vehementia alienationis, ibi, « *Et peregrinus.* » 9

Dicit ergo : Quæ præmisi, sustinui ab omnibus simpliciter, et etiam « *extra-*

[1] Vulgata habet, Psal. XXIV, 3 : *Universi, qui sustinent te, non confundentur.*

neus factus sum fratribus meis » cognatione, Judæis scilicet. Job, XIX, 13 : *Fratres meos longe fecit a me.* Vere extraneus, Cant. I, 5 : *Filii matris meæ pugnavenerunt contra me.* Fratres etiam ejus possunt dici ejus consanguinei, qui elongabant se ab eo, nec credebant. Joan. VII, 5 : *Neque enim fratres ejus credebant in eum.*

« *Et peregrinus,* » quod plus est, qui aliunde venit, et cito transit. Vel extraneus refertur ad interiorem affectum, peregrinus ad exteriorem effectum. Job, XIX, 15 et 16 : *Quasi peregrinus sui in oculis eorum. Servum meum vocavi, et non respondit.* Vere peregrinus plusquam alius. Joan. I, 11 : *In propria venit, et sui eum non receperunt.* Luc. XXIV, 18 : *Tu solus peregrinus es in Jerusalem.* « *Filiis matris meæ,* » hoc est, Synagogæ, qui bene me deberent cognoscere. Isa. I, 3 : *Israel me non cognovit, et populus meus non intellexit.* Jerem. VIII, 7 : *Milvus in cœlo cognovit tempus suum, et hirundo, et ciconia custodierunt tempus adventus sui : populus autem meus non cognovit judicium Domini,* quo voluit judicari ut latro, et crucifigi.

10 « *Quoniam zelus domus tuæ.* » Hic secundum, in quo ostenditur, quod non solum obedientia, sed amoris vehementia facit mala sustinere ad mortem, et bona reddit contra mala, quod est majoris perfectionis. Dicuntur ergo tria hic. Primo, amoris vehementia ad quærendum honorem Dei, et utilitatem proximi. Secundo, tanguntur mala quæ sustinuit, ibi, « *Et opprobria exprobrantium.* » Tertio, bona quæ e contrario contulit, ibi, « *Ego vero.* »

Dicit ergo : Hæc prædicta mala sustinui propter te, ut tibi obediens invenirer : et etiam « *zelus,* » fervens scilicet dilectio, « *domus tuæ,* » colligendæ tibi, et congregandæ, « *comedit me,* » quasi absorbuit me totum, ut eos qui peccabant contra te, flagellarem, sicut factum est, Joan. II, 14, et Matth. XXI, 12, quando facto funiculo ejecit ementes, et vendentes de templo. Isa. LIX, 17 : *Opertus est Dominus quasi pallio zeli.* Joel, II, 18 : *Zelatus est Dominus terram suam.* Zachar. VIII, 2 : *Zelatus sum Sion zelo magno.* Vel, « *comedit me,* id est, causa meæ consumptionis et mortis fuit : propter hoc enim occiderunt me.

Et notandum, quod est zelus dilectionis, ut hic, et III Reg. XIX, 10 : *Zelatus sum zelo pro Domino exercituum.* Indignationis, Jacob. III, 16 : *Ubi zelus et contentio, ibi inconstantia, et omne opus pravum.* Præsentis iræ inflictæ ad correctionem, Ezech. XVI, 42 : *Auferetur zelus meus a te, et quiescam, nec irascar amplius.* Futuræ ad vindictam malorum, Psal. LXXXVIII, 47 : *Exardescet sicut ignis ira tua.* Invidiæ, I ad Cor. III, 3 : *Cum sit inter vos zelus et contentio, nonne carnales estis, et ambulatis secundum hominem?* Zelus dilectionis, indignationis, iræ, et invidiæ.

Et etiam notandum, quod amor Dei dicitur amor quasi zelotypi. Primo, quia sponsæ apponit custodes Angelos et homines. Esther, II, 3 : *Tradant eas sub manu Egei Eunuchi, qui est custos mulierum regiarum.* Isa. XXI, 6 : *Pone speculatorem, et quodcumque viderit, annuntiet.* Item, quia, notat nutus et signa sponsæ valde diligenter. Isa. III, 16 : *Pro eo quod elevatæ sunt filiæ Sion, et ambulaverunt extento collo, et nutibus oculorum ibant,... et composito gradu incedebant : decalvabit Dominus verticem filiarum Sion.* Item, quia suspecta habet munera ab adultero accepta. Osee, II, 5 : *Dixit : Vadam post amatores meos, qui dant mihi lanam meam, et linum meum.* Item, gravissime condemnat adulteram, et punit. Exod. XX, 5 : *Ego sum Dominus Deus tuus fortis, zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios.* Prov. VI, 34 et 35 : *Zelus et furor viri non parcet in die vindictæ, nec acquiescet cujusquam precibus, nec accipiet pro redemptione dona plurima.* Susurrum adulteri et

sponsæ diligenter et latenter auscultat. Sapient. I, 10 : *Auris zeli audit omnia, et tumultus murmurationum non abscondetur.*

« *Et opprobria.* » Hic secundum, in quo tanguntur mala, quæ sustinuit, et a quibus. Et primo, quæ. Secundo, a quibus, ibi, « *Adversum me.* »

In prima duo. Primo, vilitas et abjectio tangitur. Secundo, bonorum quæ faciebat, perversa interpretatio, ibi, « *Et operui in jejunio.* »

Dicit ergo : Sic zelo ardebam, « *et opprobria exprobrantium tibi* » quandoque, sicut mos fuit semper Judæorum. Vel, exprobrantium tibi in me, « *ceciderunt super me,* » nunc. Job, XVI, 11 : *Aperuerunt super me ora sua, et exprobrantes percusserunt maxillam meam.* Thren. II, 16 : *Aperuerunt super te os suum omnes inimici tui.* Isa. LVII, 4 : *Super quem lusistis ? super quem dilatastis os, et ejecistis linguam,* etc.

11 « *Et operui in jejunio.* » Hic secundum : perversa interpretatio bonorum : et dicuntur duo, quæ pervertebant. Primo, abstinentia in victu. Secundo, asperitas in vestitu, ibi, « *Et posui vestimentum meum cilicium.* »

Christus non legitur indutus cilicio.

Vel, quia Christus non legitur fuisse indutus cilicio, primo, perversa interpretatio humilitatis in conversatione. Secundo, perversa interpretatio infirmitatis in passione, ibi, « *Et posui.* »

In prima duo. Primo, tangitur bonum. Secundo, interpretatio perversa subjungitur, ibi, « *Et factum est.* »

Dicit ergo : Sic exprobraverunt, et ego operui animam meam, animæ meæ potentiam, et dignitatem. Habac. III, 4 : *Ibi abscondita est fortitudo ejus.* Isa. XLV, 15 : *Vere tu es Deus absconditus.* Et hoc « *in jejunio,* ad litteram, abstinentiæ. Matth. IV, 2 : *Cum jejunasset quadraginta diebus, et quadraginta noctibus, postea esuriit.* Vel, ego dico existens in jejunio spirituali, scilicet in desiderio salvandi illos. Joan. IV, 34 : *Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me,* scilicet Patris mei. Glossa : « Cibus Salvatoris est conversio peccatoris. »

Cibus Salvatoris, conversio peccatoris.

Vel, « *Operui animam meam* » afflictam « *in jejunio,* » et hoc exteriori hilaritate, nec exterminavi sicut hypocritæ. Matth. VI, 16 : *Cum jejunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes.* Et paulo post, ℣. 17 : *Tu autem cum jejunas, unge caput tuum : et faciem tuam lava.*

Vel, « *Operui animam meam in jejunio,* » de ipso quoddam pallium faciens decentissimum, sicut factum est in tribus pueris. Daniel. I, 15 : *Post dies decem apparuerunt vultus eorum meliores, et corpulentiores, præ omnibus pueris, qui vescebantur cibo regio.*

Vel, « *Operui* » ad munitionem. Jejunium hoc armatura contra insultus tentatoris, imo ipsius Dei affligere volentis. Jon. III, 5 : *Prædicaverunt jejunium, et vestiti sunt saccis, a majore usque ad minorem,* et sic evaserunt. « *Et factum est* » a perverse interpretantibus, « *in opprobrium mihi.* » Cassiodorus : « Boni malis sunt opprobrio, quia eorum sceleribus non acquiescunt. » Isa. LIX, 14 et 15 : *Corruit in platea veritas,.. et qui recessit a malo, prædæ patuit.*

« *Et posui vestimentum.* » Hic secundum, perversa interpretatio ostensæ infirmitatis. Et primo, bonum. Secundo, subversio boni, ibi, « *Et factus sum illis.* » 12

Dicit ergo : Sic perverterunt quia potentiam abscondi, « *et* » etiam « *posui cilicium,* naturam humanam infirmam similem peccatrici, « *vestimentum meum,* » modo scilicet divinitatis. Apoc. VI, 12 : *Sol factus est niger tamquam saccus cilicinus.* Job, XVI, 16 : *Saccum consui super cutem meam.* Ad Rom. VIII, 3 : *Filium suum misit in similitudinem carnis*

peccati. Jon. III, 6 : Rex Ninivæ induit se cilicio [1].

« *Et factus sum illis in parabolam,* » irrisoriam et maledicam, cum morientis in cruce viderunt infirmitatem. Talis parabola, Jerem. XIX, 22 : *Ponat te Dominus sicut Sedeciam, et sicut Achab, quos frixit rex Babylonis in igne.* Job, XVII, 6 : *Posuit me quasi in proverbum vulgi, et in exemplum coram illis.* Sic qui pœnitentiis se affligit, ab illis irridetur ut insanus. Sap. v, 4 : *Nos insensati, vitam illorum æstimabamus insaniam.* Hieronymus ad Eustochium : « Si quem viderint tristem pro peccatis, atque pallentem pro jejuniis ac ciliciis, et monachum vocant. »

Qui pœnitentiis se affligit, irridetur ab aliis ut insanus.

13 « *Adversum me.* » Hic secundum, in quo ostenso quæ mala patitur, ostendit a quibus patitur, et in quibus locis sit in parabolam. Primo, quod in plateis. Secundo, quod in tabernis, ibi, « *Et in me psallebant.* » Vel secundum aliam litteram, primo, quod sapientibus, et alios regentibus. Secundo, mundanorum amatoribus.

Ait enim : Hæc sustinebam, et vere, quia « *adversum me,* » irridendo, bona in malum convertendo, loquebantur, « *qui sedebant in porta,* » in locis publicis et conventibus communibus, qui solent fieri in portis. Thren. III, 14 : *Factus sum in derisum omni populo meo, canticum eorum tota die.* Vel, « *qui sedebant in porta,* » id est, judicibus, qui ibi faciebant judicia. Deut. XVI, 17 : *Judices et magistros constitues in omnibus portis tuis.* Ruth, IV, 1 : Accessit Booz ad portam ubi erant judices [2]. Et Amos, V, 10 : *Odio habuerunt corripientem in porta.* Et rursus, in eodem, ℣. 15 : *Constituite in porta judicium.*

« *Et in me psallebant,* » irrisorie, ut mea irrisio esset ei jucunditas musici instrumenti, « *qui bibebant vinum* » in tabernis. Prov. XXIII, 20 : *Noli esse in conviviis potatorum.* Prov. IV, 17 : *Comedunt panem impietatis, et vinum iniquitatis bibunt.* Vel, « *qui bibebant* » cum delectatione magno haustu « *vinum* » jucunditatis temporalis. Joel, I, 5 : *Flete et ululate, qui bibitis vinum in dulcedine.* Et vere ululandum : quia valde periculosum, quia venenosum. Deuter. XXXII, 33 : *Fel draconum vinum eorum, et venenum aspidum insanabile.* Hoc est illud vinum, de quo Prov. XXXI, 4 : *Noli regibus, o Lamuel, noli regibus dare vinum.*

« *Ego vero orationem.* » Hic tertium totius hujus partis. Ostensa enim amoris vehementia, ostenso quod sustinuit mala, hic tertio ostendit quæ contulerit bona. Duo ergo dicuntur. Primo quod oravit positus in tantis malis pro se, et pro illis. Secundo ostendit, quod exaudiendus sit, ibi, « *Tempus beneplaciti.* » 14

Dicit ergo : Hæc mala mihi intulerunt, « *ego vero* » e contrario, « *orationem meam,* » pro me factam ut ab iis liberarer, « *ad te,* » supple, dirigebam. Cassiodorus : « Insinuat cœlestis doctor jurgiis « hominum, non inflammatis rixis, sed « orationibus obviandum, » Exod. XVII, 10, Amalec precibus est victus Moysi, et Israel liberatus.

Ad te etiam dirigebam orationem meam pro ipsis illuminandis, et a peccato absolvendis. Luc. XXIII, 34 : *Pater dimitte illis : non enim sciunt quid faciunt.* In Psal. v, 4, supra : *Ad te orabo, Domine.* Et quoniam ita est, exaudi, quia o Deus, « *tempus est beneplaciti* » exhibendi, id est, reconciliationis, et gratiæ exhibendæ. Et scriptum est, Isa. XLX, 8 : *In tempore placito exaudivi te,*

Quid sit tempus beneplaciti.

[1] Jon. III, 6 : *Et pervenit verbum ad regem Ninive : et surrexit de solio suo, et abjecit vestimentum suum a se, et indutus est sacco, et sedit in cinere.*

[2] Ruth. IV, 1 : *Ascendit Booz ad portam, et sedit ibi.*

et in die salutis auxiliatus sum tui. II ad Cor. vi, 2 : *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc,* etc. Ad Gal. iv, 4 : *Venit plenitudo temporis.* Psal. ci, 14 : *Tu exsurgens misereberis Sion : quia tempus miserendi ejus, quia venit tempus.*

« *In multitudine.* » Hic est quinta pars, et ultima, in qua rogat ut salvetur sumpta ratione a misericordia et veritate ejus quem rogat : et secundum hoc dicuntur duo. Primo, sumitur ratio ab abundantia misericordiæ. Secundo, a veridica promissione, ibi, « *In veritate.* »

Dicit ergo : Sic salva me et libera, quia talibus causis affligor et torqueor. Et etiam exaudi « *in multitudine misericordiæ tuæ.* » Psal. l, 3 : *Secundum multitudinem miserationum tuarum,* etc. Daniel. ix, 18 : *Neque enim in justificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis.* Multa enim est miseratio Dei, sicut alibi dictum fuit[1], et valde magna. Augustinus : « Nemo de Dei pietate « diffidat : major enim est ejus miseri« cordia, quam nostra miseria : tardius « siquidem ei videtur veniam peccatori « dare, quam ipsi peccatori recipere : sic « enim festinat absolvere reum a tor« mento conscientiæ suæ, quasi plus « cruciet eum compassio miseri, quam « ipsum compassio sui. » Et variis modis exhibitæ, et per multos. II Esdr. ix, 27 : *Tu de cœlo audisti, et secundum miserationes multas dedisti ei salvatores multos.* De magnitudine et multitudine. Cassiodorus : « Non parva misericordia « fuit, quæ tam ingentia peccata supera« vit. » Multitudo quidem fuit delicti, sed multo numerosior misericordia illa quæ vicit. Ad Rom. v, 20 : *Ubi abundavit delictum, superabundavit gratia.*

Magnitudo et multitudo misericordiæ Dei.

« *Exaudi me,* » etiam « *in veritate salutis tuæ,* » omnibus te petentibus promissæ. Bene tamen additur misericordia de veritate : quia Psal. xxiv, 10. *Universæ viæ Domini, misericordia et veritas.* Promisit enim per Prophetas, quod Christum resuscitaret a mortuis. Supra, in Psal. xv, 10 : *Nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Et alios per ipsum, Osee, vi, 3 : *Vivificabit nos post duos dies : in die tertia suscitabit nos.* Et suscitatus salvaret, Isa. lvi, 1 : *Juxta est salus mea ut veniat, et justitia mea ut reveletur.*

« *Eripe me de luto.* » Hic secundum 15
illius partis, in qua orat pro sua liberatione. Oravit enim caput pro se, hic orat pro corpore : et dicuntur duo. Primo, oratio. Secundo, persuasio, ibi, « *Exaudi me, Domine.* »

In prima tanguntur sex. Primo, petit ut corpus liberetur a consensu in peccatum. Secundo, a malo actu, ibi, « *Ab iis qui oderunt.* » Tertio, a nimio amore peccati, ibi, « *Et de profundis aquarum.* » Quarto, a consuetudine, ibi, « *Non me demergat.* » Quinto, a contemptu, ibi, « *Neque absorbeat.* » Sexto, a desperatione, ibi, « *Nec urgeat.* »

Dicit ergo : Sic rogavi pro me usque modo, sed nunc pro membris dico : O Domine, « *eripe me de luto,* » id est, corpus meum, non ut non sentiam, sed ut « *non infigar* » per consensum : lutum enim dicitur corpus humanum, sive humana natura. Jer. xviii, 4 : *Et dissipatum est vas quod ipse faciebat e luto manibus suis.* Temporalis abundantia, Habac. ii, 6 : *Væ ei, qui multiplicat non sua? usquequo et aggravat contra se densum lutum?* Culpa, Exod. v, 6 et seq., Filii Israel serviebant in luto et latere. Et maxime peccatum luxuriæ : et hoc primo, quia immundum est in se, Jerem. ii, 24 : *Omnes qui quærunt eam, non deficient, in menstruis ejus invenient eam.* Item, maculativum tangentium, Jerem. ii, 22 : *Maculata es in iniquitate tuam coram me, dicit Dominus Deus.* Item, quia fœtet, Amos, iv, 10 : *Ascen-*

Luxuria luto collata.

[1] Cf. præcipue Commentarium in Psal. VI, ỳ 3, tomo XV, hujusce editionis novæ.

dere feci putredinem castrorum vestrorum in nares vestras. Et tenet, Genes. xiv, 10 : *Vallis Silvestris habebat puteos multos bituminis.* Item, quia porcis placet : ibi se balneant, id est, luxuriosis, II Petr. ii, 22 : *Canis reversus ad suum vomitum : et, Sus lota in volutabro luti.*

« *Libera me ab iis qui oderunt me,* » dæmonibus, et malis hominibus, quod est proprie liberari ab actu. Homines enim et dæmones semper quærunt inclinare ad actum : quia non vident interiorem consensum. Dan. xiii, 20 : *Assentire nobis, et commiscere nobiscum.*

« *Et de profundis aquarum,* » id est, a nimio amore deliciarum. In his profundis se mersum sentiebat, qui dicebat in Psal. cxxix, 1 : *De profundis clamavi ad te, Domine.*

16 « *Non me demergat tempestas aquæ,* » carnalis motus tempestuosæ non teneat concupiscentiæ in prava consuetudine. Gregorius : « Quem mali operis iniquitas a bona stabilitate commovit, quasi tempestas eum rapuit. Si vero in peccatorum tenebris sederit, cito consuetudo ipsum in foveam mergit. »

« *Nec absorbeat me profundum,* » per pœnitendi contemptum. Proverb. xviii, 3 : *Impius, cum in profundum venerit peccatorum, contemnit,* et absorptus est. Jerem. li, 34 : *Absorbuit me quasi draco.* Job, xl, 18 : *Absorbebit fluvium, et non mirabitur : et habet fiduciam quod influat Jordanis in os ejus.*

« *Nec urgeat,* « id est, claudat, « *puteus,* » iniquitatis profunditas, « *os suum super me* » per desperationem. Hic est puteus, de quo Proverb. xxiii, 27 : *Fovea profunda est meretrix,* id est, carnalis concupiscentia : *et puteus angustus aliena,* id est, culpa, quæ aliena est a natura. Super quem urget hic puteus os suum, scilicet culpa, aperit super illum alius puteus os suum, scilicet gehenna, de quo Apocalyps. ix, 2 : *Et aperuit puteum abyssi :... et obscuratus est sol et aer de fumo putei.* Possent hæc legi de capite etiam, sicut planum est in Glossa, sed magis proprie, sicut lectum est, de membris.

« *Exaudi me, Domine.* » Hic secundum, scilicet persuasio, quod exaudiatur. Et primo, allegat divinæ misericordiæ suavitatem. Secundo, multiplicitatem in effectu, ibi, « *Et secundum multitudinem.* » 17

In prima duo. Primo, petit ut de peccatis exaudiatur. Secundo, ratio, quare exaudiri debeat, supponitur, ibi, « *Quoniam benigna est.* »

Misericordiæ Dei benigna, suavis, et speciosa.

Dicit ergo : Hæc petii pro meo corpore, et tu « *Domine, exaudi me,* » et hoc non meis meritis, sed « *quoniam misericordia tua est benigna.* » Alia littera habet « suavis. » « *Benigna,* » quia a benigno spiritu procedit. Sapient. i, 6 : *Benignus est enim spiritus sapientiæ, et non liberabit,* etc. Et a charitate benigna. I ad Corinth. xiii, 4 : *Charitas patiens est, benigna est.* Et suavis, quia a suavi spiritu similiter procedit. Sap. xii, 1 : *O quam bonus et suavis est Domine, spiritus tuus in omnibus.* Et speciosa est valde quando indiget homo maxime. Eccli. xxxv, 26 : *Speciosa est misericordia Dei in tempore tribulationis, quasi nubes pluviæ in tempore siccitatis.*

« *Secundum multitudinem miserationum.* » Hic allegat multitudinem in effectu : in se enim non est nisi una. Quasi diceret : Sic exaudi, et hoc etiam « *respice in me,* » oculo misericordiæ. Psal. xxiv, 16 : *Respice in me, et miserere mei.* Sap. iv, 15 : *Et respectus in electos illius.* Non respectu justitiæ quo aliquando respicit malos. Job, xl, 7 : *Respice cunctos superbos, et contere illos.* Exod. xiv, 24 : *Et ecce respiciens Dominus super castra Ægyptiorum per columnam ignis et nubis, interfecit exercitum eorum.* Et hoc non meritis nostris, sed « *secundum multitudinem miserationum tuarum.* » Daniel. ix, 18 : *Neque enim in justifica-*

tionibus nostris prosternimus preces nostras ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis.

18 « *Et ne avertas faciem.* » Hic tertium primæ partis totius hujus Psalmi. Oravit enim pro corpore, oravit pro capite et distincte : hic simul orat pro utroque : et dicuntur tria. Primo, petit Patrem sibi benignum fieri. Secundo, a benigno velociter exaudiri, ibi, « *Quoniam tribulor.* » Tertio, ab exaudiente liberari, ibi, « *Intende animæ meæ.* »

Dicit ergo : Sic exaudi me orantem supra pro me, immediate pro meo corpore : « *et ne avertas faciem tuam,* » nunc, « *a puero tuo,* » meipso, Christo scilicet, de quo Matth. XII, 18 : *Ecce puer meus quem elegi*[1]. Et Isa. IX, 6 : *Parvulus natus est nobis,* etc. Puer autem dicitur Christus propter puritatem, I Pet. II, 22 : *Qui peccatum non fecit, nec inventus est,* etc.[2]. Propter humilitatem, Matth. XI, 29 : *Discite a me, quia mitis sum,* etc. Propter mansuetudinem, Isa. LIII, 7 : *Sicut ovis ad occisionem ducetur, et quasi agnus coram tondente se obmutescet.* Propter omnimodam obedientiam, Ad Philip. II, 8 : *Factus obediens usque ad mortem,* etc. Puer etiam dicitur aliquando propter servitium et ministrationem. Sic Christus, Matth. XX, 28 : *Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare.*

Christus dicitur puer.

Vel de quolibet justo, et quasi de toto corpore legi potest. Quasi diceret : « *Ne avertas faciem tuam a puero tuo,* » quolibet justo, qui puer est tuus. Osee, XI, 1 : *Puer Israel, et dilexi eum.*

« *Quoniam tribulor.* » Hic secundum, Quasi diceret : Ne avertas faciem tuam, sed benignus esto, et « *exaudi me velociter.* » Loquitur pro se. Psal. CXLII, 7 : *Velociter exaudi me, Domine : defecit spiritus meus.* Quod et facit Deus. Isa. LXV, 24 : *Eritque antequam clament, ego exaudiam : adhuc illis loquentibus, ego audiam.* Et hoc debes, « *quoniam tribulor,* » hoc enim promisisti. Psal. XC, 15 : *Cum ipso sum in tribulatione : eripiam eum, et glorificabo eum.* Psal. XLV, 2 : *Adjutor in tribulationibus.*

« *Intende animæ.* » Hic tertium, in quo petit ab exaudiente ereptionem. Primo, animæ in occulto ab omni impatientia, et culpa. Secundo, corporis in aperto a morte et a pœnalitate ab aliis inflicta, sive referatur ad caput, sive ad membra, ibi, « *Propter inimicos.* » 19

In prima duo. Primo, excitat ad considerationem status animæ suæ. Secundo, orat liberationem, ibi, « *Et libera.* »

Ait enim : Sic benignum te exhibeas, et exaudias, et etiam « *intende animæ meæ,* » diligenter considerando ejus tristitiam et tribulationem. Matth. XXVI, 38 : *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Et in Psal. VI, 4, in persona membrorum : *Et anima mea turbata est valde.* « *Et libera eam,* » ab illa tristitia, et a tribulatione sua, ne per impatientiam pereant. Job, XXXIII, 28 : *Liberavit animam suam,* eum scilicet qui rogat ipsum, *ne pergeret in interitum.* Job, XVII, 3 : *Libera me Domine, et pone me juxta te.* Modus autem liberandi optimus est, patientiam tribuendo. Gregorius : « Tunc « melius in tribulatione liberat, cum pa- « tientiam dat. » Sic liberavit beatum Stephanum[3].

« *Et eripe me.* » Hic secundum, in quo petit apertam liberationem corporis a morte. Et primo petit ereptionem. Secundo, addit persuasionem, ibi, « *Propter inimicos.* »

Dicit ergo : Sic intende animæ meæ, et libera animam meam in occulto, et

[1] Cf. Isa. XLII, 1.
[2] Cf. Isa. LIII, 9.

[3] Cf. Act. VI, 8 et seq., et VII, 1 et seq. ad finem.

etiam « *eripe me,* » in aperto : « *me* » qui caput sum, suscitando : et alios Sanctos, qui corpus meum sunt, conservando, sicut aperte tres pueri in camino, ignis sunt conservati [1]. Dan. vi, 23 : *Eductusque est Daniel de lacu* [2].

« *Propter inimicos.* » Hic persuasio, ipsorum inimicorum conversio, si non sint obstinati : vel confusio, si obstinati fuerint : unde dicuntur duo : quia primo propter inimicos confundendos. Secundo, ostendit quod sunt confundendi, ibi, « *Tu scis improperium.* »

Dicit ergo : Sic eripe « *propter inimicos meos* » confundendos, cum me viderint resurgentem, cum membra viderint liberata. Psal. v, 9 : *Deduc me in justitia tua, propter inimicos meos.* Isa. xxvi, 11 : *Domine exaltetur manus tua, et non videant : videant et confundantur zelantes populi.* Vel magis propter inimicos convertendos : et sic tangit finem ereptionis. Gregorius : « Plerumque « Sancti salvari temporaliter, non pro- « pter se, sed propter adversarios appe- « tunt, ut dum illos Dominus per mira- « culum liberat, illos eodem miraculo ad « æternitatem ducat. » Idem : « Propter « me liberari a corporali tribulatione « non appeto, sed tamen eripi propter ad- « versarios concupisco, ut dum vita no- « stra salvari mirabilius cernitur, ipso- « rum miraculorum visu duritia adversa- « riorum convertatur. »

20 « *Tu scis improperium.* » Hic secundum, in quo ostendit quod non debent confundi. Et hoc probat primo rationibus sumptis ex parte ejus quem precatur. Secundo, a parte ejus qui affligitur ab illis, ibi, « *Improperium exspectavit.* » Tertio, a parte eorum a quibus affligitur, ibi, « *Et sustinui.* »

In prima duo. Primo, quia novit Pater mala oris, quæ injuste inferunt Filio, et suis. Secundo, etiam operis, ibi, « *In conspectu tuo sunt.* » Vel melius, quia scit mala quæ patitur. Secundo, quia personas inferentes, ibi, « *In conspectu.* »

In prima dicuntur tria secundum tria quæ Christus sustinuit, et adhuc sustinent membra. Primum est opprobrium verborum. Secundum est confusio cachinnorum, et signorum, ibi, « *Et confusionem.* Tertium, inhonoratio factorum vilium, ibi, « *Et reverentiam.* »

Dicit ergo : Eripe propter inimicos, et potes bene, et debes, quia « *tu scis improperium meum,* » non a me alteri, sed mihi ab aliis illatum. Supra, in eodem, ℣. 10 : *Opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me.*

« *Et confusionem meam,* » signorum scilicet ostensorum ad confundendum me. Matth. xxvii, 39 : *Blasphemabant, eum moventes capita sua, dicentes : Vah qui destruis templum Dei,* etc. Sic membra, Job, xii, 4 : *Deridetur justi simplicitas.*

« *Et reverentiam meam,* » quam mihi exhibent. Ironia, id est, reverentia in facto, quia alapis me cædebant. Job, xvi, 11 : *Aperuerunt in me ora sua,* exprobrando, cachinnando, *et exprobrantes percusserunt maxillam meam, satiati sunt pœnis meis.* Sic de membris, ad Hebr. xi, 36 et 37 : *Alii,* scilicet sancti, *ludibria et verbera experti, insuper et vincula et carceres : lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt.*

« *In conspectu tuo.* » Hic secundum. 21
Quia novit personas a quibus patitur.

Dicit ergo : Novisti illatas passiones, et etiam personas inferentes : quia omnes qui tribulant me his contumeliis, his tormentis, Sap. ii, 19 : *Contumelia et*

[1] Cf. Daniel. iii, 49 et seq.

[2] Cf. etiam Daniel. xiv, 39 et 40 : *Venit ergo rex... ad lacum, et introspexit, et ecce Daniel sedens in medio leonum... Et extraxit eum de lacu leonum.*

tormento interrogemus eum, « *sunt in conspectu tuo,* » in notitia scilicet tua, ita aperte sicut illa quæ in conspectu tuo sunt. Eccli. xvi, 16 et 17 : *Non dicas : A Deo abscondar, et ex summo quis mei memorabitur ? in populo magno non agnoscar.* Ad Hebr. iv, 13 : *Omnia nuda et aperta sunt oculis ejus.* Job, xxvi, 6 : *Nudus est infernus coram illo.* Quid mirum si discit, « *in conspectu ?* » Vicini enim sunt proximi valde. Ezech. xliii, 8 : *Fabricati sunt limen suum juxta limen meum, et murus erat inter me et eos.* Imo in ipsa domo Dei sunt. Jerem. xi, 15 : *Quid est, quod dilectus meus in domo mea fecit multa scelera ?*

« *Improperium exspectavit.* » Hic persuadet sumptis rationibus a parte suiipsius, qui patitur. Et primo, quia voluntarie cuncta sustinuit. Secundo, quia consortem non habuit, ibi, « *Et sustinui.* »

Dicit ergo : Propter hoc adjuva, nec solum, imo quia « *cor meum,* » voluntas scilicet deliberata, « *exspectavit improperium* » verborum, cachinnorum, « *et miseriam* » factorum, ab illis, a quibus deberem exspectare honorem et beneficentiam. Isa. v, 4 : *An quod exspectavi ut faceret uvas, et fecit labruscas.* In exspectatione autem notatur voluntas : quod enim exspecto, hoc volo, sicut et ipse hoc volebat. Isa. liii, 7 : *Oblatus est quia ipse voluit.* Et fervor desiderii. Et hoc non tantum voluit Christus, et ejus membra, sed ardenter illa. Luc. xxii, 15 : *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum, antequam patiar.* Luc. xii, 50 : *Baptismo habeo baptizari : et quomodo coarctor usquedum perficiatur ?*

In exspectatione voluntas et desiderii fervor.

« *Et sustinui qui simul.* » Hic tertium, in quo persuadet a rationibus sumptis a parte affligentium. Et primo, ab universitate illorum, quia nullus pro ipso. Secundo, a crudelitate, ibi, « *Et dederunt.* »

In prima duo. Primo, quod non invenit in persecutoribus compatientem in corde. Secundo, quod nec opere, vel sermone, ibi, « *Qui consolaretur.* »

Dicit ergo : Tu vides eorum malitiam, et ego sustineo libenter. « *Et* etiam *sustinui* » exspectando, attendendo, et « *non fuit* » de tanta multitudine persequentium, « *qui simul contristaretur,* » compatiens corde. Psal. cxli, 5 : *Considerabam ad dexeram, et videbam, et non erat qui cognosceret me,* scilicet compassionem suam monstraret. Isa. lxiii, 3 : *Torcular calcavi solus, et de gentibus non est vir mecum.* Ibidem, ℣. 6 : *Circumspexi, et non erat auxiliator : quæsivi, et non fuit qui adjuvaret.*

Sed nonne Apostoli tristabantur cum eo, et sic contristabantur ? Respondeo per hoc quod jam dictum est, quod potest intelligi de crucifixoribus, Judæis scilicet, et gentilibus, non de discipulis. Vel melius, loquitur de compassione pro damno spirituali, pro quo præcipue Christus dolebat : Apostoli autem dolebant ex carnali amore, quem ad Christum habebant. Propter quod dicitur, Amos, vi, 6 : *Nihil patiebantur super contritione Joseph :* imo lætabantur de percussione ejus spirituali, quam credebant, sicut nunc de perditione membrorum ejus, multi non curant, sed rident. Thren. i, 21 : *Omnes inimici mei audierunt malum meum, lætati sunt, quoniam tu fecisti.*

« *Qui consolaretur me,* » verbo vel facto, « *sustinui, et non inveni.* » Thren. i, 2 : *Non est qui consoletur eam ex omnibus charis ejus,* Ecclesiam scilicet vel in capite, vel in membris. Et ℣. 21 : *Audierunt quia ingemisco ego, et non est qui consoletur me,* sed sola sum. Jerem. xv, 17 : *Solus sedebam, quoniam comminatione replesti me.* Quando enim aliquis est in amaritudine, relinquitur a falsis amicis. Job, ii, 13 : *Et nemo loquebatur ei verbum : videbant enim dolorem esse vehementem.* Eccli. vi, 10 : *Est amicus socius mensæ, et non permanebit in die necessitatis.*

22 « *Et dederunt in escam.* » Hic secundum, in qua sumit rationem a crudelitate in ministrando quod pertinet ad cibum. Secundo, in ministrando quod pertinet ad potum, ibi, « *Et in siti.* »

Ait enim : Sic omnes adversarii fuerunt, nullus omnino consolator : et etiam quod deterius est, « *dederunt fel,* » hoc non in medicinam, sicut dedit Tobias patri suo [1], sed in escam, hoc est, ac si illud comedere deberem. Matth. xxvii, 34 : *Dederunt ei vinum bibere cum felle mixtum.* Quam malam escam præparaverunt illi, de quo in Psal. cxlvi, 9 : *Qui dat jumentis escam ipsorum, et pullis corvorum,* etc. Job, xxxviii, 41 : *Qui præparas corvo escam suam.* Thren. iii, 19 : *Recordare paupertatis et transgressionis meæ, absinthii, et fellis.*

Triplex esca qua Deus reficit.

« *Et in siti mea,* » cum dicebam, *Sitio* (Joan. xix, 28) « *potaverunt me aceto.* » Hoc manifestum est, Matth. xxvii, 48 et Joan. xix, 29. Jerem. ii, 21 : *Quomodo ergo conversa es mihi in pravum vinea aliena ?* Tamen quia non legitur de esca ipsius Christi, melius legitur aliter. Notandum enim quod est triplex esca, qua Deus reficit. Psal. cvi, 18 : *Omnem escam abominata est anima eorum.* Glossa : « Verbum Dei, unde anima vivit. » Et Eucharistia, altaris scilicet sacramentum. Sap. xvi, 20 : *Angelorum esca nutrivisti populum tuum.* Consolatio interna. Psal. cxlvi, 9 : *Qui dat jumentis escam ipsorum,* id est, humilibus et abjectis consolationem. Prima reficit sæculares. Secunda, Sacerdotes. Tertia, Claustrales. Sed in prima ponunt fel Scripturas corrumpentes. In secunda, irreverenter accedentes. In tertia, in tristitia Domino servientes.

Deus multis modis sitit et sitire facit.

« *Et in siti mea.* » Duplex est sitis Dei qua sitit, et qua sitire facit. Et prima triplex. Humani generis redemptio per mortem propriam. Psal. lxi, 5 : *Cucurri in siti.* Redemptorum conversio ad Deum. Sic sitiebat cum dixit, Joan. xix, 28 : *Sitio.* Pauperum sustentatio. Matth. xxv, 42 : *Sitivi, et non dedistis mihi bibere.* Sitis autem qua nos sitire facit, est quadruplex. Primo quidem sitire facit doctrinam, de qua siti, Isa. lv, 1 : *Omnes sitientes venite ad aquas.* Deinde gratiam, qua Deo placeamus, et intus refocillemur. Joan. vii, 37 : *Si quis sitit, veniat ad me, et bibat :* ad me fontem, et bibat gratiam, postea justitiam, qua exitur in bonam operationem, de qua Matth. v, 6 : *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam.* Ultimo gloriam, de qua in Psal. xli, 3 : *Sitivit anima mea ad Deum fortem, vivum.* In prima siti Dei, quæ propriæ sua est, posuit Judæus acetum ad litteram [2]. In secunda ponit omnis piger ad conversionem et lentus. In tertia specialiter avarus.

« *Fiat mensa eorum.* » Sicut a principio Psalmi dictum fuit, hic est secunda pars primæ partis totius Psalmi, in qua postquam egit de miseria et passione, quam in se et in suis Christus sustinuit, agitur de imprecatione, quam contra obstinatos crucifixores facit. Et primo, imprecatur eis malum pœnæ. Secundo, culpæ, ibi, « *Appone iniquitatem.* » 23

Item, in prima duo. Primo, ponit imprecationem. Secundo, subjungit imprecationis causam, ibi, « *Quoniam quem tu percussisti.* »

In prima duo. Primo, imprecatur eis legis et doctrinæ ablationem, et quod inde sequitur. Secundo, Jerusalem, et templi, in quibus erat maxime eorum gloria, destructionem, ibi, « *Effunde super eos iram.* »

In prima duo. Primo, imprecatur legis ablationem. Secundo, consequens ad illam, ibi, « *Obscurentur oculi.* »

In prima tria. Primo, imprecatur eis transgressionem apertam. Secundo, male intellectæ amissionem dignam, ibi, « *Et in retributionem.* » Tertio, schismatum,

[1] Tob. xi, 13.

[2] Cf. Matth. xxvii, 48.

et expositionum legis diversitatem, ibi, « *Et in scandalum.* »

Dicit ergo : Talia mihi faciunt, et propter hoc, « *fiat mensa eorum,* » sacra scilicet Scriptura eis ad hoc data, ut in ea reficerentur. Exod. xxv, 30 : *Et pones super mensam panes propositionis in conspectu meo semper*, quibus reficientur, qui spiritualiter intelligent Scripturam. Eccli. xv, 3 : *Cibabit illum pane vitæ et intellectus.* « *Coram ipis,* » ipsis scilicet videntibus, et adspicientibus, « *in laqueum,* » quo capiantur, et aperte cognoscantur transgressores. Luc. xix, 29 : *De ore tuo te judico, serve nequam.* Proverb. vi, 2 : *Illaqueatus es verbis oris tui*, ipsa lege quam prædicabas.

« *Et in retributiones,* » ut digna retributione transgressi amittant, et detur aliis, scilicet Gentibus, sicut eis factum est. Matth. xxi, 43 : *Auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus ejus.* Audi transferentes Messiam ad alios, Act. xiii, 46 : *Quoniam repellitis illud*, scilicet verbum Dei, *et indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad Gentes.*

« *Et in scandalum,* » dissensionis, ut eadem diversimode, et contrarie ab his gratia, ab aliis exponatur, et ab omnibus perverse. Et hoc significatum fuit, Matth. xxvii, 51, quando passo Christo, velum templi scissum est.

Potest etiam legi de mensa præmissa, quam paraverunt Christo, quæ fuit eis causa laquei. Proverb. v, 22 : *Iniquitates suæ capiunt impium, et funibus peccatorum suorum* quisque *constringitur.* « *Et in retributiones fiunt,* » quia fami et miseriæ sunt expositi. Sapient. xi, 17 : *Per quæ peccat quis, per hæc et torquetur.* « *Et in scandalum,* » ut ruant de peccato in peccatum, et tandem in infernum. Eccli. xxi, 11 : *Via impiorum complanata lapidibus*, ut respirent de culpa in culpam, *et in fine eorum inferi, et tenebræ et pœnæ.* Isa. viii, 15 : *Et offendent ex eis plurimi, et cadent, et conterentur,* etc.

Et nota hic, quod multiplex est mensa. Necessitatis ad sustentationem. Augustinus in *Speculo Clericorum :* « Cum « acceditis ad mensam, donec inde sur« gatis, etc. Gulositatis. Luc. xvi, 21 : *Lazarus... cupiens saturari de micis, quæ cadebant de mensa divitis, et nemo illi dabat.* Isa. xxviii, 8 : *Omnes mensæ repletæ sunt vomitu, sordiumque.* Eruditionis, de qua hic. Prov. ix, 1 : *Sapientia ædificavit sibi domum.* Et paulo post, ℣. 2 : *Miscuit vinum, et proposuit mensam suam.* Isa. xxi, 5 : *Pone mensam,* sacram scilicet Scripturam, *et contemplare in specula,* in ipsa scilicet stude. Idem enim est specula et mensa. Cupiditatis, quia mensa nummulariorum. Joan. ii, 15 : *Et nummulariorum effudit æs, et mensas subvertit* [1]. Hæc tamen mensa frequenter fit in laqueum et in scandalum. Altaris, I ad Cor. x, 21 : *Non potestis mensæ Domini participes esse, et mensæ dæmoniorum*, scilicet gulositatis et cupiditatis, et æternæ refectionis. Luc. xxii, 29 et 30 : *Et ego dispono vobis sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo*, etc.

« *Obscurentur oculi.* » Hic secundum, 24
in quo postquam imprecatus est legis ablationem, imprecatur miseriam inde consequentem immediate : alteram quantum ad intellectum et rationem, excæcationem : alteram quantum ad affectum, inclinationem ad malum, ibi, « *Et dorsum eorum.* »

Dicit ergo : Sic omnino auferatur ab eis mensa Scripturæ : et etiam « *obscurentur oculi eorum,* » intellectus scilicet eorum. Isa. vi, 10 : *Excæca cor populi hujus, et aures ejus aggrava*, id est, excæcandum prædica. Quod videmus impletum, Ad Rom. xi, 25 : *Cæcitas ex*

[1] Cf. Matth. xxi, 12.

parte contigit in Israel. Ex parte, quia in obstinatis, hoc permittente Deo, et malitia eorum hoc agente. Sap. II, 21 : *Excæcavit illos malitia eorum.*

« *Et dorsum eorum,* » affectum eorum, in quo importantur et bona et mala, « *semper incurva,* » ad terrena, ut illis inhient, et illa ament, sicut incurvatus erat qui dicebat : *Miser factus sum, et curvatus sum usque in finem* [1], et hoc sub servitute dura peccati. II Paral. XXXIII, 18 : *Iucurvatus sum multo vinculo ferreo* [2].

Contra prælatos terrenis inhiantes.

Et nota, quod oculus Ecclesiæ sunt Prælati, qui alios debent videre, et pro aliis explorare. Cantic. I, 14 : *Oculi tui columbarum.* Et iterum, VII, 4 : *Oculi tui sicut piscinæ in Hesebon.* Sed isti sunt obscurati, imo excæcati. Isa. LVI, 10 : *Speculatores ejus cæci omnes*, et positi ad molam, ad circuitum rerum temporalium, et ponderosarum causarum. Judic. XVI, 21, Samson excæcatus positus est ad molam. Et quia cæci, et illi quos ducunt cæci, accidit quod dicit Dominus, Matth. XV, 14 : *Cæcus si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadent.* Et dorsum incurvatum ad terrena diligenda et amanda. Isa. II, 9 : *Incurvavit se homo, et humiliatus est vir.* Curvantur ita manifeste, ut videantur dæmones transire super eos, et eos subjectos calcare. Isa. LI, 23 : *Incurvare ut transeamus.* Et bene sequitur hæc captivatio affectus obscurationem intellectus, quia Isa. V, 13, dicitur : *Propterea captivus ductus est populus meus : quia non habuit scientiam.*

25 « *Effunde super eos.* » Hic secundum, in quo imprecatur civitatis et templi destructionem, ut appareat maxima ira Dei super illam gentem. Duo ergo dicuntur. Primo, imprecatur eis iræ magnitudinem. Secundo, ostendit in quo velit illam exerceri, ibi, « *Fiat habitatio.* »

In prima duo. Primo, imprecatur iræ abundantiam. Secundo, intensionem, ibi, « *Et furor.* »

Dicit ergo : Sic auferendo legem, excæcando et incurvando eos punias, et etiam « *effunde,* » abundanter, immittendo tamquam fluvium, « *iram tuam,* » effectum iræ tuæ, « *super eos.* » Psal. LXXVIII, 6 : *Effunde iram tuam in gentes quæ te non noverunt.* Thren. II, 4 : *Effudit quasi ignem indignationem suam.* Ezech. VII, 8 : *Effundam iram meam super te, et complebo furorem meum in te.*

« *Et furor iræ tuæ.* » Intransitiva constructio, id est, ira tua furibunda, hoc est, effectus iræ tantus, ac si furiosus esses, « *comprehendat eos.* » Quod fiet potissime in fine uniuscujusque. Thren. I, 3 : *Omnes persecutores ejus apprehenderunt eam inter angustias.* Quando putabit se securum. Eccli. XXIII, 30 : *Quasi pullus equinus fugabitur : et ubi non speravit, apprehendetur.* Effusa est jam ira in præsenti, sed comprehendet eos furor in futuro. Isa. XXX, 27 : *Ecce nomen Domini venit de longinquo, ardens furor ejus, et gravis ad portandum.*

« *Fiat habitatio eorum.* » Hic secundum, in quo ostendit in quo velit effundi 26
iram, quia in duobus. In destructione aperta civitatis, et terræ primo. Secundo, ad majorem cumulationem, templi, et domus regiæ, quæ erat in Jerusalem, ibi, « *Et in tabernaculis.* »

Dicit ergo : Sic effunde, et in hoc, « *ut fiat habitatio eorum,* » terræ scilicet, et domus illorum, quas inhabitant, « *deserta.* » Isa. V, 9 : *Nisi domus multæ desertæ fuerint, grandes et pulchræ, absque habitatore.* Matth. XXIII, 38 : *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta.* Isa. I, 8 : *Et derelinquetur filia Sion ut umbraculum in vinea, et sicut tugurium*

[1] Psal. XXXVII, 7.

[2] Cf. Orationem Manasses in medio.

in cucumerario, et sicut civitas quæ vastatur.

« *Et in tabernaculis eorum,* » habitationibus jucundis, templo scilicet et domo regia, « *non sit qui inhabitet.* » Jerem. IV, 20 : *Vastata sunt tabernacula mea.* Et in eodem, IX, 11 : *Et civitates Juda dabo in desolationem : eo quod non sit habitator.* Mich. III, 12 : *Sion quasi ager arabitur, et Jerusalem quasi acervus lapidum erit, et mons templi in excelsa silvarum.*

« *Quoniam quem tu percussisti.* » Hic
27 secundum, ratio scilicet et causa, quare antecedentia imprecetur : et dicuntur duo. Primo, persequentium crudelitas. Secundo, crudelitatis immensitas, ibi, « *Et super dolorem.* »

Dicit ergo : Hæc fient eis, et digni sunt : « *quoniam quem tu percussisti,* » percutere voluisti, non eum qui percuti meruit. Zach. XIII, 7 : *Percute pastorem, et dispergentur oves.* Illum scilicet, qui dicit, Joan. XI, 14 : *Ego sum pastor bonus.* Non propter peccatum proprium, sed omnium. Isa. LIII, 5 : *Disciplina pacis nostræ super eum.* Et rursus, ℣. 8 : *Propter scelus populi mei percussi eum.* Sed ipse sanabit. Job, V, 18 : *Percutit, et manus ejus sanabunt.* Hunc, inquam, persecuti sunt crudeliter valde. Job, XIX, 22 : *Quare persequimini me sicut Deus, et carnibus meis saturamini ?* Supra, in eodem, ℣. 5 : *Confortati sunt qui persecuti sunt me inimici mei injuste.*

« *Et super dolorem.* » Hic immensitas crudelitatis. Quasi diceret : Sic persecuti sunt, « *et* » etiam « *addiderunt* » nova vulnera, « *super dolorem meum,* » quem in cruce sustinui, me rursus crucifigentes, et quasi vulnerantes. Osee, XIII, 2 : *Nunc addidderunt ad peccandum.* Job, XVI, 15 : *Concidit me vulnere super vulnus.* Hoc impletum fuit, quando mortuum, et sepultum, in sepulcro persecuti sunt, blasphemantes, et custodias ponentes. Jerem. XII, 8 : *Facta est mihi hæreditas mea quasi leo in silva.*

Et nota, quod Christus crucifigitur quadrupliciter. Primo, scilicet pauperes affligendo, unde dictum est Petro a Christo : « Venio Romam iterum crucifigi. » Matth. XXV, 40 : *Quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Ministri ejus debita præsidia subtrahendo. Malach. III, 8 : *Si affiget homo Deum, quia vos configitis me ? et dixistis : In quo configimus te ? in decimis, et in primitiis.* In Sacramento vilipendendo. Ad Hebr. VI, 6 : *Rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei : et ostentui habentes.* A via rectitudinis apostatando, maxime a promisso. Ad Gal. III, 1 : *O insensati Galatæ, quis vos fascinavit non obedire veritati, ante quorum oculos Jesus Christus præscriptus est, in vobis crucifixus ?*

Christus quadrupliciter crucifigitur.

« *Appone iniquitatem.* » Hic secun- 28
dum hujus partis imprecatoriæ, in quo postquam imprecatus est eis malum pœnæ, imprecatur rursus malum culpæ. Et primo, imprecatur eis culpæ cumulum. Secundo, damnum sequens, ibi, « *Deleantur de libro.* »

In prima duo. Primo, imprecatur eis cumulum culparum. Secundo, perseverantiam in malitia, ibi, « *Et non intrent.* »

Dicit ergo : Hæc mala pœnæ, quæ prædixi, illis eveniant, et etiam « *appone,* » apponi permitte, gratiam subtrahendo, « *iniquitatem super iniquitatem eorum,* » ut contingat illis illud Osee, IV, 2 : *Maledictum, et mendacium, et homicidium, et furtum, et adulterium inundaverunt, et sanguis sanguinem tetigit.* Et illud Apocal. XXII, 11 : *Qui in sordibus est, sordescat adhuc.* Isa. XV, 9 : *Ponam super Dibon additamenta,* id est, apponi permittam peccata. Primo, permisit quod suos occiderunt, sed apposuit quod Christum Filium Dei et hæredem crucifixerunt, ejicientes extra vi-

neam. Matth. XXI, 33, et ulterius, quod blasphemi et excæcati sunt. Sap. II, 21 : *Excæcavit illos malitia eorum.*

« *Et non intrent.* » Hic secundum. Quasi diceret : Sic augeant peccata, et cumulent, et velut « *non intrent in justitiam tuam,* » in viam scilicet rectam veniendi ad te. Sap. V, 7 : *Viam Domini ignoravimus,* scilicet justitiam, qua itur ad Deum quam præcepit quærere, Matth. VI, 33 : *Quærite primum regnum Dei, et justitiam ejus.* Sed suam justitiam propriam, Ad Roman. X, 3 : *Ignorantes justitiam Dei, et suam quærentes statuere, justitiæ Dei non sunt subjecti.*

29 « *Deleantur de libro.* » Hic secundum, in quo subjungitur damnum sequens ex cumulo, et perseverantia in malo : et dicuntur duo, scilicet certa damnatio eorum sub metaphora. Secundo, metaphoræ expositio, ibi, « *Et cum justis.* » Vel sic : Primo, ipsorum separatio ab antiquis sanctis. Secundo, quod etiam a modernis, ibi, *Et cum justis.* »

Liber viventium quid sit, et in eo scripti an doleri possint?

Dicit ergo : Sic peccata cumulant, et in illis perseverent, et propter hoc « *deleantur de libro viventium.* » Liber viventium proprie appellatur divina prædestinatio, in qua scripti sunt ad vitam æternam electi. Apocal. XX, 15 : *Qui non inventus est in libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis.* De hoc autem nullus deletur, qui in ipso scriptus sit unde intelligendum est : « *Deleantur,* » id est, deleti esse manifestentur, cum credant se esse scriptos. Et exponit se : « *Et,* » id est, « *cum justis non scribantur.* » Non sint scripti nisi forte ad tempus in pagina, in qua scribuntur omnes specialiter justi, ex qua bene delentur. Psal. CXXXVIII, 16 : *In libro tuo omnes scribentur,* et boni et mali. Vel sic : « *Deleantur de libro viventium,* » justorum scilicet antiquorum, qui vivi sunt, etsi mortui reputentur a Sadducæis. Matth. XXII, 32 : *Non est Deus mortuorum, sed viventium.*

« *Et cum justis* » moderni temporis adhuc se in justitia exercitantibus, « *non scribantur.* » II ad Cor. VI, 14 : *Quæ participatio justitiæ cum iniquitate?* sed magis in terra, quam dilexerunt, in qua fixi fuerunt corde. Jerem. XVII, 13 : *Recedentes a te, in terra scribentur.*

Libri multiplex acceptio.

Et notandum est, quod est multiplex liber. Creaturæ, in quo omnia leguntur. Ad Rom. I, 20 : *Invisibilia ipsius a creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta, conspiciuntur.* Eccli. XXIV, 32 : *Hæc omnia liber vitæ,* id est, veram vitam, Deum scilicet ostendentia. Scripturæ. Baruch, IV, 1 : *Hic liber mandatorum Dei.* Præscientiæ, in quo legebant Prophetæ, in quo omnia scripta sunt. Dan. X, 21 : *Verumtamen annuntiabo tibi quod expressum est in scriptura veritatis.* Prædestinationis divinæ, in quo tantum scripti sunt electi ad vitam æternam. Luc. X, 20 : *Gaudete autem, quod nomina vestra scripta sunt in cœlis.* Et conscientiæ. Daniel. VII, 10 : *Judicium sedit, et libri aperti sunt.*

« *Ego sum pauper.* » Hic tertia pars totius hujus Psalmi, in qua postquam actum est de postulatione resurrectionis, et inimicorum defectione, subjungitur de fructu ex miseria et passionibus Christi consequente, cum gratiarum actione pro fructu illo : et secundum hoc duo dicuntur. Primo, fructus ex miseria consequens ostenditur. Secundo, gratiæ referuntur pro illo fructu, cum admonitione aliorum ad idem, ibi, « *Laudabo nomen Dei.* » **30**

Tertia pars Psalmi.

In prima duo. Primo, describit miseriæ statum. Secundo, statum ex illo fructu consecutum, ibi, « *Salus tua.* »

Status monstratur in duobus. In defectu necessarii primo. Secundo, in præsentia mali afflictivi, ibi, « *Et dolens.* »

Ait enim : Sic illis fiat, et fiet. Sed, « *ego sum pauper,* » dicit ipsum caput pro se. Luc. IX, 58, et Matth. VIII, 20 : *Vulpes foveas habent, et volucres cœli*

nidos : filius autem hominis non habet ubi caput reclinet. II ad Cor. viii, 9 : *Propter vos egenus factus est, cum esset dives.* Ecce carentia rerum.

« *Et dolens,* » præsentia miseriarum, et passionum. Thren. i, 12 : *Attendite et videte, si est dolor sicut dolor meus,* significatus per Job, qui interpretatur *dolens.* Isa. liii, 2 et 3 : *Vidimus eum:.. virum dolorum, et scientem infirmitatem.* De duobus simul, Thren. iii, 19 : *Recordare paupertatis et transgressionis meæ, absynthii, et fellis.*

« *Salus tua.* » Hic fructus. Quasi diceret : Sic fui pauper, et dolens, et ob hoc o Deus, « *Salus tua,* » salvatio scilicet tua, « *suscepit me.* » Psal. iii, 6 : *Exsurrexi, quia Dominus suscepit me.* Job, xxii, 29 : *Qui humiliatus fuerit* paupertate, et dolore, *erit in gloria.* Si membra hujus capitis volunt cum gloria suscipi, necesse habent fieri pauperes et humiliari. Seneca : « Si vis vacare ani- « mæ, necesse est ut pauper sis, aut « pauperi similis. » Et in passionibus, Act. xiv, 21 : *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.*

31 « *Laudabo nomen Domini.* » Hic secundum, in quo subjungitur de gratiarum actione. Et primo, promissio de gratiis reddendis. Secundo, aliorum invitatio ad hoc idem, ibi, « *Videant pauperes.* »

In prima duo. Primo, promissio de gratiarum actione. Secundo, acceptatio ab ipso Deo, vel commendatio referendi gratias in hunc modum, ibi, « *Et placebit.* »

In prima duo. Primo, quod gratias aget lætanter. Secundo, quod patienter ad aliorum ædificationem, ibi, « *Et magnificabo.* »

Dicit ergo : Sic me suscepit salus extrahens de paupertate et dolore, et propter hoc « *laudabo nomen Domini* » et in meipso, et in membris meis. Eccli. li, 1 : *Collaudabo te, Domine, salvatorem meum.* Et hoc « *cum cantico,* » cum mentis scilicet lætitia et exsultatione. Est enim canticum exsultatio mentis de æternis habita, in vocem prorumpens. Isa. xxx, 29 : *Canticum erit vobis sicut nox sanctificatæ solemnitatis.* Et multum placet Deo laus talis, et displicet diabolo. In eodem, ℣. 32 : *Et erit transitus virgæ fundatus, quam requiescere faciet Dominus super eum in tympanis et citharis : et in bellis præcipuis expugnabit eos.*

« *Et magnificabo eum in laude,* » Et ad hoc ipsum invitantur in Psal. xxxiii, 4 : *Magnificate Dominum mecum.* Sic Virgo, Luc. i, 46 : *Magnificat anima mea Dominum.* Et in eodem, vii, 16 : *Magnificabant Deum dicentes : Quia propheta magnus surrexit in nobis.*

« *Et placebit Deo.* » Hic secundum, 32
acceptatio talis laudis per comparationem ad sacrificium Deo valde placens, scilicet ad sacrificium vituli novelli. Et tangit primo vituli novitatem. Secundo, magis specificat tactam, ibi, « *Cornua producentem.* »

Dicit ergo : Sic laudabo, « *et placebit* » talis laus « *Deo super vitulum novellum,* » qui præcipiebatur offerri pro peccato. Levit. viii, 15, præcipiebatur, quod vitulus unius anni offerretur [1].

« *Cornua producentem.* » Hic explanat novitatem. « *Cornua producentem et ungulas,* » quod sit circa primum annum. Aperta reprobatio sacrificiorum antiquorum pro sacrificio laudis. Supra, in Psal. xlix, 23 : *Sacrificium laudis honorificabit me,* et propter hoc placebit mihi. Malach. iii, 4 : *Et placebit Domino sacrificium Juda, et Jerusalem.* Sacrificium scilicet pietatis et misericordiæ. Mich. vi, 8 : *Indicabo tibio homo, quid sit bonum, et quid Dominus requirat a*

Acceptius est sacrificium laudis quam pecudum mactatio.

[1] Levit viii, 15 : *Obtulit et vitulum pro peccato.*

te : Utique facere judicium, et diligere misericordiam. Et laudis, cordis, et oris. Osee, XIV, 3 : *Reddemus vitulos labiorum nostrorum.* Et propter hoc dicitur per Isa. I, 13 : *Ne offeratis ultra sacrificium frustra: incensum abominatio est mihi.* Supra, in Psal. XXIX, 7 : *Holocaustum et pro peccato non postulasti.*

Posset exponi de illa gloriosa laude qua laudabitur Deus a Christo homine, et a membris in futuro. De hac Augustinus in fine de *Civitate Dei* : « Vacabi« mus et videbimus, videbimus et ama« bimus, amabimus et laudabimus. » Hoc placebit « *super vitulum cornua producentem.* ».

Cornua producit vitulus, quando noviter conversus ad fidem per baptismum crescit in fide. Vel per pœnitentiam conversus crescit in justitia. Hæc sunt cornua, de quibus in Psal. LXXIV, 11 : *Exaltabuntur cornua justi.* Luc. I, 69 : *Erexit cornu salutis nobis.* I Reg. II, 1 : *Exaltatum est cornu meum in Deo.* Ungulam producit, quando solide stat spes, et figitur quando bonum instanter agit. Job, XXXIX, 21 : *Terram ungula fodit, exsultat audacter : in occursum pergit armatis.*

33 « *Videant pauperes.* » Hic secundum, aliorum invitatio ad laudandum, et lætandum in Deo. Primo, pauperum specialiter. Secundo, omnium generaliter, ibi, « *Et laudent illum.* »

Dicit ergo in prima duo. Primo, invitat pauperes ad lætandum super operibus istis Dei. Secundo, ad quærendum ipsum Deum, ibi, « *Quærite Dominum.* »

In prima duo. Primo, invitatio ad considerationem operum Dei. Secundo, ad lætitiam pro illis, ibi, « *Et lætentur.* »

Ait enim : Sic laudabo, et quoniam pauperes et dolentes sic salvat, « *videant,* » hic oculo intimæ considerationis, « *pauperes.* » Vel sic : Sacrificium vitulorum non curat Deus, sed laudis, quod possunt offerre pauperes. Ergo « *videant,* » hic oculo fidei et intelligentiæ, « *pauperes, et lætentur,* » sicut Abraham, qui hæc videns a longe exsultabat. Joan. VIII, 56 : *Abraham pater vester exsultavit ut videret diem meum : vidit, et gavisus est.* Hoc non vident infideles Judæi. II ad Corinth. IV, 4 : *Deus hujus sæculi excæcavit mentes hominum infidelium.* « *Et lætentur* » spe. Ad Rom. XII, 12 : *Spe gaudentes.* Quomodo non habebunt, quod tam faciliter, scilicet sacrificio oris, habere possunt ?

« *Quærite Dominum.* » Hic secundum. Monuit ad lætandum, hic ad quærendum. Secundo, subjungit quæsitionis fructum, ibi, « *Et vivet.* » Tertio, probat fructus consequentiam ad inquisitionem, ibi, « *Quoniam exaudivit.* »

Dicit ergo : Sic videant et lætentur pauperes : et convertit sermonem ad illos duos pauperes. « *Quærite Dominum,* » ferventi charitate, et in cordis puritate. Sapient. I, 1 : *In simplicitate cordis quærite illum,* scilicet Dominum. Isa. LV, 6 : *Quærite Dominum dum inveniri potest.* Pauperes ergo quærant et mites. Sophon. II, 3 : *Quærite Dominum omnes mansueti terræ, qui judicium ejus estis operati : quærite justum, quærite mansuetum.* Matth. VII, 7 : *Quærite, et invenietis*[1]. In quibus autem non invenitur, dictum est supra.

« *Et vivet,* » per eum, « *anima vestra,* » hic vita gratiæ, et tandem vita gloriæ. Proverb. VIII, 35 : *Qui me invenerit, inveniet vitam.* Amos, V, 4 : *Hæc dicit Dominus... quærite me, et vivetis*[2].

Et notandum, quod exquiritur Deus per confessionem, requiritur per pœnitentiam, inquiritur per orationem, sed acquiritur per perseverantiam in his. Et nota, quod cum sit vita sicut dicitur hic, Christus non invenitur ubi non est nisi mors.

[1] Cf. etiam Matth. XXI, 22, Marc. XI, 24 et Luc. XI, 9.

[2] Amos, V, 6 : *Quærite Dominum, et vivite.*

et Joan. xiv, 6 : *Ego sum via, et veritas, et vita,* non potest inveniri ubi non est nisi mors. Augustinus : « Bonam vitam « quæritis in regione mortis : non est « ita : quomodo enim beata vita, ubi « nec vita? »

34 « *Quoniam exaudivit.* » Hic tertium, in quo probat consequentiam fructus per divinam consuetudinem, quantum ad duo : ad exauditionem primo, et ad curam victorum secundo, ibi, « *Et vinctos.* »

Dicit enim : Sic quærite, et vivet anima vestra : et hoc vere, « *quoniam exaudivit,* » exaudire semper consuevit, « *pauperes Dominus.* » Supra, in Psal. x secundum Hebræos, 17 : *Desiderium pauperum exaudivit Dominus : præparationem cordis eorum,* etc. Isa. xlix, 13 : *Pauperum suorum miserebitur,* statim respiciens ad pauperem. Isa. lxvi, 2 : *Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum, et contritum spiritu, et trementem sermones meos?* Nullum quantumcumque divitem, audit contra pauperem. Eccli. xxxv, 16 : *Non accipiet Dominus personam in pauperem,* id est, contra pauperem : *et deprecationem læsi exaudiet.*

« *Et vinctos suos,* » vinctos scilicet iniquitatibus a se absolvendos, et sic suos, de quibus Prov. v, 22 : *Iniquitates suæ capiunt impium,* etc. Isa. xlix, 8 et 9 : *In tempore placito exaudivi te... ut diceres his qui vincti sunt : Exite.* « *Vinctos suos,* » hoc est, legibus suis quæ vincula sunt. Eccli. vi, 31 : *Vincula illius, alligatura sanitatis.* Vel, « *vinctos suos,* » pœnalitatibus inflictis ex sua sententia, quales erant existentes in limbo. Zachar. ix, 11 : *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua.* « *Non despexit,* » quin curam haberet de illis, et ad liberandum diligentiam adhiberet.

« *Laudent illum.* » Hic secundum, in quo postquam invitavit pauperes ad laudem specialiter, invitat omnes de Ecclesia generaliter : et dicuntur duo. Primo, invitatio ipsorum ad laudem. Secundo, multiplex ratio quare acquiescendum admonitioni, ibi, « *Quoniam Deus salvam.* » 35

In prima duo. Primo invitat filios Ecclesiæ simpliciter ad laudandum. Secundo, peccatores, ibi, « *Omnia reptilia.* »

In prima duo. Primo, majores, scilicet Apostolos fundatores. Secundo, alios, primo de Judæis, ibi, « *Et terra.* » Secundo, de Gentibus, ibi, « *Mare.* »

Dicit ergo : Sic pauperes videant et lætentur, et etiam laudent illum corde, ore, et opere, « *cœli,* » Apostoli, et majores de Ecclesia, et sublimiores, de quibus supra, in Psal. xviii, 2 : *Cœli enarrant gloriam Dei.* Et alibi, Psal. xxxii, 6 : *Verbo Domini cœli firmati sunt.* « *Et terra,* » Ecclesia de Judæis. De qua terra, Job, xxviii, 5 : *Terra, de qua oriebatur panis in loco suo, igni subversa est.* De utroque, et cœlis, et terra, Isa. xlix, 13 : *Laudate cœli, et exsulta terra.* « *Mare.* » Ecclesia de Gentibus, quæ ante versabatur tumultu et fluctuatione sicut mare. Isa. lvii, 20 : *Impii quasi mare fervens, quod quieserre non potest.* Sed Dominus increpavit hoc mare per prædicatores, et exsiccatum est ab humore peccati et infidelitatis. Nahum, i, 4 : *Increpans mare, et exsiccans illud.*

« *Et omnia reptilia in eis,* » in mari scilicet et in terra, et ipsi peccatores circa terrena repentes, et illis adhærentes. Genes. iii, 14 : *Super pectus tuum gradieris.* Psal. xliii, 25 : *Conglutinatus est in terra venter noster.*

Posset exponi ad litteram de creaturis ipsis, quæ invitantur ad Dei laudem, non quia laudent ipsæ cum sint irrationabiles, sed quia præbent laudis materiam. Potest etiam dici, quod in his tanguntur quatuor hominis differentiæ. In cœlis, boni contemplativi, qui toti jam sunt in cœlo. Ad Philip. iii, 20 : *Nostra con-* Quatuor hominum genera.

versatio in cœlis est. Luc. VIII, 8 : *Et aliud semen cecidit in terram bonam.* Et in terra, boni activi qui fructificant in temporalibus. In mari, mali contemplativi, qui vivunt in cordis amaritudine. Isa. LVII, 20 : *Impii quasi mare fervens.* In reptibilibus, mali activi terrenis adhærentes, et gulositati vacantes. Gen. III, 14 : *Super pectus tuum gradieris.*

36 « *Quoniam Deus salvam.* » Hic ratio quare laudandus, scilicet reparatio Ecclesiæ et restitutio : et dicuntur duo. Primo, reparatio. Secundo, specificatio illorum de quibus fiet illa reparatio, ibi, « *Et semen servorum.* »

In prima quatuor, quæ fient per ordinem. Primum, salvatio ipsius Ecclesiæ, quod est a malo liberatio. Secundo, salvatæ reædificatio, ibi, « *Et ædificabantur.* » Tertio, ædificatæ inhabitatio, ibi, « *Et inhabitabunt.* » Quarto, habitatæ firma possessio, ibi, « *Et hæreditate.* »

Dicit ergo : Sic laudent, et dignum est, « *quoniam Deus salvam faciet,* » et in præsenti a malo culpæ, et in futuro ab utroque et culpæ et pœnæ, « *Sion,* » Ecclesiam scilicet, a culpa per fidei et charitatis unitatem, aliter non. Gen. VII, 23, Extra arcam, Ecclesiæ scilicet unitatem, nihil omnino salvatum est. Per vitæ altitudinem, Genes. XIX, 17 : *Ne stes in omni circa regione, sed in monte salvum te fac.* Tandem a culpa et pœna per gloriam, Isa. IV, 2 : *Exsultatio his, qui salvati fuerint de Israel.* Abdiæ, ℣. 17 : *In monte Sion erit salvatio.*

« *Et ædificabuntur.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic salvabitur Sion, et « *civitates Juda,* » particulares scilicet Ecclesiæ, quas Dominus monet alloqui per Isaiam, XL, 9 : *Dic civitatibus Juda.* « *Ædificabuntur,* » ejus gratia et virtute. Jerem. XXX, 18 : *Ædificabitur civitas in excelso suo, et templum juxta ordinem suum fundabitur.* Amos, IX, 11 : *Reædificabo aperturas murorum ejus, et ea quæ corruerant instaurabo.*

Et nota, quod sunt civitates Ægypti tres, quas cogente Pharaone filii Israel ædificant. Prima est Phitom, id est, *os abyssi,* scilicet avaritia, quæ non potest impleri. Eccle. V, 9 : *Avarus non implebitur pecunia.* Eccli. XIV, 9 : *Insatiabilis oculus cupidi.* Hanc ædificat mundi prudentia. Secunda est Ramesses, id est, *commotio tineæ,* luxuria, quæ carnem commovet, ex qua oritur. I ad Corinth. VI, 18 : *Omne peccatum, quodcumque fecerit homo, extra corpus est : qui autem fornicatur, in corpus suum peccat.* Interpretatur etiam *malitia detinens,* et hoc vitium multum detinet. Eccle. VII, 27 : Mulier... *laqueus venatorum est, et sagena cor ejus.* Hanc ædificat gula. Tertia, Heliopolis : πόλις, id est, *civitas*, ἥλιου, id est, *solis.* Hæc est superbia, quæ semper appetit videri, et videre opera sua bona tamquam quemdam solem, contra illud Job, XXXI, 26 : *Si vidi solem cum fulgeret,* etc. Hanc ædificat divitiarum abundantia : « Vermis enim divitum superbia, » dicit Augustinus. **Tribus Ægypti civitatibus tres Judæ civitates oppositæ.**

Sed Judas, id est, *confessio,* ædificat tres contrarias, paupertatem, munditiam, et humilitatem. Istæ sunt tres civitates refugii trans Jordanem, id est, post baptismi transgressionem [1]. Ad has civitates ædificandas, dolor apportat aquam lacrymarum : humilitas sabulum, sterilitatem propriam recolendo, et calcem, recolens fomitis ardorem : sed timor Dei lapides, scilicet bonas operationes quadrat, charitas ad conjungendum cæmentum ministrat.

« *Et inhabitabunt ibi.* » Hic tertium. Sic ædificabuntur civitates, et habitabunt ibi in ædificatis. Qui ? Illi de quibus post, ibi, « *Et semen.* » Vel, sicut vult Glossa, inhabitabunt ibi pauperes. Sophon. III, 12 : *Derelinquam in medio tui*

[1] Cf. Deut. IV, 41 et Num. XXXV, 6.

populum pauperem et egenum. Isa. LXV, 21 : *Ædificabunt domos* in Sion militanti per meritum, *et habitabunt* in Sion triumphanti per præmium. De primo, Exod. I, 21 : *Quia timuerunt obstetrices Deum, ædificavit eis domos*, id est, merita contulit. De secundo, Joan. XIV, 2 : *In domo Patris mei mansiones multæ sunt.*

« *Et hæreditate.* » Hic quartum. Quasi diceret : Non solum inhabitabunt sicut in hoc, et paulo post recessuri, imo « *hæreditate,* » id est, hæreditatis jure, « *acquirent eam.* » Vel, acquirent eam hæreditatem, ut sit sibi hæreditas. Isa. LVII, 13 : *Qui fiduciam habet mei, hæreditabit terram, et possidebit,* tamquam hæreditatem et fundum, *montem sanctum meum.*

37 « *Et semen servorum.* » Hic secundum, in quo præmissa reparatione Ecclesiæ, subjungitur specificatio illorum, qui ibi habitabunt hæreditantes ipsam. Et describit eos a duobus : ab imitatione bonorum primo, et Dei dilectione secundo, quod totum consummat, ibi, « *Et qui diligunt.* »

Dicit ergo : Sic ædificabitur Ecclesia, et inhabitabitur, et possidebitur. « *Et semen,* » id est, imitatores, et filii spirituales, « *servorum ejus,* » Apostolorum, Prophetarum, et Patriarcharum. Isa. LXV, 9 : *Educam de Jacob semen, et de Juda possidentes montes meos.* « *Possidebit eam.* » Eccli. XLIV, 11 et 12 : *Cum semine eorum permanent bona. Hæreditas sancta nepotes eorum, et in testamentis stetit semen eorum.* Sed quam ? Eam Jerusalem visionem pacis æternæ, quæ est Deus. Ad Eph. II, 14 : *Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum.* In Psal. XV, 5 : *Dominus pars hæreditatis meæ*, etc. Jos. XX, 1 et seq., Levi non accepit partem inter fratres suos, quoniam Dominus pars ejus est.

« *Et qui diligunt nomen ejus*, non solum ipsum, sed præ amoris vehementia in ipso etiam nomine delectantur. Hi enim qui vere sunt semen servorum Dei, non carnales Judæi. Hi, inquam, habitabunt in ea Jerusalem, tamquam possessores. Isa. LXVI, 10 : *Exsultate in ea omnes qui diligitis eam.* Amor enim Dei facit civem paradisi, et dominum, Prælatum scilicet, et quasi possessorem in Ecclesia militanti. Hinc a Petro quæsitum est, Joan. XXI, 15 : *Simon Joannis, diligis me plus his ?* et audita confessione, tunc dictum est : *Pasce,* et ego tandem pascam te in mensa in regno meo [1], ad quam ille nos perducat, qui est benedictus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

[1] Luc. XXII, 30 : *Ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo.*

PSALMUS LXIX.

Oratio ad opem Dei petendam in magnis periculis.

1. *In finem, Psalmus David,*
In rememorationem, quod salvum fecerit eum Dominus.
2. Deus, in adjutorium meum intende : Domine, ad adjuvandum me festina.
3. Confundantur, et revereantur, qui quærunt animam meam.
4. Avertantur retrorsum, et erubescant, qui volunt mihi mala.
Avertantur statim erubescentes qui dicunt mihi : Euge euge!
5. Exsultent et lætentur in te omnes qui quærunt te : et dicant semper : Magnificetur Dominus, qui diligunt salutare tuum.
6. Ego vero egenus et pauper sum : Deus, adjuva me.
Adjutor meus et liberator meus es tu : Domine, ne moreris.

IN PSALMUM LXIX

COMMENTARIUS.

1 *In finem, Psalmus David,*
In remunerationem, quod salvum fecerit eum Dominus[1].

Argumentum Psalmi: In tribulationibus præsidium esse a Deo.

« *Deus, in adjutorium meum.* » Hic est Psalmus in secunda parte totius hujus libri decimus nonus. Postquam enim in præcedenti Psalmo caput Christus pro sua salute, et liberatione a morte oravit, et fructum suæ liberationis ostendit, ipsum corpus attendens, quod multo fortius per se a suis miseriis liberari non possit, orationem subjungit pro ejus liberatione. Et hoc satis innuitur in titulo Psalmi, qui talis est : « *In finem, Psalmus David,* » pro rememoratione est. Vel, « *In rememorationem, quod salvum fecit eum Dominus.* » Sensus enim hic est : « *Psalmus David,* » id est, justi cujuslibet ordinans nos « *in finem* » nostrum Deum, est pro rememoratione habenda de hoc quod salvum fecit eum Dominus jam in spe ab omni miseria, et faciet tandem in re. Eo enim quod in hoc Psalmo divinum petitur adjutorium, et inimicorum confusio, memoratur aperte, quod Deus salvum fecit solus, ut nullus de sua liberatione glorietur in seipso, sed in Deo solum.

Ex hoc patet differentia tituli prout ponitur in Psal. XXXVII, 2 : *Domine, ne in furore tuo*, in Psalmis Pœnitentialibus, ad iniquitatem delendam : hic ponitur in rememorationem, quod a Deo sit liberatio, non per humanum auxilium[2]. Osee, XIII, 9 : *Perditio tua* ex te, *Israel, tantummodo in me auxilium tuum.*

Dividitur autem Psalmus in duas partes. Primo, oratio cum aliorum invitatio-

[1] Ce psaume, dit M. l'abbé Lesêtre, est la reproduction des derniers versets, 14-18, du Ps. XXXIX. On les en a détachés pour composer une prière liturgique, להזכיר, lehazkir, destinée à être chantée pendant le sacrifice qui sert de mémorial. Cf. Psal. XXXVII, 1.

[2] Vide Commentarium in ỷ. 1 Psalmi XXXVII, tomo XV hujusce editionis.

ne ad lætandum in Deo. Secundo, persuasio quod debeat audiri, ibi, « *Ego vero.* »

In prima duo. Primo, orat. Secundo, invitat, ibi, « *Exsultent et lætentur.* »

Adhuc in prima duo. Primo, orat pro sua liberatione. Secundo, quia plena liberatio in hoc est, pro inimicorum conversione, ibi, « *Confundantur.* »

In prima duo. Primo, petit liberari : et secundo, liberationem accelerari, ibi, « *Domine, ad adjuvandum me festina.* »

2 Prima pars Psalmi.

Dicit ergo : Sic audio caput meum petere suam liberationem, et propter hoc dico : O « *Deus, intende in adjutorium meum,* » id est, mihi exhibendum, non homo, quia nullus adjutor. Isa LXIII, 5 : *Circumspexi, et non erat auxiliator; quæsivi, et non fuit qui adjuvaret.* Eccli. LI, 10 : *Respiciens eram ad adjutorium hominum, et non erat.* Non hic temporalis abundantia vel mammona. Isa. XVII, 3 : *Cessabit adjutorium ab Ephraim.* Sophon. I, 18 : *Argentum eorum, et aurum eorum non poterit liberare eos in die iræ Domini.*

Attentio in oratione desideratur.

Et nota, quod dicit : « *Intende,* » in quo confundimur orantes, quia volumus Deum intendere nobis cum oramus : nos autem non intendimus iis quæ dicimus, sed negligenter pertransimus. Cassianus : « Precor Deum ut precem meam exau- « diat, quam ego qui fundo non audio. « Deprecor illum, ut mihi intendat, ego « autem nec mihi nec illi intendo. Quid « prodest sola voce cantare, sine cordis « intentione ? »

« *Domine, ad adjuvandum.* » Ecce accelerationis petitio. Hanc desiderabat Job, XXX, 20 et 21 : *Clamo ad te, et non exaudis me : sto, et non respicis me : mutatus es mihi in crudelem.* Et peto ut festines, quia nihil possum inchoare bonum sine te. II ad Cor. III, 5 : *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis : sed sufficientia nostra ex Deo est.* Ad Philip. II, 13 : *Operatur in vobis et velle, et perficere.*

Et nota, quod in principio Horarum dicitur versus iste, ut Pelagiana hæresis destruatur, quæ ponebat nos posse mereri per solum liberum arbitrium. Sed dicit Cassianus [1] : « Tanto honore concele- « brat hunc versum Ecclesia, ut quidquid « Monachi assumpserint, sine hujus versus « trina iteratione non inchoent. » In hora prima, scilicet in Matutinis, præmittitur, « Domine labia mea aperies, » ut monstretur quod ipsum inchoare etiam a Deo est, non tantum adjutorium in opere. In ultima autem hora, scilicet in Completorio, præmittitur, « Converte nos Deus salutaris noster, » ut aperte ostendatur, quod si quid mali in illis factum est, a nobis est. Alia autem causa præpositionis tangitur in Glossa : « Ut variæ cogitatio- « nes, quæ sunt muscæ perdentes un- « guenti suavitatem, excludantur. » Eccle. X, 1 : *Muscæ morientes perdunt suavitatem unguenti.*

« *Confundantur et revereantur.* » Hic orat pro inimicis : et primo, pro inimicis persequentibus opere. Secundo, pro persequentibus corde, ibi, « *Avertantur retrorsum.* » Tertio, pro persequentibus ore, ibi, « *Avertantur statim.* » 3

Duo autem petit eis. Primo, confusionem pro culpa. Secundo timorem pro pœna, ibi, « *Et revereantur.* »

Ait enim : Sic pro me oravi, et rogo etiam pro iis, « *qui quærunt animam meam,* » id est, vitam meam perdere. Supra, in Psal. LIII, 5 : *Alieni insurrexerunt adversum me, et fortes,* etc. Et alibi, Psal. LXII, 10 : *Ipsi vero in vanum,* etc. « *Confundantur,* » confusione bona, scilicet cognitione culpæ. Jerem. XVII, 18 : *Confundantur qui me persequuntur,* bona confusione, de qua Eccli. IV, 25 : *Est confusio adducens gloriam et gra-*

[1] De hujus versus utilitate fuse CASSIANUS, collat. 10.

tiam. Et Jerem. xxxi, 39: *Confusus sum, et erubui*. Cassiodorus: « Confundi « est quando voluntates suas iniqua con- « scientia studio veritatis agnoscens, de « facti sui perversitate turbatur. » Ezech. xliii, 10: *Confundantur ab iniquitatibus suis*.

Timor justificationem necessarius. « *Et revereantur*, » id est, timeant, pœna futura concussi. Cassiodorus: « Re- « verentia est timor pœnæ, ex conside- « ratione delicti: et hic timor necessa- « rius est ad conversionem, et justifica- « tionem. » Eccli. i, 28: *Qui sine timore est, non poterit justificari*.

4 « *Avertantur retrorsum*. » Hic secundum, in quo orat pro persequentibus voluntate, et duo petit eis: primo, humilitatem. Secundo, pudorem bonum suiipsius pro delictis, ibi, « *Et erubescant*. »

Ait enim: Sic de persequentibus opere, et etiam « *qui volunt mihi mala*, » inimicantes scilicet corde, « *avertantur*, » a malis suis, « *retrorsum* » facti per humilitatem, non per superbiam. Unde Petro volenti antecedere dictum est, Matth. xvi, 23: *Vade post me Satana: quia non sapis ea quæ Dei sunt*, volens me docere, sed quæ dæmonis superbientis. Joan. xx, 14: *Hæc cum dixisset Maria, conversa est retrorsum: et vidit Jesum stantem*, et agnoscere meruit. Ex opposito autem converti dicitur retrorsum, qui respicit ad malum cum fuit in bono, sicut uxor Loth retro respexit, Gen. xix, 26: *Versa est in statuam salis*. Et Luc. ix, 62, dicitur: *Nemo mittens manum ad aratrum, et respiciens retro, aptus est regno Dei*.

« *Et erubescant*, » pudore suiipsius confusi quando peccatum attendunt, quod optimum signum est. Seneca: « Erubuit, « salva res est. » Ad Rom. vi, 21: *Quem ergo fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis?* Quasi diceret: Modicum, imo nullum, imo damnum. Jerem. xxii, 22: *Confunderis et erubesces ab omni malitia tua*.

« *Avertantur statim*. » Hic tertium, in quo orat pro persequentibus ore, et precatur eis duo. Festinam a malo aversionem, et adjunctam simul erubescentiam, ibi, « *Erubescentes*. »

Dicit ergo: Sic illis qui persequuntur me opere, et aliis qui voluntate, et etiam « *qui dicunt mihi: Euge euge!* » ore mihi irridendo vel adulando.

Euge multipliciter accipitur. Nota enim, quod *euge* aliquando sumitur, commendatorie, Matth. xxv, 21, 23: *Euge serve bone et fidelis*. Aliquando applausorie, In Psal. xxxiv, 25: *Non dicant in cordibus suis: Euge, euge animæ nostræ*. Aliquando admirative, Ezech. xxvi, 2: *Euge, confractæ sunt portæ populorum*. Aliquando irrisorie, Psal. xxxiv, 21: *Dixerunt: Euge, euge! viderunt oculi nostri*. Sic potest hic accipi. Aliquando adulatorie, In Psal. xxxix, 16: *Ferant confestim confusionem suam, qui dicunt mihi: Euge, euge*. Sic etiam potest hic accipi; et est modus pessimus. Ibi enim dicit Augustinus: « Plus persequitur lin- « gua adulatoris, quam manus persecu- « toris. » Isa. iii, 12: *Populе meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt, et viam gressuum tuorum dissipant*. Augustinus: « Fregit apprehensor, factus « es tamquam fictile vas: applausit adu- « lator, in igne crepuisti. »

« *Avertantur*, » a sua iniquitate, et hoc statim. Eccli. xvii, 23: *Avertere ab injustitia tua*, et statim, quia ibidem, v, 8, dicitur: *Non tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem*. Et hoc « *erubescentes*, » ne sint de illis, de quibus Jerem. xii, 3: *Frons mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere*. Et illud, ibidem, vi, 15: *Quin potius confusione non sunt confusi, et erubescere nescierunt*.

Pro triplici genere peccati erubescere debemus, et triplici de causa. Et nota diligenter, quod hic jam tertio rogat eis erubescentiam. Primo cum dixit: « *Confundantur*, » in versu secundo. Postea vero dixit: « *Erubescant*, » in tertio. Et tandem dicit, « *Erubescentes*, » in hoc quarto, ut monstret, quod confundi debemus et erubescere pro tri-

plici genere peccati, oris, cordis, et operis. Iterum triplici de causa. Propter peccati vilitatem, Jerem. II, 36 : *Quam vilis facta es nimis, iterans vias tuas!* Propter ingratitudinem, qua Deo ingrati sumus, Jerem. XIII, 25 : *Oblita es mei, et confisa es in mendacio.* Tertio, propter Dei patientiam, et longanimitatem. Gregorius : « Patientiam Dei debemus erubescere, si justitiam ejus nolumus formidare. »

5 *Exsultent et lætentur.* Hic secundum primæ partis, in quo postquam oravit, invitationem subjungit : et dicuntur duo. Primo, invitat ad lætitiam operis et cordis. Secundo, vocis, ibi, « *Et dicant.* » Et in prima sicut tactum est primo ad lætitiam operis : secundo, oris, ibi, « *Et lætentur.* »

Dicit ergo : Sic rogo pro inimicis et pro me, et moneo « *omnes qui quærunt te* » voce, corde, opere. Isa. XXI, 12 : *Si quæritis*, opere scilicet, *quærite*, supple, corde. Aliter erratur in via, nec valet. Prov. XIX, 16 : *Qui negligit viam suam, mortificabitur.* Ut sic quæratur Deus, sicut nos ipse sollicite quæsivit. Augustinus : « Ut quæreret te genus humanum, tu de cœlo misericorditer respiciens, ipsum requisivisti. » Ezech. XXXIV, 11 : *Ego ipse requiram oves meas.*

« *Omnes qui quærunt te, exsultent,* » exterius. Matth. VI, 16 : *Nolite fieri sicut hypocritæ, tristes.* « *Et lætentur,* » interius in corde, secundum illud Psal. IV, 7 : *Dedisti lætitiam in corde meo.* Et hoc « *in te,* » non in aliqua corporalitate. Amos, VI, 14 : *Qui lætamini in nihilo.* Job, XXXI, 25 : *Si lætatus sum super multis divitiis meis.*

« *Et dicant.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic exsultent opere, lætentur corde, et etiam, « *qui diligunt salutare tuum.* » Mich. VII, 7 : *Ego ad Dominum adspiciam, exspectabo Deum salvatorem meum,* Filium, de quo Isa. LII, 10 : *Et videbunt omnes fines terræ salutare Dei nostri.* Et Luc. II, 30 : *Viderunt oculi mei salutare tuum.* Vel, « *Salutare tuum,* » id est, justitiæ sanctitatem, quæ salvat. Eccli. XXX, 15 : *Salus animæ in sanctitate justitiæ.* « *Quærunt,* » intellectu, « *diligunt,* » affectu. Omnes, inquam, qui sic diligunt salutare, dicant : « *Magnificetur Dominus,* » laudibus extollatur, qui in se tantus est, quo major esse non potest. Et supra, Psal. XXXIII, 4 : *Magnificate Dominum mecum, et exaltemus nomen ejus in idipsum.* Non fimbrias nostras, sicut illi, de quibus Matth. XXIII, 5 : *Magnificant fimbrias suas.* Vel, « *Dicant semper* » hoc : « *Magnificetur Dominus,* » sicut sancta animalia. Apoc. IV, 8 : *Et quatuor animalia requiem non habebant die ac nocte, dicentia : Sanctus, Sanctus*, etc.

« *Ego vero egenus.* » Hic secundum totius Psalmi, in quo præmissa oratione, subjungitur persuasio ut exaudiatur. Et primo, persuadet ut adjuvet. Secundo, ut ad adjuvandum festinet, ibi, « *Adjutor meus.* » 6 Secunda pars Psalmi.

Dicit ergo : Sic rogavi ut adjuves et festines o Deus, adjuva me in mundi tribulationibus et miseriis. Supra, in Psal. IX, 10 : *Adjutor in opportunitatibus, in tribulatione.* « *Ego vero egenus sum,* » alieno indigens auxilio, « *et pauper,* » carens proprio : propter quod hoc mihi debes. Eccli. XI, 12 : *Est homo marcidus egens recuperatione, plus deficiens virtute, et abundans paupertate.* Duo bona facit hic. Propriam paupertatem recognoscit humiliter. Thren. III, 1 : *Ego vir videns paupertatem meam.* Non sicut ille cui dicitur, Apocal. III, 17 : *Quia dicis : Quod et locupletatus, et nullius egeo,* id est, non sum egenus : *et nescis quia tu es miser, et miserabilis, et pauper, et cæcus et nudus.* Aliud est, quia auxilium Dei mei requiro ardenter, non humanum. Isa. XXXI, 1 : *Væ qui descendunt in Ægyptum,* in mundum scilicet,

ad auxilium Pharaonis, alicujus in mundo potentis. Sed hic ad divinum, II Paral. xx, 17 : *Videbitis auxilium Domini super vos.*

« *Adjutor meus.* » Hic secundum, in quo suadet ut festinet, allegans duo ejus officia. Adjuvare in tribulatione ipsa, et liberare ab illa, ibi, « *Et liberator.* »

Dicit ergo : Sic adjuva, et o Domine, « *ne moreris,* » sed festina. Dan. ix, 19 : *Ne moreris propter temetipsum Deus meus.* Joan. iv, 49 : *Domine, descende priusquam moriatur filius meus.* Et dicit Cassiodorus : « Periclitantium mos « est tardum judicare, quamvis celerri« mum præstetur auxilium. » Apud Dominum vere non est tardum. II Petr. iii, 9 : *Non tardat Dominus promissionem suam.* Et debes festinare, quia « *adjutor meus* » in ipsa tribulatione « *es tu,* » ex ipso officio. Psal. xc, 15 : *Cum ipso sum in tribulatione.* Isa. xliii, 2 : *Cum transieris per aquas, tecum ero, et flumina non operient te.* Non vult hic ut sibi dicatur illud Isa. xvii, 10 : *Oblita es Domini salvatoris tui, et fortis adjutoris tui non es recordata.* II Machab. iii, 39 : *Qui habet in cœlis habitationem, visitator et adjutor est loci illius.* Et Augustinus dicit : « Viam angustam ambulavimus, « hæsimus in sepibus, dicamus : Deus tu « es adjutor meus. »

« *Et liberator meus,* » ab ipsa tribulatione. Daniel. vi, 27 : *Ipse liberator atque salvator faciens mirabilia.* Salvator animam glorificabit, liberator corpus a miseriis reformabit, ut sic integer et totus homo cum eo glorificetur, qui est benedictus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS LXX.

Opem Dei implorat adversus persecutores : promittit se Deo gratias acturum.

1. *Psalmus David,*
Filiorum Jonadab, et priorum captivorum.
In te, Domine, speravi : non confundar in æternum :
2. In justitia tua libera me, et eripe me :
Inclina ad me aurem tuam, et salva me.
3. Esto mihi in Deum protectorem, et in locum munitum, ut salvum me facias :
Quoniam firmamentum meum et refugium meum es tu.
4. Deus meus, eripe me de manu peccatoris, et de manu contra legem agentis, et iniqui :
5. Quoniam tu es patientia mea, Domine : Domine, spes mea a juventute mea.
6. In te confirmatus sum ex utero : de ventre matris meæ tu es protector meus :
In te cantatio mea semper.
7. Tamquam prodigium factus sum multis : et tu adjutor fortis.
8. Repleatur os meum laude, ut cantem gloriam tuam, tota die magnitudinem tuam.
9. Ne projicias me in tempore senectutis : cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me.
10. Quia dixerunt inimici mei mihi, et qui custodiebant animam meam consilium fecerunt in unum :

11. Dicentes : Deus dereliquit eum : persequimini, et comprehendite eum, quia non est qui eripiat.
12. Deus, ne elongeris a me : Deus meus, in auxilium meum respice.
13. Confundantur, et deficiant detrahentes animæ meæ : operiantur confusione et pudore qui quærunt mala mihi.
14. Ego autem semper sperabo, et adjiciam super omnem laudem tuam.
15. Os meum annuntiabit justitiam tuam, tota die salutare tuum.
Quoniam non cognovi litteraturam,
16. Introibo in potentias Domini : Domine, memorabor justitiæ tuæ solius.
17. Deus, docuisti me a juventute mea : et usque nunc pronuntiabo mirabilia tua.
18. Et usque in senectam et senium, Deus, ne derelinquas me,
Donec annuntiem brachium tuum generationi omni quæ ventura est :
Potentiam tuam,
19. Et justitiam tuam, Deus, usque in altissima : quæ fecisti magnalia, Deus, quis similis tibi ?
20. Quantas ostendisti mihi tribulationes multas et malas ! et conversus vivificasti me, et de abyssis terræ iterum reduxisti me.
21. Multiplicasti magnificentiam tuam : et conversus consolatus es me.
22. Nam et ego confitebor tibi in vasis psalmi veritatem tuam, Deus : psallam tibi in cithara, sanctus Israel.
23. Exsultabunt labia mea cum cantavero tibi : et anima mea quam redemisti.
24. Sed et lingua mea tota die meditabitur justitiam tuam, cum confusi et reveriti fuerint qui quærunt mala mihi.

IN PSALMUM LXX

COMMENTARIUS.

1 *Psalmus David,*
Filiorum Jonadab, et priorum captivorum[1].

« *In te, Domine.* » Hic est Psalmus septuagesimus in toto libro, vicesimus in secunda parte, in quo postquam exemplo Christi Ecclesia petivit a Deo festinum adjutorium, convertit se ad filios suos, ostendens a Deo esse omne bonum, et totum Dei gratiæ esse. Et loquitur secundum unam expositionem omnibus filiis tam bonis quam malis : bonis qui signantur per filios Jonadab : malis qui per primos captivatos de Judæis signantur. Nota enim primo quod habetur Jerem. xxxv, 6 et seq., de filiis Jonadab, qui ad præceptum patris sui Rechab vinum non bibebant, in domibus non habitabant, in quibus signantur hærentes

Argumentum Psalmi. Omne bonum esse a Deo.

[1] Ce psaume est en bonne partie composé de réminiscences, pour lesquelles les Psaumes XXI, XXX, XXXIX, ont particulièrement été mis à contribution. Il n'a en hébreu ni titre, ni nom d'auteur, mais les versions en font un « psaume de David, des fils de Jonadab, et des premiers captifs. » Cette indication peut avoir un certain caractère traditionnel, mais il est difficile de l'apprécier. Le Hir et quelques autres pensent que David est l'auteur de ce chant. Les pensées et leur développement conviennent très bien à sa manière ; il est persécuté et déjà vieux, ℣℣. 17, 18, il espère que Dieu va le délivrer et augmenter encore sa grandeur, ℣. 21 (heb.), détails qui indiquent l'époque de la révolte d'Absalon. Toutefois, observons-nous

Patri cœlesti, de quo Deuteron. XXXII, 6 : *Numquid non ipse est pater tuus, qui,* etc. Et illud Isa. LXIV, 8 : *Et nunc Domine pater noster es tu, nos vero lutum : et fictor noster tu, et opera manuum tuarum omnes nos.* Et etiam parentibus propter ipsum, et in his quæ non sunt contra Deum, secundum illud Exod. XX, 12 : *Honora patrem tuum, et matrem tuam,* honore reverentiæ. Notandum et illud IV Reg. XXV, 1 et seq., de captivitate Judæorum a Babyloniis prima, in qua monstrantur captivati Judæi propter inobedientiam, et signant inobedientes, et captivatos sub carnali concupiscentia propter primi hominis inobedientiam primo et principaliter, quam gemebat Paulus, ad Rom. VII, 24 : *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus,* etc. Et rursus, ℣. 23 : *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, et captivantem me in lege peccati.*

Sensus ergo tituli propositi hic est : « *Psalmus David,* » id est, a David propheta editus, « *Filiorum Jonadab, et priorum captivorum* » excitativus. « *Filiorum Jonadab,* » id est obedientium, et bonorum, ut bonum quod habent, gratiæ Dei attribuant, scientes illud I ad Corinth. IV, 7 : *Quid habes quod non accepisti ?* Et rursus, Jacob. I, 17 : *Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est.* « *Et priorum captivorum,* » id est, sub servitute concupiscentiæ detentorum, et in peccati servitute, ut sciant se per Dei gratiam, non aliter liberandos. I ad Cor. XV, 10 : *Gratia Dei sum id quod sum.*

Vel potest accipi pro eisdem, cum dicitur, « *filiorum Jonadab, et priorum captivorum.* » Est autem duplex captivitas. Una qua captivi sumus in hoc mundo, et hæc prima : et alia qua in inferno, et hæc secunda. Est ergo sensus : « *Psalmus David* » excitativus « *filiorum Jonadab,* » Dei scilicet : Jonadab enim interpretatur *voluntarius,* interpretatur et *Deus,* de quo Jacob. I, 18 : *Voluntarie enim genuit nos* Deus, *verbo veritatis.* Vel, « *Jonadab* » Jesus Christus, de quo Isa. LIII, 7 : *Oblatus est quia ipse voluit.* « *Et priorum captivorum,* » hoc est, ipsorum, qui tenentur adhuc in captivitate prima. Vel, « *priorum captivorum,* » id est, prius captivatorum, quam essent ad Deum conversi : talibus enim Psalmus hic est cantandus.

Dividitur autem Psalmus in duas partes. Primo quidem orat Ecclesia, ostendens quod omne bonum a Deo habeat. Secundo, intendit et vacat laudibus ejus quem orat, ibi, « *Deus, quis similis.* »

In prima duo. Primo, orat petendo adjuvari simpliciter. Secundo, in quodam statu specialiter, scilicet in statu senectutis, ibi, « *Ne proijcias me.* »

In prima duo. Primo, orat ut impetret liberationem. Secundo, ut ipsa impetrata gratias referre valeat, monstrans in hoc quod cujus est bona dare, ejusdem

avec Schegg, il paraît bien extraordinaire que David, dont l'inspiration était si féconde, en soit réduit ici à faire des emprunts à ses chants précédents pour exprimer ses sentiments. Les fils de Jonadab sont les Réchabites emmenés en captivité à la première invasion de Nabuchodonosor, et dont Jérémie fait grand éloge, XXXV. C'est par eux, plus probablement, qu'aurait été composé ce chant, avec des paroles de David et à la manière du saint roi, et le psaume aurait été pendant la captivité l'expression de leurs plaintes et de leurs espérances. En ce sens s'expliquerait bien le pluriel du ℣. 20. L'adaptation aurait été faite soit par Jérémie (Delitzsch, Perowne), soit plutôt par le chef des Réchabites parlant tantôt en son nom, ℣℣, 6, 7, 17, 18, etc., tantôt au nom des captifs. Nous ne pouvons pourtant rien affirmer de certain, à raison de l'absence de détail intrinsèque qui soit caractéristique, sinon que pour le ton général des pensées et des sentiments, le psaume est davidique. Le style est simple et clair, et le texte n'offre aucune difficulté d'interprétation.

Les Pères, spécialement Eusèbe, appliquent le psaume au Messie souffrant, puis triomphant de ses ennemis.

H. Lesêtre.

est conferre, quod gratiæ referantur, etc. ibi, « *Repleatur os meum laude.* »

In prima duo. Primo, orat pro sua liberatione. Secundo, magis specificat a quibus velit liberari, addita persuasione, ibi, « *Deus, eripe me.* »

In prima tria. Primo, tangit impetrandi fiduciam. Secundo, subjungit petitionem, ibi, « *In justitia tua.* » Tertio, primi probationem, quod scilicet ipse debet confidere, ibi, « *Quoniam firmamentum.* »

In prima duo. Primo tangit causam fiduciæ. Secundo, fiduciam, ibi, « *Non confundar.* »

Prima pars Psalmi : Tota spes in Domino ponenda.

Dicit ergo : Sic rogavi in Psalmo præcedenti ut adjuves, et festines, nec despero, imo o « *Domine,* » qui potes omnia, « *in te speravi,* » non in hominibus, quia Jerem. XVII, 5 : *Maledictus homo qui confidit in homine.* Non in temporalibus rebus juxta consilium Pauli, I ad Tim. VI, 17 : *Divitibus hujus sæculi præcipe non sublime sapere : neque sperare in incerto divitiarum.* Sed « *in te,* » de quo Eccli. II, 11 : *Nullus speravit in Domino, et confusus est.* Unde « *non confundar in æternum,* » id est, numquam confundar. I Machab. II, 61 : *Omnes qui sperant in eum, non infirmantur :* multo ergo fortius nec confundentur. Vel, « *non confundar in æternum,* » id est, confusione æterna, etsi forte in præsenti, amore Christi. Augustinus : « Confusi estis in Adam, recedite ab eo, « et accedite ad Christum, et confusionem « sustinete pro eo, et in æternum non con- « fundemini, » id est, non confundemini æterna confusione. Eccli. IV, 25 : *Est enim... confusio adducens gloriam et gratiam.*

2 « *In justitia tua.* » Hic secundum, humilis petitio : et petuntur duo. Primo, liberatio a malo. Secundo, bonorum collatio, ibi, « *Esto mihi in Deum.* »

In prima tria secundum triplex malum a quo petit liberari. Primum est ut liberetur a mundi periculis. Secundum, quod a potestate dæmonis, ibi, « *Et eripe me.* » Tertium, ab infirmitate carnis, ibi, « *Inclina ad me.* »

Petit liberari a periculis mundi, potestate diaboli, et infirmitate carnis, per divinam misericordiam in qua confidit.

Dicit ergo : Sic sperans non confundar : et propter hoc peto, « *libera me,* » a mundi periculis, quæ multa sunt. II ad Cor. XI, 26 : *Periculis latronum, periculis fluminum,... periculis in falsis fratribus.*

« *Et eripe me,* » de potestate dæmonis, quæ magna est valde si permittis. Job, XLI, 24 : *Non est super terram potestas, quæ comparetur ei.* Luc. XI, 21 : *Fortis armatus custodit atrium suum.* Et hoc « *in tua justitia,* » non in mea, secundum quod exigit tua, non mea. Psal. VII, 9 : *Judica me, Domine, secundum justitiam meam,* a te mihi datam : unde ipsa quæ videtur mea, tua est. Ad Rom. IV, 5 : *Credenti in eum, qui justificat impium, reputatur fides ejus ad justitiam.* Mea enim justitia, quæ ex me est, nulla est. Isa. LXIV, 6 : *Facti sumus ut immundus omnes nos, et quasi pannus menstruatæ universæ justitiæ nostræ.*

« *Inclina ad me.* » Hic tertium, et quia cum majori difficultate evaditur carnis infirmitas, quia caro magis proxima est, dicit duo. Primo, petit Dei dignationem, quod est auris inclinatio. Secundo, petit ereptionem a carnis infirmitate, ibi, « *Et salva me.* »

Dicit ergo : Sic salva a mundo, eripe a diabolo, et etiam « *inclina aurem tuam,* » infirmo, qui non potest vocem exaltare usque ad te. Ecce petitio dignationis. Alibi, in Psal. XXX, 3 : *Inclina ad me aurem tuam, accelera ut eruas me.* Cassiodorus : « Nisi divina gratia ad ho- « minem liberandum se inclinaverit, ad « illam misericordiam non suis meritis « potest pervenire quam cupit. » Inclina ergo aurem tuam, quæ surda non est. Sap. I, 10 : *Auris zeli audit omnia.*

Osee, II, 21 : *Exaudiam cælos,* etc. « *Et salva me.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Ad hoc inclina ut salves me a carnis miseria, et infirmitate. Psal. VI, 3 : *Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum.* Adversus enim hanc est pugna continua. Ad Ephes. VI, 12 : *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem,* supple, tantum. Ad Galat. V, 17 : *Caro concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem.* Ab hac ergo misera infirmitate salva me. Jerem. XVII, 14 : *Sana me, Domine, et sanabor :* nulla enim infirmitas est quam non sanes. Psal. CII, 3 : *Qui sanat omnes infirmitates tuas,* solo verbo. In Psal. CVI, 20 : *Misit verbum suum, et sanavit eos.* Et Sap. XVI, 12 : *Neque herba, neque malagma sanavit eos, sed tuus, Domine, sermo, qui sanat omnia.*

3 « *Esto mihi.* » Hic secundum, in quo petit exhiberi sibi bona : et sunt duo. Primo, protectio. Secundo, susceptio, ibi, « *In locum munitum.* »

Dicit ergo : Sic liberes a malis, et etiam « *esto mihi in Deum,* » non quomodocumque, sed « *protectorem,* » qui me foveat, et defendat. Sicut gallina fovet et protegit pullum, Psal. XVI, 8 : *Sub umbra alarum tuarum protege me.* Sicut petra formidolosum fovet et munit, Prov. XXX, 26 : *Lepusculus, plebs invalida, qui collocat in petra cubile suum.*

« *Et in locum.* » Hic ut sit susceptio : et dicuntur duo. Primo, ut suscipiat. Secundo, ratio et finis, ibi. « *Ut salvum.* »

Ait enim : Et sis mihi « *in locum munitum,* » qui suscipit gentes, ne ab inimicis capiantur. Augustinus : « In locum « munitum, ne ad me inimici jacula « perveniant. » Jerem. XVI, 19 : *Domine fortitudo mea et robur meum, et refugium meum in die tribulationis.* I Reg. XXIV, 1 : *Habitavit in locis tutissimis Engaddi.* Isa. IV, 6 : *Erit in umbraculum diei ab æstu, et in securitatem, et absconsionem a turbine, et a pluvia.* Et protegit et munit sicut pugil et miles pro nobis agonizans. I Machab. III, 3 : *Judas... protegebat castra gladio suo.* Propter hoc dicitur, Proverb. XVIII, 10 : *Turris fortissima nomen Domini : ad ipsum currit justus, et exaltabitur.*

« *Quoniam firmamentum.* » Hic tertium, in quo ostendit quod primo posuit, scilicet impetrandi fiduciam, et probat per duo. Primo, per hoc quod in bono firmat, et sic certum est quod protector est. Secundo, per hoc quod fugientes ad se congregat, sicut munitus locus, ibi, « *Et refugium.* »

Dicit ergo : Sic petii quod fiendum confido. Nec mirum, si confido, « *quoniam firmamentum meum,* » me protegens, « *es tu.* » Psal. XXIV, 14 : *Firmamentum est Dominus timentibus eum.* Et de justo, Eccli. III, 34 : *In tempore casus sui inveniet firmamentum,* ipsum Deum, non seipsum. Augustinus enim dicit : « Quantumcumque summus sis ex gra- « tia Dei, et quamdiu portas terrenum « vas, de teipso, tamquam de vase fictili « formidandum est. »

« *Et refugium,* » ad quod fugio tamquam ad munitum locum. Psal. XXXI, 7 : *Tu es refugium meum a tribulatione,* etc. Et alibi, I ad Corinth. X, 4 : *Petra autem erat Christus.* Et Psal. CIII, 18 : *Petra refugium herinaciis.* Augustinus : « Confiteor infirmitatem meam, timidus « sum ut lepus, quia plenus spinis, ut « herinacius. »

« *Deus meus, eripe me.* » Hic secundum, in quo postquam petiit liberari et eripi, magis specificat a quo liberari maxime petat, addens persuasionem : unde dicuntur duo. Primo, petit. Secundo, addit persuasionem, ibi, « *Quoniam tu es patientia.* » 4

In prima duo. Primo, petit liberari et eripi a peccatore simpliciter. Secundo, subdit per partes peccatorum diversitates, ibi, « *Et de manu.* »

Dicit ergo : Sic petii, libera me, et « *eripe me :* » et specifico, o « *Deus meus* » qui omnia vides, et aperte cognoscis. Job, xxvi, 6 : *Nudus est infernus coram illo, et nullum est operimentum perditioni.* Psal. xxxiii, 17 : *Vultus autem Domini super facientes mala.* « *Eripe me,* » sicut supra petii, et hoc, « *de manu peccatoris,* » mali scilicet hominis. Alibi, in Psal. cxxxix, 2 : *Eripe me, Domine, ab homine malo.* Vel, « *De manu peccatoris,* » dæmonis. Supra, in Psal. xxxv, 12 : *Non veniat mihi pes superbiæ : et manus peccatoris non moveat me.* Osee, xiii, 14 : *De manu mortis,* id est, dæmonis, qui mors appellatur quia mortem induxit, (Sapient. ii, 24 : *Invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum*) *liberabo eos* [1]. Ab hac enim manu sine te non possum eripi. Thren. i, 14 : *Dedit me Dominus in manu, de qua non potero surgere.*

« *Et de manu contra legem.* » Hic secundum, in quo specificat peccatorem per duas differentias. Per transgredientem legem quam suscepit, et legem non habentem, ibi, « *Et iniqui.* »

Contra legem dupliciter agitur.

Ait enim : Sic, « *eripe me de manu peccatoris, et etiam de manu contra legem agentis.* » Contra legem est agens dupliciter : qui legem suscipiens non observat ipsam, sicut ille cui Paulus dixit, Act. xxiii, 3 : *Percutiet te Deus, paries dealbate. Et tu sedens judicas me secundum legem, et contra legem jubes me percuti.* Ad Rom. ii, 12 : *Quicumque in lege peccaverint, per legem judicabuntur.* « *Et iniqui,* » qui scilicet legem non suscipit, nec secundum legem vivit. Ad Rom. ii, 12 : *Quicumque sine lege peccaverunt, sine lege judicabuntur.* Tales enim multum infestant bonos. Prov. xxix, 10 : *Viri sanguinum oderunt simplicem : justi autem quærunt animam ejus.*

« *Quoniam tu es patientia.* » Hic secundum, in quo subjungitur persuasio. 5
Persuadet enim a duobus. Primo, a bonis quæ a Deo recipit. Secundo, a bonis quæ facit, ibi, « *In te cantatio mea.* »

In prima duo. Primo, bonorum collatio. Secundo monstratur collationis inchoatio, ut monstretur magnitudo illorum bonorum, ibi, « *In te confirmatus sum.* »

In prima duo. Primo, patientiæ bonum in adversis. Secundo, spei in prosperis, ibi, « *Spes mea.* »

Dicit ergo : Sic eripe, et hoc facere debes, « *quoniam, o Domine, tu es patientia mea,* » et patientiæ meæ dator, et causa. Jerem. xxix, 11 : *Ego scio cogitationes quas ego cogito super vos, ait Dominus : cogitationes pacis, et non afflictionis : ut dem vobis finem et patientiam.* Quid autem sit patientia, dicit Cassiodorus. « Patientia est utilitatis aut hone- « statis causa, rerum arduarum ac diffi- « cilium voluntaria et diuturna perpes- « sio. » Hanc dat Deus suis. Jerem. i, 18 : *Ego quippe dedi te hodie in civitatem munitam, et in columnam ferream, et in murum æreum.* Ezech. iii, 9 : *Ut adamantem, et ut silicem dedi faciem tuam.*

Patientiæ diffinitio.

« *Spes mea.* » Hic secundum. Quasi diceret : Tu dedisti patientiam, et etiam « *tu es spes mea,* » dator scilicet spei meæ, et hoc « *a juventute mea,* » ut tenderem in bona æterna : hoc enim est spes, scilicet certa exspectatio futurorum bonorum, etc. Juventutem autem hic appellat, non litteralem, sed spiritualem, suam scilicet conversionem a peccato. Eccle. xi, 9 : *Lætare ergo juvenis in adolescentia tua.* Et optime post patientiam subjungitur de spe, quia patientia spem creat. Ad Roman. v, 3 et 4 : *Tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem.* Cassiodorus : « Prius est ut cum Dei gra- « tia per patientiam probemur, et ut

Patientia spei parens.

[1] Osee, xiii, 14 : *De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos : ero mors tua o mors, morsus tuus ero inferne.*

« tunc illam fructuosam spem ipso do-« nante habere mereamur. »

6 « *In te confirmatus.* » Hic secundum, in quo ostenditur magnitudo bonorum collatorum, per comparationem ad tempus dationis. Et primo, confirmationis in bono. Secundo, protectionis a malo, ibi, « *De ventre matris.* »

Dicit ergo : Vere spes mea es a juventute, quia « *confirmatus sum in te* » tendens « *ex utero,* » ad litteram, ex quo processi vel eram in utero matris meæ. Job, xxxi, 18 : *Ab infantia mea crevit mecum miseratio : et de utero matris meæ egressa est mecum.* Hoc maxime in illis justis qui in utero matrum sunt sanctificati, sicut Jeremias : de quo Jerem. i, 5 : *Priusquam te formarem in utero, novi te : et antequam exires de vulva, sanctificavi te.* Vel uterus spiritualiter accipitur pro Ecclesia, in qua est quilibet justus, cum primo quasi conceptus Ecclesiæ imbuitur sacramentis, et aliquamdiu Dei gratia confirmatur, secundum illud Eccli. xv, 3 : *Firmabitur in illo, et non flectetur.* Hanc petebat supra, in Psal. lxvii, 29 : *Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis.* II Petr. v, 10 : *Perficiet, confirmabit, solidabitque.*

« *De ventre.* » Hic secundum. Quasi diceret : Ex tunc sic in bono confirmasti, et etiam « *tu,* » non alius, es protector meus a malis irruentibus. Isa. xxxi, 5 : *Proteget Dominus exercituum Jerusalem, protegens et liberans, transiens et salvans.* Protector autem est armaturam dando, qua possit malo resistere, et stare. Ad Eph. vi, 13 : *Accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo, et in omnibus perfecti stare.* Et hoc, « *de ventre matris meæ,* » ad litteram : ex quo processi de ventre : quamvis enim omnes nascamur filii iræ. Ad Ephes. ii, 3 : *Eramus natura filii iræ* : tamen statim paratum est sacramentum, in quo regeneramur. Et est argumentum, quod in illo virtutes infunduntur armantes et protegentes. Vel, venter Ecclesiæ accipitur, in quo sumus cum primo in bono concipimur, et eximus, cum proficimus et tendimus in profectum.

In sacramento baptismi infunduntur virtutes.

De hoc ventre supra in Psal. xxi, 10 : *Tu es qui extraxisti me de ventre : spes mea ab uberibus matris meæ.* In hoc ventre sunt quidam multo tempore non proficientes in bono, nec potentes prodire in melius : unde gemit Ecclesia, Jerem. iv, 19 : *Ventrem meum, ventrem meum doleo.* Isa. xlvi, 3 et 4 : *Audite me domus Jacob, et omne residuum domus Israel,* reliquiæ et fæces contemplativorum : *qui portamini a meo utero, qui gestamini a mea vulva. Usque ad senectam ego ipse, et usque ad canos ego portabo.*

« *In te cantatio mea.* » Hic secundum illius partis, in qua ponitur persuasio. Persuadet enim a bonis quæ facit, sed non ex se : imo ex Dei benignitate, et auxilio : et dicuntur duo. Primo, bona quæ retribuit. Secundo, quod non a se est ipsa retributio, ibi, « *Et tu adjutor.* »

In prima duo bona. Lætitia et exsultatio in Deum pro bonis suis. Secundo, mira patientia in adversis, ibi, « *Tamquam prodigium.* »

Dicit ergo : Hæc bona contulisti, et propter hoc « *cantatio mea,* » laus oris, exsultatio cordis mei est, supple, tendens « *in te semper.* » Psal. xii, 6 : *Cantabo Domino qui bona tribuit mihi :* et in præsenti vita : sed quo cantico? Est enim multiplex canticum. Malum, lasciviæ et dissolutionis. Psal. cxxxvi, 3 : *Illic,* in Babylone scilicet, in mundi conversione, *interrogaverunt nos, qui captivos duxerunt nos, verba cantionum.* Contemptus et irrisionis, quo mali de bonis cantant. Thren. iii, 14 : *Factus sum in derisum omni populo, canticum eorum tota die.* Sed est bonum canticum. Prædicationis, de quo Matth. xi, 17 : *Cecinimus vobis, et non saltastis.*

Multiplex canticum.

Joel, II, 1 : *Canite tuba in Sion.* Confessionis, Isa. XXIII, 16 : *Sume citharam, circui civitatem, meretrix oblivioni tradita : bene cane, frequenta canticum.* Divinæ laudis, Psal. XCV, 1 : *Cantate Domino canticum novum*, etc. Exsultationis cordis, Ad Ephes. V, 19 : *Cantantes et psallentes Deo in cordibus vestris.* Munditiæ et puritatis virginalis : hoc de quo Apocal. XIV, 3 : *Et cantabant quasi canticum novum ante sedem, et ante quatuor animalia, et seniores : et nemo poterat dicere canticum, nisi... hi, qui cum mulieribus non sunt coinquinati.* Et charitatis, de quo Isa. V, 1 : *Cantabo dilecto meo canticum patruelis mei vineæ suæ.* Et contemplationis Dei, Psal. CXXXVI, 3 : *Hymnum cantate nobis de canticis Sion*, id est, speculæ, contemplationis scilicet.

7 « *Tamquam prodigium.* » Hic secundum. Quasi diceret : Solvo cordis lætitiam, et etiam in hoc perverso tempore « *factus sum tamquam prodigium multis* » per benignam patientiam. I ad Corinth. IV, 9 : *Spectaculum facti sumus mundo, et Angelis, et hominibus.* Sic David ante arcam saltans prodigium factus est Michol [1]. Sic Job ab amicis irridebatur, tamquam quoddam prodigium. Job, XII, 4 : *Qui deridetur ab amico suo sicut ego, invocabit Deum, et exaudiet eum : deridetur enim justi simplicitas. Lampas contempta*, etc. Sic omnes justi a malis. Sap. V, 3 : *Hi sunt quos aliquando habuimus in derisum.*

« *Et tu.* » Ecce secundum. Hoc facio, canto lætanter, mirabiliter sustineo : et hoc non ex me : imo « *et tu adjutor fortis,* » ad hæc facienda et sustinenda. Job, IX, 19 : *Si fortitudo quæritur, robustissimus est.* Ad Rom. VIII, 31 : *Si Deus pro nobis, quis contra nos ?* Quasi diceret : Nullus.

[1] Cf. II Reg. VI, 20 et seq.

« *Repleatur os meum.* » Hic secundum, in quo postquam petiit liberationem, petit ut ei detur referre digne gratiarum actionem. Petit ergo primo laudandi Dei abundantiam. Secundo, subjungit illius abundantiæ finem, ad quid petat illud, ibi, « *Ut cantem gloriam.* » 8

Dicit ergo : Sic rogavi ut eripias, et etiam « *os meum* » postea per gratiam tuam « *repleatur laude* » divina, ne ingratus inveniar. Job, VIII, 21 : *Impleatur risu os tuum, et labia tua jubilo.* Laus enim Dei implet os hominis sicut frænum retrahens a malo, et dirigens ad bonum. Isa. XLVIII, 9 : *Laude mea infrænabo te, ne intereas.* Psal. XLIX, 23 : *Illic iter, quo ostendam illi salutare Dei.*

« *Ut cantem gloriam.* » Hic finis hujus repletionis, scilicet publicatio gloriæ ejus, et dignitatis. Secundo, potestatis et magnitudinis.

Dicit ergo : Sic repleatur os meum laude, ita « *ut cantem gloriam tuam,* » tuæ dignitatis magnificentiam. Eccli. XXXVI, 16 : *Reple Sion inenarrabilibus verbis tuis, et gloria tua populum tuum.* Gloria, inquam, tua, quam tibi apparas, quam solus habere vis. Isa. XLII, 8 : *Gloriam meam alteri non dabo.*

« *Tota die magnitudinem tuam* » cantem. Supra, in Psal. CXLIV, 3 : *Magnitudinis ejus non est finis.* Gloria etiam Dei dicitur magnitudo in effectu. Unde Glossa : « Qui antequam essem, fuisti, etc. » Et petit optime os repleri, antequam gloria enarretur vel magnitudo, quia nec hæc, nec illa enarrari potest ex se, nisi a Deo adjuvetur homo. Cassiodorus : « Si « ille os nostrum non repleat, nec lingua « movetur, nec desideria honesta flam- « mantur. »

Et nota. Quidam laudant Deum vacuo omnino corde. Fatuæ virgines exierunt obviam sponso lampadibus vacuis [2]. Quidam vero semipleno, qui non habent laudandi gratiam, nisi in prosperis : de

Varie a variis laudantur.

[2] Cf. Matth. XXV, 1 et seq.

quibus Psal. XLVIII, 19 : *Confitebitur tibi cum benefeceris ei.* Quidam vero corde pleno, quorum gratia redundat ex plenitudine cordis in labiis. Matth. XII, 34 : *Ex abundantia cordis os loquitur.* Psal. XLIV, 3 : *Diffusa est gratia*, de plenitudine quæ est in corde, *in labis tuis.* Psal. XLIV, 2 : *Eructavit cor meum verbum bonum.*

9 « *Ne projicias me.* » Hic secundum primæ partis Psalmi, in qua postquam petiit adjuvari, et liberari simpliciter, petit adjuvari, et Deum sibi fieri propitium in quodam statu specialiter. Et primo, in statu senectutis, quando jam natura debilitari incipit. Secundo, in statu decrepitæ ætatis, ibi, « *Et usque in senectam.* »

In prima duo. Primo, pro se in illo statu precatur. Secundo, adversariis imprecatur, ibi, « *Confundantur et deficiant.* »

In prima tria. Primo, petit ne projiciatur omnino a Deo in illo statu. Secundo, quod plus est, ne Deus elongetur, ibi, « *Deus, ne elongeris a me.*» Tertio, quod plus est, ut ab eo adjuvetur, ibi, « *Deus, in auxilium.* »

In prima duo. Primo, petitio. Secundo, petitionis expositio, ibi, « *Cum defecerit.* »

Dicit ergo : Sic rogavi simpliciter supra, et etiam hoc rogo : « *Ne projicias me,* » a te abjiciendo, id est, a tua gratia, « *in tempore senectutis,* » litteralis. Multa enim senem circumveniunt incommoda, et si a te projicitur, totum amittitur. Sed non sic sit in me, ne sim de illis de quibus Jerem. VII, 15 : *Projiciam vos a facie mea,* dicit Dominus, quia vos primo me projecistis. Jerem. VIII, 9 : *Verbum Domini projecerunt :* aliter non. I Paral. XXVIII, 9 : *Si dereliqueris eum, Dominus projiciet te in æternum.* Non ergo projicias eum in juventute, ne ab ipso projiciaris in senectute. Aliter, petenti in senectute dicetur illud Eccli. XXV, 5 : *Quæ in juventute non congregasti, quomodo in senectute tua invenies ?*

« *Cum defecerit virtus mea.* » Hic exponit se. Quasi diceret : Sic in senectute ne me projicias, « *cum defecerit virtus mea,* » quod est senectus : in quocumque statu sim, ne derelinquas me, imo magis virtutem interiorem auge, secundum illud Apostoli, II ad Corinth. IV, 16 : *Sed licet is, qui foris est, noster homo corrumpatur: tamen is qui intus est, renovatur de die in diem.* Quod facit Deus diu portando, et nullum abjiciendo. Psal. XXXVI, 28 : *Deus non derelinquet sanctos suos : in æternum conservabuntur.* Imo ab ipso mirabiliter innovantur. Job, XI, 17 : *Et quasi meridianus fulgor consurget tibi ad vesperam : et cum te consumptum putaveris, orieris ut lucifer.*

« *Quia dixerunt.* » Hic secundum, scilicet persuasio : et dicuntur tria. Primo, 10
desolatio ab adversariis. Secundo, concordia et unio in illa desolatione, ibi, « *Et qui custodiebant.* Tertio, explanatio intentionis, et cogitationis illorum contra se, ibi, « *Dicentes, Deus.* »

Dicit ergo : Sic ne projicias me, nec debes, quia « *dixerunt* » inimici mei, desolantes me, « *mihi mala,* » quod non salver a te. Psal. III, 3 : *Multi dicunt animæ meæ : Non est salus ipsi in Deo ejus.*

« *Et qui custodiebant animam meam,* » ad decipiendum, et perdendum. Jerem. XX, 10 : Dixerunt *custodientes latus meum : Si quomodo decipiatur, et prævaleamus adversus eum.* « *Consilium fecerunt in unum,* » de me perdendo. Prov. I, 11 : *Si dixerint : Veni nobiscum, insidiemur sanguini, abscondamus tendiculas contra insontem frustra.* Psal. XXXVI, 12 : *Observabit peccator justum.* Joan. XI, 47 : *Collegerunt Pontifices et Pharisæi*, etc.

11 « *Dicentes: Deus dereliquit.* » Hic tertium, in quo explicat intentionem cogitationum, et sunt quatuor, quæ cogitare eos asserit. Primum, derelictio ejus a Deo. Secundo, illatio ex hoc exhortatoria ad persequendum, ibi, « *Persequimini.* » Tertio, persecuti comprehensio, ibi, « *Et comprehendite.* » Quarto comprehensi afflictio ad libitum, ibi, « *Quia non est qui eripiat.* »

Dicit ergo : Sic fecerunt consilium in unum « *dicentes* » inter se. Sap. II, 1 : *Dixerunt cogitantes apud se non recte.* « *Deus dereliquit eum.* » Falsum dicunt. Ad Hebr. XIII, 5 : *Non te deseram, neque derelinquam* [1]. Psal. XC, 15 : *Cum ipso sum in tribulatione.* Isa. XLIII, 2 : *Per aquas tecum ero, et flumina non operient te.*

« *Persequimini* » tardum, et iniquitatibus ponderosum, et hoc falsum. I Pet. II, 22 : *Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus* [2]. « *Et comprehendite eum,* » tamquam invalidum, et impotentem ad defendendum. Exod. XV, 9 : *Dixit inimicus: Persequar, et comprehendam.* Proverb. I, 12 : *Degluttiamus eum tamquam infernus viventem.* Jerem. XX, 10 : *Prævaleamus adversus eum, et consequamur ultionem ex eo.*

Et potestis comprehensum detinere, « *quia non est qui eripiat :* » nec ipse potest, ut ei competat illud Job, VI, 13 : *Ecce, non est auxilium mihi in me.* Imo et amici mei recesserunt a me. Et illud Isa. LXIII, 5 : *Quæsivi, et non fuit qui adjuvaret.*

12 « *Deus, ne elongeris.* » Hic petitio secunda. Quasi diceret : Ne projicias me, et etiam quod plus est, « *Deus, ne elongeris a me,* » quamvis non projecto. Psal. XXI, 20 : *Tu autem ne elongaveris, Domine, auxilium tuum a me.* Eccli. XXXV, 22 : *Dominus non elongabit.* Securus sit a quo non elongatus est, Job. XVII, 3 : *Libera me Domine, et pone me juxta te, et cujusvis,* etc. Ad Philip. IV, 5 : *Dominus prope est : nihil solliciti sitis.* Timeat a quo remotus est, I Machab. XII, 54 : *Non habent principem, et adjuvantem : nunc ergo expugnemus illos et tollamus de hominibus, memoriam eorum.* Planum est ergo impios, quos diabolus subjectos tenet, longe esse a Deo. Proverb. XV, 29 : *Longe est Dominus ab impiis.*

« *Deus meus.*» Ecce tertium : « *Respice,* » oculo misericordiæ tuæ. De quo respectu, Sap. IV, 15 : *Et respectus in electos illius.* Psal. CI, 18 : *Respexit in orationem humilium.* « *In auxilium meum,* » id est, mihi præstandum, sicut respexisti in auxilium filiorum Israel [3]. Et hoc justum est, ex quo respicio ad te. II Paral. XX, 12 : *Cum ignoremus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te.* Psal. CXX, 1 : *Levavi oculos meos in montes,* ad sanctos scilicet, in quibus Deus habitat : *unde veniet auxilium mihi.*

« *Confundantur et deficiant.* » Hic secundum hujus partis, in quo postquam 13
pro seipso precatus est, adversariis imprecatur. Primo ergo ponitur imprecatio. Secundo, persuasio ad obtinendum imprecatum, ibi, « *Ego autem.* »

In prima duo. Primo, imprecatur persequentibus ore. Secundo, opere, ibi, « *Operiantur confusione.* »

Primis imprecatur duo. Confusionem, et frustrationem ab intentione, ibi, « *Et deficiant.* Secundis, duo similiter. Confusionis abundantiam in seipsis, et pudoris ad alios, ibi, « *Et pudore.* »

Dicit ergo : Sic petii pro me in statu senectutis, et hoc ore, conformans voluntatem meam divinæ justitiæ, « *ut confun-*

[1] Cf. Jos. I, 5 : *Sicut fui cum Moyse, ita ero tecum: non dimittam, nec derelinquam te.*

[2] Cf. Isa. LIII, 9.

[3] Cf. Exod. XIV, 13 et seq.

dantur, » te adjuvante me, « *detrahentes animæ meæ,* » falsa mihi imponentes. Jerem. XLII, 17 : *Qui me persequuntur, mala confundantur confusione.* Eccli. IV, 25 : *Est enim confusio adducens peccatum.* Vel, est oratio Ecclesiæ orantis pro inimicis, juxta illud Matth. V, 44, et VI, 28 : *Orate pro persequentibus et calumniantibus vos,* ut confundantur confusione bona, de qua Eccli. IV, 25 : *Et est confusio adducens gloriam et gratiam.*

« *Et deficiant,* » frustrati ab intentione sua, qua me detinere intenderunt in morte. Psal. XXXVI, 20 : *Deficientes, quemadmodum fumus deficient.* « *Detrahentes animæ meæ.* » Repete. Et nota, quod orat contra detractores Christus, ut probetur verax Apostolus, qui dixit ad Roman. I, 30 : *Detractores Deo odibiles.* Job, VI, 25 et 27 : *Quare detraxistis sermonibus veritatis,... et subvertere nitimini amicum vestrum?*

Vel in bono : « *Deficiant* » a malo in quo sunt, id est, malum in eis deficiat, et annihiletur. Psal. CIII, 35 : *Deficiant peccatores a terra, et iniqui ita ut non sint.* Prov. XII, 7 : *Verte impios, et non erunt.* Eccli. XIV, 20 : *Omne opus corruptibile in fine deficiet.*

Et bene secundum primam lecturam, imprecatur confusionem eis, qui Christum confuderunt quantum in se fuit. Bene deficiet eis, qui eum deficere fecerunt, quantum potuerunt. Deut. XIX, 19 : *Reddent ei sicut fratri suo facere cogitavit.*

Et etiam « *qui quærunt mala mihi,* » opere : vel quærunt si aliqua sint mala in me, ut illa apponant mihi, contra illud Proverb. XXIV, 15 : *Ne insidieris, et quæras impietatem in domo justi.* « *Operiantur,* » præ abundantia, « *confusione,* » in seipsis. Psal. VIII, 29 : *Operiantur sicut diploide confusione sua.* « *Et pudore,* » quantum ad alios, quibus eorum malitiæ revelentur Nahum, III, 5 : *Revelabo pudenda tua,* supple, aliis. Et hoc in facie tua, ut scilicet erubescas, Jerem. XIII, 22 : *Propter multitudinem iniquitatis tuæ revelata sunt verecundiora tua.*

« *Ego autem semper.* » Hic secundum, in quo post orationem subjungitur persuasio. Persuasio autem a tribus. Primo, promittit quædam. Secundo, asserit, et quasi ex ratione, ibi, « *Quia non cognovi.* » **14**

In prima duo. Primo, promittit se speraturum. Secundo, laudaturum, ibi, « *Et adjiciam.* »

Dicit ergo : Sic afflixerunt me, « *Ego autem sperabo,* » propter quod debes me exaudire. « *Sperabo* » inquam, « *in te.* » Psal. XVII, 3 : *Deus meus, adjutor meus, et sperabo in eum,* in quacumque sim adversitate. Isa. L, 10 : *Qui ambulavit in tenebris, et non est lumen ei, speret in nomine Domini, et innitatur super Deum suum.* Etiamsi usque ad mortem afflixerit me. Job, XIII, 15 : *Etiamsi occiderit me, in ipso sperabo.*

« *Et adjiciam.* » Hic promittit se laudaturum. Primo, apud se. Secundo, apud proximum. Vel, primo promittit se vehementer laudaturum. Secundo, laudem aliis se promulgaturum, ibi, « *Os meum.* »

Dicit ergo : Sic sperabo, et etiam « *super omnem laudem,* qua laudatur ab aliis, « *adjiciam.* » Eccli. XXI, 18 : *Verbum sapiens, quodcumque audierit scius, laudabit, et ad se adjiciet.*

Quomodo laudibus divinis possit aliquid adjici?

Sed contra hoc videtur illud Eccli. XVIII, 9 : *Quis sufficit enarrare opera illius?* Quasi diceret : Nullus. Et rursus, XLIII, 32 : *Glorificantes Dominum, quantumcumque potueritis, supervalebit enim adhuc.* Respondeo. Non loquitur nisi relatione ad laudantes aliquos, non relatione ad effectus, vel opera divina. Vel melius : Promittit quod adjiciet laudem comparatione ad opera creationis, et conservationis, quia Deus adjicit opera glorificationis : non potest dici absolute, sed comparatione potest.

Si autem est verbum Ecclesiæ, promittit quod super laudem pro justitia, qua poterat laudare omnes generaliter, adjiciet laudem pro redemptionis operibus specialiter.

Et nota, quod est laus cordis, de qua

Laus cordis, oris, et operis. Eccli. XLVII, 10 : *De omni corde suo laudavit Dominum,* etc. Laus oris, de qua Psal. XXXII, 2 : *Semper laus ejus in ore meo,* etc. Laus operis mandatorum Dei, Proverb. XXXI, 3 : *Laudent eum in portis opera ejus.* His adjicitur laus adimpletionis consiliorum Dei.

Item, est laus dicto modo triplici, pro beneficio creationis, gubernationis, cui adjicitur laus pro beneficio glorificationis.

Item, laus triplici modo dicto pro triplici beneficio exhibita Deo Patri, exhibita Deo Filio, exhibita Deo Spiritui sancto, cui adjicitur laus exhibita homini assumpto.

15 « *Os meum annuntiabit.* » Hic secundum, in quo promittit se laudem aliis promulgaturum. Primo, comparatione ad divinam justitiam. Secundo, comparatione ad misericordiam, ibi, « *Tota die.*» Vel, primo promittit laudis promulgationem. Secundo, in promulgando continuationem.

Dicit ergo : Sic laudabo apud me, et etiam « *os meum annuntiabit* » aliis, « *justitiam tuam,* » non remanebit in corde. Psal. XXXIX, 11 : *Justitiam tuam non abscondi in corde meo.* Isa. LXII, 6 : *Tota die et tota nocte in perpetuum non tacebunt* laudare nomen Domini. Et LVIII, 1 : *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam.* Apocalyps. XXII, 17 : *Qui audit, dicat : Veni.* Et « *annuntiabit,* » repete, non ad horam, sed « *tota die salutare tuum,* » illud, de quo Genes. XLIX, 18 : *Salutare tuum exspectabo, Domine.* Et Luc. II, 30 : *Viderunt oculi mei salutare tuum.* Annuntiabit autem tota die, toto tempore hujus vitæ. Prov. XII, 19 : *Labium veritatis,* quo annuntiatur et prædicatur verbum Dei, *firmum erit in perpetuum.*

16 « *Quoniam non cognovi,* » Hic secundum, in quo ostendit confidentiam suam. Et primo, unde nascitur confidentia. Secundo, de quibus est illa, ibi, « *Introibo in potentias.* » Quia de duobus. Quod ad justitiam Dei perveniet primo. Secundo, quod ad illam solam deserta legis justitia, ibi, « *Domine, memorabor.* »

Dicit ergo : Sic faciam, et o Domine, confidenter dico, « *introibo in potentias Domini,* » id est, virtutes, quæ possunt in destructionem vitiorum, fidem scilicet, aliasque consequentes ad illam, quæ Domini, quia a Domino sunt. Jacob. I, 17 : *Omne datum optimum, et omne donum perfectum, desursum est, descendens a Patre luminum.* Hoc sanctuarium, de quo in Psal. LXXII, 17 : *Donec intrem in sanctuarium Dei,* etc. Ad tantam intrans potentiam invenit quietem. Sapient. VIII, 16 : *Intrans in domum meam, conquiescam cum illa.*

Et o «*Domine, memorabor justitiæ tuæ solius,* » non legis veteris, vel mundanæ, vel meæ propriæ, quæ nulla est. Isa. LXIV, 6 : *Quasi pannus menstruatæ universæ justitiæ nostræ.* Sed « *tuæ,* » quam facturus es in judicio, omnibus reddens secundum merita. II ad Cor. V, 10 : *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum.*

Vel, « *justitiæ tuæ,* » Christi Filii tui. II ad Cor. I, 30 : *Qui factus est nobis sapientia a Deo.* Hic solus sit in memoria semper, et sufficit. Bernardus : « Merito jam visiones et somnia non re-« cipio, figuras et ænigmata nolo, ipsos « quoque spiritus angelicos fastidio, om-« nium quippe specierum pulchritudinem « superat Jesus meus, ideo ejus solius « memorabor. »

Et hoc : « *Quoniam non cognovi litteraturam,* » litteralem scilicet respuo legis intelligentiam, de qua II ad Cor. III, 6 : *Littera occidit, spiritus autem vivificat.* Vel ad litteram, « *Litteraturam,* » id est, quia simplex fui : multis enim litteratura sua est occasio perditionis. II ad Cor. VIII, 1. *Scientia inflat.* Isa. XXXIII, 16 : *Ubi est litteratus ? ubi verba legis* Peccata litteratorum.

ponderans, sed de factis non curans ? Gregorius : « Nescio quam misera conjura« tione vitia litteris adhæserunt. » Alia littera habet, « negotiationem,» in quo ostenditur quod negotiatores vix salvantur. Osee, xi, 12, Ephraim in negotiatione circumdedit me[1].

Et nota, quæ mala faciat litteratura, hoc est sola scientia litterarum, ubi deest charitas et lumen virtutum. Primo inflat, II ad Cor. viii, 1 : *Scientia inflat.* Secundo, indignationem generat contra inscios, Eccle. ii, 18 : *Eo quod in multa sapientia sit indignatio.* Et ex hoc tertio incorrigibilitatem præparat, Eccli. xii, 13 : *Quis miserebitur incantatori, a serpente percusso ?* Matth. xv, 13 : *Quod si sal evanuerit, in quo salietur* ? Hominem infatuat, facit enim eum de se credere magna. Jerem. x, 14 : *Stultus factus est omnis homo a scientia* scilicet sua. I ad Corinth. viii, 2 : *Si quis se existimat scire aliquid, nondum cognovit quemadmodum oporteat eum scire.* Hinc dicebat Festus ad Paulum, Act. xxvi, 24 : *Insanis, Paule : multæ litteræ te ad insaniam convertunt.* Et tandem facit ut magna ambiant, et quæ supra se sunt. Sicut patet in Angelo Lucifero, qui perfectus fuit scientia, et decore[2], et ambivit fieri æqualis Deo[3].

Peccata negotiatorum.

Ex negotiatione multa mala proveniunt. Ezech. xviii, 16 : *In multitudine negotiationis tuæ repleta sunt interiora tua iniquitate.* Primum malum est, negligentia in laborando, et serviendo Deo. Eccli. xxvi, 28 : *Difficile exuitur negotians a negligentia.* Cupiditas. De hoc intelligitur illud Eccli. xxvii, 2 : *Sicut in medio compaginis lapidum palus figitur ut evadere non possit : sic et inter medium venditionis et emptionis angustiabitur peccatum,* scilicet cupiditatis. Mendacium, Eccli.xxvi, 28 : *Non justificabitur caupo,* id est, venditor vini, *a peccatis labiorum* suorum. Circumventio, I ad Thess. iv, 6 : *Ne quis supergrediatur, neque circumveniat in negotio fratrem suum.* Dolositas in male mensurando, Osee, xii, 7 : *Chanaam, in manu ejus statera dolosa.* Chanaam *negotiator* interpretatur. Oppressio pauperum, Amos, viii, 5 et 6 : *Quando transibit mensis, et venumdabimus merces : et sabbatum, et aperiemus frumentum, ut imminuamus mensuram, et augeamus siclum, et supponamus stateras dolosas, ut possideamus in argento pauperes et egenos pro calceamentis, et quisquilias frumenti vendamus ?* Fœnus, Ezech. xxvii, 18 : *Damascenus negotiator tuus.* Damascenus interpretatur *habens sanguinem,* et signat fœneratorem, qui sanguinem bibit pauperum. Prov. xxx, 15 : *Sanguisugæ duæ sunt filiæ, dicentes : Affer, affer.*

« *Deus, docuisti me.* » Hic tertium, in 17
quo ad persuadendum recolit beneficia : et dicuntur duo. Primo, præcipuum recolit. Secundo, promittit ob hoc se laudaturum, ibi, « *Pronuntiabo.* »

Dicit ergo : Sic certissime scio, quoniam introibo in potentias, et o « *Deus, docuisti me,* » unus et verus magister. Matth. xxiii, 8 : *Unus est magister vester,* qui docet interius. Joan. xiv, 26 : *Ille vos docebit omnia, et suggeret,* etc. Et per gratiam suam quam infundit, I Joan. ii, 27 : *Unctio ejus docet vos de omnibus.* Omnia autem quæ docet, sunt unum, scilicet justitia, quæ necessaria est, et sufficiens ad salutem, sine qua quidquid scitur, stultitia est. Osee, x, 12 : *Cum venerit* Dominus, *docebit vos justitiam.* Joel, ii, 23 : *Dedit* Dominus *vobis doctorem justitiæ.*

Et hoc « *ex juventute mea* » incipiens, « *et usque nunc* » producens. Felix, quem docet hic magister : felicior, quem

[1] Vulgata habet, Osee, xi, 12 : *Circumdedit me in negatione Ephraim, et in dolo domus Israel.*

[2] Cf. Ezech. xxviii, 12 et seq.

[3] Cf. Isa. xiv, 12 et seq. : *Quomodo cecidisti de cœlo lucifer,* etc.

ex juventute docet : sed felicissimus, quem usque nunc. Eccli. vi, 18 : *Fili, a juventute tua excipe doctrinam, et usque ad canos invenies sapientiam.*

Et propter hoc nolens esse ingratus, « *pronuntiabo mirabilia tua.* » Quæ autem sunt illa, dicit Glossa : « Quod me « regis, etc. » Et adde ad ultimum quod dicit Augustinus, quod « majus est justi- « ficare impium, quam creare cœlum, et « terram. » Et justum est ut qui beneficia Dei gratis recipit, aliis gratis effundat. Matth. x, 8 : *Gratis accepistis, gratis date.* I Petr. ii, 9 : *Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta,* etc. Et paulo post : *Ut annuntietis opera ejus.*

18 « *Et usque in senectam.* Hic est secunda pars secundæ partis primæ hujus totius Psalmi. Postquam enim petiit in statu speciali, scilicet in senectute non projici, sed potius adjuvari, hic petit auxilium usque in finem ætatis continuari : et dicuntur duo. Primo, petit. Secundo, ostendit ad quid petat, et velit auxilium prolongari, ibi, « *Donec annuntiem.* »

Dicit ergo : Sic ne projicias me in tempore senectutis, quem a juventute docuisti, et ulterius ego rogo : « *Ne derelinquas me,* » quin semper adjuves, « *usque in senectam et senium,* » id est, usque ad ætatem decrepitam. Et sumitur pro eodem senium et senecta.

Sed opponet aliquis : Christus usque in senectutem non pervenit, ergo multo fortius nec ad senium : quomodo ergo hoc rogavit ? Responsio est, quod hoc non dicit pro se, sed pro membris suis : aliqui enim usque ad hoc perveniunt. Vel potest esse vox corporis Ecclesiæ scilicet : et secundum hoc, sicut vult Glossa, in antecedenti versu, et in isto, quatuor status Ecclesiæ per quatuor ætates denotantur. Juventus Ecclesiæ Martyrum tempore fuit, qui fortissime pugnaverunt. Matth. x, 28 : *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere.* Et secutus est status perfectus in fidei dilatatione, quando post Martyres per ordinem fidei est dilatata, Apostolis ubique discurrentibus, et sacris Doctoribus. Psal. xviii, 5 : *In omnem terram exivit sonus eorum.* Ad Roman. i, 8 : *Fides vestra annuntiatur in universo mundo.* Et significatur hæc ætas Ecclesiæ per hoc quod dicit, *Nunc.* Postea sequitur ætas tertia, senecta, vel senectus, quando jam maturitas quædam incipit, et fervor caloris tepescit, de qua in Psal. xxxiv, 18 : *In populo gravi laudabo te.* Sed tandem sequitur quarta, scilicet senium, quando in fine mundi charitatem abjicient frigidissimi facti, secundum illud Matth. xxiv, 12 : *Abundabit iniquitas, et refrigescet charitas multorum.* Petit ergo usque ad senium, et in ipso senio non derelinqui, secundum promissionem factam, Matth. xxviii, 20 : *Ecce ego vobiscum sum,* etc.

Quatuor status Ecclesiæ per quatuor ætatis designati.

Possunt autem distingui in quolibet, ut ad perfectionem perveniat et sanctum senium, septem ætates. Primo infantia, quam facit timor Dei. Secundo pueritia, quam facit pietas addita timori. Tertio adolescentia, quam facit donum scientiæ et pulchre conversandi. Quarta juventus, quam facit in nobis fortitudo, quando volumus et possumus viriliter operari bona. Quinta senectus, quam facit donum consilii, quo prudenter et mature transitur ad consilia. Sexta vero senecta, in qua jam ad omnia inferiora incipit debilitari, fortiter ad æterna elevari, quam facit donum intellectus. Septima et ultima senium sive ætas decrepita, quando nihil omnino sapiunt terrena jam, sed transit ad cœlestia, quam facit donum sapientiæ. De iis, Isa. xi, 2 : *Requiescet super eum spiritus Domini : spiritus sapientiæ, et intellectus,* etc.

« *Donec annuntiem.* » Hic secundum, scilicet ratio quare vult ita adjutorium continuari, scilicet ut habeatur facultas prædicandi Christum, et etiam de Christo : et secundum hoc dicuntur duo. Pri-

mo, ut Christum annuntiet, vult vitam a Deo prolongari. Secundo, ut ea quæ de Christo sunt, vel ad Christum pertinentia, ibi, « *Potentiam tuam.* »

In prima duo. Primo, ut possit annuntiare Christum simpliciter. Secundo, quod ex omnibus generaliter, ibi, « *Generationi omni.* »

Filius brachium Patris.

Dicit ergo : Sic ne derelinquas me usque in senium, « *donec annuntiem,* » id est, annuntiaverim, « *brachium tuum,* » Filium tuum, in quo et per quem omnia operaris. Joan. I, 3 : *Omnia per ipsum facta sunt.* Isa. LIII, 1 : *Et brachium Domini cui revelatum est ?* Hoc est brachium, in quo congregavit nos Pater, congregatos levavit in sinu, et portavit. Isa. XL, 11 : *In brachio suo congregabit agnos, et in sinu suo levabit, fœtas ipse portabit.* In quo diabolum expugnavit, Luc. I, 51 : *Fecit potentiam*, etc. Et nos liberavit, Exod. VI, 6 : *Eruam*, te scilicet, *de servitute, et redimam in brachio excelso.*

« *Generationi omni.* » Ecce secundum. « *Annuntiem*, inquam, *generationi omni* » quæ ventura est, toto tempore vitæ meæ, si loquatur singularis justus, et simpliciter, si Ecclesia. Psal. CI, 19 : *Scribantur hæc in generatione altera*, etc. Et alibi, Psal. XXI, 32 : *Populo qui nascetur, quem fecit Dominus.* Non uni tantum generationi, sed « *omni,* » quia Deus omnem diligit. Sap. XI, 25 : *Diligis omnia quæ sunt, et nihil odisti eorum quæ fecisti.* Marc. XVI, 15 : *Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ.*

« *Potentiam tuam.* » Hic secundum, in quo postquam petiit vitæ dilationem, et conservationem in illa ut annuntiet Christum, hic petit ut annuntiet quæ pertinent ad ipsum. Et primo, potentiam liberandi bonos. Secundo, puniendi malos, ibi, « *Et justiam tuam.* » Tertio, glorificandi liberatos, ibi, « *Usque in altissima.* »

Dicit ergo : Sic ne derelinquas donec annuntiem Christum, et etiam « *donec annuntiem potentiam tuam,* » qua bonos a periculis liberas. Psal. LXI, 12 : *Duo hæc audivi : quia potestas Dei est.* Dan. IV, 31 : *Potestas ejus, potestas sempiterna*, quæ non auferetur. Tanta est potentia ut possit a dæmonibus occupatos liberare, et facere justos. Matth. III, 9 : *Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.*

« *Et justitiam tuam* etiam *annuntiem,* » per quam punis malos. Psal. XXXV, 7 : *Justitia tua sicut montes Dei : judicia tua*, etc. Et Prov. XVI, 12 : *Justitia firmatur solium*, regis scilicet.

« *Usque in altissima.* » Quasi diceret : Annuntiabo potentiam tuam et justitiam, extendens annuntiationem meam « *usque in altissima magnalia quæ fecisti :* » quod non solum hominem liberasti, sed liberatum super omnes cœlos elevasti, et alios liberandos figurasti. Psal. VIII, 2 : *Elevata est magnificentia tua super cœlos.* Job, V, 9 : *Qui facit magna, et inscrutabilia, absque numero.* Eccli. XXXVI, 2 : *Cognoscant quia non est Deus nisi tu, et enarrent magnalia tua.*

Secunda pars Psalmi.

« *Deus, quis similis tibi ?* » Hic est secunda pars totius Psalmi, in quo postquam præmisit orationem, subjungit ejus quod rogavit commendationem : et dicuntur tria. Primo, commendatio, quod similem non habeat aliquem. Secundo, specificatio aliquorum, in quibus commendabilis, ibi, « *Quantas ostendisti.* » Tertio, probatio quod vere ista fecerit, ibi, « *Nam et ego confitebor.* »

Dicit ergo : Sic rogavi te, cujus potentia in altissimis est, et propter hoc stupens dico : O « *Deus, quis similis tibi ?* Quasi diceret : Nullus Exod. XV, 11 : *Quis similis tui in fortibus Domine, quis similis tui ? magnificus in sanctitate.* 1 Paral. XVII, 20 : *Domine, non est similis tui : et non est alius Deus absque te.* Isa. XL, 18 : *Cui similem fecistis Deum, aut quam imaginem ponetis ei ?* Sed contra, Genes. I, 26 : *Faciamus homi-*

nem ad imaginem, et similitudinem nostram. Sed responsio est, quod est similitudo imitationis. Hac bene similis est creatura Creatori. Et similitudo æqualitatis qua duos homines similes dicimus in natura. Hac nulla creatura similis est Creatori.

20 « *Quantas ostendisti.* » Hic ostendit in quo tam mirabilis, ut non habeat similem. Quia in hoc ut tam miserum et dejectum hominem sic exaltaverit : et dicuntur duo. Primo, dejectio per multas miserias. Secundo, dejecti elevatio ad magna, ibi, « *Et conversus.* »

Dicit ergo : Non est similis tibi : quia « *quantas ostendisti*, etc. »

Vel sic : Nullus similis tui, quia quod volui in Eva matre mea, « *quantas ostendisti mihi tribulationes* » per experientiam, « *multas* » diversitate, « *et magnas* » acerbitate. Act. IX, 16 : *Ostendam illi quanta oporteat eum pro nomine meo pati.* Act. XIV, 21 : *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* Ut edoctus subjectus maneam tibi. Act. XX, 23 : *Spiritus sanctus... mihi protestatur, dicens : quoniam vincula et tribulationes Jerosolymis me manent.* Ut subjectus proficiam. Cassiodorus : « Tribulationes ad bonum prove« hunt, et hominem ad vitam ducunt. » Jerem. VI, 8, secundum aliam interpretationem : Per omne flagellum erudiens Israel [1]. Eccli. XXXIV, 9 : *Vir in multis expertus cogitabit multa.* Ut imperfectum meum cognoscam. Thren. III, 1 : *Ego vir videns paupertatem meam in virga indignationis ejus.* Ut melius aliis compati sciam : ideo Petrum in peccatum cadere permisit [2]. Ad Hebr. IV, 15 : *Non habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris : tentatum autem per omni pro similitudine absque peccato.* Et subditur, ℣. 16 : *Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ.* Ut quanta sit gehennæ pœna advertam, si tanta est præsens. Psal. LIX, 6 : *Dedisti metuentibus te significationem*, etc.

Tribulatio ad multa utilis.

« *Et conversus.* » Hic secundum, scilicet relevatio a tribulatione, per quatuor quæ tanguntur. Primum est justificatio. Secundum, justificati extractio de profunda et mala consuetudine, ibi, « *Et de abyssis.* » Tertium, bonorum multiplicatio in extracto, ibi, « *Multiplicasti magnificentiam.* » Quartum, interna consolatio, ibi, « *Et conversus.*

Dicit ergo : Sic ostendisti mihi tribulationes multas et malas, « *et conversus* » ad pietatem, per illas et in illis « *vivificasti me*, » prius mortuum in peccato. Psal. LXXXIV, 7 : *Deus, tu conversus vivificabis nos.* Deut. XXXII, 39 : *Ego occidam, et ego vivere faciam.* II Esdræ, IX, 6 : *Tu vivificas omnia*, etiam illa quæ mortificare videris. Tob. III, 22 : *Post tempestatem, tranquillum facis : et post lacrymationem et fletum, exsultationem infundis.*

Nec tantum vivificasti me, « *et de abyssis terræ*, » id est, de terrena consuetudine, quæ abyssus est sine bysso candoris, plena scilicet tenebrositate : vel sine base, id est, sine soliditate : « *reduxisti me* » ad solidum gratiæ statum. Hæc est abyssus de qua Job, XXVIII, 14 : *Abyssus dicit : Non est in me.* De hac reducit Dominus electos, Jer. XXIX, 14 : *Inveniar a vobis, ait Dominus : et reducam captivitatem vestram.* Et XXXII, 37 : *Reducam eos ad locum istum, et habitare eos faciam confidenter.*

« *Multiplicasti.* » Hic tertium. Quasi 21
diceret : Sic vivificasti per tribulationes et de abyssis terræ reduxisti, etiam « *multiplicasti magnificentiam*, » me fla-

[1] Vulgata habet, Jerem. VI, 8 : *Erudire Jerusalem, ne forte recedat anima mea a te*, etc.

[2] Cf. Matth. XXVI, 69 et seq.

gellando, et per flagella in melius provehendo. Genes. vi, 18 : Quanto crescebant aquæ diluvii, tanto elevabatur arca a terra [1]. Exod. i, 12 : *Quantoque opprimebant eos,* scilicet Ægyptii, *tanto magis multiplicabantur, et crescebant.* Et nunc quia in electis tribulatio omnem ebibit superbiam, Job, vi, 4 : *Sagittæ Domini in me sunt, quarum indignatio ebibit spiritum meum,* superbiam scilicet meam. Generat accelerationem ad Deum, Psal. xv, 4 : *Multiplicatæ sunt infirmitates eorum, postea acceleraverunt.*

« *Et conversus consolatus es me.* » Hic quartum, consolatio in labore tanto ex tribulatione. Quasi diceret : Multiplicasti magnificentiam, « *et conversus* » ab omni indignatione, consolatus es me, post tantos, imo in tantis laboribus et miseriis. Psal. xciii, 19 : *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam.* Tob. iii, 22 : *Post lacrymationem et fletum, exsultationem infundis.* II ad Corinth. i, 4 : *Qui consolatur nos in omni tribulatione nostra.* Aliquando hæc consolatio interius fit per inspirationem internæ dulcedinis : aliquando exterius per Scripturarum veritatem, quæ multa bona præmittunt tribulatis. Cassiodorus : « Hoc verbum quam paternum sit debemus advertere, ut famulos suos, quamvis præmissa districtione castiget, tamen tristes permanere non patitur dum Scripturarum divinarum eos sancto alloquio consolatur : quæ consolatio animos componit, afflictionem relevat, et mentem sanat diversis languoribus sauciatam. » Et nota, quod bis dicit, « *Conversus,* » quia primo Deus convertitur infundendo gratiam, qua vivificat, et post convertitur immittendo consolationem, quæ patientiam generat et lætificat.

« *Nam et ego.* » Hic secundum secundæ **22**
partis hujus Psalmi, in quo ostenso quod magnus sit Deus, et in quo sit magnus, subjungitur probatio, quod in his magnus. Primo, per hoc quod dat in præsenti. Secundo, per hoc quod daturus est in futuro, ibi, « *Sed et lingua.* »

In prima duo. Primo, per bona, quæ ei confert absolute. Secundo, in comparatione ad proximum, ibi, « *Exsultabunt labia.* »

In prima duo secundum duo bona quæ ei conferuntur in præsenti in se : confessio divinæ virtutis, et puræ fidei, et maceratio carnis, ibi, « *Psallam tibi.* »

Dicit ergo : Vere tribulasti, et conversus consolatus es me, nam et ego confitebor tibi, id est, ad honorem tuum, « *veritatem tuam,* » veritates scilicet, quæ de te sunt, vel quod vere Deus es. Ad Rom. x, 10 : *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.*

Psalmi vasis comparantur.

Et hoc : « *In vasis Psalmi,* » hoc est, canendo Psalmos, qui sunt vasa ipsam veritatem fidei servantia. Cassiodorus : « Pulchre definitum est vasa esse veritatis, quasi spiritualia dolia vinum Domini incorrupto sapore servantia. » Hæc sunt illa vasa, de quibus Isa. xxii, 24 : *Suspendent super eum omnem gloriam domus patris ejus, vasorum diversa genera, omne vas parvulum, a vasis craterarum usque ad omne vas musicorum.* Psalmi hæc sunt vasa craterarum, hoc est, scyphi nectar suavissimum contintentes : et vasa musicorum omnem spiritualem harmoniam resonantes. Non talia vasa Aristotelis, Justiniani, Hippocratis, quamvis a multis credatur. Amos, vi, 5 : *Sicut David putaverunt se habere vasa cantici.* Vasa ergo fragilia sunt illorum scripturas, et veritatem umbratilem, quæ tandem evacuabitur, continentia. Psal. xi, 2 : *Diminutæ sunt veritates a filiis hominum.*

[1] Genes. vi, 17 et 18 : *Multiplicatæ sunt aquæ, et elevaverunt arcam in sublime a terra... Porro arca ferebatur super aquas.*

« *Psallam tibi.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Virtutem fidei psallendo confitebor, et « *psallam tibi,* » ad honorem tuum bona operabor : hoc est enim psallere, o « *sanctus Israel,* » id est, qui sanctificas Israel. Et hoc in cithara, quæ sonat chordis tensis, id est, mortificatione carnis. Supra, in Psal. XLII, 4 : *Confitebor tibi in cithara, Deus, Deus meus.* Isa. XVI, 11 : *Venter meus ad Moab quasi cithara sonabit.* Venter ad Moab quasi cithara sonat, quando caro mortificata diabolum fugat. Hæc cithara, de qua rursus Isa. XXIII, 16 : *Sume citharam,* carnis scilicet mortificationem : *circui civitatem,* conscientiam, etc. Primum, fidei confessio ad contemplativam respicit. Secundo, carnis mortificatio respicit ad activam.

23 « *Exsultabunt labia.* » Hic ostendit bona, quæ ordinata erunt ad proximum. Vel potest exprimi modus, quo prædicta fient, quia lætanter. Primo ergo exprimitur lætitiæ quantitas. Secundo, sinceritas, ibi, « *Et anima mea.* »

Ait enim : « *Confitebor :* » sic citharizabo, et non in tristitia cordis, imo « *cum cantavero* » modis prædictis in Psalmo veritatem, in bono opere carnis mortificationem. « *Exsultabunt labia mea,* » interiora scilicet, ut dicit Glossa, hoc est, « *labia* » intellectus et affectus, « *exsultabunt,* » extra saltabunt, lætitiam exterius effundendo. Hæc sunt labia, quæ volebat osculari sponsa a sponso cum dicebat, Cant. I, 1 : *Osculetur me osculo oris sui.* Et de quibus supra, in Psal. LXII, 4 : *Labia mea laudabunt te.* Et rursus, ℣. 6 : *Et labiis exsultationis laudabit os meum.*

« *Et anima mea.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Non dico labia exsultare superficialiter, imo « *et anima mea* » exsultabit cum cantavero tibi, quam redemisti. Tob. XIII, 9 : *Ego, et anima mea, in eo* scilicet in Deo, *lætabimur.* Et rursus, ℣. 19 : *Anima mea, benedic Dominum, quoniam liberavit Jerusalem.*

« *Anima quam redemisti,* » id est, redimere disposuisti, et quod jam factum reputo, sanguine proprio. I Petr. I, 18 : *Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis de vana vestra conversatione, sed pretioso sanguine agni immaculati.* Job, XIX, 25 : *Scio quod Redemptor meus vivit.* Isa. LI, 11 : *Qui redempti sunt a Domino, revertentur et venient in Sion laudantes.*

« *Sed et lingua mea.* » Hic secundum, 24
in quo tangit bona exhibenda in futuro ; et tangitur duplex bonum. Corporis glorificatio, inimicorum dejectio, ibi, « *Cum confusi.* »

Dicit ergo : Sic in præsenti conferes, « *sed et lingua mea,* » corporis, dicit Glossa, ut sit intransitiva constructio, id est, corpus meum, quod totum tunc erit lingua, quia totum glorificatum loquetur undique tuam gloriam, « *meditabitur justitiam tuam,* » id est, meditandi justitiam tuam præbebit materiam.

Et hoc « *tota die,* » in illa scilicet die, quæ tota erit, nihil habens de nocte : et tunc etiam continue : quis enim non obstupescat et admiretur, et cogitet divinam justitiam, videns corporum tam mirabilem reformationem? Ad Philip. III, 20 : *Salvatorem exspectamus Dominum nostrum Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ,* in illa æterna die, de qua Cant. I, 6 : *Indica mihi quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie.*

Et hoc fiet, « *cum* » illi qui quærunt mala mihi, scilicet homines et dæmones, « *fuerint confusi* » in pœna, « *et reveriti,* » id est, verecundia pleni pro culpa. Sapient. IV, 20 : *Venient in cogitatione peccatorum suorum timidi, et traducent illos ex adverso iniquitates ipsorum.* Confusi etiam et reveriti pro mea gloria, quam videbunt. Mich. VII, 10 : *Et*

adspiciet, me scilicet, *inimica mea, et operietur confusione.* Cassiodorus : « Con« funduntur inimici, quando aut hic « pœnitentiam gerunt, et se errasse cognos« cunt : aut certe in adventu Salvatoris, « dum illa quæ fieri non credebant, suis « oculis manifesta conspexerint. » Sapient. v, 2-5 : *Videntes turbabuntur timore horribili, et mirabuntur in subitatione insperatæ salutis. Dicentes intra se, pœnitentiam agentes : et præ angustia spirituo gementes : Hi sunt quos habuimus aliquando in derisum, et in similitudinem improperii.* Et infra : *Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam...* : *Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, et inter sanctos sors illorum est*, ad quam sortem per gratiam suam perducat nos ille qui est benedictus per infinita sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS LXXI.

Christi regnum justum, pacificum et felix precatur.

1. *Psalmus, In Salomonem.*
2. Deus, judicium tuum regi da, et justitiam tuam filio regis :
 Judicare populum tuum in justitia, et pauperes tuos in judicio.
3. Suscipiant montes pacem populo, et colles justitiam.
4. Judicabit pauperes populi, et salvos faciet filios pauperum, et humiliabit calumniatorem.
5. Et permanebit cum sole, et ante lunam, in generatione et generationem.
6. Descendet sicut pluvia in vellus, et sicut stillicidia stillantia super terram.
7. Orietur in diebus ejus justitia et abundantia pacis, donec auferatur luna.
8. Et dominabitur a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terrarum.
9. Coram illo procident Æthiopes, et inimici ejus terram lingent.
10. Reges Tharsis et insulæ munera offerent : reges Arabum et Saba dona adducent :
11. Et adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes servient ei.
12. Quia liberabit pauperem a potente, et pauperem cui non erat adjutor.
13. Parcet pauperi et inopi, et animas pauperum salvas faciet.
14. Ex usuris et iniquitate redimet animas eorum, et honorabile nomen eorum coram illo.
15. Et vivet, et dabitur ei de auro Arabiæ : et adorabunt de ipso semper, tota die benedicent ei.
16. Et erit firmamentum in terra in summis montium : superextolletur super Libanum fructus ejus, et florebunt de civitate sicut fœnum terræ.
17. Sit nomen ejus benedictum in sæcula : ante solem permanet nomen ejus.
 Et benedicentur in ipso omnes tribus terræ : omnes gentes magnificabunt eum.
18. Benedictus Dominus, Deus Israel, qui facit mirabilia solus.
19. Et benedictum nomen majestatis ejus in æternum, et replebitur majestate ejus omnis terra. Fiat fiat.
20. *Defecerunt laudes David, filii Jesse.*

IN PSALMUM LXXI

COMMENTARIUS.

1 *Psalmus, in Salomonem* [1].

« *Deus, judicium tuum.* » Hic est Psalmus septuagesimus primus, in secunda parte hujus libri vicesimus primus. Postquam enim in Psalmo decimo nono hujus partis Ecclesia adjutorium postulavit, et in vicesimo totum a gratia Dei esse ostendit, hic in vicesimo primo de illo per quem omnis gratia, omnis profectus animæ, agendum fuit, scilicet de Christo mediatore Dei et hominum [2] : et hoc ut est rector Ecclesiæ, et pacificus conservator ipsius.

Argumentum Psalmi Christus rex pacificus.

Quod fit secundum quod innuit titulus, qui talis est : « *Psalmus, in Salomen.* » Est enim sensus : Subjectus « *Psalmus* » est ordinans nos « *in Salomonem,* » verum scilicet Christum, qui in Salomone figuratus est, et signatus cum ratione nominis. Interpretatur enim *pacificus*, et Christus fuit pacis prædicator. Matth. v, 9 ; *Beati pacifici : quoniam filii Dei vocabuntur.* Et pacis dator. Joan. xiv, 27 : *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.* Imo ipsa pax

Salomon figura Christi.

[1] On lit en tête de ce psaume : לשלמה, *lislhomoh*, que les versions ont traduit par « pour Salomon » ou « sur Salomon. » Mais comme dans tous les autres titres, le ל est nécessairement ici le *lamed auctoris* ; on ne peut donc attribuer le psaume à David, comme ont fait la plupart des anciens, ni, comme Schegg, le faire composer par un coraïte, sous prétexte que Salomon n'a jamais fait de prophéties, et que ce psaume est prophétique. On prouverait par un argument de même ordre que la sainte Vierge Marie n'a jamais fait de cantiques, et que le *Magnificat* n'est pas d'elle. Le texte justifie suffisamment la donnée du titre ; on a remarqué qu'il se rapproche du style sententieux des Proverbes, que l'auteur du psaume emprunte, comme celui des Proverbes, de brillantes images à la nature qui l'entoure, et surtout que les allusions historiques et géographiques conviennent parfaitement à l'époque du grand roi.

Le sujet du cantique est une prière pour demander à Dieu la paix et la prospérité pendant le règne qui commence. Salomon a en vue historiquement son propre gouvernement sur lequel il veut attirer les bénédictions divines ; mais qu'il en ait conscience ou non, dans une perspective plus lointaine qui parfois devient le premier plan, le Saint-Esprit lui montre un autre règne, non point passager dans sa durée, ni borné dans son extension, comme celui du roi de Jérusalem, mais sans limite dans le temps, ℣. 5, comme dans l'espace, ℣. 8. Ce règne est celui du Messie, le grand justicier et le libérateur de tous ceux qui gémissent sous l'oppression du démon, ℣. 4. Cette idée messianique a tant de relief dans le psaume, qu'il faut ou bien taxer d'exagération et restreindre arbitrairement les versets qu'on ne peut appliquer littéralement à Salomon, ou bien croire que, comme dans le Psaume II, il est directement question du Messie, le fils de David ne servant que de type et de point de départ à la description inspirée par l'Esprit de Dieu. Le sens messianique du psaume est incontesté ; il est admis par la tradition des Juifs qui écrivent dans leur paraphrase du Targum : « O Dieu, donne ta justice au Roi Messie ! » Des protestants sérieux, Hengstenberg, Delitzsch, Moll, etc., n'hésitent pas à le reconnaître. Quant à la tradition catholique, elle est unanime sur ce point. « Adventus Christi hisce significatur, necnon gentium vocatio », dit S. Athanase. De même Eusèbe, Théodoret, etc. Le premier ajoute : « Quod neque ad Salomonem neque ad ejus successorem referri possent ea quæ in psalmo continentur, propter ea quæ de illo cognita habentur, quicumque divinarum Scripturarum imperitus non est, facile confitebitur. » Demonst. Evang. vii, 3, 2.

Ce psaume est une prière : mais le Saint-Esprit fait tout à la fois demander et annoncer ce qui doit arriver certainement, et par conséquent, nous avons sous les yeux une prophétie.

H. Lesêtre.

[2] I ad Timoth. ii, 5 : *Unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum homo Christus Jesus.*

nostra factus est, in se reconcilians summa et infima ad invicem. Ad Ephes. II, 14 : *Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum.* Item, ratione operis : quia sicut tempore Salomonis ejus sapientia regnum Judæorum augmentatum est, et multum ditatum, et in pace conservatum : sic Christus Ecclesiam augmentavit, et extulit, et in pace firmavit. Eccle. IX, 15 : *Inventus est in ea vir pauper et sapiens, et liberavit urbem per sapientiam suam.* Agit ergo in hoc Psalmo de vero Salomone Christo secundum naturam divinam, et humanam secundum quam et Rex est. Et est quartus illorum, in quibus agitur de Christo. Primus est, (Psal. II) *Quare fremuerunt.* Secundus, (Psal. VIII) *Domine, Dominus noster.* Tertius, (Psal. XVIII) *Cœli enarrant.* Et iste quartus.

Dividitur autem Psalmus hic in duas partes. Primo, agitur de Christi regno. Secundo, subjungitur gratiarum actio pro rectore tanto, et ejus commendatio, ibi, « *Sit nomen ejus benedictum.* »

In prima tria. Primo enim petit ut judicium det Christo. Secundo prædicit, quod sic fiet, ibi, « *Judicabit pauperes.* » Tertio, describit et Regem ipsum, et adventum, et regnum, et regnandi modum, ibi, « *Descendet sicut pluvia.* »

In prima duo. Primo, petit ut Christo regnum detur. Secundo, ut dandum prius nuntietur, ibi, « *Suscipiant montes.* »

In prima duo. Primo, petit judicium, et exsecutionem judicii dati Christo. Secundo, ostendit finem, et utilitatem quare petit, ibi, « *Judicare populum.* »

In prima duo. Primo, petit ut detur Christo judicandi auctoritas. Secundo, determinatur judicii qualitas, ibi, « *Et justitiam tuam.* » Vel primo, petit. Secundo, ad ostendendam cordis affectionem idem repetit.

Dicit ergo : Sic o Deus a te sunt bona omnia, sed hoc per Regem Christum, et propter hoc peto, o « *Deus* » Pater, « *da judicium,* » quod « *tuum* » est, et dare potes. Deuter. I, 17 : *Nec accipiatis cujusquam personam, quia Dei judicium est.* I Paralip. XIX, 6 : *Videte quid faciatis : non enim hominis exercetis judicium, sed Domini :* hoc enim sibi retinuit, sicut et gloriam. Isa. XLII, 8 : *Gloriam meam alteri non dabo.* Sicut et vindictam, Deuter. XXXII, 35 : *Mea est ultio, et ego retribuam in tempore.* Primum auferunt judices mali, secundum superbi, tertium iracundi. « *Da Regi,* » id est, Christo, qui Rex erit. Jerem. XXIII, 5 : *Regnabit rex, et sapiens erit.* Imo Regum principalior. Apocal. I, 5 : *Primogenitus mortuorum, et princeps regum terræ.* Et XIX, 16 : *Et habet in vestimento et in femore suo scriptum : Rex regum, et Dominus dominantium.* Et Regum institutor. Prov. VIII, 15 : *Per me reges regnant, et legum conditores justa decernunt.* 2 Prima pars Psalmi.

Et justitiam. Quasi diceret : Da judicium non in justitia, imo, « *justitiam tuam* » exercendam « *da filio regis,* » tuo scilicet, qui Rex es. Psal. XCIV, 3 : *Quoniam Deus magnus Dominus, et rex magnus,* etc. Et alibi, Psal. XLVI, 8 : *Rex omnis terræ Deus.* Nota enim, quod Deus Pater Rex dicitur, Proverb. XX, 8 : *Rex, qui sedet in solio judicii, dissipat omne malum intuitu suo.* Et Rex filius, In Psal. XLIII, 5 : *Tu es ipse rex meus,* etc. Primus secundo dedit judicium. Joan. V, 22 : *Pater... omne judicium dedit Filio.* Propter hoc dicitur, Isa. XXXIII, 22 : *Dominus judex noster, Dominus legifer noster, Dominus rex noster : ipse salvabit nos.* Claustralis bonus, Job, III, 13 et 14 : *Somno meo requiescerem : cum regibus et consulibus terræ : qui ædificant sibi solitudines.* Diabolus, Job, XLI, 25 : *Ipse est rex super universos filios superbiæ.* Magnum regnum peccatum, Ad Roman. VI, 12 : *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore.* Per quod in- Regis nomen diversis attributum.

nuit aperte, quod in aliquibus regnat. Et mors, Ad Roman. v, 14 : *Regnavit mors ab Adam usque ad Moysen.* Caro, Proverb. xxx, 21 : *Per tria movetur terra, et quartum non potest sustinere : per servum cum regnaverit,* etc.

» *Judicare populum.* » Hic secundum in quo tangit finem, quo vult Christo dari, scilicet ut discernat Dei populum, ab aliis qui non populus : et dicuntur duo. Primo, quod ad hoc vult Christo dari ut populum a non populo discernat. Secundo, quis sit populus discernendus, declarat aperte, ibi, « *Et pauperes tuos.* »

Dicit ergo : Sic rogo ut des judicium et justitiam. « *Judicare,* » id est, ad judicandum, id est, discernendum et separandum a malis « *populum tuum,* » et hoc « *in justitia tua,* » sine omni personarum acceptione, sicut et fuit dictum, Act. x, 34 : *In veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente, qui timet eum et operatur justitiam, acceptus est illi.* Isa. xi, 3 : *Non secundum visionem oculorum judicabit,* attendens purpuratum : *neque secundum auditum aurium arguet,* attendens ornatum verborum, et linguam magniloquam.

« *Et pauperes.* » Exponit se. « *Et pauperes in judicio,* » judicare scilicet, ne sit de illis de quibus dicitur Isa. i, 23 : *Pupillo non judicant : et causa viduæ non ingreditur ad illos* : sed de illo verum sit illud Isa. xi, 4 : *Judicabit in justitia pauperes, et arguet in æquitate pro mansuetis terræ.* Et nota quod dicit Glossa : « Quidam tales, pauperes scili- « cet, sunt populus Dei : et verum est « de paupertate interiori, quæ est vera « humilitas, de qua Matth. v, 3 : *Beati* « *pauperes spiritu : quoniam ipsorum est* « *regnum cœlorum.* » Jerem. xxiii, 5 : *Faciet judicium, et justitiam in terra.* Et Isa. xvi, 5 : *Præparabitur in misericordia solium, et sedebit super illud in veritate in tabernaculo David, judicans et quærens judicium, et velociter reddens quod justum est.*

« *Suscipiant montes.* » Hic secundum, 3
in quo postquam petiit Christo regnum dari, petit prius adventum regnaturi nuntiari. Et primo, per majores. Secundo, per minores etiam, ibi, « *Et colles.* »

Dicit ergo : Sic rogo ut des Filio tuo judicium, hoc est, ad judicandum mittas : sed prius « *montes,* » id est, Patriarchæ et Prophetæ, qui altitudine vitæ cœlo sunt approximantes. Ad Philip. iii, 20 : *Nostra conversatio in cœlis est.* Psal. lxxxvi, 1 : *Fundamenta ejus in montibus sanctis.* Et Isa, ii, 2 : *Erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium.* « *Suscipiant pacem,* » ipsum scilicet Christum. Ad Ephes. ii, 14 : *Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum.* « *Populo,* » nuntiandum. Isa. lii, 7 : *Quam pulchri super montes pedes annuntiantis et prædicantis pacem* [1], id est, Christum. « *Et colles,* » minores scilicet prædicatores, « *justitiam* » suscipiant populo similiter refundendam, id est, Christum, qui est justitia. I ad Cor. i, 30 : *Qui factus est nobis sapientia a Deo et justitia.*

Duo prælatis necessaria, pacem custodire et justitiam administrare.

Tanguntur etiam duo quæ necessaria sunt prælatis, et rectoribus aliorum. Primum, ut pacem subditis quærant, quam in se habeant primo : ne superbia sua in Ecclesia discordias et schismata generent. I ad Cor. i, 10 : *Idipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata.* Secundum, ut minores Prælati justitiam teneant, corrigendo et unicuique debitum reddendo. Justitia enim est reddere unicuique quod suum est. Sap. i, 1 : *Diligite justitiam qui judicatis terram.*

Per montes etiam Prælati, per colles subditi. Debent ergo primi pacem influere inferioribus, Evangelii scilicet doc-

[1] Cf. Nahum, i, 15 : *Ecce super montes pedes evangelizantis et annuntiantis pacem.*

trinam, et reconciliationem ad Deum. Genes. VIII, 12 : Columba *venit ad eum ad vesperam, portans ramum olivæ* ad arcam. Et minores debent eis reddere justitiam, humilem scilicet obedientiam. Ad Hebr. XIII, 17 : *Obedite præpositis vestris, et subjacete eis. Ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri.*

4 « *Judicabit pauperes.* » Hic secundum, in quo ostendit futurum quod petiit. Duo ergo dicuntur. Primo, quod Filius judicabit. Secundo, quod poterit, ibi, « *Et permanebit.* »

In prima tria, secundum tria quæ sunt in recto judicio. Primum, discretio bonorum a malis. Secundum, bonorum remuneratio, ibi, « *Et salvos.* » Tertio, malorum dejectio, ibi, « *Et humiliabit.* »

Dicit ergo : Sic petii quod judicaturus adveniat, et venturus nuntietur. Et sic fiet : quia « *judicabit,* » a malis discernendo, « *pauperes,* » et humiles « *populi,* » scilicet de minori plebe, hoc est, interius pauperes spirituali paupertate, de qua Matth. V, 3 : *Beati pauperes spiritu.* Et exterius humiliter conversantes, quia in aliorum societate non se super alios extollentes. Eccli. III, 20 : *Quanto magnus es, humilia te in omnibus.* Vel, « *populi,* » id est, in populo latentes, sicut granum inter paleas. Quasi diceret : Qui modo latent inter malos, ab eo discernentur sicut granum a palea. Matth. III, 12 : *Cujus ventilabrum in manu sua : et permundabit aream suam.* Et XXV, 32 et 33 : *Separabit oves ab hœdis... Et statuet oves quidem a dextris, hœdos autem a sinistris.* Malach. III, 3 : *Sedebit conflans, et emundans argentum.*

« *Et salvos.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic judicabit discernendo, « *et salvos faciet filios pauperum,* » id est, pauperes : sicut filia Sion, idem quod Sion, filia Jerusalem, idem quod Jerusalem. Jacob. II, 5 : *Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide?* Hoc triticum in horreum reponendum. Matth. III, 12 : *Congregabit triticum suum in horreum, paleas autem comburet igni inexstinguibili.* Sophon. III, 12 : *Derelinquam in medio tui populum pauperem et egenum.* Vel, « *filios pauperum* » distingue a pauperibus : pauperes enim fuerunt Apostoli et Prophetæ. Filii pauperum eorum sequentes, boni filii de bonis patribus. Proverb. XX, 7 : *Justus, qui ambulat in simplicitate sua, beatos post se filios derelinquens.*

« *Et humiliabit,* » in præsenti ejus potentiam debilitando, et ipsum vulnerando, « *calumniatorem,* » scilicet diabolum. Psal. LXXXVIII, 11 : *Tu humiliasti sicut vulneratum, superbum, id est,* diabolum qui calumniatur genus humanum. Isa. LII, 4 : *In Ægyptum descendit populus meus in principio, ut colonus esset ibi: et Assur absque ulla causa calumniatus est eum.* Sed humiliabitur, Isa. XXV, 11 : *Humiliabit gloriam ejus cum illisione manuum ejus,* id est, potentiarum ejus. Sed tandem in futuro humiliabit, annihilando penitus, secundum illud Osee, XIII, 14 : *Ero mors tua o mors, morsus tuus ero inferne.* Habac. III, 5 : *Et egredietur diabolus ante pedes ejus,* projiciendus cum toto corpore suo in infernum. Apocalyp. XII, 10 : *Projectus est accusator fratrum,* etc.

« *Et permanebit.* » Hic secundum, in 5
quo ostendit quod dignus sit, et possit. Primo, ex duratione potentiæ. Secundo, ex dignitate, ibi, « *Et ante lunam.* »

Ait ergo : Dixi quod judicabit, et dignus erit, et hoc poterit, nam et ipse « *permanebit* » in sua potestate, « *cum sole,* » id est, quamdiu erit sol, vel tempora solis mensurata motu. Daniel. VII, 14 : *Potestas ejus potestas æterna, quæ non auferetur : et regnum,* etc. Quamdiu sol movebitur, et distinguet tempora. Genes. I, 14 : *Fiant luminaria in firmamento cœli, et dividant diem ac noctem, et sint*

in signa, etc. Imo etiam cum stante sole permanebit : stabit enim sol post judicium, nec potestas Christi cessabit. Habac. III, 11 : *Sol et luna steterunt in habitaculo suo.*

« *Et ante lunam.* » Hic secundum, et primo ostendit dignitatem parabolice. Secundo exponit parabolam, ibi, « *In generatione.* »

Dicit ergo : Sic cum sole permanebit, et ipse erit etiam dignitate « *ante lunam,* » ante omnia scilicet mutabilia, quæ per lunam, quæ continue mutatur, intelliguntur. Et exponit se. Erit, inquam, permanens « *in generatione* » ordinata in generationem alteram, id est, quamdiu succedent generationes, ipse permanebit. Eccle. I, 4 : *Generatio advenit.* Ipse etiam ad litteram « *ante lunam,* » et omnia mutabilia. Proverb. VIII, 22 : *Antequam quidquam faceret a principio. Ab æterno ordinata sum.* Et post omnia, Apocalyps. I, 8 : *Ego sum Alpha et Omega, principium, et finis.*

Christus cum justo ut sol cum sole.

Per solem etiam justus intelligitur, per lunam stulus et mutabilis. Eccli. XXVII, 12 : *Homo sanctus in sapientia manet sicut sol : nam stultus sicut luna mutatur.* Cum sole ergo permanet : quia cum justo est ut sol cum sole. Malach. IV, 2 : *Et orietur vobis timentibus nomen meum sol justitiæ.* Sed sol superat solem. Eccli. XXXIII, 7: *Quare dies diem superat, et iterum lux lucem, et annus annum a sole ?* Habet aliqua littera : « Sed antecedit lunam, » quia retro se ponit fatuum peccatorem. Genes. IV, 14 : *Ecce ejicis me hodie a facie tua.* Et Psal. XXX, 23 : *Projectus sum a facie oculorum tuorum.* Jerem. VII, 24 : *Facti sunt retrorsum et non ante.* Marc. VIII, 33 : *Vade retro me satana,* dictum est Petro infatuato.

6 « *Descendet sicut pluvia.* » Hic tertium primæ partis Psalmi, in quo postquam petiit, postquam asseruit prophetice sic futurum ut petiit, describit adventum hujus Regis, et fructum, et regnandi modum : unde quatuor dicuntur. Primo, agit de adventu, et modo adveniendi in mundum. Secundo, de fructu ex ejus adventu consecuto, ibi, « *Orietur in diebus.* » Tertio, de regni dilatatione, ibi, « *Et dominabitur a mari.* » Quarto, de honore ei exhibendo sic regnanti, ibi, « *Coram illo.* »

In prima duo secundum duplicem modum duplicis adventus ejus. Primo, quod veniet in Virginis uterum, ipsius integritatem conservando. Secundo, quod in mundum ipsum bona præparando, ibi, « *Et sicut stillicidia.* »

Dicit ergo : Sic rogavi, et sic fiet, et vere, quia « *descendet* » in uterum virginalem, implens desiderium Isaiæ, LXIV, 1 : *Utinam disrumperes cœlos et descenderes.* Daniel. IV, 10 : *Ecce vigil et sanctus de cœlo descendit.* Ad quid? Ad liberationem nostram. Exod. III, 7 et 8 : *Vidi afflictionem populi mei in Ægypto... et sciens dolorem ejus, descendi ut liberem eum.* « *Sicut pluvia,* » ut Virginem, et nos per ipsam fœcundaret. Isa. LV, 10 et 11 : *Quomodo descendi imber, et nix de cœlo, et illuc ultra non revertitur, sed inebriat terram, et infundit eam, et germinare eam facit,... sic erit verbum meum, quod egredietur de ore meo.* Ut ardorem concupiscentiæ in ea penitus exstingueret, et per eam in nobis sedaret, vel minueret. Daniel. III, 49 et 50 : *Angelus Domini*, quem postea dixit Nabuchodonosor se vidisse quasi filium Dei, *descendit cum Azaria et sociis ejus, in fornacem,... et fecit medium fornacis quasi ventum roris flantem.* Ut sitim et desiderium antiquorum et nostrum sedaret. Psal. CIII, 11 : *Exspectabunt onagri in siti sua,* istam pluviam. Joel, I, 20 : *Bestiæ agri quasi area sitiens imbrem suspexerunt ad te.* Propter hoc dicit, Joan. VII, 37 : *Qui sitit, veniat ad me, et bibat.*

Fructus ex primo Christi adventu.

Et hoc « *in vellus,* » sicut in facto Ge-

Beata Virgo velleri comparata.

deonis figuratum fuit [1]. Vellus enim Virginis uterus. Vellus enim est quid molle et tractabile. Sic Virgo beata. Bernardus: « Revolve totam Evangelii seriem, si « quid durum, si quid asperum inve- « nias in Maria, ad ipsam accedere ne « verearis. » Vellus in modico se constringit, quamvis magnum sit. Et Maria, quæ tanta est ab aliis, ait, Luc. I, 38 : *Ecce ancilla Domini.* Item, bibulum est aquæ, et Maria gratiæ. Luc. I, 28 : *Ave gratia plena.* De vellere etiam fit vestis : sic etiam de carne Virginis facta est Christo vestis. Job, X, 11 : *Pelle et carnibus vestisti me.* Proverb. XXXI, 13 : *Quæsivit lanam, et linum : et operata est consilio manuum suarum.* Vestis purpurea. Isa. LXII, 2: *Quare ergo rubrum est indumentum tuum?* I Reg. II, 19, dicitur de Samuele : *Tunicam parvam faciebat ei mater sua.* Nostras tunicas pater et mater faciunt. Leprosi sumus, et habemus dissuta vestimenta secundum legem [2]. Sed ipse de una tantum pœna. Item, vellus per pluviam purificatur et lavatur, non rumpitur : sic virginalis uterus per filium purificatus mundior redditur, non corruptus. Exod. III, 2 : Moyses... *videbat quod rubus arderet, et non combureretur.* Psal. XVII, 31 : *Deus meus, impolluta via ejus.*

« *Et sicut stillicidia.* » Hic secundum. Quasi diceret : Sic veniet in Virginis uterum, et etiam « *descendet super terram,* » id est, veniet in mundum, « *sicut stillicidia* » sunt, quæ ipsam imbuunt, ut sit fœcundior. Ad Hebr. VI, 7 : *Terra sæpe venientem superse bibens imbrem, et generans herbam opportunam illis, a quibus colitur, accipit benedictionem a Deo.* Ut stillicidia ergo descendit super terram, quando per Apostolos et prædicatores nuntiatus fuit. Joel, III, 18 : *In illa die stillabunt montes dulcedinem.* Hæc sunt stillicidia, de quibus supra, in Psal. LXIV, 11 : *In stillicidiis ejus lætabitur germinans.*

« *Orietur in diebus.* » Hic secundum, in quo ostenditur sic adveniens fructus. Et primo, qualis sit fructus. Secundo, quantum durabilis, ibi, « *Donec auferatur.* » 7

In prima duo. Primo, abundantia operum justitiæ. Secundo, pacis mutuæ, ibi, « *Et abundantia.* »

Dicit ergo : Sic veniet, et sicut stillicidia ad fructum terram præparabit. Ad quem fructum? Ecce : « *In diebus ejus,* » qui veri dies erunt ex latione ejus qui vere sol est, super terram. Malach. IV, 2 : *Et orietur vobis timentibus nomen meum sol justitiæ.* Sap. V, 6 : *Sol intelligentiæ non est ortus nobis.* Orietur tamquam prius non existens « *justitia,* » ex quo bonorum operum abundantia. Isa. XLV, 8 : *Et justitia oriatur simul.* In Psal. LXXXIV, 12 : *Veritas,* Christus, (Joan. XIV, 6 : *Ego sum via, et veritas, et vita :*) *de terra,* Virgine Maria, *orta est : et justitia de cœlo prospexit.* Isa. LX, 2 : *Super te,* Jerusalem, *orietur Dominus, et gloria ejus in te videbitur.* Gloria ejus, gloriosa justitia scilicet in te videbitur.

« *Et abundantia pacis.* » Bene consequens est : ad justitiam enim sequitur pax. Isa. XXXII, 17 : *Et erit opus justitiæ pax.* Michæ. V, 5 : *Et erit iste pax, cum venerit Assyrius in terram vestram.* Hoc est quod habetur, Isa. II, 4 : *Conflabunt gladios suos in vomeres, et lanceas suas in falces : non levabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad prælium* [3].

« *Donec auferatur luna.* » Ecce duratio fructus. Et est sensus, quod durabit in æternum, numquam enim luna est auferenda. Alia littera habet, « Donec extollatur luna, » quæ est ad litteram extollenda usque ad solis claritatem. Isa. XXX, 26 : *Erit lux lunæ sicut lux solis, et lux solis septempliciter sicut lux septem dierum.*

Luna etiam Ecclesia a vero sole illumi-

[1] Cf. Jud. VI, 37, et seq.

[2] Cf. Levit. XIII, 45.

[3] Cf. Michæ. IX, 3.

nata. Cant. vi, 9 : *Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulcha ut luna ?* Donec ergo extollatur luna, id est, Ecclesia, ad laudem resurrectionis provehatur ut sit Christo conformata, et impleatur illud Habacuc, iii, 11 : *Sol*, Christus, *et luna*, Ecclesia, *steterunt in habitaculo suo,* in cœlo empyreo. Sed quomodo est abundantia pacis, cum tot videamus bella, et Ecclesiam concuti tam multipliciter ? Responsio duplex : quia illis qui vere sunt Ecclesia et merito et numero, pax interius in Christo, quantumcumque crucientur exterius in mundo. Luc. ii, 14 : *In terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Joan. xvi, 33 : *Hæc locutus sum vobis, ut in me pacem habeatis. In mundo pressuram habebitis : sed confidite, ego vici mundum.* Item, promissio est intelligenda sub conditione, si servata fuerint Dei præcepta. Causa enim bellorum sunt peccata. Isa. xlviii, 18 : *Utinam attendisses mandata mea : facta fuisset sicut flumen pax tua.*

Causa bellorum peccata.

8 « *Et dominabitur a mari.* » Hic tertium, in quo agitur de regni ejus dilatatione, et tanguntur duo. Primo, signatur dilatatio quoad loca. Secundo, quoad tempus, ibi, « *Et a flumine.* »

Regni Christi dilatatio.

Dicit ergo : Sic veniet, et talis fructus adventus ejus. « *Et dominabitur a mari,* » ex uno termino, « *usque ad mare,* » terminans ex opposito, ita tamen quod illa maria non excludantur, sed includantur. Et idem mare Oceanum, de quo influit quoddam exiguum in medio terrarum, et facit ista maria quæ navigiis frequentantur. Alibi, in Psal. lxxxviii, 10 : *Tu dominaris potestati maris.*

« *Et a flumine,* » Jordane, id est, ab illo tempore, quo audita est Patris vox super baptizatum in Jordane. Matth. iii, 17, et Luc. iii, 22 : *Hic est Filius meus dilectus* : tunc enim incœpit prædicare, et institutus est a Patre. « *Usque ad terminos orbis terrarum,* » id est, usquequo extendatur prædicatio sua, et dominium usque ad terminos orbis terrarum : quod non complebitur omnino et perfecte usque ad finem mundi. Unde quod dicitur de Apostolis, Psal. xviii, 5 : *In omnem terram exivit sonus eorum* [1], etc., intelligendum est, vel in ipsis Apostolis, vel in suis successoribus. Tunc implebitur illud Isa. xlii, 10 : *Laus ejus ab extremis terræ.* Vel posset intelligi ad litteram, quod primo tangit extensionem potestatis comparatione extremorum ad invicem. Secundo comparatione medii ad extrema, ut ubique regnare monstretur. Isa. ix, 7 : *Multiplicabitur ejus imperium, et pacis non erit finis.*

Spiritualiter autem mare mundus est, Psal. ciii, 25 : *Hoc mare magnum et spatiosum manibus*, supple, fecisti, et est primum mare. Secundum, infernus, Psal. xlv, 3 : *Transferuntur montes in cor maris.* Flumen jucundissimum paradisus, Genes. ii, 10 : *Fluvius egrediebatur de loco voluptatis.* Et in Psal. xlv, 5 : *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei.* Et terminus terræ justus, in quo terrenitas est determinata, Psal. xcvii, 3 : *Viderunt omnes termini terræ salutare Dei nostri.* Dominabitur ergo a mundanis hominibus usque ad damnatos, et a salvatis et regnantibus usque ad justos.

Et bene dixi « *mare* » mundum, quia fœtet remotis a mari, et longe ab illo nutritis. Tamen fœtorem propinqui non sentiunt. Ad Philip. iii, 20 : *Nostra conversatio in cœlis est.* A mari ergo remotus es, et quid ? numquid non fœtet tibi ? In eodem, ỹ. 8 : *Verumtamen existimo omnia detrimentum esse, propter eminentem scientiam Domini mei Jesu Christi... et arbitror ut stercora*, etc. Sed qui nutriuntur in croceis, in deliciis propinqui mari amplexati sunt stercora, tamquam suaviter redolentia [2]. Item, propinqui audacter intrant mare ad piscandum, quamvis multos periclitari videant quotidie, sed

Quare mundus dicitur mare.

[1] Cf. Ad Roman. x, 18.

[2] Cf. Thren. iv, 5.

remoti non audent. Sic mundani ingerunt se in mundum, ut beneficium aliquod vel lucrum piscari valeant, quamvis multos sic piscantes periclitari non dubitent. Isa. XIX, 8 : *Mœrebunt piscatores.* Apocal. XVIII, 11 : *Negotiatores terræ flebunt.* Item, quando creditur in mari esse magna serenitas, tunc surgit tempestas : sic in mundo cum creditur pax, surgit discordia, et guerra, et tumultus. Eccli. XVIII, 26 : *A mane usque ad vesperam immutabitur tempus, et tempestas submergens.* I ad Thess. V, 3 : *Cum dixerint, pax, et securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus.* Item, in mari unus piscis alium comedit : sic in mundo alius alium destruit, et alii detrahit. Habac. I, 13 : *Quare taces devorante impio justiorem se ?* Et infra, ℣. 14 : *Et facies homines quasi pisces maris.* Sed postquam alios devoravit aliquis magnus piscis, ipse devoratur. Isa. XXXIII, 1 : *Væ qui prædaris, nonne et ipse prædaberis ?*

9 « *Coram illo procident.* » Hic quartum, in quo agitur de exhibitione honoris et reverentiæ sic regnantis : et dicuntur duo. Primo, de exhibitione honoris et reverentiæ ipsi simpliciter. Secundo, post resurrectionem specialiter, ibi, « *Et vivet, et dabitur.* »

In prima duo. Primo, quod ei reverentia exhibebitur magna, et dilatabitur ejus regnum. Secundo, quod dignus erit, cui exhibebitur, ibi, « *Quia liberabit.* ».

In prima duo. Primo, honor et reverentia exhibita in ipsa conversione. Secundo, ne generalis omnium crederetur et singulorum, aliquorum promotio in malis, secundum quod legit Glossa. Vel, primo tangitur honorificentia. Secundo, honorificentiæ vehementia, ibi, « *Et inimici ejus.* »

Conversio Gentilium.

Dicit ergo : Sic regnabit, et in tantum extendetur ejus regnum, et honorabitur, quia « *coram illo procident Æthiopes,* » Gentiles horridi, peccatis denigrati, ut ad fidem recipiantur. Supra, in Psal. LXVII, 32 : *Æthiopia præveniet manus ejus Deo.* Isa. XLIII, 3 : *Dedi propitiationem tuam Ægyptum, Æthiopiam, et Saba pro te.* Sophon. III, 10 : *Ultra flumina Æthiopiæ, inde supplices mei, filii dispersorum meorum deferent munus mihi.* Tunc implebitur quod quasi impossibile putabatur, Jerem. XIII, 23 : *Si mutare potest Æthiops pellem suam,* etc.

« *Et inimici ejus,* » inde magis provocati (non enim omnes convertentur) « *terram lingent,* » ipsi delectabiliter et ardenter adhærendo. Mich. VII, 7 : *Lingent pulverem sicut serpens.* Vel terram appellat terrenos et schismaticos doctores, quibus adhærebunt. Regula enim est, quod qui Deo non adhærent, statim terrenis afficiuntur, et malis adhærent. Jacob. IV, 4 : *Quicumque ergo voluerit amicus esse sæculi hujus, inimicus Dei constituitur.* Et bene dicit, « *lingent,* » quia terrenis et falsis doctrinis non saturabuntur. Eccle. V, 9 : *Avarus non implebitur pecunia.*

Vel in bono potest legi. Quasi diceret : Sic procedent adorando in signum reverentiæ, et etiam inimici ejus paulo ante, « *terram lingent* » pedum tuorum, id est, quam calcabunt pedes tui, in signum maximæ humilitatis et reverentiæ. Isa. XLIX, 23 : *Pulverem pedum tuorum lingent, et venient ad te curvi qui detrahebant tibi.*

« *Reges Tharsis.* » Hic subjungitur de honore conversorum ad ipsum. Et primo, secundum status speciales. Secundo, colligit in unum omnes, ibi, « *Et adorabunt eum.* » 10

« In prima tria. Primo dicit, quod honorabitur a contemplativis. Secundo, a proficientibus et pugnantibus, ibi, « *Et insulæ.* » Tertio, quod a prædicatoribus quasi de utrisque factis, ibi, « *Reges Arabum.* »

Ait enim : Sic convertendo se ad Deum adorabunt, et inimici confundentur, et etiam « *Reges Tharsis* », id est,

contemplationis, Tharsis enim, sicut dicit Glossa, *contemplatio* interpretatur, « *offerent munera.* » II Paral. IX, 21 : *Naves regis*, Salomonis scilicet, *ibant in Tharsis*, merces ad pacificum Christum deferentes de contemplatione, *et deferebant inde aurum et argentum*, id est, scientiam et eloquentiam : et ibi figuntur, sicut dicit Glossa, non statim redeunt : non enim cito acquiruntur merces pretiosæ. Eccle. x, 4 : *Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris :* et tunc de contemplatione rediens offeres munera, et teipsum Deo, et proximum quem convertes. Isa. LX, 7 : *Offerentur super placabili altari meo.*

« *Et insulæ,* » similiter afferent munera : insulæ undique maris fluctibus quatiuntur, et signant illos qui probantur in tribulationibus, et adversitatibus concutiuntur undique, nec franguntur. Osee, IX, 13 : *Ephraim, ut vidi, Tyrus erat.* Et Septuaginta : « Quasi scopulus durissimus. » De iis insulis Isa. LXI, 1 : *Taceant ad me*, id est, mei comparatione, dicit Christus, *insulæ.*

« *Reges Arabum.* » Hic tertium : Arabia enim « *et Saba* » regiones sunt optimis plenæ odoribus, quæ delectant carnem, et signant mundi abundantiam, et delectationes, quas qui sibi subjiciunt, tamquam reges veri sunt. « *Dona adducent,* » alios exemplo sui ad Deum convertentes. Isa. LXVI, 20 : *Adducent omnes fratres vestros de cunctis gentibus donum Domino.* Arabs enim interpretatur *humilis.* Isa. XIII, 20 : *Nec ponet ibi*, id est, in mundo, *tentoria Arabs*, id est, humilis. « *Saba* » significat incensos charitate. Zach. XII, 6 : *Ponam duces Juda sicut caminum ignis in lignis.* Tales possunt Deo adducere munera. Tales adducunt munera, aurum sapientiæ, thus devotionis, myrrham mortificationis carnis. Vel, potest legi de regibus illis ad litteram, qui de regionibus his Christo munera attulerunt [1].

11 « *Et adorabunt eum.* » Hic secundum, in unum colligit quod dixerat per partes. Et primo colligit omnes majores sub dignitate regum. Secundo minores sub appellatione gentium, ibi, « *Omnes gentes.* »

Dicit enim : Sic et contemplativi, et alii venerabuntur eum : et bene « *omnes reges adorabunt eum.* » Vel spirituales reges seipsos bene regentes. Isa. LX, 3 : *Et ambulabunt gentes in lumine tuo, et reges in splendore ortus tui.* Et ℣. 11 : *Et aperientur portæ tuæ tota die jugiter, et nocte non claudentur, ut afferatur ad te fortitudo gentium, et reges earum adducantur.* Ad quid ? ad humiliter adorandum. Isa. XLIX, 23 : *Vultu in terra demisso adorabunt te.*

« *Omnes gentes.* » Fit distributio pro generibus singulorum, id est, de omni genere gentium aliqui « *servient ei.* » Vel gentes, minores, et alii subjecti. Isa. LX, 12 : *Gens et regnum, quod non servierit tibi, peribit.* Sophon. III, 9 : *Reddam populis labium electum, ut invocent omnes in nomine Domini.* Modo servitur pecuniæ a multis. Jerem. VI, 13 : *A majore usque ad minorem omnes avaritiæ student.* Eccle. x, 19 : *Et pecuniæ obediunt omnia.* Sed simul non possunt servire Deo. Matth. VI, 24 : *Non potestis servire Deo et mammonæ.*

12 « *Quia liberabit.* » Hic secundum, in quo præmissa veneratione subjungitur de venerationis ratione. Hæc autem est liberatio pauperis a diaboli potestate : unde dicuntur tria. Primo, assignatur pro causa venerationis liberatio pauperis. Secundo, subjungitur descriptio paupertatis, ibi, « *Et pauperem.* » Tertio, modus liberationis, ibi, « *Parcet pauperi.* »

[1] Cf. Matth. II, 11 :

Dicit ergo : Sic venerabuntur, quod et justum erit : « *quia liberabit*, » vel liberavit : et sumitur præteritum pro futuro certitudine prophetali : « *pauperem*, » genus humanum, quantum ad credentium populum. Joan. VIII, 36 : *Si ergo vos Filius liberaverit, vere liberi eritis*, qui per vos pauperes estis. Psal. LXXXVII, 16 : *Pauper sum ego, et in laboribus a juventute mea.* Et hoc, « *a potente*, » dæmone scilicet. Job, XLI, 24 : *Non est super terram potestas, quæ comparetur ei.* Jerem. XXXI, 11 : *Redemit Dominus Jacob, et liberavit eum de manu potentioris.*

« *Et pauperem.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Liberavit pauperem, « *et pauperem* » talem, « *cui non erat adjutor.* » Eccli. LI, 9 et 10 : *Vita mea appropinquans erat in inferno deorsum. Circumdederunt me undique, et non erat qui adjuvaret.* Pauper ad litteram non habet adjutorem. Omnes illum oderunt. Proverb. XIV, 20 : *Etiam proximo suo pauper odiosus erit.* Et divites devorant eos tamquam potentiores. Eccli. XIII, 23 : *Venatio leonis onager in eremo : sic et pascua divitum sunt pauperes.* Tamen Dominus liberabit eos. Ezech. XXXIV, 10 : *Liberabo gregem meum de ore eorum.*

Pauperi non est adjutor.

13

« *Parcet pauperi.* » Hic tertium, in quo subjungit de modo liberationis, et ordine : et tanguntur quatuor. Primum est culpæ delectio. Secundum, gratiæ infusio ad culpa delendam, et bonum faciendum, ibi, « *Et animas.* » Tertium, pœnarum relaxatio merito passionum, ibi, « *Ex usuris et iniquitate.* » Quartum, sublimatio sic a culpa et pœna ereptorum, ibi, « *Et honorabile.* »

Dicit enim : Sic dixi, quod liberavit pauperem, et hoc ordine, et hoc modo, « *parcet pauperi* » qui nihil boni habet, « *et inopi* » qui multo bono indiget, culpam relaxando. Isa. XLIX, 13 : *Et pauperum suorum miserebitur.*

« *Et animas pauperum salvas faciet*, » in præsenti gratiam infundendo, qua justi sint facientes bona, et fugientes mala. Supra, in Psal. LXXIII, 19 : *Et animas pauperum tuorum ne abliviscaris in finem.* Et plenius in futuro et apertius. Isa. XLIX, 26 : *Sciet omnis caro, quia ego Dominus salvans te, et redemptor tuus fortis Jacob.* Et perfecte reddens eis corpora glorificata, et suæ excellentiæ conformata. Ad Philip. III, 20 et 21 : *Salvatorem exspectamus Dominum nostrum Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori*, etc.

« *Ex usuris et iniquitate.* » Hic est tertium beneficium, scilicet pœnarum relaxatio propter propriam passionem. **14**

Ait enim : Sic a peccatis eruet, et gratiam infundet, et etiam « *redimet* » proprio sanguine, et pœna propriæ passionis, « *animas eorum ex usuris*, » id est, ex pœnis inflictis pro peccatis, et ipsa peccata excedentibus, « *et iniquitate* » diaboli illas usuras exigente. Est enim usura aliquando dicta improprie, omnis scilicet mutuatio, secundum illud Proverb. XXII, 7 : *Qui accipit mutuum, servus est fœnerantis.* Proprie dicta, et est mala usura, cupiditatis, de qua in Psal. XIV, 5 : *Qui pecuniam suam non dedit ad usuram.* Ezech. XVIII, 8 : *Ad usuram non commodaverit.* Et pœnæ redditæ pro peccato, quia Gregorius dicit : « Æternum quod cruciat, momenta« neum quod delectat. » De tali usura hic. Et usura bona, adimpletio prædicationis auditæ. Matth. XXV, 27 : *Et veniens ego recepissem utique quod meum est cum usura.* Et exhibitionis misericordiæ ad proximum, de qua Proverb. XIX, 17 : *Fœneratur Domino qui miseretur pauperis.* De secundis usuris redimet. Isa. XLIV, 22 : *Revertere ad me quoniam redemi te*, non quocumque pretio sed pretioso sanguine. I Petr. I, 18 : *Non enim corruptibilibus auro vel argento redem-*

Usura multiplex mala et bona.

pti estis de vana vestra conversatione, sed pretioso sanguine, etc.

Nomen servorum Dei honorabile.

« *Et honorabile.* » Hic est quartum, scilicet sublimatio, ne videretur quod propter hoc quod redempti sunt viles haberentur : servi enim redempti viles haberi solent.

Ait enim : Sic redimet, « *et nomen eorum,* » redemptorum scilicet, « *erit honorabile,* » et si non coram hominibus, sed « *coram ipso* » Deo, quia ipsemet imponet nomen in illis. Isa. LXII, 2 : *Vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini nominabit.* Sed quod est illud nomen ? Nomen sanctitatis, In eodem Isa. LXII, 12 : *Et vocabunt eos, Populus sanctus, redempti a Domino.* Nomen filiationis. Sap. V, 3 et 5 : *Hi sunt quos habuimus aliquando in derisum, et in similitudinem improperii... Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, et inter sanctos sors illorum est.* Et I Joan. III, 1 : *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur et simus.*

Vel, « *honorabile nomen eorum coram ipso,* » non modo nunc, sed in regno futuro, ubi scripta sunt. Luc. X, 20 : *Nomina vestra scripta sunt in cœlis,* in calculo candidissimo et durabili valde, sincerissima Dei prædestinatione. Apocal. II, 17 : *Vincenti,... dabo illi calculum candidum : et in calculo nomen novum scriptum, quod nemo scit, nisi qui accipit.* Isa. LXV, 15 et 16 : *Servos suos vocabit nomine alio. In quo qui benedictus est super terram, benedicetur in Deo. Amen.* Et adverte, quod omnia ista dicuntur de pauperibus : Lazarus nominatus est, non dives, etc. [1].

15 « *Et vivet.* » Hic secundum, in quo agitur de reverentia et honore exhibito ipsi resuscitato specialiter : et dicuntur duo sicut supra. Primo, exhibitio multiplicis reverentiæ. Secundo, ratio exhibendi, ibi, « *Et erit firmamentum.* »

In prima duo. Primo, suppositio vitæ ipsius per resurrectionem, etsi videatur mortuus. Secundo, exhibitio reverentiæ viventi, ibi, « *Et dabitur.* »

Dicit ergo : Sic exhibebitur isti reverentia et honor ut dignum est, « *et* etiam *vivet* » resuscitatus a morte, etsi mori videatur. II ad Corinth. XIII, 4 : *Etsi crucifixus est ex infirmitate, sed vivit ex virtute Dei.* Apocal. I, 17 et 18 : *Ego sum primus et novissimus : et vivus, et fui mortuus.* Vivet, inquam, æternaliter tamquam in semetipso habens vitam. Joan. XIV, 6 : *Ego sum via, et veritas, et vita.*

« *Et dabitur ei.* » Hic secundum, exhibitio operis, et reverentia, et primo tangitur a quibus exhibebitur. Secundo, qualis ,ibi, « *Et adorabunt.* »

Ait enim : Sic vivet, et vivo : « *et dabitur ei de auro Arabiæ,* » de mundi sapientibus, qui *aurum* sunt propter sapientiæ claritatem, sed *Arabiæ* propter mundi vanitatem : et convertentur ad Christum, facti pro eo judicio mundi fatui. I ad Corinth. I, 20 : *Stultam fecit Deus sapientiam mundi hujus.* Et III, 18 : *Si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat ut sit sapiens.*

Et nota, quod ei qui vivit vita gratiæ, datur aurum Arabiæ. Arabia interpretatur *Occidentalis.* Datur ergo sapientia de extremo vitæ : qui enim bene vixerit, bene morietur. Isa. XXXVIII, 19 : *Vivens vivens,* vita naturæ, et vita gratiæ, *ipse confitebitur tibi sicut ego hodie,* et illuminabitur luce sapientiæ æternæ. Job, XI, 17 : *Cum te consumptum putaveris, orieris ut lucifer.* Et in eodem, ibidem : *Quasi meridianus fulgor consurget tibi ad vesperam.*

« *Et adorabunt.* » Hic modus venerationis tangitur in duobus. In augmentatione corporis Christi per orationem, et benedictionem ipsius per gratiarum actionem, ibi, « *Tota die.* »

[1] Luc. XVI, 28.

Dicit ergo : Sic ad eum sapientes convertentur, « *et adorabunt,* » id est, ad ipsum orabunt, « *semper,* » temporibus et horis debitis. II ad Thess. v, 17 : *Sine intermissione orate.* Et hoc « *de ipso* » augendo et multiplicando in membris, et in corpore suo : hoc enim docet, Matth. vi, 10 : *Sic ergo vos orabitis :... Adveniat regnum tuum.* Et hæc est oratio multum placens Deo. Joan. iv, 23 : *Veri adoratores adorabunt Partem in spiritu, et veritate.* Non ergo orabunt pro aliqua re temporali : quippe qui habet aurum Arabiæ, sapientiam occidentalem, id est, mortis considerationem, contemnit omnia temporalia. Hieronymus : « Facile contemnit omnia temporalia, « qui se semper cogitat moriturum : » « quod est philosophia optima, juxta illud : « Summa philosophia est continua mor- « tis consideratio. »

Summa philosophia est continua mortis consideratio.

« *Tota die.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Augebunt quantum poterunt ipsum secundum suum corpus. « *Et benedicent ei,* » et verbo et vita gratias referendo, « *tota die,* » id est, continue. Habac. iii, 3 : *Laudis ejus plena est terra.* Apocal. iv, 9 : *Et cum darent... honorem, et benedictionem sedenti super thronum, viventi in sæcula sæculorum.* Et xix, 5 : *Laudem dicite Deo nostro omnes servi ejus : et qui timetis eum, pusilli et magni.*

16 « *Et erit firmamentum.* Hic secundum, in quo subjungitur ratio honorificentiæ, et probatio quod vere sic honorandus. Primo, propter beneficia suis in præsenti impertita. Secundo, propter exhibenda in futuro, ibi, « *Et florebunt.* »

In prima duo, secundum duo beneficia. Primum est adimpletio Scripturarum et confirmatio. Secundum, suorum exaltatio, ibi, « *Superextolletur.* »

Dicit ergo : Sic honorabitur, et hoc justum, quia « *erit fimamentum,* » stabilis veritatis adimpletio in se : ipse, dico, existens « *in summis montium,* » id est, Apostolis, et aliis sanctis, qui *summa montium* dicuntur, quia *sunt* super Prophetas, et Patriarchas, qui fuerunt montes. Psal. xxiv, 14 : *Firmamentum est Dominus timentibus eum : et testamentum ipsius,* etc. Et super omnes montes est. Isa, ii, 2 : *Erit præparatus mons domus Domini in vertice montium,* etc.

« *Et erit firmamentum in terra,* » quia omnia propter terrenos scripta. Ad Rom. xv, 4 : *Quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt.* Propter hoc dicitur de Scriptura, Prov. xii, 19 : *Labium veritatis firmum erit in perpetuum :* quia in montibus et in Christo fundatum, et ab ipso totum est adimpletum. Matth. v, 17 : *Non veni solvere legem, sed adimplere.* Sic prælatorum vita debet esse firmamentum doctrinæ illorum. Luc. xxii, 32 : *Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.*

« *Superextolletur.* » Hic secundum beneficium in præsenti. Quasi diceret : Sic firmabitur Scriptura per ipsum, « *et fructus ejus,* » Regis scilicet cui petii dari judicium, Filii scilicet ejus, « *extolletur super Libanum,* » id est, super cedros Libani, ad litteram, quia jam cœlestes sunt conversatione. Ad Philip. iii, 20 : *Nostra conversatio in cœlis est.* Et tandem re adhuc plus extollentur, quando in cœlo collocabuntur. Isa. lviii, 14 : *Sustollam super altitudines terræ, et cibabo te hæreditate Jacob patris tui.* Supra, in Psal. xxxvi, 15 : *Confringet Dominus cedros Libani.* Et si exaltantur mali, modicum, et nihil est. Sap. iv, 3 : *Spuria vitulamina non dabunt radices altas, nec stabile firmamentum collocabunt.*

« *Et florebunt.* » Hic bonum in futuro exhibendum: Quasi diceret : Sic exaltabitur fructus, id est, filii, « *de civitate,* » supple, Ecclesiæ, « *florebunt* » æterna redolentia et nitore. Psal. xci, 13 et 14 : *Justus, ut palma florebit : sicut cedrus Libani multiplicabitur. Plantati in domo Domini.* Idem enim flos et fructus. Eccli. xxiv, 23 : *Flores mei, fructus ho-*

noris et honestatis. Fructus propter utilitatem, quia multis sunt utiles, docendo, prædicando, pro eis orando. *Flores* propter pulchritudinem. Et hoc « *sicut fœnum terræ,* » id est, sicut herba. Isa. LXVI, 14 : *Et ossa vestra sicut herba germinabunt.* Hanc floritionem desiderabat Ecclesiasticus, XXXIX, 19 : *Florete flores quasi lilium, et frondete in gratiam.*

17 Secunda pars Psalmi. « *Sit nomen ejus benedictum.* » Hic est secunda pars totius hujus Psalmi, secundum divisionem superius factam. Postquam enim egit de pacifico et potentissimo regimine Christi, subjungitur ipsius benedictio in gratiarum actionem eorum quæ dicta sunt. Et primo monet omnes ipsum benedicere generaliter. Secundo, ipsemet benedicendi exemplum præbet, benedicens ipsum, ibi, « *Benedictus Dominus.* »

In prima duo. Primo, admonitio. Secundo, ratio admonitionis, ibi, « *Ante solem.* »

Dicit ergo : Sic veniet, ut prædixi, Rex filius Regis, et ea quæ prædixi, faciet : et propter hoc, « *sit nomen ejus,* » ad litteram, « *benedictum* » ab omnibus « *in sæcula,* » non tantum in uno sæculo. Vel ita : Sic rogavi Patrem, et sic faciet, et propter hoc, « *sit nomen ejus,* » Patris scilicet, hoc est, Filius, qui nomen est Patris, et notificat Patrem sicut nomen notificat hominem. Hoc est nomen, de quo Isa. XXX, 27 : *Ecce nomen Domini venit de longinquo.* Prov. XXX, 4 : *Quod nomen est ejus, et quod nomen filii ejus, si nosti ?*

Ante solem. » Hic secundum, in quo subjungitur multiplex ratio, quare acquiescendum est admonitioni, et tangitur triplex. Primo, æternitas. Secundo, utilitas, ibi, « *Et in ipso benedicentur.* » Tertio, sublimitas, sive dignitas, ibi, « *Omnes gentes.* »

Triplici de causa benedicendus Deus. Dicit ergo : Sic sit nomen ejus benedictum, et dictum est, quia « *ante solem permanet,* » in esse vero et completo, « *nomen ejus* : » nec mirum, quia per ipsum omnia facta sunt. Joan. I, 3 : *Omnia per ipsum facta sunt,* et maxime sol. Psal. LXXIII, 6 : *Tu fabricatus es auroram et solem.* Eccli. XXIV, 6 : *Ego feci in cœlis ut oriretur lumen indeficiens.* Prov. VIII, 24 : *Nondum erant abyssi, et ego jam concepta eram.*

« *Et benedicentur in ipso.* » Hic secundum, scilicet utilitas. Quasi diceret : Sic æternus est, et etiam « *in ipso benedicentur,* » non in alio, « *omnes tribus terræ.* » Ipse enim est de quo dictum est Abrahæ, Genes. XXII, 18 : *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ,* illa benedictione, de qua Matth. XXV, 34 : *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum,* etc. Et ad Ephes. I, 3 : *Benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo.* Et non tantum benedicetur tribus una, sed « *omnes tribus,* » id est, de qualibet tribu aliqui. Apoc. VII, 9 : *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus et tribubus, et populis, et linguis, stantes ante thronum.*

« *Omnes gentes.* » Ecce tertium. Quasi diceret : Sic benedicendus, quia æternus, et utilis, et magnæ dignitatis. Et « *omnes gentes,* » de omnibus gentibus aliqui, « *magnificabunt eum.* » Apocal. XV, 4 : *Quis non timebit te, Domine, et non magnificabit nomen tuum ?... quoniam omnes gentes venient, et adorabunt in conspectu tuo.* Quis enim audiens, quod in Christo benedicentur omnes, non magnificet et beatificet ipsum. Job, XXIX, 11 : *Auris audiens beatificat me.* Eccli. LI, 23 : *Danti mihi sapientiam, dabo gloriam.* A simili, danti mihi benedictionem, dabo magnificentiam. Propter hoc illa benedicta, cui dictum est, Luc. I, 28 : *Ave gratia plena : Dominus tecum. Benedicta tu in mulieribus,* intulit statim, ℣. 46 : *Magnificat anima mea Domiuum.*

18 « *Benedictus Dominus.* » Hic secundum secundæ partis hujus Psalmi. Postquam enim quasi invitavit ad benedicendum Deum, et nomen ejus generaliter, præbet se in exemplum, et benedicit ipsum, et nomen ejus prænuntians ejus futuram gloriam, et deprecans ut impleatur quod prævidetur : et secundum hoc dicuntur tria. Primo, benedicit. Secundo, prædicit mundum replendum ejus gloria, ibi, « *Et replebitur.* » Tertio petit, quod sic sit, ibi, « *Fiat, fiat.* »

In prima duo. Primo, benedicit naturæ divinæ. Secundo, ejus gloriæ vel famæ, ibi, « *Et benedictum nomen ejus.* »

In prima duo. Primo, benedicit. Secundo, rationem subjungit, quare benedicendus, ibi, « *Qui facit.* »

Dicit ergo : Sic monui benedicere Dominum, et ipse dico : « *Benedictus Dominus,* » non quicumque, sed « *Deus Israel.* » Et addit statim causam, quare debet benedici : « *qui facit,* » id est, quia ipse facit, « *mirabilia solus.* » Contra : Imo multa mirabilia fecerunt sui semper, et faciunt quotidie. Joan. XIV, 12 : *Qui credit in me, opera quæ ego facio, et ipse faciet, et majora horum faciet.* Responsio. Solus facit auctoritate, quicumque faciat ministerio : quicumque enim facit, in ipso Deus facit. Alibi, in Psal. LXXXVI, 15 : *Tu es Deus, qui facis mirabilia.* Joan. XV, 24 : *Si opera non fecissem in eis,* quæ nullus alius fecit, *peccatum non haberent.* Job, IX, 8 et seq.: *Qui extendit cœlos solus,... et facit mibilia, quorum non est numerus.*

19 « *Et benedictum nomen majestatis ejus.* » Hic secundum. Quasi diceret : Sic benedictus sit in se, et etiam « *nomen majestatis ejus,* » hoc est, fama, et gloria majestatis ejus, « *sit benedictum.* » Ezech. III, 12 : *Benedicta gloria Domini de loco suo.* Tob. III, 13 : *Benedictum est nomen tuum Deus patrum nostrorum.* Hoc est illud nomen, de quo Cant. I, 2 : *Oleum effusum nomen tuum:* non enim sine majestate est Filius, quamvis apparuerit in terris humilis et abjectus. Isa. VI, 4 : *Et domus repleta est fumo,* id est, majestate ejus, scilicet Christi, sed tandem apparebit. Luc. XXI, 27 : *Tunc videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli, cum potestate magna et majestate.* »

« *Et replebitur.* » Hic prædictio. Quasi diceret : Sic sit nomen majestatis ejus benedictum : « *et replebitur* tandem *majestate ejus,* » gloria scilicet ejus, « *omnis terra.* » Isa. VI, 3 : *Plena est omnis terra gloria ejus.* Hoc in secundo adventu, quando fiet illud Matth. XXIV, 27 : *Sicut fulgur exit ab Oriente, et patet usque in Occidentem : ita erit adventus filii hominis,* ut omnes impleantur ejus gloriosissima majestate. Sed terribili majestate ejus repleti erunt mali, sed dulci boni. I ad Cor. XV, 28 : *Ut sit Deus omnia in omnibus.* In malis, majestas terribilis : in bonis, jucunda et amabilis, quia replebit eos cum gaudio. Joan. XVI, 24 : *Petite, et accipietis, ut gaudium vestrum nemo tollet a vobis.* Psal. CII, 5 : *Qui replet in bonis desiderium tuum.*

« *Fiat, fiat.* » Ecce tertium, in quo petit sic fieri, et repetitur petitio ad ostendendum fervorem desiderii in petente, quod concedat qui est benedictus per infinita sæcula sæculorum. Amen [1].

[1] Expositio ỳ. 20 : *Defecerunt laudes David, filii Jesse,* invenietur in explanatione tituli psalmi sequentis LXXII.

PSALMUS LXXII.

Impii felices in hac vita peribunt: Domino adhærere bonum est.

1. *Psalmus Asaph.*
Quam bonus Israel Deus, his qui recto sunt corde!
2. Mei autem pene moti sunt pedes, pene effusi sunt gressus mei:
3. Quia zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns.
4. Quia non est respectus morti eorum, et firmamentum in plaga eorum.
5. In labore hominum non sunt, et cum hominibus non flagellabuntur.
6. Ideo tenuit eos superbia: operti sunt iniquitate et impietate sua.
7. Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum: transierunt in affectum cordis.
8. Cogitaverunt et locuti sunt nequitiam: iniquitatem in excelso locuti sunt.
9. Posuerunt in cœlum os suum, et lingua eorum transivit in terra.
10. Ideo convertetur populus meus hic, et dies pleni invenientur in eis.
11. Et dixerunt: Quomodo scit Deus, et si est scientia in excelso?
12. Ecce ipsi peccatores, et abundantes in sæculo, obtinuerunt divitias.
13. Et dixi: Ergo sine causa justificavi cor meum, et lavi inter innocentes manus meas:
14. Et fui flagellatus tota die, et castigatio mea in matutinis.
15. Si dicebam: Narrabo sic: ecce nationem filiorum tuorum reprobavi.
16. Existimabam ut cognoscerem hoc: labor est ante me.
17. Donec intrem in sanctuarium Dei, et intelligam in novissimis eorum.
18. Verumtamen propter dolos posuisti eis: dejecisti eos dum allevarentur.
19. Quomodo facti sunt in desolationem? subito defecerunt: perierunt propter iniquitatem suam.
20. Velut somnium surgentium, Domine, in civitate tua imaginem ipsorum ad nihilum rediges.
21. Quia inflammatum est cor meum, et renes mei commutati sunt:
22. Et ego ad nihilum redactus sum, et nescivi:
23. Ut jumentum factus sum apud te, et ego semper tecum.
24. Tenuisti manum dexteram meam, et in voluntate tua deduxisti me, et cum gloria suscepisti me.
25. Quid enim mihi est in cœlo? et a te quid volui super terram?
26. Defecit caro mea et cor meum: Deus cordis mei, et pars mea, Deus, in æternum.
27. Quia ecce qui elongant se a te peribunt: perdidisti omnes qui fornicantur abs te,
28. Mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in Domine Deo spem meam:
Ut annuntiem omnes prædicationes tuas in portis filiæ Sion.

IN PSALMUM LXXII

COMMENTARIUS.

1 *Defecerunt laudes David, filii Jesse* [1]. *Psalmus Asaph* [2].

« *Quam bonus Israel Deus.* » Hic est Psalmus septuagesimus secundus in toto libro, in secunda autem parte vicesimus secundus. Cum enim in præcedenti Psalmo actum sit de mediatore Dei et hominum Christo Jesu secundum naturam utramque, et secundum ejus regiam dignitatem, et honorificentiam ei ab omnibus exhibendam tamquam vero regi omnium et rectori, ne forte crederet aliquis eum non recte regere mundum, quia in eo malis prospera, et bonis adversa tribuit : et rursus, ne credatur ei propter temporalia serviendum sicut serviebatur antiquitus, Isa. I, 19 : *Si volueritis et audieritis me, bona terræ comedetis*, obviat Psalmus iste ostendens rationem, quare malis temporalia conferuntur, et a bonis subtrahuntur, et quod Deo so- Psalmus ostendit non esse in posterum serviendum Deo pro temporalibus.

[1] Hæc verba in Vulgata pertinent ad finem Psalmi LXXI.

[2] Nous retrouvons dans ce psaume le sujet qui fait le fond du livre de Job, et qu'ont traité déjà les psaumes XXXVI et XLVIII, la prospérité des méchants, sujet de scandale pour le juste malheureux. Comme pour la solution de la difficulté il faut toujours en appeler à l'avenir, on comprend que souvent les inégalités du présent aient beaucoup plus frappé les âmes que les justices futures de la Providence ; de là cette question poignante que posent les justes de tous les âges du sein de leurs adversités : Y a-t-il une Providence équitable qui en ce monde ait quelque souci de la vertu ? Job répondait : « Scio quod Redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum. » XIX, 25. David disait aussi : « Sunt reliquiæ homini pacifico : injusti autem disperibunt. » Ps. XXXVI, 37, 38. Le fils de Coré ajoutait : « Simul insipiens et stultus peribunt... Et dominabuntur eorum justi in matutino. » Ps. XLVIII, 11, 15. Ici, le psalmiste n'apporte point une réponse nouvelle : « Intelligam in novissimis eorum » ℣ 17, mais on sent un homme qui a été plus vivement tourmenté de l'énigme que les deux précédents, et sa victoire sur la tentation se tourne non plus seulement en confiance et en soumission, mais en amour passionné pour ce Dieu qui le conduit au bonheur à travers les épreuves de la vie. Il y a pourtant une légère nuance dans la manière dont les trois psaumes envisagent le problème ; Schegg la signale très bien. Au Psaume XXXVI, nous entendons un vieillard qui plane déjà au-dessus des horizons du monde, et qui après avoir remporté la victoire décisive, décrit ce qu'a été le combat. Au psaume XLVIII, c'est un jeune homme aux prises avec son tempérament bouillant, et qui n'entrevoit pas encore la fin de la lutte acharnée dont son âme est le théâtre ; enfin le psaume LXXII est écrit par un homme fait qui combat et remporte la victoire. C'est Asaph qui composa ce psaume ; mais comme plusieurs poètes portèrent ce nom, on ne sait guère s'il s'agit ici du contemporain de David, ou d'Asaph le voyant qui vivait au temps d'Ezéchias, II Par., XXIX, 30 ; IV Reg., XVIII, 18, 37, ou d'un autre Asaph intermédiaire. L'auteur du psaume était certainement un personnage d'influence considérable, car une parole de doute tombée de ses lèvres eût été capable de détourner le peuple de son devoir, ℣ 15 ; le problème qu'il discute suppose un temps où le triomphe des méchants était scandaleux ; mais ce fait se produit constamment, et nous avons vu David faire un psaume sur le même sujet. Son contemporain ne se serait peut-être pas permis de reprendre en sous-œuvre un sujet déjà brillamment traité par son maître. C'est donc plutôt Asaph le voyant que nous regarderions comme l'auteur du mizmor. C'est l'avis de M. le Hir.

L'auteur a été sur le point de succomber à la tentation du doute et de la révolte contre la Providence ; il l'avoue dans toute la première partie du psaume ; mais comme S. Augustin dans ses Confessions, il fait précéder ses aveux d'un fervent acte d'amour et de confiance. La seconde partie donne la solution du problème, et en tire les conséquences pratiques.

Voir sur ce psaume S. Augustin, de Civ. Dei, X, 25, et le sermon de Bossuet sur la Providence, 1656, où la même doctrine est exposée.

H. Lesêtre.

lum pro bonis æternis, non jam pro temporalibus serviendum. Quod notatur satis latenter in titulo Psalmi, secundum Augustinum, qui talis est : « *Defecerunt laudes* vel hymni *David, filii Jesse. Psalmus Asaph.* » Ad cujus intelligentiam primo notandum, quod Asaph non accipitur hic proprie pro illo, qui inter cantores templi de principalioribus erat, sicut habetur I Paral. xv, 19 et xxv, 1, sed ratione interpretationis : interpretatur enim *congregatio*, vel *collectio*, et signat bonos de populo Judæorum, in unitatem fidei et charitatis collectos, secundum illud Act. iv, 32 : *Multitudinis credentium erat cor unum, et anima una:* qui tamquam unus loquuntur in illo Psalmo.

Aliud est notandum, quod David appellatur aliquando, imo fere semper simpliciter, et nullo addito, et signat tunc Christum, vel quemlibet virum justum, qui si non sit filius Dei per naturam sicut Christus est, tamen est per gratiæ adoptionem, juxta illud Psal. LXXXI, 6: *Ego dixi : Dii estis, et filii excelsi omnes.* Raro autem, sicut hic, dicitur filius Jesse, qui ad litteram carnalis ejus pater fuit [1]. Et signat tunc carnalem populum Judæorum, vel aliquem de populo suo, qui Deo pro temporalibus antiquitus serviebat.

Sensus ergo tituli est : Hic « *Psalmus* » est, id est, competit « *Asaph,* » id est, justorum collectioni, vel congregationi, agens de hoc quod « *defecerunt laudes* » vel hymni. *Hymnus* enim plus dicit quam *laus*, quia hymnus laus est, et Dei laus est cum cantico. « *David filii Jesse,* » hoc est, David secundum quod accipitur pro populo carnali pro temporalibus serviente. Quasi diceret : Ostendit hic Psalmus, quod jam Deo non pro temporalibus est serviendum, sicut antiquitus, sed defecit antiqua carnalium exspectatio, nova succedente, in qua pro spiritualibus et æternis bonis Deo servitur.

[1] I Reg. xvi, 11 et seq.

Dividitur autem Psalmus in tres partes, quamquam Glossa dividat aliter aliquantulum. Primo enim commendatur breviter divina bonitas. Secundo, monstratur humana infirmitas, quæ scandalizatur in malorum prosperitate, ibi, « *Mei autem pene moti sunt pedes.* » Tertio, arguitur hominum perversa cupiditas, qui relicto bono æterno, ad quod creati sunt, et in quo quodammodo jam sunt, ad infima et terrena convertuntur, ibi, « *Quid mihi est in cælo ?* »

In prima duo. Primo, exclamando divina bonitas ostenditur magna. Secundo, quibus tam magna sit, specificatur, ibi, « *Ab his qui.* »

Dicit ergo : « *Quam bonus,* » id est, valde bonus, et suavis et jucundus, « *Deus Israel,* » non res suæ, sicut mihi antiquitus videbatur, dicit Asaph. Verum dicit : bonus enim Deus Pater. Nahum, i, 7 : *Bonus Dominus, et confortans in die tribulationis.* Bonus Deus Filius, Joan. xi, 14 : *Ego sum pastor bonus.* Bonus Deus Spiritus sanctus, Sap. xii, 1 : *O quam bonus et suavis est Domine spiritus tuus in omnibus !* Prima pars Psalmi.

Et nota, quod Deus est bonus in essentia, Matth. xix, 17 : *Unus est bonus, Deus.* In creatione, quia non creavit nisi bona, Gen. i, 31 : *Viditque Deus cuncta quæ fecerat, et erant valde bona.* Bonus in patienti peccatorum exspectatione, Ad Roman. ii, 4 : *An divitias bonitatis ejus... contemnis?* Bonus in justificatione, Ad Roman. xi, 22 : *Vide bonitatem, et severitatem Dei :* bonitatem in vocatis, et severitatem in reprobis. Bonus in promotione justificati, Psal. CXLII, 10 : *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.* Bonus in glorificatione, Ad Ephes. ii, 6 et 7 : *Consedere fecit,* nos scilicet, *in cælestibus in Christo Jesu : ut ostenderet in sæculis supervenientibus abundantes divitias gratiæ suæ in bonitate super nos in Christo Jesu.*

Sed tam bonus, quibus? « *His qui recto sunt corde,* » non corpore tantum, hoc est, amantibus et exquirentibus se. Cant. I, 3 : *Recti diligunt te.* Qui autem sunt recti, dicit Augustinus : « Rectum « habent qui hoc volunt quod vult « Deus. » His bonus, Thren. III, 25 : *Bonus est Dominus sperantibus in eum, animæ quærenti illum.* In tatam bonus his, ut dicat Augustinus : « Tam bo- « nus est Deus, ut nemini eum deserenti « bene sit. »

2 Secunda pars Psalmi. « *Mei autem pene.* » Hic est secunda pars Psalmi, in qua exprimitur humana infirmitas, quæ in malorum prosperitate scandalizatur in videndo : et dicuntur duo. Primo, quod impiis prosperantibus fere inviderit. Secundo, quid ex eorum impietate et prosperitate secutum sit, ibi, « *Ideo convertetur.* »

In prima duo. Primo, quod fere propter zelum malorum prosperantium corruerit a Dei gratia. Secundo, prosperitatem et malitiam describit, ibi, « *Quia non est respectus.* »

In prima duo. Primo, quod a Dei gratia fere corruerit. Secundo, causam ruinæ ostendit, invidentiam scilicet prosperitatis malorum, ibi, « *Quia zelavi.* »

In prima duo. Primo, quod fere inductus sit in errorem. Secundo, quod in culpam, ibi, « *Pene effusi.* »

Dicit ergo : Sic vere bonus est Deus, ut nunc percipio, sed in imperfectiori statu, « *pene* » moti sunt a statu veritatis « *pedes mei,* » in errorem lapsi, contra illud Eccle. x, 4 : *Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris.* Et rursum, Eccli. XI, 21 : *Sta in testamento tuo.* Psal. XCIII, 18 : *Si dicebam : Motus est pes meus : misericordia tua, Domine, adjuvabat me.*

« *Pene effusi sunt gressus mei,* » meæ voluntates, inclinationes ad culpam laxatæ. Cassiodorus : « Pedes arbitrium « mentis, gressus inclinatio voluntatis. » Job, XXXI, 4 : *Nonne ipse considerat vias meas, et cunctos gressus meos dinumerat?* Thren. I, 20 : *Subversum est cor meum in memetipsa.* Vix enim non videntibus veritatem, sed adhuc temporalia cernentibus, cum desiderio potest contingere, quin scandalizentur in prosperitate malorum, et judicent Deum perversum. Augustinus : « Sicut sol habenti oculos « puros tranquillus apparet, in oculos « autem lippos quasi tela aspersa jacula- « tur lux, et nec sic mutatur, ita cum cœ- « peris esse perversus, et Deus perversus « tibi videbitur. » Erit ergo pœna malis, quod est gaudium bonis.

« *Quia zelavi.* » Hic secundum, in quo ostendit ruinæ causam, scilicet invidentiam de prosperitate : et dicuntur tria. Primo, quod invidit. Secundo, quibus, ibi, « *Super iniquos.* » Tertio, quare, ibi, « *Pacem.* » 3

Dicit ergo : Sic pene rui a statu divinæ gratiæ. Quare? « *Quia zelavi,* » invidendo, graviter ferendo. Quibus? « *Super iniquos,* » contra illud supra, in Psal. XXXVI, 1 : *Noli æmulari in malignantibus.* Et Eccli. IX, 16 : *Non zeles gloriam et opes peccatoris.* Et quare? « *Pacem pecatorum videns.* » Isti sunt quos dixit iniquos. « *Pacem.* » Contra : In pace non possunt esse. Isa. XLVIII, 22 : *Non est pax impiis, dicit Dominus.* Responsio. Non est pax interior, scilicet tranquillitas mentis, de qua Joan. XIV, 27 : *Pacem relinquo vobis,* etc. Sed pax exterior, securitas in peccato et mundi vanitate, de qua loquitur hic. Job, XXI, 9 : *Domus eorum securæ sunt et pacatæ.* Hæc est misera pax, de qua Matth. x, 34 : *Non veni pacem mittere, sed gladium.* Hæc pax multam movet intrinsecus turbationem. Cassiodorus : « Pax « ista cum conscientia semper litigat, ri- « xatur intrinsecus : et cum hostem non « habeat, secum ipsa decertat. »

Prosperitas peccatorum.

Pax interior et exterior.

Sed hic est dubitatio, quomodo cum invidit, non omnino gressus effusi sunt?

Et est responsio, quod sanctis si aliquando subrepat culpa, etiamsi mortalis sit, tamen quia cito redeunt ad divinam gratiam, quasi non reputatur casus. Cassiodorus : « Unde intelligimus et sanctis viris cogitationes pravas frequenter surripere, sed iterum in sanitatem pristinam eos reverti. »

Vel sic : « *Zelavi*, » id est, ad zelandum concussus et motus fui : sed sic loquitur mallens aggravare culpam, quam excusare. Gregorius : « Cum malos florere infirmi conspiciunt, trepidant, et peccantium sospitate turbati, intus gressibus mentis nutant. »

4 « *Quia non est respectus.* » Hic secundum, in quo prosperitatem et malitiam describit, per quam fere corruit. Et primo, describitur ab ipso prosperitas malorum. Secundo, iniquitas prosperantium, ibi, « *In labore hominum.* »

Et primo monstratur causa secundi, ibi, « *Ideo tenuit eos.* »

In prima duo. Primo, quasi evasio ipsorum ab incommodo majori. Secundo, plagarum curatio velox si fuerint illatæ, ibi, « *Et firmamentum.* »

Dicit ergo : Sic fere corrui propter eorum pacem. Sed numquid habent pacem? Ita vere. « *Quia non est respectus*, » pronitas quædam, « *morti eorum*, » id est, ad moriendum eis. Unde alia littera habet, « Inclinatio mortuorum. » Job, XXI, 13 : *Ducunt in bonis*, in sanitate et lascivia, *dies suos*. Nec est etiam respectus in eis ad mortem, ut de ipsa cogitent. Thren. I, 9 : *Sordes ejus in pedibus ejus, nec recordata est finis sui :* contra illud Eccli. VII, 40 : *In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, et in æternum non peccabis.* Proverb. XXVIII, 5 : *Mali non cogitant judicium.*

« *Et firmamentum* », id est, duratio, supple, non est, « *in plaga eorum*, » imo si plagantur, statim curantur. Job, XXI, 9 : *Et non est virga Dei super illos*, ut aliquid duret. Aliter etiam potest legi, ut monstretur quare in pace dimittantur, sic : Bene dixi, quod pacem habent iniqui, et hoc permittit Deus, « *quia non est respectus morti eorum*, » quæ eos exspectat, sed semper durabit : æterna enim est. Isa. LXVI, 24 : *Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non exstinguetur*. Matth. XXV, 41 : *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum*. « *Et firmamentum*, » supple, erit, « *in plaga eorum* : » quia plaga eorum multum erit firmata, ut non possint sanari. Nec plaga culpæ, quia volunt semper mala. Jerem. XXX, 12 : *Insanabilis fractura tua, pessima plaga tua.* Nec plaga pœnæ. Isa. XXX, 32 : *Et erit transitus virgæ fundatus.*

Vel potest legi de morte peccati et plaga. Quasi diceret : In plaga dimittuntur, Adspectus Dei causa salutis.
quia non est respectus divinæ misericordiæ, de quo Sapient. IV, 15 : *Et respectus in electos illius*, quo respexit Matthæum[1] et Petrum[2]. Dicitur, quod est quædam avis nomine Calandra, quæ si avertit oculos ab infirmo, signum est mortis : si convertit, signum est vitæ[3]. Sic Christo avertente se a nobis, morimur. Psal. CIII, 29 : *Avertente autem te faciem, turbabuntur : auferes spiritum eorum, et deficient*, etc. Sed convertente vivificabuntur. Psal. LXXXIV, 7 : *Tu conversus vivificabis nos.*

« *Et firmamentum*, » supple, est, « *in plaga eorum*, » solidata, scilicet est et firmata plaga culpæ : ut mors et plaga idem scilicet peccatum appellentur. Luc. X, 30 : *Plagis impositis abierunt semivivo relicto.* Has plagas non curat etiam Deus aliquando, nec ad mortem respicit ex indignatione magna, sed dimittit animam miseram peccare ad libitum suum. Ezech. XVI, 42 : *Et requiescet indignatio mea in te : et auferetur zelus meus a te,*

[1] Matth. IX, 9.
[2] Luc. XXII, 61.
[3] Cf. Lib. XXIII de Animalibus, n. 21, pag. 446 tomi XII hujusce editionis.

et quiescam, nec irascar amplius. Ad Rom. I, 24 : *Tradidit illos Deus in desideria cordis eorum,* ut faciant quod non oportet.

5 « *In labore hominum.* Hic secundum, in quo ostendit, quod etiam minora incommoda non incurrent, vel libenter et voluntarie assumpta, vel violenter imposita, ibi, « *Et cum hominibus.* »

Dicit enim : Sic evadunt mortem, ut etiam plagæ, si quæ sunt, velociter transeant, et etiam « *in labore hominum non sunt.* » Multi iniqui certe, nec aliqui in labore hominum qui vere sunt homines, scilicet sanctorum. Job, V, 7 : *Homo nascitur ad laborem, et avis ad volatum.* Et in Psal. CXXVII, 2 : *Labores manuum tuarum quia manducabis,* etc. Unde etiam non sunt digni cibo. II ad Thess. III, 10 : *Si quis non vult operari, nec manducet.* Multo fortius de fructu illo, de quo Sapient. III, 15 : *Bonorum laborum gloriosus est fructus.*

« *Et cum hominibus non flagellabuntur,* » id est, cum sanctis qui vere homines dicuntur, quia rationem habentes, et ratione utentes. Job, XXXIII, 27 : *Respiciet homines, et dicet : Peccavi, et vere deliqui.* Quos Dominus flagellat aliquando brevi flagello ad correctionem. Ad Hebr. XII, 6 : *Quem enim diligit Dominus, castigat : flagellat autem omnem filium, quem recipit.* Bernardus : « Cum hominibus non flagellabuntur, sed cum dæmonibus. »

6 « *Ideo tenuit eos.* » Hic secundum. Tacta enim malorum prosperitate, subjungitur de superaddita iniquitate. Primo, cordis. Secundo, operis, ibi, « *Prodiit quasi ex adipe.* » Tertio, sermonis vel oris, ibi, « *Cogitaverunt et locuti sunt nequitiam.* »

In prima duo. Primo, tangit cordis eorum malitiosam superbiam. Secundo, ostendit malitiæ superabundantiam et diversitatem, ibi, « *Operti sunt.* »

Dicit ergo : In tanta pace et securitate sunt, « *ideo tenuit eos superbia.* » Bene dicit, « *Ideo,* » quia adversitas superbiæ spiritum consumit, et quasi ebibit. Job, VI, 4 : *Sagittæ Domini in me sunt, quarum indignatio ebibit spiritum meum.* Bene autem dicit, « *tenuit,* » quia superbia ligat miserum tamquam funis. Proverb. V, 22 : *Iniquitates suæ capiunt impium, et funibus peccatorum suorum quisque constringitur.* Osee, IV, 19 : *Ligavit eum spiritus,* superbiæ scilicet, *in alis suis.* Et propter hoc dicitur, Isa. XXIV, 17 : *Formido, et fovea, et laqueus super te, qui habitator es terræ* : formido avaritiæ, fovea luxuriæ, et laqueus superbiæ. Et bene a superbia incipit, de qua Tob. IV, 14 : *Superbiam numquam in tuo sensu, aut in tuo verbo, dominari permittas : in ipsa enim initium sumpsit omnis perditio.* Eccli. X, 15 : *Initium omnis peccati est superbia.* **Mala quæ ex temporali prosperitate consequuntur.**

« *Operti sunt.* » Hic malitiæ et iniquitatis interioris abundantia, et primo comparatione ad proximum. Secundo, comparatione ad Deum, ibi, « *Et impietate.* »

Ait enim : Sic tenet eos superbia, *et* etiam « *operti sunt,* » abundantiam notat, « *iniquitate sua,* » contra proximum, « *et impietate,* » contra Deum. Mala camisia ista, et de mala tela. Isa. LIX, 5 : *Telas araneæ texuerunt,* ad faciendum sibi operimentum. Sed tandem destruetur. Isa. XXV, 8 : *Præcipitabit,* scilicet Dominus, *mortem in sempiternum,* et telam quam orditus est super nationes, id est, ordiri permisit. Hæc est unica partita iniquitate, et impietate, tunica leprosi ex diversis consuta [1]. Judas in Canon. ℣. 23 : *Odientes et eam, quæ carnalis est, maculatam tunicam.*

[1] Cf. Levit. XIII, 45.

7 « *Prodiit quasi ex adipe.* » Hic tangitur malum in exitu operis : et dicuntur duo. Primo, mali propalatio. Secundo, facilis malorum inculcatio, ibi, « *Transierunt.* »

Ait enim : Sic sunt superbi impii et iniqui, nec tantum in corde, imo « *iniquitas eorum prodiit* » in publicum per exteriorem operationem. Isa. III, 9 : *Peccatum suum quasi Sodoma prædicaverunt, nec absconderunt.*

« *Transierunt.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic exterius ostenditur, et postea « *transierunt* » de peccato in peccatum, de vitio in vitium, ipsi, dico, tendentes, « *in affectum cordis,* » ut faciant quidquid eis concupiscentia suggeret, contra illud Eccli. XVIII, 30 : *Fili,... post concupiscentias tuas non eas, et a voluntate tua avertere.*

Et notandum hic, quod quidam putant, quod multo minor est culpa, quæ surgit ex infirmitate et ignorantia, quam illa quæ surgit ex rerum abundantia. Augustinus : « Magis peccat qui ex adipe « peccat, quam qui ex infirmitate et de- « fectu. » Et Cassiodorus : » Pingue est, « validumque peccatum, quod arbitrio « magis quam necessitate committitur. »

Et sunt hic notanda mala, quæ facit rerum abundantia. Primo facit abjicere pœnitentiam, Osee, IX, 11 : *Ephraim,* frugifer qui abundat fructibus, *quasi avis avolavit.* Inducit curiosam et prohibitam sollicitudinem, Osee, IX, 13 : *Ephraim, ut vidi, Tyrus erat.* Tyrus interpretatur *angustia :* qui enim plus abundat, plus angustiatus est, et sollicitus est : contra illud Matth. VI, 31 : *Nolite solliciti esse.* Proverb. XI, 7 : *Exspectatio sollicitorum peribit.* Generat vanam confidentiam, I ad Timoth. VI, 17 : *Divitibus hujus sæculi præcipe non sublime sapere, neque sperare in incerto divitiarum.* Quia, Proverb. IX, 28, dicitur : *Qui confidit in divitiis suis, corruet.* Generat etiam negligentiam ad omne bonum spirituale, Isa. LVII, 10: *Vitam manus tuæ invenisti, propterea non rogasti.* Luc. XII, 19 : *Anima, habes multa bona posita in annos plurimos*: *requiesce, comede, bibe, epulare.* Mortis timorem, Eccli. XLI, 1 : *O mors, quam amara est memoria tua, homini pacem habenti in substantiis suis.* Inordinationem et petulentiam, Deuter. XXXII, 15 : *Incrassatus est dilectus, et recalcitravit,* sicut equus indomitus. Mandatorum Dei transgressionem, Jerem. V, 28 : *Incrassati sunt et impinguati* : *et præterierunt sermones meos pessime.* Discordiam et rixam, Genes. XIII, 6 et 7 : *Erat quippe substantia eorum multa,et nequibant habitare communiter. Unde et facta est rixa inter pastores* gregum *Abraham et Loth.* Deuter. XXIII,22 : *Dan catulus leonis,fluet largiter de Basan.* Dan causat Basam, pinguedo luxuriam. Jerem. V, 11 : *Saturavi eos et mœchati sunt*, *et in domo meretricis luxuriabantur.* Ingratitudinem, Isa. XLV, 5 : *Accinxi te,* divitiis et potestate : *et non cognovisti me,* gratias referendo. Osee, VII, 15 : *Erudivi eos, et confortavi brachia eorum, et in me cogitaverunt malitiam.* Oblivionem, Osee, XIII, 6 : *Adimpleti sunt, et saturati sunt* : *et elevaverunt cor suum, et obliti sunt mei.* Et tandem contemptum, Job, XV, 26 : *Cucurrit adversus eum erecto collo.* Et ibidem, ℣. 27 : *Operuit faciem ejus crassitudo,* etc. Et timorem mundanum, Job, XV, 21 : *Sonitus terroris semper in auribus illius : et cum pax sit,* etc.

« *Cogitaverunt et locuti sunt.* » Hic 8
tertium, in quo subjungitur de iniquitate oris : et dicuntur duo secundum duas iniquitates oris vel sermonis. Primo, quod sermo eorum est nequitiæ. Secundo, quod blasphemiæ, ibi, « *Posuerunt in cœlum.* »

In prima tria. Primo, modus sermonis mali proferendi. Secundo, locutio præmeditati, ibi, « *Et locuti sunt.* » Tertio, excessus in modo proferendi, ibi, « *Iniquitatem.* »

Dicit ergo : Sic peccaverunt corde et

opere, et etiam « *cogitaverunt,* » præmeditando prius ut gravius peccarent ex deliberatione : et sic « *locuti sunt nequitiam.* » Proverb. xxvi, 25 : *Septem nequitiæ sunt in corde illius :* quia spiritus nequam intrant illud. Matth. xii, 45 : *Tunc vadit, et assumit septem alios spiritus nequiores se, et intrantes habitant ibi.* Et post exeunt per sermonem, tamquam erumpens fœtor de sepulcro. Psal. v, 11 : *Sepulcrum patens est guttur eorum.* Ad Ephes. iv, 29 : *Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat.*

« *Iniquitatem.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Loquuntur nequitiam, sed forte submisse ? Non, imo « *iniquitatem in excelso, locuti sunt,* » ut possit a pluribus audiri. Eccli. xiii, 4 : *Dives injuste egit, et fremebit.* Et rursus, Prov. xviii, 23 : *Cum obsecrationibus loquetur pauper : et dives effabitur rigide.* Et sic loquens « *in excelso* » nequitias, alios deædificat. I ad Corinth. xv, 33 : *Corrumpunt bonos mores colloquia mala.* Vel, « In excelsum, » secundum aliam litteram : et tunc est sensus : « In excelsum, » contra Excelsum, Deum scilicet. Job, xii, 6 : *Audacter provocant Deum, cum ipse dederit omnia in manus eorum.* Dan. vi, 25 : *Et sermones contra Excelsum loquetur.*

Psal. lxxviii, 20 : *Numquid et panem poterit dare, aut parare mensam populo suo ?* Qui terrena eum regere non existimat, et nec affirmat, de quibus Job, xxii, 14 : *Nubes latibulum ejus, nec nostra considerat :* contra illud Psal. xciii, 9 : *Qui plantavit aurem, non audiet? aut qui finxit oculum, non considerat?* Qui impunitatem sibi et aliis peccatoribus promittit, et sperat, sicut illi, de quibus Jerem. vi, 14 : *Dicentes : Pax, pax, et non erat pax :* quia, II ad Thess. v, 3 : *Cum dixerint : Pax et securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus,* etc. Qui de Dei majestate male sentiendo blasphemat dicendo Filium minorem Patre, et Spiritum sanctum, quemadmodum Arianus, contra illud Joan. x, 30 : *Ego et Pater unum sumus.*

« *Et lingua eorum transivit* » naturæ metas. Ecce vehementia peccati. « *In terra,* » vel super terram. Alia littera, «manens super.» Ecce quam longa lingua quæ de terra attingit usque ad cœlum. Sap. xviii, 16 : *Usque ad cœlum, attingebat stans in terra.* Vel, «*lingua eorum transivit,*» idest, mutata est,« *in terra,*» id est, tota facta est terrena. Isa. xxix, 4 : *De terra loqueris, et de humo audietur eloquium tuum.* Joan. iii, 31, secundum communem litteram : *Qui est de terra, de terra est, et de terra loquitur.*

9 « *Posuerunt in cœlum.* » Hic ostenditur peccatum blasphemiæ, et tangitur culpa. Secundo, culpæ vehementia, ibi, « *Et lingua eorum.* »

Dicit enim : Sic nequitiam præmeditati, dixerunt etiam, et quod deterius, « *posuerunt in cœlum os suum,* » id est, contra cœlum, Deum blasphemando, ipsi obloquendo, contra illud Exod. xxiii, 13 : *Non jurabitis, neque audietur ex ore vestro,* scilicet blasphemia, quæ ponit in cœlo os suum. Ponit autem os in cœlum, qui contra Deum murmurat, sicut illi de quibus in Psal. lviii, 16 : *Si vero non fuerint saturati, et murmurabunt.* Qui Dei potentiam negat, sicut alii qui dicebant,

Qui dicuntur os suum ponere in cœlum ?

« *Ideo convertetur.* » Hic secunda pars secundæ partis totius Psalmi, in qua post ostensam impiorum prosperitatem, et prodeuntem inde iniquitatem, subjungit tandem utilitatem inde in bonis consecutam, et primo in suis. Secundo, in se, ibi, « *Et dixi : Ergo.* » 10

Quæ eliciuntur, visa malorum prosperitate et iniquitate.

In prima duo. Primo, quod per hoc boni, et qui vere sunt de congregatione, ad Deum convertentur. Secundo, unde convertentur, ibi, « *Et dixerunt : Quomodo scit Deus.* »

In prima duo. Primo, quod convertentur in præsenti. Secundo, quod fructum

assequentur in futuro, ibi, « *Et dies pleni.* »

Dicit ergo Asaph, quod interpretatur *congregatio* vel *collectio :* Sic mali prosperitate deteriorantur. Et ideo, «*populus meus*, » hoc intelligens et audiens, « *convertetur hic*, » id est, in eadem sententia mecum, quod prosperitas non est curanda : vel «*hic*,» in præsenti vita adhuc existens, et non exspectans usque in alia vita, secundum illud Eccli. v, 8 : *Non tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem*, acquiescens consilio Ecclesiastici, XVII, 21 et 22 : *Convertere ad Dominum, et relinque peccata tua : precare ante faciem Domini et minue offendicula.* Bene dicit autem, quod « *ideo convertetur :* » magna enim ratio convertendi ad Deum, est cognitio malitiæ divitum. Eccle. II, 11 et 12 : *Cumque me convertissem ad universa opera,... vidi in omnibus vanitatem... Transivi ad contemplandam sapientiam.* Nahum, III, 7: *Omnis, qui viderit te, resiliet a te.*

« *Et dies pleni.* » Hic præmium conversionis. Quasi diceret convertentur, et hoc « *dies pleni*, » dies scilicet æternitatis, qui perfecti sunt. Prov. IV, 18: *Justorum semita, quasi lux splendens, procedit et crescit usque ad perfectum diem.* Vel, « *dies pleni,* » non vacui, etiam in præsenti, sicut in illis qui nihil boni faciunt, de quibus Job, VII, 3 : *Ego habui menses vacuos, et noctes laboriosas enumeravi mihi.* Justi enim dies plenos habent in judicio, in die scilicet mortis. « *Invenientur in eis.* » Job, V, 26 : *Ingredieris in abundantia sepulcrum.* Job, XLII, 16 : *Et mortuus est senex et plenus dierum.* Uniuscujusque enim vita in fine ponderatur, si plena sit bonis, vel vacua. Dan. V, 27 : *Appensus es in statera, et inventus es minus habens.*

Vel sic : Dico quod populus meus convertetur, ad hoc ut sentiat, prædicet, et doceat : et hoc, quoniam « *dies pleni,* » dies scilicet gratiæ et adventus Filii Dei, « *invenientur in eis.* » Ad Galat. IV, 4 : *At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus*, etc. Tunc enim omnia contemnere Christus docebit. Matth. V, 3 : *Beati pauperes spiritu.* Et XIX, 21 : *Vade, et vende*, etc. Et in eodem, ℣. 28 : *Amen dico vobis, quod vos qui relinquentes omnia, secuti estis me*, etc.

« *Et dixerunt : Quomodo.* » Hic secundum, in quo ostendit unde conversi : 11
quia a falsa æstimatione divinæ pietatis, et sapientiæ : unde dicuntur duo. Primo, ponit eorum verba de Dei sapientia, quasi dubitationem exprimentia. Secundo, ipsam quasi probantia, ibi, « *Ecce ipsi peccatores.* »

In prima duo. Primo, ponit verba de modo sciendi, dubitationem exprimentia. Secundo, de scientia ipsa, ibi, « *Et si est scientia.* »

Dicit ergo : Sic populus convertetur, sed unde ? Ecce : « *Et dixerunt,* » ante conversionem : « *Quomodo scit Deus ?* » Quasi diceret, vel nullo modo, vel satis obscure et incerte. Job, XXII, 13 : *Quid enim novit Deus ? et quasi per caliginem judicat.* Isa. XL, 27 : *Quare dicis Jacob, et loqueris Israel : Abscondita est via mea a Domino ?* Ezech. VIII, 12 : *Dicunt enim: Non videt Dominus nos, dereliquit Dominus terram.* Psal. XCIII, 7 : *Dixerunt : Non videbit Dominus.*

« *Et si est scientia in Excelso ?* » Hæc dixerunt. Quasi dicerent, Eccli. XXIII, 26 : *Nemo circumspicit me : quem vereor ? Delictorum meorum non memorabitur Altissimus.* Psal. X secundum Hebræos, 11 : *Dixit in corde suo : Oblitus est Deus, avertit faciem suam, ne videat in finem.*

« *Ecce ipsi peccatores.* » Hic secundum, 12
in quo ponit verba quasi probantia quod ita sit, quia peccatores obtinuerunt divitias abundantes, quod non esset sustinendum ab eo si sapiens esset.

Ait enim : Dicunt, quod non est scientia in Excelso, et hac ratione, quia di-

cunt: « *Ecce ipsi peccatores,* » qui Deo non obediunt, sed ipsi contrarii sunt, et potissime raptores, « *obtinuerunt divitias,* » id est, fortiter tenuerunt, et violenter ab aliis auferendo. Job, xii, 6: *Abundant tabernacula prædonum, et audacter provocant eum*, et dicunt illud Sap. ii, 11: *Sit fortitudo nostra lex justitiæ.* Job, xxii, 8: *In fortitudine brachii tui possidebas terram.*

« *Et abundantes,* » supple, divitiis. Hinc admirando dicitur in Job, xxi, 7: *Quare impii vivunt, sublevati sunt, confortatique divitiis?* Et Jerem. xii, 1: *Quare via impiorum prosperatur: bene est omnibus qui prævaricantur et inique agunt?* Et ix, 3: *Confortati sunt in terra, quia de malo ad malum egressi sunt.* Sed quantumcumque obtineant, nihilominus relinquent valde cito forte. Eccli. xxi, 5: *Substantia superbi eradicabitur.* Job, v, 3: *Vidi stultum firma radice, et maledixi pulchritudini ejus statim.* Luc. xii, 20: *Stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te: quæ autem parasti, cujus erunt?*

13 « *Et dixi: Ergo sine causa.* » Hic secundum, in quo ostendit quid in seipso secutum sit, visa malorum prosperitate et iniquitate, et sunt tria. Primo, quasi desperatio de merito omni. Secundo, hæsitatio et revocatio sui ad dubitandum, ibi, « *Si dicebam.* » Tertio, veritatis cognitio, et determinatio, ibi, « *Verumtamen propter dolos.* »

In prima duo, secundum duo bona de quibus desperat. Primum est bonorum operatio. Secundum, malorum sustentatio, ibi, « *Et fui flagellatus.* »

In prima duo. Primo, manifestatio præmii pro interiori bono, scilicet cogitatione. Secundo, pro exteriore operatione, ibi, « *Et lavi.* »

Dicit ergo: Sic populus meus, et ego ipse « *dixi* » motus ad ista: « *Ergo justificavi cor meum,* » peccata cum dolore cogitando, bonum desiderando, « *sine causa?* » id est, sine præmio, si bonis reddantur mala, et malis bona. Job, xxi, 15: *Quid nobis prodest si oraverimus illum,* scilicet Omnipotentem? Malach. iii, 14: *Vanus est qui servit Deo: et quod emolumentum, quia custodivimus præcepta ejus?* Non sic desperabat Job, qui dicebat, xxvii, 6: *Justificationem meam, quam cœpi tenere, non deseram.*

« *Et lavi,* » repete sine causa, « *inter innocentes manus meas* », id est, operationes meas, ad similitudinem innocentium purificavi sine præmii exspectatione. Manus lavantur lacrymis. Psal. vi, 7: *Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis,* bonas scilicet operationes in quibus quiesco, *stratum meum rigabo.*

Quomodo autem inter innocentes lavantur manus, dicit Cassiodorus: « Lavat inter innocentes manus suas, qui « pias operas laudabili peragit instituto. » Palliatus autem ut hypocrita, etsi laverit, non tamen inter innocentes, sicut factum est in Pilato, qui ad tegendum malitiam suam manus lavit, Matth. xxvii, 24, et dicit: *Innocens ego sum a sanguine hujus: vos videritis.* Quantumcumque enim exterior exerceatur lotio, remanet interior perversa intentio, et immundum est totum. Jerem. ii, 22: *Si laveris te intro, et multiplicaveris tibi herbam borith, maculata es in iniquitate tua.*

« *Et fui flagellatus.* » Hic secundum, 14
in quo ostendit se frustrari a præmio sustinendi mala, et primo ad sustinendum malum continue. Secundo, voluntarie, ibi, « *Et castigatio mea.* »

Dicit ergo: Sic pro nihilo bona facio, et etiam dixi: « *Et fui flagellatus* » flagellis Dei cui servio, de quibus Eccli. xxii, 6: *Flagella et doctrina in omni tempore sapientia.* Tob. xiii, 2: *Magnus es, Domine: quia tu flagellas et salvas.* Et hoc «*tota die,* » id est, assidue, tamquam dilectus filius. Eccli. xxx, 1: *Qui diligit filium, assiduat illi flagella.*

Augustinus : « A me non recedant flagella : illi bene servio, et flagellor : « malus non servit, et honoratur. »

« *Et castigatio.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic flagellor assidue et voluntarie, quia « *et castigatio mea est in matutinis.* » Ad hoc mane surgo ut castiger. Psal. cxvii, 18 : *Castigans castigavit me Dominus.* Jerem. xxxi, 18 : *Castigasti me, et eruditus sum.* In mane enim ad litteram bonum est disciplinari. Eccli. xxxi, 1 : *Vigilia honestatis tabefaciet carnes.* Sic Paulus castigabat corpus vigiliis matutinis, I ad Corinth. ix, 27 : *Castigo corpus meum, et in servitutem redigo,* etc.

15 « *Si dicebam.* » Hic est secundum, scilicet hæsitatio et revocatio sui a desperatione, et hoc per duo : per inconveniens quod inde sequitur, et exspectationem veritatis cognoscendæ. Duo ergo confitetur hic. Primo, quod hæc docendo quæ præmisit, Sanctorum doctrinam reprobat. Secundo, quod tandem, etsi cum labore, se veritatem cogniturum sperat, ibi, « *Existimabam.* »

In prima duo. Primo, se dicturum præcedentia supponit. Secundo, inconveniens quod inde sequitur, subjungit, ibi, « *Ecce nationem.* »

Dicit ergo : Sic dixi apud me, quod pro nihilo laborabam, et totum perdebam, sed « *dicebam in corde meo,* » mecum loquens et conferens primo ad limam sermonem, quam ad liguam ponens, si « *narrabo sic* » aliis, quod Deus hæc inferiora non curat, nec est spes servientibus illi, asserens illud Malach. iii, 14 : *Vanus est qui servit Deo : et quod emolumentum, quia custodivimus præcepta ejus ?*

« *Ecce,* » in aperto et in promptu hæc dicendo, « *reprobavi nationem filiorum tuorum,* » sanctorum scilicet Patriarcharum, et Prophetarum, qui oppositum docuerunt, quod est inconveniens magnum tam bonæ nationi contradicere. Hæc est enim illa, de qua Eccli. iii, 1 : *Filii sapientiæ, Ecclesia justorum : et natio illorum, obedientia et dilectio.* Hæ sunt enim nationes sanabiles a culpis et pœnis, de quibus Sap. i, 14 : *Deus... sanabiles fecit nationes orbis terrarum.* Sed malæ non sic. Sapient. iii, 19 : *Nationis iniquæ diræ sunt consummationes.* Si ergo hæc dico, ipse me ore meo condemno. Job, xv, 6 : *Condemnabit te os tuum, et non ego.* Sed hoc dico et narro, si tantum in hac vita sperantes sumus in Christo. Dicit enim Paulus, I ad Cor. xv, 19 : *Miserabiliores sumus omnibus hominibus.*

« *Existimabam ut cognoscerem.* » Hic 16
secundum, in quo subjungitur spes de cognoscenda veritate aliquando, etsi cum labore : et tanguntur tria. Primo, confidentia de cognoscenda veritate. Secundo, pœna in cognoscendo, vel inquirendo, ibi, « *Hic labor est.* » Tertio, mensura pœnæ in durando, quia si in hac vita, non tamen in alia, ibi, « *Donec intrem.* »

Dicit ergo : Sic videbam inconveniens sequens, si illud ponerem, et tunc « *existimabam,* » ut tandem cognoscerem, id est, cognoscere possem hujus rei veritatem, et causam quare prosperantur mali, et affliguntur boni.

Quæstio laboriosa quare provenit impiis prosperitas.

Sed hic est « *labor,* » laboriosa quæstio, et investigatio, « *ante me,* » ante oculos cordis mei. Eccle. vii, 24 et 25 : *Dixi : Sapiens efficiar : et ipsa longius recessit a me... Alta profunditas, quis inveniet eam ?* Et i, 17 : *Dedi cor meum ut scirem prudentiam atque doctrinam...: et agnovi, quod in his quoque esset labor, et afflictio spiritus.* Ad Roman. xi 33 : *O altitudo divitiarum sapientiæ, et scientiæ Dei !* Vel, « *labor est ante me,* » id est, quantum ad ea quæ ante me sunt, quæ mihi sunt præsentia, et quæ video in mundo fieri. Hæc enim si considero, numquam ab hac quæstione me expedio, Eccli. xxxiv, 2 : *Quasi qui apprehendit umbram, et persequitur ventum : sic et qui attendit ad visa mendacia.* Vel, « *la-*

bor est ante me. » Quasi diceret : Non ante Deum : Deus enim potest mihi dare hujus rei cognitionem, non ego mihi acquirere per meipsum. Cassiodorus : « Quis molem istam ignorantiæ, nisi per « gratiam possit divinitatis irrumpere ? » Quasi diceret : Nullus. Augustinus : « Esto ante Deum, et non erit labor. »

17 « *Donec intrem in sanctuarium.* » Hic secundum in quo monstratur pœnæ duratio, et intelligentiæ hujus rei plenitudo. Duo ergo tanguntur. Primo, terminus laboris in inquirendo. Secundo, cognitio veritatis, et ratio etiam cognoscendi, ibi, « *Et intelligam in novissimis.* »

Dicit ergo : Sic ante me labor est hoc investigare, et hoc, « *donec intrem in sanctuarium Dei,* » id est, ad sanctuarium Dei, Christum scilicet mente attingam et cogitatione. Ipse enim sanctuarium pretiosum, ad quod qui intrat, haurit sapientiam : quippe Apostolus dicit ad Coloss. II, 3 : *In quo*, scilicet in Christo, *sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi.* Ipse Sanctus sanctorum. Sicut habetur Dan. IX, 17, antiquitus cum summus sacerdos intrabat in sancta sanctorum, veritates ei multæ revelabantur. Exod. XXXIII, 9 : *Ingresso illo*, scilicet Moyse, *tabernaculum fœderis,... loquebatur Dominus cum eo.*

Variis gradibus itur ad Deum. Et nota, quod in hoc sanctuarium intratur primo per peccati confessionem humilem, et venitur quasi ad portam, Psal. XCIX, 4 : *Introite portas ejus in confessione.* Postea ulterius proceditur per innocentiam baptismalem, Psal. XXV, 1 : *Ego autem in innocentia mea ingressus sum.* Sed jam usque ad ipsum per Eucharistiæ sumptionem, Psal. XLII, 4 : *Introibo ad altare Dei*, etc. Post usque ante ipsum per contemplationem, Psal. XCIX, 2 : *Introite in conspectu ejus in exsultatione*, et hic. Sed tandem in ipsum usque ad intima, per gloriæ adeptionem, Matth. XXV, 23 : *Intra in gaudium Domini tui.* Et rursus, ibidem, ỳ. 10 : *Quæ paratæ erant, intraverunt cum eo ad nuptias.*

Vel sanctuarium dicitur divinæ dispensationis sanctum secretum, vel lex divinorum eloquiorum, quam qui diligenter attendit, intelligit quod non sine ratione ita sit.

« *Et intelligam.* » Quasi diceret : Usquequo intrem in sanctuarium, in labore sum : « *et* » tunc cum intravero, « *intelligam in novissimis eorum,* » quid futurum sit de eis, et ad quem finem venient.

Vel sic : « *Donec intrem in sanctuarium,* » per gloriæ adeptionem, sum in hoc labore : « *et* » tunc cum introiero, « *in novissimis eorum* » visis et intellectis, « *intelligam* » veritatem de duobus præmissis. Qui enim bene attenderet novissima malorum, bene intelligeret quod prosperantur ad malum. Deuter. XXXII, 29 : *Utinam saperent, et intelligerent, ac novissima prævidérent!* Jerem. XVII, 11 : *Et in novissimo suo erit insipiens.*

« *Verumtamen propter dolos.* » Hic tertium hujus partis, in quo ostendit quid in se secutum sit, scilicet veritatis agnitio : et dicuntur duo. Primo, quod ad illorum miseriam datur malis prosperitas. Secundo, quod propter culpam, ibi, « *Quia inflammatum est.* » 18

Vel aliter : in primo ostenditur cognitio veritatis, quantum ad male prosperantes. Secundo, quantum ad seipsum.

In prima duo. Primo, quod propter mala etiam in præsenti superventura datur eis prosperitas in rebus. Secundo, quod propter futura, ibi, « *Quomodo facti sunt ?* »

In prima duo. Primo, quod propter mala superventura datur eis prosperitas in rebus. Secundo, quod propter hoc ipsum sublimitas in honoribus, ibi, « *Dejecisti eos.* »

Dicit ergo : Sic erravi, postea hæsitavi, reduci incipiens ad veritatem, et dicens in me, nunc : « *Verumtamen posui-*

sti eos, » in promptu, ut satis accipiant ista temporalia : et hoc « *propter dolos eorum,* » quos faciunt aliis, et ut dolos patiantur, qui accipiunt temporalia pro æternis. Et hoc justissimum. Sapient. XI, 17 : *Per quæ peccat quis, per hæc et torquetur.* Dolum faciunt, et dolum patiuntur. Dolum faciunt, Daniel. VIII, 25 : *Dirigetur dolus in manu ejus.* Dolum patiuntur, quia a creatura alliciuntur et capiuntur. Sapient. XIV, 11 : *Craturæ Dei in odium factæ sunt, et in tentationem animabus hominum, et in muscipulam pedibus,* hoc est, affectibus, *insipientium.* Et nota, quod dicit : « *Posuisti :* » hæc enim est falsa positio, quia cito dicitur eis, *Cedat tempus* : contraria enim est positioni, qua positus est Christus. Primo in limo, quando naturam assumpsit nostram scilicet in conceptione, de qua in Psal. LXXXVIII, 18 : *Et ego primogenitum ponam illum.* Psal. LXVIII, 3 : *Infixus sum in limo profundi.* Secundo, in præsepio. Luc. II, 12 : *Invenietis infantem pannis involutum, et positum in præsepio.* Et tandem in patibulo. Num. XXI, 9 : Serpens æneus positus fuit in palo [1]. Et in sepulchro. Matth. XXVIII, 6 : *Ecce locus ubi posuerunt eum.* In prima exinanitio et vilitas, quia formam servi accepit. In secunda paupertas. In tertia asperitas.

Decepti ergo sunt qui in honoribus et divitiis et deliciis ponuntur, maxime propter dolos vel advocatorum falsorum, vel male eligentium. Luc. II, 34 : *Ecce positus est hic in ruinam.*

Nota etiam, quod Dominus dat temporalia ad alliciendum, sicut dabat Judæis. Isa. I, 19 : *Si volueritis, et audieritis, bona terræ comedetis.* Aliquando ad solatium, sicut dat suis. Cantic. II, 6 : *Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me.* Aliquando ad damnationem recto et æquo judicio, sicut dat reprobis, sicut hic.

« *Dejecisti eos.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic data est eis ad malum rerum prosperitas. Et etiam « *dum allevarentur* » in honoribus, « *dejecisti eos,* » eo ipso. Job, XXX, 22 : *Elevasti me, et quasi super ventum ponens, allisisti me valide.* Psal. CI, 11 : *Elevans allisisti me.* Job, XXIV, 24 : *Elevati sunt ad modicum, et non subsistent.* Dejecit autem primo de dignitate in vilitatem, vel ad minus ad mortem. Isa. XXII, 19 : *Expellam te de statione tua.* Et post in gehennæ ignem. Psal. CXXXIX, 11 : *In ignem dejicies eos.*

Quare bona temporalia dantur malis?

19 « *Quomodo facti sunt.* » Hic est secundum, in quo ostenditur, quod propter futura mala dantur eis bona : et dicuntur quatuor. Primum, tangitur malum futurum in ipsa morte. Secundo, post mortem, ibi, « *Perierunt.* » Tertio, probatur primum, ibi, « *Velut somnium.* » Quarto, secundum, ibi, « *In civitate tua.* »

In prima duo. Primo, admirativa quæstio de desolatione mortis. Secundo, responsio illi quæstioni, ibi, « *Subito deficient.* »

Dicit ergo : Sic dedisti eis temporalia ut ipsos decipias, et elevasti ut dejicias, sed etiam, « *Quomodo facti sunt in desolationem* » mortis scilicet. Jerem. XXX, 38 : *Facta est terra in desolationem a facie iræ columbæ.* Qui prius hic habebant suam consolationem. Luc. VI, 24 : *Væ vobis divitibus, quia habetis hic consolationem vestram:* quia cito eritis in desolationem. Thren. I, 2 : *Non est qui consoletur eam ex omnibus charis ejus.* Ezech. XXXV, 3 : *Ecce ego ad te mons Seir,* scilicet pestifer,... *dabo te desolatum atque desertum.*

« *Subito defecerunt.* » Ecce responsio. Quasi diceret : Quæris quomodo desolati ? Respondeo, « *Subito defecerunt,* » quando in majori se credebant prosperitate. Job, V, 3 : *Ego vidi stultum firma radice,* supple, ut credebatur, *et maledixi*

[1] Num. XXI, 9 : *Fecit Moyses serpentem æneum, et posuit eum pro signo.*

pulchritudini ejus statim. Et xxi, 13 : *Ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt.* Cito ergo deficiunt. Habac. ii, 13 : *Laborabunt gentes in vacuum, et deficient*, et cito, quia in Psal. xxxvi, 20 : *Deficientes quemadmodum fumus deficient.*

« *Perierunt.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic defecerunt in morte, et etiam « *perierunt,* » hoc est, peribunt æternaliter. Et hoc « *propter iniquitatem suam,* » non propter Dei sævitiam. Job, vi, 17 : *Tempore quo fuerint dissipati, peribunt.* Baruch, iii, 28 : *Interierunt propter suam insipientiam.* Omnis enim iniquus stultus. Eccli. x, 13 : *Cum morietur homo, hæreditabit serpentes, et bestias, et vermes.*

bra. Quarto, quia somniantis elatio. Eccli. xxxiv, 1 : *Somnia extallunt imprudentes.* I ad Timoth. vi, 17 : *Divitibus hujus sæculi præcipe non altum sapere.* Quinto, quia quædam futurorum prænuntiatio : ita illæ prænuntiant futurum interitum æternum. Gregorius : « Continuus successus temporalium, certissimum est reprobationis indicium. » Sexto, quia per oppositum debet esse somnii expositio. Luc. vi, 25 : *Væ vobis, qui saturati estis : quia esurietis. Væ vobis, qui ridetis nunc : quia lugebitis et flebitis*, et hujusmodi. Luc. xvi, 25, exponit hoc modo Abraham somnium purpurati, et epulantis : *Fili, recordare quia recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala : nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris.*

« *Velut somnium surgentium.* » Hic
20 probat primum per similitudinem somnii. Quasi diceret : Vere dixi, quod subito defecerunt, quia, o Domine, defecerunt « *velut somnium surgentium* » de somno. Job, xx, 8 : *Velut somnium avolans non invenietur, transiet sicut visio nocturna.* Alia littera : « Velut sumno, » id est, a somno « exsurgentes, » qui totum, quidquid somniabant, amittunt. Sic dives omnia sua, quasi quædam somnia deserit. Job, xxvii, 19 : *Dives cum dormierit, nihil secum auferet.* Eccli. xxxiv, 7 : *Multos errare fecerunt somnia.*

Temporalis prosperitas somnio comparatur.

Et nota hic, quod divitiæ et temporalis prosperitas somnio comparantur. Primo, quia multa cura et sollicitudo concomitatur somnia : in stultis sic divitias. Eccle. v, 2 : *Multas curas sequuntur somnia :* propter quod dicitur : « Somnia ne cures, » Secundo quia sequitur ea multa deceptio : sicut illi de quibus, Isa. XXIX, 8 : *Sicut somniat esuriens et comedit, cum autem fuerit expergefactus, vacua est anima ejus*, sic erit multitudo omnium gentium. Tertio, quia velox desitio : somnium enim modo est, modo non est. Sic divitiæ. Sap. v, 9 : *Transierunt omnia illa tamquam um-*

« *Et in civitate tua.* » Hic probat secundum, scilicet quod peribunt.

Homines diversorum animalium speciem præ se ferunt.

Dicit enim : Sic dixi, quod peribunt, et vere hoc dixi, quia « *in civitate tua,* » Jerusalem scilicet cœlesti constituenda de bonis et justis, « *rediges imaginem ipsorum,* » effigiem vitio acquisitam, « *ad nihilum,* » a te, qui vere es, elongando, et projiciendo in æternum. Alius enim accipit imaginem leonis per superbiam et crudelitatem. Ezech. xix, 3 : *Leo factus est, didicit capere prædam, hominemque comedere.* Alius, vulpis per dolositatem. Luc. xiii, 32 : *Dicite vulpi illi.* Matth. viii, 20 : *Vulpes foveas habent, et volucres cœli nidos.* Alius, reptilis per cupiditatem terrenorum. Ezech. viii, 8 et seq. : *Fode parietem... Et dixit ad me : Ingredere, et vide abominationes pessimas... Et ingressus vidi, et ecce omnis similitudo reptilium.* In hoc enim vitio fere omnes sunt. Alius, struthionis per hypocrisim, et simulationem. Thren. iv, 3 : *Filia populi mei quasi struthio in deserto,* quæ assimilatur herodio, et accipitri, non tamen est. Job, xxxix, 13 : *Penna struthionis similis est pennis herodii, et accipitris.* Alius, canis vel porci per gulam, et luxuriam. II Pet. ii, 22 : *Canis reversus*

ad suum vomitum: et, Sus lota, inv olutabro luti. Alius, rhinocerotis per inobedientiam. Job, XXXIX, 9 et 10 : *Numquid volet rhinoceros servire tibi, aut morabitur ad præsepe tuum ? Numquid alligabis rhinocerota ad arandum loro tuo ?* Quasi diceret : Non.

Imago etiam potest appellari temporalium gloria, quæ ad nihilum deveniet. Proverb. XXXI, 30 : *Fallax gratia, et vana est pulchritudo.* Alia littera : « Fallax imago, et iniqua pulchritudo. » Vel, imago hæresis. Ezech. XVI, 17 : *Fecisti tibi imagines masculinas, et fornicata es in eis.* Sed istæ in civitate præsentis Ecclesiæ et futuræ ad nihilum redigentur.

21 « *Quia inflammatum est.* » Hic secundum. Postquam enim ostendit datam esse reprobis prosperitatem, ut inde ruant in miseriam et pœnam, ostendit etiam, quod digni sunt ut ruant in illam, quia præstant aliis scandalum et ruinam, ponens exemplum in seipso : et dicuntur duo. Primo, quod a malis prosperantibus occasio ruinæ sibi data fuerit. Secundo, quod tamen a Deo adjutus sit, ibi, « *Tenuisti manum.* »

In prima duo. Primo, occcasio ruinæ in culpam, quod respicit ad affectum. Secundo, in ignorantiam, quod respicit ad adspectum, ibi, « *Et nescivi.* »

In prima tria secundum triplicem culpam, in quam inductum se dicit. Primo, quod in invidiam. Secundo, quod in inconstantiam, ibi, « *Et renes.* » Tertio, quod in terrenorum immoderatum amorem, ibi, « *Et ego ad nihilum.* »

Dicit ergo : Sic dat eis prosperitatem ut post affligantur. Et digni sunt propter eorum vitam et exemplum quod ab eis accepi. « *Cor meum inflammatum est,* » invidia, quæ ignis est. Supra, in Psal. LVII, 9 : *Supercecidit ignis, et non viderunt solem.* Et Job, I, 16 : *Ignis Dei cecidit e cœlo,* invidia de sacerdotum et Pharisæorum collegio : *et tactas oves puerosque,* simplices, *consumpsit.* Et alibi, in Psal. CV, 18 : *Exarsit ignis in synagoga eorum,* peccatorum scilicet, *flamma combussit peccatores.*

« *Et renes mei,* » quibus stat erectus homo, « *commutati sunt,* » a stabilitate sua, et instabilis factus sum. Ecce instabilitas. Psal. CVIII, 10 : *Nutantes transferantur filii ejus, et mendicent,* illa mendicitate de qua Matth. XXV, 8 : *Date nobis de oleo vestro.* Et Luc. XVI, 24 : *Mitte Lazarum ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam.*

« *Et ego ad nihilum redactus sum,* » 22
per temporalium inordinatum amorem : terrena enim nihil sunt. Jerem. IV, 23 : *Adspexi terram, et ecce vacua erat.* « *Ad nihilum :* » sic Augustinus dicit, quod « efficeris illud quod diligis. » Job, XXX, 15 : *Redactus sum in nihilum : abstulisti quasi ventus desiderium meum.*

« *Et nescivi.* » Hic ostendit se inductum in ignorantiam vehementem, non tamen in infidelitatem. Unde primo, quod in ignorantiam inductus fuit. Secundo, quod non in idololatriam, ibi, « *Et ego semper tecum.* »

Et primo supponit duo. Primo, quod in ignorantiam redactus sit. Secundo, ostendit ignorantiæ vehementiam, ibi, « *Ut jumentum.* »

Dicit ergo : Sic invidus, instabilis fui, terrena inordinate dilexi, « *et nescivi,* » quod periculosius fuit me peccare, supple, et errare. Osee, VII, 9 : *Comederunt alieni robur ejus, et ipse nescivit.*

« *Ut jumentum.* » Ecce secundum. 23
Quasi diceret : Sic ignoravi, et vehementer, quia « *factus sum ut jumentum,* » quod valde insanum est et stolidum, et portat onera bona et mala : sic ego æqualiter onera diaboli ut Dei, contra illud Psal. XXXI, 8 : *Nolite fieri sicut equus et mulus, quibus non est intellectus.* Et hoc

« *apud te*, » qui recte judicas, etsi non apud homines, qui magnam putant sapientiam terrenis abundare. I ad Cor. III, 19 : *Sapientia hujus mundi stultitia est apud Deum.*

« *Et ego semper tecum.* » Ecce secundum, in quo ostendit se nihilominus non inductum ad idololatriam. Quasi diceret : Sic peccavi adhærendo terrenis, et ignorans miser fui, « *Et ego tamen semper tecum* » fui, o Deus, fide informi, ut non crederem idolis, sed sperarem etiam ista omnia a te. Osee, VII, 13 : *Væ eis, quoniam recesserunt a me,* facti infideles. Et nota etiam aliam lecturam in Glossa, secundum quod legitur in malo.

In bono etiam potest legi totum hoc sic : Ita ad nihilum rediges impios, sed me non, quia « *cor meum inflammatum est.* » Primo, igne charitatis, sicut illorum qui dicebant, Luc. XXIV, 32 : *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis,* de Jesu, *dum loqueretur in via ?* Thren. I, 13 : *De excelso misit ignem in ossibus meis.* Igne prædicationis. Jerem. XXIII, 29 : *Numquid non verba mea sunt quasi ignis, et quasi malleus conterens petram.* Psal. CXVIII, 140 : *Ignitum eloquium tuum vehementer,* etc. Item, eloquium Domini inflammavit eum igne sanctæ meditationis. Supra, in Psal. XXXVIII, 4 : *Concaluit cor meum intra me, et in meditatione mea exardescet ignis.* Per Eucharistiæ sumptionem : « Sumimus enim ignitum carbonem, » sicut dicit Damascenus, et Chrysostomus dicit : « Quo- « modo potest spirare, quod in altari su- « mitur nisi ignem ? Hic est ignis, qui « semper ardet in altari [1]. Qui ardet dul- « citer, dulcescit mirabiliter, et sapit de- « lectabiliter indutus pallio zeli [2]. » Per præmii æterni prægustationem. Augustinus : « Gustavi et ad horam, et adhæ- « sit spiritus meus in pacem ejus qui erit « pax mea cum ei plene inhæsero. » « *Et renes mei,* » interiores scilicet voluntates, « *commutati sunt,* » in sincerissimam castitatem. Psal. LXXVI, 11 : *Hæc mutatio dexteræ Excelsi.* Sap. VIII, 21 : *Scivi, quia aliter non possum esse continens, nisi Deus dederit.* « *Et nescivi* » per verissimam humilitatem. Job, XXXI, 26 : *Si vidi solem, cum fulgeret, et lunam incedentem clare.* Gregorius : « Sancti sua « bona non vident, quæ aliis videnda « publicant. » « *Ut jumentum factus sum apud te,* » per obedientiam integram et perfectam. Genes. XLIX, 14 et 15 : *Issachar asinus fortis accubans inter terminos. Vidit requiem,* etc. Et XLIII, 11, Filii Jacob duxerunt ad Joseph camelos aromatibus oneraros. Non apud diabolum, sicut illi de quibus Paulus, I ad Corinth. XII, 2 : *Ad simulacra muta prout ducebamini euntes.* « *Et ego semper tecum* » fui per perseverantiam, non sicut illi de quibus Luc. VIII, 13 : *Ad tempus credunt, et in tempore tentationis recedunt :* sed sicut ille qui dicit, ad Rom. VIII, 38 et 39 : *Certus sum quia neque mors, neque vita,... neque creatura alia poterit nos separare a charitate quæ est in Christo Jesu Domino nostro.*

« *Tenuisti manum.* » Hic secundum, 24
quantum ad primam lecturam, in quo postquam ostendit quod scandalum a malis passus fuit, monstrat quod a Deo adjutus fuit : et tanguntur tria triplici gratiæ respondentia. Primum est elevatio a culpa secundum gratiam prævenientem vel operantem. Secundum, promotio in operatione bona per gratiam concomitantem vel cooperantem, ibi, « *Et in voluntate.* » Tertium, consummatio in gloria, per gratiam subsequentem, vel consummantem, ibi, « *Et cum gloria suscepisti me.* »

Dicit ergo : Sic inductus fui in ignorantiam et culpam, sed tu non dereliquisti me : imo « *tenuisti manum dexte-*

[1] Cf. Levit. VI, 9 : *Hæc est lex holocausti : Cremabitur in altari tota nocte usque mane.*

[2] Cf. Isa. LIX, 17 : *Indutus est justitia ut lorica,... et opertus est quasi pallio zeli.*

ram meam, » me a culpa elevando. Isa. XLI, 13 : *Ego Dominus Deus tuus apprehendens manum tuam.* Matth. XIV, 31 : *Apprehendit eum,* scilicet Petrum pene submersum, *et ait illi,* etc. Aliter enim nihil potuissem. Joan. XV, 5 : *Sine me nihil potestis facere,* nec exire etiam a peccato : sum enim spiritus vadens et non rediens.

« *Et in voluntate tua deduxisti me,* » de una bona operatione in aliam. Psal. LX, 3 : *Deduxisti me, quia factus es spes mea.* Et alibi, Psal. CXLII, 10 : *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.* Isa. LXIII, 14 : *Spiritus Domini ductor ejus fuit.* Et hoc « *in voluntate tua,* » ex gratia, non ex necessitate, aut coactione. Jacob. I, 18 : *Voluntarie enim genuit nos Deus verbo veritatis.* Deut. VIII, 14 et 15 : *Eduxit te de terra Ægypti,... et ductor tuus fuit in solitudine.*

Et tandem « *cum gloria suscepisti me,* » in gloriosa scilicet unione cum persona Filii. Vel, « *cum gloria,* » ad litteram, « *suscepisti me,* » nunc in spe, tandem suscepturus in re. Psal. XC, 15 : *Eripiam eum, et glorificabo eum.* Luc. XIV, 10 : *Tunc erit tibi gloria coram simul discumbentibus* : qui fuisti ingloriosus et humilis cum pœnitentibus. Proverb. XV, 33 : *Gloriam præcedit humilitas.* Et XXIX, 23 : *Humilem spiritu suscipiet gloria.* Job, XXII, 29 : *Qui enim humiliatus fuerit, erit in gloria.*

25 *Tertia pars Psalmi.*

« *Quid enim mihi est in cœlo ?* » Hic est tertia pars secundum divisionem a principio Psalmi factam totius hujus Psalmi, quarta secundum Glossam. Ostensa enim divina bonitate, et expressa humana infirmitate, quæ scandalizatur in malorum prosperitate, hic arguitur humana cupiditas, quæ bonis æternis omissis, servit Deo pro temporali remuneratione. Duo ergo dicuntur. Primo, cupiditatem suam arguit. Secundo, arguendam ostendit, ibi, « *Quia qui elongant se a te.* »

In prima duo. Primo, arguit perversam cupiditatem. Secundo, ostendit se illam evasisse, ne quis credat eum hæc dicere, quia sit in illo, ibi, « *Defecit caro.* »

In prima duo. Primo, admiratio de præmii magnitudine, quod sit a Deo præparatum. Secundo, redargutio sui de cupiditate terrenorum, ibi, « *Et a te quid volui.* »

Dicit ergo : In gloria me suscipies in re, jam susceptum spe, et vere in gloria. « *Enim,* » id est, quia, « *quid mihi est in cœlo ?* » quantum præmium, quam immensum, quam mirabile ! Quare ? Quia tu ipse es illud. Genes. XV, 1 : *Ego sum merces tua magna nimis.* Quid ergo est mihi in cœlo promissum ? Ad Galat. III, 16 : *Abrahæ dictæ sunt promissiones, et semini ejus.* Quid repromissum ? Jacob. I, 12 : *Beatus vir qui suffert tentationem : quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se.* Quid præparatum ? Isa. LXIV, 14 : *Oculus non vidit, Deus absque te, quæ præparasti exspectantibus te*[1] ? Quid oblatum ? Ad Hebr. XII, 7 : *In disciplina perseverate. Tamquam filiis vobis offert se Deus.* Quid repositum ? I ad Timoth. IV, 8 : *Reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi in illa die,* etc. Quid conservatum ? I Petr. I, 3 et 4 : *Benedictus Deus... qui regeneravit nos... in hæreditatem incorruptibilem, et incontaminatam, immarcescibilem, conservatam in cœlis in vobis.* *Præmium fidelibus propositum.*

« *Et a te.* » Hic arguit se. Quasi diceret : Tantum bonum expecto. Ergo « *quid volui a te super terram ?* » Quasi diceret : Stultus fui, quia hoc nihil est, comparatione ad illud quod in cœlo est. Gregorius : « Si consideremus quæ et quan-« ta sunt, quæ promittuntur nobis in « cœlo, vilescunt animo omnia quæ ha-« bentur in terris. » Vilescunt omnia, de-

[1] Cf. I ad Corinth. II, 9.

serit habita, dispergit congregata, in cœlestibus inardescit animus, nihil in terris libet, conspicitur deforme quidquid de terrenæ rei placebat specie, quia sola pretiosæ margaritæ claritas fulget in mente.

26 *Defecit caro.* Hic secundum, in quo ostendit, quod ad statum præcedentem referendum sit quod dictum est : quia jam evasit : unde redarguit. Ostendit autem hoc ex duobus : ex aversione a terrenis desideriis corpore et mente. Secundo, ex conversione sui ad Deum, ibi, *Deus cordis.* »

Dicit ergo : Dixi quod stulte volui, sed nunc non est sic : imo « *defecit caro mea,* » carnales scilicet operationes exterius, « *et cor meum,* » malæ interius affectiones, et cogitationes. Job, XXXIV, 14 et 15 : *Si direxerit ad eum,* scilicet Deum, *cor suum, spiritum illius et flatum ad se trahet. Deficiet omnis caro simul,* etc. Quippe Gregorius dicit, quod « prægustato spiritu desipit omnis caro. » Gregorius : « Sicut mors corpus interi« mit : sic ab amore temporalium æter« næ vitæ claritas occidit. »

« *Deus cordis mei.* » Hic secundum, conversio scilicet sui ad Deum : et tanguntur duo. Primo, conversio ad Deum per amorem. Secundo, fortis adæsio, et singularis per constantiam, ibi, « *Et pars mea.*

Dicit ergo : Sic defecit et carnalis operatio, et voluntas in me. Et « *Deus* est *cordis mei* » possessor, sicut amans possidet illud quod amat. Ecce conversio ad Deum et possessio, quia amat me, et infundit se cordi meo. Ergo, « *cordis mei,* » non ventris, non carnis. Bernardus : « In secreto cordis vult amari « Christus, in medullis cordis amoris ac« cipit holocaustum. » *Deus cordis mei* » quæsitor et desiderator. Aliud non quærit Deus et sufficit ei. Prov. XXIII, 26 : *Præbe fili mi, cor tuum mihi.* Cant. VIII, 6 : *Pone me ut signaculum super cor tuum.* Augustinus : « Da mihi cor tuum, da « mihi totum : et loquitur in persona « Christi. » « *Deus cordis mei,* » qui es salus, laus, gloria, splendor, princeps, lumen, gaudium, pretium, sponsus, jubilatio, veritas, charitas, dulcedo, pax, præmium, et vita. Chrysostomus : « Quid« quid volueris, ego sum. »

« *Et pars mea, Deus,* » non ad tempus, sed « *in æternum,* » Bonam tibi partem elegisti. Luc. x, 42 : *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea* in æternum. Psal. XV, 5 : *Dominus pars hæreditatis meæ, tu es* etc. Thren. III, 24 : *Pars mea Dominus, dixit anima mea.* Ezechiel. XLIV, 28 : *Non erit eis,* scilicet Levitis, *hæreditas, ego hæreditas eorum : et possessionem non dabitis eis in Israel, ego enim possessio eorum* [1].

« *Quia ecce qui elongant se.* » Hic secundum, scilicet probatio, quod bene fuit arguendus : et hoc probat ex damno separantium se a Deo propter appetitum terrenorum, et fructu adhærentium ipsi, ibi, « *Mihi autem adhærere Deo bonum est.* » 27

In prima duo. Primo, ostendit damnum avertentium se a Deo. Secundo, adhærentium creaturæ, ibi, « *Perdidisti omnes.* »

Dicit ergo : Sic converti me ad te, et debui, quia qui « *elongant se,* » per peccatum, « *a te.* » Aliter enim non elongatur quis. Isa. LIX, 2 : *Iniquitates vestræ diviserunt inter vos et Deum vestrum.* Prov. XV, 29 : *Longe est Dominus ab impiis.* Job, XXI, 14 : *Qui dixerunt Deo : Recede a nobis, et scientiam viarum tuarum nolumus.* Jerem. II, 5 : *Quid invenerunt patres vestri in me iniquitatis, quia elongaverunt a me ?* sicut filius prodigus, qui abiit in regionem longinquam [2]. Tales, inquam, « *peribunt* » alienati a vita, quæ

[1] Cf. Deuter. x, 9 et XVIII, 1 ; Num. XVIII, 20.

[2] Cf. Luc. XV, 13.

Deus est. Job, v, 4 : *Longe fient filii ejus a salute, et conterentur in porta, et non erit non qui eruat.*

« *Perdidisti,* » præteritum pro futuro, id est, perdes. Vel, perdidisti jam in tua prævisione, « *omnes qui fornicantur,* » in fornicatione permanent spirituali, non solum litterali, « *abs te,* » id est, sine te supple, facti. Osee, v, 4 : *Non dabunt cogitationes suas, ut revertantur ad Deum suum : quia spiritus fornicationis in medio eorum.*

Quadruplex fornicatio.

Et nota, quod est fornicatio corporalis mala, et hæc est triplex. Petulantiæ et curiositatis sensuum, quando non refrænantur. Num. xv, 39 : *Nec sequantur cogitationes suas, et oculos per res varias fornicantes.* Ex hac nascitur secunda, scilicet fornicatio concupiscentiæ interioris. Hieronymus : « Væ nobis quia toties for« nicamur, quoties concupiscimus. » Et ex his duabus sequitur tertia fornicatio in exteriori opere carnali, de qua II ad Corinth. vi, 18 : *Fugite fornicationem.* Ad Hebr. xiii, 14 : *Fornicatores et adulteros judicabit Deus.* Ex his ulterius caditur aliquando in quartam speciem, scilicet fornicationem idololatriæ, quæ est pessima. Sap. xiv, 12 : *Initium fornicationis est exquisitio idolorum, et adinventio ipsorum.*

28 « *Mihi autem adhærere.* » Hic secundum, in quo ostenditur per fructum Deo adhærentium : et dicuntur duo. Primo, fructus adhærentium per rem in futuro. Secundo, per spem in præsenti, ibi, « *Ponere in Deo.* »

Fructus ex adhæsione ad Deum.

Dicit ergo : Debui converti ad te, ne damnum præmissum incurrerem. Et etiam, « *bonum est mihi adhærere Deo,* » tamquam sponso dulcissimo. Genes. ii, 24 : *Quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem, et adhærebit uxori suæ.* Et simili lege sponsa patrem relinquet et matrem, et adhærebit sponso suo, tamquam amico fidelissimo. Psal. lxii, 9 : *Adhæsit anima mea post te :* ut tota conglutinetur tibi per charitatem. I Reg. xviii, 1 : *Anima Jonathæ conglutinata est animæ David.* Deuteron. x, 15 : *Patribus tuis conglutinatus est Dominus, et amavit eos.* Tamquam Regi potentissimo. Psal. xxiv, 21 : *Innocentes et recti adhæresunt mihi : quia sustinui te.*

Et hoc valde bonum : quia sibi adhærentes illuminat : quippe in Psal. xxxiii, 6, dicitur : *Accedite ad eum, et illuminamini.* Multo ergo fortius adhærentes et illuminatos ad se magis trahit. Cant. i, 3 : *Trahe me : post te curremus in odorem,* etc. Glossa : « Non trahitur nisi qui adhæret. » Tractos unit sibi. I ad Cor. vi, 17 : *Qui Domino adhæret, unus spiritus est.*

« *Ponere in Domino.* » Hic secundum, in quo dicuntur duo. Primo, quod sperabit. Secundo, subjungit sperandi causam, ibi, « *Ut annuntiem.* »

Quasi diceret : Sic bonum est adhærere in futuro, et modo, « *et ponere* » in præsenti, donec ad perfectam veniatur adhæsionem, « *spem meam in Domino.* » I Petr. v, 7 : *Omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis.* Eccli. ii, 11 : *Nullus speravit in Domino, et confusus est.* Jerem. xvii, 7 : *Benedictus vir, qui confidit in Domino, et erit Dominus fiducia ejus.* Et optime post adhæsionem subjungitur de spe : qui enim adhæret modis prædictis, hic sperare debet. Vel modo. Quod dicit Bernardus : « Adhærendum, « inquit, Deo funibus pudoris, clavis ti« moris, glutino charitatis. » Primum constringit fortiter et dure. Secundum, fortius et durius. Tertium, suaviter et secure.

« *Ut annuntiem omnes.* » Hic secundum, in quo subjungit causam spei : quia ad honorem Dei procurabit, ut primo quod modo debito. Secundo, quod loco debito, ibi, « *In portis.* »

Quomodo prædicandum ?

Dicit ergo : Bonum est mihi sperare, ita « *ut annuntiem omnes prædicationes tuas,* » non tantum quasdam, sicut multi. Notandum enim, quod prædicatio fit

ad docendum ignorantes, ad arguendum rebelles, ad corrigendum perversos, ad erudiendum et perficiendum bonos. Hoc est quod dicit Paulus ad Timoth. III, 16 : *Omnis doctrina divinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum.* Et ubi ? In publico, « *in portis filiæ Sion,* » id est, Jerusalem, per quas omnes transeunt, ut omnes audire possint. Deuteron. XVI, 18, præceptum erat, quod judices constituerentur in portis [1]. Argumentum, quod in publico est prædicandum, non in latebris. Joan. XVIII, 20 : *Ego palam locutus sum mundo,... et in occulto locutus sum nihil.* Isa. XLV, 19 : *Non in obscondito locutus sum, in loco terræ tenebroso.* Portæ etiam sunt Apostoli, in quibus prædicant, qui eorum doctrinæ se coaptant, et illos sequuntur. Hæ sunt portæ, de quibus Tob. XIII, 21 : *Portæ Jerusalem ex sapphiro, et smaragdo.* Et Apocal. XXI, 12, vidit Joannes portas duodecim in civitate Jerusalem. Oportet igitur in publico prædicare, et doctrinam Apostolorum sequendo, aliter non valet. Augustinus : « Prædicatio præter Ecclesiam « Dei mala est. » Qui sic prædicant, laudabuntur in portis, in judicio in quo erunt quasi duæ portæ : ingressus ad regnum, et ad infernum. Prov. XXXI, 31 : *Laudent eam in portis opera ejus.* Et sic introduci faciunt ad gloriam, ad quam nos perducat, etc.

PSALMUS LXXIII.

Oratio qua in populi et templi calamitate in auxilium appellatur Deus.

1. *Intellectus Asaph.*
Ut quid, Deus, repulisti in finem,
iratus est furor tuus super oves
pascuæ tuæ?
2. Memor esto congregationis tuæ,
quam possedisti ab initio.
Redemisti virgam hæreditatis tuæ,
mons Sion, in quo habitasti in
eo.
3. Leva manus tuas in superbias eorum in finem. Quanta malignatus est inimicus in sancto!
4. Et gloriati sunt qui oderunt te in
medio solemnitatis tuæ:
Posuerunt signa sua, signa :
5. Et non cognoverunt sicut in exitu
super summum.
Quasi in silva, lignorum securibus,
6. Exciderunt januas ejus in idipsum:
in securi et ascia dejecerunt
eam.
7. Incenderunt igni sanctuarium
tuum [2] : in terra polluerunt tabernaculum nominis tui.
8. Dixerunt in corde suo cognatio eorum simul : Quiescere faciamus
omnes dies festos Dei a terra.
9. Signa nostra non vidimus : jam
non est propheta : et nos non
cognoscet amplius.
10. Usquequo, Deus, improperabit inimicus? irritat adversarius nomen tuum in finem?
11. Ut quid avertis manum tuam, et
dexteram tuam de medio sinu
tuo in finem?
12. Deus autem rex noster ante sæcu-

[1] Deuter. XVI, 18 : *Judices et magistros constitues in omnibus portis tuis,* etc.

[2] IV Reg. XXV, 9.

la, operatus est salutem in medio terræ[1].

13. Tu confirmasti in virtute tua mare : contribulasti capita draconum in aquis.

14. Tu confregisti capita draconis : dedisti eum escam populis Æthiopum.

15. Tu dirupisti fontes et torrentes : tu siccasti fluvios Ethan.

16. Tuus est dies, et tua est nox : tu fabricatus es auroram et solem.

17. Tu fecisti omnes terminos terræ : æstatem et ver tu plasmasti ea.

18. Memor esto hujus, inimicus improperavit Domino, et populus insipiens incitavit nomen tuum.

19. Ne tradas bestiis animas confitentes tibi, et animas pauperum tuorum ne obliviscaris in finem.

20. Respice in testamentum tuum : quia repleti sunt qui obscurati sunt terræ domibus iniquitatum.

21. Ne avertatur humilis factus confusus : pauper et inops laudabunt nomen tuum.

22. Exsurge, Deus, judica causam tuam : memor esto improperiorum tuorum, eorum quæ ab insipiente sunt tota die.

23. Ne obliviscaris voces inimicorum tuorum. Superbia eorum qui te oderunt ascendit semper.

IN PSALMUM LXXIII

COMMENTARIUS.

1 *Intellectus Asaph*[2].

« *Ut quid, Deus, repulisti.* » Hic est Psalmus septuagesimus tertius in toto libro, in secunda parte vicesimus tertius. Argumentum Psalmi: Oratio pro conversione Judæorum.
Postquam enim in præcedenti ostendit non esse Deo serviendum pro temporalibus, sed magis pro æternis, et illum ritum veterem recessisse, per quod bonos in bono confirmavit : hic subjungitur pro malis obstinatis in Judaismo supplicatio, et ipsorum increpatio, ut tandem convertantur ad Christum salvatorem omnium, abjectis cæremonialibus. Et est ordo satis competens : quis enim nesciat, quod charitas debeat esse ordinata ? Asaph ergo

[1] Luc. I, 68.

[2] Deux catastrophes analogues, mais distantes l'une de l'autre de quatre siècles, ont pu inspirer la composition de ce *maskil* d'Asaph : la prise de Jérusalem par les armées de Nabuchodonosor, et l'expédition d'Antiochus Epiphane qui eut pour conséquences la ruine de la ville et la profanation du temple, I Mach. I, 30-67. Plusieurs commentateurs protestants, Delitzsch, Perowne, Jennings, et même quelques catholiques, Shegg, V. Steenkiste, Patrizi, croient que le psalmiste écrivait du temps des Machabées. Les principales raisons sur lesquelles ils s'appuient sont les suivantes : 1° Le psaume ne contient aucune allusion aux fautes des Juifs, ce qui convient bien au temps des Machabées, tandis que les écrits de la captivité sont plein d'aveux et de reproches ; 2° Antiochus était surtout armé contre le culte de Jéhova, et c'est à Dieu même qu'il s'attaque, ce que le psaume remarque nettement, ℣. 22, 23 : sous Nabuchodonosor, la guerre était purement politique ; 3° le ℣. 9, dit qu'il n'y avait plus de prophètes ; au temps de la captivité il n'en manquait pas, mais sous les Machabées la prophétie était plongée dans ce long silence qui dura depuis Malachie jusqu'à S. Jean-Baptiste ; 4° les ennemis placèrent leurs enseignes dans le temple, ℣. 4, ce qui peut s'entendre des idoles qu'Antiochus installa sur l'autel du Seigneur, I Mach. I, 57, tandis que rien de semblable n'est rapporté des Chaldéens ; 5° enfin le temple fut profané et les portes brûlées, Ibid. IV, 38, ce dont parle le psaume, ℣. 7. Toutes les raisons sont discutables et nous aurons l'occasion de les examiner. Mais pour certains rationalistes, il n'y a pas même l'ombre d'un doute à élever contre elles. « Ce psaume, dit Reuss dans son commentaire sur le Psautier, est au point de vue de la critique histori-

quod interpretatur *Synagoga* vel *collectio*, et non quolibet, sed bonorum de Judæis ad Christum conversorum, primo debuit seipsum confirmare : postmodum arguere malorum congregationem, et ei veritatem intellectam publicare, et pro ipsa orare. Cantic. II, 4 : *Ordinavit in me charitatem.*

Hujus autem Psalmi continentia exprimitur in generali et latenter in titulo qui talis est : « *Intellectus Asaph.* » Quasi diceret : In subjecto Psalmo, intellectus congregationis bonorum exprimitur, super miseros Judæos excæcatos cum recesserit umbra, et accesserit veritas. Apocal. XXI, 5 et 6 : *Prima abierunt... Ecce nova facio omnia.*

Dividitur autem Psalmus in tres partes, sicut hic vult etiam Glossa. Primo, describit obstinatorum Judæorum miseriam lamentando super illam, sicut facit in aliis duobus, scilicet in LXXVIII : *Deus, venerunt Gentes.* Et in CXXXVI : *Super flumina Babylonis.* In secunda, ostendit salutem in publico factam omnibus paratam ad Judæorum increpationem, ibi, « *Deus autem Rex noster.* » In tertia, petit salutem illam extendi usque ad gentem illam excæcatam, ibi, « *Memor esto hujus.* »

In prima tria. Primo, admirativa conquestio de illius populi repulsione. Secundo, excitatio Dei ad miserandum super illius populi afflictione, ibi, « *Memor esto congregationis.* » Tertio, imprecatio

que le plus important de tous, parce que, mieux qu'aucun autre, il prouve de la manière la plus irréfragable et la plus péremptoire que la collection des Cantiques de la Synagogue, telle que nous la possédons, contient des pièces composées à l'époque du soulèvement des Machabées, et que par conséquent l'opinion traditionnelle, qui attribue à Esdras la clôture du canon de l'Ancien Testament, repose sur une erreur. » La preuve est loin d'être irréfragable et péremptoire, comme l'étude du texte nous le démontrera ; ce qui est irréfragable et péremptoire, c'est que la haute critique a besoin de trouver la tradition en défaut, et que pour elle, affirmer solennellement, c'est toucher de si près à la démonstration que la différence est négligeable. Il n'est pas absolument certain, il est vrai, qu'Esdras ait fixé complètement le canon des Ecritures, ce qui permet à quelques catholiques d'admettre des psaumes contemporains des Machabées. Néanmoins, on ne peut guère douter que les cinq livres des Psaumes n'aient été clos quelque temps après le retour de la captivité. Il est dit, II Mach., II, 13, que Néhémie avait fait la collection des livres de David, ce qui paraît bien désigner le psautier ; I Mach., VII, 17, le Ps. LXXVIII est cité ; enfin le prologue de l'Ecclesiastique, qui suppose le canon fermé, est de l'an 230, selon l'opinion la plus probable. Aussi admet-on communément que tous les psaumes sont antérieurs aux Machabées, et ce n'est pas sur la foi de quelques passages explicables autrement, et de quelques critiques aussi aventureux que Hitzig, Lengerke, Olshausen, etc., qu'on a droit d'ébranler la tradition. Cf. Dict. of the Bible, Book of Psalms, II. Hengstenberg, Hupfeld, Riehm, Tholuck, Moll, et presque tous les catholiques, Le Hir, Thalhofer, etc., rapportent le psaume à l'invasion des Chaldéens, II Par., XXXVI, 19 ; Jer. LII, 13. Il y avait encore des Asaphites du temps d'Esdras, I Esdr., II, 41 ; III, 10, et de Néhémie, II Esdr., VII, 45 ; c'est un descendant du grand poète contemporain de David qui chante ici les malheurs de sa patrie. Il a assisté aux calamités qu'il décrit ; il est resté dans le pays, ℣. 20, pendant que la plupart de ses frères sont partis en captivité ; en face des idolâtres qui ne respectent rien, pas plus la demeure de Jéhova que celle du dernier Israélite, il est pénétré d'un saint zèle pour la majesté outragée du Seigneur, et s'il élève la voix, c'est moins pour se plaindre des traitements infligés à son peuple, qu'il sait très coupable, que pour rappeler à Dieu les intérêts de sa gloire. Cette pensée est prédominante dans le psaume : comment Jéhova, qui a donné tant de preuves éclatantes de sa puissance, se laisse-t-il dépouiller de son héritage et insulter par une horde impie ? Les mêmes scènes de désolation se reproduiront pendant l'invasion d'Antiochus Epiphane, quoique d'une manière plus transitoire et plus incomplète ; elles se renouvelleront surtout et sans remède au siège de la ville sainte par les Romains, événement auquel les Pères appliquent prophétiquement le psaume. Mais le type de tous ces désastres, celui que Jérémie a pleuré et dont il fallait bien perpétuer le souvenir dans un chant populaire, c'est la ruine de toute la Judée pendant les soixante-dix années de la captivité.

Il est facile d'appliquer spirituellement le psaume à l'Eglise en butte aux attaques du démon et des méchants. H. LESÊTRE.

adversariis illorum pro nimia severitate, et crudelitate, ibi, « *Leva manus.* »

In prima duo. Primo, admirativa conquestio quare Judæos repulerit a sua protectione. Secundo, quare exposuerit illos omni miseriæ, ibi, « *Iratus est.* »

addit : *Israel autem me non cognovit, et populus meus non intellexit.* Jerem. VIII, 7 : *Milvus in cœlo cognovit tempus suum :... populus autem meus non cognovit judicium Domini.*

Prima pars Psalmi.

Dicit ergo : Sic, Domine, bonus es, ut ostendi in Psalmo præcedenti, et tamen « *repulisti* » a tua protectione et defensione, « *oves pascuæ tuæ,* » populum quem solebas doctrina legis et Prophetarum pascere. Supra, in Psal. LIX, 3 : *Deus, repulisti nos, et destruxisti nos.* Thren. II, 7 : *Repulit Dominus altare suum.* Sed contra, in Psal. XCIII, 14 : *Non repellet Dominus plebem suam.* Et ad Roman. XI, 1 : *Numquid Deus repulit populum suum ? Absit.* Responsio. De finali repulsione intelligitur, et de plebe quæ vera plebs est per æternam electionem. Hic autem intelligitur de repulsione per pœnam temporalem, et culpam : et de plebe etiam non electa Deo ad gloriam æternam possidendam.

» *Repulisti* ergo *oves pascuæ tuæ,* » et hoc « *in finem,* » id est, omnino, ex toto, ut nec templum habeant, nec Regem. Mich. III, 12 : *Jerusalem quasi acervus lapidum erit, et mons templi in excelsa silvarum.*

« *Iratus est furor tuus,* » eos omnibus miseriis exponendo, pascua subtrahendo. Et est modus loquendi ad gravandum. Thren. II, 2 : *Destruxit in furore suo munitiones virginis Juda.* Et IV, 11 : *Complevit Dominus furorem suum, effudit iram indignationis suæ.* Et hoc, « *super oves pascuæ tuæ,* » quarum ipse pastor eras. Psal. LXXVI, 21 : *Deduxisti sicut oves populum tuum.* Isa. XL, 1 : *Sicut pastor gregem suum pascet.* Propter hoc dicebamus in Psal. LXXVIII, 13 : *Nos autem populus tuus, et oves pascuæ tuæ.* Sed, « *ut quid ?* » Quia terrenis inhæserunt, et te dereliquerunt, imo non noverunt. Isa. I, 3 : *Cognivit bos possessorem suum, et asinus præsepe,* etc. Et

« *Memor esto congregationis.* » Hic est secundum, in quo orat, vel magis excitat divinam pietatem super illorum miseria : et hoc repetendo beneficia, quæ illi populo contulit : et dicuntur duo. Primo, excitat divinam bonitatem ad eos. Secundo, subjungit multiplicem persuasionem, quod debet esse benignus eis : quæ sunt quatuor, primo quia sui, ibi, « *Congregationis tuæ.* » Secundo, quia ab eodem conditi, quod plus est, ibi, « *Quam possedisti.* » Tertio, quia liberati per ipsum ab Ægyptiaca servitute, ibi, « *Redemisti virgam.* » Quarto, quod ejus cultui principaliter mancipati, et ab eo singulariter instructi, ibi, *Mons Sion in quo habitasti.* » 2

Dicit ergo : Sic quæsivi quare repellis et affligis, et o Domine, « *memor esto,* » benevolentiam exhibendo et liberationem a miseriis, qui videris oblitus. II Esdr. XIII, 31 : *Memento mei, Deus meus, in bonum. Amen.* Thren. V, 1 : *Recordare, Domine, quid acciderit nobis : intuere, et respice opprobrium nostrum.* Nec cujuslibet dico te esse memorem, sed « *congregationis tuæ,* » quæ tua est, et a te justissime possessa. Deut. XXXII, 9 : *Jacob funiculus hæreditatis ejus.* Deuter. VII, 6 : *Te elegit Dominus Deus tuus, ut sis ei populus peculiaris.*

« *Quam possedisti ab initio,* » id est, quam ex quo creasti, ipso jure possedisti : unde alia littera habet : « Quam creasti. » Deuter. XXXII, 6 : *Numquid non ipse est pater tuus, qui possedit te, et fecit, et creavit te ?* Vel, possedisti in Patriarchis, et patribus antiquis. Et hoc est « *ab initio.* » Exod. XXXII, 13 : *Recordare Abraham, Isaac, et Israel, servorum tuorum fidelium.*

Populus Judæorum fuit hæreditas Domini.

« *Redemisti virgam.* » Ecce tertium. Quasi diceret : Non solum tui sunt, nec a te tantummodo creati, imo « *redemisti* » de dura servitute Ægypti, « *virgam hæreditatis tuæ,* » id est, portionem tuam, quasi virgam signatam, et ab alia gente distinctam. Hæc virga figurata fuit in illa virga Mosaica, quæ projecta in terra, versa est in colubrum, sed resumpta, fuit iterum virga [1]. Sic illa gens ad terram conversa facta est serpentina, quæ tamen redibit ad Deum postea in fine temporum. Isa. x, 22 : *Si fuerit populus tuus Israel quasi arena maris, reliquiæ convertentur ex eo.*

« *Mons Sion.* » Hic quartum. Quasi diceret : Non tantum tui a te conditi et redempti, sed etiam « *mons Sion,* » supple, est, « *in quo habitasti,* » per cultum specialem, et fecisti fieri templum, qui mons pertinet ad illam gentem. Et superfluit, « *in eo,* » secundum quod frequenter fit in illo idiomate. Jerem. xiv, 21 : *Ne facias nobis contumeliam solii gloriæ tuæ : recordare, ne irritum facias fœdus tuum nobiscum.* Imo, tandem inhabitasti corporaliter in Jerusalem prædicando, et in templo. Psal. lxxxvi, 5 : *Homo natus est in ea : et ipse fundavit eam Altissimus. In ea,* id est, in illa terra, quæ tota ad Jerusalem pertinebat. *Et ipse fundavit eam Altissimus.* Exod. xxix, 45 : *Et habitabo in medio filiorum Israel, eroque eis Deus.*

3 « *Leva manus tuas.* » Hic tertium primæ partis hujus Psalmi, in quo adversariis imprecatur : et dicuntur duo. Primo, imprecatio. Secundo, conquestio de dilatione affligendi illos, ibi, « *Signa nostra non vidimus.* »

In prima duo. Primo, imprecatio. Secundo, persuasio multiplex ut acquiescat imprecationi, ibi, « *Quanta malignatus.* »

Dicit ergo : Sic memor esto tuorum, quos videris repulisse, et « *leva manum in,* » id est, super « *superbias eorum,* » qui eos destruxerunt. Eccli. xxxvi, 3 : *Alleva manum tuam super gentes alienas, ut videant potentiam tuam.* Isa. xxiii, 11 : *Manum suam extendit super mare,* id est, super superbiam.

Superbia mari comparatur.

Superbia autem mare dicitur, quia crescit advenientibus aquis divitiarum : quanto enim ditantur multi, tanto superbiunt, et extolluntur. Hoc sentiebat Paulus qui dicebat, I ad Tim. vi, 17 : *Divitibus hujus sæculi præcipe non altum sapere, nec sperare in incerto divitiarum.* Item, quia vento gloriæ intumescit superbus, et inflatur sicut mare. Sap. iv, 19 : *Disrumpet illos inflatos,* etc. II ad Cor. v, 2 : *Et vos inflati estis : et non magis luctum habuistis ut tollatur de medio vestrum qui hoc opus fecit.* Mare etiam fœtidum est : sic superbia Deo et hominibus. Eccli. x, 7 : *Odibilis coram Deo est et hominibus superbia.* Et optime quia superbi alti sunt, dicit : « *Leva manus tuas,* » et ipse respondet, Deut. xxxii, 40 : *Levabo ad cœlum manum meam.*

« *Quanta malignatus.* » Hic secundum, in quo subjungitur multiplex persuasio : et dicuntur duo. Primo, sumit rationes ab iis quæ fecerunt, vel facere proposuerunt. Secundo, ab ipsa faciendi intentione, ibi, « *Polluerunt.* »

In prima duo. Primo, sumit rationes ab iis quæ fecerunt ante destructionem. Secundo, ab iis quæ in ipsa destructione, ibi, « *Quasi in silva.* »

In prima dicuntur quatuor, secundum quatuor quæ destructionem antecesserunt. Primo, ipsorum maligna impugnatio. Secundo, gloriatio de impugnatione pessima, ibi, « *Et gloriati sunt.* » Tertio, signorum positio in signum victoriæ in civitate, ibi, « *Posuerunt signa.* » Quarto, attributio victoriæ propriæ virtuti, et non Deo, ibi, « *Et non cognoverunt.* »

[1] Cf. Exod. iv, 3 et seq.

Dicit ergo : Leva manus ut percutias inimicum, quia « *quanta,* » id est, quam dura, et quam misera, « *malignatus est,* » maligne scilicet operatus est « *inimicus,* » gentilis populus, et idololatra, « *in sancto,* » id est, in iis, quæ sancta tua erant. Thren. I, 10 : *Manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia ejus.* I Mach. II, 8 : *Sancta in manu extraneorum facta sunt : templum ejus sicut homo ignobilis,* et ipsi Prophetæ, et sancti, contra illud Psal. CIV, 15 : *In Prophetis meis nolite malignari* [1].

4 « *Et gloriati sunt.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Non tantum sunt malignati, imo « *et gloriati sunt,* » quod pessimum est, quia gloria peccati nulla petenda tibi est. Et in Psal. LI, 3 : *Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate ?* Prov. II, 14 : *Qui lætantur cum male fecerint, et exsultant in rebus pessimis.* « *Qui oderunt te,* » o tu Deus. Psal. LXXII, 23 : *Superbia eorum qni te oderunt, ascendit semper.*

Sed quia quidam dicunt, quod Deus odiri ab aliquo non potest per illud quod dicit Augustinus : « Deus quem diligit, « quidquid diligere potest : » potest referri ad Jerusalem : « *In medio solemnitatis tuæ,* » Paschalis, quia, sicut narrat Eusebius, « Anno a passione Domini « quadragesimo secundo, cum Judæi « essent in Jerusalem congregati ad ce- « lebrandum Pascha, tunc Titus et Ves- « pasianus intraverunt urbem, et gloriati « sunt de victoria, et omnes congregatos « ceperunt ipsa die qua interfecerunt « Christum, ut impleretur quod dictum « fuerat per Jeremiam, XII, 3, dicentem : « *Congrega eos sicut gregem ad victi-* « *mam.* » Amos, V, 21 : *Odi et projeci festivitates vestras.* Malach. II, 3 : *Dispergam super vultum vestrum stercus solemnitatem vestrarum.* I Mach. I, 41 : *Dies festi ejus conversi sunt in luctum.*

Hæc possunt dici multis clericis in solemnitate Paschali : in medio enim solemnitatis, ad litteram, inter Missam et Vesperas sunt in lusibus et choreis post comestionem superfluam. Exod. XXXII, 6 : *Sedit populus manducare et bibere, et surrexerunt ludere.* Thren. I, 7 : *Viderunt eam hostes, et deriserunt sabbata ejus.* Isa. I, 13 et 14 : *Neomenias, et sabbatum, et solemnitates alias non feram :... facta sunt mihi molesta, laboravi sustinens.*

« *Posuerunt signa.* » Hic est tertium. Quasi diceret : Sic sunt gloriati, et etiam « *posuerunt signa sua,* » vexilla in quibus erant depictæ aquilæ, et dracones : signa captionis, statuentes illa super muros Jerusalem, et turres. Osee, VIII, 1 : *In gutture tuo sit tuba.* Quasi diceret : Clama fortiter et horribiliter, quasi aquila Romanorum, super domum Domini. II Paral. XXXIII, 7 : *Sculptile, et conflatile posuit,* scilicet Manasses, *in domo Dei.* Hæc sunt signa de quibus Isa. V, 26 : *Et elevabit Dominus signum in nationes procul.* Sic in signum captionis suiipsius a diabolo, quidam portant signa prava in capitibus, tonsuras, coronas florum, et superflua vestium ornamenta. Ezech. XVI, 25 : *Ad omne caput viæ ædificasti signum prostitutionis tuæ.*

5 « *Et non cognoverunt.* » Hic quartum, quod sibi attribuerunt illam victoriam : unde secundum communem litteram duo tanguntur. Primo, monstratur eorum excæcatio, quia sibi attribuerunt victoriam. Secundo, specificatur quomodo posuerunt signa ad monstrandum magis illorum superbiam, ibi, « *Sicut in exitu.* »

Ait enim : Posuerunt signa, « *et non cognoverunt* » hanc victoriam a Deo fuisse, superbia excæcati. Isa. X, 13 : *In fortitudine manus meæ feci, et in sa-*

[1] Cf I Paralip. XVI, 22.

pientia mea intellexi : et abstuli terminos populorum, et principes eorum deprædatus sum. Ipsi, dico, ponentes signa « *super summum* » turrium et murorum, « *sicut in exitu* » sunt portæ et muri, sic fit in illis captis.

Et nota ordinem. Primo enim homines excæcantur ut non intelligant veritatem. II ad Corinth. IV, 4 : *Deus hujus sæculi excæcavit mentes infidelium.* Postea signa sua ponit in exitibus inferioribus, et in summis, id est, in majoribus. Jerem. VI, 13 : *A minore usque ad majorem omnes avaritiæ student.* Isa. XXIV, 2 : *Et erit sicut populus, sic sacerdos.* Item, exitus sunt extrema corporis nostri membra, sicut pedes et manus, summum caput. In his ponunt dæmones signa sua, in manibus chirothecas, in pedibus strictissimos sotulares, in capitibus coronas, et non cognoscunt quod inde damna animabus proveniunt. Isa. I, 6 : *A planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas.* Sapient. II, 9 et 8 : *Ubique relinquamus signa lætitiæ,* nostræ scilicet : *nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra.* Ad litteram per muros civitatum, per prata [1] adjacentia incedunt.

Dæmon signa sua ponit in externis partibus hominis.

6 « *Quasi in silva lignorum.* » Hic secundum, in quo postquam ostendit eorum malitiam destructionem civitatis præcedentem, hic subjungit de malitia concomitante illam : et dicuntur duo secundum duplicem modum destruendi. Primo, in dejectione murorum et turrium : et primo tangitur. Secundo, in combustione contentorum in muris et turribus, scilicet domorum, ibi, « *Incenderunt igni.* »

In prima duo. Primo, introgressio violenta, et quasi præparatio ad dejectionem. Secundo, dejectio, ibi, « *In securi et ascia.* »

Dicit ergo : Sic quasi victores posuerunt signa super muros, et in portis, « *et exciderunt januas ejus,* » civitatis scilicet Jerusalem, ut esset omnibus liber introitus, « *quasi in silva lignorum* » essent, ipsi, dico, « *in idipsum* » existentes omnes in uno, scilicet anima una et voluntate. Thren. I, 4 : *Omnes portæ ejus destructæ.* Et ibidem, IV, 13 : *Non crediderunt reges terræ, et universi habitatores ejus, quoniam ingrederetur hostis et inimicus per portas Jerusalem.* « *Dejecerunt eam.* » Postquam ingressi sunt, turres et muros prosternendo, « *in securi,* » minores partes destruendo, « *et ascia,* » majores comminuendo. Thren. II, 2 : *Destruxit in furore suo munitiones virginis Juda, et dejecit in terram.* Hoc minatus fuerat eis Salvator, Luc. XIX, 44 : *Ad terram prosternent te, et non relinquent in te lapidem super lapidem.*

Prælati sunt portæ Ecclesiæ.

Portæ Ecclesiæ, scilicet spiritualis Jerusalem sunt prælati, qui intromittunt vel expellunt : unde primi prælati Apostoli portis comparantur [2]. Sed dæmones in idipsum convenerunt, et quasi conspiraverunt ut ipsos dejiciant. Job, XLI, 7, dicitur de squamis Behemoth : *Una uni conjungitur, et ne spiraculum quidem incedit per eas.* Osee, X, 10 : *Congregabuntur super eos populi,* etc. Luc. XI, 26 : *Assumit septem alios spiritus nequiores se.* Et invadit portas, prælatos, parum curans de aliis. I Reg. XXXI, 3 : *Totum pondus prælii versum est in Saul.* III Reg. XXII, 31 : *Non pugnabitis contra minorem et majorem quempiam, nisi contra Regem Israel solum.* Et dejiciunt has portas et comminuunt. Thren. II, 9 : *Defixæ sunt in terra portæ ejus.*

« *Incenderunt igni.* » Hic secundum, in quo tangitur destructio per combustionem. Quasi diceret : Sic dejecerunt alta et fortia, et post consummationem destructionis « *incenderunt sanctuarium tuum,* » illam civitatem tuam sanctam, vel ipsum templum, vel magis utrumque, 7

[1] Alias *portas.*

[2] Apoc. XXI, 12.

quia civitatem usque ad templum. Isa. LXIV, 11 : *Facta est in exustionem ignis, et omnia desiderabilia nostra versa sunt in ruinas.* Thren. IV, 11 : *Succendit,* Dominus scilicet, *ignem in Sion et devoravit fundamenta ejus.*

Sanctuarium Dei sunt et esse debent spiritualiter Clerici, quos succendit igne luxuriæ diabolus, mediante gulositate. IV Reg. XXV, 8 et 9 : *Nabusardan princeps exercitus... succendit domum Domini et domum regis.* Joel, I, 19 : *Ignis comedit speciosa deserti,* mundi scilicet Clericos.

« *In terra polluerunt.* » Hic tertium, in quo subjungitur destruentium intentio per ea quæ secuta sunt destructionem. Apparet autem per hoc quod dicitur hic, quod non quærebant honorem Dei in illis factis : et duo tanguntur quæ pertinent ad destructionem divini cultus. Primo, pollutio templi, quod respicit ad locum. Secundo, solemnitatum annihilatio, quod respicit ad tempus cultus, ibi, « *Dixerunt in corde suo.* »

Dicit enim : Sic totum destruxerunt usque ad combustionem, et etiam postea, « *polluerunt tabernaculum nominis tui,* » templum nomini tuo deputatum polluerunt, privatas ad litteram ædes facientes, et stabula jumentorum. Psal. LXXVIII, 1 : *Polluerunt templum sanctum tuum.* Sicut alias factum fuerat, tempore scilicet Antiochi, I Machab. I, 39 : *Contaminaverunt sanctificationem.*

Tabernaculum nominis Dei sunt proprie Christiani, et specialius Clerici et Prælati. Isti sunt de quibus specialius dicitur, Prov. VIII, 31 : *Deliciæ meæ esse cum filiis hominum.* Apoc. XXI, 3 : *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus.* Sed hoc polluitur per abominationes et peccata. Ezechiel. XXII, 26 : *Sacerdotes ejus contempserunt legem meam, polluerunt sanctuaria mea :.. et coinquinabar in medio eorum.*

Et hoc « *in terra* » fixi per amorem : ex amore enim terrenorum accidit omnis pollutio. Malach. I, 12 : *Vos polluistis illud.* Quid illud ? Et sanctuarium, et templum, et nomen sanctum meum.

« *Dixerunt in corde.* » Hic secundum, annihilatio solemnitatum, quia ex deliberatione et conspiratione omnium. Deliberatio notatur in hoc quod dicit, « *In corde suo.* » Conspiratio in hoc quod additur, « *Simul.* » 8

Dicit ergo : Sic polluerunt locum, et etiam « *dixerunt,* » non sine deliberatione, sed « *in corde.* » Psal. XXXV, 4 . *Iniquitatem meditatus est in cubili suo.* Sap. XXXV, 4 : *Dixerunt,* impii scilicet, *cogitantes apud se non recte.*

Et hæc, « *Cognatio eorum simul,* » ut nec unus deesset, qui non concordaret. Eccli. XXI, 10 : *Stuppa collecta synagoga peccantium.* Osee, VII, 1 : *Revelata est iniquitas Ephraim.* Jud. XV, 4 : Vulpes Samsonis erant ad invicem colligatæ.

Sed quid dicebant? « *Quiescere faciamus omnes dies festos Dei a terra,* » ut sic tota Dei deleatur memoria : libenter enim procurat diabolus, ut non fiant solemnitates. Thren. I, 4 : *Viæ Sion lugent, eo quod non sint qui veniant ad solemnitatem.*

Quæ festa sint maxime exosa diabolo ?

Et nota, quod valde libenter procurat, ne fiat festum Nativitatis, quod valde est jucundum. Luc. II, 10 : *Ecce evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo.* Hoc festum fit in baptismo, quando homo filius Dei efficitur, et ei nascitur de aquis baptismatis. Joan. I, 12 : *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus.* Et iterum per pœnitentiam : per contritionem enim nascitur homo nativitate in utero, per confessionem nativitate ex utero. Hoc est magnum festum matris Ecclesiæ. Joan. XVI, 21 : *Mulier cum parit, tristitiam habet :... cum autem pepererit filium, jam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundo* : primo toti curiæ cœlesti. Luc. XV, 10 : *Gau-*

dium erit coram Angelis Dei, etc. Et istud festum nititur diabolus amovere omnino. Apocal. XII, 4 : *Draco stetit ante mulierem quæ erat paritura : ut, cum peperisset, filium ejus devoraret*. Et similiter festum Passionis, quæ est in satisfactione, quæ debet esse hilaris. Eccli. XXXV, 1 : *In omni dato hilarem fac vultum tuum*. Matth. VI, 16 : *Cum jejunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes*. Et infra, ℣. 17 : *Tu autem cum jejunas, unge caput tuum, et faciem tuam lava*. II ad Corinth. IX, 7 : *Hilarem datorem diligit Deus*. Sed hoc annihilare vult, tentationes et tribulationes immittendo, sicut filios Israel exeuntes de Ægypto, ut sacrificarent Deo in deserto, Pharao nisus est impedire [1]. Et festum Resurrectionis, quod in nobis fit, cum tota intentione superna quærimus, spretis his terrenis. Ad Coloss. III, 1 : *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite*, etc. Ita quod non moriamini iterum in peccato, sed sicut de Christo dicitur, ad Roman. VI, 9 : *Christus resurgens ex mortuis jam non moritur*. De hoc festo, in Psal. LXXV, 11 : *Reliquiæ cogitationis*, sursum ad æterna tendentium, *diem festum agent tibi*. Hoc festum diabolus nititur destruere, cupiditatem et amorem terrenorum ingerendo. Joan. XII, 10 : *Cogitaverunt ergo ut Lazarum*, qui suscitatus erat, *interficerent*. Et festum Ascensionis, quod fit, cum homo de virtute in virtutem potenter ascendit. Psal. LXXXIII, 6 : *Ascensiones in corde suo disposuit*. Hoc festum mirantur Angeli. Cant. III, 6 : *Quæ est ista quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi*, etc. Sed hoc tollit diabolus, si potest, per pueros Jerichontinos, et mundi irrisores, qui ascendentes irrident. IV Reg. II, 23, dicebant pueri de Jericho Eliseo : *Ascende calve, ascende calve*. Et festum missionis Spiritus sancti, quod faciunt contemplativi, qui illuminantur et ardent amore Dei. Hoc est festum Sabbati. Exod. XX, 8 : *Memento ut diem Sabbati sanctifices*. Festum anni jubilæi [2]. Sed hoc impedit diabolus, et annihilat, si potest, per curiosos et amatores hujus mundi. Luc. X, 40, Martha volebat interrumpere festum Mariæ. *Domine*, inquit, *non est tibi curæ, quod soror mea*, etc.

« *Signa nostra*. » Hic secundum to- 9
tius hujus partis, in quo postquam petivit inimicorum dejectionem, multiplici persuasione addita, addit consequenter conquestionem de dilatatione : et dicuntur tria. Primo, conqueritur de dilatione sumens rationem a parte populi afflicti et miseri. Secundo, a parte affligentis inimici, ibi, « *Usquequo Deus ?* » Tertio, a parte Dei, qui liberator deberet esse, ibi, « *Ut quid avertis ?* »

In prima tria secundum triplicem defectum de quo conqueritur. Primo, quod careant signis in ænigmatibus futurorum ostensivis. Secundo, quod Prophetis futura nuntiantibus, ibi, « *Jam non est propheta*. » Tertio, quod liberatoribus in præsenti miseria in qua sunt, ibi, « *Et nos non cognoscet*. »

Dicit ergo : Sic, Domine, rogo ut leves manum in superbias inimicorum, sed multum differs, quia « *signa nostra*, » quæ solebamus videre, quando eramus in captivitate, ut liberaremur, « *non vidimus* » adhuc aliqua existentes in periculo. Tempore Achaz signum habuerunt de sua liberatione. Isa. VII, 11 : *Pete tibi signum a Domino Deo tuo*. Et post pauca, ℣. 14 : *Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum*. Signum etiam habuerat Abraham de liberatione filiorum suorum de Ægypto [3]. Signa etiam multa fecit eis Moyses ut eos liberaret : sed hæc evacuata sunt.

« *Jam non est Propheta*, » nostram salutem nuntians, et prædicens libera-

[1] Cf. Exod. XIV, 5 et seq.

[2] Cf. Levit. XXV, 10 et seq.

[3] Cf. Genes. XV, 13 et seq.

tionem : et hoc nostris nuntiis dicere possunt. Ezech. III, 26 : *Linguam tuam adhærere faciam palato tuo,.. quia domus exasperans est.* Et propter hoc dissipamur. Proverb. XXIX, 18 : *Cum prophetia defecerit, dissipabitur populus.*

« *Et nos non cognoscet amplius,* » ut liberet, sed in miseria permittet. Job, VIII, 18 : *Negabit eum, et dicet : Non novi te :* quippe quia non sunt de ovibus ejus. Joan. X, 14 : *Et cognosco meas,* scilicet oves.

Tria signa primitivæ Ecclesiæ. Hanc lamentationem possunt facere Sancti super modernam Ecclesiam. Signa enim nostra, quæ a Christo accepimus, non vidimus, signum scilicet paupertatis, de quo Luc. II, 12 : *Et hoc vobis signum : Invenietis infantem pannis involutum.* Signum asperitatis, et doloris, de quo Exod. XII, 13 : *Erit sanguis vobis in signum in ædibus in quibus eritis.* Ezech. IX, 4 : *Signa Thau super frontes virorum gementium, et dolentium.* Signum humilitatis, cum in aperto sunt pauperes et miseri, Apocal. VII, 3 : *Nolite nocere terræ et mari, neque arboribus, quoadusque signemus servos Dei nostri,* non in occulto, sed *in frontibus eorum.* Sed in Psal. LXIV, 9, dicitur : *Timebunt qui habitant terminos,* temporalia quæ cito terminantur : *a signis tuis,* tribus dictis.

« *Jam non est Propheta,* » qui fide sincera intendat in æterna. Jerem. V, 1 : *Circuite Jerusalem, et adspicite, et considerate, et quærite in plateis ejus, an inveniatis virum facientem judicium, et quærentem fidem.* Et propter hoc a Deo amplius non cognoscimur cognitione approbationis. Matth. XXV, 12 : *Amen dico vobis, nescio vos* [1].

10 « *Usquequo Deus.* » Hic secundum, in quo sumit rationes a parte inimici affligentis : et dicuntur duo. Primo, conqueritur quod adversarii Deum impugnant et suos verbis. Secundo, factis, ibi, « *Irritat adversarius.* »

Dicit enim : Sic sumus in miseria, sed o Deus, « *usquequo improperabit inimicus* » tibi, et tuis detrahens verbis ? Thren. I, 9 : *Vide, Domine, afflictionem meam, quoniam erectus est inimicus.* Supra, in Psal. XXX, 12 : *Factus sum opprobrium et vicinis meis valde : et timor notis meis.*

« *Irritat,* » provocando factis, « *adversarius nomen tuum,* » Filium tuum, qui nomen tuum est, ut ab eo affligatur. Sed « *in finem,* » ducendo ipsum adversarium. « *In finem,* » in te Deum, qui es omnium finis. Isa. LXV, 3 : *Populus qui ad iracundiam provocat me ante faciem meam semper.* Jerem. XXXII, 30 : *Filii Israel qui usque nunc exarcerbant me in opere manuum suarum.* Propter hoc dicitur, Deut. XXXII, 21 : *Ipsi me provocaverunt in eo qui non erat Deus,* ipsum adorando : *et ego provocabo eos in eo qui non est populus,* ipsos per illum affligendo. Vel : « *Irritat nomen tuum in finem,* » id est, usquequo sit finis sæculi, et tunc convertentur.

« *Ut quid avertis ?* » Hic tertium, in 11
quo sumit rationes, a parte Dei.

Ait enim : Sic inimicus et verbis et factis irritat te. Ut quid tu qui tam pius et misericors esse consuevisti, « *avertis manum tuam, et dexteram tuam,* » scilicet populum Judæorum, « *de medio sinu tuo,* » ut non convertas eum in sinum tuum, sed magis avertis a sinu, non dirigens ipsum « *in finem,* » id est, in Christum. Judaicus ergo populus *Dei manus* dicitur, manus in sinu Dei sana, sed extra leprosa, et vilis [2]. Cum enim Deo adhæserunt, bene fuit eis : quando elongati, tunc leprosi, et viles. Hæc manus ejus dextera, in qua confringebat fidei adversarios, Exod. XV, 6 : *Dextera tua, Domine, magnificata est in*

Cur Judaicus populus dicitur *manus Dei ?*

[1] Cf. etiam Matth. VII, 23.

[2] Cf. Exod. IV, 6 et seq.

fortitudine : dextera tua, Domine, percussit inimicum. Sed hanc manum tamquam membrum putidum projecit a se, et dedit in aliam manum. Ezechiel. VII, 21 : *Dabo illud in manus alienorum.* Thren. I, 14 : *Dedit me Dominus in manu de qua non potero surgere.* Et adhuc tenet eam paratus plus percutere. Isa. IX, 12 et 13 : *Adhuc manus ejus extenta : et populus non est reversus ad percutientem.* Hanc manum elongavit a Christo fine. Apocalyps. I, 8 : *Ego sum Alpha et Omega.*

Secunda pars Psalmi.

12 « *Deus autem rex noster ante sæcula.* » Hic est secunda pars totius hujus Psalmi. Præmissa enim lamentativa conquestione super miseria Judæorum, hic secundo subjungit de salute exhibita toti mundo per Christum in redargutionem excæcatorum Judæorum, qui nolunt credere : et dicuntur tria in hac parte. Primo, exhibitio salutis in publico. Secundo, specificatio et modi et ordinis in salvando, ibi, « *Tu confirmasti.* » Tertio, commendatio Salvatoris, quasi ad probandum quod sic salvare potuerit, ibi, « *Tuus est dies.* »

In prima duo. Primo, a quo salus sit facta. Secundo, quod in publico exhibita, ibi, « *In medio terræ.* »

Dicit ergo : Sic relicti sunt et abjecti, et ab inimicis conculcati. « *Deus autem rex noster.* » Isa. XXXIII, 22 : *Dominus judex noster : Dominus legifer noster : Dominus rex noster.* Deus in divina, rex in humana natura. Apocalyps. XIX, 16 : *Et habet in vestimento,* in natura humana, quæ fuit divinitati quasi vestimentum (ad Philip. II, 7 : *Habitu inventus ut homo*) *et in femore,* id est, in connaturali origine, *scriptum : Rex regum, et Dominus dominantium.* « *Ante sæcula* » existens in divinitate. Contra Arium, qui dicit Dei Filium puram creaturam. Eccli. XXIV, 14 : *Ab initio et ante sæcula creata sum.*

« *Operatus est salutem,* » secundum illud Exod. XV, 2, et Isa. XII, 2 : *Fortitudo mea, et laus mea Dominus, et factus est mihi in salutem.* Habac. III, 13 : *Egressus es in salutem populi tui.* Matth. I, 21 : *Vocabis nomen ejus Jesum : ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.* Et hoc « *in medio terræ.* » Ecce locus. Et nota, quod operatus est salutem in Incarnatione in medio terræ, id est, in utero Mariæ, quæ terra dicitur in Psal. LXXXIV, 2 : *Benedixisti, Domine, terram tuam.* Isa. XLV, 8 : *Aperiatur terra, et germinet Salvatorem.* Item, in passione, et hoc in medio terræ, id est, Jerusalem, quæ dicitur terræ umbilicus. Luc. XIII, 33 : *Non capit Prophetam perire extra Jerusalem.* Et Matth. XXIII, 37 : *Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis Prophetas.* Item, quotidie operatur salutem in medio terræ, in exhibitione sui in cibum salutarem : et hoc in medio terræ, Ecclesiæ scilicet, quæ est terra benedicta fluens lacte et melle. Psal. LXXXIV, 2 : *Benedixisti, Domine, terram tuam.* In primo opere se nobis, et nos sibi conformavit. In secundo, reformatos redemit. In tertio, reformatos et redemptos reficit.

Christus semper in medio.

Nota ergo, quod in medio conceptus, Isa. XII, 6, dicit ad Virginem : *Magnus in medio tui sanctus Israel.* In medio natus, Habac. III, 2, secundum aliam litteram : « In medio duorum animalium innotescens [1]. » In medio oblatus, Psal. XLVII, 10 : *Suscepimus, Deus, misericordiam tuam in medio templi tui.* In medio conversatus, nec nimiam prætendens austeritatem, nec nimis remissam viram, Joan. I, 26 : *Medius autem vestrum stetit, quem vos nescitis.* In medio in Passione, Joan. XIX, 18 : *Crucifixerunt eum, et cum eo alios duos, hinc et hinc, medium autem Jesum* [2]. In medio in re-

[1] Vulg. habet, Habac. III, 2 : *In medio annorum notum facies.*

[2] Cf. Luc. XXIII, 33 : *Crucifixerunt eum : et latrones, unum a dextris, et alterum a sinistris.*

surrectione. Luc. XXIV, 36 : *Stetit Jesus in medio eorum,* scilicet discipulorum suorum. Semper ergo in medio est, ut ostendat quod virtus est in medio, et quod non sumus in angulo, sed in publico, ut omnibus omnia facti cum Paulo [1], omnibus vivamus.

13 « *Tu confirmasti.* » Hic secundum, in quo subjungitur et modus et ordo operandi salutem, per tria beneficia omnibus in publico exhibita. Primum est beneficium vocationis. Secundum, ereptionis a potestate diabolica, ibi, « *Contribulasti.* » Tertium, instructionis abundantis, ibi, « *Tu dirupisti.* »

Dicit ergo : Sic dixi, quod salutem operatus es in medio terræ : et vere, quia o Domine, « *tu confirmasti,* » id est, firmata voluntate et recta vocasti « *mare,* » Gentes fluxibiles, et amaras : et hoc, « *in virtute tua,* » quæ sola hoc potuit. Psal. LXX, 6 : *In te confirmatus sum,* dicit Gentium populus, *ex utero,* ex principio Ecclesiæ. Matth. VIII, 26 : *Imperavit ventis et mari, et facta est tranquillitas magna.* Vel, « *confirmasti,* » reprimendo a peccato, et desiccando. Nahum, I, 4 : *Increpans mare, et exsiccans illud.* Hoc significatum fuit, Exod. XIV, 21, ubi virtute Domini aquæ maris sunt ad instar marmoris solidatæ.

« *Contribulasti.* » Hic secundum, in quo subjungitur de beneficio ereptionis a diabolo : et dicuntur duo. Primo, annihilatio potestatis diaboli. Secundo, membrorum ejus conversio, et conjunctio corpori Ecclesiæ, ibi, « *Dedisti eum.* »

In prima duo. Primo, annihilatio potestatis diaboli in suggerendo peccatum simpliciter. Secundo, in suggerendo superbiam specialiter, ibi, « *Tu confregisti.* »

Ait enim : Sic confirmasti mare, et « *contribulasti capita,* » potestates, et peccata, « *draconum,* » dæmonum, « *in aquis,* » scilicet baptismatis. Hoc significatum fuit etiam Exod. XIV, 23, ubi post aquarum solidationem, ingressi Ægyptii sunt submersi. Sic potestas et peccata dæmonis virtute baptismi. Ezech. XXXVI, 25 : *Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* Joel, III, 18 : *Fons de domo domini egredietur, et irrigabit torrentem spinarum,* punctiones peccatorum impetuose currentium. Zach. XIII, 1 : *Erit fons patens domui David, et habitantibus Jerusalem, in ablutionem peccatoris et menstruatæ.* Marc. XVI, 16 : *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit.*

« *Tu confregisti.* » Hic secundum, ejus 14
annihilatio in quantum suggerit superbiam specialiter. Quasi diceret : Sic contribulasti capita draconum in aquis, et etiam « *tu confregisti,* » comminuendo, annihilando, « *capita draconum,* » principales et capitales suggestiones dæmonis, quæ sunt de superbia nostri. De virgine humillima dictum est, Genes. III, 15, ad serpentem : *Ipsa conteret caput tuum.* Qui etiam draco dicitur, Apocal. XII, 9 : *Projectus est draco ille magnus, serpens antiquus.*

« *Dedisti eum.* » Hic tangitur membrorum ejus conversio ad unitatem Ecclesiæ.

Ait enim : Sic confregisti, et etiam « *dedisti eum,* » draconem scilicet, « *escam populis Æthiopum,* » Gentilibus prius nigris, et horridis per peccatum.

Diversimode vincitur et illuditur diabolus.

Notandum enim, quod quidam illudunt diabolo, sicut qui ad suggestionem ejus claustrum intrat, et postea perseverat. Job, XL, 24 : *Numquid illudes ei quasi avi?* Alii suscitant dormientem, qui eum bonis operibus provocant ut se impugnet. Job, III, 8 : *Qui parati sunt suscitare Leviathan.* Alii ligant, qui rationibus impediunt ne possit nocere. Job, XL, 24 : *Numquid... ligabis eum,* Le-

[1] Cf. I ad Corinth. IX, 22.

viathan scilicet, *ancillis tuis*, id est, orationibus Sanctorum, qui infirmos se reputant ut ancillæ? Alii concidunt, alios exhortationibus ab ejus unitate separantes, qui erant ejus membra. Job, xl, 25 : *Concident eum amici, divident illum negotiatores.* Abscinditur ei cauda cum auferuntur luxuriosi : lingua cum detractores, adulatores, et mali advocati, et hæretici : auris cum talium auditores. Alii conculcant et conterunt concisum, ejus promissiones et comminationes vilipendendo. Ad Rom. xvi, 20 : *Deus pacis conterat Sanatam sub pedibus vestris.* Alii comedunt, qui ejus membra in corpus Ecclesiæ cujus sunt dentes, trahunt, et sibi uniunt, secundum quod hic dicitur. Hinc dictum est Petro, Act. xi, 7 : *Surge, Petre, occide, et manduca* : hæc reptilia, hos serpentes, qui prius fuerant quasi dæmones, id est, dæmonum membra, Ecclesiæ incorpora.

15 « *Tu dirupisti fontes.* » Hic est tertium, in quo subjungitur de tertio beneficio, quod est abundans doctrinæ effusio : sed quia non posset hoc bene fieri, nisi perversa cessarent, dicuntur duo. Primo, doctrinæ sanctæ abundans effusio. Secundo, conclusio, aliarum, ibi, « *Tu siccasti.* »

In prima duo. Primo, effusio doctrinæ per majores prædicatores, et continue officium exercentes. Secundo, per minores, et timore aliquando desistentes, ibi, « *Et torrentes.* »

Ait enim : Sic cessare fecisti a malo, ad fidem convertisti, et etiam, « *tu dirupisti,* » ut fluerent abundanter, « *fontes,* » prædicatores promptos, et in doctrina abundantes. Hoc factum fuit quando Apostolos misit, qui per duodecim fontes repertos in Elim sunt designati[1]. Hi sunt de quibus Isa. xii, 3 : *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.* Isa. xli, 18 : *Aperiam in supinis collibus flumina, et in medio camporum fontes.* « *Et torrentes,* » supple, dirupisti Doctores, sive prædicatores modo fluentes, modo timore mundano vel humano cessantes. In medio camporum « *torrentes* » dirupisti. De torrentibus iis, Isa. xxxv, 6 : *Scissæ sunt in deserto aquæ, et torrentes in solitudine.*

« *Tu siccasti,* » siccos fecisti, « *fluvios Ethan,* » quod interpretatur *fortis,* id est, diaboli, de quo Luc. xi, 21 : *Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia quæ possidet.* Job, xli, 24 : *Non est super terram potestas, quæ comparetur ei.* Hujus fluvii sunt scientiæ sæculares physicæ, lucrativæ, erroneæ. I ad Corinth. i, 19 : *Perdam sapientiam sapientium, et prudentiam prudentium reprobabo.* Isa. xxix, 14 : *Peribit sapientia a sapientibus ejus,* stante vento urente, scilicet Spiritu Sancto. Osee, xiii, 15 : *Adducet urentem ventum Dominus de deserto ascendentem : et siccabit venas ejus.*

« *Tuus est dies.* » Hic subjungitur be- **16**
neficii commendatio, et commendatur a potestate in superioribus primo. Secundo, in inferioribus, ibi, « *Tu fecisti omnes.* » Tertio, in mediis, ibi, « *Æstatem et ver.* »

In prima duo. Primo, ostendit potestatem in effectu corporum superiorum. Secundo, in causa, ibi, « *Tu fabricatus es.* »

Dicit ergo : Hæc beneficia contulisti, et potuisti, quia « *tuus est dies, et tua est nox,* » quæ sunt superiorum corporum effectus, et tamen in tua potestate. Job, xxxvi, 32 : *In manibus abscondit lucem,* id est, in potestate, *et præcipit ei ut rursus adveniat,* facta nocte. Genes. i, 4 et 5 : *Divisit lucem a tenebris, appellavitque lucem diem, et tenebras noctem.*

Spiritualiter autem per diem intelliguntur perfecti. Supra, in Psal. xviii, 3 :

[1] Cf. Exod. xv, 27.

Dies diei eructat verbum. Per tenebras peccatores culpis tenebrosi, secundum illud Apostoli ad Ephes. v, 8 : *Eratis aliquando tenebræ.* Notandum enim, quod peccator nox appellatur, sicut jam dixi, et sicut hic dicitur. Nox diabolus, caput peccatorum. Job, III, 6 : *Noctem illam tenebrosus turbo possideat.* Et peccatum. Ad Roman. XIII, 12 : *Nox præcessit, dies autem appropinquavit.* Cæcitas mentis. Job. III, 3 : *Pereat... nox in qua dictum est : Conceptus est homo.* Persecutio. Psal. CXX, 6 : *Per diem sol non uret te, neque luna per noctem.* Isa. XXI, 11 : *Custos quid de nocte ? custos quid de nocte ?* Tenebræ infernales. Joan. IX, 4 : *Venit nox, quando nemo potest operari.* Dies judicii, dies, justus, Angelus, gratia, sapientia, prosperitas, æterna claritas, securitas in præsenti. Matth. XXV, 6 : *Media nocte clamor factus est : Ecce sponsus venit.*

« *Tu fabricatus es,* » tamquam faber. Eccle. XI, 5 : *Nescis opera Dei,qui fabricator est omnium.* Et fabri filius. Marc. XIII, 55 : *Nonne hic est fabri filius ?* « *Auroram.* » Alia littera habet : « Lunam et solem. » Psal. CXXXV, 7 et seq. : *Fecit luminaria magna... solem in potestatem diei... lunam et stellas in potestatem noctis.* Genes. I, 16 : *Fecit duo luminaria magna in firmamento cœli, luminare majus ut præcesset diei, et luminare minus ut præesset nocti, et stellis.* Jerem. XXXI, 35 : *Qui dat solem in lumine diei, ordinem lunæ et stellarum in lumine noctis.* Vel per solem sapiens, per lunam stultus : utriusque conditor Deus. Eccli. XXVII, 12 : *Sanctus in sapientia manet sicut sol : nam stultus sicut luna mutatur.*

Thema pro festo Nativitatis B. Virginis.

Thema autem potest esse hoc in Nativitate Virginis matris, et ponatur utraque littera : « Tu fabricatus es auroram, « lunam et solem, » id est, Mariam, quæ aurora fuit in sui nativitate, luna in Filii Dei conceptione, sed sol tandem in sua assumptione. De tribus simul, Cant. VI, 9 : *Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol?*

« *Tu fecisti omnes terminos.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic potens es in supremis, et etiam « *tu fecisti omnes terminos terræ.* » Ecce potentia in infimis. Alibi, in Psal. LXXXVIII, 12 : *Tui sunt cœli, et tua est terra, orbem terræ et plenitudinem ejus tu fundasti,* etc. Psal. XXIII, 1 : *Domini est terra, et plenitudo ejus.* Vel per terminos terræ, fideles Ecclesiæ quoslibet intellige, qui dicuntur *termini terræ,* quia quilibet in Ecclesia habet donum singularis gratiæ, et specialis. Eccli. XLIV, 20 : *Non est inventus similis illi, qui conservaret legem Excelsi.* I ad Corinth. XII, 4 et 11 : *Divisiones vero gratiarum sunt, idem autem Spiritus,... dividens singulis prout vult.*

« *Æstatem et ver.* » Hic tertium, in quo commendatur a potentia in mediis, scilicet aere : ex temperantia enim in aere secundum humidum venit ver, et ex excellentia caloris venit æstas.

Ait enim : Sic potes in inferioribus, et infimis : et etiam « *tu plasmasti,* » scilicet « *æstatem,* » in qua abundat calor, « *et ver* » in quo humor. Et quare non facit mentionem de automno et hieme ? Respondeo dicendo, quod large accipit æstatem, et comprehendit etiam autumnum, et ver comprehendit hiemem. Item, hic intendit movere Deum ad misericordiam, et propter hoc tempora magis temperata, et quasi misericordiora tangit. In autumno enim magis est vigens calor, in hieme frigus.

Per æstatem autem intelliguntur ferventes spiritu. Ad Rom. XII, 11 : *Spiritu ferventes, Domino servientes.* Per ver fructificare incipientes, et novelli, a quibus recessit frigiditas peccati. Cant. II, 11 : *Hiems transiit, imber abiit, et recessit.* Per ver quod est temperatissimum tempus et jucundum, intelliguntur præditi mansuetudine, de quibus Moyses erat. Num. XII, 3 : *Erat enim Moyses vir*

mitissimus super omnes homines qui morabantur in terra. Supra, in Psal. xxxvi, 12 : *Mansueti autem hæreditabunt terram.*

18 Tertia pars Psalmi.

« *Memor esto hujus.* » Hic est tertia pars Psalmi, in qua postquam lamentando ostendit miseriam Judæorum, et monstravit salutem ubique factam per Christum, tertio petit ut extendatur usque ad miserum populum Judæorum. Et primo petit liberationem. Secundo, liberationis accelerationem, ibi, « *Exsurge, Domine.* »

In prima tria. Primo, petit. Secundo, necessitatem petendi exprimit, « ibi, « *Inimicus improperavit Domino.* » Tertio, ostendit multis rationibus, quod debitor sit miserendi, ibi, « *Non tradas bestiis.* »

Dicit ergo : Hoc quod præmisi, Domine, fecisti, et propter hoc rogo? « *Memor esto,* » pie miserando, « *hujus.* » Cujus? Hujus operis tui, scilicet facturæ tuæ, creaturæ tuæ, qui tibi in Patribus placuit aliquando. Isa. xxxviii, 43 : *Memento, quæso, quomodo ambulaverim coram te, et quod rectum est in oculis tuis fecerim.* Quod et facies. Isa. xlix, 15 : *Numquid oblivisci potest mulier infantulum suum, ut non misereatur filio uteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscat tui.*

« *Inimicus.* » Hic secundum, in quo ostendit qua necessitate petierit, quia ratione duplici. Primo, quia Judæi blasphemant verbo, tamquam Christum odientes. Secundo, quod facto, tamquam legis et mandatorum Dei ignorantiam habentes, ibi, « *Et populus.* »

Dicit ergo : Sic rogo ut memor sis, quia ecce « *inimicus,* » Judæorum scilicet populus, « *improperavit* » verbis, dicendo filio tuo Christo, Matth. xi, 19 : *Ecce homo vorax, et potator vini, publicanorum et peccatorum amicus.* Et Luc. xi, 15 : *In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia.* Joan. viii, 48 : *Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es, et dæmonium habes?*

« *Et populus insipiens,* » habens legis tuæ ignorantiam, « *incitavit,* » ad iracundiam, « *nomen tuum,* » id est, Filium. Isa. xxvii, 11 : *Non est populus sapiens, propterea non miserebitur ejus, qui fecit eum.* Jerem. iv, 22 : *Stultus populus meus me non cognovit : filii insipientes sunt et vecordes.* Hi incitant et provocant contra se Filium Dei. Job, xii, 6 : *Audacter provocant Deum, cum ipse dederit omnia in manus eorum.* Provocant illum factis, cum alapis illum cædebant, in faciem conspuebant, et tandem cruci affixerunt[1].

« *Ne tradas bestiis.* » Hic tertium, in quo ostendit, quod debeat Dominus misereri : et dicuntur tria. Primo enim ostendit hoc ratione meriti aliquorum de populo. Secundo, ratione promissi populo a Domino, ibi, « *Respice in testamentum.* » Tertio, ratione mali afflictivi, quod sustinuit ille populus, ibi, « *Ne avertatur humilis.* » 19

In prima duo, secundum duplex meritum aliquorum de populo. Primum est confessio peccati vel fidei. Secundum, omnium temporalium abdicatio, ibi, « *Et animas pauperum.* »

Dicit ergo : Sic memor esto, quia necesse est, et hoc certe debes, unde, rogo, o Domine, « *Ne tradas,* » id est, tradi permittas, « *bestiis,* » id est, diabolo et ejus Angelis.

Nota enim, quod sunt bestiæ materiales ad litteram, de quibus Genes. i, 25 : *Fecit Deus bestias terræ*[2]. Et spirituales

[1] Cf. Matth. xxvi et xxvii, et alios Evangelistas in Passionis narratione.

[2] Genes. i, 24 et 25 : *Dixit quoque Deus : Producat terra animam viventem in genere suo, jumenta, et reptilia, et bestias terræ secundum species suas. Factumque est ita. Et fecit Deus bestias terræ,* etc.

tripliciter. Primo, bestialiter viventes, I ad Corinth. xv, 32 : *Si (secundum hominem) ad bestias pugnavi Ephesi.* Eccli. x, 13 : *Cum morietur homo, hæreditabit serpentes, et bestias, et vermes.* Antichristus, Apocal. xvii, 11 : *Bestia, quæ erat, et non est : et ipsa octava est : et de septem est, et in interitum vadit.* Et dæmones, Job, v, 22 : *Bestias terræ non formidabis.* Et Isa. lvi, 9 : *Omnes bestiæ agri, venite ad devorandum.* Bene autem dicuntur bestiæ, quia stulti sicut bestia. Eccli. xxv, 4 : *Senem fatuum, et insensatum.* Glossa, « diabolum. » Eccle. iv, 13 : *Melior est puer pauper et sapiens,* Christus scilicet, *rege sene et stulto,* id est, diabolo. Item, rapax est. Joan. x, 12, lupo rapaci comparatur : *Et lupus,* inquit, *rapit, et dispergit oves.* Quia crudelis est, Jerem. vi, 23 : *Crudelis est, et non miserebitur.* Et vorax est, nihil enim ei sufficit, Job, xl, 18 : *Absorbebit fluvium, et non mirabitur : et habet fiducium quod influat Jordanis in os ejus.* Irrecuperabiliter tenet quod rapuerit, Isa. v, 29 : *Frendebit, et tenebit prædam, et amplexabitur, et non erit qui eruat.*

Quare diabolus dicitur *bestia*?

His ergo bestiis « *ne tradas animas confitentes tibi,* » confessione peccati vel fidei. Hanc enim quærit. Gregorius : « Satan nihil se fecisse æstimat, cum « animam non sauciat. » Sed hoc non sustineas, quia Proverb. xxviii, 13 : *Qui autem confessus fuerit ea,* peccata scilicet, *et reliquerit, veniam consequetur.* Nec confitentes confessione fidei, et laudis. Esther, xiv, 9 : *Volunt claudere ora laudantium te.*

« *Et animas pauperum.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Ne tradas bestiis animas confitentes tibi, « *et animas pauperum tuorum* » omnia propter te relinquentium, vel abjiciendo omnino, vel suppeditando, « *ne obliviscaris* ducere *in finem,* » Christum : vel « *in finem,* » id est, finaliter : quod nullo modo facies. Psal. lxxvi, 10 : *Numquid... obliviscetur misereri Deus ?* misereri pauperibus ? Non. In alio Psal. ix, 19 : *Patientia pauperum non peribit in finem.* Isa. xxix, 19 : *Et pauperes homines in sancto Israel exsultabunt.* Et ibid. xiii, 30 : *Pascentur primogeniti pauperum, et pauperes homines fiducialiter requiescent.*

« *Respice in testamentum.* » Hic se- 20
cundum, in quo sumitur ratio ex parte promissi : et dicuntur duo. Primo, promissio tamquam causa, quare debeat misereri. Secundo, ratio et causa promittendi, ibi, « *Quia repleti.* » Vel sic : primo, promissio. Secundo probatio, quod nunc sit tempus reddendi quod promissum est.

Ait enim : Sic memor esto propter prædicta, et etiam « *respice* » oculo misericordiæ, ut recolas « *in testamentum tuum,* » in promissionem tuam de æterno regno tuis conferendo, tamquam testamento firmatam. Psal. lxxxviii, 4 : *Disposui testamentum electis meis.* Augustinus : « Respice, Domine, in testa« mentum tuum. Tabulas tenemus, hæ« reditatem possideamus. » Jerem. xxxi, 31 et 32 : « *Feriam domui Israel, et domui Juda fœdus novum,* promittens æterna, *non secundum pactum, quod pepigi cum patribus eorum*, promittens terrena.

« *Quia repleti sunt.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic respice, quia malitia in malis est consummata. Et hoc est : « *quia repleti sunt iniquitatum,* » id est, iniquitatibus. Genitivus ponitur pro ablativo. « *Qui obscurati sunt domibus terræ,* » id est, terrenis possessionibus, quas amore inhabitant tamquam domos. Non est mirum, si ubi est iniquitas, et terra in abundantia, ibi est obscuritas. Genes. vi, 13 : *Repleta est terra,* terrena anima, *iniquitate.* Mich. vi, 12 : *Divites ejus repleti sunt iniquitate.* Et terra repleatur usque ad excæcationem intellectus. Ezech. xli, 16 : *Terra,* supple, erat, *usque ad fenestras.* Et sic obscurat totum. Sap. ix, 15 : *Terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem.* Quando

sanguis abundat in oculis, videre non possunt clare : sed Osee, IV, 2 : *Sanguis sanguinem tetigit*. Quid ergo quando simul est pulvis ?

21 « *Ne avertatur humilis.* » Hic tertium, in quo sumit rationes a parte mali pœnæ quam sustinent miseri, primo ab interiori. Secundo, ab exteriori, ibi, « *Pauper et inops.* »

In prima tangitur malum duplex. Humiliatio in superbia, in qua fuit, et confusio propter peccata quæ fecit, ibi, « *Confusus.* »

Ait enim : Sic eripe, quia promisisti, et etiam « *populus confusus* » de peccato suo, et « *factus humilis,* » a superbia dejectus, « *ne avertatur,* » hoc est, repellatur a tua misericordia. In Psal. LXVIII, 18 : *Ne avertas faciem tuam a puero tuo,* sicut ab impiis. Exod. XXIII, 7 : *Ego aversor impium.*

Vel sic : Populus « *humilis ne avertatur* » a te per culpam. Sic enim periret. Proverb. I, 32 : *Aversio parvulorum interficiet eos.* Ipse, dico, « *factus confusus* » confusione mala, de qua Eccli. IV, 25 : *Est confusio adducens peccatum,* scilicet ignominiam. Vel sic : Populus « *humilis ne avertatur,* » id est, expellatur a te, ne modo ipsum non exaudias, et sic fiat confusus. Confunditur enim qui rogat et non exauditur. III Reg. II, 20 : *Petitionem unam parvulam ego deprecor a te : ne confundas faciem meam.* Et post : *Neque enim fas est ut avertam faciem tuam* [1].

« *Pauper et inops.* » Hic secundum, in quo tangit exteriora incommoda. Quasi diceret : Humiliatus confusus, bona confusione audiatur, et sic « *pauper,* » rebus externis, « *et inops,* » carens auxiliis, « *laudabunt nomen tuum,* » quod multum diligis. Soph. III, 19 : *Salvabo claudicantem : et eam quæ ejecta fuerat, congregabo.* Ponam eam in laudem. Isa. LXVI, 2 : *Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum, et contritum spiritu, et trementem sermones meos ?* Nec mirum, si grata est Deo laus pauperum, et inopum, quia maximæ virtutis est laudare in miseria et inopia, et de ipsa miseria laudes referre. Cassiodorus : « Quam « gloriosa paupertas, quam felix inopia, « quæ Deum etiam tacita laudat, et de « patientiæ suæ virtute concelebrat ! »

« *Exsurge, Deus.* » Hic secundum tertiæ partis totius hujus Psalmi, in quo petit liberationis accelerationem : et dicuntur duo. Primo, petitio. Secundo, necessitas petendi illam accelerationem, ibi, « *Memor esto,* etc. » 22

In prima duo. Primo, petit ut liberet suos. Secundo ostendit, quod ei incumbit eos judicare, ibi, « *Et judica causam* ».

Dicit enim : Sic, Domine, rogavi ut memor sis, sed accelera etiam : et hoc est, « *Exsurge, Deus,* » ad confortandum et liberandum. In Psal. XLIII, 23, supra : *Exsurge, quare obdormis, Domine ?* Et alibi, in Psal. LXVII, 2 : *Exsurgat Deus, et dissipentur,* etc.

« *Judica causam,* » non solum meam, vel illius populi pro quo rogavi, sed etiam « *tuam.* » Quasi diceret : Ad te pertinet, propter temetipsum fac. Supra, in Psal. XXXIV, 23 : *Exsurge, et intende judicio meo : Deus meus, et Dominus meus in causam meam,* quæ est tua, quia Luc. X, 16 : *Qui vos spernit, me spernit.* Et Matth. XXV, 45 : *Quamdiu non fecistis uni de minoribus his, nec mihi fecistis.*

« *Memor esto.* » Hic secundum, in quo ostendit, quod necesse sit quod adjuvet, et quod causa sua etiam sit per

[1] III Reg. II, 19 et 20 : *Venit ergo Bethsabee ad regem Salomonem, ut loqueretur ei pro Adonia... Dixitque ei : Petitionem unam parvulam ego deprecor a te : ne confundas faciem meam. Et dixit ei rex : Pete, mater mea, neque enim fas est ut avertam faciem tuam.*

ipsorum malitiam. Unde ostenditur primo in malitia et vituperiis continuatis. Secundo, malitiæ augmentum continuum, et intensio, ibi, « *Superbia eorum.* »

In prima duo. Primo, petit ut memoriam habeat. Secundo, inculcat ad majorem expressionem, ibi, « *Ne obliviscaris.* »

Ait ergo : Sic rogo ut exsurgas, et necesse est, quia o Domine, rogo, « *memor esto,* » qui videris nunc oblitus, *opprobriorum tuorum,* » contra te probatorum, non ad horam, imo, « *eorum, quæ ab insipiente* » populo « *sunt tota die,* » probata contra te, et inculcata.

23 « *Ne obliviscaris* » blasphemias « *inimicorum tuorum,* » qui vides ipsas operationes quantumcumque fiant in silentio. Genes. IV, 10 : *Vox sanguinis* Abel *fratris tui clamat ad me de terra.* Et XVIII, 20 : *Clamor Sodomorum et Gomorrhæ multiplicatus est,* et venit ad me. Sap. I, 10 : *Auris zeli audit omnia : et audita bene retinet.* Deut. XXXII, 34 : *Nonne hæc condita sunt apud me, et signata in thesauris meis?*

« *Superbia.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Non te moveant blasphemiæ prolatæ jugiter, imo hoc, quod « *superbia eorum qui te oderunt,* » « Romanorum, » dicit Glossa, id est, Titi et Vespasiani. Isa. XVI, 6 : *Audivimus superbiam Moab, superbus est valde.* « *Ascendit semper,* » intenditur et nescit terminum magis altior. Job, XX, 6 et 7 : *Si ascenderit usque ad cœlum superbia ejus, et caput ejus nubes tetigerit, quasi sterquilinium in fine perdetur.*

Vel, « *ascendit* » ad te, ut tu videas, et memor sis ad puniendum. IV Reg. XIX, 28 : *Superbia tua ascendit in aures meas,* et non dimittam, quin judicem : sed Isa. XLV, 2: *Gloriosos terræ humiliabo.* Et humiles exaltabo. Eccli. X, 17 : *Sedes ducum superborum destruxit, et sedere fecit mites pro eis :* quia Job, XXII, 29 : *Qui humiliatus fuerit erit in gloria :* ad quam nos perducat qui est benedictus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS LXXIV.

Recte vivendum quia imminet judicium Dei.

1. *In finem, Ne corrumpas, Psalmus Cantici Asaph.*
2. Confitebimur tibi, Deus, confitebimur, et invocabimus nomen tuum :
   Narrabimus mirabilia tua.
3. Cum accepero tempus, ego justitias judicabo.
4. Liquefacta est terra et omnes qui habitant in ea : ego confirmavi columnas ejus.
5. Dixi iniquis : Nolite inique agere : et delinquentibus : Nolite exaltare cornu.
6. Nolite extollere in altum cornu vestrum : nolite loqui adversus Deum iniquitatem.
7. Quia neque ab oriente, neque ab occidente, neque a desertis montibus.
8. Quoniam Deus judex est : hunc humiliat, et hunc exaltat :
9. Quia calix in manu Domini vini meri, plenus misto.

Et inclinavit ex hoc in hoc, verumtamen fæx ejus non est exinanita : bibent omnes peccatores terræ.

10. Ego autem annuntiabo in sæculum : cantabo Deo Jacob.

11. Et omnia cornua peccatorum confringam : et exaltabuntur cornua justi.

IN PSALMUM LXXIV

COMMENTARIUS.

I

In finem,
Ne corumpas, Psalmus Cantici Asaph [1].

« *Confitebimur tibi, Deus.* » Hic est Psalmus septuagesimus quartus in toto libro, in secunda parte vicesimus quartus. Cum enim in Psalmo præcedenti redarguerit incredulos Judæorum, quia saluti, quam operatus est Deus in medio terræ, non assentiunt, nec ejus participes existunt, et pro ipsis oraverit, in hoc Psalmo convertit sermonem ad illos, monens ut timeant futurum judicem Christum, quem nunc contemnunt redemptorem : unde de adventu ad judicium hic arguit, ostendendo qualiter boni se præparabunt, quando veniet, et quomodo : et monendo impios ut caveant a judice tam terribili, et sententia irrevocabili.

Psalmus agit de adventu Christi ad judicium.

Et hoc innuitur satis in titulo, qui talis est: « *In finem, ne* disperdas, vel *corrumpas, Psalmus Cantici Asaph.* » Et est sensus: « *Psalmus* » subjectus, qui est « *Cantici,* » quia de justorum lætitia quam habebunt in die judicii, secundum illud Psal. LVII, 11 : *Lætabitur justus cum viderit vindictam.* Et est « *Asaph,* » id est, pertinet ad congregationem bonorum : hoc intendit, ne tu Judæe, vel quicumque hæretice, disperdas sperantes in Christum, eos ab eo avertendo, ut non credant ipsum futurum remuneratorem, et dispergantur ad colligendas paleas per Ægyptum cum filiis Israel Ægyptiorum servis [2] : sed sint unum in charitate et fide, secundum illud Act. IV, 32 : *Erat* illis *cor unum, et anima una.* Vel, « *ne corrumpas* » fidem, judicium non credendo, ne sis de illis, de quibus dictum est, Psal. XIII, 1 : *Corrupti sunt, et abominabiles facti sunt* [3]. Tu, dico, tendens mente et consideratione « *in finem,* » ad litteram, in

[1] Tous les auteurs s'accordent, dit M. Lesêtre, à rapporter ce psaume au temps de l'invasion de Sennachérib. Au rapport de Théodoret, plusieurs manuscrits des Septante portaient déjà en titre la mention πρὸς τὸν 'Ασσύριον. Ce n'est pas un chant de triomphe après la délivrance, mais un chant de joyeuse espérance, à la suite d'une assurance formelle du secours divin. Le psaume n'est très probablement qu'un écho de la prophétie d'Isaïe, XXXVII, 33, par laquelle le prophète promet à Ezéchias que le Seigneur prendra soin de Jérusalem. « Il faut donc regarder notre psaume, dit Hengstenberg, comme une suite lyrique de la prophétie composée par Isaïe, quand les Assyriens menaçaient de tout ruiner, comme un témoignage de la foi vive avec laquelle le peuple d'alors reçut l'oracle divin, et comme une exhortation à l'Eglise de tous les temps, afin de s'attirer par une foi pareille un pareil secours. » Il est visible qu'en écrivant son psaume, Asaph avait très présent à la mémoire le cantique d'Anne, I Reg. II, dont il reproduit plusieurs pensées.

Au sens moral, ce psaume peut s'entendre du jugement qui décidera du sort éternel des bons et des méchants. « Psalmus iste tumori superbiæ medicinam humilitatis apportat, humiles autem consolatur in spe ; hoc agens, ut nec quisquam superbe de se præsumat, nec quisquam humilis de Domino desperet. » S. Aug.

[2] Cf. Exod. V, 7 et seq.

[3] Cf. etiam Psal. LII, 2.

judicii diem. Eccli. vii, 40 : *Memorare novissima tua, et in æternum non peccabis.* Thren. i, 9 : *Sordes ejus in pedibus ejus, nec recordata est finis sui.*

Hic Psalmus autem dividitur in duas partes. Primo, ponitur promissio humilis confessionis, orationis, et laudis, ut præparentur ad judicium beati, quorum congregatio hic loquitur. Secundo, certa prænuntiatio futuri, ut terreantur mali, ibi, « *Cum accepero tempus.* »

In prima tria secundum tria tacta. Primo, humilis confessionis promissio. Secundo, orationis et invocationis divinæ potentiæ, ibi, « *Et invocabimus.* » Tertio, enuntiationis et enarrationis mirabilium Dei, ibi, « *Narrabimus.* »

2 Dicit ergo : Sic miseri obstinati sunt, sed o « *Deus, confitebimur,* » confessione iniquitatis, de qua Jacob. v, 16 : *Confitemini alterutrum peccata vestra.* Et Prov. xxviii, 13 : *Qui abscondit scelera sua, non dirigetur : qui autem confessus fuerit, et reliquerit ea, misericordiam consequetur.* Et hoc « *tibi,* » id est, ad honorem et laudem tuam. Josue, vii, 19 : *Fili mi, da gloriam Domino Deo Israel,* scilicet non quæras propriam utilitatem, sicut hypocritæ, *et confitere,* scilicet peccatum tuum. Et rem explicat ad majorem confirmationem : « *Confitebimur* » ad gloriam, et hoc « *tibi,* » confitebimur, supple, ad nostram confusionem, et contra nos. Psal. xxxi, 5 : *Dixi : Confitebor adversum me injustitiam meam Domino.*

Vel, « *confitebimur* » confessione iniquitatis, ut dictum est. « *Confitebimur* » confessione fidei et laudis, de qua Apostolus ad Rom. x, 10 : *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Luc. xii, 8 : *Quicumque me confessus fuerit coram hominibus,* etc. Vel, « *confitebimur,* » et iterum confitebimur, ut frequentemus confessionem, Isa. xxiii, 16 : *Sume citharam, circui civitatem,... bene cane, frequenta canticum.* Vel, « *confitebimur* » universum, integram faciemus confessionem omnium peccatorum, non dimidiantes illam, ad minuendam culpam. Levit. xvi, 21 : *Sacerdos... confiteatur omnes iniquitates filiorum Israel, et universa delicta atque peccata.*

Debemus frequenter confiteri, et integre.

« *Et invocabimus,* » post confessionem humiliter deprecando, « *nomen tuum,* » Deum scilicet in auxilium, quia scriptum est, Joel, ii, 32 : *Omnis qui invocaverit,* intus scilicet vocaverit, *nomen Domini, salvus erit,* dummodo confessio præcesserit, quæ cor mundet, aliter Deus non veniret : unde optime præmisit, « *Confitebimur.* » Sap. i, 4 : *In malevolam animam non introibit sapientia.* Propter quod dicit etiam Cassiodorus : « Corda « nostra confessione purgemus, et sic ad « auxilium suscipiendum nomen Dei in« vocare debemus. » Eccli. xviii, 23 : *Ante orationem præpara animam tuam.*

« *Narrabimus mirabilia.* Hic tertium. Quasi diceret : Sic confessione facta, et oratione supposita, tunc « *narrabimus,* » aliis prædicando, « *mirabilia tua,* » quia aliter non auderemus : ne forte audiremus illud Psal. xlix, 16 et 17 : *Quare tu enarras justitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum? Tu vero odisti disciplinam,* etc: Post confessionem enim quæ purgat a malo, et orationem quæ replet bono, narrabimus quæ facturus es in judicio. Eccli. xv, 9 : *Non est speciosa laus in ore peccatoris.* Narrabimus etiam mirabilia, quæ jam fecisti in universo, de quibus Eccli. xi, 4 : *Mirabilia opera Altissimi solius.* Job, ix, 10 : *Qui facit magna, et incomprehensibilia, et mirabilia, quorum non est numerus.* Mirabilia quæ in cœlo, ubi jam pulchrum solium posuisti. Eccli. xliii, 2 : *Vas admirabile opus Excelsi.* Quæ in terra, in qua cæcos illuminasti, leprosos mundasti, mortuos suscitasti. Matth. xi, 5 : *Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt.* Quæ in mari, ubi super fluctus

Opera Christi mirabilia.

ambulasti, imperio turbidum sedasti[1]. Quæ in inferno, quem confregisti, et inde captivos extraxisti. Zach. IX, 11 : *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua.* Tob. XII, 20 : *Narrate omnia mirabilia ejus.* Eccli. XLII, 17 : *Nonne Dominus fecit sanctos enarrare omnia mirabilia sua?*

3 Secunda pars Psalmi. « *Cum accepero tempus.* » Hic est se cunda pars Psalmi, in qua subjungitur promissio de futuro judicio, ut mali terreantur : et dicuntur quatuor. Primo, agitur de tempore judicii. Secundo, de necessitate judicandi, quia omnes, paucis exceptis, sunt corrupti, ibi, « *Liquefacta est terra.* » Tertio, de publicatione judicii, ibi, « *Dixi iniquis.* » Quarto, de diversitate judicandorum, ibi, « *Ego autem.* »

Dicit ergo : Sic narrabimus mirabilia tua, vera membra Christi : unde alia littera habet : « Narrabo. » Quasi loqueretur totus Christus pro corpore, quæ mirabilia si non audierint homines, « *ego,* » ut referatur ad caput, « *justitias judicabo,* » non tantum injustitias, « *cum accepero tempus,* » ad judicandum.

Nota ergo, quod dicit, « *ego* » discretive, quasi diceret, non alius. Joan. V, 22 : *Pater omne judicium dedit Filio.* Et quod justitias judicabit : non enim tantum mali judicabuntur, sed etiam justi. Eccle. III, 17 : *Justum et impium judicabit Deus.* Si autem justitias, quid de injustitiis ? Bernardus : « Quid faciet « de injustitiis, qui etiam justitias judi« cabit ? »

Vel, « *justitias judicabo,* » quæ videntur apud homines justitiæ. Bernardus : « Valde verendum est ne tam subtili « examine multæ nostræ justitiæ inju« stæ reputentur. » Isa. LXIV, 6 : *Facti sumus ut immundus omnes nos, et quasi pannus menstruatæ universæ justitiæ nostræ.* Gregorius : « Sæpe sordet in « oculis judicis, quod fulget in oculis « operantis. » Sed, « *cum accepero tempus.* » Tunc autem timebimus ipsum. Ad Galat. VI, 10 : *Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei.*

« *Liquefacta est terra.* » Hic ostendi- 4
tur necessitas judicandi, quia omnes fluxerunt in peccatum, exceptis paucis a Deo confirmatis : unde duo dicuntur. Primo, omnium fere decursio in peccatum. Secundo, aliquorum a Deo confirmatio in bono, ibi, « *Ego confirmavi.* »

Dicit ergo : Sic judicabo tandem, et necesse est, quia « *terra liquefacta est,* » in vitia et peccata, « *et omnes qui habitant in ea,* » illi adhærendo.

Notandum enim, quod est liquefactio bona, quæ fit in anima per divinam collocutionem. Cantic. V, 6 : *Anima mea liquefacta est ut locutus est,* dilectus scilicet. Et mala per timorem. Judith, XVI, 18 : *Petræ,* scilicet peccatores frigidi timore, *sicut cera liquescent ante faciem tuam.* Per avaritiam, et concupiscentiam malam sicut hic, et Ezechiel. XXIV, 11 : *Pone eam super prunas* cupiditatis et ardoris acquirendi, *vacuam,* sine Dei gratia, *ut incalescat, et liquefiat æs ejus,* soliditas scilicet ejus, si aliqua est.

« *Ego confirmavi.* » Hic secundum. Quasi diceret : Sic est liquefacta, tamen « *ego confirmavi,* » ne tota rueret in perditionem, « *columnas ejus,* » sanctos scilicet eam sustinentes, sicut sustinetur ædificium a columnis. Proverb. IX, 1 : *Sapientia ædificavit sibi domum, excidit,* supple, in illa, *columnas septem,* sanctorum scilicet universitatem. Hinc de quibusdam sanctis dicebat Paulus, ad Galat. II, 9 : *Jacobus, et Cephas, et Joannes, qui videbantur columnæ esse.*

Et bene columnis comparantur sancti,

[1] Cf. Matth. XIV, 25.

Sancti colomnis cumparantur.

quia columna longa est, in quo longanimitas : gracilis, in quo humilitas : plana sine gibbis, in quo paupertas : rotunda, in quo æternitas, quam habent in desiderio. Hæ sunt columnæ in ferculo Salomonis. Cant. III, 10 : *Columnas ejus fecit argenteas.* Hæ columnæ circumdantes tabernaculum [1].

5 « *Dixi iniquis.* » Hic tertium, in quo agitur de judicii prænuntiatione et publicatione, ut mali sint inexcusabiles. Primo ergo tangitur omnium iniquorum admonitio ut caveant a malo. Secundo, cavendi ratio, scilicet divinum judicium, ibi, « *Quia neque ab Oriente.* »

In prima tria secundum triplex malum a quo est dissuasio. Primo, a malo operis. Secundo, cordis, ibi, « *Nolite extollere.* » Tertio, locutionis, ibi, « *Nolite loqui.* »

Dicit ergo : Sic columnas confirmavi, per quas « *dixi iniquis,* » nolens non admonitos punire : « *Nolite inique agere.* » Isa. I, 16 : *Quiescite agere perverse.* Non sitis de illis, de quibus Jerem. IX, 5 : *Ut inique agerent, laboraverunt.*

« *Et delinquentibus.* » In prima iterum duo. Primo, ut caveant a malo opere. Secundo, de mali operis manifestatione, ibi, « *Et delinquentibus* dixi per eos : *Nolite exaltare cornu,* » peccata si feceritis defendendo, potentiam si estis in illa extollendo, et minores deprimendo. Psal. CXL, 4 : *Non declines cor meum in verba malitiæ, ad excusandas excusationes,* etc. Multum enim displicet Deo cum delinquens non humiliatur per delictum, sed magis extollitur. Propter hoc dicit Cassiodorus : « Quod insana lætitia effundit, tristitia salutaris exurat : quos vulnerat elatio superbiæ, sanet humilis abjectio culpæ. » Item, Idem : « Nunc venit ad maximum vitium excusationis quo valde laborat humanitas, ut cum se quis non patitur dicere culpabilem, sed prætendit excusationes in peccatis. »

Contra maximum vitium excusationis.

« *Nolite extollere in altum.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic cavete a malo opere, et etiam « *nolite extollere in altum,* » id est, contra Deum qui altus est, « *cornu vestrum,* » intus blasphemando, murmurando. Dicit enim Glossa : « Si enim humiliaveritis cornu vestrum, Deus in vobis exaltabit suum. » Augustinus : « Cornu Christi exaltabitur in vobis, si non fuerit exaltatum cornu vestrum : cornu vestrum de iniquitate, cornu Christi de majestate. » I Reg. II, 1 : *Et exaltatum est cornu meum in Deo meo.* Non sicut illi qui dicunt, Amos, VI, 14 : *Numquid non in fortitudine nostra assumpsimus nobis cornua ?* 6

Et dixi : « *Nolite loqui iniquitatem adversus Deum,* » ut non sit in vobis peccatum locutionis. Supra, in Psal. LXXII, 8 : *Iniquitatem in excelso locuti sunt.* Isa. LVII, 4 : *Super quem lusistis ? super quem dilatastis os, et ejecistis linguam ?* Isa. LIV, 17 : *Omnem linguam resistentem tibi in judicio, judicabis.*

Mali homines et superbi sunt recte sicut limata, cum magno enim pondere incedunt. Isa. I, 4 : *Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate.* Cornu proferunt aliquando, sed cito retrahunt. Contra pauperes cornu emittunt, contra majores retrahunt : sed boni potestatem non timent. Psal. XCI, 11 : *Et exaltabitur sicut unicornis cornu meum.* Eccli. XLVIII, 13 : *In diebus suis non pertimuit principem, et potentia nemo vicit illum.*

« *Quia neque ab Oriente.* » Hic secundum, in quo post admonitionem malorum ut caveant, subjungitur ratio quare cavere debent : quia non poterunt evadere judicium : et dicuntur quatuor. Primo, quod nulla potest esse evasio, Secundo 7

[1] Cf. Exodi caput XXVI integrum.

ratio, quare non poterunt, ibi, « *Quoniam Deus judex est.* » Tertio, in judicio rectitudo, ut humiliet superbum et humilem exaltet, ibi, « *Hunc humiliat.* » Quarto, ratio hujus rectitudinis, ibi, « *Quia calix in manu Domini.* »

In prima duo. Primo, quod non est possibilis evasio. Secundo, quod nec absconsio, ibi, « *Nec a desertis.* »

Nullus poterit evadere judicium.

Ait enim : Sic cavete : « *Quia neque ab Oriente,* » veniet judex ut in Occidentem fugiatis, « *neque ab Occidente,* » ut in Orientem. Psal. CXXXVIII, 7 et 8 : *Quo ibo a spiritu tuo, et quo a facie tua fugiam? Si ascendero in cœlum, tu illic es,* etc. Amos, IX, 1 : *Non erit fuga eis. Fugient, et non salvabitur ex eis qui fugerit.* Sap. XVI, 15 : *Tuam manum effugere impossibile est.* Gregorius : « Fugiendi via ubique deest, quia qui te « judicat, ubique est. »

« *Nec a desertis montibus,* » supple, venit, ut ad montes fugias, et ibi lateas. Eccli. XVI, 16 et 17 : *Non dicas : A Deo abscondar, et ex summo quis mei memorabitur? In populo magno non agnoscar : quæ est enim anima mea in tam immensa creatura?* Vel sic : « *Nec a desertis montibus* » esse tibi poterit operimentum. Luc. XXIII, 30 : *Tunc incipient dicere montibus : Cadite super nos : et collibus : Operite nos*[1].

8 « *Quoniam Deus judex est.* » Ecce ratio evasionis impossibilis, quia Deus judicabit, qui nulli parcet. Proverb. VI, 34 et 35 : *Zelus et furor viri non parcet in die vindictæ, nec acquiescet cujusquam precibus, nec suscipiet pro redemptione dona plurima :* et omnes bene inveniet. Gregorius : « Deus est infra om- « nia non depressus, intra omnia non « inclusus, extra omnia non exclusus, « supra omnia non elatus. » Propter hoc dicitur, Isa. II, 12 : *Dies domini exercituum super omnem superbum et excelsum.* Spiritualis intelligentia plana est in Glossa.

« *Hunc humiliat, et hunc exaltat.* » 9
Hic tertium, scilicet judicii rectitudo. Quasi diceret : Sic Deus judex est, et rectus judex, quia « *hunc,* » Judæum scilicet, et quemcumque alium superbum, humiliat. Psal. CXVIII, 71 : *Bonum mihi, Domine, quia humiliasti me.* « *Et hunc,* » humilem Gentilem, et quemcumque alium humilem, exaltat. I Reg. II, 8 : *Suscitat de pulvere egenum, et de stercore elevat pauperem.* Job, V, 11 : *Ponit humiles in sublime, et mœrentes erigit sospitate.* De utroque, Proverb. XXIX, 23 : *Superbum sequitur humilitas, et humilem spiritu suscipiet gloria.* Eccli. X, 17 : *Sedes ducum superborum destruxit Deus, et sedere fecit mites pro eis.* Ezech. XVII, 24 : *Ego exaltavi lignum humile, et lignum sublime humiliavi.* Luc. I, 52 : *Deposuit potentes de sede,* etc.

« *Quia calix.* » Hic est quartum, ratio scilicet et causa hujus rectitudinis, sive probatio quod recte judicabit, per hoc quod jam fecit : quia scilicet legem a Judæis abstulit, et Gentibus dedit, transferens ad ipsos spiritualem intelligentiam, illis relinquens litteralem et carnalem : et secundum hæc dicuntur hic quatuor, et extenditur littera usque ibi, « *Ego autem.* »

Primo, ergo monstratur Christi potentia in comparatione ad legem. Secundo, translatio ipsius ad Gentilem, ibi, « *Et inclinavit.* » Tertio, specificatio quantum ad quid translata sit, ibi, « *Verumtamen fæx ejus.* » Quarto, quantum ad quid apud Judæos remanserit, ibi, « *Bibent.* »

In prima duo. Primo, quod in potestate Christi sit lex. Secundo, legem describit, ibi, « *Vini meri.* »

Dicit ergo : Sic humiliat superbum, et exaltat humilem : et hoc patet : « *Quia*

[1] Cf. Osee, X, 8.

calix, » id est, lex divina, in manu ejus, id est, in sua potestate. Ad Galat. III, 19: *Ordinata* est lex *per Angelos in manu mediatoris,* Christi scilicet, de quo alibi dicit Paulus, I ad Timoth. II, 5: *Mediator Dei et hominum Christus Jesus.*

Nomine calicis intelligitur lex vel potestas judiciaria Christi.

Calix autem dicitur lex, quia inde Dominus potat suos et inebriat. Cant. V, 1, ad hunc calicem invitat dicens : *Bibite et inebriamini charissimi.* Hic est calix Joseph in quo potat suos, et in quo auguratur, quia facit futura nuntiare [1]. Et supra, in Psal. XXII, 5 : *Et calix meus inebrians quam præclarus est !*

« *Vini meri.* » Hic describit. Quasi diceret : In manu Domini est calix, plenus vini meri, spiritualis scilicet intelligentiæ, et est Græcismus. « *Misto,* » id est, fæcibus conjuncto intelligentiæ literalis et carnalis. Prov. IX, 1 : *Sapientia ædificavit sibi domum.* Et infra, ℣. 2 : *Miscuit vinum, proposuit mensam.*

« *Et inclinavit ex hoc.* » Hic secundum. Quasi diceret : Sic in potestate sua habet legem : sed quid fecit? « *Inclinavit ex hoc,* » scilicet ex Judæo, « *in hoc,* » scilicet in Gentilem, a Judæis in Gentiles ipsam transferendo. Matth. XXI, 43 : *Auferetur a vobis regnum Dei,* sacra scilicet Scriptura : *et dabitur genti facienti fructus ejus.*

« *Verumtamen fæx ejus,* » carnalis scilicet intelligentia, « *non est exinanita,* » id est, annihilata, ad Gentilem translata, sed spiritualis tamquam vinum merum.

« *Bibent omnes.* » Hic quartum. Quasi diceret : Sic remanet adhuc carnalis intelligentia, sed « *omnes peccatores bibent* » illam tamquam potantes fæces. Ezech. XXIII, 34 : *Epotabis usque ad fæces, et fragmenta ejus devorabis.*

Aliter potest legi, ut calix appelletur hic sicut prius aliquo modo intelligentia mutata. Quasi diceret : « *Calix,* » id est, lex divina, « *in manu Domini, vini meri,* » cœlestis scilicet intellectus semper plenus quantumcumque hauriatur. Isa. LVIII, 11 : *Sicut fons aquarum, cujus non deficient aquæ.* Quippe exit ex indeficienti fonte, scilicet paradiso, mixto tamen cum ipso calice, quia ex duobus est, scilicet Veteri et Novo. Ezechiel. I, 16 : *Rota erat quasi in medio rotæ.* Mixtum ergo non habent Judæi, tantum Vetus recipientes. Mixtum non habent Manichæi, tantum Novo adhærentes : sed Christiani, utrique consentientes. III Reg. III, 26 : *Nec mihi, nec tibi sit,* dicunt lex Vetus, et Nova, *sed dividatur.* « *Et inclinavit ex hoc in hoc,* » ut prius. « *Verumtamen fæx ejus,* » ima et profunda divinæ sapientiæ, « *non est exinanita,* » id est, non sunt aperta, et in publico posita adhuc. Isa. XXIV, 16 : *Secretum meum mihi.* Psal. XVII, 12 : *Tenebrosa aqua in nubibus aeris.* Joan. IV, 11 : *Domine, neque in quo haurias, habes, et puteus altus est.* Tamen « *omnes peccatores terræ,* » id est, Judæi ut prius, « *bibent ex eo,* » in fine veritatem intelligentes, et cum aliis credentes. Isa. X, 21, et ad Rom. IX, 27 : *Reliquiæ Israel salvæ fient.* Isa. XIX, 21 : *Cognoscetur Dominus ab Ægypto,* a populo Judæorum, tenebris ignorantiæ excæcato.

Tertio modo legitur, ut » *calix* » judiciaria potestas in Christo appelletur. Hic calix de quo Dominus in Jerem. XXV, 15 : *Sume calicem vini furoris hujus de manu mea,* id est, sumendum intelliges. Hic est » *plenus viri meri,* » id est, justo judicio et æquissimo. Psal. VII, 12 : *Deus judex justus.* Vel vinum merum potest dici sanctorum gaudium, quo inebriabuntur secundum illud Psal. XXXV, 9 : *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ.* Et « *misto* » tandem, quia misericordia cum judicio. Psal. C, 1 : *Misericordiam et judicium cantabo tibi, Domine.* « *Misto* » etiam quoad illos qui adhuc sunt in præsenti, qui non purum, sed mixtum

[1] Cf. Genes. XLIV, 5 : *Scyphus, quem furati estis, ipse est in quo bibit Dominus meus, et in quo augurari solet.*

dolorem habent, secundum illud Prov. xiv, 13 : *Risus dolore miscebitur.* « *Et inclinavit,* » illam judiciariam potestatem, « *ex hoc,* » hoc est uno, « *in hoc,* » id est, in alium, ut omnes judicentur. II ad Corinth. v, 10 : *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum* [1]. « *Verumtamen fæx ejus,* » id est, pœnæ æterna, quæ est in divina justitia, « *non est exinanita,* » id est, non est finita, vel terminabilis. Isa. lxvi, 24 : *Vermis eorum non morietur, et ignis non exstinguetur.* Matth. xxv, 41 : *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum.* « *Bibent omnes peccatores terræ,* » ex illis fæcibus. Isa. li, 17 : *Bibisti de manu Domini calicem furoris iræ ejus : usque ad fundum calicis soporis bibisti, et potasti usque ad fæces.*

10 « *Ego autem annuntiabo.* » Hic est quartum secundæ partis, in quo agitur de diversitate judicandorum : et tanguntur duo. Primo, remuneratio bonorum in præsenti. Et secundo, bonorum et malorum in futuro, ibi, « *Et omnia cornua.* »

In prima duo. Primo, publicatio beneficiorum Dei. Secundo, exsultatio in Deo, ibi, « *Cantabo Deo Jacob.* »

Dicit ergo : Sic Judæi superbientes, fæces bibent de calice Scripturæ : « *Ego autem,* » dicit bonorum congregatio, caput cum membris, « *annuntiabo* » prædicando beneficia Dei, quæ invenio in spirituali Scripturæ intelligentia, « *in sæculum,* » quamdiu sæculum erit.

Vel sic : « *Bibent omnes peccatores* » fæces calicis Dei in inferno, « *Ego autem,* » cum meis, « *annuntiabo.* » Alia littera : « Gaudebo, » interius in corde, et hoc « in sæculum, » tenens quod promissum est. Junge ergo utramque litteram, et erit : Annuntiabo in gaudio, et lætanter prædicabo. Isa. lxi, 1 : *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me : ad annuntiandum mansuetis misit me.* Matth. xi, 5 : *Pauperes evangelizantur,* qui sunt membra, non solum caput.

« *Cantabo.* » Quasi diceret : Sic prædicabo aliis, et etiam « *cantabo Deo Jacob,* » id est, luctatoris, id est Deo qui fortis est, et me magnifice ab omni malo eripuit. Isa. xii, 5 : *Cantate Domino, quoniam magnifice fecit.*

« *Et omnia cornua peccatorum.* » Hic 11
remuneratio bonorum et malorum in futuro. Primo, malorum. Secundo, bonorum, ibi, « *Et exaltabuntur.* »

Ait enim : Sic annuntiabo, et cantabo, et tandem « *confringam omnia cornua* » peccatorum, quæ modo extollunt se contra Deum. Thren. ii, 3 : *Confregit Dominus in ira furoris sui omne cornu Israel.* Supra, ℣. 16 : *Nolite extollere in altum cornu vestrum.*

« *Et exaltabuntur cornua justi* » e contrario, quibus impugnavit diabolum et peccatum. Psal. xci, 11 : *Et exaltabitur sicut unicornis cornu meum.* Et alibi, Psal. lxxxviii, 25 : *Et in nomine meo exaltabitur cornu ejus.* Luc. i, 69 : *Erexit cornu salutis nobis, in domo David pueri sui.*

Cornua malorum, potentiæ, divitiæ et prudentia.

Et nota, quod mali tria habent cornua quæ confringentur. Unum cornu est potentia. Hoc confringetur per perpetuam servitutem. Jerem. xvi, 13 : *Servietis diis alienis die ac nocte, qui non dabunt vobis requiem.* I Reg. xxvii, 12 : *Multa mala operatus est contra populum suum Israel : erit igitur mihi servus sempiternus.* Secundum est temporalis abundantia. Hoc confringetur æterna paupertate, et egestate. Luc. xvi, 24 : *Mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linquam meam.* Magna inopia. Tertium, mundi sapientia, et confringetur per æternam tenebrosi-

[1] Cf. ad Roman. xiv, 10.

tatem in qua erunt. Abdiæ, ℣. 8 : *Perdam sapientes de Idumæa, et prudentiam de monte Esau.* I ad Corinth. I, 19 : *Perdam sapientiam sapientium, et prudentiam prudentium reprobabo,* ipsis rejectis in tenebras exteriores. Matth. xxv, 30 : *Inutilem servum projicite in tenebras exteriores.*

Sed cornua justorum, quibus impugnaverunt peccata : fides, spes, charitas. Hæc exaltabuntur : Fides usque ad apertam visionem, spes usque ad comprehensionem, charitas ad plenissimam fruitionem, ad quam nos perducat, etc.

Cornua justorum, fides, spes, charitas.

PSALMUS LXXV.

Gratiarum actio post reportatam victoriam.

1. *In finem, in laudibus, Psalmus Asaph, Canticum ad Assyrios.*
2. Notus in Judæa Deus : in Israel magnum nomen ejus.
3. Et factus est in pace locus ejus, et habitatio ejus in Sion.
4. Ibi confregit potentias arcuum, scutum, gladium, et bellum.
5. Illuminans tu mirabiliter a montibus æternis :
6. Turbati sunt omnes insipientes corde.
   Dormierunt somnum suum, et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis.
7. Ab increpatione aua, Deus Jacob, dormitaverunt qui ascenderunt equos.
8. Tu terribilis es : et quis resistet tibi ? ex tunc ira tua.
9. De cœlo auditum fecisti judicium : terra tremuit, et quievit :
10. Cum exsurgeret in judicium Deus, ut salvos faceret omnes mansuetos terræ.
11. Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi : et reliquiæ cogitationis diem festum agent tibi.
12. Vovete, et reddite Domino Deo vestro, omnes qui in circuitu ejus affertis munera.
   Terribili,
13. Et ei qui aufert spiritum principum, terribili apud reges terræ.

IN PSALMUM LXXV

COMMENTARIUS.

1 *In finem, in carminibus, Psalmus Asaph, Canticum ad Assyrios* [1].

« *Notus in Judæa Deus.* » Hic Psalmus septuagesimus quintus in toto libro, vicesimus quintus in secunda parte. Cum enim in Psal. XXIII Judæos monuerit ut suscipiant salutem in medio terræ factam, eos per adventum Christi ad futurum judicium in XXIV terruerit, hic tertio eos confundere intendit, monstrans eorum gloriam ad alios translatam, et aliam esse veram Judæam, et verum Israel esse, et veram Jerusalem, et veram Sion, ubi Deus cognitus est veraciter, et

Psalmus ostendit dona Judæis collata ad Gentes esse translata.

[1] Le désastre imminent des Assyriens avait inspiré le psaume précédent : dans celui-ci, le psalmiste rend grâces à Dieu d'avoir accompli sa promesse. Patrizi est seul à rapporter ce

quiescit perenniter, expulsis adversariis, votis ab eo receptis.

Et hoc monstratur in titulo qui talis est : « *In finem, in carminibus* [1], *Psalmus Asaph, Canticum ad Assyrios.* » Et est sensus : « *Psalmus* » subjectus convenit « *Asaph,* » id est, bonorum congregationi. Psalmus, inquam, dirigens, nos « *in finem* » nostrum Christum, in quo ostendit terminatam legem, et per ipsum omnia transisse. Ad Roman. x, 4 : *Finis legis Christus, ad justitiam omni credenti.* Et est « *Canticum in carminibus* » editum, quia agit de bonis et gratiis Gentilibus collatis, quod Deo confitentes, et ipsum cognoscentes, ab ipso illuminati et salvati sunt. I ad Corinth. iv, 7 : *Quid habes quod non accepisti?* Jacob. i, 17 : *Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum.* Hæc enim omnia bona a Deo simul cum Christo suscepit. Sap. vii, 11 : *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa.* Et est «*ad,* » id est, contra « *Assyrios,* » non contra illos litterales Assyrios, de quibus Angelus Domini octoginta millia una vice interfecit ante Jerusalem [2], sed contra significatos per illos, scilicet Judæos, qui dicuntur Assyriii, id est, dirigentes, sed per antiphrasim, et quasi irrisorie. Magis enim possunt dici errantes, et errare facientes, quam dirigentes. Sapient. v, 6 : *Ergo erravimus a via veritatis,* dicent ipsi in fine. Matth. xv, 14 : *Sinite illos : cæci sunt,et duces cæcorum: cæcus autem si cæco ducatum præstet,* etc. Vel possunt dici dirigentes, id est, erigentes : erexerunt enim se semper contra Deum. Ad Roman. x, 3 : *Suam justitiam quærentes statuere, justitiæ Dei non sunt subjecti.* Job, xv, 26 : *Cucurrit adversus eum,* scilicet Deum, *erecto collo,* et contra Omnipotentem. Et in facto etiam possunt dici Assyrii : quia sicut illi antiquitus populum Dei persequebantur, sic isti modo populum Christianum.

Quare Judæi dicuntur Assyrii?

Dividitur autem Psalmus in tres partes. Primo, tangit quæ bona a Judæis, in alias gentes transtulerit. Secundo, qualiter, et per quos, et quo ordine factum sit, ibi, « *Ibi confregit.* » Tertio, exhortando concludit, quod omnes indigni sint tanto beneficio, et tam terribili judici subjecti, solvendo quod promissum fuit, ibi, « *Quoniam cogitatio.* »

In prima quatuor, secundum quatuor quæ translata innuit ad Gentiles. Primum, divina cognitio. Secundo, Dei magnificatio, ibi, « *In Israel.* » Tertio, ipsorum Gentilium præelectio, ibi, « *Et factus est in pace.* » Quarto, inhabitatio electa de Gentilitate, ibi, « *Et habitatio ejus in Sion.* » Per primum est Gentilitas Judæa. Per secundum Israel. Per tertium hic Jerusalem. Et per quartum Sion.

2 Prima pars Psalmi.

Dicit ergo : « *Deus,* » quem vos repellitis, o carnales Judæi, est « *notus in Judæa* » spirituali, non apud vos. Dicit enim Isaias, i, 3 : *Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe Domini sui,* Gentilis populus prius animalis, *Israel autem,* scilicet populus meus, a meis descendentes, scilicet a Patriarchis, *me non cognovit.* Et rursum, Jer. viii, 7 : *Milvus in cœlo cognovit tempus suum : turtur,*

chant à la guerre de David contre les Ammonites, II Reg., x, 1-14; I Par., xix, 1-15 ; les autres commentateurs s'en tiennent à l'indication fournie par les anciennes versions, LXX : πρὸς τὸν Ἀσσύριον, Vulg. : « ad Assyrios, » et si bien confirmée par le texte même du psaume. On aurait peine, dit Delitzch, à trouver un autre psaume mieux d'accord que celui-ci avec la situation historique à laquelle on le rapporte. Le style est énergique et sublime, comme il convenait pour célébrer un si prodigieux événement : « chaque trait est d'une nationalité vivante ; dans nos chants de guerre et de victoire, les plus énergiques expressions de ce genre ne sont que des lauriers flétris. » Herder.

[1] Vulg. habet : *In laudibus.*

[2] Cf. Isa. xxxvii, 36 : *Egressus est angelus Domini, et percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia.*

et hirundo, et ciconia custodiunt tempus adventus sui : populus autem meus non cognovit judicium Dei. Et propter hoc spiritualis Judæa sunt Gentiles, et vera. Ad Roman. II, 28 et 29 : *Non enim qui est in manifesto, Judæus est : neque quæ in manifesto, in carne, est circumcisio : sed qui in abscondito, Judæus est, et circumcisio cordis in spiritu, non littera.* Judæa interpretatur *confitens.* Qui veraciter confitentur corde per contritionem, ore per confessionem, et opere per satisfactionem. Talibus cognitus est Deus, per abundantis gratiæ infusionem, non illis de quibus II ad Timoth. III, 5 : *Habentes quidem speciem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes.* Nec illis de quibus ad Tit. I, 16 : *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant.* Qui enim ostendit se Deo in pura confessione secundum illud Cantic. II, 14 : *Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua,* etc., ostendit illi Deus se. Job, XLII, 5 : *Nunc oculus meus videt te.*

« *In Israel.* » Hic secundum. Quasi diceret : Sic « *in Judæa* » spirituali cognitus est : et « *in Israel,* » supple, spirituali, « *magnum nomen ejus,* » id est, magnificatur nomen ejus, extollitur, et prædicatur, non in carnali. Illi enim dictum est, Ezechiel. XXXVI, 20 : *Et ingressi sunt ad gentes,... et polluerunt nomen sanctum meum.* Et ad Roman. II, 24 : *Nomen Dei per vos blasphematur inter Gentes.* Sed de veris Israelitis dicitur illud Matth. IX, 31 : *Illi vero diffamaverunt illam,* bona diffamatione, *in tota terra illa.* Et illud Isa. LXII, 6 : *Tota die et nocte in perpetuum non tacebunt,* scilicet laudare nomen Domini.

3 « *Et factus est in pace.* » Alia littera, « in Sale, » id est, in Jerusalem vera et spirituali, scilicet Ecclesia, quæ est pacifica. Matth. V, 44 : *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos.* Matth. VIII, 20 : *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo,* per pacem et concordiam, non divisi per rancorem : *ibi sum in medio eorum.* Locus meus sunt. II ad Corinth. XIII, 11 : *Pacem habete, et Deus pacis, et dilectionis erit vobiscum.* III Reg. XIX, 11 et 12 : *Non in commotione Dominus, et post commotionem ignis : non in igne Dominus, et post ignem sibilus auræ tenuis.* Ad hoc monstrandum voluit in Sabbato, quod est dies quietis, quiescere in sepulcro, et ibi locari, sed in carnali Jerusalem, quæ non quærit nisi mundana, pax non est, et propter hoc nec potest ibi esse locus Dei. Joan. XVI, 33 : *Hæc locutus sum vobis ut in me pacem habeatis. In mundo pressuram habebitis : sed confidite, ego vici mundum.*

« *Et habitatio ejus in Sion,* » in vera Sion, scilicet in Ecclesia per fidem Dominum continue speculante. Isa. LXII, 4 : *Vocaberis voluntas mea in ea, et terra tua inhabitata : quia complacuit Domino in te.* Ezech. XLVIII, 35 : *Nomen civitatis ex illa die, Dominus ibidem.* Hæc est Sion, id est, speculatio, quæ Deum speculatur per fidem. I ad Corinth. XIII, 12 : *Videmus nunc per speculum in ænigmate : tunc autem,* etc. Sicut per Salem pacifici, sic per Sion viri religiosi vel prælati : Sion enim *speculum* interpretatur, et ipsi debent esse speculum aliis, secundum illud Job, XXXIII, 27 : *Respiciet homines, et dicet : Peccavi, et vere deliqui, et, ut eram dignus, non recepi.* Per Judæam ergo confitentes, qui Deum cognoscunt : per Israel clerici, et studentes in sacris Scripturis, qui Deum magnificare debent et prædicare. Per Salem pacifici, qui jam Christum habent in se quiescentem : per Sion religiosi vel Prælati, qui familiarem, et cohabitantem.

Nota etiam hic, quod locus Dei fuit Virginis uterus, præsepium, crux, et sepulcrum. In primo dejecit superbiam, in secundo divitias, in tertio potentiam mundanam, claudi volens in loco modico.

4 Secunda pars Psalmi.

« *Ibi confregit.* » Hic secundum totius hujus Psalmi, quamvis aliquantulum aliter sit in Glossa signatum, in quo ostendit ordinem et modum, quo fuerit facta prædicta translatio, quia per dejectionem adversariæ potestatis, et manifestationem veritatis, et incussionem timoris : et secundum hoc dicuntur tria in hac parte. Primo, contrariæ potestatis dejectio. Secundo, veritatis manifestatio bonis, quamvis malorum fuerit conturbatio, et dormientium in terrenis, ibi, « *Illuminans tu mirabiliter.* « Tertio, timoris incussio per prænuntiationem futuri judicii, ibi, « *Tu terribilis.* »

In prima duo. Primo, dejectio contrariæ potestatis. Secundo, specificatio per metaphoras, et figuras, ibi, « *Arcum, scutum.* »

Dicit enim : Sic notus est in Judæa, magnificus in Israel, locum habens in Salem, et habitat in Sion. Nec mirum, quia « *ibi,* » in Ecclesia scilicet de Gentibus, « *confregit potentias* » dæmonum, qui in idolis venerabantur. Isa. XLVI, 1 : *Confractus est Bel, contritus est Nabo : facta sunt simulacra eorum bestiis et jumentis onera vestra gravi pondere usque ad lassitudinem.*

Quæ sint diaboli potentiæ ?

Potentiæ etiam diaboli appellantur munitiones ejus, id est, consilia, machinæ, scilicet sæculi potentes, multitudo exercitus, peccatorum diversitates et multitudines, et robur, scilicet obstinati. Sed totum destruxit Dominus per sanctas munitiones, id est, consilia, quia Paulus dicit, II ad Cor. X, 4 : *Arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes,* id est, machinas potentes dejecit, de quibus 1 Machab. VI, 52 : *Fecerunt et ipsi machinas adversus machinas eorum,* et balistas, *et pugnaverunt dies multos.* Et multitudines exercituum quæ magnæ sunt : sed tunc erant maximæ. Eccle. I, 15 : *Stultorum infinitus est numerus.* Isa. XXIX, 7 : *Erit sicut somnium visionis nocturnæ multitudo omnium gentium, quæ dimicaverunt contra Ariel.* Et robur, scilicet obstinatos. Prov. XXI, 22 : *Civitatem fortium ascendit sapiens, et destruxit robur fiduciæ ejus.*

« *Arcum, scutum.* » Hic quasi specificat. Et primo tangit eorum quæ ordinata sunt ad bellandum destructionem. Secundo, ipsius belli finem, ibi, « *Et bellum.* »

Ordinata autem tangit tria, quæ sunt ad impugnandum, et hoc de longe, et sic « *arcus:* » aut de prope, et sic « *gladius:* » aut ad defendendum, et sic « *scutum.* »

Dicit ergo : Sic confregit potentias « *arcuum,* » qui de longe percutit, et significat dolositatem. Supra, in Psal. XLV, 10 : *Arcum conteret, et confringet arma.* Jerem. IX, 3 : *Extenderunt linguam suam, quasi arcum mendacii.*

Et « *scutum* » defensionis peccati. Supra, in Psal. XLV, 10 : *Scuta comburet igni.* 1 Reg. XVII, 6 : *Clypeus æreus,* defensio resonans et sonora, *tegebat humeros ejus.*

« *Gladium* » perversarum suggestionum, quæ penetrant usque ad cor. Supra, in Psal. XXXVI, 14 : *Gladium evaginaverunt peccatores,* dæmones : quasi dicat, suggestiones perversas exstruxerunt. Ezech. XXI, 14 : *Duplicetur gladius, et triplicetur.* Et est aliquando valde acutus hic gladius, et apparet aliquando quod non sit multum malum, quod suggeritur, sed bonum. Ezech. XXI, 9 : *Gladius exacuatus est, et limatus :* exacuatus ut scindat, sed limatus ut splendeat.

« *Et bellum* ». Isa. II, 4 : *Nec exercebuntur ultra ad prœlium.* Si enim peccant aliquando in Ecclesia, tamen humiliter se subjiciunt, nec bellant defendendo culpam a sanctis eruditi, et Deo subjecti. Propter hoc Christo nato pacem Angelus nuntiavit[1].

[1] Luc. II, 13 et 14 : *Et subito facta est cum Angelo multitudo militiæ cœlestis, laudantium Deum, et dicentium : Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.*

5 « *Illuminans tu mirabiliter.* » Hic est secundum, scilicet illuminatio bonorum, et manifestatio veritatis eisdem, inde turbatis malis. Et dicuntur tria. Primo, bonorum illuminatio per sanctos. Secundo, insipientium et reproborum conturbatio, ibi, « *Turbati sunt.* » Tertio, ratio tantæ turbationis, ibi, « *Ab increpatione tua.* »

Dicit ergo : Sic confractæ fuerunt adversariorum potestates : et o tu, Domine, tu fuisti « *illuminans* » mundum quantum ad electos tuos. Joan. i, 9 : *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum :* verum est quantum ad seipsum, etsi omnes non sunt illuminati propter peccatum suum. Vel,omnem hominem qui illuminatur. Jacob. i, 17 : *Omne datum optimum, et omne donum perfectum, desursum est, descendens a Patre luminum.* Propter hoc dicebat Simeon de salutari quod receperat, Luc. ii, 31 et 32 : *Quod parasti, ante faciem omnium populorum : lumen ad revelationem Gentium.* Isa. xlix, 6 : *Dedi te in lucem Gentium.*

Et hoc, « *a montibus æternis,* » scilicet Apostolis, qui sunt *montes* altitudine vitæ. Psal. lxxxvi, 1 : *Fundamenta ejus in montibus sanctis.* Et *æterni,* quia non nisi æterna quæsierunt, et æterni facti sunt æternitatis participatione. Ad Coloss. iii, 1, 2 : *Si consurrexistis cum Christo,* facti scilicet montes alti, *quæ sursum sunt quærite,... non quæ super terram.* Non sitis montes Gelboe, quod interpretatur *decursus,* et significat prælatos in terrena per desiderium decurrentes. II Reg. i, 21 : *Montes Gelboe, nec ros, nec pluvia veniant super vos.* Isti sunt æterni colles, de quibus Genes. xlix, 26 : *Donec veniret desiderium collium æternorum.* Et alios illuminantes tamquam primo recipientes lucis radios a vero sole Christo, de quo Mal. iv, 2 : *Orietur vobis timentibus nomen meum Sol justitiæ.* Propter hoc dicit Gregorius : « Qui orientem solem videre non valet, « irradiatos ab illo montes consideret, » sicut faciebat David, Psal. cxx, 1 : *Levavi oculos meos in montes.*

6 « *Turbati sunt.* » Hic est secundum, scilicet reproborum conturbatio : et dicuntur tria. Primo, turbatio. Secundo, duratio in illa conturbatione : vel conversio, ibi, « *Dormierunt somnum suum.* » Tertio, damnum sequens ex illa turbatione, ibi, « *Et nihil invenerunt.* »

Dicit ergo : Sic illuminans bonos per montes : et super hoc « *turbati sunt* » qui deberent consolari magis, « *omnes insipientes corde.* » Hic addit ad expressionem majorem quod Paulus dicit, ad Rom. i, 21 : *Obscuratum est insipiens cor eorum*, unde deberent illuminari. Sunt enim corda quædam tantum amantia obscuritatem et ignorantiam, ut ad lucem turbentur. Job, xxiv, 17 : *Si subito apparuerit aurora, arbitrantur umbram mortis.* Psal. cvi, 27 : *Turbati sunt et moti sunt sicut ebrius.* Et alibi, Psal. lxxvi, 19 : *Illuxerunt coruscationes tuæ orbi terræ*, etc. De talibus Herodes et Judæi. Matth. ii, 3 : *Audiens autem Herodes rex,* natam lucem, *turbatus est, et omnis Jerosolyma cum illo.* Nec mirum, quia insipientes sunt sicut oculus infirmus. Et Augustinus dicit : « Oculis « ægris odiosa est lux. »

« *Dormierunt somnum suum.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic turbati sunt : sed numquid turbatione bona, quæ excitaret eos, et evigilaret a culpa ? Non : imo « *dormierunt,* » in his temporalibus, et in mundi deliciis quiescentes, « *somnum suum,* » ad differentiam somni sanctorum. Matth. xxv, 5 : *Dormitaverunt omnes et dormierunt :* in his bonis phantasticis, et in his quieverunt. Jerem. xlviii, 11 : *Fertilis fuit Moab ab adolescentia sua, et requievit in fæcibus suis.* Proprietas somni est quod dormiens quiescit ab operibus veris, et laborat in phantasticis. Augustinus : « Amaverunt « præsentia, et in ipsis obdormierunt. »

Cassiodorus : « Dormit qui profutura « negligit, et caduca perquirit. » Jerem. LI, 39 : *Inebriabo eos,* supple, amore terrenorum, *ut sopiantur, et dormiant somnum sempiternum.*

« *Et nihil invenerunt.* » Ecce tertium. Quasi diceret : Sic dormierunt in temporalibus, et post quando evigilaverunt, « *nihil invenerunt omnes viri divitiarum,* » viri a divitiis possessi, non ipsas possidentes, « *in manibus suis,* » in potestate scilicet sua. Job, XXVII, 19 : *Dives cum dormierit, nihil secum auferet : aperiet oculos suos, et nihil inveniet.* Isa. XXIX, 8 : *Sicut somniat sitiens, et bibit, et postquam fuerit expergefactus,... anima ejus vacua est.* « *Et nihil invenerunt,* » id est, peccatum invenerunt, quod nihil est. Joan. I, 3 : *Sine ipso factum est nihil.* Nihil autem invenerunt : quia nihil in manu pauperum posuerunt. Augustinus : « Da mihi ex eo quod dedit tibi : « habuisti me largitorem, habebis me « redditorem. » Item, idem : « Manus « pauperum sunt gazophilacium Dei, in « quibus si terrena mittis, largiendo ser- « vas, et servando mittis. » Amor temporalium similis est lethargiæ, ubi est humor viscosus ligans hominem in anteriore parte cerebri, et sic amittere facit usum sensuum, ut non possit stimulis vel impulsionibus excitari. Sic amatores temporalium inviscantur, et omnino obstupescunt ad ea quæ ante sunt. Ad Philip. III, 13 : *Quæ retro sunt obliviscens, ad ea vero quæ sunt priora extendens meipsum.*

Amor temporalium similis lethargiæ.

7 « *Ab increpatione tua.* » Hic tertium, ratio tantæ excæcationis ad visionem vel ortum luminis cœlestis. Nec oportet hoc dividere, sed continuetur, et construatur littera sic : Ita, Domine, turbantur et dormiunt : sed, o « *Deus Jacob,* » minoris populi, non majoris de Esau, « *qui ascenderunt equos* » superbiæ, et temporalis abundantiæ, quæ equus est sicut supra dictum fuit, Psal. XXXII, 17 : *Fallax equus ad salutem,* « *dormitaverunt,* » modo supra dicto, « *ab increpatione tua,* » id est, ab ira tua eos excæcante ut non videant veritatem. De iis equis, Isa. XXXI, 1 : *Væ qui descendunt in Ægyptum ad auxilium, in equis sperantes.*

Et nota, quod optime dicit : « *Dormitaverunt,* » non propter hoc quin dormiant fortiter amatores mundi, sed quia dormiunt, ut ita dicam, breviter. Proverb. VI, 10 : *Paululum dormies, paululum dormitabis*[1]. Increpatio autem Deo dicitur aliquando excæcatio, sicut hic dicitur. Aliquando cohibitio a malo, Supra, in Psal. LXVII, 31 : *Increpa feras arundinis.* Revocatio a malo, in Psal. CIII, 7 : *Ab increpatione tua fugient.* Æterna damnatio, Zachar. III, 2 : *Increpet Dominus in te Satan.*

« *Tu terribilis.* » Hic tertium, scilicet timoris incussio : et dicuntur tria. Primo, aptitudo in mittendo timorem in Deo ostenditur. Secundo, denuntiatio judicii tam horribilis ipsi mundo, ibi, « *De cœlo auditum.* » Tertio, timoris incussio toti mundo, ibi, « *Terra tremuit.* » 8

In prima duo dicuntur. Primo, asserit ipsum terribilem venturum ad judicium. Secundo, assignat causam quare debeat esse terribilis, ibi, « *Et quis resistet tibi ?* »

Deus terribilis in judicio.

Dicit ergo : Sic illuminasti mundum per Apostolos, quamvis alii conturbentur, et dormientes in temporalibus illis adhæreant : sed, o Domine, « *tu terribilis es* » futurus in judicio valde. Eccli. XLIII, 31 : *Terribilis Dominus, et magnus vehementer,* maxime in judicio. Ad Hebr. X, 27 : *Terribilis est quædam exspectatio judicii.*

« *Et quis resistet tibi ?* » Ecce secundum, causa quare terribilis, quæ assignatur duplex. Potentia cui resisti non pot-

[1] Cf. etiam Prov. XXIV, 33.

erit : et sententia contra malos, quæ irrevocabilis erit, ibi, « *Ex tunc.* »

Ait enim : Tu terribilis es, et quid mirum, quia « *et quis resistet tibi ?* » Quasi diceret : Nullus. Esther, XIII, 9 : *Non est qui possit tuæ resistere voluntati.* Job, IX, 4 : *Quis restitit ei, et pacem habuit ?* Et propter hoc terribilis. Job, XXV, 2 : *Potestas et terror apud eum est.*

« *Ex tunc,* » ex quo scilicet ad judicium venerit, « *ira tua,* » effectus scilicet iræ tuæ, pœnarum inflictio, et scientia contra malos est duratura, ut numquam revocetur. II Reg. I, 22 : *Sagitta Jonathæ*, Christi scilicet sententia, *numquam rediit retrorsum,* ut sit revocata, postquam prolata fuit in damnatos. Propter hoc dicitur dies judicii, « dies iræ, » quia nulla remissio, nullius peccati oblivio, quod non puniatur. Cassiodorus : « Dies « iræ dicitur, quia nihil ulterius per pa« tientiam dissimulabitur. » Sophon. I, 15: *Dies iræ, dies illa.* Et ex hoc terribilis, Isa. XXX, 27 : *Ardens furor ejus, et gravis ad portandum.* Nahum, I, 6 : *Ante faciem indignationis ejus quis stabit ?* Malach. III, 2 : *Quis poterit cogitare diem adventus ejus, aut quis stabit ad videndum eum ?* Propter hoc dicit Gregorius : « Pravitatem suam quisque deserat, Dei « patientiam pertimescat, ne qui tran« quillum modo despicit, iratum postmo« dum evadere non possit. »

9 « *De cœlo auditum.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Talis es, ita terribilis futurus, et ut terrorem mundo immitteres, « *tu fecisti auditum,* » hoc est, audire per prædicatores « *judicium* » venturum, « *de cœlo.* » Audita est vox, Zachar. IX, 14 : *Dominus Deus super eos videbitur : et exibit ut fulgur, jaculum ejus.* Et illud Daniel. VII, 13 : *Ecce cum nubibus cœli quasi Filius hominis veniebat.* Et illud Pauli, I ad Thess. IV, 16 : *Dominus in jussu, et in voce Archangeli, et in tuba Dei descendet de cœlo.* Et illud I ad Corinth. XV, 52 : *Canet enim tuba, et mortui resurgent incorrupti,* Vel de futuro, sicut vult Glossa. Quasi diceret : « *De cœlo auditum fecisti judicium,* » id est, facies rugiens sicut leo. Isa. V, 29 : *Rugitus ejus ut leonis, rugiet ut catuli leonum.*

« *Terra tremuit.* » Hic tertium, timoris incussio toti mundo propter judicium : et dicuntur tria. Primo, incussio. Secundo, utilitas illius incussionis, ibi, « *Et quievit.* » Tertio, tempus, ibi, « *Cum exsurgeret.* »

Dicit enim : Sic prædicatum est judicium, et hoc auditu, « *terra,* » homo scilicet terrenus, « *tremuit.* » Amos, III, 8 : *Leo rugiet, quis non timebit ?* Job, XXIII, 15 : *Et considerans eum,* scilicet Deum, *sollicitor timore.*

« *Et quievit,* » a culpa cessavit, ab idololatria : et ad fidem Dei seipsum convertit. Isa. XIII, 11 : *Quiescere faciam superbiam infidelium,* quod erit etiam in futuro, quando implebitur illud Marc. XIII, 8 : *Erunt terræmotus per loca.* Homines etiam tremebunt secundum illud Sapient. V, 2 : *Videntes turbabuntur timore horribili.* « *Et quievit.* » Id est, quiescet tunc peccator velit nolit a culpa, etsi non quiescat a pœna. Cassiodorus : Quies « ista sine requie est : quiescent enim a « malis operibus, sed in suppliciis non « quiescent : quippe qui æterna flamma « sunt cruciandi. » Sophon. I, 17 : *Tribulabo homines,* commovebo, et concutiam, *et ambulabunt ut cæci, quia Domino peccaverunt.* Sed cessabunt jam et omnino obmutescent. I Reg. II, 9 : *Impii in tenebris conticescent.*

Quies damnatorum sine requie

« *Cum exsurgeret.* » Hic determinat tempus, quando futurus est timor in mundo, quia post resurrectionem : in quo tanguntur duo. Resurrectio Christi, et ordinatio ad excellentiam judicii futuri, et salutis bonorum, ibi, « *Ut salvos.* » 10

Ait enim : Sic terra tremuit et quievit : sed quando ? « *Cum exsurgeret,* » id est, exsurrexisset, Deus venturus tandem

« *in judicium,* » quod figuratum fuit in illo materiali motu, qui fuit ad litteram in Christi Resurrectione. Matth. xxviii, 2 : *Et ecce terræmotus factus est magnus : Angelus enim Domini descendit de cœlo.* In fine autem tunc maxime Christo exsurgente ad judicium erit malis scientibus ejus potentiam. Psal. ix, 17 : *Cognoscetur Dominus judicia faciens.* Sapient. iv, 20 : *Venient in cogitatione peccatorum suorum timidi.* Alibi, in Psal. ix, 20 : *Exsurge, Domine, non confortetur homo,* etc. « *Cum exurget in judicium* » venturus, vel, « in judicio » sessurus cum bonis et malis. Joel, iii, 12 : *Consurgant, et ascendant Gentes in vallem Josaphat : quia ibi sedebo ut judicem omnes gentes in circuitu.*

Sed ad quid sic ? « *Ut salvos faceret,* » per illum timorem incussum toti mundo, non ipsum totum, sed omnes mansuetos terræ, qui suscipient mansute prædicationis doctrinam, secundum illud Jacob. i, 21 : *In mansuetudine suscipite insitum verbum, quod potest salvare animas vestras,* et dare vobis terram viventium. Psal. xxxvi, 11 : *Mansueti autem hæreditabunt terram.* Matth. v, 4 : *Beati mites : quoniam ipsi possidebunt terram.* Propter hoc, Sophon. ii, 3 : *Quærite Dominum, omnes mansueti terræ.*

11 « *Quoniam cogitatio.* » Hic est tertia pars Psalmi, in qua concluditur admonitio ut omnes reddant Deo vota sua, et ei se subjiciant : et dicuntur tria. Primo, allicit. Secundo, monet, ibi, « *Vovete.* » Tertio, ostendit quod necesse sit acquiescere admonitioni, ibi, « *Terribili.* »

ertia pars Psalmi.

Duo autem proponit illectiva vel inductiva, quare Deo vovendum et reddendum. Primum, acceptatio propositi confitendi culpam, et dimittendi. Secundo, delectatio Dei in detestatione dimissæ, ibi, « *Et reliquiæ.* »

Dicit ergo : Sic prædicatum est mundo judicium, sed, o Domine, « *quia cogitatio hominis,* » quæ cogitat mala confiteri, et dimittere, « *confitebitur tibi,* » a te confessio reputabitur, ut statim dimittas ei pœnam. Psal. xxxi, 5 : *Dixi : Confitebor adversum me injustitiam meam Domino : et tu remisisti,* etc. Et Proverb. xxviii, 13 : *Qui autem confessus fuerit, et reliquerit ea, misericordiam consequetur.* Vel, « *confitebitur tibi* » confessione laudis. Se tantum de peccato accusare, et peccatorem judicare, est Deo laudem dare. Josue, vii, 19 : *Fili mi, da gloriam Domino Deo Israel, et confitere,* supple, peccatum tuum.

« *Et reliquiæ cogitationis,* » id est, reliquæ cogitationes, post has quæ sunt in recordatione et memoria jugi culpæ ad ipsam omnino annihilandam et diminuendam, « *diem festum agent tibi,* » erunt tibi dies jucundæ et festivæ sicut festus dies. Hoc est quod dicitur, Luc. xv, 10 : *Gaudium erit coram angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente.* Sic cogitare peccati destructionem est virilis cogitatio. Isa. xxxii, 8 : *Princeps, ea quæ digna sunt principe cogitabit.* Et sic fit Deo festum Paschatis, festum Judæorum, id est, confitentium. Joan. vi, 4 : *Erat autem proximum Pascha, dies festus Judæorum.* Et quoniam ita est, « *vovete et reddite,* » etc.

Aliter legitur, ut ad antecedentia referatur. Quasi diceret : Mansuetos terræ salvabis : et dignum est, « *quoniam cogitatio hominis* » mansueti, (et intelligitur in hoc ipsum quod dicit, « *Hominis :* » est enim homo animal mansuetum a natura), « *confitebitur tibi,* » confessione laudis interius : « *et reliquiæ cogitationum,* » id est, opera bona ex cogitationibus relicta, omnibus servilibus abjectis, quæ sunt peccati opera. Joan. viii, 34 : *Qui facit peccatum, servus est peccati,* « *diem festum agent tibi,* » ut laudent te vita, et opere, et conversatione, secundum illud Psal. cxlv, 2 : *Laudabo Dominum in vita mea.*

12 « *Vovete et reddite.* » Hic secundum, in quo infert admonitionem : et dicuntur duo. Primo, admonitionem præmittit. Secundo, ostendit ad quos dirigit illam, ibi, « *Omnes qui in circuitu.* »

Monet autem duo. Primo, ad vovendum. Secundo, ad solvendum quod votum fuerit, ibi, « *Et reddite.* »

Dicit ergo : Quoniam sic est ut præmisi, propter hoc « *vovete,* » et post votum, « *reddite Deo vestro.* » Sed si vovere voluntarium est, quomodo hoc præcipit? Et notandum est, quod est duplex votum : necessitatis, quod est de his quæ necessaria sunt ad salutem, sicut abrenuntiare diabolo, et pompis ejus, et talia quæ profitentur baptizati. Et est tale votum magis recognitio debiti, quam votum proprie loquendo, et tale cadit sub præcepto : et de hoc loquitur hic. Est et aliud, quod est supererogationis, sicut servare virginitatem, intrare claustrum, et hujusmodi : et de tali non loquitur hic, nec hoc præcipit. Quod si de tali placet intelligere, tunc littera legenda est conjunctim, hoc est, si voveritis, reddite. Deuter. XXIII, 21 : *Cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere.* Eccle. v, 3 : *Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere : displicet enim ei infidelis et stulta promissio.* Deut. XXIII, 23 : *Quod semel egressum est de labiis tuis, observabis, et facies sicut promisisti Domino Deo tuo.*

Duplex votum.

« *Omnes qui in circuitu.* » Hic ostendit quibus loquitur. Quasi diceret : Sic reddite, « *omnes qui affertis munera* » acceptabilia, vos ipsos scilicet, « *in circuitu ejus* » existentes, et ipso in medio, ipse enim in medio est colentium se, et sibi vota solventium. Matth. XVIII, 20 : *Ubi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Apocalyps. VII, 17 : *Agnus, qui in medio Throni est, reget illos.* Hic est bonus circuitus. Videtur autem proprie loqui sacerdotibus, qui circumeuntes altare, munera offerunt sacrosancta. Unde sacerdos dicit illud Psalmi, XXV, 6 : *Lavabo inter innocentes manus meas, et circundabo altare tuum Domine.* Cassiodorus : « In circuitu res agitur, cum mu« nera fidelium sacratissimis altaribus « offeruntur. » Ad Rom. XII, 1 : *Obsecro vos, fratres, per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem.* Isa. XIX, 21 : *Cognoscent Ægyptii Dominum in die illa, et colent eum in hostiis et muneribus: et vota vovebunt Domino, et solvent.*

« *Terribili et ei.* » Hic tertium, in quo ostendit necessitatem reddendi votum per duo quæ tangit, quæ sunt in illo, cui vovetur. Terribilitas quæ primo tangitur, et potestas. Terribilitas incutiens timorem, potestas humilians etiam altitudinem. 13

Dicit ergo : Sic reddite illi, cui necesse habetis, scilicet « *terribili.* » Daniel. IX, 4 : *Obsecro, Domine Deus, magne et terribilis.* Supra, in Psal. LXXV, 8 : *Tu terribilis es, et quis resistet tibi?*

« *Et ei qui aufert spiritum.* » Hic tangitur potestas. Primo in comparatione ad majores, id est, ad principes qui paucioribus præsunt. Secundo, ad Reges, qui pluribus, ibi, « *Terribili apud reges.* »

Ait enim : Sic reddite terribili, id est, « *ei qui aufert spiritum,* » superbiam scilicet et elationem principum, ipsos humiliando. Job, VI, 4 : *Sagittæ Domini in me sunt, quarum indignatio ebibit spiritum meum,* elationem scilicet meam, et superbiam. Vel ad litteram « *aufert spiritum,* » id est, animam quando vult. Psal. CIII, 29 : *Auferes spiritum eorum, et deficient.* Daniel. V, 23 : *Deum qui habet flatum tuum in manu sua,... non glorificasti.* Imo, ipse est qui quando voluit præcepit, et factum est. Num. XXV, 4 : *Tolle cunctos principes sæculi, et suspende eos contra solem in patibulis,* etc.

« *Terribili apud reges terræ,* » qui majores sunt principibus, et aliis terribi-

les, quia Job, xxv, 2 : *Potestas et terror apud eum est.* Potestas, ut dejiciat illos statim de regia dignitate si voluerit, quod in multis fit. Eccli. x, 11 : *Omnis potentatus brevis vita.* Isa. xxii, 19 : *Expellam te de statione tua, et de ministerio tuo deponam te.* Et terror ut damnet æterna afflictione: quia etsi dicat Paulus, ad Hebr. x, 31 : *Horrendum est incidere in manus Dei,* tamen principibus horribilius : de ipsis enim dicitur, Sapient. vi, 6 : *Horrende et cito apparebit vobis, quoniam judicium durissimum in iis fiet qui præsunt.*

Sunt etiam boni reges, qui ablato a se spiritu superbiæ, humilitatis spiritu sunt repleti ut bene se corrigant, de quibus Prov. xxi, 1 : *Cor regis in manu Domini : quocumque voluerit, inclinabit illud.* Tales timent Deum, et habent horrori ipsum audientes ipsum dicentem, Luc. xii, 5 : *Ostendam vobis quem timeatis : timete eum, qui, postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam.* Et illud Isa. viii, 13 et 14 : *Dominum exercituum ipsum sanctificate: ipse pavor vester, et ipse terror vester. Et erit vobis in sanctificationem,* donec veniatis ad gloriam, ad quam nos perducat, etc.

PSALMUS LXXVI.

Afflictus clamat ad Dominum; recogitans Dei mirabilia in spem erigitur.

1. *In finem, pro Idithun, Psalmus Asaph.*
2. Voce mea ad Dominum clamavi : voce mea ad Deum, et intendit mihi.
3. In die tribulationis meæ Deum exquisivi : manibus meis nocte contra eum, et non sum deceptus.
   Renuit consolari anima mea :
4. Memor fui Dei, et delectatus sum : et exercitatus sum, et defecit spiritus meus.
5. Anticipaverunt vigilias oculi mei : turbatus sum, et non sum locutus.
6. Cogitavi dies antiquos : et annos æternos in mente habui.
7. Et mediatus sum nocte cum corde meo, et exercitabar, et scopebam spiritum meum.
8. Numquid in æternum projiciet Deus ? aut non apponet ut complacitior sit adhuc?
9. Aut in finem misericordiam suam abscindet, a generatione in generationem ?
10. Aut obliviscetur misereri Deus? aut continebit in ira sua misericordias suas?
11. Et dixi : Nunc cæpi : hæc mutatio dexteræ Excelsi.
12. Memor fui operum Domini, quia memor ero ab initio mirabilium tuorum :
13. Et meditabor in omnibus operibus tuis, et in adinventionibus tuis exercebor.
14. Deus, in sancto via tua : quis Deus magnus sicut Deus noster?
15. Tu es Deus qui facis mirabilia.
   Notam fecisti in populis virtutem tuam.
16. Redemisti in brachio tuo populum tuum, filios Jacob et Joseph.
17. Viderunt te aquæ, Deus : viderunt te aquæ, et timerunt : et turbatæ sunt abyssi.

18. Multitudo sonitus aquarum: vocem dederunt nubes.
Etenim sagittæ tuæ transeunt :
19. Vox tonitrui tui in rota.
Illuxerunt coruscationes tuæ orbi terræ : commota est, et contremuit terra.
20. In mari via tua, et semitæ tuæ in aquis multis, et vestigia tua non cognoscentur.
21. Deduxisti sicut oves populum tuum, in manu Moysi et Aaron[1].

IN PSALMUM LXXVI

COMMENTARIUS.

1 *In finem, pro Idithun, Psalmus Asaph* [2].

Psalmus docet transilire omnia et sequi Christum.

« *Voce mea ad Dominum.* » Hic est Psalmus septuagesimus sextus in toto libro, in secunda parte vicesimus sextus: in quo postquam obstinatos Judæos confutavit ostendendo per Christum ad Gentiles gloriam eorum translatam, et ei soli vero judici et terribili serviendum, ponit se in exemplum justorum congregatio omnia transiliens et dimittens, et ad Christum confugiens.

Et hoc innuitur in titulo, qui talis est : « *In finem, pro Idithun, Psalmus Asaph.*» Et est sensus : « *Psalmus* » subjectus convenit « *Asaph*, » id est, justorum congregationi, et « *in finem* » Christum nos ex toto dirigens. Loquitur « *pro Idithun,* » id est, pro transiliente, id est, in persona transilientis omnia, et ad Christum transeuntis, qui clamat Eccli. XXIV, 26 : *Transite ad me, omnes qui concupiscitis me.*

Psalmus autem hic dividi potest in

[1] Exod. XIV, 29.

[2] Asaph adresse son chant à Idithun, Psal. XXXIX, 1 ; LXII, 1 ; il y déplore amèrement les maux de sa nation, et cherche une consolation dans le souvenir des merveilles accomplies autrefois par le Seigneur en faveur de son peuple, en particulier du passage de la mer Rouge. On ne peut guère fixer la date de ce psaume, faute de particularités intrinsèques. Plusieurs le rapportent à la captivité de Babylone, mais dans cette hypothèse, on s'étonne qu'il ne soit fait aucune mention de la destruction du temple ; néanmoins cette omission perdrait beaucoup de son importance si on faisait écrire le psaume un certain nombre d'années après la ruine de Jérusalem. Hengstenberg, dont l'opinion est suivie par Delitzsch et quelques autres commentateurs, signale des ressemblances entre le psaume et le troisième chapitre d'Habacuc ; si, comme on l'admet généralement, c'est le prophète qui s'est inspiré du psalmiste, il faut que le psaume ait été écrit au plus tard sous Josias ou sous Manassé ; il se rapporterait alors à la ruine du royaume d'Israel. Patrizi, reprenant l'idée d'un commentateur du commencement du siècle, Pareau, croit que ce psaume ne fait qu'un avec le soixante-dix-neuvième ; la pensée qui termine l'un commence l'autre, il est vrai, et on peut signaler de plus une certaine similitude dans le sujet traité, mais il n'y a pas là de quoi conclure légitimement à l'unité des deux morceaux. On a trouvé aussi que la conclusion de notre psaume était bien brusque ; cette conclusion *ex abrupto* est pourtant un artifice poétique des plus significatifs : le psalmiste dans le malheur n'ose retracer le bonheur de ceux qui l'ont précédé, et s'arrête au seuil de cette prospérité qui pour les anciens succéda à l'esclavage.

C'est du reste dans le psaume entier qu'Asaph déploie un art de composition remarquable : il donne à sa pensée les nuances les mieux graduées, et quand après avoir exhalé sa douleur, il en vient à chanter ses espérances, il ne demande rien formellement à Jéhova, mais avec une merveilleuse délicatesse il se contente de rappeler au Seigneur ce qu'il daignait faire autrefois. Le psalmiste a du cœur de Dieu la même intelligence que les sœurs de Béthanie faisant dire au Sauveur : « *Ecce quem amas, infirmatur.* »

H. LESÊTRE.

partes duas principaliter. Primo enim Asaph declarat quomodo, et ad quid in Deum transierit omnibus prætermissis et contemptis. Secundo ostendit, quod dignum sit in illum toto affectu transire, qui tot bona per Christum contulit, ibi, « *Viderunt te aquæ.* »

Prima pars in tres dividitur. Primo, quod in Christum transierit orando, meditando. Secundo, quod ipso invento cogitaverit utrum Deus eum revocaturus sit a peccato et corruptione, ad statum incorruptionis et innocentiæ, ibi, « *Anticipaverunt vigilias.* » Tertio, quid invenerit in hac sua deliberatione, ibi, « *Et dixi : Nunc cœpi.* »

In prima duo. Primo, quod Deum exquisierit. Secundo, quod necessitate compulsus fuerit, ibi, «*Renuit consolari.*»

In prima duo. Primo, quod quæsierit voce. Secundo, quod opere, ibi, « *In die tribulationis.* »

In prima duo. Primo, quod quæsierit. Secundo, quod frustratus non sit, ibi, « *Et intendit mihi.* »

In prima duo. Primo, quod voce clamaverit ad Dominum. Secundo, ad quid clamaverit, ibi, « *Voce mea ad Deum.* »

2 Prima pars Psalmi.

« *Voce mea ad Dominum clamavi.*»

Ait ergo : Sic, miseri, translata est gloria vestra a vero judice et terribili, cui vota sunt reddenda : et propter hoc ego « *clamavi ad Dominum,* » non susurravi, vel mussitavi, sicut multi, de quibus Isa. XXIX, 4 : *Et erit quasi pythonis de terra vox tua, et de humo mussitabit eloquium tuum.* Imo, quod deterius est, sicut aliqui quidam, qui nec os suum aperiunt, de quibus in Psal. CXIII, 5 : *Os habent et non loquentur.* « *Clamavi autem voce mea,* » non aliena, et vicaria, sicut multi. Supra, in Psal. LXV, 17 : *Ad ipsum ore meo clamavi.* Ne cogar dicere illud Psal. XXXI, 3 : *Quoniam tacui,* per meipsum, *inveteraverunt ossa mea, dum clamarem tota die* per alium. Clamavi sicut ille qui clamat propter ignem. Joel, I, 19 : *Ad te, Domine, clamabo : quoniam ignis comedit speciosa deserti.* Item, sicut ille qui clamat propter belluam quando vult eum devorare. Bellua enim est culpa. Tob. VI, 2 et 3 : *Ecce piscis immanis exivit ad devorandum eum. Quem expavescens Tobias, clamavit voce magna, dicens : Domine, invadit me.* Item, sicut ille qui clamat propter latrones : peccata enim latrones sunt, quæ spoliant et vulnerant. Luc. X, 30 : *Incidit in latrones, qui despoliaverunt eum.* Abdiæ, ℣. 5 : *Si fures introissent ad te, quomodo conticuisses ?* Item, sicut qui clamat propter hostium multitudinem insequentem ad mortem. Exod. XIV, 10 : *Levantes filii Israel oculos, viderunt Ægyptios post se : et timuerunt valde : et clamaverunt ad Dominum.* Item, sicut clamat homo videns tempestatem irruere super se, sicut Jonæ, I, 4 et 5 : *Facta est tempestas magna in mari, et navis periclitabatur conteri. Et timuerunt nautæ, et clamaverunt ad Deum suum.* Sicut Petrus clamabat ad Christum, videns tempestatem super se venientem [1]. Sicut ille qui dolet propter vulnerum inflictionem : peccatum enim vulnus pessimum est. Isa. XXXVIII, 13 : *Quasi leo sic contrivit omnia ossa mea.* Et subdit, ℣. 14 : *Sicut pullus hirundinis, sic clamabo.* Propter rei multum diligendæ amissionem. Exod. XII, 30 : *Ortus est clamor magnus in Ægypto : neque enim erat domus in qua non jaceret mortuus.* Sicut ille qui clamat propter rei dilationem, et clamat ut cito habeat. Sic qui dicebat : *Et clamor meus in conspectu ejus,* existens moraliter, quia illa quæ ibi sunt desidero et affecto, *introivit in aures ejus* [2]. « *Voce mea ad Dominum* » facta, et in ipsum tendente, ut ipsum possim habere : ad illud enim est res propter quod fit.

Varii clamores.

« *Et intendit mihi.* » Non fraudatus,

[1] Cf. Matth. XIV, 30.

[2] Psal. XVII, 7.

non deceptus a proposito. Exod. III, 7 et 8 : *Vidi afflictionem populi mei, in Ægypto,...et descendi ut liberarem eum.* Adest clamantibus paratus semper adjuvare et liberare. Deut. XXII, 25 et seq.: Si corrupta fuerit virgo, et clamaverit, non est rea : si autem non clamaverit, rea erit.

3 « *In die tribulationis.* » Hic secundum, in quo dicit se quæsivisse opere : et tanguntur tria. Primo, tempus quando sic quæsierit. Secundo, modus quærendi, ibi, « *Manibus meis.* » Tertio, fructus, ibi, « *Et non sum deceptus.* »

Dicit ergo : Sic quæsivi voce, et etiam « *in die tribulationis meæ,* » adhuc me stimulante, Deum exquisivi. Osee, VI, 1 : *In tribulatione sua mane consurgent ad me.* Jerem. II, 27 : *In tempore afflictionis suæ dicent : Surge, et libera nos.* Et dicitur tribulatio *in die* fieri, vel dies esse per effectum, quia mentem tribulati illuminat. Isa. XXVIII, 19 : *Vexatio intellectum dabit auditui.*

Quare tribulatio dicitur dies et nox ?

« *Manibus meis,* » id est, operibus meis, « *contra eum,* » vel « coram eo, » erectis vel factis : « *nocte* » tribulationis. Idem ergo dies, et nox dicitur. Dies, quia illuminat post tribulationis consummationem. Nox, quia turbat cum inest præsentialiter. Isa. XXI, 11 et 12 : *Custos quid de nocte ?* adversitatis illatæ et miseriæ : *quid de nocte ?* innatæ. *Dixit custos : Venit mane, et nox,* supple, nunc est : *si quæritis, quærite.* Cant. III, 1 : *In lectulo meo per noctes quæsivi quem diligit anima mea.* Quæsitionis autem bonus modus est, quærere manibus puris, et mundis operibus. I ad Timoth. II, 8 : *Levantes puras manus.*

« *Et non sum deceptus,* » invento. Sapient. I, 2 : *Quærite illum, quia invenitur ab his qui non tentant illum.* Psal. LXXVII, 30 : *Non sunt fraudati a desiderio suo.* Oratio enim primo expugnat

Orationis multiplex effectus.

inimicos, qui eam volunt impedire, quod signatum fuit, Exod. XVII, 11, ubi Moyse levante manus, et orante, vincebantur inimici [1]. Sanat, si contingat esse afflictum ab adversario, Marc. IX, 28 : *Hoc genus dæmoniorum in nullo potest exire nisi in oratione, et jejunio.* Deum placat, Exod. XXXII, 10 : *Dimitte me, ut irascatur furor meus super eos.* Et dixit Moyses, ℣. 31 et 32 : *Domine, dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti.* Cœlos penetrat, Eccli. XXXV, 21 : *Oratio humiliantis se nubes penetrabit.* Impetrat, Joan. XIV, 13 : *Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam.*

« *Renuit consolari.* » Hic secundum primæ partis totius hujus Psalmi, in quo subjungitur necessitas sic petendi, scilicet afflictionis vehementia : et dicuntur duo. Primo, carentia et fuga consolationum in tribulatione. Secundo, quod est quasi secutum in tribulationis vehementia, cum dicit : « *Et Defecit spiritus.* »

In prima duo. Primo, fuga consolationum materialium, et malorum. Secundo, ne credatur omnibus carere, præsentia spiritualium, ibi, « *Memor fui.* »

Dicit ergo : Sic clamavi transire volens in Christum : nec mirum, quia « *anima mea renuit,* » vel negavit « *consolari* » consolationibus carnalibus, et impegit ad inquirendum Deum, sciens illud Luc. VI, 24 : *Væ vobis divitibus, quia habetis consolationem vestram.* Scio etiam, quod illam habens fraudatur a divina. Bernardus : « Delicata est divina « consolatio, non dabitur recipientibus « alienam. » Propter hoc dicebat Job, VI, 9 et 10 : *Solvat,* scilicet Deus, *manum suam, et succidat me. Et hæc mihi sit consolatio, ut affligens me dolore, non parcat.* Ubi dicit Glossa, « A regno cœlorum « se alienat, qui in temporalibus conso- « lationem exspectat. »

[1] Exod. XVII, 11 : *Cumque levaret Moyses manus, vincebat Israel.*

4 « *Memor fui.* » Hic secundum, scilicet præsentia spiritualium. Et tangitur primo præparatio ad consolationem. Secundo, delectatio et consolatio, ibi, « *Et delectatus.*»

Dicit ergo : Sic illas renui, et his expulsis, « *memor fui Dei.*» Thren. III, 20 : *Memoria memor ero.* Et in eodem, ỳ. 19 : *Recordare paupertatis, et transgressionis meæ.* Cant. VIII, 6 : *Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum,*

« *Et delectatus sum.* » Hic secundum, delectatio : et tanguntur duo. Delectatio, et in delectatione exercitatio, ibi, « *Et exercitatus sum.* »

Ait enim : Sic memor fui Dei, et delectatus sum in illo. Isa. LVIII, 14 : *Tunc delectaberis super Domino.* Quippe saporem habet in intellectu. Eccli. XXIV, 27 : *Spiritus meus super mel dulcis*, in affectu et suavissimum et jucundissimum. Osee, XIV, 8 : *Memoriale ejus sicut vinum Libani.*

« *Et exercitatus sum,* » in illa delectatione libenter immorando. Matth. XVII, 4, dixit Petrus gustata consolatione : *Domine, bonum est nos hic esse.* Alia littera : « Et garrivi. » Delectatio enim in Deo garrulam facit animam, ut non possit se continere quin aliquid dicat, nec potest totum effundere, quod est quædam jubilatio. Sophon. III, 14 : *Jubila Israel, et exalta in omni corde tuo.* Matth. XII, 34 : *Ex abundantia cordis os loquitur.* Psal. XLIV, 2 : *Eructavit cor meum verbum bonum.*

« *Et defecit.* » Ecce secundum, scilicet miseriæ vehementia usque ad defectum spiritus. Melius tamen potest dici secundum Glossam illam, quia primo est Dei memoria. Secundo, delectatio in illa. Tertio, exercitatio in habita consolatione. Quarto, defectio illius spiritus præ amoris vehementia, secundum illud III Reg. x, 1 et seq., Regina Saba, postquam viderat Regem Salomonem, et domos ejus, et ejus sapientiam, et servorum suorum cultum et ordinem, *non habebat ultra spiritum.* Hinc Gregorius : « Quanto in nobis spiritus Dei crescit, « tanto noster in nobis deficit, et tanto « in Deo plene proficimus, cum in nobis « ipsis funditus deficimus. »

« *Anticipaverunt.* » Hic secunda pars Psalmi, in qua ostendit quod inquisierit in oratione sua, utrum Deus ipsum revocaturus sit misericorditer ad incorruptionem. Et dicuntur hic tria. Primo, sufficiens sui præparario ad meditandum. Secundo, diligens et pura meditatio, ibi, « *Et meditatus sum.* » Tertio, specificatio ejus, super quo meditatur, ibi, « *Numquid in æternum.* » 5 Secunda pars Psalmi.

In prima dicuntur quatuor. Primo, sollicitudo præveniens. Secundo, affectatio meditandi, ibi, « *Turbatus sum.* » Tertio, quies, ibi, « *Et non sum locutus.* » Quarto, mentis elevatio, ibi, « *Cogitavi dies.* »

Dicit ergo : Sic oravi, nec fui deceptus, et etiam « *oculi mei* » ad litteram, vel interiores affectiones et desideria, « *anticipaverunt vigilias,* » aliquos præveniendo. Psal. CXVIII, 148 : *Prævenerunt oculi mei ad te diluculo.* Bonæ vigiliæ sunt de quibus Eccli. XXXI, 1 : *Vigilia honestatis tabefaciet carnes.*

« *Turbatus sum,* » præ desiderio in fervore sciendi veritatem, et habendi locum meditandi, et est turbatio timoris, cum timet ut non accidat quod desiderat. Job, XXIII, 15 : *A facie ejus turbatus sum : et considerans eum, timore sollicitor.* Sed non turbatione desperationis, de qua Jerem. XVII, 15 : *Ego non sum turbatus, te pastorem sequens.*

« *Et non sum locutus.* » Ecce silentium quietum. Ezechiel. III, 15 : Mansi ibi tacens [1]. In Psal. XXXVIII, 2, supra : *Posui ori meo custodiam.* Et rursus,

[1] Vulg. habet, Ezech. III, 15 : *Mansi ibi septem diebus mœrens.*

℣. 3 : *Obmutui, et humiliatus sum, et silui a bonis.* Sciebam enim, quod loqui non prodesset. Job, XVI, 7 : *Si locutus fuero, non quiescet dolor meus.*

Alia littera habet : « Inimici mei anticipaverunt, etc. » Et est causa quare defecit spiritus præ turbatione, et dolore : quia dæmones anticipant ad impugnandum. Thren. IV, 19 : *Velociores fuerunt persecutores nostri aquilis cœli.* Et bene dicit, quod vigilias anticipant, quia semper vigilant. Job, XXX, 17 : *Qui me comedunt, non dormiunt.* Et propter hoc « *turbatus sum,* » nesciens, quid dicturus aut facturus essem.

« *Et non sum locutus,* » tacite præeligens. Exod. XIV, 14 : *Dominus pugnabit pro vobis, et vos tacebitis.* Sed quomodo, cum superius dixerit clamasse voce ? Respondeo. Sancti piis vocibus in oratione seipsos et spiritum suum excitant, postmodum rapti in exstasi mentis silent.

6 « *Cogitavi dies antiquos.* » Hic est quartum præparatorium ad meditandum, elevatio sui ad superna : et dicuntur duo. Primo, revocatio ad memoriam status Adæ, in quo corruit. Secundo, status gloriæ, quem peccando amisit, ibi, « *Et annos æternos.* »

Consideratio status peccati et gloriæ valde utilis.

Dicit ergo : Sic silui, et levans mentis oculos ad præterita, « *cogitavi dies antiquos,* » in quibus Adam cecidit per peccatum. Deut. XXXII, 7 : *Memento dierum antiquorum, cogita generationes singulas.* Utile enim est valde. Isa. XLVI, 8 : *Redite prævaricatores ad cor, et recordamini prioris sæculi.*

« *Et annos æternos,* » quos amisit per peccatum, nisi per misericordiam Dei et pœnitentiam illos recuperasset, « *in mente habui,* » cogitans de illis. Hi sunt anni de quibus in Job, XXXVI, 11 : *Complebunt... annos suos in gloria.* Et in Psal. CI, 28 : *Tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient.* Ibi debet esse oculus viri justi. Deut. XXXIII, 28 : *Oculus Jacob in terra frumenti, vini.* Job, XXXIX, 29 : *Inde contemplatur,* aquila scilicet, *escam, et de longe oculi ejus prospiciunt.* Jerem. LI, 50 : *Recordamini procul Domini, et Jerusalem ascendat super cor vestrum.*

« *Et meditatus sum.* » Hic secundum, 7
scilicet pura et diligens meditatio. Et primo tangitur meditatio. Secundo, subinfertur puritas, ibi, « *Et scopebam.* »

Diligentia monstratur in duobus. In tempore, ibi, « *Nocte.* » Et in modo, qui tangitur in duobus, quia veraciter et attente, quia frequenter, non tantum semel. Primum, in hoc quod dicit, « *Cum corde meo.* » Secundum, in hoc quod subinfertur, « *Et exercitabar.* »

Dicit ergo : Sic me præparavi, « *et meditatus sum nocte,* » quando tempus magis aptum. Isa. XXVI, 9 : *Anima mea desideravit te in nocte.* Thren. II, 19 : *Consurge : lauda in nocte,* et meditare, quia tunc vera acquiritur sapientia. Sapient. VI, 15 : *Qui de luce,* id est, a principio lucis, quando adhuc quasi nox, *vigilaverit ad illam, non laborabit : assidentem enim foribus illam inveniet.*

Et hoc « *cum corde meo* » confabulans, et illi loquens. Eccli. XXXII, 15 et 16 : *Præcurre prior in domum tuam,* et considera in mente, *et illic avocare, et illic lude : et age conceptiones tuas,* et tunc poterit cor calefieri et inflammari ad aliquod bonum. In Psal. XXXVIII, 4 : *Concaluit cor meum intra me,* supple, revocatum.

« *Et exercitabar,* » in ipsa meditatione perseverans. Eccli. XXX, 24 : *Congrega et contine cor tuum in sanctitate.* Anima quæ non exercetur, sine dubio cito rubiginatur : si exercetur, lucida redditur. Prov. XXV, 4 : *Aufer rubiginem de argento, et egredietur vas purissimum.*

« *Et scopebam,* » scopa diligentis confessionis, « *spiritum meum,* » ut posset videre verum. Et jungit optime hæc duo :

quia si scopis mundetur omnia, et non exerceatur, sed vacet, tunc citius occupatur a dæmonibus. Luc. XI, 25 et 26 : *Invenit eam scopis mundatam, et ornatam : tunc vadit et assumit septem alios spiritus nequiores se, et ingressi habitant ibi.*

8 « *Numquid in æternum ?* » Hic tertium, scilicet specificatio eorum, quæ meditabatur : et erant duo. Primum pertinet ad iram Dei et vindictam. Secundum, ad misericordiam, ibi, « *Aut in finem.* »

In prima duo. Primo, tangitur quod pertinet ad iræ durationem. Secundo, ad ipsius intentionem, ibi, « *Aut non apponet.* »

Ait ergo : Sic meditatus sum. Et quid hoc ? « *Numquid in æternum ?* » Ecce duratio, « *projiciet Deus,* » supple, hominem. Et Glossa : « *Projiciet,* » id est, « projectum per peccatum primi homi« nis sic dimittet. » Jerem. XIV, 19 : *Numquid projiciens abjecisti Judam ? aut Sion abominata est anima tua ?* Et potest responderi, quod non : imo derelictus et projectus non derelinquit. Gregorius : « Ostendit Deus quantum nos « diligit, qui etiam dum derelinquitur « non derelinquit. » II Reg. V, 2 : *Cum esset Saul,* id est, diabolus, *rex* super nos, scilicet per peccatum, *tu eras educens, et reducens Israel.*

« *Aut non apponet ut complacitior sit adhuc* » miserando, quam iratus fuerit puniendo? Quasi diceret : Non. Sic Isa. LIV, 7 : *Ad punctum in modico dereliqui te, et in miserationibus magis congrebabo te.*

9 « *Aut in finem.* » Hic tangit quod pertinet ad misericordiam : et dicuntur tria. Primum pertinet ad evacuationem misericordiæ omnino in effectu. Secundum, ad negligentiam miserendi, ibi, « *Aut obliviscetur.* » Tertium, ad subtractionem ad tempus, ibi, « *Aut continebit.* »

Dicit ergo : Sic meditando cogitabam de ira Dei, et etiam de misericordia, quia etiam dicebam : « *Aut* numquid *misericordiam suam,* » quæ ei propria est, « *abscindet,* » omnino abjiciendo, « *a generatione* » malorum « *in generationem* » bonorum ? Et hoc « *in finem,* » id est, finaliter, vel « *in finem* » temporum illam non extendendo. Quasi diceret : Non. Thren. III, 22 : *Non defecerunt miserationes ejus.* Sed veniet tempus cum dicetur illud Apostoli ad Tit. II, 5 : *Non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam,* etc. Et extenditur a generatione Judæorum ad generationem Gentilium, ut sic omnes salvaret. Joan. XI, 51 et 52 : *Cum esset pontifex anni illius, prophetavit, quod Jesus moriturus esset pro gente, et non tantum pro gente, sed ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum.* I Joan. II, 2 : *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.*

« *Aut obliviscetur misereri Deus.* » 10
Ecce secundum. Quasi diceret : Et meditabar : « *Aut* numquid *obliviscetur misereri* » per negligentiam, si non abscindit per impietatem misericordiam suam Deus ? Quasi diceret : Non est possibile. Isa. XLIX, 15 : *Numquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui ? Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui.* Psal. XXIV, 6 : *Reminiscere miserationum tuarum, Domine, et misericordiarum tuarum, quæ a sæculo sunt.* Non enim est sicut struthio, de qua dicitur Job, XXXIX, 14 et seq. : *Derelinquit ova sua in terra,... obliviscitur quod pes conculcet ea, aut bestia agri conterat. Duratur ad filios suos, quasi non sint sui.* Genes. VIII, 1 : *Recordatus* est *Dominus Noe, cunctorumque animantium.* Non potest sic oblivisci. Nec est contrarium illud Thren. V, 20 : *Quare in perpetuum oblivisceris nostri ? Et derelinques nos in longitudi-*

ne dierum? Hoc enim dicebat admirando, non asserendo. Nec illud Osee, I, 6 : *Non addam ultra misereri domui Israel, sed oblivione obliviscar eorum.* Hoc enim intelligendum erat sub conditione, si noluerint reverti.

« *Aut continebit,* » ut non effluant, « *misericordias suas?* » Et hoc « *in ira sua.* » Ita ad tempus aliquando, secundum illud Isa. LXIII, 15 : *Ubi est... multitudo viscerum tuorum, et miserationum tuarum? super me continuerunt se.* Habac. III, 2 : *Cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis.* Totum enim perditum esset, si misericordias contineret, ut gratiæ non effluerent. Job, XII, 15 : *Si continuerit aquas,* gratiæ et misericordiæ : *omnia siccabuntur,* ardore concupiscentiæ. Psal. LIX, 3 : *Iratus es, et misertus es.*

11 « *Et dixi : Nunc cœpi.* » Hic est tertium primæ partis totius hujus Psalmi, in quo manifestat quid in sua meditatione et discussione invenerit : et dicuntur duo. Primo, manifestat quid invenerit. Secundo, quasi in gratiarum actionem prorumpit, ibi, « *Deus in sancto.* »

Dicuntur autem tria. Primo, quod invenerit veritatem. Secundo, specificat illam, ibi, « *Hæc mutatio.* » Tertio, probat quod vere ita sit, ibi, « *Memor fui.* »

Dicit ergo : Sic meditatus sum utrum Deus ad misericordiam converteretur. « *Et dixi,* » in corde meo deliberans, et discernens : « *Nunc* » in hac meditatione, « *cœpi* » intelligere veritatem, quam prius non intelligebam. Deut. XXIX, 4 : *Et non dedit vobis Dominus cor intelligens, et oculos videntes,* quia humiliatus sum in oratione, et humilibus revelantur superna secreta, non superbis. Matth. XI, 25 : *Abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis.* Prov. XI, 2 : *Ubi humilitas, ibi et sapientia.*

Cœpi autem intelligere reductionem, et salutem humani generis, quando temporalia transilivi. Isa. XXVIII, 9 : *Quem docebit scientiam? et quem intelligere faciet auditum? Ablactatos a lacte, avulsos ab uberibus.* Et quod « *hæc mutatio,* » de corruptione in incorruptionem, « *dexteræ Excelsi,* » id est, potentiæ Dei, quæ est triplex. De malo in bonum, de qua in Psal. LIV, 20 : *Non enim est illis commutatio, et non timuerunt Deum.* Et fit per gratiam baptismalem, ubi a sordibus culpæ reditur ad gratiam innocentiæ. Ezech. XXXVI, 25 : *Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus vestris inquinamentis.* Fit etiam per pœnitentiam. Judith, X, 2 et 3 : *Exuit se vestimentis viduitatis suæ,... et induit se vestimentis jucunditatis.* Et est mutatio de bono in melius. Supra, in Psal. LXXII, 21 : *Inflammatum est cor meum, et renes mei commutati sunt.* Hæ fit per virtutum incrementum et augmentationem : unde Sauli jam justo et humili dictum est, I Reg. X, 6 : *Prophetabis,... et mutaberis in virum alium.* Tertia mutatio est de meliori in optimum, de qua hic, « *Hæc mutatio dexteræ Excelsi.* » Et fit tandem per glorificationem. I ad Corinth. XV, 51 : *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur.* Et est bene dexteræ ista immutatio, sinistræ enim mutatio est cum a quiete innocentiæ dejecti sumus in miseriam, de qua Job, XXX, 20, dicitur : *Mutatus es mihi in crudelem.*

Triplex mutatio laudabilis.

Vel sic : « *Et dixi,* » in corde meo : « *Nunc cœpi* » aliquid, cum elevatus sum ad meditandum de æternis, mihi non attributis. Manens enim in corporalibus et infimis, nihil capio, quia nihil sunt. Eccli. XXXIV, 2 : *Quasi qui apprehendit umbram, et persequitur ventum : sic et qui attendit ad visa mendacia.* Jerem. IV, 23 : *Adspexi terram, et ecce vacua erat, et nihili.* Et quod potui sic capere aliquid de æternis, mihi non attribuo, sed dico : « *Hæc mutatio dexteræ Exeetsi,* » id est, Filii Dei, qui est ejus dextera, de qua Eccli. XXXVI, 7 : *Glorifica manum, et brachium dextrum.*

12 « *Memor fui operum Dei.* » Hic est tertium, in quo probat, quod vere ita sit, quia et opera Dei cognovit præsentia : et hoc primo : et præterita etiam cognoscere proponit et investigare, et experiri, ibi, « *Quia memor ero.* »

Beneficia Dei recolenda.

Dicit ergo : Sic intellexi a Deo commutandum genus humanum, et vere, quia « *memor fui,* » id est, in memoria et mente revolvi, « *operum Dei,* » oculis meis præsentium, solis, lunæ, et totius machinæ mundanæ, quæ mihi Dei potentiam et sapientiam prædicabant. Sap. XIII, 5 : *A magnitudine speciei et creaturæ, cognoscibiliter poterit creator horum videri.* Ad Rom. I, 20 : *Invisibilia ipsius,* scilicet Dei, *per ea quæ facta sunt, intellecta, conspiciuntur.* Nec tantum exterius conspectorum, sed etiam in me factorum misericorditer. Isa. LXIII, 7 : *Miserationum Domini recordabor,* et mecum impletarum. Eccli. LI, 11 : *Memoratus sum misericordiæ tuæ, Domine, et operationis tuæ.* Ut per hoc possim ampliora bona suscipere. Cassiodorus : « Meliora meretur recipere, qui collata « bona de corde probatur non amittere. »

« *Quia memor ero.* » Ecce secundum, in quo probat per se secundum, propositum cognoscendi : sed quia cognitio surgit ex impletione mandatorum Dei, dicuntur tria. Primo, operum præcedentium recordatio. Secundo, recordationis frequentatio, ibi, « *Et meditabor in omnibus.* » Et tertio, mandatorum promittitur adimpletio, ut sequatur certior et infallibilis cognitio, ibi, « *Et in adinventionibus.* »

Ait ergo : Sic fui memor, et etiam, « *quia memor ero mirabilium tuorum.* » Eccli. XLII, 15 : *Memor ero operum Domini : et quæ vidi, annuntiabo.* Operum, inquam, « *ab initio,* » in antiquis patribus factorum. In Abraham de Ur Chaldæorum liberato[1] : et Loth de Sodomis educto[2], et per Abraham liberato[3] : et populo Hebræorum ab Ægyptiaca servitute erepto[4]. Hæc enim quia non recolunt, improperatur eis. Isa. V, 12 : *Cithara, et lyra, et tympanum, et tibia, et vinum in conviviis vestris : et opus Dei non respicitis, nec opera manuum ejus consideratis.*

« *Et meditabor.* » Hic est secundum. 13
Quasi diceret : Sic memor ero, nec ad horam ut cito labantur, sed « *meditabor* » immorando in illis, « *in omnibus operibus tuis.* » In Psal. VIII, 4 : *Videbo,* oculo intellectus, *cælos tuos, opera digitorum tuorum.* Et alibi, in Psal. CXVIII, 47 : *In factis manuum tuarum meditabar.*

« *Et exercebor in adinventionibus tuis,* » in mandatis et præceptis, quæ a te inventa sunt, ut sic possim ad certiorem cognitionem pervenire. Psal. CXVIII, 104 : *A mandatis tuis intellexi.* Alibi, in Psal. CXVIII, 15 : *In mandatis tuis exercebor.* Istæ sunt adinventiones, de quibus Isa. XII, 4 : *Notas facite in populis adinventiones ejus.* Has oportet non tantum cognoscere, sed cognitas adimplere. Jacob. I, 22 : *Estote factores verbi, et non auditores tantum, fallentes vosmetipsos.* Psal. CXVIII, 47 : *Meditabar in mandatis tuis, quæ dilexi nimis.* Quia dulcia valde et suavia. Eccli. XXIII, 37 : *Nihil dulcius, quam respicere in mandatis Domini?* Cassiodorus : « Quanto enim plus hause- « rit, tanto amplius dulcia sensa perqui- « rit. » Psal. CXVIII, 103 : *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua,* etc.

« *Deus, in sancto via tua.* » Hic secun- 14
dum hujus partis : ostenso enim quid invenerit in sua meditatione, gratiarum actiones et Dei laudes subjungit. Laudat

[1] Cf. Genes. XI, 31.
[2] Ibid. XIX, 17 et seq.
[3] Ibid. XIV, 14 et seq.
[4] Exod. XIV, 5 et seq. ad finem.

autem a beneficio duplici, ab eo scilicet quod Filium fecit viam eundi ad se, et hoc primo. Ab eo quod virtutem trahendi ad se, ibi, « *Notam fecisti.* »

In prima duo. Primo, tangitur beneficium. Secundo, admiratio et commendatio beneficii subjungitur, ibi, « *Quis Deus magnus ?* »

Christus multiplici titulo dicitur sanctus.

Dicit ergo : Sic inveni, quod sum renovandus, et ad vitam reducendus, et o Deus, « *in sancto,* » id est, in Filio tuo, qui *Sanctus sanctorum* dicitur [1]. Et vere sanctus, quia sine terra. Sanctus enim idem est quod ἅγιος : ἅγιος autem dicitur ab ἀ quod est *sine*, et γῆ, quod est *terra.* Zach. IX, 9 : *Ecce rex tuus veniet tibi justus et salvator, et ipse pauper.* II ad Cor. VIII, 9 : *Scitis gratiam Domini nostri Jesu Christi : quoniam propter vos egenus factus est, cum esset dives, ut illius inopia vos divites essetis.* Item, sanctum dicebatur Deo dicatum, et a communibus usibus separatum. Sic et ipse sanctus fuit, totus Deo deputatus, et dicatus. Isa. XLIV, 28 : *Qui dico Cyro : Pastor meus es, et omnem voluntatem meam complebis.* Item, Sanctus idem est, quod sanguine tinctus. Et Christo convenire constat, qui dicit Joan. XVII, 19 : *Pro eis ego sanctifico meipsum,* id est, sanguine proprio me tingo, *ut et ipsi sancti sint.* Ad Hebr. II, 11 : *Qui sanctificat, et qui sanctificantur, ex uno omnes.* Item, Sanctus idem est quod firmus. Et Christus firmus valde fuit, qui totius mundi onera portare potuit. Isa. LIII, 4 : *Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit.* In hoc sancto « *via tua,* » qua ad nos venis per misericordiam, et nos ad te per ipsius imitationem. Joan. XIV, 6 : *Ego sum via, et veritas, et vita.* Et rursus in eodem, ibidem : *Nemo venit ad Patrem, nisi per me.* Ad Hebr. X, 20 : *Initiavit nobis viam novam.*

Christus via per quam Deus venit ad nos, et nos ad ipsum.

« *Quis Deus magnus,* » essentia et natura, « *sicut Deus noster ?* qui talem fecit nobis viam. II Reg. VII, 22 : *Magnificatus es Domine Deus, quia non est similis tui, neque est Deus extra te.* Psal. LXXXV, 8 : *Non est similis tui in diis, Domine, et non est secundum opera tua.*

« *Tu es Deus qui facis mirabilia.* » 15
Responsio. Quasi diceret : Nullus est Deus ut tu : quia nullus faciens mirabilia sicut tu. Eccli. XLIII, 31 : *Magnus vehementer, et mirabilis potentia ipsius.* Job, IX, 10 : *Qui facit magna, et inscrutabilia, et mirabilia, quorum non est numerus.*

« *Notam fecisti in populis.* » Hic tangit secundum beneficium, gratias referendo, quia fecit suam virtutem omnibus manifestam. Duo ergo dicuntur. Primo, quod omnibus ipsam virtutem exposuit ad bonum faciendum. Secundo, quod et per ipsam a diabolo omnes eripuit, ibi, « *Redemisti.* »

Dicit ergo : Sic in Sancto via tua, et ipsum fecisti viam. Nec hoc tantum, imo « *in populis,* » tam Judæorum quam Gentium, « *fecisti notam virtutem tuam,* » scilicet Filium esse virtutem in Judæis, quia illic opera tanta fecit, quod necesse fuit ipsum confiteri esse virtutem tuam. Joan. XV, 24 : *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.* Et in cap. IX, 32 : *A sæculo non est auditum quia quis aperuit oculos cæci nati.* In Gentibus nunc per Paulum prædicasti, I ad Corinth. I, 23 et 24 : *Nos prædicamus... Christum Dei virtutem, et Dei sapientiam.* Propter hoc, Isa. XL, 5 : *Videbit omnis caro salutare Dei.* Luc. II, 31 : *Quod parasti, ante faciem omnium populorum.* Virtutes etiam Dei, charitas, misericordia, et pietas. Hanc notam fecit viam, quæ solum via erat, scilicet mandata moralia. Matth.

[1] Daniel. IX, 24 : *Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt... ut impleatur... prophetia, et ungatur sanctus sanctorum.*

xix, 17 : *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Psal. cxviii, 32 : *Viam mandatorum tuorum cucurri.*

16 « *Redemisti in brachio tuo.* » Hic secundum. Quasi diceret : Notam fecisti virtutem, quæ duceret, et quasi portaret, et etiam « *redemisti populum tuum,* » de servitute Ægyptiaca, hoc est, diabolica et peccati. Joan. viii, 34 : *Qui facit peccatum, servus est peccati.*

Et specificat : « *Filios Jacob,* » Judæos, « *et Joseph* », id est, Gentiles intellectos per Joseph, quia Joseph in Gentibus fuit venditus, et inter illas habitavit, et illas a fame liberavit [1]. Alibi, in Psal. lxxix, 2 : *Qui regis Israel, intende,* quantum ad Judæos : *qui deducis velut ovem Joseph,* quantum ad Gentiles. Et hoc, « *in brachio tuo,* » Filio scilicet quis et virtus et brachium. Exod. vi, 6 : *Redimam te in brachio extento* [2]. Bene extentum fuit in cruce hoc brachium. Isa. i, 27 : *Sion in judicio redimetur.* Et xliv, 23 : *Laudate cœli, quoniam redemit Dominus Jacob, et Israel gloriabitur.* Psal. cx, 9 : *Redemptionem misit* Dominus *populo suo.* Brachium scilicet Filium, qui brachium dicitur, Isa. liii, 1 : *Et brachium Domini cui revelatum est ?*

17 Secunda pars Psalmi. « *Viderunt te aquæ, Deus.* » Hic est secunda pars totius hujus Psalmi, quarta autem secundum Glossam, in qua ut monstret quod dignum est in Christum transilire, modum et ordinem narrat, quo exhibita sunt mundo beneficia : et dicuntur tria. Primo, quod beneficia sunt exhibita. Secundo, qualiter, ibi, « *Et vocem dederunt.* » Tertio, per quos, ibi, « *Deduxisti sicut oves.* »

In prima duo. Primo, conversionis beneficium. Secundo, confessionis fidei, in ipsis, et ab ipsis conversis, ibi, « *Multitudo sonitus.* »

In prima duo. Primo, conversio populorum simpliciter. Secundo, majorum in illis, ibi, « *Et turbatæ sunt :* » Et intellige de majoribus in peccatis.

In prima duo. Primo, conversio. Secundo, timoris incussio in conversis, ibi, « *Et timuerunt.* »

In prima duo. Primo, conversio Judæorum. Secundo, Gentilium, ibi, « *Viderunt.* »

Dicit ergo : Sic transilivi in Deum, et quid invenerim in illa mea contemplatione expressi. Et justum est transilire in tantum beneficium : quia o « *Deus, aquæ,* » populi scilicet Judæorum, « *viderunt te* » oculo fidei, et etiam corporali. Apoc. xvii, 15 : *Aquæ, quas vidisti, populi sunt, et tribus.* Istæ viderunt te instructæ a lege, et conferentes cum operibus quæ faciebas. Joan. xii, 34 : *Nos audivimus ex lege, quia Christus manet in æternum.* Propter hoc dicebat eis Christus, Joan. v, 39 : *Scrutamini Scripturas :... et illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me,* etc.

« *Viderunt te aquæ,* » Gentes, Gentiles scilicet, quia omnes sunt aquæ. II Reg. xiv, 14 : *Omnes morimur, et quasi aquæ dilabimur in terram, quæ non revertuntur.* Gentes viderunt ad ipsum conversæ. Isa. lv, 5 : *Gentem quam nesciebas, vocabis.* Bene autem aquis comparantur populi, sive de Gentibus, sive de Judæis, et maxime peccatores. Primo, quia aqua de facili recipit impressiones, sed cito amittit : sic ipsi cito Dei imaginem recipiunt per reformationem, et cito amittunt. Luc. viii, 13 : *Ad tempus credunt, et in tempore tentationis recedunt.* Psal. lxxii, 20 : *Imaginem ipsorum ad nihilum rediges.* Secundo, quia peccator omni tentationi cedit, sicut aqua vento omni. Jacob. i, 6 : *Similis est fluctui maris, qui a vento movetur et circumfertur.* Propter hoc dicitur, I Petr. v, 9 : *Cui re-* Comparatio peccatoris cum aquæ.

[1] Cf. Genes. xxxvii integrum.

[2] Vulg. habet *excelso.*

sistite fortes in fide, non sicut aquæ labiles. Tertio, quia si non movetur, corrumpitur, nam vitium capiunt nisi moveantur aquæ. Jerem. XLVIII, 11 : *Fertilis fuit Moab ab adolescentia sua,... nec transfusus est*, etc. *Et in transmigrationem non abiit : idcirco remansit gustus ejus in eo, et odor ejus non est immutatus.* Item, saporem trahit a loco per quem transit : sic peccator ab iis malitiam cum quibus conversatur, secundum illud Senecæ : « A convictu formantur « mores. » I ad Cor. XV, 33 : *Corrumpunt bonos mores colloquia mala.* Psal. XVII, 26 : *Cum sancto sanctus eris.* Item, admixta terræ lutum facit : sic peccator terrenis admixtus efficitur lutum, non tantum lutosus. Psal. XVII, 43 : *Ut lutum platearum delebo eos.* Eccli. IX, 10 : *Omnis mulier, quæ est fornicaria, quasi stercus in via conculcabitur.* Item, quia semper ad proclivum tendit, id est, peccatori alii se conjungit, ut cum illo defluat in infernum. Eccli. XXVII, 10 : *Volatilia ad sibi similia conveniunt :* et simile applaudit suo simili, et totum in mare inferni invadit. Eccli. XL, 11 : *Aquæ omnes in mare revertentur.*

« *Et timuerunt.* » Ecce secundum, scilicet timoris incussio. Jerem. X, 6 et 7 : *Magnum nomen tuum in fortitudine. Quis non timebit te ?* Act. V, 11 : *Factus est timor magnus in universa Ecclesia.*

« *Et turbatæ sunt.* » Ecce secundum, scilicet magnorum conversio, vel conturbatio in bonum. « *Et turbatæ sunt abyssi,* » magni scilicet peccatores, et in peccatis profundi. Bene autem ex visione sequitur turbatio sui. Job, XLIII, 5 et 6 : *Oculus meus videt te. Idcirco ipse me reprehendo.* Et Apoc. XX, 3 : Deus enim ipsam abyssum ingreditur peccatorum et convertit illam [1]. Job, XXXVIII, 16 : *Numquid ingressus es profunda maris, et in novissimis abyssi deambulasti ?* Supra, in Psal. LXVII, 23 : *Dixit Dominus : Ex Basan convertam, convertam in profundum maris.*

« *Multitudo sonitus.* » Hic secundum 18
beneficium, scilicet confessionis, et peccatorum in pœnitentibus, et laudis in aliis.

Ait enim : Sic conversi sunt, et facta est, « *multitudo sonitus aquarum,* » id est plebium, quæ sonabant alio sono confessionis, et gemitus peccatorum suorum, quantum ad incipientes : de quo Cant. II, 14 : *Sonet vox tua,* interior et exterior, *in auribus meis,* in quo sono pereunt omnino peccata. Psal. IX, 7 : *Periit memoria eorum cum sonitu.* Et alio sono compassionis ad duros, et obstinatos, de quo Isa. XVI, 11 : *Venter meus ad Moab quasi cithara sonabit.* Gratiarum actionis et laudis, quantum ad perfectos, de quo in Psal. XLI, 5 : *In voce exsultationis et confessionis,* etc. I Paral. XV, 16 : *Dixitque David principibus Levitarum, ut constituerent... cantores,.. ut resonaret in excelsis sonitus lætitiæ.*

« *Vocem dederunt.* » Hic secundum, in quo ostendit per quæ et quomodo hoc factum sit, quia per tria, quæ tanguntur hic. Primo, per Apostolorum prædicationem efficacissimam. Secundo, per miraculorum exhibitionem, ibi, « *Illuxerunt corruscationes tuæ.* » Tertio, per exempli boni exhibitionem, ibi, « *In mari via tua.* »

In prima tria. Primo, prædicatio. Secundo, virtuset efficacia, ibi, « *Etenim sagittæ tuæ.* » Tertio, dilatatio per totum mundum, ibi, « *Vox tonitrui.* »

Dicit ergo : Sic conversi sunt et confessi, et hoc, quia « *nubes,* » id est, Apostoli et prædicatores, qui nubes sunt, Isa. V, 6 : *Nubibus mandabo ne pluant super eam imbrem.* Et Job, XXXVII, 11 :

[1] Apoc. XX, 3: Angelus Dei *misit eum,* scilicet draconem seu diabolum, *in abyssum, et clausit, et signavit super illum, ut non seducat amplius gentes, donec consummentur mille anni.*

Frumentum desiderat nubes. Bonum opus ad hoc ut perficiatur optat prædicatores. Job, xxxvii, 16 : *Numquid nosti semitas nubium magnas ?* « *Vocem dederunt.* » Eccle. xi, 3 : *Si repletæ fuerint nubes, imbrem super terram effundent.*

« *Etenim sagittæ.* » Hic secundum, scilicet efficacia prædicationis.

Ait enim : Sic nubes dederunt vocem non inanem. « *Etenim* quia *sagittæ,* » auctoritates penetrantes et acutæ, « *transeunt,* » vel transierunt usque ad intima cordis. Isa. xl, 2 : *Loquimini ad cor Jerusalem, et advocate eam.* Hæ sagittæ primo conturbant et dissipant animam, Psal. xvii, 15 : *Misit sagittas suas, et dissipavit eos.* Sed post illuminant, Habac. iii, 11 : *In luce sagittarum tuarum, ibunt in splendore fulgurantis hastæ tuæ.* Aliquando in aure remanent, quando verbum tantum auditur, sed corde non retinetur, nec ei obeditur. Sed transeunt, quando usque ad cor audientis perveniunt. Gregorius : « Pleraque prædicatio ad aures pervenit, sed cessante divina gratia, ad audientium corda non pervenit. »

19 « *Vox tonitrui.* » Ecce tertium. Quasi diceret : Prædicatur et efficaciter, et generaliter, quia « *vox tonitrui tui,* » prædicationis scilicet terribilis, « *in rota,* » in mundo, et per totum mundum. Psal. xviii, 5 : *In omnem terram exivit sonus eorum.* Eccli. xliii, 18 : *Vox tonitrui ejus verberavit terram.* Job, xxxvii, 5 : *Tonabit Deus in voce sua mirabiliter.* Apocal. iv, 5 : *De throno,* de Apostolorum scilicet collegio, *procedebant fulgura, et voces, et tonitrua.* « *Vox* etiam *tonitrui,* » terroris scilicet, et comminationis divinæ, « *in rota,* » in malorum turba, qui in rota sunt. Psal. xi, 9 : *In circuitu impii ambulant.* Et alibi, Psal. lxxxii, 14 : *Deus meus, pone illos ut rotam.*

« *Illuxerunt.* » Hic secundum, in quo duo. Primo, miraculorum operatio. Secundo, efficacia illorum, ibi, « *Commota est.* »

Dicit ergo : « *Illuxerunt coruscationes,* » scilicet miraculorum operationes, « *orbi terræ,* » id est, mundo toti. Job, xxxviii, 35 : *Numquid mittes fulgura, et ibunt, et revertentia dicent tibi : Adsumus ?* Gregorius : Sicut fulgura exeunt de nubibus, sic miracula de prædicatoribus. » Et Augustinus dicit : « Circuierunt Apostoli tonando, coruscando. Ecce quip luebant tamquam nubes, coruscant tamquam miraculorum operatores. » Et de his duobus, Marc. xvi, 20 : *Illi autem profecti,* tamquam nubes, *prædicaverant ubique, Domino cooperante et sermonem confirmante, sequentibus signis,* miraculorum scilicet operationibus.

« *Commota est.* » Hic secundum. Quasi diceret : Sic coruscaverunt, et ob hoc « *commota est,* » ab errore ad veritatis cognitionem, « *et contremuit,* » a perversis moribus transiens ad honestatem, « *terra,* » continens scilicet pro contento. Supra, in Psal. xlvii, 6 : *Conturbati sunt, commoti sunt, tremor apprehendit eos.* Agg. ii, 7 et 8 : *Adhuc unum modicum est, et commovebo cœlum, et terram, et mare, et aridam. Et movebo omnes gentes.*

« *In mari via tua.* » Hic tertium, boni exempli exhibitio : et dicuntur duo. 20
Primo, exhibitio boni exempli. Secundo, insultatio malis, qui nolunt illud sequi, ibi, « *Et vestigia.* »

In prima duo. Primo, ostensio pœnitentiæ. Secundo, arctitudo vel vehementia ostensæ, ibi, « *Et semitæ tuæ.* »

Ait enim : Sic prædicaverunt, et miracula fecerunt, et etiam « *via tua,* » id est, vita tua tota « *in mari,* » in amaritudine, et pœnitentia, ut ipsi exemplo tuo moverentur. Isa. ix, 1 : *Aggravata est via maris,* quando ipse Dei Filius per illam pertransivit. Habac. iii, 15 : *Viam*

fecisti in mari equis tuis. « *Et semitæ tuæ,* » conversationes strictissimæ paupertatis, et extremæ et vilissimæ mortis, « *in aquis multis,* » in tribulationibus quasi infinitis, ut ipsi moverentur. I Petr. II, 21 : *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum.* Ibi fuit semita in aquis multis. Psal. LXXXVII, 8 : *Omnes fluctus tuos induxisti super me.*

Per has aquas oportet transire ad regnum. Act. XIV, 21 : *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cœlorum.* In amaritudinem, et in aquas has debemus nos immergere post ipsum, Isa. LIII, 16 : *Qui dedit in mari viam, et in aquis torrentibus semitam.*

Per mare etiam potest intelligi mundus, Psal. CIII, 25 : *Hoc mare magnum, et spatiosum manibus.* Et in aquis, in populis, semitæ ejus, quoniam inter homines conversatur. Baruch, III, 38 : *Post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est :* penetrans usque ad corda eorum, sicut fluvius currens in mare. Eccli. XXIV, 41 : *Ego quasi fluvii Diorix, et sicut aquæductus exivi de paradiso.* Et quod mirabilius, hoc mare mortuum et salsissimum reddit dulce et vivum in suis. Ezech. XLVII, 1, 8 : Egrediebatur de templo Domini fons aquæ vivæ, et descendebat in Mare Mortuum, et vivificabatur postea totum [1].

« *Et vestigia tua.* » Quasi diceret : Sic in mari via tua : sed « *vestigia tua non* « *cognoscentur* » cognitione approbationis, ut illa sequantur, a malis et reprobis. Job, XXI, 14 : *Qui dixerunt Deo : Recede a nobis, et scientiam viarum tuarum nolumus.* Et in cap. XI, 7 : *Forsitan vestigia ejus comprehendes ?* dicunt impii bonis eos irridentes. Sed respondet justus in cap. XXIII, 11 : *Vestigia ejus secutus est pes meus.* Eccle. XI, 5 : *Quomodo ignorans quæ sit via spiritus,* dicitur misero homini,... *sic nescis opera Dei,* quæ per te facit, *qui fabricator est omnium.*

« *Deduxisti sicut oves.* » Hic secun- **21**
dum, in quo ostenditur a quibus hoc factum sit : et dicuntur duo. Primo, præmittitur diligentia ductoris. Secundo, qui fuerunt per quos deducti sunt, ibi, « *In manu Moysi.* »

Dicit ergo : O Domine, tali ordine, et talia bona contulisti mundo, et etiam « *deduxisti populum tuum,* » non sicut porcos, vel animalia alia, quæ duriter tractantur, sed « *sicut oves :* » hoc enim verum est quod deduxisti. Michæ. VI, 4 : *Eduxi te de terra Ægypti.* Psal. LXXVII, 53 : *Deduxit eos in spe, et non timuerunt.* Et sicut oves tamquam peculium tuum. Deut. VII, 6 : *Elegit te Dominus Deus tuus, ut sis ei populus peculiaris.* Psal. LXXIX, 2 : *Qui deducis velut ovem, Joseph.* Tu pastor, Joan. X, 10 : *Ego sum pastor bonus :* vos oves, Psal. LXXVIII, 13 : *Nos autem populus tuus, et oves pascuæ tuæ.*

Et hoc « *in manu Moysi et Aaron.* » Ecce per quos Moyses et Aaron in sacerdotibus ejus, tamquam pastores fidelissimi. Moyses assumptus ex aquis Scripturarum. Hinc debet assumi ductor populi Dei, sicut Moyses [2]. Aaron montanus, qui præcellit alios vitæ altitudine. Jerem. XXIII, 4 : *Suscitabo super eos,* scilicet oves meas, *pastores, qui pascent eas.* Istæ sunt duæ virgæ in quibus regit populum suum Deus. Zachar. XI, 7 : *Et assumpsi mihi duas virgas,* Moysen et Aaron, ut deducant populum meum ad pascua æternæ vitæ, ad quæ nos perducat, etc.

[1] Ezech. XLVII, 1, 8 : *Ecce aquæ egrediebantur subter limen domus ad orientem... Et ait,* scilicet Deus, *ad me : Aquæ istæ quæ egrediuntur ad tumulos sabuli orientalis, et descendunt ad plana deserti, intrabunt mare, et exibunt, et sanabuntur aquæ.*

[2] Cf. Exod. II, 5 et seq.

PSALMUS LXXVII.

Judæos excitat memorando beneficia et flagella Dei.

1. *Intellectus Asaph.*
Attendite, popule meus, legem meam : inclinate aurem vestram in verba oris mei.

2. Aperiam in parabolis os meum : loquar propositiones ab initio :

3. Quanta audivimus et cognovimus ea, et patres nostri narraverunt nobis.

4. Non sunt occultata a filiis eorum in generatione altera.
Narrantes laudes Domini et virtutes ejus, et mirabilia ejus quæ fecit.

5. Et suscitavit testimonium in Jacob, et legem posuit in Israel,
Quanta mandavit patribus nostris nota facere ea filiis suis :

6. Ut cognoscat generatio altera :
Filii qui nascentur, et exsurgent, et narrabunt filiis suis,

7. Ut ponant in Deo spem suam, et non obliviscantur operum Dei, et mandata ejus exquirant :

8. Ne fiant, sicut patres eorum, generatio prava et exasperans :
Generatio quæ non direxit cor suum, et non est creditus cum Deo spiritus ejus.

9. Filii Ephrem, intendentes et mittentes arcum, conversi sunt in die belli.

10. Non custodierunt testamentum Dei, et in lege ejus noluerunt ambulare.

11. Et obliti sunt benefactorum ejus, et mirabilium ejus quæ ostendit eis.

12. Coram patribus eorum fecit mirabilia in terra Ægypti, in campo Taneos.

13. Interrupit mare, et perduxit eos : et statuit aquas quasi in utre [1].

14. Et deduxit eos in nube diei, et tota nocte in illuminatione ignis.

15. Interrupit petram in eremo : et adaquavit eos velut in abysso multa [2].

16. Et eduxit aquam de petra, et deduxit tamquam flumina aquas.

17. Et apposuerunt adhuc peccare ei : in iram excitaverunt Excelsum in inaquoso.

18. Et tentaverunt Deum in cordibus suis, ut peterent escas animabus suis.

19. Et male locuti sunt de Deo : dixerunt : Numquid poterit Deus parare mensam in deserto?

20. Quoniam percussit petram, et fluxerunt aquæ, et torrentes inundaverunt.
Numquid et panem poterit dare, aut parare mensam populo suo?

21. Ideo audivit Dominus, et distulit [3] : et ignis accensus est in Jacob, et ira ascendit in Israel :

22. Quia non crediderunt in Deo, nec speraverunt in salutari ejus.

23. Et mandavit nubibus desuper, et januas cœli aperuit.

24. Et pluit illis manna ad manducandum [4], et panem cœli dedit eis.

25. Panem angelorum manducavit ho-

[1] Exod. xiv 22.
[2] Exod. xvii, 6 ; Psal. civ, 41.
[3] Num. xi ; 1.
[4] Exod. xvi, 4 ; Num. xi, 7.

mo [1] : cibaria misit eis in abundantia.

26. Transtulit austrum de cœlo [2] : et induxit in virtute sua africum.

27. Et pluit super eos sicut pulverem carnes, et sicut arenam maris volatilia pennata.

28. Et ceciderunt in medio castrorum eorum, circa tabernacula eorum.

29. Et manducaverunt, et saturati sunt nimis : et desiderium eorum attulit eis :

30. Non sunt fraudati a desiderio suo. Adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum [3],

31. Et ira Dei ascendit super eos :
Et occidit pingues eorum, et electos Israel impedivit.

32. In omnibus his peccaverunt adhuc, et non crediderunt in mirabilibus ejus.

33. Et defecerunt in vanitate dies eorum : et anni eorum cum festinatione.

34. Cum occideret eos, quærebant eum et revertebantur, et diluculo veniebant ad eum.

35. Et rememorati sunt quia Deus adjutor est eorum, et Deus excelsus redemptor eorum est.

36. Et dilexerunt eum in ore suo, et lingua sua mentiti sunt ei :

37. Cor autem eorum non erat rectum cum eo, nec fideles habiti sunt in testamento ejus.

38. Ipse autem est misericors, et propitius fiet peccatis eorum et non disperdet eos.
Et abundavit ut averteret iram suam, et non accendit omnem iram suam :

39. Et recordatus est quia caro sunt, spititus vadens et non rediens.

40. Quoties exacerbaverunt eum in deserto, in iram concitaverunt eum in inaquoso ?

41. Et conversi sunt, et tentaverunt Deum, et sanctum Israel exacerbaverunt.

42. Non sunt recordati manus ejus, die qua redemit eos de manu tribulantis :

43. Sicut posuit in Ægypto signa sua, et prodigia sua in campo Taneos :

44. Et convertit in sanguinem flumina eorum, et imbres eorum, ne biberent [4],

45. Misit in eos cœnomyiam, et comedit eos ; et ranam,et disperdidit eos [5]:

46. Et dedit ærugini fructus eorum, et labores eorum locustæ [6] :

47. Et occidit in grandine vineas eorum, et moros eorum in pruina [7].

48. Et tradidit grandini jumenta eorum, et possessionem eorum igni :

49. Misit in eos iram indignationis suæ, indignationem, et iram, et tribulationem, immissiones per angelos malos :

50. Viam fecit semitæ iræ suæ, non pepercit a morte animabus eorum, et jumenta eorum in morte conclusit :

51. Et percussit omne primogenitum in terra Ægypti [8], primitias omnis laboris eorum in tabernaculis Cham :

52. Et abstullit sicut oves populum suum, et perduxit eos tamquam gregem in deserto :

53. Et deduxit eos in spe, et non timuerunt, et inimicos eorum operuit mare [9].

[1] Joan. VI, 31 ; I ad Cor. X, 3.
[2] Num. XI, 31.
[3] Num. XI, 33.
[4] Exod. VII, 20.
[5] Exod. VIII, 24.
[6] Exod. X, 15.
[7] Exod. IX, 25.
[8] Exod. XII, 29.
[9] Exod XIV, 27.

54. Et induxit eos in montem sanctificationis suæ, montem quem acquisivit dextera ejus.
Et ejecit a facie eorum gentes, et sorte divisit eis terram in funiculo distributionis [1].
55. Et habitare fecit in tabernaculis eorum tribus Israel.
56. Et tentaverunt, et exacerbaverunt Deum excelsum : et testimonia ejus non custodierunt.
57. Et averterunt se, et non servaverunt pactum : quemadmodum patres eorum, conversi sunt in arcum pravum.
58. In iram concitaverunt eum in collibus suis : et in sculptilibus suis ad æmulationem eum provocaverunt.
59. Audivit Deus, et sprevit, et ad nihilum redegit valde Israel.
60. Et repulit tabernaculum Silo [2], tabernaculm suum, ubi habitavit in hominibus.
61. Et tradidit in captivitatem virtutem eorum, et pulchritudinem eorum in manus inimici.
62. Et conclusit in gladio populum suum, et hæreditatem suam sprevit.
63. Juvenes eorum comedit ignis, et virgines eorum non sunt lamentatæ.
64. Sacerdotes eorum in gladio ceciderunt : et viduæ eorum non plorabantur.
65. Et excitatus est tamquam dormiens Dominus, tamquam potens crapulatus a vino.
66. Et percussit inimicos suos in posteriora, opprobrium sempiternum dedit illis.
67. Et repulit tabernaculum Joseph, et tribum Ephraim non elegit.
68. Sed elegit tribum Juda, montem Sion, quem dilexit.
69. Et ædificavit sicut unicornium sanctificium suum, in terra quam fundavit in sæcula.
70. Et elegit David, servum suum, et sustulit eum de gregibus ovium : de post fœtantes accepit eum :
71. Pascere Jacob, servum suum, et Israel, hæreditatem suam.
72. Et pavit eos in innocentia cordis sui, et in intellectibus manuum suarum deduxit eos.

IN PSALMUM LXXVII

COMMENTARIUS.

Intellectus Asaph [3].

« *Attendite, popule meus.* » Hic est Psalmus septuagesimus septimus in toto libro, in secunda parte vicesimus septimus. Postquam enim in exemplum seipsum posuit Asaph transiliendi in Christum, et dimittendi legem veterem et temporalia omnia, hic confundit populum obstinatum Judæorum, recolendo beneficia, quæ ipsis ingratis Dominus contulit, in quibus etiam figuravit et præostendit beneficia, quæ modo per Christum Ecclesiæ conferuntur : quia, sicut dicit

Argumentum Psalmi : Hortatur ad jugem beneficiorum Dei recordationem.

[1] Jos. XIII, 7.

[2] I Reg. IV, 4 ; Jerem. VII, 12.

[3] Asaph, en écrivant ce poème historique, se proposait un double but. D'une manière générale, il voulait rappeler à Israël les témoignages de bonté que le Seigneur avait multipliés à son égard, bonté qui n'avait rencontré qu'ingratitude de la part du peuple. Mais l'écrivain sacré avait encore un but plus spécial, clairement manifesté par les ℣℣. 9-10, 60, 67-72 : il voulait mettre en lumière la substitution providentielle de Juda à Ephraïm, et de Sion à

Glossa, « dum in hoc Psalmo historia « Testamenti Veteris recitatur, Novi Te- « stamenti gratia declaratur, secundum « illud I ad Corinth. x, 11 : *Omnia in « figura contingebant illis : scripta sunt « autem ad correptionem nostram, in « quos fines sæculorum devenerunt.* »

Unde titulus satis hoc exprimit. Est enim talis : « *Intellectus Asaph,* » supple, in subjecto Psalmo exprimitur. Quasi diceret : Non simplex hic historia accipienda est tantum, sed quod ab Asaph, id est, justorum congregatione intelligitur in illa. Vel sicut Græca translatio ostendit, « *intellectus* » potest hic esse

Silo. Jacob en mourant avait consacré la prépondérance d'Ephraïm, Gen., XLVIII, 17-20, et ce second fils de Joseph avait légué à ses descendants le droit d'aînesse dont Ruben avait été dépouillé, I Par., V, 1. D'Ephraïm sortit Josué, I Par., VII, 27. Grâce à l'antique testament dont elle bénéficiait, à sa situation centrale dans la terre de Chanaan et à la valeur de ses chefs, cette fière tribu tint longtemps le premier rang dans Israël. Sous Gédéon, Jud., VIII, 1, sous Jephthé, XII, 1, sous David même, II Reg., XIX, 41-43, elle revendiqua hautement sa place. Samuel, de la tribu de Lévi, naquit au sein d'Ephraïm, à Ramah, et l'arrivée de Saül au trône ne fit que confirmer l'influence de la tribu, car Saül était descendant de Benjamin, et le souvenir de Rachel, leur ancêtre commune, unissait étroitement les hommes de Benjamin et ceux d'Ephraïm. Mais ce qui contribuait le plus à l'orgueil de ces derniers, c'est qu'ils possédaient l'arche au milieu de leur territoire, à Silo. D'autre part, Juda était dépositaire des promesses messianiques, et le sceptre lui avait été promis par Jacob mourant. Il y avait un sourd antagonisme entre les deux tribus ; longtemps avant le schisme, aux plus beaux jours de David, on distinguait nettement les hommes d'Israël et les hommes de Juda. David dut combattre sept années pour assujettir les premiers à sa domination, et il fallut tout le prestige de ses victoires et de la protection divine pour les lui attacher. I Par., XII, 30 ; XXVII, 10-14. Mais il avait porté un coup terrible au cœur d'Ephraïm : Sion avait été substituée à Silo, et Jérusalem était devenue le centre politique et religieux de la nation. Par là, David s'était attaché indissolublement Benjamin, qui possédait la capitale, et Juda, qui venait de saisir le sceptre promis par Jacob : mais au cœur d'Ephraïm et de ses partisans couvait un ferment de jalousie, qui s'étendit pendant les dernières années de Salomon, et leva soudain à l'avènement de Roboam, quand l'Ephraïmite Jéroboam dressa autel contre autel, fonda le royaume schismatique d'Israël et lui donna pour capitale Sichem, au centre de l'orgueilleuse tribu. C'est pour combattre ces tendances et établir la légitimité de la nouvelle dynastie, qu'Asaph, le contemporain et l'ami de David, composa son *maskil.* Pour Ephraïm le transfert de l'arche à Sion et l'accession de Juda à la royauté n'étaient probablement qu'une œuvre de force et d'habileté politique. Asaph prend la question d'un point de vue plus élevé : si David est roi, si l'arche est à Sion, c'est Dieu qui l'a voulu ; et quand Dieu l'a voulu, il n'a pas obéi à un caprice ; il n'a fait que châtier en la répudiant, Jer., 14, 15, une tribu qui avait usé de sa prépondérance pour entraîner la nation entière dans l'ingratitude et l'infidélité. Le psalmiste ne ménage pas les dures vérités ; il a affaire à des orgueilleux, et il veut qu'après avoir plié sous les armes de David, ils se soumettent de cœur à la situation que leur impose la Providence. Ce poème est ainsi pour cette période de l'histoire ce que furent les Epîtres aux Romains, aux Galates et aux Hébreux à la naissance du christianisme ; de part et d'autre, Dieu substitue un centre religieux à un autre, une royauté à une autre, et la première de ces substitutions est la figure de la seconde. Notre Asaph est bien le contemporain de David, au règne duquel, d'ailleurs, il arrête son aperçu historique ; s'il eût vécu pendant le règne de Salomon, il eût sans nul doute fait mention plus expresse du temple ; sous les princes ses successeurs, il n'eût point manqué de signaler le schisme comme une conséquence frappante de l'ambition éphraïmite et de la malédiction divine. Hengstenberg, Tholuck, Cook, Thalhofer, etc., soutiennent avec raison cette thèse. Les rationalistes attribuent à des temps beaucoup plus récents la composition du psaume ; comme le livre de l'Exode y est cité presque littéralement, on a là une preuve péremptoire que le Pentateuque existait au temps de David. Cette conclusion déplaît à certaine exégèse ; la pensée de l'éluder n'est pas étrangère à la date qu'on cherche à imposer à la composition d'Asaph.

Au sens spirituel, le psaume s'applique à la substitution de la loi évangélique à la loi mosaïque.

H. Lesêtre.

genitivi casus, ut sit sensus : Psalmus hic subjectus est « *intellectus,* » scilicet intelligentiæ, vel de intelligentia data « *Asaph,* » ut in historia intelligat quæ spiritualiter sunt in illa. Luc. XXIV, 45 : *Aperuit illis sensum ut intelligerent Scripturas.*

Psalmus autem dividi potest principaliter in duas partes : magna enim dicuntur. Procemium præmisit primo. Secundo, narrationem subjungit, ibi, *Quanta audivimus ?*

In prima duo. Primo, excitatio ad audiendum. Secundo, ratio quare debent excitari, ibi, « *Aperiam in parabolis.* »

In prima duo. Primo, monet ad attentionem eorum quæ data sunt. Secundo, ad humilitatem interiorem, quæ præparat ad attentionem, ibi, « *Inclinate aurem.* »

Prima pars Psalmi. Ait ergo : O « *popule meus,* » Christianus scilicet, non obstinatus Judæus, « *attendite legem meam,* » attendite in cordibus vestris. Apocalyps. XXI, 3 : *Ipsi populus ejus erunt : et ipse Deus cum eis erit eorum Deus.* Isa. XXXIV, 1 : *Audite, et populi attendite.* Prov. IV, 1 : *Audite filii, disciplinam patris, et attendite ut sciatis prudentiam.* I ad Timoth. IV, 16 : *Attende tibi, et doctrinæ.*

« *Inclinate aurem vestram,* » per humilitatem, « *in verba oris mei* » suscipienda, et effectui mancipanda. Proverb. II, 2 : *Inclina cor tuum ad cognoscendam prudentiam.* Et in cap. IV, 20 : *Ausculta sermones meos, et inclina aurem tuam ad eloquia mea.* Et hoc facit humilitas, quia, sicut dicit Glossa, « tumor infusa repellit : et altare Domini « præceptum est fieri ad radices montis [1]. » Aliter nisi aurem inclinaveris, cum clamaveris ad Deum, nec ipse suam inclinabit. Prov. XXVIII, 9 : *Qui declinat aures suas ne audiat legem, oratio ejus erit exsecrabilis.*

« *Aperiam in parabolis.* » Hic secundum, in quo probat, quod debent attendere, per modum loquendi, quem tangit duplicem. Primo, quia in apertis parabolis est locuturus. Secundo, quia in ænigmatibus obscuris, ibi, « *Loquar propositiones.* » 2

Dicit ergo : Sic attendite, et aurem inclinate : et necesse est, quia « *aperiam os meum.* » In hoc monstratur magnitudo dicendorum, sicut Matth. V, 2 : *Aperiens os suum docebat eos, dicens,* etc. Notandum etiam in hoc quod non est a se, nisi oris apertio, reliquum a Deo, sicut illud Psal. LXXX, 11 : *Dilata os tuum, et implebo illud.* Notatur et debiti solutio : non enim debet tenere prædicator sapientiam inclusam, sed tenetur ore aperto eam aliis communicare. Eccli. XX, 32 : *Sapientia absconsa, et thesaurus invisus, quæ utilitas in utrisque ?*

« *In parabolis,* » virtutem manifestando per illas, et elucidando. Eccli. XXIV, 31 : *Qui elucidant me, vitam æternam habebunt.* Prov. I, 6 : *Animadvertet parabolam, et interpretationem earum.* Matth. XIII, 34 et 35 : *Hæc omnia locutus est Jesus in parabolis ad turbas, et sine parabolis non loquebatur eis, ut impleretur quod dictum erat per prophetam dicentem : Aperiam in parabolis os meum,* etc.

« *Loquar propositiones,* » id est, problemata. Dicit Glossa, « quæstiones dubi« tabiles, et quasi ad opposita rationes « habentes. » « *Ab initio,* » sumens exordium meæ locutionis ab illo tempore, quo patres nostri exierunt de Ægypto, vel a mundi initio. Matth. XIII, 35 : *Eructabo abscondita a constitutione mundi.*

« *Quanta audivimus.* » Hic est secunda pars, in qua narrationem subjungit : et dicuntur duo. Primo, tangit beneficia toti Israeli exhibita, et admonitionem addit ut caveant ab ingratitudine. Secundo, 3 **Secunda pars Psalmi.**

[1] Exod. XXIV, 4 : *Moyses... ædificavit altare ad radices montis.*

illa beneficia, quæ ad eductionem de Ægypto specialiter, et ingratitudinem eductorum ostendit, ibi, « *Coram patribus.* »

In prima duo. Primo, beneficiorum recordatio. Secundo, exhortatio ut grati sint, et caveant ab ingratitudine, ibi, « *Filii qui nascentur.* »

In prima duo. Primo, beneficiorum recordatio. Secundo, cognitionis continuatio, ut nullus excusetur ibi, « *Non sunt occultata.* »

In prima dicuntur tria, secuedum modum triplicem cognoscendi Primo, quæ sunt cognita per prænuntiationem propheticam, et Scripturam. Secundo, per inspectionem præsentem, ibi, « *Et cognovimus.* » Tertio, quæ per relationem patrum antecedentium, ibi, « *Patres nostri.* »

Beneficiorum enarratio.

Dicit ergo : Sic attendite quæ narrabo quia magna sunt Dei beneficia, quia « *quanta audivimus,* » a Prophetis prædicta, et in Scripturis expressa. Quasi diceret : Valde magna. Job, ix, 18 : *Qui facit magna, et inscrutabilia, et mirabilia, quorum non est numerus.* Psal. xliii, 2 : *Deus, auribus nostris audivimus.* « *Et cognovimus ea,* » propriis oculis videndo. 1 Joan. i, 3 : *Quod vidimus et audivimus, annuntiamus vobis.* Hic ordo, Job, xlii, 5 : *Auditu auris audivi te : nunc autem oculus meus videt te.*

« *Et patres nostri narraverunt.* » Hic tertium, in quo dicuntur duo. Primo, quod ex Patrum relatione cognita sunt beneficia. Secundo quæ sint illa, in generali tamen, ibi, « *Narrantes.* »

Dicit ergo : Sic audivimus et cognovimus, « *et patres nostri narraverunt nobis.* » Deuteron. xxxii, 7 : *Interroga patrem tuum, et annuntiabit tibi : majores tuos, et dicent tibi.*

« *Non sunt occultata.* » Hic secundum, scilicet cognitionis continuatio : et 4
dicuntur duo. Primo, continuatio cognitionis. Secundo, specificatio quorumdam, quorum est cognitio continuata, ibi, « *Et suscitavit.* »

Dicit ergo : Sic cognita fuerunt beneficia Dei modis dictis, et etiam « *non sunt occultata,* » sed propalata magis « *a filiis hominum,* » supple, succedentibus, « *in generatione altera,* » tam Judæorum quam Gentilium. Deuter. iv, 9 : *Ne excidant de corde tuo cunctis diebus vitæ tuæ, docebis ea filios ac nepotes tuos.* Deuteron. xxix, 14 et 15 : *Non vobis solis ego hoc fœdus ferio,... sed cunctis præsentibus et absentibus.* Et in cap. vi, 20 et 21 : *Cum interrogaverit te filius tuus cras, dicens : Quid sibi volunt hæc testimonia ? Dices ei : Servi eramus Pharaonis in Ægypto.*

« *Narrantes laudes.* » Hic quæ sunt illa : et tanguntur tria. Primo, populi multiplicatio, et conservatio, quod intelligitur in laudibus, et pertinet ad divinam bonitatem. Secundo, multiplicati et conservati liberatio a servitute Ægyptiaca, quod pertinet ad virtutes, et respicit ad potentiam. Tertio liberati refectio inaudita, quod tangit cum dicitur, ibi, « *Et mirabilia :* » et pertinet ad sapientiam.

Ait ergo : Sic patres narraverunt, ipsi dico « *narrantes laudes Domini,* » id est, materiam laudis Domini in populi sui multiplicatione. Isa. lxiii, 7 : *Miserationum Domini recordabor, laudem Domini super omnibus, quæ reddidit nobis Dominus.* « *Et virtutes ejus,* » id est, potentias per quas nos liberavit. Psal. xx, 14 : *Cantabimus et psallemus virtutes tuas, quæ sunt potentia.* Alibi, in Psal. cv, 2 : *Quis loquetur potentias Domini ?* « *Et mirabilia ejus,* » non quæ sustinuit, sed « *quæ fecit,* » cibando nos manna in deserto [1]. Tob. xiii, 4 : *Dispersit vos inter gentes, ut enarretis mi-*

[1] Cf. Exod. xvi, 4.

rabilia ejus. Isa. XII, 4 : *Notas facite in populis adinventiones ejus.* Propter hoc dicit, I Petri, II, 9 : *Vos*, supple, estis, *genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, ut virtutes annuntietis ejus, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumensuum.*

5 « *Et suscitavit.* » Hic specificat quodammodo aliqua beneficia, quorum cognitio est continuata : et dicuntur duo. Primo, specificat. Secundo, monstrat per quos et ad quid sit facta, ibi, « *Quanta mandavit.* »

In prima duo secundum duo beneficia quæ tangit. Primum pertinet ad notitiam veritatis. Secundum ad rectitudinem operationis, ibi, « *Et legem.* »

Dicit ergo : Sic continuata est cognitio, sed quorum? Ecce : « *Et suscitavit testimonium,* » cognoscendæ veritatis, « *in Jacob,* » in populo scilicet a Jacob descendente. Habac. III, 9 : *Suscitans suscitabis arcum tuum, juramenta tribubus quæ locutus es.* Hoc testimonium est Vetus testamentum, quod perhibet testimonium Christo. Joan. V, 39 : *Scrutamini Scripturas :... et illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me.* Et dicitur : « *Suscitavit,* » quia in cordibus hominum scriptum naturaliter mortuum erat, non vivum : sed quando datum est in monte Sinai [1], quasi vivificatum est in Jacob. Proverb. VI, 3 : *Discurre, festina, suscita amicum tuum,* id est, legem naturalem in amico.

« *Et legem posuit,* » quæ ordinat in bonam operationem, et ipsam ligat, « *in Israel* : » ergo bona est contra Manichæum. Ad Roman. VII, 14 : *Scimus quoniam lex spiritualis est.* Et ibidem, ℣. 12 : *Lex quidem sancta, et mandatum justum et sanctum, et bonum.* I ad Timoth. I, 8 : *Scimus quia bona est lex, si quis ea legitime utatur.* Lex autem charitas est. Job, XI, 6 : *Ut ostenderet tibi... quod multiplex esset lex ejus.* Imo, legis consummatio. Ad Roman. XIII, 10 : *Plenitudo legis est dilectio.* Matth. XII, 40 : *In his duobus mandatis universa lex pendet, et Prophetæ.* Hanc Deus dat et ponit. Jerem. XXXI, 33 : *Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam.* Sed testimonium, id est, legem naturalem suscitat.

Charitas est lex in cordibus nostris scripta.

« *Quanta mandavit.* » Hic secundum, in quo per quos, et ad quid facta est illa continuatio. Et primo, per quos. Secundo, ad quid, ibi, « *Ut cognoscat.* »

Dicit ergo : Sic suscitavit, et posuit testimonium, et legem, et etiam « *quanta mandavit,* » id est, valde magna « *mandavit patribus nostris,* » non ut in se retinerent illa, imo, « *nota facere ea filiis suis.* » In hoc notatur differentia ad præceptum, quia mandatum est ei qui remotus est. Quasi diceret : Non tantum præsentibus præcepit, ut filiis suis nota facerent, sed et aliis mandavit qui futuri erant. Deuter. VI, 1 : *Hæc sunt præcepta et cæremoniæ, atque judicia,* etc. Et in cap. XI, 1 : *Ama Dominum Deum tuum, et observa præcepta ejus, et cæremonias, judicia atque mandata omni tempore.*

« *Ut cognoscat.* » Ecce finis. Ad hoc vult nota fieri filiis, « *ut* sic *cognoscat generatio altera,* » quæ successura est semper. Exod. XII, 24 : *Custodi verbum istud legitimum tibi et filiis tuis usque in æternum.* Et nota, quod filiis ad diffundendum aliis sunt magna communicanda, non porcis. Matth. VII, 6 : *Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos.* Et in cap. XV, 26 : *Non est bonum sumere panem filiorum, et mittere canibus.* 6

« *Filii qui nascentur.* » Hic secun-

[1] Cf. Exod. XX, 2 et seq.

dum, in quo, post beneficiorum enarrationem, hic monet ad gratitudinem : et dicuntur duo, Primo, monet ut tamquam grati non sileant. Secundo, ostendit quem inde fructum consequi valeant, ibi, « *Ut ponant in Deo.* »

Dicit ergo : Hæc beneficia sic sunt manifesta : ergo « *filii qui nascentur,* » id est, quicumque nascentur, « *et exsurgent* » crescendo, intelligendo, et probando quæ vera sunt : isti « *enarrabunt filiis suis.* » Deuteron. vi, 7 : *Quæ præcipio tibi, narrabis ea filiis tuis.* De filiis etiam spiritualibus legit Glossa « *qui nascentur* » in baptismate, secundum illud Joan. iii, 7 : *Oportet vos nasci denuo.* Et rursus, ℣. 5 : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Unde noviter baptizatis dicit Petrus : *Sicut modo geniti infantes, rationabile, sine dolo lac concupiscite* [1]. Isti sunt filii. Joan. i, 12 : *Dedit eis potestatem filios Dei fieri.* « *Et exsurgent,* » quando sic filii fient, a statu culpæ ad statum gratiæ. Ad Roman. xiii, 11 : *Hora est jam nos de somno surgere.* Et ad Coloss. iii, 1 : *Si consurrexistis cum Christo,* etc. Hi enarrare debent filiis, quos generant in prædicatione. Ad Galat. iv, 19 : *Filioli mei quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* I ad Corinth. iv, 15 : *In Christo Jesu per Evangelium ego vos genui.*

7 « *Ut ponant in Deo.* » Hic secundum, utilitas scilicet sequens ex enarratione, et hæc duplex : adeptio boni, et vitatio mali, ibi, « *Ne fiant.* »

In prima tria secundum triplex commodum. Primum est confirmatio spei in Deum. Secundum, jugis beneficiorum recordatio, ibi, « *Et non obliviscantur.* » Tertium, mandatorum Dei adimpletio, ibi, « *Et mandata ejus.* »

Dicit ergo : Sic enarrabunt : et hoc bonum consequens inde : « *Ut ponant in Deo spem suam,* » secundum illud Psal. lxi, 9 : *Sperate in eo, omnis congregatio populi, et firmi estote.* Ad Hebr. vi, 18 et 19 : *Fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem : quam sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam.*

« *Et non obliviscantur operum Domini.* » Minus dicit, et plus significat, id est, jugiter recolant : ne fiant sicut pincerna qui oblitus est interpretis sui [2]. Eccle. ix, 15, Pauper qui per sapientiam suam liberaverat civitatem, venit in oblivionem [3]. Deut. viii, 11 : *Cave ne quando obliviscaris Domini Dei tui, et negligas mandata ejus.*

« *Et mandata ejus exquirant* » operando. Tob. iv, 6 : *Omnibus diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum : et cave ne aliquando... prætermittas præcepta Domini Dei nostri.*

« *Ne fiant, sicut patres eorum.* » Hic vitatio incommodi, et est hoc malum, imitatio primi sceleris : et secundum hoc dicuntur duo. Primo, vitatio imitationis patrum malorum. Secundo, patrum iniquorum descriptio, ibi, « *Generatio prava.* » 8

Dicit ergo : Sic narrabunt propter prædicta bona, et etiam propter hoc, « *ne fiant sicut patres eorum,* » Adam, Ismael, Esau, et Israelitæ murmurantes tam frequenter in deserto, et percussi et occisi a Deo, ut sit verum in illis quod dicitur Ezech. xviii, 2 : *Patres comederunt uvam acerbam, et dentes filiorum obustupescunt.*

« *Generatio prava.* » Hic secundum,

[1] I Petr. ii, 2.

[2] Cf. Genes. xl, 23.

[3] Proverb. ix, 15 : *Inventus est in ea,* civiate scilicet, *vir pauper et sapiens, et liberavit urbem per sapientiam suam, et nullus deinceps recordatus est hominis illius pauperis.*

Patrum descriptio, et primo in generali omnes tangit. Secundo, ad aliquos in speciali descendit, ibi, « *Filii Ephrem.* »

In prima quatuor tanguntur. Primo, mala operatio. Secundo, mala affectio, ibi, « *Et exasperans.* » Tertio, perversa intentio, ibi, « *Generatio quæ non direxit.* » Quarto, subversio in fide, ibi, « *Et non est creditus.* »

Patrum descriptio in generali.

Dicit ergo : « *Ne fiant sicut patres eorum,* » scilicet « *generatio prava,* » quales illi fuerunt inobediendo, et mala faciendo : « *et exasperans,* » affectione adhærendo ipsi malo quod facit. Generatio prava fuit Adam cum peccavit : sed « *exasperans,* » cum adhærens malo se excusavit. Deuter. xxxii, 5 et 6 : *Generatio prava atque perversa : hæccine reddis Domino, popule stulte et insipiens ?* Ezech. ii, 8 : *Noli esse exasperans, sicut domus* Israel *exasperatrix est.*

« *Generatio quæ non direxit.* » Ecce tertium. Quasi diceret : Sic mala opere, sic affectione, et etiam « *generatio quæ non direxit cum Deo cor suum,* » ut illud rectificaret bona intentione : sed magis ab eo distorsit ad terrena inclinando, et intentione illorum faciendo quæcumque faciebat, cui dictum est supra, in alio Psal. iv, 3 : *Filii hominum, usquequo gravi corde ?* Et e contrario, in Psal. lxxii, 1 : *Quam bonus Israel Deus, his qui recto sunt corde !* Et vere bonus, quia attrahit ad se. Job, xxxiv, 14 : *Si direxerit ad eum,* scilicet Deum, *cor suum, spiritum illius et flatum ad se trahet.* Qui non habet cor directum ut sursum apertum sit, sed inferius, nihil boni potest recipere, vel tenere. Propter hoc dicitur, Eccli. xx, 13 : *Gratiæ fatuorum effundentur.* Act. viii, 21, dixit Petrus ad Simonem magum, qui pertinebat ad generationem istam : *Cor tuum non est rectum coram Deo.*

« *Et non est creditus cum Deo spiritus ejus* », id est, spiritus ejus non credidit : et hoc, « *cum Deo,* » id est, sicut Deus vult credi. Ecce quartum, scilicet infidelitas. Alibi, in Psal. lxxvii, 22 : *Non crediderunt in Deo salutari suo.* Vel, « *Non est creditus cum Deo spiritus ejus,* » id est, ipsum spiritum suum Deo non crediderunt, nec commiserunt, dicentes illud supra, in Psal. xxx, 3 : *In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum :* sed magis ipsum sibi retinuerunt.

9 « *Filii Ephrem intendentes.* » Hic secundum, in quo descendit ad aliquos specialiter describendos, scilicet illos de Ephraim. Et primo, tangitur illorum aversio a bono. Secundo, ingratitudo monstratur de accepto beneficio, ibi, « *Et obliti sunt beneficiorum.* »

In prima duo. Primo, aversio ipsorum a promissione. Secundo, specificatio illorum in quibus, et a quibus avulsi sunt, ibi, « *Non custodierunt.* »

In prima duo. Primo, tangitur illorum promissio de mandatis Dei conservandis. Secundo, omissio in tempore necessitatis, ibi, « *Conversi sunt.* »

Ait enim : Sunt generatio mala et perversa omnes, et etiam « *filii Ephrem,* » id est, Ephrem, in quo comprehendit decem tribuum regnum, quia primus rex eorum scilicet Jeroboam, fuit de Ephraim [1]. « *Intendentes arcum, et mittentes* » ex illo sagittas, id est, ita facientes, sicut ille qui arcum tendit, et mittit sagittas præludendo, et quasi comminando, quod mirabilia faciet in bello : dicentes illud Job, xxix, 20 : *Et arcus meus in manu mea instaurabitur.* « *Conversi sunt in die belli,* » in necessitate, et tentatione a me recedentes. Eccle. iii, 8 : *Tempus belli, et tempus pacis.* Lucæ, viii, 13 : *Ad tempus credunt, et in tempore tentationis recedunt.* Jerem. xlvi, 5 : *Vidi ipsos,* scilicet impios, *pavidos, et terga vertentes.* Imo aliquando etiam sine bello fugiunt, et

[1] Cf. III Reg. xii, 25.

cedunt diabolo. Prov. XXVIII, 1 : *Fugit impius nemine persequente.* Osee, VII, 18 : *Reversi sunt ut essent absque jugo*, illo de quo Matth. XI, 29 : *Tollite jugum meum super vos, et discite a me, quia mitis sum, et humilis corde.*

10 « *Non custodierunt testamentum.* » Hic specificat quomodo sunt conversi, et a quibus : et dicuntur duo. Primo, a quo sunt aversi, quia a lege, et testamento Dei. Secundo, quomodo, quia voluntarie et non coacte, ibi, « *Et in lege ejus.* »

Dicit ergo : Sic dixi, quod conversi sunt in die belli. A quo? « *Non custodierunt testamentum Dei*, » sicut promiserant, et maxime credebatur propter benedictionem quam dederat Jacob Ephraim, ponens dexteram super caput ejus, et præponens illum fratri suo prius nato[1]. Jerem. XVI, 11 et 12 : *Me dereliquerunt, et legem meam non custodierunt. Sed et vos pejus operati estis quam patres vestri*, et propter hoc maledicti fuistis. Jerem. XI, 3 et 4 : *Maledictus vir qui non audierit verba pacti hujus, quod præcepi patribus vestris :* et non hoc coacti fecerunt, imo

« *Noluerunt ambulare*, » proficere scilicet, « *in lege ejus.* » Jerem. V, 28 : *Incrassati sunt et impinguati, et præterierunt sermones meos pessime :* quia ex corde et voluntarie, sine voluntate emendandi se. In eodem, ibidem, ℣. 3 : *Induraverunt facies suas super petram, et noluerunt reverti.* In lege autem veraciter ambulat et suaviter, sicut bonus palefridus, qui Dominum Deum totis visceribus amat. Augustinus : « Ambulat ad Deum « qui amat, quia ad Deum itur affecti- « bus, non passibus. » Genes. XVII, 1, dictum est Abrahæ : *Ambula coram me, et esto perfectus.*

[1] Cf. Genes. XLVIII, 13 et seq.

« *Et obliti sunt.* » Hic ingratitudo post aversionem : et dicuntur duo. Primo, ingratitudo. Secundo, ingratitudinis magnitudo, ibi, « *Et mirabilia ejus.* » 11 Facilis beneficiorum oblivio et injuriarum recordatio.

Dicit ergo : Sic conversi sunt, « *et etiam obliti sunt*, » tamquam ingrati, beneficiorum ejus. Deut. XXXII, 18 : *Deum qui te genuit dereliquisti, et oblitus es Domini creatoris tui?* Cito traditur beneficinm oblivioni : pauci enim in kalendario suo beneficia, maleficia autem multi habent. Et non quorumcumque beneficiorum, sed « *et mirabilium*, » beneficiorum miraculose factorum, « *quæ ostendit eis.* » Infra, in Psal. CV, 21 : *Obliti sunt Domini qui salvavit eos, qui fecit magnalia in Ægypto, mirabilia in terra Cham, terribilia in Mari rubro.* II Esdr. IX, 17 : *Non sunt recordati mirabilium tuorum quæ feceras eis : et induraverunt cervices suas.* Osee, II, 13 : *Ibat post amatores suos, et mei obliviscebatur.* Hæc sua consuetudo semper fuit. Ipsi enim fuerunt qui dixerunt, Marc. VII, 37 : *Bene omnia fecit, et surdos fecit audire, et mutos loqui* : et tamen pessimo genere ingratitudinis ingrati occiderunt. Jerem. XVIII, 20 : *Numquid redditur pro bono malum?*

« *Coram patribus eorum.* » Hic secundum, in quo postquam recoluit beneficia collata illi populo generaliter, hic secundo tangit quædam specialiter. Primo, quæ ei contulit in Ægypto. Secundo, quæ in exitu de Ægypto, ibi, « *Interrupit mare.* » Tertio, quæ in deserto, ibi, « *Interrupit petram.* » Quarto, quæ in terra promissionis, ibi, « *Et induxit in montem.* » 12 Quædam beneficia in particulari recensentur.

In prima parte tanguntur duo. Primo, modus exhibendi illis beneficia. Secundo, locus, ibi, « *In terra Ægypti.* »

Et primo, universaliter. Secundo, magis specificando, ibi, « *In campo Taneos.* »

Dicit ergo : Sic contulit eis beneficia

multa : sed descendo, et dico : « *Mirabilia fecit :* » et hoc aperte, quia « *coram patribus eorum.* » Et ubi? *In terra Ægypti.* » Exod. VII, 3 : *Multiplicabo signa et ostenta mea in terra Ægypti.* Deut. XXIX, 2 : *Vos vidistis universa quæ fecit Dominus coram vobis in terra Ægypti.* Et magis specificat locum cum addit : « *In campo Taneos.* » Tannis enim est civitas Ægypti, in cujus campis facta sunt mirabilia.

Spiritualiter autem in Ægypto Christus multa mirabilia fecit, id est, in mundo coram nostris patribus, Judæis scilicet. Isa. XIX, 1 : *Dominus ascendet super nubem levem, et ingredietur Ægyptum,* id est, mundum, et ibi fecit mirabilia coram principibus etiam nostris, id est, Apostolis. Fecit mirabilia, Joan. x, 32 : *Multa bona opera ostendi vobis ex Patre meo, propter quod eorum opus me lapidatis?* Sed maxime « *in campo Taneos,* » id est, in beata Virgine fecit mirabilia, quæ fuit campus. Campus enim locus sanus est : et ipsa sine peccati infirmitate. Locus planus est : et ipsa plana mansuetudine. Locus latus : et ipsa lata charitate. Locus communis : et ipsa communis pietate. Locus fructifer : et ipsa fructifera bonorum operum multitudine, illius frumenti generatione et productione, quo Angeli et homines reficiuntur, qui dicit de se, Joan. XII, 24 : *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit,* etc. Hic est campus de quo Cant. II, 1 : *Ego flos campi.* Et bene *campus Taneos,* quia Tannis interpretatur *mandatum humile,* et ipsa humiliter mandatum a Domino suscepit, cum dixit, Luc. I, 38 : *Ecce ancilla Domini, fiat mihi,* etc.

Collatio B. Virginis cum campo.

13 Viæ præparatio.

« *Interrupit mare.* » Hic secundum, in quo tangit beneficia in ipso exitu præstita, et fuerunt duo. Aquarum divisio, et exhibitio ductoris, ibi, « *Et eduxit.* »

In prima duo. Primo, aquarum divisio ut præberent viam. Secundo, solidatio divisarum, ne submergerent intrantes, ibi, « *Et statuit.* »

Dicit ergo : Sic ostendit mirabilia in ipsa Ægypto : et in exeundo de Ægypto, « *interrupit mare, et perduxit eos* » per interruptionem. Hoc patet per totum caput XIV Exodi[1]. Sapient. XIX, 7 : *In Mari rubro via sine impedimento.* Isa. XLIII, 16 : *Qui dedit in mari viam, et in aquis torrentibus semitam.*

« *Et statuit aquas,* » eas solidando, quasi in utre clausæ essent. Supra, in Psal. XXXII, 7 : *Congregans sicut in utre aquas maris.* Eccli. XXXIX, 22 : *In verbo ejus stetit aqua sicut congeries.* Et Exod. XIV, 29 : *Aquæ eis erant quasi pro muro a dextris et a sinistris.* Isa. LI, 10 : *Numquid tu siccasti fluvios abyssi vehementis?* Fuit figura baptismatis. Sicut enim per aquas transilientes salvati sunt, et eorum adversarii sunt submersi, sic in baptismate salvantur baptizati, et dæmones et peccata submerguntur. Quantum ad primum, Isa. L, 2 : *Ecce in increpatione mea desertum faciam mare,* ut possint transire per illud. Nahum, I, 4 : *Increpans mare, et exsiccans illud.* Quantum ad secundum, Apoc. XVIII, 21 : *Et sustulit unus Angelus fortis lapidem quasi molarem magnum, et misit in mare, dicens : Hoc impetu mittetur Babylon civitas illa magna, et ultra jam non invenietur,* scilicet diabolus et peccati confusio in baptismate.

« *Et eduxit eos.* » Hic secundum beneficium, exhibitio ductoris. Primo, quantum ad diem. Secundo, quoad noctem, ibi, « *Et tota nocte.* » **14** Ductoris exhibitio.

Dicit ergo : Sic eis mare divisit, et iter præbuit, et eduxit eos « *in nube diei,* » id est, eis præstita in die ad refrigerium. Eccli. XXXIV, 19 : *Oculi Domini super timentes eum, protector potentiæ, firmamentum virtutis, tegimen ardoris, um-*

[1] Cf. Exod. XIV, 16 et seq.

braculum meridiani. Isa. IV, 6 : *Et tabernaculum erit in umbraculum diei ab æstu.* Ob hoc ut præstaret refrigerium, voluit plantari in terra carnis nostræ, et arbor fieri. Cant. II, 3 : *Sub umbra illius quem desideraveram sedi.*

« *Et tota nocte,* » repete, eduxit illos, « *in illuminatione ignis,* » ne errarent. Isa. IV,5 : *Et creabit Dominus super omnem locum montis Sion, et ubi invocatus est, nubem per diem, et fumum et splendorem ignis flammantis in nocte.* Sapient. X, 17 : *Et fuit illis in velamento diei, et luce stellarum nocte.* Secundum Augustinum, « In nobis est dies calida, « ardor concupiscentiæ, contra quem « Christus præstat refrigerium et gra« tiam : et nox ignorantia, contra quam « dat lumen sapientiæ suæ. »

15 « *Interrupit petram.* » Hic tangit beneficia illis exhibita in deserto. Hæc autem sunt duo. Primo, sitis relevatio miraculosa. Secundo, famis, ibi, « *Et tentaverunt.* »

In prima duo. Primo, tangit beneficium. Secundo, ingratitudinem pro beneficio illo, ibi, « *Et apposuerunt.* »

In prima duo. Primo, tangit ipsum beneficium. Secundo, modum exhibendi illud, ibi, « *Et eduxit.* »

In prima, primo tangitur petræ divisio. Secundo, abundans illorum potatio, ibi, « *Et adaquavit eos.* »

Petra manavit fontem. Dicit ergo : Sic eduxit de Ægypto, sed post « *interrupit petram in eremo,* » in deserto scilicet vasto, sicut eremus [1].

« *Et adaquavit,* » non solum potavit eos, « *velut in abysso multa,* » in profunda aquarum abundantia. Exod. XVII, 6 : *Percuties petram, et exibit ex ea aqua.* Psal. LXXVII, 20 : *Percussit petram, et fluxerunt aquæ, et torrentes inundaverunt.* Sapient. XI, 4 : *Data est illis aqua de petra altissima, et requies sitis de lapide duro.* Sic fit etiam spiritualiter : virga enim est crux, silex cor durum, aqua lacrymæ : si percutiatur cor durum Christi passione, mirum si non fluxerint aquæ largissimæ, maxime si percussio repetatur. Num. XX, 11, Moyses percussit virga bis silicem, et egressæ sunt aquæ largissimæ [2]. Petra etiam Christus. I ad Cor. X, 4 : *Petra autem erat Christus.* Isa. VIII, 14 : *Et erit... in lapidem offensionis, et in petram scandali.* Hæc percussa fuit virga, id est, lancea, ab uno crucifixorum, et fluxit aqua de latere [3].

« *Et eduxit aquam.* » Hic determinat modum quo exhibitum est hoc beneficium, quia mirabiliter et affluenter, ibi, « *Et eduxit.* » 16

Dicit ergo : Sic dixi, quod interrupit petram, et adaquavit eos. Sed quomodo ? Ecce : « *Et eduxit aquam* » potabilem, « *de petra* » interrupta : magnum miraculum. Num. XX, 8 : *Loquimini ad petram coram eis, et illa dabit aquas,* et abundanter. Unde, « *et eduxit,* » deorsum de petra duxit aquas, « *tamquam flumina.* » Isa. XLI, 18 : *Aperiam in supinis collibus,* in locis scilicet desperatis, *flumina.* Hæc flumina lætificaverunt populum Dei. Psal. XLV, 5 : *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei.* Petra autem interrupta clavis et lancea, Christus, ex qua fluxit aqua sufficiens ad totum mundum potandum, I ad Corinth. X, 4 : *Bibebant autem de spiritali consequente eos petra.* Et ad abluendum omnes sordes, Zach. XIII, 1 : *Erit fons patens domui David... in ablutionem peccatoris et menstruatæ.*

Et potest hic notari, quod aqua dicitur primordialis materia, Genes. I, 2 : *Spiritus Domini ferebatur super aquas.* Hu- Aquæ multiplex acceptio ex Scriptura.

[1] Cf. Exod. XVII, 6 et seq.

[2] Num. XX, 11 : *Cumque elevasset Moyses manum, percutiens virga bis silicem, egressæ sunt aquæ largissimæ, ut populus biberet et jumenta.*

[3] Cf. Joan. XIX, 34.

mana natura, quæ fluxibilis est, Apocal. xvii, 15 : *Aquæ quas vidisti ubi meretrix sedet, populi sunt, et Gentes et linguæ.* II Reg. xiv, 14 : *Omnes morimur, et sicut aquæ dilabimur in terram, quæ non revertuntur.* Tribulationes, Genes. vii, 17 : *Multiplicatæ sunt aquæ* super terram, *et* quanto multiplicabantur, tanto magis *elevaverunt arcam in sublime a terra.* Ob hoc quidam tribulatus dicit : *Omnes fluctus tuos induxisti super me* [1]. Loquacitas vana, Prov. xvii, 14 : *Qui dimittit aquam, caput est jurgiorum.* Doctrina falsa, Isa. i, 22 : *Vinum tuum mistum est aqua,* scilicet caupones tui miscent aqua vinum, bono scilicet doctrinam falsam. Et Isa. xv, 9 : *Aquæ Dibon repletæ sunt sanguine,* et pessimæ sunt. Sana doctrina, Isa. xii, 3 : *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.* Et lv, 1 : *Omnes sitientes, venite ad aquas.* Misericordia, Zach. ix, 11 : *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua.* Lacryma, Jerem. ix, 1 : *Quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrymarum ?* Dei gratia, Ezech. xxxvi, 25 : *Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* Ipse Spiritus sanctus, Joan. vii, 38 : *Qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.* Et Joannes hoc exponit, ℣. 39 : *Hoc autem dixit de Spiritu sancto, quem accepturi erant,* etc.

17 « *Et apposuerunt.* » Hic monstratur ingratitudo : et dicuntur duo. Primo, peccati iteratio. Secundo, loci, in quo iteratum est, deterioratio, ut appareat certissime ingratos fuisse, ibi, « *In ira concitaverunt.* »

Peccare dicit non credere.

Dicit ergo : Hæc bona fecit eis, et tamen, « *apposuerunt adhuc,* » ad peccata præcedentia scilicet, « *peccare ei,* » id est, non credere. Sic accipitur hic peccare, sicut vult Glossa, sicut ibi, Joan. xvi, 8 : *Arguet mundum de peccato,* id est, de infidelitate. Eccli. xxi, 1 : *Fili, peccasti, non adjicias iterum.* Quod numquam impleverunt Judæi. Judic. iii, 12, et iv, 1 : *Addiderunt filii Israel facere malum in conspectu Domini.* Et in cap. x, 7 : *Filii Israel peccatis veteribus jungentes nova.*

« *In iram.* » Hic secundum. Quasi diceret : Apposuerunt in ipso loco, ubi beneficia præcedentia receperunt. « *Et excitaverunt in iram* » ipsum inducendo, id est, in effectum iræ. Et hoc « *in inaquoso* » loco, scilicet in deserto, quod erat locus aridus et inaquosus. Psal. lxii, 3 : *In terra deserta, et invia, et inaquosa.* Deuteron. xxxii, 16 : *Provocaverunt eum in diis alienis.* Et paulo post, ℣. 19 : *Vidit Dominus, et ad iracundiam concitatus est.*

Spiritualiter autem in cordibus inaquosis et aridis a Dei gratia, ibi irritatur, et provocatur Deus : quippe quia ibi habitat diabolus. Luc. xi, 24 : *Cum immundus spiritus exierit de homine, ambulat per loca inaquosa.* Tob. viii, 3 : *Tunc Raphael Angelus apprehendit dæmonium, et religavit illud in deserto superioris Ægypti.*

« *Et tentaverunt Deum.* » Actum est 18
de beneficio pertinente ad potum eis exhibito in deserto, et de illorum ingratitudine : hic secundo, de pertinente ad cibum. Et primo, agitur de beneficii exhibitione. Secundo, de populi afflictione, simul et ingratitudine, ibi, « *Adhuc escæ.* « Tertio, de simulata illorum pœnitentia, ibi, « *Cum occiderit eos.* » Quarto, de vera Dei ad illos misericordia, ibi, « *Ipse autem propitius.* »

In prima duo. Primo, occasio narratur beneficium exhibendi. Secundo, subjungitur exhibitio ipsa beneficii, ibi, « *Et mandavit.* »

In prima duo, secundum duo quæ fuerunt ratio exhibendi. Primum, eorum

[1] Psal. lxxxvii, 8.

malignitas. Secundum, Dei benignitas, ibi, « *Ideo audivit.* » Primum fuit quædam occasio, sed secundum, causa.

In prima duo. Primo tangitur malignitas cordis eorum. Secundo, oris, tamquam procedens ex illa, ibi, « *Et male locuti sunt.* »

In prima duo. Primo, dolosa illorum dispositio. Secundo, specificatio in quo, ibi, « *Ut peterent.* »

Dicit ergo : Vere apposuerunt adhuc peccare, et ipsum concitaverunt, « *et tentaverunt Deum,* » id est, tentare disposuerunt, « *in cordibus suis.* » Hæc tentatio de qua in Psal. xciv, 8 : *Nolite obdurare corda vestra, sicut in exacerbatione secundum diem tentationis in deserto :* contra illud Deuter. vi, 16 : *Non tentabis Dominum Deum tuum.* Eccli. xviii, 23 : *Ante orationem præpara animam tuam, et noli esse quasi homo qui tentat Deum.*

Et, « *ut peterent escas animabus suis,* » id est, carnali vitæ suæ, sicut accipitur hic. Joan. xii, 25 : *Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.* Nauseabant autem super cibum levissimum, et optimum, scilicet Manhu. Num. xxi, 5 : *Anima nostra nauseat super cibo isto levissimo :* et erat gravis culpa. Cassiodorus : « Vehemens « est culpa, quia talis diffidentia divinam « tangit injuriam. »

19 **Qui male loquantur de Deo?**

« *Et male locuti sunt.* » Hic malignitas oris : et dicuntur duo. Primo, malignitas. Secundo, in quo fuerit illa malignitas, ibi, « *Et dixerunt.* »

Dicit ergo : Sic in corde, et post hoc, « *male locuti sunt de Deo.* » Loquitur enim aliquis male de Deo, ei lineamenta corporis et passiones corporales attribuendo, ut Judæus qui ponit Deum sedere in cœlo, et pedes habere in terra, propter illud Isa. lxvi, 1 : *Cœlum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum.* Ejus misericordiam nimis extendendo, quod omnes salvabuntur in fine, sicut imponitur Origeni. Vel justitiam arcendo, quod nullus, Job, xiii, 7 : *Numquid Deus indiget vestro mendacio, ut pro illo loquamini dolos ?* Ipsum blasphemando, Supra, in Psal. lxxii, 9 : *Posuerunt in cœlum os suum.* De ipso verba desperationis proferendo, sicut hic, et Num. xiv, 11 : *Usquequo detrahet mihi populus iste ?*

« *Dixerunt.* » Hic secundum, in quo ostenditur in quo, et quomodo sunt male locuti. Et primo, loquuntur diffidentes de potentia conferendi carnes. Secundo, de potentia conferendi panes, ibi, « *Numquid et panem ?* »

In prima duo. Primo, interrogatio eorum judicio in nativam terminanda. Secundo, responsio judicatur affirmative terminanda, ibi, « *Quoniam percussit.* »

Dicit ergo : Sic male locuti sunt, et dixerunt : « *Numquid poterit Deus,* » quem colimus et sequimur, « *parare mensam* carnium *in deserto ?* » Quasi diceret : Non. Propter hoc conquerebantur de Moyse et Aaron, Num. xx, 5 : *Quare nos fecistis ascendere de Ægypto, et adduxistis in locum istum pessimum,* ut moriamur. Idola dant carnes suis, sed Deus noster non potest dare nobis[1]. Sapient. xiv, 30 : *Male senserunt de Deo, attendentes idolis.* Sed potest, Psal. xxii, 5 : *Parasti in conspectu meo mensam,* etc.

« *Quoniam percussit.* » Hic est quasi responsio ei quod posset dici : Poterit dare, quia jam aquam dedit. Et est responsio eorum : Numquid poterit parare mensam, « *quoniam percussit,* » percuti fecit, « *petram, et fluxerunt aquæ,* » et non modicæ, imo « *torrentes innundaverunt ?* » Si locutus esset prius de pane, nihil diceret, quia constat quod prius dedit eis panes, Manhu scilicet, sicut ha- **20**

[1] Cf. etiam Numer. xi, 1 et seq.

betur Exod. XVI, 13 et seq., et post aquas, Exod. XVII, 1 et seq. Propter hoc intelligitur de carnibus quæ post aquas eis datæ sunt. Sic multi, quamvis non esset eis difficile credere Deum dare aquas baptismales, secundum illud Ezech. XXXVI, 25 : *Effundam super vos aquam mundam*, etc. Et rursus, Zachar. XIII, 1 : *Erit fons patens domui David,... in ablutionem peccatoris et menstruatæ.* Dicunt tamen non credentes altaris sacramentum, illud Joan. VI, 53 : *Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum ?*

« *Numquid et panem poterit dare ?* » Hic exhibitio quoad panem. Primo, quoad panis substantiam. Secundo, quoad panis abundantiam, ibi, « *Aut parare.* »

Dicit ergo : Et dixerunt etiam : « *Numquid et panem poterit dare ?* » Quasi diceret : Non. Et non loquitur hic de pane, qui descendebat de cœlo : illum enim jam habebant : sed de artificiali pane, de quo Num. XXI, 5 : *Deest panis, et non sunt aquæ.*

Variæ panis species quibus Deus nos reficit.

Hic notandum, quod in deserto hujus mundi dat Deus ad animarum refectionem, primo panem satis bonum, scilicet laborem bonæ operationis, Psal. CXXVII, 2 : *Labores manuum tuarum quia manducabis.* Genes. III, 19 : *In sudore vultus tui vesceris pane* tuo. Secundo, unanimitatem bonæ societatis, quæ multum reficit, Genes. XLIX, 20 : *Aser, pinguis panis ejus.* Aser interpretatur *benedictus :* socius enim benedictus est pinguis panis, per effectum. Tertio, anxietatem fraternæ compassionis, Levit. II, 4 : *Cum obtuleris sacrificium coctum in clibano*, cordis compatientis, *de simila, panes scilicet absque fermento, conspersos oleo* pietatis. Quarto, verbum sacræ eruditionis, Matth. IV, 3 : *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo*, etc. [1]. Quinto, diligentiam sanctæ meditationis, Eccli. XV, 3 : *Cibabit illum pane vitæ et intellectus.* Et Augustinus : « Meditatio de te, Domine, « plusquam cibus suavis. » Eccli. XXIII, 37 : *Nihil dulcius quam respicere,* hoc est, meditari *in mandatis Domini.* Sexto, lacrymam sanctæ compunctionis, Psal. LXXIX, 6 : *Cibabis nos pane lacrymarum.* Et Augustinus in libro *Confessionum :* « Fluebant lacrymæ, et bene mihi erat « cum illis. » Septimo, sapientiam vel suavitatem contemplationis æternorum. Hic est panis similaginis. Hic panis Angelorum, de quo infra, ℣. 25 : *Panem Angelorum manducavit homo.* Et cum pane, carnes agni Paschalis [2], et vituli saginati [3].

« *Aut parare mensam.* » Hic secundum, in quo hæsitant de abundantia. Quasi diceret : Et si poterit parare mensam, ut abundanter tribuat populo suo tanto ? Quasi diceret : Non. Matth. XIV, 13 et seq., et XV, 32 et seq., apparet quod mentiuntur : in deserto enim paravit mensam.

Multiplex mensa nobis parata.

In spirituali autem deserto parat mensam. Primo altaris, in qua dat carnem propriam in cibum, et sanguinem in potum, I ad Cor. X, 21 : *Non potestis esse participes mensæ Dei, et mensæ dæmoniorum.* Scripturæ sacræ, Proverb. IX, 1 : *Sapientia ædificavit sibi domum.* Et paulo post, ℣. 3 : *Miscuit vinum et proposuit mensam suam*, meditationis eorum intimæ, quæ in Christo sunt et fuerunt. Psal. XXII, 5 : *Parasti in conspectu meo mensam.* Cibus, consideratio humanitatis Christi : sed potus inebrians, consideratio divinitatis. Et in futuro proponet mensam gloriæ, de qua Luc. XXII, 29 : *Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus, regnum.*

« *Ideo audivit.* » Hic secundum, in quo 21
monstratur post eorum malignitatem Dei benignitas : tamen ne stulta videatur, adjungitur et zelus : unde dicuntur duo. Primo, benignitas ostenditur. Se-

[1] Cf. Luc. IV, 1 et Deuter. VIII, 3.
[2] Cf. Exod. XII, 3 et seq.
[3] Cf. Luc. XV, 27.

cundo, adjungitur de zelo, ibi, « *Et ignisl accensus est.* »

In prima duo. Primo, ostenditur benignitas in exhibendo quod petunt. Secundo in differendo flagellum, quia male petierunt, ibi, « *Et distulit.* »

Dicit ergo : Sic corde et ore contra Deum malignati sunt, « *et ideo,* » ne viderentur juste allegasse Dei impotentiam, « *audivit Dominus,* » quæ petebant conferendo. Sap. I, 10 : *Auris zeli audit omnia.* Psal. XCII, 19 : *Qui plantavit aurem, non audiet ?* Exod. XVI, 9 : *Audivi murmur vestrum.*

« *Et distulit,* » affligere illos, pro tanta iniquitate, sed tamen omnia non abstulit. Eccli. V, 4 : *Altissimus est patiens redditor.* Non enim præcipitat aliquando sententiam, sed benigniter exspectat. Isa. XXX, 18 : *Exspectat Dominus ut misereatur vestri.* Sed multi abuntur ista patientia. Eccle. VIII, 11 : *Quia non profertur cito contra malos sententia,* idcirco *absque timore ullo filii hominum perpetrant mala.*

22 « *Et ignis.* » Hic secundum, scilicet zeli rectitudo : et dicuntur duo. Primo, zeli rectitudo. Secundo, ratio illius, ibi, « *Quia non crediderunt.* »

Et primo, comparatione ad minores, qui per Jacob. Secundo, comparatione ad majores, qui per Israel.

Ait ergo : Sic benignus fuit præbendo petitum, differendo flagellum. Et tamen « *ignis* » zeli Dei, « *accensus est in Jacob,* » id est, contra Jacob, quantum ad populum. Sophon. III, 8 : *In igne zeli mei devorabitur terra.* Et Deuteronom. XXXII, 22 : *Ignis succensus est in furore meo, et ardebit usque ad inferni novissima.*

« *Et ira Dei,* » id est, effectus iræ Dei, « *ascendit in Israel,* » id est, usque ad majores : nulli enim parcit Deus, qui personas non accipit[1]. Prov. VI, 34 : *Zelus et furor viri non parcet in die vindictæ,* etc.

« *Quia non crediderunt.* » Hic ratio quare sic accensa ira. Defectus fidei primo. Secundo, spei, ibi, « *Nec speraverunt.* »

Ait ergo : Sic ignis accensus est in ira, « *quia non crediderunt in Deo.* » Num. XIV, 11 : *Usquequo detrahet mihi populus iste ? quousque non credent mihi in omnibus signis, quæ feci coram eis ?* Isa. LIII, 1 : *Domine, quis credidit auditui meo ?* vera, et formata fide. Jerem. V, 1 : *Circuite vias Jerusalem, et adspicite, et considerate, et quærite in plateis ejus, an inveniatis virum facientem judicium, et quærentem fidem,* etc.

« *Nec speraverunt in salutari ejus,* » id est, quod salvare eos posset a facie famis. Jerem. II, 25 : *Desperavi, nequaquam faciam.* Et XVIII, 12 : *Dixerunt : Desperavimus.* Nihil tam dejicit animam ut desperatio. Prov. XXIV, 10 : *Si desperaveris lassus in die angustiæ, imminuetur fortitudo,* etc.

« *Et mandavit nubibus.* » Hic secundum totius illius partis, in qua agitur de 23
beneficii exhibitione. Præmissa enim occasione exhibendi, subjungitur ipsa exhibitio beneficii. Et cum ad cibum duo pertineant, panis et caro, primo agitur de collatione panis. Secundo, carnis, ibi, « *Transtulit Austrum.* »

In prima duo. Primo, collatio panis. Secundo, collati commendatio, ibi, « *Et panem cœli.* »

In prima quatuor. Primo, unde collatus est eis panis, ibi, « *Nubibus.* » Secundo, per quos, ibi, « *Et januas cœli.* » Tertio, qualiter, ibi, « *Et pluit.* » Quarto, ad quid, ibi, « *Ad manducandum.* »

Dicit ergo : Sic malignaverunt, et Deus benignus fuit, « *et mandavit,* » ac si es-

[1] Act. X, 34 : *In veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus.*

sent rationabiles, « *nubibus* » desuper existentibus. Isa. v, 6 : *Nubibus mandabo ne pluant super eam imbrem.*

« *Et januas cœli,* » id est, cataractas cœli « *aperuit,* » quæ sunt quasi quædam portæ, per quas cœli videntur. Genes. VII, 11 : *Cataractæ cœli apertæ sunt.* « *Aperuit.* » Cœli aperti sunt ergo in collatione Manhu [1], et Ezechiel. I, 1, quoniam revelata sunt ei Ecclesiæ sacramenta [2], et Stephano regnum cœli ingressuro [3]. Item, nubibus Deus mandavit prædicare incarnationem Filii. Prophetis inspiravit, Isa. XLV, 8 : *Rorate cœli desuper, et nubes pluant justum.* « *Et januas cœli aperuit,* » quando quasi ruptis cœlis descendit. Isa. LXIV, 1 : *Utinam dirumperes cœlos, et descenderes.* Januæ etiam secundum dictam divisionem, sunt Angeli, sicut in Psal. XXIII, 7 : *Et elevamini, portæ æternales.*

Incarnatio Prophetis revelata.

24 « *Et pluit illis manna.* » Hic tertium, qualiter est exhibitum, quia pluendo : unde ait : « *Et pluit illis manna,* » id est, ad modum pluviæ vel roris descendit. Hoc habetur Exod. XVI, 13 et seq. Psal. LXVII, 10 : *Pluviam voluntariam segregabis, Deus, hæreditati tuæ.* Hæc pluvia duplicis alterius pluviæ figura. Descensus Filii Dei in uterum virginalem, secundum illud Psal. LXXI, 6 : *Descendet sicut pluvia in vellus.* Et distributionis sanguinis et carnis Christi per Sacramenti institutionem. Manhu enim figura est expressa corporis Christi. Primo, quia de cœlo descendit sicut Manhu. Joan. VI, 41 : *Ego sum panis vivus qui de cœlo descendi.* Psal. XVIII, 7 : *A summo cœlo egressio ejus.* Quia subtile valde fuit, et corpus Christi tam subtile, quod clauso virginis utero, ex ipso exierit. Ezech. XLIV, 2 : *Porta hæc clausa erit : non aperietur, et vir non transibit per eam : quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam.* Item, suave fuit et minutum, sicut legitur Exod. XVI, 14. Et totum humile, totum suave, quidquid in Christo fuit. Matth. XI, 29 : *Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde.* Candidum apparuit : et de Christo sponsa dicit, Cant. v, 10 : *Dilectus meus candidus et rubicundus, electus ex millibus.* Item, ad ignem induruit, et *cum sol incaluisset, liquefiebat* (Exod. XVI, 21). Sic ad ignem luxuriæ et cupiditatis Christus durescit. Joan. VI, 61 : *Durus est hic sermo : Quis potest eum audire?* Et abierunt retro, non potentes masticare. Ad solem vero, ad cor fide illuminatum liquescit : quia tale reficit. Augustinus : « Crede, et « manducasti. » Thren. III, 25 : *Bonus est Dominus sperantibus in eum, animæ quærenti illum.* Item, unicuique sapuit quod voluit. Sapient. XVI, 20 : *Omne delectamentum in se habentem, et omnis saporis suavitatem.* Ad quod volebat unusquisque convertebatur. Augustinus : « Tale est vivificum sacramentum : in « tua est voluntate, ut tibi convertatur « in amaritudinem nocivam, vel dulcedi« nem salutarem. » Hunc cibum « *pluit illis ad manducandum,* » non ad vendendum. Cant. v, 1 : *Comedite amici, et bibite, et inebriamini charissimi.*

Manhu figura expressa corporis Christi.

« *Et panem cœli.* » Hic commendatio cibi collati duplex. A loco primo. Deinde, a ministro, ibi, « *Panem Angelorum.* » Quasi diceret : Sic pluit illis manna : et in hoc « *panem cœli* » aerei. Marc. IV, 4 : *Et venerunt volucres cœli, et comederunt illud.* « *Dedit illis,* » non vendidit. Matth. x, 8 : *Gratis accepistis, gratis date.*

« *Panem Angelorum.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic fuit panis cœli, et etiam « *homo manducavit panem An-* 25

[1] Cf. Exod. XVI, 13.

[2] Ezech. I, 1 : *Aperti sunt cœli, et vidi visiones Dei.*

[3] Act. VII, 56.

gelorum, » id est, ab Angelis ministratum. Sapient. xvi, 20 : *Angelorum esca nutrivisti populum tuum.* Dicitur, quod quamdiu hoc pane usi sunt, quod Angelorum ministerio eis dabatur, non fuit superfluitas in cibo ut egererent, nec fuit infirmus in eis, secundum illud : *Et non erat in tribubus eorum infirmus*[1]. *Angelorum* etiam *panis* dicitur, quia refectio Angelorum in suo signato. Signabat enim Christum, qui est vera refectio Angelorum per hoc quod Deus, et per hoc quod Deus et homo, hominum. Joan. x, 9 : *Ingredietur, et egredietur, et pascua inveniet.* Ingredietur ad divinitatem homo, et Angelus, et egredietur ad humanitatem homo, et pascua inveniet.

Christus panis Angelorum et hominum.

« *Cibaria misit eis.* » Hic tertium, in quo subjungitur de panis collati abundantia. Quasi diceret : Sic panem de nubibus per januas misit ad comedendum, et hoc abundanter : nam « *cibaria misit eis in abundantia* » tanta, ut nausearint super illo cibo. Numer. xi, 5 : *Anima nostra nauseat super cibo isto levissimo.* Abundantissimum enim cibum figurabat, qui totam Ecclesiam reficit, nec deficit. In Psal. cxxi, 6 : *Et abundantia diligentibus te,* quantum ad illos quos reficis in Ecclesia militanti. Et paulo post, ℣. 7 : *Et abundantia in turribus tuis,* in Angelis scilicet sanctis, quos reficis in Ecclesia triumphanti.

26 « *Transtulit Austrum.* » Hic secundum totius partis illius, in qua agitur de beneficii exhibitione. Actum enim est de collatione panum, hic de collatione carnium : et dicuntur tria. Primo, volatilium exhibitio. Secundo, aptitudo ad capiendum illa, ne frustra viderentur ministrata, ibi, « *Et ceciderunt.* » Tertio, captorum comestio cum adjunctis circumstantiis, ibi, « *Et manducaverunt.* »

In prima duo. Primo, ministratio volatilium. Secundo, abundantia ministratorum, ibi, « *Et pluit super eos.* »

In prima duo secundum duplicem causam adducendi illa, quam tangit. Prima est translatio Austri. Secunda, inductio Africi, ibi, « *Et induxit in virtute sua Africum.* » Sunt autem hæc nomina ventorum. Cassiodorus : « Auster et Africus sunt venti meridiani, quibus flantibus aeris temperantia præstatur. » De austro enim plane dicitur in Job, xxxvii, 17 : *Nonne vestimenta tua calida sunt, cum perflata fuit terra Austro?* Huic Austro ventus collateralis a parte Occidentali est Africus, qui flat ab Africa, et inde adducit coturnices : abundant enim in illa terra. Et dicit « *in virtute sua,* » quia fortius solito et vehementius flare fecit tunc Deus ventum istum.

Nota, quod Spiritus sanctus vento comparatur, quia invisibiliter perflat sicut ventus. Joan. iii, 8 : *Spiritus ubi vult spirat : et vocem ejus audis, et nescis unde venit, aut quo vadat.* Sic est omnis qui natus est ex Spiritu. Sed Austro comparatur, quando cor amore pietatis, et calore charitatis perflat. Cantic. iv, 16 : *Surge Aquilo,* ventus rigidus et frigidus : *et veni Auster.* Job, xxxix, 26 : *Expandens alas suas ad Austrum.* Africus autem quando minas et terrores mittit, quasi tonitrua : hic enim ventus tonitrua et terrores generat. Isa. xxi, 1 : *Sicut turbines ab Africo veniunt, de deserto venit.*

Spiritus sanctus comparatur Austro et Africo.

« *Et pluit super eos.* » Hic abundantia ministratorum volatilium, per comparationem ad terræ pulverem, et ad maris arenam, ibi, « *Et sicut arenam.* » 27

Ait ergo : Sic misit per ventos illos « *carnes,* » id est, coturnices. Aves quædam sunt, quæ habent carnes sapidissimas, et vocantur *aves regiæ :* abundant autem in Oriente, sed in Occidente nullæ vel raræ sunt : et dicunt, quod habitant

[1] Psal. civ, 37.

circa mare, et currunt ad pisciculos, quos mare relinquit, quando retrahit se. Quod autem dicit, « *sicut arenam,* » probabile est. Numer. xi, 32 : *Surgens populus... congregavit* multitudinem *coturnicum.* Et in eodem, ℣. 18 : *Sanctificamini* hodie : *cras* enim *comedetis carnes.*

« *Et sicut arenam maris,* » repete, pluit « *volatilia pennata.* » Hoc addit ut ostendat quam mirabile erat, quod poterant capi et teneri : quia Job, v, 7, dicitur : *Homo nascitur ad laborem, et avis ad volatum.* Per Austrum autem, quod interpretatur *mollis*, signatur mollities, et luxus deliciarum temporalium. Per Africum, qui est ventus fertilis, abundantia deliciarum. Ex iis duobus creantur carnes in abundantia, id est, peccata carnalia, quæ bene dicuntur volatilia pennata, quia valde cito transeunt. Sapient. v, 9 : *Transierunt omnia illa tamquam umbra,* et capi vix queunt a sequentibus. Eccli. xi, 10 : *Si secutus fueris, non apprehendes.*

28 « *Et ceciderunt in medio.* » Hic monstratur aptitudo ad capiendum, ne diceret aliquis : Quomodo, si volatilia et pennata, capi poterant? Quia in medio castrorum, et in circuitu illorum fatigata ruebant.

Ait ergo : Sic in abundantia advenerunt, « *et ceciderunt in medio castrorum eorum,* » volatilia fatigata, « *circa tabernacula eorum.* » In hoc monstratur abundantia. Num. xi, 31 : *Ventus autem egrediens a Domino, arreptas trans mare coturnices detulit, et dimisit in castra itinere quantum uno die confici potest, ex omni parte castrorum per circuitum, volabantque in aere,* id est, volare poterant, *duobus cubitis altitudine super terram.* Sic carnes sanctæ nobis ministrantur sine omni labore. Sap. xvi, 20 : *Panem de cœlo præstitisti eis* sine labore, *omne delectamentum in se habentem.*

« *Et manducaverunt.* » Hic tertium, 29
scilicet manducatio præbitorum illis cum saturatione, et impletione nimia, et debilitatione inordinata : unde dicuntur tria. Comestio, et adimpletio sui nimia, ibi, « *Et saturati sunt.* » Et delectatio inordinata, et immoderata, ibi, « *Et desiderium.* »

Dicit ergo : Sic dedit volatilia ad capiendum apta : « *et* post *manducaverunt,* » quod non est malum de se : « *et saturati sunt,* » quod erat adhuc satis tolerabile : « *nimis,* » quod fuit vituperabile. Numer. xi, 32, manducaverunt sarnes coturnicum, in maxima abundantia [1].

« *Et desiderium eorum.* » Hic tangit tertium, in quo duo dicuntur. Primo, desiderii adimpletio præsens. Secundo præsentis inordinatio immoderata, ibi, « *Non sunt fraudati.* »

Dicit ergo : Sic nimis sunt saturati, per immoderantiam sumendi cibum. « *Et attulit eis,* » Deus, vel cibus, « *desiderium suum.* » Quasi diceret : Delectati sunt in cibo tamquam in desiderio suo : nec modicum delectati, quia

« *Non sunt fraudati a desiderio suo,* » 30
in aliquo. Ex hoc accipitur, quod quilibet ibi inveniebat saporem quem volebat. Sapient. xvi, 21 : *Ad quod volebat quisque convertebatur.*

Multipliciter peccatur in sumptione cibi.

Hic notandum, quod peccatur in cibo multipliciter, videlicet quinque modis. *Præpropere,* scilicet ante tempus statutum comedere. Sic Jonathas peccavit, I Reg. xiv, 27, comedendo mel ante horam statutam a rege patre suo, et fere interfectus est. *Laute,* nimis delicata ciba-

[1] Numer. xi, 32 : *Surgens populus toto die illo, et nocte, ac die altero, congregavit coturnicum, qui parum, decem coros : et siccaverunt eas per gyrum castrorum.*

ria, et cara nimis quærendo. Sic dives epulo, Luc. xvi, 19 [1] : propter quod *sepultus est in inferno. Nimis*, in quantitate, quæcumque sint cibaria. Sic isti de quibus loquitur hic, et Holophernes, Judith. xiii, 4 [2] : unde postea decapitatus est a Judith. Et *infrunite.* Sic Esau, Genes. xxv, 34 : *Accepto pane et lentis edulio, comedit, et bibit, et abiit, parvipendens quod primogenita vendidisset. Studiose*, in præparando cum magna cura, sicut filii Heli, qui volebant carnem crudam nec coctam, ut lautius eam sibi præpararent, et sacerdotio privati sunt et dejecti [3].

31 « *Adhuc escæ.* » Hic secundum, scilicet afflictio illorum et pœna, ex culpa tamen illorum : et dicuntur quatuor. Primo, tempus in quo primo puniti sunt, adhuc habendo cibum in ore. Secundo, genus punitionis, ibi, « *Et occidit.* » Tertio, causa, ibi, « *In omnibus his.* » Quarto, modus infligendi genus illud mortis, ibi, « *Et defecerunt.* »

Dicit ergo : Sic contulit eis bona multa, panes et carnes : sed « *adhuc erant escæ in ore eorum,* » hoc est, adhuc illis comedentibus illa cibaria, « *et ira Dei,* » supple, quam distulerat, « *ascendit super eos,* » ad opprimendum illos. Num. xi, 33 : *Adhuc carnes erant in dentibus eorum,... et ecce furor Domini concitatus in populum, percussit eum plaga magna nimis.*

Adhuc contingit frequenter hoc gulosis : quia in comedendo percutiuntur vel infirmitate, vel morte subitanea. Joel, i, 5 : *Flete et ululate, omnes qui bibitis vinum in dulcedine : quoniam periit ab ore vestro*, sicut factum est in divite, de quo Luc. xii, 19 : *Anima, habes multa bona posita in annos plurimos : requiesce, comede, bibe, epulare.* Et dictum est ei, ℣. 20 : *Sulte, hac nocte animam tuam repetent a te.* Quod etiam verum est de cibo sacratissimo Altaris. Multi enim in sumendo, seipsos divino occidunt judicio. I ad Cor. xi, 27 : *Quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne : reus erit corporis et sanguinis Domini.* Et subdit, ℣. 30 : *Ideo inter vos multi infirmi et imbecilles, et dormiunt multi.*

« *Et occidit pingues.* » Hic genus afflictionis. Primo, quantum ad malos et incredulos. Secundo, quoad bonos etiam inter eos involutos, ibi, « *Et electos Israel.* »

Dicit ergo : Sic ascendit ira, « *et occidit pingues eorum,* » non pinguedine corporali, et naturali, sed spirituali, qua tumebant contra Deum, quod procedebat ex abundantia temporali, sicut pinguedo. In Psal. lxxii, 7 : *Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum.* Tales pingues occidit. Amos, iv, 1 : *Audite verbum hoc, vaccæ pingues, quæ estis in monte Samariæ.* Vel, « *pingues,* » gulosos, et pinguia quærentes. Prov. xxi, 17 : *Qui amat vinum et pinguia non ditabitur.* I Reg. xv, 22 et seq., arguitur Saul, quia pepercit Agag pinguissimo. Tales enim impinguantur a diabolo, tamquam animalia occidenda et comedenda ab eo et a suis in festo magno. Zachar. xi, 16 : *Carnes pinguium comedet.* Et propter hoc in eodem, ℣. 4 : *Pasce pecora occisionis.* Primo quidem occidit illos per peccatum mortale. Secundo, excoriat per inhonestam conversationem, et tandem comedit per finalem impœnitentiam.

« *Et electos Israel.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic illos occidit, et impedivit retrahendo ab aliquo bono, « *electos Israel,* » sicut factum est in Moyse et Aaron, qui propter peccata hæsitaverunt in eductione aquæ de petra [4]. Vel,

[1] Luc. xvi, 19 : *Epulabatur quotidie splendide.*

[2] Judith, xiii, 4 : *Holophernes jacebat in lecto, nimia ebrietate sopitus.*

[3] Cf. I Reg. ii, 12 et seq.

[4] Cf. Numer. xx, 11 et seq.

secundum litteram aliam, « Compedivit. » Simul enim multi boni involuti sunt cum malis, et puniti ad exemplum patientiæ, et quia bonum est se separare a malis, Gen. xix, 15 et seq., Loth ab Angelis est eductus de Sodomis, ne simul cum illis involveretur in pœna. Vel, electos appellat inter eos magnæ auctoritatis viros, quibus non pepercit. Exod. xv, 4 : *Electi principes ejus submersi sunt in Mari rubro.* Psal. cxl. 4 : *Non communicabo cum electis eorum.*

32 « *In omnibus his.* » Hic tertium, in quo tangitur afflictionis causa, scilicet perseverantia in malitia : unde dicuntur duo. Primo, perseverantia in malitia. Secundo, quæ fuerit illa malitia, quia infidelitatis culpa, ibi, « *Et non crediderunt.* »

Dicit ergo : Hæc bona eis contulit et tamen occidit. Quare? Ecce, « *peccaverunt adhuc,* » peccatis prioribus addendo posteriora, et hoc « *in omnibus his,* » mirabilibus et beneficiis, et correctionibus, et plagis. Proverb. i, 24 et 25 : *Vocavi et renuistis : extendi manum meam, et non fuit qui adspiceret. Despexistis omne consilium meum, et increpationes meas neglexistis.* Isa. ix, 13 : *Et populus non est reversus ad percutientem se.* Jerem. ii, 30 : *Frustra percussi filios vestros, dicit Dominus.* Et in cap. v, 3 : *Percussisti eos, et non doluerunt : attrivisti eos, et renuerunt accipere disciplinam.*

« *Et non crediderunt,* » in infidelitate obdurati, « *in mirabilibus ejus.* » Num. xiv, 11 : *Usquequo detrahit mihi populus iste ? Quousque non credent mihi, in omnibus signis quæ feci coram eis ?*

33 « *Et defecerunt.* » Hic quartum, in quo additur de modo afflictionis, quia subito sunt occisi et interfecti. Et primo dicit ponendo metaphoram. Secundo, exponit positam, ibi, « *Et anni.* »

Ait ergo : Dixi, quod occidit pingues et merito, et hoc modo « *dies eorum defecerunt,* » non quocumque modo, sed « *in vanitate,* » id est, sicut res vana et cito transiens : unde statim exponit se :

« *Et anni eorum cum festinatione* » defecerunt. Job, vii, 6 : *Dies mei velocius transierunt quam a texente tela succiditur.* Isa. xxxviii, 12 : *Præcisa est a texente vita mea.* Imo plus : supra, in Psal. xxxvi, 20 : *Deficientes, quemadmodum fumus deficient.* Sap. ii, 1 : *Exiguum, et cum tædio est tempus vitæ nostræ.* Et ℣. 3 : *Transibit vita nostra tamquam vestigium nubis, et sicut nebula dissolvetur.* Et in cap. v, 13 : *Nos nati continuo desivimus esse.*

« *Cum occideret eos.* » Hic tertium, in quo subjungitur ficta eorum pœnitentia. Duo ergo dicuntur. Primo, conversio ipsorum ad Deum. Secundo, monstratur vera fictio in illa conversione, ibi, « *Et rememorati sunt.* » 34

In prima tria. Primo, occasio reversionis. Secundo, reversio, ibi, « *Et revertebantur.* » Tertio, festinatio in revertendo, ibi, « *Et diluculo.* »

Dicit ergo : Sic eos afflixit, et « *cum occideret eos,* » id est, aliquos eorum, quærebant eum aliqui, non adhuc occisi, timore concussi. Isa. xxvi, 16 : *Domine, in angustia sua requisierunt te.* Quia in cap. xxviii, 19, dicitur : *Sola vexatio dabit intellectum auditui.* Et Gregorius : « Oculos quos culpa claudit, pœ- « na aperit. »

« *Et sic revertebantur.* » Jerem. iv, 1 : *Si reverteris, Israel, ad me convertere.* Eccli. xvii, 21 : *Convertere ad Dominum, et relinque peccata tua.* Cantic. vi, 12 : *Revertere, revertere Sulamitis, revertere,* etc.

« *Et diluculo,* » festinanter et sine mora veniebant ad eum. Osee, vi, 1 : *In tribulatione sua mane consurgent ad me.* Psal. xv, 4 : *Multiplicatæ sunt infirmitates eorum, postea accelevarerunt.* In diluculo etiam gratiæ, hoc est, in ortu ejus

anima revertitur ad Deum. Isa. XXVI, 9 : *Anima mea desideravit te in nocte : sed et spiritu meo in præcordiis meis de mane vigilabo ad te.*

35 « *Et rememorati sunt.* » Hic monstratur fictio vera in illa reversione, per duo, quæ in fictione : vera cognitio beneficii, et cogniti falsa dilectio. Primo, tangitur primum. Secundo, secundum, ibi, « *Et dilexerunt eum.* »

In prima duo. Primo, recordatio beneficii quod est in adjuvando ad bonum faciendum. Secundo, in ejiciendo a malo, ibi, « *Et Deus excelsus.* »

Dicit ergo : Sic quærebant, « *et rememorati sunt,* » quod magis aggravat illorum culpam, « *quod Deus adjutor est eorum,* » semper in bonis faciendis. Psal. LXI, 9 : *Deus adjutor noster in æternum.* Et alibi, Psal. XLV, 2 : *Adjutor noster in tribulationibus*, ut a bono non desisterem. « *Et Deus excelsus,* » non alius. Psal. CXXXVII, 6 : *Excelsus Dominus, et humilia respicit.* « *Redemptor eorum est.* » Isa. XLIV, 2 : *Noli timere, serve meus Jacob, et rectissime, quem elegi*, quia redemi te a malis pœnalibus in quibus ipse eras. Bona erat hæc memoria, hæc recordatio, si bene usi essent. Cant. VIII, 6 : *Pone me ut signaculum super cor tuum.* Eccle. XII, 1 : *Memento creatoris tui in diebus juventutis tuæ.*

36 « *Et dilexerunt eum.* » Hic monstratur falsa dilectio ejus, quem noverant ita beneficum. Primo ergo ostenditur falsitas oris. Secundo, malitia et perversitas cordis, ibi, « *Cor autem eorum.* »

In prima duo. Primo, falsitas in confitendo se amicos. Secundo, in promittendo se mandata ejus impleturos, ibi, « *Et lingua sua.* »

Dicit ergo : Sic rememorati sunt, et dilexerunt eum, scilicet diligere confessi sunt, « *in ore suo,* » contra illud I Joan. III, 18 : *Filioli mei, non diligamus verbo, neque lingua, sed opere et veritate.*

« *Et lingua sua,* » promittente quod mandata sua adimplerent, « *mentiti sunt ei.* » Psal. V, 11 : *Linguis suis dolose agebant.* Et alibi, Psal. XVII, 46 : *Filii alieni mentiti sunt mihi.* Matth. XV, 8 : *Populus hic labiis me honorat : cor autem eorum longe est a me*[1]. Jerem. XII, 2 : *Prope es tu,* Domine, *ori eorum.*

« *Cor autem eorum.* » Hic malignitas cordis : et dicuntur duo. Primo, privatio rectæ intentionis. Secundo, perversitas operis, ibi, « *Nec fideles.* » 37

Dicit ergo : Tales fuerunt ore, quod patet. « *Autem,* » id est, quia, « *cor eorum non erat rectum cum eo,* » Deo scilicet, id est, ad Deum per charitatem et intentionem rectam : quia Cant. I, 3, dicitur : *Recti diligunt te.* Bernardus : « Non decet more pecoris sensibus in« cubare, inhærere infimis, inhiare ter« renis. » Supra, in eodem Psal. ℣. 8 : *Non est creditus cum Deo spiritus ejus.*

« *Nec fideles habiti sunt in testamento ejus,* » adimplendo in opere sicut promiserunt, contra illud Psal. LXXV, 12 : *Vovete et reddite.* Eccle. V, 3 : *Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere.* Et nota, quod in testamento Dei, sacra scilicet Scriptura, multi infideles inveniuntur. Alii supprimendo et abscondendo, cum possent et deberent publicare. Eccli. XX, 32 : *Sapientia absconsa, et thesaurus invisus, quæ utilitas in utrisque ?* Prov. XI, 26 : *Qui abscondit frumenta, maledicetur in populis.* Matth. XXV, 24 et seq., de illo qui abscondit pecuniam domini sui. In usurpando testamentum, faciendo se exsecutores testamenti, cum tamen non sint. Jer. XXIII, 21 : *Non mittebam prophetas, et ipsi currebant.* Ad Rom. X, 15 : *Quomodo prædicabunt, nisi mittantur ?* Cancellando testamentum, addendo

Multi infideles in testamento Dei.

[1] Cf. Isa. XXIX, 13.

scilicet vel minuendo, quod non fuit in voluntate testatoris. Apoc. XXII, 18 : *Si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro hoc.* Hinc dicitur, Deut. IV, 2 : *Non addetis ad verbum quod vobis loquor, nec auferetis ab eo.* In usurpatione, testamentum appropriando sibi per inanem gloriam et jactantiam. II ad Cor. II, 17 : *Non sumus sicut plurimi, adulterantes verbum Dei.* In distributione testamenti, prædicando quibus non est prædicandum, Judæis, hæreticis, obstinatis, contra illud Matth. VII, 6 : *Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos.*

38 « *Ipse autem msericors*, etc. » Hic subjungitur de immensa Dei misericordia, quod fuit quintum in hac totali parte, in qua recitantur beneficia exhibita in deserto. Ostensis enim beneficiis illis exhibitis, et postea pœna illorum, et culpa, et tandem ficta illorum pœnitentia, subjungitur immensa Dei misericordia : et dicuntur duo. Primo, misericordia monstratur. Secundo, misericordiæ immensitas et vehementia, ibi, « *Quoties exacerbaverunt.* »

In prima duo. Primo, ostenditur misericordia. Secundo, motivum et provocativum ad illam, ibi, « *Et recordatus est.* »

In prima duo. Primo, dimissio culpæ. Secundo, revocatio illorum ad se, quod est quasi immediatus effectus dimissionis, ibi, « *Et non disperdet.* »

Dicit ergo : Sic ficte pœnituerunt, et non vere : « *ipse autem misericors est,* » ipsis quasi compatiendo, « *et propitius, fiet peccatis eorum,* » eis dimittendo. Psal. LXXVIII, 9 : *Propitius esto peccatis nostris, Domine.* Et alibi, Psal. CII, 3 : *Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis.* II Paral. VII, 14 : *Propitius ero peccatis eorum.* Joel, II, 13 : *Convertimini ad Dominum Deum vestrum : quia benignus et misericors est*, etc.

« *Et non disperdet eos,* » elongando a se, sed magis in unum cultum tenebit et colliget. Nahum, I, 15 : *Non adjiciet ultra ut pertranseat in te Belial.* Et Jer. IV, 27 : *Deserta erit omnis terra, sed tamen consummationem non faciam.*

« *Et abundavit.* » Hic secundum, in quo ostenditur misericordia comparatione ad pœnam, in rescindendo durationem. Secundo, in mitigando intensionem, ibi, « *Et non accendit.* »

Dicit ergo : Sic dimisit culpam, « *et abundavit* » misericordia ejus, in tantum, « *ut averteret iram suam,* » qua inceperat illos affligere, orante Moyse et dicente : *Aut dimitte eis hanc noxam : aut si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti* [1]. Ad Roman. V, 20 : *Ubi abundavit delictum, superabundavit gratia.* Abundavit misericordia super justitiam. Jacob. II, 13 : *Superexaltat misericordia judicium.*

Et dicit, « *ut averteret iram suam :* » inceperat enim eos affligere, sed cessavit. Isa. XII, 1 : *Confitebor tibi, Domine, quoniam iratus es mihi : conversus est furor tuus.* Osee, XIV, 5 : *Sanabo contritiones eorum, diligam eos spontanee : quia aversus est furor meus ab eis.* In Psal. LXXXIV, 5, rogat hoc : *Averte iram tuam a nobis.*

« *Et non accendit omnem iram suam,* » sed multum mitigavit illam : ira enim Dei ignis est, cui nihil resistit. Deut. XXXII, 22 : *Ignis succensus est in furore meo.* Psal. LXXXVIII, 47 : *Exardescet sicut ignis, ira tua.* Sed modo mitigatur, in futuro non. Job, XXXV, 15 : *Nunc enim non infert furorem suum, nec ulciscitur scelus valde :* sed in futuro implebitur illud Prov. VI, 34 et 35 : *Zelus et furor viri non parcet in die vindictæ, nec acquiescet cujusquam precibus, nec suscipiet pro redemptione dona plurima.*

[1] Exod. XXXII, 31 et 32.

39 « *Et recordatus est.* » Hic motivum ad misericordiam, scilicet propria fragilitas ruendi in culpam. Secundo, difficultas resurgendi a culpa, ibi, « *Spiritus vadens.* »

Ait ergo : Superabundavit misericordia, « *et recordatus est,* » id est, per effectum ostendit se recordatum, « *quia caro sunt,* » fragiles scilicet ad ruinam. Gen. vi, 3 : *Non permanebit spiritus meus,* id est, gratia et effectus spiritus mei, *in homine, quia caro est,* fragilis ad ruinam et pronus. Sap. ix, 15 : *Corpus, quod corrumpitur, aggravat animam.* In hoc etiam potest notari miseria pœnæ, et dicta duo in sequentibus : « *Spiritus vadens, et non rediens.* » Caro enim est res cito corruptibilis, et cito deficiens sicut vapor. Jacob. iv, 15 : *Quæ est enim vita vestra ? vapor ad modicum parens·* « *Spiritus vadens* » in culpam, « *et non rediens* » a culpa. Prov. ii, 19 : *Omnes qui ingrediuntur ad eam, non revertentur.* Isa. lxiv, 6 : *Cecidimus quasi folium universi.* « *Vadens* » etiam in mortem, « *et non rediens.* » II Reg. xiv, 14 : *Omnes morimur, et quasi aquæ dilabimur in terram, quæ non revertuntur.* Et ulterius in gehennam. Sapient. ii, 1 : *Non est qui agnitus sit reversus ab inferis.* Propter hoc dicit Augustinus : « Non « reverteretur ovis perdita, nisi pii pa- « storis misericordia sequeretur. »

Prælatis notandum. In hoc autem informat Ecclesiæ Prælatos, ut attendant et considerent fragilitates peccantium, et ad misericordiam moveantur. Cassiodorus : « Monet pium « judicem fragilitas considerata peccan- « tium, quod carnalis cæcitas lumen cœ- « lestis sapientiæ non videbat. »

40 « *Quoties exacerbaverunt.* » Hic secundum, in quo probatur misericordiæ vehementia, quia toties exacerbantibus et non recolentibus ejus beneficia pepercit, et adimplevit quod promiserat. Duo ergo dicuntur. Primo, multiplicatio offensæ Secundo, intensio, ibi, « *Et conversi sunt.* »

In prima duo. Primo, multiplicatio in verbis. Secundo, in factis, ibi, « *In ira concitaverunt.* »

Dicit ergo : Sic misertus est, quod valde magnificum fuit, quia « *quoties exacerbaverunt eum* » sermonibus « *in deserto ?* » Quasi diceret : Multoties, tamquam increduli, et verba infidelitatis proferentes. Jerem. v, 23 : *Populo huic factum est cor incredulum.* Num. xiv, 22 : *Tentaverunt me jam per decem vices, nec obedierunt voci meæ.* Et hoc, « *in deserto,* » in quo deducebam eos. Jerem. ii, 6 : *Non dixerunt : Ubi est Dominus,... qui traduxit nos per desertum, per terram inhabitabilem et inviam ?*

« *In iram concitaverunt eum,* » factis ipsis, et hoc, « *in inaquoso,* » supple, loco Deut. xxxii, 19 : *Vidit Dominus, et ad iracundiam concitatus est : quia provocaverunt eum filii sui, et filiæ.*

« *Et conversi sunt.* » Hic secundum, in quo monstratur intensio offensæ. Primo, ex modo offensionis, et genere. Secundo, ex magnitudine offensi, ibi, « *Et sanctum Israel.* » Tertio, ex conditione offendentium, quia tot bona receperant, et oblivioni tradiderant, ibi, « *Et non sunt recordati.* » 41

Dicit ergo : Sic exacerbaverunt multipliciter, nec modicum, quia « *conversi sunt,* » a pacto et promissione, « *et tentaverunt Deum.* » Infra, in eodem psalmo, ℣. 57 : *Conversi sunt in arcum pravum.* Et alibi, in Psal. xciv, 9 : *Ubi tentaverunt me patres vestri, probaverunt me, et viderunt opera mea.* I ad Cor. x, 9 : *Neque tentemus Christum : sicut quidam eorum tentaverunt, et a serpentibus perierunt* [1].

« *Et sanctum Israel,* » id est, sanctitatem Israel. Quasi diceret : Illum qui

[1] Cf. Numer. xxi, 5 et 6.

tantus est et tam bonus est, ut sanctificet Israel, « *exacerbaverunt.* » Exod. xxxi, 13 : *Ego Dominus qui sanctifico vos.* Hunc exacerbaverunt. Quasi diceret : Non ex natura sua qua sanctus est, intulit eis malum, sed coactus, et exacerbatus. Hieronymus : « Quidquid mali « patimur, vitii nostri est, non Dei, qui « dulcem Deum ad amaritudinem provo- « camus, et cogimus sævire nolentem. »

42 « *Non sunt recordati.* » Hic aggravatur culpa ex parte ipsorum : quia Dei beneficia, quæ receperant, oblivioni dederunt. Et enumerat illa, prius illa tangens in generali. Secundo, in speciali, ibi, « *Et convertit in sanguinem.* »

In prima ergo recolit illa generaliter comparatione ad tempus. Secundo, comparatione ad locum, ibi, « *Sicut posuit.* »

In prima duo. Primo, tangitur beneficiorum oblivio. Secundo, tempus in quo facta est determinatio, ibi, « *Die qua redemit eos.* »

Dicit ergo : Sic peccaverunt tentando, quod est grave genus peccati : et contra sanctum, quod est gravius : et contra beneficium, « *quia non sunt recordati manus ejus,* » potentiæ scilicet ejus redimentis et liberantis eos. Exod. vi, 6 : *Redimam te in brachio excelso.* Sed non sunt recordati. Isa. xvii, 10 : *Oblita es Dei salvatoris tui, et fortis adjutoris tui non es recordata.*

Memoranda opera manus Dei. Non recordantur mali « *manus,* » quæ de nihilo nos creavit, Job, x, 8 : *Manus tuæ, Domine, fecerunt me.* Et in Psal. cxxxvii, 8 : *Opera manuum tuarum ne despicias.* Qua diabolum tenentem percussit et occidit, Exod. viii, 5 : *Scient Ægyptii quia ego sum Dominus qui extenderim manum meam super Ægyptum, et eduxerim filios Israel de medio eorum.* Isa. li, 9 : *Numquid non tu percussistit superbum, vulnerasti draconem ?* Quam pro nobis in cruce extendit, Isa. lxv, 2 : *Expandi manus meas tota die ad populum incredulum,* et contradicentem mihi. Quam perforari voluit, ut ostenderet se omnia velle nobis dare, nihilque tenere, Psal. ciii, 28 : *Aperiente autem te manum tuam, omnia implebuntur bonitate.* Prov. xxxi, 20 : *Manum suam aperuit inopi.* Quam extendit ad extrahendum nos de carcere diaboli, et luto mundi, Psal. cxliii, 7 : *Emitte manum tuam de alto, eripe me, et libera me,* etc. Qua extraxit diabolum de cavernis cordium, Job, xxvi, 13 : *Obstetricante manu ejus, eductus est coluber tortuosus.* Isa. xi, 8 : *In caverna reguli, qui ablactatus fuerit, manum suam mittet.* Qua liberatos continue protegit et defendit, Sap. v, 17 : *Dextera sua teget eos, et brachio sancto suo defendet illos.* Quæ deducit in via justum usque ad perfectionem gloriæ, Psal. lxxii, 24 : *Tenuisti manum dexteram meam : et in voluntate tua,* etc.

« *Die qua redemit eos.* » Hic signatio temporis, « *de manu tribulantis,* » Pharaonis scilicet, et Ægyptiorum, quando clamabant afflicti ab illis. Isa. xix, 20 : *Clamabunt ad Dominum, a facie tribulantis.* Eccli. xxix, 22 : *Ingratus sensu derelinquet liberantem se.*

« *Sicut posuit in Ægypto.* » Hic tangit beneficia comparatione ad locum. 43
Primo, quasi in generali. Secundo, in speciali, ibi, « *Et prodigia sua.* » Vel, « *signa* » dicit quantum ad minora mirabilia, « *prodigia* » quantum ad majora.

Ait enim : Sic non sunt recordati manus, nec recordati sunt, « *sicut posuit,* » id est, qualiter posuit, relativum pro infinito, « *signa sua in Ægypto.* » Exod. vii, 3 : *Multiplicabo signa et ostenta mea in terra Ægypti* ; « *et prodigia sua,* » scilicet majora mirabilia, « *in campo Taneos.* » De hoc supra [1].

[1] Cf. supra, Commentarium in ℣. 12.

Unde notandum, quod Dominus in Ægypto, in mundo peccatis et erroribus tenebroso, posuit signa sua, scilicet signa paupertatis, vilitatis, et humilitatis. Luc. II, 12 : *Et hoc vobis signum : Invenietis infantem pannis involutum.* Et hæc signa voluit toti mundo publicari et ostendi. Luc. II, 34 : *Ecce positus est hic in ruinam, et in resurrectionem multorum in Israel : et in signum cui contradicetur.* Sed non sic Paulus, qui illa sibiipsi imprimebat fortiter. Ad Galat. VI, 17 : *Stigmata Domini Jesu in corpore,* etc.

44 « *Et convertit in sanguinem.* » Hic est secundum : tactis enim in generali beneficiis, hic intendit illa magis specificare. Et primo, tangit beneficia in affligendis inimicis exhibita. Secundo, in liberando eos ab afflictis, ibi, « *Et abstulit sicut oves.* » In prima sunt tot partes, quot plagæ sive afflictiones.

Sed nota, quod non servatur idem ordo hic numerando plagas illatas Ægyptiis, ac in *Exodo.* Prima ergo plaga, quæ fuit aquarum conversio in sanguinem, continet duo. Primo, conversionem fluviorum, qui erant quasi inferiores aquæ. Secundo, pluviarum etiam quæ quasi superiores, ibi, « *Et nubes eorum,* » addita causa conversionis illarum, ibi, « *Ne biberent.* »

Dicit ergo : Sic prodigia fecit in campo Taneos, et in Ægypto signa, et hoc, « *Convertit flumina eorum, et imbres eorum in sanguinem, ne biberent.* » De fluminibus bene legitur, Exod. VII, 20 : *Elevans virgam percussit aquam fluminis coram Pharaone et servis ejus : quæ versa est in sanguinem.* Pisces quoque in ea mortui sunt. Sed videtur, quod per imbres intelligit aquas citernarum, quæ colliguntur de imbribus. Alia autem littera habet, « manationes. » Et dicit Glossa, quod « manationes appellat scaturi« gines, aquas quæ ab inferiori ebulliunt. »

Flumina vero loquendo spiritualiter sunt Prælati, qui debent currere. Prov. VI, 3 : *Discurre, festina, suscita amicum tuum.* Et ad mare ire, ad peccatorem, qui mare est. Isa. LVII, 20 : *Impii, quasi mare fervens.* Et ipsum subintrare usque ad cor per prædicationem, et doctrinam. Isa. XL, 2 : *Loquimini ad cor Jerusalem, et advocate eam.* Hæc flumina in sanguinem mutantur per affectionem carnalem. Mich. III, 10 : *Væ qui ædificatis Sion in sanguinibus.* Osee, IV, 2 : *Sanguis sanguinem tetigit,* nepotulus fratrem.

Prælat fluminib et religio imbribu compara tur.

Imbres de cœlo descendentes qui quasi in cisternis includuntur, sunt religiosi, quorum conversatio in cœlis esse debet cum Paulo, de quo ad Philip. III, 20 : *Nostra conversatio in cœlis est.* Et inclusi sunt ad litteram in claustris, sicut pluviæ in cisternis. Ad Coloss. III, 3 : *Mortui estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* Hi carnales effecti in sanguinem vertuntur, et saporem cœlestem amittunt. 1 ad Cor. XV, 50 : *Caro et sanguis regnum Dei non possidebunt.*

« *Misit in eos cœnomyiam.* » Hic sub- 45
jungitur de secunda plaga, non tamen secundum ordinem in *Exodo* datum. Prior enim fuit plaga ranarum quam tangit hic posterius.

Dicit ergo : Sic per conversionem aquarum eos afflixit, et etiam « *misit in eos cœnomyiam,* » muscam caninam : κυων κυνός enim dicitur *canis* in Græco. Exod. VIII, 24 : *Venit musca gravissima in domos Pharaonis et servorum ejus.* « *Et comedit eos,* » id est, momordit, et morsu cruciavit quasi usque ad mortem. Sicut per sanguinem carnalis affectio, intelligitur per cœnomyiam oppositum, scilicet mens sine affectione, et canina. Ad Rom. I, 31 : *Sine affectione, sine fœdere.* Ad Philip. III, 2 : *Videte canes, videte malos operarios :* nesciunt nisi mordere. Ad Gal. V, 15 :

Si invicem mordetis et comeditis : videte ne ab invicem consummamini.

« *Et ranam,* » supple, misit, « *et disperdidit eos.* » Rana significat loquens : ranæ enim de fluviis ebulliunt : fluvius autem, in quo Pharao submergi facit parvulos Hebræorum [1], quid aliud quam scientia sæcularis? De hoc ebulliunt ranæ, scilicet garruli advocati, et implent fossata, principum curas et magnatum. Fossata debent esse ad defensionem Ecclesiæ, et debent ista fossata esse plena piscibus, id est, fidelibus consultoribus. In pisce enim fides intelligitur, sicut habetur Luc. xi, 11 : *Quis ex vobis patrem petit... piscem? numquid pro pisce serpentem dabit illi?* Sed pro piscibus habent ranas. Sap. xix, 10 : *Pro piscibus eructavit fluvius multitudinem ranarum.*

46 « *Et dedit ærugini.* » Hic alia plaga, sed de hac in *Exodo* non fit mentio. Potuit tamen fieri, quod propter aeris intemperantiam generaretur ex ipso aere in fructibus quædam corruptio, quam vocat æruginem. Fructus autem appellat sponte de terra nascentia, et sine humano labore, qualia sunt quæ de arboribus. Joel, i, 4 : *Residuum bruchi comedit rubigo*, quod idem est quod ærugo.

Per æruginem autem, quæ latenter nocet, intelligitur spirituale vitium aliquod, sicut superbia, vel inanis gloria, quod latenter totum comedit et corrodit. Cassiodorus : Ærugo est amor turpis, hone« statem vitæ occulta imminutione consu« mens. Felix paratura, ubi non est æru« go. » Matth. vi, 20 : *Thesaurizate vobis thesauros in cœlis, ubi neque ærugo, neque tinea demolitur.*

« *Et labores eorum,* » fructus per laborem eorum, quales sunt segetes surgentes, supple, dedit « *locustæ.* » De hoc Exod. x, 4 et seq., et in Psal. civ, 34 : *Dixit, et venit locusta, et bruchus cujus*, etc. Locusta dicitur quasi longa hasta, et signat detractores, qui percutiunt a remotis, et frequenter omnia bona vastant in seipsis, et in aliis. Nahum, iii, 17 : *Parvuli tui quasi locustæ locustarum.* Judic. vi, 3 : *Cumque servisset Israel, ascendebat Madian et Amalec,... et apud eos figentes tentoria, sicut erant in herbis cuncta vastabant*, instar locustarum. Unde autem nascuntur istæ locustæ, declaratur Apoc. ix, 3 : *De fumo putei*, de suggestione diaboli, *exierunt locustæ.*

Locusta detractores significat.

« *Et occidit in grandine vineas eorum,* » ad litteram : quia tempore quo jam quasi vivebant per viriditatem, quæ est quasi quædam vita. Gregorius : « Vi« vunt, dico, non per animam, sed per « viriditatem : grando destruxit illas, et « sic quodammodo occisæ sunt. » Spiritualiter autem Ecclesia est vinea. Isa. v, 7 : *Vinea Domini exercituum domus Israel est.* Particulares vineæ, particulares sunt Ecclesiæ. Cant. ii, 5 : *Posuerunt me custodem in vineis.* Sed hac grandine dissentionum et litium occiduntur in capitulis. Josue, x, 11 : *Mortui sunt multo plures lapidibus grandinis, quam quos gladio percusserant filii Israel.* Plures dissentionibus occiduntur, quam prædicationibus doctorum ab bonum convertantur. Sap. xvi, 22 : *Exterminat ignis ardens in grandine*, sic ignis iracundiæ in stulto sermone. 47

Vinea, Ecclesia, mori in vinea, Clerici.

Et moros eorum, » repete, occidit, « *in pruina.* » De hoc nihil in *Exodo* legitur. Vinea autem, sicut dictum est, est Ecclesia, sed mori in vinea, Clerici sunt in Ecclesia : debent enim Clerici habere fructum, primo album per vitæ munditiam. Secundo, rubeum per charitatis fervorem. Tertio, nigrum per carnis mortificationem. Talis fuit illa morus, de qua I Machab. vi, 34 : *Et elephantis ostenderunt sanguinem uvæ et mori, ad acuendos eos in prælium.* Pruina autem

[1] Cf. Exod. i, 22.

quæ surgit de aquis, est avaritia quæ surgit ex divitiis. Hæc occidit moros, interficit scilicet Clericos. Jerem. vi, 13 : *A minore usque ad majorem, omnes avaritiæ student.*

48 « *Et tradidit grandini,* » id est, exposuit percussioni grandinis, « *jumenta eorum,* » quæ in plano inventa sunt. Exod. ix, 23 : *Pluit Dominus grandinem super terram Ægypti.* Et iterum, ℣. 22 : *Extende manum tuam in cœlum, ut fiat grando in universa terra Ægypti, super homines, et super jumenta,* etc.

Jumenta autem sunt homines jumentani, homines scilicet carnales, de quibus Joel, i, 17 : *Computruerunt jumenta in stercoribus suis.* Et hi grandini traduntur, quia litibus et dissentionibus occiduntur ad litteram. I ad Cor. iii, 3 : *Cum sit inter vos zelus, et contentio : nonne carnales estis ?* Prov. xxiii, 29 et 30 : *Cui væ ? Cujus patri væ ? cui rixæ ? cui foveæ ? cui sine causa vulnera ? cui suffossio oculorum ? Nonne his qui commorantur in vino, et student calicibus epotandis ?*

« *Et possessionem eorum,* » supple, tradidit, « *igni.* » Hoc etiam non legitur in *Exodo,* etsi forte factum sit. Possessio proprie animæ sunt virtutes, quæ ipsam ditant et reficiunt. Sed hæ igne luxuriæ devastantur, de quo Job, xxxi, 12 : *Ignis est usque ad perditionem devorans, et omnia eradicans genimina.* Joel, i, 19 : *Ignis comedit speciosa deserti.* Et igne cupiditatis, de quo Job, xv, 34 : *Ignis devorabit tabernacula eorum, qui munera libenter accipiunt.*

49 « *Misit in eos.* » Hic subjungitur de plaga primogenitorum. Et primo, tangitur causa meritoria hujus plagæ. Secundo, quibus ministris est inflicta, ibi, « *Immissionem.* » Tertio, finalis causa infligendi, ibi, « *Viam fecit.* » Quarto, genus et modus plagæ, ibi, « *Et non pepercit.* »

In prima duo. Primo, indignatio Dei dimittentis illos. Secundo, casus dimissorum, ibi, « *Indignationem.* »

Dicit ergo : Sic eos in rebus suis afflixit, et post « *misit in eos iram,* » id est, effectum iræ non corrigentis, sed « *indignationis suæ,* » quia avertendo se ab eis, et illos dimittendo. Exod. xv, 7 : *Misisti iram tuam quæ devoravit eos sicut stipulam.* Et iram indignationis. Nahum, i, 6 : *Indignatio ejus effusa est ut ignis.* Hoc est malum signum. Proverb. xvi, 14 : *Indignatio regis, nuntii mortis.*

« *Indignationem.* » Hic specificatur effectus, monstrando in quæ peccata inciderint, quia in tria. Primo, in peccatum superbiæ. Secundo, iracundiæ, quæ oritur ex illa, ibi, « *Et iram.* » Tertio, desperationis, in quo consummatio malitiæ, ibi, « *Et tribulationem.* »

Dicit ergo : Sic misit in eos iram indignationis, id est, effectum indignationis, scilicet « *indignationem,* » ut indignantes essent tamquam superbi non humiliati. « *Et iram,* » non pacem, ut contra Deum offendantur et proximum. « *Et tribulationem,* « ut sic irati tribularentur usque ad desperationem. Ex primo secundum, ex secundo nascitur tertium.

« *Immissionem.* » Hic secundum, quibus ministris.

Ait enim : Hæc misit faciens hanc « *immissionem per Angelos,* » non bonos, sed « *malos.* » Joan. xiii, 2 : *Cum diabolus jam misisset in cor, ut traderet eum,* etc. Sed intelligitur de culpis, immissio facta est suggerendo, non illabendo animæ, vel aliquid eidem infundendo. Sed in his etiam est pœna : pœnalis enim est indignatio, pœnalis ira, et desperatio : unde et tribulatio dicitur. Sic proprie immissio per ipsum fit, per eum enim Dominus affligit. I Reg. xvi, 14 : *Spiritus Domini recessit a Saul, et exagitabat eum spiritus nequam, a Domino.* Job, ii, 7 : *Egressus Satan a facie*

Domini, percussit Job ulcere pessimo, a planta pedis usque ad verticem ejus. II Paral. XXI, 15 : *Misit Angelum in Jerusalem, ut percuteret eam.*

50 « *Viam fecit.* » Hic tertium, ad quid hoc fecerat, quia ad manifestandum æquitatem suam et rectitudinem in puniendo.

Ait enim : Sic immisit in eos hæc mala per malos Angelos : et hoc faciendo « *viam fecit semitæ iræ suæ,* » id est, monstravit æquissimam iram suam, sicut semita est super Ægyptios, hoc est, quod effectum iræ justissime exercebat in eos. Justum enim fuit omnium judicio superbos contra Deum, et iracundos, et desperantes de eo sic affligi. In Psal. LXXVIII, 6 : *Effunde iram tuam in gentes, quæ te non noverunt* [1], etc. Aliquando enim Dominus quasi iram suam claudit, et viam ad cognoscendum non facit, quando punit scilicet aperte bonum, sicut Job, aut occulte malum, sicut David [2]. Sed iram suam aperit, et ad eam viam facit, quando aperte malos vult puniri, ut omnes cognoscant cur illos punit. Jerem. L, 25 : *Aperuit Dominus thesaurum suum, et protulit vasa iræ suæ.*

« *Non pepercit.* » Hic quartum, in quo tangitur genus plagæ, scilicet primogenitorum, et primo nascentium de terra interfectio. Secundo, specificatio eorum qui interfecti sunt illa plaga, quia non omnia, sed tantum primogenita, ibi, « *Et percussit omne primogenitum.* »

In prima duo. Primo, interfectio rationabilium. Secundo, irrationabilium, ibi, « *Et jumenta eorum.* »

Dicit ergo : Sic meruerunt puniri, et per tales puniti sunt dicta ratione. Et « *non pepercit a morte animabus eorum,* » id est, vitæ eorum, quantum ad homines. « *Et jumenta eorum in morte conclusit,* » quantum ad pecudes. Et hoc verum et ad litteram [3]. Dominus autem animabus malorum non parcet in die judicii. Job, XLI, 3 : *Non parcam ei, et verbis potentibus et ad deprecandum compositis.* Thren. II, 17 : *Destruxit, et non pepercit.* Animæ etiam non parcit, quia dimittit eam cadere in peccatum, quod est mors ejus. Ezech. XVIII, 4 : *Anima quæ peccaverit, ipsa morietur.* « *Et jumenta eorum in morte conclusit,* » id est, concludet tandem, ipsa scilicet corpora. Psal. XXXIV, 3 : *Conclude adversus eos qui persequuntur me.* Ezech. VII, 23 : *Fac conclusionem,* fili hominis.

« *Et percussit omne.* » Hic specificat de interfectis. Et primo, quantum ad sensibilia omnia. Secundo, quantum ad vegetabilia, ibi, « *Primitias.* » 51

Ait ergo : Sic occidit eos, et eorum jumenta, sed numquid omnes ? Imo, « *et percussit omne primogenitum* » tam in hominibus, quam in jumentis, « *in terra Ægypti.* » Exod. XII, 29 : *Percussit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti.* Et in cap. XI, 4 et 5 : *Media nocte egrediar in Ægyptum. Et morietur omne primogenitum in terra Ægyptiorum, a primogenito Pharaonis,... et omnia primogenita jumentorum.* Psal. CXXXV, 10 : *Qui percussit Ægyptum, cum primogenitis eorum.*

Primogeniti sunt Prælati, divites et potentes mundi. Primogeniti enim duplicem portionem et majorem honorem habebant, et quasi dominabantur aliis. Hos interficiet Dominus media nocte veniens. Matth. XXV, 6 : *Media nocte clamor factus est : Ecce sponsus venit.* Tunc dictos primogenitos occidet. Isa. II, 12 : *Dies Domini exercituum super omnem superbum, et excelsum.* Jacob. V,

[1] Cf. Jerem. X, 25 : *Effunde indignationem tuam super gentes, quæ non cognoverunt te,* etc.
[2] Vide II Reg. XII et XXIV pœnas David a Deo inflictas propter adulterium et superbiam.
[3] Cf. Exod. XII, 29.

1 : *Agite nunc divites,* primogeniti, *plorate ululantes in miseriis vestris, quæ advenient vobis.*

« *Primitias omnis laboris eorum,* » omnium terræ nascentium per eorum laborem interfecit. Sed hoc factum est, non in filiis Israel, quamvis essent in Ægypto, sed « *in tabernaculis Cham,* » id est, in tabernaculis, et domibus Ægyptiorum de Cham descendentium, propter maledictionem latam contra Chanaan[1].

52 « *Et abstulit sicut oves populum suum.* » Hic tangit beneficia illis exhibita in illos educendo de inimicorum potestate : et dicuntur duo. Primo, liberatio ab inimicis. Secundo, securitas liberatorum ab illis ne timerent insequentes, ibi, « *Et deduxit eos in spe.* »

In prima duo. Primo, eductio illorum de medio ipsorum cum potestate. Secundo, deductio eductorum per desertum cum diligentia multa, ibi, « *Et perduxit.* »

Dicit ergo : Sic illos plagis variis afflixit, « *et abstulit,* » et in hoc notatur violentia, « *populum suum* » a potestate, « *sicut oves* » eruuntur a lupis. Amos, III, 12 : *Quomodo si eruat pastor de ore leonis duo crura, aut extremum auriculæ : sic eruentur filii Israel.*

Spirituales autem oves sunt justi. Psal. LXXVIII, 13 : *Nos autem populus tuus, et oves pascuæ tuæ.* Hos eruit Dominus cum quadam violentia a diabolo. Ex una enim parte dæmon coarctans peccatorem, Psal. XXXIV, 5 : *Et Angelus Domini coarctans eos.* Ex altera mundus retrahens, Genes. XXXI, 1 et seq., Laban intendebat retrahere Jacob, ne iret in terram suam. Et altera caro alliciens, Jacob. I, 14 : *Unusquisque tentatur a concupiscentia sua abstractus, et illectus.*

« *Et perduxit illos in deserto,* » conservando diligenter tamquam gregem. Exod. XIII, 18 : *Circumduxit* eum *per viam deserti.* Deuteron. XXXII, 10 : *Circumduxit eum, et docuit : et custodivit quasi pupillam oculi sui.* Isa. XL, 11 : *Sicut pastor gregem suum pascet,* ereptum ab Ægypto, et justos ab infernali lupo. De quo, Joan. X, 12 : *Lupus rapit et dispergit oves :* sed Deus eripit, et custodit eas. Isa. XLIX, 24 : *Numquid tolletur a forti præda? aut quod captum fuerit a robusto, salvum esse poterit?* Equidem tolletur a forti præda, et quod fuerat captum a robusto, salvabitur. Luc. XI, 22 : *Si fortior eo superveniens vicerit eum, arma universa ejus auferet, in quibus confidebat.* Isa. VIII, 3 : *Voca nomen ejus, Accelera spolia detrahere : Festina prædari.*

« *Et deduxit eos.* » Hic secundum : 53
et dicuntur duo. Primo, securitas. Secundo, ratio securitatis, et potens inimicorum subversio, ibi, « *Et inimicos eorum.* »

Dicit ergo : Sic abstulit eos ab inimicis, « *et etiam deduxit eos in spe* » habendi promissum : « *et non timuerunt* » adversantem inimicum. Isa. LI, 12 : *Quis tu ut timeres ab homine mortali?* videbat enim se protegi a Deo, unde subdit : « *Et inimicos eorum* » persequentes, « *operuit mare :* » quod fuit causa securitatis et spei. Psal. XXVI, 1 : *Dominus protector vitæ meæ, a quo trepidabo?* Quasi diceret : A nullo. Nota, quod Dominus suos deducit ad se per desertum pœnitentiæ in vehiculo spei. Gregorius : « Consideratio præmii « minuit vim flagelli. » Et Seneca dicit : « Spes præmii solatium fit « laboris. » Hoc est vehiculum, quod misit Joseph patri suo seni, ut veniret ad eum[2].

Deus educit nos in spe a tenebris peccatorum

« *Et inimicos,* » dæmones scilicet et peccata, « *operuit mare,* » amaritudo

[1] Cf. Genes. IX, 25.

[2] Cf. Genes. XLV, 27.

tribulationis et pœnitentiæ. Psal. xxxi, 1 : *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum*, etc. Exod. xv, 10 : *Submersi sunt quasi plumbum in aquis vehementibus*, in magna et vehementi contritione. Thren. ii, 13 : *Magna est velut mare contritio tua.*

54 « *Et induxit eos in montem.* » Hic tertium, in quo ostendit beneficia eis in terra illa exhibita. Et dividitur hæc pars in duas secundum duo beneficia. Primum est introductio in terram promissionis. Secundum, afflictio et annihilatio inimicorum, ibi, « *Et excitatus est.* »

In prima tria. Primo, beneficii exhibitio. Secundo, ingratitudo illorum post susceptum beneficium, ibi, « *Et tentaverunt eum.* » Tertio, subinfertur punitio ingratorum, ibi, « *Et audivit Deus.* »

In prima quatuor. Primo, introductio illorum usque ad extremum terræ. Secundo, inhabitantium in terra propter illos ejectio, ibi, « *Et ejecit a facie.* » Tertio, divisio terræ per partes, ibi, « *Et sorte divisit.* » Quarto possessio terræ quasi pacifica, ibi, « *Et habitare fecit.* »

In prima duo. Primo, introductio ipsorum usque ad locum intimum. Secundo, illius loci descripito, ibi, « *Montem.* »

Dicit ergo : Eos sic eduxit de Ægypto, deduxit per desertum, et tandem « *induxit eos in montem sanctificationis suæ,* » id est, in Sion, quod non adhuc sanctificaverat, sed post sanctificavit. Exod. xv, 17 : *Introduces eos, et plantabis eos in monte hæreditatis tuæ, firmissimo habitaculo, quod operatus es, Domine.* Judic. i, 19 : *Fuit Dominus cum Juda, et montana possedit.* Et « *sanctificationis,* » quia ibi fuit templum, quod sanctificavit Deus postea. Psal. xlv, 5 : *Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus.*

« *Montem.* » Hic describit montem, scilicet « *quem acquisivit dextera ejus,* » propter David servum suum. II Reg. v, 7 : *Cepit autem David arcem Sion.* Mons Sion, quod interpretatur *speculum*, vel *specula*, vita beata, in qua leguntur in speculo æternitatis, et aperte speculantur Deum. I ad Cor. xiii, 12 : *Tunc autem facie ad faciem.* Hunc acquisivit dextera sua extensa in cruce. Psal. xcvii, 1 : *Salvavit sibi dextera ejus.* Et hunc montem dat suis. Psal. xiv, 1 : *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet*, etc. Genes. xlviii, 22 : *Do tibi partem unam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio et arcu meo.*

« *Et ejecit a facie.* » Hic secundum, Gentilium scilicet effugatio.

Ait enim : Sic induxit in terram usque ad montem Sion, « *et ejecit a facie eorum Gentes,* » quæ erant in illa terra. Deut. vii, 1 : *Cum Dominus Deus tuus... deleverit gentes multas coram te.* Amos, ii, 9 : *Exterminavi Amorrhæum a facie eorum.* Sic necessario prius exstirpat ab anima vitia, quam possit quiescere in ipsa. Habac. iii, 5 : *Egredietur diabolus ante pedes ejus.*

« *Et sorte divisit.* » Quasi diceret : Sic induxit, sic ejecit adversarium, « *et divisit eis terram in funiculo distributionis :* » et hoc sorte, ne videretur acceptio personarum, si hoc propria facerent voluntate. Hoc factum est sub Josue, Josue, xiii, 7 : *Nunc divides terram in possessionem novem tribubus, et dimidiæ tribui Manasse.* Et xviii, 10 : *Misit sortes coram Domino in Silo, divisitque terram filiis Israel.* Sic expulsis vitiis dividitur gratia unicuique secundum propriam facultatem, Matth. xxv, 15 : *Unicuique dedit secundum propriam virtutem, et profectus est statim.* Ad Rom. xii, 6 : *Habentes donationes secundum gratiam, quæ data est nobis, differentes.* I ad Cor. xii, 4 : *Divisiones gratiarum sunt.* Et postmodum gloriam, Joan. xiv, 2 :

In domo Patris mei mansiones multæ sunt. Psal. LXI, 13 : *Tibi, Domine, misericordia : quia tu reddes unicuique juxta opera sua.* I ad Corinth. III, 8 : *Unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem.*

55 « *Et habitare fecit.* » Hic quartum. Quasi diceret : Sic introduxit hos, illos ejecit, his terram divisit, « *et habitare fecit,* » nolentibus inimicis, « *tribus Israel,* » Judæos scilicet, « *in tabernaculis eorum,* » Gentilium scilicet ejectorum. Alibi, in Psal. CIV, 44 : *Et dedit illis regiones Gentium : et labores populorum possederunt.*

« *Ut custodiant,* etc. » Sic justos habitare faciet confidenter in datis virtutibus confirmatos, ejectis dæmonibus. Isa. XXXV, 7 : *In cubilibus, in quibus prius dracones habitabant, orietur viror junci et calami :* quia ad Rom. V, 20 : *Ubi abundavit delictum, superabundavit gratia.* Sic dejectis dæmonibus de cœlo, loco eorum homines substituit, ex quibus eorum ruinæ reparantur. Eccli. X, 17 : *Sedes ducum superborum destruxit Deus, et sedere fecit mites pro eis,* et habitare secure. Isa. XXXII, 18 : *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, et in tabernaculis fiduciæ, et in requie opulenta.* Jerem. XXIII, 6 : *In diebus illis salvabitur Juda, et Israel,* etc.

56

« *Et tentaverunt.* » Hic secundum, in quo post beneficii exhibitionem supponit ipsorum ingratitudinem, quam ostendit in duplici offensa : in tentatione potentiæ primo. Secundo, in offensione bonitatis divinæ, ibi, « *Et exacerbaverunt.* »

Dicit ergo : Sic induxit eos. Et ipsi quid ? Tentaverunt Deum excelsum, adhuc diffidentes de ejus potentia et virtute, sicut prius in deserto. Num. XIV, 22 : *Teutaverunt me jam per decem vices, nec obedierunt voci meæ.* Deut. IX, 22 : *In incendio quoque et in tentatione, et in Sepulcris concupiscentiæ provocastis Dominum.*

« *Et exacerbaverunt,* » commoverunt, et concitaverunt contra se. Jerem. XXXII, 30 : *Usque nunc exacerbant me in opere manuum suarum.* Ezech. XX, 21 : *Exacerbaverunt me filii,* scilicet Israel : *in præceptis meis non ambulaverunt, et judicia mea non custodierunt,* etc.

« *Et testimonia.* » Hic ostendit quomodo, et in quo exacerbaverunt, quia omittendo : et hoc tangit primo. Secundo, committendo : et hoc secundo, ibi, « *Quemadmodum patres.* »

In prima primo tangit eorum omissiones, quoad legem. Secundo, quoad promissionem, ibi, « *Et averterunt.* »

Dicit ergo : Vere exacerbaverunt : « *et testimonia ejus,* » Vetus scilicet Testamentum, quod attestatur Christo, sicut superius dictum fuit, Joan. V, 39 : *Scrutamini Scripturas,... et illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me :* « *Non custodierunt.* »

« *Et averterunt se.* » Hic secundum. 57
Ait enim : Sic non custodierunt testimonia, sed nec promissa, imo, « *et averterunt se* » a lege, vel promissione, et a me. Zachar. VII, 11 : *Averterunt scapulam recedentem.* Isa. LIX, 13 : *Aversi sumus ne iremus post tergum Dei.* Jerem. II, 19 : *Arguet te malitia tua, et aversio tua increpabit te.* Hæc aversio mala. Prov. I, 32 : *Aversio parvulorum interficiet eos.*

« *Et non servaverunt pactum.* » Ecce plane aversio a promissione. Jerem. XI, 2 : *Audite verba pacti hujus, et loquimini ad viros Juda, et ad habitatores Jerusalem, et dices ad eos : Hæc dicit Dominus Deus Israel : Maledictus vir, qui non audierit verba pacti hujus.* Isa. XXIV, 5 : *Transgressi sunt leges, mutaverunt jus, dissipaverunt fœdus sempiternum.*

« *Quemadmodum.* » Hic ostendit eos

exacerbasse committendo, peccato idololatriæ : un de primo tangit idololatriæ culpam. Secundo, culpæ vehementiam, ibi, « *In ira concitaverunt.* »

Dicit ergo : Sic commiserunt, et aversi sunt, et conversi sunt in arcum pravum, per intentionem perversam, et operationem pravam. Intentio enim arcus est, operatio sagitta. Sicut enim ex arcu sagitta emittitur, sic ex intentione operatio emittitur. Sed tunc pravus arcus est intentio, cum operationem remittit in actorem. Gregorius : « Arcus pravus « existit, quando ipsum a quo habet ic« tum, percutit. » Melius esset talium arcuum confringi intentionem perversam ad nihilum, secundum illud Psal. XXXVI, 16 : *Et arcus eorum confringatur.* Jerem. VII, 24 : *Facti sunt retrorsum et non ante.* Et hoc, « *quemadmodum patres eorum,* » imo pejus. Jerem. XVI, 11 et 12 : *Dereliquerunt me patres vestri,... sed et vos pejus operati estis.*

Intentio arcus, operatio sagitta.

58 « *In iram concitaverunt.* » Hic ostenditur vehementia culpæ, qui evidenter erant idololatræ, et diligenter exercebant eam, ibi, « *Et in sculptilibus.* »

Dicit ergo : Sic conversi ad idololatriam, « *in ira concitaverunt eum,* » id est, ad inferendum iram in collibus suis, in quibus idolis sacrificabant. Jerem. II, 20 : *In omni colle sublimi, et sub omni ligno frondoso, tu prosternebaris meretrix.* Et in hoc arguuntur superbi, qui in collibus dignitatum gloriantur, et quidquid faciunt propter illas, unde ibi immolant, et totum perdunt. Jerem, III, 23 : *Vere mendaces erant colles, et multitudo montium.* Et in cap. I, 34 : *Non in fossis,* supple, humilitatis, *inveni eos.*

« *Et in sculptilibus* » cum magna diligentia factis, sculptile enim fit cum magna diligentia, « *eum provocaverunt ad æmulationem,* » ad indignationem scilicet. Judic. II, 11 : *Fecerunt filii Israel malum in conspectu Domini, et servierunt Baalim,* in idolo facto opere sculptili cum diligentia magna. Psal. CXIII, 4 : *Simulacra gentium, argentum, et aurum, opera manuum hominum.* Sicut colles dignitates, sic sculptilia sunt Prælati. Idolum enim sunt, Zach. XI, 17 : *O pastor et idolum derelinquens gregem.* Sed quidam sunt idola fusilia quæ cito fluunt, illi qui per commotionem et subreptionem præficiuntur. Alii sculptilia, qui per longam disceptationem. Et frequenter contingit tales nihil omnino valere. Jerem. X, 14 : *Confusus est artifex omnis in sculptili.*

Qui Prælati sint idola fusilia, et qui sculptilia ?

« *Audivit Deus.* » Hic tertium, scilicet punitio illorum pro ingratitudine : et quia non punit Deus, nisi cognita, ideo dicuntur duo. Primo, quod attendit. Secundo, quod attendens hæc mala, eos humiliavit statim, ibi, « *Et sprevit.* » 59

Ait enim : Hæc fecerunt, et numquid Deus advertit ? Ita : quia « *audivit Deus.* « Suum audire est attendere, et cognoscere. Supra, ℣. 21 : *Ideo audivit Deus, et distulit.* Sap. I, 10 : *Auris zeli audit omnia.* Psal. XCIII, 9 : *Qui plantavit aurem, non audiet ?*

« *Et sprevit.* » Hic subjungitur humilatio : et tanguntur tria. Primo, humiliatio. Secundo, humiliationis magnitudo, ibi, « *Et ad nihilum.* » Tertio, in quo humiliati intantum, ibi, « *Et repulit.* »

Ait ergo : Sic audivit, « *et sprevit,* » supple, Israel, id est, dignum qui sperneretur fecit. Isa. XXXIII, 1 : *Væ qui spernis,* supple, Deum, nolendo obedire, *nonne et ipse sperneris ?*

« *Et ad nihilum valde,* » ad majorem expressionem hoc addit, « *redegit Israel.* » Job, XVI, 8 : *Ad nihilum redacti sunt omnes artus mei.* Psal. LXXII, 22 : *Ego ad nihilum redactus sum, et nescivi.* Jer. X, 24 : *Corripe me, Domine, verumtamen in judicio : et non in furore tuo, ne forte ad nihilum redigas me.*

60 « *Et repulit tabernaculum.* » Hic tertium, in quo monstrat quomodo, et in quo humiliavit eos: et dicuntur duo. Primo, tangitur humiliatio quantum ad gloriam illorum, scilicet tabernaculum, et arcum. Secundo, quantum ad ipsam gentem, ibi, « *Et conclusit in gladio.* »

In prima duo. Primo, humiliatio propter destructionem tabernaculi. Secundo, descriptio dejecti, ibi, « *Tabernaculum suum.* »

Dicit ergo : Sic redegit valde ad nihilum, et vere, quia « *repulit tabernaculum Silo,* » id est, quod habebat in Silo, sicut legitur I Reg. I et II. Sed hoc repulit, Jerem. VII, 12 : *Ite ad locum meum in Silo, ubi habitavit nomen meum a principio: et videte quæ fecerim.* Thren. II, 6 : *Dissipavit quasi hortum tentorium suum.* Et in eodem, ℣. 7 : *Repulit Dominus altare suum.*

« *Tabernaculum,* » Hic descriptio. Quasi diceret : Silo repulit, quod erat tabernaculum, non cujuscumque, sed suum tabernaculum, et ad quid addit, « *ubi,* » id est, in quo habitavit in hominibus, id est, inter homines. Apoc. XXI, 3: *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum eis.* Dominus enim propter malitiam hominum destruit frequenter sanctum locum, quia locum non curat, nisi propter homines. II Machab. V, 19 : *Non propter locum, gentem : sed propter gentem, locum Deus elegit.* Unde mirum quod multas Ecclesias non subvertit, quia homines non tantum sunt peccatores, sed Christi ministri multas faciunt in illis abominationes. Jerem. XI, 15 : *Quid est, quod dilectus meus in domo mea fecit scelera multa ?* Silo etiam interpretatur *avulsus.* Cum ergo locus avellitur ab officio proprio, quia non servitur ibi Deo, sed magis peccato. Isa. LVI, 7 : *Domus mea domus orationis vocabitur.* Matth. XXI, 13 : *Vos fecistis eam speluncam latronum.* Quid restat nisi ut destruatur incendio, sicut arbor avulsa ? Job, XIX, 10 : *Quasi avulsæ arbori abstulit spem meam.*

Contra ministros Ecclesiæ.

61 « *Et tradidit in captivitatem.* » Hic tangitur humiliatio propter arcæ amissionem, quam tangit describendo a duplici bono, quod eis exhibebat. Primum est fortitudo contra inimicos. Secundum, honor apud universos, ibi, « *Et pulchritudinem.* »

Ait enim : Sic tabernaculum dejecit, et etiam « *tradidit virtutem eorum,* » id est, arcam, ad cujus præsentiam superabant inimicos, et propter hoc dicitur virtus, « *in captivitatem.* »

« *Et pulchritudinem eorum,* » eamdem scilicet arcam, propter quam reddebantur omnibus honorati et mirabiles, supple, tradidit in manu inimici. Tangit quod habetur I Mach. II, 12: *Ecce sancta nostra, et pulchritudo nostra, et claritas nostra desolata est, et coinquinaverunt ea gentes.*

Per virtutem Ecclesiæ, intelliguntur milites, quorum est ipsam virtuose defendere, sed hos captivat diabolus in peccatum, Deo permittente. Nahum, II, 7 ; *Et miles captivus abductus est.* Isa. LII, 2 : *Solve vincula colli tui captiva filia Sion.* Sed pulchritudo sunt religiosi, in quibus debet esse omnis honestatis pulchritudo : et hi captivantur. Isa. III, 25 : *Pulcherrimi quoque viri tui gladio cadent.* Thren. I, 6 : *Egressus est a filia Sion omnis decor ejus.*

Tradit Deus animam peccatricem tortoribus diversimode cruciandam.

Et nota, quod animam, quæ pulchritudo ejus est, quippe secundum illam similis est homo summæ pulchritudini, quæ Deus est. Gen. I, 26 : *Faciamus hominem ad imaginem, et similitudinem nostram,* tradit Deus nimicis, primo corrumpendam et constuprandam. Jerem. II, 16 : *Filii Mempheos et Taphnes constupraverunt te usque ad verticem.* Postea conculcandam, et dejiciendam de peccato in peccatum. Ezech. XVI, 6 : *Vidi te conculcari in sanguine tuo.* Et ulterius mutilandam, ut auferat nasum discretionis, aures obedientiæ, et manus operationis bonæ. Ezech. XXIII, 25 : *Nasum tuum, et aures tuas præcident.* I Reg. V, 4 : *Duæ palmæ manuum Da-*

gon, peccatoris scilicet, *abcissæ erant*. Et tandem irridendam. Judic. xvi, 25, Philistæi illudebant Samsoni capto, et excæcato. Psal. xxiv, 3 : *Nequando irrideant me inimici mei.*

62 « *Et conclusit in gladio.* » Hic tangitur humiliatio quantum ad populum, postquam tetigit quantum ad cultum. Et primo, miseria et humiliatio populi generaliter. Secundo, illorum etiam specialiter, quibus maxime videbatur parcendum, ibi, « *Juvenes eorum.* »

In prima duo. Primo, dejectio populi per mortem. Secundo, ratio hujus dejectionis, ibi, « *Ut hæreditatem.* »

Dicit ergo : Sic abstulit tabernaculum, et arcam, et etiam « *conclusit populum suum,* » a se quondam specialiter electum, « *in gladio,* » ut ipsum non posset effugere. Ezech. vii, 23 : *Fac conclusionem : quoniam terra plena est judicio sanguinum.* Concluditur populus Dei in gladio pœnæ. Primo, quia concludi se permittit in gladio culpæ, de quo Prov. xxii, 5 : *Arma et gladii* ad occidendam animam propriam, *in via perversi*. Job, xvi, 14 : *Circumdedit me lanceis suis.* Eccli. xxi, 4 : *Quasi romphæa bis acuta omnis iniquitas.*

« *Et hæreditatem suam.* » Hic quasi ratio. Quasi quis diceret : Quare conclusit? Quia sprevit : unde « *et hæreditatem suam sprevit,* » plebem scilicet Israeliticam. Isa. xix, 25 : *Hæreditas mea Israel.* Psal. ii, 8 : *Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam.*

63 « *Juvenes eorum.* » Hic secundum, in quo subjungitur de afflictione eorum, quibus fuit parcendum specialiter. Primo, quibus ratione ætatis. Secundo, quibus ratione religionis, ibi, « *Sacerdotes ejus.* »

In prima duo secundum utrumque sexum.

Dicit ergo : Sic populum universaliter conclusit, et etiam, quod crudelius videtur, « *juvenes eorum,* quibus videbatur miserandum, comedit ignis iræ Dei. Sophon. iii, 8 : *In igne zeli mei devorabitur omnis terra.* Vel, iræ inimicorum debellantium. Thren. ii, 21 : *Virgines meæ, et juvenes mei ceciderunt in gladio.*

« *Et virgines eorum,* » quibus multo fortius parcendum, « *non sunt lamentatæ,* » quia non vacabat ut plorarent suam virginitatem, ut filia Jephte[1], sed subito corrumpebantur, ut occidebantur. Amos, v, 1 et 2 : *Domus Israel cecidit, et non adjiciet ut resurgat. Virgo Israel projecta est, non est qui suscitet eam.* Thren. v, 11 : *Mulieres in Sion humiliaverunt.*

Nota, quod ignis est ardor luxuriæ, secundum illud Job, xxxi, 12 : *Ignis est usque ad perditionem devorans, et omnia eradicans genimina.* Hoc igne fere omnes incenduntur. Isa. i, 7 : *Civitates vestræ succensæ sunt igni.* Sed hoc maxime succenduntur virgines, et juvenes, in quibus maxime viget. Joel, i, 19 : *Ignis comedit speciosa deserti.* Hoc igne quidam sunt, qui non omnino ardent, sed partim tanguntur, qui tactus inordinatos, et oscula illicita, et consensus habent, sed opus non consummant, de quibus Amos, iv, 11 : *Facti estis quasi torris raptus ab incendio.* Alii sunt, quos totos flamma occupat, quos peccare facit et opere, et consensu. Joel, ii, 3 : *Post eum, exurens flamma.* Psal. xx, 10 : *Pones eos ut clibanum ignis in tempore,* etc. Alii toti incinerati sunt, qui toti sunt luxuriæ dediti, et nihil boni jam in eis remansit consumendum, nisi natura tantum. Sapient. xv, 10 : *Cinis cor ejus.* Isa. xxxiii, 12 : *Erunt populi quasi de incendio cinis.*

Diversi gradus ignis luxuriæ.

[1] Judic. xi, 37 et seq.

64 « *Sacerdotes ejus.* » Hic miseria religiosorum in utroque sexu similiter.

Ait enim : Sic quantum ad ætatem, sed et quantum ad religionem, « *sacerdotes ejus ceciderunt in gladio* » passi. Thren. I, 19 : *Sacerdotes mei, et senes mei in urbe consumpti sunt.* In eodem, ℣. 4 : *Sacerdotes ejus gementes, virgines ejus squalidæ.* Ad litteram, sacerdotes ejus in gladio cadunt, quando surgente gladio tribulationis Prælati non se erigunt, sed timore et pusillanimitate cadunt. Luc. XXI, 28 : *His autem fieri incipientibus*, scilicet tribulationibus et afflictionibus, *levate capita vestra*, non cadite. Job, XXXIX, 25, de bono equo dicitur : *Ubi audierit buccinam, dicit vah!* Vel, cadunt in gladio avaritiæ, vel cujuslibet alterius culpæ. Thren. II, 20 : *Si occiditur in sanctuario Domini sacerdos, et propheta?* Quasi diceret : Mirabile est quod occciditur, et in templo conversatur.

« *Et viduæ eorum.* » Ecce religiosæ personæ, in altero sexu, « *non plorabantur* » interfectæ et occisæ. Non erat qui consolaretur eas, sicut Job faciebat, Job, XXIX, 13 : *Cor viduæ consolatus sum.* Gens enim est, cui vult Dominus multum misereri. Unde Job, XXIV, 21, improperat : *Pavit sterilem, quæ non parturit, et viduæ non benefecit.* Et Isa. I, 17 : *Judicate pupillo, defendite viduam.* Et rursus in eodem, ℣. 23, *Pupillo non judicant, et causa viduæ non ingreditur ad illos.*

65 « *Et excitatus est.* » Hic secundum hujus partis, in quo agitur de secundo notabili beneficio, quod fuit in affligendo turpiter inimicos, et instituendo ex eis regem : et secundum hoc duo dicuntur, Primo, inimicorum afflictio. Secundo, honorifica regis institutio et confirmatio, ibi, « *Et repulit tabernaculum Joseph.* »

In prima duo. Primo, ratio et causa reprobationis, vel magis præparatio ipsius Domini ad affligendum eos, et reprobandum. Secundo, ipsa reprobatio, ibi, « *Et percussit inimicos.* »

In prima duo. Primo, præparatio ejus ad puniendum libenter. Secundo, ad potenter subjugandum, ibi, « *Et tamquam potens.* »

Dicit ergo : Prædictum beneficium illis exhibuit, et ipsi ingrati fuerunt, et punivit eos, quasi dormiens ad bona exhibenda, et post « *excitatus est Dominus* » ad inimicos affligendum : et hoc « *tamquam dormiens,* » id est, tam faciliter. Quasi diceret : Sicut dormiens surgit faciliter, sic ipse ut puniret, et faciliter est conversus. Psal. XLIII, 23 : *Exsurge, quare obdormis, Domine?* Eccli. XXXVI, 8 : *Excita furorem, et effunde iram*, id est, effectum iræ et furoris, quia in te excitari non potes semper manens in eodem statu. Jerem. XXXI, 26 : *Quasi de somno excitatus sum, et vidi, et somnus meus dulcis mihi.*

Excitatur autem Dominus per clamorem, cum fortiter ad illum clamatur in oratione. Matth. VIII, 25 : *Et suscitaverunt eum dicentes : Domine, salva nos, perimus.* Per pulsum, quando impellitur in membris suis, id est, quando affligitur in illis. Sic excitatus est occiso Abel, ac si Cain ipsum pulsasset[1]. Psal. XI, 6 : *Propter miseriam inopum, et gemitum pauperum, nunc exsurgam*, etc., tamquam pulsatus. Per punctionem, quod fit in bono per lacrymarum abundantiam. Super verba Tobiæ, VIII, 3 : *Sara, exsurge, et deprecemur Deum hodie, et cras, et secundum cras*, dicitur : « Oratio ungit, et lacryma pungit. » Vel, in malo pungitur Deus, quando in iniquitate perseveratur. Genes. VI, 5 et seq : *Videns Deus quod multa malitia hominum esset in terra,... pœnituit eum quod hominem fecisset in terra. Et tactus dolore cordis intrinsecus, Delebo, inquit, hominem, quem creavi, a facie terræ,*

Multis modis dicitur Dominus excitari.

[1] Cf. Genes. IV, 9 et seq.

etc. Per temporis opportunitatem quando satis dormivit, quando scilicet tempus est miserendi, secundum illud Psalmi, CI, 14 : *Tempus miserendi ejus, quia venit tempus.* Ad Rom. XIII, 11 : *Hora est jam nos de sommo surgere.*

Tamquam potens. Quasi diceret : Excitatus est, « *crapulatus a vino,* » existens ut videbatur, et hoc « *tamquam potens.* » Jerem. XXIII, 9 : *Factus sum quasi vir ebrius, et quasi madidus a vino,* sic sustinendo quod affligantur. Sed tandem, « *tamquam potens* » surgam potenter vindicans in adversarios. Job, IX, 13 : *Deus cujus iræ nemo resistere potest.* Supra, in Psal. LXXV, 8 : *Tu terribilis es, et quis resistet tibi?* Sicut fui quasi ebrius dormiendo, sic ero quasi ebrius percutiendo. Deuteron. XXXII, 42 : *Inebriabo sagittas meas sanguine.* Et Isa. XXXIV, 5 : *Inebriatus est in cœlo gladius meus,* id est, ego qui in cœlo sum gladius, ero percutiens quasi ebrius. Vel melius, *in cœlo,* in superbo populo, qui meos afflixit.

66 « *Et percussit inimicos.* » Hic secundum, inimicorum afflictio vilis, in quo dicitur, quod vilis ipsorum percussio. Secundo, vilis percussionis perpetuatio, ibi, « *Opprobrium.* »

Dicit ergo : Sic excitatus est contra adversarios, « *et percussit inimicos suos in posteriora,* » in secretiori parte natium. Et tangit quod habetur I Reg. V, 6 : *Aggravata est manus Domini super Azotios,... et percussit in secretiori parte natium Azotum, et fines ejus*[1]. Isti autem erant, qui arcam Dei rapuerant, et signant illos, qui in prælationibus se ingerunt violenter, et quasi arcam possident, quos Deus percutit in posterioribus, in temporalibus scilicet, quæ posteriora sunt secundum Apostolum, ad Philip. III, 13 et 14 : *Quæ quidem retro sunt obliviscens, ad ea vero quæ sunt priora extendens meipsum, ad destinatum persequor, ad bravium supernæ vocationis Dei in Christo Jesu.* Et hoc justum : quia ad ea quæ posterius sunt, respiciunt cum uxore Loth[2]. Vel, « *in posteriora* » eos percutit, quia in fine damnabiliter supponit pœnæ gehennali. Ezech. V, 12 : *Gladium meum evaginabo post eos.*

« *Opprobrium.* » Hic secundum, in quo tangitur vilitatis duratio.

Quasi diceret : Sic percussit viliter, et in hoc « *opprobrium sempiternum dedit illis :* » per totum enim mundum Azotii sic percussi, et civitates eorum sunt in opprobrium, et a Deo damnati opprobrio sempiterno confundentur. Jerem. XX, 11 : *Confundentur vehementer, quia non intellexerunt opprobrium sempiternum, quod numquam delebitur.* Quod etiam verissimum est de Judæis, quia in posterioribus percussi sunt, sicut eis promisit Moyses, Deuter. XXVIII, 27[3].

« *Et repulit tabernaculum.* » Hic secundum totius hujus partis, in quo agitur de regni eorum institutione, et confirmatione : et dicuntur duo. Primo, quos repulit a regia dignitate, quia eos repulit qui videbantur habere quasi electionem, illos scilicet de Benjamin. Secundo, quos elegerit, et confirmaverit, ibi, « *Sed elegit tribum Juda.* » 67

In prima duo. Primo, repulsio descendentium de Joseph generaliter. Secundo, descendentium per Ephraim specialiter, ibi, « *Et tribum Ephraim.* »

Dicit ergo : Sic inimicos turpiter dejecit, et etiam repulit a regia dignitate « *tabernaculum Joseph,* » id est, familiam Joseph, et verum est : Saul enim

[1] Cf. etiam I Reg. VI, 5 et seq.

[2] Cf. Genes. XIX, 26.

[3] Deuter. XXVIII, 27 : *Percutiat te Dominus ulcere Ægypti, et partem corporis, per quam stercora egeruntur, scabie quoque et prurigine : ita ut curari nequeas.*

qui fuit primus rex, de Benjamin fuit[1]. Sed ne quis diceret : Imo de Ephraim postea fuerunt reges Israel, qui, inquam, Ephraim fuit de Joseph : « *et tribum Ephrem,* » Ephraim per apocopem, « *non elegit.* » Sed Jeroboam violenter intrusit se, et propter peccatum Salomonis permisit hoc Deus, sicut habetur III Reg. XII, 25.

Deus non eligit nobiles nec divites, sed humiles.

Per Joseph, qui interpretatur *filius accrescens*, hujus mundi nobiles designantur, qui sunt magni statura ad litteram, et potestate : sed hos Deus non eligit. Psal. CXLVI, 10 : *Non in fortitudine equi voluntatem habebit*, etc. I Reg. XVI, 7 : *Ne respicias... altitudinem staturæ ejus : quoniam abjice eum, nec juxta intuitum hominis ego judico.* Ephraim interpretatur *frugifer*, et signat divites, quos Deus non eligit. Jacob. II, 5 : *Nonne elegit pauperes Deus in hoc mundo, divites in fide, et hæredes regni?* Sed reservat eos ad hoc quod in cap. V, 1, idem Jacobus dicit : *Agite nunc divites, plorate ululantes in miseriis vestris, quæ advenient vobis.*

68 « *Sed elegit tribum Juda.* » Hic secundum, quos elegerit, et confirmaverit. Et primo, quantum ad tribum, quia de Juda. Secundo, quantum ad personam ipsam, et familiam, ibi, « *Et elegit David servum suum.* »

In prima duo. Primo, electio regis. Secundo, sedis regni determinatio, ibi, « *Montem Sion.* »

Dicit ergo : Hos non elegit, sed « *elegit tribum Juda,* » ad litteram, ut essent ex ea reges ad litteram. In quo notatur, quod qui reges fiunt, debent eligi a Deo, non assumere sibi et rapere honores. Ad Hebr. V, 4 : *Nec quisquam sumat sibi honorem, sed qui vocatur a Deo, tamquam Aaron.* Joan. XV, 16 : *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.* Et debent essent de Juda : Judas confitens infirmitatem suam et miseriam. I ad Corinth. I, 27 : *Infirma mundi*, sui reputatione, *elegit Deus, ut confundat fortia.* Judic. I, 1 et 2 : *Quis ascendet ante nos contra Chanaan, et erit dux belli? Dixitque Dominus : Judas ascendet.* Genes. XLIX, 10 : *Non auferetur sceptrum de Juda.*

« *Montem Sion*, etc. » Hic secundum. Quasi diceret : Sic quantum ad tribum, sed quantum ad locum, elegit « *montem Sion, quem dilexit,* » ad hoc ut esset regni sedes. Psal. LXXXVI, 2 : *Diligit Dominus portas Sion*, etc. In monte significatur vitæ eminentia. Talis debet eligi. Psal. CIV, 26 : *Misit Moyses servum, Aaron, quem elegit ipsum.* In Sion quod interpretatur *speculum vitæ*. I Mach. IV, 42 : *Elegit Judas sacerdotes sine macula.*

« *Et ædificavit.* » Hic secundum, in quo subjungitur de regni confirmatione. Primo, ex modo statuendi templum. Secundo, ex modo eligendi locum regni, ibi, « *In terra.* » 69

Dicit ergo : Sic elegit tribum Juda, et locum regni, « *et ædificavit sanctificium suum,* » templum scilicet, vel propter sancta, quæ erant in eo, vel propter hoc quod ibi sanctificabantur immundi per oblationes et sacrificia. Et hoc, « *sicut unicornis* [2], » supple, locus ædificatur, ut *unicornis*, sit genitivi casus. Vel, « *sicut unicornis,* » ut sit nominativi casus, ædificat sibi locum : unicornis enim ædificat ita locum, quod nullus audet accedere ad destruendum : est enim animal ferocissimum, habens in nare cornu.

Sanctificium autem est Ecclesia, quæ ædificabitur sicut unicornis, qui habet cornu in nare. In cornu autem potestas designatur. Luc. I, 69 : *Erexit cornu salutis nobis, in domo David pueri sui.* In nare quo discernuntur odores, discretio

[1] Cf. I Reg. X, 20 et seq.

[2] Vulg. habet, *Sicut unicornium.*

significatur. Isa. II, 22 : *Quiescite*, id est, cavete *ab homine, cujus spiritus in naribus ejus est.* Cornu ergo in nare, potestas in discretione. Potestatem autem dedit Prælatis, quando dixit, Joan. XX, 23 : *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis : et quorum retinueritis, retenta sunt.* Sed in nare, id est, in discretione voluit ipsam esse, cum ait, Marc. IX, 49 : *Habete in vobis sal.* De tali Prælato potest dici illud Num. XXIV, 8 : *Cujus fortitudo similis est rhinocerotis.* Idem est rhinoceros quod unicornis.

« *In terra,* » non quacumque, sed « *quam fundavit in sæcula,* » permansuram in regnum quantum erat in se, nisi per ipsos staret. Psal. XLVII, 9 : *Deus fundavit eam in æternum.* Ecclesia vero in qua sanctificatio, est fundata in sæcula, quia generationibus succedentibus semper manet Ecclesia. Eccle. I, 4 : *Generatio præterit, et generatio advenit : terra autem in æternum stat.* Fundata est enim supra firmam petram. Matth. XVI, 18 : *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Matth. XXVIII, 20 : *Ecce ego vobiscum sum.*

70 « *Et elegit David servum suum.* » Hic secundum, in quo postquam præcessit electio quantum ad tribum, hic quantum ad personam, in quo dicuntur duo. Primo, electio ipsius David. Secundo, officii conveniens adimpletio, ibi, « *Et pavit eos.* »

In prima dicuntur tria. Primo, electio David præ omnibus de tribu Juda. Secundo, electi separatio ab officio, in quo prius, ibi, « *Et sustulit.* » Tertio, separati acceptio ad officium regendi, ibi, « *De post fœtantes.* »

Dicit ergo : Sic elegit tribum Juda, et ex illa elegit Deus servum suum. Hoc aperte habetur, I Reg. XVI, 12 : *Surge, et unge eum, ipse est enim.* Et fuit figura Christi : interpretatur enim *manu fortis* : et de Christo dicitur, *Dominus fortis et potens* [1]. Et adspectu desiderabilis : et de ipso dicitur, I Petr. I, 12 : *In quem desiderant Angeli prospicere :* qui bene dicitur servus propter formam servi acceptam [2].

In hoc autem ostenditur, quod ille qui ad prælationem eligitur, debet esse confitens, montanus, et sapiens. Debet esse etiam manu fortis, ut possit resistere adversariis pietatis. Eccli. VII, 6 : *Noli quærere fieri judex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates.* Et in cap. VIII, 16 : *Ne spondeas super virtutem tuam.* Et cum hoc caveas, ne dominari quæras. I Petr. V, 3 : *Non ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo.* Sed magis servias aliis tamquam unus ex ipsis factus. Eccli. XXXII, 1 : *Rectorem te posuerunt ? noli extolli : esto in illis quasi unus ex ipsis.* Luc. XXII, 26 : *Qui major est in vobis, fiat sicut minor : et qui præcessor est, sicut ministrator.* **Qualis debet esse qui eligitur Prælatus ?**

« *Et sustulit eum de gregibus ovium,* » separando electum ab officio vili in quo erat. I Reg. XVI, 11 et 12, Erat parvulus pascens oves, *rufus, et pulcher adspectu, decoraque facie.* Et etiam post electionem adhuc pavit, non statim cucurrit ad regnum : imo etiam postquam devicerat Goliath. I Reg. XVII, 15 : *Abiit David,... ut pasceret gregem patris sui in Bethlehem.* In hoc ostenditur, quod de ipso grege sumendus est pastor Ecclesiæ. Deuter. XVII, 15 : *Non poteris alterius gentis hominem regem facere, qui non sit frater tuus.* Osee, II, 15 : *Dabo ei vinitores ejus ex eodem loco.*

« *De post fœtantes accepit eum.* » Hic tertium, segregati acceptatio. Et primo, acceptatio. Secundo, ad quid, ibi, « *Pascere.* »

Dicit ergo : « *De post fœtantes,* » id est, fœcundas oves. Debet enim qui prælatus major instituitur, in inferiori gradu profecisse bona doctrina, et exemplo alios fœcundasse, ut sit similis illis de quo

[1] Psal. XXIII, 8.

[2] Ad Philip. II, 6 et seq.

Isa. XL, 11 : *Fœtas ipse portabit.* Et tunc potest ad majora vocari. I ad Timoth. III, 13 : *Qui bene ministraverint, bonum gradum sibi acquirent,* ut non fiat de histrione Episcopus, de guloso pastor Ecclesiæ, de luxurioso virginum consecrator. Sed Hieronymus dicit : « Heri catechu« menus, hodie Episcopus : heri in thea« tro, hodie in Ecclesia est Prælatus. » *ditare.* Sic pastor Ecclesiæ debet pascere. Joan. XXI, 15 et seq. : *Pasce, pasce, pasce,* et minores, et majores : unde ibi dictum est : *Pasce agnos,* propter minores, *pasce oves,* propter majores. Jerem. III, 15 : *Dabo vobis pastores juxta cor meum : et pascent vos scientia et doctrina.* Et in cap. VI, 3 : *Pascet unusquisque eos, qui sub manu sua sunt.*

71 « *Pascere Jacob.* » Hic ad quid accepit, quia ad pascendum minores, hoc tangit primo. Secundo, majores, ibi, « *Et Israel.* »

Dicit ergo : Sic accepit illum de post fœtantes. Ad quid ? « *Pascere,* » hoc est, ad pascendum « *Jacob* » servum suum, id est, populum qui de Jacob populo suo descendit. Hic modus loquendi repellit nos a sensu historiali : quia ille materialis David non ad pascendum populum est electus, sed magis ad regendum. Unde de significato in ipso, Christo scilicet intelligitur magis proprie, qui dicit de seipso, Joan. x, 11 : *Ego sum pastor bonus.* Qui bene dicitur assumptus de post fœtantes, quia primo pavit oves Judaici populi, eis per seipsum prædicando, Matth. XV, 24 : *Non sum missus nisi ad oves, quæ perierunt domus Israel.* Sed de iis translatus est ad pascendas oves, populos Gentiles in Apostolis et prædicatoribus suis, illis ovibus relictis tamquam canibus. Hi enim sunt vere hæredes Jacob, sicut dicit Apostolus, ad Galat. IV, 28, Non enim qui filii sunt carnis, sed qui promissionis filii sunt, reputantur in semine [1].

« *Et Israel hæreditatem suam,* » supple, pascere. Hoc quoad majores, sicut Jacob, quia *laborans* Jacob dicitur, Israel autem, id est, *videns Deum,* quod majus est, quia contemplans. Eccli. XXIV, 13 : *In Jacob inhabita, et in Israel hæreditare.*

« *Et pavit eos in innocentia.* » Hic secundum : præmissa enim electione, subjicitur de competenti officii adimpletione : et tanguntur quatuor in modo adimplendi officium, quia innocenter, et prudenter, et potenter, et utiliter. Primum notatur in hoc quod dicit, « *In innocentia.* » Secundum, in hoc quod dicit, « *In intellectibus.* « Tertium, in hoc quod addit, « *Et manuum suarum.* » Quartum, in hoc quod subjungit, « *Deduxit eos.* » 72 Qualiter Prælatus debet regere subditos ?

Ait enim : Sic elegit eum ad pascendum, « *et pavit eos* » de Jacob, et Israel, non se. Ezech. XXXIV, 2 : *Væ pastoribus qui pascebant semetipsos.* « *In innocentia cordis sui.* » Hoc de David non potest bene intelligi, quem constat post adeptionem regni peccasse peccato adulterii et homicidii [2], et superbiisse in enumeratione populi [3]. De illo ergo intelligendum est, de quo I Petr. II, 22 : *Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus* [4]. Apocal. VII, 17 : *Agnus, qui in medio throni est, reget illos.* Prælatus autem debet pascere subditos doctrina, et hoc « *in innocentia,* » qua pascatur ejus mens propria. Prov. XV, 15 : *Secura mens quasi juge convivium.* »

« *Et in intellectibus,* » operibus scilicet ad intelligibilia eos elevantibus, ecce quam sapienter : « *manuum suarum,* » factis manibus suis potenter. Joan. XIII, 15 : *Exemplum dedi vobis* humilitatis quæ est virtus intelligibilis, *ut quemadmodum*

[1] Ad Galat. IV, 28 : *Nos autem, fratres, secundum Isaac promissionis filii sumus.*
[2] Cf. II Reg. VI et XII.
[3] Cf. II Reg. XXIV.
[4] Cf. etiam Isa. LIII, 9.

ego feci vobis, lavans pedes manibus propriis, *ita et vos faciatis*. Sic in manibus Christi intelligitur humilitas, et patientia in affixis in cruce. Thren. I, 12 : *O vos omnes, qui transitis per viam, attendite et videte, si est dolor sicut dolor meus.* Vehemens charitas : quia pro nobis illas extendit in morte. Joan. XV, 13 : *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam*, etc. Et summa Patris largitas, qui ipsum sic extendit, et omnibus exposuit. Ad Roman. VIII, 32 : *Pro nobis omnibus tradidit illum : quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit ?*

« *Deduxit illos*, » de peccato in virtutem, de virtute in virtutem duxit, quod est pascere utiliter : et tandem de virtute ad gloriam. Psal. CXLII, 10 : *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam*. Sap. X, 10 : *Justum deduxit Dominus per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei*, ad quod nos perducat qui est benedictus per infinita sæcula sæculorum, etc.

PSALMUS LXXVIII.

Deplorat urbis et templi ruinam, et implorat Dei opem.

1. *Psalmus Asaph.*
Deus, venerunt gentes in hereditatem tuam : polluerunt templum sanctum tuum : posuerunt Jerusalem in pomorum custodiam.

2. Posuerunt morticina servorum tuorum escas volatilibus cœli, carnes sanctorum tuorum, bestiis terræ.

3. Effuderunt sanguinem eorum tamquam aquam in circuitu Jerusalem, et non erat qui sepeliret.

4. Facti sumus opprobrium vicinis nostris, subsannatio et illusio his qui in circuitu nostro sunt.

5. Usquequo, Domine, irasceris in finem ? accendetur velut ignis zelus tuus ?

6. Effunde iram tuam in gentes quæ te non noverunt [1], et in regna quæ nomen tuum non invocaverunt :

7. Quia comederunt Jacob, et locum ejus desolaverunt.

8. Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum [2] : cito anticipent nos misericordiæ tuæ, quia pauperes facti sumus nimis.

9. Adjuva nos, Deus, salutaris noster : et propter gloriam nominis tui, Domine, libera nos, et propitius esto peccatis nostris, propter nomen tuum.

10. Ne forte dicant in gentibus : Ubi est Deus eorum ? et innotescat in nationibus coram oculis nostris
Ultio sanguinis servorum tuorum qui effusus est :

11. Introeat in conspectu tuo gemitus compeditorum :
Secundum magnitudinem brachii tui posside filios mortificatorum :

12. Et redde vicinis nostris septuplum in sinu eorum : improperium ipsorum quod exprobraverunt tibi, Domine.

[1] Jer. X, 25.

[2] Isa. LXIV, 9.

13. Nos autem populus tuus, et oves pascuæ tuæ, confitebimur tibi in sæculum :

In generationem et generationem annuntiabimus laudem tuam.

IN PSALMUM LXXVIII

COMMENTARIUS.

Psalmus Asaph [1].

« *Deus, venerunt Gentes.* » Hic est Psalmus septuagesimus octavus. Postquam enim Asaph, hoc est, bonorum congregatio, ad confusionem malorum obstinatorum, beneficia eis exhibita a Deo recoluit, prævidens eos affligendos, et vilissime tractandos propter eorum peccata, et multos etiam justos involvendos in afflictione et miseria, subjungit lamentabilem deprecationem ad Deum super illorum miseria, qui cum impiis involventur.

Psalmus lamentatur Judæorum miseriam.

Et est hic secundus Psalmus lamentationis. Primus, ut superius dictum est,

[1] Il y a de grandes analogies, dit M. l'abbé Lesêtre, entre ce psaume et le psaume LXXIII : même style, même auteur, mêmes ressemblances avec Jérémie, et selon toute probabilité, même sujet. Ce dernier point pourtant est loin d'être incontesté. Tous les rationalistes, quelques protestants et parmi les catholiques, Patrizi, rapportent le psaume aux événements racontés au début du premier livre des Machabées, et le font composer à cette époque. La plus grave objection à opposer à ces auteurs, c'est la fermeture du canon juif vers l'époque d'Esdras ; puisque tous nos livres deutero-canoniques ont été exclus de ce canon, comment aurait-on pu y introduire un psaume composé vers l'an 160 avant Jésus-Christ ? D'ailleurs, ainsi que nous le verrons, il est cité comme texte d'Écriture canonique par le livre même des Machabées, ce qui suppose nécessairement son antériorité. S. Athanase, Eusèbe, Théodoret, Bellarmin, rapportent eux aussi le psaume à la persécution d'Antiochus, mais ils le font composer prophétiquement par Asaph, le contemporain de David. Ce qui leur a suggéré cette pensée c'est évidemment la citation que le premier livre des Machabées, VII, 17, fait des ℣℣. 2 et 3. Mais cette citation n'oblige nullement à restreindre l'application du psaume à la persécution d'Antiochus, de sorte qu'ici l'opinion des Pères, parfaitement légitime en droit, n'a en fait rien d'impératif : l'histoire juive présente en effet d'autres événements auxquels ce texte est aussi littéralement applicable. D'autre part, l'allure du psaume est bien plutôt historique que prophétique, et M. le Hir trouve à bon droit qu'il répugne quelque peu au style du morceau d'avoir le caractère de prophétie au sens littéral. Ajoutons une dernière remarque. Quand les prophètes annoncent les événements futurs, ils y sont ordinairement déterminés par quelque événement présent, qui sert de figure et de point de départ de la prophétie. Ainsi David, à l'occasion de ses souffrances, décrit celles du Messie ; Isaie en annonçant à Achaz la préservation de Jérusalem, prédit en même temps la naissance du Sauveur. Ici, au contraire, nous aurions une prophétie ex abrupto, et encore une prophétie affectant le genre descriptif des lamentations de Jérémie, sans rien pour indiquer que ce qu'on lit au passé doit être pris au futur. Il y a là une anomalie d'autant plus facile à faire disparaître que le nom d'Asaph ne nous fait pas remonter nécessairement à l'époque de David. S. Augustin dit que le psaume peut être entendu des malheurs de Jérusalem, soit sous Nabuchodonosor, soit sous Antiochus. C'est à la première époque que le sens littéral est appliqué par Hengstenberg, Schegg, Thalhofer, et la plupart des catholiques modernes. C'est surtout après l'invasion des Chaldéens que Jérusalem devint un monceau de ruines, ℣. 1, et qu'on put parler de captifs, ℣. 11. En tous cas, c'est, dans l'histoire, la première ruine de Jérusalem, dont les maux sous Antiochus furent une image affaiblie, et dont le désastre définitif sous Titus fut une aggravation. L'auteur du psaume serait un descendant d'Asaph « le voyant, » héritier du nom et du génie inspiré de son ancêtre. Témoin des horreurs qui servirent de prélude à la captivité, laissé probablement comme Jérémie dans le pays ravagé, après avoir composé le psaume LXXIII, où il espérait encore que les maux d'Israël cesse-

fuit : *Ut quid, Deus, repulisti in finem*[1] ? in quo lamentatur super illorum obstinatione, hic autem super innocentium miseria et afflictione simul cum impiis afflictorum, et super templi violatione, et sanctorum spoliatione, quæ omnia possent referri ad captivitatem Babylonicam, vel ad illam, quæ est post Christi passionem per Romanos. Melius tamen refertur ad illam, quæ facta est per Antiochum Epiphanium, tempore Machabæorum, sicut habetur in libro Machabæorum per totum.

Titulus autem Psalmi satis apparet : est enim talis : « *Psalmus Asaph.* » Quasi diceret : Psalmus hic, quamvis editus a David, convenit tamen fideli Synagogæ, quæ in hoc introducitur deprecans et lamentans.

Dividitur autem Psalmus in tres partes secundum Glossam. Primo ponitur lamentativa conquestio. Secundo, oratio pro confusione inimicorum veloci bonos affligentium, ibi, « *Usquequo, Domine, irasceris ?* » Tertio, tamquam fructum senserit orationis, subjungitur exsultativa conclusio, in qua est quasi liberationis promissio, ibi, « *Nos autem populus.* »

In prima duo. Primo, lamentatio super templi et sanctorum pollutione. Secundo, super civitatis destructione, ibi, « *Posuerunt Jerusalem.* »

In prima duo. Primo, violenta ingressio loci sancti. Secundo, introgressi pollutio, ibi, « *Polluerunt.* »

Dicit ergo : Tot, et tanta bona populo contulisti, et ipse semper ingratus exstitit, et propter hoc o « *Deus,* » qui vides omnia, unde non loquor ad te, super his instruendo, sed conquerendo, « *Gentes,* » id est, populi Gentiles, Antiochus Epiphanes, et sui, « *venerunt in hæreditatem tuam,* » Jerusalem, et montem Sion, quem tibi elegeras ut hæreditatem. Isa. XIX, 25 : *Hæreditas mea Israel.* Thren. V, 2 : *Hæreditas nostra versa est ad alienos.* Et Jerem. L, 11, loquens ad illos, qui diripiunt hæreditatem suam : *Exsultatis, et magna loquimini, diripientes hæreditatem meam.* Prima pars Psalmi.

Dei hæreditas quam sanguine proprio acquisivit, est Ecclesiastica dignitas. Psal. II, 8 : *Postula a me, et dabo tibi Gentes hæreditatem tuam.* Sed hanc hæreditatem multi ingrediuntur violenter, ut fures, latrones. Joan. X, 8 : *Quotquot venerunt, fures sunt et latrones :* quia sua auctoritate intraverunt, non mea, cum tamen scriptum sit, Exod. XV, 17 : *Introduces eos, et plantabis in monte hæreditatis tuæ.* Ad Hebr. V, 4 : *Nec quis-*

raient bientôt, Asaph écrivit celui-ci avec des accents plus désolés encore, car il comprenait alors que Dieu avait à châtier une longue suite de péchés, ℣. 8. Ces idées sur la composition du psaume sont vivement défendues par D. Calmet : « Hæc ita congruunt cum Hierosolymitano excidio per Nabuchodonosor, ut ægre alteri rei accomodari queant, nisi improprio sensu et translato, uti Machabæorum scriptor usurpavit, iis malis accommodans quibus Judæa et sancti ab Epiphane affecti sunt... Eadem temporum similitudo facit, ut supremo Hierosolymæ templique excidio per Titum et christianæ Ecclesiæ inter ethnicorum odia positæ aptetur. Hoc tamen interpretationum genus pro cujuslibet ingenio confinguntur ; at litteralem explicationem, quæ primum est auctoris propositum, non excludunt. »

Les Juifs récitent ce psaume ainsi que le psaume LXXIII dans celles de leurs fêtes qui rappellent les deux destructions du temple par Nabuchodonosor et par Titus. Chaque vendredi, les derniers descendants d'Israel qui sont aux environs de Jérusalem vont pleurer sur le mur occidental, qu'on regarde comme un ancien débris des constructions salomoniennes, et c'est le psaume LXXVIII qu'ils redisent sur un ton lamentable. Les mêmes paroles inspirées expriment très bien les plaintes et les prières de l'Église persécutée : aussi S. Pie V les fit-il insérer dans les litanies solennelles qu'on récitait à l'époque de l'invasion des Turcs.

[1] Psal. LXXIII.

quam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo, tamquam Aaron.

« *Polluerunt templum.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Violenter ingressi sunt, et post « *polluerunt templum sanctum tuum,* » quæ prohibita erant intromittendo, et in illo faciendo quæ scripta sunt in I Machab. I, 22 et seq.: *Et ascendit Jerosolymam*, loquitur de Antiocho, *in multitudine gravi*, et coinquinaverunt sancta. Sic spiritualiter ingressi in dignitatibus et honoribus, polluunt Ecclesiam Dei. Jerem. XXIII, 15 : *A Prophetis Jerusalem,* ab illis qui locum tenent Prophetarum, *egressa est pollutio super omnem terram.* Jerem. XXIII, 11 : *Propheta et sacerdos polluti sunt : et in domo mea inveni malum eorum.* Nec mirum, quia Ezech. VII, 22 : *Introibunt in illud emissarii,* luxuriosi sicut equi ad illud opus deputati, *et contaminabunt illud.*

« *Posuerunt Jerusalem.* » Hic subjungitur lamentatio super civitatis destructione. Et primo tangitur civitatis destructio quoad locum. Secundo, quoad populum contentum in loco, ibi, « *Posuerunt morticina.* »

Dicit ergo : Sic templum polluerunt, « *posuerunt Jerusalem in pomorum custodiam,* » id est, quasi locum ad custodiam deputatum « *pomorum,* » fructuum scilicet. Solet enim ad pomorum custodiam fieri acervus lapidum altus, ut inde videat custos per hortum. Idem est ergo ac si dixisset : Posuerunt Jerusalem in acervum lapidum, et hoc intelligendum pomorum, non quæ sunt, sed quæ fuerunt, quasi custodiam post pomorum custodiam. Isa. I, 8 : *Derelinquetur filia Sion ut umbraculum in vinea, et sicut tugurium in cucumerario, et sicut civitas, quæ vastatur.* Notandum, quod prophetia fuit Ecclesiæ in præsenti : non enim hodie spiritualia custodiuntur in Ecclesia, sed tantum temporalia : unde in pomorum custodiam posita est, non animarum. Jerem. IV, 17: *Quasi custodes agrorum facti sunt super eam in gyro.* Vel, in pomorum custodiam, quia talibus custodienda traditur, qui eam comedunt, et devorant, sicut pueri pomum, cum eis committitur ad custodiam. Isa. III, 4: *Dabo pueros principes eorum.* Exemplum de Episcopo qui commisit Archidiaconatum nepotulo, cui noluit committere pomum. Non mirum ergo si sub talibus custodibus destruatur. Isa. LXIV, 10 : *Civitas sancti tui,* scilicet Ecclesia, *deserta facta est,... Jerusalem desolata est :* impleta est in Christianis maledictio Judæorum, quæ est, Matth. XXIII, 28 : *Relinquetur vobis domus vestra deserta.*

Ecclesia nunc in pomorum custodiam posita.

« *Posuerunt morticina.* » Hic secundum, in quo tangitur injuria ad populum. Primo, in factis. Secundo, in verbis, ibi, « *Facti sumus.* » 2

In prima duo. Primo, injuria in mortuis, vel magis sævitia. Secundo, in vivis, ibi, « *Effuderunt sanguinem.* »

In prima duo. Primo, expositio defunctorum avibus. Secundo, bestiis sævioribus, quod magis est inhumanum, ibi, « *Carnem sanctorum.* »

Dicit ergo : Sic quantum ad locum, et quantum ad populum, « *posuerunt morticina servorum tuorum,* » id est, corpora ex gladio relicta, « *escas volatilibus cœli,* » supple, aerei. Luc. VIII, 5 : *Volucres cœli comederunt illud.* Psal. XLIII, 12 : *Dedisti nos tamquam oves escarum.* Et Cassiodorus dicit : « Contemptus cor« porum mortuorum non ad parvam re« fertur injuriam : nam sepultus est « Christus. »

« *Carnes sanctorum tuorum,* » supple, posuerunt, repete, escas « *bestiis terræ,* » ad litteram. Jerem, VII, 32 et 33 : *Sepelient in Tophet, eo quod non sit locus. Et erit morticinum populi hujus in cibos volucribus cœli, et bestiis terræ.* Hoc impletum fuit I Machab. VI, 51 et seq.

Morticina autem spiritualia sunt occisi a diabolo gladio mortalis culpæ, de

quo Eccli. xxi, 4 : *Quasi romphæa bis acuta omnis iniquitas.* Hæc volucribus cœli, dæmonibus scilicet, qui volucres cœli dicuntur propter superbiam. Luc. viii, 5 : *Volucres cœli comederunt illud.* Et bestiis terræ, eisdem scilicet dæmonibus, qui etiam dicuntur bestiæ propter crudelitatem. Ezech. xxxiii, 27 : *Qui in agro est, bestiis tradetur ad devorandum.* I Petr. v,8 : *Adversarius vester diabolus, tamquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret.* Projiciuntur devoranda propter negligentiam Prælatorum. Isa. lvi, 29 et 30 : *Omnes bestiæ agri venite ad devorandum, universæ bestiæ saltus : quare? Speculatores ejus cæci omnes.* Nec tantum morticina, sed « *sanctorum carnes,* » aliqua facta carnalia si in sanctis inveniuntur, hæc publicant et exponunt omnibus devoranda. Job, xix, 22 : *Et carnibus meis saturamini.* Et xxxi, 31 : *Quis det de carnibus ejus ut saturemur?*

3 « *Effuderunt sanguinem.* » Hic secundum, in quo subjungitur de sævitia in vivos, et monstratur sævitia in duobus. Primo, in magna sanguinis effusione. Secundo, in multitudine occisorum, ibi, « *Et non erat.* »

Dicit ergo : Sic in mortuos sævierunt, et « *effuderunt sanguinem eorum in circuitu Jerusalem,* » id est, in tanta eos abundantia occidebant. De hoc, II Machab. iii, vi, et viii. I Mach. i, 39 : *Effuderunt sanguinem innocentem.* Et in eodem, ℣. 66 : *Et noluerunt infringere legem Dei sanctam, et trucidati sunt,* secundum jussum regis Antiochi. Sanguis enim peccatum est. Osee, iv, 2 : *Sanguis sanguinem tetigit.* Psal. l, 16 : *Libera me de sanguinibus.* Sanguis ergo in circuitu Jerusalem effunditur, cum peccatum omnibus de Ecclesia publicatur. Ezech. xxiv, 7 : *Sanguis ejus in medio ejus est.* Et in cap. xvi, 6 : *Et dixi tibi, cum esses in sanguine tuo,* supple, immersa, *Vive.* « *Et non erat qui sepeliret.* » Tanta erat raritas remanentium, et occupatio ad sui liberationem, si possent : unde illud Luc. ix, 60 : *Sine ut mortui sepeliant mortuos suos : tu autem vade, et annunntia regnum Dei.* Mortuos autem spiritualiter debent Prælati sepelire, et abscondere per sacramentum confessionis : cum enim peccatum homo confitetur, tunc sepelitur, et absconditur etiam ipsi Deo. Ezech. xviii, 21 et 22 : *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis,... omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor.* Psal. xxxi, 1 : *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata.* Remissæ per contritionem, tecta per oris confessionem. Sed jam non sepeliunt, quia confessiones non audiunt. Et propter hoc peccatores sepulti non sunt. Jerem. ii, 34 : *Non in fossis inveni eos.*

Prælati confessiones audiendo mortuos sepeliunt.

« *Facti sumus opprobrium.* » Hic de injuria in verbis facta, ut verbum large accipiatur, prout comprehendit quodcumque signum : unde dicuntur duo. Primo, injuria in verbo vero, quod est injuria. Secundo, in verbo interpretativo, scilicet signo, ibi, « *Subsannatio.* » 4

Ubi duo tanguntur. Injuria in signo in ipso irridente, vel in irriso, ibi, « *Et illusio.* »

Dicit ergo : Hæc mala, has injurias inferunt personis in opere, et « *facti sumus vicinis nostris opprobrium,* » ut illudant verbis opprobriosis. In alio Psalmo, supra : *Super omnes inimicos meos factus sum opprobrium vicinis meis valde*[1]. Jer. xiv, 21 : *Ne des nos in opprobrium propter nomen tuum, ut facias nobis contumeliam.*

« *Subsannatio,* » repete, facti sumus, id est, nobis subsannatio fit, quæ est irrisio in signo, in eo qui irridet, quando nasum torquens rugat. Jerem. xx, 7 :

[1] Psal. xxx, 12.

Factus sum in derisum tota die, omnes subsannant me. Prov. I, 26 : *Ego in interitu vestro ridebo, et subsannabo, cum vobis id, quod timebatis, acciderit.* Psal. II, 4 : *Dominus subsannabit eos,* id est, subsannari faciet.

« *Et illusio,* » supple, facti sumus, « *his qui in circuitu nostro sunt.* » Illusio est quando aliquid fit in eo cui exprobratur, quod est signum contemptus, sicut factum est in Christo, cui velabant oculos, et illudentes dicebant : *Prophetiza nobis, Christe, quis est*[1], etc. Et potest esse totum, sicut vult Glossa, vel fidelium tempore Machabæorum, vel Martyrum in primitiva Ecclesia, a tyrannis tortorum.

5 Secunda pars Psalmi. « *Usquequo, Domine.* » Hic est secunda pars Psalmi, in qua subjungitur oratio : et dicuntur duo. Primo, conquestio de dilatatione miseriæ. Secundo, petitio, ibi, « *Effunde iram.* »

In prima duo. Primo, conquærendo quærit de duratione iræ Dei. Secundo, de intensione, ibi, « *Accendetur velut ignis.* »

In prima duo. Primo, quærit de duratione simpliciter. Secundo, de termino durationis, ibi, « *In finem.* »

Ait ergo : Sic nos affligunt inimici : sed, o Domine, « *usquequo irasceris ?* » id est, iræ actum in nobis exercens. Isa. LXIV, 9 : *Ne irascaris, Domine, satis.* « *In finem,* » supple, extendetur ira tua. Dicamus ergo illud Isa. XII, 1 : *Conversus est furor tuus, et consolatus es me.* Psal. VII, 12 : *Deus judex justus, fortis et patiens, numquid irascitur per singulos dies ?*

« *Accendetur velut ignis zelus tuus.* » Hoc est, in tantum ut nullus possit sustinere, sicut nec potest sustinere ignem. Incendetur non in præsenti conversis, sed in futuro in nolentibus converti. Proverb. VI, 34 et 35 : *Zelus et furor viri non parcet in die vindictæ, nec acquiescet cujusquam precibus, nec suscipiet pro redemptione dona plurima.* Num. XI, 1 : *Accensus in eos, ignis Domini devoravit eos.* Zach. I, 14 et 15 : *Zelatus sum Jerusalem et Sion zelo magno. Et in ira magna irascor.* Deut. XXXII, 22 : *Ignis succensus est in furore meo, et ardebit usque ad inferni novissima.*

« *Effunde iram tuam.* » Hic secundum, in quo subjungitur petitio. Primo ergo petit contra inimicos. Secundo, pro se, ibi, « *Ne memineris.* » 6

In prima duo : primo, petitio contra inimicos. Secundo, persuasio, ibi, « *Quia comederunt.* »

In prima duo. Primo, imprecatur omnibus Gentilibus generaliter. Secundo, fortioribus et majoribus specialiter, ibi, « *Et in regna.* »

Dicit ergo : Sic ne differas, Domine, sed « *effunde iram tuam,* » abundantiam notat, « *in Gentes quæ te non noverunt.* » Apocalyps. XVI, 1 : *Ite, et effundite septem phialas iræ Dei.* Jerem. IV, 22 : *Stultus populus me non cognovit.* Idem Jerem. X, 25 : *Effunde indignationem tuam super Gentes, quæ te non noverunt.*

« *Et in regna quæ nomen tuum non invocaverunt,* » intus in corde non credendo, nec exterius ore confitendo. Ad Roman. X, 10 : *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Sed magis invocaverunt dæmonia. Regnum mundi, cupidi scilicet Mammona : regnum carnis, scilicet luxuriosi Beelphegor : regnum diaboli, Baal, quod interpretatur *superior.* Hæc sunt regna de quibus Apostolus, ad Hebr. XI, 33 : *Sancti per fidem vicerunt regna.* Isa. LX, 12 : *Gens, et regnum quod non servierit tibi, peribit.* Sed de invocantibus Deum dicitur, Joel, II, 32 : *Omnis*

[1] Matth. XXVI, 68.

qui invocaverit nomen Domini, salvus erit[1].

Si autem quæritur, quid, et quomodo justus imprecatur malis, ipse scilicet David loquens in persona justorum, scilicet Asaph, hoc est, congregationis fidelis, posset dici sicut dicitur a multis, quod non est imprecatio, sed prædictio. Sed melius est ut dicamus, quod imprecatur eis ad litteram malum multiplici de causa. Propter cordis sui bonitatem, qua diligit vindictam de malis, eo quod bona et justa est. Psal. LVII, 11 : *Lætabitur justus, cum viderit vindictam.* Secundo, propter cordis rectitudinem : habet enim cor rectum, et propter hoc necessario vult quod Deus vult, et rogat ut fiat quod Deus vult. Matth. VI, 10 : *Fiat voluntas tua.* Augustinus : « Distortum est cor, quod a rectitudine « regulæ discrepat divinæ. » Item, idem : « Rectum habet cor, qui vult « quod Deus vult. » Tertio, propter ipsorum malorum conversionem, et meliorationem : est enim afflictio quædam medicinalis potio, qua debet omnis malus humor evacuari. Hinc dicitur Jerem. IX, 15 : *Cibabo populum istum absynthio, et potabo eum aqua fellis.* Quarto, propter Dei honorem et laudem : sicut enim in exaltatione bonorum laudandus est Deus, ita in malorum depressione. Prov. XI, 10 : *In bonis justorum exsultabit civitas, et in perditione impiorum erit laudatio.* Quinto, propter ipsam justorum utilitatem, qui inde corriguntur et meliorantur. Prov. XXI, 11 : *Mulctato pestilente, sapientior erit parvulus.*

Multiplici de causa licet malis imprecari.

7 « *Quia comederunt.* » Hic secundum, in quo præmissæ orationi additur persuasio, et hoc a crudelitate eorum, et hoc duplici : in populum, et in locum, ibi, « *Et locum.* »

Ait enim : Sic effunde iram in tales, quia digni sunt, « *quia comederunt* » tamquam crudeles bestiæ, « *Jacob.* » Jerem. X, 25 : *Comederunt Jacob, et devoraverunt eum.* Mich. III, 3 : *Comederunt carnem populi mei, et pellem eorum desuper excoriaverunt.*

« *Et locum ejus,* » in quo colebat te, et tibi serviebat, « *desolaverunt.* » Dan. IX, 18 : *Aperi oculos tuos, et vide desolationem nostram.* Baruch, IV, 12 : *Nemo gaudeat super me viduam, et desolatam.* Magna enim desolatio loci, quando habitatores recedunt. Sed I Mach. I, 40, dicitur : *Fugerunt habitatores Jerusalem.* Sed nec hoc solum, imo post recessum locum destruxerunt. I Mach. IV, 37 et 38 : *Ascenderunt in montem Sion : et viderunt sanctificationem desertam.*

« *Ne memineris iniquitatum.* » Hic 8
secundum, in quo postquam petiit contra inimicos, petit pro se, et petit duo : et secundum hoc dicuntur duo. Primo, petit amotionem mali, ne ipsum scilicet imputet. Secundo, boni adeptionem, ut in ipso peragendo adjuvet, ibi, « *Adjuva nos.* »

In prima duo. Primo, petitio. Secundo, persuasio, ibi, « *Quia pauperes.* »

In prima duo. Primo, petit ut culpa deleatur omnino. Secundo, ut pœna abbrevietur, et cito terminetur, ibi, « *Cito anticipent nos.* »

Dicit ergo : Sic illis facias, sed quoad nos rogo, « *Ne memineris,* » id est, dele a nobis omnino : « *iniquitatum nostrarum antiquarum.* » Quasi diceret : Non in nobis, sed in nostris patribus inchoatarum. Isa. LXIV, 9 : *Ne ultra memineris iniquitatis nostræ,* sed dele eam de nostro corde, quod est oblivioni tradere, implens illud Isa. XLIII, 25 : *Ego sum, ego sum ipse qui deleo iniquitates tuas propter me.* Ne simus de illis de quibus in Psal. LXXIII, 4 : *Posuerunt signa sua, signa.* Et Isa. LVII,

[1] Cf. ad Rom. X, 13.

8 : *Post ostium, et retro postem posuisti memoriale tuum.* Unde non posset tradi oblivioni iniquitas tua.

« *Cito anticipent nos.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic deleas culpam, et etiam « *misericordiæ tuæ anticipent nos,* » ut liberent a pœna : et hoc cito. Psal. XXXIX, 14 : *Domine, ad adjuvandum me festina :* quia Eccli. XIV, 12 : *Mors non tardat.* Joan. IV, 49, dicebat regulus : *Domine, Descende, priusquam moriatur filius meus.* « *Anticipent nos misericordiæ cito,* » quia tribulationum aquæ fere suffocant nos. Isa. VIII, 8 : *Ibit per Judam, inundans, et transiens usque ad collum veniet.*

« *Quia pauperes.* » Hic persuasio a vehementia paupertatis et miseriæ.

Ait enim : Hoc facias : « *quia pauperes facti sumus nimis* », et rebus temporalibus tamquam afflicti et dejecti. Apocal. III, 17 : *Tu es miser et miserabilis, et pauper, et cæcus, et nudus.* Vel certe meritis, quibus debeamus liberari. Proverb. XIII, 7 : *Est quasi dives, cum nihil habeat, et est quasi pauper,* meritis, *cum in multis divitiis sit.* Et tu promisisti te pauperem exauditurum. Psal. X Secundum Hebræos, 17 : *Desiderium pauperum exaudivit Dominus : præparationem cordis eorum,* etc. Et nota, quod pauper est; qui nihil habet de rebus mundi : sed valde pauper, qui seipsum non habet : sed nimis pauper, qui se non habet, et minus habet.

9 « *Adjuva nos, Deus.* » Hic secundum, in quo petit adjutorium ad bonum faciendum. Secundo, ad malum, quod ipsum impedire potest, amovendum, ibi, « *Et propter gloriam.* » Tertio, ad inimicos confundendum et puniendum, ibi, « *Et innotescat.* »

In prima dicuntur duo. Primo, oratio, et deinde persuasio, ibi, « *Salutaris noster.* »

Ait enim : Sic peccata jam facta, et pœnas pro illis debitas amove, et etiam « *adjuva nos,* » ad bonum faciendum, « *Deus, salutaris noster :* » unde hoc potes, quia « *Deus :* » hoc debes, quia « *salutaris.* » Habac. III, 18 : *Exsultabo in Deo Jesu,* id est, salutari *meo.* Cassiodorus : « Bene infirmitatem intellexit, « qui salvatorem medium totis viribus « invocavit. » Et Deum, non hominem. Eccli. LI, 10 : *Adspiciens eram ad adjutorium hominum, et non erat.* Joan. XV, 5 : *Sine me nihil potestis facere.*

« *Et propter gloriam.* » Hic secundum, in quo petit sibi caveri a malo, quod posset impedire, et hoc duplici. Primo, pœnæ. Secundo, culpæ, ibi, « *Et propitius.* »

In prima, primo tangitur persuasio. Secundo, oratio, ibi, « *Libera nos.* »

Ait enim : Sic adjuva ad faciendum bonum, quia Deus es salutaris, et etiam propter gloriam nominis tui publicandam, et revelandam, non nostram. Psal. CXIII, 1 : *Non nobis, Domine, non nobis,* etc.

« *Libera nos,* » a malis pœnalibus, a bono retrahentibus. Dan. III, 43 : *Erue nos in mirabilibus tuis, et da gloriam nomini tuo,* nomini salutari, de quo supra.

« *Et propitius esto.* » Hic petit erui a malo culpæ, si ceciderit. Et primo, petitio. Secundo, persuasio, ibi, « *Propter nomen tuum.* »

Ait enim : Sic libera a malo pœnæ, et etiam « *propitius esto peccatis nostris,* » si post oblita præcedentia ceciderimus. Dan. IX, 9 : *Tibi Domino Deo nostro, misericordia, et propitiatio.* Esther, XIII, 17 : *Propitius esto sorti et funiculo tuo,* scilicet hæreditati tuæ.

« *Propter nomen tuum.* » Hic persuasio, scilicet a Dei gloria, quam tangit primo quasi implicite. Secundo, explicat ipsam, ibi, « *Ne forte dicant.* »

Dicit ergo : Sic esto propitius, et hoc « *propter nomen tuum.* » Jerem. xiv, 21 : *Ne des nos in opprobrium propter nomen tuum*, quod est Jesus [1]. Imo magis quod est Deus.

Unde subdit quasi exponendo se :

10 « *Ne forte dicant in Gentibus,* » si non adjuveris : « *Ubi est Deus eorum ?* » Quasi diceret : Non est : vel si est, remotus est. Supra, in Psal. xli, 4 : *Dicitur mihi quotidie : Ubi est Deus tuus ?* Sic dicebat uxor Tobiæ, ii, 22 : *Manifeste vana facta est spes tua, et eleemosynæ tuæ modo apparuerunt.* Sic et Christo in cruce pendenti, Matth. xxvii, 43 : *Confidit in Deo, liberet nunc si vult eum.* Et est justis afflictio summa. Cassiodorus : « Quamvis fideles « diversa flagella patiantur, istud tamen « ab eis non potest ferri, quando crea- « turarum omnium insultatur auctori. »

« *Et innotescat in nationibus.* » Hic petit adjutorium, ad inimicum puniendum, et in aperto, ut omnes videant : et dicuntur duo. Primo, petitio ut inimicus puniatur. Secundo, qualiter velit puniri determinat ibi, « *Redde vicinis.* »

In prima, duo. Primo, petitio. Secundo, persuasio, ibi, « *Introeat in conspectu.* »

Dicit ergo : Sic adjuva, et libera a malo : et etiam « *innotescat in nationibus,* » ut aperte cognoscentes videant, et hoc « *coram oculis nostris,* » et quid ?

« *Ultio sanguinis servorum tuorum.* » Hucusque pendet constructio : hanc enim non potes dissimulare. Deuter. xxxii, 43 : *Sanguinem servorum ulciscitur.* Sed in aperto hoc volo fieri, ut ego ipse videam. Jerem. xi, 20 : *Videam ultionem tuam ex eis.* Et ipsæ nationes, ipsi scilicet inimici. Isa. xxvi, 11 : *Domine, exaltetur manus tua et non videant : videant et confundantur zelantes populi.* Eccli. xxxvi, 3 : *Alleva manum tuam,* aperte affligendo, *super gentes alienas.* Jerem. xvii, 18 : *Induc super eos diem afflictionis, et duplici contritione contere eos.* « *Sanguinis,* » inquam, « *qui effusus est* » ita abundanter. Supra, in eodem, ℣. 3 : *Effuderunt sanguinem eorum tamquam aquam,* etc.

11 « *Introeat in conspectu tuo.* » Hic persuasio a duobus. A miseria deprecantium, et a morte præcedentium patrum, ibi, « *Secundum magnitudinem.* »

Ait ergo : Sic vindica aperte, et ut hoc facias, « *introeat in conspectu tuo* » ille optimus advocatus « *gemitus,* » non quorumcumque, sed « *compeditorum :* » tales enim, qui in afflictione sunt, libenter audis. Eccli. xxxv, 16 : *Deprecationem læsi ipse exaudiet.* Plus enim, et efficacius loquitur ei gemitus cordis, quam verba oris : propter quod dicitur in Psal. xi, 6 : *Propter miseriam inopum, et gemitum pauperum,* etc. Ezech. xviii, 22 : *Si impius egerit pœnitentiam,* etc. Eccli. xxxv, 17 : *Non despiciet preces pupilli, nec viduam, si effundat loquelam gemitus.*

Compediti autem sunt omnes, si diligenter advertunt, saltem compedibus corporis sui, et propriæ carnis : modo hos compedes non sentiunt, nisi qui gravati ingemiscunt, sicut ille qui dicebat, ad Philip. i, 23 : *Desiderium habeo dissolvi, et esse cum Christo.* Et ad Roman. vii, 24 : *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus ?* His compediti sunt etiam reges quantumcumque magni. Psal. cxlix, 8 : *Ad alligandos reges eorum in compedibus.* Et sunt compedes iniquitatis, et culpæ, quibus compediti sunt mali figurati in illis, de quibus Daniel. iii, 91 :

Homines diversimode compediti.

[1] Matth. i, 21 : *Et vocabis nomen ejus* Jesum.

Nonne tres viros misimus in medium ignis compeditos. Et sunt compedes mandatorum Dei, et legis divinæ. Eccli. vi, 25 : *Injice pedem tuum in compedes illius.* His compediti sunt justi.

« *Secundum magnitudinem.* » Hic allegat et persuadet a morte parentum : et tangitur petitio in hoc, quod dicitur : « *Posside filios.* » Persuasio in hoc quod addit, « *Mortificatorum.* »

Ait ergo : Sic eripe, « *et posside* » liberando et affligendo. Unde alia littera habet : « Respice in filios. » Joan. i, 12 : *Dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Ezech. xxii, 16 : *Possidebo te in conspectu gentium.* Zachar. ii, 12 : *Possidebit Dominus Judam partem suam in terra sanctificata ; et eliget adhuc Jerusalem.* « *Secundum magnitudinem brachii tui,* » potentissimi ad liberandum, et amplissimi ad amplexandum, et fortissimi ad tenendum. Isa. xl, 11 : *In brachio suo congregabit agnos, et in sinu suo levabit, fœtas ipse portabit.* Isa. lii, 10 : *Paravit Dominus brachium suum,* ab alieno dominio volens nos eripere, et solus possidere. Isa. xxvi, 13 : *Domine Deus noster possederunt nos domini absque te.*

« *Filios mortificatorum,* » id est, occisorum pro te. Alia littera : « Morte punitorum. » Sancti mortificati fuerunt, quia ad litteram afflictionibus et pœnitentia se afflixerunt, sicut unus illorum dicit, II ad Corinth. iv, 10 : *Semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes, ut et vita Jesu manifestetur in corporibus nostris.* Et boni fideles eorum filii. I ad Cor. iv, 15 : *In Christo Jesu per Evangelium ego vos genui.* Ad Galat. iv, 19 : *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.*

« *Redde vicinis nostris.* » Hic secun- 12
dum totius hujus partis, in quo petit adjutorium ad inimicum affligendum et puniendum. Petito enim quod puniatur, hic quantum puniri velit determinatur. Et primo, petit determinando mensuram pro inimicitiis in factis illatis. Secundo, pro illatis in verbis, ibi, « *Improperium ipsorum.* »

Dicit ergo : Sic petii ut ultionem de inimicis facias : « *et redde vicinis nostris,* » pro afflictione, qua afflixerunt nos, « *in sinu eorum,* » in intimis eorum, non tantum quantum ipsi nobis malum, sed « *septuplum.* » Isa. lxv, 6 et 7 : *Reddam et retribuam in sinum eorum. Iniquitates vestras, et iniquitates patrum vestrorum simul, dicit Dominus.* Et infra parum : *Remetiar opus eorum primum in sinu eorum.* Et Jerem. xxxii, 18 : *Domine,... reddis iniquitatem patrum in sinum filiorum eorum post eos.* Hoc autem facit in septuplum, perfecte scilicet puniendo. Eccli. vii, 3 : *Fili, non semines mala in sulcis injustitiæ, et non metes ea in septuplum.*

« *Improperium ipsorum.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic redde quod male gesserunt in nobis, et etiam redde « *improperium ipsorum,* » id est, pœnam pro improperio ipsorum ab ipsis facto : unde addit, « *quod exprobraverunt tibi, Domine,* » non quod sustinuerunt propter te. Isa. xxxvii, 23 : *Cui exprobrasti, et quem blasphemasti, et super quem dedisti vocem ?*

Et nota hic, quod peccator, quando mortaliter peccat, septem pœnas, vel septem mala incurrit in præsenti statim, unde bene dicit « *septuplum.* » Primum est cæcitas. Sap. ii, 21 : *Excæcavit illos malitia eorum.* Genes. xix, 11, Sodomitæ statim cæcitate percussi sunt[1]. Secundum, temeritas et stoliditas quasi bruti. Psal. xxxi, 9 : *Nolite fieri sicut*

Mala quæ peccator incurrit.

[1] Genes. xix, 11 : *Et eos, qui foris erant, percusserunt Angeli cæcitate a minimo usque ad maximum, ita ut ostium invenire non possent.*

equus et mulus, quibus non est intellectus. Et alibi, Psal. XCIII, 8: *Intelligite insipientes in populo.* Et statim addit : *Et stulti aliquando sapite.* Tertium quod sequitur ex iis, error in eligendo quod expedit. Isa. V, 20 : *Væ qui dicitis malum bonum,* etc. Quartum, contemptus Dei, cujus voluntati vult suam præponere. Job, XV, 26 : *Cucurrit adversus eum,* scilicet Deum, *erecto collo, et pingui cervice armatus est.* Ad Roman. X, 3 : *Ignorantes justitiam Dei, et suam quærentes statuere, justitiæ Dei non sunt subjecti.* Quintum, impudentia, quia coram Deo et Angelis ejus audet quod non auderet coram aliquo homine. Ad Hebr. IV, 13 : *Omnia nuda et aperta sunt oculis ejus.* Et Boetius dicit in fine libri sui : « Magna nobis indita, si dissi- « mulare nolumus, necessitas probitatis, « cum cuncta agimus ante oculos judi- « cis cuncta cernentis. » Unde versus :

Cum quid turpe geris, quid me spectare rubescis?
Cur spectante Deo, non magis ipse rubes ?

Sextum est debilitas resistendi malo, et ruendi in eo pronitas. Thren. I, 6 : *Abierunt absque fortitudine ante faciem subsequentis.* Septimum, conscientiæ remansio et severitas : pungit enim fortiter et arguit. Jerem. II, 19 : *Arguet te malitia tua, et aversio tua increpabit te.* Isa. LXVI, 24 : *Vermis eorum non morietur.*

Et in futuro iterum septem, quæ tanguntur in illo versu Psal. X, 7 : *Pluet super peccatores laqueos : ignis, et sulphur, et spiritus procellarum, pars calicis eorum.* Primum est abundantia pœnæ gehennalis, ibi, « *Pluet.* » Secundum, gravitas, ibi, « *Super peccatores,* » quasi opprimens illos. Tertium, inseparabilitas, « *Laqueos.* » Quartum, asperitas, ibi, « *Ignis,* » Quintum, fœtor et vilitas, ibi, « *Sulphur.* » Sextum, horribilitas, ibi, « *Spiritus procellarum.* » Septimum vero multiplicitas, quod notatur in hoc quod dicit, « *Pars calicis eorum.* »

« *Nos autem populus tuus.* » Hic est tertia pars totius hujus Psalmi, in qua **13**
subjungitur læta conclusio tamquam confidentis, quod exaudietur. Primo, ergo promittit confessionem laudis in seipsis. Secundo, confessionis divulgationem in aliis, ibi, « *In generatione, et generationem.* »

Tertia pars Psalmi.

Dicit ergo : Sic rogavi ut liberares, et inimicos sic affligeres, quod et facies. « *Autem,* » sed « *nos populus tuus,* » per fidei unitatem, et concordiam. Deut. VII, 6 : *Te elegit Dominus Deus tuus, ut sis ei populus peculiaris* [1], ab alio segregatus, in te unus. Act. IV, 32 : *Erat illis cor unum, et anima una.* Cor unum fide, anima una charitate. Cor unum fide, anima una pace et concordia.

« *Et oves,* » per innocentiam. Infra, in Psal. XCIX, 3 : *Nos autem populus ejus, et oves pascuæ ejus.* Ezech. XXXIV, 17 : *Vos autem greges mei* homines estis. « *Pascuæ tuæ* » per doctrinam qua pascimur et nutrimur. Ezech. XXXIV, 14 : *In pascuis uberrimis pascam eas, et in montibus excelcis Israel.* Supra, in Psal. XXII, 2 : *In loco pascuæ ibi me collocavit.* In doctrina sacra, Matth. IV, 4 : *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei* [2].

« *Confitebimur tibi,* » confessione laudis, « *in sæculum* » consecutivum sæculi, id est, perseveranter, et continue. Psal. LXXIV, 2 : *Confitebimur tibi, Deus, confitebimur,* etc. Et dignum est, quia semper in omni sæculo, quia Dominus omnium sæculorum es. Tob. XIII, 12 : *Benedic Deum sæculorum.*

[1] Cf. Deuter. XIV, 2 et XXVI, 17.

[2] Cf. etiam Luc. IV, 4, et Deuter. VIII, 3.

« *In generationem et generationem.* » Hic secundum. Quasi diceret : Sic laudabimus, et alios exemplo nostro invitabimus, quamvis laudem tuam credant universi exstinxisse, quia annuntiabimus laudem tuam, aliis scilicet nuntiabimus, ut cortina cortinam trahat[1]. Apoc. XXII, 17 : *Qui audit, dicat : Veni.* Tob. XII, 6 : *Coram omnibus viventibus confitemini ei.* Et hoc « *in generationem et generationem,* » id est, sicut sibi succedunt omnes generationes : vel in generatione præsenti, et tendentes in generationem futuram, ut ibi laudemus. Psal. LXXXIII, 5 : *Beati qui habitant in domo tua, Domine : in sæcula sæculorum laudabunt te.* Ad quam domum, ad laudandum se, nos perducat qui est benedictus per infinita sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS LXXIX.

Oratio Hebræorum captivorum rogantium Deum ut ipsis opem ferat.

1. *In finem, pro iis qui commutabuntur, testimonium Asaph, Psalmus.*
2. Qui regis Israel, intende : qui deducis velut ovem Joseph.
   Qui sedes super cherubim, manifestare
3. Coram Ephraim, Benjamin, et Manasse.
   Excita potentiam tuam, et veni, ut salvos facias nos.
4. Deus, converte nos, et ostende faciem tuam, et salvi erimus.
5. Domine, Deus virtutum, quousque irasceris super orationem servi tui?
6. Cibabis nos pane lacrymarum, et potum dabis nobis in lacrymis in mensura?
7. Posuisti nos in contradictionem vicinis nostris, et inimici nostri subsannaverunt nos.
8. Deus virtutum, converte nos, et ostende faciem tuam, et salvi erimus.
9. Vineam de Ægypto transtulisti, et ejecisti gentes, et plantasti eam.
10. Dux itineris fuisti in conspectu ejus : plantasti radices ejus, et implevit terram.
11. Operuit montes umbra ejus, et arbusta ejus cedros Dei.
12. Extendit palmites suos usque ad mare, et usque ad flumen propagines ejus.
13. Ut quid destruxisti maceriam ejus, et vindemiant eam omnes qui prætergrediuntur viam?
14. Exterminavit eam aper de silva : et singularis ferus depastus est eam.
15. Deus virtutum, convertere, respice de cœlo, et vide, et visita vineam istam :
16. Et perfice eam quam plantavit dextera tua, et super filium hominis quem confirmasti tibi.
17. Incensa igni et suffossa, ab increpatione vultus tui peribunt.
18. Fiat manus tua super virum dexteræ tuæ, et super filium hominis quem confirmasti tibi.

[1] Cf. Exod. XXVI, 3.

19. Et non discedimus a te: vivificabis nos, et nomen tuum invocabimus.

20. Domine, Deus virtutum, converte nos, et ostende faciem tuam, et salvi erimus.

IN PSALMUM LXXIX

COMMENTARIUS.

1 *In finem, pro iis qui commutabuntur, et pro Assyriis testamentum Asaph, Psalmus* [1].

« *Qui regis Israel.* » Hic est Psalmus septuagesimus nonus in toto libro, vicesimus nonus in secunda parte libri. Postquam enim Asaph, hoc est, bonorum congregatio, miserorum afflictionem, et templi antiqui destructionem deploravit, et inimicorum petiit ultionem, quia novit non esse reparationem, nisi adveniente Dei Filio, mediatore Dei et hominum, qui novum restituet templum, et legem dabit novam, et omnes adversarios veritatis dejiciet, secundum illud Joan. IV, 25 : *Scio quia Messias venit* (*qui dicitur Christus*) *cum ergo venerit ille, nobis annuntiabit omnia :* convertit se ad petendum adventum Filii Dei, et hoc ut commutet et innovet omnia, et vetera aboleat.

Argumentum Psalmi : Deprecatio primi adventus per quem fit reparatio generis humani.

Et hoc satis innuitur in titulo hujus Psalmi : « *In finem, pro iis qui commutabuntur, et pro Assyriis testamentum Asaph.* » Et legitur dupliciter titulus. Primo, ut sint omnino idem, qui commutabuntur et Assyrii, ratione tantum aliqua differentes. Alio modo, ut diversi supponantur. Primo modo sic : Psalmus subjectus ordinans nos « *in finem* » Christum, cujus adventum precando aperte

[1] Ce Mizmor d'Asaph, dit M. l'abbé Lesêtre, a été composé sur le mètre *shoshannim hedouth*, déjà employé dans les psaumes XLIV et LXIX. L'inscription des Septante, ὑπὲρ τῶν ἀλλοιωθησομένων, suppose à tort que le premier mot vient du verbe *shanah*, être changé. De tous les événements dans lesquels on a voulu chercher l'occasion de ce psaume, depuis la révolte d'Isboseth, sous David, jusqu'à l'époque des Machabées, un seul donne complète raison de toutes les données du texte : un descendant d'Asaph, contemporain d'Achaz, adresse une prière au Pasteur d'Israël en faveur des dix tribus vaincues par les Assyriens et conduites en captivité par Salmanasar et son successeur Sargon. Le psalmiste ne fait aucune mention de Juda, il parle seulement d'Israël, de Joseph, d'Ephraïm, de Benjamin et de Manassé, c'est-à-dire des tribus séparées. Il prie en leur nom, peut-être fait-il lui-même partie du royaume d'Israël ; il est à croire cependant qu'il était de Juda, car il met un soin visible à ne rien dire qui puisse affliger ses frères malheureux. Un membre du royaume détruit eût parlé des péchés de ses concitoyens, comme l'Asaph du psaume précédent ne craignit pas de le faire après la ruine de Juda. Ici nulle mention de péchés passés, mais avec un tact que nous avons déjà admiré dans les compositions des Asaphides, notre psalmiste rappelle les souffrances de ses frères, il les fait siennes, et dans une gracieuse allégorie, développée avec une finesse et un goût extrême, il chante les gloires antiques et les désastres actuels d'Israël. Cette prière, d'une poésie si expressive et d'une inspiration si élevée, montre que le schisme n'avait pas brisé tous les liens entre les deux royaumes, et que, surtout dans le malheur, l'affliction qui unissait les deux parties d'un même peuple ne connaissait pas de frontières. Aussi bien, en priant pour Israël, Juda priait pour lui-même, car le même sort le menaçait, et les prophètes ne se lassaient pas de l'en avertir, IV Reg. XVII, 13. Les Septante ajoutent au titre : ὑπὲρ τοῦ Ἀσσυρίου, ce qui est de nature à confirmer la date que nous assignons au psaume, à la suite d'Hengstenberg, de M. le Hir et de bon nombre d'interprètes catholiques.

Au sens spirituel, l'humanité terrassée par le démon appelle à grands cris le Rédempteur.

prænuntiat. Ad Roman. x, 4 : *Finis legis, Christus, ad justitiam omni credenti.* Editus « *pro iis qui commutabuntur,* » de bono in melius, de statu infidelitatis ad fidem, de conversatione inhonesta ad sanctam, secundum illud Psal. LXXVI, 11 : *Hæc mutatio dexteræ Excelsi.* « *Et pro Assyriis* [1], » id est, dirigentibus eisdem, scilicet post commutationem in Deum directe tendentibus, ut in ipsis impleatur illud Psal. CXVIII, 33 : *Perfice gressus meos in semitis tuis.* Psalmus, inquam, talis est « *testamentum* [2] *Asaph,* » illuminatæ scilicet congregationis, vel populi ad Deum conversi : hinc enim accipiunt testamentum fidei suæ, Christum scilicet advenisse, redemptorem, et salvatorem esse. Joan. v, 39 : *Scrutamini Scripturas :... et illæ sunt quæ testimonium perhibent de me.* Et Luc. XXIV, 44 : *Necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Moysi, et Prophetis, et Psalmis de me.* Vel potest legi alio modo, sicut dictum est. « *Psalmus* » hic subjectus : « *in finem* » nos ordinans, ut prius, editus est, « *pro iis qui commutabuntur,* » conversi ad fidem sicut supra. « *Et pro Assyriis,* id est, perversis Judæis dirigentibus, scilicet erigentibus se contra Christum. Job, xv, 26 : *Cucurrit adversus eum erecto collo.* De utrisque enim agitur in hoc Psalmo.

Dividitur autem Psalmus in duas partes, sicut vult Glossa. Primo, petit adventum Christi ad salvandum suos. Secundo, salutem consummari et perfici adjunctis reliquiis Judæorum, et in fide congregatis, ibi, « *Vineam de Ægypto.* »

In prima tria, quia tria petit per ordinem. Primo, ut intendat Deus quasi conversus ad populum suum. Secundo, ut appareat postquam intenderit, ibi, « *Manifestare.* » Tertio, quod plus est, ut salutem potenter præbeat, ibi, « *Excita potentiam.* »

In prima tria, secundum tria per quæ intendit movere ipsum quem petit. Primo enim allegat potentiam qua regit. Secundo, bonitatem qua deducit, ibi, « *Qui deducis.* » Tertio, sapientiam qua cognoscit, ibi, « *Qui sedes super.* »

Dicit ergo : Sic affligimur : templum destructum est : sed, o Domine, « *qui regis Israel* » per potentiam tuam. Psal. XXII, 1 : *Dominus regit me, et nihil mihi deerit.* Isa. XXXIII, 22 : *Dominus judex noster, Dominus legifer noster, Dominus rex noster : ipse salvabit nos.* Isa. XLIX, 10 : *Miserator eorum reget eos, et ad fontes aquarum deducet eos.* « *Intende* » super nos. Alibi, in Psal. LIV, 2 : *Intende mihi, et exaudi me,* Domine placatus. Daniel. IX, 19 : *Exaudi Domine, placare Domine, attende, et fac.* Et etiam intende, « *qui deducis,* » de bono in melius, « *Joseph,* » subjectos, et castos tibi, sicut fuit Joseph. Deducis, inquam, Psal. LXXII, 24 : *In voluntate tua deduxisti me.* Sapient. x, 10 : *Justum deduxit Dominus per vias rectas.* Et hoc, « *sicut ovem,* » diligenter, et dulciter, quod spectat ad bonitatem. Psal. LXXVI, 21 : *Deduxisti sicut oves populum tuum.* Et possunt esse verba ad Patrem, vel magis proprie ad Filium, qui officio pastor dictus est, et antequam incarnaretur, et post. Joan. x, 11 : *Ego sum pastor bonus,* etc.

2 Prima pars Psalmi.

« *Qui sedes super Cherubim.* » Hic tertium ut referatur ad antecedentia. Quasi diceret : Sic intende, « *qui regis* » per potentiam, « *deducis* » per bonitatem, « *qui sedes super Cherubim,* » per plenitudinem sapientiæ. Isa. VI, 1 : *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum, et elevatum.* Hoc solium Cheru-

[1] Hæc verba non habentur in Vulgata.

[2] Vulg. habet *testimonium.*

bim est. Psal. XCVIII, 1 : *Qui sedet super Cherubim, moveatur terra.*

Quare Deus dicitur potius sedere super Cherubim quam super Seraphim ?

Si autem quæritur quare magis super Cherubim sedere dicitur, quam super Seraphim ? Dicendum, quod Cherubim interpretatur *plenitudo scientiæ*, et hoc pertinet ad judicem, et judicum est sedere. Magis ergo dicitur sedere super Cherubim, id est, per plenitudinem scientiæ judicare, quam super Seraphim.

Et nota diligenter tres status, quos tangit. Per Israel, quod interpretatur *videns Deum*, fideles incipientes, luce fidei Deum videntes. Per Joseph, qui interpretatur *accrescens*, proficientes de virtute in virtutem, et crescentes. Per Cherubim, quod interpretatur *plenitudo scientiæ*, perfecti, et jam in plenitudine scientiæ contemplantes. Primos regit in via pacificos illuminando. Secundos deducit virtutibus adaugendo. Sed in tertiis requiescit et sedet, eis tranquillitatem cordis, et pacem conferendo.

3 « *Manifestare coram.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic intende, et post « *manifestare,* » manifestus in carne appare, « *coram Ephraim, Benjamin, et Manasse,* » scilicet coram populo Judæorum, quem constat ab iis descendisse.

Similiter ab aliis constat : cur ergo non tangit alios Patriarchas, Judam, Levi, et alios ? Responsio. Ad litteram potest esse, quia quasi in tribus locis divisi erant, quantum ad cultum. Manasse enim quantum ad dimidiam tribum suam, cum duabus aliis tribubus citra Jordanem erat, et erexerat altare ad memoriam Dei habendam. Et ultra Jordanem erant divisi in duo regna [1]. Post Salomonem in Samaria regnavit Roboam de tribu Ephraim [2]. Et aliæ tribus duæ, et dimidia in Jerusalem adorabant, quæ erant in tribu Benjamin. Per hos ergo tres possunt omnes intelligi, ubicumque essent : his autem omnibus manifestus apparuit. Baruch, III, 38 : *Post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est.* Ad Tit. III, 4 : *Apparuit benignitas et humanitas salvatoris nostri Dei.* Manifestavit etiam Filius manifestatus. Joan. XVII, 6 : *Pater, manifestavi nomen tuum hominibus quos dedisti mihi.*

Spiritualiter autem per Ephraim, conjugati in operibus misericordiæ fructificantes, secundum illud Apostoli ad Coloss. I, 10 : *In omne opere bono fructificantes.* Per Benjamin, qui *filius dexteræ* interpretatur, cœtus Prælatorum, de quo Paulus, qui tantus Prælatus fuit, minimus etiam inter fratres. Et Eccli. III, 20 : *Quanto magnus es, humilia te in omnibus.* Per Manassem, qui interpretatur *obliviosus*, religiosi, qui omnia oblivioni tradunt et postponunt propter Deum. Psal. XLIV, 11 *: Audi filia, et vide, et inclina aurem tuam, et obliviscere populum tuum*, etc. Ad Philip. III, 13 : *Quæ retro sunt obliviscens, ad ea vero quæ sunt priora me extendens.* Coram his apparet Dominus, his dat aliquid sentire de se. Psal. CIX, 9 : *Meus est Manasses : et Ephraim susceptio capitis mei.* Et alibi, Psal. LXVII, 28 : *Ibi Benjamin adolescentulus.*

« *Excita potentiam.* » Hic tertia pars, in qua petit tertium, scilicet quod potenter salutem præbeat. Primo ergo petitur præparatio ipsius Dei ad salvandum. Secundo, ipsa salvatio, ibi, « *Et salvos.* » Tertio, modus salvationis, ibi, « *Deus, converte nos.* »

Dicit ergo : Sic ostende, sic appare, et etiam « *excita potentiam tuam,* » quæ videtur sopita, ut nova facias signa. Supra, in Psal. LXXVII, 65 : *Excitatus est tamquam dormiens Dominus.*

[1] Cf. Josue, XIII, 29 et seq., et XVII, 1 et seq.

[2] Vel melius Jeroboam, filius Nabat, Ephrathæus, qui ædificavit Sichem in monte Ephraim, et fuit primus rex Israel post schisma decem tribuum. Cf. III Reg. XI, 28, et XII, 25 et seq.

Eccli. xxxvi, 6 : *Innova signa, et immuta mirabilia.* Hoc impletum fuit in resurrectione maxime, quia surrexit in potentia et virtute maxima. I ad Corinth. xiii, 4 : *Et si crucifixus est ex infirmitate : sed vivit ex virtute Dei.*

« *Et veni.* » Habac. ii, 3 : *Si moram fecerit, exspecta illum, quia veniens veniet, et non tardabit.* « *Veni* » in primo adventu, in baculo crucis tuæ, ut Goliath interficias. I Reg. xvii, 43 : *Tu venis ad me cum baculo.* « *Veni* » in secundo cum virtute et potentia in nube, sicut ascendisti, ut bonos mulceas, et malos terreas. Act. i, 11 : *Hic Jesus, qui assumptus est a vobis in cœlum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum.* Et hoc, « *ut salvos facias nos.* » In primo, nos ab errore liberando, in unitatem fidei congregando. Psal. cv, 47, infra : *Salvos fac nos, Domine Deus noster, et congrega nos de nationibus.* In secundo, ab omni miseria liberando. Dan. xii, 1 : *In tempore illo salvabitur populus tuus, omnis qui inventus fuerit scriptus in libro vitæ.* Zach. ix, 16 : *Salvabit eos Dominus Deus eorum in die illa, ut gregem populi sui.* Ezech. xxxvi, 25 : *Salvabit vos, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.*

4 « *Deus, converte nos.* » Hic tertium, in quo explicat salvationis modum, orando ut sic fiat, et suadendo : unde duo dicuntur. Primo, explicatio modi in orando. Secundo, persuasio, ibi, « *Domine Deus virtutum.* »

In prima duo secundum duo quæ petit ad modum salvandi pertinentia. Primum ex parte nostra, conversio ad Deum. Secundum ex parte Dei, sui manifestatio ad conversos, ibi, « *Ostende faciem.* »

Dicit ergo : Sic petii, quod salves, et hoc modo, o « *Deus, converte nos,* » aliter non possumus converti. Thren. v, 21 : *Converte nos, Domine, et ad te convertemur.* Ezechiel. iv, 8 : *Non te convertes a latere tuo in latus aliud.* Osee, vii, 8 : *Ephraim factus est subcineritius panis, qui non reversatur,* per se scilicet.

« *Ostende faciem tuam,* » conversis te manifestando, ipsos illuminando. Psal. cxviii, 35 : *Faciem tuam illumina super servum tuum.* Hæc facies Filius est, quem quærit ostendi in carne. Ad Hebr. i, 3 : *Qui cum sit splendor gloriæ, et figura substantiæ ejus.* Et sic « *salvi erimus.* » Isa. xlv, 22 : *Convertimini ad me, et salvi eritis.* Converte ergo nos gratiam infundendo, ostende faciem intus sapientia illustrando, et sic tandem salva in utroque perseverantiam præstando. Luc. xix, 10 : *Venit Filius hominis quærere, et salvum facere quod perierat.*

« *Domine Deus virtutum.* » Hic est 5
persuasio. Duplici autem modo persuadet. Primo, conquerendo de miseria et miseriæ duratione. Secundo, petitionem replicando, ibi, « *Deus virtutum.* »

Dicit ergo : Sic salva, o Domine : sed o « *Domine Deus virtutum,* » cœlestium Angelorum, Psal. xxiii, 10 : *Dominus virtutum ipse est rex gloriæ.* Et animæ infusarum, Jacob. i, 17 : *Omne datum optimum, et omne donum perfectum,* etc. Luc. xxiv, 49 : *Sedete in civitate, donec induamini virtute ex alto.*

« *Quousque irasceris.* » Supra, in antecedenti Psalmo, ℣. 5 : *Usquequo, Domine, irasceris in finem ?* Non debet esse perpetua ira tua. Isa. lvii, 16 : *Non in sempiternum litigabo, neque usque in finem irascar, quia spiritus a facie mea egredietur.* Et hoc « *super orationem servi tui,* » populi scilicet tibi servientis. Irasci dicitur Dominus super orationem, quando non exaudit illam, sed differt in tribulatione dimittendo orantem, sicut Job, in cap. xxx, 20 et 21 : *Clamabo ad te, et non exaudis me : mutatus es mihi in crudelem.* Et iterum, in cap. xix, 7 : *Ecce clamabo vim patiens, et nemo audiet : vociferabor, et non est qui judicet.*

Habac. I, 2 : *Vociferabor ad te,... et non salvabis.*

6 « *Cibabis nos pane.* » Hic subjungitur miseriæ descriptio, ostendendo primo miseriæ continuitatem. Secundo, nihilominus ex parte Dei justitiam, ibi, « *In mensura.* » Tertio, modum et spem, ibi, « *Posuisti nos.* »

Continuitas monstratur per comparationem ad ea, quæ tamquam necessaria continue homini exhibentur. Primo, comparatione ad necessarium cibum. Secundo, ad potum, ibi, « *Et potum dabis.* »

Panis lacrymarum quid sit ?

Dicit ergo : Quousque irasceris ? Nec mirum si conqueror, quia « *cibabis nos pane lacrymarum,* » id est, lacrymas dabis nobis jugiter, sicut datur panis. « *Et potum,* » earumdem lacrymarum, « *dabis nobis,* » id est, lacrymas sicut potum : et hoc « *in mensura,* » usquequo meruerint peccata nostra, sicut exponit Cassiodorus. Dicit enim Cassiodorus : « Ista duo sunt quibus vivit omnis humanitas, ut panem pro qualibet esca ponas, potum pro omni potione. Non desinebat ergo a lacrymis, cui lacrymæ erant cibus et potus, cum post mensuram lacrymarum futura erat corona gaudiorum. »

Panis etiam lacrymarum dici possunt lacrymæ reficientes, et consolatoriæ. Cum enim homo in his miseriis lamentatur, in hoc etiam consolatur, quia sentit se non affligendum æternaliter illis lacrymis, de quibus Matth. XIII, 2 : *Ibi erit fletus et stridor dentium*[1] : sed temporaliter ad correctionem tamquam filium. Ad Hebr. XII, 6 : *Quem enim diligit Deus, castigat : et flagellat omnem filium, quem recipit.* Propter hoc ipsis lacrymis se reficit Job, VI, 7 : *Quæ prius nolebat tangere anima mea, nunc, præ angustia, cibi mei sunt.* Et in Psal. XLI, 4 : *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes,* etc. Potus etiam sunt satis suaves. Quis enim non gaudeat, et non suaviter bibat de potu calicis Domini ? Matth. XX, 22 : *Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum ?* Statim dicunt ei : *Possumus.* Deuteron. XXXIII, 19 : *Inundationem maris,* amararum lacrymarum, *quasi lac sugent.* Deus ipse talibus lacrymis, in quibus pro peccatis lacrymans delectatur, inebriatur totus. Isa. XVI, 9 : *Inebriabo te lacryma mea.* Et has dat in mensura, quia secundum quantitatem et numerositatem culparum, debet esse quantitas et numerositas lacrymarum. Apocal. XVIII, 7 : *Quantum glorificavit se, et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum.* Vel, « *in mensura,* » quia lacrymæ cum discretione sunt habendæ, et a Deo dantur in mensuratione. Aliter enim non placent. Bernardus : « Lacrymæ bonæ sunt, si non sint continuæ. » Jerem. XXXI, 16 : *Quiescat vox tua a ploratu, et oculi tui a lacrymis, quia est merces operi tuo.*

Et nota, quod est panis lacrymarum pro propriis peccatis bona anxietas, de quo hic. Et est panis mendacii, temporalis voluptas, de quo Proverb. XX, 17 : *Suavis est homini panis mendacii, et postea implebitur os ejus calculo.* Et est panis doloris, amoris perversitas cum homo reficitur in ipso malo, de quo in Psal. CXXVI, 2 : *Surgite postquam sederistis, qui manducatis panem doloris.* Job, XX, 14 : *Panis illius in utero ejus vertetur in fel aspidum intrinsecus,* quod totum corrumpit : hoc est enim maxime corruptivum.

« *Posuisti nos.* » Hic tertium, in quo 7
ostendit modum et speciem, sive etiam causam miseriæ. Et hanc assignat duplicem contradictionem : a proximis in fide eis nolentibus consentire : et irrisionem ab inimicis blasphemantibus in fide, ibi, « *Et inimici nostri.* »

[1] Cf. etiam Matth. XXV, 29.

Dicit ergo : Sic cibabis et potabis lacrymis : et hoc, quia « *posuisti nos in contradictionem vicinis nostris,* » ut nobis ipsi vicini sint contrarii, nolentes credere quod credimus, sicut factum est in Atheniensibus, qui contradicebant Paulo et Barnabæ[1]. Imo ipsi, qui erant de eodem genere. Act. xiii, 45 : *Videntes autem turbas Judæi, repleti sunt zelo, et contradicebant his, quæ a Paulo dicebantur, blasphemantes :* contra illud Eccli. iv, 30 : *Non contradicas verbo veritatis ullo modo.* Pœna autem contradictorum, Isa. xli, 11 : *Ecce confundentur et erubescent omnes, qui pugnant adversum te : erunt quasi non sint, et peribunt viri, qui contradicunt tibi.*

« *Et inimici nostri subsannaverunt nos,* » signis et cachinnis irridendo, quod in hominem mortuum crederemus, non attendentes quod esset verus Deus. Supra, in antecedenti Psal. lxxviii, 4 : *Facti sumus opprobrium vicinis nostris : subsannatio et illusio,* etc. Isa. xxxvii, 22 : *Despexit te, et subsannavit te virgo filia Sion.* Sed non frangimur his subsannationibus, et contumeliis, sed bibimus eas suaviter. Job, xxxiv, 7 : *Quis enim homo sicut Job, qui bibit subsannationem tamquam aquam ?* Imo etiam ex illis proficimus, et ad nos redimus. Cassiodorus : « Qui exire a se « foras per delicias potuit, compulsus « contumeliis ad se rediit. »

8 « *Deus virtutum, converte nos.* » Hic secundo modo persuadet a replicatione petitionis.

Dicit enim : Sic rogavi, et moveri debes, quia sic affligimur : sed o « *Deus virtutum,* » possessor et dator omnium, Psal. xx, 14 : *Exaltare, Domine, in virtute tua : cantabimus et psallemus virtutes tuas,* « *Converte nos,* » immittendo calorem et ardorem Spiritus sancti, convertentem frigidos et congelatos in humiditatem labilem. Psal. cxxv, 4 : *Converte, Domine, captivitatem nostram, sicut torrens in Austro,* supple, convertitur. Isa. lxiii, 17 : *Convertere, Domine, propter servos tuos :* hoc est quod promittis, Jerem. xxx, 3 : *Convertam conversionem populi mei Israel.* Et xxxiii, 7 : *Convertam conversionem Juda, et conversionem Jerusalem : et ædificabo eos.* Converte eversos, qui habent faciem ubi deberent habere dorsum, et e converso. Jerem. vii, 24 : *Facti sunt retrorsum et non ante,* supple, dirigentes intentionem suam, et non manum. Zach. vii, 11 : *Averterunt scapulam recedentem.* Converte aversos, quasi extra versos, qui habent cor ad exteriora et os, cum deberent esse intus. Thren. ii, 11 : *Effusum est in terra jecur meum.* Matth. vi, 21 : *Ubi est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum.* Et propter hoc de Juda dicitur, Act. i, 18 : *Diffusa sunt,* in terra scilicet, *viscera ejus.* Convertere reversos ad iniquitates pristinas per recidivationem. II Petr. ii, 22 : *Canis reversus ad suum vomitum : et, Sus lota, in volutabro luti.* Converte diversos, ad diversa scilicet versos, modo ad unum vitium, modo ad aliud. Job, xx, 1 et 2 : *Respondens Sophar... dixit: Idcirco cogitationes meæ variæ succedunt sibi, et mens in diversa rapitur.* Non sicut illa, de qua I Reg. i, 18 : *Et vultus illius non sunt amplius in diversa mutati.* Converte inversos, qui habent foris quod deberet intus esse, per hypocrisim et simulationem. Matth. xxiii, 27 : *Væ vobis Scribæ et Pharisæi hypocritæ : quia similes estis sepulcris dealbatis, qui a foris parent hominibus speciosa, intus autem pleni estis rapina et immunditia.* Et supra, ℣. 25 : *Quia mundatis quod de foris est calicis, et paropsidis.* Converte perversos, qui pervertunt Scripturas per hæreticam pravitatem. Jerem. xxiii, 36 : *Pervertistis verba Dei viventis.* Isa. i, 16 : *Quiesci-*

Variæ conversionis species

[1] Cf. Act. xvii, 17 et seq : *Novorum dæmoniorum videtur annuntiator esse : quia Jesum etc.*

te agere perverse. Converte subversos, qui habent inferius quod deberet esse sursum. Peccatum enim et caro debent esse subtus. Genes. IV, 7 : *Subtus te erit appetitus ejus.* Ad Roman. VI, 12 : *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore.* Sed fit in malis super, quia in illis est peccatum. Joan. VIII, 34 : *Qui facit peccatum, servus est peccati*, et caro regina. Proverb. XXX, 21 et 23 : *Per tria movetur terra, et quartum non potest sustinere*, quod est *per ancillam cum hæres fuerit dominæ suæ.*

« *Ostende faciem tuam,* » misericordiam, qua proprie cognosceris. Esther, XV, 17 : *Et facies tua plena est gratiarum.* Eccli. XXXVI, 1 : *Ostende nobis lucem miserationum tuarum.* Vel ipsam faciem, essentiam, et naturam tuam. Isa. LII, 8 : *Oculo ad oculum videbunt, cum converterit Dominus Sion.* I ad Corinth. XIII, 12 : *Tunc autem facie ad faciem.* « *Et* sic *salvi erimus.* » Zachar. VIII, 7 : *Ecce ego salvabo populum meum de terra Orientis.* Et in cap. IX, 16 : *Salvabit eos Dominus Deus eorum in die illa, ut gregem populi sui.*

9 Secunda pars Psalmi.

« *Vineam de Ægypto.* » Hic est secunda pars totius hujus Psalmi. Postquam enim adventum Christi petiit ad salvandum populum suum, hic secundo sub metaphora vineæ consummari salutem petit, unita Ecclesia et collecta de reliquiis Judæorum cum Gentibus. Et ut moveat judicem, ostendit diligentiam quam habuit in plantatione hujus vineæ et promotione, et severitatem quam exercuit de destructione ejus, quantum ad Judæos.

Dividitur ergo pars ista in quatuor partes. Primo agitur de inchoatione Ecclesiæ a tempore, quo educta est de Ægypto. Secundo, de promotione, quatenus translata est, et extensa, ibi, « *Et plantasti.* » Tertio, de destructione promotæ quantum ad alteram sui partem, scilicet quantum ad Judæos, ibi, « *Ut quid destruxisti ?* » Quarto et ultimo, supplicatur pro perfectione, ut reliquiæ reducantur ad Gentiles, et fiat una, ibi, « *Deus virtutum, convertere.* »

In prima quatuor, Primo, transportatio plantationis de longinquo. Secundo, remotio impedimenti a loco in quo fuit plantanda, ibi, « *Ejecisti Gentes.* » Tertio, plantatio, ibi, « *Et plantasti.* » Quarto, præparatio loci ad extendendum se, aliter fructificare non posset, ibi, « *Dux itineris.* »

Dicit ergo : Sic, Domine, veni, et salva, et consumma, et perfice Ecclesiam tuam, quam sicut vineam promovisti, quia « *vineam de Ægypto transtulisti,* » id est, Judæorum gentem. Isa. V, 7 : *Vinea Domini exercituum, domus Israel est.* Hanc transtulisti per Mare rubrum, in terram promissionis. Sap. X, 18 : *Transtulit illos per Mare rubrum, et transvexit illos per aquam nimiam.*

Bene autem vinea appellatur Ecclesia Dei, quæ erat tunc tantum in illa gente. Ecclesiæ collatio cum vinea.
Primo, quia tormento fructificat, fossionibus, putationibus. Sic Ecclesia. Exod. I, 12 : *Quantoque opprimebant eos,* scilicet filios Israel Ægyptii, *tanto magis multiplicabantur, et crescebant.* Psal. IV, 2 : *In tribulatione dilatasti mihi.* Secundo, sola vinum dat. Sic Ecclesia sola sanam doctrinam mundo propinat. Matth. VII, 16 : *Numquid colligunt de spinis*, Judæis, paganis, hæreticis, *uvas ?* Quasi diceret : Non : etsi forte vinum videatur, pessimum est. Deuteron. XXXII, 33 : *Fel draconum vinum eorum, et venenum aspidum insanabile.* Pinguis terra vinum debile facit, et quasi aquosum. Sic in pinguedine temporalium devotio debilitatur et tepescit. Isa. I, 22 : *Vinum tuum mistum est aqua.* Psal. LXXII, 7 : *Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum.* Item, inter petras, in loco eminenti, in radio solis melius vinum facit. Sic in duritia patientiæ, in eminentia vitæ, in fervore charitatis magis est fervor devotionis. Isa. V, 1 : *Vinea facta est dilecto meo in cornu,*

id est, in alto, *filio olei,* quod nascitur in locis calidis. Jerem. xxxi, 5 : Jerusalem, *adhuc plantabis vineas in montibus Samariæ.* Item, quod abscinditur de vinea, inutile fit præterquam ad ignem. Sic quod ab Ecclesia, præterquam ad gehennam. Ezechiel. xv, 2 : *Fili hominis, quid fiet de ligno vitis ?* Et infra, ỳ. 4 : *Ecce igni datum est in escam : utramque partem ejus consumpsit ignis.* Paxillis sustentari quærit. Sic Ecclesia sanctorum exemplis fulciri. Cantic. ii, 5 : *Fulcite me floribus, stipate me malis :* flores et mala, sanctorum appellat exempla.

« *Ejecisti Gentes.* » Hic secundum. Quasi diceret : Sic « *transtulisti, et ejecisti Gentes,* » ut purgares locum in quo plantanda erat. Exod. xxxiv, 11 : *Ego ipse ejiciam ante faciem tuam Amorrhæum,* etc. Et xxiii, 30 et 31 : *Paulatim expellam eos de conspectu tuo,... et ejiciam eos.*

« *Et plantasti eam.* » Ecce tertium. Jerem. ii, 21 : *Ego plantavi te vineam electam, omne semen verum.* Et xxiv, 6 : *Plantabo eos, et non evellam.* Exod. xv, 17 : *Introduces eos, et plantabis in monte hæreditatis.*

10 « *Dux itineris.* » Hic quartum, in quo subjungitur de præparatione ad extensionem.

Ait enim : Sic transtulisti Gentes, ejecisti a facie ejus, et plantasti, et etiam ut posset extendi, « *dux fuisti itineris ejus,* » id est, te actore data est ei via per quam extenditur. Isa. lxiii, 14 : *Spiritus Domini ductor ejus fuit.*

Quod autem sic exponendum sit, et non referendum ad eductionem de Ægypto, et deductionem per desertum, patet ex hoc quod dicit alia littera : « Viam fecit in conspectu ejus, » sicut vineæ plantatæ fit via, ut possit extendi. Hoc autem fecit Deus Pater, cum misit Filium suum, quando palmites scilicet hujus vineæ misit, qui dicit de seipso, Joan. xiv, 6 : *Ego sum via, et veritas, et vita.* Baruch, iii, 38 : *Post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est :* ut esset sic eis via, et esset dux. Jerem. iii, 4 : *Dux virginitatis meæ tu es.* Isa. lv, 4 : *Ecce testen populis dedi eum ducem ac, præceptorem gentibus* Et sic profecit, aliter non profecisset. Cassiodorus : « Ideo « vinea profecit, quia suum agricolam « vidit, et ab eo imbrem prædicationis « accepit, et fructus dulcissimos pro- « creavit. »

« *Plantasti radices.* » Hic secundum, scilicet de promotione vineæ sic plantatæ, quantum ad numerositatem : et dicuntur duo. Primo, præparatio ad multiplicationem. Secundo, quæ inde secuta est multiplicatio, ibi, « *Et implevit.* »

Dicit ergo : Sic plantasti vineam transportatam, et ulterius « *plantasti radices ejus,* » illos scilicet, qui totam vineam illam sustentabant, Apostolos, et prophetas. Ad Roman. xi, 18 : *Non tu radicem portas* (loquitur de Prophetis et Apostolis) *sed radix te.* Ad Ephes. ii, 20 : *Superædificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum.* Hos plantasti in charitate, secundum illud Apostoli, ad Ephes. iii, 17 : *In charitate radicati et fundati.* Plantasti etiam, quasi in cordibus auditorum et electorum a te, Eccli. xxiv, 13 : *Et in electis meis mitte radices.* Et in eodem, ỳ. 16 : *Et radicavi in populo honorificato.* Et tunc eruperunt radices, et multiplicatæ sunt. Osee, xiv, 6 : *Erumpet radix ejus ut Libani.*

« *Et implevit terram.* » Judæam scilicet, quando tria millia sunt conversi de Samaria tota, quæ recepit verbum Dei [1]. Totum enim replebatur vinea fertili, et vino optimo. Isa. xi, 9 : *Repleta est*

[1] Cf. Act. ii, 41 et viii, 12.

terra scientia Domini, sicut aquæ maris operientes.

11 « *Operuit montes.* » Hic secundum, scilicet probatio multiplicationis. Et primo, quantum ad altitudinem. Secundo, quantum ad loci dilatationem, ibi, « *Extendit palmites.* »

In prima duo. Primo, extensio secundum altitudinem. Secundo, altitudinis vehementia, ibi, « *Et arbusta ejus.* »

Dicit ergo : Sic terram implevit, quod patet, quia « *umbra ejus operuit montes,* » hoc est, intantum ascendit, quod in montibus umbram fecit. Et bene dicit, quia cognitio in veteri lege umbra erat. Ad Hebr. x, 1 : *Umbram habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum.* Hæc operuit montes, quia sub umbra legis vixerunt Prophetæ et antiqui patres. Thren. iv, 20 : *In umbra tua vivemus in gentibus.*

Umbra nociva et utilis.

Nota ergo, quod est umbra nociva et damnabilis, culpa scilicet mortalis, Isa. ix, 2 : *Habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis.* Et maxime peccatum hypocrisis, Job, xl, 16 : *Sub umbra dormit in secreto calami.* Et est umbra labilis, quæ valde cito deficit, scilicet bona temporalia, Sapient. v, 9 : *Transierunt omnia illa tamquam umbra.* Eccli. xxxiv, 2 : *Quasi qui apprehendit umbram, et persequitur ventum : sic et qui attendit ad visa mendacia.* Et cognitio vitæ præsentis, Cantic. ii, 16 et 17 : *Dilectus meus mihi, et ego illi, qui pascitur inter lilia. Donec adspiret dies, et inclinentur umbræ* [1]. Sed est umbra utilis, umbra protegens, Dei potentia, Psal. lvi, 2 : *In umbra alarum tuarum sperabo, donec transeat iniquitas.* Umbra refrigerans ab ardore vitiorum, Passionis Christi memoria, Isa. iv, 6 : *Et tabernaculum erit in umbraculum diei ab æstu, et in securitatem, et absconsionem,* etc. Jonæ, iv, 5 : Jonas propter ardorem sedit sub umbraculo [2]. Et umbra delectans, æternorum bonorum meditatio pura, Cantic. ii, 3 : *Sub umbra illius quem desideraveram, sedi : et fructus ejus dulcis gutturi meo.* Et vivificans, caro Christi, in altaris sacramento exhibita, Thren. iv, 20 : *Spiritus oris nostri Christus Dominus captus est in peccatis nostris : cui diximus : In umbra tua vivemus in gentibus.*

« *Et arbusta ejus,* » id est, vineæ, « *cedros* » cooperuit, non omnes, sed « *Dei.* » In hoc vehementia multiplicationis quantum ad loca alta. Cedri enim altissimæ arbores sunt, et sunt in montibus : unde necessario ipsis montibus sunt altiores : unde per « *cedros Dei* » designantur Apostoli Prophetis sublimiores, et super ipsos. Quasi diceret : Nati sunt ipsi cedri Libani, quas plantavit, qui sub umbra legis fuerunt. Sed non sic mali cedri, scilicet superbi, de quibus in Psalmo xxviii, 5 : *Confringet Dominus cedros Libani.* Et Isa. ii, 12 et 13 : *Dies Domini... super omnes cedros Libani sublimes, et erectas, et super omnes quercus Basan.* Super bonos ergo extensa sunt hujus vineæ arbusta. Ezech. xxxi, 5 : *Multiplicata sunt arbusta ejus.*

« *Extendit palmites.* Hic secundum in quo probatur multiplicatio per loci distensionem, quam signat a duplici termino. 12

Ait enim : Ita multiplicata est, quod in loca alta ascendit, et etiam « *extendit palmites suos,* » filios scilicet Judæos, « *usque ad mare,* » quod est terminus Judææ ex una parte : « *et usque ad flumen propagines ejus,* »

[1] Cf. etiam Cant. iv, 6, et vi, 2.

[2] Jonæ, iv, 5: *Et egressus est Jonas de civitate :... et fecit sibimet umbraculum ibi, et sedebat subter illud in umbra,* etc.

ex altera, scilicet Jordanem. Et verum est : etiam ultra Jordanem erant duæ tribus et dimidia, Ruben, Gad, et dimidia tribus Manasses [1] : et hoc erat prophetatum. Isa. LIX, 20 : *Angustus est mihi locus, fac spatium mihi ut inhabitem.* Genes. XIII, 14 et 15, dictum erat Abrahæ : *Leva oculos tuos, et vide a loco, in quo nunc es, ad Aquilonem et Meridiem, ad Orientem et Occidentem. Omnem terram quam conspicis, tibi dabo et semini tuo usque in sempiternum.* Ezech. XVII, 6 : *Facta est vinea, et fructificavit in palmites, et emisit propagines.* Sic de familia et palmitibus Dei, non sic de familia et palmitibus diaboli : imo, sicut dicitur Jerem. V, 10 : *Auferte propagines ejus, quia non sunt Domini.* Et Isa. XXV, 5 : *Propaginem fortium marcescere facies.* Nahum, II, 2 : *Propagines eorum corruperunt.*

13 « *Ut quid destruxisti ?* » Hic est tertium, conquestio de destructione sic ædificatæ, et multiplicatæ. Et primo tangitur conquestio super destructione. Secundo, notatur ad exaggerationem per quem facta sit illa destructio, ibi, « *Et vindemiant eam.* »

Dicit ergo : Sic plantasti, et sic multiplicata fuit, et tamen destruxisti postea maceriam ejus, qua circumdabatur ad custodiam. Est autem *maceria* clausura vinearum de lapidibus ad invicem congregatis facta. Et muri Jerusalem ad litteram destructi fuerunt. Matth. XXIV, 2 : *Non relinquetur hic lapis super lapidem, qui non destruatur.* Isa. V, 5 : *Auferam sepem ejus, et erit in direptionem : diruam maceriam ejus, et erit in conculcationem.*

« *Et vindemiant.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic destruxisti maceriam, et ex hoc accidit, quod « *vindemiant eam* » ad libitum, « *omnes qui prætergrediuntur viam,* » Gentes quæ sunt extra viam legis, et mandatorum Dei, de quo in Psal. CXVIII, 32 : *Viam mandatorum tuorum cucurri.* Et Proverb. IV, 11 : *Ducam te per semitas æquitatis.* Thren. II, 20 : *Vide, Domine, et considera quem vindemiaveris.* Sed ut quid hoc fieri voluisti ? Et respondet Glossa, « Quia superba, etc. » Proverb. XXIX, 23 : *Superbum sequitur humilitas.* Luc. XIV, 11, et XXIII, 14 : *Qui se exaltat, humiliabitur.* Et quia servos ad se missos occidit, et filium hæredem. Matth. XXI, 38 : *Hic hæres, venite, occidamus eum.* Sed in eodem, XXVI, 52 : *Omnes, qui acceperint gladium, gladio peribunt* [2].

Vinea autem est Ecclesia, sicut supra dictum fuit, cujus maceria debent esse Prælati, et custodes : sed in direptionem dati sunt, et destructi per pusillanimitatem et negligentiam. Ezech. XIII, 5 : *Non ascendistis ex adverso, neque opposuistis,* supple, vos, *murum pro domo Israel.* Causa autem est : quia viri custodes, et Prælati non sunt, sed utilitatem propriam quærentes ut mercenarii. Joan. X, 12 : *Mercenarius autem, et qui non est pastor, cujus non sunt oves propriæ, videt lupum venientem,... et fugit : et lupus rapit, et dispergit oves.* Jerem. V, 6 : *Lupus ad vesperam vastavit eos, pardus vigilans,* etc. Et prætergredientes Dei mandata falsi fratres totam destruunt et vindemiant. Abdiæ, ℣. 5 : *Si vindemiatores intrassent ad te, numquid saltem racemum reliquissent tibi ?* Quasi diceret : Non sunt vindemiatores, sed destructores vineæ.

« *Exterminavit eam.* » Hic secunda pars, in qua declarat a quo vindemiata, et destructa sit specialiter : et dicuntur duo. Primo, quod a Tito 14

[1] Cf. Numer. XXXIV et XXXII ; Josue, XIII.

[2] Cf. Apocal. XIII, 10.

sunt dejecti. Secundo, quod a Vespasiano tandem penitus consumpti, et in servitutem redacti.

Dicit ergo : Sic destructa est : et hoc quia « *aper de silva,*» supple, veniens, scilicet Vespasianus, « *exterminavit eam,* » extra proprios terminos posuit eam : « *et singularis ferus,* » Titus scilicet, descendens de eadem silva, vel saltu, « *depastus est eam,* usque ad radicem.

Silva sive saltus Gentilitas, sola Judæa videbatur vinea : sed de hac silva et saltu venerunt aper et ferus cum magnis exercitibus, et totam destruxerunt. Isa. LVI, 9 : *Omnes bestiæ agri, venite ad devorandum, universæ bestiæ saltus.* Isa. III, 14 : *Vos depasti estis vineam,* meam scilicet.

Aper est diabolus : aper enim est immundus. Sic diabolus, Luc. XI, 24 : *Cum immundus spiritus exierit de homine,* etc. [1]. Fortis, Luc. XI, 21 : *Cum fortis armatus custodit,* etc. Crudelis sicut aper, Jerem. VI, 23 : *Crudelis est, et non miserebitur.* Superbus, Job, XLI, 25, de Behemoth : *Ipse est rex super omnes filios superbiæ.* Lutum diligit, et ibi quiescit, Job, XL, 16 : *Sub umbra dormit in secreto calami, et in locis humentibus.*

Aper etiam est luxuriosus, sed aper de silva luxuriosus innaturali luxuria. Aper enim dente percutit : sic luxuriosus innaturali luxuria detrahit corripientibus se, et contra hoc vitium prædicantibus. Genes. XIX, 5 et seq., Litigabant contra Loth, et ipsum affligere volebant Sodomitæ, quia corripiebat eos [2].

Superbia et luxuria destruunt Ecclesiam.

Malum ergo superbiæ et luxuriæ totam vineam Dei, Ecclesiam scilicet, destruit. De luxuria, Bernardus : « Luxuria et sitis ebria, delectatio momentanea, amaritudo æterna : lucem odit, tenebras appetit, velamen quærit, et sensus hebetat. » Et Hieronymus : « Luxuria pœnitentiam tollit, famam lædit, corpori dat paralysim, oculis cæcitatem, bursam reserat, inimicatur Deo, placet diabolo, animam interficit, vitam æternam eripit : fœtor ejus ascendit in cœlum, ignis descendit in infernum. Hoc est putredo carnis, sterquilinium corporis, odium angeli, discordia proximi, cibus diabobi, quid per singula moror ? corpus et animam in infernum deducit » Sed de innaturali dicit Bernardus : « Amputata sunt quinque capita idoli : sed, heu ! hodie innumera surrexerunt, quis reædificavit illas civitates incendii ? »

Deus virtutum. Hic est quarta 15
pars secundæ partis hujus Psalmi. Postquam enim egit de vineæ plantatione, plantatæ promotione, promotæ postmodum destructione, subjungitur hic supplicatio pro consummatione ejus et perfectione : et dividitur hæc pars in tres partes. In prima oratio. In secunda probatio, quod fieri possit quod petit, ibi, « *Incensa igni.* » Tertio, persuasio ut sic sit, ibi, « *Fiat manus.* »

In prima duo. Primo, petit vineam perfici. Secundo, ostendit super quem, et in cujus fide hoc velit fieri, ibi, *Et super filium.* »

In prima petit duo antecedentia ad perfectionem. Secundo, perfectionem ipsam, ibi, « *Et perfice.* ».

In prima tria secundum tria antecedentia. Primo, petit ipsum pacificari vineæ. Secundo, pacificatum oculo misericordiæ ipsam respicere, ibi, « *Respice de cœlo.* » Tertio, respectam curare a vitiis et peccatis, ibi, « *Et visita.* »

Dicit ergo : Sic est destructa vinea Judææ, sed, o « *Deus virtutum,* » quæ

[1] Cf. Matth. XII, 43 et seq.

[2] Genes. XIX, 9 : *Vimque faciebant Loth vehementissime : jamque prope erat ut effringerent fores.*

in cœlis sunt, Angelorum scilicet, quæ in sanctis, gratiarum, sicut frequenter dictum est, « *convertere* » ab ira tua ad misericordiam. Psal. vi, 5 : *Convertere, Domine, et eripe animam meam.* Et alibi, Psal. lxxxix, 13 : *Convertere, Domine, usquequo, et deprecabilis esto super servos tuos.* « *Convertere,* » quia non habes ad nos faciem pietatis, sed dorsum indignationis. Jerem. xviii, 17 : *Dorsum, et non faciem ostendam eis.* « *Et* conversus *respice* » oculo misericordiæ, « *de cœlo* » summo, de quo in Psal. xviii, 7 : *A summo cœlo egressio ejus :* et inde effectum misericordiæ infundendo. Daniel. ix, 18 : *Aperi oculos tuos, et vide desolationem nostram.* Isa. lxiii, 15 : *Attende de cœlo, et vide de habitaculo sancto tuo.* Super vineam veram, Ecclesiam scilicet, jugiter respicit. Deut. xi, 12 : *Oculi illius in ea sunt a principio anni usque in finem ejus.*

« *Et visita,* » sanando, sicut medicus infirmum, « *vineam istam :* » quod et factum est. Augustinus : « Magnus « venit medicus, quia magnus ubique « jacebat ægrotus. » Luc. i, 78 : *Visitavit nos, oriens ex alto.*

Et nota, quod sicut dicit Bernardus, « viro sapienti vinea est sua vita, sua « mens, sua conscientia. » In hac vinea plantavit Dominus omne semen verum, sicut dicitur Jerem. ii, 21 [1]. In intellectu semen veritatis, legem scilicet naturalem : in affectu autem bonitatis. Sed diabolus hanc convertit in hortum olerum. Dixit Achab ad Naboth, III Reg. xxi, 2 : *Da mihi vineam tuam, et faciam eam mihi hortum olerum.* Hortum olerum ex anima facit, quando sapientiam carnis, mundi, et diaboli inserit, quæ tamquam olera herbarum cito decident. Hanc cito tradunt aliqui diabolo, quia conversa est in desertum. Proverb. xxiv, 30 et 31 : *Per agrum hominis pigri transivi, et per vineam viri stulti : et ecce totum repleverant urticæ, et operuerant superficiem ejus spinæ.*

Hanc visitat Deus conservando, gratiam infundendo. Job, x, 12 : *Visitatio tuo custodivit spiritum meum.* Eccli. xxxiv, 6 : *Et sicut parturientis, cor tuum phantasias patitur, nisi ab Altissimo fuerit emissa visitatio.*

« *Et perfice eam.* » Hic petit perfectionem. Quasi diceret : Sic vide, et visita, et etiam tandem « *perfice eam,* » vineam, supple, reliquias convertendo, « *quam plantavit,* » sicut dictum est antea. Ad Roman. xi, 25 et 26 : *Cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo Gentium intraret, et sic omnis Israel,* nondum salvus, *salvus fieret.* Isa. x, 21 : *Reliquiæ convertentur, reliquiæ, inquam, Jacob, ad Deum fortem* : ut sic fiat, sicut dicitur Joan. x, 16 : *Unum ovile, et unus pastor* : una vinea, et unus possessor, et intimus circumcultor. **16**

Et nota, quod cum vinea sit anima, sicut dictum est supra, Deus illam perficit dando primo cultores, ipsius animæ potentias et vires. Osee, ii, 15 : *Dabo ei vinitores ejus ex eodem loco,* ex ipsa scilicet anima. Et postmodum perficit quasi fodiendo, circumfodiendo, quando tribulationes immittit et infirmitates. II ad Corinth. xii, 9 : *Nam virtus in infirmitate perficitur.* Postmodum excidendo quasi palmites, quando facit exire imperfectas operationes. Psal. xvi, 5 : *Perfice gressus meos,* etc. Et tandem perficit, quasi fructum maturando per perseverantiam et constantiam in opere bono. I Petr. v, 10 : *Perficiet, confirmabit, solidabitque.* **Qualiter Deus perficit animam ?**

« *Et super filium.* » Hic secundum. Quasi diceret : Sic rogo ut ipsam perficias : sed in quo perficies eam ?

[1] Jerem. ii, 21 : *Ego plantavi te vineam electam, omne semen verum.*

Et hoc « *super filium hominis, quem confirmas tibi,* » scilicet super hominem assumptum, super illum qui dicit supra, in Psal. LXX, 7 : *In te confirmatus sum ex utero, de ventre,* etc. Et supra etiam, in alio Psal. XXXVII, 3 : *Confirmasti super me manum tuam.* Hic est filius hominis, sicut frequenter se vocavit in Evangelio. Matth. XVI, 13 : *Quem dicunt homines esse filium hominis ?* et XX, 28 : *Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare.* Luc. XIX, 10 : *Venit filius hominis quærere et salvum facere quod perierat.* Super hunc, inquam, tamquam super firmissimum fundamentum perfice vineam. Ad Ephes. II, 20 : *Superædificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu.* Nulla vinea potest esse perfecte bona, nisi palmites figantur et nascantur de vite bona : et Christus vitis est vera et bona, Joan. XV, 1 : *Ego sum vitis vera, et pater meus agricola est.* Et propter hoc bonum vinum non potest facere palmes nisi manserit in hac vite. Joan. XV, 4 : *Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite : sic nec vos nisi in me manseritis.* Et rursus, ibidem, ℣. 5 : *Qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum.*

17 *Incensa igni.* » Hic secundum totius hujus partis, in quo probatur, quod possit facere quod rogatur : quia statim sola increpatione sua omne peccatum in ea destruetur, quod comprehendit in duplici differentia. In peccatum quod nascitur ex amore malo inflammate, quæ dicuntur « *incensa igni.* » Et in peccatum quod nascitur ex timore male retrahente, et humiliante, quæ dicuntur « *suffossa.* »

Ait ergo : Sic rogavi ut vineam tuam perficias, quod et potes, quia « *ab increpatione* sola *vultus tui,* » id est, si tantum vultum contra illa converteris, «*peribunt incensa igni,* » id est, igne, id est, corda cupiditate inflammata : « *et suffossa,* » id est, corda humilitate mala, in servis dejecta. Psal. IX, 4 : *Infirmabuntur, et peribunt a facie tua.*

Magnæ efficaciæ est intuitus faciei Domini. Threm. IV, 16 : *Facies Domini divisit eos.* Ad nihilum deducit omne malum, Isa. X, 27 : *Computrescet jugum a facie olei.* In Psal. XIV, 4 : *Ad nihilum deductus est.* Destruit incensa igne cupiditatis, de quo Mich. VI, 10 : *Adhuc ignis in domo impii thesauri iniquitatis, et mensura minor iræ plena.* Et incensa igne carnalis voluptatis, de quo Job, XXXI, 12 : *Ignis est usque ad perditionem devorans, et universa eradicans genimina.* Et igne avaritiæ, de quo Joel, I, 19 : *Ignis comedet speciosa deserti* religiosos multos, qui in deserto Ecclesiæ inter alios debent esse speciosi. Et igne ambitionis, de quo supra, Psal. LXXIII, 7 : *Incenderunt igni sanctuarium tuum* : qui enim sanctiores videntur, aliquando sunt magis ambitiosi. Et igne invidiæ, quo incenduntur homines diabolici, de quo in Psal. LVII, 9 : *Supercecidit ignis, et non viderunt solem.*

Magna efficacia vultus Domini.

« *Et suffossa* » seorsum in fossa, tamquam in quadam fovea. Isa. XXIV, 17 : *Formido, et fovea, et laqueus super te, qui habitator es terræ.* Isa. XLVIII, 43 : *Pavor et fovea super te, o habitator Moab.*

Et nota, quod in vinea Domini *incensa igni* sunt pravis moribus corrupti : sed *suffossa* proprie qui in tenebris sunt, et fundamentum fidei amiserunt, scilicet hæretici. Sed primi pereunt a facie Christi morientis in cruce, qui de latere suo aquam voluit exire. Et secundi etiam a facie patientis et habentis fossas manus et pedes, secundum illud Psal. XXI, 17 : *Foderunt manus meas et pedes meos,* etc.

« *Fiat manus tua.* » Hic est tertium 18
hujus partis totius, in qua agitur de vi-

neæ consummatione. Petita est consummatio, probatum est quod fieri possit ab eo, hic subjungitur persuasio, quod debeat fieri. Persuadet enim primo multiplici ratione. Secundo, orationis jam bis positæ adhuc iteratione, ibi, « *Domine, Deus virtutum.* »

In prima duo. Primo, sumit rationem a parte capitis. Secundo, a parte corporis, ibi, « *Et non discedimus.* »

In prima duo, secundum duplicem dignitatem hominis Christi, qui est caput Ecclesiæ, quam tangit. Prima est dignitas unionis. Secunda, inseparabilitas in illa unione, ibi, « *Et super filium.* »

Dicit ergo : Sic rogavi, quod implere potes, et hoc debes, Domine, quia rogo, « *fiat manus tua,* » id est, ostendatur potentia tua, « *super virum,* » Christum. Isa. IV, 1 : *Apprehendent septem mulieres virum unum,* etc. Jerem. XXXI, 22 : *Creavit Dominus novum super terram : Fœmina circumdabit virum.* Zach. VI, 12 : *Ecce vir, Oriens nomen ejus.* « *Dexteræ tuæ,* » ut sit intransitiva constructio, hoc est, qui est dextera tua, scilicet ipse Filius tuus, qui dextera dicitur in Psal. CXVII, 16 : *Dextera Domini fecit virtutem.* Unde notandum, quod Christus homo dicitur *filius dexteræ* ratione dicta, primo scilicet ratione unionis. Item, ratione fruitionis : continue enim erat in dextera in æternis bonis. Cant. II, 6, de hac dextera : *Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me.* Item, ratione sessionis, qua sedet a dextris. Marc. XVI, 19 : *Assumptus est in cœlum, et sedet a dextris Dei.* Et in Psal. CIX, 1 : *Dixit Dominus Domino meo : Sede a dextris meis.* Item, quia nihil sinistrum, hoc est, malum in eo fuit, vel esse potuit : sed ambidexter fuit, sicut Aod [1].

Christus dicitur filius dexteræ triplici de causa.

« *Et super filium hominis,* » non hominum, ergo Virginis filium, fiat manus tua dextera, repete, « *quem,* » inquam, « *confirmasti tibi,* » inseparabili unione. Psal. CXI, 8 : *Confirmatum est cor ejus : non commovebitur.* Et alibi, Psal. LXXXVIII, 22 : *Manus mea auxiliabitur ei, et brachium meum confortabit eum.* Eccli. XV, 3 : *Confirmabitur in illo, et non flectetur.* Vir dexteræ, quia de Spiritu sancto conceptus : filius hominis, quia de Virgine natus.

Beata autem Virgo homo appellatur in sacra Scriptura, licet soleat poni quasi semper hæc dictio, *homo*, pro genere masculino. Primo quia homo est animal mansuetum natura, et ipsa est mansuetissima : non enim nata est filia iræ, sicut nos omnes nascimur [2]. Fuit enim in utero sanctificata, et nos ei cantamus : « O benigna. » Et per vellus quod valde tractabile est, designatur. Psal. LXXI, 6 : *Descendet sicut pluvia in vellus.* Item, animal risibile : risum enim nobis protulit, scilicet Christum, ut dicere posset : *Risum fecit mihi Deus* [3]. Ipse enim est solum et verum gaudium justorum. Ad Philip. IV, 4 : *Gaudete in Domino semper, iterum,* etc. Item, capax Dei est, quod est esse ad imaginem Dei, et esse vere hominem. Genes. I, 26 : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.* Et ipsa capax fuit Dei, et in mente, et in utero. Eccli. XXIV, 22 : *Et qui creavit me, requievit in tabernaculo meo.* Item, ratione fortitudinis. Ipsa enim est illa, quam quærebat Salomon, Prov. XXXI, 10 : *Mulierem fortem quis inveniet ?* Et forti dictum est de ea, Genes. III, 15 : *Ipsa conteret caput tuum.* Item, ipsi Christo secundum carnem non tantum mater, sed et pater fuit : totus suus fuit. Matth. I, 25 : *Donec peperit filium suum.* Et Luc. II, 7 : *Et peperit filium suum primogenitum.* Et quid dicam, quia dignissima creaturarum fuit, et est, unde cantamus ei : « Et omni laude dignissima. » Eccli. XXIV, 17 : *Quasi ce-*

Quare B. Virgo appellatur homo ?

[1] Judic. III, 15 : *Aod... qui utraque manu pro dextera utebatur.*

[2] Ad Ephes. II, 3 : *Eramus natura filii iræ.*

[3] Genes. XXI, 6.

drus exaltata sum in Libano, et quasi cypressus in monte Sion.

19 « *Et non discedimus a te.* » Hic secundum, in quo sumit rationes a parte corporis ad suadendum. Et sunt tres secundum utilitatem triplicem quam consequitur corpus. Prima, fortis adhæsio cum suo capite. Secunda, vitæ susceptio ab eodem, ibi, « *Vivificabis nos.* » Tertio, commissio sui ipsi Deo omnino, et in omni necessitate, ibi, « *Et nomen tuum.* »

Dicit ergo : Sic fac merito ipsius Christi, et si hoc feceris, « *non discedimus,* » id est, non discedemus, « *a te,* » infideles facti. IV Reg. II, 2: *Vivit Dominus, et vivit anima tua, quia non derelinquam te.* Ruth, I, 16 : *Ne adverseris mihi ut relinquam te et abeam.* Joan. VI, 69 : *Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes.* Ut possimus tandem dicere illud Psal. XLIII, 39 : *Et non recessit retro cor nostrum.* I Reg. XII, 20 : *Nolite recedere a tergo Domini, sed servite Domino in omni corde vestro.*

Et vivificabis nos, » vitam fidei infundendo, Habac. II, 4 : *Justus meus in fide sua vivet.* Et gratiarum motum ad bene operandum tribuendo, Psal. LXX, 20 : *Vivificasti me, et de abyssis terræ iterum reduxisti me.* Isa. LVII, 15 : *Ut vivificet spiritum humilium, et vivificet cor contritorum.*

« *Et nomen tuum.* » Ecce tertium. Quasi diceret: Sic adhærebimus inseparabiliter, vivificabimus dulciter, « *et nomen tuum invocabimus* » instanter in omni tribuiatione, tamquam totos nos projicientes in te. Joel, II, 32: *Et erit, omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit*[1]. Propter hoc monet Isaias, XII, 4 : *Confitemini Domino, et invocate nomen ejus, et scitote quoniam excelsum est nomen ejus.*

« *Domine, Deus virtutum.* » Hic secundum hujus partis, persuasoriæ scilicet orationis replicatio. Et primo, sicut superius jam fecit, per tria petit conversionem Dei ad se. Secundo, manifestationem conversi, per ostensionem faciei, ibi, « *Et ostende faciem.* » Tertio, effectum ex utroque sequentem supponit, ibi, « *Et salvi erimus.* » 20

Dicit ergo : Sic perfice dictis rationibus vineam, et quod toties dixi, iterum replico, o « *Domine, Deus virtutum* : » expone sicut supra, « *converte nos* » a tristitia et luctu in gaudium. Jerem. XXXI, 13 : *Convertam luctum eorum in gaudium, et consolabor eos.* Converte nos a paupertate ad veram virtutum possessionem. Jerem. XXX, 3 : *Convertam eos ad terram suam, quam dedi patribus eorum : et possidebunt eam.*

Et nota, quod quasi post consummationem petit converti. Eccli. XVIII, 6 : *Cum consummaverit homo, tunc incipiet.*

Et nota, quod quater locutus est in hoc Psalmo de conversione: quia a quatuor oportet nos converti, a carnis voluptate, a mundi vanitate, a parentum amore, a rerum possessione, si plene volumus converti. De his quatuor, Cantic. VI, 12 : *Revertere, revertere Sulamitis, revertere, revertere,* etc.

Conversio perfecta quatuor exigit.

« *Et ostende faciem tuam,* » faciem nascentis contra avaritiam : ibi enim videberis pannis involutus[2]. Faciem morientis et patientis in cruce contra luxuriam : ibi enim in dolore fuit maximo. Thren. I, 12 : *O vos omnes, qui transitis per viam,* etc. Faciem judicantis contra superbiam. Isa. II, 12 : *Dies Domini exercituum super omnem superbum, et excelsum, et super omnem arrogantem :*

[1] Cf. Ad Roman. X, 13.

[2] Luc. II, 12.

et humiliabitur. Psal. LXVII, 5 et 6: *Turbabuntur a facie ejus, patris orphanorum, et judicis viduarum.*

« *Et salvi erimus*, » illa salute de qua Isa. XLV, 17 : *Israel salvatus est in Domino salute æterna*, ad quam nos perducat, qui est vera salus, vita et Deus, et rex per omnia sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS LXXX.

Incitat ad festa pie celebranda : Dei beneficia et Judæarum ingratitudinem exponit.

1. *In finem, Pro torcularibus, Psalmus ipsi Asaph.*
2. Exsultate Deo adjutori nostro, jubilate Deo Jacob.
3. Sumite psalmum, et date tympanum : psalterium jucundum, cum cithara.
4. Buccinate in neomenia tuba, in insigni die solemnitatis vestræ :
5. Quia præceptum in Israel est, et judicium Deo Jacob.
6. Testimonium in Joseph posuit illud, cum exiret de terra Ægypti [1] : linguam quam non noverat audivi.
7. Divertit ab oneribus dorsum ejus : manus ejus in cophino servierunt.
8. In tribulatione invocasti me, et liberavi te. Exaudivi te in abscondito tempestatis : probavi te apud aquam contradictionis [2].
9. Audi, populus meus, et contestabor te. Israel, si audieris me,
10. Non erit in te deus recens [3], neque adorabis deum alienum.
11. Ego enim sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti. Dilata os tuum, et implebo illud.
12. Et non audivit populus meus vocem meam : et Israel non intendit mihi.
13. Et dimisi eos secundum desideria cordis eorum [4] : ibunt in adinventionibus suis.
14. Si populus meus audisset me [5], Isræl si in viis meis ambulasset,
15. Pro nihilo forsitan inimicos eorum humiliassem, et super tribulantes eos misissem manum meam.
16. Inimici Domini mentiti sunt ei, et erit tempus eorum in sæcula.
17. Et cibavit eos ex adipe frumenti, et de petra melle saturavit eos.

[1] Gen. XLI, 29.
[2] Exod. XVII, 5.
[3] Exod. XX, 3.
[4] Act. XIV, 15.
[5] Baruch, III, 13.

IN PSALMUM LXXX

COMMENTARIUS.

1 *Pro torcularibus, ipsi Asaph, quinta sabbati*[1].

« *Exsultate Deo adjutori nostro.* » Hic est Psalmus octogesimus in toto libro, in secunda parte trigesimus. Continuatio autem ad præcedentem Psalmum sic haberi potest : In præcedenti Psalmo petiit adventum Christi Ecclesia sub metaphora venientis, hic tamquam videat venientem, et Ecclesiam consummantem, subjungitur bonorum invitatio, ut relictis mundanis, et infimis, ad æterna eleventur, et in Deum lætentur, et fit malorum redargutio terrenis adhærentium.

Psalmus hortatur fideles ut in summa lætitia Deo laudem dicant.

Hoc autem notatur in titulo Psalmi aliquantulum obscuri. Est enim talis : « *In finem pro torcularibus, ipsi Asaph, quinta sabbati :* » in quo notandum est, quod quinta sabbati, hoc est, die quinta

[1] Vulg. habet : « *In finem, pro torcularibus, Psalmus ipsi Asaph.* »

Dans ce cantique destiné à être exécuté *hal-haggittith*, Ps. VIII, 1, Asaph invite Israël à célébrer avec empressement une fête solennelle, et lui rappelle ses infidélités passées. De quelle fête est-il ici question ? 1° S'il faut en croire la tradition juive, que suit Eusèbe, il s'agirait de la fête des Trompettes. Le premier jour du mois de Tishri, le septième de l'année, par conséquent le mois sabbatique, on célébrait une fête solennelle annoncée au son du *shofar*, ℣. 4, Levit. XXIII, 24 ; Num. XXIX, 1 ; c'était le *iom ha-zikkaron*, le jour du souvenir, et plus tard dans la Mishna, le *rosh ha-shana*, le commencement de l'année civile. Le son des trompettes rappelait le grand bruit du Sinaï, Exod. XIX, 16, 19. Les juifs récitent encore ce psaume au premier jour de l'année civile. 2° Comme cette première adaptation passe sous silence la mention du jour de la pleine lune qui est faite au ℣. 4, plusieurs commentateurs, Hupfeld, Schegg, Thalhofer, Cook, etc., entendent le psaume à la fois de la fête des trompettes, à la néoménie, et de la fête des Tabernacles à la pleine lune du même mois, la première fête servant de préparation à la seconde. On oppose à cette hypothèse deux très graves objections. Tout d'abord il n'est point possible d'inviter tout le peuple à une fête joyeuse devant durer du premier au quinze de Tishri, parce que le dix de ce mois se célébrait un grand jeûne expiatoire pendant lequel il était prescrit « d'affliger son âme, » Levit. XXIII, 27-32. Ensuite, aux ℣℣. 5 et 6, le psalmiste rattache la fête dont il parle aux merveilles que fit le Seigneur pour tirer son peuple de la servitude, c'est une loi qui date des jours où Jéhova « fit irruption sur la terre d'Egypte. » Tous les sabbats rappelaient bien en partie cet événement, Deuter. V, 15, mais la fête consacrée à le célébrer solennellement ne pouvait être que la Pâque instituée en Egypte même. La fête des Tabernacles ne fut prescrite que plus tard au désert, et encore ne devait-on la célébrer que dans la terre promise. 3° Hengstenberg, Tholuck, Patrizi, Jennings, etc., reconnaissent en conséquence que le Psalmiste fait allusion à la fête de la Pâque. Delitzsch, qui était d'abord pour la seconde hypothèse, s'est rallié depuis à cette dernière. La sonnerie des trompettes n'était pas réservée exclusivement à la néoménie du septième mois ; elle était en usage en bien d'autres fêtes, Num. X, 10 ; elle pouvait donc retentir au premier jour du mois de Nisan, le premier mois de l'année religieuse, Exod. XII, 2.

A partir de cette néoménie qui annonçait la grande fête, on était en joie jusqu'à la fin de la semaine solennelle ; dès le dix du mois, il fallait se procurer l'agneau pour le festin pascal, et quatre jours après, on l'immolait. Les préparatifs de la solennité devaient nécessairement commencer assez longtemps à l'avance, soit pour ceux qui avaient à entreprendre le pèlerinage de Jérusalem, soit pour les habitants de la ville qui se disposaient à recevoir de nombreux étrangers. On comprend donc très bien l'invitation d'Asaph à célébrer par des chants joyeux la plus grande partie de ce mois.

Tholuck, Patrizi, M. Le Hir, etc. vont plus loin, et pensent que le psaume a été composé à l'occasion de la grande Pâque que fit célébrer Ezéchias, quand il restaura le culte divin au début de son règne, II Paralip. XXX. On ne peut apporter de preuves péremptoires en faveur de cette idée, mais il y a d'assez grandes présomptions pour l'appuyer. Le pieux roi,

fecit Dominus ex aquis aves ad altum elevatas, et pisces in infimis natantes, sicut habetur Genes. I, 21, 23. Notandum etiam, quod torcular materiale, ad hoc est ut pressura sui vinum separet ab acino in cellario patrisfamilias recondendum, et oleum similiter ab amurca, sic enim appellatur fæx olivarum. Bene ergo per torcularia particulares Ecclesiæ designantur, in quibus per pressuras tamquam pondere torcularis, boni tamquam vinum optimum eliquantur, et mali tamquam acinum relinquuntur. Boni tamquam aves in aquis baptizati ad alta evolant, malis in infimis, tamquam piscibus relictis : de quibus utrisque mentio fit in hoc Psalmo. De bonis invitando eos ad sublimiora, de malis eos redarguendo, quia diligunt infima.

Sensus ergo tituli est: Hic Psalmus subjectus editus « *pro torcularibus,* » id est, pro Ecclesiis, in quibus sunt vinum, et oleum in cellario æterno recondendum. Cantic. II, 4 : *Introduxit me rex in cellam vinariam, ordinavit in me charitatem.* Acinum et amurca tamquam fæces, projicienda in infernum, secundum illud Matth. XXV, 30 : *Servum inutilem ejicite in tenebras exteriores.* « *Ipsi Asaph* » est cantandus, id est, congregationi bonorum : ut a seipsa melius excitetur, et promoveatur. Apoc. XXII, 11 : *Qui sanctus est, sanctificetur adhuc.* Psal. LXXXIII, 8 : *Ibunt de virtute in virtutem.* « *Quinta sabbati:* » quia quod in eo continetur, quasi spectare videtur ad illud quod illa die factum est, scilicet quod aves et pisces de aquis, id est, baptizati, sunt divisi : illis ad summa tendentibus, his in infimis demersis : illi volucres cœli, isti pisces maris, secundum illud Psal. VIII, 9 : *Volucres cœli, et pisces maris,* etc.

Jam patet ex istis divisio. Psalmus iste dividitur in duas partes. Primo, invitantur boni ad lætandum in Domino, et in melius transeundum. Secundo, arguuntur mali de amore terrenorum, ibi, « *Audi populus meus.* »

In prima duo. Primo, bonos invitat ad laudem, et spiritualem lætitiam. Secundo, subjungitur laudis causa, ibi, « *Quia præceptum in Israel est.* »

In prima tria. Primo, monet exsultare et lætari in Christo corde. Secundo, etiam servire opere, ibi, « *Sumite Psalmum.* » Tertio, ipsum laudare ore, ibi, « *Buccinate.* »

In prima duo. Primo, invitat ad lætitiam. Secundo, modum lætitiæ determinat, ibi, « *Jubilate.* »

après avoir ouvert le temple abandonné sous l'impie Achaz, résolut d'inviter Ephraïm et Manassé, c'est-à-dire les habitants du royaume d'Israël à venir célébrer la solennité à Jérusalem, selon les prescriptions de la loi. Beaucoup se moquèrent des envoyés du roi de Juda, mais d'autres se rendirent à son appel, II Paral. XXX, 1, 10, 11. Ezéchias qui, pour la réouverture du temple, avait fait chanter les cantiques de David et d'Asaph le voyant, II Paral. XXIX, 30, demanda au descendant de ce dernier de composer un chant de circonstance à l'occasion de la Pâque solennelle dans laquelle il voulait réunir tous les enfants de Jacob. C'est ce qui expliquerait que le psalmiste parle plus spécialement de Joseph, le père des deux principales tribus schismatiques. La fin du psaume semble bien être l'écho de la réponse reçue par Ezéchias. Israël est abandonné à sa volonté perverse, et voué sans défense aux ennemis qui vont bientôt l'assaillir et l'emmener en esclavage.

L'application spirituelle du psaume est fort claire : que le chrétien s'attache au culte de Dieu en esprit et en vérité, et Dieu le défendra contre les ennemis de son salut, surtout par la grâce des divins sacrements.

L'Eglise se sert de ce psaume dans l'office du Saint-Sacrement, à cause du ℣. 17. « En le récitant, nous remercions Dieu tout d'abord de la grâce du baptême (℣℣. 1-7), puis nous nous éprouvons nous-mêmes (℣℣. 8-13), afin de voir si notre attachement à Dieu est assez ferme pour nous rendre dignes de son secours contre les ennemis de notre salut, et des délices de la douce nourriture de la table du Seigneur ». Talhofer.

H. LESÊTRE.

2 Prima pars Psalmi.

Dicit ergo : Sic veniet, et vineam perficiet : et propter hoc o justi? « *exsultate,* » non congaudentes mundo, et ejus vanitatibus. Osee, IX, 1 : *Noli lætari Israel, noli exsultare sicut populi,* sed « *Deo,* » et in Deo, secundum illud Isa. XLI, 16 : *Exsultabis in Domino, in sancto Israel lætaberis.* Jerem. XXXI, 7 : *Exsultate in lætitia Jacob,* id est, in Deo, quod est bene pugnantium, et diabolum supplantantium lætitia. Et hoc non cuicumque Deo, sed « *adjutori nostro.* » Psal. LXI, 9 : *Deus, adjutor noster in æternum.* « *Adjutori,* » inquam, ad bonum cogitandum, II ad Cor. III, 5 : *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis,* etc. Et ad volendum cogitatum, Ad Philip. II, 13 : *Operatur in vobis et velle, et perficere, pro bona voluntate.* Et ad loquendum volitum, Matth. X, 20 : *Non vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* Et tandem ad operandum, Isa. XXVI, 12 : *Omnia opera nostra operatus es nobis Domine.* Joan. XV, 5 : *Sine me nihil potestis facere.*

Deus adjutor ad bonum cogitandum, volendum, et operandum.

« *Jubilate.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Dixi, « *Exsultate,* » si quæritis quomodo ? Addo modum : « *Jubilate,* » sic corde lætando, ut necesse sit laudem promere, « *Deo Jacob* » specialiter dilecti, cum Esau reprobaverit. Malach. I, 2 et 3 : *Dilexi Jacob : Esaü autem odio habui.* Isa. XLIV, 23 : *Jubilate extrema terræ,... quoniam redemit Dominus Jacob.* Zach. IX, 9 : *Exsulta satis filia Sion, jubila filia Jerusalem.* Sophon. III, 14 : *Jubila Israel : lætare, et exsulta in omni corde filia Jerusalem.*

3 « *Sumite psalmum.* » Hic secundum, in quo monet ei servire opere : et dicuntur quatuor. Primo, monet ad bonam operationem. Secundo, ad propriæ carnis mortificationem, ibi, « *Et date tympanum.* » Tertio, ad hilaritatem in bona operatione, ibi, « *Psalterium.* » Quarto, ad lætam patientiam in adversitate, ab exteriori, ibi, « *Cum cithara.* »

Dicit ergo : Sic exsultate corde, et etiam « *sumite* » in manibus propriis, « *psalmum* » bonæ operationis. Joan. VI, 27 : *Operamini non cibum qui perit.* Eccle. IX, 10 : *Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare.*

« *Et date tympanum,* » mortificationis carnis : tympanum enim fit de pelle mortua. Ad Coloss. III, 5 : *Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram.* Exod. XV, 20 : *Sumpsit ergo Maria soror Aaron, prophetissa, tympanum in manu sua.* Tympanum dabat qui dicebat, II ad Corinth. IV, 10 : *Mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes.* Et in illo percutiebat, I ad Cor. IX, 27 : *Castigo corpus meum, et in servitutem redigo.*

« *Psalterium.* » Suppe, sumite, sed « *jucundum,* » ut exsultetis in bona operatione, agentes bona, et carnem mortificantes, non cum tristitia sicut hypocritæ. Matth. VI, 16 : *Cum jejunatis, nolite fieri sicut hypocritæ, tristes.* Et hoc « *cum cithara,* » cum læta patientia : cithara enim tacta dulcem reddit sonum : sic vincitur penitus inimicus. Isa. XXX, 32 : *Et erit transitus virgæ fundatus, quam requiescere faciet Dominus in tympanis et citharis : et in bellis præcipuis expugnabit eos.* Isa. XVI, 11 : *Venter meus ad Moab quasi cithara sonabit.*

Aliter legit Glossa : « *Sumite Psalmum,* » id est, bona spiritualia, « *et date tympanum,* » id est, temporalia danti vobis spiritualia. Ad Galat. VI, 6 : *Communicet autem, is qui catechizatur verbo, ei qui se catechizat, in omnibus bonis.* I ad Cor. IX, 11 : *Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est si carnalia vestra metamus.* Ad Philip. IV, 15 : *Nulla mihi Ecclesia communicavit in ratione dati et accepti, nisi vos soli.* Quod autem subditur, « *Psalterium jucundum,* » refertur ad hoc quod dixit, « *Sumite Psalmum :* » spiritualia enim debent in lætitia recipi. Quod ait,

« *Cum cithara,* » ad illud referendum est, « *Date tympanum.* » Eccli. xxxv, 11 : *In omni dato hilarem fac vultum tuum.* I ad Cor. ix, 7 : *Hilarem datorem diligit Deus.*

4 « *Buccinate.* » Hic est tertium, in quo monet ipsum laudare ore : in quo tanguntur tria. Invitatio ipsorum ad laudem oris. Secundo, determinatio temporis in generali, ibi, « *In Neomenia.* » Tertio, declaratio in singulari de ipsa die, ibi, « *In insigni die.* »

Dicit ergo : Sic corde, sic opere Deum honorate, et etiam « *buccinate tuba,* » ore exsultate. Instrumentum enim hoc ad buccam pertinet : et inde dicitur, Osee, v, 8 : *Clangite buccina in Gabaa, tuba in Rama.* Et hoc « *in Neomenia,* id est, in nova luna. Νέος *novum,* μήνη *luna.* Ad litteram præceptum erat Judæis (Levit, xxiii, 24, et Num, xxix, 1) quod in nova lunatione Septembris, septem diebus tuba clangerent [1] : et dicunt istam institutionem fuisse in memoriam liberationis Isaac a morte, et immolationis arietis pro illo. Et ob hoc in cornu arietis fortiter buccinabant.

« *In insigni.* » Hic specificat ipsum diem. Quasi diceret : Sic buccinate, et in nova luna, et hoc potissime facite « *in insigni die solemnitatis vestræ,* » quæ erat forte Sabbatum, quod erat infra illos septem dies.

Thema pro festo Nativitatis B. Virginis.

Et nota, quod potest esse thema in Nativitate beatæ Virginis. Ipsa enim est luna, Cant. vi, 9 : *Quæ est ista, quæ progreditur,... pulchra ut luna :* quæ noctem illuminat subtracto sole : et ipsa non deserit peccatorem, sed cordi ejus lucem impetrat, ut videat. Genes. i, 16 : *Fecit Deus duo luminaria : luminare majus,* etc. Item, luna dicitur quasi *lucens una,* excedit enim alia in claritate luminaria : et hæc omnes sanctos. Prov. xxxi, 29 : *Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu supergressa es universas.* Item, quo plus appropinquat soli, minus se ostendit : hoc sciunt Astrologi. Sic Maria in quantum Soli justitiæ magis propinquavit in tantum ut mater diceretur, plus se humiliavit, et quasi abscondit. Luc. i, 38 : *Ecce ancilla Domini,* etc. Sed hæc luna nova illuxit, quando nata fuit, scilicet mense Septembri, qui est mensis omnis plenitudinis, et separatus ab imbre : et ipsa septem gratiis Spiritus sancti repleta, nata est, reddentibus illam ab imbre peccati immunem. Luc. i, 28 : *Et ingressus Angelus ad eam, dixit : Ave gratia plena.* Tritico plena fuit, Cant. vii, 2 : *Venter tuus sicut acervus tritici, vallatus liliis.* Et ibidem : *Umbilicus tuus crater tornatilis, numquam indigens poculis.* Ecce frumentuum et vinum, quibus sumus stabiliti, Genes. xxvii, 37 : *Frumento et vino stabilivi eum.* In hac ergo luna mensis Septembris tubicinandum est tuba prædicationis. Ipse enim prædicator est tuba. Isa. lviii, 1 : *Quasi tuba exalta vocem tuam.* Et debet esse argentea per sonum, et munditiam. Num. x, 2 : *Fac tibi duas tubas argenteas.* Nec debet sonare ex se, sicut nec tuba, sed ex statu, id est, ex instigante Spiritu sancto. Matth. x, 20 : *Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus Patris vestri,* etc. Item, invitare debet ad bellum contra diabolum, ad festum gaudiorum æternorum, ad audiendum divinum præceptum, ad convivium æternarum epularum.

« *Quia præceptum in Israel.* » Hic postquam invitavit ad lætitiam in Deo, 5

[1] Levit. xxiii, 24 : *Loquere filiis Israel : Mense septimo, prima die mensis, erit vobis sabbatum, memoriale, clangentibus tubis, et vocabitur sanctum.* Numer. xxxix, 1 : *Mensis etiam septimi prima dies venerabilis et sancta erit vobis : omne opus servile non facietis in eo, quia dies clangoris est et tubarum.*

et laudem, subjungit causam, quare lætandum : et hanc multiplicem. Primo, propter præceptum. Secundo, propter judicium, quod fiet bonum facientibus, ibi, « *Et judicium.* » Tertio, propter significatum, ibi, « *Testimonium in Joseph.* » Quarto, propter fructum inde consequentem, ibi, « *Divertit ab oneribus.* »

Dicit ergo : Sic exsultate, et buccinate, et hoc debetis, « *quia præceptum est* » a Domino per Moysem [1], Et in Psal. CXLVIII, 6 : dicitur : *Præceptum posuit*, scilicet Deus, *et non præteribit* illud populus Dei. Deut. VI, 3 : *Audi Israel, et observa, ut facias quæ præcepit tibi Deus.* Et hoc « *in Israel,* » id est, Judæis, quibus data est lex, non Gentibus. Jerem. XXXI, 33 : *Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam* [2].

« *Et judicium Deo Jacob,* » super ipsum Jacob, si non fecerit præceptum. Ad Rom. II, 2 : *Scimus quoniam judicium Dei est secundum veritatem in eos qui talia agunt.* Judicabuntur enim secundum legem, qui ipsam susceperunt : *quicumque autem sine lege peccaverunt, sine lege peribunt* (Ad Rom. II, 12 .) Deus etiam Jacob potest dici Deus de Jacob secundum carnem natus, Filius scilicet Dei, cujus erit judicare, Joan. V, 22 : *Pater omne judicium dedit Filio.*

6 « *Testimonium in Joseph.* » Hic tertium, quod propter testimonium : in quo tanguntur tria. Datio præcepti in testimonium, et tempus dandi, ibi, « *Cum exiret de terra.* » Et modus, ibi, « *Linguam.* »

Dicit ergo : Sic præcepit, sic judex erit, et etiam « *posuit illud,* » præceptum scilicet de solemnitate facienda hoc modo, « *in Joseph,* » hoc est, in Judæis de Joseph descendentibus : « *testimonium,* » rei scilicet postmodum faciendæ in spirituali Joseph, scilicet in Ecclesia de Gentilitate. Deut. IV, 1 : *Et nunc Israel audi præcepta et judicia, quæ ego doceo te*, . Et David propter hoc dicit, Psal. CVVIII, 167 : *Custodivit anima mea testimonia tua,* præcepta scilicet in testimonium mihi data. Sed quando ? « *Cum exiret,* » supple, Joseph, gens scilicet Judæorum, « *de terra Ægypti.* » Psal. CXIII, 1 : *In exitu Israel de Ægypto.*

« *Linguam, quam non noverat,* » numquam antea audierat, « *audivit,* » Dominum scilicet loquentem Moysi, et præcepta dantem [3]. Per Joseph, qui interpretatur *accrescens*, Intelligitur Ecclesia Gentium, quæ per totum mundum crevit in immensum dilatata. Psal. LXXI, 8 : *Et dominabitur a mari*, etc. Huic in testimonium æternæ solemnitatis datur solemnitas temporalis. Exod. III, 15 : *Et hoc memoriale meum in generatione et generationem.* Sed hoc cum exit de terra Ægypti, de tenebrositate scilicet peccati. Deut. XXXIII, 18 : *Lætare Zabulon in exitu tuo*, scilicet de peccato.

Dantur et æterna testimonia egressionis ipsius de Ægypto, scilicet ista, gaudium et patientia in tribulatione, facilitas et hilaritas in bona operatione, æternæ felicitatis prægustatio, secretorum Dei cognitio. Mich. VII, 15 : *Secundum dies egressionis tuæ de terra Ægypti ostendam ei mirabilia.* Tunc audit linguam quam non audierat, Deum secum dulcissime confabulantem. Osee, II, 14 : *Ducam eam in solitudinem, et loquar ad cor ejus.* Isa. XXVIII, 11 : *In loquela labii, et lingua altera loquetur ad populum istum.* Sophon. III, 9 : *Reddam populis labium electum.*

[1] Cf. Levit. XXIII, 24 et Numer. XXIX, 1.
[2] Cf. ad Hebr. X, 16.
[3] Cf. Exod. XIX et XXIV.

7 « *Divertit ab oneribus.* » Hic quartum. Probat a fructu, et utilitate consequente adimpletionem mandati : in quo dicuntur duo. Primo, liberatio populi a Babylonica servitute. Secundo, provocatio ad liberationem, ibi, « *In tribulatione.*

In prima duo. Primo, liberatio ab hoc onere. Secundo, laboris specificatio, ibi, « *Manus ejus in cophino.* »

Dicit ergo : Sic dedit præceptum quod fuit testimonium illi populo : et Dominus propter præceptum implendum, « *divertit dorsum ejus ab oneribus,* » ut jam non portaret illa. Exod. I, 11 et II, 23, Et filii Israel serviebant Ægyptiis apportantes lutum et lateres et paleas ad construendum civitates[1]. Sed numquid onera portaverunt? Ita. «*Manus ejus,* » scilicet populi, « *in cophino servierunt,* » instrumento quo portatur lutum, sicut habetur Exod. I, 11 et V, 4 et seq. Suos autem quos Dominus fecit exire de Ægypto, quibus testimonium dat, divertit ab oneribus peccati et iniquitatis : de quibus oneribus, Jer. XVII, 21 : *Nolite portare pondera in die sabbati.* Et in Psal. XXXVII, 5 : *Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, et sicut onus grave,* etc. Et Isa. LVIII, 6 : *Et omne onus disrumpe.* Matth. XI, 28 : *Venite ad me omnes qui laboratis, et onerati estis.* Et a servitute vili eripit, de qua Joan. VIII, 34 : *Qui facit peccatum, servus est peccati.*

8 « *In tribulatione mea.* » Hic est secundum, provocatio ipsius Domini ad liberationem : et sunt duo provocativa. Primo, oratio eorum. Secundo, probatio orantium per tribulationem, ibi, « *Probavi te.* » In prima duo. Primo, probatio eorum in aperta tribulatione. Secundo, etiam in abscondito, ibi, « *Exaudivi te in abscondito.* »

Dicit ergo : Sic divertit ab onere, eruit a vili servitute : et mutat personam, ut quasi Deus loquatur : et, o tu popule, hoc feci, quia « *in tribulatione invocasti me.* » Sicut patet, Exod. II, 23. Isa. XXVI, 16 : *Domine, in angustia requisierunt te.* Osee, VI, 1 : *In tribulatione sua mane consurgent ad me.* Joan. II, 8 : *Cum angustiaretur in me anima mea, Domini recordatus sum.*

« *Et liberavi te,* » sic clamantem. Exod. XIV, 30 : *Liberavit Dominus in die illa Israel de manu Ægyptiorum.* Psal. CXIX, 1 : *Ad Dominum cum tribularer, clamavi, et exaudivit me.* I Machab. IV, 10 : *Et nunc clamemus in cœlum, et miserebitur nostri Dominus.*

« *Et exaudivi te in abscondita tempestatis,* » hoc est, in tempestate abscondita, quia ad litteram nec aperte audebant conqueri propter Ægyptios aggravantes manus suas super eos cum conquerebantur, sicut habetur, Exod. V, 4 et seq.

« *Probavi te apud aquam contradictionis.* » Num. XX, 10 : *Num de petra hac vobis aquam poterimus ejicere?* Vel, in bono melius : « *Probavi te apud aquam contradictionis,* » populos tibi in fide adversantes, quibus viriliter restitisti. I ad Cor. XI, 19 : *Oportet et hæreses esse, ut qui probati sunt, manifesti fiant.* Aqua etiam contradictionis est præsens tribulatio, cui a multis contradicitur, et a paucis consentitur. Et tamen aqua ista est fornax justorum et probatorum. Eccli. XXVII, 6 : *Vasa figuli probat fornax, et homines justos tentatio tribulationis.* Aquæ etiam contradictionis, quibus scilicet est contradicendum, sunt sermones adulationis, in quibus tamquam in fornace probatur homo. Prov. XXVII, 21 : *Quomodo probatur in conflatorio argentum, et in fornace aurum, sic homo ore laudantis.*

Quæ sint aquæ contradictionis?

[1] Exod. I, 11 : *Ædificaverunt urbes... Pharaoni, Phithom et Ramesses.*

9 Secunda pars Psalmi. « *Audi, populus meus.* » Hic est secunda pars totius Psalmi, in qua convertitur sermo ad malos, et admonentur ut ad Christum convertantur, quamvis non acquiescant : unde dicuntur quatuor. Primo, admonitio. Secundo, contemptus admonitionis, ibi, « *Et non audivit.* » Tertio, pœna et afflictio pro contemptu, ibi, » *Et dimisit eos.* » Quarto et ultimo, aggravatio contemptus eorum, ibi, « *Et cibavit.* »

In prima duo. Primo monet ad audientiam præceptorum Dei. Secundo, ad præceptoris laudem, vel peccatorum confessionem, ibi, « *Dilata os tuum.* »

In prima duo. Primo monet ut audiant. Secundo, causas addit quare audire debent, ibi, « *Quia contestabor tibi.* »

Dicit ergo : Sic monui bonos, ut exsultent in Domino, sed convertens sermonem dico : « *Populus meus* » ab aliis gentibus separatus, Deut. vii, 6 : *Elegit te Dominus Deus tuus, ut sis ei populus peculiaris.* « *Audi.* » Deut. vi, 3 : *Audi Israel, et observa, ut facias quæ præcepit tibi Dominus :* aliter non audieris. Prov. xxviii, 9 : *Qui declinat aures suas, ne audiat legem, oratio ejus erit exsecrabilis.* « *Audi* » patrem piissimum, præcepta justitiæ proferentem. Prov. i, 8 : *Audi, fili mi, disciplinam patris tui* « *Audi* » Doctorem justitiæ, regulas vitæ proferentem. Joel, ii, 23 : *Filii Sion exsultate, et lætamini in Domino Deo vestro : quia dedit vobis Doctorem justitiæ.*

« *Et testificabor tibi*[1].» Hic secundum, scilicet probatio quod debet audire. Primo, propter confirmationem virtutis. Secundo, propter consequentiam multiplicis utilitatis, ibi, « *Israel, si audieris me.* » Tertio, ratione auctoritatis, ibi, « *Ego enim sum Dominus.* » Quarto, ratione beneficentiæ et liberationis jam factæ, ibi, « *Quoniam eduxi te.* »

Dicit ergo : Sic audi, « *et contestabor te,* » id est, eorum quæ dicturus sum testis ero, ipse qui judex. Jerem. xi, 7 : *Contestans contestatus sum patres vestros, in die qua eduxi eos de terra Ægypti.* Et simili modo loquitur Petrus, II Petr. v, 12 : *Breviter scripsi : obsecrans et contestans.* Jerem. xxix, 23 : *Ego sum judex et testis, dicit Dominus Israel.*

« *Israel, si audieris me.* » Hic est secundum, ratio utilitatis sequentis, quæ est duplex. Primo, quia non finget sibi novum Deum. Secundo, quia nec adorabit ab aliis jamdiu factum, ibi, « *Nec adorabis.* » 10

Ait ergo : Sic audi, et debes, et etiam o « *Israel, si audieris me,* » mihi obediendo, « *non erit in te Deus recens,* » recenter fabricatus, et factus a te. Deuter. iv, 23 : *Cave nequando obliviscaris pacti Domini Dei tui, quod pepigit tecum, et facias tibi sculptam similitudinem, quæ fieri Dominus prohibuit.*

« *Neque adorabis Deum alienum,* » ab aliena gente factum. Gen. xxxv, 2 : *Abjicite deos alienos qui in medio vestri sunt.* Exod. xx, 3 : *Non habebis deos alienos coram me.* I Reg. vii, 3 : *Auferte deos alienos de medio vestri.*

« *Ego enim sum Dominus.* » Hic tertium. Ait enim : Audi, et debes audire : ego enim sum verissimo essendi modo. Exod. iii, 14 : *Ego sum qui sum :* quia esse meum omnino invariabile est, et immutabile. « *Ego sum Dominus Deus tuus.* « *Dominus,* » qui timendus : « *Deus,* » qui honorandus : « *tuus,* » qui amandus. « *Qui eduxi te de terra Ægypti.* » Ecce beneficium liberationis. Deut. v, 6 : *Ego Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, de domo servitutis.* 11

[1] Vulg. habet : « *Et contestabor te.* »

« *Dilata os.* » Ecce secundum, in quo subjungit admonitionem de confessione : et dicuntur duo. Admonitio, et ratio quare acquiescendum, ibi, « *Et implebo illud.* »

Dicit ergo : Sic audi, et postea « *dilata* » confitendo culpam propriam, et Dei laudem, « *os tuum,* » et confundetur inimicus. I Reg. II, 1 : *Dilatatum est os meum super inimicos meos.* Et proximus ædificabitur, sicut Paulus aperiebat, I ad Cor. VI, 11 : *Os nostrum patet ad vos,* instruendos et ædificandos, *o Corinthii.*

« *Et ego adimplebo illud,* » gratiam infundendo in animam, in tantum ut redundet per labia exterius. Cassiodorus : « Tunc sensus spirituali gratia repletur, « quando in laudes Domini os dilatatum « esse cognoscitur. » Eccli. XV, 5 : *Implevit illum* Dominus *spiritu sapientiæ et intellectus* : usque ad labia. Psal. XLIV, 3 : *Diffusa est gratia in labiis tuis.*

Et nota, quod prius dixit, quod eduxit eum de Ægypto quam ad apertionem oris, ipsum induceret. Quidquid aperit os in Ægypto, cito impletur vilibus, quia non videt. Luc. XV, 16 et 17 : Filius prodigus os implebat de siliquis porcorum, et tamen non satiabatur [1]. Prov. XIII, 25 : *Justus comedit, et replet animam suam : venter autem impiorum insaturabilis.*

12 « *Et non audivit populus.* » Hic secundum, scilicet contemptus populi et inobedientia. In prima duo. Primo, inobedientiæ culpa. Secundo, inobedientiæ magnitudo et vehementia, ibi, « *Et Israel.* »

Ait enim : Sed imperavi : « *et populus meus,* » hoc potest intelligi quantum ad minores, « *non audivit* » obediendo « *vocem meam.* » Jerem. XXV, 3 : *Locutus sum ad vos de nocte consurgens, et loquens : et non audistis* orationem meam. Et tamen in eodem, XI, 4, dicitur : *Audite vocem meam,... et eritis mihi in populum, et ego ero vobis in Deum.* Magnus fructus, et ex inobedientia magnum est damnum. Bernardus : « Magnum inobedientiæ vitium, « quo Angelus cœlum, homo paradi- « sum, Saul regnum, Salomon amorem « perdidit divinum. » Magna autem virtus, quando nihil habet de suo in prosperis. Bernardus : « Tanto majus habet « meritum, quanto minus habet propriæ « voluntatis admixtum. » Hieronymus : « Quantum propriæ voluntati subtraxe- « ris, tantum virtuti adjicies. »

Multiplex damnum inobedientia.

« *Et Israel,* » cui tantum beneficium contuli, quod Israel ipsum vocavi, « *non intendit mihi,* » tanto beneficio et tali. Zachar. VII, 11 : *Noluerunt attendere, et averterunt scapulam recedentem.* Et nota, quod vocem clamantis Dei non audivit Israel, id est, clerici Deum videntes. Primo, quia surdi sunt, Isa. XLII, 19 : *Quis surdus, nisi ad quem nuntios meos misi?* Et propter hoc in eodem, ℣. 18 : *Surdi audite, et cæci intuemini ad videndum.* Clerici aures obturant et tegunt amore peccati, timore satisfaciendi. Psal. LVII, 5 : *Sicut aspidis surdæ, et obturantis aures suas :* una in terra, amore scilicet terrenorum : alia in cauda, timore scilicet finiendi peccatum, et satisfaciendi, quia in tumultu sunt voluptatum et cogitationum tumultuantium. Ob hoc Dominus volens curare surdum, et mutum, eduxit illum extra turbam [2]. Quia non attendunt, sed aliis occupati sunt, sicut hic. Non sic surdi illi, de quibus Baruch, I, 3 : *Et legit Baruch verba libri hujus ad aures universi populi venientis ad librum.* Quia dormiunt in peccatis suis, Eccli. XXII, 9 : *Cum dormiente loquitur, qui enarrat*

Quare clerici non audiunt vocem Dei.

[1] Luc. XV, 16 : *Et cupiebat implere ventrem suum de siliquis quas porci manducabant, et nemo illi dabat.*

[2] Cf. Marc. VII, 33 : *Et apprehendens eum de turba seorsum, misit,* etc.

stulto sapientiam. Quia nesciunt intelligere linguam Dei, quæ non est de terra, sicut ipsi terreni sunt, Joan. III, 31 : *Qui est de terra, de terra est, et de terra loquitur.* Psal. LXXXI, 5 : *Nescierunt, neque intellexerunt.* Quia nolunt ex certa malitia, Hi sunt filii diaboli, de quibus Joan. VIII, 47 : *Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.* Psal. XXXV, 4 : *Noluit intelligere ut bene ageret.*

13 « *Et dimisi eos.* » Hic tertium hujus partis, scilicet pœna pro contemptu tanti beneficii. Et primo tangit pœnam damni, quæ est in amissione boni jam habiti. Secundo, pœnam sensus, ibi, « *Et erit tempus.* »

In prima duo. Primo, amissio boni jam habiti. Secundo, habendi, si per eos non stetisset, ibi, « *Si populus meus.* »

In prima duo. Primo, amissio et subtractio gratiæ conservantis eos. Secundo, effectus sequens ex amissione illa, ibi, « *Ibunt in adinventionibus suis.* »

Dicit ergo : Sic contempserunt vocem meam, « *et* » propter hoc « *dimisi eos,* » gratiam subtrahendo, « *secundum desideria cordis eorum,* » ut non refrænarent illa. Ad Rom. I, 24 : *Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum.* Desideria animam occidentia, secundum illud Prov. XXI, 25 : *Desideria occidunt pigrum.* Propter hoc dicit Petrus, I Petr. II, 11 : *Obsecro vos... abstinere vos a carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam.* Et hoc est magna indignatio et ira Dei. II Machab. VI, 13 : *Etenim multo tempore non sinere peccatoribus ex sententia agere, sed statim ultiones adhibere, magni beneficii indicium est.* Augustinus : « Magna ira Dei est peccantes non corrigere, non flagellare eum delinquentes. » Ezech. XVI, 42 : *Auferetur zelus meus a te, et quiescam, nec irascar amplius.*

Magna indignatio Dei, peccantes non corrigere.

« *Ibunt in adinventionibus.* » Hic secundum, effectus sequens ex dimissione. Quasi diceret : Sic dimisi, et ob hoc « *ibunt* » ad libitum, « *in adinventionibus suis* » degentes, et viventes, contra illud Eccli. XVIII, 30 : *Fili, post concupiscentias tuas non eas, et a voluntate tua avertere.* Et secundum illud Eccli. XXX, 8 : *Filius remissus* (fere dixisset dimissus) *evadet in præceps,* ruendo in peccatum. Adinventiones autem appellat peccatum, quæ contra Deum sunt. Isa. III, 8 : *Adinventiones eorum contra Dominum.* Sed Osee, XII, 2, dicitur : *Juxta adinventiones ejus reddet ei,* scilicet peccatum. Dicitur autem *adinventio,* quia non est factum, vel creatum a Deo, sed a diabolo, et homo adinvenit illud. Augustinus de *Eccles. Dog.* : « Malum a Deo non est creatum, nec « factum, sed a diabolo vel homine est « inventum. »

« *Si populus meus.* » Hic ostenditur amissio boni habendi si per eum non 14
stetisset : in quo dicuntur tria. Primo, quasi causa ad beneficium cum conditione. Secundo, beneficium, ibi, « *Pro nihilo.* » Tertio, destructio causæ, ibi, « *Inimici.* »

Causa autem tangitur duplex. Primo, inobedientia minorum. Secundo, majorum, ibi, « *Israel.* »

Dicit ergo : Sic dimisi eos, et etiam aliud damnum : quia « *si populus meus,* » minores scilicet in Judæis, « *audisset me,* » clamantem per Baruch, III, 9 : *Audi, Israel, mandata vitæ,* scilicet Dei. « *Et si Israel,* » majores scilicet in Judæis, « *ambulasset in viis meis,* » id est, in mandatis et præceptis quibus itur ad vitam. Matth. XIX, 17 : *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Baruch, III, 13 : *Si in via Dei ambulasses, habitasses utique in pace sempiterna.*

15 « *Pro nihilo forsitan.* » Ecce beneficium secutum, scilicet inimicorum dejectio sive humiliatio. Secundo, humiliatorum afflictio et tribulatio, ibi, « *Et super tribulantes.* »

Dicit enim : Si hoc fecissent, humiliassem inimicos eorum, et hoc « *pro nihilo,* » id est, gratis. Vel, « *pro nihilo,* » id est, usque ad nihilum illos deducendo, secundum illud Psal. XIV, 4 : *Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus.* Et alibi, Psal. LVII, 8 : *Ad nihilum devenient tamquam aqua decurrens.* Ezech. XXVI, 21 : *In nihilum redigam te, et non eris.* Zachar. X, 11 : *Humiliabitur superbia Assur.* Et hoc « *forsitan,* » nec est dubitativum, imo magis ironicum, vel derisorium.

« *Et super tribulantes eos,* » opere : inimici enim magis dicuntur, qui odiunt corde : « *misissem manum meam,* » ipsos tribulando. Deut. XXVIII, 7 : *Dabit Dominus inimicos tuos, qui consurgent adversum te, corruentes in conspectu tuo.* Exod. XV, 12 : *Extendisti manum tuam, et devoravit eos terra.* II Mach. I, 28 : *Afflige opprimentes nos, et contumeliam facientes in superbia.*

16 « *Inimici Domini.* » Hic tertium, destructio causæ.

Quasi diceret : Si obedissent, sic fecissem : sed numquid obedierunt? Non, imo « *inimici Domini mentiti sunt,* » in omnibus quæ promiserant se servaturos. Qui sunt inimici, dicit Jacob. IV, 4 : *Quicumque voluerit amicus esse sæculi hujus, inimicus Dei constituitur.* Hi Domino mentiuntur. Psal. XVII, 46 : *Filii alieni,* id est, alienati, *mentiti sunt mihi.* Act. V, 3 : *Cur satanas tentavit cor tuum, mentiri te Spiritui sancto?* Mentiti sunt verbo promittentes in baptismate, quod non solverunt in opere. Jerem. XXXIV, 18 : *Non observaverunt verba fœderis.* Sed Ezech. XVII, 15, dicitur : *Qui dissolvit pactum, numquid effugiet?* Et Jerem. XI, 10 : *Irritum fecerunt domus Israel et domus Juda pactum meum, quod pepigi cum patribus eorum.* Mentiti sunt facto, sicut illi qui etsi ore teneant fidem, facto tamen impugnant. Ad Tit. I, 16 : *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant.* Psal. LXI, 10 : *Mendaces filii hominum,* non tantum in verbis, sed *in stateris.* Alii mentiuntur signo, sicut hypocritæ, qui prætendunt signa sanctitatis, cum interius nulla sit : qui possunt dicere illud Isa. XXVIII, 15 : *Posuimus mendacium spem nostram, et mendacio protecti sumus.*

Multis modis homines Domino mentiuntur.

« *Et erit tempus.* » Hic tangitur pœna sensus.

Ait enim : Sic punientur pœna damni, quia mendaces. « *Et etiam tempus eorum,* » in quo affliguntur, erit « *in sæcula* » illa æterna. Isa. LXVI, 24 : *Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non exstinguetur.* Matth. XXV, 41 : *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum.* Vel tempus dicit variationem pœnæ. Quasi diceret : Variatio illorum a pœna in pœnam erit in sæcula, sicut supra Job, XXIV, 19 : *Ad nimium calorem transeat ab aquis nivium.* Apocalyps. XX, 9 et 10 : *Bestia et pseudopropheta cruciabuntur die ac nocte in sæcula sæculorum.*

Sed contra, Apocal. X, 10 : *Juravit per viventem in sæcula sæculorum : Quia tempus non erit amplius.* Respondeo. Tempus non erit per mensuram motus primi mobilis ad generationem et corruptionem rerum ordinati : sed tempus erit secundum quod sonat in mensuram mutationis et varietatis. Si autem opponatur contra hoc quod dicit, quod tribulabuntur die ac nocte. Ergo cum dies et nox sint per circuitum solis, adhuc tunc circuibit. Dicendum, quod dies appellatur perpetua illuminatio beatorum et regionis superioris, nox vero perpetuæ tenebræ damnatorum. Affligentur ergo mali die, quia carebunt illa : affligentur nocte, quia erunt in illa.

17 « *Et cibavit eos.* » Hic quartum, in quo subjungitur contemptus aggravatio per recordationem beneficiorum maxime notabilium, quæ tanguntur duo. Cibatio illorum manna, et potatio aqua dulcissima, ibi, « *Et de petra.* »

Dicit ergo : Sic contempserunt et mentiti sunt Deo, et tamen Dominus « *cibavit,* » id est, cibaverat, « *illos ex adipe frumenti,* » id est, Manhu, quod ita delicatum erat sicut adeps frumenti [1]. Et satiavit, vel saturavit eos melle, et potavit aqua dulcissima, et suavi sicut mel profluenti de petra [2]. Vel potest referri ad bonitatem terræ, in qua duxit eos, quæ abundabat in tritico delicato, caseo, et in melle, in tantum quod de rupibus videretur affluere, in quibus apes mellificabant. Deut. XXXII, 13 et 14 : *Constituit eum super excelsam terram, ut comederet fructus agrorum, ut sugeret mel de petra, oleumque de saxo durissimo :... et hircos cum medulla tritici.*

Spiritualiter autem hoc improperatur Clericis, et Theologis, maxime autem sacerdotibus. Sacerdotes enim satiat adipe frumenti in altaris sacramento. Psal. LXII, 6 : *Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea.* Et alibi, Psal. CXLVII, 14 : *Adipe frumenti satiat te.* Scholares autem satiat melle dulcissimo sapientiæ. Proverb. XXV, 16 : *Fili, mel invenisti, comede quod sufficit tibi.* Extende sicut Jonathas summitatem virgæ acumen mentis tuæ, et gusta, et illuminabuntur oculi tui, sicut sui [3], melle profluente de petra Christo, de quo I ad Corinth. X, 4 : *Petra autem erat Christus.*

Et bene dicitur « *mel* » divina sapientia. Mel enim mundificat : sic sapientia Dei. Joan. XV, 3 : *Jam vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis.* Conservat maxime fructus a corruptione : sic sapientia Dei. Prov. II, 11 et 12 : *Prudentia servabit te, ut eruaris a via mala.* Item, apostemata curat : sic scientia manans a Christo, superbiam evacuat, et humiliat. Psal. CXVIII, 75 : *In veritate tua,* supple, cognita, *humiliasti me.* Item, penetrat : sic sapientia Dei usque ad intima. Ad Hebr. IV, 12 : *Vivus est sermo Dei, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti.* Amaras potiones sui admixtione dulcorat : sic sapientia amaram pœnitentiam reddit dulcem. Hæc est farinula Elisei, quæ dulcoravit pulmentum [4]. Item, dulce est : nemo dubitat. Et Psalmista dicit in Psal. CXVIII, 103 : *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua !* Eccli. VI, 5 : *Verbum dulce multiplicat amicos.* Et est natura calidum : sic sapientia Dei. Jerem. XXIII, 29 : *Numquid non verba mea sunt quasi ignis,* etc. His ergo cibis interim suos Deus reficit : donec eos melle divinitatis suæ abundanter reficiat in patria illa, ad quam nos perducat qui est benedictus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Comparatio sapientiæ cum melle.

[1] Cf. Exod. XVI, 15.
[2] Ibid. XV, 25.
[3] Cf. I Reg. XIV, 27.
[4] Cf. IV Reg. IV, 39 et seq.

PSALMUS LXXXI.

Domini deorum terræ judex judices improbos arguit.

1. *Psalmus Asaph.*
Deus stetit in synagoga deorum: in medio autem deos dijudicat.
2. Usquequo judicatis iniquitatem, et facies peccatorum sumitis?
3. Judicate egeno et pupillo: humilem et pauperem justificate.
4. Eripite pauperem [1], et egenum de manu peccatoris liberate.
5. Nescierunt, neque intellexerunt: in tenebris ambulant: movebuntur omnia fundamenta terræ.
6. Ego dixi: Dii estis, et filii Excelsi omnes [2].
7. Vos autem sicut homines moriemini, et sicut unus de principibus cadetis.
8. Surge, Deus, judica terram, quoniam tu hæreditabis in omnibus gentibus.

IN PSALMUM LXXXI

COMMENTARIUS.

1 *Psalmus Asaph.* [3]

« *Deus stetit in synagoga.* » Hic est Psalmus octogesimus primus in libro toto, trigesimus primus in secunda parte libri. Cum enim in præcedenti Psalmo suos invitaverit ut terrenis contemptis, ad cœlestia eleventur, et malos redarguerit, quia jacent in infimis, et damna, quæ inde assequentur, ostenderit, consequenter in hoc Psalmo mirabilem eorum excæcationem ostendit, quod habentes præsentem salvatorem, vel præsentialiter instruentem, non cogno- **Argumentum Psalmi: Cæcitas synagogæ.**

[1] Prov. xxiv, 11.

[2] Joan. x, 34.

[3] Ce psaume est un appel à la justice de Dieu contre les juges iniques. Le texte ne donne aucun moyen de déterminer avec certitude l'époque à laquelle il fut composé. Pour Patrizi, c'est l'Asaph, contemporain de David, qui parle, car pour composer un psaume contre les juges iniques, il n'était pas nécessaire qu'en Israel tous les juges ou la plus grande partie d'entre eux fussent tels. Pour d'autres, le psaume est du temps de Josaphat. Ce pieux roi eut au début de son règne à réformer l'administration de la justice, et en établissant de nouveaux juges, il leur donna des conseils identiques à ceux que formule poétiquement notre psaume, II Paral. xix, 5-10. Jahaziel serait alors probablement l'auteur de ce psaume et du suivant (II Paral. xx, 15). M. le Hir descend jusqu'à l'époque d'Ezéchias, qui eut aussi à corriger les abus introduits sous l'impie Achaz. Dans cette dernière supposition, nous aurions harmonie parfaite entre les idées exprimées par Asaph et les conseils que nous lisons aux Proverbes, xxxi, 8, 9, et qui sont assez probablement adressés à Ezéchias par sa mère. Avouons toutefois qu'aucune de ces trois hypothèses n'est certaine.

Asaph appelle des *elohim* ceux à qui il s'adresse Que faut-il entendre par ce nom? 1° Génésius et quelques autres croient que ces *dieux* sont les princes idolâtres qui entourent Israël, supposition que le ℣. 6 rend absolument inadmissible. 2° Pour Hupfeld, Riehm, etc., ces *elohim* sont les Anges. Ceux-ci sont bien chargés du gouvernement du monde, mais la manière dont parle le psaume, s'il était possible de la leur appliquer, nous donnerait une médiocre

verunt, nec Deum crediderunt, sed tamquam purum hominem spreverunt, et abdicaverunt.

Et præponitur titulus communis : « *Psalmus Asaph.* » Hoc est : Hic Psalmus Synagogæ excæcatæ, Deum præsentialiter habenti et non cognoscenti competit, et ei est cantandus.

Dividitur autem Psalmus in duas partes. Primo monstratur Synagogæ excæcatio, quæ nec præsentem Dominum corporaliter, nec utiliter docentem cognovit. Secundo, imprecatio contra ipsam, ut Deus illam judicet, et affligat pro iis quæ commisit, ibi, « *Surge, Deus, judica terram.* »

In prima duo. Primo ostenditur sprevisse, et cognovisse præsentem. Secundo, docentem, ibi, « *Ego dixi.* »

In prima duo. Primo monstratur Dei præsentia, et arguuntur et monentur. Secundo, illorum excæcatio et ignorantia, ibi, « *Nescierunt.* »

In prima tria. Primo, prophetat ejus præsentiam, loquens de ea tamquam de jam exhibita. Secundo, increpat Synagogam contemnentem ejus præsentiam, ibi, « *Usquequo judicatis ?* » Tertio, monet ad judicii rectitudinem, ibi, « *Judicate egeno.* »

In prima duo. Primo, prædicat Dei præsentiam futuram in medio Judæorum. Secundo, innuit præsentem utilitatem et virtutem, ibi, « *In medio autem.* »

Dicit ergo : Sic vos boni exsultetis in Deo, et mali confundantur in seipsis, terrenis adhærentes, quia « *Deus* » ipse per propriam præsentiam in humanitate « *stetit.* » **Prima pars Psalmi.**

Notandum autem, quod Deus stat per divinitatis immutabilitatem. boetius, **Deus multipliciter stare dicitur.**

Stabilisque manens dat cuncta moveri.

Luc. xviii, 40 : *Stans autem Jesus, jussit cæcum adduci ad se.* Glossa, « Stat ut Deus. » Stat per judicii executionem, secundum illud Isa. iii, 13 : *Stat ad judicandos populos Dominus.* Stat ad intima cordis per ipsius exspectationem ad bonum, Apocalyps. iii, 20 : *Sto ad ostium, et pulso : si quis aperuerit mihi,* etc. Stat per naturæ immortalis incorruptionem, Joan, xxi, 4 : *Stetit Jesus in littore* maris. Per auxilii promptitudinem, Act. vii, 55 : *Video cælos apertos,* dixit Stephanus, *et Filium hominis stantem,* etc. Stat per præsentiæ exhibitionem in carne, secundum quod hic dicitur, « *Deus* ergo *stetit in synagoga.* » Nota secundum Augustinum, quod « est congregatio,

idée de leur administration ; ou bien il faudrait supposer qu'Asaph, à quelque temps qu'il vécût, avait des notions plus qu'étranges sur ces intelligences célestes. Les Anges sont appelés fils de Dieu par Job, i, 6, comme ils le seraient dans le psaume, ℣. 6, mais nulle part dans la Bible ils ne portent, le nom d'*Elohim.* Enfin Notre-Seigneur citant le ℣. 6, ajoute : Εἰ ἐκείνους εἶπε θεοὺς, πρὸς οὓς (à qui ou contre qui) ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ ἐγένετο, καὶ οὐ δύναται λυθῆναι ἡ γραφή. Joan. x, 35. En faisant observer ici que l'Ecriture ne peut être esquivée, le divin Maître suppose que le texte offre quelque chose d'extraordinaire : il est étonnant en effet que les hommes soient appelés « dieux, » il ne le serait point que ce nom fût donné à des Anges. Si de plus le Psaume s'appliquait à eux, l'argumentation de Notre-Seigneur, perdrait presque toute sa force. Les Juifs lui reprochent de prendre le nom de Dieu ; le Sauveur répond en montrant que ce nom est donné à des hommes par l'Ecriture. Si les *elohim* du psaume étaient des Anges, les Juifs auraient répliqué à Notre-Seigneur qu'en prenant ce nom, il s'attribuait ce qui n'appartenait point à la nature humaine. Ils ne le firent point malgré leurs dispositions malveillantes. 3° Pour toute la tradition juive et chrétienne, ces *elohim* sont les juges déjà appelés de ce nom, Exod. xxi, 6, xxii, 8. « Judæorum principes, utpote quibus judicandi officium commissum erat, *deos* nominavit. Eodem modo lex etiam ipsos vocat. » Theod.

La leçon s'adresse à tous ceux qui, sous la loi nouvelle, ont à exercer une autorité soit temporelle, soit spirituelle.

H. Lesêtre.

« et convocatio, et synagoga, et Eccle-« sia. » Congregatio est quorumcumque animalium et rerum adunatio, convocatio vero rationabilium, sed synagoga rationabilium, sub lege timoris viventium, Ecclesia sub lege gratiæ et amoris. « *In synagoga stetit deorum,* » id est, Judæorum, qui dicuntur dii quadam adoptionis prærogativa, sicut infra dicetur, ℣. 6 : « *Ego dixi : Dii estis,* etc. » Vel deos dicit majores Judæorum, et prælatos eorum, inter quos frequenter stetit. Exod. XXII, 28 : *Diis non detrahes* : debent enim esse toti deiformes, et conformes Deo, per legis scientiam, et vitam, et gratiam.

« *In medio autem.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Stetit in synagoga, et ad quid? Ecce, « *in medio,* » supple, existens, « *dijudicat,* » id est, discernit in judicio discretionis. « *Dijudicat,* » de quo alibi, in Psal. XLII, 1 : *Judica me, Deus, et discerne,* etc. « *Deos,* » id est, Judæos, vel Judæorum majores, et prælatos, hos faciens vasa gloriæ in honorem, alios vasa vilitatis in contumeliam [1]. Non quia hoc meruerunt qui fiunt vasa gloriæ in honorem, sed hoc tantum ex gratia. I ad Corinth. IV, 7 : *Quid habes quod non accepisti ?* Jacob. I, 17 : *Omne datum optimum, et omne donum perfectum, desursum est,* etc. Joan. IX, 39 : *In judicium ego in hunc mundum veni : ut qui non vident,* etc. Libenter autem est in medio, sicut alibi dictum est, et maxime deorum, scilicet hominum spiritualium, et Deo fidelium. Matth. XVIII, 20 : *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.*

2 « *Usquequo judicatis ?* » Hic secundum, in quo monstrata Dei præsentia, arguitur Judæorum perversitas, et malitia. Et primo, in majoribus ipsum purum hominem judicantibus. Secundo, in minoribus majoribus assentientibus, ibi, « *Et facies.* »

Ait ergo : Sic Deus stetit in medio : et vos judices populi « *judicatis iniquitatem,* dicentes ipsum hominem purum, et non Deum. Isa. V, 7 : *Exspectavi ut faceret judicium,* judicando de me rectum, sicut est, *et ecce iniquitas.* Mich. III, 9 : *Audite hoc, judices domus Israel, qui abominamini judicium, et omnia recta pervertitis.* « *Et* » vos minores, « *sumitis facies,* » id est, similitudines, « *peccatorum,* » id est, majorum vestrorum, quos imitamini occidendo Christum, et petendo ut interficiatur : hic est enim unus modus sumendi faciem. Sumunt etiam facies in personarum acceptione, quando propter exteriora aliquis honoratur. Proverb. XXVIII, 21 : *Qui cognoscit in judicio faciem, non bene facit.* In sanctitatis simulatione. Malach. II, 9 : *Non servastis vias meas, et accepistis faciem in lege.* In peccatorum perpetratione : in injustitia enim faciem accipit, qui iniquitatem facit. Nahum, II, 10 : *Facies omnium eorum sicut nigredo.* In malorum imitatione, sicut accipitur hic. Eccli. IV, 26 : *Ne accipias faciem adversus faciem tuam.* Sed hoc usquequo? In Psal. IV, 4, supra : *Filii hominum, usquequo gravi corde ?*

« *Judicate egeno.* » Hic tertium, scilicet in quo monet argutos : et dicuntur tria. Primo, monet de Christo recte in corde sentire. Secundo, hoc ipsum confiteri ore, ibi, « *Pauperem et humilem.* » Tertio, opere demonstrare, ibi, « *Eripite pauperem.* » 3

Dicit ergo : Sic male judicatis, et majores et minores, sed moneo, « *judicate egeno,* » id est, ad honorem egeni facti propter vos, Christi scilicet.

[1] Ad Roman. IX, 21 : *Annon habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam?*

II ad Corinth. VIII, 9 : *Quoniam propter vos egenus factus est, cum esset dives in omnibus.*

« *Et pupillo,* » id est, Christo, qui in terris fuit sine patre, cum tamen matrem habuerit. Exod. XXII, 22, præceptum erat eis : *Pupillo nan nocebitis.* Et arguuntur super hoc, Isa. I, 23 : *Pupillo non judicant,* ipsi Christo : *et causa viduæ,* id est, Ecclesiæ, *non ingreditur ad illos.*

Nec tantum sic judicetis corde, imo « *humilem* » spiritu, « *et pauperem* » rebus, ipsum scilicet Christum, qui talis fuit, « *justificate,* » justum prædicate. Humilis fuit, Matth. XI, 29 : *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde.* Pauper, Matth. VIII, 20, et Luc. IX, 58 : *Vulpes foveas habent, et volucres cœli nidos : Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.* Hic justificandus justus, prædicandus justus, Jerem. XXII, 6 : *Et hoc est nomen, quod vocabunt eum, Dominus justus noster.* Propter quod intulit, Matth. XI, 19 : *Justificata est sapientia a filiis suis.* Sed a malis? Non. Imo magis e contrario, mali justificantur, et boni condemnantur. Isa. V, 23 : *Væ qui justificatis impium pro muneribus, et justitiam justi aufertis ab eo.*

4 « *Eripite pauperem.* » Hic tertium, in quo monet hoc ipsum opere demonstrare : et dicuntur duo. Primo, monet ut Christum eripiant. Secundo, a quibus ipsum debent eripere, ibi, « *Et egenum.* »

Dicit ergo : Sic justum prædicate Christum, « *et* etiam *pauperem,* » Christum, « *eripite* » a morte. Proverb. XXIV, 11 : *Erue eos qui ducuntur ad mortem ; et qui trahuntur ad interitum liberare ne cesses.* Job, XXXVII, 15 : *Eripiet de angustia sua pauperem.*

« *Et egenum liberate de manu peccatoris,* » ipsum crucifigentis. Eccli. IV, 9 : *Libera eum, qui injuriam patitur de manu superbi.* Jerem. XXII, 3 : *Liberate vi oppressum de manu calumniatoris.*

« *Nescierunt neque intellexerunt.* » 5
Hic secundum illius partis, in quo ostenduntur non cognovisse præsentem : præmissa enim Christi præsentia, subjungitur hic illorum excæcatio et ignorantia : et dicuntur duo. Primo, excæcatio. Secundo, vehementia excæcationis, ibi, « *In tenebris.* »

In prima duo. Primo, quod nescierunt. Secundo, quod nec scire voluerunt, ibi, « *Neque intellexerunt.* »

Dicit ergo : Sic Deus stetit coram ipsis, et ipsi nescierunt eum esse Deum verum, et redemptorem suum. I ad Corinth. II, 8 : *Si enim cognovissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent.* Isa. XXVIII, 7 : *Præ vino nescierunt, et præ ebrietate erraverunt.*

« *Neque intellexerunt,* » id est, intelligere noluerunt. Intelligere enim est intellectum ad aliquid applicare. Psal. XXXV, 4 : *Noluit intelligere ut bene ageret.* Isa. XLIV, 18 : *Nescierunt, neque intellexerunt : obliti enim sunt ne videant oculi eorum, et ne intelligant corde.*

« *In tenebris ambulant.* » Hic tangit causam.

Quasi diceret : Sic nesciunt, nec scire volunt, quia « *ambulant* » suaviter et delectabiliter « *in tenebris* » miseriæ et culpæ. Joan. XII, 35 : *Qui ambulat in tenebris, nescit quo vadat.*

« *Movebuntur.* » Hic monstratur vehementia cæcitatis et ignorantiæ, maxime secundum secundam litteram, quæ est : « Sic in tenebris ambulant. » Et tamen « *fundamenta terræ* » ad litteram « *movebuntur,* » ipsis scientibus et videntibus, ipso patiente [1]. Job, IX, 6 :

[1] Matth. XXVII, 51 et seq.

Qui commovet terram de loco suo. Ipsis etiam excæcatis movebuntur « *fundamenta terræ,* » illi scilicet qui erunt in fundamento terrenitatis, scilicet Gentiles. Psal. LIX, 4 : *Commovisti terram, et conturbasti eam : sana,* etc. Fundamenta etiam terræ, in terrenis fundati, quæ sunt vana, movebuntur in fine valde crudeliter. Job, IV, 19 : *Qui terrenum habent fundamentum, consumentur velut a tinea.*

6 « *Ego dixi : Dii estis.* » Hic secundum primæ partis totius Psalmi, in quo postquam egit de præsentia, agit de doctrina. Duo ergo dicuntur, quæ illis proposuit. Primo, eorum dignitatem. Secundo tandem casum et miseriam, ibi, « *Vos autem sicut homines.* »

Dignitas monstratur in duobus : in conformitate cum Deo si voluerint, et justa regni exspectatione, ibi, « *Et filii.* »

Dicit ergo : Sic præsens fuit coram populo suo, et mutat personam introducens loquentem. Et cum « *ego dixi* » vobis, vel bonis specialiter, vel omnibus si vellent generaliter, « *Dii estis,* » id est, divini facti, et conformes Deo per gratiæ adeptionem. Si illos dixit deos, ad quos sermo Dei factus est, videtur tangere generis nobilitatem magnam, et excellentiam nominis hæreditatis, cum addit : « *Et filii Excelsis omnes.* » Joan. I, 12 : *Dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Exod. IV, 22 : *Filius meus primogenitus Israel.* Isa. I, 2 : *Filios enutrivi, et exaltavi : ipsi autem spreverunt me.* Ad Rom. IX, 8 : *Non qui filii carnis, hi filii Dei, sed qui filii sunt promissionis, æstimantur in semine.* Ad Rom. VIII, 17 : *Si autem filii, et hæredes : hæredes quidem Dei,* etc.

7 « *Vos autem sicut homines.* » Hic secundum. Præmissa enim excellenti eorum dignitate, subjungit de miseria et afflictione eorum : et tangitur duplex afflictio. Per temporalem mortem, sicut parentis primi. Per æternam damnationem, sicut diaboli, ibi, « *Et sicut unus.* »

Dicit ergo : Sic estis dii, et Dei filii : « *Vos autem moriemini,* » primi parentes morte temporali, « *sicut homines,* » quia nunc homines estis, ut sonet in corruptionem et culpæ et miseriæ, sicut I ad Cor. III, 3 et 4 : *Nonne carnales estis ?... nonne homines estis ?* Nec tantum moriemini, sed etiam in peccato, Joan. VIII, 21 : *Quæretis me, et non invenietis, et in peccato vestro moriemini.* Et sine spe ad gratiam redeundi, Prov. XI, 7 : *Mortuo homine impio, nulla erit ultra spes.*

« *Et sicut unus.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic moriemini, et post « *cadetis* » in infernum, « *sicut unus de principibus,* » dæmonibus scilicet, hoc est, irrecuperabiliter, sicut illi principes dæmones dicuntur, quia malis sine dubio principantur. Joan. XIV, 30 : *Venit princeps mundi hujus,* etc. Et in cap. XII, 31 : *Princeps hujus mundi ejicietur foras.* Ad Ephes. II, 2 : *Ambulastis secundum sæculum mundi hujus, secundum principem potestatis aeris hujus, spiritus, qui nunc operatur in filios diffidentiæ.* Et ibidem, VI, 12 : *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes, et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum.* Hic ceciderunt turpiter, Luc. X, 18 : *Videbam satanam sicut fulgur de cœlo cadentem.* Vel principes ad litteram dicit. Ipsi cito moriuntur, Eccli. X, 11 : *Omnis potentatus brevis vita.* Et in Psal. XXXVI, 2 : *Tamquam fœnum velociter arescent.* Moriemini ergo cito sicut principes, et ita affligemini sicut illi. Sap. XVIII, 11 : *Simili pœna servus cum domino afflictus est.*

« *Surge, Deus.* » Hic est secunda pars totius hujus Psalmi, sicut superius di- 8 Secunda pars Psalmi.

ctum fuit, in qua postquam præcessit narratio de populi illius voluntaria excæcatione, subjungitur imprecatio : et dicuntur duo. Primo imprecatio, ut judicet judicio damnationis obstinatos Judæos. Secundo, responsio dubitationis, quæ posset oriri, ibi, « *Quoniam tu hæreditabis.* »

In prima duo. Primo, petitur præparatio ad judicium. Secundo ipsum judicium, ibi, « *Et judica terram.* »

Ait ergo : Sic voluntarie sunt excæcati : unde rogo, Domine, confirma voluntatem meam voluntati tuæ, non vindictam sitiens, « *surge,* » ad judicandum præpara te : « *et tunc judica terram* » vindicta, scilicet judicio damnationis. Psal. LXXII, 22 : *Exsurge, Deus, judica causam tuam.* Isa. II, 19 : *Cum surrexerit Dominus percutere terram.* Osee, IV, 1 : *Judicium Domino cum habitatoribus terræ.*

« *Quoniam tu hæreditabis.* » Ecce secundum. Quasi diceret quis : Quomodo hoc faciet, cum hæc gens sit ejus hæreditas ? Isa. XIX, 25 : *Hæreditas mea Israel.* Et responderet : Hoc facere potes, « *quoniam tu hæreditabis,* » illis repulsis, « *in omnibus Gentibus,* » id est, in omni genere Gentium. Malach. I, 11 : *In omni loco sacrificatur, et offertur nomini meo oblatio munda : quia magnum est nomen meum in Gentibus.*

Vel sic : Hæreditabis in omnibus Gentibus, aliquibus de omni Gente hæreditatem æternam dabis. Non remanebit vacua si Judæos repuleris. I Petr. I, 3 et 4 : *Regeneravit nos in spem vivam, in hæreditatem incorruptibilem, et incontaminatam.* Ad Hebr. IX, 15 : *Repromissionem accipiant, qui vocati sunt æternæ hæreditatis,* ad quam nos perducat verus hæres Jesus Christus, qui est benedictus, etc.

PSALMUS LXXXII.

Exponit hostium improperia, et illis exsilium imprecatur.

1. *Canticum Psalmi Asaph.*
2. Deus, quis similis erit tibi? ne taceas, neque compescaris, Deus :
3. Quoniam ecce inimici tui sonuerunt, et qui oderunt te extulerunt caput.
4. Super populum tuum malignaverunt consilium, et cogitaverunt adversus sanctos tuos.
5. Dixerunt : Venite, et disperdamus eos de gente, et non memoretur nomen Israel ultra.
6. Quoniam cogitaverunt unanimiter : simul adversum te testamentum disposuerunt :
7. Tabernacula Idumæorum et Ismahelitæ, Moab, et Agareni,
8. Gebal, et Ammon, et Amalec : alienigenæ cum habitantibus Tyrum.
9. Etenim Assur venit cum illis : facti sunt in adjutorium filiis Lot.
10. Fac illi sicut Madian[1], et Sisaræ[2], sicut Iabin in torrente Cisson[3].
11. Disperierunt in Endor, facti sunt ut stercus terræ.

[1] Judic. VII, 22.
[2] Judic. IV, 15.
[3] Judic. IV, 24.

12. Pone principes eorum sicut Oreb, et Zeb [1], et Zebee, et Salmana [2] :
Omnes principes eorum
13. Qui dixerunt : Hæreditate possideamus sanctuarium Dei.
14. Deus meus, pone illos ut rotam, et sicut stipulam ante faciem venti.
15. Sicut ignis qui comburit silvam, et sicut flamma comburens montes :
16. Ita persequeris illos in tempestate tua, et in ira tua turbabis eos.
17. Imple facies eorum ignominia, et quærent nomen tuum, Domine.
18. Erubescant, et conturbentur in sæculum sæculi : et confundantur, et pereant.
19. Et cognoscant quia nomen tibi Dominus : tu solus Altissimus in omni terra.

IN PSALMUM LXXXII

COMMENTARIUS.

1 *Canticum Psalmi Asaph* [3].

« *Deus, quis similis erit tibi ?* » Hic est Psalmus octogesimus secundus in toto libro, in secunda vero parte trigesimus secundus. Cum enim in Psalmo præcedenti de obstinatione et cordis excæcatione malos redarguerit, et imprecatus eis fuerit in generali, hic diffusius agit de eorum malitia, et persecutione bonorum, et ultione tandem accepta de ipsis, vel accipienda, unde lætitia erit justis, secundum illud Psal. LVII, 11 : *Lætabitur justus cum viderit vindictam*, etc.

Psalmus imprecatur Ecclesiæ persecutoribus.

Et hoc innuitur satis in titulo, qui ta-

[1] Judic. VII, 25.

[2] Judic. VIII, 21.

[3] Dans ce psaume, dit M. l'abbé Lesêtre, Asaph implore le secours de Jéhova contre les peuples voisins confédérés pour la ruine d'Israel. L'énumération qu'on lit aux ỷ ỷ. 7-9 montre que le psaume n'a été composé ni pour le temps de David, qui avait les Tyriens pour amis, et n'eut point affaire aux Assyriens, et ne combattit les autres peuples que séparément ; ni pour l'époque de Néhémie (Théodoret), où les pires ennemis des Juifs étaient les Samaritains ; ni enfin à l'occasion des guerres des Machabées, alors que Moab n'était point l'ennemi d'Israel, qu'Amalec n'existait plus, I Paral. IV, 43, qu'il n'était plus question d'Assur, mais d'Aram, la Syrie, et que les différents peuples persécutaient les Juifs chacun de leur côté. Les auteurs catholiques et la plupart des protestants rapportent le psaume à la coalition des Moabites et des Ammonites contre Juda, sous le roi Josaphat, II Paral. XX. Ces deux peuples sont l'âme d'un soulèvement général contre Juda. « Assur, dit Cook, est mentioné comme encourageant la confédération, mais sans prendre position ni se mettre à la tête. Cet appui aux Moabites et aux Ammonites est évidemment regardé par le Psalmiste comme un événement remarquable ; c'est la première indication d'un mouvement de la puissance assyrienne dans cette direction. » Depuis quelque temps déjà, cette puissance s'élevait menaçante à l'horizon de la Palestine. Quelques années seulement avant Josaphat, Assournazirpal se vantait dans ses inscriptions de commander « des rives du Tibre jusqu'aux monts Labnana (Liban) à la grande mer, » et de recevoir le tribut de Tyr et de Sidon. L'invasion de la Phénicie était le prélude des entreprises assyriennes contre la Palestine. Le successeur de ce roi, Salmanasar II, soutint une guerre contre les Syriens, avec qui combattit Achab, roi d'Israel, contemporain et allié de Josaphat. Cf. M. Vigouroux, Bibl. et Découv. mod. III, II, 3. Il n'est donc pas étonnant de trouver mentionnés ici à côté des ennemis traditionnels des Israelites, les Assyriens qui songent déjà à la conquête du pays, et leurs tributaires et alliés forcés les Phéniciens. Il y avait alors à Jérusalem un lévite de la famille d'Asaph, Jahaziel, que Dieu avait inspiré pour qu'il encourageât le peuple et prédit la vic-

lis est : « *Canticum Psalmi Asaph.* » Est enim sensus : « *Psalmi Canticum,* » hoc est, quod cantandum « *Asaph,* » justorum congregationi, propter ultionem inimicorum suorum, quæ ibi continetur, est « *canticum Psalmi* » consecutivum. Primo enim cantabitur in musico instrumento, psalterio scilicet. Secundo in voce et choro. Est etiam « *canticum Psalmi,* » quia invitat ad lætitiam, quæ in cantico, et operationem bonam, quæ in Psalmo notatur.

Dividitur autem Psalmus in partes duas. Primo, imprecando inimicis describit illorum malitiam contra sanctos fideles. Secundo, determinat pœnam, qua vult illos puniri, ibi, « *Fac illis sicut Madian.* »

In prima duo. Primo, petitio ut vindicet. Secundo, petitionis ratio, ibi, « *Quoniam ecce inimici.* »

In prima duo. Primo, captat benevolentiam. Secundo, orat, ibi, « *Ne taceas.* »

2 Prima pars Psalmi. Dicit ergo : Sic obstinati sunt inimici : sed o « *Deus,* » Christus scilicet, « *quis similis erit tibi ?* » in fortitudine inter omnes homines ad judicium venientes. Quasi diceret : Nullus. Exod. xv, 11 : *Quis similis tui in fortibus, Domine ? quis similis tui, magnificus in sanctitate,* etc. Nullus in dignitate et claritate. Augustinus : « Multis in humilitate similis esse voluisti, etiam ipsis latronibus tecum crucifixis. » Ad Philip. II, 7 : *In similitudinem hominum factus,* etc. Sed in claritate cum veneris, quis erit similis tibi ? Non erit similis in sapientia, et discussione eorum quæ ad judicium pertinent. Job, XXXVI, 22 : *Nullus ei similis in legislatoribus.*

« *Ne taceas.* » Hic petitio, et petit duo. Primo, quod afflictionem et vindictam penitus non omittat. Secundo, quod nec etiam intentet, sed fortiter ipsos percutiat, ibi, « *Neque compescaris.* »

Dicit ergo : Sic, Domine, nullus tibi similis, et propter hoc, rogo « *ne taceas,* » eorum nequitias dissimulando penitus, sicut sæpe taces. Diu enim et satis tacuisti. Isa. XLII, 14 : *Tacui semper, silui, patiens fui, sicut parturiens loquar.* Et LVII, 11 : *Ego tacens, et quasi non videns.* Habac. I, 13 : *Quare taces impio devorante justiorem se ?* Et respondet Isaias, XLII, 13 : *Vociferabitur, et clamabit : super inimicos suos confortabitur.* Mihi etiam roganti non taceas. Tunc enim Dominus roganti tacet, quando quod rogatur, non implet. Supra, in Psal. XXVII, 1 : *Deus meus, ne sileas a me : Nequando taceas a me.* « *Neque compescaris, neque* » refrænando te. Unde alia littera : « Ne mitiges, nec mitescas super impios. » Psal. LXXVIII, 6 : *Effunde iram tuam in gentes, quæ te non noverunt.*

Vel in bono : et est bona petitio, « *ne taceas,* » a doctrina, quam semper me doceas, implens illud Isa. XXX, 20 : *Non faciet avolare a te ultra doctorem tuum.* « *Neque compescaris* », a flagellando. Augustinus : « Hic ure, hic seca. » Jerem. X, 24 : *Corripe me, Domine, verumtamen in judicio : et non in furore tuo.* Per hæc duo reformatur in nobis Dei imago : per doctrinam intellectus illuminatur, per flagella affectus humiliatur.

« *Quoniam ecce inimici.* » Hic secundum, scilicet ratio, quare non debet acquiescere, et qua movetur ad irrogandum. Et est prima illorum malitia, quam 3

toire, II Paral. xx, 14-17 ; il est tout naturel de penser qu'il est l'auteur du psaume, où il développe des pensées analogues à celles qui lui sont attribuées par le livre historique.

Dans le sens spirituel, les adversaires d'Israel représentent les puissances de l'enfer et celles de la terre qui s'ameutent contre l'Eglise, mais dont la défaite est assurée.

primo tangit. Secundo, concordia multorum in illa, quod tangitur ibi, « *Quoniam cogitaverunt.* »

Item, in prima primo tangitur malitia et culpa in Deum. Secundo, in populum Dei, ibi, « *Super populum tuum.* »

In prima duo, secundum duplicem malitiam illorum, quam tangit. Primo, quia doctrinam Christi, et Ecclesiæ abjiciunt. Secundo, quia vanum dictum extollunt, et introducere intendunt. Et loquitur ac si esset in tempore Anti-Christi, ibi, « *Qui oderunt te.* »

Dicit ergo : Sic afflige, et dignum est, « *quoniam ecce,* » in aperto, « *inimici tui sonuerunt,* » contradicendo veritati in Ecclesia prædicatæ. Inimici Ecclesiæ primo circumdant et ambiunt Ecclesiam, Luc. XIX, 43 : *Circumdabunt te inimici tui vallo :... et coangustabunt te.* Postea sonant clamando indiscrete, Psal. LXXVI, 18 : *Multitudo sonitus aquarum,* etc. Sed Isa. XVII, 12 : *Væ multitudini populorum multorum, ut multitudo maris sonantis : et tumultus turbarum, sicut sonitus aquarum multarum.*

« *Et qui oderunt te.* » Ecce secundum, in quo subjungit, quod etiam Deum alienum extollunt, sicut in Anti-Christo fiet.

Ait enim : sic sonant « *et qui oderunt te :* » aliqui enim tales sunt. Supra, in Psal. LXXIII, 23 : *Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper.* Joan. XV, 18 : *Si mundus vos odit, scitote quia me priorem,* etc. Tales extulerunt caput suum super Anti-Christum, dicentes ipsum esse Deum et prædicantes. Dan. XI, 36 : *Elevabitur, et magnificabitur adversus omnem deum : et adversus Deum deorum loquetur magnifica.* II ad Thess. II, 4 : *Adversatur, et extollitur supra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur.* Hoc est enim maledictum caput, de quo Habac. III, 14 : *Maledixisti capiti bellatorum ejus.* Et habebit alia sub se capita, de quibus in Psal. CIX, 6 : *Conquassabit capita,* etc.

Et nota, quod caput in Scriptura aliquando accipitur proprie, sicut Matth. XXVII, 39 : *Prætereuntes autem blasphemabant eum moventes capita sua.* Aliquando improprie, et transumptive, et in bono, Deus, I ad Corinth. XI, 3 : *Caput Christi, Deus,* Hoc est caput in Christo, in illa persona ipse Christus. In eodem ℣. 7 : *Vir quidem... imago et gloria Dei est.* Et ℣. 3 : *Omnis viri caput Christus est.* Et in Psal. LXVIII, 5 : *Multiplicati sunt super capillos capitis mei.* Quicumque sponsus, In eodem ibidem : *Caput mulieris, vir.* In malo : Initium diabolicæ suggestionis, Genes. III, 15 : *Ipsa conteret caput tuum.* Peccatum superbiæ, et elationis, In Psal. LXXIII, 13, supra : *Contribulasti capita draconis in aquis.* Ipse diabolus, Habac. III, 13 : *Percussisti caput de domo impii.* Indifferens, ratio et mens, Psal. XXII, 5 : *Impinguasti in oleo caput meum.*

Caput sumitur in bonum et in malam partem.

4 « *Super populum tuum.* » Hic secundum, in quo monstratur malitia eorum in Dei populum, et primo cordis, secundo, oris, ibi, « *Dixerunt : Venite.* »

In prima duo. Primo, maligna cogitatio, et deliberativa contra omnes generaliter. Secundo, contra sanctos Dei specialiter, ibi, « *Cogitaverunt.* »

Ait enim : Contra te fecerunt, o Deus, et etiam « *super populum tuum,* » supple, opprimendum, « *malignaverunt,* » malignum fecerunt consilium. Hi erunt homines mundani. I Joan. v, 19, *Mundus totus in maligno positus est.* Prov. XII, 5 : *Consilia impiorum fraudulenta.* Propter hoc dicitur in Psal. XIII, 1, de illis : *Abominabiles facti sunt in studiis suis.* « *Et cogitaverunt adversus sanctos tuos,* » quomodo eos destruerent. Alibi, in Psal. LXXII, 8 : *Cogitaverunt, et locuti sunt nequitiam.* Thren. III, 60 : *Vidisti cogitationes eorum adversum me,* dicit sanctorum congregatio.

5 « *Dixerunt : Venite.* » Hic malitia oris tangitur, quæ fuit in duobus. In invitatione mutua ad populos dispergendum. Secundo ad annihilandum penitus, quantum in illis est, ibi, « *Et non memoretur.* »

Invitatorium diaboli, carnis, et mundi.

Dicit ergo : Sic corde cogitaverunt, et « *dixerunt* » ore, se mutuo exhortando : « *Venite, et disperdamus eos,* » sanctos scilicet Dei, « *de gente.* » Hoc est invitatorium diabolicum. Sapient. II, 1, 6, 12 : *Dixerunt cogitantes apud se non recte :... Venite.... circumveniamus justum.* Et Jerem. XI,19 : *Dixerunt impii : Venite, eradamus eum de terra viventium.* Invitatorium autem carnis est illud Sapient. II, 6 : *Venite, fruamur bonis quæ sunt, et utamur creatura tamquam,* etc. Et post, ℣. 8 : *Nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra.* Invitatorium autem mundi, Proverb. I, 11 et 13 : *Veni nobiscum, insidiemur sanguini... Omnem pretiosam substantiam reperiemus.* Exod. I, 10 : *Venite, sapienter opprimamus eum,* scilicet populum Israel.

6 « *Quoniam cogitaverunt.* » Hic secundum, in quo tacta eorum malitia, hic tangitur ipsorum in malo concordia universalis. Et primo, tangitur illorum concordia ad malum. Secundo, signanter nominantur qui concordant in illud, ibi, « *Adversum te testamentum.* »

Ait enim : Sic corde, ore, et opere maligni sunt, propter quod non compescaris. Et etiam, « *quoniam cogitaverunt* » interius deliberando, « *unanimiter,* » simul. Unanimitas refertur ad identitatem cordium et animorum, simul ad congregationem et universalitatem personarum. Dan. XIV, 27 et 28 : *Quod cum audissent Babylonii indignati sunt vehementer : et congregati adversus regem, dixerunt :... Trade nobis Danielem.* Mali enim primo rumpunt confœderationem, quam habent cum Deo et sanctis, et post confœderantur contra Deum et sanctos cum ipso diabolo. Isa. XXVIII, 15 : *Percussimus fœdus cum morte, et cum inferno fecimus pactum.* Isa. XXXIV, 15 : *Illuc congregati sunt milvi, alter ad alterum,* et fortiter ad invicem colligati. Judic. XV, 4, Vulpes Samsonis, etsi diversas habebant facies, habebant tamen caudas ad invicem colligatas [1]. Job, XL, 12 : *Nervi testiculorum Behemoth,* illi per quos diabolus generat, *perplexi sunt.* Et sicut dicit Hieronymus, « magna confusio, « quod vix inveniuntur boni ita conjun- « cti ad bonum, sicut membra diaboli « fervent et uniuntur ad malum. » Hieronymus : « Infelix populus, qui non « habet tantam in bono concordiam, « quantam mali in malo : omnia enim « sustinent mali discrimina, ut suas « compleant voluntates. »

« *Adversum te testamentum.* » Hic secundum, specificatio illorum qui congregantur : et tangit undecim gentes, in quibus undecim vitia designantur, quibus impugnatur Deus. 7

Undecim vitia undecim gentibus designata.

Ait enim : Hoc dixi, quod simul cogitaverunt, et etiam « *tabernacula Idumæorum,* » id est, Idumæi, qui in tabernaculis habitabant, sicut eorum pater Edom, id est, Esau. Cantic. I, 4 : *Nigra sum, sed formosa, sicut tabernacula Cedar.* « *Disposuerunt testamentum,* » id est, indissolubiliter ordinaverunt, sicut testamentum indissolubile. Sap. I, 16 : *Sponsiones posuerunt ad illam,* mortem scilicet, ut convivant simul. Et hoc « *adversum te* » conjurando. Isa. VIII, 12 : *Omnia quæ loquitur populus iste, conjuratio est,* Idumæus autem interpretatur *sanguineus,* et significat homicidas, qui sanguinei recte dicuntur, quia

[1] Judic. XV,4 : *Samson... cepit trecentas vulpes, caudasque earum junxit ad caudas, et faces ligavit in medio.*

sanguinis effusores : et his Dominus minatur tamquam inimicis. Isa. xxxiv, 5 : *Ecce super Idumæam descendet gladius, et super populum interfectionis.*

« *Et Ismahelitæ* » similiter disposuerunt testamentum, supple, ab isto descenderunt, qui populum Dei impugnaverat, secundum illud quod dictum est Genes. xvi, 12 : *Manus ejus contra omnes, et manus omnium contra eum :* et signat schismaticos et rebelles. Interpretatur autem Ismael *obediens sibi*, et signat gulosos, qui deos faciunt ventres, quibus in omnibus obediunt. Ad Philip. iii, 19 : *Quorum Deus venter est.* Sed horum tabernacula sic disponentium testamentum contra Deum, destruentur. Job, viii, 22 : *Tabernaculum impiorum non subsistet.* Isa. xxiv, 20 : *Auferetur quasi tabernaculum unius noctis.*

« *Moab et Agareni,* » ad litteram cum illis fuerunt. Sed per Moab, qui interpretatur *ex patre*, signantur hæretici, quibus proprie dicitur illud Joan. viii, 44 : *Vos, ex patre diabolo estis.* Et maxime, quia omnes sunt superbi : et de Moab dicitur, Isa. xvi,6 : *Audivimus superbiam Moab, superbus est valde.* Item, ex adulterio nati fuerunt Moabitæ : sic hæretici generantur ex adulterio cum Scriptura. II ad Corinth. ii, 17 : *Non sumus sicut plurimi*, doctores scilicet hæreticorum, *adulterantes verbum Dei.*

« *Agareni,* » ad litteram dicebantur de Agar descendentes, et interpretantur *suscitantes festa*, et designantur per eos otiosi et pigri, qui non cessant somniare festa, ut in illis vacent, non contemplationi, sed luxuriæ, et crapulæ, et ebrietati. Thren. i, 7 : *Viderunt eam hostes, et deriserunt sabbata ejus.* Isa. i, 13 : *Neomeniam et sabbatum, et festivitates alias non feram.* Eccli. xxxiii, 29 : *Multam malitiam docuit otiositas.*

« *Gebal,* » ad litteram quis iste fuerit sive nomen populi vel personæ, non recolo me legisse. Dicunt autem quidam magistrorum, quod populus quidam, id est, Lebal. Lebal autem interpretatur, sicut vult Glossa, *vallis vana*, et designat hypocritas, qui vane humiliantur, secundum illud Eccli. xix, 23 : *Est qui nequiter humiliat se, et interiora ejus plena sunt dolo.* 8

« *Et Ammon,* » populus qui descendit de Loth, per filiam minorem [1]. Interpretatur *populus turbidus*, et signat iracundos, et pacis turbatores. Proverb. xxix, 22 : *Vir iracundus provocat rixas : et qui ad indignandum facilis est, erit ad peccandum proclivior.*

« *Et Amalec,* » qui fuit filius Oliphat, primogeniti Esau, a quo populus Amalecitarum, contra quem pugnavit populus Dei [2]. Interpretatur autem *lingens terram*, per quod intelliguntur avari. Mich. vii, 17 : *Lingent pulverem, sicut serpentes.* Et in Psal. lxxi, 9 : *Inimici ejus terram lingent.*

« *Alienigenæ,* » id est, Philisthæi : sic enim accipitur, ut vult Glossa, unde Græca littera habet « Philisthiim : » et interpretatur Philisthiim *potione cadentes*, per quod intelliguntur gulosi, et ebriosi. Luc. xix, 34 : *Attendite vobis, ne forte graventur corda vestra in crapula et ebrietate.* Joel, i, 5 : *Expergiscimini ebrii, et flete, et ululate omnes, qui bibitis vinum in dulcedine.*

« *Cum habitantibus Tyrum.* » Tyrii ad litteram vicini erant, et frequenter eos impugnabant. Tyrus enim interpretatur *angustia.* Habitantes ergo Tyrum, sic in angustia existentes : et hi sunt invidi, qui omni bono aliorum torquentur, et ipsum suum vitium est eis tormentum, secundum illum Horatii [3] :

> Invidia Siculi non invenere tyranni
> Majus tormentum.

[1] Cf. Genes. xix, 38.

[2] Cf. Exod. xvii, 8 et seq.

[3] Horatius, Lib I Epistolarum.

Ezech. XXVII, 26. *Ventus auster*, prosperitas scilicet visa a malis, *contrivit te*, o Tyre, *in corde maris.*

9 « *Etenim Assur venit cum illis,* » ad componendum istud pessimum testamentum. De isto scitur quoniam inimicus fuit populo Dei, et ipsum destruxit : imo caput fuit omnium aliorum in destructione, ipse scilicet Nabuchodonosor, de quo Isa. X, 5 : *Væ Assur, virga furoris mei, et baculus ipse est, in manu eorum indignatio mea.* Assur autem interpretatur *tollens robustum*, vel *tollens asperitatem*, et significat luxuriam, quæ fortes emollit et enervat, sicut factum est in Samsone, qui per mulierem sic emollitus est, ut ab inimicis captus vinceretur [1]. Interpretatur etiam *vilitas* : et hoc quia hominem vilem reddit. Jerem. II, 36 : *Quam vilis facta es nimis, iterans vias tuas !* Eccli. IX, 10 : *Omnis mulier, quæ est fornicaria, quasi stercus in via conculcabitur.*

« *Facti sunt in adjutorium filiis Lot,* » omnibus descendentibus de Moab et Ammon ad impugnandum Dei populum. Lot autem *declinans* interpretatur, et significat apostatas declinantes ab eo quod promiserunt. Psal. CXXIV, 5 : *Declinantes in obligationes, adducet Dominus,* etc. Lot etiam interpretatur *conclusus*, et signat desperantes, qui vere in manibus inimici sunt conclusi, contra quod David gratias agebat supra, in Psal. XXX, 9 : *Nec conclusisti me in manibus inimici : statuisti in loco,* etc. Et alibi, in Psal. XXXIV, 3, imprecatur adversariis : *Conclude adversus eos qui persequuntur me.*

Hostium Dei et Ecclesiæ insignia.

Et nota, quod undecim genera malorum tetigit, ut ostendat tot esse transgressores : transgressionis enim numerus est undenarius. Vide etiam, quod isti omnes venientes ad bellum contra sanctos habent propria signa in vexillis et in scutis. Hæretici enim deferunt in vexillo et in scuto imaginem lupi. Schismatici bubonis, quem omnes aves invadunt. Superbi unicornis. Accediosi et pigri gliris, quod est animal quod adoravit Cato mense uno. Hypocritæ scorpionis, qui blanditur facie, sed cauda pungit acerrime. Iracundi leonis. Avari talpæ, quæ non cessat terram super se fodere. Gulosi porci. Invidi tigris, quia dicitur quod fœtibus suis nigris invidet. Luxuriosi asini, vel hyenæ. Desperantes, hominis se in fluvium præcipitantis, vel laqueo suspendentis.

« *Fac illis sicut Madian.* » Hic est secunda pars totius hujus Psalmi, in qua determinat ipsam pœnam, qua vult eos puniri, sic in Deum et in suum populum insurgentes : et dicuntur duo. Primo, in forma imprecationis pœnas obstinatorum et incorrigibilium prophetat. Secundo, ad incorrigibiles et obstinatos descendit specialiter, ibi, « *Imple facies.* » 10

Secunda pars Psalmi.

In prima duo. Primo, imprecatio prophetando pœnam eorum in præsenti. Secundo in futuro, ibi, « *Sicut ignis.* »

In prima duo adhuc. Primo, imprecando prophetat eis pœnam mortis temporalis. Secundo, captivitatis, ibi, « *Deus meus, pone illos.* »

In prima duo. Primo, imprecatur minoribus. Secundo, majoribus, ibi, « *Pone principes.* »

In prima duo. Primo, imprecando pœnam prophetat. Secundo, specificat et determinat quæ est illa pœna, ibi, « *Disperierunt in Endor.* »

In prima dicuntur tria, secundum tria exempla, juxta quæ petit illos puniri. Primo, sicut puniti fuerunt Madianitæ. Secundo sicut Sisara, ibi, « *Et Sisaræ.* » Tertio, sicut Jabin rex Chanaan, ibi, « *Sicut Jabin in torrente.* »

Dicit ergo : Sic rogavi, Domine, ne

[1] Judic. XVI, 4 et seq.

compescaris, quia contra te et tuos sunt congregati, et confœderati. Imo, « *fac illis sicut* » fecisti « *Madian,* » illi populo qui descendit de Abraham per Cethuram [1]. Hos enim per Gedeonem destruxit [2]. « *Et* » sicut fecisti « *Sisaræ,* » quem Jahel lacte potatum transfixit [3]. « *Et sicut Jabin,* » supple, fecisti, « *in torrente Cisson* [4].

Madian interpretatur *contradictio,* sive *declinans judicium,* et significat advocatos malos, qui semper contradicunt omni bono, et judicium declinant, causas protelando. Isa. XLI, 11 et 12 : *Peribunt viri, qui contradicunt tibi : quæres eos, et non invenies, viros rebelles tuos.* Sisara autem interpretatur *exclusio gaudii,* et designat hypocritas, quia se a gaudio excludunt, et tristes sunt. Matth. VI, 16 : *Cum jejunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes.* Eccli. XIV, 2 : *Felix, qui non habuit animi sui tristitiam.* Et XXX, 22 : *Non des animæ tuæ tristitiam* [5]. Jabin autem interpretatur *sapiens,* et significat sapientes illa sapientia carnis, de qua dicitur ad Roman. VIII, 6 : *Prudentia carnis, mors est.* Vel illa, de qua I ad Corinth. III, 19 : *Sapientia hujus mundi stultitia est apud Deum.* Cisson interpretatur *lætificans,* et signat temporalium abundantiam, qua lætificat Jabin, quamvis transeat sicut torrens. Nota de divite (Luc. XII, 16 et seq.). Sensus ergo est : Fac illis sicut perfidis advocatis, hypocritis, et perverse astutis.

11 « *Disperierunt in Endor.* » Hic secundum, in quo determinat pœnam : et dicuntur duo. Primo, tangitur locus in quo perierunt. Secundo, modus, quia usque ad putrefactionem vilissimam, ibi, « *Facti sunt.* »

Ait enim : Fac eis sicut illis. Sed quid illis fecisti ? Ecce, « *Disperierunt in Endor.* » Fons est a quo torrens Cisson descendit [6]. Judic. V, 21 : *Torrens Cisson traxit cadavera eorum,* scilicet mortuorum. Endor autem interpretatur *fons generationis,* et significat peccatum luxuriæ, in quo pereunt multi. Eccli. IX, 9 : *Propter speciem mulieris multi perierunt.*

« *Facti sunt ut stercus terræ,* » putrefacti, et fœtidi, et conculcati. Jud. V, 21 : *Conculca, anima mea, robustos.* Isa. V, 25 : *Facta sunt morticina eorum quasi stercus in medio platearum.* Et bene luxuriosi dicuntur facti ut stercus, quia viles valde. Jer. II, 36 : *Quam vilis factas es nimis iterans vias tuas !* Et ut stercus, quia Eccli. IX, 10 : *Omnis mulier, quæ est fornicaria, quasi stercus in via conculcabitur.* Jer. VIII, 2 : *In sterquilium super faciem terræ erunt.* Nota, Manasses, prælatus negligens et obliviosus, non delevit habitatores terræ Chanaan. Judic. I, 27 : *Manasses non delevit Bethsan, et Thanac cum viculis suis, et habitatores Dor*, etc.

Et nota hic, quod est stercus luxuriæ, sicut hic expositum est. Et Joel, I, 17 : *Computruerunt jumenta in stercore suo.* Glossa : « Jumentum in stercore putre- « scere, vitam in luxuria finire. » Mundanæ gloriæ, I Mach. II, 62 et 63 : *A verbis viri peccatoris ne timueritis : quia gloria ejus stercus et vermis est : hodie extollitur, et cras non invenietur.* IV Reg. IX, 37 : *Et erunt carnes Jezabel sicut stercus super faciem terræ.* Vilitatis ad litteram, et abjectionis, Psal. CXII, 7 : *Suscitans a terra inopem, et de stercore erigens pauperem.* I Reg. II, 8 : *Suscitat de pulvere egenum, et de stercore elevat pauperem.* Abundantiæ temporalis, Ad Philip. III, 8 : *Omnia... arbitror ut stercora.* Quæ excæcaverunt To-

[1] Cf. Genes. XXV, 1 et 2.
[2] Cf. Judic. VI et VII.
[3] Cf. Ibidem, IV, 17 et seq. ; V, 24 et seq.
[4] Judic. IV, 24.
[5] Cf. Proverb. XII, 25 ; XV, 13 ; XVII, 22.
[6] Cf. Jud. IV, 7, et V, 21.

biam in oculis ejus cadentia [1]. Est etiam hæc occasio mali, etiamsi non sit malum. Sed sunt stercora bona. Primum, memoria et recordatio perpetratæ iniquitatis. Luc. XIII, 8 : *Dimitte illam*, scilicet ficum, *et hoc anno, usque dum fodiam circa illam, et mittam stercora*, pœnitentiæ et asperitatis. Ezech. IV, 15 : *Ecce dedi tibi fimum boum pro stercoribus humanis, et facies panem tuum in eo.* Esther, XIV, 2 : *Pro unguentis variis, cinere et stercore implevit caput.* Job, II, 8 : *Qui testa saniem radebat sedens in sterquilinio.*

12 « *Pone principes.* » Hic secundum, in quo postquam prædixit optando minorum afflictionem, hic secundo optando prædicit similiter majorum. Et primo, optat eis prædicendo pœnam. Secundo subjungit rationem, quare juste sint puniendi, ibi, « *Qui dixerunt.* »

In prima, primo petit pœnam principum. Secundo, omnes in unum colligit, ibi, « *Omnes principes eorum.* »

Dicit ergo : Sic afflige minores et etiam « *pone principes eorum,* » id est, majores inter eos et principaliores, « *sicut Oreb, et Zeb, et Zebee, et Salmana* [2]. » Oreb autem interpretatur *corvus*, et signat Prælatos loquaces, contra illud I Reg. II, 3 : *Nolite multiplicare loqui*, etc. Et in Psal. XI, 4 : *Disperdat Dominus universa labia dolosa, et linguam magniloquam.* Prov. XIV, 23 : *Ubi sunt verba plurima, ibi frequenter egestas.* Zeb autem interpretatur *lupus*, et designat rapaces. Sophon. III, 3 : *Judices ejus lupi vespere, non relinquebant in mane.* Ezech. XXII, 27 : *Principes ejus in medio illius, quasi lupi rapientes.* Zebee, *victima :* bene post rapinam, qua designat illos, qui de bonis subditorum quæ rapiunt, Deum placare se credunt, cum magis offendant, et dicatur, Eccli. XXXIV, 24 : *Qui offert sacrificium de substantia pauperum, quasi qui victimat filium in conspectu patris sui.* Salmana, *umbra commutationis*, significat instabiles, qui moventur sicut umbra, contra illud Jacob. I, 6 : *Qui enim hæsitat, similis est fluctui maris, qui a vento movetur et circumfertur.* Interpretatur etiam *perfectus* vel *consummatus*, et signat contemnentes, qui in profundo sunt vitiorum. Proverb. XVIII, 3 : *Impius, cum in profundum venerit peccatorum, contemnit.* Est ergo sensus : Fac principibus eorum, sicut loquacibus, raptoribus, de rapto immolantibus, et instabilibus, et contemnentibus.

« *Omnes principes.* » Hic colligit in universali. Quasi diceret : Non tantum de aliquibus principibus illorum loquor : sed, « *omnes principes eorum* » sic pone : quia digni sunt. Isa. I, 23 : *Principes tui infideles, socii furum*, et crudeles minoribus. Prov. XXIX, 2 : *Cum impii sumpserint « principatum, gemet populus.*

« *Qui dixerunt.* » Hic est ratio, quare sic sunt tractandi. 13

Ait enim : Sic pone principes, et omnes « *qui*, » id est, quia illi « *dixerunt,* » sese mutuo invitando : « *Possideamus sanctuarium Dei,* » Jerusalem, et templum quod in ea est : et hoc « *hæreditate,* » id est, jure hæreditario, ut numquam dimittamus, nec restituamus iis ad quos pertinet. Psal. LXXVIII, 1 : *Deus, venerunt gentes in hæreditatem tuam.* Hoc aperte contra Prælatos, qui Ecclesiasticas dignitates conferunt nepotulis, ac si eas vellent jure hæreditario possidere : unde ostenditur, quod non sunt sacerdotes secundum ordinem Melchisedech, sed secundum ordinem Aaron. Deut. XXXI,

Contra prælatos nepotulis conferentes dignitates Ecclesiasticas.

[1] Cf. Tob. II, 11.

[2] Pro Oreb et Zeb, cf. Judic. VII, 25 ; et pro Zebee et Salmana, Ibid. XIII, 21, ubi habetur de illorum pessimo interitu et destructione.

7 et 8, præcepit Dominus Moysi, ut præficeret sibi in successorem Josue, non aliquem de parentela sua, Et Dominus non Joanni consanguineo suo, sed Petro commisit Ecclesiam, Joan. xxi, 17 : *Pasce oves meas.* Prælati autem nostri si umquam possunt, dimittunt reliquias suas parvulis suis. Sed in Psal. xv, 4, dicitur : *Non congregabo conventicula eorum de sanguinibus.* Sed multi sunt tales ædificatores. Bernardus : « Huic parvulo forsitan non« dum nato, Ecclesiastica beneficia pro« vida sane parentum sollicitudo parat. « Illum præpositus vel Decanus, ut sibi « succederet, materno educavit affe« ctu, in deliciis nutriens. Ille dignus « Archidiaconatu, utpote filius princi« pis : magis autem si sit Episcopi « consobrinus, in quo tota est Episco« pata progenies [1]. »

14 « *Deus meus, pone.* » Hic secundum illius partis, in qua agitur de pœna illorum in præsenti. Petiit enim prædicendo pœnam mortis illorum, hic instabilitatis et captivitatis : et dicuntur duo. Primo, petitur eis instabilitas, ut deducantur de loco ad locum litteraliter, spiritualiter de peccato in peccatum. Secundo, fragilitas et debilitas, ut non possint resistere ullo modo, ibi, « *Et sicut stipulam.* »

Dicit ergo : Sic Deus meus occidantur, quod non aliquos contingat evadere. « *Deus meus, pone illos ut rotam,* » ut scilicet sint instabiles sicut rota, et in posterioribus elevati, scilicet in terrenis, in anterioribus, scilicet in spiritualibus deprimantur. Psal. xi, 9 : *In circuitu impii ambulant.* I Reg. xxv, 29 : *Inimicorum tuorum anima rotabitur, quasi in impetu et circulo fundæ.* Eccli. xxxiii, 5 : *Præcordia fatui quasi rota carri : et quasi axis versatilis cogitatus illius.* Isa. xxii, 18, dicitur ad Sobnam : *Ecce Dominus... quasi pilam mittet te in terram.* Thren. i, 8 : *Peccatum peccavit Jerusalem, propterea instabilis facta est.*

« *Et sicut stipulam,* » quæ valde fragilis est et debilis, ut omnino resistere non possit, « *ante faciem venti,* » qui portat eam, quocumque voluerit. Isa. xl, 24 : *Turbo, quasi stipulam, auferet eos.* Et ibidem, xlvii, 14 : *Ecce facti sunt quasi stipula, ignis combussit eos.* Job, xxi, 18 : *Erunt sicut paleæ ante faciem venti.* Comparantur ergo hi stipulæ, quia fragiles : alii pulveri, quia steriles. Psal. i, 4 : *Non sic impii, non sic : sed tamquam pulvis,* etc. Et folio, quia leves. Isa. lxiv, 6 : *Cecidimus quasi folium universi.*

« *Sicut ignis qui comburit.* « Hic secundum, in quo postquam prædixit de pœna eorum temporali, subdit consequenter de æterna. Et primo tangitur modus affligendi illos cum similitudine quadam. Secundo, tempus quo erit afflictio illa, adaptatio similitudinis, ibi, « *Ita persequeris.* » 15

In prima duo. Primo enim comburuntur sicut silva, quia steriles. Secundo, sicut montes, quia elati et superbientes, ibi, « *Et sicut flamma.* »

Ait enim : Sic, Domine, illos punies in præsenti, ut dixi, et etiam, « *sicut ignis qui comburit silvam,* » salicem scilicet infructuosam, quod ipsi sunt : qui combusti primo igne impietatis, et postea consumendi igne gehennali. Isa. ix, 18 : *Succensa est quasi ignis impietas, veprem et spinam vorabit : et tandem succendetur in densitate saltus.*

« *Et sicut flamma comburens montes,* » usque ad fundamentum. Isa. xxix, 6 : *Visitabitur in ... voce magna... flammæ ignis devorantis.* Deuteron. xxxii, 22 : *Ignis succensus est in furore meo* [2],.... *et montium fundamenta comburet.*

[1] S. Bernardus, In Declamationibus.

[2] Cf. Jerem. xv, 14.

16 « *Ita persequeris.* » Hic applicat similitudinem, et tangit tempus afflictionis, quod signat a duobus. A commotione tranquilli, ibi, « *In tempestate tua.* » Ab ira benignissimi, ibi, « *Et in ira tua.* »

Dicit ergo : « *Ita,* » scilicet sicut silvam per ignem, sicut montes per flammam, « *persequeris illos,* » perfecte scilicet insequeris, « *in tempestate tua,* » in judicio tuo ingruente, quod sicut tempestas erumpens super caput illorum veniet. Job, XXXVI, 14 : *Morietur in tempestate anima eorum.* Nahum, I, 3 : *Dominus in tempestate, et turbine viæ ejus.* Psal. XLIX, 3 : *In circuitu ejus tempestas valida.* Sicut enim tempestas venit ex improviso, et evitari non potest, sic dies illa, et miseria super damnandos. Isa. XLVII, 11 : *Irruet super te calamitas, quam non poteris expiare.*

Ira Dei in judici.

« *Et in ira tua,* » id est, effectu iræ tuæ, qui benignissimus es in natura, « *turbabis eos,* » quippe quia ira tua erit implacabilis. Hoc bene cognoscent. Proverb. VI, 34 et 35 : *Zelus et furor viri non parcet in die vindictæ. Nec acquiescet cujusquam precibus, nec suscipiet pro redemptione dona plurima.* Imo, quod plus est, immitigabilis. Modo enim enim mitigari potest secundum Psal. XCIII, 13 : *Ut mitiges ei a diebus malis.* Et alibi, Psal. LXXVII, 38 : *Et non accendit omnem iram suam.* Sed tunc non sic. Jerem. L, 25 : *Aperuit Dominus thesaurum suum, et protulit vasa iræ suæ.* Item, quia etsi non possit placari omnino, nec aliquantulum mitigari, nullo modo poterit plus differri. Modo enim dissimulat peccata hominum propter pœnitentiam [1], sed tunc reddet sine dilatione. Isa. XVI, 5 : *Velociter reddens quod justum est.* Item, quanto nunc benignior, tanto tunc erit crudelior. Ad Roman. II, 4 et 5 : *An ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit ? Secundum autem duritiam tuam, et impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ, et revelationis justi judicii Dei.* Item, quia importabilis. Nahum, I, 6 : *Ante faciem indignationis ejus quis stabit ?* Job, VI, 11 : *Quæ est fortitudo mea ut sustineam ?* Propter hoc dicitur, Sap. V, 2 : *Videntes turbabuntur timore horribili.* Jerem. XLIX, 7 : *Periit consilium a filiis, inutilis facta est sapientia eorum.*

« *Imple facies.* » Hic secundum totius 17
hujus partis, in quo imprecatur pœnam ad correctionem corrigibilibus et prædestinatis : et dicuntur duo. Primo, petit pœnam ad correctionem. Secundo, si contempserit correctionem æternaliter punietur, ibi, « *Erubescant.* »

In prima duo. Primo, petitur pœna. Secundo, subjungitur petitionis ratio et causa, ibi, « *Et quærent nomen.* »

Dicit ergo : Sic imprecatus sum omnibus, et majoribus specialiter : sed, o Domine, rogo, « *imple facies eorum,* » id est, aliquorum inter illos, ignominia, vilitate, opprobriis, et abjectione, cum culpis.

Afflictio ad correctionem utilis.

« *Et quærent nomen tuum, Domine,* » qui antea quærere noluerunt. Augustinus : « Quærent nomen tuum, qui « suum quæsierunt. » Et Cassiodorus : « Plerumque propter opprobrium cul- « parum corrigitur, qui ab omnibus « culpatur. » Mich. IV, 10 : *Venies usque ad Babylonem : ibi liberaberis.* Psal. LXVII, 23 : *Dixit Dominus : Ex Basan convertam,* ex confusione scilicet convertam. Ezech. XVI, 62 et 63 : *Scies quia ego Dominus : ut recorderis, et confundaris.*

« *Erubescant.* » Hic secundum, in 18
quo similiter duo. Primo, petitio de eo-

[1] Sapient. XI, 24 : *Misereris omnium, quia omnia potes, et dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam.*

rum æterna damnatione, qui pœnitere noluerunt. Secundo, petitionis ratio, ibi, « *Et cognoscant.* »

In prima,primo petitur miseria et afflictio illorum interior. Secundo, exterior, ibi, « *Et confundantur.* »

Interior duplex. Erubescentia interior in seipsis de culpa. Remorsio conscientiæ pro pœna, ibi, « *Et conturbentur.* »

Ait enim : Sic imple facies eorum ignominia, ut te quærant : quod si noluerint, « *erubescant* » tandem in seipsis pro culpa perpetrata. Isa. I, 29 : *Erubescetis super hortis,quos elegeratis vobis.*

« *Et conturbentur,* » intus in conscientia turbentur. Psal. XLVII, 6 : *Ipsi videntes*, supple, suas iniquitates, *conturbati sunt*, *commoti sunt.* Et alibi, Psal. CVI, 27 : *Turbati sunt, et moti sunt sicut ebrius.* « *In sæculum sæculi* » consecutivum. Numquam enim cessabit remorsio conscientiæ in illos. Isa. LXVI, 24 : *Vermis eorum non morietur.*

« *Et confundantur.* » Hic exteriorem pœnam imprecatur duplicem : dejectionem ab aliis, quod appellatur confusio, et afflictionem, ibi, « *Et pereant.* »

Ait enim : « *Et confundantur* » ab aliis missi, et dejecti. Jerem. XVII, 18 : *Confundantur qui me persequuntur.* Eccli. IV, 25 : *Est confusio adducens ignominiam.*

« *Et pereant,* » æternæ miseriæ et afflictioni deputati. Isa. LX, 12 : *Gens et regnum, quod non servierit tibi, peribit.* II. Pet. II, 12 : *In corruptione sua peribunt.*

« *Et cognoscant.* » Hic secundum, ra-
tio scilicet petitionis, ne videatur hoc 19
petere mala intentione : et tangitur duplex. Primo, ut cognoscant Dei potentiam. Secundo, ut potentiam singularem, ibi, « *Tu solus.* »

Dicit ergo : Sic peto eos puniri : et hoc, « *ut cognoscant quia nomen tibi Dominus.* » In Psal. IX, 17 : *Cognoscetur Dominus judicia faciens.* Ezech. XXV, 17 : *Faciam in eis ultiones magnas arguens in furore : et scient quia ego Dominus, cum dedero vindictam meam super eos.*

« *Et cognoscant* etiam, *quia tu solus Altissimus in omni terra.* » Et videant impletum illud Isa. II, 11 : *Exaltabitur Dominus solus in die illa.* Et illud cap. LV, 9 : *Sicut exaltantur cœli a terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ a viis vestris, et cogitationes meæ a cogitationibus vestris.* « *In omni terra,* » scilicet in terra mortuorum, in inferno : in terra morientium in mundo : in terra viventium, in cœlo, ad quam nos perducat qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS LXXXIII.

Desiderat atria Domini, et felicitatem in his habitantium exponit.

1. *In finem, Pro torcularibus filiis Core, Psalmus.*
2. Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum !
3. Concupiscit, et deficit anima mea in atria Domini :
   Cor meum et caro mea exsultaverunt in Deum vivum.
4. Etenim passer invenit sibi domum, et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.
   Altaria tua, Domine virtutum,

rex meus, et Deus meus.
5. Beati qui habitant in domo tua, Domine : in sæcula sæculorum laudabunt te.
6. Beatus vir cujus est auxilium abs te, ascensiones in corde suo disposuit,
7. In valle lacrymarum, in loco quem posuit.
8. Etenim benedictionem dabit legislator : ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus deorum in Sion.
9. Domine, Deus virtutum, exaudi orationem meam : auribus percipe, Deus Jacob.
10. Protector noster, adspice, Deus, et respice in faciem christi tui.
11. Quia melior est dies una in atriis tuis super millia :
Elegi abjectus esse in domo Dei mei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.
12. Quia misericordiam et veritatem diligit Deus, gratiam et gloriam dabit Dominus.
13. Non privabit bonis eos qui ambulant in innocentia. Domine virtutum, beatus homo qui sperat in te.

IN PSALMUM LXXXIII

COMMENTARIUS.

In finem,
1 *Pro torcularibus filiis Core, Psalmus* [1].

« *Quam dilecta tabernacula tua.* » Hic est Psalmus octogesimus tertius in toto libro, in secunda parte libri trigesimus tertius. Cum enim actum sit in Psalmo præcedenti de pœna acinorum et amurcæ, hic agitur consequenter de gloria vini et olei per torcularia eliquatorum, et in cellaria patrisfamilias recondendorum : ut sicut pœna illorum a malo declinare facit, sic istorum gloria invitet nos ad bonum. Prius enim malum est declinandum, consequenter bonum faciendum. Psal. xxxvi, 27 : *Declina a malo, et fac bonum.* Jerem. i, 10 : *Constitui te... ut*

Psalmus agit de gloria filiorum Core, id est, Christi crucifixi.

[1] On remarque les plus grandes analogies de fond et de forme entre ce psaume et le XLI-XLII, dû, comme celui-ci, aux enfants de Coré. La nuance principale qui les distingue consiste en ce que le psaume du IIe Livre exprime davantage la douleur du psalmiste éloigné du sanctuaire, tandis qu'ici l'auteur sacré est transporté de joie et d'espérance à la pensée qu'il va bientôt se mettre en route pour Sion, et qu'il pourra habiter à l'ombre de la maison du Seigneur.

Cette ressemblance a porté presque tous les interprètes à attribuer les deux psaumes au même auteur, et à peu près aux mêmes circonstances. Le coraïte, compagnon d'exil de David pendant la révolte d'Absalon, après avoir déploré son éloignement forcé du tabernacle, aurait enfin vu poindre des jours meilleurs, et dans ce beau cantique aurait laissé éclater ses transports au moment de se remettre en route pour Jérusalem. La prière qu'il fait pour le roi, ỷ. 10, temoignerait de sa fidélité à partager le sort du royal exilé. Cette hypothèse est communément adoptée, et il n'y a pas de raison péremptoire à lui opposer ; toutefois on ne trouve dans le psaume aucun détail caractéristique pour l'appuyer invinciblement. En voici une autre, que propose Patrizi, et qui nous semble mieux rendre compte que la précédente de diverses expressions du psaume. Le second livre des Paralipomènes, xi, 13-17, raconte que quand Jéroboam eut ôté au fils de Salomon la plus grande partie de son royaume, il se préoccupa d'empêcher ses sujets de se rendre annuellement à Jérusalem, et entreprit de fonder un nouveau culte. Les lévites dont les possessions faisaient partie du nouveau royaume, ne se prêtèrent pas aux réformes schismatiques et impies de Jéroboam, mais sacrifiant tous leurs biens, ils passèrent du côté de Roboam et affermirent son royaume par leur présence. Notre psaume serait comme le mot d'ordre de cette émigration Un lévite, de la famille de Coré, chante que les bannis de

evellas, et destruas, et disperdas, et dissipes, et post, *ut ædifices, et plantes.* Hoc autem vinum, hoc oleum, quid aliud sunt quam filii Christi pauperis et in Calvaria crucifixi. Ipse enim est qui dicit de se, Luc. IX, 58 : *Vulpes foveas habent* : *et volucres cœli nidos*, etc. II ad Cor. VIII, 9 : *Propter vos egenus factus est, cum esset dives* in omnibus. Et Joan. XIX, 17 et 18, legitur in Calvaria crucifixus [1].

Ob hoc optime dicitur in titulo hujus Psalmi : « *In finem, pro torcularibus filiis Core, Psalmus :* » hoc est, hic « *Psalmus* » dirigens nos, « *in finem,* » Christum scilicet, de quo ad Rom. X, 4 : *finis legis, Christus, ad justitiam omni credenti.* Vel, « *finem,* » vitam æternam. Ad Rom. VI, 22 : *Nunc autem habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam æternam.* « *Psalmus,* » dico, editus « *pro torcularibus,* » hoc est, pro iis, qui de torcularibus spiritualibus, Ecclesiis scilicet, vel tribulationibus, quæ sunt in Ecclesia militanti, tamquam torcularia, Isa. LXIII, 3 : *Torcular,* tribulationum scilicet, *calcavi solus :* eliquantur, scilicet « *pro* » bonis « *filiis Core,* » et calvandi, id est, filiis calvi, Christi scilicet paupertate decalvati, et in Calvaria crucifixi, per calvum Eliseum designati, cui illudendo dicebant pueri Jericho : *Ascende calve, ascende calve* [2]. Et bene iis cantandus : quia de illorum gloria post pressuras hic agitur, et de malo habendi, et de medio per quem poterit haberi.

Unde Psalmus in tres partes dividitur secundum Glossam. Primo ostendit quam amabilis, quam concupiscibilis, quam beata sit felicitas et gloria bonorum. Secundo, quo mediatore et adjutore ad illam perveniri possit, ibi, « *Beatus vir, cujus est auxilium abs te.* » Tertio, se convertit ad supplicandum mediatori, ut in Deo impleat officium, ibi, « *Domine, Deus virtutum.* »

In prima tria secundum triplicem modum monstrandi quam amabilis. Primo, admirando quantitatem amoris. Secundo, ostendendo affectum dilectionis

Jéroboam trouveront le plus doux des asiles auprès des autels du Seigneur, ℣. 4, qu'ils peuvent tout quitter et s'en aller en pleurant de leur ville natale, ℣. 7 ; Dieu les bénira, il comblera de biens ceux qui ont tout abandonné pour lui, ℣. 12, et qui ont préféré le service du temple aux splendeurs que pouvaient leur promettre les apostats, ℣. 11. Qu'ils se rallient donc autour du descendant de David, et que Jéhova protège le roi qu'il a sacré de son onction. ℣. 10. On conçoit que ce chant, fait pour encourager les lévites dans leur montée à Jérusalem, soit plus tard devenu populaire parmi ceux qui se rendaient à la ville sainte ; aussi put il être redit par les Israélites au retour de Babylone (Théodoret), et en général par tous les pèlerins qui entreprenaient le voyage plusieurs fois chaque année (Herder).

Ce qui est dit du tabernacle est vrai à plus forte raison du temple de la loi nouvelle, dans lequel le Sauveur réside en personne, mais ne s'applique pleinement qu'au séjour de la gloire éternelle. C'est pourquoi le psaume « movet ad amorem æternorum », dit très bien Pierre Lombard. Dans l'oraison de S. André Avellin, Nov, l'Eglise met en lumière cette idée : « Deus, qui in corde beati... per arduum quotidie in virtutibus proficiendi votum, admirabiles ad te ascensiones disposuisti, concede... ut perfectiora semper exsequentes, ad gloriæ tuæ fastigium feliciter perducamur ». La vie humaine est alors comme un long pèlerinage dans cette vallée de larmes, mais au terme est la demeure où l'on voit et où l'on chante éternellement le Très-Haut. « Heureuse l'âme qui a pu enfin secouer le joug de toutes les espérances humaines, et qui voyant que tout est vanité et affliction d'esprit dans cette vallée de larmes, forme en son cœur la résolution généreuse de s'attacher à vous seul, et de monter de degrés en degrés jusqu'à cet état sublime de dépouillement entier... d'où les vrais biens se faisant voir de plus près, le monde et toute sa gloire ne paraissent plus qu'un vain fantôme. » Massillon, 2e Serm. pour une prof. relig. Exord.

H. Lesêtre.

[1] Joan. XIX, 17 et 18 : *Et bajulans sibi crucem, exivit in eum, qui dicitur Calvariæ, locum,... ubi crucifixerunt eum.*

[2] IV Reg. II, 23.

quam habet ad illam, ibi, « *Concupiscit, et deficit.* » Tertio, jam adeptos beatificando, ibi, « *Beati qui habitant.* »

2 Dicit ergo : Sic, Domine, ut præmisi, punies acinum et amurcam : sed, o « *Domine virtutum,* » scilicet angelicarum, et cœlestium, et etiam infixarum affectibus hominum. Psal. XXIII, 10 : *Dominus virtutum ipse est rex gloriæ.* « *Quam dilecta* », supple, sunt, cordibus bene dispositis, « *tabernacula tua,* » illa superiora et æterna. Vocantur autem tabernacula Dei, Ecclesiæ adhuc militantes, quippe in tabernaculis militatur. Et nunc potest dici illud Job, VII, 1 : *Militia est vita hominis super terram.* Hæc sunt tabernacula, de quibus Num. XXIV, 5 : *Quam pulchra tabernacula tua, Jacob, et tentoria tua, Israel !* Et religiosorum congregationes : in tabernaculo enim quiescitur et dormitur : et in religionibus quieti et contemplationi vacatur. Cant. II, 7 : *Adjuro vos filiæ Jerusalem, per capreas cervosque camporum, ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam, quoadusque ipsa velit.* Hæc sunt illa tabernacula, de quibus Gen. XXV, 27 : *Jacob autem vir simplex habitabat in tabernaculis.* Et cœlestes mansiones : in tabernaculis enim jucundantur homines : et de illis qui ibi erunt, dicitur : *Exultabunt sancti in gloria : lætabuntur in cubilibus suis* [1]. Isa. XXXIII, 20 : *Oculi tui videbunt Jerusalem, habitationem opulentam, tabernaculum quod nequaquam transferri potest.* Psal. XIV, 1 : *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo,* etc.

Tabernacula dicuntur Ecclesiæ militantes, congregationes religiosorum, et cœlestes mansiones.

Prima tabernacula sunt amabilia, secunda amabiliora, sed tertia, ut ita dicam, amabilissima. Sed quare ? Primo, propter summam munditiam, quæ in illis invenitur. Isa. XXXV, 8 : *Via sancta vocabitur : non introibit per eam pollutus.* Apoc. XXII, 15 : *Foris canes, et venefici.* Secundo, propter summam pacem et concordiam, quæ ibi invenitur. Psal. CXXI, 3 : *Participatio ejus in idipsum.* Et iterum ibi, Psal. CXXXII, 1 : *Ecce quam bonum, et quam jucundum,* etc. Item, propter summam securitatem. Psal. CXLVII, 13 : *Quoniam confortavit seras portarum tuarum.* Judic. XVIII, 8 : *Vidimus terram valde opulentam.* Et ibidem, ℣. 9 : *Introibimus ad securos, in regionem latissimam.* Propter omnimodam libertatem. Ad Galat. IV, 26 : *Illa, quæ sursum est Jerusalem,* etc. Propter omnimodam tristitiæ abjectionem. Apoc. VII, 17 et 21 : *Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis sanctorum.* Et in Psal. XXI, 4 : *Sicut lætantium omnium,* etc. Item, propter omnis boni plenissimam adeptionem. Psal. XXXIII, 11 : *Iniquirentes Dominum, non minuentur omni bono.*

« *Concupiscit, et deficit.* » Hic secundum, in quo probat, quod amabilis, ostendendo affectionem suam ad illam. Monstrat ergo primo affectionis vehementiam. Secundo, vehementiæ causam, ibi, « *Etenim passer.* » 3

In prima duo. Primo, quod concupiscit vehementer. Secundo, quod totaliter et mente, et corpore, ibi, « *Cor meum.* »

Dicit ergo : Sic mirabiliter sunt dilecta Deo, et homini, et Angelo : et etiam « *anima mea concupiscit,* » et præ vehementia « *deficit,* » tendens « *in atria Domini.* » Psal. CXVIII, 81 : *Defecit in salutare tuum anima mea.* III Reg. X, 4 et 5 : *Videns regina Saba sapientiam Salomonis, et domum quam ædificaverat,* etc., *non habebat ultra spiritum.* Augustinus : « Deus meus, in quo deficio ut fortis sim. », Sunt autem, secundum Gregorium, qui appetunt, sed non deficiunt, qui cœlestia concupiscunt, sed adhuc a terrenorum dele-

[1] Psal. CXLIX, 5.

ctationibus minime laxantur : sed sunt qui concupiscunt et deficiunt, illi scilicet, qui mundo omnino mortui sunt. Gregorius : « Qui ad appetenda æter- « nitatis atria accenditur, dignum est « ut ab hoc temporalitatis amore la- « xetur. »

Non solum anima justi, sed etiam caro in exsultationem Domini prorumpit.

« *Cor meum et caro mea.* » Hic secundum, in quo ostendit, quod totaliter, et lætanter concupiscit.

Ait enim : Sic desidero vehementer, et etiam « *cor meum :* » potest referri, sicut quidam volunt ad vim animæ cognitivam : « *et caro mea,* » ad motivam refertur : ut sic tota anima expresse comprehenderetur. Psal. xli, 3 : *Sitivit anima mea,* etc. Proprie cor ad animam et caro adjiciuntur : caro enim quando in Deum exsultat, tunc animæ lætantis bonam operationem non impugnat. Unde alibi, Psalm. lxii, 2 : *Sitivit in te anima mea, quam multipliciter,* etc. « *Exsultaverunt in Deum vivum,* » in seipso. Joan. v, 26 : *Sicut Pater habet vitam in semetipso :* et operatur in effectu. Joan. xvii, 25 : *Quum ipse det omnibus vitam :* non in mundo mortuo, carne vili, et vana superbia. Cant. i, 3 : *Exsultabimus et lætabimur in te.*

Potest melius dici, ut exsultatio cordis referatur ad stolam animæ : exsultatio vero carnis referatur ad stolam corporis. Quasi diceret : Suspiro, et desidero, propter bonum animæ et corporis, quod exspecto. I ad Thess. v, 23 : *Ipse Deus pacis sanctificet vos per omnia : ut integer spiritus vester, et anima, et corpus, sine querela in adventu Domini serventur.*

Et nota, quod quidam desiderant, sed non exsultant, qui habent quamdam spem, hoc est, modicam consolationem, de quibus potest intelligi illud Prov. xiii, 12 : *Spes, quæ differtur, affligit animam.* Sed concupiscunt et gaudent, qui interius dulcedinis æternæ aliquid prægustant, quo desiderium inflammatur. Eccli. xxiv, 29 : *Qui edunt me, adhuc esurient.* Hi sunt pauperes qui in alio quam Deo consolationem non habent. Isa. xxix, 19 : *Et addent mites in Domino lætitiam, et pauperes homines in sancto Israel exsultabunt.*

« *Etenim passer.* » Hic secundum, in 4
quo tangitur ratio et causa tam vehementis et tam universalis exsultationis, scilicet utilitas loci, quæ primo tangitur : et dignitas quæ tangitur secundo, ibi, « *Altaria tua.* »

In prima duo secundum utilitatem duplicem. Primo, quia est locus quietis. Secundo, fomenti et nutritionis, ibi, « *Et turtur nidum.* »

Dicit ergo : Sic exsultaverunt cor meum et caro. « *Etenim,* » quia « *passer,* » id est, ratio ad alta volans pennis virtutum, « *invenit sibi domum,* » in qua habitet, et conversetur, et quiescat. Ad Philip. iii, 20 : *Nostra conversatio in cœlis est,* tamquam in domo illa, de qua II ad Corinth. v, 1 : *Scimus, quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manu factam, æternam in cœlis.*

« *Et turtur,* » caro casta et munda, « *nidum,* » locum nutritionis et fomenti, « *ut reponat,* » tamquam fovendos « *pullos suos,* » actus scilicet bonos, ex gratia movente generatos, quasi de carne. Ad ponendum in hoc nido pullos movebat Dominus, Matth. vi, 20 : *Thesaurizate vobis thesauros in cœlo, ubi nec tinea, nec ærugo,* etc.

Passer activum, turtur vero contemplativum designat.

Passer etiam potest dici bonus activus, qui multa patitur, et turbatur frequenter. Passer enim a patiendo dicitur. Luc. x, 41 : *Martha, Martha, sollicita es, et turbaris,* etc. Hic est passer immolatus pro leproso, pro spiritu peccato infecto [1]. Turtur autem, quæ est avis solitaria,

[1] Cf. Levit. xiv, 4 et 5.

contemplativus. Cant. II, 12 : *Vox turturis audita est in terra nostra.* Et in cap. I, 9 : *Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis*, quæ soli suo compari se conjungit. Ibi ergo et passer invenit domum, quia illam bonis ædificat actionibus. Psal. CXXI, 3 : *Jerusalem quæ ædificatur ut civitas*, in qua quilibet ædificat domum suam. « *Et turtur nidum,* » contemplativus locum ad reponendum et fovendum, scilicet sanctas meditationes et affectiones, quæ ibi dulciter tamquam in nidulo requiescunt. Job, XXIX, 18 : *In nidulo meo*, supple, ponens pullos meos, *moriar*.

Bene autem operans pullos dicitur dimittere : quia vere contemplativi viri, semper opera sua reputant quasi nulla. Eccli. XVIII, 6 : *Cum consummaverit homo, tunc incipiet.* Luc. XVII, 10 : *Quum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite : Servi inutiles sumus.* Audi Apostolum, nullum reputantem opus suum, 1 ad Corinth. XV, 9 : *Ego enim minimus sum Apostolorum, qui non sum dignus vocari*, etc. Isa. XXXVIII, 14 : *Sicut pullus hirundinis, sic clamabo.*

« *Altaria tua, Domine.* » Hic secundum, in quo tangitur loci dignitas, quam ostendit a loci conditione, quoniam altaria sunt. Secundo, a præsidentis in loco dignitate, ibi, « *Rex meus.* »

Ait enim : Sic invenit passer domum, et turtur nidum. Sed quæ sunt illa ? « *Altaria tua* » cœlestia, « *Domine virtutum.* » Notandum vero, quod sicut erant antiquitus duo altaria : holocaustorum, in quo animalia offerebantur : et thymiamatis, in quo pulvis suavissimus. De primo, Exod. XXVII, 1 : *Facies et altare de lignis setim*, ad offerenda holocausta. De alio, Exod. XXX, 1 : *Facies quoque altare ad adolendum thymiama.* Et ibidem, ℣. 7 : *Et adolebit incensum super eo Aaron, suave fragans* Domino. Sic Christus est altare duplex : in ipso enim et super ipsum offeruntur bona opera activorum, tamquam animalia : et desiderium et meditationes contemplativorum tamquam thymiama. Psal. CXL, 2 : *Dirigatur oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo.*

Altaria holocaustorum et thymiamatis in Christo.

Gloria cœlestis diversis nominibus expressa.

Et nota, quod æterna vita hic designata est per tabernaculum, ℣. 2 : « *Quam dilecta tabernacula.* » Per atrium, ℣. 3 : « *Deficit anima mea in atria Domini.* » Per domum, ℣. 4 : « *Etenim passer invenit sibi domum.* » Per nidum, ℣. 4 : « *Et turtur nidum.* » Et tandem per altare, hic, « *Altaria tua.* » In tabernaculo jucunditas, in atrio latitudo, in domo securitas, in nido suavitas, in altari notatur loci illius sanctitas.

« *Rex meus.* » Hic secundum, in quo ostenditur dignitas loci, a dignitate præsidentis in loco, quia rector est qui præsidet, et creator, ibi, « *Deus meus.* »

Ait enim : Hæc loca sunt loca sancta, quia altaria et tua, qui es « *rex meus,* » me regendo, « *et Deus meus,* » creando omnia, omnibus præsidendo. Alibi, in Psal. CXLIV, 1 : *Exaltabo te, Deus meus rex.*

« *Beati qui habitant.* » Hic tertium, 5
in quo ostendit quam amabilis, jam adeptos beatificando. Beatificat autem illos a duobus, a cohabitatione cum Deo, et a continua Dei laude, qui secum cohabitat, ibi, « *In sæcula.* »

Dicit ergo : Sic, Domine, tabernacula tua sunt dilecta, et sic a me sunt etiam ardenter et ex toto corde concupita : et etiam « *beati qui habitant in domo tua,* » tamquam jam adepti illa, et cohabitantes tecum, o Domine. III Reg. X, 8 : *Beati viri tui, et beati servi tui, qui stant coram te semper.* Quare ? Quia habent quidquid desiderant : et « beatus « est secundum Augustinum, cui om- « nia optata succedunt : » et hoc in eis : unum enim desiderant, et hoc habent. Supra, in Psal. XXVI, 4 : *Unam petii a*

Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini.

Partes quibus constat beatitudo.

Et nota, quod beati sunt qui habitant in domo illa, quia habitant in domo clara. Apoc. xxi, 23 : *Civitas non eget sole, neque luna, ut luceant in ea: nam claritas Dei illuminavit eam.* Item, quia in magna, et ampla. Baruch, iii, 24 et 25 : *O Israel, quam magna est domus Dei, et ingens locus possessionis ejus! Magnus est, et non habet finem.* Item, quia in munda. Apocalyps. xxi, 27 : *Non intrabit in eam aliquod coinquinatum, aut abominationem faciens et mendacium.* Item, quia in opulenta, et omni bono refecta. Psal. xxx, 9, supra : *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis*, etc. Item, quia in societate plena. Non habitat ibi solus, qui ibi est. Apoc. vii, 9 : *Post hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat.* Item, quia in pacifica, et tranquilla. Isa. xxxii, 18 : *Et sedebit populus meus in pulchritudine pacis.* Item, quia in jucunda, sicut hic subjungitur statim.

« *In sæcula sæculorum laudabunt te.* » « *Sæcula,* » inquam, « *sæculorum* » horum transeuntium consecutiva. Isa. li, 3 : *Gaudium et lætitia invenietur in ea, gratiarum actio, et vox laudis.* Et lxv, 14 : *Servi mei laudabunt præ exsultatione cordis.* Tob. xiii, 22 : *Per vicos ejus Alleluia cantabitur.* Eadem enim civitas, quæ et domus. Augustinus : « Hoc erit « totum negotium nostrum cantare Al- « leluia. »

6

Secunda pars Psalmi.

« *Beatus vir cujus auxilium.* » Hic est secunda pars totius hujus Psalmi, in qua post multiplicem commendationem gloriæ bonorum, sequitur determinare modum quo pervenitur ad illam et adjutorium : et dicuntur tria. Primo, beatificat a Deo adjutum ad illuc ascendendum. Secundo, determinat adjutorii modum, ibi, « *Etenim benedictionem.* » Tertio, adjutorium sic perfectum, ibi, « *Ibunt de virtute in virtutem.* »

In prima duo : Ubi enim est adjutorium, duo concurrunt : aliquid ex parte adjuvantis, auxilium scilicet : aliquid ex parte adjuti, nisus ad bonum. Et primo tangit primum. Secundo, secundum, ibi, « *Ascensiones in corde.* »

Dicit : Quam dilecta sunt tabernacula, tam concupita, et felices qui adepti sunt illa : sed hoc nullus potest per se. Etenim homo spiritus vadens, et non rediens : sed ille vir est beatus beatitudine viæ, « *cujus est auxilium abs te,* » ad sursum ascendendum. Joan. vi, 44 : *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum.* Et rursus in cap. xiv, 6 : *Nemo venit ad Patrem, nisi per me.* Et propter hoc dicit Judith : *Non derelinquis præsumentes de te*[1] : sed post te trahis. Cantic. i, 3 : *Trahe me post te,* tu qui potuisti ascendere per te. Deuter. xxxiii, 26 : *Ascensor cœli auxiliator tuus.*

« *Ascensiones.* » Hic secundum, quod requiritur ex parte adjuti, scilicet nisus ad bonum : et tanguntur duo. Primo, nisus ad ascendendum, quod est disponere et velle ut ascendat. Secundo, tangit ascensus terminum, secundum unam lecturam, ibi, « *In valle.* » Vel difficultatem in nisu et conatu, secundum aliam.

Ait enim : Beatus est cujus est auxilium abs te, si tamen « *ascensiones in corde suo disposuit* » volendo, et conando ad ascensum. *In corde* autem signanter dicit ad excludendum illos, qui non volunt intus ascendere gradibus virtutum, sed exterius cum diabolo gradibus dignitatum. Isa. xiv, 14 : *Ascendam in cœlum, similis ero Altissimo.* Bernardus : « Multiplica præbendas, ad Archidiaconatum « adspira, evola ad Episcopatum, pau- « latim ascendis, sed non paulatim de- « scendis. *Videbam satanam, quasi ful-* « *gur, de cœlo cadentem*[2]. »

[1] Cf. Judith, vi, 15.

[2] Luc. x, 18.

Gradus ad beatitudinem. Qui autem sunt gradus, quos in corde disponit? Potest dici quod sunt sex. Primus, fidei veræ. Secundus, peccati proprii et defectus cognitio. Tertius, pro recognitis humilis satisfactio. Quartus, veritatis in Scripturis inquisitio. Quintus, aliorum instructio. Sextus, omnium propter Deum abdicatio. Hi sunt sex gradus, sex ascensiones ad thronum Salomonis [1].

7 « *In valle.* » Hic tangit ascensus difficultatem. Quasi diceret : *Ascensiones in corde suo disposuit,* » existens « *in valle lacrymarum,* » scilicet « *in loco, quem posuit,* » id est, disposuit Deus, ut hic esset hæc miseria, et fletus. Psal. CXXV, 6 : *Euntes, ibant et flebant, mittentes,* etc. Jerem. XXXI, 9 : *In fletu venient, et in misericordia reducam eos.*

Vel sic : « *In valle lacrymarum* » disposuit ascensiones, tendens « *in locum, quem posuit,* » supple, Deus, finem ascendendi, et terminum. Cassiodorus : « Locum « posuit, qui et gradus ordinat. » Posuit, id est, disposuit et præparavit, ab æterno prædestinando ascensores. Matth. XXV, 34 : *Venite, benedicti Patris mei : possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi.* Joan. XIV, 2 : *Si quo minus, dixissem vobis : Quia vado parare vobis locum.* Disponit etiam, gratiam infundendo. In eodem Joan. XIV, 3 : *Et si abiero, et præparavero vobis locum, iterum venio, et accipiam vos ad me ipsum.*

8 « *Etenim benedictionem.* » Hic subjicitur secundum, scilicet adjutorii modus, scilicet Evangelicæ gratiæ exhibitio super præcepta legis antiquæ, moralia intelligo.

Ait enim : Sic felix qui adjutus est abs te. « *Etenim,* » quia, « *legislator,* » scilicet Christus, cujus fuit minister Moyses, « *dabit benedictionem,* » Evangelicas instructiones, et gratias adjuvantes, ad implendum quod fuit præceptum. Si enim Christus non fuisset legislator, Isaias non dixisset, XXXIII, 22 : *Dominus legifer noster : Dominus rex noster : ipse salvabit nos.* Et David : *Constitue, Domine, legislatorem super eos* [2]. Quasi diceret : Mitte Filium, qui legislator est. Hic dedit et dat benedictiones. *Quoniam illic mandavit Dominus benedictionem, et vitam* [3]. Et alibi, Psalm. LXXXIV, 2 : *Benedixisti, Domine, terram tuam.* Joan. I, 17 : *Lex per Moysem data est, gratia et veritas per Jesum Christum.* Has optabat cum dicebat : *Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus* [4].

« *Ibunt de virtute.* » Hic est tertium, scilicet profectus sic a Deo adjutorum : et tanguntur duo. Primo, progressus in profectu. Secundo, terminus in progressu, ibi, « *Videbitur.* »

Sic Deus dabit gratiam infundendo, et tunc « *ibunt* » progrediendo « *de virtute in virtutem.* » Quomodo hoc esse potest? Dubium. Imo simul infunduntur virtutes omnes : ergo non itur de una in aliam. Responsio. Hoc intelligitur quantum ad virtutum actus, non quantum ad habitus. Prov. IV, 18 : *Justorum semita, quasi lux splendens, procedit et crescit usque ad perfectam diem.*

« *Videbitur Deus.* » Hic tertium, scilicet terminus in progressu. Quasi diceret : Sic ibunt de virtute in virtutem, donec « *videbitur Deus deorum,* » Dominus quacumque ratione dii dicantur : « *in Sion,* » in altitudine et speculatione æternæ vitæ. Job, XXXIII, 26 : *Videbit faciem ejus in jubilo.* Isa. XXXIII, 17 : *Regem in decore suo videbunt.* Apocal. XIX, 16 : *Rex regum, et Dominus dominantium.*

[1] III Reg. 18 et 19 : *Fecit rex Salomon thronum... qui habebat sex gradus.*

[2] Psal. IX, 21.

[3] Psal. CXXXII, 3.

[4] Psal. LXVI, 7 et 8.

« *Deus deorum,* » Alibi, in Psal. xlix, 1 : *Deus deorum Dominus locutus est.* Et hoc « *in Sion,* » in Ecclesia triumphante. Isa. xxxv, 10 : *Venient in Sion cum laude : et lætitia sempiterna super caput eorum.*

9 « *Domine, Deus virtutum.* » Hic est tertia pars Psalmi, in qua postquam extulit gloriam electorum, et ostendit per cujus auxilium potest ad illam perveniri, hic tertio petitionem subjungit ad ipsum adjutorem, ut ipso mediante ad illam pervenire possit.

Tertia pars Psalmi.

In prima duo. Primo, instanter petit. Secundo, se confidere ostendit, quod impetrabit, ibi, « *Domine virtutum.* »

In prima duo. Primo, petitio cum oratione motiva ad orandum. Secundo, probatio, quod debeat exaudiri, ibi, « *Elegi abjectus esse.* »

Item, in prima duo. Primo, excitat judicem ad attentionem. Secundo, determinat petitionem, ibi, « *Protector noster.* »

In prima duo. Primo, allicit et excitat ad audientiam. Secundo, ad audientiæ diligentiam, ibi, « *Auribus percipe.* »

Dicit ergo : Tanta sunt præmia electorum, ad quæ non pervenitur nisi te adjuvante, et propter hoc, o « *Domine virtutum,* » angelicarum conditor et creator, et humanarum infusor, « *exaudi orationem meam.* » II Mach. i, 5 : *Exaudiat,* Dominus scilicet, *orationes vestras.*

Quare dicitur Deus Jacob?

Et, o « *Deus Jacob,* » conservator a fraudibus, et persecutionibus Laban. Genes. xxxi, 42 : *Nisi Deus patris mei Abraham, et timor Isaac affuisset mihi, forsitan modo nudum me dimisisses.* « *Deus Jacob* » propagator. In eadem Gen. xxxiii, 5 : *Levatisque Esau oculis, vidit mulieres et parvulos earum, et ait : Quid sibi volunt isti ? et si ad te pertinent ? Respondit : Parvuli sunt, quos donavit mihi Deus servo tuo.* « *Deus Jacob* » ditator. In eadem Gen. xxxii, 10 : *Domine,... minor sum cunctis miserationibus tuis, et veritate tua quam explevisti servo tuo. In baculo meo transivi Jordanem istum : et nunc cum duabus turmis regredior.* « *Deus Jacob* » exaltator, faciens ipsum Israel. In eadem Gen. xxxii, 28 : *Nequaquam Jacob appellabitur nomen tuum, sed Israel.* « *Auribus percipe,* » id est, diligenter attende, quæ petiturus sum. II Paralip. vi, 40 : *Aperiantur, quæso, oculi tui, et aures tuæ intentæ sint ad orationem quæ fit in loco isto.* Et supra, in Psal. v, 2 : *Verba mea auribus percipe, Domine.*

« *Protector noster, adspice.* » Hic subjungitur petitio, et petit duo. Ut ipsum protegat loquens in persona humilium. Secundo, ut nomen Christi dilatet, et diffundi faciat per mundum, ibi, « *Et respice.* » Et hoc secundum unam lecturam. Secundum aliam meritum Christi allegat. 10

Ait enim : Sic petii ut attendas diligenter quod peto : quidnam illud ? O « *Deus, protector noster,* » quasi ex officio. Eccli. xxxiv, 19 : *Protector potentiæ, et firmamentum virtutis.* Supra, in Psal. lxiii, 3 : *Protexisti me a conventu malignantium.* « *Et respice,* » id est, protege nos : tuum enim adspicere est protegere. Supra, in Psal. xiii, 2 : *Dominus de cœlo prospexit super filios hominum* [1]. Hic respectus, de quo Sapient. iv, 15 : *Et respectus in electos illius.* Thren. iii, 49-50 : *Oculus meus afflictus est, nec tacuit, eo quod non esset requies. Donec respiceret et videret Dominus de cœlis.* « *Et respice,* » id est, respicere fac mundum : quod enim facis nos facere, hoc diceris facere. Genes. xxii, 12 : *Nunc cognovi, quod times Dominum,* id est, cognoscere te feci. « *In faciem Christi tui,* » oculo fidei, ut ipsum verum Deum et hominem cognoscant. Fac respicere in faciem Christi tui na-

[1] Cf. etiam Psal. lii, 3.

scentis in matris integritate: in faciem viventis in paupertate, patientis in dolore, resurgentis in gaudio, ascendentis in gloria, judicantis in majestate. III Reg. x, 24 : *Universa terra desiderabat*, supple, videre *vultum Salomonis*.

Vel sic : Rogo nos respicias : quod si non propter nos, saltem respicias « *in faciem Christi tui*, » ut ejus amore, cui similes sumus et conformes, nos protegas. II Mach. viii, 14 et 15 : *Dominum deprecabantur ut eriperet eos : ...etsi non propter eos, propter testamentum tamen quod erat ad patres eorum, et propter invocationem sancti et magnifici nominis ejus super ipsos*. Et constat, quod libenter respicit Deus in faciem dilecti Filii. Matth. iii, 17, et xvii, 5 : *Hic est Filius meus dilectus*[1]. Et ubicumque invenis ejus similitudinem. Propter hoc dicitur, I ad Cor. xv, 49 : *Sicut portavimus imaginem terreni, sic portemus imaginem cœlestis*.

11 « *Quia melior*. » Hic secundum, in quo subjungitur motivum orantis, et ratio ad orandum, scilicet præeminentia vitæ æternæ ad bona temporalia.

Ait enim : Sic oro, et hoc facio : « *Quia dies una in atriis tuis*, » supple, habita, « *melior est super millia* » dierum in hac vita, quantumcumque sint in illis suavia, et delectabilia : quia omnia vana : quod sciens Jeremias, ait in cap. xvii, 16 : *Diem hominis non desideravi, tu scis*.

Nota ergo, quod in atriis Domini est dies sincerissima, sine nocte. Apoc. xxi, 23 : *Civitas illa non eget sole, neque luna, ut luceant in ea: nam claritas Dei illuminabit eam*. Et infra, ℣. 25 : *Et nox non erit in ea*. Et dies una est : quia omnino immutabilis de cætero, et invariata. Zach. xiv, 7 : *Erit dies una quæ nota est Domino*. Hæc dies dulcissima, et suavissima. Hieronymus : « O si quis in « cordis ore jam gustaverit quæ sit illa « dulcedo cœlestium præmiorum, qui illi « hymni, qui chori Angelorum, quam « incomprehensibilis visio sanctæ Trini- « tatis. Quanto dulcius est quod intus « vidit, tanto amarius est quod foris ma- « net. » Et Gregorius dicit : « Quanto « patria dulcior, tanto avidior, ubi Ange- « lorum et hominum unum erit collo- « quium, unum convivium. Ibi non lan- « guebit amor, nec liquefiet dilectio. » Et Augustinus : « O felix civitas, cœlestis « mansio, secura patria, totum continens « quod delectat, ubi sine fine videbitur « Deus, sine fastidio amabitur, sine fati- « gatione laudabitur. »

« *Elegi abjectus*. » Hic secundum, in quo subjungitur probatio, quod debeat exaudiri. Et primo allegat ex parte sui sumens rationem. Secundo, ex parte Dei, ibi, « *Quia misericordiam et veritatem*. »

Ex parte sui allegat duo. Electionem boni primo. Secundo, detestationem mali, ibi, « *Magis quam habitare*. »

Ait ergo : Sic rogo, et exaudiri debeo, quia « *elegi*, » quamvis sim rex, « *magis abjectus esse in domo Dei*, » in Ecclesia scilicet, quæ domus Domini est. Isa. lvi, 7 : *Domus mea, domus orationis vocabitur cunctis gentibus*[2]. Humilis esse volo. II Reg. vi, 21, dicebat David ad Michol : *Et ludam, et vilior fiam, plusquam factus sum : et ero humilis in oculis meis*. Sic Paulus abjectus erat in hac domo. I ad Corinth. iv, 13 : *Facti sumus omnium peripsema usque adhuc*. Pulchra est talis vilitas et abjectio, et fœtida e contrario exaltatio. Cassiodorus : « O abjectio pul- « cherrima ! o sublimitas fœtidissima ! « Ista est vallis lacrymarum, in qua si ad « tempus plangitur, sine fine gaudebi- « tur. » Et idem, ibidem : « Qui apud se « habetur abjectus, apud Deum habetur « acceptus. »

[1] Cf. etiam Luc. iii, 22.

[2] Cf. Matth. xxi, 13.

« *Magis quam habitare in tabernaculis peccatorum,* » exaltatus et magnus.

Et nota, quod non dicit « *magis,* » quia hoc aliquantulum eligat, sed quia nullo modo. Quippe, Num. XVI, 26 : *Recedite a tabernaculis hominum impiorum et nolite tangere quæ ad eos pertinent, ne involvamini in peccatis eorum.* In tabernaculo interfectus est Sisara[1]. Job, VIII, 22 : *Tabernaculum impiorum non subsistet.* Omnino sensit Moyses sicut iste. Ad Hebr. XI, 24 et seq. : *Fide Moyses grandis factus negavit se esse filium filiæ Pharaonis : magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere jucunditatem, majores delicias æstimans thesauro Ægyptiorum, improperium Christi.*

12 « *Quia misericordiam.* » Hic allegat sumendo rationes a parte Dei, et allegat duo. Primum est meriti quod sentit habere, dilectio. Secundum est præmii et in præsenti et in futuro larga retributio, ibi, « *Gratiam, et gloriam.* »

Ait enim : Sic debeo, quia bonum elegi, ex parte mea, et malum fugi : et etiam confido : « *quia misericordiam,* » etc. Vel ad immediatum : Plus volo abjectus esse in domo Dei, quam cum peccatoribus habitare : « *quia Deus diligit misericordiam,* » quæ est in domo sua, scilicet in Ecclesia, et in me servo illam : « *et veritatem.* » Misericordia in exhibendo alii bonum, veritas in puniendo seipsum. Hæc duo diligit Deus. Mich. VI, 8 : *Indicabo tibi, o homo, quid sit bonum, et quid Dominus requirat a te : Utique facere judicium,* etc. ecce veritas : *et diligere misericordiam,* ecce misericordia. Psal. C, 1 : *Misericordiam et judicium cantabo tibi, Domine.* Propter hoc monet Salomon, Prov. III, 3 : *Misericordia et veritas te non deserant.* Hæc requiritur a nobis in opere, hæc in doctrina, ut hoc ipsum alios doceamus. Supra, in Psal. XXXIX, 11 : *Non abscondi misericordiam tuam, et veritatem tuam.* Hæc ipsa in nobis operatur. Jerem. IX, 24 : *Ego sum Dominus, qui facio misericordiam, et judicium, et justitiam in terra.* Isa. LXI, 8 : *Ego Dominus diligens judicium.* Glossa : Referatur « misericordia ad « beneficia exhibita in præsenti, ve- « ritas ad reddenda in futuro. »

« *Gratiam.* » Hic secundum, longa præmii retributio : et dicuntur duo. Primo, retributio. Secundo, retributionis magnitudo, ibi, « *Non privabit.* »

In prima duplex retributio : in præsenti gratiæ, in futuro gloriæ, ibi, « *Et gloriam.* » In præsenti, id est, augmentum gratiæ, tamquam quoddam præmium in præsenti.

Dicit enim Augustinus quod « gratia « meretur augeri, ut aucta mereatur « perfici : » omnem enim gratiam dat Deus, non tantum justificantem, sed et operantem, et consummantem. Jacob. I, 17 : *Omne datum optimum, et omne donum,* etc.

« *Et gloriam,* » in futuro dabit, scilicet præmium, salutem æternam. Isa. XLVI, 13 : *Dabo in Sion salutem, et in Israel gloriam meam.* II ad Timoth. IV, 8 : *In reliquo reposita est mihi corona justitiæ.* Et bene jungit *gratiam, et gloriam* quia secundum mensuram gratiæ erit mensura gloriæ. Zach. IV, 7 : *Exæquabit gratiam gratiæ.* Joan. I, 16 : *De plenitudine ejus nos omnes accepimus, gratiam pro gratia.*

« *Non privabit bonis.* » Hic monstratur retributionis magnitudo. Quasi diceret : Sic facientibus misericordiam 13
et veritatem, dabit gratiam et gloriam : et etiam, quod plus est, « *non privabit bonis* his *eos, qui ambulant,* » conver-

[1] Judic. I, 21.

satione, « *in innocentia.* » Ambulare in innocentia est hic, etsi ardua non aggrediantur, tamen cavere a divina offensa : etsi alii non convertantur, seipsum mundum custodire. Et est magnitudo divinæ bonitatis, quod talibus etiam bona spiritualia in præsenti et in futuro non negantur. Psal. xxv, 1 : *Ego autem in innocentia mea,* cavendo a transgressione madatorum Dei, *ingressus sum,* in regnum gratiæ et gloriæ. Et alibi, Psalm. xxiii, 3 : *Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto ejus? Innocens manibus,* etc. Quæ omnia per negationem dicuntur. Isa. lvi, 3-5 : *Non dicat eunuchus : Ecce ego lignum aridum:* non possum filios spirituales Domino generare. *Quia hæc dicit Dominus eunuchis : Qui custodierint sabbata mea, et elegerint quæ ego volui, et tenuerint fœdus meum : dabo eis in domo mea, et in muris meis locum, et nomen melius a filiis et filiabus.*

« *Domine virtutum.* » Hic est secunda pars tertiæ partis totius hujus Psalmi, in qua postquam oravit, se confidere de impetrando ostendit indirecte, commendando et confidentem et sperantem in Deo.

Ait enim : Sic petii, et spero quod impetrabo : unde audacter dico : « *O Domine virtutum,* » dator et conservator, « *beatus homo* » est jam in præsenti, « *qui sperat in te,* » qui, id est, quia ille : ipsa enim spes jam beatificat ipsum. Jerem. xvii, 7 : *Benedictus vir qui confidit in Domino, et erit Dominus fiducia ejus.* Isa. xxx, 18 : *Beati omnes qui exspectant eum.* Spes autem est exspectatio. Propter hoc dicit Paulus, ad Rom. viii, 24 : *Spe salvi facti sumus.* Et tandem erimus salvati re, ipso præstante, qui est benedictus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS LXXXIV.

Deprecatio pro restitutione Israelis post exsilium.

1. *In finem, filiis Core, Psalmus.*
2. Benedixisti, Domine, terram tuam: avertisti captivitatem Jacob.
3. Remisisti iniquitatem plebis tuæ : operuisti omnia peccata eorum.
4. Mitigasti omnem iram tuam, avertisti ab ira indignationis tuæ.
5. Converte nos, Deus salutaris noster, et averte iram tuam a nobis.
6. Numquid in æternum irasceris nobis? aut extendes iram tuam a generatione in generationem?
7. Deus, tu conversus vivificabis nos: et plebs tua lætabitur in te.
8. Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam et salutare tuum da nobis.
9. Audiam quid loquatur in me Dominus Deus, quoniam loquetur pacem in plebem suam,
Et super sanctos suos, et in eos qui convertuntur ad cor.
10. Verumtamen prope timentes eum salutare ipsius, ut inhabitet gloria in terra nostra.
11. Misericordia et veritas obviaverunt sibi : justitia et pax osculatæ sunt.

12. Veritas de terra orta est, et justitia de cœlo prospexit.
13. Etenim Dominus dabit benignitatem, et terra nostra dabit fructum suum.
14. Justitia ante eum ambulabit, et ponet in via gressus suos.

IN PSALMUM LXXXIV

COMMENTARIUS.

1 *In finem, filiis Core, Psalmus*[1].

Argumentum Psalmi : Primus adventus Christi, et beneficia per illum universo orbi collata.

« *Benedixisti, Domine, terram.* » Hic est Psalmus in toto libro octogesimus quartus, in secunda parte trigesimus quartus. Cum enim in præcedenti Psalmo egerit de gloria bonorum, ipsam commendando, et insinuaverit quod ad illam perveniatur solo Dei adjutorio et benedictione, consequens fuit ostendere, per quid præcipue ad illam pervenitur, quænam illæ benedictiones, per quas electi ad tantam gloriam extolluntur. Hæ autem sunt gratiæ et beneficia per Incarnationem Filii Dei mundo exhibita : unde competenter agitur in hoc Psalmo de primo adventu Filii Dei, et benedictionibus per illum mundo datis. Et sic est tertius Psalmus, in quo agitur de Incarnatione. Primus est Psalmus XVIII, « *Cœli enarrant.* » Secundus, Psalmus LXXIX, « *Qui regis Israel.* » Tertius est iste.

Quia autem adventus Filii Dei, et beneficia ab adveniente exhibita non omnibus profuerunt, sed tantum iis qui per baptismum in Christo regenerati sunt, bene dicitur in titulo : « *In finem, filiis Core, Psalmus.* » Hic est « *Psalmus* » ordinans nos « *in finem,* » Christum scilicet qui finis est. Ad Rom. X, 4 : *Fi-*

[1] On rapporte généralement ce psaume au temps qui suivit le retour des captifs de Babylone. Il se compose de trois parties, dont la première remercie Dieu de la délivrance, ℣℣. 2-4, la seconde le prie d'apaiser sa colère et d'aider son peuple à se rétablir, ℣℣. 5-8, la troisième promet un avenir prospère, ℣℣. 9-14. Cette succession d'idées, anormale à première vue, s'explique aisément par la situation où se trouvaient les Juifs après l'édit de Cyrus. A peine de retour dans leur patrie, ils se trouvèrent en butte à une hostilité acharnée de la part de leurs voisins, surtout des Samaritains, hostilité d'autant plus sensible aux lévites et aux fils de Coré qu'elle retardait la construction du temple, et menaçait même un moment de l'empêcher à tout jamais. Ces nouvelles épreuves étaient dues à des péchés nouveaux ; nous voyons en effet les prophètes d'après l'exil, Aggée, Zacharie, Malachie, adresser encore des reproches au peuple. Le psalmiste, après avoir remercié Dieu du retour de l'exil, a donc encore à fléchir sa colère : voilà pourquoi d'humbles supplications succèdent si vite dans le psaume aux accents de la reconnaissance ; mais immédiatement après arrive la description d'un nouvel âge d'or pour Israel, « pourvu qu'il ne retourne pas à sa folie, » ℣. 9. On a signalé avec raison de grandes analogies entre la seconde partie des prophéties d'Isaïe et ce psaume, qui en est comme un résumé plein de vie et de poésie.

Ce psaume a un magnifique sens spirituel que les traditions juive et chrétienne ont été unanimes à reconnaître. « Adumbravit enim universorum Deus per ea quæ Israelitis acciderunt omnium hominum salutem, » dit Théodoret. Le peuple ramené de la captivité est donc le peuple chrétien, en faveur duquel le psalmiste appelle « le salut de Dieu, » et promet que « la justice et la paix s'embrasseront, » et que de la terre « germera la vérité, » le fruit sacré qui doit sauver et sanctifier le monde nouveau. Sic Euseb., S. Athan. qui, comme Théodoret, reconnaît le sens historique du psaume, S. Léon, S. Cyril. Alex., S. Bern. Serm. I de Annuntiat., etc. Nous aurons à signaler plusieurs passages du Nouveau Testament qui font allusion au psaume.

H. LESÊTRE.

nis legis, Christus, ad justitiam omni credenti. Et Apocalyps. I, 8 : *Ego sum Alpha et Omega, principium et finis.* « *Filiis Core,* » id est, Christi calvi a mundi divitiis denudati, et ad litteram in Calvaria crucifixi. Joan. XIX, 17 : *Et bajulans sibi crucem, exivit in eum, qui dicitur Calvariæ, locum, hebraice autem Golgotha, ubi crucifixerunt eum.* « *Psalmus,* » supple, cantandus.

Psalmus autem dividitur in tres partes, aliter aliquantulum, quam Glossa. Primo, prophetice dicitur Dei ad humanum genus reconciliatio. Secundo, quamvis prædicta sit, supplicatur ut sic fiat, ibi, « *Converte nos, Deus salutaris.* » Tertio, explanatur quomodo hoc noverit, et quo ordine totum fiendum sit, ibi, « *Audiam quid loquatur.* »

Plena reconciliatio in duobus est : in collationi benignitatis humanæ naturæ, et hoc primo tangitur : et amotione mali, et hoc secundo, ibi, « *Avertisti captivitatem.* »

Prima pars Psalmi.

2 Dicit ergo : Sic, Domine, beatus est homo, qui confidit et sperat in te : et nunc, quoniam o « *Domine, benedixisti :* » præteritum ponit pro futuro certitudine prophetali, id est, benedices, « *terram tuam,* » quam in Adam maledixeras. Genes. III, 17 : *Maledicta terra in opere tuo.* Zachar. VIII, 13 : *Sicut eratis maledictio,* id est, maledicti, sed emphatice loquitur, *sic eritis benedictio.*

Multiplex terræ acceptio.

Ut autem appareat de qua terra intendit, et quibus benedictionibus illam benedixerit, notandum, quod terra appellatur impius terrenis inhians, et illis adhærens. Dictum est serpenti, Genes. III, 14 : *Terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ.* Et terra dicitur ipse Christus sive humus, Isa. II, 10 : *Ingredere in petram, abscondere in fossa humo.* Terra etiam quilibet justus, Luc. VIII, 8 : *Aliud,* scilicet semen, *cecidit in terram bonam*[1]. Terra etiam dicitur anima, Psal. CXLII, 6 : *Anima mea sicut terra sine aqua tibi.* Josue, XV, 19, et Judic. I, 15 : *Terram arentem,* animam scilicet siccam, *dedisti mihi.* Terra corpus, Gen. II, 7 : *Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ.* Synecdoche est, id est, hominis partem, corpus. Homo ipse totus, quia de terra conditus quoad corpus, et in terra postmodum conversatur, et tandem in terram reducendus[2]. Jerem. XXII, 29 : *Terra, terra, terra :* terra conditione, terra conversatione, terra consummatione : *audi sermonem Domini.* Triumphans Ecclesia, Psal. XXXVI, 11 : *Mansueti autem hæreditabunt terram.* Et alibi, Psal. XXVI, 13 : *Credo videre bona Domini in terra viventium.* Et Matth. V, 4 : *Beati mites : quoniam ipsi possidebunt terram.* Virgo beata, Psal. LXXXIV, 13, infra : *Etenim Dominus dabit benignitatem, et terra nostra dabit fructum suum.* Isa. IV, 2 : *Et fructus terræ sublimis.* Militans Ecclesia : sic accipitur hic, et Genes. XXVIII, 13 : *Terram, in qua dormis, tibi dabo.* Et in cap. XII, 1 : *Et veni in terram, quam monstrabo tibi.*

Benedictio quinque modis sumitur.

Benedictio autem quinque modis accipitur. In malo, Job, I, 5 : *Ne forte peccaverint filii mei, et benedixerint Deo in cordibus suis,* id est, maledixerint. Et in cap. II, 9 : *Benedic Deo, et morere.* Aliquando in bono, et quasi semper : sed aliquando est benedictio sinistra, quæ est in abundantia temporali, communis bonis et malis. Genes. XXVII, 39 et 40 : *In pinguedine terræ, et in rore cœli desuper, erit benedictio tua,* dictum est Esau. Et in cap. XXX, 27, dixit Laban ad Jacob : *Benedixit mihi Deus propter te.* Job, XLII, 12 : *Dominus benedixit novissimis Job, magis quam principio ejus.* Et est benedictio dexteræ, quæ duplex est : gratiæ in

[1] Cf. Matth. XIII, 8, et Marc. IV, 8.

[2] Genes. III, 19.

præsenti, et gloriæ in futuro. De prima, in Psal. CXIII, 15 : *Benedicti vos a Domino.* Et alibi, Psalm. LXVI, 7 : *Benedicat nos Deus, Deus noster.* De secunda, Matth. XXV, 34 : *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum.* De utraque, in Psal. CXXXI, 15 : *Viduam ejus benedicens*, benedictione gratiæ, *benedicam*, benedictione gloriæ. Et tertia, præparatio ad utramque, quæ est benedictio prædestinationis, de qua ad Ephes. I, 3 et 4 : *Benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem.* Benedictio autem gratiæ triplex est. Prima est gratiam infundendo, quantum ad statum incipientium, de qua in Psal. XX, 4 : *Domine, prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis.* Secunda, in merito augendo et multiplicando, quantum ad statum proficientium. Tertia est in bono consummando, quantum ad statum perfectorum. Genes. XXXII, 26, 29 : *Non dimittam te, nisi benedixeris mihi.... Et benedixit ei in eodem loco.* Omnes dat terræ suæ, militanti Ecclesiæ, excepta prima.

« *Avertisti.* » Hic secundum, in quo est reconciliatio, scilicet in mali amotione. Et primo, in amotione mali culpæ. Secundo, in amotione mali pœnæ, ibi, « *Mitigasti omnem.* »

In prima tria. Primo, remotio originalis culpæ. Secundo, debilitatio inclinationis ad culpam, quæ est ex fomite, ibi, « *Repulisti.* » Tertio, deletio, etiam actualis, ibi, « *Operuisti omnia.* »

Dicit ergo : Sic benedixisti, id est, benedices, et etiam « *avertisti*, » removendo, « *captivitatem*, » originalem culpam, sub qua captivus tenebatur Jacob, populus scilicet tuus. Hæc captivitas, de qua alibi, in Psal. CXXV, 1 : *In convertendo Dominus captivitatem Sion*, etc. Et alibi, Psal. LII, 7 : *Cum converterit Dominus captivitatem plebis suæ*, etc. Isa. XLV, 13 : *Captivitatem meam dimittet, non in pretio, nec in muneribus.*

3 « *Remisisti iniquitatem plebis tuæ.* » Hic est secundum. Quasi diceret : Sic culpam originalem destruxisti, et etiam « *remisisti*, » id est, remittes, « *iniquitatem*, » id est, inæqualitatem fomitis, ut non sit jam intensus, quantum solet, nec regnet, nec dominetur. Ad Roman. VI, 12 : *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore.* Matth. IX, 2 : *Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua.* I Joan. II, 12 : *Remittuntur vobis peccata vestra propter nomen ejus.* Et in eodem, I, 9 : *Fidelis est*, scilicet Deus, *et justus, ut remittat nobis peccata nostra, et emundet nos ab omni iniquitate.* Et tandem « *operuisti*, » non videndo ad pœnam, « *peccata omnia eorum* » actualia. Psal. XXXI, 1 : *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata*[1].

Quo autem teguntur, dicitur Proverb. X, 12 : *Universa delicta operit charitas.* I Petr. IV, 8 : *Charitas operit multitudinem peccatorum.* Sicut enim carbonis nigredo igne tegitur cum penetrat carbonem : sic peccata igne charitatis cum penetrat animam. Thren. IV, 8 : *Denigrata est super carbones facies eorum.* Sed adveniente igne illo, de quo Luc. X, 49 : *Ignem veni mittere in terram : et quid volo nisi ut accendatur?* nigredo tegitur, et contritione cordis, et amaritudine, sicut significatum fuit in Ægyptiis, quos operuit Mare Rubrum[2]. Exod. XV, 10 : *Flavit spiritus tuus, et operuit eos mare. Submersi sunt*, etc.

4 « *Mitigasti omnem.* » Hic secundum, scilicet amotio mali pœnæ : in quo dicuntur duo. Primo, mitigatio tempora-

[1] Cf. I ad Roman. IV, 7.

[2] Cf. Exod. XIV, 27 et seq.

lis, quia omnino amoveri non potest. Et secundo, plena remotio æternæ, ibi, « *Avertisti ab ira.* »

Ait enim : Sic amovisti culpam, et etiam « *mitigasti* » minorando « *omnem iram tuam,* » in præsenti pro peccatis inferendam. In Psal. XCIII, 12 et 13 : *Beatus quem tu erudieris, Domine : et de lege tua docueris eum : ut mitiges ei a diebus malis.* Diebus, inquam, præsentis temporis, pœnalibus, et miseriis plenis. Ad Ephes. v, 16 : *Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt.* Mitigat autem Dominus præsentes miserias, vel nostræ fragilitati et imperfectioni temperando, secundum illud Apostoli, I ad Cor. x, 13 : *Fidelis Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis.* Vel patientiam et fortitudinem tribuendo, secundum illud Ezech. III, 9 : *Ut adamantem et ut silicem ponam faciem tuam.* Jerem. I, 18 : *Dedi te... in columnam ferream, et in murum æreum.* Vel consolationem et dulcedinem infundendo. Psal. XC, 15 : *Cum ipso sum in tribulatione.* Dan. III, 49 et 50 : *Angelus Domini... fecit medium fornacis, quasi ventum roris flantem.* Esther, XV, 11 : *Convertit Dominus spiritum regis in mansuetudinem.*

Deus multis modis præsentes miserias mitigat.

« *Avertisti* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic temperasti præsentem adversitatem, et « *avertisti,* » teipsum « *ab ira,* » non quacumque, sed « *indignationis tuæ.* » Ira enim, sed non indignationis, est afflictio præsentis temporis : sed ira indignationis, afflictio æterna et gehennalis. Et appellatur *ira* effectus iræ in Deo, hoc est, effectus ac si ira in Deo esset. Supra, in Psal. LXXVII, 38 : *Et abundavit ut averteret iram suam.* Isa. LX, 10 : *In indignatione mea percussi te,* quantum ad damnatos : *et in reconciliatione mea misertus sum tui,* quantum ad alios. Osee, XIV, 5 : *Diligam eos spontanee : quia aversus est furor meus,* hoc est, ira indignationis, *ab eis.*

« *Converte nos, Deus.* » Hic secundum, in quo petit ut fiant quæ fienda prædixit : et dicuntur duo. Primo, petit. Secundo, ostendit quomodo totum fieri poterit, si Filius Dei advenerit incarnatus, ibi, « *Ostende nobis.* » 5

Secunda pars Psalmi.

In prima tanguntur tria. Primo, petitio. Secundo, ostenditur opportunitas impetrandi, quod petit, ibi, « *Numquid in æternum.* » Tertio, utilitas consequens ex petito, si concedat, ibi, « *Deus tu conversus,* » vel « convertens, » secundum aliam litteram.

In prima duo secundum duo quæ petit. Primo, ut avertat ab eo malum culpæ secundo, pœnæ, ibi, « *Et averte iram.* »

Dicit ergo : Sic, Domine, scio quod facies bona promissa tuis, et propter hoc rogo ne excludamur, sed magis tu qui es « *Deus* » per creationem, « *salutaris* » per redemptionem, « *noster* » per præsentem justificationem. Isa. XXV, 9, de his tribus : *Ecce Deus noster : exspectavimus eum, et salvabit nos.* « *Converte nos* » ad te a malis culpæ. Supra, in Psal. LXXIX, 8 : *Domine Deus virtutum, converte nos.* Thren. V, 21 : *Converte nos, Domine, ad te et convertemur.* Amos, IX, 11 : *Convertam captivitatem populi mei.*

« *Et averte.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic nos converte a culpis, et etiam « *averte iram tuam,* » effectum iræ tuæ, « *a nobis.* » Isa. LXIV, 9 : *Ne irascaris, Domine, satis.* Dan. IX, 16 : *Avertatur, obsecro, ira tua a civitate sancta tua.*

« *Numquid in æternum.* » Hic secundum, in quo monstratur opportunitas, quærendo usquequo extendatur ira. Quasi diceret : Satis usque nunc est extensa. Primo ergo quærit si puniet in æternitate suos, et supposito quod non, quærit secundo, si in toto isto tempore, ibi, « *Aut extendes iram.* » 6

Dicit ergo : Sic rogo, ut placatus sis avertendo malum, et culpæ et pœnæ :

et tempus est, quia « *numquid in æternum irasceris nobis ?* » Quasi diceret : Non. Isa. LVII, 16 : *Non in sempiternum litigabo, neque usque ad finem irascar.* Psal. LXXVI, 10 : *Numquid obliviscetur misereri Deus?* Non est possibile : imo si ad modicum est ejus ira, at semper est ejus misericordia in suos. Isa. LIV, 7 : *Ad punctum in modico dereliqui te, et in miserationibus magnis congregabo te.* Et paulo post, ℣. 8 : *In momento indignationis abscondi faciem meam paulisper a te, et in misericordia sempiterna misertus sum tui.*

« *Aut extendes.* » Hic secundum. Quasi diceret : « *Aut* » si non est futura æterna, « *extendes iram tuam,* » effectum scilicet iræ tuæ, « *a generatione* » continuando, « *in generationem,* » hoc est, usque in mundi finem. Psal. LXXVI, 9 : *Aut in finem misericordiam suam abscindet, a generatione in generationem?* Vel sic : « *Numquid extendes iram tuam a generatione* » peccatrice, in qua peccatum regnavit, « *usque in generationem* » sub gratia regnantem, ut destruas utramque. De prima generatione, ad Ephes. II, 3 : *Eramus natura filii iræ.* De secunda, Joan. III, 5 : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire,* etc. I Joan. V, 18 : *Omnis qui natus est ex Deo non peccat : sed generatio Dei conservat eum, et malignus non tangit eum.* Item, est generatio carnalis, quæ statim præterit, et quasi continue, et succedit. Eccle. I, 4 : *Generatio præterit, et generatio advenit.* Et est generatio perseverans, quando mortale hoc induerit immortalitatem, de qua Matth. XIX, 28 : *In regeneratione, cum sederit Filius hominis.* Dicit ergo : Numquid extendes manum tuam a generatione hac prætereunte, usque in generationem permanentem.

Duplex generatio, transiens, et permanens.

7 « *Deus, tu conversus.* » Hic est tertium, in quo tangitur utilitas consequens ex petito si concessum fuerit, et est duplex. Primo, vivificatio populi conversi. Secundo, honor Dei, ibi, « *Et plebs tua.* »

Dicit ergo : Sic petii, ut convertas nos, et ipse convertaris ab ira : et hic fructus, o « *Deus, tu conversus* » ab ira indignationis. Vel secundum aliam litteram : « Tu convertens » nos a peccatis nostris, et culpis, « *vivificabis* nos. » Psal. LXX, 20 : *Et conversus vivificasti me, et de abyssis terræ reduxisti me.* Vita gratiæ in præsenti, juxta illud Habac. III, 2 : *In medio annorum vivifica illud.* I Reg. II, 6 : *Dominus mortificat,* gratiam subtrahendo : *et vivificat,* gratiam infundendo : sed hoc in humiles. Isa. LVII, 15 : *Ut vivificet spiritum humilium.* Et tandem vita gloriæ in futuro, de qua in Psal. XXXV, 10 : *Quoniam apud te est fons vitæ.* Osee, VI, 3 : *Vivificabit nos post duos dies, in die tertia suscitabit nos.* Prima dies est dies legis naturalis. Secunda legis Evangelicæ, et tertia est dies gloriæ.

« *Et plebs tua.* » Hic secundum. Quasi diceret : Sic vivificabis, et tandem « *plebs tua,* » humilis populus, et qui videtur abjectus, Luc. XII, 32 : *Nolite timere, pusillus grex.* « *Lætabitur in te,* » lætanter te colendo, et tibi serviendo. Cassiodorus : « Plebs prospere lætabitur in te, quæ infeliciter exsultabat in se. » Cant. I, 3 : *Exsultabimus, et lætabimur in te.* Psal. XIX, 6 : *Lætabimur in salutari tuo.* Et Habac. III, 18 : *Exsultabo in Deo Jesu meo.*

« *Ostende nobis, Domine.* » Hic se- 8
cundum totius hujus partis, in quo petit impleri prædicta. Cum enim petierit diversa, hic ostendit quomodo totum compleri poterit, si Filius Dei advenerit. Primo ergo petit Filii incarnationem. Secundo incarnati utilitatem, ut prædicetur, moriatur, totus pro nobis expendatur, ibi, « *Et salutare.* »

Dicit ergo : Hæc petii ut nos convertas, et ab ira avertaris, quod totum ut

fiat, rogo, « *Domine* » Deus Pater, « *ostende nobis,* » manifestando in assumpta carne « *misericordiam tuam,* » Christum scilicet : ipse enim illa misericordia est, de qua Apostolus, ad Tit. III, 5 : *Non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit.* Ostende ergo Christum ut lumen ad illuminandum cæcos et obtenebratos, Eccli. XXXVI, 1 : *Ostende nobis lucem miserationum tuarum.* Isa. IX, 8 : *Habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis.* Ut exemplum ad nos humiliandum, Joan. XIII, 15 : *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita et vos faciatis.* Ut viam ad ambulandum recte ad patriam, Joan. XIV, 6 : *Ego sum via, et veritas, et vita.* Isa. XXXV, 8 : *Hæc erit vobis directa via, ita ut stulti non errent per eam.* Ut animatorem ad patiendum, Ad Hebr. XII, 1-2 : *Curramus ad propositum nobis certamen, adspicientes in auctorem fidei, et consummatorem Jesum.* I Petr. II, 21 : *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini,* etc. Vel reclamatorium ad nos revocandum, Joan. XII, 32 : *Ego, si exaltatus fuero a terra,* ostendens carnem rubeam in cruce, *omnia traham ad me.* Matth. XXIV, 28 : *Ubicumque fuerit corpus, congregabuntur et aquilæ* [1]. Ut advocatum pupillorum ignorantium, secundum illud I Joan. II, 1 : *Advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum,* etc. Ut medicum ægrotantium, Matth. IX, 12, de seipso loquens Dei Filius, ait : *Non est opus valentibus medico, sed male habentibus.* Et tandem ut præmium et bravium laborantium et currentium, de quo Apostolus, I ad Cor. IX, 24 : *Omnes quidem currunt, unus autem accipit bravium.*

Christi diversa officia.

« *Et salutare tuum,* » ipsum scilicet Christum, nobis in incarnatione ostensum, « *da nobis* » in ipsa passione, ut sit hostia pro nobis. Genes. XLIX, 18 : *Salutare tuum exspectabo, Domine.* Luc. II, 30 : *Viderunt oculi mei salutare tuum.* Hieronymus : « Jesum quem confitemur rogemus, ut mereamur ejus adventus luce illustrari, ejus via dirigi, veritate corrigi, et vita locupletari. » Et ego addo : Et morte redimi. *Parvulus enim natus est nobis, et Filius datus est nobis* [2].

[1] Cf. etiam Luc. XVII, 37.
[2] Isa. IX, 6.

Audiam quid loquatur. » Hic est tertia pars, in qua postquam futuras benedictiones prædixit, et secundo ut impleantur petiit, hic tertio insinuat qualiter ista cognoverit, et quo ordine complendum sit. Secundum hoc dicuntur duo. Primo, qualiter Christum venturum ad pacificandum hominem Deo, et ipsum hominem salvandum cognoverit, quia Deo loquente in se. Secundo, qualiter veniens, quæ bona contulit, ibi, « *Verumtamen prope timentes.* »

Tertia pars Psalmi.

In prima duo. Primo, promittit propheta quod audiet in se loquentem Deum. Secundo, ostendit quid audiet a loquente, ibi, « *Quoniam loquetur pacem.* »

Ait ergo : Sic venit, et oravi quod sic fiat. Sed unde hoc scire potes? Ecce : « *Audiam* » auditu auris intelligentiæ, et aversus a mundi strepitu, « *quid loquatur in me Dominus Deus.* » Loquitur Deus in suis, teste Paulo, II ad Corinth. XIII, 3 : *An experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Christus?* Matth. X, 20 : *Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* Osee, II, 14 : *Ducam eam in solitudinem, et loquar ad cor ejus.* Loqui autem in ipso est inspirare ei quod vult ei revelare, quod fit ipsam veritatem aliquando cordi intimando et monstrando, sicut factum est in isto, ut in prolongo hujus libri dicitur [3].

[3] Cf. præfationem in Psalmos, in principio tomi XV.

Aliquando mediante bono Angelo, Zach. I, 13 : *Angelus Domini loquebatur in me verba bona, et consolatoria,* non malus Angelus, qui in multis loquitur, III Reg. XXII, 22 : *Ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum.* I Joan. IV, 1, dicitur propter hoc : *Nolite credere omni spiritui, sed probate spiritus utrum ex Deo sint.*

« *Quoniam loquetur.* » Hic secundum, quid loquetur, quia pacem duplicem. Primo, Dei ad Judæos. Secundo, ad Gentiles omnes, ibi, « *Et in eos qui convertuntur.*

In prima duo. Primo, pacificatio cum Judæis. Sed quia non universaliter cum omnibus, ostendit cum quibus de illis, ibi, « *Et super sanctos.* »

Ait ergo : Sic audiam quid loquatur in me : et quid illud? « *Quoniam loquetur* tandem *pacem in plebem suam.* » Hoc est dictu : Pacificabitur tandem plebi suæ, scilicet Judæis, qui sunt ejus plebs specialiter. Deuter. VII, 6 : *Elegit te Dominus Deus tuus, ut sis ei populus peculiaris.* Isa. XXVII, 5 : *Pacem faciet mihi.* Vel, « *loquetur pacem,* » quia mittet ad eos Filium, qui erit pax eorum, Ad Ephes. II, 14 : *Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum.* Qui pacem dabit, Joan. XIV, 27 : *Pacem reliquo vobis, pacem meam do vobis.* Et pacem prædicabit, et per se, et per suos, Isa. LVII, 19 : *Creavi fructum labiorum pacem.* Joan. XVI, 33 : *Hæc locutus sum vobis, ut in me pacem habeatis.*

« *Et super sanctos suos.* » Hic specificat super quos de plebe loquetur pacem, Quia « *super sanctos suos.* »

Ait enim : Sic loquetur pacem in plebem, et « *super sanctos suos,* » bonos et justos de Judæis, non super perversos, et in malitia obstinatos : super illos quibus loquens Petrus ait, I Petr. II, 9 : *Vos estis genus electum, regale sacerdotium, gens sancta.* Super hos loquetur pacem : quia et ad seipsum, et ad se invicem reddit pacificos, et charitate conjunctos. Act. IV, 32 : *Multitudinis credentium erat cor unum et anima una :* ut sancti qui erant in terra de Judæis, essent etiam unum cum sanctis, qui in cœlo erant, scilicet Angelis. Ad Coloss. I, 20 : *Pacificans per sangui nem crucis ejus, sive quæ in cœlis sunt, sive quæ in terris.*

Et « *in eos.* » Quasi diceret : Pacem loquetur ad Judaicam plebem, et etiam « *in eos* » generaliter *qui convertuntur* « *ad cor,* » ad propriam interius rationem, seipsos arguentes, quod coluerint deos fictitios, quod est omnino contrarium rationi. Abit enim homo per culpam, et maxime infidelitatis a corde suo, et ipsum perdit. Osee, VII, 11 : *Et factus est Ephraim quasi columba seducta non habens cor.* Sed convertitur ad se per pœnitentiam. Propter hoc clamat in Isa. XLVI, 8 : *Redite, prævaricatores, ad cor.*

« *Verumtamen prope timentes.* » 10
Hic secundum, in quo postquam ostendit qualiter prædicta cognoverit, quia Deo loquente in seipso, hic ostendit qualiter veniens, quæ dona contulerit : et dicuntur duo, Primo, ad quos venerit primo et specialiter. Secundo, quæ contulerit veniens, ibi, « *Misericordia et veritas.*

In prima duo. Primo, quod ad Judæos venerit. Secundo, ad quæ loca specialiter declinaverit, ibi, « *Ut inhabitet.* »

Ait enim : Sic loquetur pacem : « *Verumtamen salutare ipsius,* » Dei scilicet Patris, hoc est, Filius, supple, erit « *prope timentes eum,* » Judaicum scilicet populum, qui solus non dæmonia timebat, sed Deum, ita quod proprie quidem natus est de illa gente. Joan. IV, 22 : *Salus ex Judæis est.* Et in tantum prope, « *ut gloria ejus,* » supple, scilicet Patris, hoc est Filius, (Prov. XIII, 1 : *Filius sapiens doctrina Patris*), « *inhabitet in terra nostra,* »

Quæ dona Christus nobis suo primo adventu contulit?

in Judæa, stricte sumendo Judæam. Natus enim fuit in Bethleem, Mich. v, 2 : *Et tu Bethlehem Ephrata, parvulus es in millibus Juda : ex te mihi egredietur qui sit dominatur in Israel.* In Jerusalem prædicavit frequentissime, et docuit, Isa. XLVI, 13 : *Dabo in Sion salutem, et in Israel gloriam meam.* Zach. II, 10 : *Ecce venio, et habitabo in medio tui.* Agg. II, 10 : *Magna erit gloria domus istius novissimæ plusquam primæ.*

Moraliter autem *prope timentes* est *salutare*, quia soli timentes Deum saluti appropinquant. Psal. CXLIV, 19 : *Voluntatem timentium se faciet*, etc. Quid volunt nisi salvari? Isti sunt qui convertuntur ad cor. Eccli. XXI, 7 : *Qui timet Deum, convertetur, ad cor suum : et Deus salvabit ipsum*, quia Act. X, 34-35 : *In veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus : sed in omni gente, qui timet eum, et operatur justitiam, acceptus est illi.* Et in tantum prope salutate sunt, ut in ipsa eorum terra, in corpore scilicet, « *inhabitet gloria* : » in corpore enim tandem glorificabuntur. Ad Philip. III, 20 : *Salvatorem exspectamus Dominum Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ*, etc. I ad Corinth. XV, 43 : *Seminatur in ignobilitate, surget in gloria.*

11 « *Misericordia et veritas.* » Hic secundum hujus partis, in quo ostendit, quæ bona veniens illis præstiterit, ad quos venit, et quomodo, et per quid. Primo, ergo ostendit quæ bona præstiterit. Secundo, quomodo, et per quid, ibi, « *Veritas de terra.* »

In prima dicuntur quatuor. Primo, tangitur misericordiæ beneficium in Gentium vocatione ad fidem. Secundo, veritatis in promissi adimpletione, ibi, « *Et veritas.* » Tertio, decoris justitiæ in peccatorum punitione, ibi, « *Justitia.* » Quarto, pacis et concordiæ Dei ad hominem, quod causatum est ex justitia, ibi, « *Et pax.* »

Dicit ergo : Ad tales venit spiritualiter, et tunc « *misericordia* » in Gentium vocatione ad fidem Christi, « *et veritas* » in promissorum Judæis adimpletione, « *obviaverunt sibi,* » obviatione pacis et reconciliationis, sicut Proverb. XXII, 2 : *Dives et pauper obviaverunt sibi. Misericordia* enim erat, quæ in cœlo inclusa, relicta Gentilitate in tantis infidelitatis tenebris. Psal. XXXV, 6 : *Domine, in cœlo misericordia tua. Veritas* autem, qua dictum fuerat primo homini, *In quocumque die comederis ex eo, morte morieris* [1], in terra erat. In eodem Psal. XXXV, 6 : *Et veritas tua usque ad nubes.* Sed obviaverunt misericordia descendente, et misero homine ascendente per ipsam mortem et flagellum in cœlum, post adventum mediatoris. Joan. I, 17 : *Gratia et veritas per Jesum Christum facta est.* Potest etiam legi de obviatione contradictionis : quia misericordia pro miseri hominis liberatione illud allegabat.

« *Veritas de terra.* » Hic secundum, in quo ostendit quomodo hoc totum factum sit, et per quid, quia per duo. Per veritatem, id est, Christum de Virgine nascentem, et hominis justificationem : unde dicuntur quatuor. Primo, tangitur origo Christi de Virgine. Secundo, hominis per ipsum justificatio, ibi, « *Et justitia.* » Tertio, ostendit originis modum, ibi, « *Etenim Dominus.* » Quarto, justificationis, ibi, « *Justitia ante eum.* » 12

Dicit ergo : Hæc bona faciet, quia « *veritas,* » Dei Filius Christus, qui dicit, Joan. XIV, 6 : *Ego sum via, et veritas, et vita* : « *orta est* » sicut radix, Christus veritas et justitia.

[1] Genes. II, 17.

et virgultum, « *de terra,* » de Maria. Isa. LIII, 2 : *Ascendit sicut radix de terra sitienti.* Terra Maria, quia humilis, stabilis, et fertilis, sicut superius satis dictum fuit, et sitiens desiderio æternorum. Judic. VI, 37 et 38, significata fuit per siccam aream, sed tandem abundantissime complutam rore Spiritus Sancti. Isa. XLV, 8 : *Rorate cœli, desuper, et nubes pluant justum : aperiatur terra,* etc. Et propter hoc fructum protulit gloriosum. In eodem, *Germinet Salvatorem.* Fructum satietatis, Eccli. XXIV, 26 : *Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, et a generationibus meis implemini.* Fructum gloriæ, Isa. IV, 2 : *Erit germen Domini in magnificentia et gloria, et fructus terræ sublimis.* Fructum sanitatis, Eccli. XXXVIII, 4 : *Altissimus creavit de terra medicamenta.* Et propter hoc benedicta, Ad Hebr. VI, 7 : *Terra venientem super se sæpe bibens imbrem, et generans herbam opportunam illis, a quibus colitur, accipit benedictionem a Deo.* Propter hoc dicit ei Angelus, Luc. I, 42 : *Benedicta tu in mulieribus.*

Fructus ex Virgine Maria.

« *Et justitia,* » idem quod veritas. I ad Cor. I, 30 : *Qui factus est nobis a Deo Patre justitia, et sanctificatio,* etc. « *De cœlo* » descendens « *respexit,* » cordibus hominum gratiam infundendo. Hic respectus, de quo Sapient. IV, 15 : *Gratia Dei et misericordia in sanctos ejus, et respectus in electos illius.* Cassiodorus : « Justitia « de cœlo prospexit, quando humano « generi periclitanti, Filius Dei mirabili « dispensatione subvenit. »

Horum bonus ordo est. Primo, enim de terra, de terreno scilicet homine, veritas oriri debet, confessio scilicet verissima peccatorum : et statim justitia respicit, dimittendo quæ confessa sunt. Psal. XXXI, 5 : *Dixi : Confitebor adversum me,* etc.

« *Etenim Dominus dabit.* » Hic tertium, in quo ostendit modum originis, 13
quo veritas de terra orta est, quia per Spiritum sanctum. Tangitur ergo descensus Spiritus sancti in Virginem. Secundo, Filii origo de Virgine, ibi, « *Et terra nostra.* »

Ait enim : Sic dixi veritatem de terra ortam. « *Etenim Dominus* Deus *dabit,* » in ventrem, et in mentem Virginis « *benignitatem,* » Spiritum sanctum, cui benignitas appropriatur. Sapient. I, 6 : *Benignus est enim spiritus sapientiæ.* « *Et terra nostra,* » Virgo scilicet beata : nostra enim est, et sua, hoc est, Dei. Nostra : quia fructu de se prodeunte pascit famelicos precibus suis, tamquam foliis de ipsa prodeuntibus, reconciliat reos, soliditate sua sustentat debiles et infirmos, et tandem in se suscipit cadentes, et lapsos. Sua : quia in ea conversatus, ex ea conceptus, in ea et de ea natus, et ab ea nutritus.

Vel sic quantum ad secundam lecturam versus præcedentis : Bene dixi, quod veritas in confitendo orta est de terra, de peccatrice anima : « *et justitia de cœlo prospexit,* » gratiam remissionis infudit. « *Etenim,* » id est, quia « *Dominus dabit benignitatem,* » spiritum bonam voluntatem inspirantem. Psal. LXVIII, 17 : *Exaudi me, Domine, quoniam benigna est misericordia tua,* benignitatis et suavitatis effectrix. « *Et tunc terra nostra,* » corpus scilicet nostrum, « *dabit fructum suum,* » opus scilicet bonum, opus, inquam pœnitentiæ. Ad Roman. II, 4 : *An ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?*

« *Justitia ante eum.* » Hic ostendit 14
secundum, scilicet justificationis modum, qui tangitur in duobus. In punitione sui pro delictis, et profectu bonæ operationis, ibi, « *Et ponet in via.* »

Dicit ergo : Sic veritas orta est de

terra, quia benignitas a Deo est data : et justitia de cœlo prospexit, quia « *justitia ante eum,* » Deum scilicet ad cor hominis venturum, « *ambulabit,* » quasi præparans ei viam : justitia enim hic justificatio dicitur, qua homo seipsum pro peccatis punit. Isa. LVIII, 8 : *Anteibit faciem ejus justitia tua.* Justitia enim antecedit Deum ad hominem venturum : et sapientia deducit hominem ad Deum, ut ei occurrat. Sapient. IX, 11 : *Deducet me in operibus sobrie.*

« *Et ponet in via,* » sic parata, « *gressus suos,* » ipsum hominem promovendo de bono in melius. Propter hoc monet Isaias, in cap. XL, 3 : *Parate viam Domini, rectas facite semitas Dei nostri,* peccata confitendo. Nos, propter ea quæ male gesta sunt, puniendo : hæc est enim via justi. Isa. XXVI, 7 : *Semita justi recta est : rectus callis justi ad ambulandum.* Isa. XLV, 13 : *Ego suscitavi eum ad justitiam, et omnes vias ejus dirigam.* Nota ergo, quod Christi misericordia comes fuit individuus. Job, XXXI, 18 : *Ab infantia mea crevit mecum miseratio.* Veritas ante eum loqui docuit. Isa. LIII, 9 : *Eo quod... neque dolus fuerit in ore ejus.* Justitia ante ambulavit, et viam præparavit, sicut hic dicitur. Et pax ei lectum, in quo dormivit, stravit. Supra, in Psal. IV, 9 : *In pace in idipsum dormiam, et requiescam.*

PSALMUS LXXXV.

Petit a Deo custodiri, regi, et contra hostes protegi.

1. *Oratio ipsi David.*
Inclina, Domine, aurem tuam, et exaudi me, quoniam inops et pauper sum ego.
2. Custodi animam meam, quoniam sanctus sum : salvum fac servum tuum, Deus meus, sperantem in te.
3. Miserere mei, Domine, quoniam ad te clamavi tota die :
4. Lætifica animam servi tui, quoniam ad te, Domine, animam meam levavi.
5. Quoniam tu, Domine, suavis et mitis [1], et multæ misericordiæ omnibus invocantibus te.
6. Auribus percipe, Domine, orationem meam, et intende voci deprecationis meæ.
7. In die tribulationis meæ clamavi ad te, quia exaudisti me.
8. Non est similis tui in diis, Domine, et non est secundum opera tua.
9. Omnes gentes quascumque fecisti venient, et adorabunt coram te, Domine : et glorificabunt nomen tuum.
10. Quoniam magnus es tu, et faciens mirabilia : tu es Deus solus.
11. Deduc me, Domine, in via tua, et ingrediar in veritate tua : lætetur cor meum, ut timeat nomen tuum.
12. Confitebor tibi, Domine Deus meus, in toto corde meo, et glorificabo nomen tuum in æternum :

[1] Joel, II, 13.

13. Quia misericordia tua magna est super me, et eruisti animam meam ex inferno inferiori.
14. Deus, iniqui insurrexerunt super me, et synagoga potentium quæsierunt animam meam, et non proposuerunt te in conspectu suo.
15. Et tu, Domine Deus, miserator et misericors : patiens, et multæ misericordiæ, et verax.
16. Respice in me, et miserere mei : da imperium tuum puero tuo, et salvum fac filium ancillæ tuæ.
17. Fac mecum signum in bonum, ut videant qui oderunt me, et confundantur, quoniam tu, Domine, adjuvisti me, et consolatus es me.

IN PSALMUM LXXXV

COMMENTARIUS.

Oratio ipsi David [1].

Argumentum Psalmi: Oratio Christi patientis, ut monstrat titulus.

« *Inclina, Domine, aurem.* » Hic est Psalmus octogesimus quintus in toto libro, in secunda parte trigesimus quintus. In præcedenti enim Psalmo, sicut visum est supra, actum est de adventu Filii Dei in carnem, et assumptione humanæ naturæ : in hoc autem agitur de veritate assumptæ. Monstratur autem in hoc Psalmo fuisse homo, indigens fuisse, et pauper, et hoc quia agitur hic de ejus oratione. Orantis autem est esse pauperem, et infirmum, quæ sunt proprietates humanitatis veræ.

Item, in præcedenti Psalmo actum est de Filii Dei incarnatione, per quam mutata est maledictio in multiplicem benedictionem : hic autem subjungitur de hominis Christi oratione, et interpellatione ad Patrem pro custodia benedictionum, continuatione, et augmento illarum, et in se et in membris : et hoc breviter tangitur in titulo, qui talis est : « *Oratio ipsi David,* » non materiali, etsi illi possint quæ dicuntur hic convenire, sed magis spirituali, id est, Christo qui David dicitur pluribus rationibus, superius tactis, quas hic repetere non oportet.

Dividitur autem Psalmus in duas par-

[1] Ce psaume, dit l'abbé Lesêtre, est presque complètement composé de réminiscences : aussi le regarde-t-on généralement comme une adaptation liturgique à laquelle on a laissé le nom de David pour indiquer la source où on l'a puisée. Cette prière est insérée au milieu des psaumes des Coraïtes, et l'on est porté par là à penser qu'elle a été arrangée par l'un de ces pieux lévites. Sic D. Calmet, etc. D'autre part, Tholuck et quelques modernes, à la suite des anciens, ne voient aucune raison suffisante pour s'écarter de l'indication fournie par le titre, et refuser la composition du psaume à l'auteur dont il porte le nom. « Il y a dans cette prière, dit Schegg, bien des réminiscences de psaumes antérieurs, composés dans une pareille nécessité et dans le même état d'âme, et il semble que David l'ait fait à dessein. La prière particulière se sert en effet très volontiers des expressions qui sont déjà familières, et dont on a souvent constaté et éprouvé la vérité. Ces chants auxquels se rapporte notre psaume sont tous de David ; la tradition qui lui attribue cette prière trouve là plutôt un appui qu'une objection. Ne devait-il pas lui-même se rappeler facilement et de préférence ses chants et ses prières précédentes ? » Rien ne nous oblige donc ici à nous écarter des données traditionnelles, d'autant plus que pour le fond David reste dans les deux cas l'auteur du psaume. Dieu est appelé successivement *elohim*, *jehova* et *adonaï* ; ce dernier nom est répété sept fois.

Cette belle prière convient à tous les persécutés dont Dieu seul est l'appui.

tes, in quarum prima orat Christus pro suis, in secunda vero pro seipso, ibi, « *Deus, iniqui insurrexerunt.* »

In prima duo. Primo, petit conservari in bono, et a malo liberari. Secundo, in bono promoveri, ibi, « *Deduc me, Domine.*

In prima petit duo. Primo, petit exaudiri. Secundo, ostendit persuasionibus, quod debeat, addens quid petat, ibi, « *Quoniam inops.* »

In prima duo. Primo, petit ut eum Deus humiliter audiat. Secundo, quod audita tribuat, et petitum adimpleat, ibi, « *Et exaudi.* »

Prima pars Psalmi. Dicit ergo : Sic, Domine, benedixisti terram benedictione multiplici : sed rogo, o « *Domine, inclina aurem tuam,* » mihi infimo et infirmo : unde audire non poteris, nisi te inclinaveris : altissimus enim es, et potentissimus. Psal. xxx, 3 : *Inclina ad me aurem tuam, accelera,* etc. Auris autem Dei est ejus intelligentia, qua cordis nostri capit et discernit desideria et cogitationes ipsas. Sap. I, 10 : *Auris zeli audit omnia.* Hanc Deus inclinat, quia non tantum superioribus intendit, sicut amici Job eum putabant credere. Job, XXII, 14 : *Nubes latibulum ejus, nec nostra considerat, et circa cardines cœli perambulat* : sed omnia inferiora diligenter attendit, et subtiliter discutit. Sapient. VI, 8 : *Æqualiter cura est illi de omnibus.* Et dicit Augustinus : « Inclinat « aurem suam, si non erigis cervicem « tuam : humiliato appropinquat, non « in seipso exaltato. »

« *Et exaudi me,* » quæ peto conferendo. Dan. IX, 18 : *Propter temetipsum inclina Deus meus, aurem tuam, et audi.*

« *Quoniam inops.* » Hic secundum, in quo ponit rationes suas, orans adhuc ut impleatur quod petit, simul determinando quid petit : et dividitur in tres partes. Primo, ponit rationes a parte sui, qui petit. Secundo, a parte modi petendi, ibi, « *Miserere mei, Domine.* » Tertio, ex parte ejus quem petit, ibi, « *Quoniam tu, Domine.* »

In prima parte duo, secundum duo quæ allegat, quare debeat exaudiri. Primum est indigentia. Secundum, conversatio perfecta, ibi, « *Custodi animam.* »

In prima indigentiam allegat duplicem, defectum scilicet auxilii, et defectum rei, ibi, « *Et pauper.* »

Ait enim : Sic inclina aurem, et exaudi, et hoc debes, « *quoniam ego sum inops,* » id est, sine ope vel auxilio, vel ex meipso, vel ex aliquo alio nisi ex te. Cassiodorus : « Hoc dicen- « do conditionem humanitatis ostendit, « quæ ex se nihil habere potest, nisi « ex largitione divinæ bonitatis acce- « perit. » I ad Corinth. IV, 7 : *Quid habes quod non accepisti ?* Jacob. I, 17 : *Omne datum optimum,* etc. Job, VI, 13 : *Ecce non est mihi auxilium in me, necessarii quoque mei recesserunt a me.*

« *Et pauper,* » carens rebus. II ad Corinth. VIII, 9 : *Propter vos egenus factus est, cum esset dives* in omnibus. Bernardus : « Factus Filius Dei pauper, « ut pauper fieret dives. » Augustinus : « Pauper Dei esto, ut ipso im- « plearis. Quidquid enim aliud inve- « neris sine ipso, pauper efficieris. Di- « ves Pharisæus ostendit divitias virtu- « tum, et pauper effectus est. Publica- « nus confitebatur inopiam suam, et « dives factus est. » Prov. XIII, 7 : *Est quasi dives, cum nihil habeat : et quasi pauper, cum in multis divitiis sit.*

2 Eliditur error Apollinaristarum Christum habere animam negantium. « *Custodi animam meam.* » Hic secundum, in quo allegat perfectionem, et hanc duplicem : sanctitatis, et humilitatis, ibi, « *Salvum fac servum.* »

Dicit ergo : Sic rogo ut audias. Quidnam vis ? « *Custodi animam meam.* » Donfundit Apollinaristas, si in propria

persona loquatur Christus. Dicunt enim ipsum non habere animam, sed pro anima divinitatem. Cassiodorus : « Audiant « Apollinaristæ, Christum habere ani-« mam, et perfecti hominis sumpsisse « naturam, quia non poterat non habere « eam, ad quam specialiter probatus est « venisse salvandam. » Si pro membris loquitur, bene pro anima rogat, non pro corpore : hæc enim est, quæ ab ipso specialiter diligitur. Sapient. xi, 27 : *Tu, Domine, qui amas animas.* Hæc est quæ omni diligentia custodienda est, quod ostendit Dominus moriens in cruce. Luc. xxiii, 46 : *In manus tuas commendo spiritum meum* [1]. Prov. iv, 23 : *Omni custodia serva cor tuum.* I Reg. xxv, 29, dixit Abigail ad David : *Erit anima domini mei custodita quasi in fasciculo viventium.*

Deus animam diligentissime custodit.

Et nota, quod Deus custodit animam, ut civitatem, muros et antemuralia ponendo in ea, Isa. xxvi, 1 : *Salvator ponetur in ea murus, et antemurale*, per effectum, quia dat prælatos majores et minores, qui sunt muri et antemurale. Item, custodes ponendo, Isa. lxii, 6 : *Super muros tuos, Jerusalem, constitui custodes.* Item, ut vineam, Isa. xxvii, 3 : *Nocte et die servo eam.* Item, ut zelotypus sponsam, Exod. xx, 5 : *Ego sum Deus zelotes.* Item, ut thesaurum : thesaurus enim est cor : unde habemus thesaurum istum in vasis fictilibus [2]. Item, ut famulum et servum in compedibus ægrotantem, Eccli. xxxiii, 28 : *Servo malevolo tortura et compedes.* In Psal. cxxvi, 1 : *Nisi Dominus custodierit civitatem*, etc.

Christus sanctus in se et in suis membris, sed differenti sanctitate.

« *Quoniam sanctus sum,* » et in meipso, et in membris meis, quæ membra sunt in me viventia, non paralytica. Notandum enim, quod Christus sanctus est in quantum Deus, essentialiter. Levit. xix, 2 : *Sancti estote, quoniam ego sanctus sum.* Sanctus in quantum homo per gratiam unionis, et singulariter sanctus, unde Daniel. ix, 24, dicitur *Sanctus sanctorum.* Luc. i, 35 : *Quod nascetur ex te sanctum.* In membris vero suis per gratiam adoptionis et accidentaliter : unde illa sanctitas est longe differens a primis duabus. Sic Paulus in Epistolis suis salutabat christianos ut sanctos in pluribus locis [3]. Apoc. xxii, 11 : *Et sanctus, sanctificetur adhuc.*

« *Salvum fac.* » Hic secundum. Quasi diceret : Sic salva : quia sum sanctus et nihilominus humilis, non confidens de me, sed de te : unde dico : « *Salvum fac servum tuum,* Domine *Deus meus, sperantem in te :* » non in se. Dicit enim Gregorius : « Bonum cito perditur, quod « a largitore non custoditur. »

Quæ servitus competit Christo ?

Se autem dicit Christus servum, non a servitute, quia servi sunt existentes in servili timore, sed a servitio quo filii famulantur. Psal. cxv, 16 : *Servus tuus ego sum, et filius ancillæ tuæ.* Et rursus, Isa. xlix, 3 : *Servus meus es tu Israel, quia in te gloriabor.* Servus opera justitiæ exercendo : sicut principis. Ad Rom. vi, 20 : *Cum servi essetis peccati, liberi fuistis justitiæ.* Et parum supra, ℣. 18 : *Liberati a peccato, servi facti estis justitiæ.* Servus ad fidem colligendo incredulos, secundum illud Isa. xlix, 6 : *Parum tibi est ut sis mihi servus, ad suscitandas tribus Jacob, et fæces Israel convertendas.*

Et nota, quod duo petit : animam custodiri a malo inferendo, et salvam fieri a malo jam illato.

« *Miserere mei, Domine.* » Hic secundum, 3
in quo ponit rationes a modo petendi. Et primo, quia petitio est instans, et improba. Secundo, quia anxia, ibi, « *Lætifica*

[1] Cf. Psal. xxx, 6.

[2] II ad Corinth. iv, 7 : *Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus : ut sublimitas sit virtutis Dei, et non ex nobis.*

[3] Cf. ad Roman. xvi, 15 ; II ad Corinth. xiii, 12 ; ad Ephes. i, 4 ; ad Philip. iv, 22.

animam. » Tertio, quia recta intentione facta, ibi, « *Quoniam ad te, Domine.* »

Dicit ergo : Sic custodi, et salva rationibus prædictis, et etiam o « *Domine, miserere mei,* » pœnam pro malis, in quibus sum, relaxando : « *quoniam ad te clamavi,* » non semel, vel unica die, sed tota die. Glossa, id est, « omni tempore. » Ecce orationis instantia, quæ multum valet ad impetrandum. Jacob. v, 16 : *Multum valet deprecatio justi assidua,* non tantum quæ fit per voces, sed per bonas actiones. Psal. LXXXVII, 10 : *Tota die expandi ad te manus meas* [1]. Cassiodorus. « Magna voce clamat, qui quamvis lingua taceat, bonis tamen operibus perseveranter exclamat. » Luc. XI, 8 : *Et si ille perseveraverit pulsans : dico vobis, etsi non dabit illi surgens eo quod amicus ejus sit : propter improbitatem tamen ejus surget.*

4 « *Lætifica animam servi tui.* » Lætitiam petit : ergo monstrat se tristem. Propter hoc dicit Glossa, « Lætifica animam in passione tristitiæ. » Alibi, in Psal. L, 14 : *Redde mihi lætitiam,* etc. Bona autem petitio, quia non petit corporalem vel temporalem lætitiam, sed spiritualem, quæ a solo Deo est. Psal. XCIII, 19 : *Consolationes tuæ lætificaverunt animam meam.* Augustinus : « Tu solus es jucunditas animæ, amaritudine plenus est mundus. » Job, VIII, 19 : *Hæc est lætitia viæ ejus.* Sic lætabatur quæ dicebat : *Lætata sum in salutari tuo* [2]. Isa. LVI, 7 : *Lætificabo eos in domo orationis meæ.* Et hoc debes : « *Quoniam ad te,* » non ad alia, « *Domine, animam meam levavi,* » ut sit oratio mea recta. Alibi, in Psal. XXIV, 1 : *Ad te, Domine, levavi animam meam.* Thren. III, 41 : *Levemus corda nostra cum manibus ad Dominum in cœlos.* Augustinus : « Frumentum tuum de terra levas, ne putrescat, et cor tuum permittis putrescere ? In curru igne charitatis, in quo Elias est levatus in cœlum [3]. Hujus currus quatuor sunt rotæ. Prima, intellectus non errans. Secunda, voluntas adhærens intellectui. Tertia, memoria perseverans in adhæsione. Quarta, fortitudo non flaccescens in bona operatione. Sic enim diligitur Deus, et ex toto corde, et ex tota anima, et ex tota mente, et ex totis viribus. Equi duo, cogitatio beneficii creationis, et recreationis. Sed auriga, Spiritus sanctus. Isa. LVIII, 14 : *Sustollam te super altitudines terræ.*

« *Quoniam tu, Domine.* » Hic tertium, 5
in quo sunt rationes a parte ejus quem rogat, scilicet ipsius Dei : in quo dicuntur duo. Primo, ratio exauditionis ex parte bonitatis Dei. Secundo, ex parte potestatis, ibi, « *Quoniam magnus.* »

In prima dicuntur duo. Primo, sumitur ratio a bonitate. Secundo, ab utilitate consequente si impleatur quod petitur, ibi, « *Non est similis tibi.* »

In prima tria. Primo, explicat bonitatem, tamquam causam quare petit. Secundo, subjungit petitionem, ibi, « *Auribus percipe.* » Tertio, dat responsionem ad tacitam quæstionem quæ fieri posset, quare scilicet ira fidenter clamat, ibi, « *In die tribulationis.* »

In prima tria secundum tria, per quæ apparet bonitas divina. Primum, suavitas in conferendo bona. Secundum, mititas, sive mansuetudo in sustinendo mala, ibi, « *Et mitis.* » Tertio, multitudo misericordiæ, seu copia in dimittendo perpetrata, quando petitur venia, ibi, « *Et multæ.* »

Dicit ergo : Sic adjuva prædictis rationibus, et etiam « *quoniam tu, Domine, suavis,* » beneficia conferendo. Sapient. XII, 1 : *Quam bonus et suavis est,*

[1] Cf. etiam Psal. CXLII, 6, et ad Roman. x, 21.
[2] I Reg. II, 1.
[3] Cf. III Reg. VII, 32.

Domine, spiritus tuus in omnibus. Psal. XXXIII, 9 : *Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus.*

« *Et mitis,* » peccata tolerando. Augustinus : « Mitis es, Domine, tolerans « me : ex ægritudine defluo, cura, et « stabo : confirma me, et firmus ero. » Matth. XI, 29 : *Discite a me, quia mitis sum.* « *Et multæ misericordiæ,* » dimittendo quæcumque male dicta sunt, vel negligenter omissa. Psal. LXXXV, 15 : *Multæ misericordiæ et verax es.* Exod. XXXIV, 6 : *Tu, Deus, multæ misericordiæ ac verax.* II Reg. XXIV, 14 : *Multæ misericordiæ ejus.* Sed « *omnibus invocantibus te.* » Psal. LXXXV, 3 : *Prope est Dominus omnibus invocantibus eum.* Eccli. II, 12 : *Quis invocavit eum, et despexit illum* [1]*?* Nullus. Si invocas Deum, tamquam Deum, securus esto, quia exaudieris. Et bene dixi tamquam Deum : Deus enim medullis cordis est invocandus. Deus spiritus, intus in spiritu interpellandus. Joel, II, 32 : *Omnis qui invocaverit,* intus vocaverit, *nomen Domini, salvus erit.* Joan. IV, 24 : *Spiritus est Deus : et eos, qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare.*

6 « *Auribus percipe, Domine.* » Ecce secundum, in quo subjungit petitionem, et duo petit. Primo, ut perfecte audiatur quod petit. Secundo, ut audita perfecte adimpleat, ibi, « *Et intende.* »

Dicit ergo : Qui talis es, « *auribus percipe orationem meam,* » pro bonis impetrandis. Quid sit auris Dei, superius dictum est, quia ejus simplicissima essentia, quæ idem est quod ipse : sed in plurali dicit, « *Auribus,* » propter multitudinem intellectorum.

« *Et attende,* » perfecte et efficaciter dando petitum, « *voci deprecationis meæ,* » quæ est proprie pro malis amovendis. Augustinus : « Vis quod Deus « figat in auribus suis orationem tuam? « fige in manibus tuis legem suam. »

« *In die tribulationis.* » Hic est tertium, in quo dat responsionem quæstioni, quæ posset fieri. Quid ita instanter et ita confidenter petis tantam majestatem, auribus percipere verba tua, et illis intendere? Respondeo : « *In die tribulationis clamavi ad te,* » fortius et ardentius, quam alias. Cassiodorus : « Licet « a sanctis viris a Domino jugiter sup« plicetur, in tempore tamen tribulatio« nis enixius petitur. » Baruch, III, 1 : *Et tunc, Domine omnipotens, Deus Israel, anima in angustiis, et spiritus anxius clamat ad te.* Isa. XXVI, 16 : *Domine, in angustia requisierunt te.* Osee, VI, 1 : *In tribulatione sua mane consurgent ad me.* 7

« *Quia exaudisti me.* » Libenter enim vadunt pauperes, ubi eleemosynas consueverunt accipere. Nahum, I, 7 : *Bonus Dominus, et confortans in die tribulationis.* Psal. XLIX, 15 : *Invoca me in die tribulationis, et eruam te, et honorificabis me.* II Paralip. XX, 9 : *Clamabimus ad te in tribulationibus nostris, et exaudies nos, salvosque nos facies.* Et hoc decens valde. Eccli. XXXV, 26 : *Speciosa misericordia Dei in die tribulationis, sicut nubes pluviæ in tempore siccitatis.*

« *Non est similis tui.* » Hic secundum, in quo ostendit quam utilitatem consequetur sic exauditus : et dicuntur duo. Primo, motivum ad utilitatem, scilicet Gentium conversio. Secundo, ipsa utilitas, scilicet Gentium conversio ad Dei cultum, et fidem, ibi, « *Omnes Gentes.* » 8

In prima duo. Primo, quod similem non habet in essentia, qui sic exaudit tribulatos. Secundo, quod nec in potentia, ibi, « *Et non est secundum opera.* »

Dicit ergo : Sic exaudisti in tempore

[1] Cf. Psal. XXX, 2.

Non est in illis Deo in essentia, nec in potentia.

tribulationis : et propter hoc, « *non est similis tibi, o Domine.* » Isa. XL, 18 : *Cui similem fecistis Deum?* Jerem. X, 6 : *Non est similis tui, Domine : magnus es tu, et magnum nomen tuum in fortitudine.* Et « *hoc in diis,* » hoc est, in idolis, quæ reputabantur dii. Et vere nihil ibi tibi simile : quia illa sunt dæmonia. II ad Corinth. VI, 14 et 15 : *Quæ participatio justitiæ cum iniquitate? Aut quæ societas luci,* quæ Deus est, *ad tenebras,* umbras scilicet infernales : *aut quæ convenientia Christi ad Belial?* Nec in cultoribus suis, quia in Psal. CXIII, 8 : *Similes illis fiant qui faciunt ea, et omnes, qui confidunt in eis* [1]. Si ergo idola non sunt Deo similia, nec ipsi. Isa. XLVI, 9 : *Ego sum Deus, et non est ultra Deus, nec est similis mei.*

« *Et non est secundum opera tua.* » Et hoc patet : dictum est enim supra, quod opera ejus sunt opera suavitatis, et benignitatis, et multæ misericordiæ : sed opera idolorum, dæmonum, et suorum sunt opera crudelitatis, Jerem. VI, 23 : *Crudelis est, et non miserebitur.*

9 « *Omnes gentes quascumque.* » Ecce secundum, in quo præmissa occasione utilitatis, subjungitur de ipsa utilitate, quæ tangitur triplex. Primo, adventus omnium gentium ad fidem, ut sic approximent corde. Secundo, cultus divini exhibitio, ut sic veniant etiam opere, ibi, « *Et adorabunt.* » Tertio, ejus quem colunt confessio, ut sic glorificent ore, ibi, « *Et glorificabunt.* »

Dicit ergo : Sic exaudiens in die tribulationis, non habes similem : et propter hoc cum viderunt te sic exaudire, « *omnes gentes quascumque fecisti :* » tuæ enim sunt omnes. Psal. CXLV, 6 : *Qui fecit cœlum et terram, mare et omnia quæ in eis sunt.* « *Venient* » ad te, id est, ad fidem quæ est de te. Isa. II, 2 : *In illa die erit præparatus mons domus Domini in vertice montium, et elevabitur super colles, et fluent ad eum omnes gentes.* Isa. XLIX, 18, et LX, 4 : *Leva in circuitu oculos tuos, et vide : omnes isti,* etc. « *Et adorabunt,* » opere te colendo, « *coram te, Domine.* » Psal. LXXI, 11 : *Adorabunt eum omnes reges terræ : omnes gentes servient ei.* Isa. LX, 14 : *Venient ad te curvi filii eorum, qui te humiliaverunt, et adorabunt vestigia pedum tuorum.* « *Et glorificabunt,* » gloriose laudabunt, et extollent ore nomen tuum, quod est gloriosum in se, sicut dicitur, Eccli. XLIII, 32 et 33 : *Glorificantes eum quantumcumque potueritis.... Benedicentes Dominum, exaltate illum quantum potestis* [2]. Isa. XLIII, 20 : *Glorificabit me bestia agri.*

« *Quoniam magnus es tu.* » Hic est secundum, in quo ostendit quod debet exaudiri, sumens rationes ex parte potentiæ ejus quem rogat : et dicuntur duo. Primo tangit potentiæ magnitudinem. Secundo, singularitatem, ibi, « *Tu es Deus solus.* » 10

Item, in prima duo. Primo tangitur magnitudo essentiæ. Secundo, virtutis et operationis miraculosæ, ibi, « *Et facies.*

Dicit ergo : Sic moneo, ut exaudias, sumens rationes ex tua bonitate, et etiam exaudi, « *quoniam magnus es tu.* » Alia omnia nihil sunt comparatione tui. Isa. XL, 15 : *Ecce gentes, quasi stilla situlæ.* Et ℣. 17 : *Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo.* Sap. XI, 23 : *Tamquam gutta roris antelucani, sic est ante te orbis terrarum.* Propter hoc dicitur, Job, XXXVI, 26 : *Ecce, Deus magnus vincens scientiam nostram.*

« *Et faciens mirabilia,* » ut monstretur magnitudo in miraculosa operatione. Job, V, 9 : *Qui facit magna et inscrutabilia et mirabilia absque numero.* Eccli. XLII, 17 : *Nonne Dominus*

[1] Cf. etiam Psal. CXXXIV, 18.

[2] Cf. Daniel. III, 52 et seq.

fecit sanctos suos enarrare omnia mirabilia sua? Quasi diceret : Sic.

« *Tu es Deus.* » Quasi diceret : Non solum magnus es essentialiter, et potentialiter, sed et singulariter : « *quia tu es Deus solus* » magnus. Isa. XLV, 5 : *Ego Dominus, et non est amplius, extra me non est Deus*[1]. Alia littera addit, « Magnus, » Sic : Quia tu es Deus solus magnus, contra illos qui putant se esse magnos, Psal. XCIV, 3 : *Quoniam Deus magnus Dominus, et rex magnus super omnes deos :* multo ergo fortius super homines elatos et vanos. Hic magnus Deus fecit mirabilia in creando, sed mirabiliora in recreando, sed mirabilissima, ut ita dicam, faciet glorificando.

11 « *Deduc me, Domine.* » Hic est secunda pars primæ partis hujus Psalmi. Postquam enim pro membris petiit amotionem mali, hic consequenter petit in bono promoveri : et dicuntur duo. Primo, petitio. Secundo, persuasio ut conferatur petitum, ibi, « *Confitebor tibi.* »

In prima tria, secundum tria quæ petit. Primo, petit promoveri in bono. Secundo, in æternorum contemplatione, quod causatur ex primo, ibi, « *Et ingrediar.* » Tertio, lætificari in his cum moderamine, ibi, *Lætetur cor meum.* »

Dicit ergo : Sic petii amotionem mali, sed et hoc, « *Domine,* » rogo : « *Deduc me,* » gratiam proficiendi conferendo : « *in via tua,* » non ad viam tuam, quasi in ipsa via, quæ est justitia, jam positus sim : sed quæro proficere in illa. Isa. XXX, 21 : *Hæc est via, ambulate in ea.* In hac deduc me. Sap. X, 10 : *Justum deduxit* Dominus *per vias rectas.* Hæc via semita est stricta et arcta, et a paucis trita. Matth. VII, 14 : *Arcta via est, quæ ducit ad vitam : et pauci sunt, qui inveniunt eam.* Promittis autem te ducturum ad te conversum per illam. Prov. IV, 11 et 12 : *Ducam te per semitas æquitatis : quas cum ingressus fueris, non arctabuntur gressus tui.*

« *Et ingrediar.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Me deduc, et ulterius ingrediar, sic deductus contemplando, « *in veritate tua,* » in te qui veritas es, Joan. XIV, 6 : *Ego sum via, et veritas, et vita.* Loquitur enim Christus pro membris, quæ ingrediuntur in ipsam veritatem per contemplationem. Supra, in Psal. LXXII, 17 : *Donec intrem in sanctuarium Dei.* Et Jerem. III, 19 : *Patrem vocabis me,* in bonis operibus proficiendo, et me imitando : *et post me ingredi non cessabis,* æternam veritatem contemplando. Nec est infructuosus hic introitus : quia Joan. X, 9, dicitur : *Per me si quis introierit, salvabitur : et ingredietur, et egredietur.*

« *Lætetur cor.* » Ecce tertium. Quasi diceret : Sic proficiam, sic intrem, et tunc « *lætetur cor meum :* » non enim potest esse profectus in justitia, quin sit lætitia : quæ enim mulier parit masculum, et non lætatur ? Joan. XVI, 21 : *Cum autem pepererit puerum, jam non meminit pressuræ propter gaudium.* Quis terræ cultor non lætatur in manipulorum collectionem ? Isa. IX, 3 : *Lætabuntur coram te, sicut qui lætantur in messe.* Sic tamen « *lætetur cor meum, ut timeat,* » non timore servili, sed justo, et sancto, de quo supra, in Psal. XVIII, 10 : *Timor Domini sanctus, permanens in sæculum,* etc. Si enim lætitia sine timore habeatur, cito degenerat in lasciviam vanam, et præsumptionem. Propter hoc dicitur supra, in Psal. II, 11 : *Exsultate ei cum tremore.* Deut. XXIV, 6 : *Non accipies loco pignoris inferiorem, aut superiorem molam.* Item, ipse tremor habet lætitiam, et lætificat. Eccli. I, 12 : *Timor Domini delectabit cor.* Et in cap. II, 9 : *Qui timetis Dominum, sperate in illum : et in oblectationem veniet vobis misericordia.*

[1] Cf Isa. XLVI, 9.

Timeo, inquam, te, non tantum te, qui venturus es. Jerem. x, 7 : *Quis non timebit te, o rex gentium*[1]? Matth. x, 28 : *Timete eum, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam.* Sed, « *nomen tuum*, » etiam ut audire tantum nomen timeam. Malach. II, 4 et 5 : *Levi... a facie nominis mei pavebat:* non tantum a facie, sicut Adam, qui timuit a facie Domini deambulantis in paradiso[2].

12 « *Confitebor tibi, Domine.* » Hic persuasio ut petitum conferatur. Persuadet autem ob Dei laudem, quæ sequetur inde : unde dicuntur duo. Primo promittit Dei laudem si hæc contulerit. Secundo, addit laudis causam, ut monstret digne laudandum, ibi, « *Quia misericordia tua.* »

In prima duo, secundum confessionem duplicem quam promittit. Primo, integram confessionem cordis. Secundo, oris, tibi, « *Et glorificabo.* »

Dicit ergo : Sic Domine deduc, fac ingredi, lætifica : et si feceris, tunc « *confitebor tibi*, » confessione intimæ laudis, o « *Domine, Deus meus*, » non in parte cordis, « *sed in toto corde meo :* » ne sim de illis, qui ex parte cordis confitentur, et ex parte non, sed mundani et vanis dediti sunt, de quibus Osee, x, 2 : *Divisum est cor eorum, nunc interibunt.* Toto enim corde oportet ad Deum converti. Joel, II, 12 : *Convertimini ad me in toto corde vestro.* Psal. CX, 1 : *Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo.*

« *Et glorificabo.* » Ecce secundum. Sic corde confitebor, sed quia ad Rom. x, 10 : *Ore confessio fit ad salutem*, « *glorificabo* » in ore meo. Eccli. XXXIX, 20 : *Confitemini illi in voce labiorum vestrorum.* Psal. CVIII, 30 : *Confitebor Domino nimis in ore meo :* « *nomen tuum*, » non ad horam, sed « *in æternum*, » in alia vita post istam. Isa. XXIV, 23 : *Cum in Jerusalem... fuerit glorificatus.* Et LI, 3 : *Gaudium et lætitia invenietur in ea, gratiarum actio et vox laudis.*

« *Quia misericordia tua.* » Hic secundum, in quo tangitur causa laudis duplex, scilicet multiplicis boni collatio. 13
Secundo, ab inferno liberatio, ibi, « *Et eruisti.* »

Dicit ergo : Sic confitebor, et dignum est, « *quia misericordia tua*, » qua mihi exhibes multa bona, « *magna est.* » Eccli. XVII, 28 : *Quam magna est misericordia Domini, et propitiatio illius, convertentibus ad se!* « *Et super me*, » quia Jacob. I, 17 : *Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est*, etc. « *Et eruisti animam meam*, » a malo liberando, « *ex inferno inferiori.* »

Infernus multipliciter dicitur.

Nota enim, quod est infernus infra, ut ita dicam, scilicet hæc mortalitas, in quam cadimus a statu gratiæ, quasi a paradiso in peccatum. Prov. IX, 18 : *In profundis inferni convivæ ejus*, mulieris stultæ scilicet. Et in cap. II, 18 : *Inclinata est ad mortem domus ejus et ad inferos semitæ ipsius.* Et est infernus inferior, de quo hic loquitur, scilicet limbus, a quo anima Christi rediit. Supra, in Psal. XV, 10 : *Non derelinques animam meam in inferno*[3]. Et Augustinus : « Pervenit usque ad infernum, ne nos « ibi remaneremus. » Et est infernus infimus, de quo Prov. XXVII, 20 : *Infernus et perditio numquam implebuntur.* Isa. V, 14 : *Propterea dilatavit infernus animam suam, et aperuit os suum absque ullo termino.* Et de istis cantat Ecclesia : « In inferno nulla est redemp« tio. » Job, XVII, 16 : *In profundissimum infernum descendent omnia mea.* In eo gehennalis est afflictio.

[1] Cf. Apoc. XV, 4.
[2] Cf. Genes. III, 10.
[3] Cf. Act. II, 27.

14 Secunda pars Psalmi. « *Deus, iniqui.* » Hic est secunda pars totius Psalmi, in qua postquam præmissa est Christi oratio, quam facit pro membris, subjungitur consequenter oratio quam facit pro seipso. Ante advertendum, quod sicut illud quod dictum est in antecedentibus, conveniebat capiti, quamvis de membris specialius diceretur : sic quod dicitur hic de capite specialiter, potest et membris secundario convenire. Dividitur autem in duas partes : nam primo allicit et provocat ad pietatem illum quem orat. Secundo, exponit quæ petat, ibi, « *Respice in me.* »

In prima duo. Primo provocat et allicit judicem a persecutorum malitia et impietate. Secundo, ab ipsius judicis bonitate, ibi, « *Et tu, Domine Deus.* »

In prima duo. Primo allegat persequentium crudelitatem. Secundo, perversitatem, ibi, « *Et non proposuerunt.* »

Secundum duplicem crudelitatem persequentium : oris scilicet, et hoc primo : et secundo operis, ibi, « *Et synagoga.* »

Dicit ergo : Sic rogavi pro meis, sed etiam pro meipso, o « *Deus,* » quem nihil latet. Ad Hebr. IV, 13 : *Omnia nuda et aperta sunt oculis ejus... ad quem vobis sermo.* « *Iniqui,* » Judæi scilicet, « *insurrexerunt super me,* » id est, contra me. Oppressionem vocat : « *super me,* » coram judice nequiter accusando. Psal. XXVI, 12 : *Insurrexerunt in me testes iniqui.* Sap. II, 1 et 12 : *Dixerunt* impii *cogitantes apud se non recte :... Circumveniamus justum, quoniam... contrarius est operibus nostris.*

« *Et synagoga,* » id est, congregatio « *potentium,* » Principum, Sacerdotum, et Pharisæorum, « *quæsierunt animam meam,* » vitam meam perdere machinando, contra quam potuerunt opere. Hæc synagoga, de qua Eccli. III, 30 : *Synagogæ superborum non erit sanitas : frutex enim peccati radicabitur in illis.* Matth. XXVI, 4 : *Consilium fecerunt ut Jesum dolo tenerent, et occiderent.* Et Joan, XI, 47 : *Collegerunt ergo Pontifices et Pharisæi concilium,* etc.

« *Et non proposuerunt.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic fuerunt crudeles, et etiam perversi, et aversi a Deo : quia « *non proposuerunt te,* » ut tuo timore retraherentur, « *in conspectu suo.* » Psal. X secundum Hebræos, 5 : *Non est Deus in conspectu ejus : inquinatæ sunt viæ illius,* etc. Et alibi : *Non est Dei timor ante oculos eorum*[1]. Sed magis ad terrena mentis oculos converterunt, secundum illud Psal. XVI, 11 : *Oculos suos statuerunt declinare in terram.* Supra, in Psal, LIII, 5 : *Quoniam alieni insurrexerunt adversum me, et fortes quæsierunt animam meam : et non proposuerunt Deum ante conspectum suum.*

« *Et tu, Domine Deus.* » Hic sumit rationes a judicis bonitate, tangens primo quod pertinet ad ejus misericordiam et pietatem. Secundo, quod ad justitiam et veritatem, ibi, « *Et verax.* » 15

In prima duo. Primo, tangit ejus misericordiam. Secundo, ostendit in quibus dixerit misericordem, ibi, « *Patiens.* »

Misericordiam tangit duplicem. Primo, quantum ad actum miserendi specificat in duobus. In exspectando peccantes ad pœnitentiam primo. Secundo, in conferendo multa bona conversis a peccato. Primum cum dicit, « *Patiens.* » Secundum cum addit, « *Et multæ misericordiæ.* »

Dicit ergo : Tales sunt illi : « *Et tu, Domine, miserator,* » in actu misericordiam exhibendo. Isa. XLIX, 10 : *Miserator eorum reget eos, et ad fontes aquarum potabit eos.* « *Et misericors* » in habitu et natura. Joel, II, 13 : *Benignus et misericors est*[2]. In Psal. LXXXV, 15, similiter de utroque : *Deus miserator et misericors.* « *Patiens,* » exspectando peccatores. II Petr. III, 9 : *Patienter agit propter vos Dominus, nolens aliquos*

[1] Cf. Psal. XIII, 3, et ad Romam. III, 18.

[2] Cf. Psal. LXXXV, 5.

perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti. Eccli, v, 4 : *Altissimus patiens est redditor*. « *Et multæ misericordiæ,* » bona multiplicia conversis tribuendo. Thren. III, 32 : *Miserebitur secundum multitudinem misericordiarum suarum,* quæ est non solum in condonando, sed etiam in donando multa bona. Multæ etiam misericordiæ omnibus condonando, omnes recipiendo. Sap. XI, 24 : *Misereris omnium, quia omnia potes*. Multæ etiam misericordiæ multa beneficia omnibus continuando, numquam deficiendo. Thren. III, 22 : *Non defecerunt miserationes ejus.*

« *Et verax,* » promissa reddendo, et unumquemque, secundum merita remunerando. Joan. III, 33 : *Qui accepit ejus testimonium, signavit quia Deus verax est.* Ad Rom. III, 4 : *Est Deus verax : omnis autem homo mendax*[1].

16 « *Respice in me.* » Hic secundum, in quo subjungitur oratio : et dicuntur duo. Primo, petit judicem inclinari ad misericordiam. Secundo, determinat in quo vult sibi exhiberi illam, ibi, « *Da imperium.* »

In prima duo. Primo petit ad se judicem converti. Secundo, conversum ad se pietate inclinari, ibi, « *Et miserere.* »

Dicit ergo : Hi crudeles sunt, et tu tam benignus es : et propter hoc rogo, o « *Domine, respice in me,* » oculos pietatis convertendo ad me. Deut. XXVI, 15 : *Respice,* Domine, *de sanctuario tuo*[2], illo respectu, de quo Sap. IV, 15 : *Et respectus in electos illius.*

« *Et miserere mei,* » pietate inclinando ad me. Exod. XXXIII, 19 : *Miserebor cui voluero, et clemens ero in quem mihi placuerit.*

« *Da imperium puero.* » Hic secundum, in quo specificat in quo velit sibi exhiberi misericordiam, et cur in illo, vel in illis : et dicuntur duo. Primo, in quibus vult illam exhiberi determinat. Secundo, causam determinat, quare in illis, ibi, « *Et confundantur.* »

In prima duo, secundum duo in quibus petit sibi exhiberi misericordiam, in collatione scilicet judiciariæ potestatis, et acceleratione gloriosæ resurrectionis, ibi, « *Et salvum me fac.* »

Ait ergo : Sic miserere. In quo ? « *Da imperium,* » potestatem et ministerium judicandi, quia auctoritas semper est apud te, « *puero tuo,* » mihi homini. I Reg. II, 10 : *Dabit imperium regi suo, et sublimabit cornu,* etc. Imperium præcipiendi bonis, et malis : bonis ut intrent in gaudium, malis ut descendant in infernum. Supra, in Psal. LXXI, 2 : *Deus, imperium tuum regi da*[3].

Et nota, quod Christus dicitur *puer,* propter paupertatem : pueri enim nihil habent, Matth. VIII, 20 : *Vulpes foveas habent,* etc.[4]. Propter puritatem vitæ et innocentiam, I Petr. II, 22 : *Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus,* etc.[5]. Propter humilitatem : humiles enim sunt pueri, et sedent ad terram. Ad Philip. II, 7 : *Semetipsum exinanivit formam servi accipiens.* Matth. XI, 29 : *Discite a me, quia mitis sum,* etc. Propter mansuetudinem : offensi enim statim placantur. Nonne jam dictum est ? *Discite a me, quia mitis sum,* etc. Jerem. XI, 19 : *Ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam.* Et tandem propter obedientiam, Ad Philip. II, 8 : *Humiliavit semetipsum factus obediens* Patri *usque ad mortem, mortem autem crucis.* Hic ergo est, de quo Act. IV, 27 : *Convenerunt vere in civitate ista adversus sanctum puerum tuum Jesum, quem unxisti.* Quare Christus dicitur *puer ?*

[1] Cf. Psal. CXV, 11.
[2] Cf. Isa. LXIII, 15.
[3] Vulg. habet, Psal. LXXI, 2 : *Deus, judicium tuum regi da,* etc.
[4] Cf. Luc. IX, 58.
[5] Cf. Isa. LIII, 9.

« *Et salvum fac.* » Hic petit secundum, scilicet accelerationem et manifestationem gloriosæ resurrectionis. Dicuntur ergo duo. Primo petit resurrectionem. Secundo, resurrectionis manifestationem, ibi, « *Fac mecum.* »

Dicit ergo : Sic da imperium puero tuo, « *et salvum fac,* » non in anima, hoc enim jam habet ab instanti conceptionis : sed in corpore, ipsum post triduum suscitando : « *filium ancillæ tuæ,* » Mariæ scilicet, quæ dicit, Luc. I, 38 : *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.*

Nota enim, quod *ancilla* dicitur beata Virgo propter humilitatem, Luc. I, 48 : *Respexit humilitatem ancillæ suæ.* Ecclesia propter subjectionem, Psal. CXXII, 2 : *Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ, ita oculi nostri,* dicunt qui sunt de Ecclesia, *ad Dominum Deum nostrum.* Synagoga propter servilem timorem, Gen. XXI, 10 : *Ejice ancillam hanc, et filium ejus* [1]. Apostoli et prædicatores, propter paupertatem, et officium discurrendi ad prædicationem, Prov. IX, 3 : *Misit ancillas suas, ut vocarent ad arcem.* Caro propter fragilitatem, Prov. XXX, 21 et seq. : *Per tria movetur terra, et quartum non potest sustinere :* et hoc est, *per ancillam cum fuerit hæres dominæ suæ.* Bernardus : « Dominam ancillari, et ancillam dominari, magna abusio est. »

17 Resurrectio est signum Christi.

« *Fac mecum signum.* » Hic secundum, in quo petit resurrectionis manifestationem.

Ait enim : Sic salva, et « *fac signum* » resurrectionis : sic enim appellatur ipsa resurrectio. Matth. XII, 39 : *Generatio mala et adultera signum quærit : et signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ prophetæ* [2]. « *In bono :* » non enim fiet in bono omnibus resurrectio, sed in malo aliquibus, scilicet damnatis. Dan. XII, 2 : *Alii,* supple, evigilabunt, *in opprobrium, ut videant semper.* II Mach. VII, 14 : *Tibi enim resurrectio ad vitam non erit.* Bene autem dicitur signum Christi resurrectio, quia signum est resurrectionis justorum, et figura. Augustinus de *Civitate Dei :* « Talia futura sunt corpora « nostra in resurrectione nostra, quale « Christus in resurrectione sua monstra- « vit exemplum. » Ad Philip. III, 21 : *Reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ.* Et hoc « *signum fac mecum.* » In quo notantur duo, ut in ipso Christo fiat, et etiam ut cum ipso Deus Pater hoc faciat. Christus enim Deus cum Deo Patre in seipso homine operatus est resurrectionem.

Signum etiam in bono crux Christi est, quod petere debemus fieri in nobis, ad confusionem diaboli. Hieronymus : « Muniat nos signum potestatis tuæ, « quod videntes potestates adversæ fu- « giant confusæ. » Sic enim fac ut videant me resurrexisse, qui oderunt me. Joan. XVII, 1 : *Pater, clarifica Filium tuum.* Tunc enim Pater Filium suum clarificavit, quando resurrectionem ejus Judæis, imo toti mundo nuntiari fecit.

« *Et confundantur.* » Hic oratio petitionis, scilicet inimicorum confusio ex duplici causa. Ex liberatione Christi a pœna mortis, et consolatione pro gloria resurrectionis.

Ait enim : Sic volo ut videant. Ad quid ? Ut « *confundantur,* » confusione mala, de qua Eccli. IV, 25 : *Est confusio adducens peccatum,* scilicet ignominiam. Isa. XXVI, 11 : *Domine,... videant, et confundantur zelantes populi :* confundantur, inquam, super hoc : « *quoniam tu, Domine, adjuvisti me,* » in angaria passionis. Psal. XXIX, 11 : *Audivit Dominus, et misertus est mei : et Dominus factus est adjutor meus.* « *Et*

[1] Ad Galat. IV, 30 : *Ejice ancillam, et filium ejus.*

[2] Cf. etiam Matth XVI, 4, et Luc. XI, 29.

consolatus es me, » in gloria resurrectionis. Augustinus : « Contristatus est in « passione, consolatus in corona, hoc « est, in resurrectione, quando gloria et « honore est coronatus. » Hanc consolationem petebat in Psal. CXVIII, 76, ubi dicebat : *Fiat misericordia tua, ut consoletur me.* Hinc discimus, quod tristitiam sequitur consolatio, non lætitiam. Matth. V, 5 : *Beati qui lugent : quoniam ipsi consolabuntur,* in illa cœlesti patria consolatione æterna. Isa. LXVI, 13 : *Ego* ipse *consolabor vos, et in Jerusalem* illam cœlestem *consolabimini,* numquam postmodum desolandi : ad quam consolationem nos perducat, qui est benedictus per infinita sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS LXXXVI.

Excellentia civitatis Dei.

1. *Filiis Core, Psalmus Cantici.*
Fundamenta ejus in montibus sanctis :
2. Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob.
3. Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei !
4. Memor ero Rahab et Babylonis, scientium me :
Ecce alienigenæ, et Tyrus, et populus Æthiopum, hi fuerunt illic.
5. Numquid Sion dicet : Homo et homo natus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus ?
6. Dominus narrabit in scripturis populorum et principum, horum qui fuerunt in ea.
7. Sicut lætantium omnium habitatio est in te.

IN PSALMUM LXXXVI

COMMENTARIUS.

1 *Filiis Core, Psalmus Cantici* [1].

« *Fundamenta ejus in montibus.* »

Hic est Psalmus octogesimus sextus in toto libro, trigesimus sextus in parte secunda libri. Postquam enim egit de benedictionibus Ecclesiæ collatis per incarnationem Filii Dei, et oratione ejusdem Filii Dei, ut benedictionibus augeatur et confirmetur : primum in octogesimo quarto, secundum in octogesimo quinto, hic consequenter subjungitur Ecclesiæ exclamatoria commendatio, et hoc generaliter, tam militantis in via,

Psalmus commendat Ecclesiam sub metaphora civitatis.

[1] Nous voici en face d'un psaume qui est, dit Eusèbe, « admodum ænigmaticus et obscurus », mais, ajoute S. Augustin, « brevis numero verborum, magnus pondere sententiarum. » Tous les auteurs modernes en rattachent le sens historique aux jours qui suivirent la destruction de l'armée de Sennachérib. Cet événement merveilleux avait attiré tous les regards des nations sur Jérusalem, la ville imprenable, et sur son roi, et l'on accourait de tous côtés visiter les lieux témoins d'un si éclatant prodige, féliciter le souverain qui en avait été favorisé et louer le Dieu qui l'avait accompli. « Multi deferebant hostias et sacrificia

quam jam triumphantis, in patria : cujus commendatio non filios Babylonis, civitatis scilicet diaboli lætificat, sed filios crucifixi Christi, et propter hoc competenter dicitur in Psalmo : « *Filiis Core, Psalmus Cantici,* » hoc est, « *Psalmus* » iste « *Cantici* » consecutivus : primo enim cantabatur in humana voce, postea musico instrumento, quod *Psalterion* appellatur : quod optime fiebat : in cantu enim lætitia æterna designabatur, respiciens ad illam partem Ecclesiæ, quæ jam læta triumphat in patria, de qua dicitur, Isa. LI, 3 : *Gaudium et lætitia invenietur in ea, gratiarum actio et vox laudis.* Job, XXXVII, 37 : *Et concentum cœli, quis dormire faciet?* Nullus. Jugiter enim cantant, et laudant. In Psalmo bona operatio monstrabatur, quæ respicit ad illam partem Ecclesiæ, quæ adhuc militans laborat in via, cum dicatur, Genes. III, 19 : *In sudore vultus tui vesceris pane tuo.* Et illud Job, V, 7 : *Homo nascitur ad laborem.* Et Eccle. IX, 10 : *Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare : quia nec opus, nec ratio,* etc. Hic ergo « *Psalmus cantici,* » supple, cantandus est, « *filiis Core,* » id est, Christi in Calvaria crucifixi, paupertate extrema decalvati. Joan. XIX, 17 et 18 : *Et bajulans sibi crucem, exivit in eum, qui dicitur Calvariæ, locum,... ubi crucifixerunt eum.* Matth. VIII, 20 : *Vulpes foveas habent, et volucres cœli ni-*

Domino in Jerusalem, et munera Ezechiæ regi Juda : qui exaltatus est post hæc coram cunctis gentibus. » II Par., XXXII, 23. A cette vue, le fils de Coré chante la gloire de la cité sainte, non sans jeter un regard prophétique sur une autre cité qui sera la reine des nations, et dont la Jérusalem d'Ezéchias n'est que la figure. Toutes les données du psaume favorisent le sens historique que nous venons d'indiquer. Perowne les résume heureusement : « Babylone est substituée à l'Assyrie parce qu'on était en grandes relations avec le premier empire, et que l'autre semblait bien détruit à la fin du règne d'Ezéchias. Des ambassadeurs de Babylone viennent vers ce roi, et la prépondérance de ce pays à cette époque ressort avec évidence des prophéties d'Isaïe, XIII, XIV, XXXIX. La mention de la Philistie, de Tyr et de l'Ethiopie est également synchronique avec le règne d'Ezéchias. Comme Isaïe l'avait annoncé, XIV, 29, le roi avait soumis les Philistins, IV Reg., XVIII, 8. C'était une preuve que le Seigneur « avait fondé Sion. » Sous le même règne, il est constant que les relations avec Tyr furent renouvelées, et accompagnées d'une conversion partielle dont les présents et les tributs sont un témoignage. Dans le même temps les rapports de Juda avec l'Ethiopie apparurent avec un nouvel éclat, Is., XXXVII, 9, Soph., III, 10. Ezéchias d'ailleurs était remarquable par son esprit catholique. Non seulement il chercha à réunir Israël à Juda, II Par., XXX, mais encore il se mit en rapports avec « les étrangers qui vinrent de la terre d'Israël », et qui étaient distincts de la communauté, II Par., XXX, 25 ; plus tard, Ibid., XXXII, 23, ce sont d'autres nations qui apportent des présents dans le temple. » Au même temps, Isaïe prononçait une solennelle bénédiction sur les fils de l'étranger qui s'attachent au Seigneur, et trouvent la joie sur la sainte montagne, LVI, 7.

A ce sens historique se lie intimement le sens spirituel et prophétique du psaume, sens qui seul donne au morceau sa véritable portée, car les nations ne sont venus se ranger autour de la cité sainte qu'au temps du Messie et de la loi nouvelle. C'est donc la Jérusalem spirituelle, c'est-à-dire, l'Eglise qui apparaît ici aux yeux du psalmiste, et dont il célèbre les grandeurs. L'interprétation des Pères est unanime à ce sujet. Citons seulement S. Jérôme, Ep. CXXIX ad Dardan. 2 : « Numquid istas portas diligit Deus, quas videmus in cineres et favillas esse conversas ? Non dico prudentibus, sed ne stultis quidem hoc persuadere potest. » Et S. Optat de Milève : « Quas portas commemorat Spiritus sanctus... non illius corporalis montis, ubi jam nullæ sunt portæ, et post victorias Vespasiani imperatoris vix antiquarum exstant vestigia ruinarum. Est ergo spiritalis Sion Ecclesia, in qua a Deo Patre rex constitutus est Christus. » De Schism. Donat. III, 2.

Dans la liturgie, les mêmes traits scripturaires sont souvent appliqués à la fois à l'Eglise et à la Très-Sainte Vierge. C'est ce qui fait que notre psaume a pu être entendu de la bienheureuse Vierge Marie et de son rôle de mère vis-à-vis du Sauveur et des hommes. On trouvera dans M. Vigouroux, Man. bibl., sur ce psaume une belle interprétation de M. Olier.

H. Lesêtre.

dos : filius autem hominis, etc. Et est pulchra conjunctio Psalmi, et Cantici, bonæ operationis scilicet, et gaudii æternæ contemplationis Dei : unum enim sequitur ad aliud. Matth. XIX, 17 : *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.*

Dividitur autem Psalmus in duas partes, secundum hæc quæ tacta sunt. Primo commendat Ecclesiam, sub metaphora civitatis quantum ad partem adhuc in terris militantem specialiter, etsi quodammodo possit toti convenire. Secundo, quantum ad triumphantem specialiter, ibi, « *Sicut lætantium.* »

In prima duo. Primo enim commendatur ab ædificio et fundatione. Secundo, ab ipso fundatore, ibi, « *Numquid Sion.* »

In primo duo. Cum enim hujus civitatis ædificatio inchoata fuerit in Judæis, et in Gentibus consummata, primo commendat eam a fundatione Judæorum. Secundo, Gentilium, ibi, « *Memor ero.* »

In prima tria. Primo commendatur ab ipsa fundatione, et loco in quo fundata est. Secundo, a bonitate parietum et murorum, quasi superædificatorum, ibi, « *Diligit Dominus.* » Tertio, a fama et gloria sic constructa, quantum ad copiam omnium bonorum in illa, ibi, « *Gloriosa dicta sunt de te.* »

Prima pars Psalmi.

Dicit ergo : « *Fundamenta ejus.* » Cujus « *ejus ?* » quid enim antecessit, ad quod relativum hoc referatur ? Sed responsio est secundum Glossam, quod ad mentem Prophetæ refertur, de hac intentius in corde loquentis continue, et ipsam ruminantis, sicut Maria Magdalene, Joan. XX, 15 : *Si tu sustulisti eum, dicito mihi ubi posuisti eum : et ego eum tollam.* Vel refertur ad hoc quod sequitur, scilicet ad Sion, quæ significat Ecclesiam præsentem, quæ jam sub pallio figurarum contemplatur veritatem, sed ex parte quantum possibile est in vita ista, modo scilicet, limpide in futuro. II ad Corinth. III, 18 : *Nos vero omnes revelata facie gloriam Domini speculantes*, etc. « *Ejus* » ergo, id est, Sion « *fundamenta* sunt *in montibus sanctis,* » id est, ex montibus sanctis, scilicet ex Apostolis et Prophetis, qui montes sunt propter fidei altitudinem, Supra, in Psal. LXXI, 3 : *Suscipiant montes pacem in populo.* Et sancti propter vitæ puritatem, Levit. XI, 44 : *Sancti estote, quia ego sanctus sum.* A Deo sanctificati, Joan. XVII, 17 : *Pater,... sanctifica eos in veritate.* Cassiodorus : « Sancti Apostoli, qui soliditate fidei et excellentia sanctitatis, *montes* dicuntur. » Fundamenda ex lapidibus solidis. Qui enim sunt montes sancti, ipsi lapides solidi. Eccli. XXVI, 24 : *Fundamenta æterna*, æternaliter permansura, *super petram solidam*, et ex lapidibus pretiosis. Hi enim, qui montes sancti, qui lapides solidi, lapides sunt pretiosi. Isa. LIV, 11 : *Fundabo te in sapphiris.* Isti sunt duodecim lapides, in fundamento Ecclesiæ super lapidem Christum omnia sustentantem. Apocal. XXI, 14 : *Murus civitatis habens fundamenta duodecim*, in quibus Apostolorum nomina et Agni erant scripta [1]. Ad Ephes. II, 20 : *Superædificati super fundamentum Apostolorum, et Prophetarum, ipso summo angulari lapide*, etc.

« *Diligit Dominus.* » Hic secundum. Quasi diceret : Talia sunt fundamenta, qualia superædificata.

Dicit ergo : « *Dominus diligit portas Sion,* » propter illarum utilitatem, et pulchritudinem, Prælatos, et Prædicatores, Apostolorum et Prophetarum successores, qui *portæ* dicuntur, quia per illos intratur in Ecclesiam et exitur.

[1] Apocal. XXI, 14 : *Et murus civitatis habens fundamenta duodecim, et in ipsis duodecim nomina duodecim Apostolorum Agni.*

Diligendæ autem sunt portæ : quia ipsæ sunt pretiosæ valde. Apocal. XXI, 21 : *Singulæ portæ erant ex singulis margaritis.* Et pulchræ valde sculptæ martyrii sculptura. Isa. LIV, 12 : *Ponam... portas tuas in lapides sculptos.* Et varietate distinctæ. Tob. XIII, 21 : *Portæ Jerusalem ex sapphiro,* quod habet colorem cœlestem : *et smaragdo,* quod habet viridem, *ædificabuntur.* Ob hoc enim, quia debent esse lapides pretiosi, portant in manibus annulos continentes lapides pretiosos.

Tales portas diligit Deus, « *super omniæ tabernacula Jacob,* » super omnia figuralia tabernacula hoc figurantia. Num. XXIV, 5 : *Quam pulchra tabernacula tua, Jacob, et tentoria tua, Israel !* Elcana plus diligebat Annam, quam Phenennam [1]. Per Annam nova Ecclesia, per Phenennam Synagoga.

Maria civitas est, fundamentum sapientia, in sanctis montibus, in altissimis virtutibus, de qua sapientia dicit Eccli. XXIV, 14 : *In habitatione sancta,* supple, incisa, *coram ipso ministravi,* egressa de illa in mundum. Hæc habuit portas a Deo valde diligendas, scilicet sensus corporeos, modestos et honestos. Si enim portæ sensus non essent, Jeremias non dixisset in cap. IX, 21 : *Ascendit mors per fenestras nostras.* Ingressa est mors per fenestras sensuum, tamquam per quasdam portas.

3 « *Gloriosa dicta sunt.* » Hic tertium, in quo commendatur a fama.

Gloriosa dicta de civitate Dei referuntur.

Ait enim : Sic fundata est civitas talibus portis decenter ornata et famosa. Quia o tu, « *civitas Dei,* » quam Deus inhabitat, quam conservat, et quam regit et ordinat, « *gloriosa dicta sunt de te* » valde, et famosa. Quænam sunt illa ? Primum, quia sancta. Secundum, quia nova, nihil in te vetus : de quibus duobus, Apocal. XXI, 2 : *Vidi sanctam civitatem Jerusalem novam, descendentem de cœlo.* Quia jucunda, et opulenta, et firma : de quibus tribus, Isa. XXXIII, 20 : *Respice Sion civitatem solemnitatis nostræ,* ecce jucunditas : *oculi tui videbunt Jerusalem, habitationem opulentam,* ecce aperte quam opulenta : *tabernaculum, quod nequaquam transferri poterit,* ecce quam firma, et quam clara, et quam lucida. Apoc. XXI, 23 : *Civitas* illa *non eget sole, neque luna,* scilicet materialibus : *nam claritas Dei illuminavit eam, lucerna ejus est Agnus,* qui totam certe illuminat Ecclesiam militantem et triumphantem, quamvis clarius istam ultimam partem. Item, quia in regno, et legibus, et hujusmodi decentissime adornata. Augustinus : « Hortor te fieri civem illius civitatis, ubi rex veritas, lex charitas, dignitas sanctitas, pax felicitas, vita æternitas. » E contrario in civitate diaboli, ibi rex falsitas, lex cupiditas, dignitas iniquitas, lis felicitas, vita temporalitas.

De Maria gloriosa dicta sunt valde, quia sine semine virili fœcunda, sine gravedine gravida, sine dolore puerpera : quia lactavit, nutrivit, attrectavit, tenuit omnium Redemptorem. Quæ major his gloria ? Prov. XXXI, 29 : *Multæ filiæ congregaverunt divitias : tu supergressa es universas.*

« *Memor ero Rahab.* » Hic secundum, 4
in quo agit de hac civitate, in quantum ædificata est, et constructa ex Gentilitate. Ostendit enim nullum ab ea repulsum, sed omnes ipsam recipere sine personarum acceptione, per quinque, quæ tangit : per *Rahab,* quod est nomen proprium vilis personæ : per *Babylonem,* quod est nomen civitatis malæ : per *alienigenas,* quod pertinet ad extraneitatem in genere et conversatione : per *Tyrum,* quod est nomen regionis contrariæ Deo :

[1] Cf. I Reg. I, 1 et seq.

per *populum Æthiopum*, quod est nomen gentis inimicæ.

Dicit ergo : Sic gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei (mutat enim personam Propheta, et loquitur in persona Dei) « *memor ero, :* » recipiendo in hanc civitatem, « *Rahab* », id est, significatæ Gentilitatis per Rahab, de qua habetur Josue, II, 1 et seq., quod Rahab recepit exploratores, et per coccinum in fenestra salvata est. Sic Gentilitas recepit prædicatores, et per passionem Christi impressam in fronte et in memoria liberata est.

« *Et Babylonis,* » id est, Gentilitatis per Babylonem designatæ, existentis in confusione infidelitatis et perversæ operationis. Non enim Dominus ignorat suos, quos elegit, quantumcumque remoti videantur. II ad Tim. II, 19 : *Cognovit Dominus qui sunt ejus.* Novit autem memoriter et ad bonum. II Esdr. V, 19 : *Memento mei Deus meus in bonum :* quod et facit si volueris pœnitere, etsi Rahab fueris, et Babylon. Isa. XXIII, 16 : *Sume citharam, circui civitatem, meretrix oblivioni tradita : bene cane, frequenta canticum, ut memoria tui sit.* Et de Babylone, idem, XIII, 19 : *Et erit Babylon illa gloriosa in regnis.*

Et hoc, « *scientibus me,* » id est, per scientes me, per Apostolos scilicet, et prædicatores, quibus præcipiam tales ad fidem recipere, Judæis contemnentibus derelictis. Act. XIII, 46 et 47 : *Quoniam repellitis illud,* scilicet verbum Dei, *et indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad Gentes : sic enim præcepit nobis Dominus.* Sic impletum est illud, quod dixit Dominus Pharisæis : Publicani et peccatores præcedent vos in regnum Dei [1]. Ad Roman. XV, 21 : *Quibus non est annuntiatum de eo, videbunt* [2]. Et Isa. LV, 5 : *Et gentes, quæ te non cognoverunt, ad te current.*

« *Ecce alienigenæ,* » aliunde nati quam de Judæa, de qua supra, in Psal. LXXV, 2 : *Notus in Judæa Deus :* et non prope, imo in distantia propriæ voluntatis et morum. « *Et Tyrus :* » nec solum, imo cum ipsis existentes in distantia locorum, scilicet «*populus Æthiopum.* » Hi omnes « *fuerunt illic,* » in illa civitate congregati de alienigenis. Isa. LX, 10 : *Ædificabunt filii peregrinorum muros tuos.* Et rursum, LX, 4 : *Filii tui de longe venient, et filiæ tuæ de latere surgent.*

De vocatione Tyri innuebat Dominus, Matth. XI, 21 : *Si in Tyro et Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio et cinere pœnitentiam egissent.* Et in cap. XV, 28, dictum est mulieri Syrophenissæ : *O mulier, magna est fides tua.* De Æthiopia, in Psal. LXVII, 32 : *Æthiopia præveniet manus ejus Deo.* Sophon. III, 10 : *Ultra flumina Æthiopiæ, inde supplices mei.*

Per hæc autem quinque, quæ tanguntur in his duobus versibus, designantur peccatorum diversitates. Per Rahab, peccatis expositi. Per Babylonem, multitudine peccatorum confusi. Per alienigenas, in inventionibus peccatorum innaturalibus, in quibus nati non sunt, defixi. Per Tyros, in peccatis adimplendis ardentes et anxii : Tyrus enim interpretatur *angustia.* Per Æthiopes nigros, inseparabilitas, Jerem. XIII, 23 : *Si mutare potest Æthiops pellem suam,* etc. Nahum, X, 10 : *Facies omnium eorum sicut nigredo ollæ :* in peccatis obstinati.

Hos autem omnes Ecclesia recipit, hos Maria in se colligit, secundum quod ei dictum est, Isa. XVI, 3 et 4 : *Pone quasi noctem umbram tuam in meridie: absconde fugientes, et vagos ne prodas. Habitabunt apud te profugi mei : Moab, esto latibulum eorum a facie vastatoris.*

[1] Matth. XXI, 31 : *Amen dico vobis, quia publicani et meretrices præcedent vos in regnum Dei.*

[2] Cf. Isa. LII, 15 : *Quia quibus non est narratum de eo, viderunt.*

5 « *Numquid Sion dicet : Homo.* » Hic est secundum primæ partis totius hujus Psalmi, in quo subjungitur commendatio ab ipso fundatore, qui est verus Deus et homo, quamvis hoc videatur Synagogæ incredibile : et dicuntur duo. Primo, commendatio ab ipso fundatore, quem describit. Secundo, responsio quæstioni quæ fieri posset, qualiter istud cognovit, ibi, « *Dominus narrabit in scripturis populorum.* »

In prima duo. Primo, asserit fundatorem Deum et hominem. Secundo, ostendit in Synagoga infidelitatem secundum unam litteram, et veram litteræ ordinationem.

Christus fundato Ecclesiær.

Ait enim : Sic fundata est civitas, ex talibus ædificata : quod valde est mirabile et gloriosum. « *Homo et homo natus est in ea,* » in ipsa Ecclesia, quantum ad partem etiam militantem. Isa. IX, 6 : *Parvulus natus est nobis.* Parvulus homo parvulus factus. Matth. I, 20 : *Quod in ea natum est, de Spiritu sancto est.* « *Et ipse* » existens « *Altissimus,* » id est, Deus : « *fundavit eam.* » Luc. I, 35 : *Quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.* Et fundator ejus. Isa. LIV, 11 : *Fundabo te in sapphiris,* in Apostolis, et Prophetis, sicut supra dictum fuit. Ad Hebr. XI, 10 : *Abraham... exspectabat fundamenta habentem civitatem : cujus artifex et conditor Deus.* Imo in seipso fundavit eam, tamquam in primo fundamento. I ad Corinth. III, 11 : *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus.* Isa. XXVIII, 16 : *Mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, pretiosum, in fundamento fundatum.*

Sed « *numquid homo* » aliquis, quantumcumque eloquens dicet hoc? id est, persuadebit Sion, ut ipsa hoc credere possit? Quasi diceret : Non. Habac. I, 5 : *Opus factum est in diebus vestris, quod nemo credet cum narrabitur.* Credit enim Sion ipsum purum hominem, et non Deum, quia videbat ejus carnalem matrem et consanguineos. Matth. XII, 47 : *Ecce mater tua, et fratres tui foris stant quærentes te.* Et in cap. XIII, 55 : *Nonne hic est filius fabri,* etc. Joan. XIX, 5 : *Et dicit eis* Pilatus : *Ecce homo :* non, Ecce Deus.

Secundum ergo istam litteram et lecturam, Sion hic dicitur Synagoga. Vel secundum eamdem potest legi, ut Sion dicatur Ecclesia. Quasi diceret : Sic natus in ea homo fundavit eam verus Deus. Sed « *numquid homo* » dicet hoc, id est, persuadebit per se Sion, id est, Ecclesiæ? Quasi diceret : Non poterit nisi virtute Spiritus sancti hoc persuadere. Matth. X, 20 : *Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* Luc. XXI, 15 : *Ego dabo vobis os et sapientiam, cui non poterunt resistere et contradicere omnes adversarii vestri.*

Secundum aliam litteram, quæ sic habet : « Mater Sion dicet homo, » etc., legitur dupliciter. Primo ut sit ratio congregandi Gentiles ad Ecclesiam, sic : Ita venient Gentiles, et erunt de Ecclesia : sed unde erit hoc? Quia homo dicet, « Sion mater, » supple, mea es, et ipse, qui hoc dicet, est « in ea natus homo, » et tamen « *ipse* » existens « *Altissimus fundavit eam.* » Vel sic ut sit increpatio Synagogæ infidelis. Quasi diceret : Sic fundabitur civitas gloriosa, sed mater Sion, id est, Synagoga infidelis et misera, quæ mater est Ecclesiæ primitivæ, ut *Sion* genitivi casus sit, dicet : Homo purus est Christus. Et tamen « *homo natus est in ea, et ipse fundavit,* etc. » Unde ipsa mater talis est increpanda, quæ proprium de se natum filium non agnoscit. Isa. I, 3 : *Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe domini sui : Israel autem me non cognovit, et populus meus non intellexit.*

« *Dominus narrabit.* » Hic secundum, scilicet responsio anthypaphoræ. Posset enim quæri : Unde hoc nosti? Et respon- 6

det : Quoniam ex Scripturis, quas describit a duobus : ab auditoribus illarum, quibus quasi transmissæ sunt : et auctoribus illarum, illis, inquam, a quibus editæ sunt, ibi, « *Et principum.* »

Dicit ergo : Sic natus est in ea homo Deus, qui fundator est ejus. Unde hoc nosti ? Vel sic : Magnum miraculum dixi, quod Deus nasceretur in civitate quam fundavit, nec aliquis discredat : quia « *Dominus narrabit,* » vel « *narravit* » (ponitur enim futurum pro præterito) quod ita futurum sit, « *in scripturis populorum,* » id est, propter populos factis, et ad ipsos directis. Ad Roman. xv, 4 : *Quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt.* Et ibi continetur de Christo vero homine, et Deo. Luc. xxiv, 27 : *Incipiens a Moyse, et omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quæ de ipso erant.* Joan. v, 46 : *Si crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi : de me enim ille scripsit.* Et ibidem, ℣. 39 : *Scrutamini scripturas ... et illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me.*

« *Et principum.* » Hic secundum. « *Et* » repete, in Scripturis « *Principum,* » Patriarcharum, Prophetarum, « *horum qui fuerunt in ea,* » tamquam cives. Vel, « *qui fuerunt in ea,* » Principes, quamvis quando erant extra, essent viles, quasi non reputati. Vel potest referri ad futurum : et sic Principes in ea intelliguntur Apostoli, qui in suis Scripturis hæc ostenderunt. De quibus Principibus, in Psal. xlvi, 10 : *Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham.* Et alibi, Psal. xliv, 17 : *Constitues eos Principes,* etc. Quamvis essent primo infirmi piscatores. Eccli. xxxviii, 26 : *Enarratio ejus,* istarum scilicet rerum, quod Christus sit Deus et homo : *in filiis taurorum,* id est, Patriarcharum, Prophetarum, scilicet Apostolorum, qui fuerunt filii taurorum, id est, Patriarcharum.

« *Sicut lætantium.* » Hic secunda pars totius hujus Psalmi, in qua commendatur Ecclesia specialiter quantum ad partem Ecclesiæ quæ jam triumphat, et lætatur in cœlis de triumpho : et tanguntur tria hic. Primo, jucunditas civium, ibi, « *Sicut lætantium.* » Secundo, jucundantium universalitas, ibi, « *Omnium.* » Tertio, soliditas jucunditatis, ibi, « *Habitatio.* » 7 Secunda pars Psalmi.

Dicit ergo : Sic fundata es, sic famosa, et a tanto fundatore constructa, « *et omnium,* supple, habitantium in te « *habitatio est sicut lætantium.* Sicut non est nota similitudinis, sed expressivum veritatis. Habitatio autem non in transitum sonat, sed in fixionem mansionis. Isa. lxii, 5 : *Habitabit juvenis cum virgine,* id est, habitabit in te Dominus Deus tuus. Sed quomodo ? Lætanter valde. Isa. lxv, 19 : *Gaudebo in populo meo : et non audietur in eo ultra vox fletus,* etc. Et in xxx, 29 : *Canticum erit vobis sicut nox sanctificatæ solemnitatis, et lætitia cordis sicut qui pergit cum tibia, ut intret in montem Domini.* Quid autem cantabitur ibi a lætantibus, determinatur Tob. xiii, 22 : *Per vicos ejus Alleluia cantabitur.* Cassiodorus : « Orare « transit, sed laudare succedit. Perpetua « securitas manet : quia perversitas nulla « miscetur. Æterna felicitas perseverat : « quoniam nequaquam contrarietate ali- « qua constat esse violandam. »

Et nota, quod Dominus totum mundum fecit tamquam aulam magnam, quam inhabitaret. Isa. lxvi, 1 : *Cœlum sedes mea est, terra autem scabellum pedum meorum.* Jerem. xxiii, 24 : *Numquid non cœlum et terram ego impleo, dicit Dominus ?* Fecit et cœnaculum, in quo reficeretur, et reficeret hominis mentem et animum. Apoc. iii, 20 : *Ecce sto ad ostium, et pulso : si quis audierit vocem meam, et aperuerit mihi januam, intrabo ad illum, et cœnabo cum illo, et ipse mecum.* Fecit, et quasi cubiculum in quo dormiret, Virginis uterum. Eccli. xxiv, 12 : *Qui creavit me, requievit in*

tabernaculo meo. Hæc fuit conclavis sanctissima, in qua vestem novam induit, scilicet carnem nostram. Pro hac ergo parte dici potest Ecclesiæ : « *Sicut lætantium omnium habitatio est in te.* » Omnes enim motus in Maria, fuerunt motus lætitiæ, et jucunditatis, in tantum ut veraciter dicere posset illud Genes. XXI, 6 : *Risum fecit mihi Deus.* Quantum ergo ad hanc partem, fundavit Dominus Ecclesiam suam in ipsius Mariæ conceptione, sed fundatam sanctificavit in ipsius emundatione ab originali culpa, sed emundatam inhabitavit in carnis assumptione de ipsa, ut nos redimeret Deus noster, in homine, Deus noster, qui est benedictus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS LXXXVII.

Afflictus et ab amicis derelictus se Deo commendat.

1. *Canticum Psalmi, Filiis Core, in finem, pro Maheleth ad respondendum, intellectus Eman Ezrahitæ.*
2. Domine, Deus salutis meæ, in die clamavi et nocte coram te.
3. Intret in conspectu tuo oratio mea, inclina aurem tuam ad precem meam.
4. Quia repleta est malis anima mea : et vita mea inferno appropinquavit.
5. Æstimatus sum cum descendentibus in lacum : factus sum sicut homo sine adjutorio,
6. Inter mortuos liber :
Sicut vulnerati dormientes in sepulcris, quorum non es memor amplius, et ipsi de manu tua repulsi sunt.
7. Posuerunt me in lacu inferiori, in tenebrosis, et in umbra mortis.
8. Super me confirmatus est furor tuus, et omnes fluctus tuos induxisti super me.
9. Longe fecisti notos meos a me : posuerunt me abominationem sibi.
Traditus sum, et non egrediebar :
10. Oculi mei languerunt præ inopia.
Clamavi ad te, Domine, tota die : expandi ad te manus meas.
11. Numquid mortuis facies mirabilia ? aut medici suscitabunt, et confitebuntur tibi ?
12. Numquid narrabit aliquis in sepulcro misericordiam tuam, et veritatem tuam in perditione ?
13. Numquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua, et justitia tua in terra oblivionis ?
14. Et ego ad te, Domine, clamavi, et mane oratio mea præveniet te.
15. Ut quid, Domine, repellis orationem meam, avertis faciem tuam a me ?
16. Pauper sum ego, et in laboribus a juventute mea : exaltatus autem, humiliatus sum et conturbatus.
17. In me transierunt iræ tuæ, et terrores tui conturbaverunt me.
18. Circumdederunt me sicut aqua tota die : circumdederunt me simul.
19. Elongasti a me amicum et proximum, et notos meos a miseria.

IN PSALMUM LXXXVII

COMMENTARIUS.

1 *Canticum Psalmi,*
Filiis in Core, in finem, pro Maheleth ad respondendum, intellectus Eman Israelitæ, vel *Ezrahitæ* [1].

« *Domine, Deus salutis meæ.* » Hic est Psalmus octogesimus septimus in hoc totali libro, in secunda vero parte trigesimus septimus, qui bene sequitur Psalmum antecedentem. Cum enim in antecedenti Psalmo Ecclesiam commendaverit tam militantem adhuc in terris, quam triumphantem in cœlis, tamquam quæreret aliquis ejus verbis inflammatus, qualiter ero numero et merito de Ecclesia militante, qualiter præmio de triumphante? subjungit modo agens de Christi passione, et passionis imitatoribus, qualiter ad prædicta pervenitur. Ad Roman. VIII, 17 : *Si tamen compatimur, ut et conglorificemur*. II ad Corinth. I, 7 : *Scientes*

Psalmus monet nos ut passionem Christi imitemur, et sic ei respondeamus.

[1] Le titre du psaume est ainsi conçu : « Cantique (shir) mizmor des enfants de Coré, au maître de chant, sur le machalath, pour chanter, maskil d'Héman, l'Ezrahite. » Nous avons déjà trouvé le *machalath*, mentionné au Ps. LIII, 1 ; c'est le ton ou mode plaintif sur lequel il faut exécuter le psaume ; il convient ici mieux que partout ailleurs. Le mot suivant, לענות, *lehannoth*, peut signifier « pour répondre, » « pour affliger, » ou bien « pour chanter, » suivant les différents sens du verbe *hanah*. La première acception n'est point possible ici, puisque la forme n'est point dialoguée ; la troisième n'aurait de sens que si on pouvait lire *lehannoth halmachalath*, à chanter sur le ton plaintif. Il faut donc traduire avec Delitzsch « ad opprimendum, » c'est-à-dire, « cum oppressa voce, » sur le mode plaintif et d'une voix dolente. La grande difficulté du titre vient de ce qu'il paraît composé de deux parties différentes ; le psaume est d'abord attribué aux enfants de Coré, puis ensuite à Héman. Voici les solutions proposées pour lever cette difficulté. 1° Le psaume a en effet deux titres distincts ; le premier parle d'un *mizmor*, le second d'un *maskil* ; ici l'auteur est un Coraïte, de la tribu de Lévi, là un Ezrahite, de la tribu de Juda. Ces données sont inconciliables, et la première partie du titre est à sacrifier ; peut-être n'est-elle qu'une répétition fautive de ce qui se lit en tête du psaume précédent. On doit donc garder seulement : Au maître de chant... maskil d'Héman l'Ezrahite. 2° Le titre est à conserver tout entier ; il indique que la partie musicale est due aux fils de Coré, et la composition elle-même à Héman. 3° Le Coraïte et Héman l'Ezrahite ne sont qu'un seul et même personnage. C'est cette identification que beaucoup refusent d'admettre. Les fils de Coré appartenaient à la tribu de Lévi, I Par., VI, 22 ; Héman est appelé Ezrahite, et I Par., II, 6, nous lisons en effet qu'Héman et Ethan étaient fils de Zara. Mais comme Zara était de la tribu de Juda, la question est de savoir s'il n'y aurait pas deux Héman, l'un de Lévi, l'autre de Juda. Nous lisons qu'un Héman, fils de Caath, était chantre, I Par., VI, 33, et était appelé « le voyant du roi, » Ibid., XXV, 5. D'autre part, III Reg., IV, 31, il est dit que Salomon « était plus sage qu'Ethan l'Ezrahite, Héman, Chalcol et Dorda ; or, ces quatre noms se trouvent reproduits I Par., II, 6, dans la nomenclature des descendants de Juda et des fils de Zara. Pour que ces deux Héman fussent identiques, il faudrait supposer qu'Héman et Ethan sont appelés lévites parce qu'ils furent adoptés par la tribu de Lévi, ou bien qu'ils doivent leur nom d'Ezrahites à une adoption de la part de Zara, ou encore à leur séjour sur le territoire des fils de Zara. Les deux adoptions reposent sur des hypothèses absolument gratuites ; la supposition que le nom d'Ezrahite désigne le séjour et non la filiation s'appuie sur deux faits analogues en apparence : il est dit d'un jeune lévite, Judic. XVII, 7, qu'il est de la tribu de Juda, et le lévite Elcana, I Reg., I, 1 est appelé éphraïmite. Cette assimilation n'est point absolument légitime ; les deux lévites cités portent des noms de tribus, et, par conséquent, de territoires ; Héman et Ethan ont le surnom d'un chef de famille tout-à fait secondaire, et ce n'est pas dans le courant d'un récit, c'est dans une table généalogique qu'ils sont appelés fils de Zara. Il n'est donc point certain qu'Héman l'Ezrahite, auteur de notre psaume, et Héman le lévite, le chantre et le voyant de David, soient le même personnage ; il ne ré-

quod sicut socii passionum estis, sic eritis consolationis. Act. XIV, 21 : *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* Quippe, Luc. XXIV, 26: *Nonne hæc oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam ?*

Hoc autem satis in titulo demonstratur, qui talis est : « *Canticum Psalmi, filiis Core, in finem, pro Maheleth, ad respondendum, intellectus Eman* Israelitæ, vel *Ezsrahitæ.* Est enim sensus, quod hoc, quod subjectum est, est « *canticum* » subsecutivum « *Psalmi.* » Primo enim musico instrumento, quod est Psalterion, cantabatur, et sic *Psalmus* erat proprie. Postmodum vocibus hominum repetebatur, et sic erat *Canticum.* Hoc, inquam, Canticum subsecutivum Psalmi, « *in finem,* » Christum scilicet, Ad Rom. x, 4 : *Finis legis, Christus, ad justitiam omni credenti,* nos ordinans, « *filiis Core* » cantandum est, id est, filiis Christi decalvati : Core enim *decalvatus* interpretatur : et ipse sine superfluitate temporalium conversatus est in hoc mundo. Matth. VIII, 20 : *Vulpes foveas habent, et volucres cœli nidos, filius autem hominis,* etc. [1]. II ad Cor. VIII, 9 : *Propter vos egenus factus est, cum esset dives* in omnibus. Et est « *pro Maheleth, ad respondendum.* » Ubi notandum, quod propositio *pro* sumitur pro *in.* Maheleth autem interpretatur *chorus.* Sensus ergo est : Ad respondendum in choro. Hoc est secundum litteram quod dictum est, quod præcinente instrumento musico, postmodum vocibus hominum respondebatur in choro. Et est « *intellectus,* » in hoc quod subjectum est, « *Eman Israelitæ.* » Quare Israelita ? quia de populo Israel. Vel, « *Ezrahitæ* » quia de partibus advenerat Orientis, et erat de cantoribus templi, et in hoc Psalmo cantando fortasse præcipuus, et etiam exponendo.

pugne aucunement à ce que deux poètes inspirés, l'un de Lévi, l'autre de Juda, aient pu porter le même nom et vivre à peu près dans le même temps. Plusieurs auteurs admettent qu'Héman l'Ezrahite est en même temps fils de Coré ; le plus grand nombre est d'un avis contraire, mais personne ne regarde la question comme définitivement tranchée. Les Septante ont bien senti la difficulté, et ont remplacé l'Ezrahite par l' « Israélite. »

Ce qui du moins est incontestable, c'est que l'auteur du psaume vivait à l'époque de Salomon. Son œuvre est de tout le psautier le morceru le plus empreint de tristesse. Ailleurs le psalmiste désolé finit toujours par faire vibrer la corde de l'espérance ; ici tout est navrant et lugubre dans les accents du poète ; il est au plus profond de l'abattement physique et moral, il ne parle que d'afflictions et d'abandons, et son dernier mot est pour saluer dans les « ténébres » le seul ami et la seule compagnie qui lui soit restée. Rien d'ailleurs, dans les sombres traits du tableau, qui permette de reconnaître une situation historique. Le ton du psaume se rapproche beaucoup de celui du livre de Job. Delitzsch note plusieurs termes spécialement empruntées à ce livre, *daab*, ℣. 10, *refain*, ℣. 11, *abaddon*, ℣. 12, *nohar*, *emim*, ℣. 16, *bihouthim*, ℣. 17, etc., cf. Job, XLI, 44 ; XXV, 5, 6 ; XXXIII, 25 ; XX, 25 ; VI, 4, et il en infère que le psaume et le livre de Job pourraient bien avoir le même Héman pour auteur. La similitude prouve seulement que le psalmiste cruellement éprouvé a pu chercher dans la lecture et la méditation de Job une consolation à ses maux. La manière dont il s'exprime ne permet pas de penser qu'il parle au nom de la communauté victime d'une grande catastrophe ou de la captivité. Tout ce qu'on peut affirmer, c'est que le psaume est la prière d'un homme accablé d'épreuves, peut-être lépreux, aveugle ou prisonnier, ℣. 9, et très certainement Héman n'est ici ni le roi Azarias, lépreux et interné, ni Ezéchias malade, ni Jérémie emprisonné ; le ℣. 16 suppose une affliction qui dure depuis le temps de la jeunesse.

Le sens spirituel est nettement messianique. « Domini hic passio prophetatur, » dit S. Augustin, et avec lui Euseb., S. Athan., etc. Le psaume a beaucoup d'analogue avec le début du XXIe ; le Messie abandonné de tous et accablé de douleurs implore le secours de son Père. Les Pères cependant ne pressent pas trop l'application de tous les versets à Notre-Seigneur. Le psalmiste peut aussi être la figure de la nation juive, si éprouvée au temps de Roboam, et de l'Eglise cruellement persécutée par ses ennemis.

H. Lesètre.

[1] Cf. Luc. IX, 58.

Expositio moralis tituli.

Spiritualiter autem quod subjectum est, « *Canticum* » appellatur, quia cum spirituali lætitia est cantandum, et ad illam nos invitat. Sed « *Psalmi canticum,* » quia ad bonam operationem. Et est cantandum « *filiis Core,* » filiis Christi in Calvaria crucifixi. Joan. xix, 17 et 18 : *Et bajulans sibi crucem, exivit in eum, qui dicitur Calvariæ, locum,... ubi crucifixerunt eum.* Et hoc « *ad respondendum* » ipsi Christo, ut scilicet patiantur si opus sit pro ipso, sicut ipse pro ipsis, secundum illud I Petr. ii, 21 : *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.* Et etiam pro proximo, secundum illud I Joan. iii, 16 : *Quoniam ille, animam suam pro nobis posuit : et nos debemus pro fratribus animas ponere.* Et hoc « *pro Maheleth,* » id est, in Maheleth, hoc est, in choro : aliter enim bene non respondemus Christi passioni, nisi vivamus in concordia, et unitate : ut simus de illis, de quibus Act. iv, 32 : *Multitudinis credentium erat cor unum, et anima una.* I ad Cor. xiii, 3 : *Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Et est intellectus non cujuslibet, sed « *Eman,* » scilicet fratris ejus : Eman enim interpretatur *frater ejus*, hoc est, Christi, illius scilicet, qui cum Paulo in cruce Christi tantum gloriatur, qui ad illos pertinet, de quibus Christus ait, Matth. xii, 50 : *Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est : hic mihi frater, et soror, et mater est.* Eman, inquam, Israelitæ, id est, fide Deum videntis : vel « *Ezrahitæ,* » hoc est, advenæ sui reputatione, qui dicit cum Psal. xxxviii, 13 : *Quoniam advena ego sum apud te, et peregrinus.*

Dividitur autem Psalmus in duas partes. Primo, Christus quasi in passione positus introducitur orans pro seipso. Secundo, pro membris illi respondentibus, hoc est, suam passionem imitantibus, ibi, « *Et ego ad te, Domine.* »

In prima duo : quia primo ponitur Christi petitio. Secundo, necessitas et ratio suæ petitionis, ibi, « *Quia repleta est malis.* »

In prima duo. Primo, captatio benevolentiæ ejus quem rogat. Secundo, petitio, ibi, « *Intret in conspectu.* »

Captat enim benevolentiam sumens rationem primo a parte Dei, quem rogat, quia suum est salvare. Secundo, a parte sui, qui rogat, quia jugiter et ferventer rogat, ibi, « *In die clamavi.* »

2 Prima pars Psalmi.

Dicit ergo : O « *Domine* » Pater, « *Deus salutis meæ,* » ut sit intransitiva constructio, id est, qui es salus mea. Supra, in Psal. xxvi, 1 : *Dominus illuminatio mea*, etc. Vel transitive, « *Domine, Deus salutis meæ* » auctor. Isa. xliii, 11 : *Ego sum Dominus, et non est absque me salvator.* Psal. lxxiii, 12 : *Operatus est salutem in medio terræ.* Matth. i, 21 : *Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.* Et dator, Isa. xlvi, 13 : *Dabo in Sion salutem, et in Israel gloriam meam.* Judith, xvi, 7 : Dedisti salutem in manu fœminæ[1]. Et mandator, Psal. xliii, 5 : *Qui mandas salutes Jacob.* Conservator, Prov. ii, 7 : *Custodiet rectorum salutem, et proteget gradientes simpliciter.*

Necessaria in oratione.

« *In die clamavi, et nocte coram te.* » In hoc quod dicit, « *in die et nocte,* » notatur orationis continuitas. In hoc quod addit, « *Clamavi,* » fervor. In hoc autem, quod addit, « *Coram te,* » recta intentio. Orandum enim est semper, in die et nocte. Luc. xviii, 1 : *Dicebat autem et parabolam ad illos, quoniam oportet semper orare et non deficere.* I ad Thess. v, 17 : *Sine intermissione*

[1] Vulgata habet, xvi, 7 : *Dominus omnipotens tradidit eum,* id est Hophernum, *in manus fœminæ.*

orate. Et in prosperitate quæ per diem,et in adversitate quæ per noctem. Isa. XXI, 12 : *Venit mane et nox : si quæritis, quærite : convertimini, venite.* Orandum est ferventer, et cum clamore cordis. Psal. LXXXV, 7 : *In die tribulationis meæ clamavi ad te.* Et recta intentione contra hypocritas. Matth. VI, 4 : *Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.*

non valet ingredi. Eccli. XXXV, 21 : *Oratio humiliantis se, nubes penetrabit.*

« *Inclina aurem tuam,* » humiliter concedendo quæ peto, *ad precem meam.* » Supra, in Psal. XVI, 6 : *Inclina aurem tuam mihi, et exaudi verba mea.* Isa. XXXVII, 17 : *Domine, inclina aurem tuam, et audi : aperi, Domine, oculos tuos, et vide.*

3 « *Intret oratio mea.* » Hic secundum, in quo orat, et duo petit. Primo, quod Deus orationem ejus recipiat. Secundo, quod receptam humiliter impleat, ibi, « *Inclina aurem.* »

Dicit ergo : Sic tu es Deus salutis meæ, et ego clamo tota die. Unde rogo : « *Intret oratio mea in spectu tuo.* » Nota Glossam : « Virtus magna puræ « orationis, etc. » Ad hoc autem quod intret oratio, oportet, quod non veniat vacua, seb afferat secum ipsum orantis animum humiliatum, quia munus excellentissimum ; aliter ejicietur cum homine foras. Exod XXIII, 15 : *Non apparebis in conspectu meo vacuus.* Propter hoc dicit Daniel in cap. III, 39 : *In animo contrito, et spiritus humilitatis,* supple, venientes, *suscipiamur* a te, Domine. Prov. XVIII, 16 : *Donum hominis dilatat viam ejus,* sic et orationis.

Tria quibus impeditur oratio ut non exaudiatur.

Sed notandum, quod tria impediunt orationem, ne ingrediatur. Primum est si sit timida, talis enim oratio nihil audet aggredi. Propter hoc dicitur, Jacob. I, 5 et 6 : *Si quis vestrum indiget sapientia postulet* a Deo *in fide nihil hæsitans.* Et Cassiodorus : « Nullus ab oratione « repellitur, nisi qui in ea timidus inve« nitur.» Secundum est si sit tepida, quia talis non valet progredi. Propter hoc monet Paulus, ad Roman. XII, 12 : *Orationi instantes, spiritu ferventes :* cum enim fervet, tunc progreditur et dirigitur sicut incensum in conspectu Dei. Tertium est, quando est temeraria, hoc est, præsumptuosa, et non humilis, quia tunc

« *Quia repleta est.* » Hic secundum, 4
scilicet ratio vel necessitas petendi, quæ tangitur duplex. Prima est persecutio inimicorum. Secunda, elongatio notorum, qui debent esse proximi et amici, ibi, « *Longe fecisti.* »

In prima duo. Primo, persecutio ab inimicis illata describitur. Secundo, ostenditur, quod sit illata non sine ordinatione divina et dispositione, ibi, « *Posuerunt me.* »

In prima duo. Primo, persecutio illata factis. Secundo, verbis, ibi, « *Æstimatus sum.* »

In prima duo. Primo, persecutio quasi ex parte animæ, quæ est repletio dolorum. Secundo, ex parte corporis, quæ est magnitudo pœnæ, usque ad separationem, ibi, « *Et vita mea.* »

Dicit ergo : Sic rogo, et necesse habeo, quia « *anima mea repleta est malis,* » doloribus scilicet, et anxietatibus, dicit Christus, Thren. I, 12 : *O vos omnes, qui transitis per viam, attendite, et videte,* etc. Thren. III, 15 : *Replevit me amaritudinibus.* Matth. XXVI, 38 : *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Et propter hoc exauditus est. Nihil enim tam valet ad hoc ut exaudiaris, sicut dolore repleri. Augustinus : « Vis audi« ri ? Pauper esto : dolor clamat, non « fastidium. » Illa beata anima malo pœnæ repleta est : sed nunc repletæ sunt malo culpæ : unde in Psal. LXVII, 28 : *Appone iniquitatem super iniquitatem eorum.* Ad Roman. I, 29 : *Repletos omni iniquitate.*

Hujus autem repletionis signum est

certissimum ponderositas qua semper ad ea quæ deorsum sunt, inclinatur. Eccli. xxii, 17 : *Super plumbum quid gravabitur? Et quid illi aliud nomen, quam fatuus?* Signum est et redundantia per os. Matth. xii, 34 : *Ex abundantia cordis os loquitur.* Et hoc quia capere non potest aliquid boni, sed ipsum abominatur. Eccli. i, 26 : *Exsecratio peccatoribus sapientia.* Et Proverb. xxviii, 7 : *Anima satur, calcabit favum.* Signum est etiam quod non resonat percussa, hoc est, quod si affligitur, gratias non agit. Jerem. ii, 30 : *Frustra percussi filios vestros, disciplinam non receperunt.*

« *Et vita mea.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic anima repletur doloribus, quod frequenter contingit in homine non moriente : sed etiam « *vita mea,* » anima scilicet, « *appropinquavit inferno,* » veniens scilicet usque ad separationem sui a corpore. Eccli. li, 9 : *Vita mea appropinquans erat in inferno deorsum.* In figuram hujus dicebat Job, xvii, 16 : *In profundissimum infernum descendent omnia mea.*

5 « *Æstimatus sum.* » Hic tangitur persecutio oris, qua blasphemabant in eum, blasphemia triplici. Primo, quia credebant et dicebant eum necessitate, sicut alios homines, moriturum. Secundo, quia divino auxilio destitutum, ibi, « *Facta sum.* » Tertio, quod deterius est, propter peccatum proprium mortuum et occisum, nec ad viam reversurum, ibi, « *Sicut vulnerati.* »

Dicit ergo : Sic persecuti sunt opere, et etiam « *æstimatus sum* » ab eis, hoc ad invicem asserentibus, et colloquentibus, « *cum descendentibus in lacum,* » descensurus ex necessitate in infernum, sicut alii illuc descenderunt, cum tamen moriar voluntate mea. Isa. liii, 7 : *Oblatus est quia ipse voluit.* Joan. x, 18 : *Potestatem habeo ponendi eam,* scilicet animam meam, *et potestatem habeo iterum sumendi eam.* Et ibid : *Nemo tollit eam,* scilicet animam meam, *a me : sed ego pono eam a meipso.*

« *Factus sum.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Æstimant me necessitate ut alios, moriturum. Et « *factus sum* » illorum æstimatione et assertione, « *sicut sine adjutorio,* » supple, divino, et sic me æstimant adjutorio divino destitutum. Sapient. ii, 18 : *Si est verus filius Dei, suscipiet illum, et liberabit eum de manibus contrariorum*[1]. Et multa talia, quæ dicebant pendenti in cruce : cum tamen sim liber a necessitate moriendi, habens semper promptum divinum adjutorium.

« *Inter mortuos vivens,* » quia solus sine peccato, Isa. liii, 9 : *Eo quod iniquitatem non fecerit, neque inventus fuerit dolus in ore ejus.* Vere liber et liberans aliquos, Joan. viii, 36 : *Si Filius vos liberaverit, vere liberi eritis.*

6

« *Sicut vulnerati.* » Hic tertium, in quo dicuntur duo. Primo, tangit illorum blasphemiam. Secundo, blasphemantium pœnam tangit, ibi, « *Et ipsi de manu.* »

In prima duo. Primo, quod blasphemantes dixerunt ipsum non resurrecturum esse. Secundo, Deum omnino oblivioni tradidisse, ibi, « *Quorum non es memor.* »

Dicit ergo : Sic æstimatus sum ab eis necessitate moriturus, et a Dei auxilio destitutus, et etiam æstimatus sum, « *sicut vulnerati,* » occisi gladiis, « *in sepulcris dormientes,* » qui numquam postea evigilant. Nec mirum : quia viderunt lancea et clavis vulneratum[2]. Dormientes autem in sepulcris vocat mortuos. Isa. xiv, 18 : *Omnes reges gentium universi dormierunt.* Dan. xii, 2 : *Et multi de his qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt.*

Nota hic, quod est vulnus pœnæ, de

Vulnus pœnæ, culpæ, et gratiæ.

[1] Cf. Matth. xxvii, 40, 43.

[2] Matth. xxvii, 37 ; Joan. xxiii, 19.

qua Job, xvi, 14 : *Convulneravit lumbos meos.* Et rursum, ℣. 15 : *Concidit me vulnere super vulnus*, etc. Et est vulnus culpæ, quod est multiplex, scilicet suggestionis diabolicæ. Isa. xiv, 12 : *Corruisti in terram, qui vulnerabas gentes.* Culpæ omnis generaliter. Luc. x, 30, de illo qui *incidit in latrones, qui... despoliaverunt eum : et plagis impositis abierunt, semivivo relicto.* Eccli. xxi, 4 : *Quasi rhomphæa bis acuta omnis iniquitas, plagæ illius non est sanitas.* O homo, agnosce quam gravia vulnera sunt peccata tua, pro quibus necesse fuit Filium Dei vulnerari! Sed specialiter luxuriæ, quod separat carnem, et elicit sanguinem. Isa. i, 6 : *Vulnus, et livor, et plaga tumens*, etc. Vulnus luxuriæ, livor avaritiæ, et plaga tumens superbiæ. Et est vulnus gratiæ, vulnus scilicet charitatis. Cantic. iv, 9 : *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa, vulnerasti cor meum*, etc. Gilbertus : Talia vulne« ra in me multiplica, Domine Deus « meus. » Primum vulnus sustinuit Christus, ut nos a secundis vulneribus liberaret, et tertiis vulneraret.

« *Quorum non es.* » Ecce secundum Quasi diceret : Æstimatus sum sicut vulnerati dormientes, « *quorum* « etiam vulneratorum, Deus « *non es memor amplius*, » ad resurrectionem et liberationem : de quibus scriptum est : *Periit memoria eorum cum sonitu* [1]. Et Eccle. ix, 5 : *Oblivioni tradita est memoria eorum.*

« *Et ipsi*, » sic æstimantes de me, « *de manu tua*, » protegente eos a miseria, « *repulsi sunt*, » ut jam non protegantur, sed omni miseriæ exponantur, in pœnam prædictæ blasphemiæ. Supra, in Psal. lix, 3 : *Deus repulisti nos, et destruxisti nos.* Thren. iii, 17 : *Repulsa est a pace anima mea, oblitus sum bonorum.*

« *Posuerunt me.* » Hic tangitur persecutio in morte, vel post mortem. Et legitur tripliciter : quia lacus inferior potest sonare in pœnam, aut in culpam. Si in pœnam, aut temporalem, aut gehennalem, scilicet limbum : et dicuntur tria. Primo, quod turpissima morte est occisus. Secundo, quod oblivioni datus ab occisoribus, ibi, « *In tenebrosis.* » Tertio, quod in locum vilem dejectus, ibi, « *Et in umbra mortis.* »

Dicit ergo : Sic persecuti sunt me usque ad mortem, et etiam « *posuerunt me*, » ad litteram, « *in lacu inferiori*, » in extrema morte, et vilissima, quia morte crucis eum conciderunt, quæ erat mors latronum. Sapient. ii, 20 : *Morte turpissima condemnemus eum* [2]. Ad Philip. ii, 8 : *Factus* est *obediens* Patri *usque ad mortem, mortem autem crucis.*

« *Et in tenebrosis*, » ut essem omnino perditus, et oblivioni traditus, tamquam res latens in tenebris, quæ penitus non videtur. Psal. cxlii, 3 : *Collocavit me in obscuris; sicut mortuos sæculi.* Thren. iii, 6 : *In tenebrosis collocavit me, quasi mortuos sempiternos.*

« *Et in umbra mortis*, » id est, in loco sordido et fœtido me posuit, in quo homines occiduntur et puniuntur. Et sic est signum mortis, sicut umbra corporis. Glossa : « Umbra mortis, etc. » Hic est locus Calvariæ, in quo latrones et seditiosi et homicidæ plectebantur, crucifixus est, et juxta sepultus, sicut habetur, Joan. xix, 17 et 18.

Vel sic : « *Posuerunt me*, » sua reputatione, « *in lacu inferiori*, » in profunditate scilicet omnium vitiorum, quamvis innocens essem. Genes. xl, 15 : *Et hic innocens in lacum missus sum.* « *Et in tenebrosis* : » et exponit se, id est, « *in umbra mortis*, » in morte scilicet amarissima, quæ est quasi umbra mortis gehennalis, per quam veniebatur ad illam. Psal. cviii, 23 : *Sicut umbra, cum declinat, ablatus sum.*

[1] Psal. ix, 7.

[2] Cf. Jerem. xi, 19.

Tertio modo sic : « *Posuerunt me,* » id est, animam meam, mortem inferendo, in lacu inferiori, in limbo scilicet. Zachar. IX, 11 : *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua.* « *In tenebrosis :* » quia ibi erat carentia visionis divinæ quantum ad illos qui tenebantur. « *Et in umbra mortis :* » quia imago erat ex hoc ipso pœnæ gehennalis, quæ vere mors est. Isa. IX, 2 : *Habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis.*

8 « *Super me confirmatus est.* » Hic secundum, in quo ostenduntur quæ gesta sunt, facta fuisse divina dispositione, vel magis indignatione, secundum illorum æstimationem. Duo autem sunt quæ isti æstimabant. Primo, irrevocabilitatem iræ Dei super illum. Secundo, effectus iræ Dei universalitatem, ibi, « *Et omnes.* »

Dicit ergo : Sic persecuti sunt et ante mortem, et in morte, vel post mortem, et etiam illorum opinione, « *furor tuus,* » effectus scilicet tamquam tui furibundi, « *confirmatus est super me,* » ut numquam cesses me in furore affligere. Supra, in Psal. XXXVII, 3 et 4 : *Confirmasti super me manum tuam. Non est sanitas in carne mea a facie iræ tuæ.* Credunt illum furorem jam venisse super me, de quo Isa. XXX, 27 : *Ardens furor ejus, et gravis ad portandum :* quem timens pœnitens, dicit supra, in Psal. VI, 2 et XXXVII, 1 : *Domine, ne in furore tuo arguas me.*

« *Et omnes fluctus tuos,* » non solum aliquos, ut sic universaliter affligeres : fluctus enim dicit tribulationum passiones : « *induxisti super me,* » hoc est, induci fecisti. Thren. III, 54 : *Inundaverunt aquæ super caput meum : dixi :*

Perii. Eccli. XXIV, 8 : *In fluctibus maris ambulavi.* Supra, in Psal. LVIII, 3 : *Veni in altitudinem maris.* Jonæ, II, 4 : *Omnes gurgites tui, et fluctus tui super me transierunt.*

« *Longe fecisti.* » Hic secundum hu- 9
jus partis : postquam enim egit de persecutione inimicorum, hic subjungit de elongatione et fuga notorum : et dividitur in duas partes, secundum duo notorum genera. Quidam enim erant noti Christo communi notitia, et beneficiorum exhibitione, scilicet Judæi, quibus prædicabat. Alii convictus et conversationis ratione, scilicet Apostoli, quos speciales et familiares habebat.

Primo ergo agit de elongatione Judæorum. Secundo, Discipulorum, ibi, « *Traditus sum.* »

In prima duo. Primo, elongatio Judæorum a Christo tangitur. Secundo, abominatio ejus a quo sunt elongati : quia viderunt eum tam turpiter mori, ibi, « *Posuerunt me.* »

Elongatio Judæorum et discipulorum a Christo.

Dicit ergo : Sic me persecuti sunt adversarii, Gentiles scilicet, Scribæ et Pharisæi, et etiam, o Domine, « *tu fecisti,* » permittendo ut fieret, « *notos meos,* » qui prædicationes audierant, miracula viderant, « *longe a me,* » per fugam et detestationem. Job, XIX, 13 : *Fratres meos longe fecit a me, et noti mei quasi alieni recesserunt a me.*

« *Posuerunt me,* » non tantum abominabilem, sed quod majus est, « *abominabilem sibi,* » qui eos tot bona docueram. Amos, V, 10 : *Loquentem perfecte abominati sunt.* Job, XIX, 19 : *Abominati sunt me quondam consiliarii mei.* Et XXX, 8-10 : *Filii stultorum et ignobilium... abominantur me, et longe fugiunt a me.* Et nota, quod *notos* hic appellat, non quos ipse novit, sed qui eum noverant. Vel si eos quos novit, non notitia approbationis, sed notitiæ simplicis.

« *Traditus sum.* » Hic secundum, scilicet elongatio discipulorum : et tanguntur tria. Primo, ipsius traditio a Juda, quod fuit magna elongatio. Secundo, potestatis absconsio in illo articulo, ibi, « *Et non egrediebar.* » Tertio, Apostolorum infirmatio in fide Christi et amore, ibi, « *Oculi mei.* »

Christus a multis traditus, sed diversa intentione.

Dicit ergo : Sic notis factus sum abominatio, et etiam « *traditus sum* » a multis, a proprio discipulo moto avaritia. Matth. xxvi, 48 : *Qui autem tradidit eum, dedit illis signum, dicens : Quemcumque*, etc. Luc. xxii, 48 : *Juda, osculo Filium hominis tradis ?* Traditus sum a Judæo Pilato, a sacerdotibus, et Pharisæis, et hoc ex invidia. Matth. xxvii, 18 : *Sciebat enim, quod per invidiam tradidissent eum.* Joan. xix, 11 : *Propterea qui me tradidit tibi, majus peccatum habet*. Traditus est a Pilato ministris, ut crucifigeretur, et hoc ex damnabili negligentia. Joan. xix, 16 : *Tunc ergo tradidit eis illum*, scilicet Jesum, *ut crucifigeretur*. Et Matth. xxvii, 26 : *Jesum autem flagellatum tradidit eis ut crucifigeretur*. De hac dicit, Matth. xx, 19 : *Tradent eum Gentibus ad illudendum, et flagellandum.* Traditus etiam est a diabolo hæc omnia procurante, et hoc ex ignorantia, quia nesciebat eum Deum. I ad Corinth. ii, 8 : *Si cognovissent, numquam dominum gloriæ crucifixissent.* Traditus est etiam a Patre, et hoc ex summa clementia et misericordia quam habuit ad humanum genus. Ad Rom. viii, 32 : *Proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Item, a seipso, et hoc fecit ex obedientia. Ad Ephes. v, 2 : *Tradidit semetipsum pro nobis.*

« *Et non egrediebar,* » potentiam meam demonstrando, sed magis latebam eam abscondendo. Habac. iii, 4 : *Cornua in manibus ejus : ibi abscondita est fortitudo ejus.* Isa. xlv, 15 : *Vere tu es Deus absconditus.*

10 « *Oculi mei.* » Hic est tertium. Quasi diceret : Sic fuit a Juda traditus, sic quantum ad potestatem absconditus, et ob hoc, « *Oculi mei,* » Apostoli scilicet mei, qui debebant esse oculi, et lumen totius corporis mystici in me, totius mundi, Matth. v, 14 : *Vos estis lux mundi :* « *Languerunt.* » Job, xvii, 7 : *Caligavit ab indignatione oculus meus, et membra mea quasi in nihilum redacta sunt.* Et hoc, « *præ inopia,* » fidei, et amoris a me. Matth. xxvi, 31 : *Percutiam pastorem*, Christum : *et dispergentur oves gregis*[1], separatæ ab eo, a vera fide in ipsum, et charitate. Oves gregis, Apostoli : hinc habemus, quod oculi sunt Prælati, quorum multi languent præ inopia bonorum spiritualium. Isa. lvi, 10 : *Speculatores ejus*, oculi : *cæci omnes.* Et infra, ℣. 11 : *Ipsi pastores ignoraverunt intelligentiam : omnes in viam suam declinaverunt, unusquisque ad avaritiam suam, a summo usque ad novissimum.* Si autem inopia bonorum spiritualium non languerent, bene toti corpori providerent. Jerem. xxxi, 14 : *Inebriabo animam sacerdotum pinguedine.* Et quid sequitur ? *Et populus meus bonis meis adimplebitur.* Si ergo *oculus tuus scandalizat te,* inopia languens, *erue eum, et projice abs te*[2].

Contra prælatos bonorum spiritualium inopia laborantes

« *Clamavi ad te.* » Hic tertium, in quo præmissa petitione et petendi necessitate, subjungitur persuasio, ut impetretur petitum. Persuadet autem a duplici clamore : oris, et operis. Vel persuadet a devotione orationis primo. Secundo, a perseverantia in opere bono, ibi, « *Tota die.* »

Dicit ergo : Sic rogavi, Domine, et debeo impetrare, quia o « *Domine, clamavi ad te,* » clamore cordis et fervoris. Clamavit Christus ad populum clamore instructionis. Joan. vii, 37 : *Stabat* autem *Jesus, et clamabat, dicens : Si quis sitit, veniat ad me, et bibat.*

Multiplex Christi clamor.

Clamavit ad mortuum clamore potestatis, et ostensione virtutis suæ. Joan. xi, 43 et 44 : *Hæc cum dixisset, voce magna clamavit : Lazare veni foras. Et statim prodiit qui fuerat mortuus, ligatus pe-*

[1] Cf. Marc. xiv, 27 et Zachar. xiii, 7.
[2] Matth. xviii, 9. Cf. etiam Matth. v, 30 ; Marc. ix, 42.

des et manus instiitis. Clamavit ad Deum Patrem in signum humilitatis et subjectionis, et ostensionis veræ humanitatis. Matth. XXVII, 46 : *Et circa horam nonam clamavit Jesus voce magna, dicens : Eli, Eli ; lamma sabactani ?* Et Luc. XXIII, 46 : *Et clamans voce magna Jesus ait : Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.*

« *Tota die.* » Ecce secundum, in quo tangitur ejus jugis bona operatio : et dicuntur hic duo. Primo, quod jugiter bona fecit. Secundo, ne quis crederet quod per hoc omnes salvasset, quibus bona ejus opera non profecerint, ostendit, ibi, « *Numquid mortuis.* »

Dicit ergo : Sic clamavi ad te ore : sed ne hoc parum videatur, « *tota die,* » non una tantum, ne credatur intelligendum die Passionis, in qua manus habuit in cruce extensas, quia nec illa tota extensas habuit. « *Expandi ad te,* » bona faciendo, « *manus meas.* » Expandi ad populum Judæorum, dans exemplum bona faciendi. Isa. LXV, 2 : *Expandi manus meas tota die ad populum incredulum, qui graditur in via non bona* [1]. « *Expandi ad te,* » ad impetrandum quod volebam, et pro me, et pro meis. Psal. CXLII, 6 : *Expandi manus meas ad te.*

11

Peccatorum obstinatio variis nominibus expressa.

« *Numquid mortuis.* » Hic ostendit quibus non profuerit manuum ejus extensio, quia non profuit obstinatis in malitia, quos nominavit his quinque nominibus. Primo, mortuos. Secundo, sepulcris clausos, ibi, « *Numquid narrabit aliquis ?* » Tertio, perditos, ibi, « *Et veritatem.* » Quarto, tenebris involutos, ibi, « *Numquid cognoscentur.* » Quinto, a Deo oblivioni traditos, ibi, « *Et justitiam tuam.* »

In prima duo secundum duplicem quæstionem, quam facit, in partem negativam terminandam. Prima, si proderunt mortuis mirabilia per se facta. Secunda, si sacramenta per ministros exhibita, ibi, « *Aut medici.* »

Dicit ergo : Sic expandi tota die manus meas, sed « *numquid,* » o Deus Pater, « *mirabilia,* » quæ facies per me, et in me, « *facies mortuis ?* » non corpore (talibus enim sunt facta multa, filiæ Archisynagogi, Matth. IX, 18 et 19. Et filio viduæ, Luc. VII, 11-16. Et quatriduano Lazaro, Joan. XI, 1 et seq.) sed anima ? Quasi dicat : Non : nullam enim in semetipsis habentes vitam, miracula irrident, et non credunt : et sic coram ipsis fiunt, sed non ipsis. Tales sunt mortui, de quibus in Psal. CXLII, 3 : *Collocavit me in obscuris, sicut mortuos sæculi.* Et Apocalyps. III, 1 : *Nomen habes, quod vivas, et mortuus es.*

« *Aut* » supple, nunquid, « *medici,* » Apostoli scilicet mei, et subsequentes prædicatores, et prælati, « *suscitabunt,* » supple, tales mortuos, et sic « *confitebuntur tibi,* » confessione laudis ? Quasi diceret : Non : quia de talibus scriptum est in Psal. VI, 6 : *Quoniam non est in morte, qui memor sit tui.* Et ibidem : *In inferno autem,* in obstinatione, in peccato, *quis confitebitur tibi ?* Quasi diceret : Nullus. Eccli. XVII, 26 : *A mortuo, quasi nihil, perit confessio.* Medicos ergo hic appellat prædicatores, et prælatos.

Notandum enim, quod est medicus naturalis, qui curat corpora per artem medicinæ ad litteram. Eccli. XXXVIII, 1 : *Honora medicum, propter necessitatem.* Et est spiritualis malus, scilicet Philosophus qui vana docet et inutilia. Luc. VIII, 43, de muliere, quæ expenderat omnia bona sua in medicos, et semper deterius habebat [2], Anima scilicet, quæ expendit

Medicus naturalis et spiritualis, bonus et malus.

[1] Cf. ad Roman. x, 21 : *Tota die expandi manus meas ad populum non credentem et contradicentem.*

[2] Luc. VIII, 43 : *Et mulier quædam erat in fluxu sanguinis ab annis duodecim, quæ in medicos erogaverat omnem substantiam suam, nec ab ullo potuit curari.*

omnia naturalia in Philosophos scrutandos, nec sanatur. Sed bonus est medicus, Prælatus, qui habet artem medicandi, sacram scientiam, et medicamina, scilicet sacramenta, Jerem. VIII, 22 : *Numquid resina non est in Galaad ? aut medicus non est ibi ?* Alioquin, dicat illud Isa. III, 7 : *Non sum medicus, et in domo mea non est panis, neque vestimentum : nolite constituere me principem populi.* Genes. L, 2 : *Præcepit* Joseph *servis suis medicis, ut aromatibus condirent patrem.* Sed est optimus medicus, qui solo sanat verbo, imo solo nutu et voluntate. Matth. IX, 12 : *Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus.* Luc. IV, 23 : *Utique dicetis mihi hanc similitudinem : Medice, cura teipsum.* Augustinus : « Magnus de « cœlo venit medicus, quia malus in ter- « ris jacebat ægrotus. » Hic est Christus, qui est salus[1].

12 « *Numquid narrabit.* » Hic secundum, in quo idem dicit per alia, sicut dictum est : « *Numquid narrabit aliquis,* » supple, existens, « *in sepulcro ?* » hoc est, anima existens in peccato, quæ corpus suum habet ut sepulcrum, quales erant illorum animæ, quibus Dominus dicebat : *Væ vobis Scribæ et Pharisæi hypocritæ : quia similes etsis sepulcris dealbatis,* etc.[2] : « *Misericordiam tuam ?* » Quasi diceret : Non. Psal. XXIX, 10 : *Numquid pulvis,* impius qui tanquam pulvis in sepulcro latet in corpore specioso, *confitebitur tibi ?* Quasi diceret : Non. Psal. I, 4 : *Non sic impii, non sic, sed tamquam pulvis.* « *Et,* » supple, existens, « *in perditione,* » numquid annuntiabit « *veritatem tuam.* » Quasi diceret : Non : non enim veritati credunt, quare nec ipsam nuntiabunt. Si enim alii peccatores, etiamsi fideles excluduntur, quanto magis infideles et obstinati ? de quibus hic loquitur. Psal. XLIX, 16 : *Peccatori autem dixit Deus : Quare tu enarras justitias,* etc. Eccli. XV, 9 : *Non est speciosa laus in ore peccatoris.* Eccli. XXVII, 14 : *Narratio peccantium odiosa.* Propter hoc primo mundantur labia Isaiæ (VI, 6 et seq.) et tunc mittitur ad prædicandum. Et Jeremiæ dictum est in cap. I, 4 : *Priusquam te formarem in utero, novi te : et antequam exires de vulva, sanctificavi te,* et sic *prophetam in gentibus dedi te.* Positi ergo in sepulcro, et in perditione, non narrant misericordiam et veritatem : quia nemo contra se libenter loquitur. Prius ergo necesse est ut suscitetur, et tunc loquetur. Luc. VII, 15 : *Et resedit qui erat mortuus, et cœpit loqui.*

« *Numquid cognoscentur.* » Hic quarto nomine vocantur, scilicet nomine te- 13
nebrarum : quia « *numquid* etiam *mirabilia tua,* » quæ per me operaris, « *cognoscentur in tenebris ?* » In peccatoribus, qui non tantum sunt tenebrosi, sed magis tenebræ, alios scilicet obtenebrantes pravis exemplis suis. Joan. I, 5 : *Lux,* Christus, *in tenebris lucet,* in peccatoribus scilicet tenebrosis, et alios obscurantibus : *et tenebræ eam non comprehenderunt.* II ad Corinth. VI, 14 : *Quæ societas luci ad tenebras ?* Propter hoc monet Ecclesiastes, XII, 1 et 2 : *Memento creatoris tui,... antequam tenebrescat sol.*

« *Et justitia.* » Ecce quintum. Numquid, supple, cognoscetur, « *in terra oblivionis,* » in terreno scilicet corde, et a te oblivioni tradito, vel tui oblito, juxta illud Psal. XXX, 13 : *Oblivioni datus sum, tamquam mortuus a corde.* Nota ergo, quod mortui dicuntur reprobi, quibus opera Christi non prosunt : mortui per mortalem culpam,

[1] Matth. I, 21 : *Vocabis nomen ejus Jesum, ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.*

[2] Matth. XXIII, 27.

sepulti per pravam consuetudinem, sed perditi per obstinationem in culpa, tenebrosi per peccati divulgationem, et terra oblivionis per contemptum et desperationem. Res enim quæ contemnitur, cito traditur oblivioni. Hi non intellexerunt mirabilia, quæ Christus in terris fecit, nec illa, quæ adhuc facit in impii justificatione. Quis enim nesciat, quod in impii justificatione claudo restituitur gressus, manco manus, cæco visus, surdo auditus, et muto loquela : leprosus mundatur, paralyticus confirmatur, dæmoniacus liberatur, et tandem mortuus suscitatur?

Impii justificatio mirabilis.

14 « *Et ego ad te.* » Hic est secunda pars totius hutius Psalmi, in qua orat pro membris, se tamen non excluso. Membris, inquam, patientibus, sicut ipse a malis passus, et sic respondentibus ipsi, sicut in titulo tactum fuit.

Secunda pars Psalmi.

Primo ergo tangitur petitio. Secundo, persuasio, ibi, « *Pauper sum ego.* »

In prima duo. Primo, petitio. Secundo, conquestio de dilatione petiti, ibi, « *Ut quid, Domine?* »

In prima duo. Primo tangitur devotio petentis. Secundo, instantia orationis, ibi, « *Et mane.* »

Dicit ergo : Tales sunt illi quibus non prodest manuum mearum extensio. « *Et ego,* » Domine Deus Pater, in membris meis, et pro ipsis membris, « *ad te,* » non ad alium, « *clamavi,* » supple, ex fervore cordis. In Psal. LX, 3 : *A finibus terræ ad te clamavi*, clamore quem promittis te exauditurum. Isa. XXX, 19 : *Ad vocem clamoris tui, statim ut audierit, respondebit tibi.*

« *Et mane.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic clamavi ex fervore cordis : « *et oratio mea,* » non lenta, « *præveniet te,* » ita instanter orabo. Supra, in Psal. V, 5 : *Mane adstabo tibi, et videbo.* Scio enim quod scriptum est, Job, VIII, 5 et 6 : *Si diluculo consurrexeris ad Deum,... statim evigilabit ad te.* Isa. XXVI, 9 : *Anima mea desideravit te in nocte, sed et spiritu meo in præcordiis meis de mane vigilabo ad te.*

Sed secundum hoc videtur, quod Deus possit præveniri. Sed contra, in Psal. LVIII, 11 : *Misericordia ejus præveniet me.* Et Bernardus dicit : « Deus « inveniri potest, præveniri non pot« est. » Resp. Non prævenitur in quantum est largitor gratiarum. Prævenitur autem in quantum est præmiator bonorum. Propter primum dicitur : *Præoccupat qui se concupiscunt*[1]. Propter secundum dicitur, Sapient. XVI, 28 : *Oportet prævenire solem ad benedictionem tuam* percipiendam, quia dicetur in die judicii: *Venite benedicti*[2] : et illud Eccli. XVIII, 20 : *Ante judicium interroga teipsum, et in conspectu Dei invenies propitiationem.*

Dubium, an Deus possit præveniri.

« *Ut quid, Domine, repellis.* » Hic subjungitur conquestio : et dicuntur duo. Primo conqueritur, quod orationem suam non recipit. Secundo, quod magis miseriam infligit, ibi, « *Avertis.* » 15

Dicit ergo : Sic oro, et juste : et tu Domine, « *repellis orationem meam,* » non dando quod postulo. Sed « *ut quid?* » Similiter Job conqueritur in cap. XIX, 7 : *Ecce clamabo vim patiens, et nemo exaudiet.* Et Thren. XIII, 8 : *Cum clamavero et rogavero, exclusit orationem meam.* Et Habac. I, 2 : *Usquequo, Domine, clamabo et non exaudies?* Sed potest responderi : Ad bonum tuum, ut petas ardentius. Cassiodorus : « Sicut « ignis flatu venti repellitur, ut vivacius animetur : sic differtur oratio, ut « orantis animus fortius accendatur. » Et iterum, ut habita serventur diligentius, et humilius habeantur. Gregorius : « Differt Dominus dare quod petitur,

Quare Deus vota nostra differt?

[1] Sapient. VI, 14.

[2] Matth. XXV, 34.

« ut dilatum ardentius appetatur, et pe-
« tatur avidius : collatum servetur dili-
« gentius, et humilius habeatur. » Item, ut ei melius conferatur, etiam non dando quod petitur, quia nescimus quid nobis bonum est ita bene sicut scit Deus. Ad Rom. VIII, 26 : *Quid oremus, sicut oportet, nescimus.*

« *Avertis faciem tuam a me,* » tamquam indignatus mihi in effectu, quod est miseriam infligendo. Jerem. XVIII, 17 : *Dorsum, et non faciem ostendam eis.* Isa. LIV, 8 : *Abscondi faciem meam parumper a te.* Non enim simpliciter abjicit suos. Ad Rom. XI, 1 : *Numquid Deus repulit populum suum ? Absit.*

16 « *Pauper sum ego.* » Hic secundum, in quo subjungitur persuasio ut impetretur petitum. Persuadet autem a miseria, quasi omnibus innata. Secundo, ab inflicta a Deo, ibi, « *In me transierunt.* » Tertio, ab auxilii carentia, ibi, « *Elongasti a me.* »

In prima duo. Primo ostendit miseriarum diversitatem. Secundo, diversitatum continuationem in quocumque statu, ibi, « *Exaltatus autem.* »

Dicit ergo : Sic clamavi, et tu repellis : tamen non deberes, quia « *pauper sum ego* », quantumcumque videar dives. Sive loqueretur pro se caput Christus, verum diceret. II ad Corinth. VIII, 9 : *Propter vos egenus factus est, cum esset dives* in omnibus. Sive etiam loqueretur pro membris : nullus enim ita dives, quin pauper sit, æque forte sicut ille qui nihil habet. Gregorius : « In
« rebus terrenis pauper et dives, quam-
« vis non pari prosperitate fulciantur,
« compari tamen anxietate turbantur :
« quia quod ille cum metu possidet,
« iste cum anxietate appetit. » Apocal. III, 17 : *Quia dicis : Quod dives sum, et locupletatus, et nullius egeo : et nescis, quia tu es miser, et miserabilis, et pauper, et cæcus, et nudus ?*

Multiplex paupertas. Et nota, quod est paupertas miseriæ et passibilitatis, quam nullus evadit : et est medicinalis, et de hac loquitur hic. Etenim Cato :

> Infantem nudum cum te natura creavit,
> Paupertatis onus patienter ferre memento.

Et est paupertas indigentiæ et egestatis, quæ est in mendicis, et est tolerabilis, de qua Matth. XXVI, 11 : *Semper pauperes habetis vobiscum,* et cum vultis, potestis illis benefacere. Et est paupertas culpæ et iniquitatis, de qua Apocalyps. III, 17 : *Quia dicis : Quod dives sum, et locupletatus, et nullius egeo : et nescis quia tu es miser, et pauper, et miserabilis, et cæcus, et nudus,* et detestabilis ? Et est damnosa. Et est paupertas voluntaria, et virtutis, qua omnia reliquuntur propter Christum. Matth. XIX, 27, dicunt Apostoli : *Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te :* pauperes facti sicut tu. II ad Corinth. VIII, 9 : *Propter vos egenus factus est, cum esset dives* in omnibus. Et in Psal. XXXIX, 18 : *Ego autem mendicus sum et pauper.* Hæc perfecta et optabilis. Et est paupertas spiritus et humilitatis cordis, qua homo de se non sentit aliquid, de qua Matth. V, 3 : *Beati pauperes spiritu : quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Hæc est beata et delectabilis.

« *Et in laboribus,* » repete, sum, « *a juventute mea.* » Job, V, 7 : *Homo nascitur ad laborem, et avis ad volatum.* Quod si ipse Christus de seipso hoc dicit, quod utique verum fuit, quis audeat jam otiari ? Quis sane filiis Adæ feriandum arbitretur, quibus dictum est, Gen. Labor exercendus
III, 19 : *In sudore vultus tui vesceris pane tuo* : cum legamus de Domino, ego sum « *in laboribus a juventute mea ?* »

« *Exaltatus autem.* » Hic ostendit laboris et doloris continuationem.

Ait : Sic sum pauper, et in labore, non tantum in uno statu : « *autem,* » sed « *exaltatus,* » in quo videor paupertatem evasisse et laborem : « *humi-*

liatus sum, » ecce paupertas, « *et conturbatus,* » ecce labor. Et loquitur quantum ad quædam membra, quæ quanto exaltantur, tanto humiliantur. Genes. VI, 15 : Arca in superiori parte sui strictior erat. Ezech. XLII, 1 et seq., Gazophylacia templi in superioribus erant humiliora. Eccli. III, 20 : *Quanto magnus es, humilia te in omnibus.*

Alia littera habet « confusus, » pro « *conturbatus,* » et tunc sic legitur : Humiliatus sum in confessione peccati, et confusus in detestatione confessi. Eccli. IV, 25 : *Est confusio adducens gloriam.* Et Cassiodorus : « O beata « confusio, quæ æternum tollis opprobrium, in futuro. Ibi enim nullum « opprobrium, nulla confusio. » Augustinus : « Non erimus inopes, quia nostra « copia erit ipse Christus ens omnia in « omnibus : nec laborabimus, quia nulla « remanebit infirmitas : nec exaltati « humiliabimur et conturbabimur, quia « nulla ibi erit adversitas. »

17 « *In me transierunt.* » Hic secundum, in quo persuadet ab inflicta a Deo miseria : et dicuntur duo. Primo persuadet ab afflictione. Secundo, ab afflictionis magnitudine, ibi, « *Circumdederunt.* »

In prima duo. Primo, ab afflictione jam immissa. Secundo, ad exspectata, ibi, « *Et terrores.* »

Dicit ergo : Sic clamo ut exaudias, et debeo, propter innatam miseriam, et etiam o Domine, « *iræ tuæ,* » effectus scilicet iræ, afflictiones et miseriæ, « *transierunt in me.* » Quasi diceret : Non permanserunt super me. Isa. VIII, 8 : *Ibit per Judam, inundans, et transiens usque ad collum veniet.* Nahum, I, 8 : *In diluvio prætereunte,* non manente, *consummationem faciet loci ejus,* scilicet iniquitatum quas puniet. Tribulationes enim justorum quasi nihil reputantur ab eis. II ad Corinth. IV, 17 : *Id enim, quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Sed in malis erunt miseriæ non transeuntes. Isa. XXX, 32 : *Erit transitus virgæ fundatus.* Joan. III, 36 : *Qui incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum.*

« *Et terrores tui,* » id est, de tuis afflictionibus futuris super me, « *conturbaverunt me,* » intellectu et affectu turbaverunt me. Job, VI, 4 : *Terrores Domini militant contra me.* Et XXXI, 23 : *Semper enim quasi tumentes super me fluctus timui Deum.* Gregorius : « Ju- « storum mens non solum perpendit « quod tulerat, sed etiam pavet quod « futurum formidat : videt qualia in hac « vita patitur, et metuit ne post hanc « vitam gravius patiatur. » Deus timendus.

« *Circumdederunt me.* » Hic persuadet ab inflictæ miseriæ magnitudine, et ostenditur magnitudo ex duobus. Primo, ex continuatione. Secundo, ex multitudine, quia unum flagellum non succedit alteri, sed simul veniunt omnia, ibi, « *Circumdederunt me simul.* » 18

Dicit ergo : Sic affligis, unde miserendum : et etiam « *circumdederunt me tota die.* » Ecce continuatio in afflictione, sicut aqua, quæ tota die currit, nec deficit. Jonæ, II, 6 : *Circumdederunt me aquæ usque ad animam : abyssus vallavit me.* Et hoc « *tota die,* » id est, continue. Jerem. XVI, 13 : Dabos vos in manibus inimicorum vestrorum, qui non dabunt vobis requiem die ac nocte [1]. Matth. XIV, 24 : *Navicula in medio mari jactabatur fluctibus : erat enim contrarius ventus.* Sed justis, et electis sunt hujusmodi tribulationes, tamquam protectiones, et defensiones a culpis. Exod.

[1] Vulg. habet, Jerem. XVI, 13 : *Ejiciam vos de terra hac... servietis ibi diis alienis die ac nocte, qui non dabunt vobis requiem.*

xiv, 19 : *Aquæ eis erant quasi pro muro a dextris et a sinistris.*

« *Circumdederunt me,* » tribulationes meæ, non una post aliam, imo « *simul.* » Ecce multiplicitas. Job, xvi, 14 : *Circumdedit me lanceis suis, convulneravit lumbos meos.* Psal. xvii, 5 : *Circumdederunt me dolores mortis : et torrentes iniquitatis conturbaverunt me.*

Amici recedunt a nobis in adversitate constitutis.

« *Elongasti a me.* » Hic tertium, in quo persuadet a defectu humani adjutorii. Solent autem adjuvare in tribulationibus ii qui juncti sunt tribulato. Primo ergo ostendit se privatum conjunctis affectione. Secundo, conjunctis beneficiorum exhibitione, ibi, « *Et proximum.* » Tertio, conjunctis secretorum revelatione, quod est maxima familiaritas, ibi, « *Et notos.* »

Dicit ergo : Tales miseriæ sustineo innatas, tales inflictas, et etiam o Domine, « *elongasti,* » id est, elongari permisisti, « *a me,* » sic afflicto, « *amicum,* » mihi prius voluntatis unitate conjunctum, « *et proximum,* » mihi junctum beneficiis : talis enim dicitur proximus. Luc. x, 36 et 37 : *Quis... videtur tibi proximus fuisse illi, qui incidit in latrones? At ille dixit : Qui fecit misericordiam in illum.* Vel proximus appellatur junctus sanguinitate, sicut vult Glossa. Proverb. xiv, 20 : *Etiam proximo suo pauper odiosus erit.* Valde enim cito recedunt veniente tribulatione, sicut valde cito redeunt accedente prosperitate. Job, vi, 15 : *Fratres mei præterierunt me, sicut torrens qui raptim transit in convallibus.* Job, xix, 14 : *Dereliquerunt me propinqui mei.*

« *Et notos meos,* » qui me usque ad intima cognoscebant : et sunt tales speciales amici : unde arguit Joan. xv, 15 : *Jam non dicam vos servos,... sed amicos : quia omnia quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis.* Vel *noti,* sola fama me cognoscentes : etiam tales recesserunt, « *a miseria* » mea, nolentes ejus participes fieri. Eccli. xiii, 25 : *Humilis cum ceciderit, expelletur a notis.* Supra, in eodem Psalmo, ℣. 9 : *Longe fecisti notos meos a me.* Et quia longe fiunt a miseria mea in præsenti, longe fient etiam a gloria, ad quam nos perducat, qui est benedictus per infinita sæculorum sæcula. Amen.

PSALMUS LXXXVIII.

Enarrat fœdus Dei cum Davide, et queritur de Christi dilatione ac persecutionibus, a quibus petit liberari.

1. *Intellectus Ethan Ezrahitæ.*
2. Misericordias Domini in æternum cantabo :
   In generationem et generationem annuntiabo veritatem tuam in ore meo.
3. Quoniam dixisti : In æternum misericordia ædificabitur in cœlis : præparabitur veritas tua in eis.
4. Disposui testamentum electis meis : juravi David, servo meo [1] :
5. Usque in æternum præparabo semen tuum,
   Et ædificabo in generationem et generationem sedem tuam.

[1] II Reg. vii, 12.

6. Confitebuntur cœli mirabilia tua, Domine : etenim veritatem tuam in ecclesia sanctorum.
7. Quoniam quis in nubibus æquabitur Domino, similis erit Deo in filiis Dei ?
8. Deus, qui glorificatur in consilio sanctorum, magnus et terribilis super omnes qui in circuitu ejus sunt.
9. Domine Deus virtutum, quis similis tibi ? Potens es, Domine, et veritas tua in circuitu tuo.
10. Tu dominaris potestati maris, motum autem fluctuum ejus tu mitigas.
11. Tu humiliasti, sicut vulneratum, superbum : in brachio virtutis tuæ dispersisti inimicos tuos.
12. Tui sunt cœli, et tua est terra : orbem terræ et plenitudinem ejus tu fundasti[1] :
13. Aquilonem et mare tu creasti.
Thabor et Hermon in nomine tuo exsultabunt :
14. Tuum brachium cum potentia.
Firmetur manus tua, et exaltetur dextera tua.
15. Justitia et judicium præparatio sedis tuæ.
Misericordia et veritas præcedent faciem tuam.
16. Beatus populus qui scit jubilationem.
Domine, in lumine vultus tui ambulabunt :
17. Et in nomine tuo exaltabunt tota die : et in justitia tua exsultabuntur.
18. Quoniam gloria virtutis eorum tu es, et in beneplacito tuo exaltabitur cornu nostrum.
19. Quia Domini est assumptio nostra, et sancti Israel regis nostri.
20. Tunc locutus es in visione sanctis tuis, et dixisti : Posui adjutorium in potente : et exaltavi electum de plebe mea.
21. Inveni David, servum meum : oleo sancto meo unxi eum[2].
22. Manus enim mea auxiliabitur ei, et brachium meum confortabit eum.
23. Nihil proficiet inimicus in eo, et filius iniquitatis non apponet nocere ei.
24. Et concidam a facie ipsius inimicos ejus, et odientes eum in fugam convertam.
25. Et veritas mea, et misericordia mea cum ipso : et in nomine meo exaltabitur cornu ejus.
26. Et ponam in mari manum ejus, et in fluminibus dexteram ejus.
27. Ipse invocabit me : Pater meus es tu, Deus meus, et susceptor salutis meæ.
28. Et ego primogenitum ponam illum, excelsum præ regibus terræ.
29. In æternum servabo illi misericordiam meam : et testamentum meum fidele ipsi.
30. Et ponam in sæculum sæculi semen ejus : et thronum ejus sicut dies cœli.
31. Si autem dereliquerint filii ejus legem meam, et in judiciis meis non ambulaverint :
32. Si justitias meas profanaverint, et mandata mea non custodierint :
33. Visitabo in virga iniquitates eorum : et in verberibus peccata eorum :
34. Misericordiam autem meam non dispergam ab eo, neque nocebo in veritate mea.
32. Neque profanabo testamentum meum, et quæ procedunt de labiis meis non faciam irrita.
36. Semel juravi in sancto meo, si David mentiar :
37. Semen ejus in æternum manebit.

[1] Gen. I, 1.

[2] I Reg. XVI, 1.

38. Et thronus ejus sicut sol in conspectu meo, et sicut luna perfecta in æternum [1]: et testis in cœlo fidelis.
39. Tu vero repulisti et despexisti : distulisti Christum tuum.
40. Evertisti testamentum servi tui : profanasti in terra sanctuarium ejus.
41. Destruxisti omnes sepes ejus : posuisti firmamentum ejus formidinem.
42. Diripuerunt eum omnes transeuntes viam : factus est opprobrium vicinis suis.
43. Exaltasti dexteram deprimentium eum : lætificasti omnes inimicos ejus.
44. Avertisti adjutorium gladii ejus, et non es auxiliatus ei in bello.
45. Destruxisti eum ab emundatione, et sedem ejus in terram collisisti.
46. Minorasti dies temporis ejus : perfudisti eum confusione.
47. Usquequo, Domine, avertis in finem ? exardescet sicut ignis ira tua ?
48. Memorare quæ mea substantia : numquid enim vane constituisti omnes filios hominum ?
49. Quis est homo, qui vivet, et non videbit mortem ? eruet animam suam de manu inferi ?
50. Ubi sunt misericordiæ tuæ antiquæ Domine, sicut jurasti David in veritate tua [2] ?
51. Memor esto, Domine, opprobrii servorum tuorum, quod continui in sinu meo, multarum gentium :
52. Quod exprobraverunt inimici tui, Domine, quod exprobraverunt commutationem Christi tui.
52. Benedictus Dominus in æternum. Fiat ! fiat !

IN PSALMUM LXXXVIII

COMMENTARIUS.

1 *Intellectus Ethan Israelitæ* [3].

« *Misericordias Domini.* » Hic est Psalmus octogesimus octavus in toto libro, trigesimus octavus in secunda parte libri. Cum enim in Psalmo præcedenti actum sit de Christi passione, per quam fundata est Ecclesia, et in bonis exaltata, descendit hic ad declarandum specialiter illa bona, quæ per incarnationem et passionem Christi Ecclesia est consecuta. Sunt autem primo et principaliter duo, scilicet liberatio a malo, de qua agitur primo, et profectus in bono, de quo secundo. Prima autem dividitur in tres partes, secundum liberationem a triplici

Argumentum Psalmi: Primus incarnationis et passionis fructus, liberatio a malo culpæ.

[1] I Reg. xvi, 1-12. Act. xiii, 22.
[2] II Reg. vii, 16.
[3] Vulg. habet, *Intellectus Ethan Ezrahitæ.*

Nous rencontrons au début de ce psaume la même difficulté qu'au précédent. Ethan l'Ezrahite est de la tribu de Juda, par Zara, I Par., ii, 6 ; ne fait-il qu'un même personnage avec Ethan, fils de Casaia, de la famille de Mérari et de la tribu de Lévi, préposé par David, avec Asaph et Héman, à l'exécution des chants du temple, I Par., vi, 29 ; xv, 17 ? Pour répondre à cette question, nous n'avons rien à ajouter aux observations faites au psaume précédent ; la distinction est possible entre les deux Ethan, comme entre les deux Héman. Cette similitude de noms entre des personnages de fonctions analogues et d'aptitudes semblables ne doit pas étonner. Nous retrouvons plus loin, à propos de personnages dont le fils de Sirach fait l'éloge dans l'Ecclésiastique, deux grands prêtres du nom de Simon, tous deux fils d'Onias, et vivant chacun sous un Ptolémée qui prend le surnom d'Evergète. Ce qui est du moins certain, c'est qu'Ethan l'Ezrahite est frère d'Héman, I Par., ii, 6 ; c'est lui qui est comparé à Salomon, III Reg., iv, 31 ; il vivait

malo. A malo culpæ, de quo agitur in hoc Psalmo. A malo pœnæ, de quo secundo. Et a malo tentationis et inclinationis ad culpam, de quo agitur tertio. Primum in hoc Psalmo. Secundum in sequenti, Psal. LXXXIX,» *Domine, refu-*

du temps de ce prince, et il est à présumer qu'il lui survécut et vit en partie le règne de Roboam. Ce psaume et le précédent auront été placés à la suite l'un de l'autre à cause de la parenté de leurs auteurs.

Ethan rappelle longuement les promesses de règne éternel et de prépondérance faites par le Seigneur à David et à sa race, puis il décrit avec tristesse un état de choses qui semble bien éloigné de ce qu'on devait attendre à la suite de si hautes espérances : le roi, l'oint du Seigneur est abandonné de Dieu, dépouillé de sa puissance et déshonoré par des peuples étrangers. Une telle situation ne se présente ni sous David, ni sous Salomon ; mais nous la voyons éclater tout d'un coup sous Roboam. Ce prince s'est déjà aliéné la plus grande partie de ses sujets, et dix tribus se sont séparées de lui. Il y a cinq ans à peine qu'il est sur le trône, quand le roi d'Egyp e, Sésac, le Sésonchis de Manéthon, le Shaschanq des inscriptions, fait invasion en Palestine, probablement à l'instigation de Jéroboam, son allié, et peut-être aussi pour assurer ses communications avec l'Assyrie, son pays d'origine. Roboam voit bientôt ses villes fortes prises par Sésac, Jérusalem et le temple dépouillés de leurs trésors, et lui-même asservi au roi d'Egypte, selon la parole du Seigneur. Ces événements, mentionnés par le troisième livre des Rois, XIV, 25-27, et racontés un peu plus longuement par le second des Paralipomènes, XII, 2 9, ont été retrouvés inscrits en caractère hiéroglyphiques sur les pylones de Karnak. Cfr. Vigouroux, la Bible, Vol. IV, chap. I. Témoin d'une telle humiliation infligée au petit-fils de David, que pouvait penser le sage Ethan ? Il ne met point en doute la vérité des promesses divines, mais voyant le royaume de David et de Salomon presque anéanti sous le double coup du schisme et de l'invasion égyptienne, il s'étonne, il rappelle à Dieu ses promesses, et lui dit en son langage, comme plus tard la vierge Marie à l'archange : « Quomodo fiet istud » ? Les contemporains d'Ethan, comme les Juifs des âges postérieurs, devaient avoir compris dans un sens exclusivement temporel les destinées prédites à la race de David ; lui, le sage inspiré de Dieu, pouvait avoir des idées supérieures. Nous savons que les prophéties ont d'ordinaire un double objectif : le temps messianique qui est éloigné et où elles s'accomplissent totalement, et un temps rapproché où elles sont réalisées en partie et figurativement. Ethan prie donc le Seigneur de procurer cet accomplissement contemporain des promesses faites à David, et de faire ainsi honneur à sa parole, aux yeux des Juifs troublés dans leur foi et des étrangers encouragés dans leur haine. Quant à lui, il garde sa foi sans défaillance, il chante la miséricorde et la fidélité de son Dieu, et le conjure seulement de prendre en pitié dans le présent ceux qui sont dépositaires de si magnifiques promesses pour l'avenir. La situation faite à Juda sous Roboam explique donc le psaume d'une manière très satisfaisante. C'est l'opinion de Delitzsch, Moll, Cook, MM. le Hir, Vigouroux, etc. D'autres commentateurs pourtant le font composer par un descendant d'Ethan sous les derniers rois de Juda (Thalhofer), particulièrement sous Joachim (Tholuck, Schegg) ou Sédécias (Hengstenberg). La dernière partie du psaume se rapporterait alors moins à un roi qu'au royaume et au peuple lui-même. Cette interprétation nous paraît moins sûre que la précédente. Jusqu'à Sédécias, le royaume de Juda avait été bien des fois voisin de sa ruine et il s'était relevé ; l'abaissement de la race de David à cette époque n'avait donc pas lieu comme à l'époque de Roboam, où elle se produisait pour la première fois. Ajoutons que le psalmiste parle exclusivement d'un roi, de l'oint du Seigneur, et non d'un peuple ni d'un royaume. D'autres pensent qu'Ethan écrivait durant la captivité : ainsi Théodoret et Patrizi (qui donne à ce psaume le même auteur qu'aux psaumes LXXVI et LXXIX). Mais pendant la captivité, il n'y avait plus de roi, il n'y avait plus de temple, ce à quoi le psaume devrait faire allusion comme tous les écrits du temps.

Toute la deuxième partie du psaume est littéralement messianique, puisque la prophétie que reproduit intégralement le psalmiste a pour objet principal le règne du Messie. Il suit de là que le reste du psaume, surtout le commencement, peut s'appliquer spirituellement à la réalisation des espérances messianiques. Remarquons du reste avec Patrizi, de Interpret. Script. II, 9, que dans la Sainte Ecriture l'avènement du Messie est appelé par excellence la miséricorde de Dieu. C'est cette miséricorde que Nathan promet à David, I Par., XVII, 13, et qui, d'après le psaume, ỳ. 34, ne sera jamais ôtée à sa race ; or, tout fut ôtée aux enfants de David, sauf l'honneur de donner le Messie au monde. C'est elle que rappelle le fils de Sirach, « Deus au-

gium. » Tertium in tertio, ibi, Psal. XC, « *Qui habitat.* » Sed quia non nisi fortium in bonis operibus, et contemplantium veritatem æternam est intelligere, quomodo per incarnationem et passionem filii Dei a malo culpæ liberamur, recte præponitur hic titulus : « *Intellectus Ethan Israelitæ.* » Ethan enim interpretatur *robustus*, et erat unus de principibus cantoribus. Israelita interpretatur *videns Deum*. Sensus ergo est, quod subjectum in hoc Psalmo, « *intellectus,* » non cujuslibet, sed robusti. Isa. XXVIII, 9 : *Quem docebit scientiam? et quem intelligere faciet auditum?* Non parvulos, quibus adhuc lacte opus est, non solido cibo, sicut quibusdam dicit Paulus ad Hebr. v, 12[1], *sed ablactatos a lacte, avulsos ab uberibus*, qui jam sunt robusti, dum tamen Israelitæ sint, oculos mentis ad divina et ea quæ sursum sunt, elevantes, secundum illud II ad Corinth. IV, 18 : *Non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia sunt : quæ autem non videntur, æterna sunt.*

Dividitur autem Psalmus in duas partes principaliter. Primo, se cantaturum et etiam alios promittit de misericordiis Domini, quibus voluit filium incarnari et pati. Secundo, ne credantur omnibus fuisse fructuosæ istæ misericordiæ, et ut appareat fructus illarum, ostendit quibus non sint factæ illæ misericordiæ, et quibus factæ sunt, ibi, « *Tu vero repulisti.* »

In prima duo. Primo promittit se et alios cantaturos Dei misericordias. Secundo, promissum reddit, ibi, « *Tunc locutus es.* »

In prima duo. Primo promittit se cantaturum Dei misericordias. Secundo, alios, scilicet successores suos Apostolos, ibi, « *Confitebuntur cœli.* »

In prima iterum promittit duo. Primo, se laudaturum. Secundo, ostendit rationem quare est vere laudandus, ibi, « *Quoniam dixisti.* »

In prima duo. Primo, quod cantabit misericordiam. Secundo, quod misericordia non est sine justitia. Tertio, quod non silebit veritatem, ibi, « *In generationem.* »

tem non derelinquet misericordiam suam, » Eccli., XLVII, 24, et dont Zacharie, Luc. I, 72, 73, et la Vierge Marie saluent l'apparition : « Recordatus misericordiæ suæ. » Ibid. 54. Cette miséricorde a été promise par Dieu sans repentance ; aussi l'Ecriture célèbre-t-elle toujours la miséricorde du Seigneur de concert avec sa fidélité, et l'Eglise chante cet heureux accord en fêtant l'avènement du Seigneur Jésus, « quem perdito hominum generi Salvatorem misericors et fidelis promisisti. » Præf. paris. Advent. Les Pères s'attachent surtout à expliquer ce sens spirituel et messianique du psaume ; S. Athanase l'applique à la génération temporelle, au règne et à la passion de Jésus-Christ ; de même Eusèbe et S. Aug., de Civ. Dei, XVII, 9, 10. L'application de la troisième partie à la passion du Sauveur offre assez de difficulté ; Bellarmin en fait une prière pour appeler la prochaine venue du Messie. Signalons enfin une leçon morale que tire Flaminius. Il arrive souvent dans les œuvres de Dieu, remarque-t-il, que l'accomplissement des promesses divines semble rencontrer des délais et des obstacles insurmontables. Dieu choisit David pour être roi, mais que de luttes avant qu'il ne monte sur le trône ! L'ange annonce à Marie que son Fils possèdera le trône de David et règnera éternellement ; mais que de persécutions et de souffrances avant l'exécution de la prophétie ! « His rebus fit, ajoute-t-il, ut impii promissionibus et verbis Dei nullam fidem habeant, et ipsi pii sæpe ad dubitandum inducantur. Quocirca illud saluberrimum præceptum : *Qui crediderit, ne festinet*, semper in ore atque animo est habendum: qui enim moram ferre non potest, is neque constantiam neque fidendi perverantiam retinere potest. »

H. LESÊTRE.

[1] Ad Hebr. v, 12 : *Facti estis quibus lacte opus sit, non solido cibo.*

2 *Prima pars Psalmi.* Dicit ergo : Cantabo, non tantum ore, sed interius etiam corde. Ad Coloss. III, 16 : *Cantantes in cordibus vestris Deo.* Et etiam vita, et conversatione, secundum illud Psal. CIII, 23 : *Cantabo Domino in vita mea.* « *Misericordias Domini.* » Non dicit misericordiam, quia multiplex est effectus unius misericordiæ, quæ est ipse Deus. I Paralip. XXI, 13 : *Multæ sunt miserationes ejus.* Psal. L, 3 : *Secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam.* Isa. LXIII, 7 : *Miserationum Domini recordabor... super omnibus, quæ reddidit nobis Dominus.* Misericordias, inquam, « *in æternum,* » supple, mansuras. Alibi, in Psal. CII, 17 : *Misericordia autem Domini ab æterno, et usque in æternum.* Vel « *in æternum* » potest determinare « *cantabo :* » et tamen notanda quæstio quæ est in Glossa, et quæstionis solutio.

Septem misericordiæ Domino cantandæ. Et nota, quod septem misericordias enumerat Bernardus, quæ cantandæ sunt Domino, super illud Matth. XV, 34 et seq., de septem panibus. Prima est, quia a peccatis hominem conservat. Osee, II, 6 : *Sepiam viam tuam spinis, et sepiam eam maceria.* Thren. III, 22 : *Misericordiæ Domini quia non sumus consumpti,* in omnibus peccatis miseri, et sic consumpti, et nihil omnino effecti. Secunda est, quia peccantem ad pœnitentiam exspectat. Sapient. XI, 24 : *Misereris omnium, quia omnia potes, et dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam.* Tertia, quia vocat post exspectationem : de quo intelligitur illud Eccli. XVIII, 9 : *Patiens est Deus in illis,* primo : *et effundit super eos misericordiam suam,* post vocando ipsos. Hanc senserat Paulus cum dicebat : *Cum autem placuit ei, qui me segregavit ex utero matris meæ, et vocavit* ad pœnitentiam *per gratiam suam*[1]. Quarta, quia suscipit tam velociter, et tam dulciter pœnitentem. Eccli. XVII, 28 : *Quam magna misericordia Domini... convertentibus ad se?* Luc. XV, 20 et seq., de filio prodigo, qui dulciter et quam misericorditer a pio patre receptus est. Quinta, quia a peccatis corripit, et vitam in melius commutat. Judith, VII, 20 : *Tu, quia pius es, miserere nostri, aut in tuo flagello vindica iniquitates nostras.* Sexta est gratiæ allatio ad promerendam vitam æternam. Isa. XLIX, 10 : *Miserator eorum reget eos, et ad fontes aquarum potabit eos,* fontes, inquam, vitæ. Septima est spei infusio de bonis æternis obtinendis, de qua in Psal. XCIII, 18 : *Si dicebam : Motus est per meus :* affectus scilicet ut inclinetur ad culpam, *misericordia tua, Domine,* id est, spes habita de te, et in te, *adjuvabat me.*

« *In generationem.* » Hic secundum, in quo promittit se nuntiaturum veritatem, et in æternum sicut misericordiam.

Ait enim : Sic cantabo misericordiam, « *et annuntiabo veritatem,* » non meam, quia ex me nulla est. Psal. CXV, 11 : *Omnis homo mendax*[2], Deus autem verax. Joan. VIII, 44 : *Cum loquitur,* scilicet diabolus, *mendacium, ex propriis loquitur,* etc. Sed « *tuam :* » quia ex te est : tu enim solus verax. Et Ambrosius dicit : « Omne verum a quocumque dicatur, a Deo est. » Et hoc, « *in ore meo.* » Augustinus : Os quidem meum est, veritas « tua. » In Glossa: « Duo quædam sunt, etc. » Adde illud ad Rom. VI, 19 : *Sicut exhibuistis membra vestra servire immunditiæ, et iniquitati,* etc.

Vel, « *Annuntiabo veritatem tuam,* » non ex ore meo procedentem tantum, ne sim de illis, de quibus per Isaiam dicitur : *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me*[3] : sed « *in ore meo* » manentem, et illud tamquam mel

[1] Ad Galat. I, 15.
[2] Cf. ad Roman. III, 4.
[3] Hic est textus Matth. XV, 8. Vulg. autem habet Isa. XXIX, 13 : *Populus iste ore suo et labiis suis glorificat me, cor autem ejus longe est a me.* Cf. etiam Marc. VII, 6.

indulcantem. Apocalyps. x, 9 : *Erit* scilicet liber, *in ore tuo dulce tamquam mel.* Et hoc, « *in generationem* » Judæorum, « *et generationem* » Gentilium. Vel, « *in generationem* » antecedentem, « *et generationem* » subsequentem, hoc est, perpetuo. Psal. xxxiii, 2 : *Semper laus ejus in ore meo.*

3 « *Quoniam dixisti.* » Hic est secundum, scilicet causa et ratio laudis misericordiæ ejus, vel responsio ad id quod posset quæri, scilicet quomodo scit misericordias Domini, quas cantaturum promittit, vel melius utrumque. Duo ergo dicuntur. Primo, causa laudis assignatur ex parte misericordiæ exhibendæ. Secundo, ex parte ministri per quem facta est exhibitio, ibi, « *Juravi David, servo meo.* »

In prima dicuntur tria. Primo, causa laudis ponitur, misericordiæ exhibitio ipsis Gentilibus. Secundo, promissionis redditio ipsis Judæis, ibi, « *Præparabitur veritas.* » Tertio, modum tangit exhibendi utrumque, scilicet Novi Testamenti collationem, ibi, « *Disposui.* »

Dicit ergo : Cantabo misericordias, et hoc justum, « *quoniam dixisti,* » hoc est, mihi ostendisti, post quod non licet tacere. Amos, iii, 8 : *Dominus Deus locutus est, quis non prophetabit?* Hoc, inquam, dixisti, Quoniam « *misericordia,* » supple, tua, « *ædificabitur,* » non vacillabit, non cito transiet, sicut multorum misericordiæ, quibus dicitur Osee, vi, 4 : *Misericordia vestra quasi nubes matutina, et quasi ros mane pertransiens.* Male fundata est talium misericordia. Et hoc, « *in cœlis,* » id est, per cœlos, per Apostolos, qui cœli dicuntur in Psal. xviii, 1 : *Cœli enarrant gloriam Dei.* Vel, « *in cœlis,* » id est, in electis tuis, qui cœli sunt, id est, *casa helios,* in quibus habitas et sedes. Isa. lxvi, 1 : *Cœlum sedes mea,* supple, est. Utrique autem cœli dicuntur, et Apostoli specialiter, et omnes justi generaliter, quia in cœlis desiderio et certa spe conversantur, secundum illud Apostoli, ad Philip. iii, 20 : *Nostra conversatio in cœlis est.*

« *Præparabitur veritas.* » Hic est secundum. Quasi diceret : Sic in cœlis ædificabitur misericordia, et hoc per cœlos : et veritas tua, id est ; vera promissio tua, « *præparabitur in eis,* » id est, per eos, sicut supra : et hoc specialiter in Judæis. Et Glossa, « Præparabitur, id « est, præparata dabitur. » Ad Rom. xv, 8 : *Dico enim Jesum Christum ministrum fuisse circumcisionis, propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones patrum.*

Vel potest legi ut referatur ad eosdem. Quasi diceret : Misericordia ædificabitur in cœlis, in electis scilicet tuis. Et sequitur : « *Veritas tua præparabitur,* » antequam misericordia infundatur, « *in eis.* » Oportet enim antequam homo suscipiat Dei misericordiam se salvantem, quod præparetur veritate, qua ipse judicet se, secundum illud Eccli. xviii, 19 et 20 : *Ante judicium para justitiam,* ecce veritas præparata : *et in conspectu Dei invenies propitiationem.* Misericordia enim in aliquo non potest ædificari, nisi primo per veritatem præparantem, cordis vitia exstirpentur. Hinc dictum est, Jerem. i, 10 : *Constitui te... ut evellas, et destruas, et disperdas, et dissipes* primo, et postmodum *ut ædifices, et plantes.* Tunc impletur illud Jerem. xxxiii, 7 : *Ædificabo eos sicut a principio.*

« *Disposui testamentum.* Hic tertium, 4
in quo tangit modum exhibendi utrumque, scilicet collationem Novi Testamenti.

Ait enim : Sicut dixisti misericordiam te ædificaturum, misericordiam exhibuisti : et hoc per hoc quod dixisti : « *Disposui* » jam in æterna mea ordinatione, « *Testamentum* » Novum « *electis meis,* » hoc est, Testamentum Novum, post quod non erit aliud. Primum enim

fuit promissionis, hoc est consummationis. Ad Hebr. IX, 15 : *Sub priori Testamento repromissionem accipiant*, se dsub Novo rem promissam, secundum illud Psal. CIV, 8 : *Memor fuit in sæculum Testamenti sui : verbi, quod mandavit in mille generationes.*

« *Juravi David.* » Hic secundum, in quo sumitur ratio cantandi misericordias, ex parte ejus cui facta est promissio, et tangitur duplex, secundum duplicem promissionem. Prima est de Christo de David nascituro. Secunda, de nato perpetuo regnaturo, ibi, » *Et ædificabo.* »

In prima tangitur confirmatio promissionis, ibi, « *Juravi.* » Et quasi causa promissionis, ibi, « *David servo meo.* » Et ipsa promissio, ibi, « *Usque in æternum.* »

Dicit ergo : Sic cantabo misericordias, quoniam hoc quod præmisi, dixisti in corde, sed etiam et hoc « *juravi,* » id est, firmiter statui : loquitur in persona Domini. Vel repete, « *Dixisti,* » supra positum. Psal. CIX, 4 : *Juravit Dominus, et non pœnitebit eum* [1]. Cassiodorus : « Divinum sacramentum promis« sionis noscitur esse securitas : quia « solus juste diffinitive promittit, cui « subjacet implere quod dixerit. » Humana enim fragilitas ideo prohibetur sacramentorum promissionibus se obligare, quia non est in potestate ipsius, quæ pollicetur efficere. Augustinus aliam assignat rationem, scilicet ne consuetudine jurandi cito labatur in perjurium. Ait enim : « Bene prohibetur ho-

Quare non licet homini sacramentorum obligationibus se obligare?

1 « mo jurare, ne consuetudine jurandi « labatur in perjurium. » Deus solus secure jurat, qui falli non potest. Sed cui ? « *David* veritatem, etc. Juravit autem, quia servus ejus electus. *Elegit David servum suum, et sustulit eum de gregibus ovium*[2]. Et quid juravit?

« *Usque in æternum præparabo semen tuum,* » hoc est, dabo tibi semen in 5
æternum mansurum, scilicet Christum. Ad Rom. I, 3 : *De Filio suo, qui factus est ei ex semine David secundum carnem.* II Reg. VII, 12 : *Suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de utero tuo.* Hoc est illud semen, de quo Isa. I, 9 : *Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus et quasi Gomorrha similes essemus.*

« *Et ædificabo.* » Hic secundum. Quasi diceret : Sic semen dabo, « *et ædificabo,* » firmiter stabiliendo, sicut res quæ ædificata est, « *sedem tuam,* » id est, regnum super quod sedes : et hoc, « *in generationem et generationem,* » id est, in æternum. Isa. IX, 7 : *Super solium David, et super regnum ejus sedebit : ut confirmet illud, et corroboret in judicio et justitia, amodo et usque in sempiternum.* Sed quia hæc non possunt intelligi de materiali regno David, sicut aperte videmus, melius exponuntur hæc dicta de ipso Christo, qui verus David, hoc est manu fortis : hic est enim de quo in Psal. XXIII, 8 : *Dominus fortis et potens*, etc. Ille fortior superveniens ad abligandum fortem [3]. Et adspectu desiderabilis : quia *speciosus forma præ filiis hominum* [4]. Huic juravit, firmiter statuit Deus solium suum duraturum et regnum, scilicet fidelium collegium. Ezech. XXXIV, 24 : *Ego Dominus ero eis in Deum : et servus meus David princeps in medio eorum.* Sed numquid ad tempus? Absit. II Reg. VII, 13 : *Stabiliam thronum regni ejus usque in sempiternum.* Et numquid solus, non multiplicatis filiis ? Absit. Eccli. XLIV, 11 et seq. : *Cum semine eorum permanent bona. Hæreditas sancta nepotes eorum, et in testamentis stetit semen eorum: et filii eorum propter illos usque in æternum manent.*

[1] Cf. ad Hebr. VII, 21.
[2] Psal. LXXVII, 70.
[3] Cf. Luc. XI, 22.
[4] Psal. XLIV, 3.

6 « *Confitebuntur cœli.* » Hic secundum, in quo postquam promisit se cantaturum Dei mirabiles misericordias, hic promittit alios narraturos : et dicuntur duo. Primo, promittit alios laudaturos. Secundo, ostendit causam laudis, ibi, « *Quoniam quis in nubibus.* »

In prima duo. Primo, promittendo determinat qui laudabunt. Secundo, quando, et ubi, ibi, « *Etenim veritatem.* »

Dicit ego : Sic cantabo ego misericordias : « *et cœli,* » Apostoli, et Apostolici viri, in quibus erit ædificata misericordia. Supra, in eodem, ℣. 4 : *Dixisti : In æternum misericordia ædificabitur in cœlis.* » Hi, inquam, cœli, « *confitebuntur* » confessione laudis, « *mirabilia tua,* » mirabiles misericordias tuas, et operationes admirandas. Psal. xviii, 1 : *Cœli enarrant gloriam Dei.* Hæc autem mirabilia, quæ cœli confitentur, sunt tria mirabilia a Deo facta. Quod Deus homo : miranda nimis unio. Joan. i, 14 : *Verbum caro factum est.* Psal. lxxxvi, 5 : *Homo natus est in ea,* etc. Quod mater Virgo. Isa. vii, 14 : *Ecce Virgo concipiet et pariet filium.* Quod cor humanum fidele, et ad talia credendum aptatum. Luc. i, 45 : *Beata, quæ credidisti, quoniam perficientur,* etc. Isa. xvi, 1 : *Domine Deus meus es tu, exaltabo te, et confitebor nomini tuo : quoniam fecisti mirabilia, cogitationes antiquas fideles, amen.*

« *Etenim veritatem.* » Hic secundum. Quasi diceret : Sic confitebuntur mirabilia : quando, et ubi? « *Etenim confitebuntur veritatem tuam,* » impleta scilicet promissione. Ecce quando. Et hoc, « *in Ecclesia sanctorum,* » in congregatione justorum. Ecce ubi. Psal. xxxiv, 18 : *Confitebor tibi in Ecclesia magna.* Inter credentes enim veritas Dei qua implevit mirabilia quæ promiserat, est narranda : et credentes dicimus, qui vel jam credunt, vel credituri æstimantur, non aliis qui irrident et contemnunt. Matth. vii, 6 : *Nolite dare sanctum canibus.*

« *Quoniam quis in nubibus.* » Hic secundum, in quo subjungitur confessionis ratio, scilicet Dei excellentissima magnitudo. Duo ergo dicuntur. Primo, excellens magnitudo Dei. Secundo probatio, quod vere excellit, ibi, « *Deus qui glorificatur.* » 7

In prima duo, secundum duplicem excellentiam, quam demonstrat in Christo. Prima, quantum ad humanitatem. Secunda, quantum ad divinitatis potentiam, ibi, « *Similis erit Deus.* »

Dicit ergo : Sic confitebuntur cœli mirabilia. Nec mirum, si securi confitentur illa : « *quoniam quis æquabitur Domino?* » id est, Christo, « *in nubibus,* » in hominibus prædicantibus. Etsi enim Christus Deus in nube carnis apparuit, secundum illud Isa. xix, 1 : *Ecce Dominus ascendet super nubem levem.* Et prædicatores et Apostoli nubes sunt, secundum illud Isa. v, 6 : *Nubibus mandabo ne pluant super eam imbrem.* Et lx, 8 : *Qui sunt isti, qui ut nubes volant?* tamen nullus adæquari poterit. Job, xxviii, 17 : *Non adæquabitur ei aurum vel vitrum.* Et infra, ℣. 19 : *Non adæquabitur ei topazius de Æthiopia, nec tincturæ mundissimæ componetur.* Quippe Joan. iii, 31 : *Qui desursum venit, super omnes est.* Quia Pater non dedit Filio spiritum ad mensuram[1]. In Psal. xliv, 8 : *Unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis*[2].

« *Similis erit Deo.* » Hic secundum. Quasi diceret : Christo nubi nulla nubes æquari poterit. « *Aut quis in filiis Dei* » existens, filiis, inquam, adoptivis, se-

[1] Joan. iii, 34 : *Non enim ad mensuram dat Deus spiritum,* scilicet Filio, de cujus *plenitudine nos omnes accepimus* (Joan. i, 16).

[2] Cf. ad Hebr. i, 9.

cundum illud Psal. LXXXI, 6 : *Ego dixi : Dii estis, et filii Excelsi omnes?* Ad Rom. VIII, 17 : *Si autem filii, et hæredes.* « *Similis erit,* » in essentia et natura, « *Deo,* » id est, Christo, qui verus est Deus. Exod. IX, 14 : *Non est similis mei in omni terra.* Et XV, 11 : *Quis similis tui in fortibus, Domine? quis similis tui, magnificus in sanctitate,* etc.? JESUS CHRISTUS. Non est tibi similis, Domine : magnum enim est nomen tuum. Mich. VII, 17 : *Quis Deus similis tui, qui aufers iniquitatem,* etc. Et intelligendum est de similitudine potentiæ et naturæ, non de similitudine imitationis et vestigii, de qua dicitur, Genes. I, 26 : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.*

Nullus similis Deo in natura et potentia.

8 « *Deus qui glorificatur.* » Hic ostendit assertam de Deo magnitudinem excellentem. Primo ergo ostendit, quod excellit in essentia omnem sanctum. Secundo, quod in efficacia, ibi, « *Domine Deus virtutum.* »

In prima duo. Primo ostendit, quod excellit omnes sanctos, quia honoratur per illos. Secundo, quod est super illos, ibi, « *Magnus, et terribilis.* »

Deus multis modis glorificatur.

Dicit ergo : Sic nullus similis, quia « *Deus* » est « *qui glorificatur* » ab hominibus, « *in consilio,* » id est, per consilium, « *sanctorum suorum :* » unde evidens est cum consulantur credere in illum, quod sit excellentior.

Glorificatur ergo Deus per fidem credentium, Psal. LXXXV, 9 : *Omnes gentes quascumque fecisti, venient, et adorabunt coram te, Domine : et glorificabunt nomen tuum.* Per peccati proprii confessionem, Josue, VII, 19 : *Fili mi, da gloriam Domino Deo Israel, et confitere,* etc. Per boni operis exhibitionem in aperto, Matth. V, 16 : *Videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est.* Per laudes et gratiarum actionem, Luc. II, 20 : *Et reversi sunt pastores glorificantes,* etc. Per doctrinæ sinceritatem, secundum illud Isa. XXIV, 15 : *In doctrinis glorificate Dominum.* Per intentionis rectitudinem, I ad Cor. X, 31 : *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis : omnia in gloriam Dei facite.*

« *Magnus et terribilis.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic honoratur per illos, et etiam ipse est « *magnus* » in potentia, « *et terribilis* » majestate, « *super omnes, qui in circuitu ejus sunt,* » scilicet super sanctos qui circumdant eum, sicut milites suum regem. Zachar. IX, 8 : *Circumdabo domum meam ex his, qui militant mihi euntes et revertentes,* sicut assessores judicem. Apoc. IV, 3 : *Iris erat in circuitu sedis.* In iride Sanctorum diversitas designatur. Et in eodem, ℣. 4 : *Et in circuitu sedis sedilia viginti quatuor : et super thronos viginti quatuor seniores sedentes :* super omnes tam præpotens et terribilis est. Job, XXV, 2 : *Potestas et terror apud eum est, qui facit concordiam in sublimibus suis.*

« *Domine Deus virtutum.* » Hic secundum, in quo ostendit excellentiam in efficacia et opere : et tanguntur tria. 9
Primo quæstionem repetit in negativam partem terminandam. Secundo, quia potentia, et virtus, et operatio : potentiam ejus, et virtutem exprimit, ibi, « *Potens es.* » Tertio, effectus fluentes ex illa potentia exprimit, in quibus omnes excellit, ibi, « *Tu dominaris potestati.* »

Dicit ergo : Sic excellis omnes in essentia et magnitudine, et o « *Domine virtutum Deus,* » Angelorum. Isa. VI, 3 : *Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus Sabaoth,* quod idem est quod exercituum, Angelorum, vel virtutum animabus infusarum. Jacob. I, 17 : *Omne datum optimum, et omne,* etc. Pro utrisque dictum est supra, Psal. XXIII, 10 : *Dominus virtutum, ipse est rex gloriæ.* Et Jerem. XI, 20 : *Tu Domine Sabaoth,*

qui judicas juste, et probas renes et corda[1]. « *Quis similis tibi* : » in efficacia et operatione. Quasi diceret : Nullus. II Reg. VIII, 22 : *Magnificatus es, Domine Deus, quia non est similis tui, neque est Deus extra te*, etc.

« *Potens es.* » Hic secundum, in quo exprimit potentiam, et tangit potentiam primo. Secundo, potentiæ et virtutis veritatem, ibi, « *Et veritas.* »

Ait enim : Sic enim non est similis quia, o Domine, potens es ex teipso, et per te, et non ab alio, nec per alium : sed omnia alia ex te sunt potentia, et per te. Ad Rom. XIII, 1 : *Non est potestas nisi a Deo.*

« *Et veritas tua,* » id est, vera potentia tua, « *in circuitu tuo,* » non tantum in te, sed in alios affluit ex te. Jacob. I, 17 : *Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est.* Veritas etiam tua, qua reddis per misericordiam promissa, non tantum ubi es in cœlo, vel ubi in terra natus es, apparet, sed « *in circuitu tuo,* » per totum scilicet mundum est diffusa. Cantic. I, 2 : *Oleum effusum nomen tuum.*

10 « *Tu dominaris potestati maris.* » Hic tertium, in quo specificat effectus divinæ potentiæ et virtutis. Et primo, quæ facit in præsenti. Secundo, quæ faciet in futuro, ibi, « *Tuum brachium.* »

In prima duo. Primo tangit effectus, quoad amotionem mali, vel cohibitionem. Secundo, quoad collationem boni, ibi, « *Tui sunt cœli.* »

In prima duo. Primo tangitur cohibitio mali a bonis simpliciter, nihil inferendo adversariis bonorum. Secundo, cohibitio mali, affligendo adversarios bonorum, ibi, « *Tu humiliasti.* »

In prima duo. Primo tangitur simplex repressio tentationum, et tribulationum. Secundo, cohibitio surgentium aliquo modo, ibi, « *Motum autem fluctuum.* »

Dicit ergo : Sic potens es, et vere, quia o Domine, « *tu dominaris potestati maris,* » mundi scilicet, non tantum materialis maris. Mundus enim mare est, sicut supra dictum est multis rationibus. Psal. CIII, 25 : *Hoc mare magnum et spatiosum manibus,* etc., supple, fecisti. Potestati autem mundanæ Dominus dominatur. Job, XXXVIII, 8 : *Quis conclusit ostiis mare?* Jerem. V, 22 : *Posui arenam terminum maris,* subtilissimam suam et innumerabilem sapientiam. Marc. IV, 39 : *Dixit mari : Tace, et obmutesce :* et statim obedivit. Matth. VIII, 27 : *Qualis est hic, quia venti et mare obediunt ei?*

« *Motum autem fluctuum ejus,* » si surgat, scilicet tentationem et tribulationem si veniat, « *tu mitigas,* » temperando ut possit sustineri. I ad Cor. X, 13 : *Fidelis Deus est, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis : sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere.* Dan. III, 49 et 50 : *Angelus Domini descendit cum Azaria, et sociis ejus, in fornacem,... et fecit medium fornacis quasi ventum roris flantem.* Psal. XCIII, 13 : *Ut mitiges ei a diebus malis*, etc.

« *Tu humiliasti.* » Hic secundum, in quo ostenditur mali repressio, adversarios affligendo. Et primo tangitur capitis adversariorum humiliatio sive dejectio. Secundo, malorum dispersio, ibi, « *In brachio virtutis.* » 11

Dicit ergo : Sic fluctus tentationum inundaverunt, et mitigas : et etiam « *tu humiliasti superbum,* » scilicet diabolum. Supra, in Psal. LXXIII, 23 : *Superbia eorum qui te oderunt, ascendit semper.* Quomodo ergo humiliatus dicitur? Resp. Est humiliatio quæ est actus vir-

[1] Cf. Jerem. XVII, 10 et XX, 12.

tutis : hæc non est in diabolo, et opponitur superbiæ. Et est humiliatio quæ est dejectio, sic accipitur hic : unde bene additur : « *Sicut vulneratum.* » Vulneratus enim humiliatur ut dejectus, et hic humiliatus est diabolus. Isa. XIV, 10 : *Dicent tibi : Et tu vulneratus es, sicut et nos.* Et LI, 9 : *Numquid non tu percussisti superbum, vulnerasti draconem ?* Quasi diceret : Sic.

In brachio. » Hic secundum, membrorum ejus dispersio. Quasi diceret : Sic vulnerasti superbum, et « *dispersisti inimicos tuos,* » in diversas partes sparsisti, captivando eos per mundum, secundum illud Psal. LVIII, 12 : *Disperge illos in virtute tua.* Vel, « *dispersisti :* » quia aliquos ad te attraxisti, ipsum spolians. Luc. XI, 22 : *Si autem fortior eo superveniens vicerit eum, universa arma ejus auferet, in quibus confidebat, et spolia ejus distribuet.* Alias, « dimisisti, » tamquam excæcatos, et in malitia obstinatos. Ad Rom. XI, 25 : *Cæcitas ex parte contingit in Israel.* Et hoc, « *in brachio virtutis tuæ,* » intransitiva constructio, hoc est, in brachio tuo, Filio tuo qui est brachium tuum.

Brachium Patris Christus.

Brachium Patris Christus, in quo omnia fecit et refecit, in quo diabolum prostravit, quod pro corpore percutiendum objecit, quod pro sanitate totius corporis minui voluit. Isa. LIII, 1 : *Et brachium Domini cui revelatum est*[1] *?* Et XL, 10 : *Et brachium ejus dominabitur.* Et est virtus, I ad Cor. I, 23, 24 : *Prædicamus... Christum Dei virtutem, et Dei sapientiam.*

12 « *Tui sunt cœli.* » Hic tangitur effectus divinæ potentiæ quantum ad boni collationem. Et primo, quantum ad bonum creationis. Secundo, quantum ad bonum recreationis, ibi, « *Thabor et Hermon.* »

In prima tanguntur tria. Primo, omnium rerum possessio. Secundo, possessorum conservatio, ibi, « *Orbem terræ.* » Tertio, possessorum et conservatorum creatio de nihilo, quod omnibus majus est, ibi, « *Aquilonem et mare.* »

Ait ergo : Sic reprimis mala, et etiam confers bona : quia « *tui sunt cœli,* » ad litteram, « *et tua est terra,* » materialis ista. Deut. X, 14 : *En Domini Dei tui cœlum est, et cœlum cœli,* etc. Et in Psal. XXIII, 1 : *Domini est terra*[2]. De ambobus, Isa. XLII, 5 : *Creans cœlos, et extendens eos : firmans terram,* etc.

Nec tantum hæc tua sunt, tamquam ab alio tibi data, imo « *orbem terræ,* » terræ ad litteram ambitum, qui ex nulla parte alicui immittitur rei : « *et plenitudinem ejus,* » id est, replentia ipsam, omnia « *tu fundasti,* » ut staret firmiter. Psal. CIII, 5 : *Qui fundasti terram super stabilitatem suam, non inclinabitur in sæculum sæculi,* spiritus tui virtute totum continente, et replente. Sapient. I, 7 : *Spiritus Domini replevit orbem terrarum.*

« *Aquilonem,* » hoc est, Aquilonarem ventum, qui malus est, « *et mare,* » 13
quod est amarissimum, « *tu creasti,* » de nihilo fecisti : multo ergo fortius omnia alia. Glossa dicit Aquilonem, diabolum, quem Deus condidit. Job, XL, 10 : *Ecce Behemoth, quem fecit tecum.* Hic Aquilo, de quo Cant. IV, 16 : *Surge Aquilo, et veni Auster.* « *Et mare,* » id est, sæculum. Isa. LI, 15 : *Ego sum Dominus Deus tuus, qui conturbo mare, et intumescunt fluctus ejus.*

« *Thabor et Hermon.* » Hic secundum, in quo tanguntur effectus potentiæ quantum ad beneficia recreationis. Et legitur hoc tripliciter. Quia Thabor et Hermon possunt accipi litteraliter prout sunt quidam montes Syriæ, et sic significatur vocatio ad fidem. Vel ratione interpretationum nominum, et hoc referendo ad causam conversionis, vel ad ipsos voca-

[1] Cf. Joan. XII, 38.

[2] Cf. I ad Corinth. X, 26.

tos. Primo modo significatur vocatio tam Judæorum quam Gentilium communiter. Secundo modo, per Thabor vocatio Judæorum, per Hermon vocatio Gentium.

Conversio Gentilium.

Dicit ergo : Hæc bona fecisti, et propter hoc « *Thabor et Hermon,* » id est, Gentilitas, per istos montes qui sunt in terra Gentium, designata, « *exsultabunt*, » non in se, sed « *in nomine tuo,* » invocato super eam. De monte Thabor habetur Matth. xvii, 1, et Marc. ix, 1, et Luc. ix, 28 et seq. Creditur enim fuisse mons, in quo Dominus fuit transfiguratus. De Hermon dicitur in Psal. cxxxii, 3 : *Sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion.* Hic est ergo secundum hanc lecturam, quod prædictum est ab Isa. xxxv, 1 : *Lætabitur deserta, et invia, et exsultabit solitudo.* Deserta et invia solitudo, hoc est Gentilitas ibi, sicut hic « *Thabor et Hermon* ».

Vel sic secundum interpretationes nominum. Thabor interpretatur *veniens lumen*, designat gratiam descendentem a fonte luminum Deo, secundum illud Jacob. i, 17 : *Omne datum optimum, et omne donum*, etc. Et in Psal. iv, 7 : *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine.* Hermon *anathema ejus* interpretatur : anathema autem separatio est. Sensus ergo est : Hæc quæ præmisi, fecisti : propter quod « *Thabor,* » id est, illi ad quos venit lumen gratiæ tuæ : « *et Hermon,* » qui propter hoc sunt separatio ejus, id est, separati ab eo, id est, diabolo, « *exsultabunt in nomine tuo* : » quippe seipsos gaudebunt ereptos a diabolo, tamquam prædam. Isa. ix, 3 : *Lætabuntur coram te, sicut qui lætantur in messe, sicut exsultant victores capta præda.*

Vel sic ut referantur hæc ad vocatos. Sicut hæc omnia fecisti, et propter hoc « *Thabor*, » id est, veniens lumen, Judæi scilicet, ad quos primo lumen veritatis, quod est Christus, venit. Joan. i, 9 : *Erat lux vera.* Et in cap. viii, 12 : *Ego sum lux mundi.* Et Matth. xv, 24, dicit : *Non sum missus nisi ad oves, quæ perierunt domus Israel.* Et « *Hermon,* » id est, anathema ejus, Gentilitas scilicet, quæ erat a Deo separata, et anathematizata. Ad Ephes. ii, 12 : *Eratis illo in tempore sine Christo, alienati a conversatione Israel, et hospites testamentorum, promissionis spem non habentes, et sine Deo in hoc mundo.* « *Exsultabunt in nomine tuo,* » ut supra.

« *Tuum brachium.* » Hic secundum,
in quo postquam attigit effectus divinæ 14
potentiæ in præsenti, in quibus non habet Deus similem, tangit effectus ejusdem potentiæ in futuro, maxime in judicio : et dicuntur duo. Primo, tangit quæ pertinent ad judicem. Secundo, quæ ad judicandos, ibi, « *Beatus populus.* »

In prima parte tria. Primo tangitur judicis descriptio. Secundo, oratur ut potenter judicet, et ad gloriam suam, ibi, « *Firmetur manus tua.* » Tertio, ostenditur quomodo judicabit, ibi, « *Justitia et judicium.* »

Dicit ergo : Sic redemisti nos a potestate diaboli, et nos eruisti : nec mirum, quia « *brachium tuum,* » id est, Filius tuus, qui brachium tuum est, sicut parum ante dictum est, « *cum potentia,* » supple, est. Vel sic, ut non dependeat ab antecedentibus, sed magis incipiat hic quasi nova narratio de futuris. Hoc fecisti in præsenti, et o Domine, « *brachium tuum*, « Filius tuus in quo tandem bonos remunerabis, et malos punies, « *cum potentia,* » supple, est. Luc. i, 51 : *Fecit potentiam in brachio suo.* Et cum potentia indeficienti. Dan. vii, 14 : *Potestas ejus, potestas æterna, quæ non auferetur : et regnum ejus*, etc. Matth. xxviii, 18 : *Data est mihi omnis potestas in cælo, et in terra.*

« *Firmetur manus.* » Hic secundum. Quasi diceret : Brachium tuum potens est, sed rogo, o Domine, « *manus tua,* » id est, operatio tua, « *firmetur,* » non flectaris a recte judicando, et sic « *exal-*

tetur, » honoretur scilicet, « *dextera tua,* » Filius. Quasi diceret : Si firmiter in judicio steterit in puniendo malos et remunerando bonos, tunc exaltatus erit. Psal. x sec. Hebr. 12 : *Exsurge, Domine Deus,* scilicet ad judicandum, *exaltetur manus tua.* Et alibi, Psal. xx, 14 : *Exaltare, Domine,* sed, « *in virtute tua.* » Isa. xxxiii, 10 : *Nunc consurgam, dicit Dominus, nunc exaltabor, nunc sublevabor.*

Vel sic secundum Glossam : « *Firmetur manus tua,* » operatio tua judiciaria super malos, et ut ipsos juste judices et districte, quod utique fiet, quia scriptum est, Eccli. xv, 3 : *Firmabitur in illo, et non flectetur.* Hoc in recto et in hoc quod justum est : irrevocabilis enim erit ejus sententia. Psal. lxxxviii, 35 : *Quæ procedunt de labiis meis, non faciam irrita.* Proverb. xii, 19 : *Labium veritatis firmum erit in perpetuum.* « *Et exaltabitur,* » per hoc, « *dextera tua,* » boni scilicet, qui in dextera tua erunt in die judicii, secundum illud Matth. xxv, 33 : *Et statuet oves quidem a dextris, hœdos autem a sinistris.*

15 « *Justitia et judicium.* » Hic agitur modus judicandi, in quo dicuntur duo. Modus quo judicabit primo, et ratio modi, ibi, « *Misericordia et veritas.* »

Dicit ergo : Sic peto ut judices, et sic erit : quia « *justitia,* » quæ est in executione ejus quod rectum est, « *et judicium* » quod est in deliberatione, et discretione recti, supple, erunt « *præparatio sedis tuæ.* » Sedes enim est æterna ejus tranquillitas, in qua judicat. Justitia ergo et judicium, quod tunc exercebit, præparabunt sedem, non ut sit in te, quæ æterna est, sed ut in manifestatione, ut omnibus appareat videntibus justitiam et judicium, quod serenus judex sit. Isa. xvi, 5 : *Et præparabitur in misericordia solium, et sedebit super illud in veritate, in tabernaculo David, judicans et quærens judicium, et velociter reddens quod justum est.* Et in cap. ix, 7 : *Super solium David, et super regnum ejus sedebit : ut confirmet illud, et corroboret in judicio et justitia.*

« *Misericordia et veritas.* » Hic secundum, scilicet ratio judicandi in justitia et judicio : quia præcessit misericordia bona promittens, et veritas promissa reddens.

Ait enim : Sic judicabit in judicio et justitia, quia interim, scilicet usque ad diem judicii, « *misericordia,* » promittens quod deleas culpas volentibus pœnitere. Ezech. xviii, 21, 22 : *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis,... omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor.* « *Et veritas,* » promissa reddens : dimittis enim nunc peccata, et deles illa. Isa. xliii, 25 : *Ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me.* De utroque, Proverb. xx, 28 : *Misericordia et veritas custodiunt regem.* « *Præcedent faciem tuam,* » ad judicium venturi. Hæc duo significantur in duobus discipulis quos mittebat *ante faciem suam in omnem civitatem, et locum, quo erat ipse venturus* [1].

« *Beatus populus.* » Hic subjungitur de judicandis, vel de effectibus divinæ potentiæ comparatione ad ipsos judicandos, et maxime bonos. Primo ergo tangitur ipsorum præmium. Secundo, meritum præmii, ibi, « *Domine, in lumine.* » Tertio, ratio et causa ipsius meriti. Prima, ibi, « *Quoniam gloria virtutis.* » 16

Dicit ergo : Sic judicabit interim exhibens misericordiam et veritatem, et tunc, « *beatus,* » supple, erit « *populus, qui scit jubilationem,* » qui scit gaudere in Deo gaudio ineffabili, et de Deo. Cassiodorus : « Jubilatio est copio- **Quid sit jubilatio?**

[1] Luc. x, 1.

« sa mentis exsultatio, quæ verbis non « potest explicari, nec penitus subtice- « ri. » Gregorius : « Jubilatio est, quan- « do ineffabile gaudium mente concipi- « tur, quod nec abscondi potest, nec « sermonibus explicari : intelligi potest, « exprimi non potest : cum autem « sentitur, tunc plene cognoscitur. » Hic est novus calculus, in quo nomen novum a solo accipiente cognitum. Apocal. II, 17 : *Dabo illi calculum candidum : et in calculo nomen novum scriptum, quod nemo scit, nisi qui accipit.* Calculus novus, Christus : nomen novum, inconsuetum de Christo gaudium, et jubilus. « *Beatus populus,* qui hoc scit : experimento enim solo scitur quid sit. Augustinus : « O beate popule, putas « intelliges jubilationem ? »

« *Domine, in lumine.* » Hic subjungitur meritum, et hoc triplex. Primum est illuminatio fidei, quantum ad rationabilem lætitiam in Deo. Secundo, quantum ad concupiscibilem, ibi, « *In nomine tuo.* » Tertio, sancta exaltatio, seu indignatio quantum ad irascibilem, ibi, « *Et in justitia.* »

Dicit ergo : Sic, Domine, beatus populus, et dignum est, quia o « *Domine, ambulabunt,* » proficiendo de virtute in virtutem. Psal. LXXXIII, 8 : *Ibunt de virtute in virtutem,* « *in lumine vultus tui,* » id est, in fide de vultu tuo, scilicet de Filio, vel Spiritu sancto procedenti. Isa. LX, 3, dicit ad Filium : *Ambulabunt gentes in lumine tuo.* II ad Cor. V, 7 : *Per fidem ambulamus, et non per speciem.* Hoc lumen, de quo in Psal. IV, 7 : *Signatum est super nos lumen,* etc.

17 « *Et in nomine tuo.* » Hic secundum Quasi diceret : Sic fide erunt illuminati, et etiam « *exsultabunt tota die,* » non ad horam : quod respicit ad concupiscibilem. « *In nomine tuo,* » in efficacia nominis tui. Habac. III, 18 : *Exsultabo in Deo Jesu meo.* Quare ? Quia nomen virtutis. Act. IV, 12 : *Nec enim aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.* Hoc nomen, de quo Paulus ad Philip. II, 9 : *Donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu,* etc.

« *Et exaltabuntur,* » magnos se reputantes, quod respicit ad irascibilem, non in seipsis : sic enim exaltati humiliantur. Luc. XIV, 11, et XVIII, 14 : *Omnis, qui se exaltat, humiliabitur.* Sed « *in tua justitia,* » id est, in justitia eis data a te, et hoc eis scientibus et fatentibus : aliter non esset justitia. Eccli. XX, 30 : *Qui operatur justitiam, ipse exaltabitur.* Augustinus : « Aufe- « rat justitiam suam de medio, et hu- « milietur : veniat Dei misericordia, ut « exaltetur. » Possunt autem hæc referri ad præmium, ut præmium, quod tactum est generaliter, cum dicitur, « *Beatus populus,* » quasi specificaretur. « *Domine, in lumine vultus tui,* » in contemplatione tuæ luminosæ divinitatis : « *ambulabunt.* » « *In lumine,* » Filio, videntes lumen ipsum Patrem, et e contrario. Psal. XXX, 10 : *Apud te est fons vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen.*

« *Et in nomine tuo.* » Nomen appellatur cognitio, hoc est, in cognitione tua, « *exsultabunt tota die,* » in illa die, quæ tota est, et integra dies. Zachar. XIV, 7 : *Erit dies una quæ nota est Domino* [1] : in hac exsultabunt in cognitione tui. Cant. I, 3 : *Exsultabimus et lætabimur in te.* Hoc ad gloriam concupiscibilis.

« *Et in justitia tua,* » quam videbunt in malos exerceri, et de malis, « *exaltabuntur.* » Psal. LXXIV, 11 : *Omnia cornua peccatorum confringam,*

[1] Zach. XIV, 7 et 9 : *Et erit dies una, quæ nota est Domino... In die illa erit Dominus unus, et erit nomen ejus unum.*

ipsos damnando in infernum : *et exaltabuntur* tunc *cornua justi*, in justitia Dei hoc facientis. In Psal. LVII, 11 : *Lætabitur justus cum viderit vindictam.* Et respicit hoc ad irascibilem.

18 « *Quoniam gloria virtutis.* » Hic tertium, in quo tangitur præmii et meriti prima causa et ratio, quæ tangitur quasi quadruplex. Prima, Deus virtutum eis dator. Secundo, ipse conservator, ibi, « *Et in beneplacito.* » Tertia, ejus incarnatio, ibi, « *Quia Domini est assumptio.* Quarta, incarnati passio, ibi, « *Et sancti Israel.*

Ait ergo : Hæc bona habebunt in præmio et in merito, et hoc non ex se, sed ob hoc, « *quoniam gloria virtutis eorum tu es,* » id est, dator et infusor gloriosæ virtutis eorum. Unde non in se, sed in te solo est gloriandum : ut dicant : *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini,* etc [1]. Et impleant illud Jerem. IX, 23 et 24 : *Non glorietur sapiens in sapientia sua, et non glorietur fortis in fortitudine sua, et non glorietur dives in divitiis suis : sed in hoc glorietur, qui gloriatur, scire et nosse me.* Et illud II ad Cor. x, 17 : *Qui gloriatur, in Domino glorietur* [2]. « *Et in beneplacito tuo,* » non in nostro exercitio, « *exaltabitur,* « proficiendo, « *cornu nostrum,* » id est, virtus nostra. I Reg. II, 1 : *Exaltatum est cornu meum in Deo meo.* Et Luc. I, 69 : *Erexit cornu salutis nobis.* Quia sicut in Psal. CXLIX, 4, dicitur : *Beneplacitum est Domino in populo suo, et exaltabit mansuetos in salutem.*

19 « *Quoniam Domini est.* » Hic est tertium. Quasi diceret : Sic hæc bona habent, quia virtutes dat, datas augmentat : et etiam « *quoniam Domini,* » Filii tui scilicet, « *est assumptio nostra,* » id est, nostræ carnis, id est, quia Filius nostram assumpsit naturam. Supra, in Psal. LXIV, 5 : *Beatus, quem elegisti et assumpsisti.* I ad Tim. III, 16 : *Magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne,... assumptum est in gloria,* id est, in unione gloriosa. Ad Philip. II, 7 : *Formam servi accipiens,... et habitu inventus ut homo.* Ad Hebr. II, 16 : *Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit.*

« *Et sancti Israel.* » Hic quarta causa, quæ totum consummat, scilicet incarnati passio.

Ait enim : Sic Domini est assumptio, et etiam assumptio nostra est « *Regis nostri,* » illius, qui regit nos, qui omnium regum Rex est. Apoc. XIX, 16 : Ipse est *Rex regum, et Dominus dominantium.* Et in cap. I, 5 : *Primogenitus mortuorum, et princeps regum terræ.* I ad Cor. XV, 25 : *Oportet illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus ejus* [3]. « *Sancti,* » id est, sanctificantis « *Israel* » per suam passionem Isa. XII, 6 : *Magnus in medio tui sanctus Israel.* Ad Ephes. v, 25 et 26 : *Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret.* Joan. XVII, 19 : *Et pro eis,* scilicet discipulis, *ego sanctifico meipsum, ut sint et ipsi sanctificati in veritate.* Idem ergo est ac si dixisset : Hæc bona erunt eis, quia virtutum es dator, datarum auctor, et carnem nostram assumpsisti, et passione tua eos sanctificasti.

« *Tunc locutus es.* » Hic est secunda pars primæ partis totius hujus Psalmi, in qua postquam promisit se cantaturum, et alios similiter, Dei misericordias, specificat illos : et dicuntur duo. Primo, adimpletio eorum, quæ 20

[1] Psal. CXIII, 1.
[2] Cf. etiam I ad Corinth. I, 31.
[3] Cf. Psal. CIX, 1.

præmisit de Christo, sub typo et figura David. Secundo, correctio levis eorum qui crediderunt, si forte in aliquo deviaverunt, ibi, « *Si autem dereliquerint.* »

In prima tria secundum tria quæ impleta videmus in Christo, quæ dicit sub typo David. Primum, ipsius exaltatio in Regem. Secundo, exaltati promotio et confirmatio in regnum, ibi, « *Manus enim mea.* » Tertio, honoratio exaltati et promoti finalis, et cum perseverantia, ibi, « *Ipse invocabit me.* »

In prima duo. Primum, promissio de Christo sublimando. Secundo, descriptio meriti sublimandi, ibi, « *Inveni David.* »

In prima duo. Primo tangitur modus promittendi, et quibus promisit. Secundo, quid, ibi, « *Et dixisti : Posui.* »

Adjutorium humani generis in Christo.

Dicit ergo : Sic misericordias promisi me cantaturum, et alios similiter. Nec dicas : De te non est mirum, sed de aliis : quomodo enim hæc sciunt? Quia « *tunc,* » quando mihi hæc ostendebas, « *locutus es* etiam *sanctis tuis in visione* : » solus non sum cui revelaveris. Osee, xii, 10 : *Locutus sum super Prophetas, et ego visionem multiplicavi eis.* Amos, iii, 7 : *Non facit Dominus verbum, nisi revelaverit secretum suum ad servos suos prophetas.* Genes. xviii, 17 : *Num celare potero Abraham quæ gesturus sum ?* Quasi diceret : Non. II Petr. i, 21 : *Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines.*

« *Et dixisti : Posui.* » Hic secundum, quid promiserit, quia mundo subventionem per Christum, et subventoris exaltationem, ibi, « *Et exaltavi.* »

Dicit ergo : Sic locutus es, « *et dixisti,* » sicut ipsi publicaverunt : « *Posui adjutorium,* » humani generis, non jam in puro homine, qui impotens est, sed « *in potente,* » Christo scilicet, qui etsi infirmus per humanitatem, potens tamen est per divinitatem, de quo in Psal. xxiii, 8 : *Dominus fortis et potens, Dominus potens in prælio.* In hoc positum est a Deo Patre adjutorium : ipse enim adjuvit nos. Isa. xli, 14 : *Ego* Dominus *auxiliatus sum tibi.* II ad Corinth. vi, 2 : *In die salutis adjuvi te.* Ad Hebr. ii, 18 : *Potens est eis, qui tentantur, auxiliari.*

In hoc autem adjutorio bene figuratus fuit per David, de quo I Reg. xxii, 2 : *Convenerunt ad eum omnes, qui erant in angustia constituti, et oppressi ære alieno, et amaro animo : et factus est eorum princeps.*

« *Et exaltavi.* Ecce secundum. Quasi diceret : Sic posui adjutorium in Christo, « *et electum de plebe mea,* » natum vere electum. Cantic. v, 10 : *Dilectus meus candidus et rubicundus, electus ex millibus.* Et Isa. xlii, 1 : *Ecce servus meus, suscipiam eum : electus meus, complacuit sibi in eo anima mea : dedi spiritum meum super eum.* Hunc, inquam, electum « *exaltavi.* » Præteritum pro futuro. Isa. iv, 2 : *In die illa erit germen Domini in magnificentia, et gloria, et fructus terræ sublimis.* Et lii, 13 : *Ecce intelligit servus meus, exaltabitur, et elevabitur, et sublimis erit valde.* Ad Philip. ii, 9 : *Deus exaltavit illum, et dedit illi,* etc.

« *Inveni David servum.* » Hic secun- 21
dum, in quo præmissa Christi sublimatione in promisso, subjungitur sublimandi descriptio quantum ad meritum : quia merito obedientiæ sublimatus fuit : unde tangitur obedientia tamquam causa sublimationis. Secundo, sublimatio, ut causatum ab illa. Causa, dico, meritoria, non efficiens proprie, ibi, « *Oleo sancto meo.* »

Dicit ergo : Sic in Christo posui adjutorium, et sic exaltavi ipsum : sed quare ? Quia « *David,* » id est, Christum, qui est manu fortis et adspectu desiderabilis, « *inveni servum meum,* »

id est, servientem mihi, et vere obedientem. Ad Philip. II, 8 : *Factus* est Patri *obediens usque ad mortem.* Obediens in curandis animabus a sordibus peccatorum. Psal. LXXX, 7 : *Manus ejus in cophino servierunt.* Isa. XLIX, 6 : *Parum est ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Jacob, et fæces Israel convertendas.* Et propter hoc « *oleo sancto meo unxi eum,* » hoc est, illum exaltavi super alios mihi gratos. Psal. XLIV, 8 : *Unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis* [1]. Isa. LXI, 1 : *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me : ad annuntiandum mansuetis misit me,* etc.

Thema de Confessore Episcopo.

Et potest esse thema de Confessore Episcopo : et tangitur meritum primo, cum dicitur : « *Inveni David servum meum.* » Et præmium, cum subinfertur, « *Oleo sancto.* » In merito tangitur humilitas, ibi, « *Inveni.* » Quasi diceret, latentem ex humilitate, nec se ingerentem, sicut ille qui abscondit se fugiens in montem, ne fieret rex [2]. Et plena justitia, « *David* » adspectu desiderabilis, ut sit mundus declinando a malo : et manu fortis, ut sit promptus ad operandum. Psal. XXXVI, 27 : *Declina a malo,* per munditiam : *et fac bonum,* per fortitudinem. Et simplex obedientia, « *Servum.* » Isa. XLIX, 3 : *Servus meus es tu Israel, quia in te gloriabor.* Et charitas, « *Meum,* » ut totum se det mihi ex amore, et ego me sibi. Joan. XVII, 10 : *Et mea omnia tua sunt, et tua mea sunt.* Petrus enim primo requiritur de charitate et passione, quam suscipiatur ad oves pascendas, et agnos [3]. Talem humilem, justum, obedientem, charitativum unxit Deus oleo, non malo, quod est doctrina hæretica. Prov. V, 3 : *Nitidius oleo guttur ejus,* dicitur de meretrice, hæretica scilicet pravitate. Nec alio malo, quod est adulatio blanda, de quo in Psal. CXL, 5 : *Oleum peccatoris non impinguet caput meum.* Et Osee, XII, 1, de Ephraim dicitur : *Et oleum in Ægyptum ferebat.* Sed bono, quod est dulcis instructio, de quo Luc. X, 34, dicitur, quod Samaritanus qui interpretatur *custos,* infudit vulneribus sauciati vinum asperæ correctionis, et oleum blandæ exhortationis, quod est gratiæ dulcedo et donorum Spiritus sancti : de quo Isa. X, 27 : *Computrescet jugum,* peccati scilicet, *a facie olei.* Hoc est oleum, quod sugitur de saxo durissimo [4], Christo scilicet : quod est nitor bonæ conscientiæ, de quo Eccle. IX, 8 : *Oleum de capite tuo non deficiat.* Matth. XXV, 4 et seq., Fatuæ virgines caruerunt hoc oleo, et non intraverunt cum sponso ad nuptias. Quod est etiam splendor bonæ famæ, de quo Cantic. I, 2 : *Oleum effusum nomen tuum.* Et ultimo, oleo optimo, quod est pinguedo æternæ lætitiæ, de quo tactum est in Psal. XLIV, 8 : *Unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ,* etc. Unxit ergo eum oleo primo in baptismate, tamquam infirmum, et vulneratum, ad sanitatem recuperandam. Oleo secundo in confirmatione, tamquam pugilem ad vincendum. Oleo tertio et quarto, tamquam mulierem, ad decorem. Oleo ultimo, tamquam regem et præsulem ad honorem.

« *Manus enim mea.* » Hic secundum in quo postquam actum est de exaltatione Christi in regnum, subjungitur de promotione ipsius in regno : et dicuntur duo. Primo, roboratio. Secundo, profectus post roborationem, ibi, « *Et veritas.* » 22

In prima duo, secundum duo in quibus roboratio notatur. Primum est divini adjutorii exhibitio. Secundum, ini-

[1] Ad Hebr. I, 9 ; *Propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo exsultationis præ participibus tuis.*
[2] Cf. Joan. VI, 15.
[3] Cf. Joan. XXI, 15 et seq.
[4] Deuter. XXXII, 13 : *Suget mel de petra, oleumque de saxo durissimo.*

micorum dejectio, ibi, « *Nihil proficiet inimicus.* »

In prima duo. Primo, promissio adjutorii in pugna contra adversarios. Secundo, confortationis per adjutorium : si enim adjutorio non confortaretur, parum valeret, ibi, « *Et brachium meum.* »

Dicit ergo : Sic exaltabitur meus David in regnum. « *Enim,* » sed post hoc, « *manus mea,* » Verbum ex me ab æterno natum, per quod feci omnia, « *auxiliabitur ei :* » quippe in ipso erat, et ipsum in unitate personæ assumpserat. II ad Corinth. v, 19 : *Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi.* Ad Coloss. II, 9 : *In ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter.*

« *Et brachium meum,* » idem quod manus, « *confortabit eum,* » in regno confirmando. II Reg. VII, 9 : *Fui tecum in omnibus ubicumque ambulasti,* firmans regnum tuum in æternum. Et ibid. ℣℣. 12, 13 : *Firmabo regnum ejus,* scilicet filii tui Salomonis... *Stabiliam thronum regni ejus usque in sempiternum.* Hoc non in litterali David impletum est, nec in filio aliquo ejus, nisi in Christo, quantum ad speciale regnum, qui dicit supra, in Psal. LXX, 6, ad Patrem : *In te confirmatus sum ex utero.*

23 « *Nihil proficiet.* » Hic secundum, in quo promittitur inimicorum depressio. Primo, spiritualis. Secundo etiam corporalis, ibi, « *Et concidam.* »

In prima duo. Primo, frustratio inimici insidiantis et tentantis. Secundo tandem, ejus repressio postquam viderit se humiliatum, ibi, « *Et filius iniquitatis.* »

Sæviens in Christum diabolus nihil lucratus est.

Ait enim : Sic adjuvabo eum « *et inimicus* » ejus, diabolus, « *nihil proficiet in eo* » tentato, in tribulationibus lacessito. Tentatus enim fuit a diabolo [1]. Daniel. XI, 15 : *Veniet rex Aquilonis, et comportabit aggerem.* Sed nihil valebit, nihil lucrabitur. Joan. XIV, 30 : *Venit enim princeps hujus mundi, et in me non habet quidquam :* quod significavit illa victoria David litteralis contra Goliath Philistæum [2].

« *Et filius iniquitatis non apponet ultra,* » postquam dejectus fuerit, « *nocere ei,* » in propria persona ipsum tentans, sed in membris, in discipulis, et Apostolis : sed ibi etiam nihil nocuit, quia servati sunt, excepto perditionis filio, scilicet Juda. Joan. XVII, 12 : *Nemo ex iis periit, nisi filius perditionis.* Nec nocere potest in electis. Multo ergo minus nocere potest inimicus homo, si inimicus diabolus non potest. Propter hoc dicitur, Job, XXXV, 8 : *Homini, qui similis tui est, nocebit impietas tua,* sed Deo non potest.

« *Et concidam.* » Hic secundum, in 24
quo subjungitur depressio inimici et adversarii corporalis : et dicuntur duo. Primo, divisio illorum a concordia et conspiratione contra seipsum, ut non sint uniti in facienda malitia. Secundo, elongatio ipsorum a suo capite, scilicet diabolo : vel etiam Christo secundum lecturam Glossæ, et redit quasi in idem, ibi, « *Et odientes.* »

Dicit ergo : Sic deprimetur diabolus : « *et concidam,* » secundo, et dividendo, « *inimicos ejus,* » ut non sint unum in conspirando contra se, sed divisi : et hoc « *a facie ejus,* » a præsentia et potentia sua, quæ est quasi ejus facies. II Reg. v, 20 : *Divisit Dominus inimicos meos coram me, sicut dividuntur aquæ.* Thren. IV, 16 : *Facies Domini divisit eos.*

« *Et odientes eum in fugam convertam,* » ut a diabolo fugiant, cui conjun-

[1] Cf. Matth. IV, 1 et seq ; Marc III, 7 et seq.; Luc. VI, 17 et seq.

[2] Cf I Reg. XVII, 41 et seq.

cti erant, et fugiant ad ipsum Christum. Psal. LXXXVIII, 24 : *Odientes eum in fugam convertam.* Sed quomodo fugere poterunt? Dicitur enim in Psal. LXXIV, 7 et 8 : *Neque ab Oriente, neque ab Occidente, neque a desertis montibus*, supple, est mihi fuga, *quoniam Deus judex est.* Et alibi, Psal. CXXXVIII, 8 : *Si ascendero in cœlum, tu illic es : si descendero*, etc. Resp. Sicut dicit Glossa : « Ab « ipso irato fugient ad ipsum placatum. » Psal. LIX, 6 : *Dedisti metuentibus te significationem : ut fugiant a facie arcus.*

25 « *Et veritas mea.* » Hic secundum, in quo subjungitur de profectu in regnum : et dicuntur duo. Primo, causa et ratio proficiendi. Secundo, profectus ipse, ibi, « *Et in nomine.* » Causa profectus est misericordia cum veritate.

Ait enim : Sic confirmabitur in regno, et ulterius, « *misericordia mea,* » ea quæ in me est, dicit Deus Pater, « *et veritas mea,* » eadem veritas, quæ est in me, « *cum ipso.* » Nihil enim divisum habent Pater et Filius, sed quæ sunt unius, alterius etiam sunt. Joan. XVII, 10 : *Mea omnia tua sunt, et tua mea sunt :* et propter hoc in regno sum tecum. Prov. XX, 28 : *Misericordia et veritas custodiunt regem.* Isa. XVI, 5 : *Præparabitur in misericordia solium, sedebit super illud in veritate.*

« *Et in nomine.* » Hic secundum, scilicet exaltatio : et dicuntur duo. Primo, exaltatio et regni dilatatio, seu potentiæ. Secundo, specificatio, quantum dilatabitur, ibi, « *Et ponam.* »

Dicit ergo : Sic misericordia et veritas cum ipso : « *et exaltabitur cornu ejus,* » id est, potentia ejus, supple, proficiendo quantum ad homines, non in se. Et hoc « *in nomine meo,* » id est, virtute sermonis mei. Supra, in Psal. LXXIV, 11 : *Exaltabuntur cornua justi,* etc. I Reg. II, 10 : *Sublimabit cornu Christi sui.*

Duo in prælato necessaria, misericordia et veritas.

Et nota, quod in hoc versu jungit in rege, hoc est, in Prælato, duo quæ valde sunt necessaria. *Misericordiam,* ne nimis durus sit et austerus. Eccle. VII, 16 : *Noli esse justus multum :* quia Prov. XXX, 33, dicitur : *Qui vehementer emungit, elicit sanguinem.* Ezech. XXXIV, 4 et 5 : *Cum austeritate imperabatis eis, et cum potentia. Et dispersæ sunt oves meæ.* III Reg. XII, 13 et seq., Roboam decem partes regni amisit propter auteritatem suam. *Veritatem,* ne nimis mollis, vel remissus, et foveat vitia in subditis. Prov. XVIII, 9 : *Qui mollis et dissolutus est in opere suo, frater est sua opera dissipantis.* Eccli. VII, 6 : *Noli quærere fieri judex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates.* Propter hoc dicitur Luc. X, 34, quod Samaritanus infudit vulneribus sauciati vinum et oleum : vinum ex vite veritatis, oleum ex oliva pietatis.

26 « *Et ponam in mari.* » Hic secundum, in quo quasi determinatur potentiæ extensio : et dicuntur duo. Primo, dominatio ipsius, et extensio potentiæ in Gentiles. Secundo, in Judæos, qui per fluvium designantur, ibi, « *Et in fluminibus.* »

Dicit ergo : Sic exaltabitur in meo nomine. Sed quantum ? Ecce. « *Et ponam manum ejus,* » id est, potentiam, « *in mari,* » in Gentilitate amara peccatis. Isa. LVII, 20 : *Impii quasi mare fervens.* Gen. XLIX, 13 : *Zabulon,* Christus (interpretatur enim *habitaculum fortitudinis*) *in littore maris habitabit.* Psal. LXXI, 8 : *Et dominabitur a mari usque ad mare.*

« *Et in fluminibus,* » id est, in cupidis, dicit Glossa. Isti sunt Judæi qui super omnes semper arserunt cupiditate divitiarum et bonorum, et descenderunt in mare. Joan. XI, 48 : *Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum : et venient Romani, et tollent nostrum locum, et gentem :* melius est ergo ut unus moriatur. Eccle. I, 7 : *Omnia flumiua,* omnes cupidi, *intrant in mare,* amaritudi-

Comparatio justorum cum fluminibus.

nem mundi et peccati. Per flumina etiam possunt designari justi, quia non sunt tempestuosa sicut mare. Isa. xxxii, 2 : *Et erit sicut vir qui absconditur a vento, et celat se a tempestate.* Item, quia arctam viam tenent, et fluunt inter ripas, et non sunt ita diffusi sicut mare. Matth. vii, 14 : *Arcta via est, quæ ducit ad vitam.* Item, super se pontem et transitum fieri permittunt. Sic sancti, humiles et subjecti volunt esse, ut quasi per eos transitus sit. Eccli. vi, 26 : *Subjice humerum tuum, et porta illam,* scilicet sapientiam. Item, in mare non descendit, donec totum consummatum sit. Sic sancti in mundum non descendunt, donec perfectos et fortes se sentiant. Gen. xii, 10, Abraham jam senex descendit in Ægyptum. Sensus ergo est, quod super malos, qui per mare, et super bonos, qui per flumina designantur, ejus potestas extendetur.

27 «*Ipse invocabit me.*» Hic tertium, in quo postquam præcessit promissio de exaltatione in regnum, et iterum pro motio exaltati, hic subjungitur de honorificentia promoti : et dicuntur duo. Primo, meritum ad honorificentiam. Secundo, ipsa honorificentia, ibi, « *Et ego primogenitum.* »

In prima tria secundum triplicem modum honorandi Patrem, ex quo meruit et ab eo honorari. Primum, Patrem eum confitebitur, eo quod Filius ipse sit Deus. Secundo, quia Dominumet Deum, eo quod homo, ibi, « *Deus meus.* » Tertio, conservatorem, eo quod infirmus. Tria enim hæc est videre in Christo, divinam naturam, et humanam et in humana infirmitatem. Ibi tertium, «*Et susceptor.* »

Ait ergo : Sic exaltabo, sic exaltatum promovebo. Et «*ipse,* » hoc intelligens, nec factus ingratus, « *invocabit me,* » intus in corde invocabit me dicens : « *Pater meus es tu,* » naturalis, per hoc quod ego Deus. Hinc dicebat, Joan. xiv, 16 : *Ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum,* etc. Hinc in cap. xx, 17 : *Ascendo ad Patrem meum.* Et in cap. xvii, 1 : *Pater, venit hora, clarifica Filium tuum, ut Filius tuus,* etc. Quippe Pater vocavit eum Filium. Psal. ii, 7 : *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu.* Et ad Hebr. i, 5 : *Cui enim dixit aliquando Angelorum : Filius meus es tu ?* Et propter hoc optime promittebat, II Reg. vii, 14 : *Ego ero ei in patrem, et ipse erit mihi in filium* [1].

« *Deus meus,* » invocabit me, repete, dicens : « *Deus meus,* » in quantum homo sum. Matth. xxvii, 46 : *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me ?*

« *Et susceptor.* » Ecce tertium, et repete : Ipse invocabit me dicens : « *Tu es susceptor salutis meæ,* » hoc est, tu es susceptor mei infirmi, salutis meæ auctor. Supra, in Psal. xvii, 3: *Cornu salutis meæ, et susceptor meus.* Et alibi, in Psal. iii, 6 : *Exsurrexi, quia Dominus suscepit me,* aliter non potuissem.

« *Et ego primogenitum.* » Hic secundum, in quo præmisso merito, in quo 28
debeat honorari, subjungitur de honorificentia perpetua : unde dicuntur duo. Primo, honorificentia. Secundo, honorificentiæ perseverantia, ibi, « *In æternum servabo.* »

In prima duo. Primo, honorificentia, quia dabit ei jus primogenituræ. Secundo, honorificentiæ vehementia, quia non apud quoscumque, sed apud magnos et honorificos, quia apud reges, et super eos ipsos, ibi, « *Excelsum ponam.* »

Dicit ergo : Sic honorabit me, et ego reddere ei volens mercedem, « *ponam* » id est, constituam, « *illum primogenitum.* » Ad Roman. viii, 29 : *Ut sit ipse primogenitus in multis fratribus.* Ad Coloss. i, 15 : *Primogenitus omnis creaturæ.* Non enim justum est ut amittat in

[1] Cf. ad Hebr. i, 5.

humanitate, quod habet ex divinitate : Eccli. xxiv, 5 : *Ego ex ore Altissimi prodivi, primogenita ante omnem creaturam.* Propter hoc etiam potuit dici in Matth. i, 25 : *Peperit filium suum primogenitum.*

Tria spectant ad jus primogeniti.

Nota, quod tria spectant ad jus primogeniti, scilicet quod majorem portionem recipit. Sic Christus, cui non est datus spiritus ad mensuram [1]. Magis quam alii fratres honoratur. Sic Christus : unde sedet ad dexteram Patris [2]. Aliis divisit hæreditatem. Sic Christus suis : quod significatum fuit in divisione terræ quam fecit Josue [3]. I ad Corinth. xii, 11 : *Dividens singulis prout vult.*

Et numquid tanta vis apud homines ? Non, imo constituam eum « *excelsum præ regibus terræ.* » Vel, sicut habet littera alia, « apud reges, » quod valde magnum est. Isa. lii, 15 : *Super ipsum continebunt reges os suum.* Apocal. i, 5 : *Et princeps regnum terræ.* Et xix, 16 : *Rex regum, et Dominus dominantium.*

29 « *In æternum servabo illi.* » Hic secundum, scilicet perseverantia et perduratio in illa honorificentia : et dicuntur duo. Primo, perseverantia et duratio honorificentiæ in seipso. Secundo, in semine suo, ibi, « *Et ponam in sæculum.* » In prima duo, secundum duo, per quæ monstratur aperte perseverantia. Primum est conservatio in bonis jam habitis. Secundo, consummatio in habendis, ibi, « *Et testamentum.* »

Dicit ergo : Sic honorabo illum, sed numquid ad tempus ? Non : imo « *servabo illi,* » id est, in illo, « *misericordiam,* » bona illi ex misericordia exhibita, « *in æternum.* » Isa. liv, 8 : *In misericordia sempiterna misertus sum tui.* II Reg. vii, 13 : *Stabiliam thronum regni ejus usque in sempiternum.* Hoc est semen, de quo Isa. lxv, 9 : *Educam de Jacob semen, et de Juda possidentem montes meos, et hæreditabunt eam electi mei, et servi mei habitabunt ibi.* Ad Rom. i, 4 : *Qui factus est ei ex semine David secundum carnem,* etc.

« *Et ponam in sæculum sæculi.* » Hic 30
secundum, in quo promittitur honorificentiæ perseverantia in filios : et dicuntur duo. Primo, perpetuatio seminis in se. Secundo, in regia dignitate, ibi, « *Et thronum ejus.* »

Ait enim : Sic illi faciam in seipso, « *et ponam,* » hoc est, constituam, « *semen ejus in sæculum sæculi* » consecutivum, ut sicut sæcula se consequuntur, sic continuentur. Isa. liii, 10 : *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum.* Hoc semen, de quo Isa. i, 9 : *Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus, et quasi Gomorrha similes essemus.* Et lxi, 9 : *Omnes qui viderint eos, cognoscent illos, quia isti sunt semen, cui benedixit Dominus.*

« *Et thronum.* » Hic secundum. Quasi diceret : Sic ponam semen in perpetuum, « *et thronum ejus,* » scilicet seminis, ponam « *sicut dies cœli,* » quæ æterna est, numquam tendens ad occasum. I Paral. xvii, 14 : *Thronus ejus erit firmissimus in perpetuum* : sicut illa dies, de qua in Psal. lxxxiii, 11 : *Melior est dies una in atriis tuis super millia,* extra atria tua. Isa. lxv, 22 : *Secundum dies ligni,* supple, vitæ, *erunt dies populi mei.*

« *Si autem dereliquerint filii ejus.* » 31
Hic secundum totius hujus partis, in qua præmissas specificat misericordias. Prima enim fuit in Christi exaltatione,

[1] Joan. iii, 34 : *Quem misit Deus, verba Dei loquitur : non enim ad mensuram dat Deus spiritum.*

[2] Marc. xvi, 19 : *Dominus Jesus... assumptus est in cœlum, et sedet a dextris Dei.*

[3] Cf. Josue, xiii, 1 et seq.

de qua actum est a principio hujus partis usque huc. Secunda est in blanda credentium correctione a culpa, si eos contingat peccare. Blanda ergo correctio misericordiam habet. Duo ergo dicuntur. Primo promittitur blanda correctio. Secundo, nihilominus misericordiæ commixtio, et continuatio, ibi, « *Misericordiam autem meam.* »

In prima duo. Primo tangit credentium in Christo sub conditione culpam. Secundo, pœnam, ibi, « *Visitabo,* etc. »

In prima quatuor secundum quatuor a quibus possunt fideles declinare. Primum est lex, quæ respicit quid colendum et quomodo, quasi in viis et modo colendi erraverit. Secundum, judicia, quæ determinant quid reddendum sit pro male gestis, vel bene, ibi, « *Et in judiciis.* » Tertium, justitiæ quibus docetur quid cavendum, ibi, « *Si justitias meas.* » Quartum, mandata, quæ ostendunt quid agendum, quod tangitur, ibi, « *Et mandata.* »

Dicit ergo : Sic ipsum in se et in suis filiis justis sublimabo. « *Si autem filii ejus,* » id est, Christi, « *dereliquerint legem meam,* » quæ docet eos quid et quomodo colendum. Proverb. IV, 2 : *Legem meam ne derelinquatis :* quia Osee, IV, 6 : *Oblita es legis Dei tui, obliviscar filiorum tuorum et ego.* Tales fuerunt Judæi. Zachar. VII, 12 : *Cor suum posuerunt ut adamantem, ne audirent legem.* Et ℣. 11 : *Aures suas aggravaverunt ne audirent.*

« *Et in judiciis meis,* » quibus determino quid reddendum, « *non ambulaverint,* » ea custodiendo, secundum illud Ezech. XX, 21 : *Judicia mea non custodierunt ut facerent ea : quæ cum fecerit homo, vivet in eis.*

32 « *Si justitias meas,* » quibus docentur quid cavendum, « *profanaverint.* » Glossa : « Male operando, » quamvis profanare justitias proprie sit superstitiones aliquas divinis superinducendo, quemadmodum arguuntur fecisse Scribæ et Pharisæi[1]. Deuter. XVI, 21 : *Non plantabis lucum, et omnem arborem juxta altare Domini Dei tui.* Glossa : « Juxta « altare plantat, qui justitiis divinis cæremonias totum obumbrantes adjungit. »

« *Et mandata mea,* » quibus docentur quid agendum. II Esdr. IX, 34 : *Reges nostri, principes nostri, sacerdotes nostri, et patres nostri non fecerunt legem tuam, et non attenderunt mandata tua, et testimonia tua, quæ testificatus es in eis.*

« *Visitabo in virga.* » Hic secundum, 33
in quo subjungitur de pœna promissa sub conditione culpæ. Et primo, tangit pœnam minorum peccatorum. Secundo, majorum, ibi, « *Et in verberibus.* »

Dicit ergo : Si prædicto modo peccaverint, « *visitabo in virga iniquitates eorum,* » sicut medicus visitat vulneratos, sicut pater visitat filios : et hoc, « *in virga,* » in levi correctione, ut sic conserventur, et non destruantur. Job, X, 12 : *Visitatio tua custodivit spiritum meum.* Augustinus : « Si bonus es, noli « repellere disciplinam : *quis enim filius,* « *quem non corripit pater*[2] *?* » Si extra disciplinam estis, adulteri estis, et non filii. Proverb. XIII, 24 : *Qui parcit virgæ, odit filium suum*[3]. Quare XXIX, 15, dicitur : *Virga et correptio tribuunt sapientiam.* Propter hoc dicebat Paulus, II ad Corinth. IV, 21 : *In virga veniam ad vos ?* Et sapiens David dixit supra, in Psal. XXII, 4 : *Virga tua, et baculus tuus, ipsa me consolata sunt.*

« *Et in verberibus,* » visitabo, repete, quæ majora sunt, « *peccata eorum,* » ut caveam eis a gravioribus peccatis, et per

[1] Cf. Matth. XV, 7 et seq.

[2] Ad Hebr. XII, 7.

[3] Cf. etiam Prov. XXIII, 13 ; Eccli. XXX, 1.

consequens a gravioribus flagellis. Eccli. XXX, 12 : *Tunde latera ejus dum infans est, ne forte induret, et non credat tibi.* In eodem, ŷ. 1 : *Qui diligit filium, assiduat illi flagella.*

38 * « *Et thronus ejus.* » Hic regni sublimatio, et dicuntur duo. Primo, promissio. Secundo, promissionis certificatio, ibi, « *Et testis.* »

Sublimatio regni in duobus monstratur : in mirabili dignitate, et summa fertilitate : quia nihil imperfectionis, sed abundantia omnis boni, ibi, « *Et luna.* »

Dicit ergo : Sic semen ejus manebit, « *et thronus ejus,*» in quo regnans Christus sedebit, scilicet justi, et fidelis in eum : « *sicut sol,* » qui clarus est, et gloriosus inter corpora visibilia, supple, erunt « *in conspectu meo,* » etsi modo videantur viles. I Joan. III, 2 : *Charissimi, nunc filii Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus.* Et ipse est sol, Malach. IV, 2 : *Orietur vobis timentibus, nomen meum Sol justitiæ.* Ergo sicut sol, Matth. XIII, 43 : *Tunc justi fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum,* sicut et ipse Christus, etsi non tantum quantum ipse Christus. Ad Philip. III, 20 et 21 : *Salvatorem exspectamus Dominum Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ.* Hic est sol, de quo Eccle. XI, 7 : *Dulce lumen, et delectabile est oculis videre solem.*

Qui dicantur throni Dei? Et nota hic, quod *thronus* dicuntur omnes justi et fideles, scilicet Ecclesia tota, sicut hic dicitur ratione dicta : in ipsis Deus sedet, et quiescit, et judicat ipsosmet, et discutit. Apocal. V, 11 : *Et vidi et audivi vocem Angelorum multorum in circuitu throni, et animalium, et seniorum.* Thronus etiam sancti minores, super quos sedebunt majores, qui eos judicabunt, Matth. XIX, 28 : *Sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel.* Thronos appellat minores justos ab aliis judicandos. Et specialissime Doctores, Apocal. IV, 5 : *De throno,* de Doctore et prædicatore bono, *procedebant fulgura, et voces, et tonitrua* : fulgura miraculorum, voces admonitionum, tonitrua comminationum. Angeli omnes, Dan. VII, 9 : *Adspiciebam donec throni positi sunt, et antiquus dierum sedit.* Throni positi, Angeli Dei ordinati. Quidam Angelorum ordo specialiter, Ad Coloss. I, 16 : *In ipso,* id est, in Christo, *condita sunt universa in cœlis et in terra,... sive Throni, sive Dominationes, sive Principatus,* etc. Quælibet anima justa, Dan. VII, 9 : *Thronus ejus,* anima in qua sedet Deus, *flammæ ignis : rotæ ejus ignis accensus.* Quatuor enim sunt rotæ in anima, in qua Deus sedet super quatuor virtutes cardinales, quæ rotæ debent esse igne charitatis incensæ. Ipse Christus homo, Psal. IX, 8 : *Paravit in judicio thronum suum.* Ibi enim nunc requievit Deus, hinc judicabit. Et beata Virgo, III Reg. X, 18 : *Fecit etiam rex Salomon thronum de ebore grandem, et vestivit eum auro fulvo nimis.*

« *Et sicut luna.* » Ecce secundum, scilicet omnis boni perfectio.

Ait enim : Sic erit sicut sol ejus thronus, « *et* erit *sicut luna perfecta,* » cui nihil deficit, nec ad tempus, imo « *in æternum.* » Eccli. L, 6 : *Quasi luna plena in diebus suis lucet.* In hoc etiam potest stola animæ designari, sicut in præcedenti stola corporis : sicut luna perfecta, est anima glorificata.

« *Et testis in cœlo.* » Hic secundum totius hujus partis, quasi quæreret quis : Quomodo hoc credi poterit, quod justi in cœlo sint tales futuri ? Respondet :

[1] Desunt in editione Lugdunensi et in mss. quæ in manu habuimus, commentarii in ŷŷ. 34, 35, 36 et 37 hujus Psalmi LXXXVIII.

« *Et testis,* » hujus rei quam dixi, est « *in cœlo,* » ipse Filius Dei, quem quasi jam intueor in corpore glorificato, in quo et attestatur nunc resurrectio ejus. Job, xvi, 20 : *Ecce in cœlo testis meus, et conscius meus in excelsis.* Hic est verus testis, quia Proverb. xiv, 5 : *Testis fidelis non mentitur.* Hoc quod dixit Paulus, I ad Corinth. xv, 12 : *Si Christus prædicatur quod resurrexit,* etc.

39 Secunda pars Psalmi. « *Tu vero repulisti.* » Hic est secunda pars totius hujus Psalmi, in qua postquam misericordias Domini cantavit, hoc est, promissiones quas promisit ex misericordia, narravit, ostendit in quibus et quando implendum sit, quia non in seipso, vel in filio Salomone, sed in futuro semine longe post : quod facit conquerendo de dilatione promissionis, et supplicando pro impletione : et secundum hoc dicuntur hic duo. Primo, conquestio de dilatione promissorum et repulsione sui, et illorum qui suo tempore et usque ad Christum futuri erant. Secundo nihilominus, supplicatio pro impletione dilatorum, ibi, « *Memorare quæ mea.* »

In prima duo. Primo, conquestionis causa et ratio, scilicet dilatio promissorum, et afflictionis magnitudo, ibi, « *Evertisti testamentum.* »

In prima tria. Primo, dimissio David et regni sui in peccatum. Secundo, expositio illorum opprobriis et oblocutionibus hominum, ibi, « *Despexisti.* » Tertio, dilatio promissi redemptoris ipsorum ab iis miseriis, ibi, « *Distulisti.* »

Dicit ergo : Hæc bona, Domine, quæ narravi, omnia promisisti : « *tu vero,* » quod satis mirabile est, « *repulisti* » David et ejus regnum, permittendo eos cadere in peccata, sicut patet de ipso David, II Reg. xi, 2 et seq, qui cecidit in peccatum adulterii et homicidii et dissensionis. Psal. lix, 3 : *Deus repulisti nos, et destruxisti nos.* Thren, ii, 7 : *Repulit Dominus altare suum.*

« *Et despexisti,* » opprobriis et tribulationibus exponendo, sicut patet quasi per totum secundum Psalmum, et duodecimum, et deinceps[1]. Psal. lxxvii, 59 : *Audivit Deus,* mala quæ fecit David, *et sprevit :* et sperni illum permisit justo suo judicio. Isa. xxxiii, 1 : *Væ... qui spernis, nonne et ipse sperneris ?... Cum fatigatus desieris contemnere, contemneris.* Sed contra est istud Psal. cxxxvii, 8 : *Opera manuum tuarum, Domine, ne despicias.* Nahum, iii, 11 : Nudaberis, et eris despecta[2].

« *Distulisti* etiam *Christum tuum,* » Christum a te promissum. Supra, Psal. lxxvii, 21 : *Audivit Dominus, et distulit.* Non dicit *abstulisti,* sed « *distulisti :* » Christus enim si eis est dilatus, non tamen est ablatus. Sed hic est mos Dei, repellit dimittendo cadere in peccatum, despicit tribulationibus exponendo, differt Christum suum, tribulationes continuari permittendo. Sic et mundus facit eis qui Christi sunt. A mundo enim hujusmodi repelluntur, repulsi despiciuntur : si negotium habent, multum differuntur.

« *Evertisti testamentum.* » Hic secundum, in quo monstratur magnitudo mali quod sustinet, et hoc dupliciter. **40**
Primo, quod sustinet simpliciter, non comparando ad hostes. Secundo, quod sustinet ab hostibus, ibi, « *Diripuerunt eam.* »

In prima quatuor. Primo, miseria exprimitur quam sustinet pro Christi promissi dilatione. Secundo, pro templi pollutione, ibi, « *Profanasti.* » Tertio, pro civitatis destructione, ibi, « *Destruxisti.* » Quarto, pro turris, quæ omnia de-

[1] Cf. Psal. ii et xii.

[2] Vulg. habet, Nahum, iii, 11 : *Et tu ergo inebriaberis, et eris despecta.* Et ibid. ỳ. 5 : *Revelabo pudenda tua in facie tua, et ostendam Gentibus nuditatem tuam, et regnis ignominiam tuam.*

fendere debebat, dejectione, ibi, « *Posuisti firmamentum.* »

Dicit ergo : Sic promissum distulisti, et ob hoc dolens dico, « *Evertisti testamentum,* » promissionem, « *servi tui,* » hoc est, servo tuo factam. Vel, testamentum dicit legem veterem, per servum suum Moysem Judæis datam quam videbat evacuandam, sicut probat Paulus, ad Roman. III et IV quasi per totum, et ad Galat. II et III et IV, et ad Hebr. IX et X.

« *Profanasti.* » Hic secundum, templi pollutio, quod est profanatio, intromissio immundorum et profanorum.

Ait enim : Evertisti testamentum, et etiam « *profanasti,* » profanari permisisti, « *sanctuarium ejus,* » scilicet templum, et hoc « *in terra,* » in cœlo enim non potest profanari. Hoc autem factum est dilato adventu Christi tempore Machabæorum. I Mach. III, 51 : *Sancta tua conculcata sunt, et contaminata.* Et ibid. II, 12 : *Ecce sancta nostra, et pulchritudo nostra, et claritas nostra desolata est.* Supra, in Psal. LXXVIII, 1 : *Deus, venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum.*

41 « *Destruxisti omnes.* » Hic tangitur tertium, scilicet civitatis destructio, quæ erat circa templum sicut sepes.

Ait enim : Sic profanasti sanctuarium, et etiam « *destruxisti,* » destrui permisisti, « *omnes sepes ejus,* » munitiones murorum, quibus impediebatur, quibus custodiebatur ne esset accessus ad templum. Thren. II, 2 : *Destruxit in furore suo munitiones virginis Juda.* Ibid. ℣. 5 : *Præcipitavit omnia mœnia ejus : dissipavit munitiones ejus.*

Sepes quæ prohibet introitum in animam.

Nota etiam, quod sepes ad litteram vocat hic muros ipsius civitatis Jerusalem. Sepes etiam appellatur custodia Angelorum, quæ ab eis ablata est, et sic quodammodo in eis destructa, Isa. V, 5 : *Auferam sepem ejus, et erit in direptionem.* Asperitas flagellorum Dei, Osee, II, 6 : *Sepiam viam tuam spinis, et sepiam eam maceria,* hoc est, flagellis, usque ad sanguinem pungentibus, et duritia. Orationes sanctorum, quæ muniunt contra flagella Dei, Ezech. XXII, 30 : *Quæsivi de eis virum, qui interponeret sepem, et staret oppositus contra me pro terra, ne dissiparem eam.* Sensuum custodia, Eccle. X, 8 : *Qui dissipat sepem, mordebit eum coluber,* id est, diabolus. Claustrales observantiæ, Isa. LVIII, 12 : *Vocaberis ædificator sepium, avertens semitas in quietem.* Eccli. XXXVI, 27 : *Ubi non est sepes, diripietur possessio.* I Paral. IV, 23 : *Hi sunt singuli habitantes in Plantationibus et in Sepibus,* homines humiles, et sua reputatione fragilia facientes, habitantes in observantiis regularibus.

« *Posuisti firmamentum.* » Hic est quartum, destructio turris ad litteram.

Quasi diceret : Sic destruxisti muros, et « *posuisti firmamentum ejus,* » arcem scilicet Sion, quæ erat totius terræ firmamentum, « *formidinem :* » quia ibi posuerunt adversarii munitionem, et inde terrebant omnes : vel diruerunt eam Romani, et tunc maxime sunt territi. Ezech. VII, 18 : *Operiet eos formido, et in omni facie confusio.* Vel, firmamentum appellat ipsum Deum, qui prius erat eis firmamentum. Psal. XVII, 3 : *Dominus firmamentum meum, et refugium meum.* Sed factus est eis formido, contra quod rogabat Jeremias, in cap. XVII, 17 : *Non sis tu mihi formidini.*

Et nota ordinem. Prius destruitur sepes, et post Deus est formidini. Si ergo non vis ipsum esse tibi formidini, sepi portas sensuum tuorum. Sepi oculos ne videant, et intret mors. Jerem. IX, 21 : *Ascendit mors per fenestras nostras, ingressa est domus nostras.* Sepi aures, ne detractiones recipiant, secundum illud Eccli. XXVIII, 28 : *Sepi aures tuas spinis, linguam nequam noli audire.* Et sic de aliis.

42 « *Diripuerunt eum.* » Hic secundum in quo tangit mala, quæ passi sunt comparatione ad adversarios, quæ sunt duo in generali. Afflictio, et vilificatio seu dejectio a dignitate. Primum hic. Secundum, ibi, « *Et sedem ejus.* »

In prima duo. Primo tangitur afflictionis multiplicitas. Secundo, afflictorum inutilitas. Aliquando enim reportant afflicti correctionem ex sua afflictione, quod est magna utilitas, ibi, « *Destruxisti eum.* »

In prima tria. Primo, ipsorum dejectio, et in rebus suis, et in personis propriis, quod erat grave. Secundo, inimicorum elevatio quod est gravius, ibi, « *Exaltasti dexteram.* » Tertio, ipsorum inimicorum de sua oppressione exaltatio, quod est gravissimum, ibi, « *Lætificasti.* »

In prima duo. Primo, destructio passionum terrenarum. Secundo, vilificatio per opprobria, ibi, « *Factus est opprobrium.* »

Dicit ergo : Sic affliguntur, et etiam « *omnes transeuntes viam diripuerunt eum.* » Jerem. xvii, 3 : *Fortitudinem tuam, et omnes thesauros tuos in direptionem dabo.* Vel, eum ad litteram diripuerunt, per terras varias distrahendo. Isa. v, 5 : *Auferam sepem ejus, et erit in direptionem.*

« *Factus est opprobrium.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Direptus est populus, et « *factus est opprobrium vicinis suis.* » Ezech. xxii, 4 et 5 : *Dedi te opprobrium gentibus, et irrisionem universis terris quæ juxta sunt, et quæ procul a te.* Thren. i, 11 : *Vide, Domine, et considera, quoniam facta sum vilis.*

43 « *Exaltasti dexteram.* » Hic secundum, scilicet inimicorum exaltatio.

Ait enim : Sic dejecisti populum quondam tuum : « *et exaltasti,* » quod pejus est, « *dexteram,* » potentiam scilicet, « *deprimentium eum.* » In Psal. cv, 41 : *Dominati sunt eorum, qui oderunt eos.* Thren. i, 5 : *Facti sunt hostes ejus in capite, inimici ejus locupletati sunt.* Et infra, ℣. 9 : *Vide, Domine, afflictionem meam, quoniam erectus est inimicus.* Amos, v, 12 : *Hostes justi accipientes munus, et pauperes deprimentes.* Tales hodie Dominus permittit exaltari. II Esdr. v, 15 : *Duces primi... gravaverunt populum :... sed et ministri eorum depresserunt populum.*

« *Lætificasti.* » Ecce tertium. Quasi diceret : Ita exaltasti deprimentes, et « *lætificasti omnes inimicos ejus,* » quod est gravissimum. Thren, ii, 17 : *Lætificavit super te inimicum, et exaltavit cornu hostium tuorum.* Et ibid. i, 21 : *Omnes inimici audierunt malum meum,* Domine, *lætati sunt, quoniam tu fecisti.* Et in eodem, ii, 15 : *Plauserunt super te manibus,* plausu gaudii, et irrisionis, *omnes transeuntes viam.*

« *Avertisti adjutorium,* » Hic magnitudo mali in subtractione adjutorii primo humani, secundo, divini, ibi, « *Et non es auxiliatus.* » 44

Dicit ergo : Sic affligis destruendo totum, et « *avertisti gladii adjutorium,* » ut jam nullus esset qui adjuvaret, ut posset dicere inimicus illud Isa. x, 14 : *Invenit quasi nidum manus mea fortitudinem populorum :... non fuit qui moveret pennam, et aperiret os, et ganniret.* Et Thren. i, 7 : *Recordata est Jerusalem dierum afflictionis suæ,... cum caderet populus ejus in manu hostili, et non esset auxiliator.*

Et bene dicit « *avertisti,* » quia hoc accidit, quia a Deo derelicti sunt. Deut. xxxii, 30 : *Quomodo persequatur unus mille, et duo fugent decem millia ? Nonne ideo, quia Deus suus vendidit eos, et Dominus conclusit illos?* Sic in bello spirituali, aliquando Dominus gladii adjutorium avertit, quando verbum prædicationis, quod est gladius

(ad Ephes. VI, 17 : *Assumite et gladium spiritus, quod est verbum Dei*) in tempore tentationis ipsi prædicatori non proficit. Gregorius : « Omnipotens « Deus, cum ductorem respicit non « operari quæ dicit, in die belli adju- « torium gladii avertit : quia in tenta- « tionis certamine cadit. » Habet igitur gladium, sed in bello hunc non adducit, quia cum adversitas tentationis eruperit, verbi obliviscitur, quod docuit.

« *Et non es.* » Hic subtractio auxilii divini. Quasi diceret : Sic gladium adjutorem avertisti, « *et non es auxiliatus,* » in bello spirituali, in cujus auxilio cito vinceret. I Mach. III, 19 : *Non in multitudine exercitus victoria belli, sed de cœlo fortitudo est.* Aliter succumbunt quicumque pugnant. Joan. XV, 5 : *Sine me nihil potestis facere.* Nec in bello corporali, sicut jam dictum est, nec in spirituali, de quo Job, XL, 27 : *Memento belli, et nec ultra addas loqui.* Bellum, inquam, triplex, cum carne, cum mundo, et cum diabolo.

45 « *Destruxisti eum.* Hic postquam præmissa est tribulationum multiplicitas, consequenter monstratur ipsarum inutilitas, quia nec per illas emendati sunt, nec a peccatis mundati, imo magis nocivi facti sunt, quia deteriores inde facti sunt.

Ait enim : Sic afflixisti eos multipliciter, et etiam « *destruxisti eum,* » populum scilicet tuum, « *ab emundatione,* » ab eo scilicet, a quo debuit emendari, scilicet a tribulatione. Jerem.

Signum reprobationis incorrigibilitas.

v, 3 : *Percussisti eos, et non doluerunt : attrivisti eos, et renuerunt accipere disciplinam.* Et est signum certum reprobationis, quando quis flagellis non mundatur nec emendatur, sed deterioratur. Cassiodorus : « Frequenter mun- « dat divinitas, quos flagellat, ut mun- « datum recipiat, quem peccatis sor- « didum respuebat. Quos vero ab emun- « datione dissolvit, id est, removit, hos « jam damnare decrevit. »

« *Et sedem.* » Hic secundum. Dicta enim populi multiplici miseria et afflictione, subjungitur de ejectione illius de regno : et dicuntur duo. Primo, dejectio. Secundo, effectus consequens ex dejectione, ibi, « *Perfudisti eum.* »

In prima duo. Primo, dejectio a regia dignitate. Secundo, festinatio in dejectione, quia non exspectavit tempus, quo adhuc poterat durare, ibi, « *Minorasti dies.* »

Dicit ergo : Sic afflixisti populum illum, et inutiliter, « *et* etiam *sedem ejus,* » sedem, inquam, regiæ dignitatis et sacerdotalis, « *collisisti in terra,* » tamquam dejiciens illam ex contemptu. Eccle. x, 17 : *Sedes ducum superborum destruxit Deus, et sedere fecit mites pro eis.* Osee, III, 4 : *Sedebunt filii Israel sine rege et sine principe.* Luc. I, 52 : *Deposuit potentes de sede.*

« *Minorasti dies.* » Ecce secundum. 46
Quasi diceret : Sic destruxisti, et etiam « *minorasti dies temporis ejus,* » ipsius regni et sedis, ut minus duraret regnum, quam tamen fecisset, si non fuissent peccata eorum. Job, XXII, 15 et 16 : *Viri iniqui... sublati sunt ante tempus suum.* Psal. LIV, 24 : *Viri sanguinum, et dolosi, non dimidiabunt dies suos.* Prov. x, 27 : *Anni impiorum breviabuntur.* Eccli. x, 8 : *Regnum a gente in gentem transfertur propter injustitias, et injurias,* etc. [1].

« *Perfudisti eum.* » Hic effectus sequens ex destructione. Quasi diceret : Sic destruxisti regnum, et ex hoc « *perfudisti eum confusione,* » scilicet populum illum. Supra, in Psal. XLIII, 16 : *Confusio faciei meæ cooperuit me,* sicut

[1] Cf. Daniel. IV, 14.

color cooperit florem. Jerem. XXII, 40 : *Dabo vos in opprobrium sempiternum, et in ignominiam æternam, quæ numquam oblivione delebitur.*

« *Usquequo, Domine.* » Hic secundum
47 in quo postquam præcessit conquestionis causa, et ratio, subjungitur ipsa conquestio : et dicuntur duo. Primo conqueritur de subtractione misericordiæ. Secundo, de inflictione multæ miseriæ, ibi, « *Exardescet.* »

In prima duo. Primo, conquerendo quærit simpliciter de duratione ablationis misericordiæ. Secundo, comparatione ad finem temporis, ibi, « *In finem.* »

Ait enim : Hæc mala venient super populum tuum : sed, o Domine, « *usquequo avertis faciem tuam,* » tamquam indignans misericordiam subtrahendo, usque « *in finem* » inclusive? Quasi diceret : Non. Quia Paulus dicit ad Rom. XI, 25 et 26 : *Cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo Gentium intraret, et sic omnis Israel salvus fieret.* Similis conquestio supra, in Psal. XII, 1 : *Usquequo, Domine, oblivisceris me in finem?* Et alibi, Psal. LXXXIV, 6 : *Numquid in æternum irasceris nobis? aut extendes iram tuam a generatione in generationem?*

« *Exardescet sicut ignis ira tua,* » infligendo pœnam, et consumendo omnia. Quasi diceret : Nimis durum esset. Posset respondere Dominus illud Osee, VIII, 5 : *Iratus est furor meus in eos : usquequo non poterunt emendari?* sed cum fuerint emendati, tunc cessabo.

« *Memorare quæ mea substantia.* »
48 Hic secunda pars secundæ partis totius Psalmi. Postquam enim præcessit conquestio de magnitudine afflictionis, et miseriæ, et dilatione misericordiæ, hic subjungitur oratio pro festinatione liberationis : et dicuntur duo. Primo, postulatio pro se. Secundo, contra adversarios suos, ibi, « *Memor esto.* »

In prima tria, secundum tria quæ allegat, quæ possunt movere judicem. Primum est consideratio humanæ dignitatis generaliter. Secundum, consideratio potentiæ et virtutis in Chricto specialiter, ibi, « *Quis est homo, qui vivet?* Tertio, consideratio misericordiæ propriæ, et promissionis factæ, ibi, « *Ubi sunt misericordiæ tuæ.* »

In prima duo. Primo orat ut consideret naturæ dignitatem, sicut fuit in Adam creata, a Christo assumpta. Secundo, finem ad quem creavit eam, quia non ad hoc ut perderetur, sed magis ut salvaretur, ibi, « *Numquid.* »

Dicit ergo : Sic, o Domine, sum conquestus, sed rogo, « *memorare,* qui videris oblitus, « *quæ,* » supple, est, « *mea substantia,* » non mea corruptela, quemadmodum dignam creasti meam substantiam, quando non erat substantia, et quemadmodum illam dignam fecisti in Adam. Hæc est illa substantia, de qua Eccli. XIII, 30 : *Bona est substantia, cui non est peccatum in conscientia :* qualis fui sub substantia Adam in statu innocentiæ. Hæc substantia quam se amisisse conquestus est supra, in Psal. LXVIII, 3 : *Infixus sum in limo profundi : et non est substantia.* Hæc substantia, quam filius prodigus dissipat vivendo luxuriose. Luc. XV, 13 : *Dissipavit substantiam suam vivendo luxuriose.* Quasi autem nihilum efficitur per consuetudinem in peccando. Psal. XXXVIII, 6 : *Et substantia mea, tamquam nihilum ante te.* « *Quæ* etiam *mea substantia,* » in Christo est futura. De David enim natus est. Radix Jesse, arbor David, flos Maria, fructus Christus, et substantia.

« *Numquid enim.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic considera substantiæ dignitatem et finem, « *Enim,* » quia, « *numquid constituisti vane,* » pro nihilo, et sine utilitate, « *omnes*

filios hominum? » ut non sit in tota eorum substantia, quod possit massam perditam liberare. Quasi diceret : Non est ita : vane enim omnes constituti sunt, si tantum in vanitatem tendunt adhærendo vanitati, quia vanitas est per quam vani fiunt. Jerem. II, 5 : *Ambulaverunt post vanitatem, et vani facti sunt.* Psal. CXLIII, 4 : *Homo vanitati similis factus est.* Deus enim sic fecit hominem, ut per se si nollet adhærere gratiæ, iret a virtute in vanitatem. Sapient. I, 14 : *Deus... sanabiles fecit nationes orbis terrarum.* Augustinus : « Deus sapientiam suam « mirabilem fecit, per quam omnes « vanitates emendavit. » Et Cassiodorus : « Cum memor fuit substantiæ « nostræ, et a morte nos eripuit, et in « spe magnæ beatitudinis collocavit. »

49 **Duplex Christi dignitas.** « *Quis est homo?* » Hic allegat Christi dignitatem, quam tangit duplicem. Primo, ex parte corporis, quod in morte non potuit detineri. Secundo, ex parte animæ, quæ potuit de limbo eripi, ibi, « *Eripui animam.* »

Dicit ergo : Hoc memorare, et etiam hoc, « *quis est homo?* » qualis, et quantus, « *qui vivet,* » resurgens a morte, « *et* » post, « *non videbit mortem,* » perpetuo victurus. Ad Roman. VI, 9 : *Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur, mors illi,* etc. Psal. XV, 10 : *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem* [1]. Ab illis exceptus est, pro quibus dicitur, II Reg. XIV, 14 : *Omnes morimur et quasi aquæ dilabimur in terram, quæ non revertuntur.* Et ab illis, de quibus dicitur Eccle. IX, 4 : *Nemo est qui semper vivat.*

« *Eruet animam suam.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Quantus est, et qualis. qui sic dominatur vitæ et morti, « *et eruet animam suam,* » cum multis aliis, « *de manu inferi,* » de limbo scilicet. Psal. LXXXV, 13 : *Eruisti animam meam ex inferno inferiori :* dicit Christo aliquis sanctorum. Alii autem non sunt tantæ virtutis, sed sunt spiritus vadens ad limbum, et non rediens. Cassiodorus : « Sicut non potest « homo animam suam eripere de ma- « nu mortis, sic neque de potestate in- « feri. » Isa. XLIX, 24 : *Numquid tolletur a forti præda? aut quod captum fuerit a robusto, salvum esse poterit?* Non ab homine sed a Deo. Osee, XIII, 14 : *De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos* [2].

« *Ubi sunt misericordiæ.* » Hic tertium, in quo orando allegat divinam misericordiam, et promissionem : et dicuntur duo. Primo, allegat antiquam Dei misericordiam, promittentem liberatorem, de quo supra. Secundo, antiquitatis certitudinem, ibi, « *Sicut jurasti.* » **50**

Ait enim : Sic oro, Domine, ut recolas naturæ humanæ dignitatem, et Christi excellentiam : et etiam Domine, « *ubi sunt misericordiæ tuæ,* » tot bona promittentes, et hæ « *antiquæ,* » id est, ab antiquo talia promittentes? Isa. LXIII, 15 : *Ubi est zelus tuus, et fortitudo tua, multitudo viscerum tuorum, et miserationum tuarum? super me continuerunt se.* Antiquæ sunt misericordiæ : quia a tempore Abraham factæ erant promissiones ex Dei bonitate et misericordia. Isa. XXV, 1 : *Domine Deus es tu, exaltabo te.... quoniam fecisti mirabilia, cogitationes antiquas fideles, amen.* In Psal. XXIV, 6 : *Reminiscere miserationum tuarum, Domine, et misericordiarum tuarum, quæ a sæculo sunt.* **Misericordiæ Dei antiquæ.**

« *Sicut jurasti.* » Ecce secundum. Quasi diceret : « *Ubi sunt misericordiæ*

[1] Act. II, 27, et XIII, 35.
[2] Cf. I ad Corinth. XV, 54, et ad Hebr. II, 14.

tuæ antiquæ, » sic firmæ, « *sicut jurasti David,* » et hoc, « *in veritate tua,* » in sancto tuo, qui est veritas tua. Christus enim est veritas. Joan. xiv, 6 : *Ego sum via, et veritas, et vita.* Supra, in eodem Psalmo, ℣. 36 : *Semel juravi in sancto meo, si David mentiar,* etc.

« *in sinu meo,* » in secreto cordis mei. Jerem. xv, 15 : *Scito quoniam propter te sustinui opprobrium.* II ad Tim. iii, 12 : *Qui pie volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur.* Sed certe beati sunt sustinendo. Luc. vi, 22 : *Beati eritis, cum vos oderint homines, et cum separaverint vos, et exprobraverint,* etc.[1].

51 « *Memor esto.* » Hic secundum hujus partis, in quo postquam petiit pro se, consequenter petit contra adversarios : et dicuntur duo. Primo, petitio pro puniendis adversariis. Secundo, subjungitur exclamatio in gratiarum actionem, pro commutatione pœnarum, quæ infliguntur in bonum afflictorum, ibi, « *Benedictus.* »

In prima dicuntur quatuor. Primo petit Deum, ut recolat quibus fiat opprobrium. Secundo, qualiter patienter sustineat populus Dei, et a quibus, ibi, « *Quod continui.* » Tertio, qua causa inferant opprobria adversarii, ibi, « *Quod exprobraverunt.* » Quarto, quod sit illud opprobrium explicat, ibi, « *Quod exprobraverunt commutationem.* »

Dicit ergo : Sic, Domine, horum memorare. Et etiam, o Domine, memor esto ad puniendum, quia oblitus videris dum non punis, « *opprobrii servorum tuorum,* » hoc est, servis tuis objecti. Volunt sancti ut Deus in memoria habeat bona, quæ faciunt. II Esdr. v, 19 : *Memento mei Deus meus in bonum, secundum omnia quæ feci populo huic.* Et mala quæ sustinent, sicut hic, et supra, Psal. lxxiii, 22 : *Memor esto improperiorum tuorum, eorum quæ ab insipiente sunt tota die.*

« *Quod continui.* » Hic secundum, a quibus, et quomodo. Quasi diceret : Memor esto opprobrii servorum tuorum, quod opprobrium multarum gentium, id est, a multis gentibus illatum, ego continui patienter portando et delectabiliter,

« *Quod exprobraverunt.* » Ecce tertium. Quasi diceret : Memor esto opprobrii quod sustinemus, et qualiter sustinemus. Quod, inquam, opprobrium, « *inimici tui,* » quia inimici : nulla alia ratio exprobrandi Domino. I Reg. xvii, 10 : *Ego exprobravi agminibus Israel hodie.* Thren. ii, 16 : *Aperuerunt super te os suum omnes inimici tui.* 52

« *Quod exprobraverunt.* » Ecce quartum, in quo vult commemorari, quid exprobraverunt. Quasi diceret : Et hoc memor esto, « *quod exprobraverunt commutationem Christi tui,* » hoc scilicet, quod mutabilis fuit, passibilis, mortalis, sepultus, et talia.

Notandum enim, quod prima mutatio Christi fuit in incarnatione, quando creator factus est creatura, parvus immensus, et temporalis æternus. Secunda, in transfiguratione, quando ex humili apparuit sublimis, ex vili gloriosus [2]. Tertia in cœna, in sacramenti Altaris institutione, quando panem voluit transmutari in carnem suam, et vinum in sanguinem [3], et sic in se mutare etiam sumentis animam. Unde ab Augustino dictum est in libro *Confessionum :* « Non tu me mutabis in te, sicut cibum « carnis tuæ, sed tu mutaberis in me. » Quarta in passione, in qua ex pulchro factus est pallidus, ex sano lividus, et ex viro mortuus. I. Reg. xxi, 13 : *Immutavit* David *os suum coram eis,* scilicet servis Achis. Isa. liii, 2 : *Vidimus eum, et non erat adspectus.* Quinta

Multiplex Christi mutatio.

[1] Cf. Matth. v, 10 et seq.

[2] Cf. Matth. xvii, 2 ; Marc. ix, 1 ; Luc. ix, 29.

[3] Cf. Matth. xxvi, 26-28.

fuit in resurrectione. Hæc mutatio dexteræ Excelsi, quia ipse dicit : *Tenuisti manum dexteram meam : et in voluntate tua deduxisti me, et cum gloria suscepisti me* [1]. Hanc commutationem improperant inimici, et maxime quartam, quia ibi fuit commutatus Christus maxime ab honore in ignominiam. Isa. LIII, 2-3 : *Desideravimus eum. Despectum, et novissimum virorum*, etc. A divitiis in paupertatem, II ad Corinth. VIII, 9 : *Scitis gratiam Domini nostri Jesu Christi, quoniam propter vos egenus factus est, quum esset dives*, maxime in cruce, ubi acetum mendicavit. A dominio in servitutem, Matth. XX, 28 : *Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare.* A deliciis in horrorem, Thren. I, 12 : *O vos omnes qui transitis per viam, attendite, et videte*, etc. A fortitudine in infirmitatem, Habac, III, 4 : *Ibi abscondita est fortitudo ejus.* Et tandem a vita in mortem, Ad Philip. II, 8 : *Factus obediens* Patri *usque ad mortem, mortem autem crucis,*

« *Benedictus Dominus.* » Hic est se- 53
cundum, in quo subjungitur exclamatio in gratiarum actionem : et dicuntur duo. Primo, exclamatio in laudem Dei. Secundo, in divinæ laudis confirmationem, ibi, « *Fiat.* »

Ait enim : Sic exprobrant inimici, et temporale est opprobrium, « *Dominus autem benedictus est,* » et benedictus sit « *in æternum.* » Et statim confirmat assertionem replicando : « *Fiat, fiat.* » Simile habitum fuit supra [2], et ibi expositum : *Benedictum nomen majestatis ejus in æternum:... Fiat, fiat.* Amen.

PSALMUS LXXXIX.

Oratio qua homo vitæ instabilitatem spectans ad Deum confugit.

1. *Oratio Moysi, hominis Dei.*
Domine, refugium factus es nobis a generatione in generationem.
2. Priusquam montes fierent, aut formaretur terra et orbis, a sæculo et usque in sæculum tu es Deus.
3. Ne avertas hominem in humilitatem : et dixisti : Convertimini, filii hominum.
4. Quoniam mille anni ante oculos tuos tamquam dies hesterna, quæ præteriit,
Et custodia in nocte :
5. Quæ pro nihilo habentur eorum anni erunt.
6. Mane sicut herba transeat : mane floreat, et transeat : vespere decidat, induret, et arescat.
7. Quia defecimus in ira tua, et in furore tuo turbati sumus.
8. Posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo, sæculum nostrum in illuminatione vultus tui.
9. Quoniam omnes dies nostri defecerunt : et in ira tua defecimus.
Anni nostri sicut aranea meditabuntur :

[1] Psal. LXXII, 24.
[2] Cf. supra commentarium in ℣. 19 Psal. LXXI.

10. Dies annorum nostrorum in ipsis, septuaginta anni [1].
Si autem in potentatibus, octoginta anni, et amplius eorum labor et dolor :
Quoniam supervenit mansuetudo, et corripiemur :
11. Quis novit potestatem iræ tuæ, et præ timore tuo iram tuam
12. Dinumerare ?
Dexteram tuam sic notam fac, et eruditos corde in sapientia.
13. Convertere, Domine, usquequo ? et deprecabilis esto super servos tuos.
14. Repleti sumus mane misericordia tua : et exsultavimus, et delectati sumus omnibus diebus nostris.
15. Lætati sumus pro diebus quibus nos humiliasti, annis quibus vidimus mala.
16. Respice in servos tuos et in opera tua, et dirige filios eorum.
17. Et sit splendor Domini Dei nostri super nos : et opera manuum nostrarum dirige super nos, et opus manuum nostrarum dirige.

IN PSALMUM LXXXIX

COMMENTARIUS.

Oratio Moysi, hominis Dei [2].

« *Domine, refugium.* » Hic est Psalmus octogesimus nonus, in quo postquam in præcedenti Psalmo ostendit fructum incarnationis Filii et passionis, ablationem scilicet mali culpæ, hic agit de fructu alio, scilicet ablatione mali pœnæ, quod facit orando et supplicando attentius ut fiat. Unde hic Psalmus, sicut dicitur in Glossa, est tertius inter illos qui ab oratione intitulantur. Primus est Psalmus XVI, *Exaudi, Domine, justitiam meam.* Secundus, Psalmus LXXXV, *Inclina, Domine, aurem tuam, et exaudi me.* « Hic autem tertius.

Argumentum Psalmi : secundus incarnationis et passionis fructus, ablatio mali pœnæ.

[1] Eccli. XVIII, 8.

[2] Le quatrième livre, dit M. l'abbé Lesêtre, commence par le psaume le plus ancien de tous, puisqu'il a pour auteur Moïse, « l'homme de Dieu, » Deut. XXX, 1 ; Josue, XIV, 6. La composition de cette prière par l'auteur du Pentateuque ne peut être sérieusement contestée. « On trouverait difficilement un monument écrit de l'antiquité, dit Delitzsch, qui justifiât, d'une manière aussi éclatante que ce psaume le témoignage de la tradition sur son origine. Il a dû se conserver jusqu'à l'époque de la rédaction du psautier dans un ouvrage plus ancien, peut-être le Livre des Justes (*Sefer haiaschar*, Jos. X, 13 ; II Reg. I, 18). Ce n'est pas seulement par son contenu, mais aussi par son style qu'il convient parfaitement à Moïse. » Les rapprochements que nous signalerons entre ce psaume et différents passages du Deutéronome confirmeront cette assertion. Presque tous les commentateurs acceptent comme indubitable la donnée du titre. Parmi les opposants, nous comptons S. Augustin, que la philologie ne pouvait éclairer sur la question, et qui pense qu'un psaume de Moïse serait consigné dans le Pentateuque. Bellarmin, qui partage et reproduit ce sentiment ; D. Calmet qui date le psaume de la captivité ; quelques anciens commentateurs qui supposent un lévite contemporain de David et portant le nom de Moïse ; Grotius qui avoue le morceau « non ab ipso Moyse factum, sed ejus verbis animoque conveniens ; » enfin Hupfeld qui reproduit plusieurs objections des anciens : les détails caractéristiques font défaut, Moïse borne la vie humaine à quatre vingts ans, contrairement à ce qui nous est raconté de Moïse lui-même, d'Aaron, de leur sœur Marie, qui tous trois dépassèrent notablement la centaine, de Caleb, encore vigoureux à 85 ans, Jos. XIV, 10, etc. Le psaume exprimant des idées générales, répond Perowne, on ne peut s'attendre à y trouver des détails spéciaux à un événement particulier. Quant à ce qu'on objecte sur

Est autem talis titulus : *Oratio Moysi, hominis Dei.* » In quo notandum, quod Moyses *homo Dei* dicitur contra Manichæum, Deut. XXXIII, 1 : *Hæc est benedictio, qua benedixit Moyses homo Dei filiis Irsael.* Hæc autem quæ in Psalmo subscribuntur, non dicuntur ejus oratio, quia Psalmum condiderit, sed quia de talibus est Psalmus iste, quæ Moyses prophetavit et prævidit, scilicet de adventu Christi, et fructu adventus ejus. Deut. XVIII, 15 : *Prophetam de gente tua et de fratribus tuis sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus : ipsum audies.* Unde sensus tituli est : In hoc subjecto Psalmo non est oratio ipsius David qui illum composuit, sed « *Moysi, hominis Dei,* » visio vel intellectus, seu etiam prophetia. Quæ enim hic aperte oravit et petiit David adimpleri, hæc eadem latebant in figura sub lege, et verbis Moysi. I ad Cor. x, 11 : *Omnia in figura contingebant illis :* quamqum possit esse verum, quod hoc ipsum, quod precatur David in hoc Psalmo, precatus fuerit Moyses, etsi scripturam non habemus.

Dividitur autem Psalmus in duas partes. In prima enim orat, ut non permaneat humana infirmitas, sed tollatur. Secundo, quod aperte, ut Deus in ablatione honorificetur, ibi, « *Dexteram tuam.* »

In prima tria. Primo, captatio benevolentiæ judicis. Secundo, supplicatio, ibi, « *Ne avertas.* » Tertio, persuasio, ibi, « *Et dixisti : Convertimini.* »

In prima duo. Cum enim duplex natura sit in Christo, humana scilicet, et divina, primo captat benevolentiam sumpta ratione a parte naturæ humanæ, secundum quam factus est nobis refugium. Secundo, sumpta ratione a parte divinæ, quatenus omnia antecessit æternitate et dignitate, ibi, « *Priusquam montes.* »

In prima primo confitetur ipsum refugium speciale Judæorum. Secundo, universale, Judæorum scilicet et Gentium, ibi, « *A generatione.* »

Dicit ergo : O Domine Fili Dei, ut supponat pro persona in natura utraque, tu « *es factus,* » secundum quod homo, « *refugium nobis.* » Jerem. XVI, 19 : *Domine,... refugium meum in die tribu-* Prima pars Psalmi.

la durée de la vie humaine, il faut observer que Moïse parle de l'âge qu'atteignaient communément les hommes de son temps, étant données surtout les circonstances qui inspirèrent sa prière. S. Athanase l'avait déjà indiqué : « Hoc significat quod vulgo venit, et in pluribus contingere solet. Quemadmodum enim mentionem non fecit eorum qui præmatura morte tolluntur; sic eos qui ad extremam senectutem veniunt utpote grandævos prætermisit. » Si le psaume n'a point été consigné dans le Pentateuque, c'est que Moïse ne l'a pas jugé propre à être encadré dans son récit, et nous avons vu plus haut qu'il avait parfaitement pu se conserver dans d'autres livres contemporains. Comme on le voit, ces objections sont faibles, et à part les quelques auteurs que nous avons nommés, elles ont contre elles tous les commentateurs.

Moïse décrit en traits grandioses le contraste qui existe entre l'éternité de Dieu et la brièveté de la vie humaine, brièveté causée par le péché qui attire la colère d'en haut. Selon toute vraisemblance, cette idée a été inspirée à l'écrivain sacré par l'arrêt de mort porté contre les Israélites du désert. Incrédules et rebelles, ils avaient été condamnés à errer pendant quarante ans dans la solitude, et sauf Caleb et Josué, tous les hommes âgés de plus de vingt ans devaient y laisser leurs cadavres, Num. XIV, 29-33. « Pendant ce laps de temps... Moise se trouva réduit à l'enregistrement stérile des différentes stations de ce peuple voyageur. C'est alors qu'il chanta l'hymne mélancolique... » (Herder). On y sent en effet « la mélancolie naturelle à un homme qui a vu d'étonnantes choses et a eu de grands désappointements. » (Johnson). Mais l'expression en est telle qu'on « peut citer ce psaume comme la plus sublime composition de l'homme, la plus pénétrante par le sentiment, la plus élevée par sa conception théologique, la plus magnifique dans ses images, la fidèle peinture de ce qu'il y a de troublé, de transitoire et de coupable dans la vie humaine. » Is. Taylor, ap. Perowne.

lationis. Refugium factus est, secundum id quod factus est secundum naturam humanam. Joan. i, 14: *Verbum caro factum est.* Secundum enim quod Deus, nulla in eum cadit factio, nulla omnino mutatio. Malach. iii, 6: *Ego Dominus, et non mutor.* Num. xxiii, 19, dicit Balaam: *Non est Deus quasi homo ut mentiatur: nec ut filius hominis, ut mutetur.*

Et nota, quod Dominus est refugium ab æstu concupiscentiæ carnalis, a turbine diabolicæ suggestionis, a pluvia affluentiæ mundanæ vanitatis. Isa. iv, 6: *Erit in umbraculum diei ab æstu, et in securitatem, et absconsionem a turbine, et a pluvia.* Concupiscentia enim ignis est æstum immoderatum generans. Eccli. ix, 9: *Concupiscentia, quasi ignis exardescit.* Diabolus est quasi ventus turbinis fortiter impellens. Isa. xxv, 4: *Spiritus robustorum,* dæmon scilicet, *velut turbo impellens parietem.* Affluentia mundana pluvia est affluens. Psal. lxi, 11: *Divitiæ si affluant, nolite cor apponere.* Sed ab iis refugium est Dominus, II Reg. xxii, 2 et 3: *Tu es refugium meum, et salvator meus.* Et hoc, « *a generatione* » Judæorum extendendo misericordiam, « *in generationem* » Gentilium. Vel, a generatione una in generationem aliam succedentem, quasi continuum et in omnibus sucessionibus es refugium. Eccle. i, 4: *Generatio præterit, generatio advenit: terra autem in æternum stat.*

Dominus est refugium justis, et Domina peccatoribus.

Et nota, quod Dominus est refugium fortissimum justis tamquam turris fortissima. Prov. xviii, 10: *Turris fortissima nomen Domini, ad ipsum curret justus, et exaltabitur.* Domina autem est refugium peccatoribus, et ipsis impiis, ut lateant apud ipsam, ne a Deo damnentur in infernum. Isa. xvi, 3 et 4: *Pone quasi noctem umbram tuam in meridie: absconde fugientes, et vagos ne prodas: habitabunt apud te profugi mei: Moab esto latibulum eorum,* refugium omnibus tribulatis et tentatis. Bernardus: « Insurgunt venti tempestatum, scopuli tribulationum, respice « stellam, voca Mariam. »

« *Priusquam montes.* » Hic secun- 2
dum, in quo captat benevolentiam a dignitatis confessione. Confitetur autem primo antecessionem respectu creaturæ. Secundo, æternitatem, ibi, « *A sæculo.* »

In prima autem confitetur quod antecedit omnem creaturam per partes, et distincte. Secundo, omnem in collectione, ibi, « *Et orbis.* »

Primo, quod omnem Angelicam. Secundo, quod humanam, ibi, « *Aut formaretur.* »

Dicit enim sic: Domine, tu es refugium meum per hoc quod es homo, et etiam « *tu es Deus priusquam montes fierent,* » non isti materiales, hoc enim non esset magnum, sed Angeli, qui sunt montes altissimi, de quibus dicitur in Psal. cxx, 1: *Levavi oculos meos in montes,* etc. Sicut enim montes custodiunt terram jacentem in medio, sic ipsi sancti Angeli plebem custodiunt, et circumstant. Alibi, in Psal. cxxiv, 2: *Montes in circuitu ejus, et Dominus in circuitu populi sui.*

« *Aut formaretur terra,* » id est, humana natura, quæ formata fuit quantum ad corpus, quod de limo factum fuit decens et aptum. Genes. ii, 7: *Formavit ergo Dominus Deus hominem de limo terræ.* Isa. xlv, 18: *Formans terram, et faciens eam.* Quamvis de utroque posset exponi ad litteram. Prov. viii, 25: *Nondum montes gravi mole constiterant: ante colles ego parturiebar: adhuc terram non fecerat,* etc.

« *Orbis,* » in quo totum comprehendit in collectione. Jerem. x, 12: *Qui præparat orbem terræ in sapientia sua.* Psal. lxxxviii, 12: *Orbem terræ et plenitudinem ejus tu fundasti.* Prov. viii, 22: *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio.* Eccli. xxiv, 5: *Ego ex ore*

Altissimi prodivi, primogenita ante omnem creaturam. Sic ista omnia antecedentis.

Et quod plus est, « *tu es Deus a sæculo, et usque sæculum,* » id est, in æternum. Hic modus est loquendi in Scriptura, quando vult æternitatem exprimere, quod forte accidit propter ambiguitatem verbi Græci, quod est æquivocum ad sæculum et æternum. Eccli. XXIV, 14 : *Ab initio et ante sæcula creata sum :* et etiam omnia in me includo. Apoc. I, 17 : *Ego sum primus, et novissimus* [1]. Et nota Glossam : Optime tu es. »

« *Ne avertas hominem.* » Hic secundum, in quo captata benevolentia, supponitur brevis petitio. Petit enim secundum unam lecturam, ut hominem non permittat aversum a se, converti ad terrena. Secundum aliam, ut non permittat humiliatum, et percussum averti a bonitate sua.

Dicit ergo : Talis es, Domine, unde rogo te, « *ne avertas,* » a tuis æternis bonis et teipso, « *hominem in humilitatem,* » in res externas humiles et viles in tantum ut stercora appellentur, Thren. IV, 5 : *Qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora.* Ad Philip. III, 8 : *Hæc omnia arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam.* Multos autem averti permittit a se, et ad hæc converti, de quibus ipsemet conqueritur. Jerem. II, 13 : *Duo mala fecit populus meus : me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, et foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.* Vel sic : « *Ne avertas,* » hoc est, ne averti permittas, « *hominem,* » in humilitate positum et in dejectione, hoc est,in infirma carne. Judic. VIII, 28 : *Humiliatus est autem Madian coram filiis Israel.*

Notandum enim, quod est humiliatio virtutis, large lonquendo : et hæc duplex. Veritatis, Psal. CXVIII, 75 : *In veritate tua humiliasti me.* Et Luc. XIV, 11, et XVIII, 14 : *Qui se exaltat, humiliabitur.* Et simulationis, quæ est in hypocritis, Eccli. XIX, 23 : *Est qui nequiter se humiliat, et interiora ejus plena sunt dolo.* Hæc est humiliatio Gabaonitarum, quæ fuit simulata ut haberent familiaritatem cum Josue [1]. Item, veritatis, hoc est, veræ veritatis, quæ est triplex. Prima, cordis, Matth. XI, 29 : *Discite a me quia mitis sum, et humilis corde.* Secunda, sermonis et exteriorum sensuum, I ad Cor. II, 1 : *Ego autem cum venissem ad vos, non veni in sublimitate sermonis.* Et II ad Corinth. X, 1 : *In facie quidem humilis sum inter vos.* Tertia, operis, Psal. XXXIV, 13 : *Humiliabam in jejunio animam meam.* Item, est humiliatio dejectionis. Una in præsenti de qua hic, et alibi, in Psal. CXLVI, 6 : *Humilians autem peccatores usque ad terram.* Dan. III, 37 : *Humiles sumus hodie plusquam gentes omnes propter peccata nostra.* In futuro triplex. Prima, in morte, Judic. IV, 23 : *Humiliavit Dominus in die illa,* in die scilicet mortis, *Jabin regem Chanaan,* sapientes scilicet mundi. Secunda erit in judicio, Isa. II, 11 : *Oculi sublimes hominis humiliati sunt, et incurvabitur altitudo virorum, et exaltabitur Dominus solus in die illa.* Tertia, in gehennali supplicio, de qua Luc. XIV, 11, et XVIII, 14 : *Qui se exaltat, humiliabitur.*

Varia humiliationis genera.

« *Et dixisti : Convertimini.* » Hic est tertium primæ partis totius hujus Psalmi. Postquam enim benevolentiam captavit, postquam oravit, hic subjungitur persuasio, ut impetrare possit petitum. Persuadet autem primo a rectitudine petendi, quia petit consona divinæ voluntati : et secundo, a necessitate ejus pro quo petit, scilicet hominis, ibi, « *Quoniam mille anni.* »

[1] Cf. Isa XLI, 4 ; XLIV, 6 ; XLVIII, 12.

[1] Cf. Josue, IX, 1 et seq.

Dicit ergo : Sic petii, et bene debet concedi. « *Et,* » id est, quia « *dixisti,* » exhortando, præcipiendo : « *Convertimini* » a terrenis ad me, « *filii hominum.* » Quasi diceret : Hæc peto, quia vis conversionem, et non aversionem. Nonne tu es, qui per Jeremiam dicis, in cap. IV, 1 : *Si reverteris Israel, ait Dominus, ad me convertere.* Et in cap. VIII, 4 : *Numquid qui cadit, non resurget ? et qui aversus est, non revertetur ?* Et in Joel, II, 12 : *Convertimi ad me in toto corde vestro.* Sapient. V, 13 : *Nos nati continuo desinimus esse.* Isa. XXXVIII, 12 : *Præcisa est, velut a texente vita mea : dum adhuc ordirer, succidit me : de mane usque ad vesperam finies me.* Et probat Seneca, quod quasi nihil est. Ait enim : « Quid« quid retro actum est, mors tenet : « futurum nobis incertum est : præsens « tantum tenemus, et hoc ipsum cum « morte dividimus. » Et Cassiodorus : « De longinquitate dierum vitæ non pot« est esse securitas, ubi terminus festina « celeritate suscipitur. »

4 « *Quoniam mille anni.* » Hic secundum, in quo persuadet a necessitate ejus pro quo petit : et dicuntur duo. Primo, tangit hominis miseriam. Secundo, miseriæ causam, ibi, « *Quia defecimus.* »

Partes miseriæ hominis, brevitas vitæ, sollicitudo, vanitas, et mutabilitas.

Allegans hominis miseriam in hac vita, primo, allegat vitæ brevitatem. Secundo, sollicitudinem, ibi, « *Et custodia in nocte.* » Tertio, vanitatem, ibi, « *Quæ pro nihilo habentur.* » Quarto, mutabilitatem, ibi, « *Mane sicut herba.* »

Dicit ergo : Suasi ne avertas a te hominem, quia rogo quod vis : et etiam si averteris illum a te, nihil erit vita sua. « *Quoniam mille anni,* » si tantum vixerit, sunt « *ante oculos tuos,* » in tua cognitione, « *tamquam dies hesterna quæ præteriit,* » quæ est jam in præteritione. Unde est quasi dicat : Respectu tuæ æternitatis, tota vita præsens quasi nihil. II Petr. III,8 : *Unum autem non lateat vos, charissimi, quia unus dies ante Dominum sicut mille anni, et mille anni sicut una dies.* Eccle. XI, 8 : *Si annis multis vixerit homo, et in iis omnibus lætatus fuerit, meminisse debet tenebrosi temporis, et dierum multorum. Dies multos* appellat bona multiplicia æternæ vitæ. Nam ibi sunt simul multi dies, multæ sanctorum gloriæ et felicitates, qui cum venerint,vanitatis arguentur præterita. Totum enim vanitas est. Job, VIII, 9 : *Hesterni quippe sumus, et ignoramus quoniam sicut umbra dies nostri sunt super terram.* Non dies super cœlum.

« *Et custodia in nocte.* » Hic secundum, in quo subjungit de sollicitudine.

Vita humana nocturnis comparata excubiis.

Quasi diceret : Sic sunt mille anni, quasi hesterna dies, et quasi nihil : « *et* » sunt etiam quasi « *custodia in nocte.* » Custodia in nocte comparatur cum hoc quod parum durat : una enim custodia non habet horas nisi tres, et magnam habet sollicitudinem, et cum timore magno fit. Luc. II, 8 : *Et pastores erant in regione eadem vigilantes, et custodientes vigilias noctis super gregem suum.* Cassiodorus : « Pulchre humanam vitam nocturnis « comparavit excubiis, ubi totum sub « obscuritate et trepidatione geritur, « quando mens hominum vitiis carnali« bus circumdata pulsatur. »

« *Quæ pro nihilo habentur.* » Ecce tertium, in quo ostendit vanitatem. 5

Ait ergo : Si avertas hominem ab æternitate tua, vita ejus brevis, et sollicitudine plena : et etiam « *eorum,* » a quibus averteris teipsum, « *anni erunt,* » supple, tamquam illa « *quæ pro nihilo habentur.* » Glossa : « Somnia, et ima« ginationes, quæ videntur de nocte, « quæ pro nihilo reputantur. » Job, XX, 8 : « *Velut somnium avolans non invenietur.* Tamquam umbra quæ valde vana est. Sapient. V, 9 : *Transierunt omnia illa tamquam umbra.* Jacob. IV, 15 : *Quæ est enim vita nostra ? Vapor est ad modicum parens,* etc. Sapient. V, 15 :

Spes impii quasi lanugo est, quæ a vento tollitur : et tamquam spuma gracilis, quæ a procella dispergitur : et tamquam fumus, qui a vento diffusus est, etc.

Et nota, quod anni impiorum, et tota eorum vita dicitur esse pro nihilo : quia est otiosa. Matth. xx, 6 : *Quid hic statis tota die otiosi ?* Quia non redeunt eis, nec in æternitate fructificant : nec enim sunt seminati. Sapient. iii, 17 : *Si longæ vitæ erunt, in nihilum computabuntur, et sine honore erit senectus illorum.* Item, quia pro eo quod nihil est, dantur, scilicet pro peccato. Joan. i, 3 : *Et sine ipso factum est nihil.* Glossa, « peccatum. » Prov. x, 20 : *Cor impiorum pro nihilo.*

6 « *Mane sicut herba.* » Hic est quartum, in quo subjungit de mutabilitate : et tanguntur tria. Primo, velocitas mutabilitatis, quia statim incipiens esse mutatur. Secundo, necessitas, quia nec ipsa robustior ætas potest obsistere, ibi, « *Mane floreat.* » Tertio, multiplicitas transitus, maxime in fine, ibi, « *Vespere decidat.* »

Dicit ergo : Sic pro nihilo essent anni si avertas : nec mirum si « *mane,* » id est, cito « *transeat,* » id est, mutetur : et hoc, « *sicut herba* » quæ quam cito est, in mutatione est. Isa. xxxvii, 27 : *Facti sunt sicut fœnum agri, et sicut gramen pascuæ, et sicut herba tectorum, quæ exaruit.*

« *Mane.* » Hic secundum. Quasi diceret : Sic dixi, quod transeat, et addo « *mane,* » in principio juventutis suæ, quod est mane totius ætatis, « *floreat,* » pulcher appareat. Job xiv, 2 : *Quasi flos egreditur, et conteritur, et fugit velut umbra.* Isa. xl, 6 : *Omnis caro fœnum, et omnis gloria ejus*, etc. « *Et* tamen *transeat,* » mutetur, et deficiat. Sap. ii, 3 : *Transibit vita nostra tamquam vestigium nubis.* Jerem. xlviii, 9 : *Date florem Moab, quia*, supple, adhuc *florens egredietur.* Isa. xviii, 5 : *Ante messem en totus effloruit*, etc.

« *Vespere decidat.* » Hic tertium, in quo tangitur transitus multiplicitas, et tangitur triplex maxime in fine ætatis. Primo, transitus in mortem, cum anima a corpore separatur. Secundo, transitus in indurationem, cum humor naturalis totus consumitur, ibi, « *Induret.* » Et tertio, in incinerationem, cum partes ab invicem separantur, ibi, « *Et arescat.* » **In fine vitæ triplex transitus.**

Ait ergo : Sic transeat sicut herba, et non obstet flos et vigor juventutis, sed vespere ætatis, scilicet quamdiu vox erit, decidat in mortem. Supra, in Psal. xxxvi, 2 : *Quemadmodum olera herbarum cito decident.* Isa. xl, 7 : *Exsiccatum est fœnum, et cecidit flos.* Nimirum sic addit : quia Matth. iii, 10 : *Jam securis ad radicem arborum posita est* [1]. Sed caveat in quam partem cadat : quia Eccle. xi, 3 : *Si ceciderit lignum ad Austrum, aut ad Aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit*, succo et humore omni recedente. Et sic tandem arescat redactus totus in pulverem. Psal. xxi, 16 : *Aruit tamquam testa virtus mea.* Eccli. xiv, 18 : *Omnis caro sicut fœnum veterascet*, hoc est, arescet. Spiritualiter autem multi in vespere, in fine scilicet vitæ suæ, decidunt in mortalem culpam, indurantur per peccati consuetudinem, et arescunt penitus per omnis gratiæ amissionem.

Et est notandum hic, quod est herba materialis et indifferens. Sap. xvi, 12 : *Domine, neque herba, neque malagma sanavit eos, sed omnipotens sermo tuus, qui sanat omnia.* Item, quælibet res præsenti vitæ necessaria. Psal. cxlvi, 8 : *Qui producit in montibus fœnum, et herbam servituti hominum.* Et est herba mala, scilicet vanitas mundana, et delectatio carnis, qua diabolus pascitur. Job, **Herba multipliciter dicitur.**

[1] Cf. etiam Luc. iii, 9.

xl, 15 : *Huic*, scilicet Behemoth, hoc est, diabolo, *montes herbas ferunt.* Et est herba bona, scilicet doctrina divina. Prov. xxvii, 25 : *Aperta sunt prata, et apparuerunt herbæ virentes.* Sed melior operatio bona, de qua Genes. i, 11 : *Germinet terra herbam virentem.* Sed est optima, caro Christi, quæ reficit sancto fœno animalia ejus. Job, vi, 5 : *Numquid rugiet onager, cum habuerit herbam ? aut mugiet bos, cum ante plenum præsepe steterit ?*

7 Duplex causa humanæ miseriæ.

« *Quia defecimus.* » Hic secundum, in quo tacta humana miseria, subjungitur de ejusdem miseriæ causa, et tangitur duplex : et secundum hoc dicuntur duo in hac parte. Prima enim causa est divina justitia, quæ pœnam infligit pro peccato. Secunda, misericordia, qua infligit ipsam pro bono, ordinans eam ad purgationem nostram et gloriam, malis vero ad damnationem, de quo ibi, « *Quoniam supervenit.* »

In prima duo. Primo, ostendit propter peccatum pœnas homini esse inflictas. Secundo, exprimit pœnarum quasdam differentias, ibi, « *Quoniam omnes dies nostri.* »

In prima duo. Primo, ostendit pœnæ inflictionem. Secundo, ostendit esse justum, quia propter peccata nostra et iniquitates, ibi, « *Posuisti.* »

In prima duo. Primo tangitur pœna ex parte corporis, afflictionis scilicet, et mortalitatis. Secundo, ex parte animæ, ibi, « *Et in furore tuo.* »

Dicit ergo : Sic miseri sumus, et hoc « *quia defecimus,* » id est, in defectum scilicet et mortalitatem versi sumus, « *in ira tua,* » id est, in effectu procedente quasi ab irato. Hæc ira, de qua Mich. vii, 9 : *Iram Domini portabo, quoniam peccavi ei.* Job, iv, 5 : *Venit super te plaga, et defecisti : tetigit te, et conturbatus es.* Et in cap. x, 17 : *Multiplicas iram tuam adversum me, et pœnæ tuæ militant in me.* Et xxxiv, 15 : *Deficiet omnis caro simul.*

« *Et in furore,* » id est, in effectu tui quasi furibundi, « *turbati sumus,* » timentes timore magno mori, et dissolvi. Psal. vi, 8 : *Turbatus est a furore oculus meus :* a furore, inquam, tuo considerato. Job, xxxiii, 15 : *A facie ejus turbatus sum, et considerans eum, timore sollicitor.* Et xxii, 10 : *Conturbat te formido subita :* nullus enim est qui non turbetur contra mortem, et timeat illam. Unde sicut dicit Glossa, Dominus dicebat Petro : *Cum autem senueris,.. alius te cinget, et ducet te quo tu non vis* [1]. Et ipse salvator Dominus vitæ et mortis dicit, Matth. xxvi, 38 : *Tristis est anima mea usque ad mortem.*

« *Posuisti iniquitates.* » Hic secundum, in quo ostendit justam pœnæ inflictionem : quia omnia peccata, omnia mala plenissime cognovit. Duo ergo dicuntur. Primo, quod habuit peccatorum cognitionem apertissimam. Secundo, quod omnium plenissimam, ibi, « *Sæculum nostrum.* » 8

Peccata nostra Deo notissima.

Ait ergo : Sic afflicti sumus, et in corpore, et in anima a te, nec injuste : quia « *tu posuisti,* » positas habuisti, vel positas esse voluisti, « *iniquitates nostras* » (sumitur large pro omni peccato) ut videres et cognosceres illas, et iniquitates originales, de quibus in Psal. l, 7 : *In iniquitatibus conceptus sum.* Et iniquitates superadditas actuales, de quibus Prov. v, 22 : *Iniquitates suæ capiunt impium :* omnes posuisti in conspectu tuo, ut omnes cognoscas. Ad Hebr. iv, 13 : *Omnia nuda et aperta sunt oculis ejus, ad quem vobis sermo.* Deut. xxxii, 34 : *Nonne hæc condita sunt apud me, et signata in thesauris meis ?* dicit de peccatis illorum. Job, xiv, 17 : *Signasti, quasi in*

[1] Joan. xxi, 18.

sacculo, delicta mea. Nec tantum alicujus iniquitates posuisti in conspectu tuo, sed, « *sæculum nostrum,* » hoc est, quidquid in hoc nostro sæculo fit, posuisti « *in illuminatione,* » hoc est, in præsentia luminosa, « *vultus tui.* » Psal. XXXIII, 17 : *Vultus autem Domini super facientes mala* [1]. Si enim fugiunt lucem quantum possunt, et illam odiunt mali, tamen non evadunt. Joan. III, 20 : *Omnis qui male agit, odit lucem, et non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus.* Tamen non evadit lucem : quia Job, XXXIV, 21, dicitur : *Oculi ejus super vias hominum, et omnes gressus eorum considerat.* Eccli. XXIII, 28 : *Oculi Domini multo plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum.*

9 *Quoniam omnes dies.* » Hic secundum, in quo posita miseriæ causa, divina scilicet justitia, exponit miseriarum humanarum multa incommoda, et primo ex parte animæ. Secundo, ex parte corporis, ibi, « *Anni nostri sicut aranea.* »

In prima duo. Primo, miseria ex parte intellectus, sicut vult Glossa. Secundo, ex parte affectus, ibi, « *Et in ira tua.* »

Miseria [in]tellectus [h]umani.

Dicit ergo : Vere defecimus in ira : « *quoniam omnes dies,* » interiores mentis illuminationes, « *defecerunt.* » Glossa, « Cognitio nostra, etc. » In Psal. CI, 4 : *Dies mei sicut umbra declinaverunt.* Et Job, IX, 25 : *Dies mei velociores fuerunt cursore* : si enim ad modicum et raptim veritas videatur, statim tamen tamquam quidam cursor elabitur.

De diebus etiam naturalibus hominis potest intelligi, quia valde cito transeunt. Job, XIV, 5 : *Breves dies hominis sunt, numerus mensium ejus apud te est.*

« *Et in ira tua,* » id est, in effectu iræ tuæ, « *defecimus,* » ex parte affectus, deficientibus et inanibus inhærendo per amorem. Eccle. I, 2 : *Vanitas vanitatum, dixit Ecclesiastes, et omnia vanitas.* Et propter hoc sumus quasi nihilum, et inane. Isa. XL, 17 : *Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, et tamquam nihilum et inane reputatæ sunt ei.*

« *Anni nostri sicut aranea.* » Hic miseria ex parte corporis, hoc est, vitæ corporalis : et tanguntur tria. Primo, vanitas in labore. Secundo, brevitas in duratione, ibi, « *Dies annorum.* » Tertio, afflictio in extensione ultra certum terminum, ibi, « *Si autem in potentatibus.* »

Ad primum autem intelligendum, notandum primo, quod annos accipit pro viventibus in annis : et in hoc quod dicit, « *meditabuntur,* » potest intelligi meditatio activa, vel passiva.

Malignitas vitæ nostræ per similitudinem declarata.

Dicit ergo : Sic afflicti sumus in anima : et quantum ad corporalem vitam nostram, « *anni nostri,* » id est, vita nostra, vel nos viventes in annis, « *meditabuntur,* » active, hoc est, cogitabimus, « *sicut aranea,* » quæ non meditatur, nec laborat, nisi in vanitate telæ, et dolositate, ut inde capiat muscam. Vel passive : et differt parum sensus. « *Anni nostri,* » sicut prius, « *meditabuntur,* » id est, ab aliis meditantibus, et attendentibus reputabuntur, « *sicut aranea,* » id est, aranearum vita, quæ tota inutilis est, et vana. Isa. LIX, 5 : *Telas araneæ texuerunt.* Et ibidem, ℣. 6 : *Telæ eorum non erunt in vestimentum.* Multorum scholarium meditatio, sicut aranearum est, quia toti sunt in curiositatibus perscrutandis, Astronomiæ, et Geomantiæ, et eorum quæ nihil utilitatis habent, sed totum est vanitatis et curiositatis. II ad Timoth. II, 23 : *Stultas et sine disciplina quæstiones devita : sciens quia generant lites.* Et sunt tales sicut araneæ recte inflati et timidi. I ad Tim. VI, 4 : *Superbus est, nihil sciens, sed languens circa quæstiones, et pugnas verborum : ex quibus oriuntur invidiæ, contentiones, blasphemiæ, suspiciones malæ.*

Curiosi et avari cum aranea collati.

[1] Cf. I Petr. III, 12.

Sic multorum cupidorum sunt meditationes sicut araneæ : subtiliter enim exquirunt, et totos se eviscerant in exquirendis novis modis acquirendi, et contractuum diversis laqueis et usurarum. Luc. xvi, 8 : *Filii hujus sæculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt.* Et bene comparantur araneæ. Aranea enim texit fila subtilia, et ad invicem juncta. Sic avarus curiositatem curiositati jungit, et sic quasi ad capiendum aliquid telam facit. Isa. xix, 9 : *Confundentur qui operantur linum, plectentes et texentes subtilia.* Et eruit viscera. Sic avarus totum se eviscerat in acquirendo. Eccli. x, 10 : *Nihil est iniquius quam amare pecuniam: hic enim et animam suam venalem habet : quoniam in vita sua projecit intima sua.* Irretit fraude sua miseram muscam. Sic avarus verbis suis et fallaciis pauperem. Prov. vii, 21 : *Irretivit eum multis sermonibus suis.* In tela, quam facit, est ejus fiducia tota. Sic avarus in iis quæ acquirit. Job, viii, 14 : *Tela aranearum fiducia ejus.* Suspendit se in tela sua. Sic avarus totus suspenditur in labore suo et angustia sua. Esther, vii, 10 : *Suspensus est Aman in patibulo quod paraverat Mardochæo.* Ob hoc voluit Dominus Judam suspendio interire. Act. i, 18 : *Et suspensus crepuit medius.* Tabescit suspensa in illa. Sic avarus totus tabescit suspensus in amore suorum. Psal. xxxviii, 12 : *Tabescere fecisti sicut araneam animam ejus.* Et tandem valde cito perit totus labor, et confidentia sua ad modicum flatum. Sic avarus cito perdit omnia. Osee, viii, 6 : *In aranearum telis erat vitulus Samariæ*, qui erat eorum spes et confidentia.

10 « *Dies.* » Hic secundum. Quasi diceret : Sic sunt in vano labore dies nostri, et sunt pauci, quia « *dies annorum* » complentur « *in ipsis septuaginta annis.* » Vel, secundum aliam litteram quæ habet, « *Anni,* » sic construe : « *Dies annorum nostrorum.* » Hoc proponitur ut locum habeat sequens relatio, « *In ipsis diebus annorum nostrorum,* » supple, sunt, *septuaginta anni.* » Primum quidem, antequam peccata essent multiplicata, erant anni octingenti, nongenti, sed multiplicato peccato, et facto diluvio breviati sunt. Genes. vi, 3 : *Erunt dies illius*, scilicet hominis, *centum viginti annorum.* Postea quasi in medietate decurtati, facti sunt septuaginta. Ergo mali sunt, quia araneæ, et breves, quia septuaginta. Gen. xlvii, 9, dicit Jacob : *Dies peregrinationis meæ centum triginta annorum sunt, parvi, et mali.* Dies nos mali e breve

« *Si autem in potentatibus.* » Hic est tertium, scilicet afflictio in extensione ultra numerum taxatum.

Ait enim : Sic sunt anni vitæ anni septuaginta, « *si autem octoginta anni,* » supple, sunt, « *in potentatibus,* » in illis scilicet, qui multum possunt, et fortem et potentem habent naturam, « *et amplius eorum* » (conjunctio superfluit, sicut frequenter accidit in Hebræo) « *erit labor* » in agendo, « *et dolor* » in patiendo.

Sed contra hoc videtur Josue, xiv, 10, 11 : *Hodie octoginta quinque annorum sum, sic valens, ut eo valebam tempore, quo ad explorandum missus sum.* Respondeo. Speciale donum fuit, et gratia specialis. Tamen nec adhuc illo tempore in tantum erat natura infirmata, et debilitata, sicut tempore David. II Reg. xix, 35, de Berzelai, qui octogenarius erat, et dixit : *Numquid vigent sensus mei ad discernendum suave vel amarum?* Eccli. xviii, 8 : *Numerus dierum hominum ut multum centum anni.*

Sed iterum : Quomodo dicitur quod ultra octoginta labor et dolor ? nonne similiter ante? Constat, quod sic : quia Genes. iii, 17, dictum est primo homini, et nobis in illo : *In laboribus comedes ex ea*, scilicet terra, *cunctis diebus vitæ tuæ.* Respondeo. Verum est, quod semper in labore et dolore, Job, v, 7 : *Homo*

nascitur ad laborem, et avis ad volatum. Sed tunc præcipue est in miseria cum calor naturalis in ipso refriguerit. I Reg. III, 2, de Heli, cujus *oculi caligaverant, nec poterat videre.* III Reg. I, 1, de David qui non poterat calefieri. Et dixit quidam : « Multa senem circumveniunt « incommoda. » Propter hoc dicitur, Eccle. XII, 1-3 : *Memento creatoris tui in diebus juventutis tuæ, antequam veniat tempus afflictionis, et appropinquent anni, de quibus dicas : Non mihi placent. Antequam tenebrescat sol, et lumen, et luna, et stellæ, et revertantur nubes post pluviam : quando commovebuntur custodes domus, et nutabunt viri fortissimi, et otiosæ erunt molentes in minuto numero, et obtenebrescent videntes per foramina.*

Nota etiam lecturas alias mysticas, quæ sunt in Glossa.

« *Quoniam supervenit.* » Hic secundum illius partis, in qua agitur de pœna in relatione ad causam pœnæ. Actum est enim in relatione ad justitiam, hic in relatione ad misericordiam. Duo autem dicuntur. Primo, ratio inflictionis pœnæ, Dei misericordia ad corripiendum. Secundo, admiratio Prophetæ super tantum beneficium, et tam districtum. Primo, quoad bonos. Secundo, quoad malos, ibi, « *Quis novit potestatem ?* »

Deus ex misericordia nos corripit.

Dicit ergo : In his miseriis sumus, et in laboribus, sed sustinendum est patienter, « *Quoniam supervenit mansuetudo,* » super nos scilicet venit, dum hanc pœnam infligit : « *et* sic *corripiemur.* » Isa. XXVIII, 19 : *Vexatio dabit intellectum auditui.* Jerem. VI, 7 et 8, secundum aliam litteram : Per omne flagellum erudiens Israel[1]. Et XXXI, 18 : *Castigasti me,* Domine, *et eruditus sum.* Et hoc magna Dei misericordia. Psal. CXL, 5 : *Corripiet me justus in misericordia, et increpabit me.* II Mach. VI, 16 : *Numquam a nobis misericordiam suam amovet : corripiens vero in adversis, populum suum non derelinquit.* Et ibidem, ℣. 13 : *Etenim multo tempore non sinere peccatoribus ex sententia agere, sed statim ultiones adhibere, magni beneficii est indicium.* Propter hoc dicebat sapientissima Judith, in cap. VIII, 27 : *Flagella Domini quibus quasi servi corripimur, ad emendationem, et non ad perditionem nostram evenisse credamus.*

Mirum quod feræ mansuescunt, et peccatores non convertuntur.

Et mirum, quod peccator non corripitur a crudelitate sua, et non mansuescit. Sunt enim quædam animalia, quæ fiunt mansueta et tractabilia per incantationem, sicut serpentes. Sic peccator deberet per prædicationem : prædicatio enim incantatio est. Eccli. XII, 13 : *Quis miserebitur incantatori a serpente percusso ?* id est, prædicatori. Sed sicut dicitur in Psal. LVII, 5-6 : *Furor illis secundum similitudinem serpentis : sicut aspidis surdæ, et obturantis aures suas, quæ non exaudiet vocem incantantium.* Alia mansuescunt per oculorum clausionem, sicut aves rapaces. Et peccatores oculos amiserunt. Matth. XV, 14, de quibusdam peccatoribus : *Sinite illos : cæci sunt, et duces cæcorum* : etiam quamvis videantur claros habere oculos, et apertos. Act. IX, 8 : *Apertisque oculis nihil videbat.* Alia per cibi ostensionem, quando famem patiuntur, sicut nobiles aves. Et peccatores famelici sunt. Osee, IV, 10 : *Comedent, et non saturabuntur.* Et quasi exponit se : *Fornicati sunt, et non cessaverunt.* Et cibus offertur eis tamquam reclamatorium. Matth. XI, 28 : *Venite ad me omnes, qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos.* Alia per timorem, scilicet quando vident alia verberari, sicut leo quando verberatur canis coram eo. Proverb. XIX, 25 : *Pestilente flagellato, sapientior erit stultus.* Propter hoc dicitur,

[1] Vulg. habet, Jerem. VI, 7 et 8 : *Iniquitas et vastitas audietur in ea, coram me semper infirmitas et plaga. Erudire Jerusalem, ne forte recedat anima mea a te,* etc.

Luc. xvii, 32 : *Memores estote uxoris Lot*, quæ versa est in statuam salis, quia respexit retro [1]. Et ipsi vident propriis oculis, tot turpiter mori, et ex improviso. Alia per flagella, ut elephas : dicitur enim, quod cum aliquis ascendit domesticum elephantem, et habet juxta silvestrem quem verberat fortiter, tunc domatur. Peccatores autem multiplici miseria a Deo flagellantur, nec corriguntur. Jerem. v, 3 : *Percussisti eos, et non doluerunt : attrivisti eos, et renuerunt accipere disciplinam*. Alia domantur per vincula, ut equus. Eccli. xxxiii, 27 : *Jugum et lorum curvant collum durum*. Grave autem jugum, et vinculum forte super peccatores. Eccli. xl, 1 : *Occupatio magna et jugum grave super filios Adam*. Et Proverb. v, 22 : *Funibus peccatorum suorum* quisque *constringitur*. Alia per onera, ut taurus, et asinus. Eccli. xxxiii, 25 : *Cibaria, et virga, et onus asino*, etc. Et peccator oneratus est valde. Psal. xxxvii, 5 : *Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, et sicut onus grave*, etc. Alia per pellis adustionem, sicut catus. Et peccator totus adustus est. Isa. xiii, 8 : *Facies combustæ vultus eorum*. Thren. iv, 8 : *Denigrata est super carbones facies eorum*. Joel, ii, 6 : *Omnes vultus redigentur in ollam*. Alia per amaræ rei gustationem, ut mustela, quæ postquam aliquid amari gustaverit, non mordet. Et peccator plenus est amaritudine. Jerem. viii, 14 : *Potum dedit nobis*, id est, dari permisit, *aquam fellis*. Thren, iii, 15 : *Inebriavit me absynthio*. Alia per amplexum virginalem, sicut rhinoceros : et Deus amplexatur brachiis pietatis peccatorem : læva amplexatur, dando temporalia, dextera, dando bona spiritualia. Cantic. ii, 6 : *Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me*.

11 « *Quis novit potestatem*. » Hic subjungitur exclamatio super misericordia Dei flagellante : et dicuntur duo. Primo, exclamando et quærendo ostendit charitatem cognoscentium virtutem divini flagelli. Secundo, effectus multiplicitatem sequentem ex flagello et virtute Dei, ibi, « *Et præ timore*. »

Mira potestas iræ Dei et cognitu difficilis.

Dicit ergo : Sic mansuetudo superveniens nos corripit : sed, « *quis novit*, » id est, nosse potuit ad plenum, « *potestatem iræ tuæ?* » Ira enim tua tantæ virtutis et potestatis est, ut sit in infligendo mala vera misericordia, et aliquando sit ira in parcendo, et conferendo bona. De primo, Habac. iii, 2 : *Cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis*. De secundo, Zach. i, 15 : *Ira magna irascar super gentes opulentas*. Quasi diceret : Hoc ipsum quod opulentas feci, magna ira fuit.

12 *Et quis novit dinumerare iram tuam*, » id est, effectus tui quasi irati illatos, « *præ timore tuo*, » id est propter timorem tuum habendum et assequendum. Vel, « *quis potest dinumerare ?* » Quasi diceret : Nullus. Et hoc « *præ timore :* » quia cogitans ista, timet, et conturbatur, nec potest discernere. Job, xxxi, 23 : *Semper quasi tumentes super me fluctus timui Deum, et pondus ejus ferre non potui*. Vel sic : « *Quis novit dinumerare*, » distinguere, « *iram tuam*, » effectus iræ tuæ : et hoc « *præ timore tuo*, » id est, per timorem tuum a se habitum et concessum. Timor enim Dei dat scientiam discernendi inter effectus iræ Dei. Eccli. xxxii, 18 : *Qui timet Dominum, excipiet doctrinam ejus*.

« *Dexteram tuam sic notam fac*. » Hic est secunda pars totius hujus partis, in qua postquam petiit ut Deus humanam miseriam a nobis removeat, subjungit

Secunda pars Psalmi.

[1] Cf. Genes. xix, 26 : *Respiciens uxor ejus*, scilicet Lot, *post se, versa est in statuam salis*.

qualiter desiderat hoc fieri, scilicet manifestando divinam virtutem, et in quibus habeat efficaciam, et promovendo homines ad bonam operationem : et secundum hoc dicuntur duo. Primo optat et rogat ut aperte hoc faciat, potentiam demonstrando, et bonorum prudentiam, qui corripienti consentiunt. Secundo, quod promoveat bonos semper de bono in melius, ibi, « *Respice Domine.* »

In prima duo. Primo, petitio. Secundo, persuasio, ut suæ acquiescat petitioni, ibi, « *Repleti sumus.* »

In prima duo. Primo, petitio. Secundo, petiti acceleratio, vel quasi conquestio de mora adimplendi, ibi, « *Convertere, Domine, usquequo ?* »

In prima duo. Primo petit ut manifestetur Dei potentia in liberatione hominis a miseria. Secundo, ut manifestetur sequens effectus, scilicet justorum prudentia, ibi, « *Et eruditos.* »

Ait enim : Sic, Domine, homines corripis affligendo, quamvis hoc non videatur : sed, o Domine, rogo, « *fac notam dexteram tuam,* id est, Filium tuum, qui est dextera tua, de qua in Psal. xcvii, 1 : *Salvavit sibi dextera ejus, et brachium sanctum ejus.* Et alibi, Psal. cxviii, 16 : *Dextera Domini fecit virtutem.* « *Sic,* » id est, ita aperte, ut possimus eam imitari appetendo cœlestia, et terrena contemnendo, et sic quasi liberemur aperte a dicta superius miseria, qua terrenis adhæremus. Sic nota fuit Paulo, qui dicebat, ad II Corinth. iv, 18 : *Non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia sunt : quæ autem non videntur, æterna sunt.* Dextera autem potest appellari æterna vita. Cant. ii, 6 : *Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me.* Et Matth. xv, 23 : *Oves quidem ponet a dextris.* Petit ergo : Notam fac, Domine, dexteram tuam id est, vitam æternam : « *sic,* » id est, sicut præsentem noscimus et temporalem, ut impleatur illud Apostoli, II ad Corinth. xiii, 12 : *Videmus nunc per speculum in ænigmate : tunc autem facie ad faciem.* I Joan. iii, 2 : *Videbimus eum sicuti est.* Et Joan. xvii, 3, dicitur : *Hæc est vita æterna : Ut cognoscant te, solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum.*

« *Et eruditos.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic notam fac dexteram, Filium, et æternam vitam : « *et eruditos corde* : » eruditos, inquam, non in mechanicis, vel aliis artibus, sed in sapientia vera, quam docet Deus. Isa. xxviii, 26 : *Erudiet illum in judicio : Deus suus docebit illum.* Joan. xvi, 13 : *Cum veniet Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.*

Hæc autem sapientia erit in observatione mandatorum Dei sui, sive sint præcepta, sive consilia : unde alia littera habet loco ejus, quod habemus, « *Eruditos corde,* » « compeditos. » Eccli. vi, 25 : *Injice pedem tuum in compedes illius.* Et exponit, ℣. 31 : *Vincula enim illius alligatura sanitatis.* Hæc sapientia de qua Prov. xvi, 22 : *Fons vitæ eruditio possidentis,* mandata scilicet Dei, et consilia. De qua etiam Jacob. iii, 17 : *Sapientia, quæ desursum est, primum quidem pudica est, deinde pacifica,* et sic de aliis

« *Convertere, Domine.* » Hic secun- 13
dum, scilicet conquestio de mora : et dicuntur duo. Primo conqueritur de mora quæ est in afflictione mali : mali, inquam, pœnalis. Secundo, in amotione boni, ibi, « *Et deprecabilis.* »

Ait ergo : Sic, Domine, ostende potentiam, demonstra quibus dederis sapientiam : et o « *Domine, convertere,* » ab irato in benignum et misericordem, quemadmodum Petro fecisti. Luc. xxii, 61 : *Et conversus Dominus respexit Petrum.* Supra, in Psal. lxxxviii, 47 : *Usquequo avertis faciem tuam a me ?*

« *Et deprecabilis esto,* » dando bona quæ petimus, « *super servos tuos.* » Sed hoc usquequo exspectabimus ? Usque-

quo dimittatis peccata, posset respondere. Thren. III, 42 : *Nos inique egimus, et ad iracundiam provocavimus :* idcirco inexorabilis es. Exod. XXXII, 12 : *Quiescat ira tua, Domine, et placabilis esto super nequitia populi tui.* Citius enim adest tua misericordia, quam relinquantur peccata. Job, XXXIII, 16 : *Deprecabitur Dominum, et placabilis ei erit.* Hoc est frequentius : sed aliquando etiam sine precibus sola benignitate manum tribuit, et benignum se exhibet. Jerem. XIII, 10 : *Placatus sum super malo quod feci vobis.* Sic in Matthæo factum est sedenti in telonio [1] : et in Paulo Ecclesiam persequente [2].

14 « *Repleti sumus.* » Hic secundum, in quo præmissa ratione, subjungitur statim persuasio : et dicuntur duo. Primo persuadet a certitudine spei, quam jam habent de futuro bono. Secundo, a magnitudine gaudii, quod habent de præsenti malo : malo, inquam, pœnæ, ibi, « *Lætati sumus.* »

In prima tria, quæ tamquam sperantes certissime dicunt jam se esse adeptos. Primum est repletio omnis boni. Secundo, exsultatio in replente Deo, ibi, « *Et exsultavimus.* » Tertio, delectatio in utroque, in repletione illa, et gaudio, ibi, « *Delectati sumus.* »

Dicit ergo : Sic rogavi ut sis placabilis, et conversus, et sic erit indubitanter : quia ex certa spe, quam habemus, tamquam jam factum. Sic dico, « *Repleti sumus misericordia tua,* » effectibus scilicet misericordiæ tuæ, in nos implueníibus, et hoc, « *mane,* » hoc est, die æternitatis nobis inhoante. Sophon. III, 5 : *Mane judicium suum dabit, et non abscondetur.* Et in Psal. V, 5 : *Mane adstabo tibi, et videbo,* verum esse te. Et hæc Dei manifestatio erit animæ satiatio. Joan. XIV, 8 : *Domine, ostende nobis Patrem, et sufficit nobis.* Psal. XVI, 15 : *Satiabor cum apparuerit gloria tua.*

« *Exsultavimus.* » Factum dicit quod adhuc futurum est, propter spei certitudinem. Post repletionem sequitur exsultatio, quia in Gallico proverbium est : « Venter saturatus ludit. » Isa. XXXV, 10 : *Gaudium et lætitiam obtinebunt.* Cant. I, 3 : *Exsultavimus et lætabimur in te,* nos satiante. Isa. LXV, 13 : *Servi mei comedent, et vos esurietis : servi mei bibent, et vos sitietis.* Et subjungitur statim, ℣. 14 : *Ecce servi mei laudabunt præ exsultatione cordis, et vos clamabitis præ dolore cordis, et præ contritione spiritus ululabitis.*

« *Et delectati sumus,* » ne credatur repletio fastidiosa, exsultatio ficta, « *omnibus diebus nostris.* » *Dies* hic appellantur bona æternitatis, secundum varias cogitationes veritatum, quæ omnes simul erunt, et omnes delectabunt animam. Hi enim sui dies, de quibus in Psal. XXXIII, 13 : *Quis est homo qui vult vitam, diligit dies videre bonos ?* Et rursum, Psal. XXXVIII, 5 : *Notum fac mihi, Domine, finem meum, et numerus dierum meorum quis est ?*

« *Lætati sumus.* » Hic secundum hu- **15**
jus partis persuasoriæ, in quo persuadet a lætitia et exsultatione in ipso malo pœnæ et ejus effectu. Duo ergo dicuntur. Primo, exsultationem allegat in humiliatione et dejectione. Secundo, in dejectionis continuatione et duratione, ibi, « *Annis.* »

Dicit ergo : Sic jam quasi tenemus æterna bona, et propter hoc « *lætati sumus pro diebus, quibus nos humiliasti,* » abjiciendo, dejiciendo : quia hoc est quasi illorum bonorum causa, et propter hoc venitur ad illa. Tob. III, 22 : *Post tempestatem tranquillum facis, et post lamentationem et planctum, exsultationem immittis.* Et Bernardus dicit : « Hoc lætitiæ genus nescierunt cœli, An« geli scilicet, qui sunt in cœlo, nisi per

[1] Cf. Matth. IX, 7-14.

[2] Cf. Act. XI, 1-22.

« filios Ecclesiæ. » Et addit : « Oppor-« tune post tristitias gaudium subest, « post laborem quies, post naufragium « portus. Placet cunctis securitas, sed ei « magis qui timuit : jucunda omnibus « est lux, sed ei, qui evasit de potestate « tenebrarum jucundior. » Propter hoc dicit sancta Judith in cap. VIII, 17 : *De nostra humilitate gloriemur.* Jacob. I, 9 : *Glorietur frater humilis in exaltatione sua.*

« *Annis.* » Hic secundum : Quasi diceret : Læti sumus pro diebus humiliationis, « *annis* » scilicet, ne putentur esse dies, « *quibus vidimus* » et sensimus mala pœnalia, secundum illud I Machab. II, 6 : *Viderunt mala quæ fiebant in populo Juda.* Et nota quod dicit : « *vidimus mala,* » non, *videmus :* et « *humiliasti* » dixit supra, non *humiliabimur :* bonum est enim humiliatum fuisse. Psal. CXIII, 71 : *Bonum mihi, Domine, quia humiliasti me.* Bonum mala vidisse, sed non videre. I Machab. III, 59 : *Melius est nobis mori in bello, quam videre mala gentis nostræ, et sanctorum.*

In tribulationibus lætandum, multis de causis.

Et nota, quod lætandum est pro tribulationibus, multis rationibus. Primo, quia sanant animam a morbo culpæ. Job, V, 18 : *Ipse vulnerat*, supple, in corpore, *et medetur*, in mente. Quia purgant sanatam. Sapient. III, 6 : *Tanquam aurum in fornace probavit illos*, scilicet electos, *Dominus.* Psal. XVI, 3 : *Igne me examinasti, et non est inventa in me iniquitas.* Augustinus : « Quod fornax, etc. » Quia ardorem concupiscentiæ sedant. Exod. XIV, 28 : Aquæ submerserunt Ægyptios [1], tribulationes motus carnis et fervores inordinatos. Quia audaciam ex usu præstant, impugnando, et patienter sustinendo. Eccli. XXXIV, 10 : *Qui non est expertus, pauca recognoscit.* Ad Roman. V, 3 : *Tribulatio patientiam operatur.* Hinc dicit Seneca : « Illum quæ-« ro, volo, et approbo, cujus dentes « crepuerunt sub pugna, qui sanguinem « suum fudit et vidit, et projectus ab ad-« versario suo, animum suum non pro-« jecit. » Quia intellectum illuminant. Isa. XXVIII, 19 : *Vexatio dabit intellectum auditui.* Jerem. VI, 7 : Per omne flagellum erudieris Israel [2]. Quia Dei dilectionem ad afflictum demonstrant. Tob. XII, 13 : *Quia acceptus eras Deo, necesse fuit ut tentatio probaret te.* Ad Hebr. XII, 6 : *Quem enim diligit Dominus, castigat : et flagellat autem omnem filium, quem recipit* [3]. Quia securitatem contra divinum judicium præstant. Nahum, I. 9 : *Non consurget duplex tribulatio.* Psal. XLV, 2 : *Adjutor in tribulationibus quæ invenerunt nos nimis, propterea non timebimus dum turbabitur terra.* Quia nostro capiti, Christo scilicet, nos conformant. I Petr. II, 21 : *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum,* etc.

« *Respice in servos.* » Hic secundum 16
secundæ partis totius illius, in qua orat. Postquam enim petiit divinæ virtutis ostensionem, et electorum manifestationem, consequenter petit illorum promotionem, et consummationem in bono : et dicuntur duo. Primo explanat pro quibus orat. Secundo, quid illis optat, ibi, « *Et sit splendor.* »

In prima duo. Primo rogat pro nobis justis, qui tunc erant, vel jam fuerant. Secundo, pro imitatoribus illorum qui succedunt eis, ibi, « *Et dirige filios.* »

In prima duo. Primo rogat pro bonis. Secundo allegat, quia Dei opus sunt, ibi, « *Et in opera tua.* »

Ait ergo : Hæc quæ rogavi, Domine,

[1] Exod. XIV, 28 : *Reversæque sunt aquæ, et operuerunt currus et equites cuncti exercitus Pharaonis*, etc.

[2] Jerem. VI, 7 : *Iniquitas et vastitas audietur in ea, coram me semper infirmitas et plaga. Erudire Jerusalem, ne forte recedat anima mea a te,* etc.

[3] Cf. Proverb. III, 11 et 12.

facias, et etiam, Domine, rogo iterum, « *respice*, » oculo misericordiæ, « *in servos tuos*. » Et statim allegat causam, id est, « *in opera tua*. » Quasi diceret : Propter hoc debes respicere, quia sunt « *opera tua*. » Isa. LXIV, 8 : *Domine, pater noster es tu, nos vero lutum : et fictor noster tu, et opera manuum tuarum omnes nos*. Et propter hoc respice illo respectu de quo Sapient. IV, 15 : *Et respectus in electos illius*. Isa. LXIV, 9 : *Ecce respice, populus tuus omnes nos*.

« *Dirige filios*. » Ecce secundum. Quasi diceret : Rogavi, quod respicias in servos tuos, qui nunc sunt, nec tantum in illos, imo « *diriges filios eorum*, » imitatores illorum, et successores in bono, quales filii erant, vel esse debebant, quibus Paulus dicebat, I ad Corinth. IV, 15 : *Per Evangelium ego vos genui*. Ad Galat. IV, 19 : *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis*. De hoc semine et filiis, Eccli. XLIV, 12 et 13 : *In testamentis stetit semen eorum, et filii eorum propter eos*. Filii etiam possunt dici opera, quæ Deus in nobis dirigit, non nos illa nostra virtute. Ad Philip. II, 13 : *Deus, qui operatur in vobis et velle, et perficere, pro bona voluntate*. Hoc legitur etiam de Judæis, qui tunc erant. Glossa : « Et de eorum filiis, et successoribus, pro quibus David rogat videns in spiritu futuram filiorum obstinationem, et tamen conversionem illorum qui erunt in fine, secundum Prophetam Isaiam, in cap.
17 « x, 20 et seq., et Paulum, ad Roman. « II, 14 et seq. »

« *Et sit splendor*. » Hic secundum, in quo magis explanat, quid illis optat, et sunt tria. Primo, optat gratiæ illuminationem. Secundo, operum directionem per illuminationem illam, ibi, « *Et opera manuum*. » Tertio, directorum unionem in charitate, ibi, « *Et opus manuum*. »

Dicit ergo : Sic rogavi ut respicias servos, et filios illorum dirigas. Et quid petis a respiciente ? Hoc : « *Et sit splendor*, » lux gratiæ illuminantis interius, « *Domini Dei nostri*, » hoc est, a Domino Deo nostro nobis infusa, « *super nos*, » nobis dominans, nos regens, et continens : sicut super illos, qui dicunt supra, in Psal. IV, 7 : *Signatum est super nos lumen vultus*, etc. Hic est splendor, qui promittitur, Isa. LVIII, 11 : *Implebit splendoribus animam tuam*. Et Job, XI, 17 : *Quasi meridianus fulgor consurget tibi ad vesperam* : fugatis enim quasi tenebris culpæ, facit quasi splendescere gratiam suam in cordibus electorum. II ad Cor. IV, 6 : *Deus, qui dixit de tenebris lucem splendescere, illuxit ipse in cordibus nostris*.

Gratia dominans, regens, et continens.

Splendor etiam Domini, Dei Patris scilicet, est Filius. Ad Hebr. I, 3 : *Qui cum sit splendor gloriæ, et figura substantiæ ejus*, scilicet Patris. Isa. LXII, 1 : *Propter Sion non tacebo, et propter Jerusalem non quiescam, donec egrediatur ut splendor justus ejus*, etc. Hunc ergo splendorem volo fieri super nos, ut nos illuminet. Joan. I, 9 : *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*. His splendoribus tamquam imagine reformante reformatur in nobis imago scilicet similitudinis, ratio, memoria, et voluntas.

« *Et opera*. » Hic est secundum. Quasi diceret : Sic splendor super nos sit, « *et opera manum nostrarum dirige*, » tu, inquam, existens per hunc splendorem, per hanc gratiam, « *super nos*, » quia aliter non possunt dirigi. Jerem. X, 23 : *Scio, Domine, quia non est hominis via ejus, nec viri est ut ambulet et dirigat gressus suos*. Sed cujus est ? Domini. Prov. XVI, 9 : *Domini est dirigere gressus*. Et XX, 24 : *A Domino diriguntur gressus viri*. Quis autem hominum potest dirigere gressus suos ? Supra, Psal. XXXVI, 23 : *Apud Dominum gressus hominis dirigentur*. Gressus autem idem sunt quod opera, sive interiora, sive exteriora. II ad Thess. III,

5 : *Dominus autem dirigat corda vestra in charitate Dei, et patientia Christi.*

« *Et opus manuum.* » Hic tertium. Quasi diceret : Sic dirige opera, ut in charitate fiant : et etiam « *opus manuum nostrarum dirige,* » ut ad unum finem, ad unum tendant præmium. Unde solvitur hoc quod posset hic quæri : quomodo cum dixerit ante, *omnia opera manuum* in plurali, nunc dicit *opus* in singulari ? Et iterum, qualiter differt hic, et ibi, quod dicit « *Dirige ?* » Et est responsio ad primum secundum Gregorium, quia sanctorum opera, et multa sunt, et unum. Sic enim ait : « Omnia præcepta et, « unum sunt, et multa. Multa per diver« sitatem operis, unum in radice chari« tatis. » Iterum ad aliud patet, quia diriguntur opera dupliciter, quantum ad principium a quo sunt, scilicet charitatem, et hoc petiit primo : et quantum ad illud ad quod sunt, præmium scilicet et finem, et hoc petiit secundo. Item, quia petierat opera dirigi simpliciter, repetit ut dirigantur ad unum omnia universaliter, secundum illud Psal. xxvi 4: *Unam petii a Domino, hanc requiram,* vitam scilicet æternam, ad quam nos perducat qui est benedictus, etc.

PSALMUS XC.

Canticum quo prædicatur securitas ejus qui spem in Deo ponit.

1. *Laus Cantici David.*
Qui habitat in adjutorio Altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur.
2. Dicet Domino : Susceptor meus es tu et refugium meum : Deus meus, sperabo in eum.
3. Quoniam ipse liberavit me de laqueo venantium, et a verbo aspero.
4. Scapulis suis obumbrabit tibi, et sub pennis ejus sperabis.
5. Scuto circumdabit te veritas ejus : non timebis a timore nocturno :
6. A sagitta volante in die, a negotio perambulante in tenebris, ab incursu, et dæmonio meridiano.
7. Cadent a latere tuo mille, et decem millia a dextris tuis : ad te autem non appropinquabit.
8. Verumtamen oculis tuis considerabis, et retributionem peccatorum videbis.
9. Quoniam tu es, Domine, spes mea : Altissimum posuisti refugium tuum.
10. Non accedet ad te malum, et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.
11. Quoniam angelis suis mandavit de te [1], ut custodiant te in omnibus viis tuis.
12. In manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.
13. Super aspidem et basiliscum ambulabis, et conculcabis leonem et draconem.
14. Quoniam in me speravit, liberabo eum : protegam eum, quoniam cognovit nomen meum.
15. Clamabit ad me, et ego exaudiam eum : cum ipso sum in tribulatione : eripiam eum, et glorificabo eum.
16. Longitudine dierum replebo eum, et ostendam illi salutare meum.

[1] Matth. iv, 6 ; Luc. iv, 10.

IN PSALMUM XC

COMMENTARIUS.

1 *Laus Cantici David* [1].

« *Qui habitat in adjutorio.* » Hic est Psalmus nonagesimus in toto libro, in secunda vero parte libri sexagesimus : Sicut enim dictum fuit superius, in Psalmo octogesimo quarto actum fuit de liberatione a malo culpæ, per mediatorem Christum, in psalmo octogesimo nono de liberatione a malo pœnæ, tam innatæ quam inflictæ, in hoc autem nonagesimo agitur de liberatione a malo tentationis, a quo culpa. De diversitatibus enim tentationum agitur in hoc Psalmo, et protectione confidentium in Christum, qui tentatus vicit diabolum [2]. Et de verbis

Argumentum Psalmi : Tertius incarnationis et passionis fructus, repressio tentationis.

[1] L'hébreu ne porte aucun titre en tête du psaume, mais on lit dans les Septante : αἶνος ᾠδῆς, « laus cantici, » avec le nom de David. Notons toutefois que cette inscription n'est pas dans les manuscrits grecs, et que plusieurs Pères n'en font point mention. D'anciens commentateurs juifs attribuent la composition de ce psaume à Moïse, en se fondant sur ce principe que le titre qui est en tête d'un psaume s'applique à tous les suivants qui ne portent aucun nom d'auteur. Ce principe ne s'appuie sur aucune preuve et il est universellement rejeté. Comme les commentateurs juifs, Jennings incline à reconnaître Moïse pour auteur, mais seulement à raison des rapprochements qu'il signale entre ce morceau et le Deutéronome. Bossuet embrasse aussi la même opinion. Les versions grecques, la Vulgate, le Chaldéen, Théodoret et quelques modernes, Schegg, Patrizi, etc., attribuent le psaume à David ; s'ils n'ont à apporter en faveur de leur sentiment aucune raison décisive, il faut bien avouer qu'on n'en a pas davantage à leur opposer ; de sorte que rien n'empêche d'accepter comme provenant de la tradition l'inscription des Septante. On ne peut songer cependant à faire composer ce chant par David à l'occasion de la peste qui punit le dénombrement d'Israël, II Reg., xxiv ; I Par., xxi ; les pensées exprimées par le psaume ne s'accordent en aucune sorte avec les sentiments connus du roi pendant le fléau, I Par., xxi, 17. Il faut donc ou faire composer ce psaume par un autre, si on veut le rapporter à cette circonstance, ou le remettre à un autre temps si on l'attribue à David. Patrizi avoue que sur l'époque à laquelle fut composé le psaume, « il ne peut rien dire, pas même par conjecture ; » c'est la solution la plus sage.

Le psalmiste développe avec un charme merveilleux l'acte de confiance que plus tard saint Paul formulera en deux mots : « Si Deus pro nobis, quis contra nos ? » Rom., viii, 31. « Il serait impossible, dit Herder, d'enseigner la confiance en Dieu avec plus de tendresse et d'abandon. » Le Talmud de Jérusalem, Sab., vi, 2, appelle ce psaume, « le chant des accidents, » c'est-à-dire, le chant qui sert de protection au moment du danger. C'est aussi, « comme un écho, presque vers par vers, des paroles par lesquelles Eliphaz le Témanite décrit la vie de l'homme de bien, Job, v, 17-23. » Plumptre, ap. Eliott. La seule difficulté qu'il présente est le brusque changement de personne aux ℣℣. 2, 9, 14. Delitzsch et d'autres font du psaume un dialogue, avec intervention divine au ℣. 14. La difficulté peut être résolue plus simplement, en observant avec Talhofer que ces anomalies sont fréquentes dans les psaumes, et qu'ici elle s'explique tout naturellement par le joyeux enthousiasme du psalmiste.

L'application morale et spirituelle est bien indiquée par Eusèbe : « Totum sermonem ad ejus personam refert, qui pro Christo concertat ac superat ; sive etiam ad hominem qui in Salvatore esse intelligitur, quo ceu instrumento usum est Dei Verbum quod præexistebat. » Cfr. Demonst. evang. ix, 7. S. Bernard a sur le *Qui habitat* dix-sept homélies qui sont des chefs-d'œuvre d'application morale. « Hunc psalmum ad completorium quotidie, et diebus jejunii (quadragesimalis) maxime frequentamus, ut quo tempore diabolus magis nititur ad decipiendum, eo tempore nos magis laboremus ad resistendum. » P. Lombard. Le sens du psaume à l'office de Complies est à la fois de remercier Dieu et de se remettre entre ses mains avec une nouvelle confiance : « Domine, qui nos liberasti ab omni sagitta volante in die, libera nos quoque a negotio perambulante in tenebris. » Ex horolog. græcor. ap. Thomasium.

[2] Cf. Matth. iv, 1-11, et Luc. iv, 1-13.

etiam hujus Psalmi roborata est diaboli tentatio. Unde signanter dicitur in titulo hujus Psalmi : « *Laus Cantici David.* » Quasi dicat : In hoc subjecto Psalmo, est « *laus*, » non quæcumque, sed « *Cantici,* » hoc est, quod est Canticum, quod soli Deo, et de solis spiritualibus est, « *David* » vero, hoc est, Christo cantanda. Isa. XII, 5 : *Cantate Domino, quoniam magnifice fecit.*

Dividitur autem Psalmus in tres partes. In prima, divina protectio in tentatione et pugna promittitur. In secunda, monstratur victoria in pugna, ibi, « *Cadenta latere tuo.* » In tertia, corona post pugnam, ibi, « *Quoniam in me speravit.* »

In prima duo. Primo promittit in Deo speranti liberationem. Secundo, modum liberandi ostendit, et causam quare sperandum est in tali liberatore, ibi, « *Dicet Domino.* »

Prima pars Psalmi.

Dicit ergo : « *Qui habitat,* » per spem et confidentiam, « *in adjutorio Altissimi,* » Dei scilicet, non hominis puri, ut sit de illis, de quibus Jerem. XVII, 7 : *Benedictus vir, qui confidit in Domino.* « *Habitat* » etiam per devotam orationem ipsum deprecando. Bernardus : « Non habitat in adjutorio Altissimi, qui « non poscit Deum adjutorem suum, sed « sperat in multitudine divitiarum sua« rum. » Qui habitat etiam per perseverantiam in fide recta. Bernardus : « Non « habitat in adjutorio Altissimi, qui in « tempore credit, et in tempore tentatio« nis recedit. » Adjutorium Altissimi beata Virgo, quæ Deum Patrem adjuvit, ut unicum habeant filium ipse et ipsa. Genes. II, 18 : *Faciamus ei adjutorium simile sibi.* In hoc est habitandum, tamquam in loco tutissimo. Supra, in Psal. LXXXVI, 7 : *Sicut lætantium omnium habitatio est in te.* Qui sic habitat in adjutorio Altissimi, « *commorabitur in protectione Dei cœli,* « ut undique concussus, prosperis scilicet, et adversis, semper ab eo protegatur. Prov. XVIII, 10 : *Turris fortissima nomen Domini, ad ipsum curret justus, et salvabitur.* Psal. XVII, 31 : *Protector est omnium sperantium in se.* Et alibi, Psal. CXX, 5 : *Dominus protectio tua, super manum dexteram tuam.* Et Jeremias, postquam dixit : *Benedictus vir qui confidit in Domino :* adjecit statim : *Et erit Dominus fiducia ejus* [1], ut cum ipso commoretur sicut mater, et conquiescat, secundum illud Deut. XXXIII, 12 : *In eo quasi in thalamo tota die commorabitur.* Psal. CXXIV, 1 : *Non commovebitur in æternum, qui habitat in Jerusalem.*

Adjutorium Altissimi B. Virgo.

Quomodo Deus nos adjuvat?

Et nota, quod Dominus suos adjuvat. Primo, hostium virtutem et potentiam minuendo, Judith, IX, 11 : *Erige brachium tuum sicut ab initio, et allide virtutem eorum in virtute tua.* Impetum eorum flagellorum impediendo, Judith, IX, 8 : *Tenuit pedes eorum abyssus, et aquæ operuerunt eos. Aquæ* tribulationes, *abyssus* tribulationum immensitas appellatur. Suis impetendi audaciam tribuendo, Judith, XIII, 7 : *Confirma me, Domine Deus Israel, et respice in hac hora ad opera manuum mearum.* Virtutem ad pugnandum præstando, Isa. XL, 29 : *Qui dat lasso virtutem : et his qui non sunt, fortitudinem et robur multiplicat.* Coadjutores adjungendo Angelos ipsos, Psal. XXXIII, 8 : *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum.* Psal. CXX, 1 : *Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi.* Arma tribuendo, de quibus Apostolus ad Ephes. VI, 13 : *Accipite armaturam fidei.* Et II Mach. XV, 16 : *Accipe sanctum gladium munus a Deo tibi missum, in quo dejicies,* etc. Longanimitatem et perseverantiam tribuendo, Psal. XVII, 35 : *Posuisti, ut arcum æreum, brachia mea.* Isa. XL, 31 : *Current et non laborabunt, laborabunt et non deficient,*

[1] Jerem. XVII, 4.

2 « *Dicet Domino.* » Hic secundum, in quo ostendit modum sperandi et causam : et secundum hoc duo dicuntur. Primo, ostendit modum. Secundo, causam, ibi, « *Quoniam ipse.* »

In prima duo, secundum duo quæ sunt in bono modo sperandi in Deo. Primum est divinæ bonitatis confessio. Secundo, spei in ipsum, ipsa voce expressio, ibi, « *Sperabo in eum.* »

In prima tria. Primo, confessio gratiæ promoventis ad bonum. Secundo, liberantis a malo, ibi, « *Et refugium meum.* » Tertio, conferentis ipsum esse, ibi, « *Deus meus.* »

Dicit ergo : Sic dixi, quod qui sperat, adjuvabitur. Sed quomodo sperat ? Sic : « *Dicet Domino,* » voce confessionis et gratiarum actionis : « *Susceptor meus es tu,* » ad bonum faciendum. Supra, in Psal. xxix, 2 : « *Exaltabo te, Domine, quoniam suscepisti me.* Eccli. li, 2 : *Adjutor et protector factus es mihi, et liberasti corpus meum a perditione.* Isa. xlii, 1 : *Ecce servus meus, suscipiam eum.* Vel « *susceptor meus es tu,* » tamquam medicus infirmi ad curandum. Sapient. xvi, 12 : *Neque herba, neque malagma sanavit eos, Domine, sed omnipotens sermo tuus, qui sanat omnia.*

« *Et refugium meum,* » liberando a malo, a quo recedens et fugiens per te, venio ad te. Eccli. xxi, 2 : *Quasi a facie colubri, fuge peccata.* Currens ad Dominum ut ad refugium, Psal. xxxi, 7 : *Tu es refugium meum a tribulatione quæ circumdedit me.* Et alibi, Psal. xlv, 2 : *Deus noster, refugium et virtus.* Securum et tutum refugium, Job, xvii, 13 : *Libera me, Domine, et pone me juxta te, et cujusvis manus pugnet contra me.* « *Deus meus* » es tu, per creationis beneficium. Eccli. xviii, 1 : *Qui vivit in æternum, creavit omnia simul.*

« *Sperabo in eum,* » Hic secundum, expressio ipsius spei per vocem. Job, xiii, 15 : *Etiamsi occiderit me, sperabo in eum.*

« *Quoniam ipse liberavit.* » Hic secundum, in quo ostendit sperandi causam, et assignatur duplex. Primo, susceptum jam a Deo beneficium. Secundo, suscipiendum, ibi, « *Scapulis suis.* » 3

Susceptio duplex. Liberatio a tentatione diaboli, quam facit blandiendo. Secundo, ab illa quam facit detrahendo, ibi, « *Et a verbo aspero.* »

Dicit ergo : Sic sperabo, et justum est, « *quoniam ipse,* » non ego, « *de laqueo venantium,* » de tentatione dæmonum, quæ est ut laqueus, illa scilicet qua blanditur et illaqueat. Isa. xxiv, 18 : *Qui se explicaverit de fovea, tenebitur laqueo.* De hoc petit liberari infra, in Psal. cxl, 9 : *Custodi me a laqueo, quem statuerunt mihi.* Quia sicut alibi dicitur : *Laqueum paraverunt pedibus meis*[1].

Diabolus venator, homo bestia quam venatur.

Et nota, quod diabolus venator est. Gen. x, 9 et 10 : *Chus genuit Nemrod : ipse cœpit potens esse in terra. Et erat robustus venator coram Domino.* Interpretatur autem *apostata,* vel *tyrannus,* quorum utrumque competit diabolo, qui et apostatavit a Deo per superbiam, et tyrannus est per crudelitatem quam exercet contra hominem. Homo autem est bestia, quam venatur. Unde Bernardus : « Quid superbis, o homo ? quid securum « te jactas ? vide quia bestia factus es, cui « laquei præparantur. » Habet autem pro retibus mulieres pulchras, Eccle. vii, 27 : *Inveni mulierem morte amariorem : laqueus venatorum est, et sagena cor ejus.* Et divitias, 1 ad Timoth. vi, 9 : *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et in laqueum diaboli.* Et sicut venator considerat tempus et locum, quia non venatur bestias, quæ non sunt de sayso, scilicet homines pauperes et abjectos, reputat enim eos bestias macilentas : sed divitiis et dignitatibus impinguatos. Habac. i, 16 : *Incrassata est pars ejus,*

[1] Psal. lvi, 7.

et cibus ejus electus. Locum, quia præterit tuguria pauperum, miserorum domicilia, carceres captivorum, et non cessat circuire regum palatia et principum, cathedras et Episcoporum et doctorum, capitula clericorum, nundinas mercatorum, et tabernas gulosorum. Super Matthæi, IV, 11, dicit Glossa : « Tentationibus congruunt loca. » Thren. III, 52 : *Venatione ceperunt me.*

« *Et a verbo aspero,* » a tentatione quam emittit detrahendo, sicut accidit in illis, qui timore linguarum detrahentium, vel cultum Christianitatis blasphemantium, dimittunt facere bona. Job, XV, 21 : *Sonitus terroris semper in auribus ejus.* Et in Psal. XIII, 5 : *Ibi trepidaverunt timore, ubi non erat timor* [1].

Triplex verbum asserum, a quo Deus suos liberat.

Nota etiam, quod est triplex verbum asperum, a quo Deus suos liberat. Primum est : O vos mortui, qui jacetis in sepulcris, surgite, et venite ad judicium [2]. Secundum asperius : *Esurivi, et non dedistis mihi manducare* [3]. Sed tertium est asperrimum : *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum,* etc. [4] Job, V, 21 : *A flagello linguæ absconderis.* Et iu Psal. CXI, 7 : *Ab auditione mala non timebit.* Bernardus : « Sustinuisti, Domi- « ne, hoc verbum asperum : *Tolle, tolle,* « *crucifige eum* [5], ut nos ab illo verbo « aspero liberares : *Ite, maledicti, in* « *ignem æternum, qui paratus est,* etc. »

4 « *Scapulis suis.* » Hic secundum, in quo ostendit in Deo sperandum esse propter beneficium suscipiendum. Et est hoc beneficium liberationis a tentatione : et dicuntur duo. Primo tanguntur genera et modi defensionum sperandarum. Secundo, tentationum, a quibus liberat et defendit, ibi, « *Non timebis.* »

In prima duo. Primo, quod defendit et dulciter. Secundo, quod potenter, ibi, « *Scuto circumdabit.* »

In prima duo. Primo, tangitur dulcis defensio ab ardore tentationis. Secundo, quasi dicti expositio, ibi, « *Et sub pennis.* »

Dicit ergo : Sperandum est in Deo, quia prædicta bona fecit mihi, et etiam faciet adhuc alia, quia, o tu quicumque es in adversitate et ardore tentationis, « *ipse obumbrabit tibi,* » refugium tribuendo, « *scapulis suis,* » propriis. Psal. CXXXIX, 8 : *Obumbrasti super caput meum in die belli.* Luc. I, 35 : *Virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Ecce scapulæ, in quibus portatur onus, hæc umbra, quam desiderabat sponsa Cant. II, 3 : *Sub umbra illius, quem desideraveram, sedi : et fructus ejus,* etc. Isa, IV, 6 : *Erit in umbraculum diei ab æstu.* Non est hæc umbra hederæ, vel cucurbitæ, quæ statim super caput Jonæ exaruit [6].

Sed quia posset aliquis mirari, quomodo scapulis possit obumbrare, ideo exponit se, « *et sub pennis ejus,* » quæ protegunt a parte anteriori, « *sperabis,* » hoc est, sperare poteris. Alas appellat quod dixerat scapulas. Pennas de quibus supra, Psal. LVI, 2 : *In umbra alarum tuarum sperabo, donec,* etc., et Mal. IV, 2 : *Sanitas in pennis ejus.* Hinc est quod comparat se gallinæ sub alis pullos suos congreganti. Matth. XXIII, 37 : *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas,* etc. Item, scapulæ possunt referri ad operationem mirabilium Dei. Per operationes enim virtus ostenditur, sicut per scapulas hominis fortitudo. In alis autem, quæ in altum avem sublevant, prophetica et legalis instructio.

[1] Cf. etiam Psal. LII, 6.
[2] Isa. III, 14 : *Dominus ad judicium veniet cum senibus,* etc. Cf. etiam Joel, III 13.
[3] Matth. XXV, 42.
[4] Matth. XXV, 41.
[5] Joan. XIX, 15.
[6] Cf. Jonæ, IV, 5-7.

5 « *Scuto circumdabit te.* Hic secundum, in quo promittit, quod defendet potenter : quod potest notari in scuto. Ait enim : Sic scapulis et alis proteget te benigniter, et etiam potenter, quia « *veritas ejus,* » quæ personas non accipit, sed omnes in se sperantes protegit. Ad Rom. II, 11 : *Non enim est acceptio personarum apud Deum.* « *Circumdabit te scuto* » potentiæ et virtutis suæ. II Reg. XXII, 3 : *Deus fortis meus, sperabo in eum : scutum meum, et cornu salutis meæ.* Hoc autem scutum est recordatio passionis et laboris Christi, qua protegit ab omni malo, secundum illud Thren. III, 65 : *Dabis eis scutum cordis laborem tuum.* Et in Psal. v, 13 : *Scuto bonæ voluntatis tuæ,* qua pro nobis mori et pati voluisti, *coronasti nos,* ut nos defenderes ab hoste.

« *Non timebis a timore.* » Hic secundum, in quo post diversitates liberationum, subjungit de diversitate tentationum, a quibus liberat : et dicuntur quatuor secundum quatuor tentationum genera, a quibus liberat. Prima est levis et occulta, de qua primo. Secunda, levis et aperta, de qua secundo, ibi, « *A sagitta volante.* » Tertia, gravis et occulta, de qua tertio, ibi, « *A negotio perambulante in tenebris.* » Quarta, gravis et aperta, de qua quarto, ibi, « *Ab incursu.* »

Quatuor tentationum genera.

Vel sic : Primo promittit liberationem ab illa quæ accidit ex timore adversitatis. Secundo, ab illa quæ ex blandimento prosperitatis. Tertio, ab illa quæ ex subreptione vel ignorantia. Quarto, ab illa quæ ex coactione et violentia : et signantur in eisdem locis. Homo enim ruit in peccatum, vel quia timet, vel quia allicitur, vel quia ignorat, vel quia cogitur.

Dicit ergo : Sic proteget scapulis et pennis, et scuto circumdabit te : et sic non timebis, id est, securus esse poteris, « *a timore nocturno.* » Timor nocturnus, pusillanimitas quædam latens interius appellatur, qua tentatur homo, etsi leviter, tamen latenter. Bernardus : « Timor « nocturnus, pusillanimitas, propter quam « scutum non est deserendum. » Prov. XXXI, 21, de muliere forti, quæ protegitur isto scuto : *Non timebit domui suæ a frigoribus nivis.* Jerem. XVII, 8 : *Non timebit cum venerit æstus. Et erit folium ejus viride, et in tempore siccitatis non erit sollicitum.* Sed de non protectis a Domino dicitur, Sapient. XVII, 13 et 14 : *Dormientes aliquando monstrorum exagitabantur timore.* Isa. XXXV, 4 : *Dicite pusillanimis : Confortamini, et nolite timere.*

« *A sagitta volante.* » Hic secundum. 6
Quasi diceret : Sic poterit non timere a timore nocturno, et etiam a sagitta, id est, tentatione, « *volante in die,* » facta in aperta cognitione illius qui tentatur. Hæc sagitta volans, adulatio blandiens. Jerem. IX, 8 : *Sagitta vulnerans lingua eorum, dolum locuta est.* Cito enim et leviter volat adulatio, et usque ad intima cordis penetrat, et vulnerat per inanem gloriam, et cito valde occidit animam. Hæc est *altitudo diei,* de qua supra, in Psal. LV, 4 : *Ab altitudine diei timebo : ego vero in te sperabo.*

« *A negotio.* » Hic tertium. Quasi diceret : Sic ab occulta et levi tentatione non timere poteris, et levi et aperta : et etiam « *a negotio perambulante in tenebris,* » repete, non timebis, scilicet a graviori tentatione et occulta, quæ est ambitio. De ambitione, Bernardus : « Ambi- « tio est subtile malum, secretum virus, « pestis occulta, doli artifex, mater hy- « pocrisis, livoris parens, vitiorum origo, « virtutum rubigo, tinea sanctitatis, ci- « catrix cordium, ex remediis morbos cau- « sans, ex medicina languorem, alienat « mentem, oblivisci facit veritatem, ne- « gotium agit tenebrarum, proditionem « investigando, et iniquitatem virtutum « imagine palliando. » Ad Ephes. v, 12 :

Ambitionis elegans descriptio.

Quæ in occulto fiunt ab ipsis, turpe est et dicere. Joan. XII, 35 : *Qui ambulat in tenebris, nescit quo vadat.*

« *Ab incursu.* » Hic est quartum. Quasi diceret : A prædictis tentationibus non timebis : et etiam non timebis « *ab incursu et dæmonio meridiano,* » id est, dæmonio meridiano in aperto tamquam in meridie ingruente, id est, graviter impellente, et tentante. Graviter enim dæmon impellit tamquam leo sævissimus. I Petr. v, 8 : *Adversarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit,* etc. Et est *meridianus,* quando quod aperte malum est, suggerit, sicut in Anti-Christo faciet. Et nota quod dicit Bernardus : « Incipientes tentat timor nocturnus, proficientes sagitta volans, negotium perambulans in tenebris Prælatos, sed dæmon meridianus Doctores. » Et hi dicere possunt illud Matth. xv, 22 : *Filia mea male a dæmonio vexatur.*

Secunda pars Psalmi.

« *Cadent a latere.* » Hic est secunda pars totius hujus Psalmi, in qua postquam actum est de confidentia in Deo in pugna, et rationibus confidendi in ipso, subjungitur hic de victoria in pugna per Christum habita. Duo autem dicuntur. Primo victoria bonorum, malis perditis et damnatis. Secundo, de actore victoriæ, et ministris, ibi, « *Quoniam tu es, Domine.* »

In prima tria. Primo, aliquorum qui se bonos æstimant, per tentationem, et malorum impulsionem dejectio. Secundo, bonorum victoriosa liberatio, ibi, « *Ad te autem non appropinquabit.* » Tertio, malorum per quos qui videbantur boni, dejecti sunt, recta punitio et aperta, ibi, « *Verumtamen oculis tuis.* »

In prima duo. Primo, aliquorum qui videntur in perfectionis statu, dejectio. Secundo, plurium, qui in statu imperfectionis, ibi, « *Et decem millia.* »

Dicit ergo : Sic de te et in te confidentes, Domine, adjuvabis : sed de se præsumentes, « *cadent mille,* » in tentatione, et hoc, « *a latere tuo,* » quales sunt perfecti, qui omnia reliquerunt propter Christum.

Notandum enim, quod est latus Christi naturale, quod scilicet perforatum fuit in cruce, sicut habetur [1] : *Unus militum lancea latus ejus aperuit et continuo exivit sanguis et aqua :* sanguis in signum nostræ redemptionis, aqua in signum baptismalis ablutionis. Et est latus spirituale, societas assessorum suorum in judicio, hoc est perfectorum, qui conjudicabunt. Matth. XIX, 28 : *Amen dico vobis, quod vos, qui secuti estis me,* etc. Sic accipitur hic, sicut dicimus consiliarios Prælati, et familiam, latus ipsius. Job, xv, 27 : *De lateribus ejus arvina dependet.* Bernardus : « Sanum te dixerim dolentem latera ? » Quasi dicat : Nullo modo : loquitur ad Eugenium Papam. De latere ergo Christi, proh dolor ! multi cadunt : nec mirum cum ceciderit Lucifer. Isa. XIV, 12 : *Quomodo cecidisti de cœlo lucifer, qui mane oriebaris ?* Propter hoc bonum est consilium Eccli. II, 7 : *Non deflectatis ab illo, ne cadatis.* I ad Cor. x, 12 : *Qui se existimat stare, videat ne cadat :* quia Luc. x, 18, dicitur : *Videbam Satanam, sicut fulgur de cœlo cadentem.*

Latus spirituale Christi, assessores in judicio.

« *Et decem millia,* » quod est majus, « *a dextris tuis,* » id est, de illis qui se existimant futuros a dextris, et cum bonis judicandis tandem salvandos : ut sint de illis, de quibus dicitur : *Statuet oves quidem a dextris suis* [2]. Per latus etiam dextrum designatur prosperitas, per sinistrum adversitas. Significatur ergo, quod plures cadent a latere dextro Dei, id est, a prosperitate, quam a sinistro, id est, ab adversitate. Proverb. I, 32 : *Prosperitas stultorum perdet illos.* David in adversitate humilis, et charitativus : in prosperitate ce-

[1] Joan. XIX, 34.

[2] Matth. XXV, 34.

cidit in adulterium, et seditionem, et homicidium [1].

« *Ad te autem.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic cadent præsumentes de se : *ad te autem,* » o Christe, id est, ad totum corpus tuum, congregationem scilicet electorum, « *non appropinquabit,* » ut animam lædat, fidem corrumpat finaliter, etsi tamen temporaliter affligat, secundum illud Job, IX, 24 : *Terra data est in manus impii.* Sed in cap. II, 6, dicitur : *Verumtamen animam illius serva.*

8 « *Verumtamen oculis.* » Hic tertium, scilicet malorum, per quos boni in apparentia dejecti sunt, punitio : et dicuntur duo. Primo, diligens culpæ illorum consideratio. Secundo, digna pro culpa punitio, ibi, « *Et retributionem.* »

Dicit ergo : Sic, Domine, a latere tuo cadent aliqui, sed plures a dextris : sed te non tangent, victor eris : et hoc non impune facient, quia tu « *oculis tuis,* » videntibus quæ fecerunt mali, qui eos impulerunt, « *considerabis,* » quantitatem culpæ eorum. Proverb. XVI, 2 : *Omnes viæ hominis patent oculis ejus.* Ad Hebr. IV, 13 : *Omnia nuda sunt et aperta oculis ejus, ad quem nobis sermo.* Job, XIII, 27 : *Vestigia pedum meorum considerasti.* Sic videbis oculis propriis : videbis etiam oculis membrorum, quia certe in fine ipsa membra Christi videbunt oculis suis iniquitates et culpas impiorum, qui bene tui oculi tunc dicuntur, non modo. Bernardus : « Quomodo tuos hic dixeris oculos, « quos somnus occupat, fumus turpat, « pulvis sauciat, et humor obnubilat, « et novissima mors excæcat ? » Eccle. XII, 3 : *Tenebrescent videntes per foramina.* Tunc tui erunt oculi, cum omnia ista non erunt, cum eis uteris ad libitum tuum, tam libere quam secure.

« *Et retributionem.* » Hic secundum, scilicet digna pro culpa retributio.

Quasi diceret : Sic considerabis eorum merita, « *et videbis* » postea, et in te et in membris tuis, « *retributionem peccatorum* . » Psal. XXXVI, 34 : *Cum perierint peccatores videbis,* eorum dignam retributionem, secundum illud Isa. XXVII, 8 : *In mensura contra mensuram, cum abjecta fuerit, judicabis eam.* Luc. VI, 38 : *Eadem mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis.* Apoc. XVIII, 7 : *Quantum glorificavit se, et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum.*

« *Quoniam tu es, Domine.* » Hic se- 9
cundum, in quo subjungitur de auctore et ministris liberationis, et victoria bonorum, malis dejectis : et dicuntur duo. Primo, de auctore, et ejus virtute. Secundo, de ministris, scilicet Angelis, ibi, « *Quoniam Angelis suis.* »

In prima duo. Primo, tamquam causa securitatis, spes in Christo et refugium tangitur. Secundo, subjungitur effectus sequens ex causa, ibi, « *Non accedet ad te.* »

In prima duo, secundum duo quæ in Christo considerata securum faciunt, quod sit spes de bonis adipiscendis, et refugium de malis cavendis, ibi, « *Altissimum.* »

Christu spes nos et refugi nostrum

Dicit ergo : Sic malis cadentibus boni stabunt : et, o « *Domine, tu es spes mea,* » de bonis æternis adipiscendis. Jerem. XVII, 17 : *Spes mea tu, in die afflictionis.* Bernardus : « Sperent hi in scientia litterarum, hi in « astutia mundi, hi in qualibet sæculi « vanitate, mihi adhærere Deo bonum « est : si sæviat mundus, si fremat malignus, si caro adversus spiritum concupiscit, si consurgat adversum me « prælium, in hoc ego sperabo. »

« *Altissimum.* » Ecce secundum. Qua-

[1] Cf. II Reg. XI.

si diceret : Sic es spes de bonis adipiscendis, et etiam « *posuisti refugium tuum,* » ad quod refugiamus in cavendis malis, non creaturam aliquam, sed « *Altissimum,* » Filium scilicet a morte suscitatum, si est sermo ad Patrem. Vel teipsum, si sit sermo ad Filium, qui es altissimus Jesu Christe. Psal. xcii, 4 : *Mirabilis in altis Dominus.* Hoc refugium Job, qui dicebat in cap. xvii, 3 : *Libera me Domine, et pone me juxta te, et cujusvis manus,* etc. Ibi Gregorius : « In altum mentem fixerat, et ideo hostis ad eum accedere non valebat. » Et quamvis altissimum sit hoc refugium, est tamen optimum, et securum valde. Bernardus : « Ad omnem tribulationem, « ad omnem necessitatem aperta nobis « est arx refugii, sinus matris expansus, « parata foramina petræ, viscera Dei « nostri, nimirum patentia ad introeun- « dum. » Propterea clamat Isaias in cap. ii, 10 : *Ingredere in petram, et abscondere in fossa humo.* II Reg. xxii, 3 : *Elevator meus, et refugium meum.*

10 « *Non accedet ad te.* » Hic secundum, scilicet effectus spei justorum : et dicuntur duo. Primo, conservatio totius Christi, quantum ad animam. Secundo, quoad corpus, ibi, « *Et flagellum.* »

Dicit ergo : Sic es spes, sicut refugium : et quoniam sic es, o tu Christe, « *non accedet ad te malum,* » nec ad te qui caput es, nec ad membra tua. Malum, inquam, culpæ, de quo Eccli. xv, 18 : *Ante hominem vita et mors, bonum et malum*[1] *: quod placuerit ei, dabitur illi.* Et ibidem, ℣. 17 : *Ad quod volueris porrige manum tuam.* Sed hoc malum non accedet ad Christum, et suos. Isa. lxv, 25 : *Non nocebunt, neque occident in omni monte sancto meo.*

« *Et flagellum,* » pœnarum miseriæ, « *non appropinquabit tabernaculo tuo,* » corpori tuo, quod est tabernaculum animæ tuæ. Hoc tabernaculum, de quo in Psal. xviii, 6 : *In sole posuit tabernaculum suum.* Et rursus, Levit. xxvi, 11 : *Ponam tabernaculum meum in medio vestri.* Nec corporibus tuorum, quæ sunt similiter tabernacula, et sunt tua. Job, v, 24 : *Et scies quod pacem habeat tabernaculum tuum.* In corpore suo tamquam in tabernaculo habitat, qui mundum et sanum ipsum conservat, nec consentit diabolo, et peccato, ut inde faciat aram porcorum. I ad Cor. vi, 19 : *An nescitis quoniam membra vestra, templum sunt Spiritus sancti ?... Et non estis vestri.* Talibus flagellum non appropinquat, ut illis noceat, sed impiis, secundum illud Isa. xxviii, 18 : *Flagellum inundans cum transierit, eritis ei in conculcationem.*

« *Quoniam Angelis.* » Hic subjungitur de ministris victoriæ : et dicuntur 11
tria. Primo, demandatio ipsis ministris, ut scilicet conservent. Secundo, officii exsecutio, scilicet conservatio, ibi, « *In manibus.* » Tertio, quod sequitur ex hoc, adversantium conculcatio, ibi, « *Super aspidem et basiliscum.* »

In prima duo. Primo, quod facta est Angelis demandatio. Secundo, ostenditur de quo, ibi, « *Ut custodiant.* »

Dicit ergo : Sic, Domine, refugium es, et spes, et propter hoc nec malum accedet ad te, nec flagellum : et etiam quicumque es de corpore Christi, « *Deus mandavit,* » id est, mandatum dedit, « *Angelis suis, de te.* » Ad Hebr. i, 14 : *Nonne omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis ?* Quid mandavit ? « *Ut custodiant te.* » Isa. xii, 6 : *Super muros tuos Jerusalem constitui custodes.* Et « *custodiant te in omnibus viis tuis.* » Exod. xxiii, 20 : *Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcedat te.* Angelus

Mandatum Angelis ut nos custodiant.

[1] Cf. Jerem. xxi, 7.

deducit in via Tobiam juniorem [1]. Bernardus : « Parum est quod fecit Angelos « suos spiritus, fecit eos et pædagogos. » Et iterum dicit : « In quovis angulo sunt « Angeli, ne audeas illo præsente, quod « me præsente non auderes. »

Quæ sint viæ hominum, dæmonum, Angelorum et Dei?

Et nota, quod dicit, « *in omnibus viis tuis:* » sunt enim viæ hominum, vanæ concupiscentiæ, a quibus retrahit eos. In Eccli. XVIII, 3 : *Post concupiscentias tuas non eas.* Sunt etiam viæ dæmonum, scilicet præsumptio, et obstinatio in malo : qui per has incedit, per vias dæmonum vadit. Per has itur quadrupliciter. Primo, per dissimulationem defectus proprii. Sic incedit illi de quo Paulus ait: *Si quis existimat se aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit* [2], seorsum a via Dei ducit, et inducit in viam dæmonum. Secundo, per ignorantiam sui, quid sit in natura, quia pulvis, et cinis. Jacob. IV, 15 : *Quæ est vita vestra? Vapor est ad modicum parens.* Tertio, per excusationem peccati cogniti, sicut Adam in muliere : *Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, et comedi* [3]. Quarto, per contemptum cogniti et confessi, sicut ille, de quo Proverb. XVIII, 3 : *Impius, cum venerit in profundum peccatorum, contemnit.* Et est via Angelorum, qua ascendunt contemplando, descendunt autem ministrando, qua incedere debent Prælati. Genes. XXVIII, 12, Jacob vidit *Angelos Dei ascendentes, et descendentes.* Et est via Dei duplex : conjuncta scilicet misericordia et veritas. Psal. XXIV, 10 : *Universæ viæ Domini, misericordia et veritas.* His ambulandum, verum confitendo de conscientia sua pura, dolendo de culpa, et sibi miserendo.

12 *In manibus portabunt te.* » Hic est secundum, scilicet officii injuncti plena exsecutio. Primo, ex parte servientis, quia portat. Secundo, ex parte portati, quia non offendit, ibi, « *Ne forte.* » Vel, primo, officii exsecutio. Secundo, ratio et necessitas exsequendi illud, ibi, « *Ne forte.* »

Dicit ergo : Sic « *Angelis mandavit de te, ut custodiant te,* » et ipsi implentes officium, o tu Christe, et loquitur toti corpori, « *in manibus portabunt te.* » Non quia Angelus habeat manus hoc dicitur, sed ejus virtus et potentia, manus appellatur ejus. Daniel. XIV, 35, Angelus Domini portavit Habacuc usque ad lacum leonum ubi erat clausus Daniel [4]. « *Et in manibus.* » Ezechiel. X, 7 : *Extendit Cherubim manum.* Et in cap. XLIII, 5 : *Et elevavit me spiritus,* scilicet Domini, *et introduxit me,* etc. Act. VIII, 39 et 40, Angelus Domini portavit Philippum in Azotum.

« *Ne forte.* » Ecce ratio et causa talis officii.

Quasi diceret : Sic portabunt, et hoc, « *ne forte offendas ad lapidem pedem tuum,* » hoc est, ne inclines ad culpam. Proverb. IV, 11 et 12 : *Ducam te per semitas æquitatis : quas cum ingressus fueris, non arctabuntur gressus tui, et currens non habebis offendiculum.* Lapis etiam Christus. Psal. CXVII, 22 : *Lapidem, quem reprobaverunt ædificantes,* etc. Ad hunc offendit, qui recta fide in eum non credit. Isa. VIII, 14 : *Erit... in lapidem offensionis, et in petram scandali.*

Effectus custodiæ Angelorum.

Et est notandum hic, quod Angeli adjuvant et custodiunt nos, et existentes in gratia et operibus bonis. In peccatis custodiunt. Primo, dæmones arcendo. Tob. VIII, 3, Raphael Angelus ligavit dæmonem, qui interfecerat septem viros Saræ [5]. Secundo, hostes visibiles coercendo. Genes. XXXII, 1 et 2, Jacob timenti fratris incursum, obvia fuit Angelorum

[1] Vide fere totum librum Tobiæ, a cap. V ad XII.

[2] Ad Galat. VI, 3.

[3] Genes. III, 12.

[4] Vide lib. Daniel. XIV, 32 et seq.

[5] Tob. VIII, 3 : *Tunc Raphael Angelus apprehendit dæmonium, et religavit illud in deserto superioris Ægypti.*

multitudo, et dixit : *Castra Dei sunt hæc.* IV Reg. vi, 15 et 16, Puer Elisei perterritus propter hostium multitudinem, vidit majorem copiam Angelorum. Josue, v, 13, Apparuit Angelus Josue, cui ait : *Noster es, an adversariorum ?* Tertio, dormientes in peccatis excitando. Act. xii, 7 : *Percussoque latere Petri, excitavit eum*, etc. Quarto, admonendo ut resipiscant a peccatis. Judic. ii, 4, de Angelo, qui improperavit filiis Israel, et *elevaverunt vocem suam* ad Dominum, *et fleverunt.* Quinto, tentationem mitigando. Daniel. iii, 49 et 50 : *Angelus Domini descendit cum Azaria, et sociis ejus, in fornacem, et excussit flammam ignis de fornace, et fecit medium fornacis quasi ventum roris flantem.* Sexto, si læsi fuerimus, curam adhibendo. Tob. xi, 8, Angelus docuit minorem Tobiam, ut de felle piscis liniret oculos patris, et visum reciperet.

Item, ambulantes in bonis operibus adjuvant. Primo, viam demonstrando. Tob. vi, 1 et seq., Angelus ostendit Tobiæ juniori viam qua iretur in Rages civitatem Medorum. Secundo, impedimenta auferendo de via. Exod. xxiii, 23 : *Præcedet te Angelus meus, et introducet te ad Amorrhæum, et Hethæum, et... Jebusæum*, etc. Tertio, negligentem invitando. III Reg. xix, 7 : *Surge, comede : grandis enim tibi restat via,* dixit Angelus Eliæ pigritanti. Quarto, instruendo in dubiis et perplexitatibus. Matth. i, 20 : *Ecce Angelus Domini apparuit in somnis ei*, scilicet Joseph, *dicens : Noli timere accipere Mariam conjugem tuam.* Dan. viii, 16, dixit Angelus ad Angelum : *Fac* Danieli *intelligere visionem.* Quinto, supplicando pro bonis. Dan. x, 21 : *Nemo est adjutor meus in omnibus his, nisi Michael princeps vester.* Adjuvare autem erat orare, ut adimpleretur desiderium. Sexto, orationes nostras et eleemosynas Domino præsentando. Tob. xii, 12 : *Quando orabas cum lacrymis, et sepeliebas mortuos,.. ego obtuli orationem tuam Domino.* Propter hoc dicitur, Isa. vi, 2 : *Sex alæ uni*, qui adjuvat peccatores, *et sex alæ alteri*, qui adjuvat in bonis proficientes.

« *Super aspidem.* » Hic tertium, quod sequitur ex primis, scilicet dæmonum conculcatio secundum omne genus tentandi. Tentat enim aut occulte, et hoc dupliciter. Voluntatem et intentionem corrumpendo, ut velit malum et intendat, sic est *aspis*. Aut bonum impediendo quod inceptum est, sic est *basiliscus* qui flatu interficit, quia retrocedere facit a bono. Aut aperte, et hoc vel in principio operis, obviando bono, et sic est *leo*, aut in fine perseverantiam auferendo, et sic est *draco*. 13

Dicit ergo : Sic Deus mandavit Angelis, et sic agent : et propter hoc, « *tu ambulabis*, » quicumque de corpore es Christi, « *super aspidem*, » super dæmonum voluntatem, et intentionem interius venientem. Psal. xiii, 3 : *Venenum aspidum sub labiis eorum.* Quasi diceret : Venenum pessimum portant sub labiis, quia aspidum. Deuter. xxxii, 33 : *Et venenum aspidum insanabile.* De hypocrita etiam dicitur, Job, xx, 16 : *Caput aspidum suget*, hoc est, venenum dæmonum in principio operis malum suadentium.

« *Et basiliscum.* » Basiliscus rex serpentium, et vocatur alio nomine *regulus*, et flatu interficit, et signat diabolum, qui flatu latenti hominem a bono opere retrahit, et quasi repellit. Isa. xiv, 29 : *De radice colubri egredietur regulus, et semen ejus absorbens volucrem*, hominem scilicet in bono proficientem.

« *Et conculcabis leonem*, » aperte sævientem, et ad malum impellentem. I Petr. v, 8 : *Adversarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit*, etc. Prov. xxiii, 13 : *Dicit piger : Leo est foris, in medio platearum occidendus sum.*

« *Et draconem*, » conculcabis, scilicet dæmonem occulte bonis insidiantem, et illa destruentem. Apocalyps. xii, 4 : *Et*

cauda ejus, scilicet draconis magni, *trahebat tertiam partem stellarum.* Has tentationes omnes adjutorio Angelorum sancti conculcant. Genes. III, 15 : *Ipsa conteret caput tuum.* Josue, x, 24: *Ponite pedes super colla regum istorum.*

14 Tertia pars Psalmi. « *Quoniam in me speravit.* » Hic tertium totius hujus Psalmi, in quo ad consolationem subjungit fructus victoriæ et victorum remunerationem. Primo, in amotione mali. Secundo, in collatione boni, ibi, « *Et glorificabo eum.* »

In prima tria. Primo, promittit liberationem ab omni culpa, merito spei habitæ in se. Secundo, protectionem in tentatione ad culpam inclinante merito fidei, ibi, « *Protegam eum.* » Tertio, ereptionem ab omni malo, merito devotæ orationis surgentis ex charitate, ibi, « *Clamavit.* »

Dicit ergo : Sic vides auctorem Deum, et Angelos ministrantes : et post hæc omnia, « *liberabo eum,* » id est, liberum reddam eum ab omni culpa, ut jam amplius non peccet. Et hoc « *quoniam in me speravit.* » Psal. xxx, 2 : *In te, Domine, speravi, non confundar in æternum,* confusione culpæ. Eccli. II, 11 : *Nullus speravit in Domino, et confusus est.* Hæc est libertas vera, de qua Joan. VIII, 36 : *Si vos Filius liberaverit, vere liberi eritis.* Et dulcis. Bernardus : « Dulcissima libertas Christi in se spe« rantibus. » Propter hoc dicit David : *Deus meus, sperabo in eum* [1].

« *Protegam.* » Hic protectio a tentatione, fidei merito : et dicuntur duo. Primo, protectio. Secundo, ratio, ipsa fides, ibi, « *Quoniam.* »

Dicit ergo : Sic liberabo eum a malo culpæ, merito spei, « *et* etiam *protegam eum.* » Psal. xvii, 31 : *Protector est omnium sperantium in se.* Isa. xxxi, 5 : *Sicut aves volantes, sic proteget Dominus exercituum Jerusalem, protegens et liberans, transiens et salvans.* Protegens ut strenuus, liberans ut providus, transiens tamquam sollicitus, et salvans ut pius.

« *Quoniam cognovit.* Hic ratio protectionis, scilicet « *quoniam cognovit nomen meum,* » quod est nomen omnipotentiæ. Cognovit, inquam, cognitione fidei ænigmatica. Exod. xv, 3 : *Omnipotens nomen ejus.* Nec tantum in se cognovit, sed etiam alios cognoscere fecit. Joan. xvii, 6 : *Pater... manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi.* Cognovit etiam cognitione approbationis, et timoris, ut ipsum timeat et revereatur. Bernardus : « Non novit no« men Domini, qui ipsum in vanum ac« cipit [2], vel qui dicit, Domine, Domi« ne, et non facit quæ dicit : qui non « honorat ut patrem, nec timet ut Do« minum. » Malach. I, 6 : *Si ergo Pater ego sum, ubi est honor meus ?* Filius quippe honoral patrem, et servus timet dominum suum. Et qui non desiderat ut semper sanctificetur in eo. Matth. vi, 9 : *Sanctificetur nomen tuum.*

Clamabit ad me. Hic est tertium, ereptio a malo pœnæ, merito devotæ orationis, quæ surget ex charitate : et dicuntur tria. Primo, orationis devotio. Secundo, exauditio orantis sic, tamquam in generali, ibi, « *Et ego exaudiam.* » Tertio, specificatio in quo exaudietur, ibi, « *Cum ipso sum.* » **15**

Dicit ergo : Sic merito spei liberabo eum a malo culpæ, merito fidei a malo tentationis et impellentis ad culpam, etiam « *clamabit* ad me, « toto corde, et fervore cordis. Isa. xxi, 11 : *Ad me clamat ex Seir.*

« *Et ego exaudiam eum.* » Ecce se-

[1] Psal. xc, 2, et ad Hebr. II, 13.

[2] Exod. xx, 7 : *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum.*

cundum : statim enim audit. Isa. xxx, 19 : *Ad vocem clamoris tui statim ut audierit, respondebit tibi.* Imo antequam clames, dum habes desiderium clamandi. Isa. LXV, 24 : *Eritque, antequam clament, ego exaudiam :* verum est voce : *adhuc illis loquentibus*, ego audiam, clamantibus, inquam, corde. Psal. x secundum Hebæros, 17 : *Præparationem cordis eorum audivit auris tua.*

Et nota ordinem. Primo cognoscitur Deus, cognitus rogatur, et rogatus exaudit. Bernardus : « Fructus notitiæ nominis, est clamor orationis : fructus orationis exauditio, et ostensio salvatoris. » Item, miram pietatem Dei, qui solo merito clamandi exaudit. Bernardus : « Dulcis lex, quæ meritum exauditionis constituit in clamore postulationis. » Et propter hoc sine dubio, qui non clamat, aut tepide aut remisse clamat, non debet exaudiri. Unde idem : « Merito non exaudietur, qui clamare dissimulat, qui remisse aut tepide clamat. »

« *Cum ipso.* » Hic tertium, in quo est exauditio, quia in duobus. In præsentiæ suæ exhibitione, et plena ereptione post exhibitionem, ibi, « *Eripiam.* »

Ait ergo : Sic exaudiam clamantem, sed in quo ? In hoc, « *cum ipso,* » statim, « *sum in tribulatione* consolator. Isa. XLIII, 2 : *Cum transieris per aquas,* supple, tribulationum, *tecum ero, et flumina non operient te : Cum ambulaveris in igne, non combureris, et flamma non ardebit in te.* II ad Corinth. I, 4 : *Qui consolatur nos in omni tribulatione nostra.* Et in eodem, ℣. 5 : *Quoniam sicut abundant passiones Christi in nobis : ita et per Christum abundat consolatio nostra.*

« *Eripiam eum.* » Psal. CV, 44 : *Vidit cum tribularentur : et audivit orationem, eorum*, id est, de necessitatibus eorum eripuit eos. II ad Corinth. I, 10 : *Qui de tantis periculis nos eripuit, et eruit : in quem speramus, quoniam et adhuc eripiet.* Eripiam, inquam, eum de carne corporis, de periculo tentationis, de voragine æternæ damnationis.

« *Et glorificabo eum.* » Hic secundum, in quo est remuneratio, scilicet boni collatio : et tangitur triplex bonum. Primum, glorificatio in anima et corpore. Secundo, glorificationis duratio, ibi, « *Longitudine dierum.* » Tertium, quod totum consummat, aperta Dei cognitio, ibi, « *Et ostendam illi.* »

Dicit ergo : Sic liberabo omnino a malis, et post hoc « *glorificabo eum,* » in anima, et corpore. Prov. IV, 8 : *Glorificaberis ab ea, cum eam fueris amplexatus.*

« *Longitudine dierum.* » Hic secundum. Quasi diceret : Glorificabo, sed numquid ad tempus ? Non : « *longitudine dierum replebo eum,* » hoc est, æternitate, in qua sunt puri dies sine successione noctium. Proverb. III, 16 : *Longitudo dierum in dextera ejus.* Proverb. XXVIII, 26 : *Qui odit avaritiam, longi fient dies ejus.* Item, in hac vita diebus non implemur materialibus, sed magis evacuamur quotidie, usquequo moriamur, ut jam nulla dies remaneat. Bernardus : « Vita qua vivimus, magis mors est : nec simpliciter vita, sed vita mortalis. Quid enim agimus, ex quo primo vivere incipimus, nisi morti appropinquare, et mori incipere ? Ibi vero vivitur, ubi vita munda est et vitalis. » Supra, in Psal. XXXV, 10 : *Apud te est fons vitæ :* ubi dies boni, et interminabilis longitudo dierum. **16**

Longitudo dierum, æternitas quam nullus terminat finis.

« *Et ostendam illi.* » Ecce tertium, Salvatoris manifestatio.

Visio Dei vita æterna.

Ait ergo : Sic replebo glorificatum æternitate, « *et ostendam illi,* » aperta visione, « *salutare meum,* » Filium, et in hoc quod est Deus, et in hoc quod est homo : ut oculo intellectus videat ipsum Deum, glorificatus in anima, et oculo carnis ipsum hominem, glorificatus in

corpore. Joan. XVII, 3: *Hæc est vita æterna : ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum.* Isa. LII, 10 : *Videbunt omnes fines terræ salutare Dei nostri.* Augustinus de *Anima et Spiritu* : « Propter hoc factus est « homo ut totum lætificaret hominem. » Exod. XXXIII, 19 : *Ostendam omne bonum tibi.* Bernardus : « Non jam in « fide erudiam, non exercebo in spe, « sed adimplebo, ut in æternum jam vid- « eat quem concupiscit, in quem credi- « dit, quem semper optavit, quem nobis « ostendat pius Pater, qui hoc promittit, « qui est benedictus per omnia sæcula « sæculorum. Amen. »

PSALMUS XCI.

Laudanda opera Dei qui bonos tuetur et malos perdit.

1. *Psalmus Cantici, In die sabbati.*
2. Bonum est confiteri Domino, et psallere nomini tuo, Altissime.
3. Ad annuntiandum mane misericordiam tuam, et veritatem tuam per noctem ;
4. In decachordo psalterio, cum cantico, in cithara.
5. Quia delectasti me, Domine, in factura tua : et in operibus manuum tuarum exsultabo.
6. Quam magnificata sunt opera tua, Domine ! nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ.
7. Vir insipiens non cognoscet, et stultus non intelliget hæc.
8. Cum exorti fuerint peccatores sicut fœnum, et apparuerint omnes qui operantur iniquitatem,
   Ut intereant in sæculum sæculi :
9. Tu autem Altissimus in æternum, Domine.
10. Quoniam ecce inimici tui, Domine, quoniam ecce inimici tui peribunt : et dispergentur omnes qui operantur iniquitatem.
11. Et exaltabitur sicut unicornis cornu meum, et senectus mea in misericordia uberi.
12. Et despexit oculus meus inimicos meos, et in insurgentibus in me malignantibus audiet auris mea.
13. Justus ut palma florebit : sicut cedrus Libani multiplicabitur.
14. Plantati in domo Domini, in atriis domus Dei nostri florebunt.
15. Adhuc multiplicabuntur in senecta uberi, et bene patientes erunt :
16. Ut annuntient quoniam rectus Dominus Deus noster,
    Et non est iniquitas in eo.

IN PSALMUM XCI

COMMENTARIUS.

1 *Psalmus Cantici,*
In die Sabbati[1].

Argumentum Psalmi: Quartus passionis fructus, profectus in vita contemplativa et activa.

« *Bonum est confiteri Domino.* » Hic est Psalmus nonagesimus primus in toto libro, quadragesimus primus in secunda parte libri : in quo sicut superius dictum fuit, postquam actum est de fructu consequente ex passione Christi, quantum ad remotionem mali, et hoc triplicis, mali scilicet culpæ, mali pœnæ, et mali tentationis ad culpam impellentis, hic subjungitur de fructu, qui est in assecutione boni, quod, inquam, bonum, est profectus in contemplativa et in activa vita.

Sed quia vix aut numquam proficere sic potest quis, nisi mentem habuerit in quiete, quod est non turbulentam et commotam habere, recte ergo in titulo dicitur : « *Psalmus Cantici, in die sabbati.* » Ad cujus intelligentiam notandum, sicut vult Glossa, quod est triplex sabbatum. Temporis, de quo Genes. II, 2 : *Requievit Dominus die septimo ab universo opere quod patrarat.* Et Exod. XX, 8 : *Memento ut diem sabbati sanctifices.* Et est sabbatum pacis interioris, quies scilicet interior, et tranquillitas mentis. Sic monebat Dominus sabbatizare, Isa. I, 16 : *Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis, dicit Dominus.* Et LVIII, 13 : *Vocaveris sabbatum delicatum*, etc. Et est sabbatum æternitatis, de quo Apostolus ad Hebr. IV, 9 : *Itaque relinquitur sabba-*

[1] Le titre, dit M. l'abbé Lesêtre, indique que ce psaume doit être chanté le jour du sabbat ; cette indication traditionnelle est confirmée par le Talmud qui assigne un psaume spécial à chaque jour de la semaine. Le psalmiste célèbre la gloire de Jéhova considéré comme créateur et providence, mais surtout comme souverain justicier des bons et des méchants. Le sabbat qu'il a en vue n'est donc pas seulement celui qui suivit la création, mais celui qui doit clore l'histoire du monde, quand Dieu, après le développement de ses deux grandes œuvres, la création et la rédemption, redressera pour l'éternité tous les écarts de la liberté humaine : αἶνεῖ ἐκείνην τῆν γενησομενην ἀνάπαυσιν, dit S. Athanase.

Le psaume ne porte aucun nom d'auteur, et il n'est pas plus possible de lui en assigner un, que de déterminer l'époque où il a été composé. Il paraît avoir été destiné au service du temple, pour être chanté à chaque sabbat ; mais son allure tout à fait générale ne permet de risquer aucune supposition sur l'occasion qui a pu l'inspirer. Le nom de Jéhova y est répété sept fois : c'est le nombre sabbatique. La suite des idées se déroule avec beaucoup de simplicité et de logique. Dieu est grand dans tout ce qu'il a fait : seul, l'insensé ferme volontairement les yeux à cette grandeur, Rom. I, 18-23. En face de l'œuvre divine, le monde se trouve donc divisé en deux camps ; d'un côté, les méchants, prospères un moment, mais bientôt exterminés pour jamais, de l'autre, les bons, victimes pendant la vie présente de la malice des impies, mais destinés à l'immortalité bienheureuse. Le psalmiste revient ainsi encore une fois sur la grande thèse du livre de Job, déjà traitée dans d'autres psaumes ; on comprend, du reste, qu'il fut souvent besoin de la rappeler à un peuple habitué à chercher dans cette vie la récompense de la vertu et le châtiment du vice.

Le sabbat de l'éternité a son aurore dans la vie présente : « Intus est, in corde est sabbatum nostrum... Cui bona est conscientia, tranquillus est ; et ipsa tranquillitas sabbatum est cordis. » S. Aug. Cf. Luc. XVII, 21 : *Ecce enim regnum Dei intra vos est.* Mais le temps présent doit être employé à préparer le repos de l'autre vie : « Est autem hoc perfectum sabbatum, hæc vera requies, cui more sabbati sæcularis, omnia vitæ necessaria pridie præparare præcipimur... Ut igitur ab hujus sabbati requie, id est, a consortio Christi angelorumque, non etiam sacramento Dei arceamur, operandum et promerendum est, et per sollicitudinem operum anteriorum, æternitatis est requies præparanda. » S. Hilar.

tismus populo Dei. Primum sabbatum figura est secundi, et tertii. Secundum vero ducit ad tertium, sicut meritum ducit ad præmium. Isa. LXVI, 23 : *Et erit sabbatum ex sabbato.* Secundum vero acceptionem secundam sumitur hic : unde sensus tituli talis est : « *Psalmus* » subjectus « *Cantici,* » supple, consecutivus, cantandus est « *in die sabbati,* id est, in quiete mentis, et tranquillitate. In corde enim turbido et turbato, quale est cor impium, (Isa. LVII, 20 : *Impii quasi mare fervens, quod quiescere non potest*) non placet Deo laudatio. Eccli. XV, 9 : *Non est speciosa laus in ore peccatoris.*

Psalmus autem potest dividi in duas partes. In prima enim agitur de profectu in contemplativa vita. Secundo, in activa, quorum utrumque est fructus sequens ex passione Christi, quantum ad promotionem in bono, ibi, « *Et exaltabitur sicut unicornis.* » Primum spectat ad quietem mentis : secundum vero ad laborem actionis.

In prima duo, secundum duo quæ contemplanda sunt in Deo, bonitas scilicet, et severitas : bonitas in electis, severitas in reprobis. Hoc docet contemplari Paulus, ad Roman. XI, 22 : *Vide ergo bonitatem et severitatem Dei.* Primo ergo commendatur status contemplativæ, quantum ad contemplationem bonitatis. Secundo, quantum ad contemplationem justitiæ et severitatis, ibi, « *Cum exorti fuerint.* »

In prima duo. Opposita enim juxta se posita magis elucescunt. Primo ergo commendatur profectus contemplantium divinam bonitatem. Secundo, reprobatur status reprobantium illam, qualis est status stultorum, ibi, » *Vir insipiens.* »

Iterum in prima duo. Primo, commendatur status contemplativæ, quantum ad exteriores actus aliquos, quos habet, psallere, et confiteri. Secundo, quantum ad interiores, qui sunt contemplari, et cogitare, ibi, « *Quia delectasti me.* »

In prima duo. Primo, commendatio status contemplativæ, quantum ad actus exteriores. Secundo, determinatio modi, qualiter excercendi sunt, et quando, ibi, « *Ad annuntiandum.* »

In prima duo secundum actum duplicem quem commendat, confiteri primo, et psallere secundo, ibi, « *Et psallere.* »

2 Dicit ergo : Sic Dominus liberat a malis. Ergo « *bonum est confiteri Domino,* » confessione laudis, et fidei. Joan. XII, 8 : *Quicumque confessus fuerit me coram hominibus,* etc. Ad Roman. X, 10 : *Ore confessio fit ad salutem.* « *Bonum est confiteri,* » confessione peccati, ad evomendum venenosum et superfluum cibum. Eccli. XXXI, 25 : *Si coactus fueris in edendo multum, surge e medio, evome : et refrigerabit te.* Ad sanitatem consequendam : quia sic medico infirmitas detegitur. Eccli. XXXVIII, 15 : *Qui delinquit in conspectu ejus, qui fecit eum, incidet in manus medici.* Boetius : « Si operam « medicantis exspectas, oportet ut vul- « nus detegas. » Jerem. VIII, 22 : *Numquid resina non est in Galaad ? aut medicus non est ibi,* etc. Ad pugnandum contra diabolum, carnem, et mundum. Judic. I, 1 et 2 : *Quis ascendet ante nos contra Chanaan, et erit dux belli ? Dixitque Dominus : Judas ascendet.* Judas, scilicet confitens. Ad placandum Deum, quando irascitur. Genes. XLIV, 18 : *Accedens autem propius Judas, confidenter ait : Oro, Domine mi, loquatur servus tuus verbum in auribus tuis, et ne irascaris famulo tuo,* et usque ad lacrymas ipsum commovit. Ad glorificandum ipsum sic placatum. Jos. VII, 19 : *Fili mi, da gloriam Domino Deo Israel, et confitere peccatum tuum.*

Prima pars Psalmi. Confessio peccatorum multum utilis.

« *Et psallere.* » Ecce secundum : fides enim et laus sine opere mortua

est [1]. Propter hoc addit : o « *Altissime,* » repete, bonum est, « *psallere nomini tuo,* » hoc est, ad honorem nominis tui bonum operari. Eccli. I, 8 : *Unus est Altissimus, creator omnipotens,* ad cujus honorem est psallendum. Psal. XLVI, 7 : *Psallite Deo nostro, psallite : psallite regi nostro, psallite :... psallite sapienter.*

Bonum est psallendo laudare Deum.

Et bonum est psallere, ad litteram canere Psalmos. Primo quia dæmones fugantur. I Reg. XVI, 17 : *Providete aliquem bene psallentem.* Et post, ℣. 23 : *David tollebat citharam, et percutiebat manu sua, et refocillabatur Saul, et levius habebat : recedebat enim ab eo spiritus malus.* Boni Angeli advocantur. Psal. LXVII, 26 : *Prævenerunt principes conjuncti psallentibus,* etc. Psal. CXXXV, 1 : *In conspectu Angelorum psallam tibi.* Illuminat mentem. IV Reg. III, 15 et 16, significatum fuit hoc, ubi, legitur, quod Eliseus nesciens quid futurum esset tribus regibus, ait : *Adducite mihi psaltem. Cumque caneret psaltes, facta est super eum manus Domini,* et tunc prophetavit. Psal. CV, 1 : *Pallam, et intelligam.* Exhilarat animam. Psal. XXVI, 6 : *Cantabo, et psalmum dicam Domino* [2].

3 « *Ad annuntiandum mane.* » Hic secundum, quando, et qualiter. Et primo, quando. Secundo, qualiter hoc exercere oportet, ibi, « *Ad annuntiandum.* »

Et respicit primum proprie ad actum confessionis. Secundo, ad actum lætitiæ et exsultationis, qui est psallere, ibi, « *In decachordo.* »

In prima duo. Quia in prosperitate confitendum. Secundo, quod etiam in adversitate, ibi, « *Et veritatem.* »

Dicit ergo : Sic dixi, quod bonum est confiteri Domino : et hoc, « *ad annuntiandum,* » supple, aliis, « *misericordiam tuam,* » et hoc, « *mane,* » prosperitatis : hoc est, sic est confitendum, ut tua misericordia in prosperitate nuntietur, quia tunc evidentior est, quando multis confers bona. Psal. CI, 14 : *Venit tempus miserendi ejus, quia venit tempus.* Ecce quod isti misericordiam nuntiant.

In utroque tempore, prospero scilicet et adverso, debemus laudes Domini confiteri.

« *Et veritatem.* » Ecce secundum, et repete : Bonum est confiteri ad annuntiandum « *veritatem tuam,* » et hoc, « *per noctem,* » adversitatis. Nox enim adversitas dicitur. Alibi, in Psal. CXX, 6 : *Per diem sol non uret te, neque luna per noctem.* Tunc enim, in nocte scilicet adversitatis, annuntiare oportet divinam justitiam. Ex Dei enim justitia est, quod nobis conferuntur mala, sed ex misericordia bona.

« *Mane* » etiam litteraliter nuntianda est Dei misericordia, et vespere veritas et justitia, ut semper laudes divinas seminemus. Eccle. XI, 6 : *Mane semina semen tuum, et vespere ne cesset manus tua,* etc. Isa. XXVI, 9 : *Anima mea desideravit te in nocte : sed et spiritu meo in præcordiis meis de mane vigilabo ad te.*

« *In decachorco psalterio.* » Hic secundum, in quo ostendit, quomodo psallendum, quia tripliciter. In Decalogi observatione. In hilari mentis devotione, ibi, « *Cum cantico.* » Et in carnis mortificatione, ibi, « *In cithara.* » 4

Dicit ergo : Sic confitendum, ut misericordia et veritas nuntietur, et psallendum « *in psalterio decachordo,* » id est, decem chordarum. Ita scilicet est psallendum, ut fundetur super observantiam decem mandatorum, et adimpletionem eorum [3]. Psal. XXXII, 2 : *In psalterio decem chordarum psallite illi.* Et hoc, « *cum cantico,* » cum læta et hilari mentis devotione : aliter enim non

[1] Jacob. II, 26 : *Fides sine operibus mortua est.*

[2] Vide etiam plura alia Psalmorum loca, XX, 14 ; LVI, 8 et 10 ; CIV, 2 ; CVII, 2, etc.

[3] Cf. Exod. XX, 1 et seq.

placet Deo. Eccli. xxxv, 11 : *In omni dato, hilarem fac vultum tuum.* II ad Corinth. ix, 7 : *Hilarem datorem diligit Deus.* Judic. v, 3 : *Ego sum, ego sum quæ Domino canam.* « *In cithara,* » id est, in carnis mortificatione, quæ per citharam designatur, quæ ab inferiori sonum reddit. Apoc. xiv, 2 : *Et vocem, quam audivi, sicut citharœdorum,* etc. Isa. xxiii, 16 : *Sume citharam, circui civitatem,* etc.

5 « *Quia delectasti me.* » Hic secundum, in quo subjungitur de profectu contemplativæ quantum ad actus interiores mentis, quantum ad affectum. Secundo, quantum ad intellectum. Affectus enim delectationem habet, intellectus admirationem. Ibi est secundm, « *Quam magnificata sunt.* »

In prima duo. Primo, delectatio in operibus creationis tangitur. Secundo, in operibus recreationis, ibi, « *Et in operibus manuum.* »

Dicit ergo : Sic bonum est confiteri, bonum est psallere, et, o Domine, « *quia delectasti me,* » hoc est, delectationem præstitisti, « *in factura tua,* » cum ipsam intueor, et contemplor, non delectatione mala, sed sancta et ordinata.

Multi male delectantur in facturis Dei adspiciendis, gustandis, tangendis, audiendis et olfaciendis.

Notandum enim, quod quidam delectantur male in facturis Dei adspiciendis. Eccli. ix, 8 : *Averte faciem tuam a muliere compta....* Et ℣. 9 : *Propter speciem mulieris multi perierunt.* Alii in gustandis, de quibus Joel, i, 5 : *Flete, et ululate omnes qui bibitis vinum in dulcedine : quoniam periit ab ore vestro.* Alii in tangendis, ut fures, et impudici. Propter primos, dicit Tobias in cap. ii, 21: *Non licet nobis aut edere ex furto aliquid, aut contingere.* Propter secundos, Eccli. xiii, 1 : *Qui tetigerit picem,* id est, viscosam meretricem, *inquinabitur ab ea.* Alii in audiendis, qui in musicis instrumentis luxuriantur. Isa. v, 12 : *Cithara, et lyra, et tympanum, et tibia, et vinum in conviviis vestris.* Amos, vi, 5 : *Sicut David, putaverunt se habere vasa cantici.* Alii in olfaciendis, qui ponunt mugetum, et similia circa vestes, quibus dicitur, Isa. iii, 24: *Et erit pro suavi odore, fœtor.* Sed « *delectasti me,* » quia referendo ipsam ad te, docet me in esse tuam potentiam, in pulchritudine sapientiam, in utilitate bonitatem.

« *Et in operibus.* » Ecce secundum. Sic in operibus creationis delector, « *et in operibus manuum tuarum,* » quibus me recreasti et reformasti ipsis in cruce extensis, « *exsultabo.* » Psal. xxvi, 13 : *In adinventionibus tuis,* cogitandis lætanter et enarrandis, « *exercebor,* » ne sim de illis, quibus dicitur, Isa. v, 12 : *Et opus Domini non respicitis,* scilicet Jesum, sicut Paulus, qui dicebat ad Galat. vi, 14 : *Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi.* Et Habacuc, qui dicebat in cap. iii, 18 : *Exsultabo in Deo Jesu meo.*

Posset etiam primum referri ad opus Incarnationis : mirabilis enim factura fuit humanam naturam unire Verbo, et unam fieri personam. Joan. i, 14 : *Verbum caro factum est.* Secundum, sicut expositum est, ad opus passionis. Vel, potest totum referri, sicut Glossa. innuit, ad id quod Deus facit in nobis, in quo delectandum et lætandum. Isa. xxvi, 12 : *Omnia opera nostra operatus es Domine nobis,* Joan. xv, 5 : *Sine me nihil potestis facere.* Ad Philip. ii, 13 : *Operatur in vobis, et velle, et perficere, pro bona voluntate.*

« *Quam magnificata sunt.* » Hic secundum, in quo tangitur profectus intellectivæ, quantum ad actum admirationis. Et primo tangitur admiratio quantum ad opera Dei universa. Secundo, quantum ad opera regiminis universi specialiter, ibi, « *Nimis profundæ.* » 6

Mirabilia opera Dei, et humano intellectui inscrutabilia.

Dicit ergo : Sic, Domine, delector in affectu in factura et exsulto, et etiam admiror intellectu, quia dico : « *Quam magnificata sunt opera tua, Domine,* »

id est, valde magnificata, ultra meam comprehensionem. Isa. XII, 5 : *Cantate Domino, quoniam magnifice fecit.* Et Luc. I, 46, admirans Virgo exclamat : *Magnificat anima mea Dominum.* Et post pauca, ℣. 49 : *Quia fecit mihi magna qui potens est.*

« *Nimis profundæ.* » Hic secundum. Quasi diceret : Sic magnificata sunt opera, « *et cogitationes tuæ,* » quibus regis et ordinas universum, « *nimis profundæ factæ sunt,* » ut non possimus intellectu comprehendere. In Psal. CXXXVIII, 6 : *Mirabilis facta est scientia tua ex me, confortata est, et non potero ad eam.* Et sumitur hic profundum pro alto, Isa. LV, 9 : *Sicut exaltantur cœli a terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ a viis vestris, et cogitationes meæ a cogitationibus vestris.* Tam bonæ sunt, Jerem. XXIX, 11 : *Ego scio cogitationes, quas cogito super vos, ait Dominus, cogitationes pacis, et non afflictionis.* Hanc altitudinem Paulus admiratur, cum dicit : *O altitudo divitiarum sapientiæ, et scientiæ Dei! quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus*[1]!

7 « *Vir insipiens.* » Hic secundum totius hujus partis, in qua agitur de profectu contemplantium divinam bonitatem. Postquam enim egit de profectu bonorum, subjungit consequenter de profectu malorum, qui non cogitant nec attendunt ista : et dicuntur duo. Primo, quod imbutus sapientia mundi, talia non admittit. Secundo, quod carnalis non capit, nec intelligit, ibi, « *Et stultus.* »

Dicit ergo : Sic, Domine, scio, et vere scio, quia tibi confiteri, et tibi psallere bonum est, et delector in tuis operibus, et admiror : sed « *vir insipiens,* » sine sapientia vera, quæ desursum est, etsi repletus sit mundana, « *non cognoscet :* » quippe de tua substantia quasi ignorantiam habet. Psal. XIII, 1, supra : *Dixit insipiens in corde suo : Non est Deus.* « *Et stultus,* » qui nescit nisi carnalia, « *non intelliget hæc* : » carnalis enim est. Et Paulus dicit, I ad Cor. II, 14 : *Animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei.* Propter hoc exclamat infra, Psal. XCIII, 8 : *Intelligite insipientes in populo : et stulti, aliquando sapite.* Deut. XXXII, 29 : *Utinam saperent, et intelligerent, ac novissima providerent.* Sed non potest esse, quia totum stultitiam reputant. I ad Cor. II, 14, cum dixit Paulus : *Animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei,* statim addit, *Stultitia enim est illi, et non potest intelligere,* id est, non vult. Propter quod Isaias minatur talibus in cap. V, 20 : *Væ qui dicitis malum, bonum, et bonum malum* etc. Cujusmodi dicitur, Prov. XIX, 29 : *Parata sunt derisoribus judicia : et mallei percutientes stultorum corporibus.*

8 « *Cum exorti fuerint.* » Hic secundum, in quo agitur de contemplatione divinæ severitatis in impios, et peccatores obstinatos. Primo ergo ponitur descriptio miseriæ eorum. Secundo, singularis Dei sublimatio ibi, « *Tua voce.* » Tertio, causa et ratio et modus tantæ miseriæ, ibi, « *Quoniam ecce inimici.* »

Miseria eorum triplex describitur. Primo, brevis duratio illorum in prosperitate. Secundo, manifestatio sui in judicio, velint nolint, ibi, « *Et apparuerint.* » Tertio, æterna damnatio post judicium, ibi, « *Ut intereant.* » **Triplex miseria peccatorum.**

Dicit ergo : non cognoscent, nec intelligent stulti et insipientes quæ præmisi, nec etiam intelligent, « *cum exorti fuerint peccatores sicut fœnum,* » quod post modicum nitorem, statim arescit. Psal. CII, 15, infra : *Sicut fœnum, dies ejus, tamquam flos agri sic efflorebit.* Isa. XL, 6 : *Omnis caro fœnum, et omnis gloria ejus quasi flos agri.* Jacob. I,

[1] Ad Roman. XI, 33.

11 : *Exortus est sol cum ardore,* scilicet febris, *et arefecit fœnum.*

« *Et apparuerint.* » Secundum in illorum miseria.

Quasi diceret : Hæc non intelligent, « *cum apparuerint,* » in judicio, « *omnes qui operantur iniquitatem.* » Quasi diceret : De hac apparitione non cogitant, et tamen erit indubitanter. Joel, III, 2 : *Congregabo omnes gentes, et deducam eas in vallem Josaphat.* II ad Corinth. v, 10 : *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi.* Hanc apparitionem desiderabat sanctus David : supra, in Psal. XLI, 3 : *Quando veniam, et apparebo ante faciem Dei ?* Hieronymus : « Apparere intolerabile est malis, latere « impossibile. »

« *Ut intereant.* » Ecce tertium. Quasi diceret : Dico, quod non intelligent cum apparuerint, qui iniquitatem operantur. Apparuerint, inquam, « *ut intereant,* » non temporaliter, imo « *in sæculum sæculi* » consecutivum, hoc est, in æternitate. Hic est interitus, de quo Prov. I, 26 : *Ego in interitu vestro ridebo.*

9 « *Tu autem* » Hic secundum, in quo supponitur singularis Dei sublimatio.

Quasi diceret : Sic illi dejicientur et interibunt : « *Tu autem, Domine,* » et non alius, ut *tu* sit discretivum, es « *Altissimus in æternum.* » Psal. CXII, 5 : *Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat ?* Eccli. v, 4 : *Altissimus est patiens redditor.*

10 « *Quoniam ecce inimici.* » Hic tertium in quo subjungitur modus et ratio sic puniendi : ratio, quia « *inimici* : » modus, quia « *peribunt* » in futuro, et hoc tangitur primo : et in præsenti « *dispergentur,* » et hoc secundo, ibi, « *Et dispergentur.* »

Dicit ergo : Sic illis erit miseria, quia non intelligent infelices : et hoc justum, « *quoniam ecce inimici tui, Domine* : » et repetit ad demonstrandum fervorem, et veritatis constantiam, et certitudinem, « *peribunt.* » Supra, in Psal. IX, 7 : *Periit memoria eorm cum sonitu.* Inimici autem Dei possunt dici omnes peccatores generaliter, Ad Rom. v, 10 : *Si, cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus.* Sed specialiter superbi, Psal. LXXII, 23 : *Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper.* Judices perversi, Amos, v, 12 : *Hostes justi,* Christi scilicet, *accipientes munus.* Palpatores peccati, quos mundus diligit, Jacob. IV, 4 : *Quicumque voluerit amicus esse sæculi hujus, inimicus Dei constituitur.* Homines gulosi, Ad Philip. III, 18 et 19 : *Inimici crucis Christi :... quorum Deus venter est.* Persecutores fidei et sanctorum, Exod. XXIII, 22 : *Inimicus ero inimicis tuis.* Idololatriæ dediti, Isa. LXIV, 1 : *Utinam disrumperes cœlos, et descenderes.* Et post, ℣. 2 : *Ut notum fieret nomen tuum inimicis tuis.*

Qui maxim[e] dicentur inimici Dei[?]

« *Et dispergentur.* » Ecce secundum Quasi diceret : Sic in futuro, et in præsenti « *dispergentur omnes operantes iniquitatem,* » per diversa vitia, et etiam loca. Psal. LVIII, 12 : *Disperge illos in virtute tua.* Thren. IV, 1 : *Quomodo... dispersi sunt lapides sanctuarii in capite omnium platearum ?* Potest etiam intelligi de futuro, ut primum pertineat ad inflictionem mali, « *peribunt* :» hoc autem « *et dispergentur,* » ad amissionem boni, et separationem a bonis. Matth. XXV, 41 : *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo,* etc.

« *Et exaltabitur.* Hic secunda pars 11
totius Psalmi, in qua postquam actum est de profectu in contemplativa, agitur de profectu in activa. Et dividitur in tres partes. Primo, agitur de profectu quantum ad potentiam. Sumus enim potentiores contra diabolum per Christi

Secunda pars Psalmi.

passionem. Secundo, quantum ad bonitatem, ibi, « *Et senectus mea.* » Tertio, quantum ad sapientiam, ibi, « *Et in insurgentibus.* »

Dicit ergo : Sic illi peribunt, quia non intelligent, secundum illud Isa. v, 13 : *Propterea captivus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam.* « *Et exaltabitur cornu meum,* » virtus et potentia mea augebitur. Psal. LXXIV, 11 : *Exaltabuntur cornua justi.* Et Luc. I, 69 : *Erexit cornu salutis nobis.* Et hoc, « *sicut unicornis,* » in quantum unicum cornu gestat, in quantum omnia superat, ab omnibus se defendit. Quasi diceret : Dabitur potentia omnibus tentationibus resistendi, et omnia superandi. Et bene dicit, quia vere superans omnia, et vincens, unus est, secundum illud Apostoli, I ad Corinth. IX, 24 : *Omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium.* Hic ergo unicornis designat virtutis unitatem et perfectionem. Alibi vero, in Psal. XXI, 22, contra superbiam dicitur : *A cornibus unicornium humilitatem meam.*

« *Et senectus mea.* » Hic ostenditur profectus in bonitate : et dicuntur duo. Primo, quantum ad cumulum meritorum. Secundo, quantum ad detestationem vitiorum, ibi, « *Et dexpexit.* »

Dicit ergo : Sic augebitur in me virtus et potentia : « *et senectus mea,* » mihi a Deo data, supple, erit « *in misericordia uberi,* » dabitur mihi uber, et multa misericordia usque in senectutem, quod est maximum donum. Senes enim solent esse multum avari. Hieronymus : « Cum, « cætera vitia in senectute veterascunt, « sola avaritia juvenescit.»

Senectus etiam potest hic appellari, non ratione ætatis, sed magis maturitatis, et honestatis. Deuteronom. XXXIII, 25 : *Sicut dies juventutis tuæ, ita et senectus tua.* Sapient. IV, 8 et 9 : *Senectus enim venerabilis est non diuturna, neque annorum numero computata : cani enim sunt sensus hominis, et ætas senectutis vita immaculata.* Sensus ergo est : Vita mea honesta et gravis erit in misericordia uberi. Supra, in Psal. LXVII, 16 : *Mons Dei,* sanctus scilicet vir, *mons pinguis, mons coagulatus.*

Senes debent libenter opera misericordiæ exercere.

Et notandum, quod senes libenter debent facere opera misericordiæ, et sua erogare. Primo, quia deficit eis via, et ideo debent aliis viaticum impertiri. Seneca : « Deficiente via, augere viati- « cum dementia est.» Luc. XII, 20 : *Sulte, hac nocte animam tuam repetunt a te.* Secundo, quia deficiunt nundinæ, non licebit jam amplius vendere, et emere, sicut mercatores faciunt in fine nundinarum. Ezech. XLVI, 11 : *Et in nundinis, et in solemnitatibus erit sacrificium,* id est, largitio eleemosynarum. Proverb. XXXI, 16 : *Consideravit agrum, et emit eum.* Matth. XIII, 46 : *Inventa autem una pretiosa margarita,* etc. Tertio, quia nihil omnino secum portare poterunt de mundo isto, sed omnia eos dimittere oportet statim. I ad Timoth. VI, 7 : *Nihil intulimus in hunc mundum : haud dubium quod nec auferre quid possumus.* Quarto, quia ad patriam vadunt, ubi amicis et advocatis indigebunt. Luc. XVI, 9 : *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis : ut, cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.*

« *Et despexit.* » Hic secundum, profectus quantum ad detestationem vitiorum. 12

Ait enim : Sic in misericordia uberi erit senectus mea, et ob hoc jam « *despexit oculus meus.* » Modus loquendi est, quia signum despectus et indignationis solet ostendi maxime in oculis. Supra, in Psal. LIII, 9 : *Et super inimicos meos despexit oculus meus.* Et alibi, Psal. CXVIII, 113 : *Iniquos odio habui.* Sed odio perfecto, de quo alibi, Psal. CXXXVIII, 22 : *Perfecto odio oderam illos.* Quod est odire iniquitatem, non naturam. Psal. CXVIII, 163 : *Iniquitatem odio habui, et abominatus sum.* Vel, « *despexit* » tamquam viles factos et dejectos coram me. Deut. XXVIII, 7 : *Dabit Domi-*

nus inimicos tuos, qui consurgunt adversum te, corruentes in conspectu tuo.

« *Et in insurgentibus in me.* » Hic tangitur profectus in sapientia : et dicuntur duo. Primo, per quid erudietur, et proficiet. Secundo, per quem, et in quo, ibi, « *Justus ut palma.* »

Ait enim : Sic proficiam in potentia, et bonitate, et etiam « *in insurgentibus in me,* » id est, contra me, « *malignantibus,* » mala inferentibus, « *audiet auris mea* » veritatem Dei intus me instruentem. Matth. XI, 15 : *Qui habet aures audiendi, audiat.* Et Apocal. III, 6 : *Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis.* Psal. LXXXIV, 9 : *Audiam quid loquatur in me Dominus.* Ex tribulatione enim exterius ingruente, Deus instruit interius. Ob hoc dicitur, Eccli. XXVIII, 19 : *Vexatio intellectum dabit auditui.*

13 « *Justus ut palma.* » Hic secundum, in quo et quo ordine instruitur, quia de profectu et modo proficiendi justorum. Primo ergo instruitur in his quæ pertinent ad justorum actiones. Secundo, in his quæ ad passiones, ibi, « *Adhuc multiplicabuntur.* » Tertio, in his quæ ad prædicationes, ibi, « *Bene facientes.* »

In prima duo. Primo, instructio quantum ad inchoationem bonorum operum. Secundo, quantum ad exercitium et profectum in illis, ibi, « *Sicut cedrus Libani.* » Tertio, quantum ad consummationem, ibi, « *Plantati in domo Domini.* »

Dicit ergo : Sic instruar malignis insurgentibus, in hoc scilicet, quod « *justus,* » qui sustinet patienter mala, « *florebit* » in inchoatione boni, « *sicut palma.* » Vel, « *justus* » qui est « *ut palma,* » ipse primo « *florebit.* » In Psal. XXVII, 7 : *Et refloruit caro mea.*

Justus autem palmæ comparatur. Primo, quia palma in stipite est rugosa, et aspera, et vilis, et tamen in ramis superius valde pulchra est. Sic sancti exterius in habitu sunt humiles, et abjecti, sed in ramis operum valde pulchri. Cantic. I, 4 : *Nigra sum, sed formosa, filiæ Jerusalem.* Tarda est in fructu. Sic sancti hic non exspectant fructum operis, scientes illud Proverb. XIII, 11 : *Substantia festinata minuetur.* Et in cap. XX, 21 : *Hæreditas, ad quam festinatur in principio, in fine benedictione carebit.* Abraham fecit fructum jam fere centenarius [1]. Amaram radicem habet, sed fructum dulcem. Sic justi tamquam radicem figunt pœnitentiæ amaritudinem, sed surgit fructus dulcissimus. Ad Hebr. XII, 11 : *Omnis autem disciplina, in præsenti quidem videtur non esse gaudii, sed mœroris : postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet justitiæ.* Habet folia fortiter adhærentia, non cadentia in terram. Sic justi verba stabilia, et vera, non defluentia in terram. I Reg. III, 19, Ex verbis Samuelis nullum cecidit in terram [2]. Proverb. II, 19 : *Labium veritatis firmum erit in perpetuum.* Et gladio similia, et acuta. Sic sanctorum verba. Eccle. XII, 11 : *Verba sapientium, sicut stimuli.* Isa. XLIX, 2 : *Posuit os meum quasi gladium acutum.* Sunt enim verba Dei, de quibus Apostolus ad Ephes. VI, 17 : *Et gladium spritus, quod est verbum Dei.* Et recta. Et justus altus valde et rectus. Ad Philip. III, 20 : *Nostra conversatio in cœlis est.* In signum victoriæ confertur victoribus. Apocal. VII, 9 : *Et palmæ in manibus eorum.* Et justi erunt Christo dati ut victori. Isa. LXII, 3 : *Eris corona gloriæ in manu Domini, et diadema regni in manu Dei tui.*

Justus palmæ comparatur

« *Sicut cedrus.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Audiet auris quod justus florebit ut palma, et etiam quod « *sicut cedrus Libani multiplicabitur,* » operi-

[1] Vide Genes. XVII et XXI.

[2] I Reg. III, 19 : *Crevit Samuel, et Dominus erat in eo, et non cecidit ex omnibus verbis ejus in terram.*

Item, comparatur cedro.

bus bonis proficiendo. Et nota, quod justus comparatur cedro. Primo, quia cedrus non putrescit. Sic nec justus putredine luxuriæ, de qua Joel, I, 17 : *Computruerunt jumenta in stercore suo.* Secundo, quia sunt sicut cedrus, maxime Libani. Eccli. XXIV, 17 : *Quasi cedrus exaltata sum in Libano.* Tertio, quia cedrus in profundum radices figit, unde ita alta fit. Et sancti mittunt in profundum radicem per humilitatem. Matth. XXIII, 12 : *Qui se humiliat, exaltabitur* [1]. Eccli. III, 20 : *Quanto magnus es, humilia te in omnibus.* Quarto, quia odorifera. Et sancti odoriferi per bonam famam. Psal. XLIV, 9 : *Myrrha, et gutta, et casia a vestimentis tuis, a domibus eburneis.* II ad Corinth. II, 15 : *Christi bonus odor sumus Deo, in iis, qui salvi fiunt,* etc. Quinto, quia fructuosa. Sic sancti fructuosi. Cantic. VI, 5 : *Et sterilis non est inter eas,* dicitur de ovibus Dei.

14 « *Plantati in domo.* » Hic tertium, in quo tangitur instructio, quantum ad consummationem : et dicuntur duo, in quibus est boni consummatio. Primum, perseverantia, quod notatur in plantatione. Secundum, lætitia et exsultatio, quod notatur hic in floritione, quæ est in atriis, ibi, « *In atriis domus.* »

Dicit ergo : Sic audiet auris, quod justus florebit ut palma, multiplicabitur ut cedrus : et etiam audiet, quod sancti « *plantati in domo Domini* » per perseverantiam in fide et bono opere, illa plantatione de qua Jerem. I, 10 : *Ecce constitui te... ut evellas, et destruas, et disperdas, et dissipes, et ædifices, et plantes.* Plantati, inquam, a Domino : aliter cito eradicarentur. Matth. XV, 13 : *Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus, eradicabitur.* Sap. IV, 3 : *Spuria vitulamina non dabunt radices altas.*

Quidam in Ecclesia Dei fixi sunt, sicut palmes qui cito avelli potest, illi scilicet *qui ad tempus credunt, et in tempore tentationis recedunt* [2]. Sed justi radicantur fortiter. Ad Ephes. III, 17 : *In charitate radicati et fundati.* Psal. I, 3 : *Erit tamquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum.*

« *In atriis domus Dei nostri,* » in Ecclesia scilicet militanti, quæ quasi atria domus Domini, Ecclesiæ scilicet triumphantis : « *florebunt,* » lætanter serviendo, et bonum exemplum præbendo. Cantic. II, 2 : *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Et possunt dicere illud quilibet pro se, Ibid. II, 1 : *Ego flos campi, et lilium convallium.* Ibid. II, 12 : *Flores apparuerunt in terra nostra.*

« *Adhuc multiplicabuntur.* » Hic secundum, in quo ostendit se instrui in 15
sanctorum passionibus.

Ait ergo : Sic video, quod florebunt, sive multiplicabuntur, et perseverabunt : et ecce auris mea audiet, quoniam adhuc « *multiplicabuntur,* » et hoc, « *in senecta,* » in tribulationibus, et hoc in fine mundi, quando tribulationes abundabunt : quia Exod. I, 12, dicitur, quod filii Israel, quo plus affligebantur, eo plus multiplicabantur. Genes. XV, 5 : *Suspice cœlum,* (dictum est Abrahæ) *et numera stellas, si potes : Et dixit ei : Sic erit semen tuum.* Et XXII, 17 : *Multiplicabo filios tuos sicut stellas cœli, et velut arenam quæ est in littore maris* [3]. Psal. CXXXVIII, 18 : *Dinumerabo eos, et super arenam multiplicabuntur.* Tunc implebitur horreum Domini, projecta in ignem palea. Matth. III, 12 : *Cujus ventilabrum in manu sua : et permundabit aream suam : et congregabit triticum suum in horreum, paleas,* etc.

[1] Cf. Luc. XIV, 11 et XVIII, 14.
[2] Luc. VIII, 13.
[3] Cf. etiam Genes. XXVI, 4.

« *Et bene patientes.* » Hic profectus in prædicatoribus, quod fuit triticum : et tanguntur duo prædicare volentium. Perfecta patientia primo. Secundo, res prædicata ab ipsis ostenditur, ibi, « *Quoniam rectus.* »

Dicit ergo : Sic proficient in actionibus, et in passionibus : « *et bene patientes erunt,* » non tantum patientes, quia sunt aliqui, qui ob hoc tantum sunt, quia aliud facere vel non audent, vel non possunt, quibus I Petr. IV, 15 : *Nemo vestrum patiatur ut homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor :* qui si possent, et auderent, se defenderent : sed, « *bene* » sitis « *patientes,* » ut libenter sustineatis pro Christi nomine exaltando. Unde subdit, ℣. 16 : *Si autem ut Christianus, non erubescat : glorificet autem Deum in isto nomine.* Et infra, ℣. 19 : *Hi, qui patiuntur secundum voluntatem Dei, fideli Creatori commendent animas suas in benefactis,* ut sic annuntient ipsum nomen Christi. Prov. XIX, 11 : *Doctrina viri per patientiam noscitur.*

16 Quæ potissimum debent prædicato. « *Quoniam rectus Dominus.* » Hic ostendit quid sic patientes prædicabunt, quia duo : primo, Dei severitatem in puniendo malos : et secundo, Dei benignitatem in remunerando bonos, ibi, « *Et non est iniquitas.* » res annuntiare ?

Dicit ergo : Bene patientes erunt ut annuntient. Quid ? Hoc : « *Quoniam Dominus Deus noster,* » supple, ibi, « *rectus.* » Hoc patet, quia homo quem fecit ad imaginem suam Deus, Genes. I, 27 : *Creavit Deus hominem ad imaginem suam : ad imaginem Dei creavit illum :* ideo rectus factus est. Eccle. VII, 30 : *Fecit Deus hominem rectum : et ipse se infinitis miscuit quæstionibus.* Et quia rectus, a rectis diligendus. Cantic. I, 3 : *Recti diligunt te.* Rectus ergo in reddendo malis, quod ipsi meruerunt.

« *Et non est iniquitas in eo,* » ut decipiat justos propter se multa passos, eos in aliquo defraudando. Psal. XLIX, 21 : *Existimasti inique, quod ero tui similis ?* sed hoc falsum. Ad Roman. IX, 14 : *Numquid iniquitas apud Deum ? Absit.* Sed bonitas, et pietas, qua suos remunerabit supra condignum, imo supra cogitatum. I ad Corinth. II, 9 : *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum* [1], ad quæ nos perducat, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS XCII.

Domini regnum prædicat a creaturarum administratione.

Laus Cantici ipsi David, in die ante sabbatum, quando fundata est terra.

1. Dominus regnavit, decorem indutus : indutus est Dominus fortitudinem, et præcinxit se.
Etenim firmavit orbem terræ, qui non commovebitur.

2. Parata sedes tua ex tunc : a sæculo tu es.

3. Elevaverunt flumina, Domine, elevaverunt flumina vocem suam.

[1] Cf. Isa. LXIV, 4.

Elevaverunt flumina fluctus suos,
4. A vocibus aquarum multarum.
Mirabiles elationes maris : mirabilis in altis Dominus.

5. Testimonia tua credibilia facta sunt nimis. Domum tuam decet sanctitudo, Domine, in longitudinem dierum.

IN PSALMUM XCII

COMMENTARIUS.

1 *Laus Cantici ipsi David, in die ante sabbatum, quando fundata est terra* [1].

« *Dominus regnavit, decorem indutus est.* » Hic est Psalmus nonagesimus secundus in toto libro, quadragesimus secundus in secunda parte libri. Cum enim in præcedentibus Psalmis egerit de fructu multiplici, quem consecuta est Ecclesia a passione Christi quantum ad liberationem a malo triplici, et adeptionem boni, agitur consequenter de bonis, quæ Christus in seipso consecutus est, ex sua passione, scilicet de Christi exaltatione, qua exaltatus est merito passionis. In illa enim meruit, et sibi et nobis. Constat, quod sibi, quia Paulus dicit ad Philip. II, 8 : *Factus* est *obediens usque*

Argumentum Psalmi : Quintus passionis fructus, confessio Christi, regis ad dexteram Patris.

[1] Ce psaume, dit Hitzig, est « in nuce » dans le ℣. 9 du précédent ; c'est un chant de triomphe en l'honneur de la souveraineté divine. Les Septante l'intitulent : « Pour la veille du sabbat, ὅτε κατῴκισται (var. κατῴκιστο), quand fut habitée (ou : fut fondée) la terre, αἶνος ᾠδῆς, cantique de louange de David. » La première partie de l'inscription est confirmée par le Talmud, Tr. *Thamid* (du sacrifice perpétuel), VII, qui assigne un psaume à chaque jour de la semaine : Premier jour, Ps. XXIII, deuxième, Ps. XLVII, troisième, Ps. LXXXI, quatrième, Ps. XCIII, cinquième, Ps. LXXX, sixième, Ps. XCII, sabbat, Ps. XCI. La seconde partie du titre grec est assez généralement contestée. Quelques interprètes admettent bien que David ait composé le psaume après une de ses victoires, mais il y a des raisons générales assez plausibles pour penser autrement. Ces raisons sont exposées dans une note insérée à la fin du Speaker's Commentary sous ce titre : Excursus upon Psalms XCI-C (XC-XCIX). Nous en donnons ici le résumé. Les psaumes indiqués, surtout les psaumes XCII et XCIV-XCIX, ont entre eux des analogies remarquables : sujet traité, adaptation liturgique, formes de langage, tout se ressemble. L'anadiplosis ou iteration, XCI, 10 ; XCII, 1, 3, etc., est caractéristique à ce dernier point de vue. Aussi un certain nombre de manuscrits joignent-ils ensemble deux à deux plusieurs de ces psaumes. Des ressemblances non moins frappantes seront signalées dans les notes du commentaire entre cette série de chants liturgiques et les prophéties d'Isaïe, surtout les dernières. Pour ne citer qu'un exemple, le mot תבל, *thebel,* monde, qui se lit 36 fois dans l'Ancien Testament, est 9 fois dans Isaïe et 6 fois dans les psaumes en question. Ajoutons que si par la vivacité et la couleur du style, ils se rapprochent beaucoup des derniers oracles du prophète, ils conviennent très bien à l'époque d'Ezéchias par l'état politique, théocratique, religieux et liturgique qu'ils supposent. On peut tirer de là l'une ou l'autre de ces deux conclusions : les psaumes et les prophéties ont le même auteur ; ou bien : s'il y a deux auteurs, ils se sont inspirés l'un de l'autre. Nous n'avons aucun document positif pour élucider la question ; toutefois, la seconde supposition paraît plus probable. Dans ce cas, il resterait à déterminer la priorité ou du psalmiste ou du prophète. Il est bien possible que ces psaumes liturgiques remontent aux quatre premières années d'Ezéchias, et que leur composition coïncide avec la restauration du culte ; il ne serait pas étonnant alors que des chants entendus si fréquemment dans le service divin eussent inspiré des pensées et des expressions à Isaïe. D'autre part, Isaïe est certainement le plus original de tous les prophètes, il n'a guère l'habitude de faire allusion aux écrits précédents, et on ne peut pas prouver que les psaumes soient des premières années d'Ezéchias. Voici les conclusions de l'Excursus : 1° Il y a de bonnes raisons pour attribuer au même auteur, sinon tous les psaumes de la série, du moins XCII, XCIV-XCIX, et il est possible que cet auteur soit le prophète Isaïe. 2° Si l'auteur n'est point

ad mortem, etc. Exaltatio autem duplex. Prima in confessione ad dexteram Patris, tamquam rex hujus mundi. Secunda in reversione ad judicium, ut judicet et remuneret unumquemque. De secundo agitur in Psalmo consequenti, XCIII, 1 : « *Deus ultionum Dominus*.

De prima in isto, quod satis in titulo demonstratur, qui talis est : «*Laus Cantici ipsi David, in die ante sabbatum, quando fundata est terra.* » Sciendum enim, quod sicut habetur ex capite primo Genesis, dies ante sabbatum est dies sexta, scilicet sexta feria, in qua sexta feria annis multis revolutis Christus passus est, et resuscitari meruit : unde jam quasi resuscitatus spe fuit, et tunc Ecclesiam fundavit, quæ *terra* dicitur. Sapient. I, 7 : *Spiritus Domini replevit orbem terrarum.* Et Eccle. I, 4 : *Generatio præterit, et generatio advenit : terra autem in æternum stat.* Sensus ergo tituli est : Quod subjectum est, est « *laus Cantici,* » id est, laus divina : canticum enim exsultatio de divinis. « *Ipsi David,* » id est, Christo, supple, canenda. Ubi enim « *ipsi* » additur ad « *David,* » intelligitur Christus, sicut superius dictum fuit. Et hoc, « *in die ante sabbatum :* » et sumitur propositio pro propositione, id est, pro die ante sabbatum, id est, in sexta feria, « *quando terra,* » id est, Ecclesia, « *est fundata.* » Vel dies ante sabbatum, dies scilicet sexta, tempus gratiæ appellatur, quod est sæculi sexta ætas, et sexta dies magna septimanæ.

Dividitur autem psalmus secundum Glossam in septem partes. Sed potest dividi artificiosius in tres, secundum tria quæ concurrunt ad plenitudinem regiæ potestatis, scilicet ipsa potestas regia, et duo comites ejus, scilicet veritas, et sanctitas, secundum quod dicit Hieronynus. Exod. XVIII, 21 : *Provide de omni plebe viros potentes*, ecce primum : *et timentes Deum*, ecce sanctitas : *in quibus sit veritas*, ecce veritas aperte. In prima ergo parte agit de Christi regia potestate. In secunda, de ejus veritate, ibi, « *Testimonia tua.* » In tertia de sanctitate, ibi, « *Domum tuam, Domine.* »

In prima duo. Primo, agit de Christi regia potestate in se. Secundo, in regno suo, et suis, ibi, « *Etenim firmavit.* »

In prima quatuor secundum quatuor quæ tangit de Christo. Primo, tangit in ipso regiam dignitatem. Secundo, decentiam in regnando, per quam bonos allicit, ibi, « *Decorem.* » Tertio, potestatem et fortitudinem in se ad terrendum malos, ibi, « *Indutus est fortitudinem.* » Quarto, in his quæ sunt circa se ut in ministris, ibi, « *Et præcinxit.* »

Continua ergo, et dic : Sic multa bona veniunt Ecclesiæ ex Christi passione, et etiam ex ipsa, « *Dominus,* » Christus, « *regnavit,* » in manifestatione, qui ab æterno regnavit secundum quod Deus in se, secundum quod homo a conceptione. Innotuit autem per propriam resurrectionem, innotuit per miraculorum ope- Prima pars Psalmi. Regia dignitas Christi et potestas. Quare Ecclesia dicitur *orbis* ?

Isaïe lui-même, il paraît avoir fait de larges emprunts au prophète, tant pour les idées que pour le style. 3° La date de la composition de ces psaumes peut être assignée approximativement, avec le plus grand degré de probabilité, à l'époque d'Ezéchias, dont l'accession au trône détermina une remarquable renaissance de prophéties royales.

Le psaume XCII est essentiellement théocratique : Jéhova y est célébré comme roi de l'univers et dominateur de toutes les puissances qui peuvent s'élever à côté de lui ou contre lui. Toutes ses paroles s'accompliront donc invariablement ; en conséquence, ses créatures doivent l'honorer comme le Très-Haut et le Saint des Saints.

Eusèbe, S. Athan., Théod., S. Aug. appliquent le psaume au règne du Christ ; les fleuves qui élèvent leurs voix sont les apôtres, ceux qui élèvent leurs flots sont les ennemis de l'Évangile. Nous aurions un écho de ce chant dans le fameux cri de triomphe : Christus vincit, Christus regnat, Christus imperat, Christus ab omni malo plebem suam liberat.

H. Lesêtre.

rationem, et per Apostolorum prædicationem per universum mundum. Hinc resuscitatus dixit, Matth. XXVIII, 18 : *Data est mihi omnis potestas in cœlo, et in terra*, id est, manifestata dari. Regnavit autem in cœlo, sedens ad dexteram Patris. Luc. XIX, 12 : *Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam accipere sibi regnum.* Regnavit in mundo, super omnes reges. Apoc. I, 5 : *Primogenitus mortuorum, et princeps regum terræ.* Sed hanc ultimam portionem non existimat de regno, quia multos habet contradictores in mundo. Unde Joan. XVIII, 36, dicit : *Regnum meum non est de hoc mundo.* Quare non regnaret ? de semine regio est secundum carnem. Ad Rom. I, 3 : *Qui factus est ei ex semine David.* Propter hoc dicit Gabriel, Luc. I, 32 : *Filius Altissimi vocabitur.* Propter hoc dicitur, Apocal. XIX, 16 : *Habet in vestimento,* in carne, *et in femore suo,* in divinitate quæ totum sustentat, sicut femora totum hominem, *scriptum : Rex regum, et Dominus dominantium.* Habet sapientiam, quæ regibus est necessaria. Jerem. XXIII, 5 : *Regnabit rex, et sapiens erit.* Habet potestatem arcendi inimicos, quæ necessaria est. Eccli. VII, 6 : *Noli quærere fieri judex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates.* Et de Christo, Luc. XXIV, 19 : *Qui fuit vir propheta potens in opere, et sermone.* Misericordiam et veritatem, quæ necessariæ sunt ad regni confirmationem. Prov. XX, 28 : *Misericordia et veritas custodiunt regem.* Et III Reg. I, 38 et 39, legitur, quod Nathan, filius columbæ, et Sadoch, quod interpretatur *justus,* per quod intelligitur justitia, inunxerunt Salomonem regem, id est, Christum. Habet thronum, Virginis matris uterum. III Reg. X, 18 : *Fecit etiam rex Salomon thronum de ebore grandem.* Et habet sceptrum, crucis patibulum. Isa. IX, 6 : *Factus est principatus,* id est, imperii signum, *super humerum ejus.* Vel inflexibilem justitiam. Psal. II, 9 : *Reges eos in virga ferrea.* Habet purpureum indumentum, carnem sanguine rubricatam. Prov. XXXI, 22 : *Byssus et purpura indumentum ejus.* Isa. LXIII, 2 : *Quare ergo rubrum est indumentum tuum ?* Non restat, nisi quod habeat unctionem : et hanc habuit. Isa. LXI, 1 : *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me.*

« *Dominus* ergo *regnavit, decorem indutus est,* » hoc est, pulchritudinem suos allicientem. Psal. CIII, 2 : *Amictus lumine sicut vestimento,* quod est foris, et origo omnis decoris, in quo decore videbitur a suis. Isa. XXXIII, 17 : *Regem in decore suo videbunt.* Psal. CIII, 1 : *Confessionem et decorem induisti.*

« *Indutus est fortitudinem,* » ad arcendum adversariorum malitiam. Proverb. XXXI, 25 : *Fortitudo et decor indumentum ejus.* In eodem, ℣, 17 : *Accinxit fortitudine lumbos suos.* Decor sine fortitudine vergeret in remissionem, fortitudo sine decore in crudelitatem.

« *Et præcinxit se.* » Fortibus ministris circumdedit, Angelis scilicet. Ad Hebr. I, 14 : *Nonne omnes sunt administratorii spiritus ?* Dan. VII, 10 : *Millia millium ministrabant ei,* etc. Et potest hic notari distinctio quam facit Glossa.

« *Etenim firmavit.* » Hic secundum, in quo agitur de potestate regia, quantum ad regni potentiam, quam ostendit in tribus. In murorum firmitate, quibus bene firmas habet civitates. Secundo, a fluviorum inundatione, et aquarum marinarum, ibi, « *Elevaverunt.* » Tertio, a turrium altitudine, ibi, « *Mirabilis in altis.* » Et notatur triplex status illorum, in quibus regnat Christus. Activi, qui per muros : Doctores, qui per flumina : et contemplativi, qui per turres.

In prima duo. Primo, tangitur firmitas murorum, quantum ad majores, qui debent esse stabiles. Secundo, quantum ad minores, ibi, « *Parata sedes.* »

In prima duo. Primo, majorum confirmatio. Secundo, vehementia confirmationis, ibi, « *Qui non commovebitur.* »

Dicit ergo : Sic regnavit fortis, et potens in se, et in his qui circa se. « *Etenim* » per hoc, « *firmavit,* » in fide, « *orbem terræ,* » suos per totum orbem terrarum diffusos. Orbis terræ appellatur Ecclesia militans : orbis, quia sine angulo. Bernardus : « Ubi angulus, ibi « sordes. » Vel certe quia adhuc militat in terra. Eccle. I, 4 : *Terra autem in æternum stat.* Sapient. I, 7 : *Spiritus Domini replevit orbem terrarum.* Hunc orbem firmavit in fide in majoribus. Psal. cxxxv, 6 : *Qui firmavit terram super aquas.* Ezech. I, 22, Super capita eorum firmamentum ad monstrandum, quoniam sunt firmata [1].

Quare Ecclesia dicitur *orbis?*

« *Qui non commovebitur,* » ita firmatus est, licet concutiatur. Matth. VII, 25 : *Venerunt flumina, et flaverunt venti, et irruerunt in domum illam, et non cecidit : fundata enim erat,* etc. Hæc est navis institoris, quæ si fluctibus concutiatur, tamen non submergitur. Proverb. XXXI, 14 : *Facta est quasi navis institoris, de longe,* etc.

2 « *Parata sedes tua.* » Hic confirmatio quantum ad minores : et dicuntur duo. Primo, minorum confirmatio. Secundo, responsio quæstioni, quæ posset fieri, vel dubitationis remotio, ibi, « *A sæculo tu es.* »

Ait enim : Sic firmasti orbem terræ, majores scilicet qui debent alios continere : et etiam « *sedes tua,* » minores et humiles, in quibus requiescis et sedes. Isa. LXVI, 1 : *Quis est iste locus quietis meæ ?* Et subdit paulo post, ỳ. 2 : *Ad quem respiciam,* ut in illo quiescam, *nisi ad pauperculum, et contritum spiritu, et trementem sermones meos ?* « *Parata,* » firmiter scilicet stabilita, et immutabiliter. Supra, in Psal. LXXXVIII, 38 : *Thronus ejus, sicut sol in conspectu meo.* Et hoc : « *ex tunc,* » id est, ex quo passus es, quia hoc in illa passione meruisti : et tamen temporalis tantum non es credendus, imo « *a sæculo tu es* » Deus, id est, ab æterno. Sæculum enim sic more Scripturæ accipitur pro æternitate.

Vel potest legi de judiciaria potestate, quæ erit sedes Christi, in judicio parata, a justitia et judicio, sicut alibi, in Psal. LXXXVIII, 15 : *Justitia et judicium præparatio sedis ejus.* Matth. XIX, 28 : *Cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ,* etc., quæ parata est « *ex tunc,* » id est, ex quo tu es : et « *tu es a sæculo* » Deus, unde parata est a sæculo, id est, ab æterno. Dan. VII, 14 : *Potestas ejus, potestas æterna, quæ non auferetur.*

« *Elevaverunt flumina.* » Hic est secundum, in quo ostendit regni potentiam aquarum abundantia et inundatione. Primo, dulcium. Secundo, amararum, ibi, « *Mirabiles elationes.* » 3

In prima parte secundum nostram litteram dicuntur duo. Primo, majorum fluminum inundatio. Secundo, minorum, ibi, « *A vocibus aquarum.* »

In prima duo. Primo, prædicationis effusio. Secundo, fervor et devotio in effusione, ibi, « *Elevaverunt flumina.*

Dicit ergo : Sic firmatum est regnum, et etiam in illo regno, « *flumina,* » o Domine, « *elevaverunt* : » et antequam dicat quid elevaverunt, repetit, « *elevaverunt flumina vocem suam.* »

Nota, quod Apostoli *flumina* vocantur, quia Spiritu sancto repleti, et quasi toti spiritus effecti sunt in die Pentecostes, sicut legitur Act. II, 1 et seq. Spiritus autem sanctus fluvius est, secundum illud Psal. XLV, 5 : *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei.* De donis etiam Spiritus sancti, quibus erant repleti, quilibet per se, dicitur, Joan. VII, 38 : *Qui crediderit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.* Hæc flumina, de quibus Ec-

Cur Apostoli vocantur *flumina?*

[1] Ezech. I, 22 : *Et similitudo super capita animalium firmamenti,* etc.

cli. XXIV, 40 : *Ego sapientia effudi flumina*, id est, Apostolos per mundum dispersos. Hæc ergo flumina elevaverunt vocem suam, nolentes propter summum sacerdotem, et Judæorum concilium silere. Act. IV, 20 : *Non possumus, quod vidimus et audivimus, non loqui.* Isa. LVIII, 1 : *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam.* Et ibid. XL, 9 : *Exalta in fortitudine vocem tuam, qui evangelizas Jerusalem : exalta, noli timere.*

« *Elevaverunt.* » Hic monstratur fervor maximus in prædicatione.

Quasi diceret : Elevaverunt vocem in simplici prædicatione flumina, et etiam Spiritu sancto intumescentes : flumina ista, « *elevaverunt fluctus suos*, » contra omnes eis resistentes, impetuosas prædicationes. Act. VI, 10 : *Non poterant resistere sapientiæ, et spiritui, qui loquebatur.* Luc. XXI, 15 : *Ego dabo vobis os, et sapientiam, cui non poterunt resistere, et contradicere omnes adversarii vestri.* Qui habet enim spiritum Dei, in se celare veritatem non potest : sed arguit cum confidentia. Gregorius : « Qui spi-« ritum Dei habet, veritatem celare non « potest. » Jerem. XX, 9 : *Factus est* (sermo Domini) *in corde meo quasi ignis exæstuans, claususque in ossibus meis : et defeci, ferre non sustinens.*

« *Elevaverunt fluctus*, » majores, facto clamore magno, « *a vocibus aquarum multarum*, » minorum scilicet cum ipsis prædicantium, et veritati attestantium. Act. IV, 24 : *Qui cum audissent, unanimiter levaverunt vocem ad Deum et dixerunt : Domine, tu es qui fecisti cœlum, et terram, mare, et omnia, quæ in eis sunt*, etc. Secundum Augustinum, non est in littera istorum duorum versuum, nisi tantum, « elevaverunt flu-« mina vocem suam a vocibus aquarum « multarum. » Et legit modo uno non mutando aliquid a dicta littera.

Vel, potest legi secundum nostram litteram, etiam in malo, ut quod dictum est de Apostolis, dicatur de Gentilibus prophetis, levantibus vocem contra prædicatores et prædicationem.

« *Mirabiles elationes.* » Hic secun- 4
dum, in quo subjungitur inundatio aquarum amararum, et marinarum, scilicet tribulationum.

Ait enim : Sic Apostoli, qui erant flumina, dulcem aquam ministrantia, levaverunt vocem, elevaverunt fluctus : et tunc factæ sunt « *mirabiles elationes maris*, » id est, tribulationes ex mundo, qui *mare* dicitur, surgentes. Psal. CIII, 25 : *Hoc mare magnum, et spatiosum manibus.* Habac. I, 14 : *Facies homines quasi pisces maris.* Hoc mare contra prædicatores et Apostolos inundavit, sed sustinuerunt patienter, imo libenter. Act. V, 41 : *Ibant Apostoli gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati.* Deuteron. XXXIII, 19 : *Inundationem maris, quasi lac sugent.*

Nunc etiam elationes maris, id est, mundi honores sunt mirabiles, quia dantur stultis, et insciis, et de quibus nullo modo credentur. Eccle. X, 6 : *Vidi... positum stultum in dignitate sublimi.* Mirabiles etiam, quia inde bella in capitulis, et lites in curiis. Isa. III, 5 : *Tumultuabitur puer contra senem, et ignobilis contra nobilem.* In tantum prævalent istæ elationes, et tot et tantas undas suscitant, quod fere submergitur navis Petri, et maximis repletur undis.

« *Mirabilis in altis.* » Hic tertium, in quo ostendit dignitatem regni et fortitudinem, a turrium altitudine.

Ait enim : Sic aquæ marinæ non desunt, scilicet persecutiones, et amaritudines mundanæ : et tamen « *Dominus in altis* » existens, scilicet in sanctis tamquam in turribus, est « *mirabilis*, » elationes illas reprimendo. Psal. LXVII, 36 : supra : *Mirabilis Deus in sanctis suis.* Isa. IX, 6 : *Et vocabitur nomen ejus Admirabilis.*

Vel sic : Ita sæviunt mundani : sed, « *in altis*, hoc est, in principibus mundi, qui alti mundi reputatione sunt, « *mirabilis Dominus*, » eos sedando, mitigando. Supra, in alio Psal. LXXXVIII, 10 : *Tu dominaris potestati maris : motum autem fluctuum ejus tu mitigas.*

Mirabilis Deus in se et in operibus suis.

Et nota, quod Deus est mirabilis in seipso, Esther, XV, 17 : *Valde mirabilis es, Domine, et facies tua plena est gratiarum.* In operibus creationis, Apoc. XV, 3 : *Magna et mirabilia sunt opera tua, Domine.* Et in miraculosis, Daniel. VI, 27 : *Ipse liberator, atque salvator, faciens signa, et mirabilia in cœlo, et in terra.* In consiliis maxime redemptionis generis humani, Isa. XXVIII, 29 : *Ut mirabile faceret consilium suum.* In beneficiis, II Esdr. IX, 17 : *Non sunt recordati mirabilium tuorum, quæ feceras eis.* In nomine, Judic. XIII, 18 : *Cur quæris nomen meum, quod est mirabile ?* In doctrinis, Luc. IV, 22 : *Mirabantur omnes in verbis gratiæ, quæ procedebant ex ore ipsius.* In promissione, Eccli. XLII, 17 : *Fecit sanctos enarrare omnia mirabilia sua*, hoc est, mirabilia promissa sua. In pœnis, Job, X, 16 : *Reversus, mirabiliter me crucias.* Et XXXVII, 5 : *Tonabit Deus in voce sua mirabiliter.* In præmiis, ut hic : « *Mirabilis*, etc. »

5 Secunda pars Psalmi. Laus Christi a veritate.

« *Testimonia tua.* » Hic est secunda pars totius hujus Psalmi, sicut superius est divisum. In qua commendatur Christus rex a veritate.

Ait enim : Tam potens est, et in se, et in suo regno : et etiam, o Domine, « *testimonia tua*, » verba sanctorum tuæ veritati attestantia, « *credibilia facta sunt nimis*, » ita lucide apparent vera, ex testimoniis Prophetarum præcedentium, ex rationibus naturalibus hoc ipsum attestantibus, et ex miraculosis operationibus. Supra, in alio Psal. XVIII, 8 : *Testimonium Domini fidele.*

Vel, « *testimonia tua*, » verba scilicet quibus testabaris eos passuros multa, te tamen consolaturum eos. Joan. XVI, 33 : *Hæc locutus sum vobis, ut in me pacem habeatis. In mundo pressuram habebitis : sed confidite*, etc. Luc. XXI, 10 : *Surget gens contra gentem, et regnum adversus regnum.* Et post, ℣. 28 : *His autem fieri incipientibus, respicite, et levate capita vestra*, tamquam consolati et empti, *quoniam appropinquat*, etc.

« *Nimis* » autem non notat hic superfluitatem, sed abundantiam, sicut ibi, *Tu mandasti mandata tua custodiri nimis* [1]. Et alibi, Psal. CXXXVIII, 17 : *Nimis honorificati sunt amici tui, Deus.* Et Cant. I, 2 : *Adolescentulæ dilexerunt te nimis.*

Vel, testimonia prophetiæ dicuntur, quæ Christo attestabantur, quæ in Christo impletæ, credibiles sunt factæ. Eccli. XXXVI, 18 : *Da mercedem sustinentibus te, ut prophetæ tui fideles inveniantur.*

Tertia pars Psalmi.

« *Domum tuam.* » Hic tertia pars Psalmi, in qua ad laudem Christi, subjungitur de ejus sanctitate. Quis enim dubitet habentem domum sanctam, multo fortius sanctum esse ? et tanguntur duo. Primo, sanctitas. Secundo, sanctitatis perpetuitas, cum addit : « *In longitudinem dierum.* »

Domus Eccle... reli... hosp... scrip...

Dicit ergo : Domine potens, et verax, et etiam propter eminentem sanctitatem, quæ in te est : o « *Domine, sanctitudo*, » sanctitatis habitudo, « *decet domum suam*, » fidelium congregationem. Levit. XI, 44 : *Sancti estote, quia ego sanctus sum.* Unde immundi foras ejiciendi sunt. Apocalyps. XXII, 15 : *Foris canes, et venefici.* Et nota breviter, quod hæc domus Dei homo est, quem decet sanctitudo, secundum corpus, abstinentiæ et castitatis : secundum animam, sanctitudo claritatis. Ecclesia, quam de-

[1] Psal. CXVIII, 4.

cet sanctitudo unitatis. Religio, quam decet sanctitudo obedientiæ et humilitatis. Hospitale, quod decet sanctitudo pietatis. Sacra Scriptura quam decet sanctitudo veritatis, ut sic tandem veniatur ad illam supernam domum, in qua est sanctitudo æternitatis, ad quam nos perducat, etc.

PSALMUS XCIII.

Deum prædicat malos punientem et justos consolantem.

Psalmus ipsi David, Quarta sabbati.

1. Deus ultionum Dominus : Deus ultionum libere egit.
2. Exaltare, qui judicas terram : redde retributionem superbis.
3. Usquequo peccatores, Domine, usquequo peccatores gloriabuntur?
4. Effabuntur et loquentur iniquitatem, loquentur omnes qui operantur injustitiam?
5. Populum tuum, Domine, humiliaverunt : et hæreditatem tuam vexaverunt.
6. Viduam et advenam interfecerunt : et pupillos occiderunt.
7. Et dixerunt : Non videbit Dominus, nec intelliget Deus Jacob.
8. Intelligite, insipientes in populo : et stulti, aliquando sapite.
9. Qui plantavit aurem non audiet? aut qui finxit oculum non considerat?
10. Qui corripit gentes non arguet, qui docet hominem scientiam?
11. Dominus scit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt.
12. Beatus homo, quem tu erudieris, Domine, et de lege tua docueris eum :
13. Ut mitiges ei a diebus malis, donec fodiatur peccatori fovea.
14. Quia non repellet Dominus plebem suam, et hæreditatem suam non derelinquet.
15. Quoadusque justitia convertatur in judicium, et qui juxta illam omnes qui recto sunt corde.
16. Quis consurget mihi adversus malignantes? aut quis stabit mecum adversus operantes iniquitatem?
17. Nisi quia Dominus adjuvit me, paulo minus habitasset in inferno anima mea.
18. Si dicebam : Motus est pes meus, misericordia tua, Domine, adjuvabat me.
19. Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam.
20. Numquid adhæret tibi sedes iniquitatis, qui fingis laborem in præcepto?
21. Captabunt in animam justi, et sanguinem innocentem condemnabunt.
22. Et factus est mihi Dominus in refugium, et Deus meus in adjutorium spei meæ.
23. Et reddet illis iniquitatem ipsorum, et in malitia eorum disperdet eos : disperdet illos Dominus Deus noster.

IN PSALMUM XCIII

COMMENTARIUS.

1 *Psalmus ipsi David,*
Quarta sabbati[1].

Argumentum Psalmi: Sextus passionis fructus, potestas Christi judicis.

« *Deus ultionum Dominus.* » Hic est Psalmus nonagesimus tertius in toto libro, in secunda parte quadragesimus tertius : in quo, sicut superius dictum fuit, postquam dictum est de Christi regia potestate ac dignitate, quam nunc habet, agitur de ejus judiciaria potestate, quam in judicio exercebit, quamvis nunc sileat et sustineat patienter. Isa. XLII, 14 : *Tacui semper, silui, patiens fui, sicut parturiens loquar.* Eccli. V, 4 : *Altissimus est patiens redditor.* Sic et sui patienter agunt præsentis vitæ cursum, et exspectant.

Unde in titulo Psalmi, dicitur eis cantandus Psalmus iste : vel tangitur de illis, et patientia ipsorum : est enim talis : « *Psalmus ipsi David, quarta sabbati.* » Ad cujus intelligentiam, notandum, quod quarta die ante sabbatum, facta sunt in cœlo luminaria, sicut habetur Genes. I, 14 et seq., in quo figuratur vita sanctorum, qui sunt in cœlo fixi meditatione, et conversatione. Ad Philip. III, 20 : *Nostra conversatio in cœlis est.* Et tamquam luminaria. Ad Philip. II, 14 et 15 : *Omnia facite,... ut sitis sine querela, et simplices filii Dei, sine reprehensione, in medio nationis pravæ et perversæ : inter quos lucetis sicut luminaria in mundo.* Sensus ergo tituli est : « *Psalmus* » iste, subjectus, qui est « *David,* » ut auctoris, est cantandus « *quarta sabbati,* » id est, Sanctis designatis per illa quæ facta sunt quarta sabbati, quia patienter agunt cursum suum ut sidera, diem judicii exspectantes.

Dividitur autem Psalmus in tres partes. In prima parte agit de potestate Christi judicis, contra superbiam inimicorum Ecclesiæ. Secundo, de scientia, seu sapientia contra eorumdem blasphe-

[1] Les Septante attribuent encore ce psaume à David, et l'assigne pour le quatrième jour de la semaine. Ce dernier point est confirmé par la tradition juive ; quant au premier, il n'est pas acceptable. Le psaume est une plainte contre l'exaction des princes du peuple et les juges ; David n'aurait pu le composer ni pendant le règne de Saül, qui n'était point un tyran pour le peuple, ni pendant la révolte d'Absalon, qui affectait de se poser en meilleur justicier que son père. Sans parler de Patrizi qui, à la suite d'Olshausen, fait écrire le psaume quelque 150 ans avant Jésus-Christ, à propos de la persécution d'Antiochus Ephiphane, plusieurs commentateurs veulent que le psalmiste ait eu en vue les puissances étrangères qui menaçaient Israël, les Perses dans les temps qui suivirent l'exil, suivant Delitzsch, et selon Hengstenberg, les Chaldéens qui devenaient de plus en plus à craindre, et contre lesquels écrit aussi Habacuc. Mais les expressions dont se sert l'écrivain sacré supposent qu'il a en vue des Israélites ; c'est à eux seuls qu'il peut reprocher de faire périr l'étranger, ℣. 6 ; ce sont eux seuls qui, divinement constitués dans leur autorité, peuvent donner à croire que Jéhova est complice de leurs méfaits, ℣. 20. Thalhofer, Elliott, Jennings, rapportent avec raison le psaume à la situation indiquée par Isaïe, I, 23 ; X, 2. Nous avons par conséquent ici le même sujet qu'au psaume LXXXI sans aucune mention d'une atteinte portée aux institutions civiles et religieuses, comme dans les Ps. LXXIII et LXXVIII, qui déplorent les maux causés par les nations idolâtres.

« Consolationem et levamen complectitur pro iis qui in præsenti vita pietatis causa vexantur et affliguntur. » Eusèb. Dans les temps troublés où sa foi lui attire des persécutions, le chrétien peut réciter et méditer ce psaume avec fruit. Il y apprendra à ne point s'étonner de la malice des persécuteurs, et à se remettre aux mains de Dieu avec une aveugle confiance.

H. Lesêtre

miam, ibi, « *Et dixerunt : Non videbit.* » In tertia, de bonitate ejus contra malitiam, ibi, « *Quis consurget mihi ?*

In prima parte dicuntur tria, quæ necessaria sunt ad judicis potestatem, eo quod justa sit. Primum est justus animus in judice. Secundum, justus ordo judicii, Et tertio, justa causa in eo qui judicatur. De primo, agit primo. De secundo, ibi, « *Exaltare, qui judicas terram.* » De tertio, ibi, « *Usquequo peccatores.* »

In prima duo secundum duo, quæ faciunt animum judicis justum. Severitas, quæ nulli parcit, et libertas quæ munera a quoquam non accipit, ibi, « *Libere egit.* »

Prima pars Psalmi. Dicit ergo : Sic regnat Dominus ad dexteram Dei Patris, et ipse Dominus, qui putatur a quibusdam non judicaturus, tamquam oblitus, vel aliis occupatus existens, « *Deus ultionum :* » et repetit, « *Deus ultionum,* » ad majorem confirmationem. Deut. XXXII, 43 : *Sanguinem servorum suorum ulsciscetur.* Psal. XCVIII, 8 : *Et ulsciscens in omnes adinventiones eorum.* Isa. XLVII, 3 : *Ultionem capiam, et non resistet mihi homo.* Nahum, I, 2 : *Ulciscens Dominus in hostes suos.*

Et nota, quod replicatur « *Deus ultionum,* » quia punit anima simul et corpore. Apoc. I, 16 : *De ore ejus,* scilicet filii hominis, *exibit gladius utraque parte acutus.* Item, quia punit malos in se, et in aliis, cum quibus et in quibus peccaverunt. Usurarius devorabit in inferno filium si poterit, et locator locatricem. Isa. IX, 19 : *Erit populus quasi esca ignis : vir fratri suo non parcet.* Item, quia hic punientur, et etiam in futuro. Jer. XVII, 18 : *Duplici contritione contere eos*, Domine Deus noster.

Deus multipliciter ulciscitur homines. Hic autem ulciscitur se multipliciter. Primo, excæcando inimicos suos. Sap. II, 21 : *Excæcavit malitia eorum illos.* Isa. VI, 10 : *Excæca cor populi hujus, et aures ejus aggrava.* Secundo, in reprobum sensum dando, ut putent bona, quæ vere mala sunt, et e contrario. Ad Rom. I, 28 : *Tradidit illos Deus in reprobum sensum : ut faciant ea quæ non conveniunt.* Tertio, multis amaritudinibus eos respergendo. Eccle. II, 23 : *Cuncti dies hominis doloribus et ærumnis pleni sunt.* Act. VIII, 23 : *In felle amarituninis, et obligatione iniquitatis video te esse.* Quarto, damnis rerum, et ægritudinibus corporum affligendo, sicut factum est in Herode [1], et in Antiocho [2].

Dominus ergo « *Deus ultionum libere egit,* » semper sine omni coactione, in omnibus quæcumque fecit : et libere aget in judicio. Liberum enim judicium Dei ab omni coactione. Sap. XII, 12 : *Quis dicet tibi : Quid fecisti ? aut quis stabit contra judicium tuum ?* Ad Rom, IX, 19 : *Voluntati ejus quis resistit ?* A prava affectione : quia nec odio, nec amore, nec pretio, nec prece poterit corrumpi. Prov. VI, 34 et 35 : *Zelus et furor viri non parcet in die vindictæ, nec acquiescet cujusquam precibus, nec suscipiet,* etc.

Secundum hanc litteram, « *libere* » descendit, a libertate. Augustinus autem in quodam sermone de *Passione Domini* exponit *libere,* id est, liberaliter, ut descendat a liberalitate : cum enim posset pro peccato primi hominis, totum hominem destruxisse, liberaliter ipsum morte propria liberavit : et cum posset de justitia damnare peccantem in infernum, sanat febrem immittendo, imo aliquando beneficia exhibendo.

« *Exaltare.* » Hic secundum, in quo 2
monstratur justus ordo in judicando, ad quem concurrunt tria quæ tanguntur hic. Primum auctoritas. Secundum, discussio meritorum, ibi, « *Qui judicas.* » Tertium, retributio debita, quod notatur cum dicit : « *Redde retributionem.* »

[1] Cf. Act. XII, 23 et seq.

[2] Cf. II Mach. IX, 7 et seq.

Conditiones judicis.

Ait enim : Sic Dominus justus est in judicando et propter hoc, Domine, « *exaltare* », id est, appare in illa auctoritate et altitudine, quam habes ad judicandum. In Psal. xx, 14, supra : *Exaltare, Domine, in virtute tua.* Isa. II, 11 : *Exaltabitur Dominus solus in die illa.* Solus enim habebit auctoritatem judidicandi, quæ judici, ut dictum est, est necessaria. Ad Rom. xiv, 4 : *Tu quis es, qui judicas alienum servum? Domino suo stat aut cadit.* « *Qui judicas terram,* » judicio discussionis, quod etiam necessarium est judici. Job, xxix, 16 : *Causam, quam nesciebam, diligentissime investigabam.* Et Paulus, I ad Corinth. iv, 5 : *Nolite ante tempus judicare.* Ante tempus judicat, qui ante discussionis judicium, definitionis judicium præcipitat, sicut fecit David concedendo servo Miphiboseth medietatem rerum suarum [1]. *Terram* autem hic appellat terrenos homines, qui judicabuntur : sed cœlestes, qui reliquerunt omnia propter Christum, ipsi judicabunt cum Christo. Matth. xix, 28 : *Amen dico vobis, quod vos qui reliquistis omnia,* etc. Cœli sunt, non terra. Supra, in Psal. xviii, 2 : *Cœli enarrant gloriam Dei.*

« *Redde.* » Ecce tertium. Quasi diceret : Sic ostende auctoritatem, et merita discute, et postmodum, « *redde retributionem superbis,* » non humiliter pœnitentibus, sed ex superbia contumacibus, et inflatis : quod et faciet. Isa. II, 12 : *Dies Domini exercituum super omnem superbum et excelsum, et super omnem arrogantem : et humiliabitur.* Psal. xxx, 24 : *Retribuet abundanter facientibus superbiam.* Et alibi, Psal. cxxii, 4 : *Opprobrium abundantibus, et despectio superbis.* Et hoc necessarium est post auctoritatem et discussionem. Deut. xvi, 20 : *Juste, quod justum est, persequeris.*

3 « *Usquequo peccatores.* » Hic tertium, in quo tangitur justa causa in judicio Christi, quia judicabit judicio damnationis eos, qui vere damnati erunt, scilicet peccatores, quorum culpam tangit in generali, primo conquerendo de dilatione judicii eorum. Secundo, specificando ipsam, ibi, « *Usquequo peccatores.* »

Vana peccatorum jactantia.

Dicit ergo : Redde superbis merita, et cito, quia o Domine, « *usquequo peccatores,* » durabunt in peccatis suis, et permittentur in illis? Job, xxi, 7 : *Quare impii vivunt, sublevari sunt, confortatique divitiis?* Et Jerem. xii, 1 : *Quare via impiorum prosperatur : bene est omnibus qui prævaricantur et inique agunt?*

« *Usquequo peccatores?* » Hic specificat illorum culpam, primo tangens malitiam cordis. Secundo, oris, ibi, « *Effabuntur.* » Tertio, operis, ibi, « *Omnes qui operantur.* »

Dicit ergo : Sic quamdiu durabunt peccatores generaliter, et « *usquequo peccatores gloriabuntur?* » superbiendo in cordibus suis specialiter. Psal. li, 3 : *Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate?* Et alibi, Psal. lxxiii, 4 : *Gloriati sunt qui oderunt te, in medio solemnitatis tuæ.* Hæc gloria cito transiens est, Isa. xl, 6 : *Omnis caro fœnum, et omnis gloria ejus, quasi flos agri.* Vilis, et fœtens Deo, et Angelis ejus, I Machab. ii, 62 et 63 : *A verbis viri peccatoris ne timueritis : quia gloria ejus stercus, et vermis est : hodie extollitur, et cras non invenietur.* Et tandem miseriam cumulans, Apocalyps. xviii, 7 : *Quantum glorificavit se, et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum.*

« *Effabuntur, et loquentur.* » Hic secundum, in quo tangitur culpa oris, quam vocat duplicem : superfluitatem, ibi, « *Effabuntur.* » Et perversitatem, ibi, « *Et loquentur iniquitatem.* » 4

[1] Cf. II Reg. ix, 1 et seq.

Ait enim : Sic « *gloriabuntur* » in corde, et etiam « *effabuntur,* » extra per abundantiam fabuntur. Matth. xii, 34 : *Ex abundantia cordis os loquitur.* Notatur in hoc arrogantia et jactantia. Jerem. xlviii, 29 : *Audivimus superbiam Moab... et arrogantiam, et sublimitatem cordis ejus.*

« *Et loquentur iniquitatem.* » Ecce malitia et perversitas. Isa. lix, 3 : *Labia vestra locuta sunt mendacium, et lingua vestra iniquitatem fatur.*

« *Omnes qui operantur.* » Hic tangitur peccatum operis. Primo, in generali. Secundo, specificantur mala eorum opera, ibi, « *Populum tuum.* »

Dicit ergo : Sic effabuntur et loquentur : loquentur, inquam, repetit secundum communem litteram, quod non habet vera littera Augustini, « *omnes qui operantur iniquitatem.* » Hic ergo tangitur culpa operis. In Psal. vi, 9 : *Discedite a me, omnes qui operamini iniquitatem.* Et Luc. xiii, 27 : *Discedite a me, omnes operarii iniquitatis, quia non novi vos.*

5 « *Populum tuum, Domine.* » Hic specificatur illorum culpa in opere. Et primo tangit peccatum quo peccant mali in sanctos, male eos vilificando, quod est contra honores. Secundo, eos depauperando, quod est contra divitias, ibi, « *Et hæreditatem.* » Tertio, occidendo contra delicias, et voluptates corporales, ibi, « *Viduam et advenam.* »

Dicit ergo : Sic quæro, quamdiu durabunt operantes iniquitatem ? Sed quam iniquitatem faciunt? Hanc utique, « *populum tuum, Domine, humiliaverunt,* » ipsum vilificando, conculcando. I ad Corinth. iv, 13 : *Tamquam purgamenta hujus mundi facti sumus.* Eccle. x, 7 : *Vidi servos in equis, et principes ambulantes quasi super terram servos.* Isa. xxix, 4 : *Humiliaberis, de terra loqueris, et de humo audietur eloquium tuum.*

« *Et hæreditatem tuam,* » fideles tuos qui in te credunt, et hæreditas tua sunt. Eccli. xxiv, 13 : *In Jacob inhabita, et in Israel hæreditare.* Isa. xix, 25 : *Hæreditas mea Israel.* « *Vexaverunt,* » spoliando, res proprias auferendo. Mich. iii, 3 : *Qui comederunt carnem populi mei, et pellem desuper excoriaverunt.* Isa. i, 7 : *Regionem vestram coram vobis alieni devorant.*

Nota etiam, quod charitas hic hæreditas Dei, id est, hæreditas a Deo data, potest dici. Primo, quia immobilis, sicut hæreditas, quantum est de se. I ad Corinth. xiii, 8 : *Charitas numquam excidit.* Item, homo pro hæreditate se exponit morti. Sic per charitatem antequam amittant ipsam, viri justi. III Reg. xxi, 3 et seq., Naboth prius voluit mori, quam amitteret hæreditatem. Ad Rom. viii, 38 : *Certus sum, quia neque mors, neque vita,... poterit nos separare a charitate Dei,* etc. Item, hæreditas pascit dominum suum. Sic charitas. Psal. xxxvi, 3 : *Et pasceris in divitiis ejus.* Hæc hæreditas in bonis non destruitur, sed vexatur, ut crescat. Gregorius : Quod flatus carboni, hoc tribulatio charitati. » Hæreditas Dei sumi potest pro charitate.

« *Viduam et advenam.* » Hic tertium, in quo tangitur perversa operatio contra proximum, occidendo : et dicuntur tria secundum tria genera miserabilium personarum. Primum genus est viduarum, quæ carent adjutorio mariti. Secundum, advenarum, qui carent adjutorio proximi et cogniti, ibi, « *Et advenam.* » Tertium, pupillorum, qui carent adjutorio patris proprii, ibi, « *Et pupillos.* » 6

Dicit ergo : Sic humiliant populum tuum, et sic spoliant, et etiam, quod deterius est, « *interfecerunt,* » ad litteram, « *viduam,* » auxilio mariti destitutam, « *et advenam,* » destitutum auxilio proximi et noti. Deuteron. xxiv, 17 : *Non pervertes judicium advenæ et pupilli.* Isa. i, 17 : *Judicate pupillo, defendite viduam.* Exod. xxii, 22 : *Viduæ et pupillo non nocebitis.* « *Et pupillos occiderunt,* »

quod crudelissimum est, ad litteram, vel eorum sustentationem auferendo, vel subtrahendo. Eccli. xxxiv, 25 : *Panis egentium, vita pauperum est : qui defraudat illum, homo sanguinis est.*

Viduam spiritualiter hic appellat animam a Christo sponso viduatam, de qua Job, xxiv, 21 : *Pavit sterilem, quæ non parit, et viduæ bene non fecit.* Advenam, non habentem hic mansionem, sed inquirentem, et tendentem ad æternam. Ad Hebr. xiii, 14 : *Non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus.* Pupillum, spiritum qui caret patre diabolo, et matre concupiscentia mala, de quibus Ezechiel. xvi, 3 : *Pater tuus*, diabolus scilicet, *Amorrhæus, et mater tua, Cethæa.* Tales opprimunt impii in hac vita, verbis et operibus malis.

7 Secunda pars Psalmi.

« *Et dixerunt : Non videbit Dominus.* » Hic secunda pars Psalmi, in qua agitur de scientia Christi judicis, qua redarguitur adversantium infidelium blasphemia. Secundo, redarguit illam, ibi, « *Intelligite, insipientes.* » Tertio, Judæis ostendit sapientiam, ibi, « *Qui plantavit.* »

In prima duo. Primo, tangitur eorum blasphemia, quantum ad exteriorem actum cognoscendi, ibi, « *Non videbit.* » Secundo, quantum ad interiorem discernendi, ibi, « *Nec intelliget.* »

Dicit ergo : Sic mala loquuntur, et iniquitem, « *et etiam dixerunt,* » contra Deum loquentes : « *Non videbit Dominus,* » mala quæ facimus. Eccli. xxvi, 25 et 26 : *Quis me videt ? Tenebræ circumdant me.... Delictorum meorum non memorabitur Altissimus.* Job, xxii, 13 : *Quid enim novit Deus ? et quasi per caliginem judicat.* Hoc est quod subjungitur : « *Nec intelliget Deus Jacob,* » luctatorum, Christianorum scilicet, ut discernat cognita vel visa : et hoc falsum est. Eccli. xxiii, 29 : *Domino enim Deo antequam crearentur, omnia sunt agnita : sic et post perfectum,* supple, sicut ante, *respicit omnia.* Ad Hebr. iv, 13 : *Omnia nuda et aperta sunt oculis ejus.* Talibus, qui latere se putant, dicitur, Isa. xxix, 15 : *Væ, qui profundi estis corde, ut a Deo abscondatis consilium.*

« *Intelligite, insipientes.* » Hic arguit eorum stultitiam. Et primo, quantum ad humana. Secundo, quantum ad divina, ibi, « *Et stulti.* » 8 Contra negantes divinam providentiam.

Ait enim : Sic dicunt miseri : qui estis « *in populo,* » de numero scilicet hominum, unde saltem humana ratione debetis uti, « *intelligite* » humana. Psal. xxxi, 9 : *Nolite fieri sicut equus et mulus, quibus non est intellectus.* Joan. iv. 16, dixit Dominus Samaritanæ : *Voca virum tuum,* Glossa, « intellectum tuum. »

« *Et stulti, aliquando sapite,* » hoc est, saporate, quæ vere saporata sunt, scilicet cœlestia, quæ non gustatis. Ad Coloss. iii, 2 : *Quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.* Hoc intelligite, hoc sapite, quoniam sicut in Job dicitur, xxiv, 23 : *Oculi ejus sunt in viis illius,* scilicet hominis. Et Proverb. xvi, 2 : *Omnes viæ hominis patent oculis ejus.*

« *Qui plantavit aurem.* » Hic probat divinam sapientiam judicis : et dicuntur duo. Primo, ostendit veritatem scientiæ in judice. Secundo, infert felicitatem ex eruditione, quæ est ab ipso, ibi, « *Beatus homo quem tu erudieris.* » 9

In prima duo. Primo, ostendit veritatem scientiæ judicis, quantum ad actus exteriores. Secundo, quantum ad interiores, ibi, « *Qui corripit gentes.* »

In prima duo. Primo, ostendit scientiam in judice quantum ad actum exteriorem quo discimus. Secundo, quantum ad actum quo discernimus, per nos ipsos, quod est videre, ibi, « *Aut qui finxit.* »

Dicit ergo : Insipientes intelligite, stulti sapite, quid ? Hoc : « *Qui plantavit aurem* » humanam in homine, « *non audiet ?* » Quasi dicat : Absurdum esset ip-

sum carere auditu, qui ipsum largitur aliis. Simile, Isa. LXVI, 9 : *Numquid ego, qui alios parere facio, ipse non pariam, dicit Dominus? si ego, qui generationem cæteris tribuo, sterilis ero, ait Dominus Deus?* Act. XVII, 25 : *Nec manibus humanis colitur, indigens aliquo.* In Psal. XV, 2 : *Bonorum meorum non eges.* Sapient. I, 10 : *Auris zeli audit omnia.*

« *Aut qui finxit,* » fingendo fecit, sicut figulus de luto, « *oculum, non considerat?* » non habet virtutem considerandi et discernendi res sicut oculi colores. Eccli. XXIII, 28 : *Oculi Domini multo plus lucidiores super solem, circumspicientes omnes vias hominum.*

In aure obedientia, in oculo sapientia.

Et nota, quod Dominus dicitur plantare aurem, et fingere oculum. In aure obedientia, quia quando dat obedientiam, ad hoc dat, ut semper augeat ipsam. Matth. XIII, 9 : *Qui habet aures audiendi, audiat.* Psal. XVII, 45 : *In auditu auris obedivit mihi.* In oculo sapientia, quem Deus fingit : quia qui sapiens est, se nihil esse sentit omnino. I ad Corinth. III, 18 : *Si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat*; annihiletur ut fictile, *ut sit sapiens.* Item, plantat aurem, qui injungit obedientiam, scilicet Prælatus. Qui ergo aliis injungit ut obediant, non audiet? Quasi diceret : Numquid obediet? Ita : ne dicatur ei illud Matth. XXIII, 4, Væ tibi Scriba, et Pharisæe : et cur? *Alligant enim onera gravia, et importabilia, et imponunt in humeros hominum : digito autum suo nolunt ea movere* [1]. Qui fingit oculum, alii vigilias, et diligentem sui injungit custodiam, non considerat? id est, considerare debet vigilando in sui propria custodia? Ita : ne ei dicatur illud Apostoli ad Roman. II, 21 : *Qui alium doces, teipsum non doces?*

10 « *Qui corripit.* » Hic secundum, in quo ostendit scientiam judicis, quantum ad actus interiores, qui sunt tres. Arguere, de quo primo : docere, de quo secundo, ibi, « *Qui docet hominem.* » Scire, de quo tertio, ibi, « *Dominus scit.* »

Dicit ergo : Sic non caret visu, non auditu : et etiam ille « *qui corripit gentes,* » miserias et pœnalitates infligendo pro peccato originali : vel qui corripit in præsenti frequenter pro culpis manifestis, Jerem. X, 24 : *Corripe me, Domine, verumtamen in judicio, et non in furore tuo.* Psal. XXVIII, 12 : *Propter iniquitatem corripuisti hominem* : « *Non arguet?* » Quasi diceret : Imo certe arguet. Isa. XI, 4 : *Et arguet in æquitate pro mansuetis terræ.* Arguet in præsenti, spiritum sapientiæ et scientiæ infundendo, Joan. XVI, 8 : *Cum venerit ille, arguet mundum de peccato, et de justitia, et de judicio.* Arguet tandem in judicio omnia manifestando, Psal. XLIX, 21 : *Arguam te, et statuam contra faciem tuam.*

« *Qui docet.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Et numquid docebit, « *qui docet hominem scientiam?* » Quasi diceret : Sic. Eccli. I, 1 : *Omnis sapientia a Domino Deo est.* Psal. CXVIII, 6 : *Bonitatem, et disciplinam, et scientiam doce me.* Job, XXXII, 8 : *Inspiratio Omnipotentis dat intelligentiam.* Joan. XVI, 13 : *Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Et posset esse thema in Pentecoste, quando missus est Spiritus sanctus, qui arguit et docet.

Deus multis modis arguit.

Et nota quod Dominus arguit, primo per culpæ ostensionem, Psal. XLIX, 21 : *Arguam te, et statuam contra faciem tuam.* Secundo, per conscientiæ remorsionem, Jerem. II, 19 : *Arguet te malitia tua,* id est, mala conscientia tua : *et aversio tua increpabit te,* id est, conscientia a Deo aversa. Per Spiritus sancti inspirationem, Joan. XVI, 8 : *Cum venerit ille, arguet mundum de peccato.* Per Prælatorum correctionem, juxta illud Apostoli, II ad Timoth. IV, 2 : *Argue, obsecra, increpa.* Per

[1] Cf. Luc. XI, 46.

disceptationes in judicio, Isa. II, 4 : *Arguet populos multos.* Et in cap. XI, 4 : *Arguet in æquitate pro mansuetis terræ.* Judas in canon. ℣℣. 14 et 15 : *Ecce venit Dominus... arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum.*

11 « *Dominus scit cogitationes.* » Hic tertium quod pertinet ad tertium interiorem actum, scilicet scire. Primo, ergo ostendit quod habet scientiam cogitationum hominum. Secundo, quid sciat de illis, ibi, « *Quoniam vanæ.* »

Ait ergo : Sic arguit, et sic docet, et potest, quoniam « *Dominus scit cogitationes hominum.* » Eccli. XLII, 20 : *Non præterit illum omnis cogitatus.* Job, XXIV, 23 : *Oculi ejus sunt in viis illius,* scilicet hominis, hoc est, in omnibus operibus, tam interioribus quam exterioribus. Et quid scit de illis ? « *Quoniam vanæ sunt.* » Job, XI, 11 : *Ipse novit hominum vanitatem.* Eccle. I, 2 : *Vanitas vanitatum, dixit Ecclesiastes : vanitas vanitatum, et omnia vanitas.*

12 « *Beatus homo quem tu erudieris.* » Hic secundum, in quo ostendit post probatam judicis sapientiam, eorum, qui ab eo docti fuerint, felicitatem : in quo dicuntur duo. Primo, tangitur in generali felicitas. Secundo, subditur in speciali, in quo, ibi, « *Ut mitiges.* »

In prima, primo tangitur eruditorum felicitas. Secundo, erudiendi diversitas vel docendi, ibi, « *Quem tu erudieris, Domine.* »

Est enim duplex modus. Per flagella, quem tangit primo. Per legis suæ verba, quem secundo, ibi, « *Et de lege.* »

Beatus qui per flagella a Deo eruditur, et per legem docetur.

Dicit ergo : Sic omnia scit usque ad hominum cogitata : et propter hoc « *beatus homo,* » hic jam beatitudine spei, postmodum beatitudine rei, « *quem tu erudieris, Domine,* » id est, extra ruditatem posueris. Psal. II, 10 : *Erudimini,* extra ruditatem ponamini, *qui judicatis terram.* Et hoc flagello tribulationis, quasi martello. Jer. VI, 8 : Per omne flagellum erudieris Israel [1]. Et per ignem charitatis. Thren. I, 13 : *De excelso misit ignem in ossibus meis,* id est, charitatem, *et erudivit me.* « *Et de lege :* » supple, et beatus est, si « *de lege tua docueris eum,* » id est, per legis tuæ verba, implens in eo illud Isa. LIV, 13 : *Ponam universos filios tuos doctos a Domino.* Joan. VI, 45 : *Erunt omnes docibiles Dei.*

Lex Dei, charitas.

Beati ergo, qui tamquam parvuli persecutionibus erudiuntur. Matth. V, 10 : *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam.* Et beati, qui de lege tua docentur, id est, de charitate Dei, quæ vera est lex ejus. Job, XI, 5 et 6 : *Utinam Deus loqueretur tecum, et aperiret labia sua tibi. Ut ostenderet tibi... quod multiplex esset lex ejus.* Hanc docet discipulos suos. Quos ? illos qui reliquerunt omnia propter se. Luc. XIV, 33 : *Omnis ex vobis, qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Propter hoc dicitur, Osee, II, 14 : *Ducam eam in solitudinem, et loquar ad cor ejus.* Propter hoc dicitur, Prov. I, 8 : *Audi, fili mi, disciplinam patris tui, et ne dimittas legem matris tuæ.*

« *Ut mitiges ei.* » Hic secundum, in quo tangitur utilitas in speciali : et tangitur triplex. Primo, mitigatio doloris in tribulatione. Secundo, conservatio in ipsa mitigatione, ibi, « *Quia non repellet Dominus.* » Tertio, remuneratio post tribulationes in æterna vita, ibi, « *Quoadusque.* » 13

Mitigatio tangitur in duobus. In lenitate, ibi, « *Mitiges.* » In brevitate, ibi, « *Donec fodiatur.* »

[1] Jerem. VI, 8 : *Erudire Jerusalem, ne forte recedat anima mea a te, ne forte ponam te desertam terram inhabitabilem,* etc.

Ait enim : Sic Domine, beatus quem tu erudieris : ad hoc, inquam, « *ut mitiges ei,* » id est, mitigationem facias, « *a diebus malis,* » diebus, inquam, tribulationis. Supra, in Psal. LXXXIV, 4 : *Mitigasti omnem iram tuam.* Et alibi, Psal. LXXXVIII, 10 : *Motum autem fluctuum ejus tu mitigas.* Dies autem dicit *malos* propter malitiam pœnæ, quæ in eis est, Supra, in Psal. LX, 2 : *In die mala liberabit eum Dominus.* Matth. VI, 34 : *Sufficit diei malitia sua.* Ad Ephes. V, 6 : *Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt.* Et hoc « *donec,* » id est, quamdiu « *fovea fodiatur peccatori,* » id est, quamdiu peccator delectatus fuerit : peccatoris enim delectatio, foveæ est fossio. Isa. XXIV, 17 : *Formido,* timor scilicet adversitatis, *et fovea,* delectatio vitæ præsentis, *et laqueus,* scilicet impœnitentia finalis, *super te, qui habitator es terræ.* Psal. VII, 16 : *Lacum aperuit, et effodit eum.* Et hoc erit cito : parum enim poterit durare præsens delectatio. Psal. XXXVI, 2 : *Tamquam fœnum velociter arescent : et quemadmodum olera herbarum cito decident.*

Deus multipliciter adversa mitigat.

Et nota, quod Dominus tribulationes mitiget, consolationem interius immittendo, Psal. XCIII, 19 : *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ,* etc. Eccli. XXXVIII, 7 : *Unguentarius faciet pigmenta suavitatis, et unctiones conficiet sanitatis,* quæ liniunt. Exempla sanctorum ante oculos ponendo, Gregorius : « Si facta patrum « priorum recolamus, gravia non erunt « quæ sustinemus. Jerem. XXXVIII, 11, Funes ejus pannis veteribus fuerunt involuti [1]. Christi passionem recolendo, Exod. XV, 25, Moyses posuit lignum in aquis Mara, et dulcoratæ sunt. Eccli. XXXVIII, 5 : *Nonne a ligno indulcata est aqua amara ?* Haustum modicum supernæ dulcedinis in tribulatione tribuendo, Eccli. XLIII, 24 : *Ros obvians ab ardore venienti humilem efficiet eum.* Gregorius : « Gustato spiritu, desipit « omnis caro, et omnis carnalis quies. » Præmium ante oculos cordis adducendo, II ad Cor. IV, 17 : *Id enim, quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Gregorius : « Consideratio præmii « minuit vim flagelli. »

« *Quia non repellet.* » Hic secun- 14
dum, scilicet consolatio in tribulatione : et tanguntur duo. Primo, consolatio. Secundo, consolationis continuatio, ibi, « *Et hæreditatem.* »

Dicit ergo : Quem erudieris ut mitiges, est vere beatus : « *quia Dominus non repellet plebem suam,* » a sua consolatione, quin consoletur eam. Ad Roman. XI, 1 : *Nunquid Deus repulit populum suum ?* Quasi diceret : Non. Imo magis visitat eum tribulatum. Luc. VII, 16 : *Visitavit Dominus plebem suam.* Contra : Supra, in Psal. LIX, 3 : *Deus, repulisti nos.* Responsio. Non repellit nos ab utilibus, sed a nocivis, a divitiis scilicet, et deliciis, sicut pia mater puerum ab aqua et igne.

« *Et hæreditatem suam.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic non repellet a sua consolatione, « *et* etiam *hæreditatem suam non derelinquet,* » quin se continuet in consolatione. Matth. XXVIII, 20 : *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi.* Psal. XXXVI, 25 : *Non vidi justum derelictum,* etc. Et infra, ℣. 28 : *Non dereliquet sanctos suos : in æternum conservabuntur.* Ad Hebr. XIII, 5 : *Non te deseram, neque derelinquam* [2].

[1] Jerem. XXXVIII, 11 : *Abdemelech... tulit veteres pannos, et antiqua quæ computruerant, et submisit ea ad Jeremiam in lacum per funiculos.*

[2] Cf. Josue, I, 5 : *Sicut fui cum Moyse, ita ero tecum: non dimittam,nec derelinquam te.*

15 « *Quoadusque justitia.* » Hic tertium, scilicet remuneratio gloriosa, quia judices fient in judicio extremo : et dicuntur tria. Primo, tangitur dicta remuneratio. Secundo, supponitur quæstio orta ex dicto, ibi, « *Et qui.* » Tertio, additur statim responsio, ibi, « *Omnes.* »

Justitia convertetur in judicium quando discipuli Christi cum ipso judicabunt.

Ait ergo : Sic cum ipsis est eos consolando, nec derelinquit eos, « *quoadusque,* » inclusivum est, non quia deserat eos tunc, « *justitia,* » ipsi scilicet, qui modo justi sunt, « *convertatur in judicium,* » id est, fiant judices cum Christo, quod erit in extremo judicio, quando veraciter eruditi a Deo, et ejus veri discipuli judicabunt cum illo, secundum illud Matth. XIX, 28 : *Amen dico vobis, quod vos, qui secuti estis me*, etc. Job, XXXVI, 6 : *Et judicium pauperibus tribuit.* Luc. XI, 19 : *Ideo ipsi judices vestri erunt.*

« *Et qui habent.* » Hic quæstio. Quasi diceret : Sic justitia, quam habent modo aliqui, in judicium convertenda. « *Et qui juxta illam,* » id est, qui appropinquant ad illam justitiam. Alia littera : « Et qui habent illam. » Vere pauci habent illam veram. Isa. LXIV, 6 : *Quasi pannus menstruatæ universæ justitiæ nostræ.* Et respondet : « *Omnes qui recti sunt corde,* » appropinquant isti justitiæ. Et hinc videtur, quod solum recti sunt corde, qui omnia relinquunt propter Christum. Sed dicunt : Verum est, et hoc est dupliciter : omnia suppeditando, quod faciunt boni sæculares : vel abjiciendo, quod faciunt boni claustrales. Sed certe hic loquitur de illis, qui judicaturi sunt, quales sunt illi, qui omnia non tantum suppeditant, sed abjiciunt. Tamen advertendum, quod prudenter quærit, « *Qui juxta illam,* » quia juxta illam sunt etiam boni sæculares, qui recto sunt corde, etsi non sicut in illa sicut claustrales. Cant. I, 3 : *Recti diligunt te.* Recti autem sunt, qui volunt quod ipse vult, et dicunt illud Matth. XXVI, 39 : *Non sicut ego volo, sed sicut tu.*

« *Quis consurget.* » Hic tertia pars Psalmi. Cum enim in parte præcedenti egerit de judicis potestate, et postmodum de judicis veritate, agit hic tertio de ejusdem judicis bonitate : et dicuntur duo. Primo, commendatur Dei bonitas a misericordia, qua liberat oppressos a malignis. Secundo, a justitia, qua punit malignos opprimentes, ibi, « *Numquid adhæret ?* » **16**

Tertia pars Psalmi.

In prima duo. Primo, introducit justum conquerentem de tribulatione, quam inferunt impii in Deum, et in ipsum. Secundo, subjungit ejusdem justi responsionem, Dei misericordiam confitentis, ibi, « *Nisi quia Dominus.* »

In prima duo. Primo, conquestio de defectu auxilii contra malos, interiori voluntate. Secundo, contra malos, exteriori opere, ibi, « *Aut quis stabit ?* »

Dicit ergo : Sic potenter, et prudenter Deus regit omnia, quod multi non æstimant, sed magis contrarium, propter quod dico : « *Quis consurget mihi ?* » id est, pro me, et ad utilitatem mei, « *adversus malignantes,* » in interiori voluntate ? Job, XXXI, 35 : *Quis mihi tribuat adjutorem*[1] *?* In Psal. CXLI, 5 : *Considerabam ad dexteram, et videbam, et non erat qui cognosceret me.*

« *Aut quis stabit,* » ut me adjuvet, « *adversus operantes iniquitatem ?* » Ecce aperte malitia in opere, quos odit in hoc quod mali sunt, justus, sicut et Deus. Luc. XIII, 27 : *Discedite a me, omnes operarii iniquitatis.* Et qui non est secum, ad tales destruendos, contra se est. Matth. XII, 30 : *Qui non est mecum, contra me est.*

Contra tales autem, et ex parte Christi, deberent esse Prælati, ut destrue-

[1] Vulg. habet, Job, XXXI, 35 : *Quis mihi tribuat auditorem, ut desiderium meum audiat omnipotens*, qui fere idem est sensus.

rent malitiam, et in bono confortarent. Sed Bernardus dicit : « Quem dabis « mihi de Prælatis, qui non magis in- « vigilet marsupiis evacuandis, quam « moribus informandis? » Ezechiel. xiii, 5 : *Non ascendistis ex adverso*, malorum : *neque opposuistis*, vos scilicet, *murum pro domo Israel*. Ad Philip. ii, 21 : *Omnes quæ sua sunt quærunt, non quæ Jesu Christi.*

17 « *Nisi quia Dominus.* » Hic secundum, scilicet responsio confitentis divinam misericordiam, et auxilium : et dicuntur tria. Primo, confitetur se adjutum contra malum tentationis ad peccatum, vel pœnæ gehennalis. Secundo, contra malum culpæ actualis, ibi, « *Si dicebam.* » Tertio, contra malum pœnæ temporalis, ibi, « *Secundum multitudinem.* »

Dicit ergo : Sic quæro adjutorium, sed si humano careo, non tamen divino, quia « *nisi*, etc. » Vel sic : Conqueror de adjutorio meo : nec mirum, quia « *anima mea habitasset in inferno*, » ad litteram : vel, « *in inferno*, » in consensu scilicet in peccatum, quod est habitare in inferno per causam, « *nisi*, » supple, obstitisset, « *quia Dominus adjuvit me.* » Deut. xxxiii, 7 : *Dominus adjutor illius*. Et rursus in eodem, ℣. 26 : *Ascensor cœli auxiliator tuus*. Psal. cxvii, 6 : *Dominus mihi adjutor : non timebo quid faciat mihi homo.*

18 « *Si dicebam : Motus est pes meus.* » Hic secundum. Liberatio a malo culpæ.

Ait enim : Sic adjuvit in tentatione : et etiam, o Domine, « *misericordia tua adjuvabit me.* » Thren. iii, 22 : *Misericordiæ Domini quia non sumus consumpti*. Et hoc si dicebam, confitendo ex corde, « *motus est pes meus*, » ex statu gratiæ in statum culpæ. Supra, in Psal. lxv, 8 et 9 : *Benedicite, gentes, Deum nostrum,... qui non dedit in commotionem pedes meos.* Commotio autem pedum, in malum sonat. Jerem. xiv, 10 : *Hæc dicit Dominus populo huic, qui dilexit movere pedes suos, et non quievit, et Domino non placuit.* Tamen si hoc dicit confitendo, qui sic commotus fuerit, liberatur. Psal. xxxi, 5 : *Dixi : Confitebor adversum me*, etc. Isa. xliii, 26 : *Narra, si quid habes*, scilicet malitiæ, et culpæ, *ut justificeris*. Sic confitens et sperans, procul dubio adjuvaberis. Psal. xxvii, 7 : *In ipso speravit cor meum, et adjutus sum.*

« *Secundum multitudinem.* » Hic est tertium, quasi liberatio a malo temporalis pœnæ. Satis enim bene liberatur, qui in ipso malo a Deo consolatur. 19

Dicit ergo : Sic liberatus sum a malo tentationis, et a malo culpæ actualis : et etiam « *consolationes tuæ lætificaverunt animam meam :* » et hoc « *secundum multitudinem dolorum*, » supple, existentium, « *in corde meo.* » II ad Corinth. i, 5 : *Sicut abundant passiones Christi in nobis : ita et per Christum abundat consolatio nostra.* Ibid. ℣. 7 : *Sicut socii passionum estis, sic eritis et consolationis.* Et maxime si in corde est dolor de peccatis, indubitanter sequitur et consolatio. Isa. li. 3 : *Consolabitur Dominus Sion, et consolabitur omnes ruinas ejus*. Tob. iii, 22 : *Post tempestatem tranquillum facis : et post lamentationem et fletum, exsultationem infundis.*

Et nota hic, quod tribulatio est animæ cibus, sed amarus valde, et insipidus, nisi salsa aliqua condiatur. Job, vi, 6 : *Numquid... poterit comedi insulsum*, quod non est sale conditum? Non, nisi salsa apponatur. Nota ergo, quod Sancti primum ferculum doloris habent de incolatu præsentis miseriæ : sed ecce salsa, Matth. xxviii, 20 : *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi.* Secun- Secundum dolores Deus consolatoria præstat remedia.

dum doloris ferculum, de dilatione patriæ : sed ecce salsa statim, Apoc. xxii, 12 : *Ecce venio cito, et merces mea mecum est.* Tertium est dolor pro defectu compunctionis, Judic. i, 15 : *Terram arentem dedisti mihi*, etc. Salsa statim, Isa. xliv, 3 : *Effundam aquas super sitientiem, et fluenta super aridam.* Quartum, pro infestatione malorum hominum, Ezech. ii, 6 : *Increduli, et subversores sunt tecum, et cum scorpionibus habitas.* Ecce salsa : *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam* [1]. Quintum, dolor pro impetitione dæmonum, Luc. xxii, 31, 32 : *Simon, Simon, ecce satanas expetivit vos ut cribraret*, etc. sed statim salsa : *Ego autem rogavi pro te*, etc. Sextum, dolor de carnis contrarietate, Ad Galat. v, 17 : *Caro concupiscit adversus spiritum*, etc. Ad Roman. vii, 24 : *Infelix ego homo, quis me liberabit ?* etc. : sed salsa, Cantic. ii, 3 : *Sub umbra illius, quem desideraveram, sedi*, ut sit mihi in refrigerium ab ardore concupiscentiæ. Ultimum et septimum, de malorum prosperitate, Job, xxi, 7 : *Quare impii vivunt, sublevati sunt ?* etc. Jer. xii, 1 : *Quare via impiorum prosperatur ?* Salsa, in Psal. xxxvi, 35 : *Vidi impium superexaltatum, et elevatum sicut cedros Libani : et transivi, et ecce non erat.*

20 « *Numquid adhæret ?* » Hic secundum tertiæ partis totius Psalmi, in quo ostendit lenitatem divinam in reproborum damnatione : et hoc facit quæstiones ponendo, et quæstionibus illis respondendo : et secundum hoc dicuntur duo. Primo, quærit. Secundo responsionem subjungit ad quæsita, ibi, « *Et factus est.* »

In prima duo. Primo, quæstio quasi dubitatoria. Secundo, ratio illius conquestionis duplex. Prima : quia sanctos præcipit miserias sustinere, ibi, « *Qui fingis.* » Secunda : quia malos permittit justos affligere, ibi, « *Captabunt.* »

Dicit ergo : Sic, Domine, misericors es, me a prædictis miseriis liberando : sed, o Domine, « *numquid sedes iniquitatis,* » id est, iniquus aliquis judex, numquid jungetur tibi, tamquam iniquitatis amator sis ? De tali sede, Apocal. ii, 13 : *Scio ubi habitas, ubi sedes est satanæ.* Sed tu non ibi habitare potes, Domine, nec malum aliquod tecum esse potest. II ad Cor. vi, 14 : *Quæ participatio justitiæ cum iniquitate ? Aut quæ societas luci ad tenebras ?* Nulla. Imo, *Innocentes et recti adhæserunt mihi* [2].

« *Qui fingis.* » Hic ratio quæstionis et conquestionis quasi duplex. Prima, quia justos præcipit laborare. Secunda, quia malos permittit affligere illos, ibi, « *Captabunt.* »

Dicit ergo : Sic quæro, si tibi jungitur iniquus, « *qui,* » id est, quia tu « *fingis laborem,* » id est, facis de labore aliquid « *in præcepto,* » ipsis sanctis et justis. Quasi dicat : Laborare eos præcipis, et miseriam sustinere. Ezech. ix, 6 : *A sanctuario meo incipite.* I Petr. iv, 17 : *Tempus est, ut incipiat judicium a domo Dei.* Multo ergo magis fingis illud in præcepto malis : oportet enim eos sustinere labores, ex quo boni sustinent illos. I Petr. iv, 17 : *Si enim primum a nobis : quis finis eorum qui non credunt Dei Evangelio ?*

Et nota, quod Dominus laborem præcipit, II ad Timoth. ii, 3 : *Labora sicut bonus miles Christi Jesu.* Sed fingis, quia molle, et quasi fictile reddis in præcepto charitatis, quod adjungis, quæ omnia mollia et suavia reddit. Propter quod dicitur, Matth. xi, 30 : *Jugum meum suave est.* Et illud Bernardi : « Amanti omnia sunt facilia. »

[1] Matth. v, 10.

[2] Psal. xxix, 21.

21 « *Captabunt in animam.* » Hic ratio secunda, quia permittit bonos a malis affligi, et hoc dupliciter. Primo, in anima. Secundo, in corpore ibi, « *Et sanguinem.* »

Ait enim ; Sic sanctos laborare præcipis : et etiam impii « *captabunt in animam justi,* » ut si possint ad peccatum trahant ipsam, vel calumniam imponant. Sapient. II, 12 : *Circumveniamus justum, quoniam contrarius est operibus nostris.* Osee, V, 11 : *Calumniam patiens est Ephraim.* « *Et* » si non possint in animam, « *sanguinem innocentem condemnabunt,* » in judicio falso. Exemplum de Susanna [1], de Naboth [2], et de Uria [3].

Hic justus potest appellari Christus, de quo Jerem. XXXIII, 16 : *Et hoc est nomen, quod vocabunt eum, Dominus justus noster.* Impii ergo captant, id est, capere tentant divitias, delicias, et honores : et hoc « *in animam,* » id est, contra animam « *justi,* » id est, Christi : et per hoc sanguinem innocentem condemnant, quia peccato illorum, qui illum occiderunt, participant : quia propter hæc destruenda, et ut non appeterentur, vitam dedit Christus. Jer. XII, 7 : *Dedi dilectam animam meam in manu inimicorum ejus.* Ad Hebr. VI, 6 : *Rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei : et ostentui habentes.*

Judicium diversimode iniquum. Et nota, quod sanguis innocens in judicio condemnatur : Primo, cum homo a non suo judice judicatur, Ad Rom. XIV, 4 : *Tu quis es, qui judicas alienum servum?* Quando a suo sine testibus judicatur, quando judex vult esse judex et testis, Job, XIII, 8 : *Numquid faciem ejus accipitis, et pro Deo,* id est, loco Dei, *judicare nitimini?* cujus solius est esse judicem et testem. Jerem. XXIX, 23 : *Ego sum judex, et testis, dicit Dominus.* Quando sub uno tantum condemnantur, Deuter. XIX, 15 : *Non stabit unus testis contra aliquem,..... sed in ore duorum vel trium testium stabit omne verbum* [4]. Quando sine deliberatione et testium examinatione sententia profertur, Job, XXIX, 16 : *Causam, quam nesciebam, diligentissime investigabam.* Ob hoc datur lex de perscrutando falso teste [5]. Quando fortiora testimonia non admittuntur, ut quando non creditur monachis, et sacerdotibus, contra mercatores, et meretrices, Psal. XXVI, 12 : *Insurrexerunt in me testes iniqui,* etc.

22 « *Et factus est Dominus.* » Hic secundum, in quo respondet ipse justi prædictis quæstionibus. Et primo, quare justos præcipit laborare. Secundo, quare malos permittit sanctos affligere, ibi, « *Et reddet.* »

In prima duo secundum duo quæ assignantur pro ratione. Primo, ut Deus se exhibeat refugium justis a malo. Secundo, ut exhibeat se adjutorium in malo, ibi, « *Et Deus meus.* »

Dicit ergo : Sic sanctos præcipit laborare. Quare? « *Et,* » id est, quia, dicit ipsa Glossa, « *factus est,* » mihi laboranti et afflicto, « *Dominus in refugium.* » Supra, in Psal. LXXXIX, 1 : *Domine, refugium factus es nobis.* Prov. XVIII, 10 : *Turris fortissima nomen Domini : ad ipsum currit justus, et salvabitur.* « *Et Deus meus,* » factus est, « *spei meæ,* » id est, mihi speranti, « *in adjutorium.* » Supra, in Psal. VII, 11 : *Justum adjutorium meum a Domino.* Et alibi, Psal. XXVII, 7 : *In ipso speravit cor meum, et adjutus sum.* Adjuvat Dominus spem, firmans ipsam, ne degeneret in præsumptionem, per timorem. Sap. XVII, 11 : Timor est præsumptionis, id est, spei, adjutorium [6].

[1] Cf. Daniel. XIII.
[2] Cf. III Reg. XXI, 1 et seq.
[3] Cf. II Reg. XI, 2 et seq.
[4] Cf. Matth. XVIII, 16.
[5] Deuter. XIX, 16 et seq. : *Si steterit testis mendax,* etc.
[6] Vulg. habet, Sapient. XVII, 11 : *Nihil est timor nisi proditio cogitationis auxiliorum.*

23 « *Et reddet illis.* » Hic respondet secundæ quæstioni, quare bonos sinit affligi a malis, quia alibi proponit malos affligere : et hoc dupliciter. Pœna sensibili, quam tangit primo : et pœna privativa, quam tangit secundo, ibi, « *Et in malitia.* »

Ait ergo : Sic dixi, quod mirum est, quod bonos a malis affligi Deus patitur, sed video, quod non pro nihilo : « *et,* » id est, quia « *reddet illis,* » scilicet impiis, « *iniquitatem ipsorum,* » id est, pœnam pro iniquitate ipsorum. Joel, III, 4 : *Cito velociter reddam vicissitudinem.* Thren. III, 64 : *Reddes eis vicem, Domine, juxta opera manuum suarum.* Jerem. LI, 6 : *Tempus ultionis est a Domino,* tempus scilicet judicii : *vicissitudinem ipse retribuet ei.*

« *Et disperdet.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic affliget : « et *Dominus Deus noster disperdet illos,* » a suo regno separans et dividens, perdet : et hoc, « *in malitia,* » id est, propter malitiam ipsorum. Matth. XXV, 41 : *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum.* Luc. XII, 46 : *Dividet eum, partemque ejus cum infidelibus ponet.* Vel, « *disperdet,* » in diversis partibus perdet, scilicet in anima et corpore. Jerem. XVII, 18 : *Duplici contritione contere eos,* Domine Deus noster. A qua dispersione nobis caveat, qui est benedictus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS XCIV.

Invitatio ad Dei cultum, et ad gratiæ bonum usum.

Laus Cantici ipsi David.

1. Venite, exsultemus Domino : jubilemus Deo salutari nostro :
2. Præoccupemus faciem ejus in confessione, et in psalmis jubilemus ei :
3. Quoniam Deus magnus Dominus, et rex magnus super omnes deos :
4. Quia in manu ejus sunt omnes fines terræ, et altitudines montium ipsius sunt :
5. Quoniam ipsius est mare, et ipse fecit illud, et siccam manus ejus formaverunt.
6. Venite adoremus et procidamus, et ploremus ante Dominum qui fecit nos :
7. Quia ipse est Dominus Deus noster, et nos populus pascuæ ejus, et oves manus ejus.
8. Hodie si vocem ejus audieritis [1], nolite obdurare corda vestra
9. Sicut in irritatione, secundum diem tentationis in deserto, ubi tentaverunt me patres vestri, probaverunt me, et viderunt opera mea.
10. Quadraginta annis offensus fui generationi illi [2] : et dixi : Semper hi errant corde.
11. Et isti non cognoverunt vias meas : ut juravi in ira mea : Si introibunt in requiem meam [3].

[1] Ad Hebr. III, 7, et IV, 7.
[2] Num. XIV, 34.
[3] Ad Hebr. IV, 3.

IN PSALMUM XCIV

COMMENTARIUS.

1 « *Laus cantici ipsi David*[1]. »

« *Venite, exsultemus.*» Hic est Psalmus nonagesimus quartus, in quo postquam in antecedentibus ostendit multiplicem utilitatem consecutam, et in Christo et in Ecclesia ex Christi passione, monet ad lætitiam et exsultationem assecutos præcedentia bona vel in spe vel in re, ad fletum non assecutos, promittens, si noluerint converti, pœnam æternam.

Psalmus monet populum Judaicum ut ad fidem Christi convertatur, et ejus passionis fructus jam commemoratos assequatur.

Et ad primam partem Psalmi respicit titulus, qui talis est : « *Laus cantici ipsi David.* » Et est sensus : « *Laus* » ista quæ est in subjecto Psalmo, vel ad quam invitat in subjecto Psalmo, est « *cantici,* » id est, lætitiæ et exsultationis. Psal. CL, 4 : *Laudate eum in tympano et cho-*

[1] Sans titre en hébreu, dit M. l'abbé Lesêtre, ce psaume est attribué à David par les Septante. Il l'aurait composé, suivant Théodoret, en revêtant prophétiquement la personne du pieux roi Josias, qui restaura le culte du Seigneur ; suivant Patrizi pour le transport de l'arche de Gabaa à la maison d'Obédédom. Rien dans le texte ne confirme ces hypothèses. Le psaume paraît avoir un caractère purement liturgique ; l'idée du ℣. 3 est répétée dans trois psaumes suivants, XCV, 4 ; XCVI, 9 ; CXXXVII, 5, ce qui porte à supposer que ces quatre chants ont le même auteur, et sont inspirés par une même préoccupation ; de plus, la place qu'occupe le psaume ne semble guère favorable à l'idée de sa composition par David. Mais S. Paul semble l'attribuer formellement à ce saint roi, quand il cite le ℣. 8 en disant : *Sicut dicit Spiritus sanctus... in David dicendo :* ἐν Δαβὶδ λέγων (ad Hebr. III, 7 ; IV, 7), et Thalhofer ne croit pas qu'on puisse décliner cette interprétation, et dire que l'Apôtre a voulu simplement indiquer le psautier par le nom de l'auteur auquel il est couramment attribué. Ce sentiment nous paraît beaucoup trop rigoureux ; nous savons que les écrivains du Nouveau Testament se donnaient une assez grande latitude dans leurs citations ; S. Mathieu, par exemple (XXVII, 9), cite sous le nom de Jérémie un texte de Zacharie. Il n'est donc pas interdit de penser que S. Paul n'a aucunement prétendu désigner scientifiquement l'auteur du psaume qu'il cite ; aussi le texte de l'épître aux Hébreux, dit D. Calmet, « ad minime tenuit catholicos interpretes, quin verum psalmi auctorem veramque illius scribendi occasionem quærerent. »

Le psaume se divise en deux parties très distinctes, l'une eucharistique, invitant à louer Dieu, l'autre parénétique, prémunissant contre l'abus de la grâce divine.

La synagogue avait inséré ce psaume dans la liturgie du Sabbat. « Depuis les premiers siècles, l'Eglise catholique commence son office en le chantant. Et quelles raisons profondes elle a de faire ainsi ! L'Eglise tient comme le milieu entre Dieu et la nature ; elle est par rapport aux autres créatures le cœur qui aime et la bouche qui prie Dieu, de même que par l'Eglise tout être trouve en Dieu le salut et la perfection. » Loch. Le *Venite exsultemus* qui exprime un double sentiment, de joie, à la pensée de louer le Seigneur, et de crainte, de peur d'abuser de sa grâce, remplit ainsi au début de l'office le même rôle que le *Judica me*, au commencement du saint sacrifice. « Il conserve pour l'Eglise chrétienne sa parfaite signification ; car vis-à-vis du second avènement du Seigneur, dont nous ne connaissons ni l'époque ni l'heure, et qui doit nous surprendre, nous sommes dans le même rapport que le peuple de l'Ancien Testament vis-à-vis du premier. » Ainsi s'exprimait Hengstenberg ; ne pourrions-nous pas poursuivre avec lui : « Le psaume a même une signification particulière pour notre temps, où tant de choses donnent à penser que nous sommes à la veille d'une grande catastrophe, et que nous allons à grands pas au-devant de l'apparition du Seigneur ; à nos oreilles retentit avec un éclat singulier : Aujourd'hui, si vous entendez sa voix ! »

La Vulgate a fourni le texte du psautier gallican ; le bréviaire, à l'office de l'Epiphanie, suit aussi ce texte, mais à l'Invitatoire, il garde celui de l'ancien psautier romain, dont la traduction est plus imparfaite. On a conservé cet ancien texte non seulement

ro. Et est « *ipsi David*, » supple, cantanda.

Dividitur autem Psalmus in tres partes, secundum illa quæ vidit Ezechiel scripta : *Lamentationes, et carnem, et væ*[1]. In prima enim invitat ad exsultationem : ecce carmen. In secunda, ad fletum : ecce lamentationes, ibi, « *Venite adoremus.* » Tertio, comminatur nolentibus exsultare et flere, æternam miseriam : ecce væ, ibi, « *Hodie si vocem.* »

In prima duo. Primo, invitatio ad exsultationem et lætitiam. Secundo, persuasio, quod acquiescendum sit invitationi, ibi, « *Quoniam Deus magnus.* »

In prima quatuor. Primo, invitat ad lætitiam. Secundo, ad lætitiæ vehementiam, ibi, « *Jubilemus Deo.* » Tertio, ne sit dissoluta lætitia, ad humilem confessionem, ibi, « *Præoccupemus faciem.* » Quarto, ne sit infructuosa ad lætam exteriorem operationem, ibi, *Et in Psalmis.* »

Prima pars Psalmi.

Dicit ergo : Hæc bona quæ promisi vobis, sunt a passione Christi, et ipse, quia regnat venturus judex. Ergo « *venite*, » per veram fidem. II ad Corinth. v, 7 : *Per fidem ambulamus, et non per speciem.* Isa. II, 3 : *Venite, ascendamus ad montem Domini.* Matth. XI, 28 : *Venite ad me omnes qui laboratis*, etc. Venite ad corda vestra, qui extra recessistis per curiositates, et vana desideria. Isa. XLVI, 8 : *Redite prævaricatores ad cor.* Venite, colligite cor, unde affectiones et desideria. Eccli. XXX, 24 : *Congrega cor tuum in sanctitate :* fugit enim, et longe recessit a me. Isa. XXIX, 13 : *Cor autem ejus longe est a me.*

« *Exsultemus* » mente, et hoc, in « *Domino*, » non in mundo, sicut Abraham. Joan. VIII, 56 : *Abraham pater vester exsultavit ut videret diem meum: vidit*, etc. Cantic. I, 3 : *Exsultabimus, et lætabimur in te.* Ad Philip. IV, 4 : *Gaudete in Domino semper*, etc.

« *Jubilemus Deo.* » Jubilatio est vehemens exsultatio. Isa. XLIV, 23 : *Jubilate*, scilicet Deo, *extrema terræ* : « *Deo*, » inquam, « *salutari nostro*, » illi per quem tot bona recepimus, quot sunt superius præmissa. Hic enim est vere salutaris. Isa. XXV, 9 : *Exsultabimus, et lætabimur in salutari ejus.* Et in Psal. XIX, 6 : *Lætabimur in salutari tuo.*

Trinitas exprimitur per appropriata

Et notatur in hoc Psalmo tota Trinitas per appropriata. In *Domino*, quod sonat potentiam, persona Patris. In *Deo*, quod interpretatur *videns*, sapientia, persona Filii. In *salutari*, quod est ex bonitate, bonitas quæ competit Spiritui sancto.

« *Præoccupemus faciem.* » Hic tertium. Quasi diceret : Sic lætemur, et vehementer : sed quia parum valeret sine humilitate, « *faciem ejus*, » venturi ad judicium, « *præoccupemus*, » id est, præveniamus in confessione nostrorum peccatorum. Eccli. XVIII, 19 et 20 : *Ante judicium para justitiam tibi:... interroga teipsum, et in conspectu Dei invenies propitiationem.* Tunc enim, quando facies apparebit, tarde erit, quia Eccli. XVII, 26, dicitur : *A mortuo quasi nihil, perit confessio.* Jam enim præcessisset accusator diabolus, de quo Apocal. XII, 10 : *Projectus est accusator fratrum.* Hæc autem facies ita terribilis erit, quod nullus posset bene tunc confiteri. Apoc. VI, 16 : *Abscondite nos a facie sedentis super thronum.* Vultus erit satis horribilis. In Psal. XXXIII, 17 : *Vultus autem Domini super facientes mala.* 2

tatoire, mais dans beaucoup d'endroits du missel où l'on eût trouvé trop d'inconvénients à substituer la révision de S. Jérôme.

[1] Ezech. II, 9 : *Et vidi, et ecce manus missa ad me, in qua erat involutus liber : et expandit illum coram me, qui erat scriptus intus et foris : et scriptæ erant in eo lamentationes, et carmen, et væ.*

« *Et in Psalmis.* » Ecce quartum. Quasi diceret : Et quia iterum non valet nec exsultatio, nec confessio sine opere bono, subdo : « *Et jubilemus :* » ita tamen, quod « *in Psalmis,* » id est, in operibus bonis. Psalmus enim, sicut superius dictum fuit, dicitur a ψάλλειν, quod est, *tangere*, per quod bona operatio designatur. Jungenda autem sunt bona operatio, et mentis exsultatio. Eccli. xxxv, 11 : *In omni dato, hilarem fac vultum tuum.* II ad Corinth. ix, 7 : *Hilarem datorem diligit Deus.*

3 « *Quoniam Deus magnus Dominus.* » Hic secundum, in quo subjungitur causa et ratio exsultandi in ipso, modo dicto : et assignatur pro causa, potentia, sapientia, et bonitas divina : et secundum hæc tria dicuntur. Primo, assignat pro causa divinæ potentiæ magnitudinem. Secundo, divinæ sapientiæ excellentiam, ibi, « *Quia in manu ejus.* » Tertio, divinæ bonitatis evidentiam, ibi, « *Quoniam ipsius.* »

In prima duo. Primo, ostenditur potestatis quantitas, quia magna. Secundo, universalitas, quia nullus extra dominum potestatis ejus, ibi, « *Quoniam non repellet Dominus.* »

In prima duo. Primo, potestatis magnitudo. Secundo, excellentia in magnitudine et dignitate, ibi, « *Et Rex magnus.* »

Dicit ergo : Sic exsultate in Deo, et debetis, « *quoniam Deus* » ipse est « *Dominus magnus.* » In Psal. xlvii, 2, supra : *Magnus Dominus, et laudabilis nimis.* II Paral. ii, 5 : *Magnus Deus noster super omnes deos.* « *Et Rex magnus,* » non tantum absolute, sed « *super omnes deos* » Gentilium, scilicet dæmones, quibus principatur. In Psal. xcv, 5 : *Omnes dii Gentium dæmonia.* Vel magis *deos* appellat homines etiam sanctos, qui adoptione sunt dii, secundum illud Psal. lxxxi, 6 et 7 : *Ego dixi : Dii estis, et filii Excelsi omnes. Vos autem*, etc. : sed super omnes hos est. Apocal. i, 5 : *Princeps regum terræ.* Et xix, 16 : *Rex regum, et Dominus dominantium.*

« *Quia non repellet.* » Ecce tertium. Quasi diceret : Sic psallendum, quoniam tam excellentis est potestatis, et etiam, « *quia Dominus non repellet,* » extra limites suæ potentiæ excludendo plebem suam. Ad Roman. xi, 1 : *Numquid repulit Dominus populum suum? Absit.* Nec alius auferre potest a sua potestate. Et nota, quod non repellet Dominus ad se venientem, de infidelitate scilicet conversum ad fidem, Joan. vi, 37 : *Et eum, qui venit ad me, non ejiciam foras.* Nec orantem, nec quærentem, nec pulsantem, Luc. xi, 9 et 10, de his tribus : *Petite, et dabitur vobis : quærite, et invenietis : pulsate, et aperietur vobis. Omnis enim qui petit, accipit : et qui quærit, invenit : et pulsanti aperietur.*

Deus venientem ad se non repellit.

« *Quia in manu.* » Hic secundum, in 4
quo probat lætandum in eo, propter dictam ejus sapientiæ excellentiam : et dicuntur duo. Primo, quod per sapientiam infima regit omnia. Secundo, quod per eamdem contemplatur omnia suprema, ibi, « *Et altitudines montium.* »

Omnia divinæ providentiæ subjecta.

Dicit ergo : Sic lætandum in eo, quia totum potest, et etiam « *quia omnes fines terræ,* » multo fortius ergo media, « *sunt in manu ejus,* » in ordinatione scilicet ejus, et regimine. Deut. xxxii, 39 : *Non est qui de manu mea possit eruere* [1]. Sapient. iii, 1 : *Justorum animæ in manu Dei sunt.* Et xvi, 15 : *Tuam manum effugere impossibile est.* Terra etiam est omnis homo. Genes. iii, 19 : *Pulvis es, et in pulverem reverteris.* « *Fines terræ,* » qui vivunt in extrema terrenitate, qui

[1] Job, x, 7 : *Et scias quia nihil impium fecerim, cum sit nemo qui de manu tua possit eruere.*

etiam regnum Dei non evadunt. « *Et altitudines montium,* » ipsa scilicet sublimia, « *ipsius sunt,* » ad regendum. Hoc patet per aliam litteram, quæ habet : « Ipse conspicit. » Alibi, Psal. CXXXVII, 6 : *Quoniam excelsus Dominus, et humilia respicit : et alta a longe cognoscit.*

5 « *Quoniam ipsius est mare.* » Hic tertium, in quo allegat ad exsultandum in Deo, bonitatis ejus evidentiam. Primo, comparatione ejus ad impios, quos convertit. Secundo, ad bonos, et jam conversos, quos jam fructificare facit, ibi, « *Et siccam.* »

In prima duo. Primo, ostendit ipsius misericordiam ad impios. Secundo, effectum misericordiæ per conversionem illorum, ibi, « *Et ipse fecit.* »

Ait ergo : Sic prædictis rationibus in Deo exsultate. Quia tam potens est, et tam sapiens : et etiam « *quoniam ipsius est mare,* » id est, peccatores et impii, qui sunt mare, ab ejus misericordia comprimuntur a multis iniquitatibus et peccatis. Isa. LVII, 20 : *Impii quasi mare fervens, quod quiescere non potest.* Sed hos reprimit et continet. Job, XXVI, 12 : *In fortitudine illius repente maria congregata sunt.* Et XXXVIII, 8 *et seq.* : *Quis conclusit ostiis mare, quando erumpebat quasi de vulva procedens ?... et posui vectem et ostia*, etc.

« *Et ipse fecit illud,* » mare scilicet, per misericordiam suam convertendo ad se, ut jam non esset mare, sed aqua dulcis. Prov. XII, 7 : *Verte impios, et non erunt.*

« *Et siccam,* » id est, mentem stabilem et solidam, qualis est mens justa, « *manus ejus formaverunt,* » imbrem gratiæ infundendo ad fructificandum. Tunc enim bene est mens formata sicut terra, quando producit opera bona in fide virentia. Genes. I, 10 : *Vocavit Deus aridam, terram,* mentem scilicet stabilem, et solidam. Sed hanc informat, Isa. XLIII, 21 : *Populum istum formavi mihi, laudem meam narrabit.* Talem terram habebat, qui dicebat, Josue, XV, 19 : *Terram australem et arentem dedisti mihi :* et formam petebat, cum dicebat : *Junge et irriguam*[1]. Talem, qui dicebat in Psal. CXLII, 6 : *Anima mea, sicut terra sine aqua tibi.* Sed formatam habebat, et bene irrigatam, cum dicebat : *Lavabo per singulas noctes lectum*, etc.

6 « *Venite adoremus.* » Hic secunda pars totius Psalmi, in qua invitat ad lamentationem. Et dicuntur duo. Primo, invitatio. Secundo, persuasio ut acquiescant, per rationes, ibi, « *Quia ipse est Dominus Deus noster.* » *Secunda pars Psalmi.*

In prima quatuor. Primo, monet approximare fide, quod respicit cor. Secundo, adorare confessione divinitatis, quod respicit os, ibi, « *Adoremus.* » Tertio, procidere, et se humiliare, quod respicit totum corpus, ibi, « *Et procidamus.* » Quarto, cum lacrymis orare, quod ad oculos pertinet. Et sic ad totum pertinet, cor, os, et corpus ibi, « *Ploremus ante Dominum.* » *Sanctæ orationis forma tribuitur.*

Dicit ergo : « *Venite,* » passibus fidei, sicut supra. Vel melius, quia loquitur jam conversis, « *venite,* » de virtute in virtutem ambulando. Psal. LXXXIII, 8 : *Ibunt de virtute in virtutem.* Joan. III, 21 : *Qui facit veritatem, venit ad lucem.* « *Adoremus,* » divinitatis confessione. Apoc. V, 14 : *Adoraverunt viventem in sæcula sæculorum.* « *Et procidamus,* » strato toto corpore per humilitatem, sicut reges, Matth. II, 11 : *Et procidentes adoraverunt eum.* « *Ante Dominum,* » ad litteram. Et spiritualiter, « *ante Dominum,* » intentione, ut ipsi soli propter hoc intendamus placere : non ante homines, ut illorum quæramus favores.

[1] Verba Axæ filiæ Caleb ad patrem. Cf. Judic. I, 15.

Matth. vi, 1 : *Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis.*

« *Ploremus ante Dominum qui fecit nos,* » continue, et die scilicet et nocte, sicut ille qui dicebat, Jerem. ix, 1 : *Quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrymarum? Et plorabo die ac nocte interfectos populi mei?* Thren. i, 2 : *Plorans ploravit in nocte, et lacrymæ ejus in maxillis ejus.* Et in eodem, ii, 18 : *Deduc quasi torrentem lacrymas, per diem et noctem.*

7 « *Quia ipse est Dominus.* » Hic persuadet a quatuor. Primo, quia nos fecit, hoc est, a beneficio creationis, ibi, « *Quia ipse est Dominus.* Secundo, a beneficio gubernationis, ibi, « *Deus.* » Tertio, a beneficio redemptionis, ibi, « *Noster.* » Quarto, a beneficio nutritionis, et provisionis, ibi, « *Et nos populus.* »

Quadruplex causa, quare Dominus debeat adorari.

Dicit ergo : Sic adoremus, et procidamus, et ploremus ei, « *quia ipse est Dominus,* » creatione : « *Deus,* » omnium nostrorum limpidissima cognitione : « *noster,* » redemptione. Josue, xxiv, 18 : *Serviemus Domino, quia ipse est Deus noster.*

« *Et nos populus.* » Hic a beneficio provisionis et nutritionis allegat, et suadet. Et primo, a nutrione. Secundo, a diligentia in illa, ibi, « *Et oves.* »

Ait enim : Sic serviamus, quia Dominus Deus noster, et nos etiam « *populus pascuæ ejus.* » Supra, in Psal. xxii, 2 : *In loco pascuæ, ibi me collocavit.* Ezech. xxxiv, 14 : *In pascuis uberrimis pascam eas.*

« *Et oves manus ejus,* » id est regiminis ejus, sicut oves pastoris, qui valde diligens est in ovibus servandis. Genes. xxxi, 40 : *Die noctuque æstu urebar, et gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis.* Luc. ii, 8 : *Pastores erant in regione eadem vigilantes, et custodientes vigilias noctis super gregem suum.* Imo quod plus est, Joan. x, 11 : *Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis.* Bernardus : « Nos populus tuus, et oves « pascuæ tuæ, sequimur te per te ad te, « quia via es, veritas, et vita [1]. Via in « exemplo, veritas in promisso, vita in « præmio.

« *Hodie si vocem.* » Hic tertia pars Psalmi, in qua minatur pœnam, si non exsultaverint in Deo, et fleverint. Dicuntur ergo duo. Primo, monet ut ab obduratione cordis caveant, sed obediant promissis. Secundo, subjungit pœnam, si cavere negligant, ibi, « *Sicut in irritatione.* » 8

Tertia pars Psalmi.

Dicit ergo : Sic monui, et sic dixi, quod oves ejus sumus. Ergo « *si audieritis hodie,* » tempore scilicet gratiæ, quod est vera dies. Ad Rom. xiii, 12 : *Nox præcessit, dies autem appropinquavit.* « *Vocem ejus.* » Evangelii scilicet prædicationem, quod est ejus vox, et de ore ejus exivit. Matth. v, 2 et 3 : *Aperiens os suum docebat eos, dicens : Beati pauperes spiritu,* etc. Propter hoc dicebat in Evangelio Lucæ, x, 16 : *Qui vos audit, me audit.* Et Paulus, II ad Cor. xiii, 3 : *An experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Christus?* « *Nolite obdurare corda vestra,* » quin acquiescatis. Ad Hebr. iii, 13 : *Non obduretur quis ex vobis fallacia peccati.* In hoc enim poterit aperte discerni, si estis de ovibus ejus. Joan. x, 27 : *Oves meæ vocem meam audiunt.* Sed de capris diaboli dicitur, Job, xli, 15 : *Cor ejus indurabitur tamquam lapis, et stringetur quasi malleatoris incus.* Et vere induratum est cor, quod non audit, et emollitur ad verbum Dei, quia ignis est et malleus, qui emolliunt ipsum ferrum. Jerem. xxiii, 29 : *Numquid non verba mea sunt quasi ignis, dicit Domi-*

Multorum corda lapidea, et sabulo comparanda.

[1] Joan. xiv, 6 : *Ego sum via, et veritas, et vita.*

nus, et quasi malleus conterens petram? Pluvia est et ros, quæ terram densissimam solent emollire. Deut. xxxii, 2 : *Concrescat ut pluvia doctrina mea, fluat ut ros eloquium meum.* Sed non emolliuntur multi, imo magis indurantur, sicut cor illius, qui intra aquam durescit, ut lapides, et terra sabulosa, quæ quanto magis compluitur, tanto magis indurescit. De talibus conqueritur, Prov. i, 24 : *Vocavi, et renuistis.*

9 « *Sicut in irritatione.* » Hic facta perhibitione de culpa, subjungitur de pœna, si non acquieverint. Pœna, inquam, tali, quali eorum patres inobedientes puniti sunt in deserto : unde dicuntur duo hic. Primo, tangit antecedentium patrum culpam. Secundo, pœnam, ut eorum exemplo terreantur. Ibi est secundum, « *Quadraginta annis.* »

In prima tangitur primo culpa in generali. Secundo, locus culpæ, et tempus, ibi, « *Secundum diem.* » Tertio, specificatur culpa, ibi, « *Ubi tentaverunt.* » Et quarto, aggravatur, ibi, « *Probaverunt, et viderunt.* »

Dicit ergo : Sic monui, ut non obduretis corda vestra sicut factum est a patribus vestris in irrititione. Jerem. xxxii, 29 : *Libabant diis alienis libamina, ad irritandum me.* Sed contra, I ad Cor. xiii, 5 : *Charitas non irritatur.* Et I Joan. iv, 8 : *Deus charitas est.* Respondeo : Non dicitur hoc quod in Deum cadat motus irritationis, sed quia ab eo exit effectus, quasi esset irritatus, sicut in ira accidit, et furore.

« *Secundum diem,* » hoc est, in die « *tentationis,* » ecce tempus, « *in deserto,* » supple, factæ, ecce locus : frequenter enim irritaverunt eum in deserto. Num. xiv, 22 : *Tentaverunt me jam per decem vices,* dicentes : *Numquid poterit Deus parare mensam in deserto* [1] *?* Tentati enim de gula, statim succumbebant tentantes Deum. Luc. viii, 13 : *Ad tempus credunt, et in tempore tentationis recedunt.*

« *Ubi tentaverunt me patres vestri.* » Hic specificat irritationem, quia ipsa fuit tentatio : et aggravat : « *Probaverunt,* » sensibus suis communiter : « *et viderunt,* » ipso visu specialiter, « *opera mea.* » Deut. v, 24 : *Probavimus hodie, quod loquente Deo cum homine, vixerit homo.* Supra, in Psal. lxxvii, 12 : *Coram patribus eorum fecit mirabilia in terra Ægypti.* Et alibi, Psal. cvi, 24 : *Ipsi viderunt opera Dei, et mirabilia ejus in profundo.* Num. xiv, 22 : *Viderunt majestatem meam, et signa quæ feci in Ægypto et in solitudine.*

« *Quadraginta annis.* » Hic subjungitur de pœna patrum sic obdurantium et irritantium, et ordine quo fuit inflicta : et dicuntur quinque. Primo, Dei indignatio ad sic obstinatos. Secundo, nihilominus, peccantium redargutio per prædicatores suos, ibi, « *Et dixi.* » Tertio, illorum obstinatio in malo, ibi, « *Ipsi vero non cognoverunt.* » Quarto, firma ordinatio de puniendis illis, ibi, « *Quibus juravi.* » Quinto et ultimo, determinatio pœnæ, qua sunt puniendi, ibi, « *Si introibunt.* » 10

Dicit ergo : Sic irritaverunt me tentando tamquam obdurari : et propter hoc « *fui offensus illi generationi,* » effectum aliquem ostendens offensi, « *quadraginta annis,* » deducens illos per desertum circumeundo. Num. xxxii, 13 : *Iratus Dominus adversum Israel, circumduxit eum per desertum quadraginta annis.*

« *Et dixi.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic fui offensus, et tamen « *dixi* » eis per prophetas et prædicatores meos, Moysen, Josue, et alios : « *Semper hi errant corde,* » voluntarie, quod

[1] Psal. lxxvii, 19. Cf. Ibidem, ℣. 20.

multum aggravat peccatum. Thren. IV, 14 : *Erraverunt cæci in plateis.* Et libenter, Psal. XXXV, 4 : *Noluit intelligere, ut bene ageret.* Errat enim aliquis homo ex pura ignorantia, non affectans illam, nec est tanta culpa, sicut illi de quibus Isa. XIX, 14 : *Errare fecerunt Ægyptum in omni opere suo, sicut errat ebrius et vomens.*

Qui maxime Deum irritant ? Et nota, quod irritant aliqui Deum in claustro, sicut gulosi, qui semper timent mori fame. Psal. LXXVII, 18 : *Tentaverunt Deum in cordibus suis : ut peterent escas animabus suis.* Irritant ipsum et provocant ipsum homines hypocritæ et astuti. Job, XXXVI, 13 : *Simulatores et callidi provocant iram Dei.*

11 « *Et isti non cognoverunt.* » Hic tertium, ipsorum scilicet obstinatio.

Ait enim : Sic ipsis dixi. *Dixi*, feci ut corrigerentur : « *et isti non cognoverunt*, id est, cognoscere noluerunt, « *vias meas.* » Isa. I, 3 : *Israel me non cognovit, et populus meus non intellexit.* Et Jerem. VIII, 7 : *Populus meus non cognovit judicium Domini.* Propter hoc dicitur, Isa. V, 13 : *Propterea captivus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam.*

« *Quibus juravi.* » Hic quartum, scilicet firma ordinatio de puniendis illis. Ait enim : « *Quibus juravi,* » id est, firmiter statui, « *in ira mea,* » id est, sicut irati solent firmiter statuere per juramenta.

« *Si introibunt.* » Ecce quintum. Quasi diceret : Sic firmiter statui. Quid ? « *Si introibunt in requiem meam,* » numquam mihi de cætero credatur. Est ibi apenthesis. Vel « *si,* » pro non, « *Si introibunt,* » id est, non introibunt, id est, non intrabunt « *in requiem meam,* » illam scilicet terram materialem ad requiescendum illis præparatam. Num. XIV, 23 : *Non videbunt terram, pro qua juravi patribus eorum.* Quasi diceret : Nec illi qui fuerint obdurati tempore gratiæ, introibunt in illam requiem, per istam designatam, quam desiderabat David, in Psal. CXXXI, 14 : *Hæc requies mea in sæculum sæculi, hic habitabo,* etc. Ibi enim solummodo est vera et certa requies. Isa. XXXII, 18 : *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, et in tabernaculis fiduciæ, et in requie opulenta.* Propter hoc dicit Sapiens, Eccli. XXIV, 11 : *In omnibus requiem quæsivi, et in hæreditate Domini morabor*, tamquam ibi solummodo inveniens illam. Et Paulus, ad Hebr. IV, 11 : *Festinemus ingredi in illam requiem*, ad quam perveniamus ipso adjuvante, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS XCV.

Ad laudandum Deum omnes invitantur.

1. *Canticum ipsi David, Quando domus ædificabatur post captivitatem.*
Cantate Domino canticum novum, cantate Domino omnis terra.
2. Cantate Domino, et benedicite nomini ejus. Annuntiate de die in diem salutare ejus.
3. Annuntiate inter gentes gloriam ejus, in omnibus populis mirabilia ejus.
4. Quoniam magnus Dominus, et

laudabilis nimis : terribilis est super omnes deos :

5. Quoniam omnes dii gentium dæmonia : Dominus autem cœlos fecit.

6. Confessio et pulchritudo in conspectu ejus : sanctimonia et magnificentia in sanctificatione ejus.

7. Afferte Domino, patriæ gentium : afferte Domine gloriam et honorem :

8. Afferte Domino gloriam nomini ejus.

Tollite hostias, et introite in atria ejus :

9. Adorate Dominum in atrio sancto ejus.

Commoveatur a facie ejus universa terra :

10. Dicite in gentibus, quia Dominus regnavit.

Etenim correxit orbem terræ, qui non commovebitur : judicabit populos in æquitate.

11. Lætentur cœli, et exsultet terra : commoveatur mare et plenitudo ejus :

12. Gaudebunt campi, et omnia quæ in eis sunt.

Tunc exsultabunt omnia ligna silvarum

13. A facie Domini, quia venit, quoniam venit judicare terram.

Judicabit orbem terræ in æquitate, et populos in veritate sua.

IN PSALMUM XCV

COMMENTARIUS.

1 *Canticum ipsi David, quando domus ædificabatur post captivitatem* [1].

« *Cantate Domino.* » Hic est Psalmus nonagesimus quintus, in quo postquam invitavit ad fidem Christi, et lætitiam in ipso populum Judæorum, quia Ecclesia ex duplici populo substituenda erat, Judaico scilicet et Gentili (dicit enim Paulus ad Roman. I, 16, prædicationem Evangelii virtutem Dei esse, *Judæo primum, et Græco* [1], id est, Gentili postmodum), in hoc Psalmo subjungitur Gentium invitatio ad fidem, et lætitiam in Christo, exuto veteri homine, id est, antiqua idolorum con- **Argumentum Psalmi: Agitur de utroque adventu Christi.**

[1] Les Septante intitulent ce psaume : « Cantique de David, quand la maison était construite après la captivité. » La première partie de ce titre trouve sa justification au premier livre des Paralipomènes, XVI, 23-33. Quand David eut transféré l'arche dans le tabernacle qu'il avait disposé à Jérusalem, « en ce jour il préposa Asaph et ses frères aux louanges à adresser au Seigneur. » Ibid. 7. Après ces paroles commence immédiatement dans le texte historique un assez long cantique que le psautier reproduit, mais qu'il divise en plusieurs autres ; notre psaume occupe à peu près la seconde moitié du chant primitif. Le psaume après avoir servi à l'inauguration du tabernacle, était naturellement indiqué pour être employé dans les circonstances analogues ; il n'est donc pas étonnant qu'il ait été chanté au moment où les captifs, revenus de Babylone, reconstruisaient leur nouveau temple et restauraient le culte de Jéhova. La seconde partie du titre grec mérite donc créance autant que la première. Restent quelques difficultés de détail que la plupart des commentateurs protestants élèvent à la hauteur d'objections insolubles. Les idées exprimées par le psaume, disent-ils, sont étrangères aux préoccupations connues de David ; le psalmiste royal célèbre surtout la religion nationale et particulariste de Jéhova, Dieu d'Israel ; ici c'est l'univers tout entier qui est appelé à rendre hommage au Seigneur, et cette idée *catholique*, caractéristique des propheties d'Isaïe, et de celles qui suivent la captivité, est bien postérieure à David. Il est donc à croire que l'auteur des Paralimopènes, Esdras selon la plus commune opinion, a tout simplement inséré dans l'histoire de David des chants postérieures à la

suetudine, secundum illud Apostoli ad Ephes. IV, 21 et seq. : *Est veritas in Jesu deponere vos... veterem hominem qui corrumpitur secundum desideria erroris... Et induite novum hominem qui secundum Deum creatus est* [2]. Nec sic fecit mentionem de primo adventu Christi, quin etiam more Scripturæ supponat et adjungat de secundo : non enim vult in eum credi tantum tamquam in redemptorem, sed etiam eum timeri ut judicem, secundum illud Psal. LXXXV, 1 : *Lætetur cor meum, ut timeat nomen tuum*. Et sic est secundus iste Psalmus illorum, in quibus agitur de primo adventu. Primus est, *Deus deorum Dominus locutus est* [3].

Quia autem ex fide in Christum redemptorem et judicem ædificatur Ecclesia tota, et in bono perseverat, et in requie, præponitur titulus : « *Canticum ipsi David, quando ædificabatur domus post captivitatem.* » Alludit autem hic titulus illi figurali ædificationi domus Domini, a Zorobabel, et Jesu filio Salathiel, post reversionem de Babylonica servitu-

captivité, qu'il jugeait propres à donner à son récit plus de vie et de couleur locale, à peu près comme les historiens latins mettent leurs propres amplifications dans la bouche de leurs héros. Le psaume serait donc des temps voisins de la captivité, soit sous Ezéchias, soit sous Zorobabel. — Pour présenter les choses de cette manière, il faut se donner vis-à-vis du texte sacré une assez grande liberté. Si nous n'avions en face de nous que le titre grec, nous pourrions le sacrifier sans difficulté ; mais nous ne pouvons traiter de même sorte le texte des Paralipomènes, duquel il ressort au moins que le psaume est contemporain de David, car il n'est point affirmé que le roi lui-même l'ait composé. La grande raison qu'on met en avant pour ne point tenir compte de l'historien sacré, c'est que les idées exprimées par le psaume sont étrangères à David. Personne n'ignore que le saint roi, ayant à affermir le culte national, considère ordinairement Jéhova comme le Dieu spécial d'Israël, et ne convoque à son sanctuaire que les douze tribus ; tel est son langage dans la plupart des psaumes. Mais tout en étant le grand poète et le grand liturgiste de la nation, il est aussi prophète, et à ce titre, il voit se dérouler devant ses yeux les horizons messianiques, il entrevoit le règne universel de Jéhova par son Christ, et alors son chant prend un caractère *catholique*. On ne peut donc prétendre que les idées exprimées par le psaume XCV lui soient étrangères ; sans doute, il n'a point mission de les publier avec autant d'éclat et autant d'insistance qu'Isaïe, mais dans ses psaumes prophétiques, il les formule nettement. Cf. II, 8 ; XXI, 28 : LXVII, 31-33, etc. Le transfert de l'arche à Jérusalem était une occasion toute naturelle de célébrer le règne futur de Jéhova par son Messie. Nous avons droit de conclure avec Rosenmüler : « Non videtur repudianda esse traditio quæ conservata est in græca versione, adhibitum fuisse hunc psalmum in dedicatione templi secundi post reditum ex babylonico exsilio, ὅτε ὁ οἶκος ᾠκοδομεῖτο μετὰ τὴν αἰχμαλωσίαν. Recte quoque ibidem additur : ᾠδὴ τῷ Δαυὶδ. Quippe David vere auctor ejus dicitur, cujus verba sunt omnia, ut ex laudato Chronicorum loco constat. Præsules vero Judæorum reducum ex babylonico exsilio quædam in iis consilio suo accommodate immutarunt. »

Par sa teneur même, ce psaume est messianique ; à l'invitation que David adresse à tous les peuples il ne sera répondu qu'à l'avènement du Messie. C'est, comme dit Hengstenberg, « un chant de mission ; » les apôtres pourront le chanter aux nations quand ils auront entendu eux-mêmes l'*euntes docete*. Le retour de la captivité était bien choisi pour le répéter, car ce retour était le symbole de la rédemption, « gentium vocationem inducit quæ post solutionem spiritualis illorum captivitatis facta est, » S. Athan., et la construction du temple était la figure de l'établissement de l'Eglise. Titelman (ap. Beelen) résume ainsi les vues des Pères sur ce psaume : « Nihil dubium videtur quin hunc psalmum propheta componens, illam tunc venturam, jam vero factam, humani generis per Christum liberationem in spiritu prævideri, de qua totum hoc tam jucundum, tam gaudio plenum cecinit exhortatorium canticum. Æque non dubium quin gentium futuram conversionem, Spiritu monstrante, præcognoverit. « Cf. S. August. de Civit. Dei, VIII, 24.

H. Lesêtre.

[1] Ad Roman. I, 16 : *Virtus Dei est in salutem omni credenti, Judæo primum, et Græco.*

[2] Cf. ad Coloss. III, 9 et 10 : *Exspoliantes veterem hominem cum actibus suis, et induentes novum, eum qui renovatur in agnitionem*, etc.

[3] Psal. XLIX, 1.

te [1]. Magis autem intelligitur de spirituali ædificatione Ecclesiæ quæ facta est Gentibus ad fidem confluentibus, secundum illud Isa. II, 3 et 4 : *Erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, et elevabitur super colles, et fluent ad eum omnes Gentes. Et ibunt populi multi, et dicent : Venite, et ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Jacob.* Sensus ergo tituli hic est : « *Canticum* » subjectum, qui est « *David,* » a David scilicet editus, est de his, quæ facienda erant, « *quando ædificabatur domus Domini,* » id est, Ecclesia. Isa. LVI, 7 : *Domus mea, domus orationis vocabitur cunctis populis* [2]. « *Post captivitatem* » diaboli, sub quo captiva Gentilitas tenebatur, quia Joan. VIII, 34 : *Qui facit peccatum, servus est peccati.* Sed liberata est per Filium Dei. In eodem, ℣. 36 : *Si ergo vos filius liberaverit, vere liberi eritis.*

Dividitur autem Psalmus secundum quod jam tactum est, in duas partes principaliter. In prima agitur de invitatione Gentium ad fidem adventus primi. Secundo, secundi, ibi, « *Commoveatur a facie ejus.* »

In prima duo. Primo, quidem, omnes monet ad Dei laudem universaliter. Secundo, Prælatos ad prædicationem fidei de primo adventu Christi specialiter, et subditos ad obedientiam, ibi, « *Annuntiate de die.*

In prima duo. Cum enim duplex sit natura in Christo, invitat primo ad laudem divinitatis plenissime, scilicet trium personarum. Secundo, ad laudem humanitatis, ibi, « *Et benedicite nomine ejus.* »

In prima tria secundum tres personas ad quarum laudem invitat. Primo, invitat ad laudandum Patrem. Secundo Filium, ibi, « *Cantate Domino omnis terra.* » Tertio, Spiritum sanctum, ibi, « *Cantate Domino.* »

Prima pars Psalmi.

Dicit ergo : Sic vos, Judæi, venite ad exsultandum in Domino, et coram ipso plorandum. Et vos Gentiles, « *cantate Domino,* » Deo Patri. Judic. V, 3 : *Ego sum, ego sum quæ Domino canam.* Isa. XII, 5 : *Cantate Domino, quoniam magnifice fecit.* Sed quid canemus ? « *Canticum novum.* »

Triplex innovatio.

Nota, quod canticum novum cantat, qui exuto veteri homine, et per gratiam innovatus, exsultat. Hoc autem fit tripliciter. Prima enim innovatio fit per baptismum, in quo submersis Ægyptiis, et filiis Israel liberatis, et per aquam innovatis, cantandum est illud Canticum, Exod. XV, 1 : *Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est.* Secunda est per pœnitentiam, de qua in Psal. CII, 5 : *Renovabitur, ut aquilæ, juventus tua.* Et ad Ephes. IV, 23 : *Renovamini spiritu mentis vestræ.* Sic renovatis cantandum est canticum Judith, in cap. XVI, quod interpretatur *confitens.* Tunc cantavit canticum hoc Judith Domino, dicens : *Incipite Domino in tympanis.* Tertia vero innovatio, erit tandem per glorificationem, Apocal. XXI, 5 : *Ecce nova facio omnia.* Et tunc cantabitur illud Apoc. XIV, 3 : *Cantabant quasi canticum novum ante sedem Dei et Agni.*

Canticum veteris hominis, non est recte dicendum canticum novum, nec etiam canticum, sed grunnitus porcorum super escas, quamvis ipsis non videatur. Amos, VI, 5 et 6 : *Qui canitis ad vocem Psalterii, sicut David putaverunt se habere vasa cantici. Bibentes vinum in phialis et optimo unguento delibuti : et nihil patiebantur super contritione Joseph.* Hinnitus equorum in fœminas. Jerem. V, 8 : *Equi amatores,* scilicet in fœminas, *et emissarii facti sunt.*

[1] Cf. I Paralip. XV, 23-33 ; Agg. I, 1 et II, 3 ; Zach. III, 9.

[2] Cf. Matth. XXI, 13.

Unusquisque ad uxorem proximi sui hinniebat.

Justum est ut canticum novum cantetur ei qui se novum fecit hominem.

« *Cantate.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic cantate Deo Patri, canticum novum : et etiam o vos, « *omnis terra,* » idem canticum « *cantate Domino,* id est, Filio : justum enim est, ut cantetur ipsi, qui se novum fecit hominem, canticum novum. Jerem. xxxi, 22 : *Creavit Dominus novum super terram : Fœmina circumdabit virum.* Qui novum dedit charitatis mandatum. Joan. xiii, 34 : *Mandatum novum do vobis : ut diligatis invicem.* Qui ipsum cor, quo sibi vult cantari facit novum. Psal. ciii, 30 : *Renovabis faciem terræ.* Ezech. xxxvi, 26 : *Dabo vobis cor novum, et spiritum novum.* Bene antem omnis terra invitatur, quia in natura humana, Filio Dei unita, per Apostolos ad fidem generaliter invitatur. Psal. lxv, 1 : *Jubilate Deo omnis terra.* Et alibi : *In omnem terram exivit sonus eorum* [1].

2 « *Cantate Domino.* » Hic tertium. Glossa : « Spiritui sancto. » Huic cantandum novum canticum : quia novus, id est, innovans est Spiritus. Psal. l, 12 : *Spiritum rectum innova in visceribus meis.* Et faciens cantare in abundantia tribulationum illos quos replet, Act. v, 41 : *Ibant* Apostoli *gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati.* Et Jacob. i, 2 : *Omne gaudium existimate, fratres mei, cum in tentationes varias incideritis.* Et in spe æternorum, ad Rom. xii, 12 : *Spe gaudentes.* Propter hoc dicitur, I Reg. ii, 3 : *Recedant vetera de ore vestro,* noxiæ scilicet cantilenæ. Et in Psal. cxxxvi, 3 : *Hymnum cantate nobis de canticis Sion.*

« *Et benedicite.* » Hic secundum, in quo postquam monuit ad laudem divinitatis, monet ad laudem humanitatis.

Quasi diceret : Sic cantate divinitatem commendando, et benedicite nomini ejus, quod est Jesus, humanitati impositum, et cui benedicendum, quia in ipso solo salus, et benedictio. Act. iv, 12 : *Nec aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.* Ad Philip. ii, 9 et 10 : *Donavit illi nomen, quod est super omne nomen : ut in nomine Jesu,* etc.

« *Annuntiate de die.* » Hic secundum, in quo postquam actum est de laude, subjungitur de prædicatione : in quo dicuntur duo. Primo, monet Prælatos ad prædicandum. Secundo, subditos ad obediendum prædicationi, ibi, « *Afferte Domino.* »

In prima duo. Primo, invitantur ad prædicationem. Secundo, fructus prædicationis ostenditur, ibi, « *Confessio et pulchritudo.* »

In prima duo. Primo, invitat Prælatos ad laudem humanitatis Christi. Secundo, divinitatis, ibi, « *Quoniam magnus Dominus.* »

In prima tria. Primo, invitat ad prædicationem fidei passionis. Secundo, fidei gloriosæ resurrectionis, ibi, « *Annuntiate inter gentes gloriam ejus.* » Tertio, ad prædicandum mirabilia Ascensionis, ibi, « *In omnibus populis.* »

Quid et qualiter prædicandum ?

Dicit ergo : Sic cantate Deo omnes. Et vos Prælati, quorum præcipue est, ex officio, « *annuntiate salutare ejus,* » Christum scilicet perseverantes, « *de die in diem :* » in quo tangit quid prædicandum, quia salutare, Christus scilicet, de quo Genes. xlix, 18 : dixit Jacob : *Salutare tuum exspectabo, Domine.* Et de quo, Luc. ii, 30 : *Viderunt oculi mei salutare tuum.* Et bene salutare, quia Apostolus ad Hebr. v, 9, dicit : *Factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ.* Psal. lxxiii, 12 : *Operatus est salutem*

[1] Psal. xviii, 5.

in medio terræ, quando in Jerusalem passus est. Et qualiter prædicandum, quia instanter, et continue. Eccle. xi, 6 : *Mane semina semen tuum, et vespere ne cesset manus tua.* Jerem. xxv, 3 : *Locutus sum ad vos de nocte consurgens.* In his enim duobus, in oratione, de qua præmisit, et in prædicatione de qua hic loquitur, debet esse Prælatorum instantia. Act. vi, 4 : *Nos vero orationi, et ministerio verbi instantes erimus.*

gere nisi in aqua, sic multi prædicare nisi ubi est doctrina. Gregorius : « Ve« cordem se asserit, qui hortis sitienti« bus, in fluminibus aquam fundit. » Vere autem mirabilia, quæ in Ascensione fecit mirabilia hominibus : unde Act. i, 11, Apostolis dictum est : *Viri Galilæi, quid statis adspicientes in cœlum ?* Et Angelis, Isa. lxiii, 1 : *Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra ?*

3 « *Annuntiate inter Gentes.* » Hic secundum. Quasi diceret. Sic annuntiate, quod fuit per passionem : et etiam ne credatur anima relicta in inferno, et corpus putrefactum, « *annuntiate gloriam ejus,* » scilicet ejus resurrectionem, « *inter Gentes* : » illam gloriam, de qua in Psal. xv, 10 : *Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum,* etc. Et alibi : *Gloriam et magnum decorem impones super eum*[1]. De qua etiam Paulus dicit ad Hebr. ii, 9 : *Videmus Jesum propter passionem mortis, gloria et honore coronatum.*

« *In omnibus populis.* » Hic tertium. Quasi diceret : Sic annuntiate salutare et gloriam, et etiam annuntiate « *in omnibus populis,* » Dei quantum ad bonos, mundi quantum ad avaros, carnis quantum ad luxuriosos, et diaboli quantum ad superbos (et hæ tres partes ad malos pertinent) « *mirabilia ejus,* » quæ fecit in sua Ascensione, cum carnem humanam in cœlum duxit, et a dextris Dei collocavit. Argumentum quod prædicandum est omnibus, non tantum clericis Parisiis. Ad Rom. i, 14 : *Sapientibus et insipientibus debitor sum.* Isa. xxxii, 20 : *Beati qui seminatis super omnes aquas.* Marc. xxi, 20 : *Illi autem profecti, prædicaverunt ubique.* Mulus non vult min-

« *Quoniam magnus Dominus.* » Hic secundum, in quo monet ad prædicandam Christi divinitatem, vel fidem de divinitate. Et tangitur primo propter quid est timendus, scilicet ejus potentia. Secundo, propter quid est amandus, scilicet ejus bonitas, ibi, « *Et laudabilis.* » Tertio, propter quid honorandus et colendus, ibi, « *Terribilis.* » 4

Magnus Dominus capacitate, duratione et largitate.

Dicit ergo : Sic annuntiate quæ pertinent ad humanitatis fidem : et hoc etiam prædicate, « *quoniam Dominus magnus,* » capacitate, quoniam omnes capit etiam spiritus, et ipse a nullo capitur plene, nisi a seipso. Sap. vii, 22 et 23 : *Est in illa,* scilicet sapientia, *spiritus intelligentiæ,... qui capiat omnes spiritus.* Item, magnus duratione. Exod. xv, 18 : *Dominus regnabit in æternum et ultra.* Item, magnus largitate : dat enim omnibus, et magna. Jacob. i, 5 : *Qui dat omnibus affluenter, et non improperat.*

« *Et laudabilis nimis,* » super potentiam rationabilis creaturæ. Eccli. xliii, 33 : *Exaltate illum quantum potestis : major enim est omni laude.* Dan. iii, 52 : *Et laudabilis,... in sæcula.* In Psal. xlvii, 2, de his duobus : *Magnus Dominus, et laudabilis nimis, et magnitudinis ejus non est finis.* Et cum tam magnus esset, parvus tamen fieri voluit, secundum illud Isa. ix, 6 : *Parvulus natus est nobis, et Filius datus est nobis.*

[1] Psal. xx, 6.

Ad Philip. II, 7 : *Exinanivit semetipsum, formam servi accipiens, in similitudinem*, etc.

« *Terribilis.* » Hic probat, quod colendus, quia justus, et terrens malos, etiamsi dii dicantur. Duo ergo dicuntur. Primo, quod justitiam exercet, etiam in diis. Secundo, probat hoc et ostendit, ibi, « *Quoniam in omnes dii Gentium.* »

Dicit ergo : Sic magnus, et laudabilis, et etiam « *terribilis,* » in exercendo justitiam « *super omnes deos,* » nuncupatione, et hominum reputatione, vel adoptione. Psal. XLIX, 1 : *Deus deorum Dominus locutus est :* et totum tremit, et terretur. Job, XXV, 2 : *Potestas et terror apud eum est, qui facit concordiam in sublimibus suis.* Et XXXVI, 11 : *Columnæ cœli contremiscunt.* Propter hoc dicitur, Eccli. XLIII, 21 : *Terribilis Dominus, et magnus vehementer.*

5 *Quoniam omnes dii Gentium.* » Hic probat ex duobus. Ex malitia et iniquitate deorum aliorum, et ex virtute Dei propria, ibi, « *Dominus autem.* »

Dicit ergo : Bene dico, quod aliis diis est terribilis : « *Quoniam omnes dii Gentium,* » Gentiliter viventium, « *dæmonia.* » Contra, in Psal. CXIII, 4 : *Simulacra Gentium argentum et aurum, opera,* etc. : ergo non dæmonia. Et ad Philip. III, 19 : *Quorum Deus venter est.* Ad Ephes. v, 5 : *Aut avarus, quod est idolorum servitus*, ergo nummus est avaro Deus. Et Augustinus dicit : « Quod quis« que plus amat et colit, hoc illi Deus « est. » Respondeo ad primum. Idola et simulacra dæmonia reputantur, quia illis dæmonia præsidebant. Ad alia dicendum, quod in avaritia et gula, dæmonibus quodammodo servitur : quia illud quod eis placet, in his agitur : unde dæmonia quodammodo dici possunt, et pecunia et gula. Sed Jerem. x, 11, dicitur : *Dii, qui cœlos et terram non fecerunt, pereant de terra.* Dii etiam Gentium sunt Prælati. Psal. LXXXI, 1 : *Deus stetit in synagoga deorum.* Et multi ipsorum sunt dæmonia. Primo, quia propriam excellentiam diligunt sicut dæmones. III Joan. ℣. 9 : *Is, qui amat primatum gerere in eis, Diotrephes, non recipit nos.* Secundo, quia ex hoc incurrunt apostasiam sicut dæmones. Job, XXXIV, 18 : *Qui dicit regi,* id est, Prælato alios regenti, *Apostata.* Ubi etiam dicit Gregorius : « Superbus rector to« ties ad apostasiæ crimen dilabitur, « quoties præesse aliis delectatur. » Tertio, quia bonos affligunt et torquent sicut dæmones. Psal. LXXVII, 49 : *Immissiones per Angelos malos.* Isa. III, 14 et 15, loquitur Dominus Prælatis : *Vos depasti estis vineam meam, et rapina pauperis in domo vestra : quare atteritis populum meum, et facies pauperum commolitis ?* Quarto, quia propter peccatum constituti sunt super homines sicut dæmones. Job, XXXIV, 30 : *Qui regnare facit hominem hypocritam, propter peccata populi.* Osee, XIII, 11 : *Dabo eis regem in furore meo.* Quinto, quia maximas caudas, et consortia secum trahunt deorsum, sicut diabolus. Apoc. XII, 4 : *Cauda ejus,* scilicet draconis, *trahebat tertiam partem stellarum cœli, et misit eas in terram.* Et Gregorius : « Cum pastor per abru« pta graditur, necesse est ut per præ« cipitium grex sequatur. » Sexto, quia Dei cultum sicut dæmones usurpare sibi volunt. Ezech. XXVIII, 2, dicitur diabolo : *Eo quod elevatum est cor tuum, et dixisti : Deus ego sum, et in cathedra Dei ego sedi in corde maris.* Et Zachar. XI, 17, ad Prælatum : *O pastor, et idolum.* Hinc est quod sibi volunt flecti genua a ministris. Septimo, quia incorrigibiles sunt sicut dæmones, de quibus Job, XLI, 19 : *Non fugabit eum vir sagittarius, in stipulam versi sunt ei lapides fundæ.* Et Eccli. XII, 13 : *Quis medebitur incantatori,* Prælato scilicet, *a serpente percusso ?* Quasi diceret : Nullus.

[Margin: Prælati, dii Gentium et dæmonia.]

« *Dominus autem.* » Hic secundum.

Sic patet quod terribilis est super omnes deos, quia sunt dæmonia, et etiam propter hoc, « *quia Dominus cœlos fecit,* » ad litteram : unde manifestum est, quod magna possit. Psal. CI, 26 : *Opera manuum tuarum sunt cœli.* Et alibi : *Videbo cœlos tuos, opera digitorum tuorum*[1]. Cœlos etiam fecit, viros scilicet cœlestes et sanctos, qui cœli sunt, quia in cœlo conversantur. Ad Philip. III, 20 : *Nostra conversatio in cœlis est.* Quia lucem doctrinæ, et calorem bonæ operationis influunt.

6 « *Confessio et pulchritudo.* » Hic secundum, in quo subjungitur de fructu consequente ex prædicatione, et tanguntur quinque fructus. Primus, peccati confessio. Secundus sequens ex hoc, interior pulchritudo et vera, ibi, « *Et pulchritudo.* » Tertius, sancta conversatio, ibi, « *Sanctimonia.* » Quartus, operum magnitudo, ibi, « *Et magnificentia.* » Quintus, desiderium et affectio ad æterna, et ipsorum contemplatio, ibi, « *In sanctificatione.* »

Quinque prædicationis fructus.

Ait enim : Sic annuntiate quæ fidei sunt, quantum ad utramque in Christo naturam : et sic sequitur in populo « *confessio* » delictorum suorum, de qua Josue, VII, 19 : *Fili mi, da gloriam Domino Deo Israel, et confitere, atque indica mihi quid feceris, ne abscondas.* Et Jacob. v, 16 : *Confitemini alterutrum peccata vestra.* Et est fructus hic magnus : quia Prov. XXVIII, 13, dicitur : *Qui abscondit scelera sua, non dirigetur : qui autem confessus fuerit, et reliquerit ea, misericordiam consequetur.*

« *Et pulchritudo,* » non exterior, quæ vana est, Prov. XXXI, 30 : *Fallax gratia, et vana est pulchritudo :* « *In conspectu ejus,* » id est, Dei, hoc est, intus, quam efficit confessio. Augustinus : « Qui affectat decorem, frequentet confessionem. » Et hic in Glossa : « Si « amas pulchritudinem, confitere, ut sis « pulcher. » Et Bernardus : « Ama confessionem, si amas decorem. » Et est, « *in conspectu Dei :* » quia taliter pulchrum Deus respicit, non peccatis inquinatum. Habacuc, I, 13 : *Mundi sunt oculi tui, et respicere ad iniquitatem non poteris.*

« *Sanctimonia,* » exterior scilicet conversatio sancta et honesta : vel « *sanctitas* » secundum litteram aliam, quod est idem. Et est hæc sanctimonia interioris pulchritudinis conservativa. Ad Hebr. XII, 14 : *Pacem sequimini,... et sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum.* Statim enim amittit interiorem munditiam, de qua Matth. v, 8 : *Beati mundo corde : quoniam ipsi Deum videbunt.*

« *Et magnificentia,* » in operibus arduis, et magnis. Ad Roman. VIII, 30 : *Quos vocavit, hos et justificavit : quos autem justificavit, illos et glorificavit,* magnos in operibus fecit. Eccli. XLV, 3 : *Magnificavit illum in conspectu regum*[2]. Et hoc, « *in sanctificatione ejus,* » ut actoris. Sanctificationem autem hic appellare potest sanctam affectionem, et desiderium sanctum, quod est in contemplativis. I ad Thess. IV, 3 : *Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra.*

« *Afferte Domino, patriæ gentium.* » 7
Hic postquam invitavit Prælatos ad fidei prædicationem, invitat subditos ad obedientiam, hoc est, ad cultum divinum et honorem : unde dicuntur duo. Primo, monet et invitat ad colendum Deum affectu. Secundo, effectu, ibi, « *Tollite hostias.* »

In prima dicuntur duo. Primo, monet ad colendum Deum affectu in universali. Secundo, specificat quem cultum velit

[1] Psal. VIII, 4.

[2] Vulg. habet, Eccli. XLV, 3 : *Glorificavit illum in conspectum regum.*

exhiberi, ibi, «*Afferte Domino gloriam.*»

Dicit ergo : Sic vos, Prælati, nuntiate : sed vos, habitatores « *patriæ Gentium,* » Quasi diceret : Omnes generaliter tam indigena quam advena vel peregrinus, « *afferte Domino,* » id est, afferte Deo.

Et determinat quid. *Afferte Domino,* etc. » Quia primo monet ad offerendum gloriam. Secundo, gloriæ vehementiam, ibi, « *Afferte Domino gloriam nomini ejus.* »

Ait enim : Sic dixi, quod Domino afferatis : sed ut sciatis quid, dico, « *Afferte Domino gloriam,* » ipsum glorificando interius in corde, magnum et gloriosum reputando. « *Et honorem,* » bonum quod habetis totum ei attribuendo, tamquam causæ, fonti, et origini. Jacob. I, 17 : *Omne datum optimum, et omne donum perfectum,* etc. I ad Corinth. IV, 7 : *Quid habes quod non accepisti ?* Quasi diceret : Nihil.

« *Afferte Domino gloriam,* » ita quod
8 « *nomini ejus* » etiam. Quasi diceret : Non tantum glorificetis in se, sed etiam in suo nomine. Apoc. IV, 9 : *Et cum darent illa animalia gloriam, et honorem, et benedictionem sedenti super thronum, viventi in sæcula sæculorum,* etc. Hinc et Ecclesia dicit : « Gloria Patri, et Filio, etc. »

« *Tollite hostias.* » Hic monet ad colendum effectu, quod est hostias offerendo in loco debito, et modo debito : unde dicuntur tria. Primo, quid offerendum. Secundo, ubi, ibi, « *Introite.* » Tertio, quo modo, quia æternorum intentione, ibi, « *Adorate Dominum.* »

Dicit ergo : Sic date gloriam Deo, et sacrificium cordis interius, et etiam « *tollite,* » elevate in altum, in aperto, non in abscondito, « *hostias,* » operationes bonas et offerendas.

Et nota, quod est hostia oris, scilicet

Hostia multiplex.

confessio pura, et peccati exprobratio, Levit. IV, 22 et seq. : *Si peccaverit princeps,... offeret hostiam Domino, hircum,* id est, peccati exprobrationem. Gratiarum actionis, Levit. XXII, 29 et 30 : *Si immolaveritis hostiam pro gratiarum actione Domino, ut possit esse placabilis,* vobis scilicet, *eodem die comedetis eam.* Laudis, Psal. CXV, 17 : *Tibi sacrificabo hostiam laudis.* II Paralipom. XXIX, 31 : *Obtulit universa multitudo hostias, et laudes, et holocausta mente devota* Domino. Et est hostia cordis, scilicet contritio de propriis peccatis, Psal. L, 19 : *Cor contritum, et humiliatum, Deus, non despicies.* Compassionis de miseriis alienis, Levit. IX, 7 : *Cum mactaveris hostiam populi, ora pro eo,* id est, compassionem habebis ad populum. Congratulationis bonis alienis, Exod. XVIII, 12 : *Obtulit Jethro cognatus Moysi,* visa gloria Moysis, tamquam congratulans illi, *holocausta et hostias Deo.* Et est hostia operis. Prima, mortificatio carnis, Ad Roman. XII, 1 : *Obsecro vos, fratres, per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra, hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum.* Patientiæ in adversis, Sapient. III, 6 : *Tamquam aurum in fornace probavit illos, et quasi holocausti hostiam accepit illos.* Tolerantia laboris, et simplicitatis, Levit. I, 2 : *Homo, qui obtulerit ex vobis hostiam Domino de pecoribus, id est, de bobus,* in quibus labor : *et ovibus,* in quibus simplicitas et innocentia. Misericordiæ et pietatis in pauperes, et largitionis eleemosynarum, Ad Hebr. XIII, 16 : *Beneficentiæ et communionis nolite oblivisci : talibus enim hostiis promeretur Deus.*

« *Et introite in atria ejus.* » Hic secundum. Quasi diceret : Tollite hostias, sed non ubique offeratis illas, imo, « *introite in atria ejus,* » in Ecclesiam scilicet militantem, per fidei et charitatis unitatem. Hæc sunt atria, de quibus in Psal. CXXI, 2 : *Stantes erant pedes nostri, in atriis tui, Jerusalem.* Exod. XXIII,

15 : *Non apparebis in conspectu meo vacuus.* Qui autem extra offert, nihil proficit, Proverb. xxi, 27 : *Hostiæ impiorum abominabiles.*

9 « *Adorate Dominum.* » Hic tertium. Quasi diceret : Sic afferte in Ecclesia militante, et etiam « *adorate,* » existentes intentione et mente, « *in atrio sancto ejus.* » Glossa, « in cœlo, » ut in vestris hostiis cœlestia intendatis. Hoc est atrium mundorum, et vere mundatorum, de quo in Psal. lxxxiii, 3 : *Concupiscit, et deficit anima mea in atria Domini.* Et alibi : *Beatus, quem elegisti et assumpsisti, inhabitabit in atriis tuis*[1]. Glossa distinguit duplex atrium, doctrinam propheticam primum, et Evangelicam et Apostolicam sanctorum, secundum et sanctum.

Secunda pars Psalmi.

« *Commoveatur a facie ejus.* » Hic est secunda pars principalis totius hujus Psalmi, in qua postquam monuit ad prædicationem primi adventus Christi, hic secundo agit de prædicatione secundi : et dicuntur duo. Primo, monet prædicare justitiam adventus secundi ad malorum compunctionem. Secundo, ad bonorum exsultationem, ibi, « *Lætentur cœli.* »

Prædicationis finis et forma.

In prima duo. Primo, exprimitur finis prædicationis, qui est malorum compunctio, et commotio ad pœnitentiam. Secundo, tangitur forma prædicationis, ibi, « *Dicite in Gentibus.* »

Dicit ergo : Sic vos, justi, tollite hostias, ut Deo immoletis, sed « *universa terra,* » non pars terræ, « *commoveatur* » ad pœnitentiam et compunctionem, « *a facie ejus,* » ad judicium venturum considerata et audita per nos prædicantes. Hanc commotionem desiderabat Isaias, lxiv, 1 : *Utinam disrumperes cœlos, et descenderes : a facie tua montes defluerent.* De hac etiam supra, Psal. lxix, 4 : *Commovisti terram, et conturbasti eam, sana,* etc. Isa. vii, 2 : *Commotum est cor ejus, et cor populi ejus, sicut moventur ligna silvarum a facie venti.* Isa. xxiv, 19 et 20 : *Commotione commovebitur terra : agitatione agitabitur terra.*

« *Dicite in Gentibus.* » Hic secundum, 10
in quo datur forma prædicationis. Et primo monet ut prædicent judicis dignitatem. Secundo, severitatem, ibi, « *Et enim correxit.* » Tertio, æquitatem, ibi, « *Judicabit orbem.* »

Dicit ergo : Sic dixi, quod commoveatur terra, quod ut fieri possit, « *dicite,* » vos Prædicatores et Prælati, « *in Gentibus,* » hoc, « *quia Dominus regnavit,* » in notitia, et manifestatione. Matth. xxviii, 18 : *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra,* qui regnat semper potestate. Dan. vii, 14: *Potestas ejus, potestas æterna, quæ non auferetur : et regnum ejus, quod non corrumpetur.* Regnavit etiam a ligno secundum aliam litteram, quia post opprobria, et mortem turpissimam, quam in ligno sustinuit, regnum accepit, sicut supra dictum est, in manifestatione, qui acceperat jam a conceptione. Apoc. xix, 16 : *Habet in vestimento, et in femore suo scriptum : Rex regum, et Dominus dominantium.*

« *Etenim correxit.* » Hic secundum. Quasi diceret : Sic dicite, quod regnavit : et hoc dicite, repetit : « *Etenim,* » quia correxit, id est, corriget « *orbem terræ.* » Metonymia est, id est, habitatores terræ. « *Qui non commovebitur,* » post ab illa correctione, sed stabit : sententiam enim proferet immobilem. II Reg i, 22 : *Sagitta Jonathæ numquam rediit retrorsum.* Vel potest legi de præsenti, sic : Orbis terræ est Ecclesia. Sap. i, 7 : *Spiritus Domini*

[1] Psal. lxiv, 5.

replevit orbem terrarum, Ecclesiam scilicet toto terrarum orbe diffusam. Hic orbis « *qui non commovebitur :* » semper enim stabit, quidquid dicat, quidquid machinetur hæreticus : quia fundatus est supra firmam petram. I ad Cor. III, 11 : *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus* [1]. Psal. XLV, 6 : *Deus in medio ejus non commovebitur*. Hunc orbem correxit, corrigere non cessavit a principio mundi. Primo, diluvium immittendo [2], Sodomitas igne sulphureo consumendo [3], filios Israel propter peccatum idololatriæ in deserto prosternendo [4]. Et in infinitis Veteris Testamenti : et in Novo, morti Martyres exponendo. Diligit enim ipsam Ecclesiam, et propter hoc incorrectam non dimittit. Eccli. XXX, 1 : *Qui diligit filium suum, assiduat illi flagella*. Hanc correctionem Jeremias petit in persona Ecclesiæ : *Corripe me, Domine, in judicio, non in furore tuo* [5].

Deus a principio correxit orbem terræ, nec corrigere cessat.

« *Judicabit populos.* » Ecce tertium. Quasi diceret : Sic corripiet quasi irrevocabiliter, et tamen « *judicabit populos in æquitate*, » quia sine personarum acceptione. Sap. VI, 8 : *Non subtrahet personam cujusquam Deus*. Item, quia remuneratione supra condignum quantum ad bonos, citra condignum quantum ad malos. Quantum ad primum, Isa. LXIV, 4 : *Oculus non vidit, Deus absque te, quæ præparasti exspectantibus te*. Quantum ad alios, supra, in Psal. LXXVII, 38 : *Et abundavit ut averteret iram suam : et non accendit omnem iram suam*.

11 « *Lætentur cœli.* » Hic secundum secundæ partis principalis hujus Psalmi. Postquam enim invitavit Prælatos ad prædicandum adventum judicis secundum ad terrorem malorum, hic monet prædicare ad consolationem electorum : et dicuntur duo. Primo, lætitia justorum et exsultatio. Secundo, lætitiæ causa et ratio, ibi, « *Quia venit.* »

In prima duo. Primo, lætitia tangitur ipsorum prædicantium. Secundo, illorum quibus prædicatur, ibi, « *Exsultet terra.* »

Dicit ergo : Sic corripiens irrevocabiliter judicabit in æquitate, et propter hoc « *lætentur cœli,* » lætanter prædicent, et doceant Apostoli et Apostolici viri. Ipsi enim dicuntur cœli. Supra, in Psal. XVIII, 2 : *Cœli enarrant gloriam Dei*. Hi lætentur super divinam æquitatem. Apoc. XVIII, 20 : *Exsulta super eam cœlum*.

« *Et exsultet terra.* » Hic secundum, in quo tangitur lætitia subditorum. Et primo, activorum. Secundo, contemplativorum, ibi, « *Gaudebant campi.* »

In prima duo. Primo, tangitur lætitia activorum in statu prosperitatis. Secundo, in statu adversitatis, ibi, « *Commoveatur.* » Et hoc in statu minoris adversitatis, quod notatur in mari, et majoris, quod notatur in plenitudine ejus.

Dicit ergo : Sic lætentur prædicatores, « *et exsultet terra,* » plebs prædicatoribus subjecta, et ab eis compluta. Hæc terra, de qua in Psal. XLIX, 12, et alibi : *Meus est enim orbis terræ*. Eccle. I, 4 : *Generatio præterit et generatio advenit : terra autem in æternum stat*.

« *Commoveatur.* » Bona commotio de malo in bonum, de tristitia in lætitiam. « *Mare,* » illi de Ecclesia, qui sunt in amaritudine tribulationis : « *et plenitudo ejus*, in quibus abundantia amaritudinis. Apoc. X, 2 : *Angelus*, id est, Christus, *posuit pedem suum dextrum*, consolatorem spiritum, *super mare*, id est, super existentem in amaritudine. II ad Cor. I, 5 : *Sicut abundant*

[1] Cf. Matth. VII, 24 et seq.
[2] Genes. VII.
[3] Ibid. XIX, 24 et seq.
[4] Exod. XXXII, 26 et seq.
[5] Jerem. X, 24.

passiones Christi in nobis : ita et per Christum abundat consolatio nostra. Psal. CIII, 19 : *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo : consolationes tuæ lætificaverunt animam meam*

12 « *Gaudebunt campi.* » Hic de lætitia contemplativorum. Primo, quantum ad statum imperfectionis. Secundo, quantum ad statum perfectionis, ibi, « *Tunc exsultabunt.* » In campis enim nascuntur herbæ et flores, et talia minus firma, sed in silvis solida ligna.

Qualiter lætari debent contemplativi ?

Dicit ergo : Gaudebunt campi, contemplativi viri. Glossa, « Lenes et mites : » et addere potes humiles, quales sunt a mundi actionibus separati. In Psal. CIII, 8, de campis istis : *Ascendunt montes, et descendunt campi.* Quasi diceret : Elevant se potentes sæculares, sed humiliant se boni contemplativi. Hi campi, de quibus Deuter. VIII, 7 : *In cujus campis et montibus*, in bonis Ecclesiæ contemplativis et Prælatis, *erumpunt fluviorum abyssi*, profunditates inscrutabiles doctrinarum. Hi campi, qui continent in se florem illum, de quo Isa. XI, 1 : *Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet.* Propter quod dicitur, Cantic. II, 1 : *Ego flos campi, et lilium convallium.*

« *Et omnia quæ in eis sunt,* » in ipsis campis : in bonis enim contemplativis, totum quod sunt, et corpus et anima, in Deum gaudent. Dicunt enim illud in Psal. LXXXIII, 3, supra : *Cor meum et caro mea exsultaverunt in Deum vivum.* Et quidquid est ex parte animæ, omnes vires, voluntas, ratio, intellectus, et memoria.

13 « *Tunc exsultabunt.* » Hic secundum. Quasi diceret : Sic gaudebunt campi, minores et imperfectiores in statu contemplationis. Et « *tunc* etiam *exsultabunt omnia ligna silvarum,* » firma, alta, et fructuosa. Signant perfectiores in contemplatione. Isa. LV, 12 : *Omnia ligna regionis plaudent manu.* Quamvis enim silvarum sint ligna, quia in solitudinibus conversantur, juxta illud. *Ecce elongavi fugiens, et mansi in solitudine* [1] *:* tamen sunt ligna fructuosa : ipsi enim sunt ligna olivæ, ficus, et vitis, quæ nolunt relinquere pinguedinem et dulcedinem, et exhilarationem, ut promoveantur super alia ligna. Et hoc « *a facie Domini.* » Quippe enim dicere poterunt illud Esther, XV, 17 : *Facies tua plena est gratiarum.* Ipsis erit facies gratiosa, imo gloriosa, sed malis vultus terribilis. Supra, in Psal. XXXIII, 17 : *Vultus autem Domini super facientes mala.*

« *Quia venit.* » Hic tangitur causa, et ratio lætitiæ et exsultationis : et tangitur triplex. Primo, judicii velocitas. Secundo, æquitas, ibi, « *Judicabit orbem terræ.* » Tertio, veritas, ibi, « *Et populos.* » Æquitas respicit ad executionem scientiæ, veritas ad meritorum discussionem, velocitas autem in geminatione adventus monstratur.

Dicit ergo : Hic illi lætabuntur, isti exsultabunt a facie Domini : et hoc, « *quia venit,* » in primo adventu mansuetus. Matth. XXI, 5 : *Ecce rex tuus venit tibi mansuetus* [2], et in se, et in suis, scilicet Apostolis, et aliis prædicatoribus sanctis.

« *Quoniam venit,* » in secund severus, et terribilis, judicare terram. Psal. XLIX, 3 : *Deus manifeste veniet : Deus noster, et non silebit.* Luc. XXI, 27 : *Tunc videbunt filium hominis venientem in nube cum potestate magna, et majestate* etc [3].

[1] Psal. LIV, 8.
[2] Zachar. IX, 9 : *Ecce rex tuus veniet tibi justus et salvator, ipse pauper*, etc.
[3] Cf. Matth. XXIV, 30.

« *Judicabit orbem.* » Hic secundum. Non solum quia venit, lætabuntur, sed etiam, quia « *judicabit orbem terræ,* » id est, orbis terræ habitatores, « *in æquitate* » illa quam petit Job, xxiii, 7 : *Proponat æquitatem contra me.* Et de qua, Isa. xi, 4 : *Arguet in æquitate pro mansuetis terræ.*

« *Et populos,* » supple, judicabit. Et eosdem dicit populos, quos dixerat orbem terræ : « *in veritate sua,* » non falsorum testium, quia judex et testis. Jerem. xxix, 23 : *Ego sum judex, et testis, dicit Dominus.* Nec secundum dicta falsorum advocatorum, vel consilia. Malach. ii, 6 : *Lex veritatis fuit in ore ejus, et iniquitas non est inventa in labiis ejus.* Sed illos mittet in ignem æternum, sicut minatus est, Matth. xxv, 41 : *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum.* Istos autem secum deducet ad regnum perpetuum, sicut ibi promittit suis, ad quod nos perducat ipse qui est summa et æterna veritas, benedicta, et benedicenda per omnia sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS XCVI.

Hortatio ad regem Christum celebrandum et adorandum.

1 *Huic David, Quando terra ejus restituta est.*
Dominus regnavit : exsultet terra : lætentur insulæ multæ.
2. Nubes et caligo in circuitu ejus : justitia et judicium correctio sedis ejus.
3. Ignis ante ipsum præcedet, et inflammabit in circuitu inimicos ejus.
4. Illuxerunt fulgura ejus orbi terræ : vidit, et commota est terra.
5. Montes sicut cera fluxerunt a facie Domini : a facie Domini omnis terra.
6. Annuntiaverunt cœli justitiam ejus : et viderunt omnes populi gloriam ejus.
7. Confundantur omnes, qui adorant sculptilia [1], et qui gloriatur in simulacris suis.
Adorate eum, omnes angeli ejus [2].
8. Audivit, et lætata est Sion :
Et exsultaverunt filiæ Judæ, propter judicia tua, Domine.
9. Quoniam tu Dominus altissimus super omnem terram : nimis exaltatus es super omnes deos.
10. Qui diligitis Dominum, odite malum [3] : custodit Dominus animas sanctorum suorum, de manu peccatoris liberabit eos.
11. Lux orta est justo, et rectis corde lætitia.
12. Lætamini, justi, in Domino : et confitemini memoriæ sanctificationis ejus.

[1] Exod. xx. 4; Levit. xxvi, 1 ; Deuter. v, 8.
[2] Ad Hebr. i, 6.
[3] Amos, v, 15 ; ad Roman. xii, 9.

IN PSALMUM XCVI

COMMENTARIUS.

1 *Psalmus ipsi David, quando terra ejus restituta est ei*[1].

Argumentum Psalmi: Fidelium lætitia ex antecedentibus judicium, mundi scilicet immutatione et Christi judicis apparitione.

« *Dominus regnavit: exsultet terra.* » Hic est Psalmus monagesimus sextus in toto libro, quadragesimus sextus in secunda parte libri : in quo postquam egit de statu Ecclesiæ, et beneficiis, quæ ab ipso mediatore passo et mortuo recipit simpliciter, hic agit de statu Ecclesiæ quantum ad statum judicii futuri, et de his quæ circa judicium erunt specialiter : et secundum hoc dicuntur duo. Primo, lætitia et exsultatio pro statu Ecclesiæ, quantum ad præambula ad judicium. Secundo, quantum ad ipsum judicium, ibi, *Cantate Domino*[2]. »

Quia vero instante judicio revocabitur ad fidem Christi synagoga, propter quod magna lætitia, et sic plena erit Christo restituta Ecclesia. Matth. XVII, 11 : *Elias quidem venturus est, et restituet omnia.* Et Job, XXXVIII, 14 : *Restituetur ut lutum signaculum.*

Recte præmittitur in titulo : « *Psalmus ipsi David, quando terra ejus restituta est ei.* » Quamvis enim ad litteram, litterali David terra sit restituta, quam quasi amiserat, auferente eam Absalone filio suo, II Reg. XIX, et regnavit pacifice (cap. XX) : tamen quia sicut superius dictum fuit, cum hoc pronomen discretivum *ipsi* additur David, accipitur pro Christo, cui in sua resurrectione terra proprii corporis est restituta, et etiam per prædicationem Apostolorum Ecclesia, et maxime in finali Judæorum conversione, manifestum est quod magis intelligendum est spiritualiter quod dicitur in titulo, ut sit sensus subjectus, « *Psalmus* » subjectus, « *ipsi David,* » id est futuro Christo, est cantandus, agens de hoc quod factum est, præteritum pro futuro « *quando restituta est ei terra ejus,* » id est, proprium corpus, vel post resurrectionem propriam Ecclesia, vel instante judicii tempore conversa Synagoga : de quo proprie magis intelligitur Psalmus iste : et secundum hoc quod legitur de adventu secundo dividemus, quamvis Glossa etiam de primo exponat, et secundum hoc dividat.

Duo ergo principaliter dicuntur, se-

[1] Vug. habet : *Huic David, quando terra ejus restituta est.*

Les Septante font composer le psaume XCVI par David quand sa terre fut constituée en paix et en bon état, καθίσταται, Vulg. « restituta est, » ce qui pourrait s'entendre de l'apaisement du pays après la révolte d'Absalon. Mais, remarque Théodoret, ce titre « non psalmi sententiæ quadrat, » et rien ne prouve d'autre part que le psaume soit vraiment de David. On est même en droit de penser tout autrement, quand on observe que ce chant est presque exclusivement composé de réminiscences tirées des compositions de David, d'Asaph et des prophètes, surtout d'Isaïe. Nous aurions donc encore ici, selon toute apparence, un psaume liturgique contemporain de la restauration du culte soit sous Ezéchias, soit après la captivité. L'auteur célèbre le triomphe de Jéhova sur les faux dieux de la gentilité, et la protection dont il couvre ses serviteurs.

Le jugement exercé par Dieu contre les idoles et leurs adorateurs est le présage de celui que le Messie exercera à son premier avènement d'abord, Joan. V, 22 ; XII, 31 ; XVI, 11, et ensuite à la fin des temps. » Præcinit psalmus et primum et secundum Dei et Salvatoris adventum, gentiumque divinam cognitionem et futurum judicium. » Théod. Le sens du psaume est donc indirectement messianique, puisque le triomphe de Jéhova contre les faux dieux et son jugement souverain ne seront assurés que par Jésus-Christ.

H. LESÊTRE.

[2] Psal. XCVII, 1.

cundum duo ad judicium præambula, de quibus debent gaudere boni. Primum est immutatio quæ fiet in mundo. Secundum, Christi apparitio venientis in mundum, de quo ibi, « *Et viderunt omnes.* »

In prima dicuntur duo. Primo, invitat fideles de Ecclesia ad laudem. Secundo, ponitur ratio et causa, quare acquiescendum est invitationi, ibi, « *Nubes et caligo.* »

In prima duo. Primo, invitat in prosperitate existentes. Secundo, in adversitate, ibi, « *Lætentur insulæ multæ.* »

In primo duo. Primo, præmittitur lætitiæ causa. Secundo, invitatio, ibi, « *Exsultet terra.* »

Prima pars Psalmi.

Dicit ergo : « *Dominus,* » verus, Joan. XIII, 13 : *Vos vocatis me Magister, et Domine : et bene dicitis : sum etenim.* Et universalis, Apoc. XIX, 16 : *Rex regum, et Dominus dominantium.* « *Regnavit,* » in lætitia hominum, qui rex est ab æterno secundum divinitatem. Dan. VII, 14 : *Potestas ejus, potestas æterna, quæ non auferetnr : et regnum ejus, quod non corrumpetur.* Et ab instanti conceptionis secundum quod homo. Unde Magi de statim nato dicebant, Matth. II, 2 : *Ubi est qui natus est Rex Judæorum?* I ad Cor. XV, 25 : *Oportet illum regnare, donec ponat omnes inimicos,* etc.

« *Exsultet terra,* » justus firmiter stans, et in prosperitate existens. Eccle. I, 4 : *Generatio præterit, et generatio advenit : terra autem,* justus scilicet, *in æternum stat.* Hæc terra, de qua in eodem Eccle. X, 17 : *Beata terra, cujus rex nobilis est.* Justus enim rex est nobilis, scilicet Christus de stirpe regia ex parte Patris, et ex parte matris. Terra ergo justus, quia stabilis terra, quia fertilis. Est enim terra illa, de qua Apostolus ad Hebr. VI, 7 : *Terra sæpe venientem super se bibens imbrem, et generans herbam opportunam illis a quibus colitur, accipit benedictionem a Deo.*

Comparatio justi cum terra.

Item, humilis est justus, sicut terra infima stat. Luc. XIV, 10 : *Cum vocatus fueris ad nuptias, vade, recumbe in novissimo loco :* sis terra, si tu vis justus esse.

« *Lætentur.* » Hic secundum. Quasi diceret : Sic exsultet justus fructificans, et stabiliter manens : et etiam « *insulæ multæ,* » justi existentes in tribulatione, et varia compassione, « *lætentur.* » Hæ sunt insulæ, de quibus Isa. XLI, 1 : *Taceant ad me,* id est, mei comparatione, *insulæ,* sanctorum animæ quantumcumque tentationum fluctibus concussæ. Et XLII, 4 : *Legem ejus insulæ exspectabunt.* Dicuntur autem justi *insulæ,* quia undique sunt in amaritudine pro peccatis propriis et alienis. Deut. XXXIII, 23 : *Nephtali... mare et meridiem possidebit.*

Item, cum insulis.

Nephtali, cervus emissus[1], et significat justum. Psal. XLV, 3 : *Transferentur montes,* justi scilicet, *in cor maris.* Fluctibus non cedunt. Job, XXXVIII, 11 : *Hic,* ad justum scilicet, *confringes tumentes fluctus tuos.* Naufragos, tentatos scilicet et infirmos, suscipiunt sicut insulæ. I ad Thess. V, 14 : *Consolamini pusillanimes, suscipite infirmos.* Receptos aqua dulci et cibariis recentibus reficiunt, sicut insulæ. Isa. XXI, 14 : *Occurrentes sitienti ferte aquam, qui habitatis terram Austri, cum panibus occurrite fugienti.*

2

« *Nubes et caligo.* » Hic secundum, in quo subjungitur causa et ratio, quare acquiescendum exhortationi : et tangitur duplex, scilicet immutatio in mundo, quantum ad media in mundo. Secundo, quantum ad extrema, ibi, « *Vidit, et commota est.* »

In prima duo. Primo, immutatio. Secundo, fructus immutationis illius, ibi, « *Justitia, et judicium.* »

Dicit ergo : Sic exsultet terra, læten-

[1] Cf. Genes. XLIX, 21.

Christus in utroque adventu caligine involutus.

tur insulæ, et debent, quia « *in circuitu ejus*, » Domini scilicet regnantis, ad judicium venientis, erit « *nubes et caligo*, » id est, nubes caliginosa. Luc. xxi, 27 : *Videbunt Filium hominis venientem in nube*. De nube etiam, Ezech. i, 4 : *Nubes magna, et ignis involvens*. De caligine, Joel, ii, 2 : *Dies tenebrarum et caliginis*. De utroque, in Psal. xcvi, 2 : *Nubes et caligo in circuitu ejus*. In primo etiam adventu fuit nubes, et caligo in circuitu ejus quoad malos, quibus nebulosus et caliginosus apparuit : non enim eum cognoverunt [1]. Et dicitur illis fuisse caliginosus et nebulosus, qui in se erat clarissimus, quia non illuminabat ad intelligendum, sicut dicitur indurare, quando non confert gratiam ad pœnitendum.

« *Justitia, et judicium*, » visa et cognita, sunt « *correctio sedis ejus*, » hoc est, justorum, in quibus sedet. Sapient. viii, per totum caput, Anima justi, sedes Dei est. Hæc sedes corrigitur, quando malos videt affligi, tempestari, excæcari. Jerem. xlvi, 28: *Castigabo te in judicio*. Per hoc enim quod vident alios affligi, adhærentes justitiæ fidei, de seipsis faciunt judicium, secundum illud Psal. cxviii, 121 : *Feci judicium et justitiam, non tradas*, etc. I ad Corinth.. xi, 31 : *Si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur*.

3 « *Ignis ante ipsum*. » Hic secundum. Immutatio scilicet mundi quantum ad materiam igneam : et hoc dupliciter. Primo, quantum ad materiam igneam, in infimo circa terram. Secundo, in supremo, ibi, « *Illuxerunt*. »

In prima ergo duo. Primo, ignis antecessio. Secundo, finis, et ratio quare, ibi, « *Et inflammabit*. »

Ait enim : Sic nubes erit et caligo, et etiam « *ignis præcedet ante ipsum*, » ad judicium venientem. Psal. xlix, 3 : *Ignis in conspectu ejus exardescet*, in magna abundantia, et impetu magno. Daniel. vii, 10 : *Fluvius igneus, rapidusque egrediebatur a facie ejus*. Et calore vehementissimo usque ad elementorum solutionem. II Petr. iii, 10 : *Elementa calore solventur*. Ante ipsum autem in primo adventu præcedebat ignis, scilicet charitatis. Luc. xii, 49 : *Ignem veni mittere in terram*, etc., quantum ad bonos. Ignis cupiditatis, quoad malos. Eccli. ix, 9 : *Concupiscentia, quasi ignis exardescit*.

« *Et inflammabit inimicos ejus in circuitu*, » jam eis quodammodo inchoans viam gehennalem. Daniel. vii, 11 : *Vidi quoniam interfecta esset bestia*, malum scilicet, *et perisset corpus ejus*, *et traditum esset ad comburendum igni*. Psal. lxxxii, 15 : *Sicut ignis, qui comburit silvam : et sicut flamma comburens montes, ita persequeris*, etc. Qui autem sunt inimici determinat, Jacob. iv, 4: *Quicumque voluerit amicus esse hujus sæculi, inimicus Dei constituitur*. In bono etiam legi potest. Ignis enim charitatis, quo circumdatus fuit in adventu primo, inimicos ejus ad bonum inflammavit, ut erudirentur et amarent. Thren. i, 13 : *De excelso misit ignem in ossibus meis*, in viribus scilicet animæ meæ, *et erudivit me*. Act. ii, 3, Spiritus infundens charitatem apparuit in linguis igneis.

« *Illuxerunt fulgura*. » Hic immutatio quantum ad cœlum, quod est superius. 4
Quasi diceret : Sic ignis inferius combu-ret, et etiam « *fulgura*, » quæ a superiori descendunt, « *illuxerunt*, » præteritum pro futuro, certitudine prophetali, secundum quod refertur ad adventum secundum. Ezech. i, 13 : *De igne fulgur egrediens*. Hoc est quod dicitur, Matth. xxiv, 27 : *Sicut fulgur exit ab Oriente, et paret usque in Occidentem*. Apocal. viii, 5 : *Facta sunt tonitrua, et voces*,

[1] Cf. Joan. i, 10 et seq.

et fulgura. Fulgur etiam timoris terrentis præcedit ignem charitatis inflammantis, quo dissipantur inimici. In Psal. cxliii, 6 : *Fulgura coruscationem, et dissipabis eos.*

« *Vidit, et commota est terra.* » Hic secundum, in quo tangitur immutatio in extremis, et primo in illo quod est deorsum. Secundo, in eo quod est sursum, ibi, « *Annuntiaverunt.* »

In prima duo. Primo, terræ immutatio simpliciter. Secundo, modus immutationis, ibi, « *Montes sicut cera.* »

Dicit ergo : Sic totum commotum est, aqua, ignis, et inferior, et superior. Vidit etiam Dominum ad judicium venientem, majestatem ipsius sentiendo, ac si videret, « *terra,* » ad litteram, « *et commota est.* » Marc. xiii, 8 : *Erunt terræ motus per loca, et fames*[1]. Isa. xxiv, 19, 20 : *Commotione commovebitur terra, agitatione agitabitur terra.* Apocalyps. xi, 13 : *Factus est terræ motus magnus.* In primo etiam adventu mota est, per lucem, et miraculorum fulgurationem. « *Mota est terra,* » corda scilicet terrena. In Psal. lix, 4, supra : *Commovisti terram, et conturbasti eam.* Isa. vii, 2 : *Commotum est cor ejus, et cor populi ejus, sicut moventur ligna silvarum a facie venti.* Job, xxxvii, 1 : *Super hoc expavit cor meum, et emotum est de loco suo.*

5 « *Montes sicut cera.* » Hic ostenditur modus commutationis, quia commovebuntur vehementer. Primum, quantum ad montes. Secundum, quantum ad partes terræ quæ sunt in plano, ibi, « *A facie Domini.* »

Dicit ergo : Sic commovebitur terra, et in tantum, quod « *montes fluxerunt,* » hoc est, fluent, « *a facie,* » id est, præsentia, « *Domini* » venientis ad judicium, « *sicut cera a facie ignis,* » cito et vehementer. Isa. lxiv, 1 : *Utinam disrumperes cœlos, et descenderes : a facie tua montes defluerent.* Psal. lxvii, 3 : *Sicut fluit cera a facie ignis, sic pereant,* etc. Propter hoc dicitur, Isai. ii, 12, de spiritualibus montibus : *Dies Domini exercituum super omnem superbum, et excelsum, et super omnem arrogantem : et humiliabitur.* A facie autem Domini in cruce pendentis deberent *montes,* Prælati Ecclesiæ et Doctores, lacrymis compassionis defluere, a facie venturi ad judicium lacrymis doloris et anxietatum : et sic esset, si Spiritu sancto essent afflati, quia dicitur in Psal. cxlvii, 18 : *Flabit spiritus ejus, et fluent aquæ.* Sed magis defluunt luxuria multi, Ezech. xxiii, 20 : *Sicut fluxus equorum, fluxus eorum.* Et cupiditate, II Reg. xxii, 46 : *Filii alieni defluxerunt, et contrahentur in angustiis suis.*

« *A facie Domini,* » id est, a præsentia Domini sicut prius, « *omnis terra,* » etiam quæ est in plano fluxit, id est, fluet. Apoc. xvi, 20 : *Omnis insula fugit, et montes non sunt inventi.* Si enim montes in bono defluerent, omnis terra similiter in bono deflueret. Cum autem in malo defluunt, et alii similiter mali fiunt.

« *Annuntiaverunt cœli.* » Hic quasi 6
immutatio in superiori.

Ait enim : Sic movebitur terra : et « *cœli* tunc *annuntiaverunt,* » hoc est, annuntiabunt, qui ante silere videbantur, « *justitiam ejus,* » per mirabilia signa quæ in illis apparebunt. Luc. xxi, 25 : *Erunt signa in sole, et luna, et stellis.* Et infra, ℣. 26 : *Virtutes cœlorum movebuntur.* Joel, ii, 31 : *Sol convertetur in tenebras, et luna in sanguinem.* Apocal. vi, 12 : *Sol factus est niger quasi saccus cilicinus.*

Et nota, quod dicit, quod cœli an-

[1] Cf. Luc. xxi, 11.

Quales debent esse qui justitiam annuntiant? nuntiabunt justitiam. Justitiæ enim Dei annuntiatores debent esse cœli alti per contemplationem, clari per scientiam, mundi per puram castitatem. Psal. XLIX, 16 : *Peccatori autem dixit Deus : Quare tu enarras justitias meas ?* etc.

Secunda pars Psalmi. Manifestatio Christi judicis. « *Et viderunt omnes populi.* » Hic est secunda pars. Actum est enim in parte præcedenti de lætitia et exsultatione justorum propter immutationem mundi præambulam ad judicium, hic propter judicis apparitionem, et manifestationem : in quo dicuntur duo. Primo, judicis apparitio manifesta. Secundo, consequentia apparitionem illam, ibi, « *Confundantur omnes.* »

Dicit ergo : Sic immutabuntur omnia, ex quibus exsultare et lætari debent Sancti, et etiam « *viderunt,* » id est, videbunt, « *omnes populi gloriam ejus,* » ipsum, inquam, in humanitate glorificatum. Apocalyps. I, 7 : *Videbit eum omnis oculus, et qui eum pupugerunt.* Luc. XXI, 27 : *Tunc videbunt Filium hominis venientem in nube cum potestate magna, et majestate.*

Nec est contrarium quod dicitur Isa. XXVI, 10, secundum aliam litteram : Tollatur impius ne videat gloriam Dei[1]. Illud enim intelligetur de gloria divinitatis, quæ a solis mundis corde est visibilis, nec potest sine delectatione videri. Matth. V, 8 : *Beati mundo corde : quoniam ipsi Deum videbunt.* Et Joan. XVII, 3 : *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te,* etc. Quod potest etiam intelligi de adventu primo : tunc enim viderunt gloriam Dei aperte, vel oculo corporali, quibus præsens fuit, vel fidei, quibus per prædicatores suos innotuit. Luc. III, 6 : *Et videbit omnis caro salutare Dei*[2]. Baruch, III, 38 : *Post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est.*

« *Confundantur omnes.* » Hic tanguntur effectus consequentes ad hanc visionem : et dicuntur duo. Primo, exponuntur effectus. Secundo, subjunguntur rationes illorum effectuum, ibi, « *Quoniam tu Dominus.* »

In prima tria, secundum tria consequentia visionem judicis, quæ tangit. Primum est confusio reproborum. Secundum, reverentia Angelorum ei exhibenda, ibi, « *Adorate.* » Tertio, exsultatio communiter justorum, ibi, « *Audivit, et lætata est.* »

In prima duo. Primo, confusio adorantium idola, sculptilia condendo, et sculpendo facta. Secundo, fundendo : hæc enim dicuntur simulacra, ibi, « *Qui gloriantur.* »

Ait ergo : Sic videbitur a bonis : et tunc « *confundantur omnes qui adorant sculptilia,* » idola sculpendo facta. Isa. I, 29 : *Confundentur ab idolis, quibus sacrificaverunt : et erubescetis super hortis, quos elegeratis.* Et XLII, 17 : *Confundantur confusione qui confidunt in sculptili, qui dicunt conflatili : Vos dii nostri.* Et hoc est quod subjungitur :

« *Qui gloriantur in simulacris suis,* » supple, confundentur. Nec mirum : quia in Psal. CXIII, 4, infra : *Simulacra Gentium argentum et aurum, opera,* etc. Isa. XIX, 1 : *Commovebuntur simulacra Ægypti a facie ejus, et cor Ægypti tabescet in medio ejus.* Et nota, quod clericorum simulacra, sunt libri pulchri et curiosi : Prælatorum, nepotuli : militum, arma et equi : negotiatorum, denarii : fœminarum, ornatus pretiosi : et adulatorum, divites epulones, et Prælati.

« *Adorate eum.* » Hic secundum, reverentia ab Angelis exhibenda.

Quasi diceret : Sic confundentur qui adorant sculptilia, et simulacra, sed non sic Deus noster : imo o vos, « *omnes Angeli ejus,* » creatione, « *adorate*

[1] Vulg. habet, Isa. XXVI, 10 : *Misereamur impio, et non discet justitiam : in terra sanctorum iniqua gessit, et non videbit gloriam Domini.*
[2] Cf. Isa. XL, 5.

eum. » Ad Hebr. I, 6 : *Adorent eum omnes Angeli Dei.* Apoc. V, 14 : *Adoraverunt viventem in sæcula sæculorum.* Adorate admirando, timendo, humiliter ei obediendo, et ejus voluntatem ferventer exsequendo. Job, XXVI, 11 : *Columnæ cœli contremiscunt, et pavent ad nutum ejus.* Nota, quod Baal adorant, non Deum superbi, Beelzebub immundi, scilicet gulosi : Beelphegor luxuriosi, Dagon acediosi, Mercurium cupidi, Apollinem in scientiis curiosi.

8 « *Audivit.* » Hic tertium, scilicet justorum exsultatio. Primo, jam glorificatorum, et Deum ante judicium videntium, propter sui corporis resurrectionem gloriosam. Secundo, justorum qui vivi invenientur, propter judiciorum Dei revelationem.

Dicit ergo : Sic manifestabitur gloria Christi : mali confundentur, Angeli adorabunt : « *Audivit hoc Sion,* » id est, congregatio justorum jam Deum contemplantium, « *et lætata est,* » exspectans certissime corporis glorificationem. Hæc est illa Sion, de qua, supra, in Psal. LXXXVI, 2 : *Diligit Dominus portas Sion, super omnia tabernacula Jacob.* Exspectat ut corpus recipiat gloriosum, Ad Philip. III, 20 : *Salvatorem exspectamus,* etc. Tunc lætabitur, Zach. II, 10 : *Lauda et lætare, filia Sion, quia ecce venio cito.*

« *Et exultaverunt.* » Hic secundum, in quo tangit primo lætitiam, et adjungit causam quasi propriam, ibi, « *Propter judicia.* »

Ait enim : Sic lætabuntur illæ animæ : et etiam « *filiæ Judæ,* » animæ scilicet confitentes, et permanentes in fide, « *exsultaverunt.* » Isa. XL, 9 : *Dic civitatibus Juda,* Ecclesiis scilicet particularibus : *Ecce Deus vester.* Istæ sunt filiæ Judæ, de quibus Dan. XIII, 57 : *Sic faciebatis filiabus Israel,... sed filia Juda non sustinuit iniquitatem vestram.*

Et hoc « *propter judicia tua, Domine,* » non animo comprehensibilia. Ad Rom. XI, 33 : *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei ! quam incomprehensibilia sunt judicia ejus,* etc. Psal. XXXV, 7 : *Judicia tua abyssus multa.* Tunc autem erunt manifesta, I ad Cor. IV, 5 : *Veniet Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum,* judicia scilicet Dei, quæ quasi in profundissimis tenebris nunc sunt abscondita. Apoc. XV, 4 : *Omnes gentes venient, et adorabunt in conspectu tuo, quoniam judicia tua manifesta sunt.*

Posset legi ab illo loco, « *Audivit,* » sicut legit Glossa, ad primum adventum referendo. Audientes enim illi de primitiva Ecclesia, quæ per Sion intelligitur quantum ad majores, et per filias Judæ quantum ad minores, « *Judicia Dei,* » quod scilicet Gentes convertebantur ad fidem Christi, lætati sunt, et exsultaverunt vehementer, sicut habetur Act. X, 44 et seq. [1].

« *Quoniam tu Dominus altissimus.* » 9
Hic est secundum. Postquam enim tacta sunt consequentia ad manifestum adventum Christi, tangitur hic ratio consequentiæ illorum : et dicuntur tria, secundum tria consequentia. Primo, redditur ratio primi, scilicet confusionis idololatrarum. Secundo, secundi, adorationis scilicet Angelorum, ibi, « *Nimis exaltatus.* » Tertio, tertii, scilicet lætitiæ et exsultationis sanctorum, ibi, « *Qui diligunt Dominum.* »

Ait enim : Sic dixi, quod in adventu

[1] Act. X, 44 et seq : *Adhuc loquente Petro verba hæc, cecidit Spiritus sanctus super omnes qui audiebant verbum. Et obstupuerunt ex circumcisione fideles, qui venerant cum Petro : quia et in nationes gratia Spiritus sancti effusa est. Audiebant enim illos loquentes linguis, et magnificantes Deum.*

tuo, Domine, confundentur idololatræ. Et hoc, « *quoniam tu Dominus*, etc. » Vel sic continua : Propter judicia exsultabunt, quæ sunt, « *quoniam tu Dominus altissimus,* » in potentia, « *super omnem terram.* » Eccli. XLIII, 31 : *Terribilis Dominus, et magnus vehementer, et mirabilis potentia ipsius*, ut possit omnes idololatras confundere.

« *Nimis exaltatus es,* » quantum ad capacitatem humani intellectus, non quantum ad meritum, « *super omnes deos,* » id est, divinos scilicet Angelos : et propter hoc debent te adorare. Ad Ephes. I, 20 et 21 : *Constituens*, Jesum scilicet, *ad dexteram suam in cœlestibus supra omnem principatum et potestatem.* Principatus autem et potestates dii sunt. Psal. LXXXV, 8 : *Non est similis tui in diis, Domine.* Et alibi, Psal. LXXXI, 6 : *Ego dixi : Dii estis, et filii*, etc.

10 « *Qui diligitis.* » Hic tangitur ratio tertii : et dicuntur duo. Primo, ratio lætitiæ sanctorum ponitur. Secundo, ex illa ratione concluditur invitando sanctos ad illam, ibi, « *Lætamini.* »

In prima duo. Primo, tangitur ratio ex parte sanctorum viatorum adhuc. Secundo, jam beatorum, ibi, « *Lux orta est.* »

Ratio autem adhuc viatorum, est odium mali, et detestatio quam tangit, sanctos ad illud invitando : unde dicuntur duo. Primo, invitatio sanctorum ad mali odium, quod generabit in illis causam lætitiæ. Secundo, ratio invitationis, ibi, « *Custodit Dominus.* »

Invitat bonos ad mali odium.

Dicit ergo : Sic dixi, quod filiæ Judæ exsultaverunt propter divina judicia : et bene, quia dico vobis, vos « *qui diligitis Dominum, odite malum* » semper, ut sic gaudeatis in divinis judiciis. Ad immediatum continuat Glossa. Talis est Dominus, et propter hoc, « *qui diligitis Dominum,* » quod præcipitur, Deuter. VI, 5 : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*[1]. « *Odite malum* : » hoc enim sequens est ad illud, quia Deus hoc mandat. Amos, V, 15 : *Odite malum, et diligite bonum.* Joan. XIV, 15 : *Si diligitis me : mandata mea servate.* Et I Joan. II, 4 : *Qui dicit se nosse Deum, et mandata ejus non custodit, mendax est.* Et loquitur de notitia affectata. Propter hoc dicitur, Eccli. II, 18 : *Qui diligunt Dominum, conservabunt viam illius.* Malum etiam potest appellare diabolum, cum quo Deus diligi non potest. Matth. VI, 24 : *Nemo potest*, etc. Vel mundum, de quo I Joan. V, 19 : *Mundus totus in maligno positus est :* quem qui diligit, Deum odit. Jacob. IV, 4 : *Quicumque voluerit amicus esse sæculi hujus, inimicus Dei constituitur.*

« *Custodit Dominus.* » Hic ratio duplex quare acquiescendum admonitioni. **11**
Primo, quia Dominus tales custodit in bono. Secundo, quia liberat a malo, ibi, « *De manu.* »

Dicit ergo : Sic dico, quod malum odiatis, qui Deum diligitis, quia hic est fructus : « *Custodit Dominus,* » in bono in quo sunt, « *animas sanctorum suorum,* » malum scilicet odientium. Psal. CXLIV, 20 : *Custodit Dominus omnes diligentes se.* Et hoc verum est maxime quantum ad animas. Job, IX, 24 : *Terra data est in manus impii.* Sed Sap. III, 1 : *Justorum autem animæ in manu Dei sunt.* Job, II, 6 : *Verumtamen animam illius serva.* Sap. XI, 27, assignatur causa, quia dicitur : *Domine, qui amas animas.*

« *De manu.* » Hic secundum. Quasi diceret : Non solum in bono in quo sunt, custodit, sed et « *de manu peccatoris,* » dæmonis scilicet potestate, « *liberabit eos.* » Hoc petit David supra : *Eripe me de manu peccatoris*[2]. Eccli. LI, 4 : *Liberasti me secundum multitudinem misericordiæ*

[1] Cf. etiam similiter Matth. XXII, 37.

[2] Psal. LXX, 4.

tuæ. Osee, XIII, 14 : *De manu mortis liberabo eos*.

« *Lux orta est.* » Hic est secundum, in quo tangitur causa lætitiæ in beatis de judiciis divinis : et tangitur duplex. Prima, mentis illustratio, qua videbunt plenissime veritatem : et hoc respicit intellectum. Secunda, repletio lætitiæ, quod pertinet ad affectum, ibi, «*Rectis corde.* »

Dicit ergo : Sic justi viatores, vel non adhuc glorificati, lætabuntur in judiciis : quia malum odiunt : et etiam justus jam glorificatus, quia « *lux,* » cognitio scilicet aperta veritatis, « *orta est justo.* » Malach. IV, 2 : *Orietur vobis timentibus nomen meum,* quod justorum est, *Sol justitiæ.* Isa. XXVI, 19 : *Ros lucis,* quam rorabis super sanctos tuos, *ros tuus.* « *Et rectis corde,* » justis, qui diligunt. Cantic. I, 3 : *Recti diligunt te.* « *Lætitia*, » supple, est orta a Deo. Psal. LXXII, 1 : *Quam bonus Israel Deus his, qui recto sunt corde !* Isa. LI, 11 : *Venient in Sion laudantes, et lætitia sempiterna super capita eorum.* Et rursus in eodem, ℣.11 : *Gaudium et lætitiam tenebunt, fugiet dolor et gemitus.*

Thema pro festo Epiphaniæ, et Nativitatis Domini et B Virginis.

Et potest esse thema in Apparitione. Tunc enim « *lux,* » stella scilicet, quæ est secundum Philosophos congregatio lucis in corpore quinto, « *orta est justo,* » ad ostensionem et honorem justi, Christi scilicet, de quo Jerem. XXIII, 6 : *Et hoc est nomen*, novum scilicet, *quod vocabunt eum, Dominus justus noster.* Et ex hoc ipso, « *rectis corde,* » tribus scilicet Magis, lætitia. Matth. II, 10 : *Videntes autem stellam Magi, gavisi sunt gaudio magno valde.*

Potest etiam esse thema in Christi Nativitate. Ipse enim est *lux*. Joan. I, 9 : *Erat lux vera, quæ illuminat*, etc. Hæc lux erat in corde Patris abscondita. Job, XXXVI, 32 : *In manibus abscondit lucem*, in potestate sua scilicet. Sed postmodum sparsit ipse in mundum, per Virginem matrem. Job, XXXVIII, 24 : *Per quam viam spargitur lux ?* Per Mariam sparsit lucem ad illuminandum intellectum, in nativitate Filii. Dividitur æstus tunc, aut æstus tunc divisus est, quando dispertitæ linguæ tamquam ignis super Apostolos visæ sunt, scilicet in Pentecoste. Hæc « *lux orta est justo,* » in tenebris hujus vitæ degenti. Isa. IX, 2 : *Habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis.* « *Et rectis corde,* » pastoribus, credentibus ipsis etiam peccatoribus, et in superna tendentibus, « *lætitia.* » Luc. II, 10 : *Ecce evangelizo vobis gaudium magnum*, etc.

Potest etiam esse thema in Virginis Matris nativitate. Ipsa enim est *lux*, de qua in Psal. XLII, 3 : *Emitte lucem tuam, et veritatem tuam.* Quia orta gaudium attulit, non tantum rectis corde, sed etiam cunctis, sed magis justis. Esther, VIII, 16 : *Judæis nova lux oriri visa est, gaudium, honor, et tripudium.* Fuit autem lux auroræ in propria nativitate : sed lux lunæ in Filii Dei conceptione : sed lux solis in Filii parturitione. Cantic. VI, 9 : *Quæ est ista quæ progreditur, quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol ?* Sed lux stellæ in peccatorum susceptione : stellæ enim de nocte lucent, et ipsam illuminant. Num. XXIV, 17 : *Orietur stella ex Jacob, et virga consurget de Israel.* Judith, XV, 10 : *Tu gloria Jerusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri.*

« *Lætamini, justi, in Domino.* » Hic secundum hujus partis, inqua præmissa ratione multiplici de lætitia bonorum super divina justitia, subjungitur ipsorum invitatio, quasi concludendo ad lætitiam in Deo, et confessionem : et secundum hoc dicuntur duo. Primo, invitatio ipsorum ad lætitiam interiorem cordis. Secundo, etiam ad exteriorem oris, ibi, « *Et confitemini.* » 12

Dicit ergo : Sic justis orta est lux, et lætitia. Ergo « *justi, lætamini,* » in corde interius, « *in Domino.* » Alibi, in Psal. XXXI, 11 : *Lætamini in Domino, et exsul-*

tate, justi. Et alibi, Psal. XXXIV, 9 : *Anima mea exsultabit in Domino*, non in mundo. Ad Philip. IV, 4 : *Gaudete in Domino semper : iterum dico, gaudete.* In mundo enim non est gaudendum, sed gemendum, quoniam pressuræ in eo sunt. Joan. XVI, 33 : *In mundo pressuram habebitis*, etc.

« *Et confitemini,* » ore. Ad Roman. X, 10 : *Ore autem confessio fit ad salutem.* « *Memoriæ sanctificationis ejus,* » id est, quia memor fuit ut nos sanctificaret. Isa. XLIX, 15 : *Numquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui ? et si illa oblita fuerit*, etc. Sanctificavit, inquam, per proprium Filium, quem fecit sanctificationem nostram. I ad Corinth. I, 30 : *Qui factus est nobis sapientia a Deo, et justitia, et sanctificatio, et redemptio.*

Posset etiam legi : « *Confitemini memoriæ sanctificationis ejus,* » id est, confitemini habendo memoriam, quod ipse nos sanctificavit, et lavit in sanguine proprio. Apocal. I, 5 : *Qui dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo.* Et hoc vult nos habere in memoriam. Thren. III, 19 : *Recordare paupertatis, et transgressionis meæ, absynthii, et fellis.* Et subjungitur, ℣. 20 : *Memoria memor ero.* Delectabilis et dulcis memoria. Supra, in Psal. LXXVI, 4 : *Memor fui Dei, et delectatus sum*, jam in spe æternorum, postmodum in re : ad quam lætitiam nos perducat, qui est benedictus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS XCVII.

Hortatio ad congratulandum Christo venturo.

1. *Psalmus ipsi David.*
Cantate Domino canticum novum, quia mirabilia fecit.
Salvavit sibi dextera ejus, et brachium sanctum ejus.
2. Notum fecit Dominus salutare suum : in conspectu gentium revelavit justitiam suam.
3. Recordatus est misericordiæ suæ, et veritatis suæ domui Israel.
Viderunt omnes termini terræ salutare Dei nostri [1].
4. Jubilate Deo, omnis terra : cantate et exsultate, et psallite.
5. Psallite Domino in cithara : in cithara et voce psalmi :
6. In tubis ductilibus, et voce tubæ corneæ.
Jubilate in conspectu regis Domini:
7. Moveatur mare, et plenitudo ejus : orbis terrarum, et qui habitant in eo.
8. Flumina plaudent manu, simul montes exsultabunt
9. A conspectu Domini, quoniam venit judicare terram.
Judicabit orbem terrarum in justitia, et populos in æquitate.

[1] Isa. LII, 10 ; Luc. III, 6.

IN PSALMUM XCVII

COMMENTARIUS.

1 *Psalmus ipsi David* [1].

« *Cantate Domino.* » Hic est Psalmus nonagesimus septimus in toto libro, in secunda vero parte quadragesimus septimus. Postquam enim egit de lætitia justorum, pro eis quæ erant antecedentia ad judicium, mundi scilicet immutatione, et judicis manifestatione, hic pro eo quod erit in ipso judicio, scilicet pro judicis æquitate, sicut patet in conclusione totius hujus Psalmi. Sed quia magis apparet judicantis in adventu secundo æquitas, si manifestetur redimentis benignitas, agitur etiam de primo adventu.

Argumentum Psalmi: Lætitia fidelium ex utroque adventu Christi.

Præmittitur autem titulus satis per se notus, « *Psalmus ipsi David.* »

Dividitur autem Psalmus in duas partes, secundum duo præacta. Primo enim agit de lætitia et exsultatione ipsius Ecclesiæ, ipsam ad hanc invitando pro primo adventu. Secundo, pro secundo, ibi, « *Jubilate Deo, omnis terra.* »

In prima duo. Primo, ponit invitationem. Secundo, rationem quare sit exsultandum in Deo, et lætandum, ibi, « *Quia mirabilia.* »

In prima duo. Primo, invitatio ad exsultationem. Secundo, determinatio modi quo exsultandum est eis, et lætandum, ibi, « *Canticum novum.* »

Prima pars Psalmi. Cantus impedimenta.

Dicit ergo : Sic lætandum causis superius expressis, et etiam adhuc dico : « *Cantate,* » ad honorem et laudem Domini, non quolibet modo, sed « *canticum novum.* » Et nota, quod raucedo impedit ne possit homo cantare. Raucus fit homo per siccitatem nimiam. Hic est avarus, qui totus aridus est. Psal. XXI, 16 : *Aruit tamquam testa virtus mea.* Et etiam per clamorem nimium. Hic est advocatus, qui tota die clamat in foro, nec potest in choro. Psal. LXVIII, 4 : *Laboravi clamans, raucæ factæ sunt fauces meæ.* Nec leprosus : impedit enim lepra. Ad litteram, leprosus non celebrat : hic est Simoniacus, qui proprie leprosus dicitur. IV Reg. V, 27 : *Lepra Naaman adhærebit tibi,* dictum est Giezi, qui spiritualia vendidit. Impedit etiam locus : non enim ubique cantandum. Psal. CXXXVI, 4 : *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena ?* Sic arcetur piger et somnolentus, qui non vult dicere horas in Ecclesia, sed in camera. Impedit etiam pinguedo, quando est nimia, scilicet abundantia rerum temporalium, et comessatio nimia. Judic. III, 17 : *Erat autem Eglon crassus nimis.* Eglon enim interpretatur *festivitas inutilis.* Quasi diceret : Ubi est pinguedo nimia, ibi est festivitas inutilis, non ad lætandum in Deo, et cantandum. Impedit etiam tristitia. Eccli. XXII, 6 : *Mu-*

[1] Ce psaume, dit M. Lesêtre, a une très grande ressemblance avec le psaume XCV dont il emprunte le début et la conclusion ; il reproduit le même sujet, mais avec quelques traits nouveaux. L'hébreu l'intitule simplement *mizmor*, et les Septante ajoutent le nom de David, mais sans raison suffisante, car ce que nous avons ici est bien plutôt une composition liturgique postérieure, dont l'auteur a puisé les principaux éléments dans les écrits précédents. Le psalmiste célèbre le secours merveilleux que le Seigneur a accordé à son peuple. On ne sait s'il a en vue quelque fait particulier, comme la délivrance de la captivité ; il est fort possible que son chant ait un objet plus général, et célèbre le souvenir de tout ce que Jéhova a fait pour son peuple. Le syriaque signale une circonstance spéciale, « de redemptione populi ex Ægypto, » type de toutes les délivrances subséquentes.

Le sens messianique est le même que dans les psaumes précédents. « Utrumque Salvatoris adventum præcinit, sed plura de priore enarrat. » Theod.

sica in luctu, importuna narratio. Sic arcetur acediosus, qui tristis est semper. Impedit etiam interdictum. Amos, vi, 11 : *Tace, et non recorderis nominis Domini.* Contra quod Esther, xiii, 17 : *Ne claudas ora te canentium.* Sic arcetur superbus, qui ab aliis se separat, nec vult esse communis aliis. Et mors etiam impedit. Psal. cxiii, 17 : *Non mortui laudabunt te, Domine.* Sic arcetur luxuriosus, qui tamquam mortuus computrescit in stercore proprio. Joel, i, 17 : *Computruerunt jumenta.*

Triplex ratio quare debeamus cantare Domino canticum novum.

« *Quia mirabilia fecit.* » Hic secundum, in quo subjunguntur rationes, quare cantandum : et dicuntur tria, secundum tres rationes, quas assignat. Prima, operatio mirabilium, quod spectat ad Deum. Secundo, salvatio hominum, quod respicit ad bonitatem, ibi, « *Salvavit sibi.* » Tertia, manifestatio, quod pertinet ad veritatem seu sapientiam, ibi, « *Notum fecit Dominus.* »

Dicit ergo : Sic cantate canticum novum, et debetis, « *quia mirabilia fecit.* » Isa. xii, 5 : *Cantate Domino, quoniam magnifice fecit.* Mirabilibus novis debetur canticum novum, et ipse implevit illud Eccli. xxxvi, 6 : *Innova signa, immuta mirabilia.* Job, v, 9 : *Qui facit magna et inscrutabilia.* Sed quænam mirabilia fecit? In incarnatione Matrem sine corruptione concipere, sine labore in utero portare, sine dolore parere. Propter hoc dicitur, Isa. ix, 6 : *Vocabitur nomen ejus Admirabilis.* Mirabilia in conversatione, quia fecit claudos currere, cæcos videre, mortuos vivere. Luc. v, 26 : *Magnificabant Deum. Et repleti sunt timore, dicentes : Quia vidimus mirabilia hodie.* In passione, quia tradidit Filium pro inimicis, judicem pro damnatis, primum pro novissimis. Isa. xxv, 1 : *Domine Deus meus, exaltabo te, et confitebor nomini tuo.* Mirabilia in Sacramenti altaris institutione, quando dedit sanguinem in potum, carnem in cibum. Psal. cx, 4 : *Memoriam fecit mirabilium suorum, escam dedit timentibus se.*

Mirabilia quæ operatus est Christus.

Salvavit sibi. Hic secunda ratio, scilicet hominum salvatio per Filium Dei : in quo dicuntur duo. Primo, per quem facta sit salvatio, quia per Filium. Secundo, qualiter per illum, ibi, « *Et brachium.* »

Dicit ergo : Sic dixi, quod mirabilia fecit : et hoc unum de mirabilibus quia « *dextera ejus,* » Filius scilicet, qui est dextera Patris. Cant. ii, 6 : *Dextera illius amplexabitur me,* ut extrahat me a periculo. Hoc est quod subdit : « *Salvavit,* » id est, salutem fecit, « *sibi,* » id est, ad honorem Dei. Psal. cxvii, 16 : *Dextera Domini fecit virtutem.* Luc. xix, 10 : *Venit Filius hominis quærere et salvum facere quod perierat.*

« *Et brachium.* » Hic est secundum : in brachio enim fortitudo notatur. Unde cum dixit, « *Et brachium sanctum ejus salvavit,* » id est, salutem fecit, intelligitur salvasse fortiter hoc brachium, de quo Isa. liii, 1 : *Et brachium Domini cui revelatum est ?* Isa. lxiii, 5 : *Salvavit mihi brachium meum.* Et lix, 16 : *Salvavit sibi brachium suum.* Job, xl, 4 : *Si habes brachium sicut Deus, et simili voce tonas.* Luc. i, 51 : *Fecit potentiam in brachio suo.*

Notum fecit. Hic tertium, scilicet tertia ratio, quare cantandum, scilicet Salvatoris manifestatio. Secundo, quibus facta fuit, ibi, « *In conspectu Gentium.* » 2

Dicit ergo : Sic fecit mirabilia, sic salvavit, propter quod cantandum : et etiam « *salutare suum,* » dexteram illam per quam salvavit, « *et brachium,* » de quo dicebat Jacob, Genes. xlix, 18 : *Salutare tuum exspectabo, Domine.* « *Notum fecit Dominus,* » ipsum aperte manifestando mundo. Baruch, iii, 38 : *Post hæc in terris visus est.* Luc, ii, 30 : *Viderunt oculi mei salutare tuum :* quem viderunt certe, et cognoverunt sibi Salvatorem

promissum Judæi, et suum Deum. Psal. LXXV, 2 : *Notus in Judæa Deus.*

« *In conspectu.* » Hic secundum, in quo ostendit quibus. Et primo, quod Gentibus. Secundo, quod Judæis, ibi, « *Recordatus est.* » Tertio, quod simul omnibus, ibi, « *Viderunt omnes.* »

Dicit ergo : Sic dixi, quod notum fecit salutare : et bene dixi, quia « *in conspectu Gentium,* » Gentilium ad litteram, « *revelavit justitiam suam,* » id est, Christum, qui dicitur, sicut dicit Glossa, *salutare,* quia salvat : *justitia,* quia justificat. I ad Corinth. I, 30 : *Factus est nobis sapientia a Deo, et justitia.* Psal. XIII, 2 : *Justitia de cœlo prospexit.*

3 « *Recordatus est.* Hic secundum, in quo ostendit Judæis manifestatum : et dicuntur duo. Primo, manifestatio propter misericordiam promittentem adimplendam. Secundo, propter veritatem, solutionem promissi exigentem, ibi, « *Et veritatis suæ.* »

Dicit ergo : Sic revelavit ipsum in conspectu Gentium, et etiam « *recordatus est* » in effectu, salutare scilicet mittendo, ostendendo, « *misericordiæ suæ,* » quamvis videretur oblitus. Habac. III, 2 : *Cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis.*

« *Et veritatis suæ,* » qua debuit solvere promissum factum domui Israel. Mich. VII, 20 : *Dabis veritatem Jacob, misericordiam Abraham.* Ad Roman. XV, 8 : *Dico enim Jesum Christum ministrum fuisse circuncisionis propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones patrum.* Ad Israel enim in propria persona missus est, sicut ipse dixit, Matth. XV, 24 : *Non sum missus nisi ad oves, quæ perierunt domus Israel.* Luc. I, 54 : *Suscepit Israel puerum suum.*

« *Viderunt omnes.* » Hic tertium, in quo ostendit manifestatum simul omnibus, Gentibus scilicet et Judæis. Et quid dicam ? « *Viderunt omnes termini terræ,* » oculo interiori fidei, quo videmus hic in via. I ad Corinth. XIII, 12 : *Videmus nunc per speculum in ænigmate.* De omni enim terra usque ad terminos habitationis audierunt prædicationem Apostolorum, et crediderunt aliqui. Psal. XVIII, 5 : *In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum.* « *Salutare Dei nostri,* » a Deo Patre nostro scilicet datum. Isa. IX, 6 : *Parvulus natus est nobis, et filius datus est nobis.* Et omnibus, Ad Roman. VIII, 32 : *Qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.*

Salutare Dei spiritualiter loquendo, est pœnitentia. Ipsa enim salvat a malo, quod peccatoribus Dominus comminatur. Jerem. XVIII, 8 : *Si pœnitentiam egerit gens illa a malo suo, quod locutus sum adversus eam : agam et ego pœnitentiam super malo, quod cogitavi ut facerem ei.* Et vitam æternam dat. Matth. III, 2 : *Pœnitentiam agite : appropinquavit enim regnum Dei.* Hoc salutare non vult videre terra, divites hujus mundi, dicentes illud Job, XXI, 14 : *Recede a nobis, et scientiam viarum tuarum nolumus.* Sed « *fines terræ,* » pauperes, in quibus terrenitas est finita. Illi vident intellectu et affectu. Matth. XI, 25 : *Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis.* **Effectus pœnitentiæ.**

« *Jubilate Deo.* « Hic secunda pars Psalmi, in qua invitat ad exsultationem pro secundo adventu, et æquitate judicis in illo : et dicuntur tria. Primo, tangitur modus exsultationis, et laudis, ad quam invitat. Secundo, distincte determinat quos invitat, ibi, « *Jubilate in conspectu.* » Tertio, causa, quare tales invitat, ibi, « *Quoniam venit judicare terram.* » 4 **Secunda pars Psalmi.**

In prima tria. Primo, invitat ad laudem et exsultationem cordis. Secundo, oris, ibi, « *Cantate.* » Tertio, operis, ibi, « *Exsultate.* »

Dicit ergo : Sic monui ad canticum et exsultationem propter adventum primum, et addo : « *Jubilate,* » lætitia cordis tanta, quod omnino taceri non possit, nec penitus exprimi, « *omnis terra.* » Isa. XLIX, 13 : *Jubilate, montes, laudem.* Zach. IX, 9 : *Jubila, filia Jerusalem.* Et bene dicit : » *Omnis terra :* » nullus enim expers beneficii. Et Psal. XVIII, 7 : *Nec est qui se abscondat a calore ejus.* Matth. v, 45 : *Solem suum oriri facit super bonos, et malos, et pluit super justos et injustos.* Et propter hoc nullus debet esse, qui non laudet. Psal. LXVIII, 35 : *Laudent illum cœli et terra, mare,* etc.

« *Cantate* » voce. Isa. XII, 5 : *Cantate Domino, quoniam magnifice fecit.*

« *Et exsultate, et psallite.* » Hic tertium, in quo monet lætari in opere : et dicuntur duo. Primo, monet lætanter bonum operari. Secundo, addit de modo lætitiæ illius, ibi, « *Psallite Domino.* »

Dicit ergo : Sic jubilate, et cantate, « *et exsultate, et psallite :* » conjunctim potest legi, id est exsultanter psallite, id est, operamini : psallere enim, sicut frequenter dictum est, est operari. Judic. v, 3 : *Ego sum ego sum quæ Domino canam, psallam Domino Deo Israel.* Eccli. XXXV, 11 : *In omni dato hilarem fac vultum tuum.* II ad Corinth. IX, 7 : *Hilarem datorem diligit Deus.*

5 « *Psallite Domino.* » Hic secundum, in quo magis exprimit modum, quo vult nos psallere. Primo, cum carnis mortificatione per abstinentiam. Secundo, cum honesta conversatione, cum addit : « *Et voce Psalmi.* » Tertio, cum sanctorum imitatione, « ibi, « *In tubis ductilibus.* »

Commendatur discreta carnis mortificatio.

Dicit ergo : Dixi, quod psallatis, et ecce modum addo quo psallere debetis. « *Psallite Domino in cithara.* » Apocal. XIV, 2 : *Et vocem, quam audivi, quasi citharœdorum citharizantium in citharis suis.*

« *In cithara,* » repetit, ut excitet attentionem : intenti enim debemus esse in carnis mortificatione, ne tantum faciamus ut naturam destruamus. Ad Roman. XII, 1 : *Rationabile obsequium vestrum.* Genes. IV, 23, Lamech credidit se occidere feram, et occidit hominem. Vel ob hoc repetit, ut ostendat duplicem esse citharam, mortificationis carnis, de qua Job, XXX, 31 : *Versa est in luctum cithara mea.* Et compassionis ad alios, Isa. XVI, 11 : *Venter meus ad Moab quasi cithara sonabit.*

« *Et voce Psalmi.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic cum cithara psallite, et etiam cum « *voce Psalmi,* » ita ut vestrum psallere sit aliis vox et ædificatio ut idem agant. Matth. v, 16 : *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona,* etc. Vel secundum Glossam primo dicit, « *Psallite Domino in cithara,* » et post ordine contrario, « *In cithara, et voce Psalmi,* » ut monstretur æqualiter intendendum carnis mortificationi, et bono operi.

« *In tubis ductilibus.* » Hic tertium, 6
in quo dicuntur duo. Primo, ut psallant in imitatione Martyrum, qui fuerunt tubæ ductiles, martyrii et persecutionum malleis producti. Secundo, in imitatione Confessorum, qui fuerunt tubæ corneæ, ibi, « *Et voce.* »

Dicit enim : Psallite in cithara, et voce psalmi, et etiam « *in tubis,* » id est, in Prædicatorum imitatione, qui tubæ sunt. Isa. LVIII, 1 : *Quasi tuba exalta vocem tuam :* « *ductilibus* » malleo martyrii et passionum. Hoc dicitur de illis duabus magnis tubis, et ductilibus, Petro scilicet, et Paulo. Numer. x, 2 : *Fac tibi duas tubas argenteas ductiles, quibus convocare possis multitudinem.*

Prædicatores, tubæ corneæ.

« *Et voce tubæ.* » Et psallite in « *voce tubæ corneæ,* » ad similitudinem tubarum de cornu, quales fuerunt sancti Confessores, qui *tubæ* fuerunt per prædicationem, sed *corneæ* per carnis subjectionem, sicut cornu carnem subjicit sibi et situ et natura. Tale cornu erat, qui dicebat, I ad Corinth. IX, 27 : *Castigo corpus meum, et in servitutem redigo : ne forte, cum aliis prædicaverim,* etc.

« *Jubilate in conspectu.* » Hic tertium, in quo distincte determinat quos invitet. Quia primo, Angelos, in conspectu Dei jugiter assistentes. Secundo, homines, ibi, « *Moveatur mare.* »

Dicit ergo : Sic ad laudem et exsultationem invito, sed specifice vos et dico, « *Jubilate,* » existentes « *in conspectu regis Domini,* » regnantis per sapientiam, dominantis per ipsam. Isti sunt Angeli qui semper in conspectu Dei assistunt, unde unus illorum loquens Tobiæ, dixit in cap. XII, 15 : *Ego sum Raphael Angelus, unus ex septem qui adstamus ante Dominum.* Matth. XII, 10 : *Angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est.* Et sine dubio jubilant, Job, XXXVIII, 4, 7 : *Ubi eras,... cum me laudarent simul astra matutina, et jubilarent omnes filii Dei,* Angeli scilicet sancti ?

7 « *Moveatur mare.* » Hic invitat homines, et primo, pœnitentes. Secundo, proficientes in bono, ibi, « *Orbis terrarum.* » Tertio, Prælatos aliis doctrinæ fluenta influentes, ibi, « *Flumina.* » Quarto, perfectos, ibi, « *Montes.* »

Dicit ergo : Sic, o vos Angeli, jubilate, « *et mare moveatur,* » pœnitentes scilicet adhuc existentes in amaritudine. Hoc mare, juxta quod Jesus ambulabat, Matth. IV, 18 : *Ambulans autem Jesus juxta mare Galilææ,* etc. Genes. XLIX, 13 : *Zabulon in littore maris ambulabit.* Zabulon, cervus emissus [1], signat Christum emissum de cœlo, tamquam cervum velocissimum. Cant. II, 8 : *Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles.*

« *Et plenitudo ejus,* » maris scilicet, hoc est, in plena amaritudine existentes, et ipsam totam haurientes, secundum illud Deuter. XXXIII, 19 : *Inundationem maris, quasi lac sugent.*

« *Orbis terrarum :* » et ne credas ipsum loqui de orbe materiali, addit, « *et qui habitant in eo,* » id est, qui sunt in orbe digni hoc nomine. Isti sunt qui fructificant in bonis operibus, et ipsa communicant aliis circumquaque sicut orbis. De hoc orbe, Sap. I, 7 : *Spiritus Domini replevit orbem terrarum.*

« *Flumina plaudent.* » Hic tertium. 8

Comparatio prædicatorum cum fluminibus.

Quasi diceret : Hic lætentur pœnitentes, sicut et proficientes : et etiam « *flumina,* » Prælati scilicet et Doctores sancti, Spiritu sancto pleni, et aliis influentes, « *plaudent manu.* » Eccli. XXIV, 40 : *Ego sapientia, effudi flumina super terram.* Unde quatuor fluminibus fluentibus de paradiso [2], comparantur quatuor Evangelistæ. Psal. XLV, 5 : *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei.* Apocalyps. XXII, 1 : *Ostendit mihi fluvium,* sanctum scilicet virum, *procedentem de sede Dei,* de Dei ordinatione et dispositione, in qua sedet stabiliter sicut homo in sua sede.

« *Simul.* » Ecce quartum. Quasi diceret : Sic plaudent flumina : et « *simul montes,* » viri perfecti et stabiles, « *exsultabunt in conspectu Domini.* » Isa. LV, 12 : *Montes et colles cantabunt*

[1] Hæc interpretatio, *cervus emissus*, proprie convenit Nephthali, uti patet ex aliis locis, et præcipue ex Genesi, XLIX, 21 : *Nephtali, cervus emissus*. Cf. Commentarium in Psal. XCVI, ad ỳ. 1, superius.

[2] Cf. Genes. II, 10 et seq.

coram Deo laudem[1]. Et est argumentum, quod Sancti lætabuntur in adventu Christi ad judicium. Isa. LII, 8 : *Simul laudabunt, quia oculo ad oculum videbunt.* Et hoc erit satis cito, etsi tarde videatur, quia Jacobus dicit, v, 9 : *Ecce judex ante januam assistit.*

Glossa legit etiam aliter referendo ad adventum primum, appellans mare, legem amaram Mosaicam, quæ commota est, et dulcis facta per appositionem ligni crucis, sicut significatum fuit Exod. xv, 23 et seq. Et ejus plenitudo, scilicet legalia sacramenta. Orbem etiam terrarum appellat Gentilitatem, quæ commota est ad conversionem. Supra, in Psal. LIX, 4 : *Commovisti terram, et conturbasti eam.* Legit etiam referendo ad secundum, mare appellans sæculum, quod timore commovebitur, Domino ad judicium veniente. Supra, in Psal. CIII, 25 : *Hoc mare magnum, et spatiosum manibus,* cujus plenitudo sunt homines pleni iniquitate et peccatis. Ad Roman. I, 29 : *Repletos omni iniquitate, et malitia.* Orbis terrarum proprie sumitur, qui commovebitur in faciem meliorem. II Petr. III, 13 : *Novos cœlos, et novam terram, secundum promissa ipsius exspectamus.* Apoc. XXI, 5 : *Ecce nova facio omnia.*

« *Quoniam venit.* » Hic tangitur ratio
9 et causa quare invitat ad exsultationem : et tanguntur duo. Adventus judicis, et æquitas judicii, ibi, « *Judicabit orbem.* »

Dicit ergo : Sic jubilent, et exsultent a conspectu Domini : « *quoniam venit* », supple, Dominus, « *judicare terram.* » Isa. III, 14 : *Dominus ad judicium veniet cum senibus populi sui.* Joan XII, 31 : *Nunc judicium est mundi.*

« *Judicabit orbem terrarum.* » Hic secundum, in quo pro causa lætitiæ, tangitur æquitas judicii, quæ est in duobus. Primo, in meritorum discussione. Secundo, in distributione post discussionem admixta pietate, ibi, « *Et populos in æquitate.* »

Dicit ergo : Sic gaudebunt, quia Dominus venit, et judicabit orbem terrarum, ad litteram habitatores orbis terrarum, duscutiendo merita singulorum. Mich. VI, 2 : *Judicium Domini cum populo suo, et cum Israel dijudicabitur.* Daniel. VII, 10 : *Judicium sedit et libri aperti sunt,* et alius liber apertus est, qui est liber vitæ, et judicati sunt super ea quæ scripta erant in libris.

« *Et populos.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic judicabit singulorum merita, et post « *judicabit populos,* » eis retribuendo « *in æquitate,* » sicut æquum est, hoc est, secundum sua merita, ita tamen quod omnino non sint sine misericordia relaxante aliquid quantum ad malos, cumulante majora præmia quantum ad bonos. II ad Corinth. v, 10 : *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum.* Et Matth. XVI, 27 : *Reddet unicuique secundum opera sua.* I ad Corinth. III, 8 : *Unusquique propriam mercedem accipiet secundum suum laborem.*

Vel secundum Glossam, posset referri primum quod dicit, « *Judicabit orbem terræ in justitia,* » ad malos, qui in terra sunt, quia terram diligunt : et orbis sunt, quia circuierunt. Psal. XI, 9 : *In circuitu impii ambulant.* Quos judicabit in justitia Deus, sine misericordia scilicet salvante, non tamen sine relaxante aliquid de pœna. Jacob. II, 13 : *Judicium sine misericordia illi, qui non fecit misericordiam.* Secundum autem ab bonos potest referri, qui per populos designantur, quibus retribuet in æquitate : quia secundum quod meruerunt. Luc.

[1] Vulg. habet, Isa. LV, 12 : *Montes et colles cantabunt coram vobis laudem.*

vi, 38 : *Eadem mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis :* et plus addet ex misericordia ut justitia fiat æquitas. In eodem Luc. vi, 38 : *Mensuram bonam, et confertam, et coagitatam, et supereffluentem dabunt in sinum vestrum :* qua mensura nos remuneret, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS XCVIII.

Exaltatur Christi potestas, et omnes ad eum colendum provocantur.

1. *Psalmus ipsi David.*
Dominus regnavit : irascantur populi : qui sedet super cherubim : moveatur terra.
2. Dominus in Sion magnus, et excelsus super omnes populos.
3. Confiteantur nomini tuo magno, quoniam terribile et sanctum est,
4. Et honor regis judicium diligit.
Tu parasti directiones : judicium et justitiam in Jacob tu fecisti.
5. Exaltate Dominum Deum nostrum, et adorate scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est.
6. Moyses et Aaron in sacerdotibus ejus, et Samuel inter eos qui invocant nomen ejus:
Invocabant Dominum, et ipse exaudiebat eos :
7. In columna nubis loquebatur ad eos.
Custodiebant testimonia ejus, et præceptum quod dedit illis.
8. Domine, Deus noster, tu exaudiebas eos : Deus, tu propitius fuisti eis, et ulciscens in omnes adinventiones eorum.
9. Exaltate Dominum Deum nostrum, et adorate in monte sancto ejus, quoniam sanctus Dominus Deus noster.

IN PSALMUM XCVIII

COMMENTARIUS.

1 *Psalmus ipsi David* [1].

« *Dominus regnavit: irascantur populi.* »

Psalmus invehitur in populos Christo regi iratos, et ad eum adorandum nos invitat exemplo antiquorum.

Hic est Psalmus nonagesimus octavus in toto libro, in secunda vero parte libri quadragesimus octavus. Cum enim actum sit in Psalmis præcedentibus de regno et gloria Christi, quia de gloria ejus et regno mali contristantur, Matth. ii, 3 : *Audiens autem Herodes Rex,* natum scilicet Regem, *turbatus est, et omnis Jerosolyma cum illo :* boni autem lætitia replentur, exsultant, et venerantur, Luc. ii, 10 : *Evangelizo vobis gaudium*

[1] C'est le troisième psaume qui commence par les mots *iehovah malack*, Jéhova règne. Il a ceci de remarquable qu'on y trouve enclavé le trisagion d'Isaïe, vi, 3 : *qadosh hou*, il est saint, ỳỳ. 3, 5, 9. Le psalmiste rappelant la souveraineté de Jéhova sur tous les peuples, s'applique à montrer ce qu'il a fait en particulier pour Israël : il a affermi son roi et fait régner la justice ; autrefois on l'invoquait et il se montrait propice aux supplications de ses serviteurs ; il faut donc encore se prosterner devant son arche sainte sur la montagne du Sion. Cette suite

magnum : in hoc Psalmo subjungitur quasi invectio contra malos, irascentes de regno Christi, et invitatio bonorum ad lætitiam, et sanctorum patrum ipsum venerantium antequam esset homo imitationem.

Titulus autem nihil habet novi, nec expositione indiget prolixiori.

Psalmus autem dividitur in duas partes. Primo, annuntiat Christi regiam potestatem, quasi malos subsannando, et excitando ad confitendum Christo. Secundo, invitat ad imitandum antiquos sanctos, in Christi veneratione, ibi, « *Exaltate Dominum.* »

In prima duo. Primum, regnum Christi annuntiat, velint nolint mali. Secundo, excitat ut resipiscant, ut Deo confiteantur, et ad fidem quæ de Christo est, se humilient, ibi, « *Confiteantur nomini.* »

In prima duo. Primo, annuntiatio regiæ potestatis in Christo, quantumcumque murmurent mali. Secundo, descriptio regnantis, ut magis qui offenduntur, timeant, ibi, « *Dominus in Sion.* »

In prima quatuor. Primo, exprimit dignitatem regiam Christi. Secundo, malorum iram, ibi, « *Irascantur.* » Tertio, repetit, ibi, « *Qui sedet super Cherubim.* » Quarto, subjungit malorum commotionem iterato, ibi, « *Moveatur.* »

Prima pars Psalmi.

Dicit ergo : « *Dominus* » Christus, quamvis humilis factus in mundo, « *regnavit,* » et in re sicut ab æterno, et in manifestatione, maxime post resurrectionem, et regnabit. Isa. XXXII, 1 : *Ecce in justitia regnabit rex,* scilicet Dominus. Exod. XV, 18 : *Dominus regnabit in æternum et ultra.*

« *Irascantur populi,* » veritati contrarii, et rectitudinis inimici. Et non dicit hoc imprecando, vel monendo, sed prædicendo, id est, irascentur. Modum tamen loquendi talem servat, ut innuat quod eorum iram non curat, sed magis semper bona multa consequentia ipsam desiderat. Psal. CXI, 10 : *Videbit, et irascetur,* etc. Isa. VIII, 21 : *Irascetur, et maledicet regi suo.* Irascitur Judæus contra Christum, et repellit verbum, et Gentilis populus vocatur, quod est magnum bonum. Act. XIII, 46 : *Quoniam repellitis illud,* scilicet verbum Dei, *et indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad Gentes.*

« *Qui sedet.* » Hic tertium. Quasi diceret : Dominus regnat, quantumcum-

d'idées conviendrait bien au temps, où David, vainqueur de tous ses ennemis, venait de transporter l'arche à Sion ; en venant invoquer le Seigneur dans le nouveau sanctuaire, on serait exaucé comme l'avaient été Moïse, Aaron, Samuel (Thalhofer, Patrizi). Ce n'est donc pas sans raison que les Septante attribuent le psaume à David. Il répondrait cependant au moins aussi bien à la situation d'Israël au temps d'Ezéchias. Le pieux roi avait restauré le royaume au point de vue civil et religieux ; on pouvait dire que Dieu l'avait affermi sur le trône, et qu'il avait rendu à la justice tous ses droits. Le moment était heureusement choisi pour inviter le peuple à l'adoration et à la prière sur la montagne sainte. Dieu sans doute ne communiquerait plus avec ses serviteurs d'une manière aussi merveilleuse qu'avec Moïse et Samuel ; mais il serait toujours là pour exaucer les prières de ceux qui resteraient fidèles à sa loi, et pour leur pardonner où les châtier, suivant ce qu'ils mériteraient. Les autres circonstances auxquelles on a voulu attribuer la composition du psaume, en particulier l'époque postérieure à la captivité (Moll), ne permettent point d'expliquer clairement les ℣℣. 4 et 5. Ce chant présente dans son ensemble le même caractère liturgique que les précédents.

Le Verbe incarné est dans le Nouveau Testament ce qu'était dans l'Ancien la *Shechinah*, la résidence de Dieu au-dessus de l'arche dans le Saint des Saints ; les adorations dont parle le psaume sont donc le type de celles qui seront adressées à Dieu par l'intermédiaire du Messie : l'escabeau de Jéhova est la figure de l'humanité du Sauveur, et Sion celle de l'Eglise.

H. Lesêtre.

que irascantur populi. Deus, inquam, « *qui sedet super Cherubim.* » Quasi diceret : In regnando usque super Cherubim est exaltatus. Supra, in Psal. LXXIX, 2 et 3 : *Qui sedes super Cherubim, manifestare coram Ephraim, Benjamin, et Manasse.* Ad Ephes. I, 20 et 21 : Consedere eum fecit *ad dexteram suam in cœlestibus, supra omnem principatum, et potestatem.* Ezech. I, 26, Super capita animalium firmamentum, et super firmamentum thronus, et super thronum filius hominis [1].

« *Moveatur terra.* » Ecce quartum. Quasi diceret : Sic sedet, quantumcumque voluerit « *moveatur terra,* » de ejus regia potestate. Isa. XXIV, 19 : *Commotione commovebitur terra.* Psal. XVII, 8 : *Commota est, et contremuit terra.* Et alibi, Psal. XVII, 8 : *Fundamenta montium conturbata sunt et commota sunt.*

Et nota, quod sicut dicit Glossa, charitas est Cherubim : interpretatur enim *scientiæ plenitudo :* et Paulus dicit ad Roman. XIII, 10 : *Plenitudo legis est dilectio.* Hic thronus aureus, qui si fuerit in corde tuo, ibi sedebit Christus, nec avelletur quantumcumque sæviat mundus. I ad Corinth. XIII, 8 : *Charitas numquam excidit.* Psal. LXXXVIII, 38 : *Thronus ejus,* charitas, *sicut sol in conspectu meo.* Sol lucet, et calet, et manet.

2 « *Dominus in Sion.* » Hic secundum, in quo subjungitur regnantis descriptio : in quo dicuntur duo. Primo, super Judæos dignitas et potestas. Secundo, dignitatis generalitas, ibi, « *Excelsus.* »

Ait enim : Sic dixi, quod Dominus regnavit, Dominus, inquam, qui sedet super Cherubim, quem si ignoras, dico, « *ipse est Dominus magnus,* » et hoc, « *in Sion,* » id est, in Judæis per Sion intellectis, quæ erat principalior pars in eorum metropoli, scilicet in Jerusalem. Psal. LXXV, 2 : *Notus in Judæa Deus, in Israel magnum nomen ejus.* Sion enim *speculum,* vel *specula* interpretatur, et signat animam Deum contemplantem, scientia divinorum ad superna elevatam. In hac Deus magnus est, et tam magnus, ut ad ipsum non possit attingere. Job, XXXVI, 26 : *Ecce, Deus magnus, vincens scientiam nostram.* I ad Timoth. VI, 16 : *Lucem inhabitat inaccessibilem.* Psal. CXXXVIII, 6 : *Mirabilis facta est scientia tua ex me, confortata est,* etc. « *Et excelsus,* » non tantum super aliquos, sed « *super omnes populos,* » scilicet super omnes Judæos, imo certe et Gentiles. Psal. CXII, 4 : *Excelsus super omnes Gentes Dominus,* etc. Quantumcumque videantur magni aliqui, et sapientes, super eos est. Job, XXXVI, 22 : *Ecce Deus excelsus in fortitudine sua, et nullus ei similis in legislatoribus.* Quippe Joan. III, 31, dicitur : *Qui de cœlo venit, super omnes est.*

« *Confiteantur nomini.* » Hic secundum primæ partis Psalmi hujus. Postquam enim præcessit prænuntiatio regni Christi, et regnantis descriptio, quantumcumque contrarii offendantur, hic subjungitur ipsorum invitatio ad cultum et confessionem Christi : in quo dicuntur duo. Primo, invitatio. Secundo, persuasio, ibi, « *Quoniam terribile.* » 3

Dicit ergo : Sic regnavit Deus, quantumcumque irascantur adversarii, et moveantur : sed utinam « *confiteantur* » ad veritatem conversi, « *nomini sancto tuo,* » id est, ad honorem nominis sancti tui. « *Nomini,* » inquam,

[1] Vulg. habet, Ezech. I, 26 : *Et super firmamentum quod erat imminens capiti eorum, quasi adspectus lapidis sapphiri similitudo throni : et super similitudinem throni, similitudo quasi adspectus hominis desuper.*

Nominis Christi excellentia.

tam magno per famam et gloriam, qua dilatatum est ubique, Supra, in Psal. LXVI, 4 : *Confiteantur tibi populi, Deus, confiteantur*, etc. Imo nomini quod benedictum est, Dan. III, 52 : *Benedictum nomen gloriæ tuæ*, quod est *sanctum*. Nomen excelsum, Ad Philip. II, 9 : *Donavit illi nomen, quod est super omne nomeu*. Nomen salutare, Act. IV, 12 : *Nec aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri*. Nomen gloriosum, Isa. LXIII, 14 : *Sic adduxisti populum tuum, ut faceres tibi nomen gloriæ*.

« *Quoniam terribile et sanctum est.* » Hic persuasio : et dicuntur duo. Primo, persuadet a majestatis ejus magnitudine, quasi a severitate. Secundo, a bonitate, ibi, « *Et honor regis.* »

Dicit ergo : Sic dixi, quod confiteantur nomini sancto tuo : et justum est : « *quoniam terribile et sanctum est,* » majestate. Job, XXV, 2 : *Potestas et terror apud eum est, qui facit concordiam in sublimibus suis*. Psal. LXXV, 8 : *Tu terribilis es, et quis resistet tibi ?* Quasi dicat : Nullus.

« *Et honor.* » Ecce secundum, in
4 quo commendatur a bonitate, et ostenditur in duobus. Primo, quia ad bonum afficitur, et diligit. Secundo, quod aliis ipsum largitur et infundit, ibi, « *Tu parasti.* »

Quasi diceret : Ita terribilis, in quo severitas, in ipsos tuo nomine : « *et* » tam benignus es, quia « *honor regis,* » Christi scilicet, « *diligit judicium,* » hoc est, quærit ut ei cum discretione serviatur. Honorem autem appellat prædicationem de eo, et doctrinam. Psal. X, 8 : *Justus Dominus, et justitias dilexit*. Ad Roman. II, 2 : *Judicium Dei est secundum veritatem*, non secundum adulationem.

« *Tu parasti directiones.* » Hic secundum, in quo ostenditur bonitas, quia aliis bonum largitur : et tanguntur duo secundum duo bona, quæ dat. Primum est electio æterna. Secundum, finalis gratia, ibi, « *Judicium et justitiam.* »

Dicit ergo : Vere bonus, quia judicium diligit : et etiam o « *tu,* » Domine, « *parasti* » ab æterno in tua prædestinatione, « *directiones,* » quibus electi ab te diriguntur. Prædestinatio enim est præparatio gratiæ in præsenti, et gloriæ in futuro. Ad Roman. IX, 23 : *Vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam*. Et bene dicit « *directiones :* » omnes enim torti facti sunt per peccatum : sed Deus præparavit directiones, ut recti efficerentur. Cantic. I, 3 : *Recti diligunt te*. Hic directionem petebat qui dicebat : *Legem pone mihi, Domine, in via tua : et dirige me in semitam rectam* perfectæ charitatis [1].

Duplex gratia ad salutem necessaria.

« *Judicium.* » Hic secundum, in quo dicuntur duo, secundum duplicem gratiam, quam largitur necessariam ad salutem. Prima est discretionis agendorum, quæ appellatur « *Judicium.* » Secunda, operationis bonæ, et exsecutionis, quæ dicitur « *Justitia.* »

Ait enim : Sic parasti directiones : et non pro nihilo : imo « *tu fecisti judicium,* » id est, gratiam judicandi et discernendi quod bonum est. Supra, in Psal. LVII, 2 : *Recta judicate, filii hominum*.

« *Et justitiam,* » gratiam perducendi ad effectum quod deliberatum est. Ad Roman. VIII, 30 : *Quos prædestinavit, hos et vocavit : et quos vocavit, hos et justificavit,* judicium et justitiam præbendo.

[1] Psal. XXVI, 11.

5 Secunda pars Psalmi.

« *Exaltate.* » Hic est secunda pars totius hujus Psalmi, in qua invitat sanctos præsentis Ecclesiæ, præsentis dico pro tempore suo, ad venerationem sanctorum imitatione antiquorum patrum : et dicuntur duo secundum naturam duplicem in Christo. Primo, ad naturam humanam in Christo venerandam invitat. Secundo, ad venerandam divinam, ibi, « *Exaltate,* » secundo loco positum.

In prima dicuntur tria. Primo, monet ad venerationem et ad orationem Christi in generali. Secundo specificat, in quo velit eum venerari, ibi, « *Et adorate.* » Tertio assignat causas, quare in hoc debeat venerari, ibi, « *Quoniam sanctum.* »

Commovemur ut nomen Domini magnificare non desinamus.

Dicit ergo : Sic in nobis operatur judicium et justitiam : ergo « *exaltate,* » quantum scitis et potestis, « *Dominum Deum nostrum,* » Filium, qui proprie noster est. Eccli. XLIII, 33 : *Exaltate illum quantum potestis : major enim est omni laude.* Unde bene exaltandus est. Et etiam pro nostra utilitate, non pro sua, quia in eodem, et in eumdem exsultantes replebimur virtute. Propter hoc dicit David supra, in Psal. XXIX, 2 : *Exaltabo te, Domine.* Et infra similiter.

« *Et adorate scabellum pedum ejus.* » Hic secundum. Quasi diceret : Dico, Exaltate venerando, adorando, et etiam « *adorate scabellum pedum ejus,* » ejus scilicet humanitatem. Deus enim habet quasi duos pedes, scilicet sapientiam et virtutem, quibus quasi quodam modo per creaturas discurrit : et Dei Filius est utrumque. I ad Corinth. I, 23 et 24 : *Prædicamus... Christum Dei virtutem, et Dei sapientiam.* Et hic habet « *scabellum,* » scilicet humanam naturam, quam pro nobis assumpsit, quæ terra est. Isa. LXVI, 1 : *Cœlum, sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum.* Et hæc adoranda. Isa. LX, 14 : *Adorabunt vestigia pedum tuorum.*

« *Quoniam sanctus est.* » Hic tertium, in quo ponuntur rationes sic adorandi, duæ. Primo, sanctitas ipsius adorati. Secundo, dignitas, seu auctoritas adorantium, ibi, « *Moyses et Aaron.* »

Dicit ergo : Sic dico, quod scabellum ejus adoretis, et debetis, « *quoniam sanctus est,* » supple, qui in eo est, et cujus scabellum est : imo sanctus sanctorum [1]. Vel, « *quoniam sanctum est,* » ipsum corpus et humanitas Christi. Luc. I, 35 : *Quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.* Supra, in Psal. XXI, 4 : *Tu autem in sancto habitas, laus Israel.*

« *Moyses et Aaron.* » Hic probat propter dignitatem antiquorum, qui jam adoraverunt, et utilitatem : unde duo dicuntur. Primo, meritum adorantium antiquorum describitur. Secundo, præmium, ibi, « *Domine, Deus noster.* » 6

In prima duo. Primo, tangit meritum antiquorum, quantum ad fidem credendorum, Secundo, quantum ad obedientiam, mandatorum, ibi, « *Custodiebant testimonia.* »

In prima duo. Primo, tangitur diversitas invocantium, et ipsum in fide venerantium. Secundo, modus venerandi, ibi, « *Invocabant Dominum.* »

In prima tria secundum tres status venerantium quos tangit. In Moyse potentes, in *Aaron* sancti, in *Samuele* sapientes et dono prophetiæ illustrati.

Moyses privilegium habuit potestatis, Aaron sanctitatis, Samuel prophetiæ.

Dicit ergo : Adorate scabellum pedum ejus, quoniam sanctus est, qui sedet super illud : vel, quoniam ipsum est sanctum : et etiam imitatione præcedentium. Quoniam « *Moyses,* » qui privilegium habuit potestatis : fecit enim signa et portenta in Ægypto, a cap. VII. Exodi usque ad cap. XIV : divisit Mare

[1] Cf. Daniel, IX, 24 : *Et ungatur Sanctus sanctorum.*

rubrum, et populum transduxit in eodem, aquas dulcoravit (cap. xv) et panem cœlestem dedit populo (cap. xvi) et multa alia. Ipse tandem fuit, cui dictum est : *Constitui te deum Pharaonis*[1]. « *Et Aaron,* » qui privilegium habuit sanctitatis : fuit enim sanctificatus (Levit. viii) et alios sanctificabat de lepra (cap. xiv) et in multis aliis locis. « *In sacerdotibus ejus,* » id est, in numero sacerdotum. Sed hoc verum est de Aaron : de Moyse autem non videtur : ipse enim sacerdos non fuit. Et est responsio secundum Glossam, quod sacerdos non fuit consecratione et institutione, sed officio quodam dignissimo. Si enim non obtulit carnales hostias, tamen obtulit pro populo frequenter spirituales, orans assidue Deum pro populo delinquente[2]. In Psal. cv, 23, infra : *Et dixit ut disperderet eos, si non Moyses electus ejus stetisset.*

« *Et Samuel,* » qui fuit in domo prophetiæ privilegiatus. I Reg. iii, 20 : *Cognovit universus Israel a Dan usque Bersabee, quod fidelis Samuel propheta esset Domini.* Samuel, quia fuit de tribu Benjamin, et quia ad tempus solum propter peccatum Heli, sacerdos fuit, non ponitur inter sacerdotes simpliciter, sed inter invocantes.

Thema pro concione synodali.

Et nota, quod bonum thema est in synodo : quilibet enim sacerdos debet esse Moyses, assumptus scilicet ab aquis voluptatum, et divitiarum, ut non maneat in illis. Et debet esse nutritus in aquis lacrymarum, ut ploret pro peccatis propriis, et subditorum, et in aquis Scripturarum. Debet esse Aaron montanus, per vitæ eminentiam, ut sua conversatio sit in cœlis[3] : et soliditatem, ut non moveatur vento superbiæ et inanis gloriæ. Debet etiam esse Samuel, petitus a Domino, et ab eo datus, sicut Samuel fuit[4], ut non sit intrusus violenter, nec ambierit honorem sacerdotii. Ad Hebr. v, 4 : *Nec quisquam sumit sibi honorem,* etc. Sit etiam Samuel, id est, *audiens Dei,* sic enim interpretatur : audiens, inquam, illud Luc. vi, 38 : *Date, et dabitur vobis.*

Forma invocandi Deum.

« *Invocabant Dominum.* » Hic secundum, in quo subjungitur invocationis modus, qui triplex tangitur. Primo, quod devote invocabunt, et reverenter. Secundo, quod utiliter, ibi, « *Et ipse.* » Tertio, quod fideliter, ibi, « *In columna.* »

Dicit ergo : Sic Sancti honorabant Deum, et ipsi « *invocabant,* » intus in corde vocabant, « *Dominum,* » quod est reverentiæ et devotionis. Ad sic invocandum invitat Isaias, lv, 6 : *Quærite Dominum, dum inveniri potest, invocate eum, dum prope est.* Et in Psal. xlix, 15 : *Invoca me in die tribulationis.* Et non frustra et inutiliter, imo « *et ipse exaudiebat eos.* » Joel, ii, 32 : *Et erit : Omnis qui invocaverit,* id est, intus in corde suo vocaverit, *nomen Domini, salvus erit*[5].

« *In columna nubis.* » Hic tertium. Quasi diceret : Sic invocabant reverenter, et utiliter : et ipse « *loquebatur ad eos,* » non per semetipsum, et immediate ostendens suam esssentiam et naturam, sed « *in columna nubis,* » sicut ad litteram fiebat Moysi, Exod. xix, xx et xxiv. Vel, « *in columna nubis,* » hoc est, in figuris et ænigmatibus obscuris, sicut nubes est obscura : in quo monstratur fidelitas ipsorum, quoniam his, quæ aperte non videbant, fortiter credebant. In Psal. xvii, 12 : *Tenebrosa aqua in nubibus aeris.* Vel, « *in columna nubis,* » id est, in fide incarnationis Christi. Et potest sumi *in,* pro *de.* Ejus enim incarnatio fuit sui in nube ostensio. Isa.

[1] Exod. vii, 1.
[2] Cf. Exod. xvii, 4, et xxxiii, 11 et seq.
[3] Cf ad Philip. iii, 20.
[4] Cf. I Reg. i, 1 et seq.
[5] Cf. ad Roman. x, 13.

xix, 1 : *Ecce Dominus ascendet super nubem levem.* Num. xii, 5 : *Descendit Dominus in columna nubis.*

« *Custodiebant testimonia.* » Hic tangitur patrum præcedentium obedientia in agendis. Et primo, in præceptis addito signo aliquo. Secundo, in jussis simplici verbo, ibi, « *Et præceptum.* »

Dicit ergo : Sic antiqui Deum venerabantur in credendis, et etiam « *custodiebant testimonia ejus,* » id est, præcepta eis data signo aliquo in testimonium, signo, inquam, hoc ipsum quod præcipitur monstrante. Psal. xcii, 5 : *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis.*

« *Et præceptum,* » simplici verbo injunctum, « *quod dedit illis* : » aliter non possunt ingredi ad vitam. Matth. xix, 17 : *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata* : qui enim servat et custodit hæc, diligit : et qui diligit, vitam accipit. Joan. xiv, 15 : *Si diligitis me, mandata mea servate.* Et iterum, ℣. 23 : *Si quis diligit me, sermonem meum servabit,* et sic salvabitur, *et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.* Dicit autem « *præceptum* » in singulari : quia totum in uno charitatis præcepto comprehendit. Joan. xv, 12 : *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem.* Hoc autem custodiendum est, quia pulchrum : dilectio enim pulchra est, dilectio Dei, et proximi in Deo. Eccli. xxiv, 24 : *Ego mater pulchræ dilectionis,* etc. Quia leve est et suave, Matth. xi, 30 : *Jugum meum suave est, et onus meum leve.* Et Augustinus dicit : « Tam leve, ut nullus se possit excusare de portando, nisi mentiri velit. » Quia delectabile, Joan. xiv, 28 : *Si diligeretis me, gauderetis utique.* Et Bernardus dicit : « Omnis amor dulcis est : ergo potissime amor summi et dulcissimi boni. » Quia lucidum et illuminativum cordis, Psal. xviii, 9 : *Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos.* I Joan. ii, 2 : *Unctio ejus,* hoc est, charitas, *docet vos de omnibus.* Quia novum, Joan. xv, 12 : *Hoc est præceptum meum* scilicet mandatum novum do vobis, *ut diligatis invicem.* Ita novum, et semper placens sicut nova. Ipsum enim est quod dicit, Eccli. xxiv, 20 : *Qui edunt me, adhuc esurient.* Quia forte et strenuum, Cantic. viii, 6 : *Fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio.* Et tandem legis divinæ, imo omnis boni consummativum, Ad Rom. xiii, 10 : *Plenitudo legis est dilectio.* I ad Timoth. i, 5 : *Finis præcepti est charitas.* Propter hoc dicitur, Luc. x, 42 : *Porro unum est necessarium.*

Præceptum Domini custodiendum multiplici de causa.

« *Domine, Deus noster.* » Hic secundum, in quo postquam tetigit meritum antiquorum partum, tangit et præmium : et hoc duplex. Primo, præmium quod respicit ad misericordiam. Secundo, quod ad justitiam, ibi, « *Et ulciscens.* »

Primum duplex. Collatio gratiæ delentis culpam, et misericordiæ relaxantis pœnam, ibi, « *Deus, tu propitius.* »

Dicit ergo : Sic custodiebant testimonia et præcepta : et o tu, « *Domine, Deus noster, tu exaudiebas eos,* » gratiam illis dando. Isa. xxx, 19 : *Ad vocem clamoris tui, statim ut audierit, respondebit tibi.* Et in cap. lviii, 9 : *Tunc invocabis, et Dominus exaudiet.* Et o « *tu, Deus, propitius fuisti eis,* » pœnam misericorditer relaxando. Jerem. v, 1 : *Quærite... an inveniatis virum facientem judicium, et quærentem fidem,* hoc est, secundum quod fides requirit operantem, *propitius ero ei.* Imo, teipsum fecisti eis propitiationem. 1 Joan. ii, 2 : *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris.*

« *Et ulciscens.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic misericordiam exhibes, tamen non sine justitia, imo « *et ulciscens,* » ut justus inveniaris, hoc est, « *in omnes adinventiones eorum.* » Alia littera, sicut vult Glossa, habet, « affectiones, » et constat, malas : aliter enim Deus non ulcisceretur : quamvis enim

non multum, tamen sancti peccabant. I Joan. I 8: *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus.* Et Deus ulciscitur illas. Psal. XCIII, 1 : *Deus ultionum Dominus, Deus ultionum*, pro omissis et commissis. Hæc autem ultio saltem in hoc est, quod malis aliorum cruciantur. II ad Cor. XI, 29 : *Quis infirmatur, et ego non infirmor?* Et est talis ultio ex magna misericordia. II Machab. VI, 13 : *Statim ultiones adhibere, magni beneficii est indicium.* Gregorius : « Magna est misericordia, « in præsenti misericordiam non conse- « qui. »

9 « *Exaltate Dominum.* » Hic secundum, in quo postquam monuit Christum venerari in natura humana, hic monet quod in divina : et dicuntur tria. Primo, monet ut naturam divinam in Christo honorent et adorent. Secundo, ubi adorare debent, ibi, « *In monte.* » Tertio, addit rationem, quare debent honorare, ibi, « *Quoniam sanctus Dominus.* »

Dicit ergo : Sic monui exaltare et venerari Christi humanitatem, sed adhuc dico pro divinitate : « *Exaltate Dominum Deum nostrum,* » Christum scilicet, « *et adorate,* » hoc est, ita quod adoretis ejus divinitatem corde, ore, et opere. Baruch, III, 36 : *Hic est Deus noster, et non æstimatur alius adversus eum :* hunc adoremus. Joan. IV, 23 : *Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate.*

Sed ubi? « *In monte sancto ejus,* » in Ecclesia scilicet, non in conventibus hæreticorum. Deut. XII, 13 et 14 : *Cave ne offeras holocausta tua in omni loco, quem videris : sed in eo, quem elegerit Dominus*, qui est mons Ecclesiæ. Isa. II, 3 : *Ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Jacob.* Et hæc est ratio, quare est adorandus : « *Quoniam sanctus Dominus Deus noster.* » Levit. XI, 44 : *Sancti estote, quia ego sanctus sum* [1]. Ipse autem est regula, et summum sanctitatis. Dan. X, 24 : *Sanctus sanctorum :* cui sanctitati nos conformet, qui sanctus est ab æterno, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS XCIX.

Ad laudes Dei omnes invitantur.

1. *Psalmus in confessione.*
2. Jubilate Deo, omnis terra : servite Domino in lætitia.
   Introite in conspectu ejus in exsultatione.
3. Scitote quoniam Dominus ipse est Deus : ipse fecit nos, et non ipsi nos :
   Populus ejus, et oves pascuæ ejus.
4. Introite portas ejus in confessione, atria ejus in hymnis : confitemini illi.
   Laudate nomen ejus,
5. Quoniam suavis est Dominus : in æternum misericordia ejus, et usque in generationem et generationem veritas ejus.

[1] Cf 1 Petr. I, 16.

IN PSALMUM XCIX

COMMENTARIUS.

1 *Psalmus in confessione* [1].

Psalmus docet ingredi in regnum Christi per confessionem.

« *Jubilate Deo, omnis terra.* » Hic est Psalmus nonagesimus nonus in toto libro, quadragesimus nonus in secunda parte libri. Cum enim in Psalmo antecedenti invectionem fecerit contra motos et iratos de regno Christi, et bonos invitaverit exemplo antiquorum sanctorum ad adorandum Christum, hic ulterius monet ad ingressum in regnum Christi, docens modum, quo poterunt esse de regno ejus : quia per confessionem duplicem, peccati proprii, et laudis ipsius Christi, quarum prima pertinet ad imperfectos, secunda ad perfectos, et quasi jam veniam assecutos de peccatis.

Propter hoc bene dicitur in titulo Psalmi : « *Psalmus in confessione,* » id est, « *Psalmus* » subjectus est « *in confessione,* » id est, de confessione, ut sumatur propositio in pro propositione de.

Dividitur autem Psalmus in duas partes. Primo, invitat ad summam lætitiam in Deo, et ad ejus servitium omnes generaliter. Sed quia hoc non est nisi existentium in regno Christi, secundo invitat ad introitum in regnum, determinans introeundi modum, ibi, « *Introite in conspectu ejus.* »

In prima duo. Primo invitat ad summam lætitiam, quæ est jubilus, quasi invitans ad statum contemplationis. Secundo, ad serviendum lætanter, quod respicit ad statum actionis, ibi, « *Servite.* »

Dicit ergo : Sic antiqui Sancti Christum adoraverunt, utramque naturam in illo venerantes : et propter hoc, o « *omnis terra,* » continens pro contento, id est, omnes in terra habitantes, « *jubilate,* » vehementi lætitia exsultate, « *Deo,* » id est, ad honorem Dei. Supra, in alio Psal. LXV, 1, omnino idem : *Jubilate Deo, omnis terra, psalmum dicite nomini ejus.* Sophon. III, 14: *Lauda, filia Sion : jubila, Israel : lætare, et exsulta in omni corde, filia Jerusalem :* ut ascendas ad contemplationis statum, conjunctus Racheli pulcherrimæ, cum Israel [2]. 2

Prima pars Psalmi.

Quod si non potestis, saltem « *servite Domino,* » in operibus justitiæ et misericordiæ, et hoc, « *in lætitia* » spirituali et sancta. Luc. I, 74 et 75 : *Serviamus illi in sanctitate et justitia,* scilicet in operibus justitiæ et sanctitatis : et hoc lætanter. Eccli. XXXV, 11 : *In omni dato hilarem fac vulum tuum.* II ad Corinth. IX, 7 : *Non ex tristitia aut ex necessitate : hilarem enim datorem diligit Deus.* Bene autem est in lætitia serviendum : quia ei servire regnare est, et summa ingenuitas.

[1] Avec ce psaume, dit M. l'abbé Lesêtre, se termine la série qui commence au Ps. XC, dont le *Jubilate* est comme la doxologie. D'après le titre, c'est *mizmor lethodah,* un cantique d'actions de grâces, destiné peut-être à accompagner les *shelamin,* ou sacrifices pacifiques et eucharistiques. Rien n'en indique l'auteur ni l'époque ; mais on l'attribue avec assez de probabilité à quelque pieux lévite attaché au service du second temple, dès les premières années de sa construction.

Le psaume précédent rappelait la puissance et les bienfaits de Jéhova ; celui-ci en tire une conséquence morale : Jéhova est donc digne de toute louange, et l'Israélite est invité à la lui adresser dans son temple.

Dans l'office de l'Eglise, ce psaume occupe une place analogue à celle qu'il avait sous l'ancienne loi ; il est le second de ceux qu'on récite à Laudes.

H. LESÊTRE.

[2] Cf. Genes. XXIX, 17.

Secunda pars Psalmi. *Introite in conspectu.* » Hic est secunda pars Psalmi, in qua invitat ad ingressum ad regnum, determinans ingrediendi modum : et secundum hoc dicuntur duo. Primo, monet lætanter introire propriam conscientiam : hoc enim primum volentibus intrare regnum Dei. Secundo, Christi misericordiam, ibi, « *Introite portas.* »

In prima duo. Primo, monet intrare propriam conscientiam, ubi Deus videt. Secundo, ostendit hujus introitus utilitatem, ibi, « *Et scitote.* »

Dicit ergo : Sic monui ut Deo serviatis in lætitia : quod si vultis, « *introite in conspectu ejus,* » id est, in conscientiis, et cordibus vestris. Isa. XLVI, 8 : *Redite prævaricatores ad cor*, ubi Deus videt. I Reg. XVI, 7 : *Homo videt ea quæ parent, Dominus autem intuetur cor.* Et « *in exsultatione,* » ut intus conscientia exsultetis. Isa. LXV, 14 : *Servi mei laudabunt præ exsultatione cordis.*

Posset aliter legi, ut sit tamquam fructus servitii læti. Quasi diceret : Monuit vos servire in lætitia, et sic « *introite,* » id est, introibitis, « *in conspectu ejus, in exsultatione,* » id est, videbitis eum in lætitia. Job, XXXIII, 26 : *Videbit faciem ejus in jubilo.* Matth. XXV, 21 : *Intra in gaudium Domini tui.* Et II Paral. IX, 7, dicitur : *Beati servi tui, qui assistunt coram te omni tempore.*

3 « *Scitote quoniam Dominus.* » Hic secundum, in quo subjungit talis introitus fructum et utilitatem. Primus est, quia cognoscunt Christi divinitatem. Secundus, quia divinitatis potestatem, ibi, « *Ipse fecit nos.*» Tertius, bonitatem, ibi, « *Populus ejus.* »

Dicit ergo : Sic monui ut intretis lætanter ad corda vestra : « *et scitote,* » id est, et sciatis, « *quoniam Dominus,* » Jesus, quem hominem videtis exterius, Baruch, III, 38 : *In terris visus est, et cum hominibus conversatus est.* Quem crucifixistis [1] : « *Ipse est Deus.* » Baruch, III, 36 : *Hic est Deus noster, et non æstimabitur alius absque eo.*

« *Ipse fecit nos.* » Hic ostendit potentiam divinitatis, primo illam asserendo. Secundo, removendo quod posset esse dubium, cum addit : « *Et non ipsi nos.* »

Ait enim : Sic scietis, « *quoniam ipse est Deus,* » et etiam quoniam « *ipse fecit nos.* » Ad Ephes. II, 10 : *Ipsius sumus factura.* Isa. LXIV, 8 : *Opera manuum tuarum, omnes nos.* Quippe, Joan. I, 3, dicitur : *Omnia per ipsum facta sunt.*

Sed, ne dicas quod patres nostri nos faciunt, addit : « *Et non ipsi,* » supple, fecimus « *nos :* » alioqui sicut draco mendaces erimus, qui dicit Ezech. XXIX, 3 : *Ego feci memetipsum.* Sed verum diceret, si adderet, diabolum et perversum et malum. II Machab. VII, 22, dixit bona mater ad filios : *Nescio qualiter in utero meo apparuistis : neque enim ego spiritum et animam donavi vobis et vitam.* Sed ne dicerent : Tu dedisti saltem corporis membra, addit, ℣℣. 22 et 23 : *Et singulorum membra non ego ipsa compegi : sed enim mundi Creator, qui formavit hominis nativitatem, quique omnium invenit originem.*

« *Populus ejus.* » Hic ostendit divinitatis bonitatem in duobus. Primo, in eruditione spirituali, qua regimur. Secundo, in provisione necessariorum, quibus sustentamur, ibi, « *Et oves.* »

Ait enim : Sic ipse fecit, supple, quia sumus « *populus ejus,* » quem sua regit et conservat bonitate. Isa. LXII, 12 : *Et vocabunt eum, Populus sanctus, redempti a Domino.*

« *Et oves pascuæ ejus,* » quas pascit, et quibus in necessariis providet. Supra, in Psal. LXXVIII, 13, simile omnino :

[1] Cf. Matth XXVII, 35 ; Marc. XV, 24; Luc. XXIII, 34 ; Joan. XIX, 23.

Nos autem populus tuus, et oves pascuæ tuæ. Et alibi, Psal. xxii, 11 : *Dominus regit me, et nihil mihi deerit : in loco pascuæ ibi me collocavit.* Ezech. xxxiv, 14 : *In pascuis uberrimis pascam eas.* Joan. x, 9 : *Per me si quis introierit, salvabitur : ingredietur, et egredietur, et pascua inveniet.*

4 « *Introite portas ejus.* » Hic secundum, quod pertinet ad introducendi modum. Monuit autem intrare propriam conscientiam, hic divinam misericordiam, quam nomine *portarum* significavit, sicut vult Glossa.

Ait enim : Sic si intraveritis ad corda vestra, vos cognoscetis esse oves ejus : ergo ne lupus, si extra manseritis, vos rapiat et discerpat, « *introite portas ejus,* » latas et spatiosas, scilicet misericordiam, quæ dicitur *portæ* in plurali, propter effectuum misericordiæ Dei multiplicitatem. « *Introite,* » inquam, « *in confessione* » peccati proprii : aliter non intrabitis, nisi peccata vestra, tamquam xenia quædam Domino præsentetis. Exod. xxiii, 15 : *Non apparebis in conspectu meo vacuus.* Osee, xiv, 3 : *Tollite vobiscum verba,* supple, confessionis, *et convertimini ad Dominum : et dicite ei : Omnem aufer iniquitatem.* Peccata enim hœdi sunt, quibus noster Isaac libere vescitur, si ei præsententur [1].

Confessio peccatorum bona et mala.

Et nota, quod est confessio peccati mala, cum qua non est intrandum, scilicet confessio hypocrisis, et simulationis, qualis fuit confessio Saulis [2], de qua dicitur, Matth. xv, 8 : *Populus hic labiis me honorat : cor autem eorum longe est a me* [3]. Et coactionis, qualis fuit confessio Achan, quem coegit sors confiteri peccatum suum, et lapidatus est. Josue, vii, 19 : *Fili mi, da gloriam Domino Deo Israel, et confitere,* scilicet peccatum tuum. Desperationis, qualis fuit Judæ. Matth. xxvii, 4 et 5 : *Peccavi tradens sanguinem justum... Et abiens laqueo se suspendit.* Et Caini [4]. Negotiationis, qualis est illorum, qui confitentur ut aliquid lucrentur. Psal. xlviii, 19 : *Confitebitur tibi cum benefeceris ei.*

« *Atria ejus in hymnis.* » Ecce secunda pars secundæ partis totius hujus Psalmi. Postquam enim invitavit ad ingressum in regnum Christi, hic invitat ad laudem, postquam fuerimus ingressi : et dicuntur duo. Primo, invitatio ad laudem post ingressum. Secundo persuasio, quod acquiescendum est invitationi, ibi, « *Quoniam suavis est.* »

In prima duo. Primo, ad confessionem laudis invitat. Secundo, ad manifestationem laudis, vel continuationem, ibi, « *Laudate nomen ejus.* »

Dicit ergo : Sic intrate portas misericordiæ confitendo, et etiam « *confitemini illi,* » confessione laudis, et hoc « *in hymnis,* » id est, in cantando : hymnus enim est, sicut dictum fuit supra, laus Dei cum cantico. Et hoc facite existentes « *in atria ejus :* » vel si non est, ita quod credimus deficere, repetendum est intrantes. Hæc atria intramus in confessione laudis tertia die. Prima dies est culpæ, secunda pœnitentiæ, tertia gloriæ. Esther, v, 1 : *Die tertio induta est Esther regalibus vestimentis, et stetit in atrio domus regiæ.* Et ibi confitebimur confessione laudis. Psal. cxlviii, 14 : *Hymnus omnibus sanctis ejus.*

Item confessio laudis bona et mala.

Nota etiam hic, quod est confessio laudis mala, quæ ibi esse non poterit. Elationis, qualis confessio Pharisæi, Luc. xviii, 11 : *Gratias tibi ago, Deus, quia non sum sicut cæteri hominum.* Proditionis, de qua Matth. xxii, 16 : *Magister, scimus quia verax es, et viam Dei,* etc. Adulationis, qualis regis Achis ad David, I Reg. xxix, 9, dixit Achis ad David :

[1] Cf. Genes. xxvii, 9.
[2] Cf. I Reg. xv, 15 et seq.
[3] Cf. etiam Isa. xxix, 13.
[4] Cf. Genes. iv, 9.

Scio quia bonus es tu in oculis meis. Derisionis, qualis fuit Judæorum irridentium Christum, Matth. xxvii, 29 : *Ave, rex Judæorum.* Coactionis, qualis fuit dæmonum Christum confitentium, Marc. i, 24 : *Quid nobis et tibi, Jesu Nazarene? venisti perdere nos? Scio qui sis, Sanctus Dei.*

« *Laudate nomen.* » Hic secundum. Quasi diceret : Sic monui confiteri confessione laudis, et ne credatis vos tantum debere laudare eum tunc, « *laudate* » etiam nunc « *nomen ejus,* » ut continuetis laudem. Nunc enim habetis nomen, sed tunc habebitis et nomen et rem. Apoc. xix, 1 : *Salus, et gloria, et virtus Deo nostro est.*

5 « *Quoniam suavis.* » Hic secundum totius illius partis, in qua invitat ad laudandum, scilicet persuasio, quod ei sit acquiescendum. Et est ratio triplex, quare laudandum. Prima, Dei suavitas et bonitas. Secunda, suavitatis æternitas, ibi, « *In æternum misericordia.* » Tertia, continuitas et nunc et in futuro, vel generalitas, ibi, « *Et usque in generationem.* »

Dicit ergo : Sic laudate, et confitemini confessione laudis, et debetis, « *quoniam suavis est Dominus.* » Infra, in Psal. cxliv, 9 : *Suavis Dominus universis.* Suavis in se, Sapient. xii, 1 : *O quam bonus et suavis est, Domine, spiritus tuus in nobis!* Suavis Dominus in nomine et recordatione, Supra, in Psal. cxxxiv, 3 : *Psallite nomini ejus, quoniam suave.* Suavis gustui, I Petr. ii, 3 : *Si tamen gustastis, quoniam dulcis est Dominus.* Eccli. xlix, 2 : *In omni ore, quasi mel indulcabitur ejus memoria.* Suavis tactui, II Reg. xxiii, 8 : *Ipse est tenerrimus ligni vermiculus.* Auditui, quia ipse est verbum bonum, et suave, Eccli. vi, 5 : *Verbum dulce multiplicat amicos, et mitigat inimicos.* Olfactui, quia Eccli. xlix, 1 : *Memoria Josiæ,* id est, Jesu, *in compositionem odoris facta opus pigmentarii.* Visui, I Petr. i, 12 : *In quem desiderant Angeli prospicere.*

« *In æternum misericordia.* » Hic secundum. Quasi diceret : Sic est suavis, et « *misericordia ejus* » manet « *in æternum.* » Isa. liv, 8 : *In misericordia sempiterna misertus sum tui.* Et hoc continue et universaliter omnibus, quia « *in generatione* » præsenti, extendendo « *in generationem* » futuram. Psal. xviii, 7 : *Nec est qui se abscondat a calore ejus,* id est, misericordia, et pietate. Matth. v, 45 : *Qui solem suum,* solem misericordiæ, *oriri facit super bonos et malos, et pluit,* pluviam misericordiæ, *super justos et injustos,* quam nobis infundat, qui est benedictus per infinita sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS C.

Virtutes boni principis depingit, et colere proponit.

1. *Psalmus ipsi David.*
Misericordiam et judicium cantabo tibi, Domine : Psallam,

2. Et intelligam in via immaculata : quando venies ad me?
Perambulabam in innocentia cordis mei, in medio domus meæ.

3. Non proponebam ante oculos meos rem injustam : facientes prævaricationes odivi,

Non adhæsit mihi
4. Cor pravum : declinantem a me malignum non cognoscebam.
5. Detrahentem secreto proximo suo, hunc persequebar.
Superbo oculo, et insatiabili corde, cum hoc non edebam.
6. Oculi mei ad fideles terræ, ut sedeant mecum : ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat.
7. Non habitabit in medio domus meæ qui facit superbiam : qui loquitur iniqua non direxit in conspectu oculorum meorum.
8. In matutino interficiebam omnes peccatores terræ, ut disperderem de civitate Domini omnes operantes iniquitatem.

IN PSALMUM C

COMMENTARIUS.

1 « *Psalmus ipsi David*[1]. »

Psalmus canit misericordiam Dei et judicium.

« *Misericordiam et judicium.* » Hic est Psalmus centesimus, ultimus in secunda parte hujus libri. Cum enim in præcedenti Psalmo monuit ad exsultationem et jubilationem introeuntes in regnum Christi, hic subjungit quid cantandum, et propter quid ei tunc jubilandum, quia propter misericordiam, quam exhibebit bonis supra condignum remunerando, et malis citra condignum. Et judicium nihilominus, quod in malis exercebit, eos digna pœna puniendo, secundum illud Isa. XXVII, 8 : *In mensura contra mensuram, cum abjecta fuerit, judicabis eam.* Luc. VI, 38 : *Mensura qua mensi fueritis, remetietur vobis.*

Præponitur autem titulus talis : « *Psalmus ipsi David,* » id est, Christo, qui secundum regulam supra dictam designatur, est cantandus. Ipse autem vere misericors est, et vere justus. Psal. CX,

[1] David est l'auteur incontesté de ce psaume, affirme M. l'abbé Lesêtre. L'esprit dans lequel ce morceau est composé, dit Jennings, est évidemment en faveur de l'authenticité du titre traditionnel. Le saint roi y expose très simplement, et sans aucune prétention poétique, les règles de conduite que doit se proposer un bon prince en montant sur le trône. Toujours respectueux pour son prédécesseur, nous l'avons vu constamment rejeter sur les perfides conseillers de Saül les persécutions dont il était l'innocente victime ; l'expérience l'a instruit, et son principal soin sera d'éloigner de sa cour les langues perfides, pour ne s'entourer que d'hommes intègres et dévoués. On a appelé avec raison ce psaume un « miroir royal » ; il a beaucoup d'analogie avec le XIV[e] qui énumérait à peu près dans les mêmes termes les devoirs du fidèle Israélite. Il est tout naturel de croire que David le composa au début de son règne, soit quand il fut sacré roi de Juda, II Reg., II, soit quand il fut reconnu par tout Israël, II Reg., V. Delitzsch et quelques autres commentateurs retardent un peu l'époque de cette composition. Pendant que l'arche fut transportée de la maison d'Abinadab, l'imprudent Oza fut frappé de mort, et David effrayé s'écria : « Quomodo ingredietur ad me arca Domini ? » II Reg., VI, 9. Le psaume serait comme la réponse à cette question ; il exprimerait à la fois le désir du pieux roi, ℣. 2, et les saintes dispositions dans lesquelles il veut s'établir pour mériter que le Seigneur l'exauce. Il est possible que le psaume date de cette circonstance, mais rien n'oblige à l'admettre, et il est plus probable que sa composition est antérieure. Du reste, dès le début de son règne, l'idée capitale de David avait été de transférer l'arche à Sion ; il devait donc songer depuis longtemps à se rendre digne de cet auguste voisinage.

Application morale : « Perfectum nobis hominem describit, qui secundum Deum vitam instituit, docetque nos quod vitæ genus amplecti debeant ii qui regnum cœlorum adipisci cooptant. » S. Athan.

4 : *Misericors et miserator Dominus.* Et alibi, Psal. x, 8 : *Justus Dominus, et justitias dilexit.*

Dividitur autem Psalmus in duas partes. Primo tangitur materia cantus, et modus, et status cantandi. Secundo, latius explicatur status. Vel sic, et melius : Primo promissio, quod cantabit modo debito. Secundo probatio, quod sic erit, ibi, « *Perambulabam.* »

In prima duo. Primo tangitur materia cantus. Secundo, modus, ibi, « *Psallam, et intelligam.* »

Prima pars Psalmi. Dicit ergo : O Domine, « *cantabo tibi,* » hoc scilicet, « *misericordiam,* » qua bonos remuneras supra condignum, et illis parcis : « *et judicium,* » quo malos punis. Bene cantat Deo hæc duo, quia supra, in Psal. LXI, 12 et 13, dictum est: *Duo hæc audivi, quia potestas Dei est, et tibi, Domine, misericordia : quia tu reddes unicuique juxta opera sua.* Tibi misericordia, quia dicis, Matth. IX, 13 : *Misericordiam volo, et non sacrificium.* Tibi judicium cantandum, quia Joan. v, 22 et 23 : *Omne judicium dedit Pater Filio,... ut omnes honorificent*, etc. Hæc semper cantanda sunt : quoniam hæc duo Deus opere suo conjungit. Surpa, Psal. XXIV, 10 : *Universæ viæ Domini, misericordia et veritas.* Hæc duo a nobis requirit, Mich. VI, 8 : *Indicabo tibi, o homo, quid sit bonum, et quid Dominus requirat a te : Utique facere judicium, et diligere misericordiam.* Bene autem misericordiam præponit judicio, quia Jacob. II, 13, dicitur : *Superexaltat misericordia judicium.*

Et nota, quod quidam cantant Deo tantum judicium, scilicet desperantes. Amos, VI, 13 : *Convertistis in amaritudinem judicium*, dulcedinem misericordiæ ab eo non sperantes. Quidam cantant tantum misericordiam, scilicet præsumentes, et dicentes illud : *Numquid in æternum projiciet Deus : et non apponet ut complacitior sit adhuc*[1] ? Alii neutrum, obliviosi et ingrati, de quibus in Psal. LXXVII, 11 : *Obliti sunt benefactorum ejus.* Et rursus, quantum ad judicium : *Auferuntur judicia tua a facie ejus*[2]. Alii vero utrumque, grati et securi. Psal. LXXXVIII, 2, quantum ad misericordiam : *Misericordias Domini in æternum cantabo.* Et alibi, quantum ad judicium, Psal. CXVIII, 54 : *Cantabiles mihi erant justificationes tuæ.*

« *Psallam, et intelligam.*» Hic secundum, in quo subjungit cantandi modum, quia dupliciter, adjuncta hilaritate boni operis, et devotione cordis, ibi, « *Et intelligam.* » 2

Ubi tangit et cordis devotionem et attentionem, ibi, « *Intelligam.* »

Et devotionis materiam, vel causam, ibi, « *In via immaculata.* »

Dicit ergo : Sic cantabo, sed quomodo cantabis? « *Psallam,* » in hilaritate bona faciam. Scio enim, quod aliter non placet cantus nisi manu ministretur, sed magis displicet : et propter hoc cum cantu agenda bona. Eccli. XXII, 6 : *Musica in luctu*, in operibus luctu dignis, *importuna narratio.* Eccli. XXXV, 11 : *In omni dato hilarem fac vultum tuum.* II ad Cor. IX, 7 : *Hilarem datorem diligit Deus.* « *Et intelligam,* » existens « *in via immaculata.* » Quid intelligam ? hoc, « *quando venies ad me,* » per gratiam, vel in morte mea judicaturus me, et misericordiam exhibiturus.

Bene verum dicit. Qui enim bene operatur, intelligit quid sibi utile est. In Psal. CXVIII, 104, infra : *A mandatis tuis intellexi.* Et alibi, Psal. CX, 10 : *Intellectus bonus omnibus facientibus eum.* Propter hoc dicitur, Eccli. XXXVII, 18 : *Anima viri sancti enuntiat aliquando vera, quam septem circumspectores* — Qui bene operatur, intelligit quid sibi utile est.

[1] Psal. LXXVI, 8.

[2] Psal. x secundum Hebræos, 5.

sedentes in excelso ad speculandum. Nec est contrarium, quod dicitur, Job, IX, 11 : *Si venerit ad me, non videbo eum : si abierit, non intelligam.* Et illud Joan. III, 8 : *Spiritus ubi vult spirat : et vocem ejus audis, sed nescis unde veniat,* etc. : hoc enim per naturam verum est : sed quantum de illuminatione superna, quam meremur psallendo, et innocenter vivendo, datur intelligentia, et sentitur adventus gratiæ ad animam, et recessus. E contrario autem mundanis involuti et peccatis, non intelligunt. I ad Corinth. II, 14 : *Animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei.* Cassianus : « Impossibile est « animam, quæ mundanis distensioni- « bus, vel tenuiter occupatur, donum « scientiæ promereri, vel genitricem fieri « spiritualium sensuum, vel tenacem « fieri sacrarum lectionum. Felix qui in- « telligit adventum ejus, ad se in morte « venientis. » Luc. XII, 40 : *Estote parati, quia qua hora non putatis, Filius hominis veniet.* Apoc. XXII, 12 : *Ecce venio cito, et merces mea mecum est.*

Secunda pars Psalmi.

« *Perambulabam in innocentia.* » Hic secundum, in quo subjungitur probatio, quod vere taliter cantabit, et in tali statu, scilicet innocentiæ, ostendendo in se veram innocentiam : et dicuntur hæc in persona generalis justi. Duo ergo dicuntur. Primo ostendit innocentiam suam absolute in se. Secundo, in comparatione ad alios, ibi, « *Facientes prævaricationes.* »

In prima duo secundum duo in quibus est innocentia vera in se absolute. Primo, quia in bono continue profecit. Secundo, quia a malo sollicite sibi cavit, ibi, « *Non proponebam.* »

In prima duo. Primo, profectus in bono opere, cum perseverantia in profectu. Secundo, cum tranquillitate mentis, ibi, « *In medio.* »

Dicit ergo : Sic dixi, quod psallam existens in via immaculata, et vere existens in illa, quia « *perambulabam,* » in bono semper proficiendo, manens, supple, « *in innocentia cordis mei.* » Ecce profectus cum perseverantia. Talem quærit Deus. Gen. XVII, 1, dixit ad Abraham : *Ambula coram me, et esto perfectus.* Talem remunerat gloriose. Psal. LXXXIII, 13 : *Non privabit bonis eos, qui ambulant in innocentia.* Supra, in Psal. XXIII, 3 : *Quis ascendet in montem Domini,* etc. statim subjungitur, ℣. 4 : *Innocens manibus, et mundo corde.* Job, XXII, 30 : *Salvabitur innocens, salvabitur autem in munditia manuum suarum.* Perambulabam, inquam, tranquillus et pacificus, « *in medio domus meæ,* » id est, cordis, dicit Glossa. Sap. VIII, 16 : *Intrans in domum meam, conquiescam cum illa.* Et Eccli. XXXII, 15 : *Præcurre prior in domum tuam, et illic avocare, et illic lude.*

Ab hac domo expellunt miseros homines tria, sicut habetur Prov. XXVII, 15 : *Fumus,* id est, superbia, quæ in altum se elevat, et inanis fit. *Tecta perstillantia,* carnalis concupiscentia, quæ quasi guttando totum consumit. *Et litigiosa mulier,* avaritia, quæ discurrere, et acquirere injuste cogit.

Nota, quod est innocentia iniquitatis, quæ est in illis, qui volunt malum facere, sed non datur facultas. Et est innocentia impossibilitatis, in illo qui nec potest velle nocere, sicut in parvis. Et etiam voluntatis. Et nota hic, quod est innocentia inchoans, quando homo potest si vellet diligenter procurare, malum facere, et non facit. Eccli. XXXI, 10 : *Qui potuit transgredi, et non est transgressus.* Et est innocentia proficiens, quando data occasione mali homo refugit, cujus exemplum dedit Dominus, quando vocatus ad regnum fugit[1]. Et est innocentia perfecta, quando etiam trahitur ad malum, et quasi cogitur, et

Triplex gradus innocentiæ.

[1] Cf. Joan. VI, 15.

tamen renuit. Hæc est innocentia Joseph[1].

3 « *Non proponebam.* » Hic secundum, in quo est vera innocentia, scilicet in perfecta cautela contra malum.

Ait enim : Sic perseveranter profeci in bono, et etiam « *non proponebam,* » hoc est, cum proposito ponebam, etsi surriperet, « *ante oculos meos,* » oculos, inquam, cordis, « *rem injustam.* » Hoc est dictu, ei quod est injustum, non consentiebam. Job, XXXI, 1 : *Pepigi fœdus cum oculis meis* non corporalibus, sed spiritualibus : quod patet per hoc quod sequitur : *Ut ne cogitarem quidem de virgine,* cogitatione scilicet affectata : de alia enim non potest intelligi : hoc enim ipsum dicendo, necessario de virgine cogitabat.

« *Facientes prævaricationes.* » Hic secundum totius secundæ partis Psalmi, in quo ostendit innocentiam suam comparatione ad alios : in quo dicuntur tria. Primo, detestatio malorum, et quasi elongatio a se. Secundo, bonorum advocatio contra se, ibi, « *Oculi mei.* » Tertio, sic separatis malis, et adjunctis bonis, tandem malorum destructio, ibi, « *In matutino.* »

In prima tria. Primo, detestatio malorum in opere. Secundo, malorum in corde, ibi, « *Non adhæsit.* » Tertio, malorum in sermone, ibi, « *Detrahentem.* »

Dicit ergo : Sic quantum est in me, et ad me, innocens fui, et etiam quantum ad alios : quia « *facientes prævaricationes,* » legis scilicet transgressores, « *odivi,* » non homines. Psal. V, 7 : *Odisti omnes qui operantur iniquitatem,* in quantum sunt tales. Et alibi, Psal. CXVIII, 113 : *Iniquos odio habui,* non naturas iniquorum. In Psal. XXV, 5 : *Odivi ecclesiam malignantium, et cum impiis non sedebo.* Sap. XI, 25 : *Nihil odisti eorum quæ fecisti.*

« *Non adhæsit mihi.* » Hic detestatio malorum corde. Et primo, malorum in volendo, quod malum est morum. Secundo, in errando, in his quæ ad fidem pertinent, ibi, « *Declinantem.* » 4

Dicit ergo : Sic odivi opere delinquentes, et etiam corde, quia « *non adhæsit mihi,* » per amorem, qui duo unum efficit, I ad Cor. VI, 17 : *Qui adhæret Domino, unus spiritus est,* « *cor pravum,* » habens scilicet voluntatem pravam aliud appetentem et volentem quam velit Deus. Jerem. XVII, 9 : *Pravum est cor omnium, et inscrutabile : quis cognoscet illud?* Et bene dicit, quia mali aliquando sibi invicem fortiter cohærent. Job, XLI, 6 : *Corpus illius,* Behemoth scilicet, *quasi scuta fusilia compactum squamis se prementibus. Una uni conjungitur, et ne spiraculum quidem incedit per eas.*

« *Declinantem.* » Hic secundum. Quasi diceret : Sic non adjunxit se mihi cor pravum, et etiam « *declinantem a me,* » id est, a mea fide, « *malignum,* » hæreticum, propter quem dicitur, I Joan. V, 19 : *Mundus totus in maligno positus est.* Jerem. VI, 28 : *Omnes isti principes declinantes, ambulantes fraudulenter.* « *Non cognoscebam,* » ita omnino abjiciebam, ac si non cognoscerem. Matth. VII, 23 : *Numquam novi vos.* Ad Tit. III, 10 : *Hæreticum hominem post unam et secundam correptionem devita.*

« *Detrahentem secreto.* » Hic detestatio malorum ore. 5

Ait enim : Sic malos opere odivi, et malos corde : et etiam « *detrahentem* » sermone non aperto, quia falsa non cito in aperto dicuntur, sed « *secreto proxi-*

[1] Cf. Genes. XXXIX, 12.

mo suo. » Vel, ob hoc dicit *secreto*, quia si talem persequebatur, qui detrahit in secreto, multo fortius in aperto detrahentem. « *Hunc persequebar,* » tamquam serpentem venenosum. Eccle. x, 11 : *Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet qui occulte detrahit.* Prov. vi, 19, Sex sunt quæ odit anima mea : et ultimum est : *Qui seminat inter fratres discordias.* Ad Rom. i, 30 : *Detractores Deo odibiles.* Nec solum Deo, imo hominibus. Prov. xxiv, 9 : *Abominatio hominum detractor.* Eccli. xxviii, 15 : *Susurro et bilinguis maledictus,* supple, erit.

Fugienda malorum consortia. « *Superbo oculo.* » Hic secundum, in quo monstrat se vehementer detestari malorum consortium, quia nec ab eis necessaria accipere voluit. Et in « *superbo* » intelligitur una radix peccatorum. In hoc quod addit, « *Insatiabili corde,* » duplex alia, scilicet concupiscentia oculorum, quæ respicit ad avaros, et concupiscentia carnis, quæ ad luxuriosos.

Ait enim : Sic detestatus sum malos, et etiam cum hoc, scilicet cum « *superbo oculo,* » modus est loquendi. Isa. ii, 11 : *Oculi sublimes hominis humiliati sunt.* Prov. vi, 16 et 17 : Sex sunt, quæ odit Dominus... *oculos sublimes*, etc. »

Et cum corde insatiabili, » id est, avaro et cupido. Eccli. xiv, 9 : *Insatiabilis oculus cupidi.* Eccle. v, 9 : *Avarus non implebitur pecunia.* Corde etiam insatiabili, id est, luxuriosus. Hieronymus super illud Osee, iv, 10 : *Fornicati sunt, et non cessaverunt :* « Voluptas insatiabilis : et habita, famem, non saturitatem parit. » Propter hoc dicitur, Prov. xxx, 15, de avaritia et luxuria : *Sanguisugæ duæ sunt filiæ, dicentes, Affer, affer.*

« *Cum hoc non edebam,* » etsi me invitaret, attendens illud Prov. xxiii, 20 : *Noli esse in conviviis potatorum.* Et Prov. xxiii, 6 : *Ne comedas cum homine invido.* I ad Corinth. v, 11 : *Si quis fornicator est, aut avarus, cum ejusmodi nec cibum sumere.* Nec est contrarium quod ipse Dominus comedit cum peccatoribus[1]. Intelligitur enim hic de nutritione, et consortio nutriendi eos in peccato, ibi autem intentione revocandi eos a peccato fiebat comestio. Nec dicit se refutasse eorum consortium in comestione quantum ad locum, sed quantum ad modum.

6 « *Oculi mei.* » Hic secundum, postquam ostendit se malos detestatum fuisse, ostendit se bonos attraxisse, et conjunxisse sibi. Et primo, ostendit quos habuerit socios. Secundo, quos subjectos, ibi, « *Ambulans.* »

Dicit ergo : Hos detestatus sum, et odivi : sed «*oculi mei,*» desideria scilicet cordis mei, et affectiones, supple, erant, vel sunt « *ad fideles terræ,* » non ad principes, et episcopos, et potentes, sed ad fideles, etsi pauperes. Psal. x secundum Hebræos, 9 : *Oculi ejus in pauperem respiciunt.* Sap. iv, 15 : *Et respectus in electos illius.*

Et dicit *fideles terræ,* quia terra sunt, Gen. iii, 19 : *Pulvis es, et in pulverem reverteris.* Et in terra degunt, Bernardus : « Mirabilis est conjunctio fidei « cum humano corde, virginitatis cum « matre, divinitatis cum humanitate. »

Sed ad quid respicis ad tales? « *Ut sedeant mecum,* » socii et collaterales mensæ, ut possim dicere illud Job, xxxi, 17 : *Si comedi bucellam meam solus,* male mihi accidat. « *Sedeant,* » inquam, « *mecum,* » non ego super eos, quamvis major inter eos. Eccli. xxxii, 1 : *Rectorem te posuerunt? noli extolli : esto in illis quasi unus ex ipsis.* Sedeant etiam mecum in fidei unitate et charitate omnes fideles de mundo, et tandem in remuneratione in regno cœ-

[1] Cf. Matth. ix, 11 et seq., et Luc. vii, 34.

lestis patriæ. Hoc exponit Augustinus de illa sessione in judicio ad judicandum, de qua, Matth. XIX, 28 : *Amen dico vobis, quod vos qui secuti estis me, sedebitis*, etc., ut sint verba Christi, et sic videtur relinquere, quod soli tales appellandi sunt fideles.

« *Ambulans.* » Ecce secundum, quos habuit subditos et ministros, et describit eos a triplici virtute. A continentia : ab humilitate, ibi, « *Non habitabit.* » Et a concordia et pace, ibi, « *Qui loquitur.* »

Dicit ergo : Tales habui socios, et etiam « *ambulans in via immaculata :* » abstinentiæ et continentiæ, et per hoc beatus. Psal. CXVIII, 1 : *Beati immaculati in via.* III Reg. x, 8 : *Beati viri tui, et beati servi tui* : « *hic mihi ministrabat,* » in signum meæ munditiæ. Eccli. x, 2 : *Secundum judicem populi, sic et ministri ejus.*

7 « *Non habitabit.* » Hic secundum. Quasi diceret : Sic ministrat mihi immaculatus : sed quia vitæ munditia aliquando superbiam generat, dico, « *Non habitabit in medio domus meæ,* » in qua ad litteram sunt servi Domini in cameris, « *qui facit superbiam.* » Psal. v, 6 : *Neque habitabit juxta te malignus, neque permanebunt,* etc. Vel domum dicit cor proprium. Quasi diceret : Non habitabit in corde meo, quod domus mea est. Sapient. VIII, 16 : *Intrans in domum meam, conquiescam cum illa.* Et Eccli. XXXII, 15 : *Præcurre prior in domum tuam.*

Si autem loquitur Christus, de domo duplici verum dicit, de Ecclesia scilicet militante, in qua non manet per perseverantiam, qui facit superbiam : si enim ad modicum sint in illa, cito redeunt ad peccata : et sic non habitant. Luc. VIII, 13 : *Ad tempus credunt, et in tempore tentationis recedunt.* Et sunt extra. Hæc domus, de qua Proverb. IX, 1 : *Sapientia ædificavit sibi domum.* Et de domo jam triumphante in cœlo, de qua Baruch, III, 24 : *O Israel quam magna est domus Dei!* In qua non habitabit superbus. Apocalyps. XXII, 15 : *Foris canes, et venefici,... et omnis qui amat et facit mendacium.* Et ejectus conculcabitur penitus. Isa. XXVIII, 3 : *Pedibus conculcabitur corona superbiæ ebriorum Ephraim.*

« *Qui loquitur.* » Ecce tertium. Quasi diceret : Sic mihi ministrat mundus, humilis, et pacificus, qui non seminat discordias, nec dure aliis saltem loquitur, « *et iniqua :* » quia « *qui loquitur iniqua,* » detrahendo aliis, et malitiosa perferendo, « *non direxit,* » id est, non profecit, nec placuit, « *in conspectu oculorum meorum :* » etsi forte aliis placuerit : imo a conspectu meo illum statim projeci, sciens illud Proverb. XXIX, 12 : *Princeps, qui libenter audit verba mendacii, omnes ministros habet impios.* Et illud Psal. CXXXIX, 12 : *Vir linguosus non dirigetur in terra.*

Audiant hæc Prælati : debent enim habere compositam familiam valde. Seneca : « Compositus miles, compositam « debet habere familiam, et castam, » sicut hic dicitur, et Exod. IV, 24, legitur, quod Dominus voluit occidere Moysen, quia habebat familiam incircumcisam. Genes. XVII, 10 et seq., præcepit Dominus Abrahæ, ut non ipse tantum, sed omnes de domo sua circumciderentur, tam vernaculi, quam emptitii. Ipsi etiam principes gentium solent habere eunuchos servientes sibi, habitu et gestu humiles, sicut dicitur hic. Et Dominus talem elegit. I ad Corinth. I, 27, et seq. : *Infirma mundi elegit Deus ut confundat fortia : et ignobilia mundi, et contemptibilia,... ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus.* Maturam ætate et moribus gravem : quia Job, XII, 12 : *In antiquis est sapientia.* Et in Psal. XXXIV, 18 : *In populo gravi*, familia scilicet moribus honesta, *laudabo te.* Bernardus : « De« sistant Episcopi comatos pueros et

Prælati debent habere compositam familiam.

« comptos secum habere : certe inter « mitratos discurrere calamistratos non « decet, id est, domum Episcopi decet « sanctitudo, decet honestas sacerdotum, « decet modestia : domestici autem cæ- « teris honestiores sint, aut omnibus fa- « bula sunt. »

8 « *In matutino.* » Hic tertium totius hujus partis, in qua ostendit innocentiam suam comparatione ad alios. Postquam enim ostendit se detestatum fuisse malos, et bonos advocasse, hic tertio etiam ostendit se etiam occidisse et destruxisse malos : in quo dicuntur duo. Primo, quod destruxit malos. Secundo ad quid, ibi, « *Ut disperderem.* »

Dicit ergo : Sic malis repulsis, adhæsi bonis : et quid plus? « *In matutino,* » id est, in cognitione veritatis, et post discussionem causæ diligentem, « *interficiebam omnes peccatores terræ,* » ad litteram, non in nocte. Genes. XVIII, 21 : *Descendam, et videbo,* etc. Job, XXIX, 16 : *Causam quam nesciebam, diligentissime investigabam.* Vel, « *interficiebam,* » in bono in quantum peccatores erant, ut jam peccatores non essent. Prov. XII, 7 : *Verte impios, et non erunt.* Exhortatione simplici, sicut Samson in mandibula asini multa millia Philistinorum occidit[1]. Et in me peccatores, dæmonum scilicet suggestiones, quas peccatores appellat causaliter, quia homines efficiunt peccatores, « *interficiebam,* » annihilabam, « *in matutino,* » id est, in initio. Dies enim mala est tentatio, cujus mane est initium tentationis. De hac Job, III, 3 : *Pereat dies in qua natus sum.* Et Jerem. XX, 14 : *Maledicta dies, in qua natus sum.*

Diabolicæ tentationes in ipsis initiis debent ejici

Vel, *in matituno* gratiæ : cum enim incipit in corde gratia relucere, tunc per confessionem occiduntur omnes suggestiones diabolicæ. Exod. XIV, 24 et 25 : *Jam advenerat vigilia matutina, et ecce respiciens Dominus super castra Ægyptiorum per columnam ignis et nubis, interfecit exercitum eorum : et subvertit rotas curruum, ferebanturque in profundum.* Sic et Christus in matutino, quando illucere incipiet dies æternitatis, de qua in Psal. LXXXIII, 11 : *Melior est dies una in atriis tuis,* interficiet peccatores morte æterna. Exod. XV, 9 : *Interficiet eos manus mea.*

« *Ut disperderem.* » Ecce secundum, scilicet quare interficiebam. « *Ut disperderem,* » deorsum perderem, « *de civitate Domini,* » de Ecclesia militante, quantum in me erat. Hæc est civitas de qua Eccle. IX, 14 : *Civitas parva, et pauci in ea viri.* Vel de triumphante, quæ est civitas illa, de qua in Psal. LXXXVI, 3 : *Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei.* « *Omnes operantes iniquitatem.* » Apocal. XXI, 27 : *Non intrabit in eam aliquod coinquinatum, aut abominationem faciens.* Isa. XXXV, 8 : *Non transibit per eam pollutus.* Apoc. XXII, 15 : *Foris canes, et venefici, et homicidæ, et idolis servientes, et omnis, qui amat et facit mendacium,* relictis sanctis et filiis Altissimi, de quorum numero nos faciat, qui est benedictus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

[1] Cf. Judic. XV, 14 et seq.

INDEX PSALMORUM

ORDINE NUMERICO

PARS SECUNDA (LI-C)

INDEX PSALMORUM

ORDINE ALPHABETICO

PARS SECUNDA (LI-C)

A

B

C

D

E

F

I

J

M

N

Q

S

T

U

V

FINIS TOMI DECIMI SEXTI.

Sancti Amandi (Cher). — Ex typis de DESTENAY.

B. ALBERTI MAGNI

RATISBONENSIS EPISCOPI, ORDINIS PRÆDICATORUM

OPERA OMNIA.

EX EDITIONE LUGDUNENSI RELIGIOSE CASTIGATA, ET PRO AUCTORITATIBUS
AD FIDEM VULGATÆ VERSIONIS ACCURATIORUMQUE
PATROLOGIÆ TEXTUUM REVOCATA, AUCTAQUE B. ALBERTI VITA AC BIBLIOGRAPHIA
OPERUM A PP. QUÉTIF ET ECHARD EXARATIS, ETIAM REVISA ET LOCUPLETATA

CURA AC LABORE

AUGUSTI BORGNET,
Sacerdotis diœcesis Remensis
ANNUENTE FAVENTEQUE PONT. MAX. LEONE XIII

VOLUMEN DECIMUM SEXTUM
COMMENTARII IN SECUNDAM PARTEM PSALMORUM (LI-C).

PARISIIS
APUD LUDOVICUM VIVÈS, BIBLIOPOLAM EDITOREM
13, VIA VULGO DICTA DELAMBRE, 13

MDCCCXCII